Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.

+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.

+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.

+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

CODEX MEVIANUS

HOC EST

DECISIONES

SUMMI TRIBUNALIS REGII, QVOD EST VVISMARIÆ, SUPER QVÆSTIONIBUS FORENSIBUS CAUSARUM PRÆCIPUARUM DE ANNO M DC LIII. AD ANNUM M DC LXX. ad Istud delatis,

Quondam Voluminibus novem,

à

DAVIDE MEVIO, JCTO,

Et Istius Vice-Præside repræsentatæ;

NUNC AD ORDINEM LIBRORUM ET TITULORUM

CODICIS JUSTINIANEI, QVANTUM FIERI POTUIT, ACCOMMODATÆ.

Cum Indice à plus quàm quadringentis falsis citationibus, quæ in prioribus Editionibus irrepserunt, expurgato. Indice etiam Decisionum ad inveniendas aliarum Editionum allegationes, & Sententiis Latinis Aucta.

Industriâ & Labore

QUORUNDAM D.D. PROFESSORUM INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ MOGUNTINÆ.

TOMUS SECUNDUS.

Cum Privilegio Sac. Cæsareæ Majestatis.

MOGUNTIÆ,

Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliop. Augustani,

Typis Joannis Mayer, Typographi Aulico-Academici.

ANNO M DC XCIX.

Digitized by Google



Digitized by Google

CODICIS MEVIANI DECISIONUM FORENSIUM

& quæstionum super causis ad summum tribunal Regium ab anno 1653. usque 1670. devolutis.

LIBER QUINTUS.

TITULUS PRIMUS.

DE SPONSALIBUS ET Arris sponsolatiis & proxeneticis.

DECISIO I.

Non est permittendum desponsatis mutuo consensu à contractis sponsalibus discedere, & tantùm suam injuriam vindicare.

POstquam causa matrimonialis super sponsalibus in judicium devenerat, & per officii rationem placuerat, partem utramque citare, reconciliationem tentare, alterâ verò comparere recusans, ob non servatam sibi sponsalium fidem injuriarum actionem intentabat, altera verò ità fieri sinebat, ut observare non teneretur, in deliberationem venit, quid statuendum sit? Consideratio autem quomodo utriusque intentio illuc tendebat, ut à pactis nuptialibus discederetur, concluſum fuit, ei minimè esse indulgendum. (1) Quando enim sponsalia contrahentibus illicitum mutuo placito expresso ista dissolvere, utique nec sic per ambages aut in consequentiam id fieri sinendum. (2) Est quippe divinitus sancita tanta matrimoniorum honestas, (3) ut adjuncta sit servandi necessitas, quocirca ademptũ iis qui contraxerunt repudii arbitrium, sed tantùm Deo ejusque in terris vicariis Regibus & Principibus relicta potestas ex justa causa discessum permittendi, ità tamen ut prius legitima causæ cognitio præcedat. Aperietur infinitis turbis, scandalis & malis occasio omnisque peribit conjugiorum sanctimonia, litibus omnia istorum fient obnoxia, si permitteretur ut sponsalia ineuntibus supersit quidquam ultrà id quam ut sanctè servent. Ubique igitur in rectè constitutis Consistoriis id non modò licitum, sed etiam impunè est. Quocirca per severa mandata injungi solet, ut abstineatur ab omni pacto vel transactione contra sponsalium vel matrimonii vinculum. (4) Quod si ante ea quidquam fit, statim ut ipso jure improbum rescinditur. Et sicut talia decernenda fuissent si in pacta adversa & injusta partes consensissent; Ità ubi sine expresso consensu idem intenditur, etsi non dicitur præpediendum erit, (5) Quare visum fuit, non admittendam esse injuriarum eo tendentem actionem, sed prius compellendam utramque partem ut compareat & causa sponsaliorum cognoscatur. *In causa Annæ Hagemeisters contra Brandanum Eggebracht, die 28. Aprilis, Anno 1657.*

1. Jure quidem civili Romano ut consensu sponsalia contrahuntur, ità etiam dissolvuntur, *l. 1. C. de Sponsal. l. 2. de Repud. juxtà l. nihil tam naturale 35. ff. de Reg. Iur.* nec Canonicum jus eam libertatem prohibuit, *c. præterea X. de Sponsalib.* At in Ecclesiis Orthodoxis Evangeliorum Divino juri non consonum existimatum est, sponsalia semel contracta consensui ad dissolutionem relinquere, inde interdictus per hanc ab istis discessus. *vid. Heig part. 2. quæst. 16. num. 4. seq. Beust. de Sponsalib. part. 1. cap. 58. Arnisæ. de Iur. Connub. c. 6. sect. 2. num 14. seq.*

3. Regula Christi *Matthæi 19. verb. 6. Quod Deus conjunxit homo non separet*, ad sponsalia quoque pertinet, uti Theologi applicant, & eatenus servandum putant, ut non liceat contrahentibus ista dissolvere, sed si causa adsit, à judicio distrahenda sint.

4. Transactiones super matrimoniis contra eadem improbæ sunt & prohibitiæ. *c. ult. de Transact. Gail. 2. Obs. 94. n. 14. Beust. dict. tr part. 1. c. 29. pr.*

5. Quo respicit quod de matrimonio non licet compromittere in arbitrium vel arbitratorem. *c. pen. §. pen. de Restit. in integr. Cum Borell. in tr. de compromiss. §. 2. gloss 1. num 59* sicut nec parti suo adversario juramentum deferre *Gail l. d. Observ. 94. num. 13. Schneidewin. in §. si quis postulante n. 20. & seq. Inst. de Action.* ne sit occasio ex arbitrio partium nuptiarum vinculum dissolvere.

Digitized by Google

DECISIO II.

Ad coactionem refractarii sponsi vel sponsæ non sufficit contractus publicorum sponsalium, sed requiritur etiam ut juri consummationem exigendi nihil obsistat.

IN difficili valdeque intricata causa accidebat, ut sponsus post publica in nomine SS. individuæ Trinitatis contracta sponsalia connubii solemnia, & ubi à sponsa recusarentur, per severa remedia compulsionem rogaret. In eo facile coivit consensus judicantium, esse matrimonium ex tam sancto promisso consummandum. Etiam hoc extra controversiam fuit sponsam refractariam ad consummationem posse, & debere compelli. Recepit usu id consuetudo in Consistoriis. Verum repertum est in thesi, seu ut loquimur in genere, de eo expeditius certiusque existimari, quam ubi ad speciem deventum est applicari. Nam habet etiam ea res exceptiones quasdam multique sunt casus, ubi licet publice solemnia sponsalia præcesserint tamen ad compulsationem non devenitur. Inter quos etiam illi sunt, quando non est alteri partium jus exigendi ut altera cogatur. (1) Fieri quippe potest ut altera promissa servare non debeat; imo ut & debeat, altera tamen ut serventur vel ut compulsio ad servandum fiat petere, non queat. (2) Connubialis contractus mutuus, & ita correspectivus atque invicem obligatorius est, ut ex eo fidem poscere non possit, nisi qui ei congrua ipse præstare velit & poscit. (3) Ideo si quid circa hæc unius voluntati atque potestati deest, non est jus poscendi ab altera ut servet nec jus judici alterum eo compellendi. (4) Non enim ita cæca aut pactorum observantia, (5) aut ad hanc coactio divino vel humano jure requiritur, vel salva pietate justitia & ratione requiri potest, ut sine discrimine aut consideratione circumstantiarum fieri debeat. (6) Sed circumspecte attendendum, primo an à quo postulatur observare debeat, quod ex illius exceptionibus statuendum. (7) Deinde an etiam qui postulat actionis jure se indignum reddiderit; vel in alio existat quod non compelli mereatur. Tertio annon ubi illius debitum, hinc jus sit, pia tamen ratio alia sit, quare à coactione adhuc sit abstinendum, & vel exspectandum aliquamdiu vel à petitione actor dehortandus sit. (9) Qualia cum sæpius accidant judicis est considerate ad compulsionem progredi. Movebantur talia aliqua, etiam prævidebantur in lite, quæ ad summum Tribunal devenerat, ideo antequam super illo pronunciaretur aliquid moræ pro tentandis melius conciliandisque animis præplacebat *in causa D. Ott Fari contra Elisabeth Dinggraven, die 2. Nov. Anno 1655.*

1. Cum qui agere vult oportet habere actionem, sine qua nemo experitur, *l. 6. § fin. ff. de negoc. gest.*

2. Non minor est favor conjunctionem non legitimam, vel non satis probatam dissolvere aut non promovere, quantus est matrimonium legitimum consolidare, *Alb. inc. series n. 5. x. de Testib.*

3. *Arg. l. Julianus 13. §. offerri ff. de act. Empt.*

4. A sua parte prius non implenti vel justa præstanti non efficax ad petendum sibi debitum actio, sed obstat non implementi exceptio, *vid. Zanger de Except. l. 3. cap. 22. num. 1 & seq.* Quod uti in aliis contractibus utrinque obligatoriis locum habet ita etiam in connubiali pia æquitate hoc exigens, ut qui velit sibi fieri conjugem connubialia vicissim habeat & præstare possit.

5. Reperi sæpius rigute nimis at infeliciter sit existimatum, nisi legibus scripta sit repugnii causa, cogendam esse matrimonii consummationem nec veniam ejus imo vix moram faciendam esse. Miratus etiam magnos Theologos & JCtos tantum rigorem approbasse etsi luctuosum atque scandalosam ejus eventum multoties experti sint. Hoc puto piæ rationi convenire, quod non simpliciter considerandum sit, quid pro matrimonio promissum, sed ut obtineri fini suo apta, intra suas leges consistere & servari possit. Atque uti cum ista speranda sunt, vel alia non metuenda refractarii ad istam merito compelluntur, ita ubi secus se habent, id quam periculosum tam considerate intentandum, nec aliter quam si concors matrimonium obtinebitur intentandum. Alias dissolutioni potius studendum erit, *ut monet post alios allegatos Carpz. in Jurisprud. Consistorial. lib. 2. defin. 176. num. 6.* Non minus peccat qui jungit non injungendos quam qui separat non separandos. *Cothman. respons. 68. num. 42. vol. 2.*

6. Plures sunt causæ tum civili & Canonico jure expressæ tum usu Ecclesiarum receptæ ex quibus sponsalia dissolvuntur ideo servare non permittitur.

7. Indignus legum beneficio qui in leges peccat. *l. auxilium 37. § fin. ff. de Minorib.*

8. Coactio remedium valde odiosum & concordiæ, quam conjugium poscit, non aptum *c. requisivit 17. x. de sponsal.* Ideo extraordinarium & subsidiarium. *Cothman. dict. consil. 86. num. 101. seq. vol. 2.*

9. Non magis personæ refractariæ quam istam coerceri petentis gratia requiritur in cogendo insignis prudentia. Ideo non tantum illam admonere opottet de iis quæ adversanda promissa movebunt, sed & hanc considerare debet antequam coactam in domum recipiat. Studendum est non modo fidei in servandis promissis, sed etiam concordiæ & animorum conciliationi.

DECISIO III.

Per quos gradus ad compulsionem sponsæ refractariæ deveniendum.

QUando coactiones circa matrimonia plerumque difficiles tristesque exitus habere solent, (1) ad eas caute tardeque progredi decet, nec aliter quam si devitari nequeunt, (2) Per gradus eo severita-

Digitized by Google

tis descendendum erit & quidem primo considerandum est utrum res circa connubiale votum ita certa & expedita sit ut nihil supersit, nisi ut refractarii coerceantur, (3) Quidquam dubium facit non modo an consummare oporteat sed etiam an compulsione utendum, id hanc retardat & dilationem poscit, deinde omni ope contendendum est ut animi concilientur & persuationibus ad concordiam consensumque super consummatione inducantur. (4) Tertio si nihil profecerit judex quantum in se est obstacula concordiæ & inimicitiæ fomenta exploret atqiè medio tollere studeat. Postquam id factum, quarto severioribus exhortationibus animos permovere tentet. (5) Ubi istæ surdis auribus transmittuntur, quintò manda, tum de consummando sub comminatione multæ & eorum medioruni, quibus coactio fieri solet, addat. (6) Omnia ista ubi frustra fuerunt tunc demum compulsionis instrumenta adhibebit. (7) Cum autem nõ omnia præfata vel non exactè præcessissent inque talibus nihil potest esse pro concordi connubio nimium existimatum est instantiæ sponsi urgentissimæ nondum esse rigorem tribuendum sed per istos gradus eundum *in eadem causa.*

1. *c. requisivit x. de sponsalib.*

2. Quanto magis connubialia omnia requirant amorem, consensum, concordiam eo minus congruunt coacta & involuntaria, ideo maxime cavendum, ne ultra quam necessaria adhibenda sint.

3. *Cothman. respons. 66. num. 105. & seq. vol. 2.*

4. *Hoc est monitum c. 2. x. de sponsalib. Carpzov. in jurisprud. Consistorial. part. 2. defin. 133. num. 6.*

5 Hoc ad circumspectam judicis providentiam pertinet, ut ante omnia causam dissidiorum & impedimentum concordiæ vel consensus in consummationem scrutetur nec tantum sciat sed eam tollere & emendare studeat, quo illâ sublatâ conciliatio fit eo facilior & constantior. Absonum & inutile erit velle desponsatas personas esse concordes & ad conjugium adigere at semina discordiarum relinquere integra & intacta. Non ad discors sed concors matrimonium fiet compulsio, quin potius ubi manent exulcerati animi abstinendum *ut Carpzovius suadet in jurisprud. Consistorial. part. 2. defin. 176. n 8.* aut ut dissolvatur vinculum permittendum *Carpzov. ib. n. 14.*

6. *Hunc progressum notat. d cap. requisivit. X. de sponsalib. & ibi Canonistæ explicant.*

7. *Ita ex communi usu præscribit Cothmann. dict. respons. 38. num. 101.*

8. *Quomodo & quibus mediis compulsio facienda sit exponit Carpzovius d. tr. part. 2. defin. 133. & 134.*

DECISIO IV.

Ob inimicitiam inter desponsatas personas exortam sponsalia dissolvi, multo magis ut non cogatur ad implendum altera differri potest & debet.

EXorta inter sponsum & sponsam gravi inimicitia frustraque tentatis humanioribus atque severioribus reconciliandi mediis, cum sponsus sponsam ad consummationem voti cogi instanter rogaret, quid statuendum esset, ardnæ eo magis quæstionis fuit, quod metuebatur, ne aut remedia porro tentata frustra forent, aut in consortium valde triste coiretur. (1) Ita omnia comparata erant, ut spes meliorum à prudentibus concipi non posset. In tali causa multorum ea est sententia faciendum esse, quod justum & promissa servare compellendam refractariam, cætera Deo tanquam animorum datori & rectori committenda esse, qui illos in meliores consonosque sensus mutare posset. (2) Remoratum est hoc dogma non parum cogitationes, quæ in aliud inclinabant; tandem vero non præpotuit, sed itum est in eam sententiam, compulsionem adhuc differendam esse. (3) Quando enim ob gravem atque irreconciliabilem inimicitiam sponsi & sponsæ locus esse repudio & voti dissolutioni, (4) utique multo magis à coactione, quamdiu illa durat, abstinendum est, tempusque dandum iratis atque discordibus animis. (5) Non tantum corporum sed præcipue animorum conjunctio est connubium, (6) ideoque id curandum ut pro hoc ista prius concilietur, & ubi locus ei nondum relictus quiescat coactio (7) & vel exspectetur reconciliatio, vel ubi ea non speranda aut altera pars exspectare nolit, dissolvatur. (8) si enim ob corporis vitia post votum accidentia, aut cum antea essent at ignorarentur, deinde manifestata ad repudia & dissolutionem juste perveniri creditur, veluti ob furorem, epilepsiam, paralysin, aliumque morbum contagiosum, corporis vel membrorum mutilationem, anhelitus fætorem & similia id fieri solet, quod officia connubialia vix admittunt (9) cur non ob non sperandam exulceratis plane animis concordiam idem locum habebit. (10) Non est tam dura ea lex de servandis promissis etiam Divino jure, ut non ex accedente causa abistis discedere aliquando fas sit, nedum ut alteri petendi causa desit. (11) Præsertim ubi finis conventorum obtineri nequit, deficit conventionum effectus. Etiam in connubialibus hoc observatur & pium habetur. Ob ea quæ coitum carnalem in toto impediunt, vel non admittunt, permittitur repudium & dissolutio, quia finis matrimonii non obtinetur Quidni etiam, ubi animi in concordiam domesticam non coeunt, obtinebit idem. Nec enim coitus iste solus est finis, sed consortium auxiliare omnis vitæ præcipuus est. (12) Ubi ejus nulla spes qui non dissolvi præstabit? multo magis qui ad istud cogi non consensuros æquum erit. Facienda quidem sunt justa non attenta refractaria aliorum voluntate constitutis, ideo judiciis ut reluctan-

Digitized by Google

tantes compellantur. (13) At non plane certum est, an justum sit ad matrimonium cogere invitos. (14) Et jura ab eo abhorrent atque dehortantur. [15] Aliqua semper justa sunt, alia pro certo rerum statu. Illa nunquam non fieri debent, & quidquid evenerit, iis non ante ferendum, sed haec aliquando injusta sunt, aut justa esse desinunt, mutato nimirum eo statu cui congruum est. (16) Non sunt justa faciendave vel exigenda caeco impetu, sed prudenter & circumspecte, ne jus summum semina fiat injuria. (17) Deo quidem animos mutare & ad concordiam redigere possibile est, at antequam hoc fit stantem reconciliabili discordia, quid dis concordibus tantum faciendum, ipse melorum decernere haud aequam. Futura adhuc incerti non habetur in jure ratio. (18) Exspectandum donec DEUS quod potest, velit. Super eo quod potest, antequam velit, dum an velit incertum erit statuere hoc est Deum tentare (19) & judicem super futuris ignoraris fundare. (20) Superfuit autem in praesenti causa hoc unum, quod de dissolutione nuptialis voti decidere nondum opus fuit, sed tantum an refractariam compellere oportuit. Quod isto minus est aequiusque differri potest. (21) Tantum illud explorandum est, an etiam ea adfit inimicitia quae dilationem istam compulsionis mereatur. Ita judicatum *in causa D. Christiani Otfari, contra Elisabetham Dinggrafen, die 18. Ian. An. 1656.*

1. Si nunquam considerate agendum, certe coactiones in matrimonialibus tarde & circumspecte sunt tentandae, ut quae citius frequentiusque animos magis exacerbant quam conciliant, & si effectum habuerint, eo rem redigunt, ut emendatu difficillima eveniant. Quocirca quamdiu licet inter gravia desponsatorum odia rem integram servare praestat, quam post vulneratam causam remedia frustra & periculosius quaerere. *l. fin. C. in quib. caus. restit. integr.*

2. Theologi & JCti communiter in hanc sententiam conspirant, ideo audentius coactiones conantur. Nisi saepe infelicius sic factum per experientiam constaret, an id pro justo facilis esset consensus. At frequenter exitus infelicitas non parum dubitationis prudentioribus movet.

3. Praestat differre & exspectare periculose quam praecipitare.

4. In hoc consentit Theologorum & JCtorum sententia, *Gerhard. in loc. de Conjug. §. 106. Cypr. de sponsal. c. 13. §. 8. n. 1. seq. quam approbat Jus Canonicum c. 2 c. requisivit. 17. de Sponsalib.*

5. Ex mora remedium est irae.

6. *l. 1. ff. de Rit. Nupt.*

7. Sine animorum consensu transire in conjugium tam est absonum & ab ipsa re alienum, quam illud sine corporum conjunctione velle.

8. Id licet post frustra tentata reconciliationis remedia, *vid. Carpz. in juris pr. Consist. l. 2. defin. 176. per tot.*

9 Has repudii vel sponsalia dissolvendi justas esse causas Theologi & JCti opinantur & Praxis Consistoriorum diu approbavit.

10. Justum, rationabile & pium hoc argumentum credimus, si causa sponsaliorum dissolutionis justa est ex impedimento coitionis eorum, etiam justum esse ex impedimento conjunctionis animorum, cum & haec illam impediat, & pluribus malis caulam praebeat.

11. *c. litteras X. de Conjug. leprof. c. quemadmodum X. de jurejurand.*

12. *l. 1. l. 2. ff. de Rit. Nupt.*

13 judicium redditur in invitos, *l. 83. §. 1. ff. de verb. Ob*

14. *l. si parte 22. ff. de Matrim.*

15. Verba Papae notabilia sunt *in c. requisivit. 17. X de Sp.* cum libera debeant esse matrimonia, monendus est potius mulier quam cogenda, cum coactiones difficiles solent exitus frequenter habere.

16. Inest actibus humanis ea tacita inest clausula, si res in eodem statu maneriat, *l. cum quis 38. ff. sol. Matr. Jas. in l. quod Gervius n. 18 ff. de Condit. caus. dat* nec quicquam tam immobile atque fixum est, quia semper cum ista intelligitur. *Tiraquell. in tr. unquam in praef. n. 105. & 169* eaque etiam in explorabilibus tacite intelligitur. *Cypr. de sponsal. c. 13. § 67.*

17. Juris prudentia audit justi atq; injusti; scientia quod jus, prudenter est unicuique distribuendum, cum ea circumspectione, ut non tantum leges sed facti circumstantiarum habeatur ratio *l. bona fides § 1. ff. de posit.* quarum vel minima jus variat, quia hoc ex facto oritur, *l. 52 pr. ff. ad L. Aquil.*

18. Tractus futuri temporis ad officia judicis non pertinet *Hering § 3. ff. de excep. rei jud. l. 1 § 1. ff. de V.S.*

19. Non vult Deus de sua voluntate quam non exoluit divinari, sed donec opere manifestata exspectari

20. Uti de futuris contingentibus non est determinata veritas, sic nullum super iis judicium est. *Hering quaest. 8. seq part. 2.*

21. Uti alias dilationes judici sunt arbitrariae, *l. nationes 7. ff. de Fer. & dilat.* ita etiam cum necessitas vel probabilis ratio exigit, judex justa differre potest. Quod differendi causa optima ratione fit, mora non annumeratur, *l. sciendum 21 pr ff de V. Jur.*

Tabl.

DECISIO V.

Qualis inimicitia ad repudium vel negandum coactionem consummationis voti justa atque sufficiens sit.

POstquam stetit ea sententia ob inimicitiam repudio vel dissolutioni sponsaliorum locum esse, multo magis coactionem judiciariam adhuc recte differri, in disquisitionem venit. Qualis ad hoc inimicitia sufficiat? Non promiscue omnem sufficere ratio suggessit. (1) Existimavimus haec ejusdem requisita adesse debere. Primo ut sic gravis, nemo ita comparata, ut consensum animorum non permittat, sed in dissidia eos distrahat. (2) Ob levem eo minus id permittendum est, quod corrigi potest & reconciliationi judex studere debet. (3) Ubi ex coactione reconciliationis spes est quam facit necessitas, illa non est omittenda. (4) Deinde non sit affectata vel ideo assumpta & exercita, ut repudii captetur occasio. (5) Culpa est tum improba affectare. (6) Nec si vel justa sunt quae affectantur, ad excusationem profici-

ficiunt: Tertio justam esse decet. (7) Quod censendum ex causa quæ inimicitiæ intitium fecit. Ita talis requiritur, ut quis non improbe nec inique ad iram permoveatur. (8) Quanto absit quod refractarius inimicitiæ aut causis unde oritur, causam vel occasionem dederit vel in culpa sit, ut isti ea imputari debeat. (9) Tandem irreconciliabilis requiritur, non quod reconciliare impossibile ejusque spes ulla non sit, sed quia eo tempore quo de connubiali causa agitur, reconciliatio nullis persuasionibus, exhortationibus vel comminationibus obtineri potuit. (10) Hæc omnia cum inter præsentis causæ circumstantias deprehenderentur, existimatum est, juste fieri, ut compulsio quæ plane negari potest, differretur. *In eadem causa.*

1. Alias in contrahentium arbitrio tam esset à sponsalibus, cum placeret discedere, quam iras & odia suscipere.

2. Theologi & JCti qui ob inimicitiam locum faciunt sponsaliorum dissolutioni requirunt vel præsupponunt capitalem adeoque gravissimam.

3. Levis offensæ vel inimicitiæ non habetur ratio *l. si quis ita 3. §. fin. ff. de Adim. Legat.*

4. Sic versari debet judex circa coactionem, ut considerate expendat, utrum finem ejus, qui est in reconciliatione animorum, assequi possit nec ne. Ubi spes finem consequendi non deest, nec ab illa abstinendum est. Cessat tunc ratio ex qua differendum esse superius putavimus.

5. Affectata non proficiunt affectanti, etsi alias essent proficua, *l. 2. §. 3. fin. ff. si quis caut. jud. sist.*

6. Ita non excusat nisi justa. Justa est quæ oritur ex justo dolore, *l. si alterium 33. §. Imperator 8. ff. ad L. Jul. de Adulter.*

7. Justa faciendi causa excusat à culpa & injuria, *l. debitor. ff. de Neg. gest.*

8. Culpa sua nemini prodesse nec alteri nocere debet. *Divus 14. ff. de offic. Præsid.*

9. Si se invicem admittere noluerint, ne forte deterius inde contingat, ut talem scilicet durat, quam odio habet, videtur quod instar eorum qui societatem interpositione fidei contrahunt & eandem postea sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari, *ut habent verba in 2. X. de sponsalib.*

10. Idcirco non nisi post omnia reconciliationis tentamenta, ad dissolutionem propter inimicitiam pervenitur, *Carpz. in jurris pr. Consistorial. l. 2. defin. 176. ubi hanc causam latius exponit.*

DECISIO VI.

Causa aliquot quæ inimicitiam istam efficiunt.

CUm ex causis inimicitiæ quam maxime pendeat justitia ejus, omnique ex illius intuitu subsecuturæ definitionis in casu qui in judicium venit, quæ pro ista coloranda adducebantur, præprimis examinare convenit. Axioma vero hoc judicio de causis posuimus. (1) Causas tales esse oportere, quæ animum honestum merito contristantur, & ab eo, penes quem causa vel culpa est, non inique abalienarit. (2) Inter has censuimus primo contemptim de dote & elocationis sumptibus sic prolata, ut ideo etiam vel persona vel connubialis conjunctio despicatui habita sit. (3) Secundo improperatio amoris erga alium ejusque improbi seu indecori. (4) Tertio parentum sponsæ contemptus seu verba contumeliosa in istos pronunciata. (5) Quarto amicabilis compositionis per amicos bono animo & more tentatæ & sub conditionibus non iniquis impetrandæ recusatio vel remora (6) Haud vero inter illas collocandum desiderium exponendi, quæ filiæ elocatæ dabuntur, aut certitudinis illorum quæ pro dote promissa sunt. [7] Quando autem non satis est justas causas allegari sed etiam veras docere oportet (8) ut jam judicium partiumque conscientiæ consulatur & pernicioſis exemplis resistatur, quæ duo in matrimonialibus causis præprimis curanda sunt, placuit, ut causæ allegatæ in perspicuos articulos redigerentur atque probarentur. (9) *In eadem causa.*

1 *l. debitor 12. ff. de negoc. gest.*

2. Inimicitiæ jus est ex causa; causæ censuræ ex ira hujus jus ex dolore, qui justus & magnus facit inimicitiam *l. 3. § ff. de SC. Clausan. l. si adulterium 38. §. Imperator 8. ff. ad L. Jul. de Adulter.*

3. Malo more fit, ut ambigentes fœminas magis ideoque prius de dote quam de carne sint solliciti: inde ei legem quam huic amorem præoptent. Est hoc plerumque dissidiorum præmatura seges & earum quæ pecuniam suam quam se amari magis dolent indignatio. Postquam res integra non est, haud permittitur, ideo à voto reddendi licentia. Si tamen ex his quæ perperam circa talia fiunt, accedit, inimicitia ea non injusta habetur. Maxime si ideo contemnitur fœmina quod non satis est dotata

4. Is si verus, causa dissolvendi vinculi habetur, ideo & improperatur odii, sicut alia quædam inhonesta irrogatio. *l. lib. 28. C. de inoffic. Testam.*

5. Non potest non offendere hoc piam mentem, cum parentum persona sancta & honesta sit *l. liberto 9. ff. de Obseq. parent. & patron. præst.*

6. Hoc infensi & horrendi animi argumentum est cum quo jungi merito reformidat amorem quærens,

7. Ea sollicitudo non plane improba est & in mores fere abiit; Caute tamen ut causa sæpe multorum malorum exercenda.

8. Ubi non jus sed probatio deficit, perinde est ac si jus deesset, *l. si duo ff. de Testam Tutel.*

9. Non probata tali inimicitia quæ sufficit ad dissolvenda sponsalia ob odium aliud non fit dissolutio, nec ira ut injusta attenditur.

Juxta superiores definitiones adhibitis in consilium Pastoribus Ecclesiarū hujus loci sic pronunciatum fuit.

In Sachen D. Christiani Ortofari Klägern wider Jungfraw Elisabeth Dinggraven Beklagtinnen in puncto petitæ Compulsionis ad consummandum matrimonium wird die den 14. Januar. nach Beschluß der Acten eingebrachte Schrifft nicht angenommen/ sondern nach vergeblich mit allem Ernst und vermahnung versuchter Vereinigung

Digitized by Google

dabey befundener der Gemuether inſonderheit an Seiten der Beklagtinnen beharrlichen Verbitterung und recuſation vor Recht / und den acta geme̅ſperkant / deß Klägers Sachen wegen deß Klägers Sachen wegen deß Zwanges wider die Beklagtinne noch zur Zeit nicht ſtatt habe / ſondern dieſelbe / zuvorher zu beybringung der Einrede deß beſſa ubrigten vera ſad ens zu verſtatten: Geſtalt ſam ſie dan / daß Kläger durch ſolche Bezeigungen / die ein ehrliebendes Gemuth nicht unbillich betruben u. dzur Abneigung bewegen konnen / die groſſe Freundſeligkeit vo unſachen: Inſonderheit was th. wegen der Largeten. eein Hochrath Gute beſchehener ihrer Beſchimpffung unbeſcheidentlicher Verunſtandigen / tragender unehrbaren Liebe / inmaſſen den Eltern Verachtung und daß da es zum Vergleich hätte kommen mögen / er deſſen ſo ſolchen zu erreichen angeſtanden / ſich verwidert / inwendig 4 Wochen in geſetzte Articul zu verfaſſen / und darauff rechtſamen Ordnung nach ſelbiges beyzubringen ſchuldig iſt / ſo erachtet darauff ferner in puncto deß geforderten Zwanges auch im übrigen was Recht iſt / con Rechtswegen.

(Hoc eſt.)

In cauſa D. Chriſtiani Ottofari actoris contra Virginem Eliſabetham Dinggraten ream in puncto petitæ compulſionis ad conſummandum matrimonium ſcriptum 14. Jan. poſt concluſionem actorum exhibitum non admittimus, ſed poſt reconciliationem omni forvore & admonitione at fruſtra tentatam inventamque animorum præcipuè ex parte rei perſeverantem exceptionem & recuſationem juri & actis conformiter decernimus, quod petitioni actoris ratione compulſionis contra ream nondum locus ſit ſed illa prius ad probationem exceptionis ratione inſimulatæ cauſationis admittenda, prout ipſi quod actor per tales Actus quæ honeſtum animum non immerito contriſtari & ad verſionem movere poſſunt magnam inimicitiam cauſaverit, præſertim quod ratione reprehenſionis apud petitionem dotis ipſi factæ indiscretæ traductionis amoris minus honeſti erga alios, ſimiliter contemptus parentum, & quod caſu quo ad amicabilem compoſitionem deveniri potuiſſet ille eandem recuſaſſet allegatum intra quatuor ſeptimanas in certos articulos includere & prout ſtyli exhibere incumbit, exinde fiet ulterius in puncto petitæ compulſionis ac de cætero quod juris idque de jure.

DECISIO VII.

Qua diſſolutionem multum intereſt inter ſponſalia & matrimonium, nec prohibitio divortii argumentum præbet ad repudium.

VAlde gravis & intricata lis accidit, cum publice contracta ſponſalia de præſenti ſponſa conſummare prætracte negaret, ſponſus ad illud hanc cogi inſtantiſſime peteret. Hic ſanctimoniam promiſſionis in nomine SS. Trinitatis individuæ factæ; illa malos ſponſi mores aliaque inemendabilia obtenderet. Nec fuit hactenus quæ amplius negocii dubitationiſque faceſſerat, præſertim quod ex divino & humano jure pro ſervanda promiſſi connubii fide plura allegabuntur, juxtim à Theologis atque JCtis reſponſa atque judicia adducebant varia, non tamen ea argumenta, per quæ perſuaderi poterat, concors & pacatum unquam fore matrimonium. Inter quæ ab altera parte reſpiciebatur autoritatis verbi divini connubii vinculum indiſſolubile volentis. Ab altera proſpiciebantur mala ex coacto atque diſcordi matrimonio exoritura. E præcipuis vero pro connubii conſummatione moventis erat, declarata per Chriſtum voluntas divina. Quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet. (1) Quæ regula, & quod circa eam dictum, an etiam in contractis ſponſalibus valeat, ſeu an eadem horum indiſſolubilis vis ſit? ante omnia conſiderare oportuit; dum ſi idem rigor promiſſi qui conſummati matrimonii eſt, ſuper aliis qui in eam litem incidebant, prolixam diſcuſſionem adhibere ſupervacuum fuit. Non vilum neceſſario, ſentiendum eſſe cum his, qui iſta æquiparare ſolent. (2) Etſi enim in promiſſione connubiali omni, præſertim quæ in nomine Trinitati uni DEI, ideò merito juramenti inſtar magni fit, fidem ſtricte ſervare & præſtare divino & humano juri convenit, (3) nec nos quidquam ex eo negatum vel remiſſum volumus: Etſi etiam coactionem adverſus refractarios congruam non tollimus vel improbamus, tamen ſi juſta non cogendi ratio ſit, ab iſta abſtinendum, rationes autem plures, quam quæ in diſſolutione matrimonii valent, pro ſponſalium diſtractione admittendas putavimus. (4) Quocirca hæc longe facilius & levioribus ex cauſis, quam iſtud diſſolvi ſtatuimus. Non enim eſt congruum ab iſto ad hæc argumentum. Ratio diverſitatis manifeſta. Poſt contracta ſponſalia eſt tantum quæſtio an conſummandum ſit matrimonium. Hoc vero jam conſummato, an iterum diſſociandum. (5) Arctius multo & perfectius eſt matrimonii vinculum quam ſponſaliorum, ideò etiam illud hoc ſolutu difficilius. Duplex accedit Copula, quæ in ſponſalibus non eſt, Sacerdotalis & Carnalis, ex quo deinde citius faciliusque fit, ut non perficiatur intimius connubii vinculum, quam ut conſummatum rumpatur. (6) Tertio poſt matrimonium eſt actio de eo diſſolvendo, poſt ſponſalia tantum de cogendo reluctante, ut conſummet. Cogere vero ad conſummationem non cum eo rigore lex divina con-

constituit, quam non dissolvere vetuit. (7) Illud relictum est judicis potestati, velut in aliis contractibus. Hoc vero redactum ad insuperabilem necessitatem. Quam tantum consummati matrimonii propriam esse, omnia, quibus Salvator utitur, verba indicant, minime sponsalibus atque sponsis conventia. (8) Unde sine expressa DEI voluntate non modo eo trahenda non sunt, sed etiam de consummato connubio ibi præcepta arguunt, extra consumationem secus se habere. Consentiunt in eo scripta Theologorum dum plures causas solvendi sponsalia referunt, & approbant. JCtorum eadem mens est repudia quam divortia levius admittentium. Christianorum Imperatorum constitutio idem approbavit. Quam non resistente divino verbo sequi præstat, quam sine lege opinionem cujusdam rigoris facere. Nec etiam & aliter DEUS matrimonium dissolutionem prohibet, quam ut homo, puta qui contrahit, proprio suo motu non faciat. At ut magistratus qui minister, vicarius & imago in terris DEI est, ex necessaria atque justa pietati non contraria causa non faciat minime interdicit. (9) Propitio itaque divino jure ex causis, quarum æqua & probabilis ratio est, dissolvi sponsalia posse, multo magis refractarios non cogendos esse, concludimus. *In causa D. Christiani Oisari contra Elisabeth Dinggraven.*

1. *Apud Matth. 19. v. 23.*

2. Si enim tanta necessitas est servandæ sponsalium fidei, quanta non dissolvendi matrimonii vinculi, ex nulla causa ab istis recedere, aut repudium permittere licebit. Quod tamen nemo Theologorum vel JCtorum dixerit.

3. Illa verba, quæ nomen SS. Trinitatis contractibus adhibent, minime otiosa sunt habenda, nec ut talia, quæ saltem solennia seu pro forma adduntur, quomodo hodie Notarii magis ex ritu, quam contrahentium animo instrumentis adjiciunt, sed ut pie recteque scripsit Lessius, *lib. 6. c. 11.* juramenti formam & effectum habent, ut ubi addideris aut religionem jusjurandi cogitare, aut levitatem Divino nomine cum gravi peccata abutentis agnoscere debeat.

4. In legibus, canonibus, Theologorum & JCtorum scriptis multæ & variæ recensitæ & approbatæ causæ indicant, quam multum arbitrio judiciorum hac in re sit relictum.

5. Multa consistunt facta, quæ fieri non possunt, & difficilius quid tollitur, quam non proficitur. *Bartol. in l. 1. ff. de Regul. Catontan.*

6. Duo vincula multo fortius ligant, quam unum, *l. pen. §. si vero C. de Adoption. Auth. itaque C. Commun. de Successionibus.*

7. Sine divina lege non est aut tollenda humana potestas aut injiciendus conscientiis scrupulus.

8. Quæ habentur apud Matthæum *dict. cap. 19. v. 5. & seq.* & Marcum *cap. 10. v. 7.* per se ostendunt de iis esse sermonem, (1) qui patrem & matrem deseruerunt, (2) qui conglutinati sunt, (3) qui duo facti una caro quæ προσκόλλησις conglutinatio συζυγία junctio in unum jugum & ἕνωσις εἰς μίαν σάρκα, non congruunt sponsalibus, sed arctiorem consociationem respiciunt, ideo ad ejus præambula sponsalia absone extenduntur, sicut etiam Johan. Gerhard. *in loc. de Conjugio sect. 3. §. 168.* scribit *verba; Quod Deus conjunxit homo non separet, non de nudis sponsalibus, sed de consummato matrimonio proprie esse accipienda, idque apparere ex textus circumstantiis, quia non quærebatur de sponsæ repudio, sed de uxoris divortio.*

9. In eo dicto Christi exceptum esse magistratum pulchre docet *Cothman. resp. 10. num. 218. seq. vol. 1.*

DECISIO VIII.

Personas quarum connubium ex certis causis prævideri potest infastum, & multis miseriis subjectum ad consummationem nuptiarum cogere injustum est.

RElectantium consummationi voti nuptialis frequens illa objectio est, quod malum istius exitum, & omnia sibi infelicia horreant, quia cum persona jungentur cujus mores improbi, & mens prava, nihil nisi mala, adversa, odia & perpetuam inimicitiam, inde vitam perpetuo inquietam & miseram ominari sinant; At in Consistoriis raro attendi solent, tum quia cujus quisquam mores semel approbavit, eosdem postea improbare non possit, (1) tum quia, quæ ex eo metuitur incommoditas voluntate contentientium semel recepta, deinde velut divinitus illata toleranda est; (2) tum quod ex negligentia, vel incuria oritur, quod altera pars sentiet, quæ non tam facile credere nec fidem dare, nisi de moribus certa debuisset; (3) tum quod eventus incertus est, & DEO committendus, ab eo assiduis precibus mentis emendatio apprecanda. Ut autem hæc valent, cum dubius est nuptialis consummationis eventus; nec inter ambigua, & ex futuro pendentia certum sponsalium vinculum abrumpendum esse concedimus & consentimus. (4) Ita è contra si duo hæc concurrunt, quod sponsalia contrahentes eos sponsi sponsæve mores, qui deinde elucent, ignoravit, aliter de iis antea persuasa; & quod ex argumentis probabilibus, non interea conclusione subsumendum improsperum, & nunquam pacatum fore matrimonium, existimavimus juste pieque sponsalia dissolvi, (5) multo magis ei, à quo mala ista metuenda sunt, antequam mentem moresque correxerit, coactiva remedia contra juste metuendum non indulgeri. (6) Jure hoc permittitur, ut propter inimicitiam magnam

Digitized by Google

magnam sponsalia dissolvantur, ne difficilem, ut plerumque fit, habeant exitum. (7) Quæ ratio in tali valet conjunctione, quæ jungendorum animos ad amorem non conciliabit, sed in inimica & calamitosa distrahet. (8) Illuc quenquam adigere repugnat matrimonii finis, qui non tantum est in corporum, sed & præcipue animorum conjunctione; Quæ ibi non speranda haud magis corporum cogenda est, quam illorum non poscitur ubi hæc ob defectum quendam in matrimonium coire nequeunt. (9) Non apparet rationis diversitas, cur ob corporis vitia sponsalium dissolutio liceat, ubi ille ineptum faciunt ad concubitum, & ubi illa ineptum faciunt ad concubitum, & ubi animi vitia omnem vitam & conjunctionem acerbam, miseram, deperditam factura sunt, illam nolle concedere, (10) cum non tantum ad corporum, sed etiam animorum consociationem, imo multo magis respiciendum sit. Qua non modo ratione sed & conscientia atque pietate ejus coactione, iis malis occasionem præbebit, quæ ex discordi conjugio non modo conjugibus, sed etiam Ecclesiæ per scandala, Reipubl. per infesta conjugium litigia & prava exempla, familiis per odia, rixas, turbas, inferuntur. Non potest non videri ab omni humanitate alienum, sponte aliquem in ea mala præcipitare velle, quæ sunt discordis conjugii infinita & intoleranda. Quæ evitare præstat, quam deinde incerta & difficilia remedia adhibere. (11) Non est verosimile à quoquam talia approbari, sed qui in ea incidunt decepti creduntur, ideo eo magis adjuvandi sunt. (12) Nihil potest in tali dissolutione nedum in denegatione coactionis esse quidquam peccati, ubi de tanto rigore ut quis non liberetur à malis sed in illa præcipetetur insons non est divinum mandatum. (13) Quo cessante multum ea in re judicium, quorum est de causis matrimonialibus cognoscere & statuere, arbitrio relinquitur. (14) Tantum sine causa justa dissolutio prohibetur. Et tunc saltem vitanda, ubi eventus est in ambiguo. Non ubi certus. (15) Certitudinis autem illa argumenta sufficient, si contra quem excipitur, sit homo pravæ mentis, rixosus, morosus, sævus, cosque mores ita prodidit, ut ex vita moribus, factis non possit non sana ratione præditus arguere, cum ea quam in matrimonium poscit non sperandam unquam concordiam. (16) Hoc secuti fuimus *in eadem causa.*

1. *l. liceat 12. C. de Assessor. & Domestic.*

2. Reprobari nequit semel probatum, *l. Pomponius 9. ff. de Negot. gest.*

3. Sibi imputare debet, qui nimis facile credidit, *l. 1. §. dolum 2. ff de eo quem fact.*

4. Recte quid cœptum esse fuit; ubi semel constat, eventum non spectamus, *l. sed an ultro 10. §. 1. ff. de Negot. gest.* Etsi enim hic diversus, tamen non irritum fit, quod recte actum, *l. successori 12. §. 1. ff. eod.*

5. In ea convenit Theologorum & JCtorum sententia creditque legibus divinis non contraria, quod ex qua conjunctione finis quisquam conjugii obtineri nequit, eam non modo non promovendam, sed potius dissolvendam esse; Duplex iste, nempe generatio prolis & mutuum ad vitam auxilium. Uterque à Deo in prima institutione, *Genes. 2. & 3.* conjugio præfixus. Ubi alter non modo obtineri valet, sed & omnia vel pleraque isti contraria adsunt, quis non dissolvendi potestatem rectam & licitam dicet.

6. Ex improbitate sua nemo actionem habere debet.

7. Vide de hoc dispositionem Juris Canonici *in c. 2. c. requisivit. x. de sponsalib.* quam in Ecclesiis Evangelicorum, ut piam & rectam censeri ideo etiam observari praxis Consistorium docet.

8. Cum Judex adeo exulceratos animos de sponsatorum deprehendit, ne verosimile sit, nunquam inter eos coalituram concordiam, aut ex conjectione mala in domum cocuntium & familiam omnem exundatura gravia, ad dissolutionem progredi permittitur, *Joh. Gerhard. in loc. de Conjugio §. 160. Cyprianus de sponsalib. c. 13. §2. Harprecht. ad Rubric. de Nupt. n. 138.*

9. Moribus vel vitium, cujus desperata est medela justum faciunt repudium, & inde dissolutionem voti nuptialis. *Paul. Cypræ. dict. tract. cap. 13. §§ 65. Schneidewin. ad tit. Instit. de Nupt. num. 51. seq.*

10. Multo graviora sunt mala quæ ex irreconciliabili animorum distractione inter conjuges oriuntur, quam ex iis vitiis existunt quæ corpori accidunt. Ubi non est mutuus amor conjugum ibi discordia saucia mentes, impedit invocationem DEI, turbat omnem domesticam consuetudinem, & multa parit peccata, caulamque dat tragicis casibus & tristissimis calamitatibus, ex quibus miseri homines tandem in desperationem & æternum exitium ruunt. Quæ omnino evitanda ideo Judici tantò magis ob ea dissolvendi potestas concedenda, quo ea & sunt certiora & frequentiora, *vid. Carpz. in Jurisprud. Consistorial. l. 2. def. 176. n. 14.*

11. *Contr. l. fin C. in quib. caus. restit. in integr.*

12. Frequens est, conjugia ambientes bonam mentem, moresque integros semper laudare & ostentare, & cum voto adepti sunt, erumpere pravitatem in istis, & alteram partem semet misere deceptam intelligere, ut hoc alteri sit perpetuo & irreparabili damno, alteri lucro vel voluptati, non potest sana ratione concedi.

13. Non ut circa matrimonia consummata omne arbitrium humanum sublatum est per legem divinam quod Deus conjunxit, homo non separet, ita & id factum circa sponsalia. Sed cum hæc in terminis conventionis consistant, circa ea relictum est, tum contrahentibus, tum Judici quod circa alios contractus justum, ut ex justa causa dissolvi, aut ab ea recedi queat, *sicut D. Merzerus in dissert. Singul. Num. Sponsal. aut. in Eccles. Copulationem & benedict. concumb. publ. pœnit. rect. impon. num. 56. id demonstrat,* addens sponsalia facilius & pluribus ex causis per repudium, difficilius per divortium conjugium dissolvi.

14. Mul-

Digitized by Google

14. Multum circa dissolutionem sponsalium judicis arbitrio relictum est, cui minime propter varia incidentia manus ligandæ sunt ut non possit ob justam & rationabilem causam istam facere, *de quo vid. scripta à Carpzov. in Jurisprud. Consistorial. l. 2. Def. 175.*

15. Oportet exitus habere rationem *l. non intelligetur 3. §. quando 2. ff. de Jur. Fisc.* Quomodo cum ille plane incertus facienda justa sunt, ille Deo rerum omnium Moderatori relinquendus, nec ex solo metu à recta via recedendum, *l. illud 40. pr. ff. de Hæred petit.* Ita ubi prævidetur non est negligendus, sed ei, quod certo imminet, consilia sunt accommodanda, etiam in matrimonialibus, ubi omnino difficilis & tristis exitus præcavendus, *juxta monitum in cap. requisivit 17. x. de Sponsalib.*

16. Futurorum habenda est ratio secundum communem contingentiam *Anchoran. Consil. 392. num. 5. seq.* & quod verosimile evenire possit sic in quæstione juris censetur, ac si evenerit *Cardan. Tusc. Pract. Conclus. Tom. 4. lit. F. conclus. 568. n. 4.* Latius porrecta est hominum providentia, quam ad præsentia. Sperare & metuere debet futura, & juxta spem metumque non vanum rebus humanis prospicere *Bald. in l. fin. §. quia C. Commun. de Legat.* Ingenium & mores hominum, sunt certa argumenta futuri conjugiorum exitus. Qualia hæc inferunt in thorum vel domum, talia & non alia sunt exspectanda *uti etiam admonet D. Brochman. in artic. de Conjug. quæst. 34.*

DECISIO IX.

Non est cogenda sponsa ad conjunctionem cum sponso, quiad habendam alendamque in loco ubi commorari promisit familiam plane ineptus est.

UT inter sponsam & uxorem pro diversitate vinculi post copulam sacerdotalem & carnalem multo arctioris, differentia magna est, & luculenta diversitatis ratio, ita non valet argumentum ab uxore ad sponsam quoties hæc occurrit. (1) Quæ etiam subest, quando de sequendo maritum quæstio existit. Hunc vagabundum uxor ob individuæ jam contractæ societatis indissolubile vinculum sequi tenetur, si secure & honeste potest, (2) non attento pacto, per quod sponsus semel ad habitationem in certo loco obstrinxit. (3) Longe alia ratio est in sponsa, quæ licet votum connubiale fecerit, non tamen adeo indissolubili vinculo, quale est in conjugio, alligata est, nec in societatem individuam coiit. (4) Quare ille multo amplius ea in re per magistratum indulgeri potest, modo singularis subsit æquitas, quæ moveat, ut non adigatur. (5) Qualis non modo illa est, si tempore sponsaliorum ea fuit contrahentium intentio & voti conditio, ut in certo loco viverent, atque cohabitarent, eamque sponsus sponsæ præstare nequit, (6) sed etiam si ille omnibus mediis sit destitutus, multo magis si ineptus ad alendam honeste juxta conditionem suam uxorem sustentandamque familiam. (7) Est enim hoc inter officia mariti & onera matrimonii non postremum. Quod si hoc sponsus à parte sua implere nequit, utique impetrare non debet, ut sponsa ad consummationem cum eo nuptiarum compellatur. Si enim uxor impune à marito ad parentes vel cognatos à domo hujus revertitur, si ab hoc non, alitur, sed miseriam pati cogitur, quanto minus ut illuc eat cogenda erit. (8) Haud, sponsa sponso sic est devincta, ut cum illo in calamitatum segetem eat, seque illius causa miseræ vitæ subjiciat. Deceptæ potius subveniendum ex commiseratione infortunii, nec permittendum, ut sponsus illud sub voti obtentu libere creet. (9) De quo judicis erit æstimatio & arbitrium consideraturi, quid pro conjugio sponsus præstare, quid ejus causa sponsa adire debeat; quidquid & ille pro officio suo facere, quid hæc pro conditione sua pati debeat. *In eadem causa.*

1. Argumentum quod à conjugibus ad sponsas ducitur, uti multifarium fallit *vid. script. à Carpzov. in Jurisprud. Consistorial. lib. 2. defin. 130. per tot.* ita in iis casibus cessat & incongruum est, ubi unio corporum spectatur, copula carnalis diversam conditionem facit.

2. *De quo vide plura apud Heigium part. 1. illustr. quæst. 14. num. 6. seq.*

3. Tale pactum bonis moribus contrarium non valere creditur. *Covarr. de sponsal. part. 2. cap. 7. n. 5. seq. Beust. de Matrimon. cap. 32. in fin. Tiraquell. LL. Connubial. Concl. 1. n. 28. seq.*

4. Inter sponsas nondum est ad individuam cohabitationem obligatio, imo si desponsati facere velint, non permittuntur, *Carpzov. dict. tract. defin. 131. n. 3. seq.* ideo inter eos nondum consociationis habetur ratio.

5. Sicut ratio prioris sententiæ de necessitate sequendi maritum est, quod una facta sunt caro, *Heig dict. quæst. 14. n. 2. seq.* ita ubi cessat, non potest non diverso juri locus fieri & remitti illa sponsæ, ubi id petendi justam rationem habet, *ubi Carpzov. dict. lib. 2. defin. 177. n. 11 seq.* in ea sponsæ & uxoris diversitatem exponit.

6. Ubi inter conditiones matrimonii contracti quidquam fuit, quod præstari nequit, sponsa libertatem pœnitendi, & à voto recedendi habet, *c. un. x. de sponsal. in 6. c. de illo c. super eo c. seq. x. de Condit. apposit.*

7. Cum sponsus in conjugio adimplere nequit, quod promisit, vel alias ex lege divina vel humana, ut maritus debet, tunc nec juste exigere valet, ut sponsa secum pacta servet *l. Julianus 13. §. offerre 16. gloss. & Dd. omnes ff. d. Act. Empt.*

8. Facilius quid fit & permittitur re integra, quam cum in statum indissolubilem res pervenit. Ideo facilius à sponsalibus discceditur, quam ut conjugalis fides in consummato matrimonio non servetur.

9. Non iniqui tantum sunt in homines sed & impii, qui ad matrimonia infausta & mali ominis, queis gravior miseria, ut non diuturnior evenire nequit, rigoroso & inexorabili decreto sine discrimine præcipitant, non considerantes, quid æquum, quid tolerabile, quid sine pernicie, & scandalo faciendum.

Digitized by Google

Qui rigor oritur ex opinione, quasi sponsalia perinde quam consummatum matrimonium sint indissolubilia; Qua tamen aberratur.

Sic pronunciatum.

In Sachen D. Christiani Ottofari Klägers wider Jungfer Elisabeth Dinggrafen Beklagtinnen in puncto compulsionis ad consummationem matrimonii, wird auff verlibte acta dero Schluß und unterschiedlich zwischen den Partheyen vergeblich versuchte Vergleichungen/ nach gestalt der Personen/ und Sachen mercklichen Umbständen befunden und vor Recht erkandt/ daß bey der verursachten Verbitterung/ und daherd erwachsenen beharrlichen Feindseligkeit / Beklagtinne mit dem vom Gegentheile erfordertem Zwange zu Vollenziehung deß Ehelübdes nicht/ sondern alleine beyde Theile/ dafern sie ihre Gewissen und Ungelegenheit sampt dem bösen von ihnen entstehenden Exempel/ sich zu güttlicher Vereinigung nicht werdē bewegē lassen/ wegen deß verursachten und gegebenen Aergernisses mit ernster Busse und Straffe/ andern zum Abscheu; zu belegen/ inmassen/ dafern inwendig den nächsten 6. Wochen/ so ex superabundanti zu besserem Bedencken annoch eingeräumet werden durch ihre Vereinigung solchem scandalo nicht abgeholffen würde/ die Erklärung und Verdammuß in die verschuldete Busse und Straffe/ nach Gestalt eines jeden bey dieser Sache befindlichen Verbrechens fürdersambst erfolget/ die auffgewandte Kosten werden gegen einander compensiret. Von Rechtswegen.

(Hoc est)

In causa D. Christiani Ottofari actoris contra virginem Elisabetham Dinggrafen ream in puncto petitæ compulsionis ad consummationem matrimonii, ad ventilata acta, eorundem conclusionem, & frustra inter partes sæpius tentatam concordiam secundum conditionem personarum & notabiles rei circumstantias decernimus, quod propter causatam exacerbationem & inde enatam perseverantem inimicitiam rea uti ex adverso petitum ad consummationem matrimonii non compellenda sed solum ambæ partes, casu quo conscientias & difficultates una cum pravo ab iis emergente ad emicabilem compositionem permoveri non possent propter causatum & datum scandalum serio puniendi sint, prout vi cum eventum quo intra sex septimanas proximas quas ex superabundanti ad meliorem deliberationem adhuc indulgemus per suam concordiam hoc scandalum non averssent declaratio & condemnatio in pœna promeritura juxta exigentiam cujusque hac in causa apparentis excessus sine mora sequetur expensis invicem compensatis. Idque de jure.

DECISIO X.

Non servati sponsaliorum voti scandalum publicum & grave est ideo publica pœnitentia piandum.

Plus & Christianus Ecclesiarum mos est, ut gravia & publica delicta, quibus offenditur Ecclesia & scandalum multis præbetur, publica pœnitentia atque deprecatione expientur.(1) Quæ in Hebræa republ. ex divino instituto originem accepit, (2) in Christiana Ecclesia veteri recepta & in nostris cætibus observata fuit Christi & Apostolorum dogmatibus consona, (3) rationi piæ & justæ innixa.(4) Quod si verò ea unquam justa & congrua, tum vero iis, qui sanctum matrimonii fœdus violant irroganda, quales sunt & ii qui publica sponsalia in nomine SS. Trinitatis sancita servare & conjugio consummare, sine tali ratione quæ ista dissolvit, præfractè spretis omnibus admonitionibus reluctantur. Est enim delictum horum grave veluti quod cum sanctimoniam nominis divini instat perjurii, (5) tum honestatem matrimonii, (6) tum ordinationem divinam violat. Est vero præterea & scandalosum, ex quo multæ piæ mentes offenduntur, simplices in errores & vanas de vinculo connubiali opiniones seducuntur, malitiosi facile exemplum similis contumaciæ aut pertinaciæ capient; adeoque non leve periculum cum conscientiis tum fidei conjugali creatur. Cum itaque deprehenderetur inesse peccatum refragationi observantiæ vinculi, etsi ad eam non compellirationes quædam persuadebant, haud tamen ut impunes plane dimitterentur, sufficiebant, ideoque pro illo arbitrio quod in talibus occurrentiis competit consistoriis, justa visa est irrogatio pœnitentiæ Ecclesiasticæ, tum ad publicè agnoscendum publicum delictum, tum ad placandum deprecatione Ecclesiam; tum ad consulendum peccantium conscientiæ; tum ad obliterandum scandalum, tum ad deterrendum à simili facto alios.(7) *In causa D. Christiani Otfari & Elisabethæ Dinggrafen. Die 12. Octobris Anno 1658.*

1 Disciplinæ Ecclesiasticæ gradus sunt à Christo traditi *Matthæi c.18.* Primus est admonere; secundus objurgare. Tertius die Ecclesiæ: quartus censeas Ethnicum & publicanum. Pro istis sunt diversæ correctiones seu emendationes. Primo convenit obtemperare, secundo planè desistere, tertio pœnitere, quarto purgationem canonicam impetrare. Ubi peccator primum, secundum & tertium gradum excessit, quia ex eo non in se tantum in monitores sed in Ecclesiam dato scandalo peccavit; pœnitentia publica opus est.

2. *Levit. 19. v. 20. & seq.*

3. *Ita docet Carpzov. in Jurisprud. Consistor. lib. 2. tit. 7. defin. 82.*

4. *Vid. Himmel. in disp. de nat. Eccles. conclus. 205. seq. Gerhard. in loc. Theolog. tom. 3. p. 730.*

5. Sicut adhibitio nominis divini sacrosancti instar juramenti est, ita actus sub ea confecti violatio perjurio est.

6. Vota matrimonialia Deus sanctè voluit servari, ut *Apostolus in Epist. ad Hebr. c. 17.* loquitur. homini privatim in ista nihil arbitrii reliquit. Quod Deus conjunxit, homo separare non debet, sed tantum qui vices Dei gerit judex.

7. Hi

6. Hi sunt fines publicæ pœnitentiæ. *Uti fusius exponit Rebhan. in tract.* Von der offentlichen Kirchen-Busse *cap. 1. & seq.*

DECISIO XI.

Pœnitentia Ecclesiastica non modo sponsæ refractariæ, sed etiam sponso causam rixis & inimicitiis præbenti injungenda est.

CAusa publicæ pœnitentiæ est grave delictum & publicum scandalum, quod utrumque ad illius irrogationem concurrere debet. Pro illo cum habenda sit, recusatio consummationis voti nuptialis, siquidem fiat ob suboriam valde gravem inimicitiam & animorum distractionem, non saltem ejus rea est pars recusans, sed etiam quæ recusationi causam dedit facto improbo & non excusando, veluti si erga sponsam fuit morosus & durus valde, erga parentes immodestus & exactione dotis aliarumque rerum immatura & iniqua gravis, reconciliationem conditionibus non iniquis oblatam & obtinendam pertinaciter rejecit, adeoque autor & moror fuit mali quod exortum grave in Ecclesia scandalum præbuit. Non minus reus est qui occasionem & causam delicto præbet; (1) nec minus castigatione res ea & exemplo digna ac qui ejus causa deliquit. (2) Eo magis quod ex talibus procorum moribus frequentes sunt votorum connubialium turbationes, ideo eo acrius castigandæ ubi publice fiunt. (3) *In eadem causa.*

1. Paria habentur malefacere & malefacto causam præbere. *Bartol. in l. 1. ad L. Cornel. de Sicar.*

2. *l. qui occidit 30. §. 3. l. sua vulneratus 51. pr. ff. ad L. Aquil.*

3. Crescentibus malefactis frequentari & exspectari pœnas convenit, dum exemplo opus est, *l. aut facta 16. §. fin. ff. de Pœn.*

DECISIO XII.

Præter pœnitentiam publicam pœna in eos qui vota nuptialia malè violant injusta est.

EX eo quod unum idemque delictum duplici pœna affici non debet, (1) iniquum forte videri possit, violatoribus votorum nuptialium non saltem publicam pœnitentiam, sed præterea pœnam irrogari. At impropriè ista censetur pœna. (2) Est enim actus Ecclesiasticus & pœnitentialis qui emendat scandalum, corrigit peccantem, eluit facti vitium, ideoque medicinalis potius, (3) quem pœnam non esse ejus regulis censendam Theologi putant. Alio etiam fine fit ac ut reus puniatur. (4) Consulitur magis per istum conscientiæ ipsius, opinioni seu errori aliorum, quieti Ecclesiæ. Imo si vel pœna foret, tamen & altera quæ ad alium finem tendit conjungi posset, iste canon de duobus ob unum delictum non infligendis pœnis sic limitatur, si utraque pœna tendit ad eundem finem & effectum, (5) ideo una ad eandem sufficiens est. Secus ubi non sufficit, sed duplex est finis cui diversimodè satisfaciendum. Uti in talibus occurrit, quæ exemplum poscunt & in Ecclesia & in republ. sicut usus observat circa delicta quorum scandalum tollendum in cœtu ecclesiastico, quæ quod pœnitentiam habuerunt publicum ideo non minus puniuntur in sæculari judicio. (6) *In eadem causa.*

1. *Bartol. Bald. & Dd. in l. si quis reus ff. de Publ. judic.*

2. Per accidens ob ritus & ignominiosa solennia, non per se procretam esse docet. *Nic. Rehan. in tract.* Von offentlicher Kirchen-Busse *cap. 2.*

3. *c. notandum 24. q. 34. c. 1. pr. x. de sent. Commun in 6.*

4. Ecclesia punit non ut perdatur homo, sed ut lucrifiat. *Matth. 18.* & ut salvus sit spiritus, *1. ad Corinth. 5. 1. ad Timoth. 2.*

5. *Maranth. in Spec. part. 4. dist. 1. num. 20.*

6. *Vid. Carpzov. in Iurispr. Consistorial. lib. 3. tit. 7. defin. 94. per tot.*

DECISIO XIII.

De pœna turbantium ac implere recusantium pacta nuptialia.

ANtehac expositum est discrimen circa eos, qui recusant implementum voti nuptialis, an nulla ad id ipsis causa sit, an aliqua. (1) Pro isto discernenda est pœna. Durius quippe sunt castigandi, qui ex mera malitia & obstinato sine ratione proposito, refractarii sunt, quam quibus est causa aliqua non planè improba. Illos mulcta inde carcere compelli, (2) si vero pertinaciter se obdurent & resistant relegari solitum est. (3) Quoad hos vero refert, utrum justa sit causa votum dissolvendi, adeoque dissolutionem petendi, an verò recusantem ad consummandum non compellendi. Ubi illa adest, pœna non infligitur. (4) Cum ex hac omittitur compulsio, non statim impune est factum ut superius scriptum est. Pœna autem mitior irrogatur. (5) Quæ arbitraria est pro diversa conditione personarum, causæ, modi aliarumque circumstantiarum. (6) Non ultra mulctam in tali specie procedi justum videtur, nisi reus non habeat in ære unde solvat, quo casu succedit carcer. (7) In sponsa autem refractaria ea convenies, quæ in dimidia dotis promissæ illam mulctet, utpote quæ nec plane in dotatam illam faciat & tamen mul-

Digitized by Google

mulctam delicto parem infligat. (8) Iste autem qui causam dedit inimicitiæ, cum postea pœnituisset ac votum compleri desideraret, mitius plectendus erit, tum quia ante condemnationem potuerat, tum quia penes illum postea non stetit quo minus matrimonium iniretur. Ideo in centum Imperiales mulcta dicta fuit. *In eadem causa.*

1. Ratio & qualitas facti in delictis distinguit pœnas.

2. Eum ordinarium compulsionis modum observant judicia. *De quo vid. Carpzov. in Jurisprud. Consistor. lib. 2. tit. 8. defin. 133. per tot.*

3. In malitia perseverantibus interminari solet nisi à pertinacia desistant relegatio, nec ea territus infligi, ut emigrent. *vid. Cypræ de Sponsal. cap. 15. §. 6. Beust. de Sponsal. cap. 61.*

4. Quod jure sit pœnam non meretur *l. 4. C. ad L. Jul. de Adult.*

5. Alia est ratio non compellendi nempe ob delictum quod subest.

6. Quorum criminum per legem certa non est pœna, ex judicis arbitrio sit castigatio. *l. ordo 8. ff. de Publ. Judic.*

7. Non habens in ære luit in corpore, *l. fin. de in jus voc.*

8. Ad exemplum pœnæ, quæ repudio olim dicta ut injustè repudians amittere dotem vel donationem propter nuptias. *Mejer. in Colleg. Argentorat. lib. 24. tit. 2. thes. 17.*

DECISIO XIV.

De interdicto novarum nuptiarum post sponsalia non servata irrogando.

IN judiciis Ecclesiasticis moris est, cum dissolvuntur sponsalia interdici imposterum nuptias. (1) At non sine discrimine justum est interdictum. Vel enim dissolvitur vinculum connubiale, vel saltem ad id observandum altera pars ex causa non compellitur. Dissoluto plane connubio aut sponsaliorum voto velut desinente vinculo, quod personas nuptas conjunxit, non videtur adimenda iterum conjugio se jungendi licentia; (2) Contingit enim ex dissolutione libertas plena. (3) Ideo ea cuique uti liberum est, nisi quatenus in pœnam auferatur. Creditur autem juste aliquando eo interdicto coerceri connubia dissolventes, tum ut per illud ex adempta iterum ducendi facultate ad aliam mentem deducatur; tum illo exemplo alii territi non sint præcipites ad separationes, sed metu cœlibatus detineantur in observantia honesti vinculi. Quocirca Theologi atque JCti distinguunt inter partem innocentem seu cui causa petendi divortii aut separationis præbetur, & quæ præbet. Inde si metus casus matrimonii dissolvendi causa est, non est locus pœnæ ideoque nec isti interdicto. (4) Si culpa cujusdam, in eum qui innocens est peræque non magis interdictum justum erit quam pœna. At nocenti merito interdicitur secundarum nuptiarum licentia, (5) donec aut pœniteat aut gratiam mereatur, ad quam tamen magistratus non difficilis esse solet aut debet, si persona talis sit, quæ continentiam servare non possit. Jugum enim quod quis ferre aptus haud est non imponendum, nec occasio danda gravioribus malis. (6) Inde servatur, ut talibus personis aut non fiat interdictum aut saltem sub clausula donec impetrabitur à magistratu permissio. (7) Ubi non de dissolvendo matrimonio, sed tantum de consummando & compellendo ad hoc sponsos agitur, quomodo citus voti sponsalitii ex justis causis gratia fit, quam vinculum connubiale dissolvitur, ita interdictum non perinde fit. Est quippe valde dura ejus pœna, inferens grave jugum, ideo non temere, iis qui nondum juncti fuerunt irrogandum. Interest utrum nulla sit justa causa recusandi implementum voti an aliqua. Quoad hanc discernendum est an talis sit ob quam relaxatio voti juste peti possit, an vero non tam gravis, ita tamen comparata, ut pars invita leverioribus remediis ad consummandum compelli non debeat. Ubi sine ulla probabili ratione pertinaciter recusatur consummatio voti nuptialis eo modo, ut in conjuges qui se separant interdictum fieri solet, (8) non tamen ita rigide ut non sit magistratui licentia veniam dandi. Ideoque solita est prohibitio de non deducendo iterato conjugem sine speciali venia magistratus aut Consistorii. Cum plane fit relaxatio voti ex justa causa, ut nulli pœnæ sit nec interdicto locus est in partem innocentem. Nocentis vero seu causam repudio præbendis alia ratio erit. Hunc quippe tanquam se matrimonio indignum reddentem ita coërcere fas est, arbitrio tamen judicis relictum pro ratione circumstantiarum super eo statuere. (9) Quando autem non adest causa dissolvendi voti nuptialis, accedit vero ratio quæ judicem moveat, ut invitum non compellat, tunc merito accedit qua utramque personam interdictum aliam non ducendi personam quam quæ recusatur, si unquam matrimonium inibitur, nisi accedet aut magistratus Ecclesiastici dispensatio vel causa justa, quare illas personas sibi jungi consultum non sit, ideo libertatem relinqui præstet. (1) In quo judicis arbitrio multum relictum esse putavimus. *In eadem causa.*

1. Sequuntur Ecclesiæ Evangelicæ Religioni adictæ in eo sententiam Lutheri, qui ad coercendam repudiorum temeritatem hoc interdictum pium, utile & necessarium statuit, *ut ex ejus scriptis refert Cyprianus de Sponsal. c. 12. §. 6. n. 3.*

2. *l. Consensus 8. §. virum C. de Repud. Beust. de Matrim. part. 2. cap. 24. Arnisæ. de Jur. Connub. cap. 6. sect. 3.*

Digitized by Google

bertas matrimonii. Hæc vero absurde ob anteriora sponsalia negatur, ubi non supereſt horum aliquod vinculum, quod impedimento ſit.

4. Ubi nihil delicti eſt, pœna, quæ eſt delicti caſtigatio, non eſt æqua *c. cognoſcentes. x. de Conſtit. c. tua. x. de eo qui cognov. conſang.* Et in hac ſpecie præprimis, ubi conſcientiæ imminent laquei abſtinendum ad onus inſupportabile infligendum.

5. Ex hoc proficiſcitur quod deſertor & deſertrix, cujus vicem ſuſtinent poſt ſponſalia matrimonium conſummare reluctantes, non permittitur ad aliud connubium progredi, deſerto vero vel deſertæ id liberum relinquitur. *de quo vid. ſcripta à Carpzov. in Iurisprud. Conſiſtorial. defin. 67. & 71. l. 3.*

6. Conſentiunt in hoc Theologi nec tantum ejus pœnæ rigorem faciunt, ut non poſſit ex hac vel alia cauſa remitti. *Vid. Gerh. in loc. de Conjug. §. 622.*

7. Gautum decet eſſe Judicem ut non temere, nec promiſcue pœnam addat interdicti. Non tam facile illa aut ſervatur aut remittitur, quam irrogatur, ideo niſi manifeſta ſit tanta partis nocentis culpa, ut nullam unquam gratiam admittere poſſit, non indefinite interdicat, ſed clauſulam reſervationis gratiæ ſeu arbitrii judicialis addat. Uti in Conſiſtoriis hæc cautela apud prudentiores in uſu.

8. In hac ſpecie inter connubium & ſponſalia non eſt differentia. Nam cum hæc ſervandi incumbit inexorabilis neceſſitas, perinde eſt, ac ſi jam conſummatio acceſſerit, juxta juris regulam, quod paria ſint factum eſſe, & neceſſario fieri debere.

9. Inter nocentem & innocentem perſonam intereſt, in ea ſpecie ubi diſſolvuntur ſponſalia. Non vero ubi tantum non impetratur compulſio. In priori ſpecie nocens itorato non nubit ſine ſpeciali venia alias arbitratie punitur carcere, aut ſevera mulcta: Innocens ſtatim id impune facit. In poſteriori vero neutri ſine venia eaque cum cauſæ cognitione indulgenda iterum nubere licet. Ut hæc in praxi Conſiſtoriali ex ratione ſervantur.

10. Ratio diverſitatis eſt, quod vinculum contractum non ſolvitur, ſed manet: tantum uſque ad reſipiſcentiam quieſcit ejus effectus, donec durat cauſa.

DECISIO XV.

De arrharum ſponſalitiarum depoſitione & reddditione cum de ſponſalibus lis eſt.

ESt mos non improbus in conſiſtoriis receptus, quando inter deſponſatos de veritate, vi & jure contradicti voti nuptialis lis oritur, arrhas invicem datas in judicio uſque ad finem litis deponi: (1) ſi reperitur deinde illud jure nullum, tanquam ſi nihil actum fuerit res habetur, ideo redeunt ad perſonas deſponſatas arrhæ, (2) niſi utraque vel alterutra perſona commiſerit cur mereatur amittere? ſi nempe ex ſuo vitio nullitas voti orta ſit. (3) Cum iſtud validum nunciatur, ubi uterque deſponſatorum obſervare vult, redditur unicuique, quod ei ab altero datum; (4) Si vero alteruter id conſummare renuit vel alio ipſius facto aut culpa ut non conſummetur contingat, ideo deinde diſſolvitur innocenti parti quæ ab ipſa data ſunt reddduntur, (5) non etiam quæ accepit, (6) ſed ea amittit reus, & apud conſiſtorium retinentur. (8) Juxta hæc decretum *ad ſupplicationem Heinrich Springborn, die 15. Aprilis, Anno 1659.*

1. Quia non ſub quocunque fine litis matrimonialis æquum, & ſine ſcandalo eſt arrhas remanere apud habentem, ſæpe juſtum reſtitui, pro eo ſecurum & rationabile eſt arrhas non relinqui in manibus eorum, qui alienare, intervertere & ne juſta de iis tandem fierent, impedire poſſent. Nec in eo injuria quædam eſt, ut arrhis interea careant, dum propter quod data ſunt, ſervare vel non poſſunt, vel nolunt.

2. *l. mulier 5. C. de Sponſal.*

3. Merentur non recipere quod dederunt, qui fecerunt cur amiſerunt.

4. Eſt enim arrha ſymbolum ac pignus matrimonii implendi pro ejus ſecuritate cedens, *l. arrhis l. ult. Cod. de ſponſal. cap. 1. de Matrim. contr. edict.*

5. Iniquum valdè foret, ob alienam culpam vel factum alium ſuum amittere. Pœna ſuos debet tenere autores, *l. 22. C. de Pœn.*

6. Non convenit ex eo quod diſſolvitur matrimonio penes deſponſatum eſſe aliquid, quod teſſera ſaltem eſt ejus ſervati. Quæ acceſſio cum ipſo perit.

7. Hæc pœna non ſervati contractus qua non ſervantem eſt, ut arrha amittatur, §. 1. *inſtit. de Empt. vendit. l. 2. Cod quand. ab Empt. receed.*

8. Conſiſtorium ſibi ea aſſerit, cum in pœnam amittere meriti, tum in retributionem aliquam tædii & laborum.

DECISIO XVI.

Clandeſtina non ſunt ſponſalia quibus duo teſtes adfuerunt, etſi alteri contrahentium tantum conjuncti fuerint & horum alicui ſponſio facta.

CLandeſtina ſponſalia divino utque humano jure improba eſſe creditur, (1) ideo clandeſtinatis exceptio contra actionem ex votis nuptialibus frequens. Duplici autem modo illa dicuntur, vel propriè quæ remotis arbitris clam incuntur, vel late quæ ſine parentum conſenſu contrahuntur. (2) Ex utroque vitio in cauſa aliqua ſponſus è vinculo ſervandi ſe liberum credebat. (3) Et quidem ex priori objiciebat ex ſuis cognatis neminem, duos ſaltem à parte ſponſæ adfuiſſe, alterium puellam deſpondiſſe eumque tunc non præſentis vices ſuſtinuiſſe. (4) Verum inter has circumſtantias clandeſtina non fuiſſe ſponſalia viſum eſt, cum teſtes præſentes fuerint, quales eſſe extraneos, aut utrique parti ex æquo conjunctos aut ab utraque parte unum, ut quidem aliquando fieret adhiberi jure non eſt adeo neceſſarium. (5) Nec facit quod unus, qui deſponſationem abſentis fecit loco ſponſæ partes illius nomine verba faciendo ſuſtinuit, (6) dum ubi hæc poſtea advenit, præſentibus iis, teſtibus à ſponſo ut

Digitized by Google

ſponſa recepta, arrhis donata, feſſum ducta & amabilibus modis inſtar ſponſæ habita eſt. (7) Qui actus præſentibus aliis facti ut non poſſint dici clandeſtini, ita nec ſinunt ſponſalia tunc inita clandeſtina cenſeri, (8) uti fuit judicatum *in cauſa Annen Hagemeiſterin, contra Brandanum Eggebrechten, die 21. Ianuarii, Anno 1660.*

1. Sic demonſtrat *Carpzov. in Iurisprud. Conſiſtorial. lib. 2. tit. 3. defin. 32. & 33.*

2. *vid. Cyprium de Sponſal. cap. § 1. num. 5. Benſt. de Sponſal. cap: 13.*

3. Clandeſtina ſponſalia non obligant, *Heig. part. 1. q. 22. num. 33.*

4. Ex ea; Crorum quorundam ſententia in cauſis matrimonialibus requiri teſtes omni exceptione majores, *Felin. in rub. num 5. X. de ſponſalib. Farinac. in tr. de Teſtib. quæſt. 61. num. 101.*

5. Intereſt, utrum teſtes ex lege adhibeantur ad ſolemnitatem ſponſalium, ne clandeſtina habeantur, an requirantur ad probandum cum negantur. Illi quales ſint, nihil refert, ſufficiunt cognati, affines, domeſtici, uti fere nulli alii adhiberi ſolent; ideo ex conſuetudine idonei habentur. Ad probationem autem, ubi res in litem venit, neceſſarii ſunt, qui non ſuſpecti. Cum tamen alii haberi nequeant, etiam cognati & Domeſtici admittuntur in cauſis matrimonialibus. *vid. Carpz. in Iurisprud. Conſiſtorial. lib. 3. defin. 43. per tot.*

6. Sponſæ non ſeipſas deſponſare ſolent, ſed deponantur. *vid. Cothman. reſponſ. 10. n. 44. vol. 1.*

7. Hi actus per teſtes probati communiter faciunt argumenta contractorum ſponſalium, quia iis ex more accedunt, nec facile patiter honeſta fœmina, niſi amorem connubialem habet & recipiat.

8. Publica votis privatim factis accidentia tollunt clandeſtinatis vitium, uti in ſequenti deciſione probatur.

DECISIO XVI.

Ob violatam ſponſaliorũ fidem pœna duplex locum habet & juſta ejus eſt comminatio.

COmpellendus ad conſummationem voti nuptialis non minus juſtè duplici terretur pœna quam etiam adficitur. Fit quippe reus tum ad pœnam fiſco ſolvendam, (1) tum ad actionem injuriarum à perſona cui fides non ſervatur inſtituendum. (2) Quod dicitur neminem duplici pœna adficiendum eſſe, (3) pertinet ad unum idemque delictum & eundem delicti effectum atque pœnæ reſpectum; ſecus, ubi hic varius & diverſus exiſtit, & violatione fidei nuptialis duplex eſt delictum & diverſus effectus, alter in ſcandalo publico & matrimonii dehoneſtatione, (5) alter in injuria ſponſæ illata, (6) inde duplex pœnæ reſpectus. Publica eſt ex crimine publico, privata pro injuria privata. Illa publicum, hæc privatum intereſſe concernit & vindicat. Exinde viſum condemnationi ad ſervanda ſponſalia addi in caſum contumaciæ refractario imminere à judice pœnam & ab altera parte actionem injuriarum. (7) *In cauſa Annæ Hagenmeiſterin, contra Brandanum Eggebrechten, die 21. Ianuarii, Anno 1660.*

1. Meretur publice caſtigari, qui matrimonii fidem violat idque in Chriſtianis Eccleſiis atque Rebuspubl. ductu pietatis atque honeſtatis ita receptum, ut violationis voti nuptialis non ſinantur impunes, ſed merito publicam vindictam ſentiant.

2. Actio injuriarum competit ob non ſervatam matrimonii fidem parti innocenti, ut docet *Cothman. reſp. 10. num. 253. & ſeq. vol. 1.*

3. *Bartol. & Dd. in l. ſi quis reus 5. ff. de Publ. judic.*

4. Singulis delictis ſingulæ pœnæ conveniunt. *l. 1. § hunc tamen l. 2. § 1. ff. de tutel & rationib. diſtrab. l. nunquam 60. ff. de O. & A. l. vulgaris 2. in fin. pr. ff. de Furt. l. ſecundæ 8. § 2. arb. furt. caſ.* nec plura delicta una oportet coerceri pœna. *l. nunquam ff. de Iniuriar. delict.* maxime cum relucat diſtinctus reſpectus & effectus. *Bartol. in d. l. nunquam n. 4 & 11. Per. a Blachain Epit. delict. lib. 2. cap. n. 18.*

5. Quomodo Deus voluit maxime honeſta & ſancta eſſe matrimonia, ita quod iis adverſatur non poteſt non eſſe maximi criminis.

6. Gravem hanc eſſe injuriam docet *Cothmannus dict. reſp. 10. num. 260. vol. 1.*

7. Ut judex nihil intentatum relinquere debet, quo pro ſervanda matrimonii honeſtate refractarium Sponſum ad voti ſui obſervantiam adducat & adigat, ita expedit ſevera hac condemnatione illum terrere, ut ſi effectum evadere velit, adhuc pœniteat, & juſta faciat.

DECISIO XVII.

Quando rationes reddi debere certum & cui reddi debeant, ſuò lite non adeo redditio debet ſuſpendi, ſed coram judice ejusve commiſſariis fieri.

CUm rationes velut à collegii membris ſimul adminiſtratoribus & receptoribus pecuniæ communis ad pias cauſas diſpenſandæ exigerent, qui ſe de collegio eſſe dicebant hos tamen cæteri pro collegis agnoſcere, ideo rationes iis exhibendas eſſe negabant, non ideo differenda fuit redditio, donec his ſuper jure collegarum finiretur, ſed hac pendente nihilominus & quidem ad illorum, quibus controverſia fiebat, inſtantiam reddenda. Etſi enim hæc ſubtilè verſabatur, ut ambiguum, an illi eſſent pars collegii, atque ipſis ratio reddenda ſit, tamen hoc certum fuit, quod rationem adminiſtrationis reddere debent. (1) Quodque etiam cæteri non tantum ut collegæ, ſed etiam ut aliqui populo rationes exigere, ut & redderentur poſtulare queant. (2) Equidem ut ſibi reddantur deficit actio, minime tamen & reddantur. Quia enim propter pecunias pauperibus piisq; cauſis diſtribuendas ad publicas res uſusque ſpectabat adminiſtratio, non tantum cuivis id poſcere licet, ſed etiam magiſtratui per officii rationem id curare atque injungere incumbit. (3) Quocirca dum de cæteris litigatur, qui-

quidem ut sibi rationes exhibeantur, sive ipsemet ut judicio illas examinare velit, an commissarios deputare qui discutiant, (5) Quod circa in superius dicta specie injunctum fuit rationum redditioni obnoxiis, ut istas in præfixo termino exhiberent, deinde constituendo modo per quem discussio procederet. *In causa Hintzen & consort. contra Bürgermeister Heinrich Hintzen & consortium, die 4. Febr. Anno 1660.*

1. Omnium qui res alienas administrant commune onus & debitum est divino & humano jure exactum ut rationes reddant. *Menoch. de A. Ind. Quæst. lib. 2. cas. 209. n. 1.*

2. Rationem de negociis ad rempubl. gestis reddi quilibet de populo petere potest in judicio, etiam sine mandato *Bartol. in l. ubi pactum num. 11. C. de Transact. Munnoz. ab Escobar. in tr. de Raciocin. Administr. lib. 1. cap. 7. n. 63.*

3. *l. 1. l. 2. de horr. publ. ib. Gloss. Munnoz. ab Escobar. dict. l. 1. cap. 7. n. 53.* Pertinet ad curam Reipubl. ut quisque se functionis vel gestionis rationem reddat. Quam dum quisque in singulis bene præstat, universa bene se habent.

4. Providendum est ne inter aliquos litigium vergat in reipubl. aliorumque detrimentum.

5. Hoc judici est arbitrarium.

DECISIO XVIII.

Interventio matris quando non proficit Filio ad rescindendum votum nuptiale sine illius consensu initum.

QUando non minus Matris, quam Patris dissensus impedit, ne sponsalia sine illius voluntate à filio contracta valeant, (1) utique hoc per sponsam deservanda conjugii repromissione convento interveniens & ne ad consummationem ille adigatur impedire volens, audiri debet, (2) juxtimque impetrare, ut filius à tali voto liber sit. (3) At quoad illum effectum matris interventio ut valeat, necesse est primo patrem sponsalibus non consensisse: Hujus consensus alias matrem excludit, cujus dissensus non attenditur, cum iste expresse seu tacite votum filii semel approbavit. (4) Deinde oportet nec matrem ullo suo facto sponsalia rata habuisse, ad quod non expressa ratihabitio requiritur, sed sufficit quicquid approbationem arguit, (5) contra quam venire deinde integrum non est. (6) Tertiò oportet maturè fieri interventionem re integra. Quod si mater sciat filium conjugii promissioni illigatum esse, at ipsum judicio ad observantiam promissi conveniri & condemnari, sententiam etiam in rem judicatam ire sivit, postea quando judex executione robur judicato addere intendit, demum intervenire velit admittenda & audienda non est. (7) Quartò nec ubi auditur aliter effectu potitur, quam si justa quadam causa contradictionis utitur. (8) Non adeo absoluta potestas parentibus concessa est, ut pro lubitu impedire aut revocare possint liberorum vota nuptialia, nec sufficit dicere, quod nolint aut rescindere, quia consensum liberi non rogaverint, sed oportet dissensum niti ratione, eaque justaque (9) & tali, quæ judicem movere possit, ut existimet impium atque iniquum fore ita liberos contra Parentum voluntatem nupsisse. (10. Quæ omnia cum abessent circa præsentem matris interventionem, dum singula ad illam prohibendam sufficerent, merito rejecta est *ad imploratione Viduæ Cons. Brandani Eggebrechten, die 13. Martii Anno 1660.*

1. De jure Civili quidem JCtorum disputatio est, utrum ad nuptias liberorum Matris consensus etiam necessarius sit, quod illud necessitatem ex potestate statuit & hanc matri in liberos non dedit; At quando nos ductu verbi Divini & naturalis legis pietatem & reverentiam parenti debitam magis ea in re sectamur, & ea non minus Matri, quam patri præstanda est, *Exod. 20. v. 12. Deut. 5. v. 16. Matth. 15. v. 4. Eph. 6. v. 1. Prov. 1. v. 8.* utique discrimen non facimus, sicut nec à Sanctis olim factum, uti docent Exempla, Jacobi *Genes. 27. v. 26.* Simsonis *Judic. 14. v. 2.* Tobiæ 4. *v. 3.* Sic quoque in consistoriis recepta est observantia *Arnis. de Conjug. cap. 3. Sect. 10. n. 27. Gerh. in loc. de Conjug. §. 86. Cothm. consil. 10. n. 97. vol. 1.*

2. Hoc interveniendi genus in tali specie à Parentibus frequentatur & admittitur.

3. A voto dicimus, secus est qua pœnam. Non eò minus levitas semet ita despondentium coercetur tum ex officio Judicum, tum ex actione Injuriarum ejus partis, quæ fraudata & vexata est. *Cothm. dict. Resp. 10. n. 255 seqq.*

4. Etsi utriusque parentis consensus requiritur, attamen si inter patrem vel matrem non convenit, voluntas patris tanquam Domini & domus capitis prævalet *Gerh. d. l. §. 87. Cypr. de Sponsal. cap. 6. §. 8.* Ideo ubi semel accessit non modo vivo eo mulier querulari non potest, nec olim eo mortuo quod semel firmum revocare.

5. *vid. Carpz. in Jurispr. Consil. l. 2. def. 42.*

6. Semel approbata postea improbare vel impugnare non licet *l. per fundum 11. ff. de servit. prad. Rust. l. ult. ff Commun. prad. l. in diem 9. ff. de Aqua & aqua pluv. arcenda.*

7. Cui jus interveniendi est, præjudicat sibi per scientiam & patientiam, qui scit aliquem agere & non contradici. Silentium tunc habetur pro consensu & sibi imputare debet qui mature non intervenit. *Gail. l. 1. Observ. 70. n. 25.*

8. *l. 19. ff. de Ritu. Nupt. l. 1. l. si invita 11. l. vidua 18. C. de Nupt.* Ex quibus colligitur quod ita olim servatum, ut si Pater sine causa liberorum nuptiis refragetur, Magistratus per officium suum posset & debeat consensum adimplere, vel parentes ad consentiendum adigere *Gerh. d. l. 19. Heig. p. 1. quæst. 12. n. 70.*

9. Patria potestas non in atrocitate sed in pietate consistere debet *l. Divus 10. ff. ad L. Pompei de Parricid.* ideo non attenditur, nisi cum optimum pro liberis capit consilium.

10. Hac in re multum relictum est judicium arbitrio.

Digitized by Google

bitrio, ut expensis causis statuant, justè & ex ratione, nec ne Parentes dissentiant, *Gerh. d. §. 90. Benst. de Matrim. cap 46.*

DECISIO XIX.

Ineptitudo ad rem familiarem pro conditione sponsi quando justa est in parente dissensus causa?

EX causis, quas dissensui suo in nuptiis liberorum ad impediendum vel rescindendum parentes obtrudere solent, (1) etiam est ineptitudo sponsæ ad curam domesticam vel rem familiarem: Nec dubium est justam eam esse, (2) Quando per eam impeditur finis aliquis conjugii præcipuus, quoniam hoc non tantum procreandæ sobolis, sed etiam œconomiæ gratia contrahitur, ut pro ista maritus habeat auxiliatricem; (3) Quæ itaque fœmina hæc officium præstare seu adjutorium verè esse nequit, idonea uxor habetur. (4) Ideo etsi non illi, qui semel elegit & approbavit ideo contra voluntatem suam cum alterius injuria venire non permittitur, (5) Tamen parenti contradicendi & ex dissensu suo agendi ratio justa constabit. Ita verò demum, si persona plane ineptа sit, ut maritus ad illud vitæ genus, quod colit, nihil à sponsa in re domestica operæ atque studii exspectare queat. (6) Deinde etiam necesse est, sic ineptam esse, ut nullo modo apta unquam fieri possit. Nam si fœmina per ætatem forte aut educationem nihil ipsorum sciat, quæ rem œconomicam concernunt, tamen si sanæ mentis ejusque ingenii, ut bene habita per adsuetudinem & experientiam addiscere apta sit, minime habenda erit inepta, nec ideo ex dissensu matris repudianda. (7) *In eadem causa.*

1. Quarum plures non improbas sed admittendas refert *Coth. Resp. 1. n. 241.*

2. Scio aliquoties contractionibus Parentum & Tutorum hoc datum esse, ut à voto nuptiali discederetur, ideo quod personæ desponsatæ nondum erant ad tale vitæ genus aptæ, unde se & familiam suam sustentare possent. Quo etiam pertinet, quod Parentes audiuntur, si Filia nupserit homini erroni & vagabundo, quod ad sustentandam familiam ineptus sit, ut *Wigandus in libello de Conjug exponit.*

3. Sic nominavit Deus primam fœminam ut finem conjugii & officium conjugis præcipuum indicaret *Genes. 2. v. 18.*

4. Idoneus non est, cui deest, quod pro fine necessarium, *l. 3. ff. de susp. Tut.*

5. Regula illa: quod semel placuit amplius displicere non posse ex *c. quod semel de R. J. in 6.* in matrimoniis etiam obtinet, in quibus pœnitentiæ non est locus, Es heisset da / hast du mich genommen / so must du mich behalten.

6. Non adeo exacte & summa omnia in nubentibus requirenda sunt, ut ideo quia non adsint locus sit recessioni ex potestate parentum, sed sufficit esse mediocria & non plane inepta sint, alias ut nemo sine vitio & defectu inter humanas existit imbecillitates; sic nunquam contradicenti causa deerit.

7. Paria sunt in talibus quid adesse & comparari posse. Non tantum spectatur quod est sed & quod aptum esse vel fieri poterit.

DECISIO XX.

Sponsa integrum est sponso refractario renunciare votum nuptiale & ab eo sine judicis venia discedere.

CUm de consummando voto nuptiali inter sponsum sponsamque diu actum & illi sub certa mulcta illud consummare condemnandus erat, sponsa tandem se desistere velle declaravit non ultra contractum matrimonialem sed ut sponsus refractarius mulctam solveret sibique de injuriis & expensis satisfieret desiderans. In dubitationem venit, utrum id ei permittendum sit, eamque fecit sententia communis super matrimonio ut re spirituali transigi non posse. (1) Et licet ejus exceptio traditur in ea specie, cum de sponsalibus seu contractu matrimoniali res adhuc incerta & controversa est, (2) tamen hoc non applicandum, ubi jam judicatum & ex eo controversia finem acceperat. (3) Attamen existimabatur multum interesse, utrum transigeretur, an discederetur à voto ex causa tali, quæ renunciationem justam facere posset, (4) veluti si sponsus non nisi coactus consummare vellet, & ex eo mala coacti matrimonii sponsa metueret (5) Quæ in sponso iniquitas & infensæ mentis significatio causam justam habet, non coeundi cum tali marito, cujus nullus erga se amor est, quippe tantum injuriam intulit, à quo nihil boni exspectandum. (6) Sua perfidia talis præbet fidem non servandi causam ex qua licentia est à pactis recedendi. (7) Quam permittere decretum *Annæ Hagemeisters, contra Brundanum Eggebrechten, die 24. Septembris Anno 1660.*

1. *I. a tenet communis Dd. opinio fundata in Novell. 127. c. ult. in pr. c fin X. de transact.*

2. 2. *Carpzov. Jurispr. Consistor. lib. 2. tit. 14. def. 233. n. 8 9. &c.*

3. Transactio non est, nisi de re dubia & incerta, qualis non est illa super qua jam lata est sententia *l. 7. pr. ff. de re jud. l. 8. C. de Appellat.*

4. Subsistit de jure discessus à voto connubiali ubi graves & justæ adsunt causæ non vero transactio. *Carpzov. d. lib. 2. tit. 10. def. 176. num. 4 & 5.*

Digitized by Google

5. Ad

5. Ad consummationem sponsaliorum, ex quibus odium & inimicitia capitalis metuenda, non est cogenda sponsa *Carpzov. d. tit. 10. def. 176. n. 10.*

6. *vid. inter decis. nostras part. 4. decis. 43. 44. & 45.*

7. Fruſtra fidem poſtulat, qui ipſe eam non ſervat.

DECISIO XXI.

Non proficit ad remiſſionem pœnæ remiſſio voti nuptialis per alterum deſponſatorum facta.

QUando conſummatio voti nuptialis ſub mulcta ſponſo erat injuncta, at ante executionem decretam ſponſa illam remittebat, inde ſponſus hujus exactioni remiſſionem ſeu conſenſum ſponſæ opponebat, in quæſtionem venit, utrum ſponſæ factum ſponſo refractario, ut mulctam evaderet proficiat? Initio ſic videri potuit, quod ſponſæ gratia, ut conſummatione potiretur mulcta eſſet indicta, ideo ipſa remittente etiam illa remiſſa cenſeretur. Verum haud aliter remiſſio partis ad remittendam mulctam proficere poteſt, quam ſi iſtius ſolius cauſa indicta fuerit. Si quid Reipubl. aut Fiſci interſit, non ei transactio aut remiſſio præjudicat, (1) ſed utut deſiſtente parte cujus cauſa aut remiſſa lite, cujus occaſione mulcta fuit interminata, Fiſco petitio ſupereſt, (2) Talis autem eſt cauſa matrimonialis. Nam cum Reipubl. intereſſit nubere mulieres connubialia promiſſa ſancte ſervari & fidem matrimonialem eſſe illibatam, utique & per iſtius rationem quæ in adverſum aguntur non modo illorum gratia, qui de fide ſervanda litigant, ſed & Eccleſiæ & Reipubl. cauſa ſint coercenda, utique mulcta refractariis ſponſis dicta tanquam Fiſco debita, non deſinit deberi etſi pars remiſerit, ſed poſt remiſſionem, integra eſt Fiſcalis remiſſio. *In eadem cauſa.*

1. Juri publico pactis privatorum derogari nequit. *l. 27. l. 45. §. 1 ff. de R. J.*

2. *Alex. lib. 7. Conſ. 119. n. 3. Decian. de crim. lib. 3. cap. 33. n. 15.*

DECISIO XXII.

Licentia ad alia vota ſponſo refractario non eſt ſine judicis venia: hæc vero ſine juſta cauſa & quali.

SIc in Eccleſiis Evangelicis ſervamus, ut ſi quis promiſſionis matrimonialis ſanctimoniam repudio ſponſæ violet, etſi hoc effectu potietur & vinculi diſſolutio eveniet, tamen cauſam dantinon concedatur libertas alterius matrimonii: (1) At non adeo præciſe obſervamus quin veniam impetrare liceat, (2) quæ petenda eſt à magiſtratu cui Eccleſiaſtica cura eſt commiſſa. Obtinenda vero non aliter, quam ex juſta quadam atque probabili ratione, (3) cujusmodi duplex in præſenti ſpecie occurrebat, altera quod juvenis obtendebat ex ætate & corporis viribus defectum doni continentiæ. (4) Altera quod ſponſa à lite deſiſtendo libertatem quam ſibi optabat conceſſerat, nec alio loco res erat, quam ſi mutua voluntate diſceſſum eſſet, Decreta inde quæ petebantur *à Brandano Eggebrechten, die 18. Aprilis Anno 1662.*

1. Cujus ratio duplex, altera ut coercentur repudii protervia, ad quam non adeo facilis erit, qui ſibi conjugii licentiam, ſi non ſervet promiſſa deforе novit. Altera, quod nemo ex ſuo malefacto libertatem lucrari debet.

2. Frequens & moris ſic peti veniam ſeu relaxationem prohibitionis, quæ judicatis in pœnam refractariorum adjici ſolet.

3. *Vide prolixius Carpzov. in jurisp. conſiſt. part. 3. def. 71.*

4. De hac diſpenſandi ratione divino juri congrua *vide Gerhard. in loc. de conj. §. 622.*

5. Ubi mutua voluntate decedituràpromiſſis redit utrique parti libertas ad alia vota progrediendi. *Carpz. d. tr. def. 36. part. 3.*

DECISIO XXIII.

Bigamiæ criminis reus non eſt qui ob diſſenſum matris diſcedens à prioribus ſponſalibus ſecunda contraxit.

A Fiſco bigamiæ accuſatus appellabat & in ſe ejus criminis reatum nullum dicebat, quod priorem ſponſam ex juſſu materno relinquere neceſſe habuerit: Ex eo pendebat deciſio, utrum priora ſponſalia fuerint valida: Et cum diſſentiente & reluctante matre non putaretur, (1) utique conſequens viſum, ex nullo & invalido voto nuptiali eum effectum ſequi non potuiſſe ut per ſecunda vota bigamia diceretur contracta. (2) Saltem in eo peccatum erat quod antequam liber à priori ſponſa declaratus cum alia factum ſponſalitium inierat, at tantum id non exiſtimabatur ut ideo tanquam bigamus caſtigaretur. *In cauſa N. von der Dekken contra Advoc. Fiſci, die 31. Mart. Anno 1669.*

1. Matris conſenſus hodie æque ac patris neceſſarius eſt ad ſponſalia liberorum, ideo hæc ſine illo non ſubſiſtunt.

2. Ut enim pœna bigamiæ locum habere poſſit requiritur ut utraque ſponſalia ab initio valida & firma fuerint. Invalida nullum producunt effectum cum non Entis nullæ ſint qualitates.

Digitized by Google

DECISIO XXIV.

Mater per consensum etiam tacitum excluditur ab impugnatione & revocatione sponsalium filia.

NOn minus matris quam patris præsertim post hujus obitum consensum ad nuptias liberorum requiritur.(1)Cui consequens, ut cum non adhibito illo consensu filia nubit matri potestas atque jus est revocandi & rescissionem seu potius ut irrita sponsalia declarentur petendi, (2) Postquam autem mater semel consensum adhibuit excluditur ab illa impugnatione, & quod semel ipsi placuit, deinde ratum habere tenetur. Nec expressus saltem consensus requiritur, sed tacitus etiam sufficit,(3) qui colligitur ex argumentis voluntatem seu approbationem inferentibus:In quorum numerum referenda esse putavimus sequentia: Si proxeneta ad matrem pro conciliandis nuptiis missus responsum tale tulit, quod non fuit negativum: (4) Si ab eo qui conjugium ambigit filiæ annulum, aut quod aliud à sponso donari consuevit, dari permisit, nec contradixit: (5)Multo magis si & ipsa vicissim cum de negotio nuptiali actum est annulum sponso dedit: [6] Si filiam cum eo qui sponsum voluit ut cum sponsa aliquamdiu conservari permisit nec statim contradixit. Si ut generum negotiis domesticis, nominatim in contractu divisionis bonorum cum liberis procum adhibuit, multo magis si pariter cum eo cui alia filia desponsata est atq; ita utrinque æquavit sine dubio omni; si instrumento divisionis scivit subscribere, & ipsum generum futurum filiamq; sponsam expresse nominavit. Quæ ut singula ad consensum sufficiant, ita quando omnia concurrunt multo magis sentiendum est matrem talia facientem contra sponsalia, quæ contrahentes fideliter servare cupiunt, non audiendam esse. Non itaque audita est quæ à consistorii sententia appellaverat, per quam illa ad consensum sufficientia habita erant *in causa Annæ Catharinæ Cothmannen, uxoris D. Thurman. contra Bernh. Petri, die 3. Sept: Anno 1669.*

1. Sicut hoc exposui in Comment. ad jus Lubecens. *lib. 1. tit. 3. art. 2.* & Communiori JCtorum sententia atque praxis fori Ecclesiastici ita approbavit ac recepit.

2. Hoc consequens est isti necessitati quæ sine hoc effectu nulla foret.

3. *l. in sponsalibus in fin. ff. de sponsal. l. si ut proponis C. de nuptiis Cothman. cons. 1. n. 666. vol.*

4. Si non contradicit nec aperte dissentit parens pro consentiente habetur *per alleg. text. Cothman. d. consil. 1. num. 666.* debet enim rogatus de consensu aperte vel consentire vel dissentire: Hoc non faciens pro consentiente habetur.

5. Ex consuetudine fere Christiani orbis communi invaluit annulum à procis dari & arrham sponsalitiam fieri, ideo esse argumentum contracti voti nuptialis, quod magnam hujus præsumptionem tacit *c. illud ibi Panorm. n. 3. de præsumt. Zasius 3. n. 15. lib. 2.*

6. Etsi enim mater alio fine à se datum dicat, id verosimile non habetur, cum donatio non præsumatur *l. cum indebito 25. ff. de probat.*

DECISIO XXV.

Mater proxeneta procoque in ambitu nuptiali respondens filiam suam se huic non denegaturam, seu frui posse ut ista huic jungatur, deinde contracta sponsalia non potest ex causa subsecuta irrita dicere aut revocare.

MAter cui consensus in sponsalia objiciebatur, concedebat quidem se proxenetæ & proco in ambitu nuptiali non denegasse filiam se respondisse, fieri posse ut ambiens imposterum accipiat quando studia sua continuaverit, at ex eo consensum addidisse negabat. Siquidem post illud res mansisset integra & nec à parte matris ultra quid factum nec contractus sponsalium inter procum & filiam initus, negandum non esset, posse matrem adhuc dissensu suo impedire ne nuptiæ contraherentur, præsertim accedente nova nec injusta dissentiendi causa. At quando à parte illius plura accesserunt, ex quibus consensus apparet à parte nubentium quod semel vinculo sponsalitio illigaverunt, & illud firmum constansque optant, non super est contradictioni locus. Existimavimus etiam, quod licet argumenta alia non accessissent, tamen in præsenti negotio pro consensu illud habendum, nec in conjugium bene amanterque conspirantes animi sub obtentu dissensus divellendi sunt. Tum quia mater de filia nuptum personæ danda interpellata expresse dissentire debuit si sponsalia noluit; tacens pro consentiente habetur nec ultra auditur, (1) multo minus audienda si id fieri posse dixit: (2) tum quia filia lubente voluntate de matris consensu per patientiam persuasa ei nupsit, quem matri non ingratum futurum credidit, (3) tum quia innocenti bonaque mente sponsus & sponsa crediderunt matrem consensisse, ideoque votum inter se colligarunt & sancte servare intendunt: (4) tum quia mater sibi imputare debet quod rogata non expressius si consentire nollet, dissensit mentemque exposuit. (5) Tum quia res non est integra sed diu publice pro desponsatis istæ personæ semet habuerunt, & in fide invicem data consistere cupiunt & contendunt. (6) Nihil facit quod objicitur, non de præsenti sed in futurum tantum consensisse, adeoque si

quæ

Digitized by Google

quæ essent sponsalia futuro, non de præsenti esse. Hoc quippe discrimen tantum pertinet ad desponsatos eorumque obligationem, quæ inde discrepat, non ad parentes, qui licet in futurum saltem consenserint, tamen ex eo obnoxii fiunt ut revocare nequeant, quia conditionem nuptiarum approbarunt, quam expresso dissensu rejicere debuerunt. (7) Et licet sub eo prætenditur conditio, tamen testium dicta nihil de ista habent. Nec quidquam eorum quæ de hoc negotio constant talem aut inferunt aut præsumi sinunt. Eo minus autem in eo aliquid contra sponsalia indulgendum fuit, quod nec ratio aliqua satis gravis & justa apparuit quæ retractionem mereatur, cum objectionem mereatur, cum objecta non tam negocium connubiale quam alia concernebant, nec eluceret an ista imputandi justa causa esset. In actis ut oportuit nihil probatum reperiebatur: alias vero non obscure videbatur ex aliis causis odium est iras ortas esse, aliudque potius quod his nuptiis consequens intendi, quam ut illis contradicendi ratio esset. *In eadem causa.*

1. Parens consentire intelligitur cum non dissentit, *l. in sponsalibus 7. §. 1. ff de sponsal.*

2. Tali formula conditionem tum proci tum nuptiarum pro filia approbavit, dum quando explicatius loqui debuit non improbavit.

3. Et sine consensu patris recte nubit filia ei, quem certum est patrem non repudiaturum *l. si filius 11. ff. de rit. nup.* quanto magis ubi sciv. à matre approbatum esse.

4. Bona fides præstat quod veritas.

5. Contra eum fit interpretatio qui dum debuit, & potuit mentem suam luculentius non exposuit, *l. veteribus 39. ff. de pactis.*

6. Multum ad dirimenda ex dissensu parentum sponsalia refert, quo in statu res sint: Et quidem si sponsus & sponsa ita animis cohæreant, non est concordia istorum turbanda, *l. 1. §. ult. ff. de liber. exhib.* præsertim non adest justa gravisque causa.

7. *Gloss. & Dd. in d. in sponsal. ff. de sponsal.*

TIT. II.

Si Rector provinciæ vel ad rem pertinentes sponsalia dederint.

Hunc titulum Mevius non attigit

TIT. III.

DE DONATIONIBUS Ante Nuptias vel propter Nuptias, & sponsalitiis.

DECISIO Unica.

Majus quam ex lege lucrum debetur pactis dotalibus uxori promitti potest, sed non nisi post omnia credita præstandum.

LUcrum dotale ex constitutionibus Pomeraniæ est dimidia pars dotis, quod una cum dote soluto matrimonio redditur iisdemque cum dote privilegiis gaudet. Potest ejus quantitas per acta extendi ut vel ad dotis usque quantitatem atque ita ejus duplum solvatur, vel alio modo, (1) ex hæredes ex pacto præstare tenentur. (2) Attamen ejusmodi conventio non præjudicat aut nocet agnatis, nisi consenserint. (3) Multo minus creditoribus: (4) Ideo quatenus legem excedit lucrum post omnes demum creditores est. (5) In qua tamen re non tam ad summam conventam respiciendum est, quam quatenus ultra solitum præstandum, adeoque decedet creditoribus. Si enim ita formata fuerit conventio ut ad vitam viduæ usuræ ex majori summa pro lucro nuptiali solvantur, ipsa tamen sors non præstetur, quatenus hoc corpori bonorum, adeoque creditoribus est utilius quam ubi solitum solvetur valet pactum, & observandum est. *In causa viduæ Christoff Heinrich Schwerins contra Mariti Creditores, die 2. Octobris, Anno 1662.*

1. *Gloss. ad Auth. Æqualitas C. de donat. propt. nupt. Hartm. Pist. part. 1. q. 4. num. 5.*

2. Hæredes factum defuncti præstare tenentur, *l. cum à matre C. de rei vend. l. venditio C. de reb. alien. non alien.*

3. *Hartm. Pist. d. q. 4. n. 6.* nec enim licet in illorum incommodum onerare feudum.

4. Horum de damno vitando potior ratio est quam de lucro certantium.

5. Hæc est generalis æquitas per jus commune constituta, ut post creditores demum sint lucra: qua discessit privilegium nobilium Pomeraniæ qua lucrum nuptiale. Singulare vero jus non est extendendum ultra tenorem legis, ideo nec ultra quantitatem in illa expressam.

6. Meliorem conditionem creditorum reddere licet non deteriorem.

TIT. IV.

DE NUPTIIS.

DECISIO I.

Matrimonium in prohibito licet gradu contractum altera parte invita non dissolvendum.

CUm per sententiam Consistorii ad instantiam unius patris alterâ invitâ dissolutio matrimonii ideo quod in prohibito gradu contractum fuerat permissa erat (1)

Digitized by Google

hac appellante ad Sacr. Reg. Majestatem (quia à consistorio ad Tribunal Regium appellandi facultas adhuc sub controvesia erat) justi sumus de ea causa opinionem nostram exponere. Etsi vero utraque parte consentiente conscientiæ causa permittendum fuisset, ut quibus exinde scrupulus esset à cohabitatione abstinerent, (2) tamen ubi altera cohabitare vult, invitæ minime ut abstineat obtrudendum, nedum divortium indulgendum esse existimavimus. (3) Quid consilii nostri fuerit cum rationibus expositum, & Regio arbitrio humiliter submissum annecto. Scriptum hoc die 15. Novembr. Anno 1655.

1. Sententiam in prima instantia publicatam addo, quæ hujus tenoris fuit. Der Königl. Majestät zu Schweden in die Hertzogthume Brehmen und Verden/ wir verordnete Consistoriales befunden auß angebrachter Klage/darauff erfolgeter Antwort und fernern rechtlichen Einbringen / in Ehe-Sachen Ilsen von Broberg Klägerin an einem/ gegen und wider Frantz von Broberg Beklagten am andern Theil so viel / und erkennen vor Recht/ daß die zwischen beyden vor etlichen Jahren getroffene Ehe / wegen naher Schwägerschafft / ungeachtet Frantz von Broberg gegen Einwendens/ zu dissolviren und auffzuheben sey/ und wird die Bestraffung nach Beschaffenheit der Umbstände der hohen Obrigkeit vorbehalten / von Rechtswegen.

(Hoc est)

Regiæ Majestatis Sveciæ ad Ducatus Bremensem & Verdensem, deputati Consistoriales ad institutam actionem, desuper subsecutam responsionem & ulteriora producta in causa matrimoniali Ilsen à Broberg actricis ex una contra Franciscum à Broberg reum ex altera parte decernimus, quod matrimonium ante aliquot annos inter ambas partes initum propter propinquam affinitatem non attentis rei exceptionibus dissolvendum, & cassandum sit indictionem pœnæ juxta qualitatem circumstantiarum superiori Magistratui reservantes. Idque de jure.

2. Ita suadent Theologi & sequuntur JCtiin tali actione non dissolventes vinculum, sed relaxantes cohabitandi necessitatem.

3. Sic communis & Evangelicis Consistoriis recepta habet opinio, *vid. Beust. de sponsal. part. 2. cap. 52.* Plenius de hac sic consultationem nostram concepimus.

Zwischen Majeur Frantz von Brobergen und seiner Haußfrauen Ilsabe von Brobergen/ beruhet die Sache hierauff: Ob nachdeme jetztbemeldte Frau zur Zeit der Verlöbnüß gewust / daß Sie die Majeurn Groß-Vattern Bruder zuvorn zur Ehe gehabt/ nichts destoweniger aber sich mit ihm nicht allein in Ehe-Gelübde eingelassen / sondern nach offtentlichen Kündigungen im Namen der Heiligen Dreyfaltigkeit zum unauffl[illegible]lichen Ehe-Bande mit Ihm verbunden / durch die Priesterliche Einsegnung copuliret / auch drey Jahr lang im Ehe-Stande gelebet/jetzo aber auß dem Vorwand/ daß die Ehe im verbottenen gradu affinitatis zwischen ihnen getroffen / dahero im Gewissen scrupulum empfunden/ die Scheidung wider deß Ehemannes Willens zu suchen/und zu erhalten befugt sey.

Deß Ehe-Mannes intention ist in dem indissolubili nexu conjugali, welchen Gott und die Natur zwischen Eheleuten verknüpfft und unzertrennlich gehalten haben will/begründet. Der Frauen Vornehmen stehet auch entgegen/ daß/ was GOtt also zusammen gefüget/der Mensch nicht scheiden soll/ dahero dieselbe zu der Scheidung auff ihr Begehren nicht gelangen mag/ es sey dann das Ehe-Pact nach Gottes Wort unverbündlich / oder von dem einen Theil durch den Ehebruch violiret oder von GOtt sonst zugefügt / wobey der Ehe-Band unzertrennet nicht bleiben mög; In diesen Fällen alleine ist nur nach Gottes Wort und den Geistlichen Rechten/der an Gottes statt gesetzten Obrigkeit die Personen von dem Ehe-Band zu befreyen erlauber.

Nun berufft sich zwar die Klägerinne auff das Erste und gibt vor/ Sie am Gewissen darüber betrubt werde/ daß sie in solchem gradu, in welchem die Ehe unbündig / geheyrathet/ aber wo Sie dadurch die Ehe-Scheidung erhalten will/ muß gewiß seyn/daß in solchem gradu nach Gottes Wort kein vinculum durch die Heyrath beschlossen werde/ Nun ist (1) nirgend in Gottes Wort deß Groß-Vatern Brudern Frau die Ehe außdrücklich verbotten/ (2) Auch kein Göttlich Verbot/daß sich weiter als auff den andern grad in ungleichen Linien erstrecke/dahingegen diese Verwandnuß im dritten grad ungleicher Linien/ (3) und ob gleich dafur gehalten wird/ daß / wie niemand deß Vatern Brudern also auch des Groß Vattern Brudern Weib heyrathen solte/ daher solche Ehen in den Evangelischen Kirchen unzulässig/ rühret es doch solches nicht ex verbis sacri juris her/ sondern ex observantia Ecclesiarum, wider welches die Dispensation der hohen Obrigkeit wohl zulässig. Und beruhet (4) jetztberegte Meynung in illa ratione, welche nicht in Gottes Wort befindlich/ sondern ex ratiocinatione civitatum & Ecclesiarum herrühret / quod tales personæ vicem parentum & liberorum sustinent. Und obwohl (5) solche Ehen Anfangs eben wenig/ als welche in Gottes Wort verbotten/ zugelassen/ so ist doch / wann sie einmal geschlossen / und durch die fleischliche Beywohnung vollzogen / also res nicht mehr integra Communis Theologorum & JCtorum, daß sie nicht sollen getrennet werden/ Etsi enim jus in talibus resistit vinculo ne colligari ab initio possint, tamen ubi colligatum est, cum de jure divino id non invalidatur, cedit prohibitio voto, & finit integrum conjugium in sacro sancto nomine consummatum & sacramentum. Wie dann auch (6) die Theologi & JCti dafür halten/ daß / ob gleich in denen gradibus, welche jure divino expresse verbotten/die Ehe durch das Beylager vollenzogen / doch die Auffhebung nicht geschehen / sondern zu Vermeydung grösserer Aergernuß ferner Beywohnung verstattet werden solle;

Digitized by Google

solle; Bevorab weil (7) nicht allein kein Befehl in Gottes Wort zu befinden / daß solche Ehen in verbottenen gradibus auffzuheben / sondern vielmehr 8) ex textibus Sacris die Theologi behaupten / daß nach Gottes Wort die Ehen unzerrüttet geblieben / alleine denen die solche getroffen / daß sie ihre Sünde tragen / und ohne Kinder sterben sollen / zur Straffe angedeutet / wie dann in specie bey der Ehe mit deß Vattern Brudern Weib getroffen / also Gottes Gesetz lautet / Levit. 2. v. 20. und seynd auch (9) in heiliger Schrifft verschiedene Exempel der in prohibitis gradibus getroffenen doch beständig gelassenen Ehen zu befinden / dazu dann kombt daß / 10. wann das Verbott nicht außtrücklich in Gottes Wort enthalten / sondern allein durch Kirchen und Policey-Satzungen die Ehen in gewissen gradibus untersaget / der hohen Obrigkeit und ihren Consistoriis die dispensation zulässig / und dardurch die Gewissen wohl mögen beruhiget werden / demnach dann auch (11) diese Ehe scitu eorum quibus ea cura incumbit nicht allein zugelassen / sondern auch noch jetzo das Band nicht disputiret wird / so hat die Klägerinne so viel weniger Ursach die opinion sich zu machen / daß sie wider Gottes Gebott gehandelt / oder kein vinculum zwischen Ihr und ihrem Ehe-Mann sey. Ist nun in Gottes Wort die Ehe in dem vorgemeltem gradu expresse nicht verbotten / noch ob einig Verbott wäre / die dissolutio semel consummati matrimonii von Gott gebetten / vielmehr zu befinden / daß nach Gottes Wort solche Ehe beständig geblieben / will auch die hohe Obrigkeit uber diesen Handel / weil res nicht mehr integra ist / dispentiren / und zu Vermeydung gröster Aergernusse nachgeben / daß der Band unzerruttet bleibe / so erscheinet nicht / daß ex obtentu conscientiæ zur sich die Klägerinne möge zurück ziehen.

Einmahl ist nicht vera sed affectata conscientia, welche ausser Gottes Befehl und Wort gemacht wird / da in demselben solche Ehe nicht verbotten / noch dero dissolution gebotten / darumb solchen selbst Gewissen nichts zu tribuiren / daß darumb was Gott sonst gebotten / nemlich die unauffl[ö]ßliche observantz deß Ehe-Bandes / nachzulassen wäre.

Zum Andern / wie Gott geboten / daß die Ehe unzerst[ö]rlich solle gehalten werden / und solch Gebott gewiß und ungezweiffelt / hingegen aber ob Er in dem vorgemeldtem gradu die Ehe verbotten / vielmehr daß er sie wolte dissolviret haben / zum wenigsten ungewiß und im Zweiffel / ja viel ehe dabey die negativa auß Christlichen vernünfftigen Ursachen zu statuiren / so würde der conscientz viel besser gerathen seyn / wann sie sich an Gottes gewisses Gebott lieber hielte / als ex incerto prætextu davon abweichen wolte.

Drittens / wann auch die dissolutio matrimonii tamdiu constantis viel gröster Aergernuß und Ungelegenheit gebären wird / als wann sie nach bleibet / und da ein oder ander Theil post dissolutionem wiederumb heyrathen solte / die conscientz mehr laqueos zu befahren hat / so wird nicht rathsam seyn / dazu Anlaß zu geben / sondern vielmehr die Klägerinne anzuweisen / es dabey was geschehen / und verändlich lieber bewenden zu lassen / als durch die Neuerung neue Gefahr und Aergernuß über sich zuziehen.

Fürs Vierdte / kan bey diesen Umbständen / da die necessitas servandi debiti conjugalis gewiß daß jus dissolutionis nicht gewiß / die conscientz noch soulagiret / und damit beruhiget werden / daß Gott darinn / daß ein Mensch von solchem Ehe-Stande abtrette / seinen Willen nicht offenbahret / diß aber in seinem Wort ernstlich wolle / daß der in seinem hoch heiligen Namen getroffener Ehe-Bund unbrüchig solle gehalten werden / daß auch die hohe Obrigkeit solches nicht allein verstatten / sondern als in terris Dei vicarius auß vernunfftige Ursachen haben wolle / dahingegen aber / wann nach entschiedener Ehe das Gewissen auffwachete / wegen nicht gehaltener Ehe angefochten würde / hätte solches wider das gewisse Gebott ex incerta opinione non reperto DEI jussu keinen zu finden.

Wann auch Fünfftens angesehen wird / wie diese Sache sich angesponnen und getrieben / so erblicket fast / es so sehr nicht umb das Gewissen zuthun / als weil zwischen den Eheleuten Mißverstand und Zweytracht eingerissen / daß die Frau solcher per divortium zu entgehen bemuhet ist / zumahlen sie dann in geraumer Zeit vor angestelleter Klage gewust / daß sie in einem verbottenen gradu geheyrathet / auch auß den geholeten Belehrungen das vermeynte Recht erlernet / doch biß die Widerwärtigkeiten sich ergrössert / Ehlich beygewohnet / auch nicht darauff der Richterlichen Erkandtnuß erwartet / sondern sich eigenmächtig von ihrem Manne entzogen / darauff der Proceß angefangen / welches so wenig zu Beruhigung ihres Gewissens gereichen mag / als es nachzugeben wäre.

Zum Sechsten ist das Vinculum nicht ipso jure nullum, wie dann die Theologi & JCti solches dafür halten / daß die accessio copulæ carnalis in den verbottenen gradibus dasselbe convalidire, dahero hat der Ehemann ein jus quæsitum, und wann derselbe die Frau ihres debiti nicht erlassen will / kan sie salva conscientia Ihm nicht entziehen / und grössere Ungelegenheit verursachen / Sie hätte dann Ursachen vorzubringen / warumb Er seines Rechtens verlustig wäre. Wie nun nach der Theologen und Rechts-Gelehrten obberegter Meynung / wann beyde Eheleute / so in denen auch in Gottes Wort außdrücklich verbottenen gradibus geheyrathet / nach dem Beyschlaff nicht wollen trennen lassen / keine dissolutio ihnen angefüget / sondern Göttlichen Gebotts ungehindert sie in dem Ehe-Stand zusammen gelassen werden / also würde eben wenig / wann ein Theil sich nicht wolte trennen lassen / solches auß selbiger ration, weil das Vinculum nicht planè invalidum das Recht haben / daß ex jure vinculi das andere auch nicht abtretten / noch ein Gewisses auß dem machen könte / was in der Christlichen Kirchen zulässig / zumahlen es nur an ihrem Willen / welchen sie zu der einmal versprochenen Liebe stäts haben und disponiren solte / ermangelt / der aber bey der Schuldigkeit nicht / oder auch also consideriret wird / wie Er de jure seyn soll: und heisset es dann dissensus ubi dissentiens ex pietate jure vel æquitate consentire debet non attenditur, sed magis quid velle debeat, quam quid velit spectatur.

Auff solche præsupposita würde nun die von Jena eingeholete Urtheil (derselben sonst die im Nebenschreiben angeführte rationes und Bedencken gantz abstimmig seyn) bevorab auch weil ex actis nicht zubefinden / daß / was solche prærequiret / erstat-

Digitized by Google

erstattet sey / noch nicht die Krafft Rechtens haben können / sondern es wäre vielmehr der vorgenommen Appellations-Proceß zu verstatten und zu prosequiren / dabey dann appellirender Majeur Broberg mit seinen gravaminibus zu hören / die Frau vorzufordern / mit Zuziehung einiger Theologen ihr das gemachte Gewissen recht zu expliciren / Sie wie die Jenenses Theologi selbst gerathen / zur Ohnzertrennung deß Ehe-Bandes mit dienlichen Motiven zu vermahnen / auch zwischen den Eheleuten der entstandenen Irrungen und Zweyhelligkeiten Aufhebung reconciliation und Außsöhnung möglichst zu versuchen / daß sie aber dahin in Güte nicht zu bringen / so wol durch Bestraffung / als daß im widrigen Sie den Ehe-Mann die Erstattung seiner Ungelegenheit und Kosten / wie auch / was in causa separationis dem Innocenti parti den Rechten nach zu erkennen / abtrage / zur Busse zu bringen / zumahlen dann solches auff ihre præsuppositum (da sie sich selbst incestus arguiret / weil sie aber die affinität wol gewust / auch gewarnet seyn soll / kein Entschuldigung dann ex ignorantia juris & quidem ex sua opinione divini hat) gehöret / und alleine in honorem matrimonii nachzulassen wäre. Diesem nach wäre zu besagtem Procels es zu veranlassen und also zu sprechen: Daß nach der den 14. Decembr. Anno 1654. eröffneten Urthel die Ehescheidung noch nicht / sondern dagegen die von Majeur Brobergen vorgenommene Appellation zulässig / dabey dann er mit seinem Vorbringen so weit zu hören / daß seine Ehefrau vor zu bescheiden / ihr von der Sachen zu Befreyung ihres Gewissens Unterricht zu geben / dabey zu Haltung deß einmal geschlossenen Ehe-Gelübdes zu ermahnen / auch zwischen dem Ehe-Mann und Ihr die reconciliation zu vermitteln / bey ferner Widersetzlichkeit aber in Rechten übliche Mittel dagegen vorzunehmen seyn.

(Hoc est)

Inter Majorem Franciscum à Brobergen & ejus conjugem Ilsaben à Frobergen causa negotii in eo vertitur. Postquam dicta fœmina tempore desponsationis scivit, quod majoris ævi fratri maritata fuerit, nihilominus cum illo non tantum sponsalia contraxit, sed post publicam proclamationem in nomine SS. Trinitatis indissolubili vinculo matrimonii se illi conjunxit, per sacerdotalem benedictionem copulavit ac tribus annis in matrimonio vixit, an modo sub prætextu, quod matrimonium in prohibito gradu affinitatis, inter eos initum, propterea in conscientia scrupulum sentiret, dissolutionem contra mariti voluntatem petere, & impetrare possit?

Mariti intentio consistit in indissolubili nexu conjugali, quem Deus & natura inter conjuges constrinxerunt & indissolubilem ordinarunt, fœmina intentioni etiã obstat, quod illud, quod Deus ita conjunxit, homo separare non debeat, consequenter ipsa ad dissolutionem prout desiderat aspirare non potest, nisi pactum matrimoniale juxta verbum DEI non obligatorium, vel ab unà parte per adulterium violetur vel à DEO ita dispositum quò vinculum matrimoniale indissolubile manere non potest. In his casibus solum juxta verbum DEI & jura Ecclesiastica magistratui loco DEI constituto personas à vinculo matrimoniali liberare permissum.

Jam provocat quidem actrix ad primum & profert se in conscientia desuper agitari, quod in tali gradu in quo matrimonium non obligaret ipsa matrimonium inierit; Verum si per hoc dissolutionem impetrare intendit, certum esse debet, quod in tali gradu juxta verbum DEI nullum vinculum per matrimonii contractum inducatur. Ad 1. nullibi in verbo DEI avi fratris uxori matrimonium expresse interdictum, Ac 2. nulla prohibitio divina quæ se ulterius quam ad secundum gradum in inæqualibus lineis extendat, econtra hæc affinitas in tertio gradu inæqualis lineæ, 3. & quamvis dici posset, quod sicut nemo patrui ita & patris magni uxorem ducere possit, propterea talia matrimonia in Ecclesiis Evangelicis impermissa, descenditid tamen non ex sacris literis, sed ex observantia Ecclesiarum contra quam dispensario summi Magistratûs bene permissa. Et verfatur 4. dicta opinio in illa ratione, quæ non in verbo DEI reperibilis, sed ex ratiocinatione civitatum & Ecclesiarum oritur, quod tales personæ vicem parentum & liberorum sustinent. Et quamvis 5. talia matrimonia à principio non minus quam quæ in verbo Dei prohibita, permissa sint, attamen quando semel contracta, & per copulam carnalem consummata si res non amplius integra Communis Theologorum & JCtorum sententia, quod separari non debeant, Etsi enim jus in talibus resistit vinculo ne colligari ab initio possint, tamẽ ubi colligatum est, cum de jure divino id non invalidatur cedit prohibitio voto, & sinit integrum conjugium in sacro sancto nomine consumãtum & sacramento firmatum. Prout etiam 6. Theologi & JCti docent, quod quamvis in gradibus, qui jure divino expresse prohibiti matrimonium per copulam consummatum, separatio non fieri, sed ad evitandum majus scandalũ ulterior cohobitatio concedi debeat. Præsertim 7. cum non solum nullum præceptum in verbo DEI reperibile, quod talia matrimonia in gradibus prohibitis cassanda, sed potius 8. Ex textibus Sacris Theologi constanter tenent, quod juxta verbum DEI matrimonia inconcessa manserint, solum illis qui ea inierunt, quod hoc peccatum luere, & sine liberis decedere debeant, pœna indicta, sicut in specie in matrimonio cum patris fratre inito ita præceptum Dei sonat. *Levit. 2. v. 20.* Et sunt etiam 9. in sacris literis diversa exempla matrimonio-

Digitized by Google

moniorum in gradibus prohibitis contractorum quæ tamen in vigore relicta sunt obvia. Eò accedit quod (10) quando præceptum non expresse in verbis Dei continetur, sed solum per Ecclesiasticas & politicas sanctiores matrimonia in certis gradibus inhibentur, supremo magistratui & ejus consistoriis dispensatio permissa & per hoc conscientiarum inquietudo salvari potest. Postquam ergo (11) hoc matrimonium scitu eorum quibus ea cura incumbit non tantum permissum, sed etiam adhucdum vinculum non disputatur actrix tanto minus causæ habet opinionem sibi imprimendi quasi contra divinum præceptum peccasset vel nullum vinculum inter ipsam & maritum existeret. Quod si num in Verbo Dei matrimonium in dicto gradu præcisè non prohibitum neque, casu quo aliqua prohitio esset, dissoluti semel consummati matrimonii præcepta, sed potius quod juxta verbum Dei talia matrimonia permanserint, supremus etiam magistratus in hac causa, cum res non sit amplius integra intendit dispensare & ad evitandum majus scandalum permittere ut vinculum inconcussum maneat, non apparet quod ex obtentu conscientiæ actrix pro se possit resilire.

Quidquid sit non est vera sed affectata conscientia quæ extra verbum & præceptum Dei formatur, cum in eo matrimonia talia prohibita nec eorum dispensatio præcepta, sine talibus privatis non tribuendum ut propterea quod alias Deus præcepit, nempe indissolubilis observantia vinculi matrimonialis remitti deberet.

Pro secundo, quod præceperit matrimonia debere esse indissolubilia certum est & indubitatum, econtra vero utrum in allegato gradu matrimonia prohibuerit & voluerit illa dissolvi ad minimum incertum est & in dubio, tanto magis ex Christianis & rationabilibus causis negativa statuenda, & ita conscientiæ magis consultum erit, si certo Dei præcepto insistat, quam ex incerto præcepto inde recedat.

Tertiò. Cum dissolutio matrimonii tamdiu constantis multo majora scandala & inconventias paritura quam si in statu maneret, & si una vel altera pars post dissolutionem tenuo nuberet, conscientia plures laqueos expertura sit, consultum non erit eò ansam præbendi sed potius actrici injungendum, ut id quod factum & immutabile in statu quo relinquat quam per novitatem novis periculis & scandalis se implicet.

Pro quartò, in his circumstantiis ubi necessitas servandi debiti conjugalis certa, jus dissolutionis non certum conscientia adhuc sublevari & quieta reddi potest, quod Deus in hoc, quod homo à tali statu matrimoniali recedat voluntatem suam non manifestaverit, id vero seriò velit, quod vinculum matrimonii in sacrosancto ejus nomine contractum inviolabiliter servari debeat, & quod supremus Magistratus illud nequaquam permittere, sed tanquam Dei in terris vicarius ex rationabilibus causis habere velit; Econtra vero, quando post, dissolutum matrimonium evigilaret & propter non servatum conjugium afflingeretur, illa contra certum Dei præceptum ex incerta opinione non reperto Dei jussu nullum solatium reperiret.

Quando etiam quinto consideratur quale res hæc exordium & progressum habuerit, apparet fere, quod non tam sit res conscientiæ, sed quia inter conjuges discordiæ & simultates sub ortæ, quod uxor, ut ea per divortium evitet, studeat, maxime cum longo tempore ante institutam actionem sciverit se in gradu prohibito conjugium iniisse ac ex responsis juris putativum jus didicerit, attamen usque dum dissidia excrescerent, tacuerit, conjugaliter cohabitarit, & judicis cognitionem desuper non exspectarit, sed propria auctoritate se à marito separarit, exinde processum inceperit, quod tam parum ad quietem conscientiæ tendere potest, quam indulgendum esset:

Pro sexto, Vinculum non est ipso jure nullum, prout Theologi & JC. existimant vit, quod accessio copulæ carnalis in gradibus prohibitis illud convalidet, inde maritus habet jus quæsitum & quando is uxori debitum conjugale remittere non vult, illa salva conscientia id ipsi subtrahere nequit & majores inconvenientias causare, nisi causas proferre posset propter quas jure suo privatus esset, sicut nunc juxta Theologorum & JCtorum allegatam opinionem quando ambo conjuges qui in gradibus etiam expresse jure divino prohibitis contraxerunt post cohabitationem separari nolunt, nulla dissolutio ipsis injungitur, sed non attenta Dei prohibitione in statu conjugali relinquuntur. Ita æque parum, quando una pars separari nollet, id ex eadem ratione, quia vinculum non plane invalidum jus habebit quod ex jure vinculi altera pars etiam non discedere nec casum conscientiæ inde formare possit quod in Christianis Ecclesiis permissum, maxime cum ipsorum voluntas solum quam ad promissum semel amorem continuo dirigere & disponere debeant, deficiat, quæ vero ita consideratur prout de jure esse deberet, & axioma est: dissensus ubi dissentiens ex pietate, jure, vel æquitate consentire debet non attenditur, sed magis quid velle debeat, quam quid velit spectatur.

sed

Digitized by Google

Ad hæc præsuppositæ sententia Jenensis (ubi alias in separato scripto adductæ rationes & momenta concordant) maxime cum etiam ex actis non appareat; illud, quod illa prærequirit, præstitum esse, vim rei judicatæ obtinere non potest; sed potius petiti appellationis processus decernendi, & prosequendi appellantis majoris Broberg gravamina audienda, fœmina citanda, cum adjunctione aliquot Theologorum conscientia ipsi rectè explicanda, illa prout Jenenses Theologi consuluerunt ad indissolutionem vinculi conjugalis motivis convenientibus admonenda, ac inter conjuges subortorum dissensionum & simultatum reconciliatio omni possibili modo tentanda, quod si verò eo dispone non posset, tam per pœnarum indictionem quam quod in contrarium eventum marito refusionem damnorum & sumptuum, sicut & in casu separationis quod jura innocenti parti adjudicant exolvat compellenda. Prout id ad illius præsuppositum (cum se ipsam incestus arguat, quia affinitatem bene scivit & nulla excusatio ex ignorantia juris & quidem ex sua opinione divini suffragatur) convenit, & solum in honorem matrimonii remittendum foret. Post hæc ad Processum recurrendum & ita decernendum quod post sententiam 14. Decembris 1654. publicatam separatio matrimonii nondum sed contra appellatio à Majore Brobergen interposita admittenda, & ipsius gravamina in tantum audienda ut ejus uxor citetur ipsi ad liberandam conscientiam causæ informatio detur, exinde ad servandum semel conclusum eorum conjugale admoneatur, ac inter ipsam & maritum reconciliatio tentetur, in ulteriori verò renitentia cõsueta juris remedia adhibeantur.

DECISIO II.

Detrectatio consummationis matrimonii sub lite existens ex se non est causa excludendi à sacra Cœna.

COnquerebatur virgo cum sponso litigans, quia matrimonium inire refragabatur, à Reverendo Ministerio se ut pactis staret admotam, sed causas detrectandi & de iis in judicio controversiam allegantem à sacra Synaxi arceri, ideo pro rescripto Regio ad impetrandum admissionem supplicabat. Sic putabatur exclusionem hanc à sacris fieri non posse, nisi persona excludenda juxta sacræ Scripturæ præscriptum istis reperiretur indigna. (1) De quo nisi manifestè constat, minimè ad exclusionem talem velut quæ erit remotio à cura & medicina animæ properandum est. (2) In præsenti autem casu duo occurrebant, ob quæ illam factam esse videri potest. Litigium & delictum. Litigium per se non est in crimine. (3) Sed fit tantum ex accedentibus hominum vitiis, (4) ideo ex ea solum causa nemo à sacris arcendus est quod in judicio contendit. (5) Hoc foret judicia, ordinationem divinam, damnare, actiones sine quibus tamen jure & ab injuria securitate inter mundana frui non licet, improbare, omnia quæ sunt hominum in discrimen conjicere conscientias valde turbare. Vitia vero hominum litibus sæpe accedunt, quæ faciunt istas improbas & criminosas. Ob ista itaque impœnitentiam atque non emendantium æqua & Christiana fit ista exclusio. Veluti cum manifestè injusta causa, vel cum justa, injuste agitur, & cum gravis & irreconciliabilis inimicitia inter litigantes durat, vel cum levibus ex causis litigatur vel cum æqua compositio non admittitur. (6) delicti reus sine prævia pœnitentia eaque publica quæ scandalũ simul tollit, nemo admittitur ad Sacra. (7) Ad ita demum, si delictum grave publicum & notorium sit. (8) Ubi nondum constat vel quod arguitur factum crimen esse, vel illum qui accusatur reum, non est ad exclusionem istam procedendum. (9) Hæc olim applicabantur speciei, quæ adjudicium deterebatur, non deerat à patre sponsæ refractariæ nuptiarum consummationem recusandi ratio, eaque sic comparata fuit, ut ad deductionem allegatio admitteretur. (10) Ut itaque ante sententiam non damnanda sed res valdè dubia fuit, ita nec quod finem litis exspectare imputandum. (11) Detrectatio observantiæ promissi & consummationis conjugii cum sponso post publica sponsalia est quidem injusta, divino atq; humano juri contraria, attamen ex causa potest fieri non injusta, cum multiplex sit, ob quam salva pietate & justitia retractare vel non observare liceat, ideo reluctantem à vinculo absolvere fas sit. (12) Talis jam visa erat, quam rea obtendebat, dum ad ulteriorem deductionem admissa fuerat, ideo antequam in lite succumberet, sacris indignam habere nimis præceps foret, Præsertim cum de eô cognitio vel statuẽdi potestas non erat solius Ministerii sed judicii. (13) Non etiam reperiegatur in fine exclusionis, ut durare deberet. Vel enim tendebat ad evitationem scandali vel ad agnitionem peccati, vel ad compulsionem à detrectatione desistendi, scandalum nondum erat, ubi judicio causam refragandi sponsa justificare aut cur cogi non deberet demonstrare cõtendebat. (14) Peccatum agnosci non potuit, ubi an peccaret lite pendente nondũ erat certum. (15) Compulsio ita non fieri, sed judicii finis exspectari debuit. (16) In quibus terminis istius conscientiã qua se ireta dicebat turbare non oportuit, tantũ attendere & præcabe-

re

Digitized by Google

re decuit, ne rancor & inimicitia in animo hæreret atq; ita jus petatur ut illæsa conscientia atq; animus innocēs sit. Eo minus vero excludenda videbatur sponsa, cum sponsus admitteretur, qui tamen si non causam (de quo sub judice lis erat) tamen occasionem dissidiis ex quibus detrectatio oriebatur, dedisset. Hæc ad considerandum S. Ministerio proponere conclusum fuit, die 1. Martii Anno 1656.

1. Indigne qui edent aut bibent, indigni sunt cœnâ *1. Corinth. 11. vers. 29.* His dare est, sanctum canibus objicere & uniones suibus quod Salvator vetat, *Matth. 7. v. 6.* Tales sunt qui semet non probant *1. Corinth. 11. v. 27.* seu non dijudicant, *1. Corinth. 11. v. 31.* hoc est, impœnitentes ut & immundi, qui olim ab usu agni Paschalis arcebantur. *Num. 9. vers. 6.*

2. Christus sacræ cœnæ licentiam non modo omnibus fecit, sed etiam usum injungit. Quos itaque ipse excluſos non voluit, eos excludendi arbitrium non est per verbi ministros. His non convenit negare, quod vult dari, imo omnibus mandat accipere Dominus. Ad Ecclesiæ bonum pertinere scribit Theologus quidam, ut sibi nihil in eo sume-re possit ultra verbum Clerus.

3. Dei Ordinatio sunt judicia, *Genes. 9. v. 4. Exod 18. v. 19. Deuteronom. 1. v. 9.* Christus & Apostoli approbarunt, & coram iis egerunt, ideo non potest esse delictum in iis litigare.

4. Eo spectat Apostoli *1. Corinth. 6. v. 7.* de litigiis sententia.

5. Theologorum Orthodoxorum ea est sententia, quam in aliquo responso ita exposuit Lutherus in Epistola & Theologi Rostochienses in responso, *quæ habentur apud Dedekenn. vol. 1. consil. Theologic. part. 2. lib. 3 sect. 9. n 13.*

6. Accedentibus talibus sic sentiunt Theologi, *vid. Erasm. Brochmann. in artic. de Cœn. Domin. cap. 10. Cas. conscient. 6.* Ratio patet, quia manifesta ea sunt peccata, quæ quamdiu sine pœnitentiâ & omissione durant, sacris indignum reddunt.

7. *Vid. de hoc plura apud Frid. Balduin. in Casib. conscient. lib. 2. cas. 12. clas. 3. De eo vid. responsa Theologica apud Dedekenn. dict. sect. 9. num. 4. & 9.*

8. Has qualitates in delictis, ob quæ à sacris rei arcentur, Theologi requirunt, nec ratio sinit ad alia eam sententiam extendere.

9. In dubio quisque præsumitur innocens. *Menoch. dub. 5. præsumpt. 4. n. 1. & seq.* Ut quisquam nisi confessus vel convictus non est condemnandus, ita quoque à sacris non est arcendus. Nam hoc sine condemnatione fieri nequit. Tantum ob solam inculpationem ille admonendus est, qui inculpatur, sibimet in judicium sumat, si sua conscientia satis fretus est, non vero removendus.

10. Justa litigandi causa litigium facit justum. Justa autem censetur esse ex Judicis admissione, quæ indicium est relevantiæ allegatorum.

11. Etiam qui gravis criminis seu magni sceleris rei accusantur, quamdiu nondum convicti aut confessi sunt, sed semet contra accusationem defendunt, pendente inquisitione vel processu non sunt privandi usu sacræ cœnæ, *de quo Theologorum Helmstadiensium & Lipsiensium consilia lege apud Dedekenn. dict. part. 2. l. 3. sect. 8. num. 15. & 16.*

12. In his quæ non semper criminosa sunt, sed potius licita ex judicis sententia exspectandum est, quo in genere haberi debeant, nec Theologos decet sibi de iis sententiam sumere, quæ ad judicium pertinent, sed iis examen & dijudicationem relinquere ac committere.

13. Saniores Theologi svadent, ut ministri Ecclesiarum, nisi crimina sint notoria & nullatenus excusanda, non suum de iis faciunt judicium, sed sententiam expectent.

14. Paria sunt nondum esse & adhuc sub controversia pendere. Ob exitum litis dubium, nondum est quod controvertitur, *l. quod debetur 52. ff. de Pecul.*

15. Postquam in judicium causa venit, jūra partium in obscuro sunt, nec ante sententiam jus vel injuria alterutri imputanda; eo minus verò Ecclesiæ ministris competit de ea suæ opinionis publicatio in Cathedra vel alibi, cum suum non sit de eo judicare, sed judicium jurisdictioni competenti relinquere. Quomodo nolunt de his, quæ sui sunt suggesti, à magistratu assumi examen, ita & quæ hujus sunt judicii relinquere debent, ideo à præjudicio donec ritè judicatum fuerit, abstinere. Quod dum negligit aliquorum curiositas, sæpe fit ut cum magno officii dedecore & autoritatis detrimento damnent, qui postea absolvuntur aut absolvant damnandos. Nec mirum; Ignorant enim momenta causarum, ut in judiciis ventilantur, & sæpe prudentissimos atque causæ cognitioni deditos variè exercent, tantum ex futuris aut aliorum opinionibus, queis nihil fallacius, sciunt & opinantur.

16. Hoc ecclesiæ ministrorum officium inter litigia primum nec improbandum est, quod litigantes solent à rancore & infensis dehortari, vel eo usque conciliare ut depositis inimicitiis causam Deo & Judici committant, daß ſie der Perſonen Freund ſeynd/ und der Sachen Feind bleiben.

DECISIO III.

Pœna malitiosæ desertionis, quæ est in dotis amissione, non habet locum in discessu à marito ex causa debita.

QUæ repudio seu desertioni constituta est pœna, ut deserens maritum uxor dotem amittat, eaque marito dedat, præterquam quod abrogata est, (1) ad illam pertinet, quæ ex nulla probabili causa malitiosè, deinde etiam ea mente fit, quod uxor nolit amplius marito cohabitare, (2) tum sciat aut facile scire possit, id se facere debere. Secus se res habet, ubi causa quædam discedendi fuit, (3) eaque talis, ut uxorem dubiam reddere queat, an illæsa conscientia & honestate in conjugio consistere liceat, veluti si quædam ratio sit, cur conjugium reputari possit irritum aut conscientiæ scrupulus de jure ejus suboriatur, (4) Etsi enim ab ea peccatur, quod à marito abstinet & discedit, antequam causa cognoscitur, & per judicialem cognitionem discedendi licentia fit, (5) non tamen tantum peccatum est, ac si malitiosè plane atque sine ratione aliqua se seperaverit, seu repudium miserit. Ut hæc delicta differunt, itaque

Digitized by Google

etiam pœna differre debet. Ad quam imminuendam in tali etiam specie multum faciet, si uxor non plane deserendi, seu matrimonium dissolvendi animo, sed tantum, ut à marito absens litem cum ipso super causa dissolutionis peragat, discesserit. (6) Ad quod cum JCtorum consiliis & suasionibus seducta reperitur, eo magis excusata erit, multo magis si & judicis quandam sententiam pro se obtinuerit. (7) Ita judicatum *in causa Mariæ Bremers, contra Ilsabe Brobergen uxoris Tribuni militum Francisci Brobergen, die 13. Aprilis, Anno 1659.*

1. Hanc pœnam Imp. Theodosius *in l. consensu hac si vir. C. de repud.* constituit Imp. Justinianus *in Novell. 22. cap. 15. §. 2. & 3. in Novell. 117. cap. 1.* comprobavit sed idem postea abrogavit, *Novell. 134. c. 9.*

2. Sic omnes jam dictæ leges loquuntur ut pœnam repudio seu desertioni ex nulla rationabili causa dictent.

2. Sonant leges de omnimodo repudio.

3. Causa quælibet à dolo & malitia excusat, *l. igitur 12. ff. de Liber. caus.*

4. Conscientiæ qui consulere contendit, etsi erronee, justam reluctandi causam habet, donec, ex pietatis regulis melius informatus fuerit.

5. Se proprio ausu separare à marito est contra nem conjugii & mandatum illi, *Genes. 2. c. 2.*

6. A dolo quævis fatua causa dicitur excusationem præbere nedum quæ aliquid rationabilis prætextus habet.

7. Voluntas & propositum distinguit maleficia. *l. verum 39. ff. de Furt.*

DECISIO IV.

Maritus desertionis remisisse intelligitur, quam vivus non petiit, nec oblatam recipere voluit, petens, ut uxor ad cohabitationem compellatur.

POena malitiosæ desertionis desinit ex remissione, quæ non modo expresse sed & tacite fit (1) per eos actus, qui argumento sunt, maritum voluisse remittere actionem injuriarum, aut pœnam desertioni dictatam. (2) Talis est in dissimulatione injuriæ, (3) hæc in petitione non pœna, sed cohabitationis, quæ cum fieri non possit nisi inter reconciliatos, utique maritus id urgens pœnam, quæ dissoluto matrimonio locum non habet, remittit, licet cohabitationem non impetraverit, non eo minus remisisse potest intelligi, (4) cum id factum sit cum propter abitum ejus in militiam, tum quia ex morte ipsius factum, ut quod sententia obtinuit effectum non haberet, quæ & ipsa remissionis præsumptionem facit. (5) Hoc eo certius asserendum, ubi uxor se cessione dotis, aut huic non disparis summæ, se à marito liberare, is vero oblatam recipere noluit, litem pro matrimonii continuatione prosecutus. (6) *In eadem causa.*

1. Est quoad actiones, quæ ad vindictam tendunt, tacitæ remissionis eadem atque expressæ efficia, §. *ult. ff. de injur. l. si non convitii 5. C. eod.* odio nempe vindictæ, cui jura non indulgent.

2. Factis non minus quam verbis imo fortius declaratur animus.

3. *d. l. si non convitii 5. C. de injur.*

4. In dubio maritus injuriam uxori remisisse intelligitur. *Menoch. de Præsumpt. lib. 2. præs. 76. num. 5.*

5. Mors loco remissionis est injuriæ, *arg. l. fin. C. ad L. Jul. repetund.*

6. Contraria hæc plane sunt, velle consummari matrimonium, & tamen pœnam non consummati petere, ideo qui illud urget, ab hoc excludit hæredes, dum in illos actionem transire noluit quam omisit, ideo remisit.

DECISIO V.

Quæ ad pœnam desertionis marito actio est non transit ad ad hæredes

AMissa dos ob malitiosam uxoris desertionem, siquidem in bona mariti adhuc vivi devenit, quod si ubi pœna eidem acquisita est, (1) ad quosvis hæredes transit. (2) At non perinde actio ad pœnam amissionis, (3) ubi maritus nondum petiit. (4) Liberis quidem seu suis hæredibus ea cedit, quia sic provisum, (5) non extraneis, ad quos nec aliàs transit injuriarum actio. (6) Ideo cum defunctus actionem istam ad privationem non instituisset matrem ejus non admittendam esse judicatum fuit *in eadem causa.*

1. Ea acquisitio non fit nisi post judicis sententiam, per quam causa privationis justa declaratur. Ante non privatur conjux bonis, aut jure suo *vid. Carpzov. jurisprud. forens. part. 3. constit. 26. defin. 10.*

2. Quia remisisse intelligitur in dubio, *arg. c. ult. de Præsumpt. Menoch. de Præsumpt. lib. 2. præs. 76. num. 5.*

3. Actio ad amissionem tendit ac vindictam *l. consensu 8. § 5. C. de repud.*

4. *Novell. 22. c. 15. §. 2. & 3. Novell. 117. c. 13.*

5. Communi hæc est JCtorum sententia, jus agere ad pœnam privationis non aliis quam suis hæredibus competere. *Boer. decis. 338. n. 8. Campeg. in tr. de dot. q. 228.*

6. *l. 13. Injuriarum l. item apud 15. §. injuriarum ff. de injur. §. fin. Instit. eod.*

Sententiæ hic tenor fuit.

In Sachen Obrist-Lieutenant Frantz von Frobergen/jetzo dessen Mutter Mariâ Bremers/Otto Heinrich von Brobergen Wittwen Appellant und Supplicantinnen wider Ilsabe von Brobergen vorbemelten Frantz von Brobergers Wittwen Appellat und Supplicatinnen in puncto malitiosæ desertionis & inde privationis wird erkant/daß jetzgedachter Appellat, und Suplicatinne von jeden Theils suchen/wegen Verlust/und Zutheilung dessen/so sie ihrem

Ehee

Ehemann zugebracht/zu entbinden sey/in massen sie dann von dem deßwegen angestaltem Zuspruch hierinit entbunden/die Unkosten deßwegen auffgelauffen compensiret werden. Von Rechswegen.

(Hoc est)

In causa locum teneatis Franciſci Brobergen nunc ejus Matris Mariæ Bremers Ottonis Henrici à Brobergen viduæ appellantis & ſupplicantis contra Ilſabam à Brobergen mentionati Franciſci à Brobergen viduam appellatam & ſupplicatam in puncto malitioſæ deſertionis & inde privationis decernimus quod præacta Appellata & Supplicata à cujusque puncti petitione ratione detrimenti ejusque partitione, quod illa ſuo marito apportavit, abſolvenda ſit, prout illam ab ejusmodi impetitione abſolvimus, ſumptus exinde factos compenſamus idque de jure.

DECISIO VI.

Conſenſus Parentum tacitus ad nuptias liberorum ſufficit.

OMni jure divino atque humano ad nuptias liberorum requiritur conſenſus parentum, (1) eoque præterito ſponſalia non ſubſiſtunt, (2) Non vero neceſſariò requiritur, parentes expreſſe conſentire ſed ſufficit cum ſciunt, non diſſentire. (3) Tacitus itaque conſenſus ſufficit, omnisque actus, qui ſine conſenſu fieri non poteſt, hunc liberorum ſponſalibus acceſſiſſe arguit, (4) ideo contra ſemel placita diſſenſum poſtea excludit, (5) veluti ſi pater filium aliò mittit ad ſpectandam certam perſonam, quam, ſi placet, duceret, quæ non poteſt dici ſine voluntate patris ducta etſi filius ultra id, cur abiit, proceſſit, (6) ſi poſt contracta ſponſalia cum ſciret tacet, & nulla diſſenſus ſpecimina edit, (7) ſi filium ad ſponſam ſcribere & à ſeut ſocero ſalutari ſinit, (8) ſi eum tandem ad ſe venire curat, in domo habet, tanquam cum ſponſa filium converſari permittit, (9) ſi congratulationes recipit, (10) ſi dum hæc ita fiunt plures ſeptimanas ante declarationem diſſenſus præter labi patitur. (11) *In cauſa Annen Hagenmeiſterin contra Brandanum Eggebrechten, die 21. Ianuar. Anno 1660.*

1. Hoc prolixè per *Cothman. in reſponſ. 1. per tot. vol. 1. ſolide edoctum leges.*

2. Ita habet communis & inter Chriſtianos praxi recepta ſententia, uti multis allegationibus idem Cothmannus ibidem docet.

3. Sic Iulianus *in l. in ſponſalibus 7. §. 1. ff. de Sponſal.* decidit, filiæ patrem conſentire intelligi, niſi evidenter diſſentit.

4 *Cypræus de ſponſal. cap. 6. §. 6. num. 12. ubi hoc confirmat per d. l. in ſponſalibus §. 1. l. 5. C. de Nupt. exemplo voti num. 30. v. 4.*

5. Paria ſunt, utrum verbo an facto approbat, hoc perinde imo fortius voluntatem declarat.

6. c. quod ſemel X. de R. J. in 6.

7. In finem quippe conſenſus eſt, qui pro eo in medium conſentit. Finis quippe etſi ultimus in executione, tamen primus in intentione eſt, *l. 1. C. de Execut. rei judic. Ægid. in proœm. Decret. ſup. Cloſſ. rubr. 9.*

8. Pro conſenſu eſt ſilentium *C. qui tacet de R. J. in 6 l. item 13. § qui impleto 11. ff. Locat.* & patientia cum ſcientia *l. 1. §. magiſtrum 5. ff de exercit. actionem. l. in rebus 4. §. item qui ff. de Precar.*

9. Non poteſt hoc fieri niſi confeſſione ſuibneplaciti, cum taliter qualificata ſatisfactio ſingularis affectus argumentum ſit, *§. fin. ibi Schneidewin. Inſt. de Action.*

10. Dedecorare eſt patri taliaſine affectu matrimonii filio in ædibus permittere ideo ut in honeſto parente non præſumitur, ita potius conſenſus colligitur.

11. Ex his ſolis probatis cum alias de conſenſu non conſtaret, parentis conſenſum aliquando collectum & ſufficientem in Conſiſtorio habitum obſervavi.

DECISIO VII.

Filio ex diſſenſu patris non competit contra votum connubiale exceptio.

PAtris quidem diſſenſus irrita atque nulla facit ſponſalia, (1) at ſi ipſe reſcindendũ agat, ſeu iſta à judice reſcindi petat, (2) ipſo non agente filius ex illo diſſenſu non poteſt opponere exceptionem nullitatis aut invaliditatis ſponſaliorum. (3) Foret quippe hoc cum pius & ut morigerus filius conſenſum requirere debuit, at neglexit, de ipſius improbitate (4) & cum allegatione propriæ turpitudinis, quæ non eſt audienda. (5) Eſt quoque de jure tertii quæ non proficit. (5) *In eadem cauſa.*

1. § *ſi adverſus Inſt. de nupt. l. 13. §. 6. in fin. ff. ad L. Jul. de Adult.*

2. Prævia cum cauſæ cognitione atque ſententia ob diſſenſum fieri debet reſciſſio, cum multa intervenire poſſint, quæ illo non attento ſinunt valida eſſe ſponſalia. *Beuſt. de Sponſal part. 1. cap. 22. & ſeqq.*

3. Notanda de hoc ſunt verba Cothmanni *in ſp. 10. n. 132. ſeq. vol. 1.*

4. Ex improbitate atque vitio ſuo nemini danda actio aut exceptio.

5. *l. ſi creditoribus 5. C. de ſerv. pig. dat.*

6. *l. loci 4. §. competit. 7. ib. Dd. ff. ſi ſervit. vind. l. ſi donationis 9. §. 1. ff. de condict. cauſ. dat.*

DECISIO VIII.

Etiam poſt ſententiam pro matrimonio latam licet actori deſiſtere à perſecutione & liberare adverſarium.

EXtra controverſiam eſt, quamdiu de matrimonii promiſſione lis & res dubia eſt actorem qui ad ejus obſervantiam con-

Digitized by Google

tendit ab actione desistere posse, (1) eoque facto utrique personæ omissa libera ideo & integrum esse ad alia vota transire. (2) Sed tantum ante sententiæ publicationem ejus licentia actori tribuere seu etiam post eam (3) nisi ista nondum aut actori cognita fuit, aut à reo legitimis remediis impugnata, (4) sic ut in rem judicatam non transierit. Quando vero nobis ea species occurrebat quod ab initio virgo nuptias sponsi sui non valde desiderabat per officium judicis autem tum ista ad observandum pacta adducebatur hic ut rogata mulcta cogebatur, ubi vero hic per hanc se permoveri non sinebat & illa tandem desistere volebat non attenta re judicata id ipsum permittendum esse statuimus. Est quippe hoc jus ex naturali libertate per quam pro se introductis renunciare liberum. (5) Multo magis vero non negandum si id faciendi accesserit ratio, (7) Quo non modo non sponte sed nec ad coactionem intentatam promissa servare volente haud ea servitus dira imponenda est l. onsæ, ut cum invito coeat juxtim invita pericula coacti matrimonii subeat. (8) Est quidem officii judicum non permittere, ut despõsati mutuo consensu per acta aut transactiones à votis nuptialipus discedant, (9) ideo etiam nolentes ad observantiam adigere, (10) attamen etiam hoc observare debet, ne & pars innocens dum cum inimico & irreconciliabili sponso invita conjungitur inde in graves calamitates detrudatur. (11) Refractarium cogere potest at non nisi volente altera parte. (12) Quæ si desistere quam invitum ducere malit, gaudebit rationabili nec injusta sua voluntate. Non obsistit Christi regula, quod Deus conjunxit, homo non separet, quam non plerique circa sponsalia quam matrimonium jam consummatum valere alibi inter decisiones nostras ostendimus. Et licet applicari posset, tamen exceptionem habet justæ causæ, ex qua repudio vel dissolutioni locus esse potest. (13) Cujusmodi quoque hæc reputanda, ut innocens pars non conjicienda sit in coacti matrimonii mala, (14) Præstat ad nullum cogi quam ad discors quod subire non tenetur. [15] Exceptio itaque rei allegantis actricem jam desistere nec velle nuptias consummatas, admissa est & decretum, alteram partem super ista audiendam esse *in causa Brandani Eggebrectens contra Annam Hagemeisters, die 20. Sept. Anno 1661.*

1. *Hoc explicat Carpz. in jurispr. consistor. per multas decisiones nempe defin. 32. 33. 34. 35. lib. 3.*

2. Id consequens est liberationi ab actione, quæ futura nulla aut inanis, si non ad alia vota ire integrum *Carpz. dict. part. defin. 36. n. 5 seq.*

3. Non licet mutuo consensu à pactis nuptialibus recedere, ubi illa extra controversiam sunt, nedum etiam post sententiam. *Beust. de sponsal. part. 1. cap. 58. Heig part. 2. quæst. 16. num. 4. seq. Arnisæ de jur. connub. c. 6. sect. 3. num. 14. seq.*

4. Paria sunt sententiam nondum esse publicatam, & postquam publicata fuit appellatione aut simili remedio esse suspensam *l. 1. §. ult. ff. ad Sc. Turpill. c. venientes X. de jurejur.*

5. l. pen C. de Pact.

6. Ex causa etiam hodie licent repudia, sicut varia illa in jure traditur & in consistoriis admittitur.

7. Hanc Apostolus justam causam asserit *in Epist. 1. ad Corinth. 7. v. 15.* Quod si infidelis discedit, discedat. Non est servituti ejusmodi subjectus frater vel soror.

8. In matrimoniis coactiones difficiles habent exitus *c. requisivit 17. X. de Sponsal.*

9. *Beust. d. tract. part. 1. cap. 29. Gail. 2. observ 94. num. 14.*

10. Ex officio judex ad consummationem desponsatos cogit ubi res liquida est, uti peculiari definitione in part. 6. ostensum.

11. Hanc ut justam rationem dissolvendi sponsalia consensus Theologorum & JCtorum approbavit *Gerhard. in loc. de conjugio §. 167. Cypr de sponsal. cap. 13. §. 82.* & jure Canonico sic constitutum in *cap. 2. & in c. requisivit de sponsalib.*

12. Hoc convenit Paulinæ regulæ *1. ad Corinth. 7. n. 15.*

13. Non disjungit homo quod Magistratus seu judex facit ex causa divinis legibus non contraria. Facit enim ut Dei vicarius.

14. *vid. quæ de hac scribit Schneidevv. ad Instit. in tit. de Nupt. part. 1. de requisit. nupt. n. 17.*

15. Notatu dignum est de hoc verbum *Apost. 1. Corinth. 7. v. 15.* ubi postquam ab infideli discessum permittit fideli, rationem addit, in pace vocavit vos Deus. Ex quo sic pie concludimus. Ad illud matrimonium, in quo pax non speranda, neminem esse cogendum.

TIT. V.

DE INCESTIS ET INUTILIbus Nuptiis.

DECISIO Unica.

De dispensatione circa gradus in matrimoniis prohibitos.

SI receptum est & usu quotidiano servatur, ut prohibito licet matrimonio, per superiorem tamen dispensatio seu relaxatio prohibitionis aliquando fiat, quæ est permissio concubii in gradu prohibito. Haud tamen illa promiscue fieri potest, sed decernendum est ex qua lege descendit prohibitio. Interdictum quippe est in aliquibus gradibus nuptiis lege divina eaque aut naturali aut voluntaria, in aliquibus tantum mere humana in aliquibus dubium, an ex divina an humana saltim descen-

Digitized by Google

cendat. In priori specie cum Deus & natura resistunt conjugio personarum plane improba est relaxatio, (1) cum nemo hominum à Deo potestatem acceperit relaxandæ divinæ prohibitionis. (2) Quare sicut summi terrarum Domini subsunt Deo & divinis legibus, ita per necessitatem obsequi non vacat licentia dispensandi, ut carent facultate transgrediendi. (3) At quæ mere humanis legibus prohibentur nuptiæ, ex humano imperio facta dispensatione permitti queunt; (4) ubi justi causa legis relaxationem indulgendi adest. (5) Quando certò non constat, qua lege sit prohibitio, divina, an humana, aut ubi non est certum, casum esse dispensabilem in dubio consulendum est conscientiis, & in dubitatione abstinendum ab eo, quod dubiam reddere potest conscientiam seu dispensantis, [6] seu eorum qui dispensationem impetrant. (7) Quod consideratum *ad preces pro dispensatione Marcus Barnitz, die 6. Aprilis. Anno* 1660.

1. Hæc vero & propriè est legis divinæ seu naturalis transgressio & violatio.

2. In divina nemini quicquam licet, nisi Deus vel potestatem fecerit vel a sua lege exemerit. Alias enim præcepta Divina sunt universalia nec minus Reges atque terrarum Domini observare tenentur, quam subditi. Imo ipsis injuncta est custodia & executio legum divinarum, ex qua arctius ad observantiam obligantur.

3. *vid. de hoc Carpzov. in jurispr. Consistorial. lib. 2. quæstio 109. per tot.* Quod sibi in contrarium arrogant Pontifices, aliqui etiam tribuunt Imperatori divinis non modo legibus, sed etiam contrarium est rationi, quæ Inferiori in legem Superioris nihil quicquam permittit.

4 Solutum est legibus summum Imperium *l. princeps ff de L. L.* & iisdem etiam alios solvere potest. Inde jus Principum dispensare de positivis legibus *Reincking. de Regim. Secul. & Eccles. lib. 1. Class. 2. 12. num. 47.* Quoad matrimonia, quæ per leges positivas tantum vetantur, ex usu dispensandi facultas extra controversiam est Quam approbavit constitutio Leonis 109. *in versu Atque hoc quidem* idque tam Theologi quam JCti justum censent. *Beust. de Sponsal. lib. 2. cap. 56.*

5. Sicut à legibus temere non est, recedendum, sic nec sine causa probabili prohibitionis earum relaxatio & dispensatio facienda est. Ad quam Superiores haud faciles esse debere per plures rationes *Carpzov. dict. tract. quæst. 124. demonstrat.*

6. Abstinendum est propter conscientiam ab iis de quibus dubites an justa sint, uti pulchre docet. *Grotius de jure Belli & Pac. lib. 2. capite 23. num. 2.*

7. His indulgere quod scrupulum injicit est conscientiæ laqueos ponere & à pietate alienum.

DECISIO II.

Dispensari nequit, ut quis ducat uxoris suæ ex sorore neptem.

DIspensatio quidem in tertio gradu consanguinitatis vel affinitatis inæquali regulariter locum habet. (1) At excipitur illa species, quando inter personas in illo gradu existentes respectus paternus atque filialis reperitur, (2) ob quem divino jure nuptias prohibitas esse non sine ratione creditur (3) ex qua dispensatio nulla indulgenda. Isto cum sit inter avia sororem ejusve maritum & ex uxoris sorore neptem pie justeque negata fuit dispensatio. [4] *In eadem causa.*

1. In hoc gradu jure divino aut naturali regulariter nuptiæ non sunt prohibitæ, sed tantum jure positivo, ideo dispensationi est locus, explicat *Carpzov. in jurisprud. Consistorial lib. 2. tit. 7. defin. 116. num. 1. seq.*

2. Ita etiam limitat *Carpzov. dict. defin. 116. num. 7.*

3. *Levit. 18. v. 12. seq. Gerhard. in loc. de conjug §. 285. Harprecht. in fratris 3. Inst de Nupt.*

4. Ita in terminis habet *Carpzov. dict. defin. 116. num. 7. seq.*

DECISIO III.

Sponsalia jam contracta non faciunt locum dispensationi in casibus divina lege prohibitis utut pœnam dispensati lubentes subire vellent.

QUando inter personas in gradu prohibito desponsatio jam dum est facta velut re non amplius plane integra facilius impetrantes faciunt dispensationem (1) ideo cum alias non nisi justa ex causa illa fiat, tunc etiam sine ea alia ac quod res non amplius integra sponsalia subsistere sinunt, (2) tantum factum contra legem severiori pœna coercent (3) ut tam desponsati violationem legis luant, quam alii exemplum imitari horreant. At non aliter ita obtinet, quam si lege positiva nuptiæ sunt prohibitæ. Haud porrigendum illud est ad prohibitionem divino jure factam, contra quam ut dispensationi locus non est, ita nec efficere potest, ut contracta sponsalia subsistant, (4) sed illa dissolvere, juxtim vero factum punire refert, tum ad auctoritatem divinæ legis tum ad conscientiam hanc violantium tum ad exemplum & scandalum evitandum, ut conclusum *in eadem causa.*

1. Necesse quidem illud non habent, nec ex contractu jam consummato justa causa est impetrantem adigendi, ut dispenset id, quod arbitrio illius relictum est, uti docet *Carpzov. in Iurispr. consistorial.*

Digitized by Google

l. 2. tit. 7. defin 127. attamen vota bene concordantia non libenter nec facile divellunt *juxt. l. 2. ff. de lib. exhibend.*

2. Facilius impeditur aliquid ne fiat, quam ut factum tollatur. Facta cum infecta facile non fiunt *l. in bello* 12. §. 2. *ff. de capt. & Postlim.* Præsertim circa vinculum matrimoniale, quod jura volunt esse indissolubile *l.* 1, *l.* 2. *ff. de Rit Nupt.* Multa ideo tenent facta, quæ à principio fieri prohibentur *l. patre* 8 *ibi Jason. ff. de his qui sunt sui vel al. l. circa* 24. *ff. de inoffic. Testament. l.* 1. §. *biduum* 5. *ff. quando appell.*

3. Ita praxis habet, quod contra leges sponsalia contrahentes pro qualitate circumstantiarum & facti mulcta, carcere, relegatione, puniantur. Scio etiam præter mulctam & carcerem iis injunctum, ut tollendi scandali causa à loco discedant & alibi habitare cogantur. Arbitrarium hoc est judici.

4. Quæ contra leges, pietatem, bonos mores fiunt, facta, minime valent, nec sustinentur *l. non dubium* 5. *C. de Legib.* Non est in potestate imperantis, contra legem divinam quicquam facere justum. Inutilis est dispensatio in talibus, quæ ab initio etsi facta nulla sunt, quæ nunquam convalescunt *l. quod ab initio ff. de R. J. Surd. consil.* 174. *n.* 12.

DECISIO IV.

Sponsa soror in uxorem ducitur sed non sine dispensatione impune.

CUm sponsus defunctæ sponsæ sororem ducit, incestum quidem committit nullum, (1) nec in legem divinam peccat, (2) attamen non ideo eam ducere liberum. Quæ in matrimoniis præcipue servanda conjunctionis honestas, (3) induxit, ut crederetur non tantum ab uxoris sed à sponsæ sorore abstinendum esse (4) cum hæc uxoris instar habeat (5) & non tantum in humano sed etiam divino jure pro uxore habetur (6) ejusque juribus fruitur. Visum præstantius, etsi prohibitio nulla reperitur, tamen quod & inter sponsum sponsamque denudatio vel carnale quid, ex quo incestus crimen præcedere potuerit, ejusmodi nuptias non permittere. (7) Si quæ personæ tales jungi velint dissuadere, dehortari, prohibere. Et in leges civiles ideo redacta est illa prohibitio. (8) Quod si vero se ab eo demoveri non sinent, per dispensationem potest fieri permissio, (9) modo tamen causa aliqua subsit quæ moveat. (10) Qualis in præsenti specie allegebatur cum sponsæ sorore rei familiaris melior dispositio tanquam quæ istam aliquamdiu in illius ædibus curaverat, & jam cum viro consueverat. (3) Tribuebatur huic dispensatio *ad preces Asinus Everden, die* 11. *Iulii Anno* 1660.

1. Inter sponsum & sponsam non est vera & perfecta affinitas sed tantum inchoata *c. non est dubium* 27. *quæst.* 2. nec denudatio illa quæ pudorem violat in quo est incestus.

2. Ex lege divina nulla est prohibitio matrimonii cum sponsæ sorore.

3. *l. semper in conjunctionibus* 40. *ff. de rit. nupt.*

4. Illa opinio de honestate inducit Theologos ut nolint admitti inter istos conjugium. *Gerhard. in loc. de conjug.* §. 362. *Brochm. de conj. capite* 4. *quæst.* 43.

5. Ita etiam desponsa censet Sacer Codex *Deuter.* 22. *var.* 24. *Hosæ.* 2. *var.* 13. *Matth.* 1. *v.* 20.

6. Ex ejus consideratione proficiscitur, ut quando conjugii licentia cum sponsæ sorore petitur juramentum de non facta commixtione vel denudatione aliqua defunctæ sponsæ exigatur.

7. Sunt de eo textus in jure civili, §. *si uxor Inst. de Nupt. l.* 8 *C. de incest & inutil. Nupt.*

8. Quia divino jure non sit prohibitio, sed tantum ex collectione alicujus honestatis sumitur, casus est dispensabilis, uti sic observant Evangelicarum Ecclesiarum Consistoria & in casu quidem alio qui plus dubii habet ubi quis defunctæ sponsæ matrem vel filiam ducere velit *vid. Carpz. in Jurispr. Consist. part.* 2. *defin.* 122.

9. Sine hac nunquam fieri debet dispensatio quæ legis est relaxatio semper servandæ, nisi justa ratio ab ea discedere sinit.

10. In dispensationibus præcipue consideratur quid rei domesticæ necessitas vel utilitas exigit. Ei Præprimis accommoda non difficulter conceduntur.

TIT. VI.

De interdicto matrimonio inter pupillam & tutorem seu curatorem filiosque eorum.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. VII.

Si quacunque præditis potestate vel ad eum pertinentes ad suppositam tam jurisdictioni suæ aspirare tentaverunt nuptias.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT VIII.

Si nuptiæ ex rescripto petuntur.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT.

Digitized by Google

TIT. IX.
DE SECUNDIS Nuptiis.

DECISIO Unica.

Secunda Vota consummare non est permittendus, qui nondum bona cum hæredibus prædefunctæ conjugis divisit, aut iis de debitis satisfecit.

POst Jus Lubecense (1) necessum dividendi incumbit viduis & viduatis ad secunda vota transituris, & per quam ea quæ debentur aut liberis aut cæteris hæredibus, ex prædefuncti conjugis bonis præstentur, antequam ista consummantur. Id quod Statutum Vismarienſe declaravit & pœnale effecit. (2) Ut verò liberi vel hæredes sibi debita consequantur, inter dictum est, antequam illud factum secundo nubere. (3) Binubos coercendi remedium solidum est, ut prohibeantur, antequam id factum, cum sacerdotali benedictione nuptias solenniter celebrare, aut secundum maritum vel uxorem in domum deducere. (3) Pro quo decerni solet tum inhibitio pœnalis ad parentes binubos de non consummando, donec hæredibus satisfactum, tum mandatum ad sacerdotes de non copulando. (4) Quando apud summum Tribunal rogabatur, hoc ad Ecclesiastas, tum etiam ad magistratum promotoriales, ut binubum coercerent, æqua juri atque consuetudini congrua habeatur petitio, (5) Ideo decretum ad magistratum mandatum de efficiendo, ut non consumentur vota nuptialia, antequam Statuto mos gestus esset. Juxtim verò ei relicta & commendata est apud Sacerdotes ea providentia, ut sistatur copulatio, (6) quia non sine aliqua causæ cognitione de eo statuendum videbatur, quæ ad magistratum civitatis pertinebat, (6) cui etiam circumstantiæ rei melius notæ sunt. *Ad supplicationem Ioachim Oldenburg & consortum contra Iürgen Maassen, die 24. Octobr. Anno 1654.*

1. *Artic. 2. 3. 5. & 12. lib. 2. tit. 2.*

2. *Uti habet artic. XXII.* Kein beerbter Wittwer oder Wittwe / soll sich wiederumb betreyhen / Er oder Sie habe dann zuvor den Kindern voriger Ehe / Vormündere erkohren / und denselben von deß verstorbenen Ehegatten Güter Erbsichtigung oder nach Stadt Gebrauch einen Außspruch gethan / bey Verlust deß Verstorbenen Güter / welche an dessel̃en Kinder alsbald verfallen seyn sollen. Es soll aber dem außsprechenden Vatter oder Mutter frey seyn / ein Kindes-Theil für sich zu behalten / wie Sie dann auch die Abnutzung der außgesprochenen Güter / biß zu der Kinder mündigen Jahren / die Sie hingegen zu alimentiren schuldig seynd / zu genieſſen haben sollen.

3. *Vid. Ius Lubecense lib. 2. tit. 2. artic. 29.*

4. *Uti hæc explicui plenius in Comment. ad Ius Lubecense dict. artic. 29. num. 23. & seq. tit. 2. lib. 2. præsertim in additionibus quæ nuper accesserunt.*

5. *Ita procedi solet in hac specie, uti per multa exempla mihi constat, & consuetudinem verè testari possum.*

6. Non est Jurisdictioni Ecclesiasticæ aut Consistorii consuetudinaria prohibitio ista nuptiarum pro promovendis justis, sed magistratui. seculari vacat, *uti scripsi in addit ad dict. artic. 29.* Qui tamen Clero sibi non subjecto non mandat aut interdicit, sed tantam intimat, atque intimationi locum in re non ad suum examen, sed magistratuum pertinente. locum relinquere debet. Cui deesse arrogantiæ, impietatis & erga magistratum insignis injuriæ foret.

7. Circumspectione aliqua eget interdictum nuptiarum, & de eo diversimodè juxta circumstantiarum diversitatem aliquando statuendum est. *Uti ostendunt quæ tradidi in dict. Comentar. ad artic. 29. in additionibus- Quo brevitatis studio lactor cupidus remissus esto.*

TIT. X
Si secundo nupserit mulier, cui maritus usumfructum reliquit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XI.
DE DOTIS PROMISSIONE & nuda vel pollicitatione.

DECISIO I.

Lucrum dotis die Besserung / *nisi dote constituta non debetur.*

EX privilegiis Nobilium in Pomeraniæ uxori debetur lucrum, quod vocatur augmentum dotis die Verbesserung / & est dimidium tanti, quantum in dotem datum fuit. (1) Sicut autem accessio sine principali non consistit, (1) ita nisi dote constituta lucrum velut ejus accessorium, (3) non debetur. (4) Quocirca dotis augmentum seu lucrum petens; prius dotis constitutionem docere debet. (5) Ita judicatuum *in causa Viduæ Siegfried Dechowven, contra ejusdem Creditores, die 17. Ianuarii Anno 1657.*

1. De jure communi ignoratur hæc lucri species. Ex moribus autem venit. Ut juxta illos etiam ex feudis una cum dote per successores feudi vel dominum, cum ipsi aperitur, accipiatur, privilegio cautum fuit. Ex quo ita hodiernum observatur.

2. *l. cum principalis ff. de Reg. Iur.*

3. Est velut portio dotis, *l. etiamsi 8. C. de Iur. dot.* & additamentum. *l. inter socerum 26. §. 2. ff. de Pact. dotal.*

4. *Ita in terminis tradit & in judicatum refert Anton. Faber in Cod. l. 5. tit. 1. defin. 7.*

5. *Fab. in Cod. d. tit. 1. defin. 4. in pr.* si nulla profertru

Digitized by Google

fertur dotis constitutio, uti nulla dos est, ita nec dotis augmentum, quæ sunt correlativa.

DECISIO II.

Lucrum dotis prærequirit dotem solutam aut pro soluta habitam esse.

CUm lucrum uxori simpliciter in defloratione seu virginitatis concreditæ præmium debetur, peti potest etiam dote nec promissâ nec solutâ. (1) Ubi autem lex ita illud introduxit & disposuit, ut sine intuitu defloratæ virginitatis ex comparatione dotis præstetur, oportet non promissam solum dotem fuisse, sed etiam solutam seu pro solutâ habitam, (2) quia hujus retributio est, ejusque respectu & comparatione porrigitur. (3) Tale esse illud, quod ex Constitutione vel Consuetudine Pomeraniæ debetur, credimus, utpote quod sine dote non competit, & sequitur quantitatem dotis, (4) quæ cum effectu accipienda est, (5) ut pro data habeatur. Promissa tantum dos effectivè pro dote non reputanda est, quia data nondum fuit, ideo ad lucrum pariendum non sufficit. (6) Sic judicatum *in eadem causa.*

1. *Guid. Papæ decis. 565. Faber in Cod. l. 5. tit. 7. defin. 7.*

2. Hæc juris rationi convenire, si secus fiat ex consuetudine potius quam jure proficisci, *ait Boer. quæst. 22. num. 38.*

3. *Chassan. ad Consuet. Burgund. part. 4. §. 7. gloss. 1. num. 3.*

4. Certa, nempe dimidia, pars dotis pro lucro est, ubi illa nulla, nec dimidia ejus peti poterit.

5. In iis quæ ex jure veniunt, verba non aliter accipienda sunt, atque ut effective quod sonant, habeatur, *l. 1. §. 2. ff. quod quisque jur.*

6. Dotem quidem facit sola constitutio, etsi datio non intervenerit, *l. cum post 43. §. sed is à quo ff. de administr. tut. l. Iulianus 20. l. seq. l. licet 43. l. seq. l. nuptura 57. ff. de jur. dot.* at saltem qua debitum & petendi facultatem, secus est quoad effectum. Nam sicut hunc non præstat qua maritum ac quæ accepta, quia oneribus matrimonii sufferendis quibus destinatur, nil præstat, ita nec qua uxorem ut pro ea lata lucrum constitutum capiat. *Auth. Dos data sub fin. C. de donat. aut. nupt. Hartm. Pistor. part. 1. quæst. 5.*

DECISIO III.

Usura pro dote soluta non facit hanc pro data haberi, nisi maritus simul fidem promissoris secutus est.

QUando maritus à socero dotis promissæ usuram accepit, an inde pro data habeatur, & ille lucri dotalis debitor fiat. (1) Discernere oportet, utrum usura sit recepta ex necessitate ob moram, quia promissioni de dote non satisfit; an ex voluntate ob prævium pactum expressum vel tacitum, quia maritus debitorem quam datorem maluerit. (2) Illa non est argumentum habitæ fidei, nec efficit haberi pro soluta dotem, sed sinit omnia in terminis promissionis consistere. (3) Inde nec maritus ejusve hæres lucrum dotis debet. (4) Secus verò erit, pum dotem à socero non petit, sed usuras quotannis capere maluit. Ex hoc fidem habitam, ideo dotem pro soluta habendam esse colligimus, (5) In dubio autem non à volente dotem penes socerum relictam, sed hunc in mora & ob hanc usura recepta creditur. (6) maximè si maritus ob æs alienum dote eguit, aut socer inops & solutionis mediis destitutus fuit. Quocirca viduæ lucrum dotis petenti incumbit probatio pro usuris sponte creditæ aut relictæ à marito pecuniæ. (7) Sic judicatum *in eadem causa.*

1. Sequitur dotem datam lucrum ejus, tanquam accessorium ejus & additamentum, *l. si socero 26. §. 2. ib. gloss. ff. de Pact. dotal.*

2. Sic qua usuræ acceptionem, an inde electæ fidei argumentum oriatur, distinguit Ctus *in l. 1. §. illud sciendum. 10. ff. de separat. verb. si usuras ab aliquo ea mente quasi eum eligendo acceperant.*

3. Cum fides non habetur, nihil ex priori debito immutatur, nec traditio facta intelligitur, *§. tradite. ib. Heig. & alii Inst. de Rer. divis.*

4. Mora cuique sua non alteri nocere debet.

5. Dos de qua fides habita est, pro soluta habetur, *arg. l. quod vendidi 9. ff. de Contrah. empt. Guid. Pap. decis. 565.*

6. Præsumitur quemque dotem maluisse ad se recipere & in usus convertere, quam penes promissorem relinquere.

7. Tum quia non præsumitur dotis illatio ad effectum capiendi lucri, sed probanda est. *Carpzov. in Iurisprud. forens. part. 2. Constit. 44. defin. 10. n. 1.* Tum quia fundamentum intentionis est, quia petentem lucrum, quod probari oportet ab allegante, *l. 2. ff. de probat.*

Juxta hæc judicatum ita.

In Sachen Julius Paul Schmatzhagen und Consorten Imploranten / wider Catharinen Riben / Siebert Dechowen Wittwe / itzt Otto Schelen Haußfrau / Implorantinnen / in punctio lucri dotis, wird nach Beschluß der Acten vor Recht erkant / daß Imploranten wider die den 16. Decembr. Anno 1651. publicirte Urtel so weit in integrum zu restituiren und zu erkennen sey / deß demeldte Wittwe noch zur Zeit zu der geforderten Verbesserung erkanter Massen nicht zu erstatten / sondern da sie bey dessen Forderung beharren wolte / zuvorhero so wol die Constitutionem deß angegebenen dotis, als auch daß ihr Ehemann Sivert Dechow solch Ehe-Geld bey ihrem Vatter Zinß tragend gemachet / zu beweisen schuldig / inmassen dann Imploranten dahin restringiret / solcher Beybringung vorhero nöthig erkannt / und ihr demnach zwischen diesem und nächsten Gerichts-Tag den Beweiß zu führen aufferleget wird / darauff ergehet ferner was sich gebühret von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißwar den 19. Januari Anno 1657.

(Hoc

Digitized by Google

(Hoc est)

In causa Julii Pauli Schmatzhagen & consortum implorantium contra Catharinam Rieben, Siverti Dechowen viduam nunc Ottonis Schelen uxorem imploratam in puncto lucri dotis post conclusionem actorum de jure pronunciamus, implorantes contra 16. Decembris Anno 1651. publicatam sententiam eatenus in integrum restituendos & decernendum esse, quod dicta vidua necdum ad petitum augmentum sit admittenda, verum si illius petitioni vellet inhærere, prævie tam constitutionem prætensæ dotis, quam quod ejus maritus Sivertus Dechow ejusmodi pecuniam dotalem apud illius patrem fecerit censualem, probare teneatur quare implorantem eo restringimus, talem probationem prævie necessariam pronunciamus, inque eum finem ipsi inter hanc & proximam juridicam probationem injungimus, quo prævio fiet alterius quod juris. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 19. Ianuarii Anno 1657.

DECISIO IV.

Dos ex bonis paternis & maternis simul promissa per matrem & fratrem non debetur ultra quam pro dimidia parte è maternis & licet paterna planè deficiant, maternis ultra illam nihil incumbit.

MAter cum filio, filiæ dotem 1800. Imperialium promiserat, at ità, quod ex bonis paternis maternisque simul præstari & utrique successioni à filia renunciatum esse deberet. Eminuit deinde æs grave alienum paternum superans vires bonorum, ideoque cum dos sit post omnia credita nihil ex paternis posse accipi. Mortua deinde matre & integram dotem à fratre, deinde ejus vidua soror ex tenore pactorum dotalium exigit. Iste mutatum bonorum statum, & ex paternis nihil residuum, ex maternis non tantùm pro parte filiæ existere obtendit, inde in lite, utrumne integræ dotis petitio justa, ideò adjudicatio necessaria? Siquidem frater ut hæres patris se debitorem constituisset, non posset obvenire pactis. At non nisi ut tutor pacta dotalia una cum matre iniit, ideo quando constat ex paternis nihil supereſſe, hoc tantùm in quæstionem venit, utrumne ex maternis totum dependendum? Quod ex eo decernendum, utrum mater sic promittens in solidum de suis obligatur, ubi paterna deficiunt? Sic enim non ultra partem obligatur, nec etiam filius qui cum ipsa dotem promisit, ejusque vidua maternorum nomine ultra tenetur. (1) Ità verò statuimus, si mater ex suis & maternis bonis dotem promittit, etsi hæc solvendo non sint, tamen non ultra quam pro dimidia parte teneri. De patre quidem ita constitutum est, quod dotem vel una cum matre constituens vel solus, vel ex suis & uxoris bonis promittens totam ex suis præstare tenetur, nec ratio habetur bonorum maternorum. (2) At in matre secus est. Si enim unà cum filio, filiæ dotem constituerit, non aliter ac correa solvendi habetur & pro parte tenetur: (3) Si sola aut cum alio, sed ex bonis simul paternis & maternis, utique non ex solis aut paternis aut maternis, sed utriusque debetur. (4) Diversitatis ratio manifesta est, quod patris officium est liberos dotare, (5) non ità matris, nisi ex magna causa. (6) Quare pater tenetur in solidum ex lege etsi nihil promiserit, & ubi mater præstare nolit vel non possit, ille nihilominus tenetur. Non ità mater, cujus voluntas in illa promissione dotis inspicitur, quæ non habetur in tali, quæ accidit, specie alia quam quæ fuit voluntas, satis in ista constitutione perspicua, quod non ex suis solum, sed simul paternis velit dotem dari. Etsi verò bona paterna nulla supersint propter æs alienum, (7) haud tamen ultra dimidium matet tenetur, quæ ulterius se non obligavit. (8) Siquidem mater post obitum mariti simpliciter dotem filiæ promisit, tenetur ista in solidum. Intercessisse quippe intelligitur pro dote, (9) & fidejussorio nomine obligatur ad omne quod promisit. (10) At longe secus est ubi semet personali obligatione in solidum non obstrinxit, sed cum alio (11) ut & si bona paterna & materna simul objectum causamque debiti fecit. (12) Concluſum itaque est matrem ideo post mortem ejus ultra dimidiam partem non fuisse obligatam, die 2. April. Anno 1669.

1. Hæres cum defuncto una persona est nec aliter tenetur quam defunctus obligatur.

2. *l. fin. C. de dot. promiss.*

3. *Arg. l. reos 12. §. cum tabulis ff. de duob. reis* ita de hoc casu statuit, *Faber in Cod. l. 5. tit. 6. def. 1.*

4. Uti hunc casum in terminis decidit, *Fab. d. tit. 6. def. 10.*

5. *l. capite 19. ff. de rit. nupt.*

6. *l. neque mater 14. C. de jur. dot.*

7. Non intelliguntur bona nisi deducto ære alieno *l. subsignatum 49. §. 1. ff. de V. S.*

8. Actio ut filia sequitur obligationem ut matrem. Quousque hæc obstringit eo usque illa exigit.

9. *Fab. in d. tit. 6. def. num. 6.*

10. Mulier intercedens pro dote non juvetur *SC. Vellej. l. si dotare 12. l. ult. C. ad SC. Vellej.* sicut nec Auth. si qua mulier C. eod. uti extendit *Faber d. tit. 6. def. 8. num. 4.*

11. Inter plures ut correos dividitur obligatio *l. fin. C. de duob. reis.*

12. Non

Digitized by Google

12. Non ultra intentionem voluntatemque promittentis vim effectumque habere potest obligatio.

DECISIO V.

De dote filiarum ubi per eam à parentum bonis separantur definienda.

QUando constitutio Ducatus Bremensis bona avita filiis addicit, dotem tantum filiabus, & de hac ita statuit, **daß einer jeglichen Schwester ein zimlich Ehe-Geld oder Mit-Gifft zusambt Kleider/Kleinodien und dergleichen Gezierde nach ihrem Stande und Vermögenheit der Güter gegeben werde.** Quid pro congrua dote **oder zimlich Ehe-Geld** habendum non exprimitur. Si itaque de eo controversia incidit ex judicis arbitrio super eo petendum & exspectandum est moderamen. (1) Non vero lex illud relinquit plane liberum & indefinitum, sed certas regulas exhibet, quas sequatur. Primo indicat hoc attendendum esse ut bona avita familiæ conserventur, pro quo fine masculis addicuntur bona, cui consectarium est, ut circa definitionem dotis præcaveatur, ne per illam immodicam aut nimis gravem filii cogantur ista bona relinquere aut nimium onerare. (2) Secundo dum divisionem non permittit, manifestum reddit, quod dotem portioni hæreditariæ, si ab omni prole promiscue succederetur, non velit æquam alias non, uti mens est legis, masculæ proli beno prospectum, sed male catum esset, quæ cogeretur fœminis pecuniam paratam solvere ea de causa, ut plerumque fit, bona avita magno ære alieno onerare, vicissim tantundem in bonis non haberet. (3) Tertio ratio habenda conditionis tum ejus quæ nubit, quam ejus cui jungitur, sicut etiam hoc per jura communia incongruæ dotis definitione desideratur. (4) Tandem juxta vires bonorum dotis quantitas assignanda est. (5) Sunt bona deducto ære alieno demum computanda, ideo & circa definitionem quantitatis in dote prius, quod ex bonis debetur detrahendum: sub quo non modo æs alienum continetur, sed etiam ratio habenda est onerum realium quæ fundis seu rebus ordinarie vel extraordinarie penduntur quorum in numero sunt servitia militaria **die Roßdienste**/ decimæ Ecclesiis earumque Pastoribus & ministris aliis annuatim præstandæ, & similia. Et quando filii qui bona retinent omnibus debitis obnoxii sunt, fœminæ dotem ab omni onere & periculo liberam capiunt, istis non eo modo considerandæ sunt quæ certa, sed & quorum causa successores periclitabuntur, seu sub lite, cujus eventus dubius, & jam versentur, sive actio metuenda sit. Deinde circa bona potissimum ratio habenda est utilitatis seu fructuũ qui existis haberi queunt. Et quidem eorum tantum qui certum & talem reditum præstant, quem sine difficultate, sumptu magno & controversia possessor habere possit. Æquum etiam est ut alia quæ bonis evenire queunt non posthabeantur: quibus consequens, quod non tanta dos esse debeat, quanta filiarum in divisione portio futura est, sed ex æquo & bono ita statui, ut filiæ conditione nuptiarum condigna potiri queant, filii non nimium graventur. In contentione super definienda dote quæ inter fratrem & sororem erat acerrima, hæc omnia consideravimus, & cum soror minutissima quæque vellet in computum bonorum vocari ad eum tanto auctiorem habendum, frater autem præter onera varia certa, & metuenda modicam multarum rerum utilitatem sumptum graviorem, sua pericula & incommoda ostenderet medie curandum putavimus *in causa Ludervverſabe contra Giertrad Magdalenen von Werſabe uxorem Obriſt Anrippen, die 26. Martii, Anno 1669.*

1. *Mantica de tac. & amb. convent. lib. 14. tit. 30. num. 26.*

2. Conservatio familiarum multum expedit reipubl. ideo ejus promovendæ studium omnibus incumbit.

3. Ita succurrendum filiabus, ne filii ad egestatem deveniant.

4. *l. cum post. §. gener. verb ex dignit. mulieris l. quæro verb. ex dignitate mariti ff. de jur. dot. vid. à me scripta in comment. jur. Lub. lib. 2. tit. 2. artic. 36. num. 27. seq.*

5. *d. l. cum post §. gener. verb. pro modo facultatum ff. de jur. dot. l. si filiæ verb. ex facultatibus ff. de Legat. 3.*

DECISIO VI.

Circa dotem sorori à fratre constituendam quomodo bonorum facienda est æstimatio.

INter regulas constituendæ dotis filiæ post mortem patris ponitur quantitas bonorum circa eam præprimis considerandæ. Illa vero ex precio bonorum definienda, precium ex æstimatione. Quomodo hæc facienda sit cum dotis constitutio fit, in dubitationem incidit, quod in alia specie quãdo agnatus filiæ vel sorori defuncti agnati aut dotem aut precium bonorum præstare debet, certus æstimandi modus constitutus est, juxta quem reditus omnibus, & ex iis sex pro centum computatis sors colligitur, quæ precii loco sit. (1) Alias vero in cõcursibus creditorum alius æstimandi modus obsservatur, computatione in reditibus certis non sex, sed qnatuor pro centum

ad

Digitized by Google

ad conficiendam sortem & ex ea precium facienda, inde quæstio quemæstimandi modum sequi conveniat cum utriusque magna differentia apparebat, nec pro utroque ratio deerat. Utut vero initio videbatur priorem æstimandi modum de una specie constitutum ad aliam non extendendum esse, sed observandum quod circa æstimationem communiter obtinet atque servatur, tamen circumstantiis omnibus accuratius expensis itum est in illam sententiam, quod qui circa agnatos constitutus est modus etiam in filiis observandus sit, tum quod hi illis deterioris conditionis esse non debeant, tum quod statutum gravius filios quam agnatos onerare voluisse verisimile non sit, tum quod nimis inæqualis futura sit liberorum conditio, si quod retinent filii, ipsis tantum fructum annuum, præterea adhuc incertum & multis casibus subjectum ultra quatuor ferre non posset, soror acciperet quod in usuris sex pro centum huic afferret, tum quod valde iniqua fratribus conditio inferretur, quod & si ipsis non esset pecunia, quam solverent, non levioribus usuris mutua sumenda esset, & pro ea bona minus fructuosa retinerent, aut si esset, ea filius exponenda quam recipitur & apud alios fructuum ferre posset, tum quod juxta rationem juris equestris, quod valde studet familiarum conservationi, ideo semper filiis & agnatis favet his consulere convenit ne nimium oneretur; tum quod in uno casu lex prospiciens ubi minor consulendi ratio, in altero, ubi potior, prospexisse creditur, & quod constitutum ex rationis similitudine, nedum majoritate extendendum; tum quod ex praxi major ille favor apparuit. (2) Hoc in judicando secuti sumus *inter eosdem.*

1. De eo videatur constitutio juris equestris in Ducatu Bremensi *tit. 2. §. 3.*

2. Per multa exempla in actis allegata & alias cognita scimus in Ducatu Bremensi plerumque circa constitutiones dotium, quæ ex bonis avitiis fiunt filiabus, sic procedi ut filiis dimidia pars bonorum servata sit, nec ultra illam per istam gravati fuerint, ideo raro iis ultra dimidium ejus quod inæquali divisione potioris futurum cessisse.

TIT. XII.

DE JURE DOTIUM.

DECISIO Unica.

Quomodo mulier de dote & illatis contra mariti creditores secura reddi potest.

CUm maritus creditorum petitionibus frequentibus impeteretur, uxor de securitate dotis suæ atque illatorum cogitavit, & ut eâ potiretur, libellum supplicem judici porrexit, ut citatis mariti creditoribus de veritate & jure suæ liquidationis cognosceret & statueret, inde è bonis mariti tantum atque sibi ad alimenta atque securitatem sufficit, adjudicaret. Congruum nec à jure alienum visum fuit hoc remedium uxoribus consulendi. Impetravit ideò citationem in termino præfixo, ex bonis mariti debitâ fecit maxima ex parte liquida: creditorum aliqui comparuerunt & aliqua objecerunt, super iis sententiam illa postulavit & obtinuit. At præter ea quæ de liquidatione & debitis pronunciata fuerunt, injunctum quoque, ut citatis iterum creditoribus inter hos velut cessione bonorum factâ liquidationis & prioritatis processus perficeretur. Hoc verò se gravatam putavit mulier, atque appellavit eò causam suæ dotis atque illatorum deduci nolens. Nec defuit querendi ratio. Primò enim alienum hoc est ab illo processu quem mulier intendit, quæ tantum sua illata voluit reddi secura, cujus causa concursus creditorum in quo & de horum creditis statuatur & pronuncietur non est necessarius. (1) Deindè nec juri isti convenit quod à bonis mariti concedit tantæ partis separationem, quæ mulieri sufficit, cui non expedit ut omnium creditorum causa simul agatur. (2) Tertiò cum magno incommodo conjunctum est ut mulier cogatur finem litis inter omnes creditores exspectare. (3) Quartò creditoribus quoque noxium, ubi separatio aliquorum bonorum fieri potest communi cum ipsa concursu involvi. (4) Tandem nec hoc ad uxorem quæ sua tantum persequitur pertinet, ut illa concursum ultra excitet, quam ut super illa liquidatione & petitione creditores audiantur. Quod ultra est, marito vel creditoribus incumbit, quorum causam ipsi injungere non decet. Et licet postquam illa liquidatione suorum defuncta est res ad concursum porrò deveniret, non eo minus tamen separatim ipsi quantum satis ex bonis mariti pro suis illatis concedendum est. Quæ sic considerata sunt *in causa uxoris Georg Platen contra Mariti creditores, die 7. Februarii Anno 1657.*

1. *De quo vide scripta apud Gail. lib. 2. Observ. 84. n. 5. seq. & Observ. 92. n. 13.*

2. Hæc planè diversa nec confundenda sunt, peti à muliere vergente ad inopiam marito securitatem dotis atque illatorum, & omnibus creditoribus cedi mariti bona, eaque inter istos constituto prioritatis ordine distribui. Illud uxorem tantum concernit. Hos omnes creditores. De illo judicium datur in invitum *l. inter 83. §. 1. ff. de Verb. obligat.* Hoc verò marito obtrudi nequit, quia cessio beneficium est, *l. fin. C. qui bon. ced.* quod invito non obtruditur, nec creditoribus, quia agere non compelluntur, *l. un. C. ut nem. invit. ager.*

Digitized by Google

3. Litium multiplicatio est odiosa nec permittenda *Jason in l. 1. C. de Judic.*

4. Cui cum uno res est, in plures adversarios non distringitur, *l. 2 ff. de Exercit. action.*

5. Separatio tantæ partis quæ securitati mulierum sufficit, multo commodior est creditoribus quibus cætera bona integra & non impedita manent. In quibus omnibus alias, si res ad universalem concursum venit, jure retentionis manet uxor, & creditoribus libertatem disponendi præpedit.

DECISIO II.

Et dote primæ filiæ sequentes, quâ dotis quantitatem fundatam habent intentionem.

CUm pater unam vel alteram filiam datâ certâ dote nuptum elocavit cæterarum filiarum in petitione dotium, ad similem quantitatem fundata est intentio, tam contra ipsummet parentem, (1) quam post ejus fata contra hæredes; (2) tum quod ea voluntas patris bona & certa præsumitur, quam sequi decet, (3) quia vires bonorum servisse & bene expendisse creditur, tum quia æqualitatis favor & debitum sic exigit: (4) tum quia à patre semel placitum, postea impugnari iniquum. (5) Si quis itaque aliud quam in prioribus placuit, in sequentibus observatum velit, illum 6) justam urgentemque causam mutationis docere, atque super ea discussa judicis arbitrium exspectare convenit, (7) alias judex sequitur prius placitum (8) Uti factum *in causa filiarum Vincentii Blüchers, contra Hans Blüchern*, ita tamen successori feudali ea quantitate dotis quam pater filiæ uni constituerat injuncta, ut relinqueretur aliam æquitatem deducendi facultas; die 18. Aprilis Anno 1654.

1. Semel placitis parentis acquiescere oportet, *l. 1. C. de Advoc. fisc.*

2. Hæredes voluntatem defuncti præprimis intueri & sequi decet, *l. postulante 44. ff. ad SC. Trebell.*

3. Paterni nominis pietas optimum pro liberis consilium capit, *l. nec in ea 22. §. fin. ad L. Jul. de Adult.* Ideo tam Judex *l. filii 16. C. famil. ercisc.* quam tutor & alius quisquis in his, quæ liberos concernunt, patris voluntatem sequi debet *l. si furioso 16. §. 1. ff. de Curator furios.*

4. Cum inter omnes, qui ejusdem conditionis sunt, æqualitas servari debeat, *l. ex quo 12. §. hos quidem 7. C. de Ædif. Privat. Novell. 2. cap. 5.* tum præsertim liberos decet una eademque lance trutinari, ut nec prior nec junior nullo habeatur discrimine, sed ex iisdem matrimoniis procreati simili perfruantur fortunâ *l. cum quis 10. C. de Natur. lib.*

5. Contra placitum venienti opponitur non inutiliter exceptio semel placiti, *l. pupilli 96. §. cum soror. 2. ff. de solut.*

6. Ex mutato bonorum statu aliud & dispar jus servatur in dotatione *vid. Carpz. in Jurisprud. Forens. part. 2. const. 46. def. 19. n. 3. d. l. pupilli §. cum soror 2. ff. de solut.*

7. *d. l. filii 16. C. famil. ercisc.*

8. Possunt causæ accidere, cur posterioribus filiabus non tanta ac priori constitui queat vel debeat, *uti alibi inter decisiones nostras monstratur.*

DECISIO III.

Ad dotis non solutæ probationem non proficit debere adhuc eum qui promisit.

LIberis prioris matrimonii dotem illatam repetentibus objiciebatur non solutæ exceptio ejusque hæc probatio, quod qui solvere debuit, debitor adhuc & de residuo conventus esset. Quando autem non in nuda apocha, sed in instrumento à partibus subscripto, & à Principe confirmato, die Wiederkehrungs Vorbeschreibung / uti vulgo vocamus, continebatur acceptæ dotis confessio, & juxta promissi lucri Statutarii der Besserung assecuratio, nihil illa exceptio proficere potuit; (1) quia maritus dotem pro solutâ habuit, & relinquendo apud debitorem in creditum convertisse censetur. (2) Pro soluta etiam illa dos est, quæ manet voluntate mariti apud debitorem, (3) nec ut dos, sed ut creditum relictum censetur. (4) Quod sponte relinquendo brevi manu in creditum convertitur. (5) Sic judicatum *inter liberos primi & secundi matrimonii Ernst Lepels, die 24. Junii Anno 1654.*

1. Tale instrumentum dotis solutæ probatio firmissima ex moribus Pomeraniæ habetur, nec illo exhibito dotis non numeratæ exceptio admittitur.

2. Satisfactio pro solutione est, *l. 52. ff. de Solut.*

3. Transfusio debiti in aliam obligationem liberationis vim habet, *l. 1. ff. de Novat.*

4. *Ind. Fabr. in C. lib. 5. tit. 7. defin. 5.*

5. *Arg. l. cer 15. per & ei ff. de reb. cred.*

DECISIO IV.

Illata dos est, quæ per compensationem præstatur, & quomodo.

A Sententia, quæ injungebat dotis maternæ ad maritum illationem, appellabatur ideo, quod compensatio rejecta esset, per quam pro dote promissum jam præstitum dicebatur. (1) Non interest, utrum maritus dotem acceperit, an cum eo, quod dotis debitori debuit, compensatum voluit. (2) Licet ita compensare marito pro dote quæ ipsi debetur invito etiam dotis debitore. (3) At quo compensatio talis solutionis effectu potiatur; oportet à marito vivo compensandi animum esse declaratum. (4) Quo non facto, post obitum non proficit mulieri ea declaratio, sicut nec ab ea fieri potest contra creditorem mariti ex sua dote compensatio. (5) Præsertim verò in præjudicium creditorum non erit ille locus, cum qui-

Digitized by Google

quibus res ad concursum devenerant. Quia vero allegabat, marito vivo compensatum esse, audita est appellans & ad probandum admissa. *In causa Iochim Petersen Wietvven, contra Obrist. L. Adam von Horn und die Zannische creditores, die 17. Iunii Anno 1656.*

1. Compensatio pro solutione est, *l. si ambo* 10. *ff. de Compens. l. 4. C. eod.*

2. *Iuxta rationem l. 3. ff eod.*

3. Non obsistit his regula ejus, quod non debetur illi, qui convenitur, sed alii compensationem fieri nullam posse, *l. quicunque 14. ff. dict. tit.* Nam dos etsi pro uxore datur, vel ejus causa promittitur, marito tamen debetur. Illa quidem naturaliter domina est, hic tamen & civili ratione pro domino habetur. *l. in rebus* 30 *C. de Jur. dot.* Est huic de ista actio, ideò etiam compensatio. Qui potest petere, ille non prohibetur compensare. Est compensatio petitio, *l. amplius* 15. *rem. rat. haber.*

4. Etsi compensatio ipso jure fit, declaratione tamen animi indiget. nec prius solutionis vi potitur. *Vid. Fab. in Cod. lib. 4. tit. 23. defin. 5.*

5. *Hæc species pertinet ad d. l. quæcunque 14. h. tit.*

DECISIO V.

Lucrum dotis non tantum cum maritus decedit, sed & si bonis cedit, uxori debetur & quomodo.

EX privilegiis Nobilium Pomeraniæ ut & constitutionibus moribusque Provincialibus uxores lucrum dotis ex maritorum bonis capiunt, dimidiam nempe partem ejus quantitatis, quam pro dote attulerant? (1) inde inter pacta dotalia simul de eo convenire solet. Concipiuntur autem hæc, quemadmodum & illa sonare videntur, de causa mortis mariti. Unde in disceptationem venit, si maritus vivus facultatibus lapsus ad cessionem bonorum deveniat, utrum perinde uxori lucrum dotis debeatur inter creditores? Videri quidem ab initio potuit in unam causam datum ad aliam non esse extendendum, præsertim cum ex privilegio & consuetudine, quæ stricti juris sunt & strictissime accipienda, res illa descendat. Præterea illa lucra dotium sint odiosa, præsertim ubi cum creditoribus contenditur, qui de damno vitando certant, idcirco antehabendi de lucro vitando certantibus. At re rectius perpensa existimatum fuit, non minus depauperato & bonis cedente marito, quam eo mortuo, lucrum illud perinde ut dotem deberi. Est enim hoc beneficium quoddam singulare uxoribus nobilium datum. (2) Cujus solutio etsi in casum mortis suspensa est, debitum tamen non est morti velut causæ aut conditioni illigatum, sed statim debetur, tantum ante mortem non præstatur. (3) Propter mortem itaque non competens non potest ob illam non secutam credi sublatum. Deinde miserabilis casus depauperationis non est modus tollendi illud debitum, (4) sed potius causa petendi, quo uxor post obitum mariti de eo secura fiat. Eoque magis instar alterius ejusque debiti in concursu peti potest, si & pactis dotalibus idem promissum fuerit. Ea est ejus debiti ratio, qualis alterius cujusque quod in diem certum debetur, cujus in concursu creditorum petitio admittitur. Ratio illius beneficii seu lucri in hunc casum æque congruit. Cum enim nobiles Pomeraniæ olim bona sua allodialia Principibus in feudum obtulissent, id vicissim reservatum & ab iis indultum, ut ex feudo non dotes modo sed & earum ista lucra uxores recipiant, adeoque habeant, unde mariti causa gaudeant, sicque id censetur ut debitum aliud. non ut merum lucrum, ideo una cum dote eodem privilegio & jure gaudet istique æquiparatur. (5) Nec facile ratio diversitatis reperietur, cur mortuo marito cum dote ante alios creditores viduæ adjudicetur, non autem ubi vivus bonis cedit, (6) quem utrumque casum jura comparant. (7) Ex textu privilegiorum vel constitutionum non reperietur argumentum contrarium, quarum aliquæ indefinite nihilque de casu mortis loquuntur, quæ hujus mentionem faciunt, isti debitum non adstringunt, sed ut de uno eoque plurimum eveniente casu loquuntur. (8) sicque creditum dudum in Pomerania, ut constat ex iis quæ sunt decisa & observata. (9) A quibus sine urgentibus rationibus non est recedendum. Haud vero uxori adjudicatur lucrum, ut statim capiat, sed saltem ut ex bonis mariti separetur & sequestretur, quod ad illud sufficiat, (10) ejus fructu interim relicto creditoribus (11) quibus & remanet ea portio, si uxor ante maritum morietur. (12) Præmortuo autem marito inde vidua istud demum recipit. Sicuti judicatum est *ad petitionem uxoris Claus Horns contra creditores ejusdem, die 25. Martii Anno 1659.*

1. Lucrum hoc accessio dotis est, ejusque additamentum & augmentum vocatur, eodemque jure gaudet, quo dos *l. etiam 8. C. de Iur. dot.*

2. Est legis non hominis beneficium, ideo nec hominis aliquo facto potest auferri vel imminui.

3. Quæ non ex causa mortis dantur, sed tantum in casum mortis, causam autem habent aliam sine respectu mortis finali, subsistunt etiam citra ejus considerationem.

4. Nec lex nec consuetudo provinciæ hoc introduxit,

Digitized by Google

duxit, ut ubi mariti debitores ad inopiam devergunt, illud legis beneficium locum habere non debeat, ideo sine illa hoc minime statuendum.

5. In concursu creditorum dos & lucrum eandem prærogativam habent, & ante creditores cæteros adjudicantur. Nulla utriusq; diversitas est. Et in his ipsis terminis, in casu ubi ob inopiam mariti si repetitio dotis, lucri idem jus eademque ratio traditur à *Gail. 2 Observ. 83. n. 2. in fin.*

6. Ubi non apparet diversitatis ratio idem jus servandum. *leg. fin. Cod. de Constitut. pecunar.*

7. *l. ubi adhuc Cod de Jur. dot. Jason in l. si constante num. 17. ff. solut. matrim.*

8. Indefinite itaque & sine distinctione sunt intelligendæ, *l. quæ precio 8. ff. de Publ. in rem act.*

9. Per innumera exempla constat, in concursibus creditorum tam vivo marito quam mortuo eam lucri istius rationem esse habitam, ut uxori tribueretur.

10. Nec enim nisi mortuo marito præstatur.

11. Ad exemplum dotis, quæ constante matrimonio repetitur. *arg. l. mutus §. manente ff. de Jur. dot. Gail. 2. Observ. 83. n. 17. seq.*

12. Is modus cavendi tam creditoribus quam uxori, ut omnibus utilis, nemini noxius, in ea specie servari solet.

DECISIO VI.

Nominis in dotem dati per maritum vindicatio uxori ejusque hæredibus non superest.

VIndicationi nominis in dotem dati opponebatur alienatio ejusdem à marito facta cujus exceptionis vis dependebat à potestate alienandi. (1) Quando autem nomen non ut tale, sed instar pecuniæ seu pro hac in dotem datur, non dicto aut convento speciatim ut perpetuo maneret, usuris tantum ex eo maritus frueretur, alienationis jus manifestum est. (2) Quemadmodū enim marito jus est exigendi & pecuniam in usus suos consumendi, (3) similiter idē competet ad dandum in solutum, vel alteri cedendum Perinde est, ac si in dotem data sit res mobilis, (4) quam maritus alienare potest (5) Adest etiam tali dationi in dotem æstimatio certa, quæ venditionis instar habens plenam potestatem dominii in maritum transfert, de hoc eo minus dubii fuit, cum non esset reservata proprietas sed pro acceptis in dotem & inter hæc etiam cessi nominis causa à marito in bonis suis præstita cautio. (6) Non ambigebatur vindicationem hac exceptione posse excludi, sed reperiebatur in congruè ad fori non competentis exceptionem adjuvandam adduci, sed prævia de hac pronunciatione illam ad litem principalem remittendam atque seponendam esse. *In causa Balzer von Woldan, contra die Wellerische Erben, die 29. Iunii, Anno 1659.*

1. Quoties nomen datur vel ceditur loco pecuniæ perinde est, ac si ipsa pecunia data sit; Quia accipiens ejus loco & vice accipit.

2. Nomen quidem per se, ut sumitur pro jure agendi, nec mobilis nec immobilis res proprie est. At pro ut ex illo jus ad rem est, ita quo modo quod ex illo debetur, vel petitur, comparatum seu mobile, seu immobile, ita & ad illam speciem refertur & jux a illam censetur. *Gail. 2. Observ. 11. num. 10. seq.* ubi refert eam censuram de nominibus, & actionibus pro diversitate objecti non tantum communi opinione approbari sed etiam in Camera Imperiali observari.

3. Rerum dotalium mobilium alienatio marito ut domino libera est, dummodo in casum soluti matrimonii uxori sit cbutum. *Sichard in l. etsi 3. nu. 4. C. de jur. dot.*

4. *l. quoties 5 l. cum dotem 10. l. si inter 21. C. de jur. dot.*

5. Ubi uxori satis cautum est de dote, res mobilis quæ ejus vice est potest libere alienari, *si servus dotalis l. dotalem ff. solut. matrimon l. 1. Cod. de serv. dot. manum.* si immobilis sit etiam ubi necessaria est alienatio, *l in rebus 30. Cod de jur. dot. Novell. 61. jason. in §. actionum 28. num. 84. Instit. de Action.*

DECISIO VII.

Impensæ pro dote mulieris quæ dotem minuant?

PRo regula veluti traditum est, impensas in dotem factas ipso jure dotem minuere (1) ideo in restitutione dotis soluto matrimonio ab ea deducendæ, nec nisi quod iis deductis supereſt restituendum esse. (2) Incidit is casus ubi maritus pro exactione pecuniæ dotalis ex nomine, quod in dotem datum erat, dum judicio exigere opus habuit, aliqua impendit. In designatis aliæ impensæ erant factæ pro usuris annuis à moroso debitore extorquendis, aliæ ad sortem recipiendam. Quæ prioris generis sunt adonus mariti pertinent, nec earum nomine deductioni locus est: habent quippe usuræ vicem fructuum pecuniæ dotalis, quorum colligendorum gratia insumpta de suo maritus præstat, uxori non imputat. (3) Ut enim ipsius est commodum & fructus, ita ejusdem debet esse onus. (4) At de posterioribus potest esse dubitatio & utrinque ratio contrariè sentiendi. Verum æquius visum est distinctione quæstionem decidere. Primo inter impensas ad conservationem seu securitatem nominis, & ad exactionem pecuniæ factas. Quarum illæ ad officium mariti pertinent. (5) Circa has vero interest, utrum magnæ an modicæ sint. Harum non habetur ratio. [6] Quod si autem magnæ sint non ad onus mariti sunt referendæ (7) nisi datio in dotem nominis sic facta fuerit ut à marito onus exactionis sit receptum, uti factum intelligitur, si pecunia in dotem promissa nomen in solutum sine ulla reservatione acceperit, vel nomen quidem dotale sit, ut æstimatio pro certa quan-

Digitized by Google

quantitate loco pecuniæ recepit. (8) Tacito pacto seu lege talis dationis tunc obligatus est ad exigendum, ideo & suo sumptu. Secundum hæc judicatum die 3. Julii Anno 1660.

1. *l. 1. ff. 1. de Impens. in res dot. fact.*

2. Quomodo aut deductio facienda aut retentio declarat, *l. 5. ff. d. t.*

3. *l. fin. ff. d. t.*

4. *l. un. §. 2. C. de caduc tollend.*

5. Maritus suis sumptibus rei dotalis tutelam præstare debet, *l. pen. ff. d. t. l. 28. §. 1. ff. de donat. int. vir. & uxor.*

6. *l. omnino 12. ff. d. tit.*

7. *l. 47. ff. de donat. inter vir. & ux. Gars de expens. c. 4. num. 24.*

8. *Arg. l. 4. ff. de hæred. vel act. vend. Iohan. Campeg. de dote quæst. 48.*

DECISIO VIII.

Dotalitii Constitutio non requirit solemnitatem, sed contenta nudæ Voluntatis declaratione.

NOn sine ratione visa fuit querela viduæ appellantis se gravatam existimantis, quod dotalitium à marito in schedula quadam post mortem in cista reperta constitutum, sibi denegatum esset, quia in pactis dotalibus ea constitutio non reperiebatur, nec schedula à vivo marito uxoris tradita esset. Existimatum quippe est dotalitium non exigere quandam solennitatem aut pactum expressum, sed ex voluntate mariti valere (1) quam constare sufficit. Tantum magis, quod etiamsi maritus vel inter vivos vel dispositione mortis causa de eo nihil ordinaverit aut constituerit, haud eo minus idem debetur, & per successores præstandum, (2) ita ut si inter hos & viduam non convenerit, judicis arbitrio de eo statuendum sit. Circa necessaria debita, è quibus viduæ dotalitium est, præter qualemqualem voluntatis declarationem nihil requiritur. In eo qui obvenit casu ita multo magis sentiendum fuit, quod juxta jus equestre Ducatus Bremensis, quod in hac causa pro norma sequi oportuit, nulla voluntatis solennitas requiritur, aut certus eam declarandi modus præscribitur, sed perinde habetur quomodo maritus de eo disponit, & licet nihil disposuerit, tamen præstari debet. (3) Quare cum dotalitium juxta illud constituere debuit, voluntatem autem in scheda conscripsit, illa in cista reperta sufficiens istius argumentum est. (4) Nec facit quod uxori dum vixit nondum tradidit: nec enim hæc ex ejus voluntate tantum habere debuit, sed ex lege atque consuetudine per quam jus petendi acquiritur. (5) Quantum vero præstandum id tantum ex mariti declaratione sumendum (6) *In causa Christoff Isendorffs Wittwen, contra Clementem und Ioh. Isendorffen, die 7. Novemb. Anno 1660.*

1. Solennitas aliqua pro forma non requiritur, nisi ubi lex vel mos circa actum introduxit.

2. Ex quo dotalitium debitum consuetudinarium redditum est debetur, etsi de eo nihil à marito dictum vel conventum reperitur, *Hartm. Pistor. 1. quæst. 4. num. 3. Roschiz. de dotalit. art. 1. num. 16. Schurf. consil. 51. num. 3. cent. 3.*

3. *Vid.* Bremische Ritter-Recht *tit.* vom Leibs Geding *in pr. &* §. wofern aber dasselbe.

4. Præsumitur maritus in charta describens quantitatem ejus quod debuit, & bene in cista custodiens eo animo fecisse, ut norma sit debiti. Nec enim hic actus ejus frustraneus reputandus. Deus, Natura & Sapiens nihil faciunt frustra

5. Dotalitium in multis quidem æquiparatur donationi propter nuptias unde argumentum ab hac ad illud apud JCtos frequens & concludens. Attamen in hoc differunt, quod hæc non debetur nisi constituta, illud vero etiam sine constitutione. Ratio est quia lex vel consuetudo attribuit, *Vid. Carpz. resp. Elect. 56. n. 1. seq. lib. 6.*

6. Huic jus equestre Ducatus Bremensis relinquit illam definitionem, tantum qua Gentiles modum dicit, uti sequenti decisione exponitur.

DECISIO IX.

Non eo minus dotalitiũ valet, quod successores bonorum gentilitiorum in illud non consenserunt.

ETsi pro majori cautela in constitutione dotalitii consensus agnatorum, præsertim ubi in feudalibus vel gentilitiis bonis in Lehn- oder Stamm-Gütern/ illud viduæ constituitur adhiberi solet, minime tamẽ necessarius est aut ad substantiam necessarius est aut ad substantiam pertinet, ubi dotalitium ex lege vel consuetudine provinciæ est necessarium. (1) Sive enim tunc consenserint, nec ne, haud eo minus debetur, quatenus is modus quem lex vel mos in constitutione requirit, observatus fuerit. Tantum excessum ejus agnati ratum habere non tenẽtur, (2) quatenus feuda vel gentilitia bona sine ipsorum consensu non potuerunt obligare. Nam si in potestate Vasallorum fuerit, hæc sine consensu successorum obligare vel alienare, quod per constitutionem dotalitii qualem qualem sit, ratum habendum est. (3) In dubitationem autem circa hoc venit, quid juri equestri Ducatus Bremensis conveniat, utrum ex gentilitiis bonis indefinitum dotalitium constituendi jus sit, ita ut proximis agnatis observari debeat? Etsi autem in eo horum consensus non requiritur, valetque sive consenserunt sive non, (4) attamen existimatum est quia textus ejus certum modum exprimit, quod de eo præstando disponitur,

juxta

Digitized by Google

juxta eundem accipiendum, (6) nec ultra istos teneri quam illi convenit, tum, quia in illum sensum verba legis sonare videntur, tum quia in dubio sic accipienda, ut juri communi convenit, (7) tum quia menti legis atque intentioni statuentium id magis respondet, (7) tum quia ita sentire æquius, (9) *In eadem causa.*

1. Consensus frustra requiritur, ubi sine eo actus validus est. Si adhibetur, magis ad melius esse, quam ad substantiam pertinet, ideo omissus nihil vitii adfert.

2. Sic communi sententia quæstio de adhibendo circa dotalitium agnatorum consensu ejusque omissi effectu decidituir distinctione, utrum modum solitum excedat, nec ne. *Vid. Harim. Pist. p. 1. q. 4. num. 32. Carpzov. resp. Elector. 5. num. 20. seq. lib. 6.*

3. Quibus licet bona ignorantibus & invitis successoribus libere alienare, iis etiam licitum dotalitium constituere. Non est in eo differentiæ ratio.

4. *Vid. jus equestre Bremense in tit.* vom Leibgedinge *in pr.*

5. Qui habetur in his verbis: mit einer bequemen Wohnung/ Hauß und Hoff/ Acker/ Wiesen/ Weyden und Land/ davon sie sich nach der Nothdurfft und Gelegenheit der Güter in ihrem Stande erhalten kan/ ex quibus apparet, eum dotalitii esse modum, qui alimentorum juxta conditionem personæ & bonorum.

6. Referunt quippe verba ultima se ad præcedentia juxta ista accipienda.

7. Ubi statuti dubius est intellectus, semper recurritur ad id, quod est juris communis, quia illud strictiji juris ejusque verbis cessantibus aut dubiis juri communi non derogatum creditur.

8. Ea mens ex jure equestri manifeste apparet, quod ita viduis debita tributa velit, quo bona gentilitia familiæ conserventur, ideo gentiles non nimis onerentur, sed utrique parti consulatur.

9. Æquius id semper ex quo utrique parti prospicitur.

DECISIO X.

Ex feudis assignata viduis perinde competunt ex allodiis & oppignoratis bonis.

PRivilegia Nobilitatis Pomeraniæ circa dotationes & dotium restitutiones aliaque fœminis debita de feudis quidem sonant, sed ad feuda sola non pertinent, sed quæ ex istis debentur ex allodiis & bonis pignori acceptis perinde debentur. (1) Qua feuda enim nominatim privilegia Principum impetrata sunt, quæ sine horum tanquam Dominorum directorum voluntate ex istis impetrari non poterant. At qua bona allodialia ea concessione speciali opus non fuit: Quod autem in illis æquum, hoc multo magis ex his debitum. (2) Debitum ipsum juris communis provinciæ habetur, ideo ex quibuscunque cæteris bonis solvendum. Et cum tantum in subsidium ex feudo fiat præstatio, priusque alia bona excutienda sint, apparet potius id debitum horum onus esse sicut fuit judicatum *in causa viduæ Christoff Henrich Schverins contra Marito Creditores, die 2. Octobris, Anno 1662.*

1. In privilegiis Nobilium conjunguntur, Erb und Lehn/ ideo ex utroque recte petuntur.

2. Facilius obligantur allodialia in quibus Princeps nihil juris habet, quam feuda in quibus directum habet dominium.

3. Vide Privilegia Nobilium §. Da sichs auch zutrüge.

DECISIO XI.

Usuræ dotis uxori marito vivo quomodo debeantur.

CUm maritus ad inopiam devenit & bonis cedit, nec tamen mulieri dos redditur, usuræ ipsi debentur, ex quibus se & familiam sustenter, (1) at non nisi ab eo tempore quo maritus bonis cessit, & ad concursum res venit. (2) Haud ad exactionem illarum sufficit, antea maritum per belli calamitates bonis suis frui non potuisse, ideo usuras unde uxor aleretur non percepisse. Nec enim aut ipse huic debuit usuras quas ut fructus dotis pro oneribus matrimonii accipit, (3) aut creditores ex bonis cessis debent antequam illorum excessione communia reddita sunt. Deinde ita potit tempus factæ cessionis uxori usuræ debentur si non ex bonis alimenta acceperit, de quo dum non constat ubi uxor cum marito in bonis mansit & jure retentionis usa est, nisi rationes redditæ sunt, eo usque usurarum attributio suspenditur. (4) Uti factum *in causa Uxoris Claus Horns contra ejusdem Creditores, die 9. Aprilis. Anno 1661.*

1. *Arg. l. 29. C. de jur. dot.*

2. Quamdiu maritus præsumitur solvendo, dotis repetitio cessat. Talis vero esse desinit quando bonis cedit vel concursum excitat.

3. *l. 7. pr. l. 75. ff. de jure dot.*

4. Ex fructuum perceptione præsumitur solutio.

DECISIO XII.

Usuras dotis non debet ex bonis paternis frater nisi ex eo tempore quo possessionem & fructus accepit.

DEbitum usurarum ex dote variat, nec eodem modo præstandæ sunt. Interest utrum dos promissa est an sine promisso ex lege statutorũ vel officio judicis præstanda sit. Siquidem sponsa vel uxor promisit, statim ex tempore consummati matrimonii debentur. (1) Si extraneus, vel diem certum solutioni dixit, vel nullum. In illa specie dies interpellat pro homine, (2) & ex eo velut

Digitized by Google

velut à tempore moræ incipiunt currere usuræ. (3) In hac aut post nuptias solutionem fieri debere additum, & biennio elapso incipit usurarum cursus: (4) Aut indefinite facta promissio, & tunc demum ex mora, quæ per interpellationem inducitur, istæ incipiunt. (5) In altero casu, cum lex, statutum vel consuetudo tribuit, aut necessitatem ejus facit, & certum tempus addit, aut sine hoc petentibus assignat. Et cum hoc fit non debetur usura nisi accedente petitione, (6) ita certo tempore addito post ejus lapsum debitor tanquam lege & isto interpellatus fiet obnoxius usuris, nisi accedit quod ipsum liberet, ut contingere potest cum dos ex certis bonis eorum intuitu debetur, atque hæc à quo dos petitur nondum habet. Eorum enim quæ ratione bonorum vel possessionum debentur non est debitor, nisi ubi accepit & possidet. (7) Nec enim antea in mora est, & cessat interea debendi ratio: Absonum foret aliquem antea teneri quam debitor verè factus est. Contigit de eo inspectio, quando mortuo patre ex bonis ejus filiæ juxta jus Equestre Ducatus Bremensis dos debebatur juxta quantitatem bonorum assignanda, hæc autem mater per multos annos retinuit, administravit, & fructus percepit, interea filiam nuptum elocavit, dotem non certam, sed portioni hæreditariæ congruam promisit, ipsa mortua demum filius eorum possessionem & fructus adeptus est, inde de dote & usuris à tempore cõtracti matrimonii conveniebatur. Existimatum est de dote quidem juxta jus equestri teneri, at non de usuris nisi ex tempore acceptæ utilis bonorũ paternorum possessionis, primo quia non debet sorori dotem nisi ex istis bonis, (8) quare nec antea quam illa accepit & fructus percipit, ideo nec usuras ut accessiones, quæ deberi nequeunt ubi sors ipsa nondum ab illo peti potuit. Deinde dos illa instar legitimæ habet & loco portionis hæreditariæ succedit, (9) ideo non potest circa illam aliud juris existere, quam si soror à fratre hanc cum fructibus peteret. Quomodo igitur hic non deberet fructus nisi quos percepit, & à quo tempore possedit atque habuit, ita nec quæ vice ejus sunt usuras. (10) Accedit iniquitas, si frater ultra quam accepit oneraretur, atque ita inter ipsum, & sororem magna inæqualitas exoritura est, dum quæ peruntur usuræ non minimam partem ejus partis quam ille ex successione capere debet absorbebit longe minus ideo habiturus; (11) æquius si alicujus ex eo damnum futurum, hoc esse sororis vel mariti, dum à matre eo quo bona tenuit tempore usuras non exegit: (12) cujus omissio speciem remissionis habet. (13) Non potuit in præsenti casu aliquid efficere, quod bona paterna pro dote sint filiabus obligata, ideo ex hypotheca ut obligatio, ita & petitio usurarum non tantum ab eo tempore quo frater habet, sed etiam anteriore. Præterquam enim quod jus Equestre talem hypothecam generalem, seu indefinitam in omnibus bonis non constituit, (14) sed tantum ex bonis paternis dotem pro eorum quantitate dari injungit, ideo non omnia & quicquid in iis filii cæterorumque liberorum portionis est pro dote & usuris obligat, utique nec hoc tantum spectandum, ut se habet generalis pro debito obligatio, sed prout debitum comparatum est, (15) ultra quod pignoris accessio nihil tribuit. Si itaque vel qui bona possidet ex iis non debeat usuras, vel alias usuræ certum modum habent, utique propter hypothecam nihil ultra potest exigi. At satis manifestum est fratrem antequam bona eorumque fructus accepit non esse obnoxium, nec aliter bona tenentur, quam ad portionem ex iis pro dote præstandam, quæ filialis est juxta prædictum statutum. Quidquid ex ea ad fratrem pervenit ad illud tantum tenetur, qui non personaliter sed ex re obligatur, ideo non ultra rem. Nec etiam tota bona debet, sed tantum loco portionis hæreditariæ dotem ideo pro & ex illa portione, quæ tantum obligata est singulari legis nexu, nec afficit quod ex bonis est cæterorum liberorũ, ideo nec ex ejus causa ultra quid filio auferri vel injungi potest, quam quod ejus est, si non unius sororis ejusque negligentiæ causa fratri & cæteris suam adimere seu imminuere velimus. Pronunciatum itaque est non nisi ab eo tempore quo frater paterna bona accepit ad usuras teneri. *In causa Rittmeister Lüder Wersabe contra Obrist-Lent. Anrippen Wittwen, die 26. Ianuarii, Anno 1669.*

1. *Vid. Fabr. in C. lib. 5. tit. 6. def. 6.*
2. *l. 4. C. de contrah. stip.*
3. *Fab. in C. lib. 5. tit. 7. def. 22.*
4. Ita constitutum per Imp. Justinian. in *l. un. §. præterea C. de rei uxor. act.*
5. Ita de hoc casu definit, *Fab. d. l. 5. tit. 7. def. 42.*
6. Lex quidem ob necessitatem obsequii in mora constituit non facientem, unde JCti dicunt ex lege committi moram in re, tamen ita obtinet, si sic constituit, ut etiam non monitus nec interpellatus justum facere oporteat. Secus est cum quod lege tribuitur ita demum debetur si petitur: In eo lex nihil mutat ex iis quæ circa moram requiruntur.
7. Obligatio ex re rem sequitur & est tantum possessoris, *l. fin. ibi Bart. ff. de contrah. empt.*
8. Verba juris Equestris aperte determinant hoc debitum.
9. Quod in Germania inter illustres & nobiles pro conservatione familiarum sic constitutum & receptum est, ut bona apud masculos maneant, dos

Digitized by Google

tantum loco legitimæ filiabus vel sororibus inde præstetur in Ducatu Bremensi ab antiquo invaluit cum defunctus pater non alia nisi avita bona relinquit. Quomodo itaque tunc dos succedit in locum legitimæ sic ejus jure censetur & circa legitimã æqua & iniqua, & circa dotem ea tanquam surrogatum, quod ejus naturam sapit & sequitur ita sunt observanda.

10 In petitionem non veniunt fructus nisi percepti vel percipiendi ab eo tempore quo possessio hæreditatis accipitur.

11. Contra jus naturale, quod amat æqualitatem inter liberos. *l. fin. C. famil. ercis.*

12. Sua cuique negligentia non alteri nocere, hoc damnum negligens sibi imputare debet.

13. *l. vir usuras ff de donat. int. vir. & ux.*

14. Sine lege expressa non est inducendum pignus legale sed tacitum.

15. Pignus firmat non auget obligationem.

TIT. XIII.

DE REI UXORIÆ ACTIONE in exstipulatu actionem transfusa, & de natura dotibus præstita.

DECISIO I.

Nomen non in dotem, sed pro dote in solutum datum & acceptum uxor soluto matrimonio recipere non tenetur.

QUando pater uxoris vel alius quisquam nomen in dotem dedit, siquidem maritus exegit ex ejus bonis pecunia soluto matrimonio reddenda est, (1) detractis tamen expensis, quas pro exactione maritus facere necesse habet. (2) At si maritus non exegit, quia non potuit, si omni fraude & culpa caret, non tenetur ad pecuniam hæres ejus, sed tantum ad reddendum nomen (3) adeoque ad cedendum actiones. (4) Secus se res habet, ubi non datur aut promittitur nomen in dotem, sed pecuniæ quantitas, deinde autem cum promissor ære caret, marito nomen in solutum das, isque pecuniæ vice accipit, tunc etsi nomen bonum non fuerit, quia tamen recipiendo approbavit maritus perinde est, ac si promissam pecuniam accepisset, nec tunc nomen viduæ reddi potest, sed pecunia debetur, (5) *in causa viduæ Christoph Altvvig Elixen, contra Mariti Creditores, die 6. Febr. Anno 1662.*

1. *Vde Fabr. in C. lib. 5. tit. 7. def. 32.*

2. Impensæ necessariæ dotem ipso jure minuunt, *l. 5. ff. de impens. in res dot. fact.*

3. *l. Mævia 40. pr. ff. solut. matrim.*

4. In omnibus, qui ideo tenentur, quod actionem saltem habent delegatio pro præstatione est, *l. quod debetur 51. in fin. ff. de pecul. l. quod si in diem 16. §. ult. l. item veniunt 20. §. ait Senatus 17. ff. de petit. hæred. l. 2. §. pervenisse ff. de hæred. vend.*

5. Cum non nomen, utrale sed pecunia, quam comprehendit, atque ita nomen æstimatum in dotem datur, soluto matrimonio pecunia debetur, *Gothofr. & Duren. in d. l. Mævia 49.* Quando magis ubi pecunia datur, deinde vero pro ea nomen accipitur.

DECISIO II.

Dotis at non lucri usuræ debentur soluto matrimonio viduæ.

QUerebatur vidua appellans, quod usuræ dotis ejus lucri prior sententia non adjudicaverat. Quæ usuras dotes res certa est, has soluto matrimonio post anni lapsum viduæ deberi. Secus vero visum adeoque non injuste pronunciatum, qua usuras lucri dotalis: In quarum petitione magna videbatur esse iniquitas, præsertim in concursu creditorum, qui de damno vitando certant. (1) Lucrum istius lucri peti juri communi contrarium est, (2) ex quo concursus duplicis causæ lucrativæ est interdictus & odiosus, (3) sicut accessio accessionis, qualis est lucrum illud, locum non reperit. (4) Provinciali jure aliud constitutum non reperitur. Satis singulare atque à juris communis ratione alienum & exorbitans est, quod lucrum dotis hujus prærogativa ante creditores gaudet, quod alio singulari non cumulandum est. (5) Quod aliquando secus in judiciis pronunciatum dicitur errore factum creditur, nec inde in consequentiam trahendum est, cum sine ratione, imo contra rationem factum fuerit. Nec potest iniquius quicquam esse, quam cum aliorum creditorum detrimento in triplici lucro uxorem versari, si dotis usuras, lucrum dotis & deinde lucri usuras capiet. Sic visum *in eadem causa.*

1. Favendum multo potius de damno vitando, quam de lucro captando certantibus, *l. & si quis §. sed si addita ff. de religiosis & sumpt. fun. l. fin. C. de acquir. possess.*

2. Lucrum lucri & commodum commodi perinde, ut usura usurarum lege damnatur, *l. 2. §. si indemnitatis 5. ff. de administr. rer. ad civ. vid. Peregrinum de jur. Fisc. l. 6. tit. 7. n. 30. seq.*

3. §. *si res aliena Instit. de Legat. l. ex promissione 19. ff. de O & A.*

4. *l. hæres 51. §. ff. de petit. hæred.*

5. Plurimi singularium in eadem re concursus improbatur, *l. un. ibi Iason. C. de inoff. test.* præsertim vero in statutis & privilegiis, quæ per se jura specialia & singularia sunt, adeoque contra jus commune singularium cumulationem non admittunt, *arg. l. jus singulare l. quod vero ff. de legib. l. denique ff. ex quibus. caus. maj. Cravetta cons. 966. num. 7.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO III.

Uxoris dos ex bonis mariti non nisi deductis funeris impensis debetur.

HÆredes uxoris prædefunctæ sive liberi, sive extranei, ut funeraria actione de impensis funebribus tenentur, tanquam de debito non mariti sed hæredum, (1) ita etiam cum dotem repetunt, deductionem patiuntur, (2) nec ea istis adjudicanda aut adjudicata solvenda, nisi cum ea deductione, tione, (3) ut male judex judicet, qui in tali adjudicatione talium impensarum rationem non habet, (4) *in eadem causa.*

1. *l. in eum 16. ff. de religios. & sumpt. fun.*
2. Impensa funeris æs alienum dotis est, *l. impensa 18. ff. eod.*
3. Ratio est in *l. ideoque 19. ff. eod.*
4. Judicis est in adjudicationibus deducere, quod decisum minuit.

TIT. XIV.

DE PACTIS CONVENTIS tam super Dote quam super Donatione ante Nuptias & paraphennis.

DECISIO I.

Maritus paraphernalia, nisi quatenus ei administrationem vel usum concredita fuisse constat, non debet.

AD repetendum ex bonis mariti paraphernalia uxoris non sufficit illa uxorem constante matrimonio accepisse, habuisse aut in domum mariti intulisse. (1) sed necesse est docere ab uxore marito ad usum vel administrationem concredita, & à marito illa sic recepta fuisse. Ex hoc solum maritus fit debitor paraphernalium. (2) *In causa hæredum & viduæ Erneſti Lepels contra primæ Vxoris hæredes, die 27. Iunii, Anno* 1654.

1. Ex hoc qua maritum non existit causa debendi, cui ut nihil in de juris est in bona ista, ita etiam nihil oneris sustinere debet.
2. *l. fin. C. de Pact. Convent. ib. gloss. & Dd.*

DECISIO II.

Lucrum nuptiale ut in pactis dotalibus conventum non ut ex lege vel consuetudine debitum petendum & adjudicandum est.

PEr Pomeraniæ legem & consuetudinem viduæ nobili pro lucro augmentum seu **Besserung** ut vocamus debetur sesquialterum, **also ſo viel als das Ehegeld iſt.** (1) Convenit autem aliquando in pactis dotalibus, ut vidua caperet alterum tantum, **ſo viel als Ehegeld eingebracht ſolte ſie zur Vorbeſſerung haben**/ sed addito, ut illo tantum ad vitam frueretur, ea mortua, ad feudi successores reverti deberet, atque sic in effectu nihil ultra usumfructum tantæ pecuniæ promissum est. Quando vero in eo minus erat quam in priore istud ab hæredibus viduæ petitum, deque eo controversum est, quodnam illorum deberetur? Nos pacta dotalia secuti existimavimus juxta hæc lucrum deberi nec aliud peti aut tribui posse. Per ista enim à legis provisione in favorem uxoris factæ ab eadem recedi, (2) imo eidem penitus renunciari potest. (3) Postquam itaque semel conjugi placuit, ratum est conventum, nec ab hoc recedere integrum. (4) Ersi itaque vidua ejusve hæredes postea pœnitere & ad statutarium lucrū redire vellent audiendi non sunt, (5) quia pacta servanda sunt; (6) præsertim dotalia, quorum observantia ad utilitatem publicam spectat; (7) tum quia à semel placitis recedere non est integrum; (8) tum quia derogant juri communi in his quæ in favorem hominum sunt constitura; (9) tum quia alias inepta atque inutilia, si hominum arbitrio erunt relicta; (10) tum quod alias provisio hominis tollit provisionem legis. (11) Juxta hæc judicatum *in causa Raphael Erichen Erben, contra des Land Rath Gerd Behren Kinder, die 16. Ianuar. Anno* 1656.

1. Hoc antiquissimo more sic introductum, & servatum per privilegia confirmarunt Pomeraniæ Principes.
2. *Cothman. resp. 92. n. 4. vol. 2.*
3. *Covarruv. de Matrimon. cap. 7. §. 1. num. 11. Rauchbar. part. 1. quæst. 29. n. 16.*
4. *Uti interminis traditum à Schurff. cent. 1. consil. 42. num. 8. Schultes ad Modest. in Pist. part. 1. quæst. 48. num. 77.*
5. *Peck. in tr. de testam. Conjug. lib 1. cap. 32. num. 5. Coler. decis. 61. num. 1. & seq. num. 17. & seq. Scheplitz. consuet. Marchiac. part. 3 §. 1. tit. 5. n. 6. seq.*
6. *l. 1. ff. de Pact.*
7. *l. 1. tot. tit. ff. de Pact. dotalib.*
8. *l. 6. C. de Transact.*
9. *l. pen. C. de Pact.*
10. *l. hac venditio 7. pr. si de Contrah. Empt. l. 8. ff. de Oblig. & Action.*
11. *l. 2 C. de Execut. rei judic. l. 1. si ut certo 5. §. si domo 14. ff. Commod. Iason. in l. si se non obtulit. §. ex conventione. num. 10. ff. de Re Iudic.*

DECISIO III.

Viduæ filii contra matrem de donatione propter nulla est actio ideo nec de illatis aut lucris respondendi necessitas antequam illam constitutam fuisse apparet.

APpellans quærebatur à judice sibi injunctum ut postulatis viduæ filii sui

Digitized by Google

circa dotem illatam & lucra nuptialia responderet, antequam appareret se ulla ratione esse debitricem. Certo jure nitebatur hæc allegatio. (1) Non enim de alienis debitis quisquam respondere tenetur, sed prius eum eorum nomine teneri debet ostendi. Præpostere alias à judice proceditur qui prius vult responderi, deinde an debeat reus, discutere: Id quod in ea causa præjudiciale, ideo ante omnia decidendum. Dubitatio vero exoriebatur utrumne mater nurui suæ rea esset ex causa donationis propter nuptias, quæ est dotis quædam compensatio, (2) ideo constitui solita, ut fœminæ de dote sit cautum. (3) Quocirca requisita fuit inter illa æqualitas exacta. (4) adeo ut si constituentium voluntas istam non faceret, lex suppleret. (5) Ex quo eousque itum est JCtorum quorundam interpretatione, ut crederetur, etsi donatio propter nuptias non esset constituta, tamen ipso jure nuptæ cautum esset, sicque ista deberetur. Quibus etiam hoc consequens videri potuit, ut quomodo si pater inops est mater dives filiam probare opus habet, (6) ita etiam filio vicissim donationem propter nuptias constituere: Ex quo colligebatur, quod etsi non constituerit, tamen uxori filii ex illo dotis securitas aliaque debeantur, Verum re rectius considerata minime existimari potuit donationis talis aliquod debitum, cujus causa socrus pro iis, quæ filii viduæ debebantur, respondere teneretur. Primo enim non debetur donatio propter nuptias nisi constituta. (7) A jure aliena est illorum sententia qui ipso jure illam deberi putant, (8) id nisi referas ad maritum tantum ut ex illius bonis tantundem pro ea debeatur, quantum in dotem datum fuit, etsi non constitutũ; (9) Quoad cæteros, qui dotem dare aut donationẽ facere solent longe alia ratio est. (10) Deinde nulla lege mater sic ad donationẽ propter nuptias pro filio obligatur, sicut pro dote. (11) Est quoq; diversitatis ratio. (12) Non eadem necessitas, idemque usus istius atque dotis. (13) Utut verò per leges Romanas omnia ita essent paria, hodiernis tamen moribus longe secus se habent, ex quibus tum necessitas ejusmodi donationis, (14) tũ & æqualitas in usu esse desiit. (15) Quare ut consuetudo utramque sustulit, ita eo minus matrem ex contrario veteri aliquo jure obligari æquum est, si non constituisse demonstrabitur. (16) Neganti itaque hoc processus decernere convenit *in causa Heinrich Christoff von Detlov von Schwerins Wittwen, die 12. Sept. Anno 1662.*

1. Ita provisum in *l. fin. C. ne uxor. pro marit.* matrem pro debitis filii tanquam alienis conveniri non posse.

2. *l. fin. C. de donat. propt. nupt.* unde & contraria dos audit, quæ à marito affertur uxori ad pensandam dotem, *c. plerisque 4. x. de donat. inter vir. & uxor. Cujac. in parat. C. d. tit.* ex quo ἀντιφερνὴ & ἀντίδοσις apud Græcos audit: apud Germanos eine Gegen-Vermachniß/eine Widerlage.

3. Hic unicus est finis ejus donationis quod ultra sit præsertim qua lucra ejusdem in casum mortis, non ex ejus natura, sed pactionibus proficiscitur, *vid. Cothm. Resp. 50. num. 22. vol. 1. ubi scribit, inventam esse hanc rationem dotis conservandæ, ideo secundum originem & juris civilis dispositionem, titulum hujus donationis esse non lucrativum, sed dotis conservativum.*

4. *l. pen. Auth. Æqualitas C. de pact. convent.*

5. *Ita per Auth. dos data. C. de donat. inter vir. & uxor. concludit Wurmser. tit. 37. observ. 1. num. 6.*

6. *Beust. de matrim. part. 3. de dote c. 4. Bocer. class. 2. disp. 18. th. 14.*

7. Haud ipso jure debetur donatio, sed constitutione eget. Est quippe specialis contractus uti vocatur in *Novell. 119. c. 1. pr.* qui re initur, *Donell. lib. 1. com. jur. civil. cap. 19. in pr.*

8. *Vid. Perez. ad codicem tit. de donat. aut. nupt.* quiid probat *per l. fin. C.* qui textus dum non constituta donatione actionem filiæ præbet ad constituendam ostendit sine ea atque adeo ipso jure non deberi. Nec obstat *de Auth. dos data*, quando tantum dicit dotem mereri eam donationem, at modum constituendi non exponit, imo dum meriti saltem meminit constitutionem aliam requirit.

9. Ita loquuntur textus de marito, ubi æqualitas illa requiritur, nec qua alios inducunt constituendi necessitatem.

10. Pater, Mater, cognati & extranei pro alio donationem propter nuptias facere possunt, *Novell. 61. c. 1.* at minime tenentur: Licitum non necessarium dicitur, *in l. si constante 19. C. de donat. ant nupt.*

11. Admodum caute & singulari casu matri per jurisprudentiam dotationis onus injungitur, à quo alias libera est. *l. mater. 34 ff. de jur. dot. l. neque mater C. eod.* ubi dicitur non nisi magna & probabili ex causa, vel si lege specialiter cautum dotatio ejus sit.

12. Dotis privilegia & jura singularia ad donationem propter nuptias non extendi rectius per JCtos traditur. *Mejer. C. I. A. lib. 23. tit. 3. th. 36. ubi scribit, quod nulla sit consequentiæ ratio, ut idem sit favor donationis qui dotis. Idem scribit Donell. D. c. 9 in fin.*

13. Dotis favor inde oritur, *vid. in l. 7. l. seq. ff. de jur. dot. l. 1. ff. solut. matrim.* cujus eadem ratio non ita quamares ducentes.

14. Ita apud JCtos hodie in ore: Donationem propter nuptias in usu esse desiisse, *Scip. Gentil. lib. 4. de donat. int. vir. & uxor. c. 16. Cujac. 5. observ. 4. Joh. de Castil. de usufruct. c. 46. num. 11.* Quod tamen ita accipiendum ut necesse non sit amplius donationem facere: si quis tamen velit adhuc potest.

15. De ejus desuetudine testatur, & notabilia habet, *Cothm. Resp. 50. num 38. seq.* ubi refert Baldi dictum: Æqualitatem secundum Codicis leges servandam esse quotitative, secundum Jus Novellarum quantitative, secundum consuetudinem neutro modo.

16. Apud nos in Pomerania nihil ejus rei amplius in usu est ut reperitur in legibus Romanis definita, sed pactis dotalibus omnia componuntur, quæ ubi desunt nec dos nec donatio exciditur.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO IV.

Post obitum mariti non est amplius in electione, uxoris conventum in pactis dotalibus an lucrum legis malit.

CUm in pactis dotalibus convenerat ut post mortem mariti viduæ major lucro legis, quod in Pomerania dimidia pars dotalis summæ est, præstaretur summa, sed ad vitam tantum facienda, post hanc usufructu cum proprietate consolidando, hæcque apud mariti successores vel creditores relinquenda oriebatur dubitatio utrum in uxoris potestate esset mutare sententiam, & eligere lucrum ordinarium? Vivo marito id fieri posse creditur, cum ei cum uxore à pactis prioribus recedere integrum sit. (1) At post mortem, præsertim elapso tempore non modico electioni non superesse locum existimatum fuit, præprimis contra mariti creditores. Per pacta quippe à jure communi recessum fuit, iisque stare tenetur mulier, postquam semel ita placuit, nec recedere potest, nisi volentibus iis quorum interest. (2) Necessitate servandi pacta obstringitur suamet electione postquam variare licet. *In causa viduæ Christoff Heinrich Schwerins contra Mariti Creditores.*

1. Nihil tam naturale, quam quo quid colligatum est modo, iterum dissolvere.

2. Jus per pactum alteri quæsitum auferri per alium nequit.

DECISIO V.

Pro anno gratiæ in pactis dotalibus promissa certa pecunia eodem jure quo ipse censetur & dijudicatur.

QUando in pactis dotalibus certa pecuniæ quantitas loco anni gratiæ an statt deß Gnaden-Jahrs / qui viduis nobilium debetur, promissa est, utut cum suppositione hypothecaria bonorum non magis debetur ista quam anno gratiæ frui licuit. Surrogata quippe illa in hujus locum non alio jure censeri debet quam cujus vicem supplet. Spectanda etiam hic magis causa debendi, quam medium solvendi, (1) quod etsi aliud, tamen sequitur conditionem ipsius debiti, & considerandum est, magis quid & quatenus debeatur, quam quomodo solutio ejus fieri debeat. Ubi non debetur, cujus causa facta fuit promissio, utique etiam hæc deficit. Sicuti ergo annus gratiæ viduis non debetur, quoties defunctus reliquit liberos, ut & quando æs alienum superat reditus bonorum ex quibus percipi debet, (2) ita & ea ipsa quantitas peti & adjudicari non debet. Nec proficit aut aliud jus inducit pignoris constitutio. Accessoria ejus obligatio est, quæ sequitur conditionem principalis, & ubi hæc desinit simul exspirat. *Inter eosdem.*

1. Causa debendi fundamentum obligationis est, qua cessante ipsa cessat obligatio.

2. Hi casus excipiuntur in conclusis Stetinensibus, *tit. II. art. 2. & 11.*

TIT. XV.

DE DOTE CAUTA NON numerata,

DECISIO I.

Ex sola mariti confessione uxori non est liquidatio & petitio crediti, sed tenetur in concursu creditorum unà cum marito veritatem juramento asserere.

CUm uxor in concursu creditorũ peteret debitum valde magnum, cujus præter chirographum seu confessionem mariti nullum aliud erat documentum, visum est, ei rei soli fidem non posse haberi, (1) quod suspecta essent inter conjuges, quæ in ipsorum favorum sonant, præsertim, ubi cum aliquo creditorum detrimento sunt conjuncta, (2) ex quo fit, ut concessiones maritorum pro uxoribus in aliorum præjudicium fide careant, (3) max me si accedant, quæ faciunt inverosimiles. Nec sufficiet juramentum istius ad faciendam plenam fidem, cum suppletorio seu necessario locus non sit, nisi semiplena existente probatione (4) cujus species non est mariti suspecta confessio. Respiciendum tunc est ad argumenta ex quibus verosimile fiat debitum, ut si constet de necessitatibus mariti eo tempore, quo pecuniam mutuo ab uxore datam esse dicitur, si pro iis impendium appareat, si aliunde aut ipsum habuisse, aut alios dedisse non probetur, si uxor verisimiliter doceat, penes se tantum pecuniæ atque credita fuit extitisse. (5) Qualibus accedentibus præsumendum est de credidi veritate. (6) Haud tamen de eo velut liquido pronunciatur, sed requiritur vel mariti vel uxoris juramentum. (7) Prout inter tales circumstantias judicatum *in causa uxoris Claus Horns, contra Creditores ejusdem, die 25. Martii Anno 1659.*

1. *Gail. 1. Observat. 81. num. 7.* ubi speciatim de mutuo meminit. *& num. 3. ibid* scribit, in dubio potius præsumi donationem inter virum & uxorem, quæ regulariter non valet.

2. *Ita in terminis de confessionibus maritorum super creditis uxorum censet Treutler. consil. 3. num. 1. vol. 1.*

Digitized by Google

3. *Gail. 2. Observ. 81. num. 2. seq.*

4. *l. admonendi ibid. Iason. Benst. & Dd. omnes ff. de Iurejur.*

5. Ubi nihil est, quod mariti confessionem suspectam reddit, potius præsumptio veri pro illa militat, multum valet ad eam corroborandam ejusdem juramentum. *Mantic. de tacit. convent. lib. 21. tit. 8. num. 53. seq. Gail. dict. observ. 81. num. 9.* Attamen si quid est unde non est verisimilis, secus erit dicendum, nec proficit jurata assertio. *Mynsing ad tit. Instit. de Liter Oblig. n 27.*

6. Quod alias non præsumitur. *l. Quando 51. ff. de Donat. int. vir. & ux.*

7. Ita in dubiis vel non plane liquidis subsidium fidei à juramento petitur, *l. 2. ff. de Iurejur.*

DECISIO II.

Ex compensatione dotis illatio facta censetur & quomodo.

COmpensatio solutionis vicem habet, (1) ideo perinde est, dotalis pecunia compensata, an soluta sit, (2) modo maritus, dum vixit animum compensandi habuit, & aliqua ratione declaravit. (3) Sine eo quippe non fit compensatio, (4) nec post mortem ejus integrum est viduæ ejusve hæredi dicere compensationem factam fuisse, aut adhuc facere, (5) ideo nec dotem velut acceptam vel illatam è bonis mariti cum lucro petere, (6) præsertim in præjudicium creditorum atque illorum concursu. (7) Hoc consideratum *in causa viduæ Iochim Petersen contra Adam Horn & patris Creditores, die 22. Iunii, Anno 1659.*

1. *l. 4 ff. qui pot. in pign.*

2. Quod in compensationem venit pro soluto habendum est, *l. si ambo 10. §. 1. ff. de Compensat. l. qui invicem 30. ff. de Condict. in dieb.*

3. Etsi ipso jure pro soluto compensationem habere oportet ab eo tempore quo utrinque debetur, *l. si constat. 4 Cod. de Compensat.* minime tamen facta intelligitur nisi opposita fuerit. *Faber in Cod. lib. 4. tit. 23. defin. 4. in pr.* aut palam dictum, quod quis velit. *l. si debitor 22 ff. eod.*

4 Etsi ipso jure fit, multum tamen facti immixtum habet *Fab. dict. lib. 4. tit. 23 defin. 4. num.* 1. id quod non præsumitur sed probari debet.

5. Non fit alieni debiti, & crediti compensatio, *l. in rem 18. §. 1. ff. de Compens. l. ejus quod 9 Cod. eod.*

6. Fuit in arbitrio mariti compensare an petere voluerit, *l. 1. §. præterea ff. de Contrar. jud. tutel.* ideo ubi non declaravit mentem post mortem, quæ perimit voluntatem. *l. 4. ff. loc.* perinde est ac si in ea libertate res consistat.

7. Creditores succedentes in locum debitoris ejusdem arbitrii jus habent.

DECISIO III.

Declaratio compensandi animi quomodo fiat, & facta intelligatur.

QUod diximus ad compensationem, ut facta dicatur non sufficere invicem debitum esse, sed requiri compensandi voluntatem, & quandam ejus declarationem, non ita accipiendum est ac si necesse sit, de eo expressim quædam inter aliquos agi, & ita actum probari debere, (1) sed sufficit, ut quovis modo appareat, eum, qui compensatione frui vult, compensare voluisse. (2) Quare non opus est conventione de compensando perfectâ, sed valet ad id qualis qualis mentis contestatio aut significatio. (3) Adest iste animus etiam cum tractatum de compensando, & additum quid fuit de extradendo documento vel alia re præstanda, in qua substantiâ compensationis non consistit, sed accessorium est, (4) de hoc licet conventio non fuerit perfecta, modo per eum non stetit, qui compensare voluit, in eo existit conditio compensationis, (5) Juxta hoc judicatum *in eadem causa.*

1. Fit ipso jure compensatio. *l. si constat. 4. l. fin. C. de Compensat.*

2. In his quæ ex alicujus voluntate consistunt atque dependent sufficit qualis qualis mentis declaratio, unde intelligi ea possit, *l. non omnis 19. ib. glossa & Bartol. ff. de Reb. credit.*

3. Summovet unusquisque creditorem simul debitorem petentem suum, si paratus est compensare. *l. 2. ff. de Compens.*

4. Est in talibus argumentum mentis de se à debito eliberandi atque securum faciendi.

5. Feciſſe intelligitur, qui voluit at per eum non stetit, ut quæ eo pertinent fiant. *l. qui operas 38. ff. Locat.*

In hac causa sententia hoc tenore dicta est.

In Sachen Joachim Petersen Witwe itzo Henning Volckmar Benners Haußfrauen Appellantinnen wider Obrist Leutenant Adam von Horn/ und die Zemminsche Creditoren Appellaten in puncto liquidationis & prioritatis wird erkant/ daß von Richter voriger instantz den 29. Jan. An. 1656. so viel die illationem dotis, und den Beweißthum betrifft/ übel gesprochen/ wol appelliret/ ex actis, daß die Compensation, immassen Adam von Horn solche einmal zugelassen. deß Einwendens ungehindert statt finde/ demnach Krafft dero die drey tausend Gülden Ehegeld/ als eingebracht zu achten/ und zusampt der Besserung auß Valentin von Horns Gütern für andern desselben Creditoren/ so viel nach zugelegter Rechnung über den gehabten Nutz unabgetragen/ sich befinden wird/ zu bezahlen sey. Von Rechtswegen.

(Hoc est)

In causa Joachimi Petersen modo Henningi Volckmari Benners uxoris appellantis contra Colonelli tenentem Adamum ab Hornen, & Zeminicos creditores appellatos in puncto liquidationis prioritatis decernimus, à judice prioris instantiæ 29. Januarii

nuarii Anno 1656. quantum concernit illationem dotis & probationem mali judicatum, bene appellatum, & apparet ex actis, quod compensatio prout Adam ab Hornen eam semel admisit non obstantibus exceptionibus locum habeat, quod inde vigore ejusdem tuâ millia florenorum tanquam illata æstimari, & una cum melioratione bus & Valentini ab Horns bonis ante alios ejus creditores, quantum facto computu ultra perceptos fructus nondum solutum invenietur exolvi debeat. Idque de jure.

DECISIO IV.

Non sufficit contra creditores ad probandam dotem mariti confessio, ubi causa quædam de ista male suspicandi adest: Accedente autem juramento dos probata habetur.

EX constitutione Pomeraniæ dotis illatio non contra hæredes mariti tantum: sed etiam contra creditores sufficienter probata habetur, ubi pactis dotalibus probata habetur, ubi pactis dotalibus promissa postea per apocham mariti accepta docetur. (1) Verum quod ita singulari favore mulierum atque dotis contra juris communis rationem receptum est, sic demum valere potest, si non adsit & eluceat causa suspicandi malè aut dubitandi graviter. (2) Hæc quippe elidit fidem maritalis confessionis alias ex se in commodum uxoris suspectæ. (3) Quocirca non aliter fidem tunc facit, nisi adminiculantibus iis argumentis quæ dubia atque suspiciones diluunt: Quæ cum alia non subsunt, siquidem nihil suspicionis sit in persona fœminæ quæ jurare vetet, ex ejus jurejurando supplementum peti debet, sicut etiam sic in judiciis fieri solet. (4) Potius enim istud adhibendum, quam ut mulier ob suspicionem vel dubitationem dote careat, modo non adeo illatam fuisse inverosimile sit ut perjurium metuendum, magisque in contrarium præsumendum sit. Ita in causa viduæ Christoff Hinrich Schwerins contra mariti Creditores adfuerunt moventia ut promissæ & receptæ dotis confessionibus adderetur supplementum fidei & juramentum juxta pronunciationem decretam, die 2. Octobris Anno 1662.

1. *Vid. quæ scripsi in Comment. ad jus Lubecens. lib. 3. tit. 1. art. 9. num. 28.*

2. *Boer. decis. 330. num. 6. Bald. Novell. part. 10. num. 17.*

3. *Carpzov. resp. 24. num. 2. lib. 4.*

4. *Vide decis. nostr. 330. part. 3.*

DECISIO V.

Non numeratæ dotis exceptio creditoribus inique opponitur nec obstare debet.

EST JCtorum disputatio super quæstione controversa, an quemadmodum marito ejusque hæredibus soluto matrimonio in repetione dotis post certa tempora legibus definita, (1) non competit non numeratæ dotis exceptio, sed tanquam soluta reddi debeat, ita etiam si cum aliis creditoribus res sit, his eadem non vacet, seu an post elapsa tempora illa in creditorum concursu dos tanquam numerata sine alia ulla numerationis probatione in istorum detrimentum mulieri adjudicari debeat? Inter allegationes quas utrinque partes in actis fecerant, ivimus in eam sententiam velut æquiorem atque rationem convenientiorem, cum illorum aliquo detrimento non reddendam esse dotem, de cujus illatione nihil probatur, etsi vel dudum tempora exceptionis non numeratæ dotis præterlapsa fuerint. (2) Tum quia legibus, quæ de istius exceptionis præclusione loquuntur, tantum disponitur de marito ejusque hæredibus, nulla mentione facta creditorum; (3) ideo sine lege ita loqui erubescendum: tum quia de præscriptione constituunt, quæ odiosa strictique juris est, ideo de persona ad personam, vel de casu ad casum non extendendæ: tum quia magna eaque manifesta diversitatis ratio, eaque talis est quæ causam præscriptionis, quæ est in negligentia non petentis concernit. Non enim ea est negligentia creditorum quæ mariti, dum hoc petere potuit & debuit, cujus neutrum in creditoribus, qui petere nec potuerunt nec debuerunt. Tum quia permittendum non est & sua negligentia maritus id incommodum inferat, ut suo careant quo uxor lucretur: (1) tum quia præsumptio quæ mulieris causa capitur ex neglectu orta ad creditores tanquam tertios non pertinet: (5) tum quia durum valde & iniquum mulierem, de quo nullam fidem facit consequi, & creditores quod se credidisse certum est amittere. Et quidem tanto minus id admittendum est, cum ex actis apparet maritum eo tempore quo petitionem neglexit, non fuisse solvendo, ex quo & fraudis quædam præsumptio oritur. (6) Relictis etiam eorum scriptis qui in adversum sentire videbantur, repertum est, eos locutos esse de tali specie, quando maritus promissam sibi dotem se accepisse confessus est, atque ita cautioni dotis in pactis dotalibus factæ accessit acceptæ confessio, atque inde majori longe præ-

Digitized by Google

præsumptio. (7) Quæ species longe distat ab hac quando tantum nuda promissio ex pactis dotalibus probatur: Habet vero & in altera illa specie ea sententia multas exceptiones & declarationes. (8) Ut vero si confessio per Apocham promissioni in pactis dotalibus accessisset, ad probandum sufficiens putassemus, ita nihil probato ob solum temporis lapsum nihil incommodi creditoribus irrogare voluimus *in causa Iohan Berghan contra Andreas von der Osten, die 4. Iul. Anno 1609.*

1. De quibus vid. *Novell. 100. & inde desumptam authent. quod locum habet C. de dot. caut.*

2. Ita de ea censent *Menoch. de præsumpt. lib. 3. præs. 13. num. 31. Valasc. consult. 6. Perez. in C. lib. 5. tit. 15. num. 4.*

3. Quam hac in re separata sunt jura mariti & creditorum videas ex *l. si cui C. de non num. pec.* qui textus præbet sufficiens argumentum, & quidem à majori ad minus negativum. Si sententia super exceptione illa lata contra maritum non nocet creditoribus, quanto minus nocebit solus temporis lapsus.

4. Non est in potestate mariti sua confessione, renunciatione aut facto creditores fraudare, *l. 1. §. si culpam ff. si quid in fraud. cred.* ne alius pro alio prægravetur contra *l. alteri ff. de R. I.*

5. *Arg. l. si unus §. ante omnia ff. de pact. l. tam mandato C. de non num. pecun.*

6. Eo casu confessio mariti non nocet. *Menoch. de præsumpt. lib. 3. præs. 13. n. 29.* multo minus negligentia nocere debet.

7. Ad hanc pertinet quod habet, *Gail. 2. observ. 81. num. 10.* cujus autoritate hic male quidam abutuntur.

8. De quibus vide plura apud *Menoch. de præs. 13. per tot. Covarruv. lib. 1. variar. resol. cap. 6. n. 7*

TIT. XVI.

DE DONATIONIBUS inter Virum & uxorem, & à parentibus inter liberos factis & de ratihabitione.

DECISIO I.

Donatio uxoris in virum constante matrimonio facta aut civili jure sic, & ex Lubecense post mortem subsistit.

DOnationes inter virum & uxorem etsi regulariter prohibitæ, (1) nec inter nos Consuetudo prohibitionem istam sustulit, (2) tamen convalescunt si rei donatæ traditione facta, (3) mors donantis supervenit. (4) Per quam donatio talis confirmatur, & vi cujusdam ultimæ voluntatis subsistit. (5) Nec in eo per jus Lubecense quidquam mutatum reperimus, (6) ideo ubi isto utimur non alia ac quæ juris civilis sunt sequimur, (7) præterquam ubi magna, & immodica fuerit donatio, in præjudicium communium liberorum tendens, cujus ratio existit ex conditione communionis, quam jus istud inter conjuges præsupponit. (8) Quam tamen non obstare putavit, quin aliqua fieri posset constante matrimonio donatio. *In causa Martin Xancken, contra Vitrium Gödders Roterdam, die 12. Febr. Anno 1658.*

1. Tum jure civili *l. & 2. ff. de donat. int. vir. & uxor. ubi rationes ejus prohibitionis videas*, tum & Canonico *c. fin. eod.*

2. Erronea est opinio ex universali Germaniæ consuetudine prohibitionem esse sublatam. Contrarium ex multis JCtorum Germaniæ traditionibus, & Judiciorum etiam summorum Praxi scimus. Qui allegat in aliqua ratione in desuetudinem abiisse, ei incumbit probatio.

3. Hæc necessaria est. Sola promissio non sufficit. *l. Papinianus 23. ff de Donat. int. vir. & uxor.*

4. In vita revocatione donationis non facta post eam subsistit. *l. cum hic status 32. §. & seq. l. 33. dict. tit. l. 3. l. 12. l. 14 C. eod. Novell. 16. c. 7.*

5. *Vid. Gail. 2 Observ. 40. num. 6. Hartman. tit. 44. Observ. 5.*

6. Quod non reperitur ex jure civili per statuta expresse correctum, id consistit & observatur, *l. præcipimus 32. §. fin. ff. d. Appell.*

7. Huc respicit & restringendus est juris Lubecensis textus *in artic. 1. tit. 6. lib. 1.* cujus intellectum ibidem in Commentar. plenius exposui Praxin talem sæpius expertus.

8. Ex jure Lubecensi donationem inter virum & uxorem aliquam validam esse post donantis mortem expresse apparet, *ex artic. 5. in fin. lit. 2. lib. 2.*

Juxta hæc pronunciatum.

In Sachen Göddert Roterdams Imploranten wider Marten Tancken Kinder und dero Vormünder Imploranten in puncto inventarii itzo restitutionis in integrum wird deß Vorbringens ungehindert es beyderden 26. April jüngsthin publicirten Urthel gelassen / vermeinte aber Implorant bey denen von ihm sonst gemeldten Posten wider die Imploraten rechtmässige Zuspruche zu haben / mag er solche absonderlich anstellen / wie dann dieselben so weit Rechtens vorbehalten werden / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 18. Octobris Anno 1658.

(Hoc est)

In causa Göderti Roterdams Imploratis contra Martini Tancken & eorum tutores imploratos in puncto Inventarii modo restitutionis in integrum, non attentatis allegatis sententiæ 26. Aprilis proximè publicatæ inhæremus, quatenus vero imploras exist imaret in punctis alias ab ipso mentionatis contra imploratos justam actionem se habere, eandem ut separatim proponat in quantum juris reservamus, idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 28. Octobris Anno 1658.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO II.

An prædefuncta uxore aliis quam descendentibus debeantur Geradæ.

JUs equestre das Ritter-Recht ut vocant in Ducatu Bremensi Geradam tribuit sexui fœmineo, ut distinctim, pro diversitate casuum quos definit. (1) Ex quibus de eo, quando uxor superstite marito præmoritur, in quæstionem venit, utrum sicut filiabus & neptibus, ita ulterioribus uxoris consanguineis fœminei sexus Gerada debeatur; Sic ab una parte disputabatur, allegato eo qui istum casum definiebat paragrapho, in quo non ut in cæteris omnis sanguinis ex sexu muliebri, die Nifte oder Spillmagen indefinite mentio fit, saltem filiarum & neptum die Töchtere und Töchter-Kinder/ (2) ex quo colligendum videbatur, cum statuta stricti juris sint, (3) & secundum tenorem literæ accipienda, (4) non ultra definitionem istam extendendam, nec quod litera silet subintelligendum esse, [5] præsertim cum in cæteris casibus horum expressior haberetur mentio, quæ in isto omissa argumentum erat, statuentes noluisse, quod omiserunt. (6) Accedebat observanda ex statuto facta differentia casuum, quando præmoritur uxor vel maritus, & hujus etiam favori aliquid indultum existimari debeat. (7) Sed cum contextu tum ratione penitius inspectis, visum est præstantiora esse, quæ in contrarium militabant. Est quippe sub titulo, qui de Gerada agit, præmissa generalis quædam regula, non tantum descendentibus sed etiam collateralibus indefinite Geradam tribuens, [8] Ex qua sumendum, ad omnes species pertinere, & intelligendum, quod in singulis dubium. In dubio quippe turius regulam sequimur, nec exceptionem etiam in statutis admittimus, nisi probetur. (9) Deinde ea constitutio ducit argumentum à rebus expeditoriis, ut quomodo hæ agnatis masculinis, ita istæ fœminis, ideoque non minus his sine discrimine quam illis debeantur. (10) Quando etiam post definitum illum casum ti præmoretur uxor statim de casu aliquo præmortui mariti fit dispositio, & quidem iis verbis, quod idem observari debeat, & tamen ulterioribus quam descendentibus addicitur, utique censendum est, idem in altero casu obtinere; ut in æquiparatis par habeatur provisio, [11] quam etiam hic suadet eadem in utroque ratio. [12] Hujus quippe diversitate nullâ repertâ utique idem jus statuendum est. Non sufficit ad sentiendum contrarium omissa mentio transversalium, ubi ex antecedentibus ac consequentibus appareret, de his statuentium non fuisse aliam mentem imo eandem; Unus statutorum locus ex alio intelligi & suppleri debet. (13) Quà maritum utrum præmoriatur an superstes sit in eo quidem diversa est ratio, quantum pro gerada debeatur, at minime cui. Nec enim ejus aliqua ratione interest à quibus capiatur ubi ipse nullo casu retinet sed præstatur alii. Existimatum itaque est recte eatenus pronunciatum materterræ etiam Geradam deberi *in causa Helmuth Otto à Winterfelden contra Mette Schütten, die 13. Iunii Anno 1659.*

1. Vid. Ritterrecht tit. von der Gerade/ und was dazu gehöret/ auch wie das vertheilet wird.

2. §. Wo aber die Frau für ihrem Mann verb. lässet nach sich Töchter und Töchter Töchtere.

3. Strictissime igitur atque propriissime accipienda sunt. *Bartol. in l. omnes num. 60. ff. de Iustit. & jur.*

4. Sic intelligenda sunt statuta uti verba sonant. *Gail. 2. Observ. 79. num. 4 & 5.*

5. Statuta intelligi ut litera jacet, vetus JCtorum dictum est. *Gail. 2. Observ. 33.*

6. In statutis hoc argumentandi genus solitum est, quod non expressum habetur pro omisso. *Menoch. de Arbit. jud. quæstion. cas 32. n. 11.*

7. Conjugum velut unius carnis potior ratio videri potest quam cognatorum.

8. Quæ ita sonat. Gleich wie zuvor angesetzet ist/ daß denen Söhnen oder nächsten Schwerdmagen ein Hergewette füraus gebühret/ also folget und gebühret dagegen auch den Frauen und ihren Töchtern/ oder Mangel deren den nächsten Nifteln oder Spielmagen hinwiederumb zuvoraus.

9. Regulæ semper insistendum tanquam juri communi, quod in dubio sequimur.

10. Exceptio est odiosa, *l. 1. ib Dd. ff. de R. I.* ideo nunquam pro sumitur, sed probatione indiget *l. si ab ea 5. ff. de Probat.*

10. De similibus idem judicium esse debet. Et quæ statutum æquiparat, de iis & eadem velle intelligi ur. *Bartol. in d. l. omnes numero 65.* Et in specie argumentum à rebus expeditoriis ad Geradam utitatum dicit *Carpzov. l. 1. tit. 9. respons. Elect. 96. num. 21. & part. 1. decis. 2. n. 6. Moller. 2. Semestr. c. 5.*

11 §. Gleicher Gestalt/ sol es auff den Fall verb. sondern wider Nifteln oder Spielmagen nachliesse. verbum gleich/ wie/ gleicher Gestalt sunt similitudinaria & important similitudinem tam in substantia quam in qualitate *Besold. Thesaur. Pract. lit. VV. verb. wie numero 30. Ruding. cent. 2. singul. Observ. 83.*

12. Sicut statutum debet esse rationabile sic & præsumitur. Quod itaque in una specie probavit in alia plane simili non improbasse creditur, sed ex identitate rationis idem jus etiam in statutis sumitur. *Wesenb. consil. 51. num. 40. part. 2.*

13. *Cothman. resp. 40. num. 206. vol. 1.*

DECISIO III.

An de gerada valeat testamentaria dispositio.

CUm ex jure Saxonico de gerada inter vivos quidem donare, non autem testamento disponere liceat (1) in ducatu Bre-

Digitized by Google

mensi orta est ea Disputatio an cum ad exemplum Saxoniæ in ista Gerada fœminei sexus proximis consanguineis debeatur, testamento istam aliis dare vel de eâ disponere licitum sit? existimatum vero fuit non esse interdictam testamenti factionem (2) hæc quippe gentium juris (3) adeoque cui vis libera est, cui non speciatim reperitur prohibita. (4) Et facta licet prohibitio odiosa habetur, nec ultra casum expressum extenditur. [5] Nulla autem qua Geradam extat ejus in jure equestri Ducatus Bremensis prohibitio, quin potius generatim tam fœminis quam maribus, per illud permittitur libera testamenti factio, nec additur exceptio, nisi quoad bona hæreditaria seu familiaria Erb Stammgütere / (6) quæ confirmat regulam in casibus non exceptis. (7) Qua fœminas quidem adjicitur quoad bona de quibus testantur ea qualitas, quod de iis valeat ultima ipsarum voluntas de quibus juxta superiores articulos disponendi facultate pollet, at non potest referri hæc ad Geradam, dum de illa nullibi adempta est disponendi facultas. (8) Quod ex eo solo non est conjiciendum, quia Geradam proximis cognatis tribuit, dum non facit cum exclusione testandi potestatis, quæ nunquam præsumitur. (9) Exemplum Juris Saxonici non potest aliud persuadere, cum non constet illud esse receptum, aut statuentes sic voluisse, ut deficiente statuto illud sequamur. (10) Nec dum satis certo constat, an Gerada in Ducatu Bremensi sic recepta ad exemplum Geradæ Saxonicæ. Ex his conclusum fuit haud recte pronunciatum esse, non valere testamentū super iis quæ ad Geradam pertinent. 11) Quando vero partium aliqua consuetudinem, juxta quam alium statuti seusum constare putat, pro se allegat, admittenda est ad probationem. (12) Visum itaque sic pronunciandum esse, ut appellans sub conditione, nisi adversa pars probet aliam consuetudinem, à petitione Geradæ ob testamenti vim absolvatur. [13] *In eadem causa.*

1. Speciali constitutione id cautum reperimus *in constit. Sax. part. 2. c. 14. ubi prolixius ab JCtis Saxoniæ exponatur.*

2. Sic communis JCorum sententia habet.

3. Ideo publici juris testamenti factionem esse dicitur *in l. 2. ff. qui Testam. fac.*

4. *pr. Inst. Quib. non est permiss. gloss. in l. 4. eod.*

5. Nihil tam est humanum & quod hominibus magis debeatur; quam ut humanæ voluntatis postquam aliud velle non possunt liber sit stylus, & liberum quod iterum non redit arbitrium *l. 1. C. de SS. Eccles.*

6. Vid. tit. von Testamenten / so einer bey gesunden Leibe / oder in seinem letzten bey guter Vernunfft ein beständig Testament gemacht / und auffgerichtet hätte / dasselbe sol bey Würden und Macht gehalten werden / doch so ferne daß darin keine Erb-Stamm-gütere den nächsten Erben und Schwerdmagen entwendet oder vergeben werden.

7. *l. nam quod liquida §. si cui ff. de pen. legat. l. fin. §. cui dulcia ff. de Trit. vin. ol.*

8. Vid. §. also auch was eine Frau verb. von denen Stucken davon sie vermöge obbeschriebenen Articul zu disponiren Macht hat.

9. Verba statutorum ita sunt accipienda ut nemini auferatur naturalis libertas, *Corneus Consil. 87. num. 3. vol. 2.* multo minus ut testandi libertas, quæ humana, pia & favorabilis est, decedat.

10. Talia statuta, quæ tribuunt beneficium in casum mortis, in dubio accipiuntur de casu intestati, nec adimunt cuiquam de suo testamenti factionem.

11. Saxonici juris imitatio eo minus in hac specie recipienda est, quod Cti Saxonici nesciunt rationem reddere aut invenire, cur de Gerada testari non liceat, cum donare permissum sit. *uti prolixius reperies apud Moller. lib. 1. Semest. cap. 11.*

12. Optima statuti interpretatio est ex consuetudine *l. si de interpretatione l. nam Imperator ff. de Legib.* Et quod in statutis ambiguum, non tam ex verbis quam usu & praxi accipiendum est. *Gravett. de Antiq. temp. part. 1. in pr. num. 40. Cothmann. resp. 48. n. 24. vol. 4.*

13. Non sufficit allegare consuetudinem, sed probare oportet, & quidem speciatim in iis terminis in quibus adducitur, *Cothman. resp. 3. num. 68. seq. vol. 5.*

Tenor publicatæ sententiæ.

In Sachen Helmuth Otto von Wintersel-den Appellanten wider Metten Schutten Appellaten / in puncto Geradæ wird deß einwendens ungehindert die Sache anhero erwachsen zu seyn geachtet / die gravamina aber als überflussig nicht / sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen / darauß befunden und erkandt / daß von Richter erster instantz übel gesprochen / wol appelliret / die den 4. Febr. Anno 1657. publicirte Urthel dahin zu andern seye / daß der Gerade halber wider deß Appellanten Haußfrauen Testament Appellantinnen nichts gebühre / es könte dann Appellantinne rechtmäßig beybringen / im Hertzogthumb Bremen durch beständigen Gebrauch Herkommens / daß von denen zur Gerade gehörigen Gütern eine Frau nicht testiren / und ihren letzten Willen nicht auffrichten möge. So würde sie annoch damit gehöret / und ergienge darauff was sich gebühret. Von Rechtswegen.

(Hoc est)

In causa Heldenmuth Ottonis à Windenfeldē Appellantis contra Metten Schutten appellatum in puncto Geradæ, non attentis exceptionibus causam hac devolutam gravamina vero tanquam superflua non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus à judice prioris instantiæ male judicatum bene appellatum, sententiam 4. Febr. Anno 1657. publicatam

eō

eò reformandam esse, quod ratione Geradæ contra Appellantis uxoris testamentum Appellatas nihil competat, nisi appellata legitimè doceret In Ducatu Bremensi per informem consuetudinem introductum esse, quod de bonis ad Geradam spectantibus fœmina testari & ultimam voluntatem conficere nequeat, quo casu ea adhuc audiretur & sicut insuper quod convenit, idque de jure.

DECISIO IV.

Jus Equestre das Ritter-Recht *Ducatus Bremensis, quomodo ex jure Saxonico sit intelligendum vel supplendum.*

IN disputatione de Gerada & super ea testandi facultate inter partes incidit & agitata est ea quæstio, utrum in ea dubitatione recurrendum sit ad jus Saxonicum, de Gerada plenius atque clarius disponens. Visum fuit discernendos esse casus, an de eo sit inspectio, quando quod in jure equestri continetur est obscurum, & inde sensus dubius, an quando de eo plane in isto nihil habetur, quid deficiente specialis juris litera sit sequendum. Circa prius interest qua materiam: alia quippe est placiti provinciæ particularis ex consensu expresso vel tacito, qui est in consuetudine ortum habens, alia ex receptione alieni exempli, seu ad imitationem juris Saxonici orta & consueta. Quæ hujus generis sunt, ea in dubio interpretationem habent ex jure alieno, quod imitari placuit, & siquidem appareat vicinos mores populum imitari, utique quam verosimile est sic recepisse, ut servari videt, tam & usus ejus normam inde habet, (1) ideo si non obscuris argumentis appareat, Saxonico exemplo invaluisse usum Geradæ, quod de eo statutū in dubio eum intellectum habet, uti in simili antiquitas constituit & observavit Saxonicæ Tractus (2) quid autem non ad hujus Constitutionem vel mores receptum esse constet, incongrue eosdem sequemur. Ideo in dubio, si non apparet quid statuentes alias voluerint, id voluisse credimus, quid juri communi convenientius est (3) in posteriori specie, cum non de dubio intellectu, sed de defectu Juris Specialis quæritur, eo minus ad jus Saxonicum recurrendum est. quod nullibi apparet ejus imitationem placuisse aut superioribus aut incolis. Etsi enim Saxoniæ inferioris pars sit Ducatus Bremensis, non tamen quod est Electoris vel Ducatus Saxoniæ recepit plane, nec causa est, quæ ad observantiam obliget. Quod itaque speciatim non est receptum, in eo jura communia sequi oportet. (4) Nec jus Equestre olim aliter confirmavit, quam quatenus non longe à jure communi imperii recedit. (5) Sine cujus consensu fieri non potuit, ut subditi seu status provinciæ ad jus extraneum se obstringerent. Exinde cum de Geradæ jure qua Testamenti factionem nihil illis statutis comprehenderetur, deficientibus iisdem, non est Saxonicas constitutiones sequendi quædam ratio aut necessitas. *In eadem causa.*

1. Statutorum interpretatio ex jure & consuetudine vicinorum locorum desumitur. *1. De quibus ff. de legib. Cravett. Consil. 118. num. 3. & 4.* ait ita si habentur & observantur non dissimilia. *Ant. Gabriel. comm. conclus. lib. 5. tit. de præscript. Conclus. 7. num. 15. Rauchart. part. 1. quæst. 2. num. 25.*

2. Talia esse pleraque quæ in jure Equestri Bremensi habentur, constat ex iis quæ in fine illius habentur.

3. Statuta, uti aliud manifeste non apparet ex jure communi interpretationem accipiunt uti prolixe docet *Alteran. Mascard. in tract. de General. statut. interpr. Conclus. 2. num. 1. & seq. & Conclus. 12. per tot.*

4. Hæc est communis Regula quod deficiente speciali statuto aut consuetudine, spectatur & observetur quod est Juris Communis.

5. Vid. Epilogum deß Ritter-Rechts verb. Weil wir den in Verahtschlagung dieselben befunden/ daß sie zum Theil den gemeinen beschriebenen Rechten und des Heil. Rom. Reichs Constitution und Ordnung nicht gantz ungemäß

TIT. XVII.

DE REPUDIIS ET JUDICIO de Moribus sublato.

DECISIO Unica.

De pœna voluntarii & injusti divortii.

NOn pro levi crimine pia jurisprudentia habet injustum repudium & divortium conjugium adulterio non absimile. (1) Ideo etiam publico judicio à magistratu merito vindicatur, tum propter mala ejus, queis res domestica gravitet turbatur, & affligitur, tum propter scandalum quo respublica læditur. At de pœna qua castigari debet res certa non est. Olim coercebatur amissione dotis vel donationis propter nuptias, quam lucrabatur persona innocens. Sine istis definitis si matrimonium contractum fuerat, siquidem bona linquens 400 aureos non excedebant, quartam partem, si excedebant, quartam partem, si excedebant, centum aureos in-

Digitized by Google

nocens capiebat. [2] Quod correctum postea & pro supplicio constituta in monasterium detrusio huic simul addictâ certâ parte bonorum malitiosè divertentis (3) Quando vero monasticæ vitæ consuetudo post reformatam religionem desiit cum illa etiam hoc pœnæ genus cessavit, turpitudo vero facti tanto major creditur, quò magis divinis legibus contraria (4) esse creditur, & ubi certam pœnam loci lex vel mors non introduxit, arbitrio judicis illa relinquitur. (5) Nihil vero in eo justius esse potest quam quod prioribus legibus convenit, nempe ut in tantum condemnetur atque olim amittere debuit, adeoque in eam summam quam pro dote ad maritum attulit. (6) Ad quam etsi marito non amplius est actio, nec etiam aliis de causis de divortio justa sit querela, tamen fisco superest, qui postquam publico supplicio delictum coercetur eo modo licite vindictam exercet. (7) Ita pronunciatum *in causa Advocati Fisci contra Ilsabe von Broberpen, die 15. Octobris Anno 1659.*

1. *Prout videre licet qua contra illud constituuntur in Novell. 22. cap. 5. Novell. 117. cap. 13. Novell. 127. cap fin. Novell. 134. cap. 11.*

2. *Dict. Novell 22. cap. 5. Novell. 117. cap. 8. 9 & 13.*

3. *Dict Novell. 134. cap. 11.*

4. Ab initio Deus in prima connubii institutione sanxit ejusdem indissolubile vinculum & naturali lege firmavit *Genes. cap. 3* Hebraïs propter σκληροκαρδίαν Moses permissu Dei aliquid ad divortia indulgere ex metu gravioris mali inductus est. Sustulit vero eam indulgentiam in novo Testamento Christus & divortii citra adulterium prohibitionem renovavit *Matth. cap. 10.* Exinde Christiana Ecclesia divortia valde impia & improba habet.

5. Pœnæ hodie fere omnes arbitrariæ sunt.

6. Ex eo quod lex recentior non usu tollitur, an jus anterius sit reditus.

7. Quam ea æquitas defendit quæ fuit prioris legis.

Juxta hæc ita pronunciatum.

In Sachen Advocati Fisci Anruffenden wider Obriſt Leutenant Frantz von Brobergen Witwe Ilſabe von Brobergen Angeruffenen in puncto declarationis in pœnam wird auff die verübte Acta wegen der unterſchiedlich von jetztbenanter Wittwen verübten ärgerlichen ſtraffbaren Mißhandlungen ſie in die Summa/ ſo ſie deß Divortii halber ihrem Ehemanne gebetten / dem Fiſco fällig/ derſelbe auch befugt erkant/im Fall ſie dieſelge nicht in ſechs Wochen einbrächte/ auß den ſequeſtrirten/ und biß zur Zahlung behaltenen Brieffen/ auch darauß gebührenden Geldern und ſonſten dieſelben zulänglicher Maaſen einzutreiben / dabeneben dann auch der Condemnatæ alles und jedes / ſo vor und noch bey währender Ehe der Ehemann ihr geſchenckt / ins Gerichte zu lieffern aufferleget. Von Rechts wegen.

(Hoc eſt)

In cauſa Advocati Fiſci implorantis contra Colonelli locum tenentis Franciſci à Brobergen viduam Eliſabetham à Brobergen imploratam ad ventilata acta propter diverſa à modo dicta vidua commiſſa ſcandaloſa delicta illam in ſummam quam ratione divortii marito obtulit, Fiſco ſolo eadem condemnamus & decernimus, caſu quo illa eam ſummam intra ſex Septimanas non inferret quod ex ſequeſtratis & uſque ad ſolutionem retentis obligationibus & inde competentibus pecuniis & alias eam exigere poſſit, præterea etiam condemnatæ ut quidquid tam ante quam poſt durante matrimonio à marito dono accepit ad Judicium deferat injungimus. Idque de jure.

TIT. XIIX.

SOLUTO MATRIMONIO quemadmodum dos petatur.

DECISIO I.

Lucrum ſtatutarium non debetur conjugi conjugem deſerenti; at quamdiu ad privationem non agitur; non denitur, nectamen etiam, niſi auditis quorum intereſt, addicitur.

DEſertio conjugis meretur pœnam privationis lucri, quod alias juxta legem vel conſuetudinem loci poſt obitum conjugis ſuperſtiti debetur, (1) modò non excuſabilis ſit iſta, (2) veluti quando deficit probabilis ejus cauſa, (3) aut ubi per ſententiam divortium erat improbatum. (4) Exiſtimatum itaque, etſi divortii eum prætextum fecerat conjunx, quaſi ob acceptam propinquioris gradus cognationis poſt nuptias ſcientiam, cohabitatio conſcientiæ adverſa eſſet, lucrum non mereri, (5) præſertim cum per ſententiam ad maritum redire monebatur, tantum ſi adhortatione permoveri non poſſit, divortium permiſſum, at cum pœna deſertricis irroganda. (6) Quando itaque poſt obitum mariti hæc mandatum contra mariti hæredem, quæ erat mater, petebat, ut ex mariti opibus nobilium viduarum lucrum præſtaret, non audita eſt, ita tamen ut non planè rejiceretur petitio, ſed ad competens forum atque ordinarium proceſſum remitteretur, quandoquidem non fuit iſto privanda, niſi cum cauſæ cognitione & auditis quorum intereſt. (7) præſertim quia non aliter conjux deſertrix lu-

cro

Digitized by Google

cro privatur, quam si hæredes privati postulaverint. (8) Alias injuriam defuncto factam jusque suum remisisse creduntur. Uti hæc fuerunt considerata. *In causa Elisabethæ Brobergen contra Mariti Francofæ à Brobergen viduam, die 20. Martii Anno* 1657.

1. *Novell. 22 cap. 15. §. 2. Novell. 117. cap. 8. §. si nolente viro. Rauchbar. part. 1. quæst. 47. num. 10. & part. 2. quæst. 20. num. 6. Heig. part. 1. quæst. 33. nu. 41. seq.* Tacitam quippè debitum illud conditionem habet, si conjuges officio suo usque ad mortem non defuerint. *Heig. dict. quæst. 33. num. 24.* Iniquum planè partem deferendo officio suo reluctantem, ex bonis defuncti conjugis quisquam lucrati, *l. 51 ab hostibus 10. §. si vir ff. solut. Matrim.*

2. Est enim ea pœna desertionis tantùm malitiosæ. *Faber ad tit. Instit. de Nupt. num. 164. & seq.*

3. *dict. Novell. 22. cap. 15. §. 2. verb. citra rationabilem causam.*

4. Talis sententia ostendit improbè à marito secessionem factam esse, ubi discedentem redire jubet.

5. Non est probabilis decernendi causa, quem quis sibi ipsi facit & affectat, *l. 2. §. fin. ff. si quis caution* Perinde est ex tali deserere & ex nulla seu improba.

6. Improbitatem facti tum ad redeundum cohortatio, *l. ob hæc 20 ff. de his qui not. infam.* tum reluctanti intimata pœna ostendit.

7. Propter ea quæ variè circa desertionis articulum incidunt, opus est causam cognosci, antequam irrogatur privatio, *uti ostendit Carpzov. Jurisprud. forens. part. 3. constit. 26. defin. 10.*

8. *Moller ad Constitut. Saxon. 26. num. 2. in fin. part. 3.*

DECISIO II.

Lucrum statutarium, quo uxor desertrix privatur, non cedit fisco sed manet penes hæredes Defuncti.

QUando putabatur, uxorem post desertionem lucrum ex bonis mariti viduæ alias competens capere non posse, in quæstionem incidebat, utrumne ad illud fisci jus quoddam sit, ideò advocato fisci mandandum, ut ad privationem sibique applicari petendo officio suo fungeretur? Etsi verò initio illuc allicere videbatur ex juris sententia, quod bona quæ indignis auferuntur, fisco cedunt, (1) tamen è contra considerato, quomodo ad illa hoc pertinet, quæ indignis auferuntur, (2) non verò quæ capere non possunt, quia deberi non incipiunt, (3) & quâ ratione non ex illorum sed horum numero lucrum istud habendum erit, (4) in contrariam ivimus sententiam, & ab eo fisco abstinendum, (5) aliam verò pœnam quam ex desertione meruerat, quæque sententia continebatur, prosequendam putavimus *in eadem causa.*

1. *l. 1. l. Lucius 9. ff. de Jur. Fisc. l. Papinianus 8. §. meminisse ib. Bartol. ff. de Inofficios. Testam.*

2. *De hac diversitate ejusque ratione vid. Heig. part. 2 quæst. 33. num. 39.*

3. Quod non debetur aut deberi non incipit, fisco non cedit, *l. fin §. 1. ff de his quæ ut indign.*

4. Nec enim deberi incipit, dum casus debiti non contingit.

5. *Ita de hoc lucro, quod ad istud Fisci nullum jus nec actio sit, statuunt, Heig. part. 2. quæst. 33. num. 42. Coler. decis. 57. num. 68. part. 1.* qui hæredi illud accedere dicunt Magis propriè dicemus, quia jugi non debetur ab hæreditate non decedere Probatur manifestè ea sententia *per text. in l. si ab hostibus 10. §. 1. solut. Matrim.* ubi marito ob uxorem occisam ablatum non fisco, sed hæredibus cedere dicitur. Ratio manifesta est, quia nunquam deberi incipit, ideò ut non Ens non potest fisco acquiri.

DECISIO III.

Alimentorum modus qua uxorem arbitrio judicis, & unde statuendus.

POstquam conjuges à mensa & thoro Consistoriali decreto separati erant, at sub ea conditione, quæ addi solet, ut maritus alimenta præstet, atque ille receperat; verum per aliquot annos non præstiterat, quæ interim uxori ista porrexerat fœmina repetens impendia, in litem super quantitate debita incidit, marito reo opponente immoderatam esse impensam, par quoque ab uxore vivi potuisse. Quando autem judex prior exceptionem rejecerat à condemnatione appellatum fuit. At ut opinati fuimus frivole. Est enim definitio alimentorum ejusque modus judicis arbitrio relictus (1) Hoc verò applicandum diversimode pro differentia personarum & necessitatum. Quæ non statuendæ sunt tantum ex eo unde vita sed etiam unde qualitas personæ atque conditio vivendi sustentatur. (2) Ampliora alimenta debentur nobili quam plebeiæ. [3] in præsenti specie ubi alenda fuit uxor Tribuni militum hominis nobilis & in militari dignitate constituti, juxta mariti conditionem qua uxor gaudet, victum habere debuit. (4) Nec impedimento fuit, quod humili ortu fuit, illum enim nubendo deposuit, & in familiam dignitatemque mariti transiit, (5) non amplius ex ea unde venit familia sed ex nova in quam ducitur censenda. (6) Haud quoque spectandum quod vel plane non vel modice donata in connubium venit. Nam etiam indotatæ alimenta perinde ut dotatæ debentur (7) sicut & dotatæ ultra dotem, si hujus fructus non sufficiunt. Ita conclusum & judicatum *in causa des Obristen Iochim von Ratken, contra Annæ Mandelkonen, Die 20. Januarii Anno* 1658.

1. *l. 1. C. ubi pupill. ib. Bald. & Salyc.*

Digitized by Google

2. l. victus 43. ib. Alciat. & alii ff. de V. Signif. In quo consideranda est alimentarii dignitas, genus & conditio, ut isti æqua sint alimenta, *l. servis. 99. pr. ff. de Legat. 3. l. 1. §. mulier. 4. ff. de Ventr. in possess. mittend. l. sed si quid 15. §. sufficienter ff. de Usufruct.*

3. *Caccialup. in l. diem functo num. 51. ff. de Offic. Assess. Brun. in tr. de Cession. Bonor. quæst. 30. princ. num. 2.*

4. Ut uxor sequitur conditionem mariti, sic etiam juxta hanc sustentanda est, nec ipsa modo, sed etiam, si dignitas exigit, famula *l. si cum dotem 22. §. fin. autem verb. cum sua familia ff. Solut. matrim. l. pen. ff. de in rem vers. pen. ut in poss. leg.*

5. *l. fin. ib. Dd. C. Incol.*

6. Uxor dicitur finis & caput familiæ. *l. 195. in fin. ff. de V. S.*

7. *l. quod si nulla 28. ib. Bartol. ff. de Religios. & sumpt. fun. c. per vestras ib. Panormit. de Donat int. vir. & uxor. l. ult. C. de Repud. Gail. 2. Observ. 87. in pr. & 95. num. 15.* ubi eam communem sententiam esse asserit. Hoc quidem marito fas est, si dotem uxor promisit & non præstat illam ad domum patris vel dotem debentis remittere, ut ibi alatur, donec de dote satisfiet. *l. fin. ib. Bald. Castrens. Solycet C. ad SC. Vellejan. Gail. d. observ. 87. num. 2. & 4. Mynsing. 1. observ. 64.* attamen si vel non ipsa aut parens promisit dotem, vel à promissore nihil pro alimentis obtinendum est, manet officium mariti sustentare tanquam ordinarium matrimonii onus *l. si filia 20. §. hoc amplius ff. Famil. ercisc. P. Greg. Tholos. lit. 9. Syntagm. cap. 19. in pr.*

8. *Chassanæ in consuet. Burgund. verba 4. §. 20. verb Deniens de mariage num. 14. Compeg. de dote part. 2. quæst. 8. num. 2.*

DECISIO IV.

Alimenta repetens tenetur quantitatem illorum jurato asserere.

SI quidem de eo non est dubitatio, aliquem in alimenta quæ repetit impendisse, id quod ante omnia probandum est, [1] sed saltem de impendii quantitate ad juramentum decurritur, & eo mediante taxatio atque adjudicatio fit, (2) exemplo ejus quod dicimus, ubi debitum certum, quantitas ejus incerta hanc juramento definiendam esse. *In eadem causa.*

1. *Joseph. Ludovic. decis. Lubecens. 42. num. 5.*

2. *l. si quis pro redemptione C. de Donat. Coler. de Aliment. lib. 3. cap. 12. num. 35.*

3. *Mascard. de Probat. conclus. 1063. n. 7. seq.*

Sententia hoc tenore publicata fuit.

In Sachen Obrist Joachim von Ratekens Applanten / wider Annen Mandelkôns Appellantinnen in puncto restirender alimenten und anderer Gelder / werden die gravamina als unerheblich nicht / sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen und erkandt / daß von Richter erster Instantz wol gesprochen / übel appelliret / und dabey es allerdings zu lassen / Appellant sich aber wegen deß beschwertes super angustia termini bey dem Hoff-Gerichte / dahin die Sache verwiesen wird / anzugeben / und prorogationem dessen / so bestimmet / zu suchen / auch nach Gestalt deß führenden Beweises Verordnung zu machen haben / immassen dann mit einer solchen Erklärung das remissorium ertheilet werden sol. Von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar / den 25. Januarii Anno 1658.

(Hoc est)

In causa Colonelli Joachimi à Ratekens Appellantis contra Annam Mandelkôns Appellatam in puncto restantium alimentorum & aliarum pecuniarum, gravamina tanquam superflua non admittimus, sed acta ex officio pro concluſis acceptamus & decernimus, quod à judice prioris instantiæ bene judicatum male appellatum & ei inhærendum, Appellans vero ratione gravaminis super angustia termini apud Judicium Aulicum, quò causam remittimus, cõparere & prorogationem ejus qui assignatus fuit petere Judicium Aulicum vero juxta exigentiam probationis disponere debeat, prout cum hac Declaratione remissorium amittimus, idque de Jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 25. Januarii. Anno 1650.

TIT. XIX.

Si dos constante matrimonio soluta fuerit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XX.

NE FIDEJUSSORES VEL mandatores Dotium dentur.

DECISIO Unica.

Fidejussores pro dote accipere licet patri uxoris aliisque dotem promittentibus, eaque cautio proficit uxori dotem repetenti.

EST quidem juris constitutione prohibitum fidejussorem pro dote dari mulieri à marito & patre ejus, ne eum cui mulier se suaque omnia concredidit, suspectum habere videatur, & inde inter conjuges perfidiæ occasio generetur: [1] attamen si alius qui pro muliere dotem promisit eamque reddi stipulatus est, fidejussores accipit, deque ea sibi promitti sinit, conventio non est habenda invalida. (2) velut nulla lege hæc prohibetur. (3) Nec in ea similis est ratio prohibitionis, ob quam uxori interdictum fidejussorem exigere atque accipere. Non interest si pater, frater aut extraneus dotis

Digitized by Google

dotis securitatem eo modo quærit. (4) Et licet plures sint qui secus sentiunt, idque ex jure civili ancipiti disputatione controvertitur, tamen communius itum est in illam sententiam. (5) Ubi constat usu alicujus provinciæ sic invaluisse, ut fidejussores dotium dentur,, quemadmodum in Pomerania frequentissimum pactis dotalibus nobilium quæ continent promissionem dotis & stipulationem restitutionis in causam solvendi matrimonii proximos consanguineos aliosve ut fidejussores assumi, (6) res dubio carebit: cum per consuetudinem fieri possit, ut etiam uxor à marito eosdem accipiat. (7) Quando autem non ipsa sed pater vel alius securitatem dotis à marito per fidejussorem sibi præstari curavit, ex eo, cum ad inopiam vergit maritus, (8) etiam uxori adversus fidejussorem ejusque bona actionem esse reputatum est. Etsi enim regulariter alteri per alterum non quæritur debitum & actio, fallit id tamen favore dotium, (9) quia eas salvas esse Reipublicæ interest, ideo à regulis juris communis earum causa recceditur, & id saltem spectatur, ut quavis ratione dotes serventur mulieribus. (10) Quando igitur casus occurrit ubi in concursu creditorum ob prærogativam quæ avitis competebat creditoribus vidua filii de dote ex mariti bonis perichitabatur, (11) ex soceri fidejussione autem aliis anterior videbatur, reputatum est audiendam esse ut salvam dotem habeat. Quod consideratum *in causa Balthasar von Kalden viduæ, contra paternos creditores, die 1. Decembr. Anno 1654.*

1. *l. 1. & 2. C. ne fid. dot. dent. Rationes hujus Constitutionis prolixius exponit. Hering. de Fidejussorib. cap. 6. n. 107. & seq.*

2. *Expressa lege approbari videtur in l. un. §. 1. C. de rei uxor. action.*

3. Ut singularem legem, quæ est in prædicta constitutione JCti nolunt ultra verba extendi. Ideo tantum in expressa specie eam admittunt, in aliis contractibus maritos uxori etiam fidejussores dare, quia cessat juris prohibitio, sentiunt, *vid Joh Gœddæum in tr. de contrab. Stipul. cap. 6. conclus. 32. n. 370.*

4. *v. Fab. in Cod. lib. 5. tit. 14. defin. 4.*

5. *Vid. Bartol. & Ludovic. Roman. in l. si constante ff solut. matrim. Bald. Novell. de Privileg. dot. 21. n. 12*

6. In Pomerania Jus commune qua fidejussores, pro dote conservanda non esse in usu amplius tessari possum, quod ex iis fidejussores non attenta juris communis oppositione condemnatos scio.

7. *Vid. Castrens. consil. 15. lib. 1. Menoch. de Præsumpt. lib. 4. præs. 190. num. 43. Roman. Consil. 392.* Distinguit *Bald. Novell. privil. dot. 21. limit. 13.* Inter consuetudinem quæ arctat maritum ad dandum fidejussorem & quæ permittit. Hanc saltem valere putat *Wesenbecius in addit. ad Bartol. in l. 2. ff. de fidejuss. dot. dent.* ait, hanc legem præcipuè inter nobiles consuetudine esse antiquatam.

8. In hac specie licet mulieti à marito ad inopiam vergente exigere & accipere fidejussorem, *c. per vestras x. de donat. int. vir. & ux. l. si constante §. quoties ib Jason. num. 5. seq. & Dd. alii ff. solut. matrim.*

9 *Gothofred. ad l. stipulatio 38. §. alteri 17. ibidem & Dd. alii ff. de verb. obligat.*

10. *l. 1. ff. solut. matrim.*

11. Sic usus Pomeraniæ observat, ut antecessoris creditores præferantur omnibus creditoribus & inter hos viduæ successores.

TIT. XXI.

Rerum Amotarum.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXII.

Ne pro dote mulieris bona quondam marit. addicantur.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIII.

De Fundo Dotali.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIV.

Divortio facto apud quem liberi morari vel educari debeant.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXV.

De alendis liberis ac parentibus.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXVI.

De Concubinis.

Hunc titulum Mevius non attigit.

Digitized by Google

2. l. victus 43. ib. Alciat. & alii ff. de V. Signif. In quo considerandæ est alimentarii dignitas, genus & conditio, ut isti æqua sint alimenta, *l. servis. 99. pr. ff. de Legat. 3. l. 1. §. mulier. 4. ff. de Ventr. in possess. mittend. l. sed si quid 15. §. sufficienter ff. de Vsufruct.*

3. *Caccialup. in l. diem functo num. 51. ff. de Offic. Assessi Brun. in tr. de Cession. Bonor. quæst. 30. princ. num. 2.*

4. Ut uxor sequitur conditionem mariti, sic etiam juxta hanc sustentanda est, nec ipsa modo, sed etiam, si dignitas exigit, famula *l. si cum dotem 22. §. fin. autem verb. cum sua familia ff. Solut. matrim. l. pen. ff. de in rem vers. pen. ut in poss. leg.*

5. *l. fin. ib. Dd. C. Incol.*

6. Uxor dicitur finis & caput familiæ. *l. 195. in fin. ff. de V. S.*

7. *l. quod si nulla 28. ib. Bartol. ff. de Religios. & sumpt. fun. c. per vestras ib. Panormit. de Donat int. vir. & uxor. l. ult. C. de Repud. Gail. 2. Observ. 87. in pr. & 95. num. 15.* ubi eam communem sententiam esse asserit. Hoc quidem marito fas est, si dotem uxor promisit & non præstat illam ad domum patris vel dotem debentis remittere, ut ibi alatur, donec de dote satisfiet. *l. fin. ib. Bald. Castrens. Solycet C. ad SC. Vellejan. Gail. d. observ. 87. num. 2. & 4. Mynsing. 1. observ. 64.* attamen si vel non ipsa aut parens promisit dotem, vel à promissore nihil pro alimentis obtinendum est, manet officium mariti sustentare tanquam ordinarium matrimonii onus. *l. si filia 20. §. hoc amplius ff. Famil. ercisc. P. Greg. Tholos. lit. 9. Syntagm. cap. 19. in pr.*

8. *Chassana in consuet. Burgund. verba 4. §. 20. verb Deniers de mariage num. 14. Compeg. de dote part. 2. quæst. 8. num. 2.*

DECISIO IV.

Alimenta repetens tenetur quantitatem illorum jurato asserere.

SI quidem de eo non est dubitatio, aliquem in alimenta quæ repetit impendisse, id quod ante omnia probandum est, [1] sed saltem de impendii quantitate ad juramentum decurritur, & eo mediante taxatio atque adjudicatio fit, (2) exemplo ejus quod dicimus, ubi debitum certum, quantitas ejus incerta hanc juramento definiendam esse. *In eadem causa.*

1. *Joseph. Ludovic. decis. Lubecens. 42. num. 5.*

2. *l. si quis pro redemptione C. de Donat. Coler. de Aliment. lib. 3. cap. 12. num. 35.*

3. *Mascard. de Probat. conclus. 1063. n. 7. seq.*

Sententia hoc tenore publicata fuit.

In Sachen Obrist Joachim von Ratekens Appellanten / wider Annen Mandelkôns Appellantinnen in puncto restirender alimenten und anderer Gelder / werden die gravamina als unerheblich nicht / sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen und erkandt / daß von Richter erster Instantz wol gesprochen übel appelliret / und dabey es allerdings zu lassen / Appellant sich aber wegen deß beschwertes super angustia termini bey dem Hoff-Gerichte / dahin die Sache verwiesen wird / anzugeben / und prorogationem deſſen / so bestimmet / zu suchen / auch nach Gestalt deß führenden Beweises Verordnung zu machen haben / immassen dann mit einer solchen Erklärung das remissorium ertheilet werden sol. Von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar / den 25. Januarii Anno 1658.

(Hoc est)

In causa Colonelli Joachimi à Ratekens Appellantis contra Annam Mandelkôns Appellatam in puncto restantium alimentorum & aliarum pecuniarum, gravamina tanquam superflua non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus, quod à judice prioris instantiæ bene judicatum male appellatum & ei inhærendum, Appellans vero ratione gravaminis super angustia termini apud Judicium Aulicum, quò causam remittimus, cõparere & prorogationem ejus qui assignatus fuit petere Judicium Aulicum vero juxta exigentiam probationis disponere debeat, prout cum hac Declaratione remissorium amittimus, idque de Jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 25. Januarii. Anno 1650.

TIT. XIX.

Si dos constante matrimonio soluta fuerit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XX.

NE FIDEJUSSORES VEL mandatores Dotium dentur.

DECISIO Unica.

Fidejussores pro dote accipere licet patri uxoris aliisque dotem promittentibus, eaque cautio proficit uxori dotem repetenti.

EST quidem juris constitutione prohibitum fidejussorem pro dote dari mulieri à marito & patre ejus, ne eum cui mulier se suaque omnia concredidit, suspectum habere videatur, & inde inter conjuges perfidiæ occasio generetur: [1] attamen si alius qui pro muliere dotem promisit eamque reddi stipulatus est, fidejussores accipit, deque ea sibi promitti sinit, conventio non est habenda invalida. (2) velut nulla lege hæc prohibetur. (3) Nec in ea similis est ratio prohibitionis, ob quam uxori interdictum fidejussorem exigere atque accipere. Non interest si pater, frater aut extraneus dotis

Digitized by Google

dotis securitatem eo modo quærit. (4) Et licet plures sint qui secus sentiunt, idque ex jure civili ancipiti disputatione controvertitur, tamen communius itum est in illam sententiam. (5) Ubi constat usu alicujus provinciæ sic invaluisse, ut fidejussores dotium dentur,, quemadmodum in Pomerania frequentissimum pactis dotalibus nobilium quæ continent promissionem dotis & stipulationem restitutionis in causam solvendi matrimonii proximos consanguineos aliosve ut fidejussores assumi, (6) res dubio carebit: cum per consuetudinem fieri possit, ut etiam uxor à marito eosdem accipiat. (7) Quando autem non ipsa sed pater vel alius securitatem dotis à marito per fidejussorem sibi præstari curavit, ex eo, cum ad inopiam vergit maritus, (8) etiam uxori adversus fidejussorem ejusque bona actionem esse reputatum est. Etsi enim regulariter alteri per alterum non quæritur debitum & actio, fallit id tamen favore dotium, (9) quia eas salvas esse Reipublicæ interest, ideo à regulis juris communis earum causa recedit-ur, & id saltem spectatur, ut quavis ratione dotes serventur mulieribus. (10) Quando igitur casus occurrit ubi in concursu creditorum ob prærogativam quæ avitis competebat creditoribus vidua filii de dote ex mariti bonis periclitabatur, (11) ex soceri fidejussione autem aliis anterior videbatur, reputatum est audiendam esse ut salvam dotem habeat. Quod consideratum *in causa Balthasar von Kalden viduæ, contra paternos creditores, die 1. Decembr. Anno 1654.*

1. *l. 1. & 2. C. ne fid. dot. dent. Rationes hujus Constitutionis prolixius exponit. Hering. de Fidejussorib. cap. 6. n. 107. & seq.*

2. *Expressa lege approbari videtur in l. un. §. 1. C. de rei uxor. action.*

3. Ut singularem legem, quæ est in prædicta constitutione JCti nolunt ultra verba extendi. Ideo tantum in expressa specie eam admittunt, in aliis contractibus maritos uxori etiam fidejussores dare, quia cessat juris prohibitio, sentiunt, *vid Joh Gœddaum in tr. de contrab. Stipul. cap. 6. conclus. 32. n. 370.*

4. *v. Fab. in Cod. lib. 5. tit. 14. defin. 4.*

5. *Vid. Bartol. & Ludovic. Roman. in l. si constante ff solut. matrim. Bald. Novell. de Privileg. dot. 21. n. 12.*

6. In Pomerania Jus commune qua fidejussores, pro dote conservanda non esse in usu amplius testari possum, quod ex iis fidejussores non attenta juris communis oppositione condemnatos scio.

7. *Vid. Castrens. consil. 15. lib. 1. Menoch de Præsumpt. lib. 4. præs. 190. num. 43. Roman. Consil. 392.* Distinguit *Bald. Novell. privil. dot. 21. limit. 13.* Inter consuetudinem quæ arctat maritum ad dandum fidejussorem & quæ permittit. Hanc saltem valere putat *Wesenbecius in addit. ad Bartol. in l. 2. ff. de fidejuss. dot. dent.* ait, hanc legem præcipuè inter nobiles consuetudine esse antiquatam.

8. In hac specie licet mulieti à marito ad inopiam vergente exigere & accipere fidejussorem, *c. per vestras x. de donat. inter vir. & ux. l. si constante §. quoties ib Jason. num. 5. seq. & Dd. alii ff. solut. matrim.*

9 *Gothofred. ad l. stipulatio 38. §. alteri 17. ibidem & Dd. alii ff. de verb. obligat.*

10. *l. 1. ff. solut. matrim.*

11. Sic usus Pomeraniæ observat, ut antecessoris creditores præferantur omnibus creditoribus & inter hos viduæ successores.

TIT. XXI.

Rerum Amotarum.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXII.

Ne pro dote mulieris bona quondam marit, addicantur.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIII.

De Fundo Dotali.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIV.

Divortio facto apud quem liberi morari vel educari debeant.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXV.

De alendis liberis ac parentibus.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXVI.

De Concubinis.

Hunc titulum Mevius non attigit.

Digitized by Google

TIT. XXVII.

DE NATURALIBUS Liberis & Matribus eorum, & ex quibus causis justi efficiantur.

DECISIO I.

Legitimatio fit ex solo consensu matrimoniali, non subsecuta licet sacerdotali copula.

CUm inter stupratam jam gravidam & stupratorem consensus matrimonialis, at non copula sacerdotalis processisset, quia ante hanc iste peregrè abiisset, mortua stuprata, de successione inter illius matrem & natæ prolis curatorem controversia exorta est. Existimatum autem non esse matris stupratæ exinde justam litigandi causam, quod filium ex stupro conceptum, at post consensum nuptialem prognatum pro spurio haberet. Erravit, quia non spurius amplius, sed per subsequens matrimonium legitimatus erat. Ad hoc enim solus consensus sufficit. (1) Copula sacerdotalis per Ecclesiæ introductum ritum ad decentius melìusque esse quidem, non tamen ad substantiam matrimonii necessaria est. (2) Quemadmodum itaque liberi, qui ex desponsatorum coitu nascuntur, si non subsequitur benedictio sacerdotalis, quia antea altera pars vel moritur, vel aufugit, non eo minus legitimi sunt, (3) ita & qui ex solutis procreantur, quando hi postea sponsalia de præsenti contrahunt, non possunt non censeri legitimati, cum verum sit & habeatur matrimonium. (4) Quod cum ita in priori instantia judicatum esset, appellatio non fuit recepta aliter, quam si ex legg provinciali, quæ allegabatur, aliter statuendum esset. Uti decretum *in causa vidua Friederich Bremers, contra Iohann von Borstell, die 4. April. Anno 1654.*

1. *l. nuptias 30. ff. de R. I. l. 24. l. 31. ff. de rit. nupt. Nov. 22. cap. 3. Novell. 117 cap. 3. & 4.*

2. *Perez. in Cod. tit de nupt. n. 12.* ubi scribit, solennitatem illam ad honestatem, non ad necessitatem pertinere, & licet matrimonium sine ea contrahi non debeat, sine ea tamen contractum subsistere. *Idem plenius traditum per Cothmann. Consil. 78. n. 5. & seq. vol. 2 Kling. in 1. de Matrim. cap de inutil. nupt. Harm. Pistor. Observ. 83. nn. 8. Sand. decis. Fris. lib. 2. tit. 2. def. 1.*

3. Sic praxis vulgaris habet, & rationi convenit, *vid. Lud. Charond. in memor. verb. infans. Carpzov. Jurispr. Forens part. 2. constit. 14. defin. 12.*

4. Ita JCti & Theologi post introductam copulationis sacerdotalis in Ecclesiæ conspectu faciendæ necessitatem in multis casibus, præsertim in favorem liberorum, & ad evitandum peccati scandalum pœnamque in favorem conjugum statuunt. Ista receptâ non sunt sublati effectus, quos ex jure civili antea consensus matrimonialis habuit.

DECISIO II.

Ex stupro nati per subsequentes nuptias legitimantur.

MUltorum ea est opinio, non nisi eos qui ex concubinatu, seu ex ea cum qua consuetudo domestica, non tamen nupta fuit, nascuntur, quos propriè naturales vocamus legitimari. (1) Quæ tamen aliena est à jure civili, per quod etiam ex stupro nati legitimantur, (2) Quod enim dicitur ex damnato coitu natos non posse per subsequens matrimonium legitimari, (3) minimè ad istos pertinet, (4) quos nulla lex ita damnavit: quin qui stuprum committunt matrimonium contrahere ideo etiam liberos ex se natos legitimos reddere possint. (5) Quod non modo communi JCtorum opinioni, (6) sed etiam praxi vulgari (7) convenit æquiusque est, (8) non habens impedimentum ex eo, quod pater certus non est, ubi quis talem se per consensum nuptialem ostendit, (9) ideo merito in judicando sequimur; Uti etiam factum *in eadem causa.*

1. Sic propter certitudinem prolis habendam requiri scribit. *Bartol. in l fin. ff. de Concubin.*

2. Ad hos productum est qua legitimationem nomen naturalium, iisque applicata legitimatio, *ut per Novell. 89. c. 1 & seq. animadvertit & exposuit Hier. Gabriel. Consil. 29. nu. 1 & seq. lib. 1.*

3. *d. Novell. 89. c. fin. v. Fab. in Cod. lib. 5. tit. 16. defin. 5.*

4. Sic coire etsi improbum, ita tamen non damnatum est, ut liberi ex eo nati habeantur damnati Tales sunt qui ex prohibito & punibili coitu prodeunt, *Fab. in Cod. lib. 6. tit. 31. defin. 12*

5. Qui matrimonio jungi possunt, eorum liberi non habentur ex damnato coitu prognati, etsi nascuntur ex fœmina non cohabitante. *Jac. Philip. Port. consil. 105. num. 38. & sep. Fab. Non. consil. 76. num. 11.*

6. *Surd. de Aliment. tit. 1. q. 9. num. 20. Covarruv. de Matrim. part. 2. cap. 8. §. 4. num. 4. Sarmient. select. interpret lib. 1. cap. 7 n. 3. Peregrin. de jur. Fisc. lib. 3. tit. 18. n. 9.*

7. Sæpius sic servatum scio.

8. Contra rigorem juris in eo æquitatem Canonicam commendat, *Bertrand. consil. 27. num. 6. & seq. part. 2.*

9. Pater est, quem nuptiæ ostendunt, aut confessio.

DECISIO III.

Spurii matri etiam nobili succedunt.

NOn quidem patri, tanquam incerto, quemque ideo non habere censentur, succedunt spurii, (1) matri tamen ut certæ succedere non prohibentur; Inter hanc & illos mutua est successio, idemque jus, quod est

Digitized by Google

est liberorum naturalium. (2) Nec est inter nobiles & ignobiles discrimen. Quod enim de fœminis illustribus constitutum est, ut, cum legitimos liberos habent, spuriorum nulla sit successio, (3) ad nobiles non pertinet, utpote queis illustres personæ habentur eminentiores, (4) ideque multò minus in odiosis ad eas facienda extensio, (5) aut sine lege amittenda distinctio. (6) Haud etiam applicari potuit illa constitutio, ubi defuncta, de cujus successione querebatur, legitimos non habeat liberos, (7) *In eadem causa.*

1. *l. hac parte 2. l. si spurius ff. unde cognat.*

2. *l. Modestinus 8. ff. d. tit. l. 1, l. 1. § sed vulgo quæsiti ad SC. Trebell.*

3. *l. si quâ illustris 5. Clad. SC. Orfic.*

4. Quomodo hodie nos illustres & nobiles distinguit, ita in legum interpretatione ab illis ad hos argumentum non ducimus. Et qui in jure vocantur illustres, longe majorem muneris dignitatem sustinuerunt, quam est sola nobilita geeneris.

5. *c. odiax. de R. I. in 6.*

6. Quatenus lex non distinguit insistendum legis indefinitæ constitutioni.

7. Per argumentum à contrario sensu, *ex d. l. si qua illustris* colligitur, & asseritur justis liberis non exstantibus spurios succedere matri. *vid. Forster. de Successsion. lib. 6. cap. 48. num. 3.*

DECISIO IV.

Liberorum qui Voll- *aut* Wolbürtige *dicuntur, appellatione veniunt legitimati.*

STatutum quod facit mentionem liberorum adjecto **Voll- oder Wolbürtig** excludit tantum liberos naturales, & spurios, cum manent tales, minime vero illos legitimatos. (1) Quandoquidem hi per omnia legitimis æquiparantur, (2) omnia jura legitimorum adipiscuntur, (3) legitimorum nomine idcirco comprehenduntur, (4) & statutum horum mentionem faciens illos continet. (5) Legitimatio quippe rotrotrahitur, & retro purgat omne vitium concubitus anterius (6) restituit jura nativitatis, (7) facit eos censeri natos post subsequens matrimonium, (8) ideo quidquid legitime natorum est, & inter hæc nobilitatem & jura successionis tribuit. (9) Ita existimatum *in causa Viduæ Friderich Brummern, contra Curatorem Iohann Borsteln, die 1. Febr. Anno* 1655.

1. *Gail. 1. Observ. 141. num. 2.*

2. *Novell. 12. c. fin. Nov 74. c. 1. & 2. Nov. 89. cap. 9. Mantic. de conject. ult. vol. lib. 11. cap. 10. num. 10. seq.*

3. *Rol. à Vall. consil. 83. num. 12. vol. 3.*

4. *H. Pistor. lib. 2. quæst. 41. num. 30.*

5. *H. Pistor. d. q. 41. num. 3. & 13. Molin. ad Consuet. Paris. tit. 1. §. 8. gloss. 1. num. 49. Boer. decis. 139. num. 5.*

6. *c. cum tanta ib. Dd. X. qui fil. sint legit.*

7. *Tiraq. in l. si unquam verb. susceperit liberos n. 84. seq. C. de revoc. donat.*

8. *H. Pistor. d. q. 41. num. 15. & 33. Gail. d. Obs. 141. num. 2.*

9. *Vid. Matth. Stephan. de Iurisdict. lib. 2. part. 1. cap. 6. memb. 1. num. 49. & 70.*

TIT. XXIX.

De Testamentaria tutelâ.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXX.

DE LEGITIMA Tutela.

DECISIO I.

Cum de statu filii non inter hunc & patrem, sed cum alio controversia est hoc filium pro suo agnoscente alius tutor non est.

FIlius quamdiu in patris potestate est, tutorem alium non habet, (1) sed ille filii personam defendit, res ejus administrat & causas agit. (2) Nec id jus mutat disputatio quæ oritur super statu filii seu legitimo ejus ortu. (3) Etsi enim si de eo inter patrem & filium controvertitur, quamdiu inter patrem & filium controvertitur, quamdiu ille hunc pro suo non agnoscit, curatorem seu tutorem accipiet alium. (4) Secus tamen se res habet, cum tertius de legitimitate litê movet, is non obstante controversia, quam facit tenetur habere pro patre, qui se talem agnoscit & fatetur, nec audiendus est, si alium quendam interea impuberis tutorem esse velit. Sic existimatum *in causa Friederich Bremer, contra Iohann von Borstell, die 24. Augusti, Anno 1655.*

1. *l. pupillus 26. 3. ff. de V. S.* Est enim tutela antantum potestas in capite libero, hoc est nulli alteri potestati obnoxio, *uti habet dsfinitio lib. 1. ff. de Tut.*

2. Pater legitimus tutor & curator est filii rerumque ejus. *Pinell. in l. ult. num. 15. seq. C. de bon. quæ lib.*

3. Controversia pendente lite neminem de statu suo dejecit, *l. fin. C. de Ordin. cognit.*

4. *l. ei qui 17. ff. de tut. & curat. dat. l. 1. ib. gloss. qui dat. tut.*

Digitized by Google

DECISIO II.

Pater naturalis filii naturalis legitimam tutelam recipere cogitur.

CUm impubes ex concubina natus sine tutore erat, & de tutelâ ejus, cui deferti deberet, quæstio oriebatur, existimatum est, non dandum à magistratu tutorem, (1) sed patri naturali tutelam injungendam esse tanquam legitimam, illi incumbentem qui successione fruitur, (2) illi incumbentem qui successione fruitur, (3) qua pater naturalis potiturus est cum morietur. (4) Ut ejus judicium Prætor sequitur cum dat tutorem, ita tutelam ei dum vivit, ante alios injunget. *Ad supplicationem Margrete Sundes ita decretum contra Iohann Borsteln, die 4. Sept. Anno 1655.*

1. Dativæ tutelæ locus non est, quamdiu legitima haberi potest, *pr. inst. de Attil. Tut.* si datur, nulla est tutela *l. 9. C. qui dar. tut.*

2. Proximus agnatus filii est pater, ideo cum non habet illum in potestate ad tutelam proximus, *l. 4. C. de Legit. tutel. l. 5. C. de curat. Furios.*

3. *l. 1. ff. de Legit. tutel.*

4. *Novell. 89. c. 3. auth. licet. C. de natural. lib.*

5. *l. naturali 7. ff. de confirm. Tut.*

DECISIO III.

Dativi tutoris justa recusatio est, quamdiu existentibus consanguineis legitimæ tutelæ locus est.

TRes species tutelæ leges constituerunt, (1) & inter illas hunc ordinem Testamentaria sit prior, secunda legitima, tertia dativa (2) Ex quo sequitur, quod quamdiu aut testamentarii, aut legitimi tutores adsunt, alii dari non debeant. (3) & datis inde sit jus recusandi seu exceptio ordinis. (4) Quæ attendi debet, si datus statim nominet, & doceat esse agnatos vel cognatos ad gerendum tutelam idoneos. (5) Hi sua existentia tutores esse intelliguntur, (6) etsi consuetudine receptum sit, ut etiam illi à magistratu dentur. Cum necessario esse ideo & dari debeant, eaque datio non proprie talis, sed tantum legis declaratio, seu ut aliqui vocant, confirmatio sit. (7) Nec obstat, quod nullibi inter excusationis causas reperitur relata agnati existentia, & sine legis approbatione non admittitur excusatio: Nam in hac specie non agitur de tutore legitime dato excusando ex causis, quas Jurisprudentia recepit, sed de eo, qui non recte datus est recusante & excipiente, cujus longe alia ratio est, quam cum tutor esse posset & deberet se excusantis. (9) Sic existimatum *in causa Iacob Platen, contra Gevert Lucken, die 7. Febr. Anno 1660.*

1. Hæc divisio ex legibus Romanis veteribus orta, *l. 52. C. de Episc. & Cler. C. de Autor. præstand.* in corpore Justinianei juris per diversos titulos exposita *vid. rubr. ff. & C. de Testam. tut. rubr. de Tut. & curat. dat. ab his.* retenta est in ordinatione Caroli V. & repetione *ordin. Polit. Rudolphi* II. *Anno 1577.*

2. Hunc ordinem Imp. Justinianus Institut. Pandectis & C. per subordinatas non modo rubricas, sed etiam legibus docuit. Quamdiu testamentaria tutela speratur tamdiu legitima cessat, *l. si quando* 11. *pr. ff. de Testam. tut.* ubi legitimus tutor adest alius non datur, *l. si sororis 9. Cod. qui da. tut. vel cur.*

3. Si enim nullus alius tutor fit tunc demum ad dativum pervenitur, *pr. inst. de Attil. tut.*

4. Juri otdinis consequens est exceptio sic ex illo constitutum in *d. l. si sororis 9. C. qui dar. tut. vel curat.* Eam sæpius in judicio oppositam, & admissam fuisse ex praxi observatum teneo.

5. Invitus datur tutor ideo declinare non potest nisi evidens sit jus declinandi, præsertim si declinat ideo, quod alius adsit qui magis debeat.

6. Ipso jure fiunt tutores ex eo quod sanguine juncti sint. Legitimos tutores nemo dat, sed lex duodecim tabularum fecit tutores, *l. legitimos 5. ff. de legit. tut.*

7. *arg. l. 32. ff. de Excusat.*

8. Excusatio à tutela non est nisi quatenus lex causam probat. *Donell. lib. 3. comment. cap. 9.*

9. Excusatio est juste dati, recusatio & exceptio non juste dati.

TIT. XXXI.

QUI PETANT TUTORES vel Curatores.

DECISIO Unica.

Providentia de tutore aut curatore temporario cum datus appellat, opus non est, si alius tutor est, qui non appellat.

UBi admittenda est tutoris provocatio, interim non relinquendus est pupillus sine tutore, (1) sed judex appellatione recepta curare solet, & debet per officii rationem, (2) nullo etiam petente, ut ipsi interea alius temporarius detur tutor vel curator, (3) in quo observanda sunt, quæ in tutelæ delatione leges requirunt. Ideo uti ante cæteros agnati, & hodie consanguinei tutelam ex lege capiunt, ex iis unus & alter pupillo adjungitur pro tutela vel cura interterim sustinenda. (4) At ita demum hæc obtinent, si alius tutor non sit Tribus aut duobus datis si unus appellat, non est necesse interea alium dare tutorem qui jam habet, (5) ideoque indefensus non manet. Quod observatum est *in causa Iacob Platen, contra Gevert Lucken, die 7. Februarii Anno 1660.*

1. Ex

Digitized by Google

1. Ex quovis impedimento tutoris unde pupillus manebit indefensus, & sine cura prospiciendum est ipsi interea de tutore alio. *Paul. Montan. in tr. de tutel. cap. 21. num. 5. seq.* aut vero si tutor manet, de coadjutore, *Montan. dict. tr. cap. 34. num. fin.*

2. Ad magistratus officium spectat etiam nemine petente de tutela & cura prospicere. *Covarruv. pract. quæst. 6. Montan. dict. tract. cap. 17. num. 11.* ubi ait sic communi praxi receptum esse.

3. *l. 2. l. cum quidam l. cum in una 17. §. 1. ff. de Tut. & curat. dat. l. cum in una §. 1. ff. de Appellat. Paul. Montan. dict. tract. cap. 24. n. 14.* Quod si non appellatur, sed excusatio alio modo proponitur non datur alius tutor, sed curator vel coadjutor *l. non solum §. qui primipilum §. si libertus ff. de Excusat. Tutor. Montan. d. tract. cap. 21. num. 8. cap. 34. num. fin.*

4. Ut ante alios illis tutela incumbit, ita etiam dum tutor gerere nequit, inspectio & gestio imponenda est.

5. Juxta regulam, quod tutorem habenti tutor non datur, §. *interdum instit. de curatorib.*

TIT. XXXII.

Ubi petantur tutores vel Curatores,

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXIII.

De tutoribus vel curatoribus illustrium vel clarissimarum personarum.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXIV.

QUI DARE TUTORES vel curatores possunt, & qui dari non possunt.

DECISIO I.

Curatoris ad litem datio à quo judice fieri debet.

CUrator ad litem, sine quo minor in judicio consistere non potest, dari solet à judice, coram quo causa agitur seu ad instantiam partis seu propinquorum seu judicis officio. (1) Veruntamen ad illam causam tantum quæ in judicio agitatur, (2) & tunc plerumque deputatur aliquis ex ordinariis judicii procuratoribus qui officio fungitur. (3) At si ultra illam litem generaliter perpetuus curator litis minori adjungendus erit, non est ea datio vel confirmatio judicis coram quo causa agitur, sed originis vel domicilii, cui minor immediatè subditus est, (4) quia ista jurisdictionem sequitur; (5) Idcirco ex ea cui immediate subest, fieri debet; (6) Sicut decretum & ejusmodi petitio dationis ad judicem, qui tutores dat, remissa fuit *ad instantiam uxoris Iobst Behren, pro liberis suis, die 19. Ianuarii, Anno 1656.*

1. *l. fin. §. 1. C. de Administr. tut.*

2. *Sic limitat. & restringit Mynsing. 1. Observ. 77.*

3. *Sic & in camera observari scribit Gail. 1. Observ. 108.*

4. *c. fin. de Iudic. in 6. Mynsing. dict. Observ. 77. ubi in conflictu de eo ICtorum Assessores camera hanc distinctionem secutos esse, & ad conciliandos de eo dissonantes juris textus optimam esse tradit.*

5. *arg. §. pen. Inst. de Attil. tut.*

6. *Oldrad. consil. 59. Moller. ad Constit. Saxon. 15 num. 3. part. 2.* Ut confusio jurisdictionum superioris & inferioris in aliis actibus, sic etiam circa tutelam & curam evitari debet.

TIT. XXXV.

Quando mulier tutelæ officio fungi potest.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXVI.

In quibus casibus tutorem vel curatorem habenti tutor vel curator dari potest.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXVII.

DE ADMINISTRATIONE Tutorum vel Curatorum, & de pecunia pupilli fœnoranda vel deponenda.

DECISIO I.

Tutor solutionem pupillaris debiti expromittens de suo tenetur solvere, aut in suis bonis executionem pati.

UBi post condemnationem exceptio faciendæ erat, promisit curator litis pro illa avertendâ solutionem, at non implevit fidem, ideo ad petitionem creditoris in bona hujus ista fuit decreta. An jure nec ne dijudicandum est ex modo promissionis. Siquidem id fecerit, ut constituens aut expromissor aut sponsor omnino persona & bona ejus, velut ex proprio credito fiunt obnoxia. (1) Ubi tanquam tutor vel curator fecerit, de suis bonis non tenetur, (2) ideo nec executione oneratur, (3) nisi vel extra officii limites sponte semet obligaverit, (4) vel fraude quadam sua effecerit, ut ex bonis pupilli nulla aut valde difficilis sit consecutio, (5) aut cum sciat, non sufficere bona pupilli promisit. (6) Cum eo discrimine, respondere placuit inferiori judici *in causa Thomas Steunhagen, contra D. Friedlieb, die 1. Decembr. Anno 1653.*

Digitized by Google

1. Fidem quippe servare convenit, *l. 1. ff. de Pact. l. 1. ff. de Constit pecun.*

2. *l. cum post 43. §. tutor. ff. de Administr. tut.* ubi traditur in dubio negotii gerendi causa præsumptionem fieri, *l. post mortem 5. §. 1. ff. quand. ex fact. tut.*

3. *l. 2. pr. ff. eod. l. 4. §. tutor. ff. de re jud.*

4. *Ita in d. l. 2. ff. de Admin. tut.* dicitur de eo, qui se liti obtulit, & *in d. l. cum post 43. §. 1.* traditur generaliter, quod qui officium suum egressus sponte se obligaverit, ei prætor non subveniat.

5. *l. 2. ff. quand. ex fact. tut. d. l. cum post 43. §. 1. verb. cum dolo fecit, ei non succurritur.*

6. *d. l. cum post 43. §. 1. de admin. tut. verb. si sciens curator non sufficere promiserit.*

DECISIO II.

Inventarii à tutore non confecti excusatio est ex defectu bonorum, vel aliunde satis apparentibus pupilli facultatibus; ut tamen fides tutoris liberata sit, juramento eam facere debet.

APpellans tutor ob condemnationem ad inventarium exhibendum, quia non fecerat, causam ejus non confecti allegabat, quod pupillus à patre valde obærato mortuo nihil bonorum, quæ in inventarium redigenda essent, acceperat, imo à paterna hæreditate abstinuerat; quidquid vero ejus esset à matre acceptum maternæ hæreditatis inventario nec non instrumento factæ inter ejus hæredes divisionis contineretur. Generatim quidem sancitum est, tutores ante omnia inventarium conficere, (1) nec ante illud confectum quidquam è rebus tutoris attingere debere, (2) si id fiat, doli præsumptione onerari pœnisque affici debere; (3) attamen ut nihil regulæ tam firmum est, quod non patiatur exceptionem, ita dubitandum non est, casus accidere posse, ubi fieri non opus (4) aut non factum excusabile sit. (5) Cujusmodi in præsenti specie esse putavimus, quando pupillus inops bonorum tantum non habet, quod repertorii solenni confectione dignum. (6) Similiter ubi ex alio Inventario vel aliunde facultates pupilli satis certæ sunt, ut de novo consignare supervacuum futurum sit. (7) Quæ tamen ita demum proficiet, si non ostenditur ultra ea, quæ alia habet consignatio, in bonis pupilli quidquam fuisse. (8) Deinde si tutor mediante juramento fidem faciet se nihil ultra ex rebus pupilli accepisse aut sciviſſe, nec fraude inventarium omisisse. (9) Quo sine non sufficiet allegatio prædicta ob præsumptionem juris ex alio omissio contrariam. (10) Quæ juramento purgatorio diluenda est. (11) Juxta hæc pronunciatum *in causâ Niclaus Boudewvin, contra Ludwvig Hoyern, die 9. Ianuarii, Anno 1656.*

1. *l. tutores 24. C. de Administ. tutor. l. fin. C. arbitr. tutel. Novell. 94. in fin.* Quod constitutione Imperii Romano-Germanici recentiore iterarum reperies in der Policey-Ordnung zu Franckfurt *Anno 1577. tit. 32.*

2. *l. Tutor. qui repertorium 7. pr. ff. de Admin. tut.*

3. *de quib. vid. d. l. fin. §. ult. C. arbit. tutel.*

4. Qualem casum ex voluntate testatoris exprimit *d. l. fin. §. ult.*

5. Si forte necessaria aut justissima causa allegari possit, cur factum non sit, *d. l. Tutor. qui 7. in pr. ff. de Administr. tut.*

6. Ubi non est quod inventarium meretur, qua ratione exigetur? Est enim illud rerum pupillarium descriptio. *l. tutores 24. C. eod.* Quæ ubi non sunt, describi nequeunt: Non entis nullæ sunt qualitates, *l. 1. ff. de hæred. vend* Æris alieni causa non opus est inventarium, sicut nec hoc alias in illud hoc referri opus. *Bartol. in d. l. tutor, not. 7. num. 10. de Admin. tut. Gutierretz. de Tutel. part. 2. cap. 1. num. 30 & 91.*

8. Actum agere tutori non incumbit qui supervacuis impensis pupillum onerare non debet. In simili praxi sic receptum est, ut si vel pater tempore mortis omnia bona sua vel propria vel aliena manu descripserit, huic tamen subscripserit: vel si vidua inventarium confici curaverit, ubi viduæ nobilium apud nos ad illud tenentur id pro tutoribus sufficere nec aliud conficere debere, quia ex isto satis de bonis constat.

8. Ex hoc præsumptio doli oritur, *d. l. tutor qui 7. pr.*

9 Cum qui tenetur conficere Inventarium, id non fecit ejus loco juratam designationem edere injungi solent, nec creditur isti nudæ sine sacramento.

10. *l. fin. §. fin. C. arbitr. tuel. ibid. Sichard. & Salycet.*

11. Quoties oneratur graviori præsumptione vel suspicione etiam in civilibus, ad hoc juramentum recurritur. *Castrens. in l. præsenti C. de his qui ad Sacr. Eccles. Heng. part. 1. quæst. 40. num. 10.* & pro defectu inventarii assumitur. *l. ult. §. licentia ib. Castrens. & alii C. de Iur. del. lib.*

DECISIO III.

Non excusat tutorem circa pupillaria negocia idem quod in suis factum, etsi cum spe aliqua lucri, si non fit, quod vel sui officii vel profidi patris familias est.

POlentam, quam pupillus ex materna hæreditate acceperat, statim non venditam vermes corruperant, inde multo vilioris precii reddita causam dedit accusationi tutoris negligentiæ, nec non actioni tutelæ ad tefundendum, quod ex ista amissum. Tutor vero, cum mediæ & ejusdem quam suis rebus adhibuerat diligentiæ exceptionem, (1) quia & suam polentam propriam non vendidisset, atque eodem loco habuisset idem inde damnum passus, (2) tum bonam de lucrando intentionem & majoris precii spem, (3) tum eventus mali damna sibi innoxia

Digitized by Google

noxia esse debere (4) opponebat. Cæterum existimatum est nihil ad excusationem hæc proficere, ubi non factum quod tutoris officio convenit, (5) quod requirit res facile perituras statim vendere, & precium eorum ad præditorum emptionem aut usuras collocare, (6) tum ubi nec ita actum uti providus paterfamilias acturus esset. (7) Quod enim dicitur tutorem ad eam diligentiam teneri quam rebus suis adhibet, ita accipiendum est. (8) Minime id referendum est ad ea, quæ supine ac imperite per illum in suis aguntur. (9) Quorum allegatio per se turpis, ideo multo minus ad excusationem profutura est. (10) Præcedens autem quædam culpa levis tutorem casui subsecuto subjicit, nec ab eventu excusat. (11) In facto autem de quo agebatur, deprehensa sunt, quæ non sapiebant providum & circumspectum patremfamilias, nempe quod cum tutor pro mediocri precio polentam vendere poterat non vendidit, quod non per unum, sed tres annos eam in tabulatis habuit, mercem corruptioni obnoxiam; (12) quod ejus curam satis non gessit, ut ex non nisi sero intellecto damno, quod tamen citius deprehendi potuit, colligitur; quod ex spe valde incerta lucri, cum sibi nulla certa ratione facere posset, venditionem distulit. *Inter eosdem.*

1. *l. pr. ff. de tut. & ration distrah.*

2. Non præsumitur quisquam circa sua negligens aut aliter quam conducit fecisse. *l. cum de indebito 25. pr. ff. de Probat.*

3. Utilitas pupilli quæsita at infeliciter tutori damno esse non debet, qui eventum non præstat si non imprudenter egit. *arg. l. 10. ff. de Negoc. gest.*

4. *l. quis ergo 3. §. sufficit. 7 ff de contrar. tutel.*

5. In omnibus ratio officii haberi & reddi debet, quæ in eo consistit, ut faciat quod debet, *l. pr. ff. de tutel. & ration.* Et ad illud pertinet ea quæ tempore depereunt sine moratoria cunctatione vendere, *l. tut. qui 7. §. 1. ff. de Administ. & per Tutor.*

6. *l. si res pupillares 3. C. de Pericul. tut.*

7. Hoc incumbit tutori quod idoneus paterfamilias erat facturus, *l. generaliter 10. ff. de Administ. Tutor.*

8. Sic explicator hoc *in l. à tutoribus 33. pr. ff. dict. tit.* à tutoribus & curatoribus eadem diligentia exigenda est circa administrationem rerum pupillarium quam paterfamilias rebus suis ex bona fide præbere debet. Ubi requiritur officium patrisfamilias & circa id bona fides:

9. Arctius alienis quam suis qui obligatur nec tantum quam in his in illis valet. *l. in re mandata 21. C. mandat.*

10. Turpitudinem suam allegans audiendus non est, *l. si creditoribus 5. C. de serv. pign. dat. man.*

11. Ita semet explicat *d. l. quid ergo 3. §. sufficit de contra. tut.* ita demum ab eventu adverso excusans, si tutor bene & diligenter negotium gessit sic *in d. l. tutoribus 4. C. de Peric. tut.* de iis casibus adversis quos cavere non potuit, dicitur.

12. Hæc dicitur moratoria cunctatio officio tutoris contraria *in l. tutor. qui 7. §. 1. ff. de Administr. Tut. ubi quid circa res tales vendendas officio tutoris convenit, exponitur.*

DECISIO IV.

Liberationis exceptio prius discutienda est, antequam tutor rationes reddere compellitur.

TUtor de reddendis rationibus præstandisque reliquis conventus, non attenta exceptione liberationis per apocham, quam exhibere offerebat condemnatus, appellabat atque eandem inter gravamina iterabat? Quæstio inde exorta, utrumne statim ad rationes reddendum adigendus, an non prius liberationis exceptio discuienda ac ad probationem istius per oblatam exhibitionem apochæ admittenduesset? Dubitationem movebat, quod redditam aliquando rationem fuisse ex actis non apparebat, & quietatio seu apocha non viso rationum libro data non liberat, aut impedit, quin tutor adhuc illam rederre cogendus sit: (1) Quod judicem prioris instantiæ secutum esse verosimile erat: At licet hæcità obtinere non negavimus, quando liberationem perperam factam fuisse ex actis constat, in qua specie non attenditur apocha vel quietatio ut ut amplissimis formulis conscripta, (2) attamen cum res adhuc de eo dubia est, (3) multò magis quando rationes adsunt, cur eam rectè & efficaciter factam esse verosimile sit, secùs statuendum, (4) ejusque potestas prius dispicienda & excutienda est. Cujusmodi in præsenti casu aderant, quando allegebatur, rationes reddi opus non fuisse, ubi nihil pupillæ in bonis aut in tutoris manibus fuerit, præterquam quod à creditoribus paternis donatum, (5) id marito ejus oblatum, receptum, ità reliqua omnia soluta, (6) tandem apochà, plenam liberationem factam esse. (7) Accedebat contestio adversarii de data apocha, tantùm facta oppositio non fuisse omnia legitimè acta, de quibus inquirendum prius fuit quam statuendum. (8) Admissa ideo sunt gravamina ad ulteriorem discussionem *in causa Nicolai Demel, contra Otto Heyen, die 28. Iunii, Anno 1656.*

1. *Sic ex Anchorani consil. 330. tradit & monet Munoz. ab Escobar. in tract. de Ratiocin. Administ. cap. 40. num. 16.*

2. Præsumitur apocha non prævia rationum redditione data, dolo elicita, idò habetur nulla & inefficax, *Bartol. in l. cum Aquiliano C. de Trans. act.*

3. In dubio quietatio facta censetur habito respectu ad rationes. *Munnoz. ab Escobar. dict. c. num. 6.*

4. Cum nihil fraudis reperitur omnia rectè, consultè & fideliter acta fuisse præsumitur, idcò tunc etsi non apparent redditæ rationes, tamen

Digitized by Google

apocha

apocha subsistit, donec contrarium probabitur. *Ità Munnoz. ab Escobar. dict. cap. 40. num. 16. sententiam prædictam limitat.*

5. Ubi aliàs certa sunt omnia, non est locus conjecturis contrariis, *l. continuus 135. §. 1. ff. de V. obl.* ideò ex iis aliquid frustrà contra illa colligimus.

6. Reliquorum solutio & receptio est argumentum redditarum rectè rationum. Finis enim istarum in illa existit.

7. Pro apocha in dubio præsumitur *Guitierrez. de Tutel. cap. 40. num. 10.* Probat planè, si scribens à se scriptam esse non negat. *Mascard. de Probat. conclus. 109. num. 1. seq.*

8. Non est sine causæ cognitione rejicienda apocha, quæ liberationem continet, ubi quæ isti opponantur, adhuc dubia & obscura sunt. Statur isti si eam à se scriptam esse confitetur scribens, etsi vera neget quæ scripsit, donec talia apparuerint. *Bald. consil. 198. pr. vol. 1.*

DECISIO V.

Tutor pro pupillo etsi solvendo sit, si modo nihil in ipso culpæ sit, unde obligetur, non tenetur, egestatem verò pupilli allegans exhibitione inventarii & rationum docere opus habet.

ETsi mandata de solvendo contra tutores pro debitis pupillorum decernuntur, ipsique per sententiam condemnantur, haud tamen condemnatio ipsos eorum quo bona afficit nec executio in hæc, sed in bona pupillorum peragitur. (1) Quod si in his nihil sit unde præstetur judicatum, vel demandatum, inanis est creditoris actio? (2) nec ex paupertate pupilli aliqua tutorum existit obligatio: (3) nisi aliquid culpæ accesserit unde obnoxii fiunt, veluti si scientes pupilli inopiam lite tamen istà inani creditores vexent & expensarum causa fiant. (5) Si verò executionem evadere velint, bona pupilli, in quæ fiat executio, indicare opus habent. (6) Excipientes de inopia illam quoque docere tenentur. (7) Idcirco inventarium, quod tempore susceptæ tutelæ confectum, exhibere simulque rationibus exhibitis, quod designata, ut non amplius exstent, versa sint docere. (8) Uti hoc observatum *in causa D. Hinrici Schabbeln, contrà Iohan Iacobsen Erben. Die 30 Novemb. Anno 1658.*

1. *l. 2. ff. de Administr. tut. l. 4. § 1. ff. de Re Iudic.*

2. Inanis est actio quem debitoris inopia excludit. *l. nam is. 16. ff. de Dol. mal.*

3. *Fab. in Cod. l. 5. tit. 24. defin. 2. num. 5.*

4. Perperam in lite pupillorum acta non hos, sed tutores obstringunt. *l. 3. l. 4. ff. quand. ex fact. tut. l. is qui 11. tutoris ff. quod vi aut clam.*

5. *arg. l. non est ignotum 6. C. de Administr. tut.*

6. Est enim hoc officii tutorum, creditoribus satisfacere, ideo solvere aut bona in solutum dare. *l. quoties §. sicut ff. eod. tit. Paul. Montan. in tr. de Tutel. cap. 33. num. 98. seq.*

7. Exceptionis probatio incumbit alleganti, *l. in exceptionibus ff. de Prob.* similiter & paupertatis. *Bartol. in l. 2. C. quomod. & quand. part. bon.*

8. Non aliter quam ex his de opibus vel inopia pupilli constare potest, ideo tutoribus hanc allegantibus inventarium exhibere incumbit.

DECISIO VI.

Tutor non potest ex sorte pupillari aliquid insumere quamdiu ejus usura reditus usibus sufficiunt.

AD tutoris officium pertinet, pupillo servare patrimonium, (1) nec ex eo ultra reditus quædam consumere, aut imminuere, etiam in pupilli gratiam, (2) nisi cum necessitas urgentior, vel honestas poscit. Sic quippe alimenta & alia ad usus pupillares facientia ordinanda sunt, ut non ultra reditus patrimonii fiat expensa. Inde excusatio tutori semper deerit, si patrimonio vel sorte pupillorum quidquam alienavit, etsi in ipsorum utilitatem, ubi ex usuris vel redditibus per diligentiam quandam, quod necessarium comparare potuit. Nec auditur, ex sorte in rationes impendiorum referens, ubi apud debitores usuræ sunt residuæ, (3) nisi doceat tum inevitabilem necessitatem impensæ, tum diligentiam omnem possibilem pro consequutione redituum seu usurarum adhibitam. (4) De cujus neglectu appellando querentes audiuntur. *In causa Benedicti Rosenthal contra heredes Antonii Hanorovv, die 5. Maij, Anno 1659.*

1. *l. lex quæ 22. C. de administr. tut.*

2. *l. 3. in pr. ff. de Contrar. tutel.*

3. Ex his causis fiet juste, ut tutor plus impendat, quam est in reditu. *Fab. in Cod. lib. 5. tit 25. defin. 2.*

4. *l. 2. l. 3. Cod. de alim. publ. præst.* Ne quidem propter alimenta alienanda est proprietas rerum pupillarium. *Bartl. in l. pen. ff. de alim. & cibar. legat.*

DECISIO VII.

Tutor ob non collocatam in fœnus pupilli pecuniam reus fit ex tutelæ actione ad id quod interest.

PEr vetus jus Romanum interdictum erat tutoribus otiosas secum habere pecunias pupillares, inde eorum officii, istas aut ad emptionem fundorum utilium aut in fœnus collocare. (1) Per Imp. Justinianum ejus quæstio facta fuit mutatio, (2) introducto discrimine; utrum ex facultatibus pupilli, quarum certi sunt reditus, pro sustentatione ejus cujus cura administratur, sufficientes, aut vero non tanti vel mobilis saltem ejus substantia. In priori specie remissa est fœnorandi necessitas, præterquam

Digitized by Google

quam si parens pupilli pecunias in fœnus collocaverat. (3) Ex hoc saltem incumbit officium sequendi consuetudinem. (4) Ubi pupillus ad sustentationem usuris indiget, tunc incumbit tutori ex pecunia ejus istas quærere, (5) ideo necesse in fœnus eousque, ut sufficientes sustentationi reditus haberi queant, collocare. (6) Servatur hoc discrimen, ubi ex statutis vel consuetudine aliud non observatur. Per hæc in Germania ubique res reddit ad vetus jus, & creditur necessitas pecunias fœnerandi, aut in comparationem prædiorum vel aliorum mediorum, ex quibus reditus percipiuntur, collocandi. (7) Et cum Pomerania eam consuetudinem receperit, (8) ex ea non attento utrum alias pupillis sint vitæ subsidia, tutor ob non quæsitas ex pecunia pupilliari usuras tenetur, nisi cum aut deficit secure utiliterque fœnerandi occasio, (9) aut pupillus ipsa pecunia alias indiget ad suas necessitates. (10) *Inter eosdem.*

1. *l. si tutor. 15. ff. de administr tut.*

2. *Sic habetur in Novell. 72. cap. 6. & 7. unde desumpta est Auth. Novo sanc. Cod. de administr. tut.*

3. *Hanc exceptionem ex textu d. Novell. Cujacius & Gothofredus in notis ibidem tradunt, nec sine ratione.*

4. Tutor in administratione rerum pupillarium tenetur sequi consuetudinem defuncti ut norman.

5. Consequens hoc est oneri sustentationis, *l. 2. C. de Alim. pup. præstan.*

6. Hæc species relicta est juri veteri, ideo circa istam servatur, quod ex eo provisum, *l. tutor. 7. §. usuras 1. ff. de administr. tut.* sicut etiam id ipsi *in d. Novell. 72. cap. 7.* applicatum.

7. De generali hac germaniæ consuetudine, quam etiam Camera Imperialis sequitur, scripsi *in Comment. ad jus Lubecens. lib. 1. tit. 7. artic. 13. num. 31. seq.*

8. Sic semper in Pomerania pronunciari mihi ex multis exemplis constat, & vulgo notum est.

9. *l. cum plures 12. §. fin. ff. de admin. tut.*

10. Quod in ea specie declarat Besoldus *consil. 326. num. 7.* si pupillus egeat impendiis necessariis ad studia. Simile est si iis opus ad discendum opificium, aut exercitium mercaturæ. Ex talibus ut exspectanda quærenda aque sunt alimenta, sic non differunt à collocatione nummorum in fœnus.

DECISIO VIII.

Cum avia nepotes sic facit hæredes, ut ex bonis suis nihil ad patrem eorum perveniat, tutore qui administret dato nihil ex fructibus aut tutelâ huic competit, saltem administrationis inspectio relinquenda.

VAlet ea dispositio matris & aviæ, ut patri in bonis à se ad liberos profecti usus fructus non competat, (1) etiam quâ legitimam, (2) Concedebat id pater. Attamen partem aliquam fructuum tanquam commodum suæ potestatis & curæ paternæ, (3) ut & administrationem si non omnem, tamen cum tutore dato communem petebat. Quam cum judex prioris instantiæ negasset, appellabat sed frivole. Nec enim cui ususfructus ademptus potest fructus titulo alicujus commoditatis sibi asserere, (4) contra voluntatem testatricis, quæ præsertim spectanda, & nihil ad patrem pervenire voluit ejusque causam rationabilem allegavit. (5) Nec tutelam recte sumit, cum alius tutor datus est, (6) uti institutis hæredibus mater, avia imo extraneus dare potest, (7) & inde administrationem patri ademisse intelligatur, (8) tantum inspectio administrationis patri integra erit, cujus virtute tutor ipsi inventarium & rationes communicare tenebitur, ipseque de iis quæ perperam fiunt monere & emendationem petere poterit. (9) Hoc decreto non negatum, ideo petere integrum erat, eoque nomine nondum recipienda appellatio, (10) de cætero verò injusta, ideo & non recepta.

1. *Novell. 117. cap. 1.*

2. Est de hoc JCtorum disputatio, verior autem communior & in judiciis receptior est sententia, quæ etiam qua legitimâ talem dispositionem admittit, *per ea quæ prolixius de hac quæstione post multos utrinque allegatos tradit. Berlich. decis. 137. per tot part. 1.*

3. Ex aliquorum sententia, qui discernunt usumfructum & fructuum commoditatem, & illo adempto hanc patri reliquam faciunt, *Vincent. de Franch. decis. 10. num. 8. Boerius decis. 199. numer. 8. seq.*

4. Ex jure patriæ potestatis, per quam legitimus administrator est bonorum quæ liberi habent profectitiorum. *l. fin. Cod. de Bon. quæ lib. l. cum oportet in fin. Auth. seq. Cod. de Bon. quæ lib. l. Imperator 50. ad Senatus cons Trebell.* in quibus nihil commoditatis patri super est, *l. mulier 4. l. ex nova 10. ff. de Castrens. pecul.* pecul. Nec etiam ubi jus de eo deficit, ratio etiam non apparet attribuendum est aliquid contra voluntatem testatoris, cui quia ipsum non restricta libertas testandi existit.

5. Præcipue Spectanda in talibus voluntas, cum patri jus nullum sit, per quod ademptioni resistere valeat.

6. Tutorem habenti tutor dari non potest *l. cum jure 9. Cod. qui pet. tut. l. licet 4. Cod. in quib. caus. tut. hab.*

7. *Novell. 117. cap. 1.* Fit quidem in hoc textu tantum mentio curatoris tamen idem est, si tutorem dederit, quo illud & eatenus datum intelligitur, quod jure dari debuit, *vid. Berlich. decis. 139. per tot. part. 1.*

8. Etsi aliàs pater legitimus administrator est bonorum filii / tamen non in casibus quando non habet usumfructum, *Bartol. in l. ult. §. pupillus ff. de Verbor. Obligat. Jason. Ludovic. decis. 13. num. 6. part. 1.* hunc qui adunit & administratio-

Digitized by Google

ſtrationem demit tanquam ſpeciem commoditatis fructuum *F. Ripa in l. cum filio fam. num. 171. ff. de legat. 1.*

6. Ratione ſui intereſſe & futuræ ſucceſſionis patri id jus eſt, *Weſenbec. in Paralit. de Tutel. num. 5.* Quod in hac ſpecie iis aſtruit, *Berlich. deciſ. 147. per tot. part. 1.*

10. Ad judicis ſuperiores partes pertinet inter appellantium gravamina diſpicere, utrum ex ſententia oriuntur, an præter illam, ita ut iſta ſubſiſtente quod in iis eſt fieri vel non fieri queat. Ubi ſententia nihil gravaminis talis habet, quod præter eam infertur vel metuitur ſeu colligitur non devolvit cauſam, nec recipiendum à ſuperiore judice, ſed remittendum aut relinquendum foro competenti, ubi non præcluſa eſt petendi ac emendandi via.

DECISIO IX.

Tutor de eo quod pupillum concernit jurare non tenetur.

CUm tutor nomine pupilli in judicio litigat & juramentum defertur, ſi juranda ſic ſunt comparata, ut pupillum ſolum concernant quà ipſum alieni facti & ſcientiæ ſunt, jurare non tenetur niſi velit. (1) Velle tamen non poteſt niſi & jurandum ſic comparatum ſit, ut ejus penes illum ſit ulla ſcientia aut rei talis conditio, de qua tutor juxta conſcientiam ſuam ſtatuere valeat. (2) Ubi vel nolit vel non poteſt differenda eſt juramenti præſtatio, donec pupillus ad maturiorem ætatem, in jura jurare poſſit. Puberes etſi minores jurare queunt. (3) Quod ſi vero de eo jurandum, quod ipſius factum vel conſcientiam concernit, de eo juramentum ſibi delatum recuſare non poteſt. (4) Et ut alia juramenta talia ipſi incumbunt, (5) ita & deciſivum, quando ex juramento tutoris deciſio cauſæ dependet, veluti cum poſcitur, ut juret tutor ipſum nec ſcire aliter quam in actis pro defenſione pupilli potuit, nec credere. (6) Uti propter injunctum non admiſſa appellatio, die 17. Octobris.

1. *L. videmus 4. ff. de in lit. jurand. Setzer. de juram. lib. 4. cap. 3. n. 34.* cujus ratio traditur *in l. Marcell. 11. §. 2. ff. Rer. amot.* quia de alieno facto jurare iniquum ſit.

2. Cujus exemplum *in d. l. videamus. 4.* habetur in juramento in litem, cujus exemplo in ſimilibus idem ſtatuendum.

3. *d. l. videamus in fin. ib. gloſſ. & Dd.*

4. *Per text. expreſſ. in l. cum etiam 5. in fin. Cod. de Reb. Credit. gloſſ. in dict. l. videamus ibid. Iaſon. num. 15. Caſtrenſ. num. 1.*

5. Ita legibus ſtatutum eſt qua tutores de juramento calumniæ, *l. 1. §. quod obſervare 2. Cod. de jurejur. propt. calumn. Novell. 124. §. 1.* pro quantitate expenſarum, *l. properandum 13. §. 2. §. ult. Cod. de judic.* de edendis documentis, *l. quoties 21. in pr. junct. §. tut. 5 ff. de Noxal. action.*

6. Hoc habet inſtar juramenti credulitatis & purgatorii, à quo tutores non ſunt exempti, *Conſult. conſtit. Saxon. tom. 3. part. 3. quæſt. 85.*

DECISIO X.

Liberatio ſeu apocha non proficit tutori, cum rationes non eſſe redditas aut non viſas apparet.

EXceptio liberationis defendit tutorem contra petitionem rationum, (1) ſi rationes ſemel redditæ fuerint. (2) At iis non redditis, apocha non proficit ad liberationem. (3) quæ tunc creditur dolo impetrata, & contra officium tutoris exorta aut per errorem data, (4) idem eſt cum non viſis inventario aut rationibus facta eſt. (5) *In cauſa Caſpari Schwartzen contra hæredes Conſulum Nicolai Braun, die 10. Ianuarii Anno* 1669.

1. *l. ſemel etiam ib. Bart. Cod. de Apoch. Publ.*

2. Ad officium enim tutorum pertinet rationes reddere nec omitti poteſt. *l. 1. §. ff. officio & tot. tit. de tut. & ration. diſtrah.*

3. *Decius conſ. 110. num. 9.*

4. *Arg. l. 1. ff. de dol.* dolo autem impetrata liberatio nihil proficit. *vid. Paul. Montan. de jur. Tutel. cap. 38. num. 133.*

5. *Arg. l. cum Aquiliana ff. de Tranſact. Caſtrenſ. conſ. 342. lib. 1.*

DECISIO XI.

Rationes non rite redditæ, non obſtante facta liberatione, iterum ſunt reddendæ.

QUi ſemel reddidit rationem, iterum reddere non tenetur, (1) præſertim cum per apocham liberatus fuerit; (2) At ita ab iterata redditione demum liber erit, ſi conſtet rite eſſe redditas, aliàs ubi debita ſunt omiſſa, adhuc iterum recte ſunt reddendæ, (3) veluti non exhibito juſto inventario, non confecto aut exhibitio libro rationum, his non calculatis, non obſervato ſtatuti præſcripto, quæ ſingula omiſſa ab JCtis in argumentum doli cujusdam trahuntur, (4) inde liberationis obſtant, (5) etſi vel jurata eadem ſit. (6) Uti conſideratum fuit *in eidem cauſa.*

1. *l. ſemel ib. Bart. C. de Apoch. publ. l. quamvis ibi gloſſ. ff. de condit. & demonſtrat.*

2. *Chaſſan. in conſuet. Burgund. tit. des enfans verb. d' en rend. compet.*

2. Paria ſunt non rite eſſe rationes redditas & plane non redditas, *arg. l. quoties ff. qui ſatisd. cog. l. 1. C. de Error. Calcul. Iaſon. conſ. 219. num. 2. l. 2. & conſ. 14. l. 3.*

4. *Cothman. conſ. 63. num. 78. ſeq. vol. 2. de his etiam vid. latius Paul. Montan. in tract. de jur. tut. cap. 38. num. 133. mult. ſeq.*

5. Quia dolo quodam obtenta liberatio nihil proficit, *gloſſ. in l. 3. §. 1. ff. de contr. tut. jud.*

6. *Gloſſ. in d. l. 3. §. ff. de contrarium. Caſtrens conſ. 360.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XII.

Probatio diligentiæ circa exactionem debiti incumbit tutori, ubi intra longum tempus non apparet de aliqua exactione.

TUtor ob nomina diligenter non exacta reus præsumptionem quidem diligentiæ pro se habet (1) & qui dicit illum negligentem probare tenetur (2) at ità si non negligentiæ existunt indicia vel præsumptio, (3) Qualis adest, ubi intra longum tempus, decennium nempe, exactionem factam, cum necessario facienda esset, non apparet, (4) multo magis ubi non factæ existunt argumenta, quæ is specialibus elidit generalis præsumptio & negligentia in contrarium arguitur. Veluti si intra decennium usuræ à debitore non sunt solutæ, cum tamen iisdem pupillus egerit, (5) Postea debitore non solvendo facto pupillus non tenetur agnoscere id nomen, nisi prius tutor in exigendo diligentiam doceat, (6) Sub qua conditione condemnandus est, sed solvendum quod à debitore obærato recipi nequit. (7) Quomodo pronunciatum fuit *in causa Benedicti Rosenthalii contra Anconii Hanetoren viduam Anno 1660.*

1. l. Chirographis, 57. ff. de Administr. tut.

2. Hartmann. Pistor. illustr. quæst. 49. n. 8. part. 1. Negligentia in dubio non præsumitur, *l. si defunctus C. arbitr. tutel. c. quia non est X. de Præsum.* ideo allegans semper probare debet, *l. fin ff. de custod. reor Mascard. de Probat. Conclus. 19. n. 1.*

3. Hæc requirunt excusationem & purgationem tutorum *l. fin. C. Arbitr. tutel.*

4. Magna sine dubio negligentia est diu non petiisse debitum seu non exegisse nomen.

5. Ad officium tutoris pertinet annuatim usuras exigere & in rationes referre, ex iis residuum iterum in prædia collocare vel fœnori exponere *l. tutor. l. qui negociationem §. pupillo ff. de Administr. tut. l. tutoris C. eod. Decius consil. 192. n. 2.*

6. Hoc quippe interest circa agnitionem nominis à pupillo finita tutela faciendam quando ea non sunt bona cum ab initio talia fuerint, an ex casu alio an ex culpa vel cessatione tutoris exactio deterior facta sit. Ut in prima specie is non tenetur, ideo pupillus nomen agnoscere & sequi, ita in altera secus se res habet uti exponit. *Romanus Consil. 425. per tot. Hartman. Pistor. part. 1. illustr. quæst. 49. ubi hanc materiam bene enucleat.*

7. Cum bona nomina ob negligentiam tutoris mala fiunt tutor ipse tenetur, *l. si tutor. ff. de Administr. Tut. l. 2. C. Arbitr. Tut.*

DECISIO XIII.

Paria sunt non exegisse & fecisse ineptè. Tutor imperite ideo frustra exigens tenetur.

TUtoris in exigendo diligentia liberat à casu, qui nomini per supervenientem debitoris inopiam accidit, at ita si id apte seu eo quo decet atque expedit modo factum fuit. Cum ob debita contutoris tutor condictione ex mutuo expertus, pro more loci per arcanam petitionem, durch die heimliche Klage/ ut vocant; hypothecam in bonis debitoris consecutus esset, & ex hac in concursu creditorum, ex eo tempore quo constituta erat, in prioritatis ordine locum petiisset, ac impetrasset, non petito illo loco, qui ob hypothecam tacitam in bonis tutorum pupillo lege datam competebat, qua ob diu ante delatam tutelam alios creditores veluti antiquior superare poterat, (1) existimatum est inutilem, imo damnosam diligentiam, cui inerat major negligentia, non prodesse, (2) sed perinde condemnandum, atque si plane non exegisset; (3) quia multo utilius ipsi prospicere potuit, (4) Non attento quod juris peritus non fuit, cum petitiores consulere eorumque operam in persequenda exactione uti debuisset. (5) Cum alterutri damnum sustinendum est æquius est tutoris esse, cujus levis fuit culpa, quam minoris, cujus nulla. *In eadem causa.*

1. Pignus tacitum quod in bonis tutorum habent ex lege pupilli communi jure quidem non habet privilegium, ex eo tamen momento, quo tutela suscipitur jus tribuit & ita priorem ordine facit, qui ex eo prior est tempore. *juxt. l. prior. 11. ff. qui pot. in pign:*

2. Inutiliter acta etsi valdè operose nihil proficiunt.

3. Paria sunt non petere & petere inepte *l. quoties 5. ff. qui satisd. cog.*

4. Tutoris officio convenit & incumbit diligenter consideare & discernere, quid pupillo utilius sit magisque expediat, & illud omnibus posthabitis facere & exequi *l. tutor. qui repertorum ff. de Administr. Tutor. l. lex quæ C. eod. l. magis puto §. non passim. ff. de Reb. eorum pro Montan. in tr. de Tutel. cap. 32. regul. 6. n. 275.*

5. Culpæ species est juris peritos in talibus in quibus illorum studio atque opera opus non consulere *per notab. textum l. 2. §. ult. ff. Quis ordo in possess.*

TIT. XXXIX.

DE PERICULO TUTORUM & Curatorum.

DECISIO I.

Majoris reditu impensæ exceptio non excludit actionem tutoris, sed ejus necessitas discutienda est.

REsidua petente pupillo tutor, cum ex contrario judicio tutelæ reputationem impendiorum facere vellet, horum iniquitas

Digitized by Google

tas allegabatur, sed ex eo solo prætextu quod reditum pupillarem superarent, unde non deberi putabatur. At erronee. Est quidem tutoris officio ea providentia congrua, ne in pupillum plus impendat quam facultatibus congruit, (1) quarum ratio præprimis in illo sustentando haberi debet. (2) Attamen si ille reditus non sufficit alimentis aliisque necessitatibus excedens illam expensa non est injusta; (3) quatenus necessaria vel utilis est. (4) Ideo in reputationem seu judicium tutelæ contrarium venit. (5) Non ideo statim excludendam sed prærendam ut rationes expensi discutiantur, etiamsi pupillus eas non petierit. *In causa Nicolai Baudevvin, contra Ludvvig Hoyren, die 9. Ianuar. Anno 1656.*

1. Hoc facere, est mergere pupillum, *uti phrasis habet* JCti in *l. 3. pr. ff. de Contrar. tutel.* ubi dicitur non in hoc administrandam tutelam ut pupilli mergantur.

2. *l. 2. C. de Alim. pupill. præstand.*

3. Ex bona fide tutor amplius potest impendere in pupillum quam est in ejus reditus, *l. 3. pr. ff. de Contrar. tutel. Fab. in Cod. lib. 5 tit. 23. defin. 2.*

4. Utilitas magis pupillorum quam quantitas patrimonii spectanda est, *l. 3 pr. ff. dict. tit.*

5. *l. 1. §. fin. l. seq. ff. dict. tit.*

DECISIO II.

Tutores ex judicato contra pupillum tenentur, quatenus faciunt, ut creditor suum non receperit.

ARresto impetrato creditor contra pupillos egerat, interea tutores effecerant, ut ex arresto pecuniam acciperent & in usus pupillares converterent. Facta autem postea condemnatione ex judicato contra tutores, ut solverent, in ipsorum bona executio decreta est. Quærebatur an juste? Ut ut vero ex judicato in causis pupillaribus non solet esse contra tutores actio vel executio, (1) tamen id limitandum videbatur in ea specie, ubi tutores semet obnoxios judicato fecerant. (2) Quod fit arrestatæ pecuniæ exactione. Illa ut arresti violati species eos adstringit ad præstandum quod ex arresto integro & servato arrestans impetrare potuerat. Etsi vero tutores eam pecuniam non in usus suos sed pupilli convertissent, idque probare offerebant, tamen cum id facere non debuerunt, minimè audiendi sunt, (4) donec effecerint ut arrestata pecunia in pristinum nexum revertatur. Talis itaque allegatio tutorum appellantium non est admissa. *In causa tutorum Hans Wilhelm Freissen Kinder, contra Levin von Petrisdorffen, die 14. April. Anno 1656.*

1. *l. 2. pr. ff. de administr. tutor.*

2. *l. post mortem 5. §. 1. ff. quand. ex fact. tut. vel tut.* Tutori qui officium sibi sponte egressus fecit obligavit, non subvenire debet Prætor. *l. cum post 43. §. 1. ff. de Administr. tut.*

3. Arresti violati actio est ad id quod interest arrestantis, non esse amotam pecuniam arrestatam.

4. Quando tutor ex suo facto convenitur, contra ipsum actio est judicati executio, *l. 2. l. 3. ff. quand. ex fact. tut.*

TIT. XXXIX.

QUANDO EX FACTO TUTORIS VEL CURATORIS MINORES AGERE VEL CONVENIRI POSSUNT.

DECISIO I.

Pupillus creditum, ut ut à patre contractum, finita tutela agnoscere non tenetur, cum tutor exigere & ad usuras pecuniam collocare debuit.

QUa nomina à parente contracta an & quando pupillus agnoscere teneatur interest inter hæc, quæ parens credidit, ut apud debitorem pro usuris manerent, & quæ debentur parenti, ut statim solvantur, veluti si ille cuidam merces vendidit, ut precium statim vel intra certum tempus solveretur. Quoad illa quæ prioris generis sint, tantum hoc præstatur pupillo, ut non sint dolo vel lata culpa tutoris reddita inidonea. (1) Ideo tali non probato pupillus tenetur agnoscere. (2) At in cæteris tutori incumbit diligens actio pecuniæ, (3) ejusque vel in prædia frugifera vel ad usuras collocatio, ne pupillo otiosa atque sterilis sit. (4) Ideo in talibus non sufficit præstare nomen idoneum sed etiam utile. (5) Quocirca actione tutelæ pecunia illa exigenda tanquam exacta cum usuris pupillaribus juste petitur. (6) Etsi vero tutor ejus crediti quod exigi debuit, vel ex mora debitas usuras solvere vellet, vel pecuniam in mutuum apud priorem debitorem convertisset, tamen non habetur tanquam nomen à patre contractum. (7) Cum pater credidit, tutor non tenetur nisi nomen inidoneum fit ex lata culpa; At si tutor non exegit, sed vel ex ejus mora, vel ex novo contractu alter fit debitor, tanquam ex suo credito vel contractu hoc debitore facto, (8) eoque reddito non idoneo de levi quoque culpa obnoxius est. (9) & ob hanc illius est periculum eaque inde pupillo justa non agnoscendi causa. *In causa Nicolai Baudevvin, contra Ludvvig Heyeren, die 9. Ianuar. An. 1659.*

1. *l. 2. C. arbitr. tutel.*

2. Culpæ probatio incumbit allegant i. *Chirographis 58. ff. de admin. tut. gloss. in d. l. 2. C. arbitr. tut.*

3. Mo-

Digitized by Google

3. Moram non exigendo per tutorem commissa ipsius incommodo non pupillo noxia esse debet, *l. tutor. 7. §. 1. & ff. de admin. tut.*

4. *l. tutor. qui §. 2. & mult. seq. ff. de administr tut.*

5. *l. si tutor. 15. ff. de fl. tit.*

6. Paria hæc sunt qua tutorem an pecuniam exegerit & secum habuerit, an vero id neglexerit & inde damnum pupillo accedit.

7. Tutor linquens pecuniam apud eum è quo exigere & alio convertere debuit, novare i. e. ex novo velut contractu debitorem obligare creditur, ita enim in mutuum convertit prius debitum *juxta l. certi 9. §. fin. ff. de reb. credit.*

8 Tutor in nominibus à se contractis tam levem quam latam culpam præstare tenetur, *l. quidquid C. Arbitr. Tut. Hart. Pistor. quæst. 19. num. 10.*

9. Nomina ex levi tutoris culpa idonea pupillus finita tutela agnoscere non tenetur *l. cum quæreretur ff. de administ. tut.* juxta prædefinita sic pronunciatum est: In Sachen Nicalus Baudewinen/ Appellanten/ wider Ludwig Hoyern Appellaten in puncto administratæ tutelæ werden gravamina theils unerheblich / theils überflussig befunden/ demnach acta ex officio vor beschlossen angenommen/ und erkannt/ daß dabey/ was in vorigen Urthrilen wegen Exhibition eines inventarii oder eydlichen Designation erfordert / es seyn verbleiben habe/ doch mit der Erklärung/ daß/ wenn Appellant/ vermittelst Eydes erhalten könte/ der Vormünder von der väterlichen Erbschafft abstimirt, und dannenhero daraus nichts/ auch er über das/ so in dem Theilungs-recessu die groß mütterliche Verlassenschafft betreffend/ nichts empfangen / er ferner nicht gehalten/ sonst aber wegen deß achten Postes der geklagten defecten wie auch der Gerichtskosten/ imgleichen was in seiner Gegenrechnung enthalten/ übel gesprochen / wol Appelliret/ und Appellant deß gemeldten achten Postes und expensen halber/ so viel diese den Appellaten angehen zu entbinden / und mit seiner Gegenrechnung so weit darin von dem Vorschuß dem pupillen zu seiner education und Nutzen bey vermuthlicher Verwaltung geschehen/ zu befinden/ also annoch zu hören/ daß alle Einnahme und Außgabe von jedem Jahre in eine richtige Verzeichnuß vō ihm gebracht und darüber gebührende Rechnung ordentlich abgelegt werden/ darauff alsdann wegen deß Nachstandes und der Zinsen von dem Empfang nach Gestalt deß Abzuges ergienge was Recht ist/ im übrigen ist wol gesprochen/ übel appellirt, und wird es dabey allerdings gelassen/ von Rechts wegen/ &c.

(Hoc est)

In causa Nicolai Baudovvinen Appellantis contra Ludovicum Hoyren Appellaten in puncto administratæ tutelæ, gravamina partim irrelevantia partim superflua apparent proinde acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus, illi, quod in prioribus Sententiis ratione exhibitionis inventarii vel juratæ designationis injunctum, inhærendum esse, attamen cum hac declaratione, quod, si appellans mediante juramento obtinere possit, curatorem à paterna hæreditate abstinuisse ac propterea inde nihil, ac etiam extra id, quod in recessu divisionis avitam hæreditatem concernit nihil percepisse, ulterius non sit obligatus, alias vero ratione octavi puncti designatorum defectuum ut & expensarum litis, Similiter quod in contrario computu continetur male judicatum bene appellatum & appellans ratione dicti octavi puncti & expensarum, quatenus illæ appellatum concernunt absolvendus & cum suo contrario computu in quantum inibi de anticipatione pupillo ad ejus educationem est utilitatem in præsumpta administratione facta reperitur, adhuc audiendus ut omnia recepta & exposita cujusque anni in accuratam designationem redigantur, & deluper conveniens computus instruatur, exinde ratione recessus & censuum à receptis juxta statum expositorum fiet quod juris, de cætero bene judicatum male appellatum, & proinde ei inhærendum, idque de jure.

DECISIO II.

Tutorem cum mandavit alteri, non relevat exceptio non sui sed pupillaris negocii gesti.

QUando tutor nomine pupilli pecuniam mutuo sumit, & non semet simpliciter, sed tantum tutorio nomine obligat, non aliter, quam ut tutor tenetur atque convenitur, (1) ideo nec aliter condemnandus est, nec in sua bona, sed tantum pupillaria bona executio facienda. [2] Secus res se habet, quando pupilli causa alteri mandat, ut pecuniam credat. (3) Etsi enim mandatum id ad alienam nempe pupillarem utilitatem tendit, tamen obligat mandantem tum ex ratione contractus, (4) tum ex fide quam dat, quamque sequitur mandatarius, alias nisi mandato ejus niteretur pecuniam non crediturus. (5) Nec facit in contrarium quod vulgò dicimus, factum tutoris esse factum pupilli, ideo tem ita habendam esse atque si pupillus semet obstrinxisset. (6) Nam ut ut in his ea regula procedit, quæ tantum sunt pupillorum & ejus nomine fiunt. Secus est in his, quæ tutoris propria facta sunt, & in quibus spectatur ipsius obligatio. (7) *in causa felix pode vvelsen, contra Michael Beringen, die 10. Junii Anno 1696.*

1. *l. post mortem 5. §. 1. ff. quand. ex fact. tut. Fab. in Cod. lib. 5. tit. 24. defin. 5.*

2 *l. 2. ff. de Admin. tutor: l. 4. §. 1. ff. de re Judic.*

3. Hinc non pupillus sed mandans obligatur, *l. qui pupilla 4. ib. Bald scribens, hunc tui mandavit tutor non pupilli sed tutoris procuratorem fieri & contra illum mandati experiri. C. de Negot. gest.*

4. Nam etiam alterius causa mandatur, & mandati actio tunc est contra mandantem, *l. si remunerandi 6. §. si tibi 4. ff. Mandat.*

5. Ubi creditor non pupilli sed tutoris fidem sequitur, ipse tenetur, *arg l. si pupilli 6. §. 1 ff. de Negoc. gest.*

6. *l. 3. §. fin. ff. de Tribut. act.*

7. *Ita distinguit Sichard. in d. l. qui pupilla 4. n. 3. l. C. de Negoc. gest.*

Digitized by Google

TIT. XL.

Si ex pluribus tutoribus vel Curatoribus omnes vel unus agere pro minore vel conveniri possint.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLI.

Ne Tutor vel Curator vectigalia conducat.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLII.

De tutore vel Curatore, qui satis non dedit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLIII.

De suspectis tutoribus vel Curatoribus.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLIV.

DE IN LITEM DANDO Tutore vel Curatore.

DECISIO I.

Litis curator simul res pupilli administrans instar tutoris obnoxius est.

LItis curator ut talis non patitur executionem sententiæ; nisi alio modo se pro pupillo fecit obnoxium, quod variis modis fieri potest. Oritur etiam hoc ex bonorum administratione, quam iste suscipiens pro tutore est, (1) ideoque instar tutoris tenetur. (2) Quibus itaque casibus tutor patitur in bonis suis executionem, (3) iisdem etiam curator litis, ut protutor pati debet. (4) Sic concluſum in lite super executione *inter Curatorem litis liberorum Hans Wilhelm von Träyffen, contra viduam Iohannis Papken, die 1. Decembris Anno 1653.*

1. Pro tutore est, qui cum tutor non est, pupillarem administrationem suscipit, *l. 1. pr. ff. de eo qui protut.*

2. Eadem servantur qua ipsius obligationem, quæ sunt constituta in tutore, *l. 1. §. fin. pen. & ult. ff. dict. tit.*

3. Regulariter non tenetur executione judicia[li], sed quibusdam tantum casibus, *v. l. 2. l. cum post 43. de §. 1. ff. admin. tut.*

4. Curator litis simul bonorum administrationi se immiscens duplicem personam sustinet, & in iis quæ gerit, pro tutore habetur qua lites saltem pro curatore

DECISIO II.

Tutor pecuniam pupillarem in suos usus convertens pro debito pupillari in suis bonis executionem patitur.

LItis curator tutoris instar ob administrationem bonorum susceptam rationibus obnoxium se reddidisse, præterea pecunias pupillares in suos usus convertisse, nominatim pro suo lucro in fœnus exposuisse, arguebatur, & ex eo factum est, ut cum unde creditoribus pupillaribus solveretur non suppeteret, in bona ipsius executio fieret & merito. Etsi enim cum tutores, ut tales ex pupillorum debitis condemnantur, actione judicati non conveniuntur, (1) ideo executiones in bona ipsorum non fiunt, (2) hoc tamen cessat aut secus se habet, ubi tutor debitor pupilli est; (3) aut effecit, ut aliud non adsit, in quæ executio peragatur, (4) aut bona pupilli penes se habet, at solvere, aut in executionem tradere recusat. (5) *in eadem causa.*

1. *l. 2. pr. ff. de admin. tut. l. pen. ff. quan. ex fact. tut.*

2. *Fab. in Cod. lib. 7. tit. 20. defin. 33.*

3. Nomen debitoris capitur in executione judicati & contra debitorem illius fieri solet executio, *l. 2. C. quand. fisc. vel privat.*

4. *l. cum post 43. §. 1. ff. de administ. tut.*

5. *Arg. l. si procuratorem 8. §. si ignorantes 7. ff. mandat.* ex quo textu colligunt JCti, adversus fidejussorem, cum bona rei principalis secum habet, non attento ordinis beneficio executionem fieri, *Caroc. de Excuss. bon. part. 1. quæst. 86. Bern. Muscatell. in Pract. part. 2. quæst. 10. n. 21.* à quo per rationem similem, imo majorem ad tutorem recte argumentum ducitur.

DECISIO III.

Curam litis à muliere vel tutoribus delatam esse non sufficit: sed à magistratu seu judice deferenda est.

QUi pro litis curatore se gesserat, & in judicio personam legitimare debebat, tantum à muliere nec non pupillorum tutoribus mandatum loco curatori offerebat, (1) rejectus ideo alioque legitimo modo constitutionem curare atque docere jussus est, (2) quod hæc autoritatem judicis vel magistratus requirit. (3) Hoc decretum *ad oblationem D. Francisci Conradi Fridelibii, die April. Anno 1654.*

1. Aliud

Digitized by Google

1. Aliud est mandatum procuratorium, aliud curatorium. Illud à parte, hoc à judice datur.

2. Curatorium à litis curatore exhibendum est, alias non admittitur. *Carpzov. lib. 3. resp. Electoral. 14 num. 9.*

3. Curatoriis in litem constitutio est actus jurisdictionalis seu magistratus, *Gail. 2. observ. 102. n. 23.* ideoque à Magistratu seu judice fieri debet & solet, & quidem eo cujus est dare tutorem, *Zang. de Except. part. 3. cap. 8. num. 10.*

DECISIO IV.

Curator liti manet obnoxius, quamdiu alius ei non surrogatur.

CUm qui curator minoris fuerat sub obtentu relaxatæ sibi curæ liti se ingerere recusaret, & mandato inde exceptionem opponeret, visum fuit allegationem attendendam non esse, tum quia curâ semel susceptâ abire illicitum, (1) veniam ejus legitimè factam esse nondum probatum, (2) tum quod etsi hæc doceretur, tamen non aliter liberaret curatorem, quam si curator qui litem perageret, esset surrogatus, [3] eique tradita instrumenta ad causam facientia. (4) Id quod prior curator prius efficere debet, si ultra teneri aut in jus vocari nolit. (5) Quamdiu hoc factum non fuerit, ipse judicio manet obnoxius, & quæ per istius rationem incumbunt, injungenda sunt, (6) donec edocta fuerit liberatio & debita substitutio. (7) Ita existimatum *ad Supplicationem Heinr. Lintzen, die 19. Junii Anno 1655.*

1. Sunt certi tutelam finiendi modi, *tot. tit. Instit. quib. mod. tutel. vel cur.* quorum si aliquis non doceatur, qui tutor vel curator fuit, semper talis manet.

2. Non præsumitur relaxatio seu venia officii necessarii quæ facti est & insoluta, aut non nisi ex urgenti atque necessaria causa consueta.

3. *l. 1. C. ut caus. post. pubert.*

4. *l. ita autem 5. §. post completum 6. ff. de administr. tut.*

5. Ad officium tutoris & curatoris pertinet curare, ut cum à tutela vel cura abierit, successorem habeat, vel admonendo minorem ut sibi petat, vel si absentes sint, & nemo sit qui hoc faciet, ipse petat, *l. 2. §. hæc quidem 4. ff. qui petant. tut. l. ita autem 5. §. si tutor 5. l. tutores 39. §. qui se 2. ff. de administr. tut.*

6. Etiam post finitam tutelam & curam officium tamen tutelæ durat, quantum ad connexa ejus pertinet, *d. l. 5. §. si tutor. ff. de administr. tut. l. tutor 11. C. arbitr. tutel. l. si tutor 23. ff. de tutel. & ration. distrah.*

7. Nec si cæptam rem deseruerit, vel culpæ causa condemnetur, *d. l. tutores 39. §. qui se 2. ff. de administr. tut.*

DECISIO V.

Patre absente dandus litis curator filio cui movetur controversia.

PAtrem habenti tutorem vel curatorem non dari scimus. (1) At ita id obtinet, si pater præsens est, filium defendit & res ejus administret. Quod si vero per absentiam aut alia impedimenta id facere non possit, [2] vel etiamsi posset, nolit, (3) tunc devenitur ad constitutionem curatoris, qui interea negocia impuberum & minorum curet, (4) ne indefensi damnum patiantur. (5) Uti existimatum *in causa Viduæ brid. Bremens contra Iohann von Borstein die 26. Febr. An. 1658*

1. *l. pupillus 263. ff. d. V. S. l. cum furiosus C. de Curat. furios.*

2. *l. muto. §. ei missus ff. de Tutel.*

3. *Arg. l. cum in una §. 1 ff. de Appellat. Jason. in l. bonorum C. qui admitt. ad bon. post. Paul. Montan. in tr. de Tutel. cap. 3. num. 60.*

4. *d. l. mutuo §. ei cujus.*

5. Indefensos minores relinquere nefas & omni ope evitandum est.

DECISIO VI.

Cum minore litigans ut tutorem vel curatorem ipsi petere debet & ad id à judice adigi.

QUando minor sine tutore vel curatore in judicio standi personam legitimam non habet, (1) ante omnia curandum, ut talem accipiat. (2) Cum à propinquis, queis illud incumbit, non petitur, ejus qui cum ipso intendit, partes sunt, curare ut habeat. (3) Quo etiam negligente judicis officium est de eo perspicere. (4) At non, ut statim det tutorem vel curatorem, sed ut ei, cui ea petitio incumbit, eandem injungat: (5) Subsidiarium enim tantum est officium judicis, ex quo non habenti dat tutorem vel curatorem, nec eo utitur, nisi cum alius non est, quem decet ea providentia. (6) Periculum quippe quod judici ex tali datione accidere suadet, (7) ipsum ad istum ex officio non progredi, quamdiu ab aliovid debet subiri. (8) Quo circa cum de curatore minori providendum erat, placuit non dari illum à judice per officium, sed litiganti, ut dari curet, saltem injungere. (9) *In eadem causa.*

1. *l. 1. l. 2. C. qui legit. pers.*

2. Judicium cum impubere & minore curatorem non habente absque legitimo tutore agnatum, est ipso jure nullum, *l. si jusjurandum §. pupillus ff. Jurejur. l. cum & minores C. si adver. rem. jud. l. actis §. fin. ff. de re judic.*

3. *l. 1. l. si filius 4. C. qui pet. tut. l. fin. §. personas 2. C. de Administr. tut.*

4. *Hail. 2. Observ. 108. num. 3.*

5. Hoc fit decernendo, quod antequam ulterius progrediatur, curatorem petere oporteat & antea

Digitized by Google

in exercendo judicio supersedere.

6. *d. l. 1. C. qui pet. tut d. l. fin. §. 2. C. de Administr. tut.*

7. *Juxta l. 1. & tot. tit. ff. de Magistrat. conv. enivend.*

8. Officium non imperitur judex nisi aut imploratus aut cum aliud omne deficit remedium. *Bartol. in l. 1. ff. de Op. nov. nunciat.*

9. Sic in judiciis semper servatur, judicisque imprudentis erit aliter decernere.

DECISIO VII.

Qui desiit ex reditu patris esse curator, post discessum ejus non recidit in onus curæ, nisi denuo datus.

QUando curator impuberi datus est, quia pater non aderat, mater ex vivis decesserat, post ejus reditum à cura liberatur. (1) Quare idem non potest compelli, ut quæ hujus sunt, iterum subeat, ideo quod iterum deinde pater in militiam procul abiit. (2) Etsi enim ratio curæ prioris revertitur, non tamen reviviscit semel extincta cura, sed denuo curatorem cum opus est petere & dare oportet. (3) *In eadem causa.*

1. *Juxta l. mutuo 6. § fin. ff. de Tutel.*

2. Finitur tutela quæ ad certum tempus vel pro certa conditione constituitur, cum illud vel hæc definit, *l. si adrogati 14. § sed etsi si 3. §. fin. eod.*

3. *Juxta regulam quæ habetur in l. quires 98. §. aream. 8. ff. de solut.*

DECISIO VIII.

Curatori ad litem justè mandatur, quod circa istam iis quorum curam gerit, incumbit.

A Fœmina vel minoribus, quibus sine curatore non est legitima in judicio standi persona, circa litem quæ in judicio versatur, præstanda aut bonorum administrationem magis quam ad ipsam litem, aut verò saltem processum judiciarium concernunt. Quæ administrationis bonorum sunt, at non pertinent ad officium curatoris ad litem, (1) haud injungenda ipsi, sed vel fœminæ vel tutoribus, (2) eorum qui sui juris, non existunt, ideo quæ circa ista decernuntur dirigenda ad istos. Quæ autem litis sunt, ut agenda à litis curatore, (3) ita ipsi injunguntur atque ab ipso curanda faciendaque sunt, (4) ideo & ipsi decretorum insinuatio rectè fit, (5) nec potest desiderare ut ad eos quorum curam gerit, defenerantur. (6) Cui consequens non excusari à præstando aut à contumacia ob omissum quod erat injunctum. Sic decretum *in causa Litis Curatoris hæredum Vincentz Bluchern Senioris, contra feudi Successorem. Die 27. Octobris Anno 1656.*

1. Hujus officium non consistit in administratione, *arg. l. ad protegendam C. de Curat. in lit. l. hæc jure ff. de Solut.* ideo nec tenetur conficere inventarium, *vid. Gail. 2. Observ. 108. n. 11.*

2. Penes istos remanet bonorum administratio, ideo ad eosdem referenda sunt quæ hanc concernunt, *vid. Moller. lib. 1. Semestr. cap. 1. n. 3.*

3. Hoc quippe illorum officium est, litis eorum qui in judicio consistere non possunt, agere & exercere.

4. Curatores in litem æquiparantur procuratoribus & quoad ipsos parum interest, *l. neque tutores ib. Bartol. n. 16. C. de Procurator. Junct. l. 1. C. qui pet. tut. l. 1. l. 2. l. ult. C. de in lit. dant. tutor.* & horum vices in judicio sustinent. *Bald. in l. quod si nolit. 31. §. in procuratore ff. de Ædilit. Edict.*

5. Fieri quippe potest procuratori, *Mynsing. 1. Observ. 9.*

6. Ipse enim sustinet & supplet vices ejus cui additur, & si quid sit de quo cum personoa ista communicandum ipsemet referre non ea de causa litem protestare debet.

DECISIO IX.

Litis curator quando de residuis tutelæ convenitur.

APpellatione interposita, quod à residuis tutelæ absolutus erat apud quem existebant, appellans putabat duplicem judicantium rationem fuisse, sed erroneè præsuppositam & à vero justoque alienam. Alteram quod reus conventus de residuis pro tutore non fuit habitus: Alteram quod delegatio objecta vera fuerit reputata. Ideo pro justificatione appellationis inter gravamina ista referrere tarabebat. Et quidem circa primum in quæstionem veniebat, utrum reus, qui tutor negabatur, tantum curatorem litis fuisse dicebatur, de residuis condemnari debeat: Et quidem curator litis ut talis, seu officium suum quod litibus agendis saltem est astrictum non egressus, tutelæ judicio non magis tenetur quam tutor est. (1) Atsi ultra quidquam fecit ut tutor, non eo minus atque ille tenebitur. (2) Nempe si pro tutore res pupillares administravit actione protutelæ de rationibus & residuis; si alias negocia gessit, utili curationis causa actione tenetur. (3) Si etiam quædam pupillorum pecuniæ ex tutelæ administratione, ut ut ab aliis gesta, penes ipsum sunt. (4) Qualia de reorum parente allegata effecerunt; ut audiri mererentur *in causa Caspar Rauschen Erben, contra hæredes D. Petri Bostenbostels, die 8. Januarii Anno 1658.*

1. *l. ad protegendam 3. C. de in lit. dand. curat.*

2. *Ita in d. l. ad protegendam 3.* quod de mero litis curatore dictum declaratur in verb. *sinihil præter negocium gessisti.*

3. *l. 1. & tot. tit. ff. de eo qui pro tut.*

4. *l. 3. l. 4. §. ult. ff. de Tutel. & rantion. distrah. l. 2. l. 8. C. de Administr. tut.*

5. Qui

Digitized by Google

5. Qui curæ causa pecunias pupillares recipit, & secum retinet, velut negociis pupillaribus se immiscens tenetur, *l. 1. §. 4. & 5. ff. de eo qui pro tut.*

DECISIO X.

Curator ad litem non tenetur de residuis ex tutela administratione, nisi quatenus se isti immiscuit & quando hoc fecisse intelligitur.

CUratoris ad litem officium est agere in judicio causas pupillorum & tutoribus in rebus ad ipsas spectantibus consilium atque operam præbere. Non est illius quædam administratio, nec ad inventarium bonorum, nec rationes, nec ad residua tenetur, (1) nec si quid à tutoribus male gestum ex eo fit obnoxius, [2] nisi administrationi se immiscuit, & quæ non sunt officii sui, sed tutoris, gessit. (3) Ex eo tenetur ut pro tutor aut ut negociorum pupillarium gestor. (4) Quod ad ea pertinet, quæ non aliter geri possunt ac pro tutore, non si & ejus officio conveniunt. Magis quippe, quæ sunt officii sui, & pro illo fecisse præsumitur, ac ut credatur illum aliena suscepisse. (5) Inde acta ejus sic capiuntur in dubio, ut officio ejus congruunt, magisque tutoribus operam præstitisse, quam ut ipse administrasse intelligatur, (6) Nisi rationes administrationis scriptæ ipsius manu reperiuntur non est inde præsumptio tutelam administrasse, sed saltem præstitæ in eo tutoribus auxiliaris operæ, [7] ideo non ad illarum discussionem & redditionem tenetur, sicut nec ad id quod ex iis residuum erit. (8) Similiter si scribat ex rationibus secum esse pecuniam velut residuam, non ut tutor aut protutor de ea tenetur, sed saltem ut depositarius. (9) Alleganti administrationem & inde debitum rationum & residui à tutore, incumbit protutelam & administrationem probare. (10) Ubi tamen confessus fuerit esse secum pecuniam, de ea reddenda velut de deposita est obnoxius, ideo & condemnatur nisi probet redditam fuisse. Etsi enim ex rationibus non sit reus, de accepta tamen & retenta pecunia tenetur quamdiu non constat apud se esse desisse (11) Ita existimatum *in causa Caspari Nauscher Erben contra hæredes P. Peter Böstен Bossels, die 22. Sept. Anno* 1658.

1. arg. l. ad protegendum C. de in lit. dand. cur. Gai. 2. Observ. 108.

2. Quamdiu terminos officii sui observat, nulla adest ipsum obligandi causa, nec alius pro alio tenetur, *l. 2. C. ne ux. pr. marit.*

3. De gestis suis qualiacunque fuerint ad rationes tenetur instar alterius tutoris. *Montan. de Tutel. cap. 38. n. 39.*

4. l. 1. & tot. tit. ff. de eo quod pro tut.

5. l. 1. ff. de negoc. gest.

6. Capitur semper ea præsumptio quod quis officii sui limites non excessit & sine culpa sit, *l. 1. C. de suscept. & arcar. Menoch. 2. de Præsumpt: 85. num. 1.* Est enim culpa se immiscere rei ad se non pertinenti, *l. culpa ff. de Reg. Jur.* quæ non præsumitur *l. merito ff. pro soc.*

7. In dubio nemo semet obligare velle præsumitur sed alio potius animo gessisse quam ut velit esse obnoxius, *l. Arrianus 47. ff. de Obl. & action.*

8. Non insolitum in hoc litis curatores manum præbere Tutoribus, quibus velut à consilio & ministerio hodie sunt, sed ipsorum periculo. Quod non suscipiunt nisi quod illa quæ sui officii sunt propria.

9. Officium quod tutoribus exhibent, ipsis minime damnosum esse debet, *l. 2. h. Testam. quem. adm. oper.*

10. Hæc sunt facti, ideo non præsumuntur sed probatione egent, *l. in bello 12. §. 1. ff. de Captiv. & postlim. reversi.*

11. Est eo nomine rei vindicatio contra detentorem *l. 9. ff. de Rei Vind.* penes quem quod alienum invito domino diutius quam ille vult remanere non decet.

Juxta superiores decisiones pronunciatum fuit.

In Sachen Caspar Rauschen appellanten wider D. Petri Borstenbörstels Erben appellaten in puncto reliqui, werden die gravamina als überflüssig nicht / sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen / daraus befunden / und erkandt / daß von Richter voriger Instantz den 21. Septembr. Anno 1657. so viel die Schuld an sich betrifft / übel gesprochen / wol appellbret / dahin solche zu endern sey / daß auff 5000 fl. appellanten Forderung / so weit Rechtens beygebracht / dieselbe abzustatten / oder daß solche sonst abgetragen / oder berechnet / wozu gleichwol dieselbe die Vormüntliche Register nach Anno 1621. und alle zu der Verwaltung gehörige Nachrichtungen zu exhibiren / oder daß sie nicht verhanden / und Sie davon einige Nachricht nicht haben / noch zu erreichen wissen / Eydlich zu erhalten / schüldig wehren / erweißlich zu machen / appellaten aber / immassen dieselbige belanget / darzu nicht mehr / sondern allein Conrad Borstenbörstels Erben / und Verlassenschafft gehalten / demnach appellaten deß Zuspruchs zu entheben / appellanten aber an itzbemelte Erben und verlasse Güter zu verweisen / obgemelten Nachstand mit den gebührenden Zinsen / daraus zu erheben / im Fall dieselbe / mit den andern darauff hafftenden Forderungen nicht zureichend / ergienge auff ferner suchen der prioritäs halber was gebühret. Inmittelst aber ist / was D. Erichen Wittwe und Erben daraus zu fordern haben / nicht zu vorenthalten / sondern gegen Caution der angelegte Arrest zu relaxiren / und der Nachstand abzufolgen / wie dann auff eingebrachte Caution deßwegen ferner ergehet was recht ist. Die Unkosten bißhero auffgelauffen seyn zu compensiren / von Rechtswegen.

(Hoc est)

In causa Caspari Rauschen Hæredum appellantium contra D. Petri Borstenbörstels hæredes appellatos in puncto reliqui, gravamina tanquam superflua non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus à ju-

Digitized by Google

à judice prioris instantiæ 21. Septembris Anno 1657. quatenus debitum in se concernit, male judicatum, bene appellatum ac proinde eo reformandum, quod ad 5000. Flor. appellantis prætensionem in quantum de jure probata, exolvendum vel alias ea soluta vel in computum deducta, in quem finem tutelares libri post annum 1621. & omnia ad administrationem spectantia documenta exhibenda, vel quod non adsint, nec de iis notitiam habeant, neque ea consequi possint, juxta obtinendum probari debeat, Appellati vero prout conventi, eò non amplius sed solum Conradi Borstenbörsteli Hæredes & Hæreditas obligati sint, exinde appellati ab actione absolvendi appellantes vero, ad dictos Hæredes & hæreditaria bona remittendi, sint dictum recessum cum censibus debitis percipiendi, casu quo illi cum aliis desuper incumbentibus prætensionibus non adæquarent, ad ulteriorem implorationem ratione prioritatis fiet quod juris; interea vero, quod D. Erichen Vidua & Hæredes prætendunt, non præferendum, sed erga cautionem Arrestum relaxandum, & Recessus extradendus, prout ad cautionem inferendum, propterea ulterius fiet quod juris, expensis compensatis, idque de jure.

TIT. XLV.

De eo, qui pro tutore negocia gessit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLVI.

Si mater indemnitatem promisit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLVII.

Si contra matris voluntatem tutor datus sit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLIIX.

UT CAUSÆ POST PUBERtatem adsit tutor.

DECISIO Unica.

Curator appellationem etiam post perfectam ætatem tenetur interponere & prosequi nec auditur differre volens.

QUamdiu tutor administrationis rationes nondum reddidit, nec instrumenta tradidit, tenetur causam pupilli etiam post pubertatem agere. (1) idemque & post vigesimum quintum ætatis annum fidei & verecundiæ curatoris incumbit. (2) Cessant illi in eo suo periculo, cujus à judice admoneri debent. (3) Ideo cum curator à sententia judicis appellavit, introductionem autem & prosecutionem ob perfectos minoris annos differre vult, donec lis huic absenti significetur, non auditur tanquam contra officium faciens, & cui imputari potest, cur quod debet, negligit, (4) ita decretum ad preces Curatorum *Ludolph von Sangershusen, die 4. Feb. Anno 1660.*

1. *L. un. C. ut caus. post pubert. adsit.* ut *l. illud autem 3. § post completum 6. ff. de Admin. tut.*

2. *d. l. un. in fin.*

3. *d. l. un. in fin.*

4. Is tantum, qui agere vel prosequi non possunt, non his qui non volunt, dilationes vel prorogationes proficiunt *l. 1. C. de Dilat. l. ult. C. de Temp. restit. in integr.*

TIT. XLIX.

Ubi pupilli educari debeant.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. L.

De alimentis pupillo præstandis.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LI.

ARBITRIUM TUTELÆ.

DECISIO I.

In judicio tutelæ & rationibus distrahendis, quomodo reputationes à parte tutoris admittendæ sunt.

TUtor qui res pupillares administravit eorum nomine quæ pupilli causa impendit vel compensat, vel contraria tutelæ judicio experitur. (1) Illud si quos sumptus in rationibus computat, sint liquidi. (2) Hoc verò si altioris indaginis & ulterioris discussione egent. (3) Etsi verò ipsius arbitrii dicitur, an compensare, an contrario judicio experiri velit. (4) Haud tamen absoluti est, sed juxta illud discrimen. Utut enim in liquidis voluntati ipsius merè id relictum fuerit, eique licet compensationem non uti. (5) Attamen circa illiquida impetrari non debet, ut ideò differatur tutelæ judicium & rationum redditio, quia quædam con-

Digitized by Google

contrariæ reputationes sunt illiquidæ, (6) sed remitti istæ debent ad contrarium judicium, quod integrum est, licet in priori tutelæ judicio oppositæ & non fuerint admissæ. (7) Quocirca nihil ultra gravaminis habet ejusmodi præteritio sine manifesta reprobatione, (8) quam si planè liquidæ fuerint, ideò in compensationem admittendæ. (9) Non parvum autem gravamen est, si quæ liquida fuerunt, tanquam illiquida non admissa sunt. (10) Ideò de eo cum cõquerebatur, appellans admissus est. *In causa David Maken, contra Iohann Dalemann, die 20. Martii, Anno 1657.*

1. *l. 2. C. de Curat. minor. dand.*

2. Non est compensatio, nisi liquidi cum liquido, *l fin. C. de Compensat.*

3. *l. 1. & tot. tit. ff. & Cod. de contar. tut. act.*

4. *l. 1. §. præterea 4. ff. dict. tut.*

5. Integrum est, cuique jure pro se introducto non uti, *l. pen. C. de Pact.* nec invito datur beneficium. *l. invi off. de Reg. Iur.*

6. Contra æquissimam regulam quæ habetur, *in l. Stat. liber. 5. ff. de Statulib.*

7. *d. l. 1. §. præterea 4. ff. de contrar. tut. act.* Hoc interest, utrum exceptio non admittatur, an reprobetur. Quod per illud integra est in alio judicio oppositio. Per hoc verò impositerum planè excluſi, *l. si autem §. ult. ff. de Negoc. gest. l quod in diem §. si rationis ff. de Compensat.*

8. In dubio integræ relictæ putantur reputationes contrariæ, tantùm sepositæ, quia non liquidæ. *Bartol. in d. l. quod in diem §. si rationes.*

9. *l. 3. C. de Contrar. Tutel. judic.*

10. Multum interest, nostra potius non solvere quàm petere, *l. 3 ff. de Compensat.*

DECISIO II.

Inventarii editio & rationum redditio tutori mandari quidem, sed per sententiam injungi non debet, nisi ipso prius audito.

TUtoribus incumbit inventarii confectio (1) & rationum redditio, (2) nec dubium est illa ut indubia ipsorum debita per mandatum sine clausulâ injungi & ab hoc incipi posse. (3) At non perinde per sententiam idem fieri debet, quandoquidem ista non est ferenda sine causæ cognitione; hæc vero fieri debet citatâ & auditâ parte adversâ. Nulliter pronunciabitur si secus fit. (4) Etsi vero illa nullitas deinde non attendetur, si tutor nihil causæ allegat, cur inventarium vel rationes non debet, (5) attamen si aliquid tale profert, audiri meretur. Est differentia inter mandatum tale & sententiam. Illud exceptiones adhuc admittit, & iis allegatis in simplicem citationem resolvitur: (6) At sententia finem liti facit, (7) illas excludit, si in rem judicatam transierit, (8) quocirca ne fiat res judicata appellatione aut querelâ, nullitatis, (9) qui se læsum putaverit, eget ut adhuc audiatur. (10) Quod considerátum *in causa Nicolai Demeln contra Ottonem Heyen, die 6. Matii, Anno 1655.*

1. *l. tutor qui 7. pr. ff. de Administr. tutel. l. fin. C. Arbitr. Tutel.*

2. *l. 1. & tot. tit. ff. de tut. & ration. distrah.*

3. *Iuxta Ordin. Camer. Imper. part. 2. tit. 23.*

4. *l. 9. C. de Iudic. l. 1. l. pen. C. de Execut. rei jud. l. 7. in fin. C. de sent. & interloc.*

5. Nulla major est sententiæ nullitas, quàm quæ proficiscitur ex omissa citatione partis atque legitimâ causæ cognitione.

6. Assensu nulla convalidatur sententia. Ille est in omissa super nullitate querela.

7. Non transit in rem judicatam, *l. 1. l. seq. C. commun. program. Epist.* comparendo & exceptiones opponendo mandata sine clausula resolvuntur in simplicem citationem.

8. *l. 1. ff. de re jud.*

9. Habetur pro veritate, *l. res judicata ff. de R. I.* ex falso verum, ex albo nigrum, ex rotundis quadrata facit, *ut vulgata Ictorum phrasis habet.*

10. *l. 1. l. fin. C. ut lit. pendent. aut. post. provoc.*

DECISIO III.

Rationibus à tutore semel redditis non est iterata redditio aut inventarii editio injungenda, nisi apparente causa, quæ priorem vitiat.

RAtio semel reddita, etsi allegatur læsio ultra dimidium ejus quod debetur, non retractatur, (1) nisi accedat causa, quæ priorem redditionem vitiat, veluti si in calculo aut alias erratum, aut dolo vel collusione actum docetur, (2) quod causæ cognitionem requiret, ideo etiam ut prius altera pars audiatur, antequam injungitur. (3) Nimis grave foret eum qui res alienas administrat, perpetuo rationibus esse obnoxium, & semel redditione defunctum iterum posse inquietari, quod ipsas tandem faceret immortales. (4) Et quod in genere de omnibus rerum alienarum administratoribus existimatur, ejus qua tutores non est diversa ratio. *In eadem causa.*

1. *Pinell. in l. 2. part. 2. cap. 4. num. 6. C. de rescind. part. 1. quæst. 20. num. 44.*

2. *l. un. C. de Error. Calcul. Cravett. consil. 198. n. 3.*

3. *Munnoz. ab Escobar. de ratiocin. part. 1. cap. 41. num. 28.*

4. *Socin. sen. consil. 92. lib. 4.*

DECISIO IV.

Tutor ad aliqua non est damnandus nisi deductis impensis earumque causa exceptio, compensatio, & reconventio admittenda est.

APpellatione interpositâ querebatur tutor se pupillo post finitam tutelam condemnatum esse ad reliqua, exclusâ vel ad alium processum sepositâ reputatione contraria, ejusque causæ reconventione. (1) Hæc in aliud quidquam continuisset, quàm quod ad tutelam pertineret, consensissemus, reconventioni ad illud effectum

Digitized by Google

non esse locum, ut cum actione tutelæ pari passu ambularet eumque retardaret, (2) de qua judicium summarium celerisque expeditionis esse oportet. (3) At cum narraretur actione de rationibus, & ad reliqua pupillum experiri, vicissim tutorem impendia exigere, non repertum est, quod obesset, quin locus esset exceptioni de expensis, (4) tum etiam si hæ liquidæ essent compensationi, (5) si adhuc illiquidæ reconventioni. (6) Posteaquam reliqna esse & dici non possunt, nisi examinatis & deductis impensis, (7) & harum nomine ut alias cuivis possessori sic & tutori datur retentio. (8) Quocirca qui illa petit, etiam pati cogitur ut vicissim in rationes veniant expensæ. (9) Non obsistit huic sententiæ, quod etiam redditis rationibus tutor tenetur res pupillo in inventario descriptas reddere, nec restitutionem sub obtentu rationum remorari potest. (10) Pertinet enim ad illam speciem, ubi non in ipso judicio super rationibus de expensis opponitur, sed post illud retētione vel actione tutor utitur, ideo restitutionem negat. (11) Præterea multū interest inter res ipsas pupillares, quarū nomine rei vindicatio est, & inter reliqua ex tutela, quæ nulla nisi deductis expensis. (12) Quorum consideratio effecit, ut appellatio admitteretur *in causa Nicolaus Boudovvin, contra Ludovvig Hoyer, die 27. Aprilis, Anno 165.*.

1. In ea specie appellationi locus, imo si contraria reputatio servari debet, necessaria est, *l.* 1. §. *præterea 4. verb. si reprobata est hæc reputatio & acquievit l. hoc est non appellavit, ut ICti interpretantur ff. de contrar. Tutel. l. 2. ib. Gothofr. C. eod.*

2. Summaria causa ex reconventione ad ordinarium judicium pertinente non retardanda est. *Trintacinq. variar. resolut. part. 2. tit. de mut. petit. resol. 1. num 13. Molignat. de reconvent quæst. 44.*

3. *Munnoz ab Eschobar. in tr. de Ratiocin. part. 1. cap. 12. n. 32.*

4. Tutor ut à sua parte ad rationes & reliqua est obligatus, *l. 1. & tot tit. ff. Tutel. & rat distrah.* ita vicissim ipsi pupillus de his quæ sui causa impendit, contrario judicio tenetur atque conveniri potest, *l. 1. tot. tit. ff. de contrar. tutel.* Et cum agere possit, dubio caret eidem exceptionem ea de causa esse, *l. 1. §. is autem 4. ff. de suspect.*

5. *d. l. 1. §. præterea l. 3. §. 1. ff. de contrar. tut. act. l. 3. C. eod. l. 1. C. de in lit. dand. tut. Surd. decis. 184. n. 2. Steph. Gratian. discept. forens. 129. num. 16. 19. & seq. tom. 1.*

6. *Per text. expres. l. 1. §. fin. l. 2 ff de tut. & rat. distr.* ubi si de rationibus agitur, vicissim contrario agi posse ostenditur. Eo pertinet quod in *d. l. 1. §. præterea* dicitur reputari posse id quod tutor impendit & in arbitrio esse, utrum compensare an petere velit sumptus.

7. Impensæ minuunt debitum, *l. 5. ff. de Impens. in res dot.*

8. *l. si in area 33. ff. de condict. indieb. l. si non sortem 26. §. 4. ff. eod. Surd. decis. 184.*

9. *Cujus rei æquitatem ICtus exprimit in l. 1. pr. ff. de contrar. tutel.*

10. *Surd. decis. 184. num. 11. Benitend. decis Bononiens. 90. in fin. ubi hanc sententiam communem & in judiciis servatam dicunt.*

11. Sic conciliandæ sunt sententiæ diversæ de retentione & restitutione bonorum pupilli, etiam antequam rationes contrariæ reputationis discutiuntur: Ubi omnia à parte pupilli liquida sunt, sed tutori adhuc contrario judicio opus non retardanda ideo restitutio. Secus vero erit, cum in idem judicium ista veniunt, & compensatio objicitur vel reconventio facta est. Quæ cum actione tutelæ finienda est, nisi altioris sit indaginis, *Cavalcan. in tract. de Tutel. num. 214. vid. Negozant. de Pignor. membr. 1. part. princ. 5. num. 37. Surd. d. decis. 184.*

12. *Sic distinguit post Surd. & Rol. à Valle. Gratian. dict. discept. forens. 129. n. 6. & 8.*

DECISIO V.

Vidua non eo minus quod liberi prioris matrimonii cum ipsa bona defuncti mariti detinuerunt, ad rationes tenetur.

VIduarum, cum maritorum bona post obitum detinent, debitum est frugaliter ista administrare & rationes administrationis reddere. (1) Non relevat ab eo debito composessio seu condetentio liberorum prioris matrimonii: Nam quia viduæ id onus statutum & consuetudo imponit, (2) ipsa de administratione respondere tenetur, nec eo nomine in plures oportet distringi mariti creditores, quibus illa sola obligata est, cum etiam illa sola administrare debeat. (3) Quod privignis de jure suo concessit, ut & cum iis conventio, ipsam liberare non potest nec creditoribus nocere debet. (4) Sic judicatum *in causa creditorum Siegfried Dechovven, contra Viduam illius, die 15. Februarii, Anno 1656.*

1 *Coler. de Process. Executiv. lib. 1. cap. 2. num. 224. & seq.* Ex constitutionibus & usu Pomeraniæ hæc certa sunt.

2. Per viduam creditoribus iniqua conditio inferri non debet. *l. non debet ff. d. R. I.*

3. Cui defertur administratio, ejus etiam est rationes reddere, *l. 1. pr. ff. de tut. & rat. distrah.*

4. *contra l. 1. §. fin. l. seq. ff. de Exercit. act.*

5. *l. debitorum 24. C. de Pact.*

DECISIO VI.

Tutori post finitam tutelam nisi rationibus redditis, & reliquis solutis non potest opponi legitimationis aut non competentis actionis exceptio.

TUtor de reddendis tutelæ rationibus & solvendis reliquis à contutore nomine pupillorum conventus opponebat finitam pubertate tutelam, ideo contutori pupillorum nomine non superesse actionem, eique opus esse prius personam suam legitimare.

Digitized by Google

mare. Utut vero pubertate tutela finitur, (1) tamen non aliter, quam si etiam tutor rationes reddiderit atque reliqua solverit desinunt functiones tutelares. (2) Quo nondum facto tutor obnoxius manet: (3) nec tantum potest, sed etiam debet litem prosequi & commodis pupillaribus invigilare. (4) Male ipsi opponitur legitimationis exceptio, ubi obstringit officii ratio, quod durat post tutelæ tempora, (5) donec pupillus in suam vel alienam potestatem plene venerit. Pejus vero reus utetur non competentis actionis exceptione, ubi non suo, sed pupilli nomine agit, nec inspicitur ad quid reus tutori, sed quomodo pupillo obligatur. Juxta hæc pronunciatum *in causa David Maken, contra Iohan und Christian die Dalemans, die 26. Febr. Anno 1658.*

1. *pr. in Instit. quib. mod. tut. l. 2. C. in quib. caus. tut. habent.*

2. *Ant. Faber. in Cod. lib 5. tit. 29 defin. 2.*

3. *l. à tutoribus 33 § 1. ff. de Admnistr. Tut.*

4. *l. 1. C. ut caus. post put. adf. tut.*

5. Etiam post finitam tutelam officium tamen tutelæ durat, quantum ad ea quæ tutelis sunt annexa & conjecturia. *l. 5. § situt ff. de Administr. Tut. l. tutor l post 11 C. arbitr. tutel. si tutor post 23 ff. de Tut. & ration.*

DECISIO VII.

Vidua rationem administrationis non reddens lucris nuptialibus privatur, & nihilominus obnoxia manet repetitioni fructuum perceptorum vel percipiendorum.

VIdua post mortem mariti in ejusdem bonis pro dote aliisque iliatis seu lucrandis retentionis jus habet. At isto uti cupiens tenetur conficere inventarium bonorum, ista frugaliter administrare, & rationes reddere. (1) Quod si omiserit privatur lucris nuptialibus, quæ juxta statutum privilegii vel mores ex bonis maritorum uxores capiant. Indignæ istis dum contra legem peccant. (2) Nec tamen hac pœna liberantur à refusione perceptorum vel percipiendorum, sed nihilominus in hæc hæredibus vel creditoribus mariti tenentur, quibus integrum istos petere & iis remediis uti, quibus in liquidum deducuntur. Juxta hæc decretum *in causa Creditorum Siegfried Dechowven contra Viduam ejus. Die 3. Decembr. Anno* 1658.

1. De hac plura exposui *in Commentar. ad Ius Lubecens. lib. 1. tit. 6. artic. 13. num. 64. seq.* Apud nos in Pomerania de eo nulla superest dubitatio cum sit certa lege provisum sit & observetur.

2. *l. auxilium. 30. §. 1. ff. de Minorib.*

DECISIO VIII.

Tutor ob nomina seu ab alio seu à semet ipso contracta tenetur, quatenus ex sua culpa in iis quid pupillo damnosum contigit.

DE periculo nominum, & quatenus ad tutorem pertinet, controversa quæstio est, variis distinctionibus per JCtos exposita: (1) Communiter distinguitur, utrum ea sint contracta à parentibus pupilli, seu aliis, & ab his ad pupillum, & ita sub curam tutoris devenerint; an vero à tutore, (2) In omnibus autem hoc idem est, quod tutor non tenetur, nisi quatenus ejus circa ista arguitur negligentia. (3) In hoc vero differentia est, primo quod in priori specie contra tutorem non est actio ob perperam illa contracta, (4) sed tantum ob non per debitam diligentiam exacta. (5) In posteriori autem obnoxius sit, seu in contrahendo seu in exigendo, quid neglectum fuerit. (6) Deinde quod in priori specie tantum de lata culpa tutor tenetur; (7) in posteriori autem de levi, (8) cum mediam diligentiam præstare debeat, seu talem, qualem diligens paterfamilias in suis rebus præstat. (9) Ejus neglectus in utraque specie tutorem arguens, & quidem iis argumentis, quæ is talis negligentia probari solet, (10) ob ea rejecta merito appellat & audiendus est. Sic decretum *in causa Benedicti Rosenthal contra hæredes Antoni Harelovv, die 5. Maji, Anno* 1659.

1. *Vide quæ latis ff. de hoc scripsit Hartm. Pistor. part. 1. illustr. quæst. 49. per totam.*

2. *De hac distinctione vid. Hartm. Pistor. dict. q. 49. num. 1. & seq. Carpzov. in jurisprud. forens. part 2 constit. 11. defin. 25.*

3. Tenetur tutor de dolo, lata culpa, & levi. *l. quidquid 7. Cod. arbitr. tutel. l. contractus 23. ff. de Reg. jur. non a to quovis casu.*

4. Extra omnem quippe culpam est ratione contractus ab alio initi.

5. *l. si tutor ff. de adminstr. tut. l. 2. C. arbitr. tut.* Eo intuitu *in l. in debitoribus 18. C. de adminstr. tut.* periculum nominum talium ad tutorem pertinere dicitur.

6. Periculum nominum quæ tutor ipse contraxit, ad ipsum pertinet. *l. litis § si pecuniæ ff. de negot. gest.*

7. *l. 2 ibi gloss. & Dd. C. arbitr. tut. Cujac. in Paratitl. tit. eod.*

8. *d. l. quidquid 7. ibi Dd C. eod.*

9. *l. contractus 23. ff. d. R. Iur.*

10. Negligentiam in exigendo arguens eam probare tenetur. *l. chirographis 58. de administr. tut.*

DECISIO IX.

Tutor à debitore inopiæ suspecto per longum tempus non exigens lata culpa reus est.

PAterna credita, sicut & nomina per alios quam à tutore contracta pupillus agnoscere,

Digitized by Google

scere, nec de iis tutor aliter teneturquam si cum fuerint idonea, (2) postea per latam tutoris culpam reddita sint inidonea, (3) utriusque probatio incumbit pupillo agnoscere recusanti. (4) primum probare non est opus. quando tutor ejusve hæres allegat facultates debitoris, & inde suam negligentiam vult purgare sua confessione relevar actorē à probationis onere. (6) Alterum autem inde apparet, cùm tutor quando exigere, & legitimis remediis uti debuit & potuit, non est usus (7) præsertim si non compulit ad solvendum, quem scit aut facile conjecit facultatibus labi, (8) vel quem reperit fidem crediti non servare. (9) Quod utrumque in eo fit, qui pro sorte usuras annuas conventas diu non solvit. (10) Cui ut nemo bonus paterfamilias sortem inutilem sub discrimine diutius relinquit, ita per legitima remedia non compellens facit, quod nemo sanæ mentis homo facturus, (11) ideo se latæ negligentiæ Reum facit, & quo diuturnius negligitur exactio, eo gravior est omittentis culpa æquiusve ut non minis sustineat periculum: Ideo dubium non erit, eum, qui ultra decennium usuras ex mutuo non accepit, nec etiam pecuniam exegit, interim vero sortem pupillarem in alimenta expendit, valde negligentem esse, ideo juste ad solvendum, quod sua culpa deterius redditum est, condemnari. (12) Uti existimatum *in causa Benedicti Rosenthalii, contra Anthonii Hanetouven viduam, die 28. Ianuarii, Anno* 1660.

1. *l. 2. C. arbitr. tutel.*

2. *l. tutor. 35. ff. de Administr. tut.*

3. Tutor de nominibus paternis ut & ab alio quàm à se contractus non aliter tenetur, quam si tempore susceptæ tutelæ idonea fuisse pupillus probaverit, *Harm. Pistor. part. 1 quæst illustr. 49. n. 12.*

4. Inter paterna seu ab alio contractu nomina, & ea quæ tutor ipse contraxit ea differentia est, quod in illis exigendis latam tantū culpam, *d. l. 2. C. arbitr. tut.* in his vero levē tutor præstat, *l. quidquid 7. C. eod. vid. Hartm. Pist. d. quæst. 49. num. 5. & 9.*

5. *vid. Carpzov. in jurispr. part. 2. constit. 11. defin. 26.*

6. Non sunt in confitentem aliæ partes judicis quam in condemnando *l. 17. ff. ad L. Aquil.*

7. Negligentia non est aliquid formatum, quod sensu corporis percipi possit, ideo directe per testes probari nequit, sed saltem indirecte per argumenta docetur, è quibus hoc tenetur sufficiens, quod quis non usus est iis remediis oportunis quibus adstrictus uti potuit quando debuit, ita scribit. *Mascard. d. Probat. Conclus. 1113. num. 7.*

8. Vigilantibus jura scripta sunt & qui tunc, cum debitor facultatibus labitur non vigilat suæ negligentiæ acceptum ferre tenetur, *l. pupillus 24. ff. quæ in fraud. credit.*

9. Argumentum fraudis & grave incitamentum diligentiæ esse debet, ubi creditor fidem promissi non servat, qui semel fallens porro fraudator præsumitur.

10. Hoc ad inopiam habentis hominis indicium est quotannis semet non exonerare usurarum debito, cujus augmentum vorat, & opprimit plerumque debitores.

11. Tenetur tutor ad eam diligentiam in rebus pupilli quam diligens paterfamilias adhibet in suo *l. 1. pr. ff. de Tut. & ration. l. 7. C. de Arbitr. tutel.*

12. Ex quo tutor exigere debuit, sed non exegit negligentiæ Reus est. *Bartol. consil. 102. Mascard. d. conclus. 1113. num. 7.*

DECISIO X.

Non cognatio debitoris cum minore, nec ob exactionem indignatio excusat tutorem cum istam omisit.

TUtor ob obmissam exactionem debiti inculpatus pro excusatione allegabat tum venerationem debitori ob cognationem cum pupillo debitam, tum minoris ob exactam à cognato pecuniam indignationem. At neutra causa sufficit. Potior quippe ratio apud tutorem pupilli, quam consanguinei esse debet. (1) Nec hujus gratia illius commoda sunt negligenda, (2) nec iis quicquam remittendum. Sine magno quidem pupilli incommodo illis gratificari atque benefacere licet, at non aliter, quam ubi solenne, (3) vel necessarium (4) non cum neglectu crediti, qui remissionis seu donationis speciem habebit quam Tutor de bonis pupilli facere non potest. (5) Hujus autem consilium aut animus nihil facit in iis quæ ad administrationem pertinent, (6) in quibus magis curandum quid ipsi expedit, (7) quam quod placet, (8) nec ex eo potest esse aliqua excusatio neglecti officii, (9) quando ideo tutor pupillo datur ne hic ex suo arbitrio agat eique etiam invito prospici (10) *In eadem causa.*

1. *l. Tutor. 13. §. 2 ff. de Administr. tutor.*

2. Nihil licet tutori, quod ad deminuendum pupilli tendit, *l. Lucius 46. ff. eod.*

3. *l. cum plures 12. §. cum tutor. 2 ff. eod.*

4. *l. 1. §. sed si munus 5. ff. de Tutel. & rationis.*

5. Hæc interdicta tutori penitus, *l. tutor. 22. ff. de Administr. tut.* si facta arbitrio pupilli relicta *d. l. cum plures 12. §. cum tutor. 2. in fin. ff. eod.*

6. Fragile & infirmum hujusmodi ætatem consilium & multis captionibus suppositum multorum insidiis expositum *l. 1. ff. de minorib.*

7. Tutori omnia ad utilitatem pupilli dirigenda sunt, *l. tutor. 22. ff. de Administrat.* Ideo ad eum semper periculum pertinet, cum vel non fecit quod debuit vel fecit quod non debuit, *l. pr. ff. de Tutel. & ratiocin. l. 2. C. arbitr. tutel.*

8. Bono suo consilio non alieno placito tutor negocia gerere debet, si teneri nolit. *l. ita autem §. Papinianus 8. ff. de Administrat. & periculo tutor.*

9. *§. 6. Instit. de Attilian. tut. l. fin. C. de legit. Tutor.*

10. Etiam invitis consulere debent curatores sicut invitis dantur, *l. 6. ff. de Tut. & curat. dat.* Non liberantur quod in aliquo pupillo autoritatem vel consensum accommodaverint, quia etiam cum

Digitized by Google

cum dubium est an pupillo expediat facere non debent, *l. si tutor. ibi Gloss. ff. de autor. & consens. tut.*

DECISIO XI.

Litem à tutore male cœptam & actam major suscipere non tenetur, etsi ætatis beneficio reparare posset, sed ei contra tutorem tutelæ agere permittitur.

TUtor & curator litem à se pupilli nomine cœptam, ad eum majorem factum transfert, nec ultra quam rationes reddiderit eam peragere tenetur, (1) neque etiam ejus litis periculum sustinet, nisi perperam actionem instituisse convincitur. (2) Quod apparente pupillo obnoxius manet ad id, quod lite inepte mota amisit aut de quo periclitatur. (3) Nec auditur, si objicit ac ostendit huic per ætatis beneficium imploratione restitutionis in integrum, (4) vel alio remedio posse esse consultum, ac quod læsit, reparari. Est enim minoribus integrum, an tutores convenire, an restitutionis beneficio uti velint. (5) Nec hoc proficit istis ad evadendam actionem. Jurisprudentia enim utrumque iis simul indulsit, & electionem tribuit. (6) Nec potest tutoribus ex sua culpa vel negligentia contra pupillum contingere beneficium, actionem contra se justam ex jure istius excludendi. (7) Nec minoribus injungi remedium, quod potest esse molestius & sumptuosius, quodque ob dubium litis eventum non sine periculo foret. (8) Frustra inde imputatur majori denunciatam ipsi litem fuisse, quam non suscipiendi probabilis causa fuit (9) injustè exigitur, ut illi ex suo jure alibi remedium quærat, cujus reparatio ipsi contra tutorem certior atque expeditior videbitur. (10) Sic existimatum *in eadem causa.*

1. *l. 28. pr. ff. d. Administr. Tutor. l. 1. C. ut Cans. post pubert.*

2. *l. 1. §. 1. ff. ut pendente appellatione.*

3. Tutoris debitum est ex omnibus suis actibus pupillum servare indemnem.

4. Competit minoribus restitutio in integrum etiam adversus rem judicatam. *l. 1. tot. tit. C. si adv. rem. judic.*

5. *Per text. express. in l. 3. l. ult. C. si tut. vel cur. interv. l. Imperatores 46. ff. de minorib. l. si minores 25. ff. de Administr. tut.*

6. Quod in hoc est beneficium pupilli hoc ipsi prætore servandum, *l. qui nominibus 44. §. 1. ff. de Administr.*

7. Culpa sua nemini prodesse & alteri nocere debet, *l. 14. ff. de condict. indeb.*

8. Est quidem ei contra quem petitur in integrum restitutio ex eo exceptio, quod à tutore qui actum gessit, servari possit indemnitas uti post *Abbat. in C. cum venissent de restit. in integrum & Ruin. consil. 119. num. 18. seq. lib. 5. sentit. Paul. Montan. in tr. de Tutel. cap. 33. regul. 9. num. 283. seq.* ubi communem hanc esse opinionem dicit. At non è contra, quia restitutionis imploratione pupillo consultum, esse potest, tutori id proficit. Est in eo manifesta diversitatis ratio.

9. Nihil proficit denuncianti aut alteri nocet denunciatio, ubi nulla inest ei ad faciendum obligatio, *Salycet. in l. 3. C. de Novation.*

10. Cuique plura remedia habenti integrum est, quo velit eligere nec dum suo jure utitur cuiquam facit injuriam.

Ita pronunciatum.

In Sachen Benedict Rosenthals Klägern und Appellanten wider Anthoni Hanetowen Wittwe und Erben Beklagte und Appellaten in puncto tutelæ & reddendarum rationum, werden die gravamina als überflüssig nicht/ sondern Acta ex officio vor beschlossen angenommen / darauß befunden und erkant/ daß von Richter voriger Instantz noch zur Zeit übel gesprochen/ wol appellirt/ die Urtheil dahin zu ändern sey/ daß Appellanten besser/ dann geschehen/ in Rechts-Fristen beyzubringen schuldig/ von bemeldten Hanetowen als Vormund/ die bey David Sachtleben außstehenden Poste/ und davon fällige Zinsen zu rechter Zeit erfordert/ und gebührende Mittel bey befundener langer Zeit/ darinn die Zinsen nicht außgenommen/ angewandt/ warauß es auch auisser seiner Säumnuß/ daß solche jährlich nicht eingekommen/ gestanden / darauff hernach wegen solcher außstehenden Schuld-Poste wie auch nach Befindung wegen deß auff den Vorpflegten Verwandten und berechneten Capitals weiter ergehet was recht ist. Von Rechtswegen.

(Hoc est)

In causa Benedicti Rosenthals actoris & appellantis contra Antonii Hanetowen viduam & hæredes reos & appellatos in puncto tutelæ & reddendarum rationum, gravamina ut superflua non, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus, exinde decernimus, à judice primæ Instantiæ adhucdum male pronunciatum, bene appellatum, sententiam eò reformandam esse, quod appellantes melius quam factum in termino legali probare teneantur à mentionato Hanotowen ut tutore apud Davidem Sachtleben extantia Capitalia & indo cedentes pensiones tempore congruo exacta, & media competentia reperto longo tempore, quo pensiones non fuerunt solutæ adhibita, ac etiam citra ejus negligentiam factum, quod tales annuatim non exsolutæ sint, super quo postea ratione ejusmodi extantis debiti prout secundum statum illius in pupillum impensi & computati Capitalis, fiet ulterius quod juris. Idque de jure.

Digitized by Google

TIT. LII.

DE DIVIDENDA TUTELA & pro qua parte quisque Tutorum conveniatur.

DECISIO Unica.

Tutori ideo quia non administravit non competit ordinis exceptio, sed quia alter solus administravit.

TUtorum periculum commune est in administratione tutelæ, (1) ordo tamen conveniendi, ut prius teneatur & discutiatur qui administravit si solvendo sit, (2) postea demum cæteri qui non gesserunt, quibus ideo exceptio ordinis vel excussionis competit. (3) Sed tunc si aliquis tutorum id ipsum administravit, de quo agitur, & deinde si solus non adhibito suo contutore. (4) Ubi actio est de eo quod non gestum à quoquam, sed ab omnibus pariter neglectum, cessat illa exceptio, & est pupillo contra quem agat electio. Quia remanet communis illa singulorum in solidum obligatio. (5) Salvo tamen beneficio divisionis quod pluribus tutoribus jurisprudentia Romana indulsit. Uti decretum die 16. Novembris, Anno 1659.

1. *l. 2. C. de divid. tutel.*

2. Puta si non sit inter tutores divisa tutela. Divisio nisi à lege vel testatore facta (qualis dividit plane periculum *dict. l. 2. §. 1.*) haud quidem periculi divisionem facit, ordinem tamen petendi inducit & non administranti exceptionem ordinis tribuit. *l. 3. Cod. eod.*

3. Ex hoc existit divisio tutelæ. Quam non tantum expte esse, sed tacite per consuetudinem inter tutores fieri putatur, *Gutierrez. in tract. de Tutor. part. 3. §. 7. num. 18.*

4. In eo quod à nemine peculiariter seu separatim suscipitur tutela manet indivisa ideo jus solidæ obligationis & actionis, *juxt. l 2. Cod. de divid. Tutel.*

5. *l. 1. §. 11. de tutel. & ration. distrah.*

TIT. LIII.

DE IN LITEM JURANDO.

DECISIO I.

Contra viduam quæ dum jure retentionis utitur mariti bona administrat rationes detrectantem juratur in litem, sed nisi petentibus id creditoribus non decernitur.

POstquam vidua per judiciale pronunciatum rationes de administratis mariti bonis, dum jure retentionis utebatur, reddere jussa detrectabat, creditores in contumaciam adversus ipsam procedi generaliter, nulla speciatim adjecta petitione, urgebant, in tali specie juramento in litem locum fore non ambigebatur. (1) Est ea vidua instar negociorum gestoris, contra quem ita jurari solet, (2) si doli reus sit. (3) Cujus non immeritò arguitur mulier, cum rationes reddere detrectet. (4) Haud verò, cum id non petitur, judex ut juret in litem decernere debet, cum vel qui petit in contumaciam procedi jurari nollet, (5) vel fortè ob ignorantiam non possit. (6) Idcircò ad ejusmodi generalem petitionem judex non quod peti solet, uti alias in hac specie decernet, sed tantum supplicantem ad specialem petitionem faciendam remittere debet. (7) Sicut decretum *in causa Creditorum Siegfried Deckovven contra viduam ejus, die 3. Decembr. Anno* 1658.

1. Juramento in litem tanquam legitimum & necessarium remedium in omnibus causis, ubi id quod interest petitur, locum habet, nisi repetiantur speciatim exceptæ. *l. in actionibus 5. ib. gloss. & Dd. ff. de in lit. Jurand.*

2. *l. 2. l. 3. C. d. tit.* qui textus licet de curatore sonant, tamen ad negociorum gestorem ex similitudine rationes pertinent. *uti explicatur in Colleg. Argentin. ad lib. 12. tit. 3. thes. 6.*

3. Aliena bona quisquis detinet, at ex iis perceptorum rationes non scribit, non potest non reputari esse in dolo, conscius quod circa ea potius quam in suis debeat *l. in re mandata. 21. C. Mandati.*

4. Nemo cogitur in litem jurare, sed ita demum jurat si actor velit. *l. 4. ff. l. 1. l. 2. pr. C. de in lit. Jur.*

5. Non jurant in litem nisi scientes. *l. 4. in pr. verb. ignorantes ff. d tit.*

6. Ita aliàs fit à judicibus ut generalia partium petita rejiciant, & petentes ad specialem petitionem remittant.

DECISIO II.

Contra tutorem qui se à dolo vellata culpa purgat, ob omissum inventarium non juratur in litem.

TUtor non conficiens inventarium in dolo esse creditur, (1) ideo contra eum in litem juramentum peti & deferri solet. (2) Quomodo autem hoc oritur ex juris præsumptione de dolo, quam lex in pœnam inventarium non conficientis constituit, (3) ita ubi præsumptio illa cessat vel diluitur, etiam jurijurando in litem locus non erit. (4) Potest fieri, ut ex justa vel necessaria causa tutor inventarium impune omittat, & tunc deficit præsumptio. (5) Quod contingit ubi vel plane nihil est quod in inventarium redigatur, (6) vel id modicum (7) adeoq; certum ut descriptione peculiari non egeat. (6) Aliæ etiã fortiores præsumptiones juris per quas

Digitized by Google

quas doli istius præsumptio excluditur ad purgandum à dolo tutorem proficiunt. (9) Quocirca in tali specie non juraturin litem, tutori tantum si quid dubitationis supereſt juramentum purgationis defertur, per quod sancta assertione obtestetur, sibi de ullis aliis bonis nihil esse cognitum, omniaque sine fraude esse. (10) Sicut fuit judicatum in tali specie quando parente mortuo valde obærato abstinente ab hæreditate filiâ ideo concursu creditorum statim excitato nihil bonorum isti remansit, præterquam quod ex commiseratione creditores donarunt, idque tam certum, plane fuit, quam etiam liquidum ultra nihil exstitisse. *In causa Nicolaus Demels contra Ottonem Hein, die 1. Junii Anno 1659.*

1. *l. tutor qui repertorium 7. in pr. ff. de Administrat. tut.*

2. Hæc pœna est tutoris ob non confectum inventarium, *l. alio 4. C. de in lit. jur.*

3. *l. fin. C. arbitr. tutel.*

4. *l. 1. & 2 C. de in lit. jurand.*

5. Vulgo ab JCtis dicitur etiam fatuam causam purgare à dolo, quidni justa atque probabilis?

6. Non entis nullæ sunt qualitates & inane inventarium, quod caret omni materia.

7. Modicum in talibus non curat Prætor *l. 4. ff. de restit. in integr.*

8. Superfluis juste abstinetur.

9. Ubi pro dolo & contra dolum præsumptiones concurrunt ea capienda est, quæ ab illo liberat. *Salycet. in l. fin. C. de Dol. mal.*

10. *Vid. Heig. part. 1. quæst. 40. ubi de usu juramenti purgationis in causis civilibus prolixe agit.*

DECISIO III.

Ubi nihil pupilli interest, aut interesse apparet, contra tutorem non juratur in litem.

QUæ pœna est tutoris ob obmissum inventarium ut contra illum juretur in litem, cessat, ubi nihil pupilli interest, id fuisse factum. (1) Nam ad hoc tendit juramentum istud, (2) ideo locum saltem habet, ubi jurantis interesse potest. (3) Quod non sufficit nudâ allegatione proferri, sed oportet aliqualiter ostendi, aut cum ratione palliari, ut judex de eo arbitrari possit. (4) Quocirca dubium non est, ubi apparet nihil interesse, ad illud quoque non descendendum, sed tantum tutori ut juramento se ab omni fraude purget injungendum esse. (3) *In eadem causa.*

1. *l fin. C. Arbitr. Tutel. l. alio 4. Cod. de in lit. jur.*

2. Deficiente interesse deficit actio, quæ non datur nisi quatenus interest. *l. 3. §. si mecum ff. ad exhib.*

3. *l. nummis 3. ff. de in lit. jurand.*

4. Non est indefinita in litem jurandi potestas, sed judicis arbitrium accedere debet. *l. videamus 4. §. jurare 2. ff. eod.* ideo illud ex causæ circumstantiis recte informari.

5. Ita praxis fori hodie servat ut etiam in civilibus causis juramento purgationis ob adversas præsumptiones locus sit, quod inter decisiones nostras non semel reperitur.

TIT. LIV.

De hæredibus tutorum vel curatorum.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LV.

SI TUTOR VEL CURATOR non gesserit.

DECISIO I.

Contra Magistratum non est ex perperam facta hypotheca actio, nisi ubi vitii & damni causa est.

CUm inter gravamina appellationis creditor, quod in lite super prioritate succubuerat, ejus causam in omissa inscriptione hypothecæ in librum publicum collocaret, (1) ideo in magistratum culpam ejus referret, & ob hanc actionem sibi reservandam fuisse obtenderet, pro relevantia ejus in disceptationem venit, utrum Magistratus ex eo quod coram ipso actum renetur? Non obligari ipsum ex hypotheca coram ipso constituta si non sufficiet pro securitate credit communis JCtorum sententia est. (2) Deficit quippe animus & causa obligandi, (3) dum actus coram ipso non fit ad contractum quendam vel quasi, sed ad authoritatem actui præstandam. (4) Non obligatur magistratus ex tali actu nisi accesserit quod sit obligatorium, nempe fraus aut culpa aliqua magistratus, quæ causa damni, ideo & obligationis sit. (5) In ea vero specie, quæ impræsentiarum occurrit, non deprehendebatur fraus vel culpa quædam. Arguebatur enim, quod cum petitum esset hypothecam publicam facere, & super eo decretum processisset, non subsecutam esse inscriptionem in librum publicum, at non allegabatur esse & hanc expressim petitam, (6) quin potius inter dicta erat ministrum creditoris ex imperitia petitionem & instantiam super eo omisisse. (7) Non est magistratuum quoddam debitum omissa à partibus supplere, (8) ideo ejus non facti seu recte non petiti quædam culpa, sed quod non petiit pars non injuste omittit, (9) qui

Digitized by Google

qui officium ſuum non impertitur, niſi imploratus. (10) Præterquam igitur, quod nondum verſabatur ea cauſa inter creditorem & magiſtratum, ſed adhuc inter concreditores tantum, ideo inepte reſervatum quoddam contra eundem fieret, (11) videbatur ejus etiam nullam eſſe juſtam cauſam *in cauſa Iürgen Zabeln civis Hamburgenſis, contra Gallum Hamburgen civem Lubecenſem, die 19. Martii, Anno 1659.*

1. Inter creditores hypothecarios potior eſt, cujus hypotheca inſcripta eſt publica civitatis libro, dum publica eſt, *juxt. l. ſcripturas Cod. l. qui pot. in pign.*

2. *Prolixius de hoc apud Virgil. Pingizzer quæſt. 38. Hartman. Piſtor. lib. 3. quæſt. 17. num. 17. Moller. ad conſtit. Saxon. 23. ibi. Roſain addit. num. 14. part. 2.*

3. Obligatio non eſt ſine cauſa debendi, hæc non ſine animo & facto.

4. Conſenſum obligationi præſtans per officii rationem non obligatur. *l. Cajus ibi Caſtrenſ. ff. de Pignor. act. l. cum quædam 26. Cod. de Adminiſtr. tut.*

5. Culpa eſt cauſa obligandi, non tantum aliis, ſed in magiſtratu, *uti exemplum habent in hac ſpecie Moller. lib. 1. Semeſtr. cap. 21. Rauchbar. part. 1. q. 24. num. 29.* in eo qui hypothecam idoneam affirmavit, eum decipit creditorem, ſive ſciens ſive ignorans fecerit.

6. Moris eſt, ut qui deſiderant hypothecam in librum publicum deſcribi, id expreſsè coràm magiſtratu petant, nec niſi petentes impetrent, cum in talibus ad utilitatem privatam pertinentibus magiſtratus officium impertiri non teneatur, niſi imploratus, *per vulgata.*

7. Omiſſum à miniſtro non luit magiſtratus, ſed aut contra illum actio, aut quod tam negligente atque imperito uſus eſt imputatio eſt.

8. *l. un. C. ut quæ adv. part. def.*

9. *l. 18. ff. Famil. erciſc.*

10. *l. dies 4. §. hoc Iudicium 8. ff. de Damn. in fect.*

11. Reſervatio actionum in ſententia contra alium non fieri ſolet, niſi ubi conſtat eſſe jus agendi. Alias malè additur & incitamentum eſt novæ litis ſine jure, quod non decet Judicem, cujus circa talia reſervata eſt ponderare, an agere in ea ſpecie liceat.

Secundum hæc ita pronunciatum.

In Sachen Jürgen Zabeln Appellanten an einem Gallus Homburgen Appellatam andern/Georg Jordan und Margaretha Hänecken / Peter Oloffens Haußfrauen Intervenienten am dritten Theile in puncto prælationis an Johan Bolen Hauſe/ werden die gravamina in libello enthalten zu fernerer Außführung angenommen / davon Appellaten Copia und denſelben proxima darauff zu antworten / und die Nothdurfft zu verhandlen ſchuldig/ ferner auch beyden Theilen von den Intervention-Schrifften Copey erkandt/ und gebühret ihnen / da ſie dagegen was einzuwenden hätten / alsdann jedoch abſonderlich ſolches vorzubringen. Von Rechtswegen.

(Hoc eſt) in cauſa Georgii Zabeln appellantis ex una, Galli Homburgen appellati ex altera, Georgii Jordan & Margretæ Hanecken, Petri Adolphi uxoris ut intervenientium ex tertia partibus in puncto prælationis quoad ædes Joannis Bolen gravamina in libello contenta ad ulteriorem deductionem accepta mus, illorum appellatis copiam, iisque ut proximâ reſpondeant & neceſſaria agant, decernimus, ulterius etiam ambabus partibus ſcripti interventionis copiam damus, ut ſi quid opponere poſſent, id producant attamen ſeparatim. Idque de jure.

DECISIO II.

Ordinis exceptio non proficit tutori ex ſua negligentia convento, ut & contutore non ſolvendo exiſtente.

QUæ tutori in iis, quæ ab alio contutore geſta ſunt competit ordinis ſeu excuſſionis exceptio ſeu beneficium (1) ceſſat, quando non tutor ex eo ſolo, quod alius perperam adminiſtravit, convenitur, ſed ſi juxtim de eo quod ipſe circa actum illius omiſit, (2) veluti ſi cum ſciret, aut videret contutorem ſuum non facere quæ officio conveniunt, aut facultatibus labi, inde res pupillorum penes ipſum periclitari, maturè non admonuit ſeu proſpexit, (3) ex quo in eodem communis ipſius culpa ſit. (4) Qui in tali ſpecie jubetur ire ad excutiendum prius tutorem alium ob in congruam plane actioni ſententiam (5) merito appellat. Multo magis ſi & docere velit, tutorem adminiſtrantem facultatibus lapſum eſſe. Cujus inopia ſeu ab eo conſequendi difficultas excludit illam exceptionem. (6) Sic concluſum *in cauſa Benedicti Roſenthal contra hæredes Antonii Hanetovv, die 5. Maji, Anno 1659.*

1. Ipſo jure tutores ſinguli in ſolidum tenentur. *l. Divus l. tres tutores in pr. ff. de Adminiſtr. Tutor. l. 2. C. d. Div. tutel. l. C. de Tranſact.* At per æquitatem, cum inter ſe diviſerint tutelam, conceditur ordinis beneficium, ut prius excutiatur qui actu adminiſtravit. *l. 3. ff. de adminiſtr. tut. l. fin. C. ſi tut. non geſſ. l. 2. §. fin. ff. de cur at. bon. dand.*

2. Hic enim non de facto alieno, quando tantum ordinis exceptio obtinet, ſed de ſua propria negligentia, & ob non factum officium ideo velut de ſuo proprio debito convenitur, *l. tutores qui §. in eum ibi gloſſ. in verb. æqualiter ff. de adminiſtr. tut. vid. ibid. Bartol. & Dd.*

4. *Paul. Montan. tr. de Tutel. cap. 39. num. 197.*

4. Ubi communis culpa eſt gerentis & non gerentis ceſſat ordinis ſeu excuſſionis in illa æquitate exceptio, *l. 2. C. ſi tut. vel cur.*

5. Quia non de alieno ſed ſuo facto, ſeu non geſto conventus erat, quæ omnino diſcerni oportet. *Ronchegall. in l. 9. ff. de duob. reis num. 220. & ſeq.*

6. l. 2.

Digitized by Google

6. l. 2. C. si tut. non gest. l. Lucius. §. cum testamento ff. de Administr. tut.

DECISIO III.

Etiam non divisa tutela is qui non gessit beneficio ordinis gaudet, donec excutiatur qui gessit.

OMnes quidem tutores, nisi divisione tutelæ per testatorem vel magistratum facta tenentur in solidum, (1) & commune ipsorum periculum est, uti jurisprudentia pupillorum bono constituit, (2) attamen inter ipsos ordo & discrimen hoc admittitur an gesserint, tutelam nec ne. (3) Nam qui gesserunt, prius conveniendi sunt, ideoque cæteri, qui non gesserunt, beneficio ordinis juvantur & excussionis exceptione actionem tutelæ repellunt, (4) modo is qui gessit solvendo sit & facilis conventu. (5) Alias non auditur exceptione ista utens, nisi simul petat suo periculo & sumptu excussionem fieri, & offerat caveatque semet, quod inde non accipitur, soluturum. (6) Quando itaque accidebat, appellantem queri de non relicto sibi illo ordinis beneficio, etsi qui gesserat solvendo adhuc esset, tantum excussione opus fore, auditus est, & processus decreti *ad supplicationem Friederich Pipers contra Daniel Kiesen, die 31. Maii Anno 1659.*

1. *l. Divus l. tres tutores in pr. ff. de Administr. tut. l. 2. C. de divid. tutel. l. 1. §. nunc tractemus ff. de Tutel. & ration.*

2. Eam rationem, quo pupillis eo magis prospectum sit; JCtos & Imp. movisse, ut individuam in periculo tutelam facerent scribit *Ronchegall. in l. 9. n. 218. ff. de Duob. Reis.*

3. *De hac distinct. vid. sub tot. tit. Cod. si tut. non gesser.*

4. *l. fin. Cod. dict. tit. d. l. 1. §. nunc tractemus ff. de tut. & rat. l. 2. ff. de administr. tut.* Æquitate naturali fundari hoc beneficium nec de apicibus juris esse scribit Baldus *in l. 1. C. de Transact.*

5. Ubi qui gessit non solvendo est, primo loco convenitur qui non gessit, *l. 2 Cod. si tut. non gesser. l. Lucius §. cum testamento ff. de Administr. Tut.*

6. Hoc remedium seu beneficium indulgetur tutoribus etiam ubi ordinis beneficium non competit, ut offerendo actori sumptus & securitatem impetrent, cum qui gessit prius ad solvendum compelli & excuti, *l. unde quæritur ib. Bartol. & Bald. ff. Commonad. Paul. Montan. in tr. de Tutel. cap. 39. num. 102. in fin.*

DECISIO IV.

Tutoribus circa tutelæ actionem divisionis beneficium.

APpellans quærebatur, sibi non modo in actione tutelæ negatum esse ordinis beneficium, cum nondum gessisset & ille qui tutelam gesserat prius conveniendus erat sed etiam à divisionis exceptione judicis sententia se exclusum & in solidum condemnatum. Etsi enim tutoribus pluribus datis omnes in solidum tenentur; ideo etiam ita recte conveniuntur, tamen oppositæ divisionis exceptione non recte condemnantur. (2) Est enim ipsis indultum beneficium, ut non nisi ex virilibus portionibus teneantur, quamdiu omnes solvendo sunt, (3) sive inter eos divisa fuerit tutela, sive omnes simul administraverint. Quod consideratum *in eadem causa.*

1. Tutela est individua *l. inter tutores ff. de Administrat. Tutor.* inde & talis ipsorum obligatio *l. 1. C. si ex plur. tutorib.*

2. *l. 1. §. nunc tractemus ff. de Tutel. & Ration. distrah. l. 1. l. 2. C. si un. ex plurib. Paul. Montan. de Tutel. cap. 39. n. 149.*

3. *l. 2. C. de div. tutel. l. 3 § ult. l. seq. ff de Administr. tut.*

TIT. LVI.

De usuris pupillaribus.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LVII.

De fide jussoribus tutorum vel curatorum.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LIIX.

DE CONTRARIO JUDICIO Tutelæ.

DECISIO I.

In contrariam tutelæ reputationem debita paterna quando veniunt.

APpellans se ideò gravatum dicebat, quod inter contrarias reputationes, quas pupillis faciebat, (1) proposita debita quibus parentes pupillorum sibi fuerant obligati, non erant admissa, sed ad alias actiones sepositæ atque remissa. Creditum verò id factum ex errore, quasi in deductionem circa tutelæ judicium ista non veniant, quia à JCto scriptum, in contrarium judicium tutelæ non venire, nec deducendum esse, sed suas eo nomine actiones integras esse. (2) Verùm longè alia mens JCti est. Tantùm si illiquida sint, non esse de iis contrario tutelæ judicio agendum statuit, at compensationem minimè rejicit, (4) Quocirca ejus beneficium communi jure constitutum, ab hac specie minimè est removendū (5) Quando enim quod pupilli parens tutori debuit,

Digitized by Google

ipsemet dum administrat, ex bonis parentis, cum ille hæres est, quæ ad pupillum perve nerunt, sibi solvere potest; quidni etiam compensare. A quo remotum appellandi justam causam habere existimatum est. *In causa David Mercken contra Ioannem Doleman die, 20. Martii Anno 1657.*

1. *Juxta l. 1. §. paterna. 4. ff. de contr. tutel.*

2. *Ut habent verba d. l. 1. §. in hoc judicio 5. ff. dict. tit.*

3. Multum hæc distant, reputationem contrariam sublatam esse, & non venire in contrarium tutelæ judicium. Quæ longè diversa, minimè sunt confundenda. Hoc demum intentatur, quando iis per compensationem non est locus, hoc est, quando quæ opponuntur, sunt illiquida. Tunc vero contrario judicio non petuntur, quia non ex administrata tutela descendunt, sed peculiares actiones habent. Quidquid verò ex his competit si liquidum, etiam compensatur. Nec enim à communi jure ullibi tutelæ debita excipiuntur.

4. *Quin potius textu in L. 3. C. de Contrar. Tutel. judic. confirmatur.*

5. Exceptio est odiosa & rigorosa, ideo non præsumitur, sed probanda est, *l. si ab ea 5. ff. de Probat. l. 1. ib. Dd. ff. de Reg. Jur.*

6. *l. quoties 9. §. sicut autem ff. de Administrat. tut.*

7. Solvit qui compensat, & compensatio pro solutione est, *l. 3. ff. de Compensat.*

DECISIO II.

Tutor reliqua, donec contrario tutelæ judicio actum, retinere potest, donec ipsi fuerit cautum.

IN tutelæ judicio quæ contrariæ fiunt reputationes in compensationem admittuntur, & reliqui fit condemnatio, (1) illiquidis ad judicium contrarium remissis. (2) In dubitationem autem hoc facto venit, utrũ tutor interea dum hoc judicio agitur, pupilli bona secum retinere possit, quo in eventum litis securus sit? Discernendum est, utrum statim seu in continenti quæ petit, liquida facere paratus sit, & audiendus est retinens. (3) An verò id fieri non possit, & tunc quidem retinet, at non ultra, quàm à pupilli partibus cautione idonea præstetur securitas. (4) Quod per compensationem non potest reputari pro securitate justè retinetur. (5) Non quidem habet tutor ob illa, quæ contrario judicio petit, tacitum aliquod pignus, (6) retentionis tamen jure juvatur, donec alio modo cautum sit. (7) Quocirca ante plenè discussas rationes in isto judicio restituere jussus non injustè appellavit. *In eadem causa.*

1. *l. 3. C. de contrar. tutel. judic.*

2. *l. 2. C. de in lit. dand. curat.*

3. Paria sunt, liquidum esse & in continenti, hoc est, brevi spatio liquidum fieri posse.

4. Hæc in certo arbitratu judicis præstanda est, *l. si tutelæ 3. ff. Tutel. & Ration.* ideò interea omninò bona retinenda sunt.

5. *Vid. Molinæt. in tr. de Jur. Revent. cap. 281. Cujus æquitatem affert illa ratio, quæ est in l. 1. pr. ff de Contrar. Tutel. action.*

6. Haud ita tutori in rebus pupilli ob impendia competit tacitum pignus, quemadmodum pupillo hoc datum est, *per l. officio 20. C. de Administrat. tut.* De hac certa lex est, de illo nulla; nec competit tacita hypotheca, nisi certa lege vel consuetudine data.

7. Non valet à pignore ad jus retentionis argumentum negativum, pluribus competit per æquitatem retentio, quibus non datum est pignus, *l. un. C. etiam ab chirographar. cauf.* Latius hoc illud est. *l. si in area 33. l. in quibus 51. ff. de Condict. indeb. l. hæres 21. ff. ad SC. Trebellian.*

TIT. LIX.

De auctoritate præstandi.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LX.

Quando tutores vel curatores esse desinant.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXI.

De actore tutore seu curatore dando

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXII.

De excusationibus tutorum & curatorum & de temporibus earum.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXIII.

Si tutor vel curator falsis allegationibus excusatus sit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXIV.

Si tutor vel curator reipublicæ causa aberit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXV.

De excusationibus veteranorum.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT

Digitized by Google

TIT. LXVI.

Qui numero liberorum se excusant.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXVII.

Qui morbo.

Hunc titulum Mevius non attigit,

TIT. LXIIX.

Qui ætate.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXIX.

Qui numero tutelarum.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXX.

De curatore furiosi vel prodigi.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXXI.

DE PRÆDIIS & ALIIS Rebus minorum sine decreto non alienandis vel obligandis.

DECISIO Unica.

Pronunciatio judicis validitate alienationis rerum minoris, quæ in alia causa incidenter impugnabatur, non habet vim decreti.

CUm emptor de expellendo conductore contenderet; Hic verò nullam esse emptionem, quia res minoris sine decreto & inutiliter facta esset, obtenderet, assistentibus isti tutoribus judex validam esse venditionem pronunciavit. Post appellationem interpositam emptor & tutores exinde confirmatam alienationem dicentes, putabant non superesse reo & appellanti exceptionem nullitatis ob omissum decretum, cujus vice esset judicis per sententiam approbatio & confirmatio. At creditum est male confirmasse judicem contractum, antequam de eo competens judex cognosceret & desuper decretum interponeret, (1) & perperam per decreto sententiam allegari, quod non cum debitis solennitatibus petitum & interpositum erat. Nec enim tutores decretum rogarunt, nec necessitatem aut utilitatem alienationis rectè allegarunt aut probarunt, (2) nec causæ cognitio præcessit, (3) sed in aliena lite incidenter proposita est ejus nullitas, & postquam iis præcipuè ad quos decreti petitio (quæ tutoribus incumbit) non pertinebat, de ista contendebant, subsecuta est pronunciatio. (4) Et cum hæc per appellationem suspensa fuerat, eo minus per hanc effici potuit, ut præsupponeretur validam esse alienationem. Sic judicatum *in causa Pauli Otten contra Henricum Gevehoven, die 13. Ian. Anno 1657.*

1. Præjudicialis fuit de validitate contractus quæstio, dependens ex causæ cognitione, & post eam interponendo decreto per judicem competentem. Ista itaque primum fuit discutienda.

2. Causa alienationis ante omnia judici constare & examinari debet. *l. magis 5. §. si as alienum 14. ff de reb. eor.*

3. *l. si prædia 11 ff. eod.*

4. Non sufficere talem pronunciationem manifestè apparet *l. minorum 6. C de Præd. minor.* ubi requiritur ut (1) apud acta (2) causis probatis quæ venditionis necessitatem inferunt (3) decretum (4) solenniter interponatur.

Juxta præcedentes decisiones ita judicatum fuit.

In Sachen Paul Otten Appellanten an einem Heinrich Gevekoten Appellaten am andern / Johan Scholvini Kinder Vermunder Intervenienten am dritten Theile in puncto retractus werden die gravamina theils unerheblich theils auch überflussig befunden / demnach acta ex officio vor beschlossen angenommen und erkandt / daß so viel das von Appellanten vorgewandte jus contractus betrifft / er dazu nicht befugt / sondern von Richter voriger Instantz den 8. Sept. Anno 1655. wol gesprochen / ubel appelliret, im übrigen aber der Rechnung des Hofes halber ubel gesprochen / wol appelliret, und zu erkennen sey / daß der zwischen Appellaten und Intervenienten getroffene Kauff zu rechte nicht beständig / dahero und sonst auff appellaten anhalten appellante darauff von dem heute Contract noch zur Zeit nicht abzutreiben / sondern dabey zulassen sey. Wegen der nachständigen Miete und darüber zugelegten liquidation, wann D. Gerdes der Intervenienten halber sich ad acta gebührend legitimiren / zugleich auch die beschehene insinuation deß den 18. Septemb. negst abgewichenen Jahres ergangenen decreti dociren wird / immassen er solches in sechs Wochen zu thun schuldig / so ergehet alsdann ferner was Recht ist. Von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 19. Januarii Anno 1657.

(Hoc est)

In causa Pauli Otten Appellantis ex una, Henrici Gevekoten Appellati ex altera, Joannis Scholvini liberorum tutorum in ter

Digitized by Google

tervenientium ex tertia partibus in puncto retractus, gravamina partim irrelevantia, partim etiam superflua non admittimus, sed acta ex officio pro concluſis acceptamus, & decernimus, quantum concernit ab Appellante oppoſitum jus retractus, quod is eo jus non habeat, ſed à judice prioris Inſtantiæ, 8. Sept. Anno 1655. bene judicatum, male appellatum, cæterum vero ratione computus villæ male judicatum, bene appellatum & judicandum, quod emptio inter Appellatum & Intervenientes celebrata de jure non ſubſiſtat, ea propter & alias ad appellati petitum, appellans à contractu locationis hoc rerum ſtatu deſiſtere non tenentur, ſed manuteneri debeat. Ratione reſtantis penſionis, ſi D. Gerdes intervenientium cauſa ſe ad acta decenter legitimaverit, & ſimul de facta inſinuatione decreti 18. Septembris ſuperiore Anno lati docuerit, prout intra ſex ſeptimanas id faccre adſtrictus eſt, ulterius fiet quod juris eſt. Idque de jure publicatum in ſummo Tribunali Wismariæ 19. Januarii Anno 1657.

TIT. LXXII.

Quando decreto opus non eſt.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXXIII.

Si quis ignorans rem minoris eſſe, ſine decreto comparaverit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXXIV.

Si major factus alienationem factam ſine decreto ratam habuerit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXXV.

DE MAGISTRATIBUS conveniendis.

DECISIO Unica.

Magiſtratus ex recepta cautione pro dimiſſo incarcerato quando tenetur.

CUm magiſtratus temere & injuſte receptæ cautionis & ob illam dimiſſi ex carcere hominis proprii argueretur, ideo ut vel dimiſſum in iſtum reduceret vel æſtimationem ſolveret rogaretur, exiſtimatum, conquerentem non ultra audiendum eſſe, quam ut magiſtratus mandaretur contra fidejuſſorem ſupplicanti jus quam fieri poterit celerrime dicere. Non acquieſcens actor iterum contra magiſtratum inſtar, & illum ex malè recepta cautione teneri putat, ideo condemnari petit. Hoc quidem conſtat obligari ex cautione recepta magiſtratum ſi quid quam circa eam perperam factum ſit. (1) At de actione illa ſciendum quod non competit, ſi non idoneè cautum, ſeu ita, ut quod per injuriam abeſt virtute cautionis recipi queat. (2) Deinde ſubſidiaria eſt illa actio locum demum habens, cum à fidejuſſore non eſt damni obtinenda reparatio. (3) Inde ordinis exceptione non modo magiſtratus uti poteſt, ſed etiam ubi ex actis notorium illum nondum teneri, judex per officium ſuum actionem ineptam rejiciet. Quomodo factum *in cauſa Rittmeiſter Sperlings contra Burgermeiſter und Rath zu Wismar, die 19. Octobris Anno 1659.*

1. l. 1. §. ſi præſes §. ſeq. ff. de Magiſtrat. conveniend. Carpov. Iurisprud. forenſ. part. 3. Conſtit. 15. defin. 52. num. 9.

2. Sic JCti omnes qui contra magiſtratum actionem præbent ſentiunt & loquuntur de cautione cepta non idonea *Hippolyt. de Marſil. in rubric. de fidejuſſorib. numer. 345. Julius Clarus in Pract. §. fin. queſt. 46. num. 12. Hering. de fidejuſſor. cap. 8. num. 26.* ubi addit quomodo illam actionem judex evitare poſſit.

3. L. 1. ff. de Magiſtr. Convent. l. ult. ib. Dd. Cod. eod.

Digitized by Google

CODICIS MEVIANI DECISIONUM FORENSIUM

& quæstionum super causis ad summum tribunal Regium devolutis.

LIBER SEXTUS.

TITULUS PRIMUS.

DE SERVIS FUGITIVIS ET Libertis mancipiisq; civitatum, artificibus, & ad diversa opera deputatis, & ad rem privatam vel dominicam pertinentibus.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. II.

DE FURTIS ET SERVO Corrupto.

DECISIO Unica.

Ut de corrupto servo est, sic de non corrumpendo mandatum decernitur.

CORrumpere servum alienum vel etiam liberum hominem qui alii servitia præstat non leve crimen est, ideo de servo corrupto actio (1) eaque pœnalis (2) in duplum damni quod ex corruptione illatum est. (3) qua utimur contra eum qui aliqua ratione effecit, ut homo alienus deterior fiat. (4) Nec refert servilis conditionis an liber homo in servitute sit, modo eum non corrumpi interfit. (5) Sicut vero id factum hac actione coercetur, ita ne fiat mandatis impetratur. (6) Quæ tanquam contra factum hoc omni jure tam divino quam humano illicitum decernuntur (7) vel generatim ne quisquam faciat unde fugiat vel servitiis desit qui corrumpitur vel speciatim adversus certum factum quod corruptionis speciem habet, quale è narratis reputavimus, quod arguebantur ii contra quos supplicabatur persuasisse fugam, (8) deinde recepisse, (9) à reditu dehortari (10) sumptus litis contra dominum suppeditare (11) *Sic conclusum in causa Philip. Gutzlaft Rotermundes, die 6. Novembris Anno 1655.*

1. *de qua vid. tot. tit. ff. & C. de Serv. corrupt.*
2. *l. hac actio 13. pr. ff. eod.*
3. *l. si quis servum 9. §. datur 2. l. ut tantum §. in hac 3. ff. eod.*
4. *l. 1. pr. §. 3. §. 4. l. 3. pr. §. 1. ff. eod.*
5. Hujus causa utilis actio ad id, quia interest non corrumpi, datur, *l. ut tantum 14. pr. ff. eod.*
6. Mandato sine clausula prohibentur facta turpia & illicita, ne fiant.
7. Inter turpia refertur id factum in *l. nec quisquam 56. ff. pro Soc.*
8. *contra l. 1. §. persuadere 3. eod.*
9. *contr. l. 1. §. 2. eod.*
10. *contra l. corrumpitur 15. ff. eod.*
11. *d. l. 1. §. fin. eod.*

TIT. III.

DE OPERIS LIBERTORUM.

DECISIO I.

Debitores operum seu servitiorum cum determinata hæc non sunt, ex voluntate domini servire tenentur, etsi ita nunquam vel per annos longissimos aliter servierint.

MUltum interest qua rusticos vel colonos an determinata debeant servitia an indefinita. Determinatio servitiorum hunc effectum habet, ut ultra determinata seu expressa opera vel servitia alia injungi non possint nec debeant; quia ista debitum restringit & extra limites quos fecit, libertatem relinquit cui contrarium est servitia injungere. Quocirca adversus exigentem alia quam definita negatoriæ actioni atque exceptioni locus est. In qua ei qui dicit, sibi plura deberi, incumbit probatio. (1) Tali verò non reperta potestatis dominicæ est, rusti-

Digitized by Google

rusticis vel colonis etiam alia quam antea solita servitia seu operas imponere. (2) Indefinitum istorum debitum permittit dominis exigendi facultatem & imponit ruriculis obsequendi necessitatem. Quibus minime ex eo, quod tam vel alia antea non præstiterunt, jus denegandi est. Sufficit jus exigendi, adesse ex obligatione seu conditione rustica vel colonaria. (3) Quæ ubi aliud non est definitum ad servitia indeterminate obligat. Exactio meræ facultatis est, ideo licet immemorali tempore omissa nec jus dat debitori, nec domino libertatem aufert. Præscribi contra illam nunquam potest (4) Quocirca adversus talia negatoriam actionem intentantibus probandum est, quæ olim præstitæ fuerunt operæ determinatas aut ita comparatas fuisse, ut ultra illas nihil debeatur. (5) Sic conclusum *in causa der Eingesessenen zu Schmachhausen contra den Königlichen Medicum Herman von Cleverfeld, die 15. Aprilis Anno 1656.*

1. *Sola ad consuet. Sabaud tit. de jur. Emphyteut. part. 2. g. ff. 6. n. 4.*

2. Difformitas servitiorum ut consuetudinem certam probare non sint, ita domini potestatem liberiorem in judicando indicat. *Natta consil. 979. num. 27. Surd consil. 393. n. 22.*

3. Sic distinguitur circa operarum exactionem, an dominus in possessione ejus sit nec ne. In priori specie probatio liberationis à cæteris incumbit rustico; in posteriori vero domino. *Husan. in tr. de propr homin cap. 6.*

4. *Ita in terminis tradit Merkelbach inter consil. Klockii 26. n. 56. addens hanc rationem, quod in voluntariis non currit præscriptio.*

5. *Per text. in l. 1. C. in quib caus. col. censit. Husan. in tr. de Prop. homin. cap. 5 quæst. 3. pr. n 3.*

DECISIO II.

Indefinitæ operæ licet debentur, non tamen aliæ præstandæ sunt quam moderatæ.

RUstici vel coloni indeterminatas ungemässene licet debeant operas, haud tamen alias quam moderatas (1) seu æquas & possibiles. In quo non tam spectatur quid extremè per vires, sed quid commodè his salvis possint. Ulterius extensa exactio species sævitiæ est, quam magistratus ad querelam subditorum coercere debet. (2) Multo minus judex permittere, ut exigantur. (3) Quare ubi ipsi de operis indefinitis pronunciandū hoc observare debet, ut partes id ad immoderatas extendere non possint: Inde in sententia eam declarationem addet, ut intelligatur non de aliis quam congruis & moderatis mentem esse: Quod adjecto verbo mässige observatum *in eadem causa.*

1. *Thom. Merckelbach. int. consil Klock. 10. n. 42. vol.* 1. ubi ait, licet aliqui operas domino debeant & quasdam se præstitisse fateantur, tamen infinitas peti non posse. Contra petentem tales subditos sine ulla injunctione probationis libertatis ex præsumptione contra dominum fuisse in Camera Imp. absolutos.

2. *Vid. Gail. 1. Observ. 17. n. 11. ubi tradit subditis de immoderatis servitiis conquerentibus mandata sine clausula decerni.*

3. Judex etiam ex officio providere debet subditis, ne indebitè & plus æquo vexentur. *Gail. 1. Observ. 17. num. 7. Boer. decis. 304. num. 5. Mynsing. cent. 5. Observ. 8. num. 13.*

DECISIO III.

Observanda circa operarum moderamen & unde hoc sumendum.

QUando partes de operarum qualitate vel quantitate convenire non possunt, judicis est iis modum dicere. Ad cujus arbitrium, quando de eo litigatur, causa referenda erit. Inspiciet is primo loci, in quo rustici vel coloni morantur, ac servitia præstare debent consuetudinem, (1) nec sinet insolitis eos gravari. (2) Uti mos habet servire id hominum genus, ita serviendi modum dicet. Deinde circa ea, quæ præstari consueverunt, considerandæ est possibilitas, hæc verò dimetienda est ex agris vel rebus & pro quibus serviunt. His commensurandæ sunt operæ, (3) ideo juxta istorum proportionem diversimodè statuendæ. Ut rusticorum quisque agri plus minusq; habet, sic gradus operarum sunt. Tertio ratio habenda est victus, ut serviant quo etiam hoc gaudeant, (4) quem aut dominus præstare aut tantum atque spacii ad illum quærendum sufficit, relinquere tenetur. (5) Quarto quoque respiciendum est ad debita alia hominum, quibus cum ipsis dominis tum etiam aliis obstricti sunt, ut sæpius rustici vel coloni plurimum debitores sunt, dum vel iis servitia, vel unihæc, alteri pensionem, censum, canonem & similia debent. Ut omnibus satisfacere liceat præstanda est servientium conditio. *In eadem causa.*

1. *Gail. de arrest. Imper. cap. 20. n. 7.*

2. Ob insolitas operas succurrendum rusticis adversus duros dominos. *Gail. 1. Observ. 17. & n. 2.*

3. Operæ rusticorum pro vel ex fundis non ratione personæ sed rerum præstari existimantur. *Wesenb. in parat. ff. de Oper. libert in fin. ideo ratione possessionis æstimantur. Garf. de expens. cap. 9. n. 53.*

4. *l. cum patronus in pr. & §. fin. ff. de Oper. libert.* Etsi enim servitia præstanda sunt sumptu debentis, isque seipsum alere cogitur, *Ren. Choppin. de Leg. And. lib. 1. cap. 37. n. 10.* attamen dominus tenetur præstare ipsi tempus & licentiam alimenta quærendi

5. Sævitiæ est hæc non præstare, ideo officii magistratus contra eum abusum potestatis succurrere, *Gail. de Observ. 17. n. 1. in fin.*

Juxta hæc quæ superiores decisiones continent pronunciatum.

In Sachen der sämptlichen Eingesessenen deß Dorffs Schachhausen Klägern und appellanten eines / entgegen / und wider Hermann von

Digitized by Google

von Cleverfelden und Heinrich von Gerstenbergen Beklagten und appellaten andern Theils / seyn die vorgebrachte gravamina als unerheblich nicht / sondern die Sache von Ambtswegen vor beschlossen angenommen darauff allem Vorbringen nach zu Rechte erkant / daß durch Richter voriger Instantz, am 23 Januar. Anno 1654. wol geurtheilet / übel davon appelliret, und selbige Urtheil zu confirmiren seye. Als wir sie dann jedoch mittelst declaration deß appellanten biß dahin der injungirter Beweiß außgeführet / die gebürliche Fuhren und Dienste so wol bey dem Hofe zu Swachhausen als sonsten wie landüblich gleich andern Mayern nach proportion eines jedwedern einhabenden Ländereyen ohne præjudiz und Nachtheil der andern etwa interessirenden Guts-Herrn leisten / und sie darüber nicht beschwehrt / auch deßwegen von Richter erster Instantz solchem nach gewisse Masse gesetzt werden sollen / dergestalt confirmiren und die Sache an dieselbe verweisen / und allhie aufgelauffene Unkosten auß bewegenden Ursachen compensirende von Rechts wegen.

(Hoc est)

In causa incolarum pagi Schvvachhausen actorum & appellantium ex una, contra Hermanum à Cleverfelden & Henricum à Gerstenbergen reos & appellatos ex altera partibus, gravamina tanquam irrelevantia non admittimus sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus à judice prioris instantiæ. 23. Jan. Anno 1654. benejudicatum male appellatum & illam sententiam confirmandam esse, prout illam cum hac declaratione quod appellantes tamdiu donec injuncta probatio ad finem perducta debita servitia tam ad villam in Schachhausen quam alias juxta consuetudinem patre sicut alii coloni juxta proportionem cujusque prædiorum absque præjudicio aliorum forte interessatorum fundi Dominorum præstare, ultra non gravari ac propterea à judice primæ instantiæ certus modus præscribi debeat, ita confirmamus & causam ad eundem remittimus, expensas litis ex moventibus causis in vicem compensantes. Idque de jure.

DECISIO IV.

Rusticorum qui proprii homines sunt operæ sunt in dominorum arbitrio, modo non exigantur immodicè aut iniquè.

MUltum interest, qua operas inter rusticos. (1) Alii liberi homines sunt, sed nomen assumunt, quod rus colunt, aliis verò simul serviunt: alii verò proprii homines **Leibeigene** Illi non ex conditione sua sed conventione potius dominis sub quibus habitant, subsunt, (2) ideò non ultra primam impositionem in quam cum dominis conveniisse intelliguntur, obnoxii fiunt: Prout itaque alicui vel pecuniam vel operas præstiterunt, ita imposterum tenentur. Ex eo quidquam ipsis invitis per dominos mutari nequit; (3) Secus se res habet quoad proprios homines, qui sunt sub dominorum arbitrio, ita ut vel pecuniam vel operas prout lubet aut expedit, injungere queant. (4) Nec nocet dominis aut proficit rusticis ad exceptionem vel recusationem per longos annos non præstitas fuisse operas quæ nunc exiguntur, sed tantum pecuniam quin iterum ad illas vocari vel compelli possint. (5) Conditio sua id facit meræ facultatis dominicæ, unde præstationes pecuniarum vel operarum mutare semper integrum sit, nisi quatenus aliquid ex eo fuit dominorum voluntate abdicatum. (6) Nec dubium, posse simul iis qui pecuniam solverunt parte ejus remissa operatum aliquid & ita pecuniam & operas imponi. Id verò dominorum debitum est, ex quo rusticis justa competit excusatio, exceptio aut querela: primo ut non immodicæ exiguntur, nempe quæ rusticis sunt intolerabiles, de quibus arbitrium judici relictum est. (7) Deinde ut non inique, per illos modos qui nimis onerant & ab æquitate alieni sunt, (8) cujusmodi etiam ille reputatus est, quando rusticis pœna dicitur, ita ut qui ultimo ad servitia accesserit, mulctam luat, cum semper aliquem ultimum esse necesse sit & id sine delicto sæpius contingere possit. (9) Juxta hæc decretum die 12. Septembris Anno 1656.

1. Variat rusticorum conditio pro diversitate locorum. Non ubique idem genus neque omnium earum debita sunt. Quocirca cum de rusticorum jure & muniis quæstio est, ante omnia ad leges & consuetudines loci respiciendum est.

2. Hi æquiparantur libertis Romanorum, à quibus ad illos argumentum ducitur. *Husan. in tr. de Propr. homin. cap. 6. num. 35. Suchard. in rubr. de Oper. libert. num. 2.*

3. Operæ ut semel impositæ sic semper præstandæ sunt, *c. dilecto de Offic. Archidiacon. l. pen. §. caveant C. de Agric. & censit.* Consuetudo antiqua in operis quæ certam definitionem ab antiquo habent, spectanda & sectanda est. *Rosenthal de feud. cap. 5. conclus. 71. num. 3.*

4. Hi servis æquiparantur. *Husan. dict. loc.*

5. Etsi longissimo tempore rustici dominis vel operas vel pecuniam præstiterint, ex eo tamen ipsis non est jus negandi mutatam præstationem, nec dominis impedimentum alia exigendi, *sicut prolixè per varias rationes expositum videas apud Klockium in tr. de Contribut. cap. 2. n. 66. & mult. seq.*

6. Circa proprios homines id frequens ut non nisi determinata præstent, servitia. Ex quo illa recepta sunt, dominorum arbitrium limitatum est ex quodam pacto veluti, quod etiam rusticis servandum. *Moller. 1. Semestr. 32.*

7. Judicium de eo providentia, ideo etiam arbitrium est, ne intolerandis impositionibus rustici graventur, ex eo de iis statuendum. *Gail. 1. Observ. 62. num. fin. Husan. de Propr. homin. cap. 6. num. 68. seq.*

8. Ab

Digitized by Google

8. Ab exactione operarum sævitia abesse debet, aut judicis officio coercenda. *Vid. Gail. dict. Observ. 62.*

9. Pœna sine crimine injusta & tyrannica est, *l. mulier 5 C. de Sponsal.*

TIT. IV.

De bonis libertorum, & jure patronatus.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. V.

Si in fraudem patroni à libertis alienatio facta sit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. VI.

De obsequiis patrono præstandis.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. VII.

De libertis & eorum liberis.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. VIII.

De jure aureorum annulorum, & de natalibus restituendis.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. IX.

Qui admitti ad bonorum possessionem possunt, & intra quod tempus.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. X.

Quando non petentium partes petentibus adolescant.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XI.

De bonorum possessione secundum tabulas.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XII.

De bonorum possessione contra tabulas liberti, quas prætor liberis pollicetur.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XIII.

De bonorum possessione contra tabulas, quæ patronis liberisque eorum datur.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XIV.

UNDE LIBERI.

DECISIO I.

Legitimati per rescriptum principis aut Comitem Palatinum autoritate Cæsarea in bonis parentum jura successionis & ab his dependentia ante agnatos adipiscuntur.

EST quidem qua effectum & favorem aliqua inter legitimationem per subsequens matrimonium & per rescriptum Principis differentia, attamen nulla circa jus successionis, quod æquale est, utroque modo legitimatis. (1) Obtinet etiam hoc ipsum cum omnibus dependentibus & consequentibus per rescriptum, seu quod idem hodie est, autoritate Cæsarea à Comite Palatino legitimati. (2) Tollit quippe & abstergit hæc legitimatio omnem nativitatis maculam, (3) naturalibus plene restituit, (4) facit legitimatos justos liberos, (5) tribuit jus suitatis, (6) agnationis, nobilitatis (7) familiæ, mutuæ successionis retractus. Et licet statutum vel lex provinciæ mentionem faciat liberorum legitime seu ex matrimonio natorum **die ehlich und ehrlich geboren**/tamen comprehendit non eo minus rescripto Principis aut à Comite Palatino legitimatos. [8] Generatim asserimus legitimatos legitimis per omnia æquari, nec diversa de his admitti, (9) nisi aut lex discernet. (10) aut ratio diversitatis, (11) *in causa Otto Gerdessen, contra Ioh. Gerdessen Wittwe und Kinder, die 20. Decembr. Anno 1692.*

1. Hic legitimationis proprius & genuinus effectus est, *Novell. 12. cap. 4.* eam potestatem imperantium, ut eras inhabilem ad successionem, faciat habilem, pluribus asserit, & jurisgentium esse ostendit, *Cothm. resp. 33. num. 87. & seq. vol. 3.*

2. Legitimati non à patre tantum, sed etiam ab omni conjuncto sanguine pro legitimis agnoscendi sunt, omnibus eos conjunxit natura, non plane separavit naturalis macula, in quo distraxit, restituit legitimationis justa efficiat. *Ruin consil. 94. n. 7. vol. 3. & cons. 95. num. 8. vol 5.*

3. *Anchoran. Consil. 290. Gail. 2. obs. 140. n. 3.*

4. Inde defectum natalium supplere dicitur, *Riminald. consil. 46. num. 1. vol. 1.*

5. *Vid. Gail. 2. obs. 140. n. 2.* pro verè legitimis purgato vitio habentur. *Capyc. decis. 194. Mod. Pist.*

Digitized by Google

Pist. consil. 46. n. 15. vol. 1. inde de legitimis & legitimatis idem judicium esse dicunt, *Bart. & Bald. in l. commun. C. de nat. lib.*

6. *Ex Angusol, consil. 71. n. 3. vol. 6. Cothm. resp. 33. num 96. vol. 1.*

7. Cum parentes habuerunt nobiles, liberi natalibus restituti legitimatione fiunt nobiles. *Ruin. cons. 76. n. 13. lib. Menoch. 4. præsumpt. 79. num. 10.* Restituit seu tribuit ea, quæ nativitas dedisset, imo in eum statum ponit, in quo nasci potuerunt legitime nati. *Palaot. de Noth. & spur. cap 62. n. 2. & seq.*

8. Ita post *Rursatum in consil. 18. n. 8. & 10. lib. 1.* asserit *Cothm. de resp. 33. num. 98. seq.* ubi communissimam & verissimam hanc dicit esse sententiam, quæ non potest non esse consequens illi legitimationis effectui quod abolet omne, quod conjunctioni ex nativitate obstare potest.

9. *Novell. 74. Rul. à Vall. cons. 83. n. 12. vol. 3.*

10. Talis censetur ordinationis Cameralis *part. 1. tit. 3. §. 2. verb.* Als rechte natürliche/ &c. cujus virtute ad assessoratū non admittuntur legitimati.

11. Quæ creditur adesse in dignatibus præsertim eminentioribus, ad quas legitimatos non admitti tradunt JCti communius, *vide Fulv. Pacian. lib. 2. de prob. c. 41. num.* 121. alia exempla vid. apud *Gail. 2. observ.* 140. *n. 7. seq.*

DECISIO II.

In successione bonorum avitorum non præferuntur agnati rescripto, vel per Comitem Palatinum legitimatis.

QUod communiori JCtorum sententia traditur, legitimatos per rescriptum Principis in feudis non succedere, (1) præsertim si legitimatio ad feuda expressim facta non fuerit, (2) atque in eam cum Dominis feudi agnati consenserint, dubitationi occasionem dedit, an cum ex lege nobilium provinciali Ducatus Bremens. non existentibus filiis agnati exclusis cognatis, imo etiam filiabus in bonis avitis seu gentilitiis Erbstamgüter succedant, in his etiam legitimati succedere & agnatis præferri debeant. Etsi vero initio ex comparatione feudorum & avitorum bonorum, & per argumentum, quod ab istis ad hæc duci solet, sic videri potuit, re tamen diligentius excussa aliud statuimus, tum quia communi jure ejusque regulæ tamdiu insistimus, donec probatur exceptio qualis circa avita bona non ita sicut in feudis constituta est: tum quia diversi ratio est, quod in feudis ex prima investituta omnibus à primo acquirente descendentibus jus quæsitum est, quod auferri & mutari facile non potest. (3) simile non est in avitis, in quibus succedentium jus nascitur tantum, cum possessor moritur, (4) ideo ad eum qui tunc proximus est, derivatur. Ad hæc in præsenti casu statutum, ex quo avitorum bonorum successio reddita agnatica, ita loquitur de liberis ante agnatos succedentibus, ut perinde juxta literam legitimatis atque legitime natis conveniat. Nec enim horum tantum mentionem facit, sed indefinite de filiis loquitur, ut eo magis quibus vox statuti convenit, exclusos non esse, asserendum sit. *In eadem causa.*

1. *Mynsing. 5. observ. 42.*

2. *Vid. Gail. 2. Observ. 142. num. 2.*

3. Hæc ratio vera est, quare liberi per rescriptum Principis legitimati in feudis existentibus agnatis non succedunt, quod Principi jus illis ex prima investitura quæsitum sine gravi & necessaria causa auferre integrum non sit. *Gail. 2. obs. 142. n. 15. seq.*

4. Agnatorum in bonis avitis non est jus quæsitum, antequam casus successionis evenit, sed tantum quærendum. Est jus in spe non in re. Defuncto jam eo cui succeditur, si facta legitimatio in præjudicium agnati non valet, quia jus illud ex mortis tempore quæritur. *Gail. d obs. 142. num. 16.* At eo vivo facta non infert damnum aut præjudicium, quia nondum est jus quæsitum. Quærendum facilius tollitur, nec cui est de rebus suis dispositio, illud alteri præcludere prohibetur. *Gloss. in c. 1. §. naturales si de feudi defuncti, con. ent. vid. Covarr. var. resol. lib. 3. c. 6. n. 1. & seq.*

DECISIO III.

De Legitimationis per comitem Palatinum facta, & super illa confecti instrumenti justa forma.

LIberis parentis per Comitem Palatinum legitimatis controversia status mota non pauca adferebantur, quæ legitimatione ex defectu formæ solennitatis & fidei imputabant, præsertim quod facta fuerat sine consensu proximorum agnatorum, quod causæ cognitione prævia eam processisse, non apparet, (1) quod non satis de potestate Comitis palatini speciatim qua legitimationem constaret, (2) quod instrumentum super hoc confectum subscriptione Comitis Palatini careret. (3) Verum leviora hæc reperta sunt, quam ad convellendam legitimationis autoritatem sufficere possent. Primo enim dubio caret, & ex temporum nostrorum usu certissimū est, Comites Palatinos ex indultu Cæsareo, per quem tantam vim & potestatem annexam accipiunt, liberos naturales legitimare & natalibus restituere posse. Deinde etiam hoc per consuetudinem constat, diplomata, quæ Comitibus Palatinis dantur plerumque & communiter jus legitimandi complecti. Quocirca ubi Comes Palatinus legimationem fecit, & de sua potestate & in instrumento legitimationis meminit, stat pro eo potestatis præsumptio, nec nisi edocta ejus injusta arrogantia fides derogari debet. Ut a. super legitimatione instrumentum confici moris est, ita juris per illud, ubi existit & exhibetur, istam & quæ istius sunt, probari, (4) juxtim pro illo præsumi, tum tenoris veritatem, tum actus solennitatem: Maxime vero hos accessisse intelligitur, si ita factum instrumentum refert. Nec requiritur alia causæ inquisitio, quā de qua-

Digitized by Google

litate consuetudinis, quam pater liberorum naturalium cum matre habuit, ex qua geniti sunt, nec non de vita & moribus eorum qui legitimandi sunt, utrum etiam in iis maculæ vel turpitudinis quicquam sit, unde beneficii istius incapaces reddantur. Quod si etiam hoc intenditur in quoddam aliorum præjudicium, ita ut jus quæsitum tolleretur, de eo cognoscere, & eos quorum interest, audire oportet; Unde si ad feuda antiqua, in quibus à primo acquirente jus agnatorum est, legitimatio liberorum naturalium fieri debeat, istos audiri, nec nisi iis consentientibus legitimationem subsistere æquum est, at ubi tale specificum jus agnatorum deest, non opus est consensum istorum requirere aut accedere, sed sine eo valet. Non etiam ad substantiam instrumenti pertinet, à Com. Palatino subscribi? Sufficit sigillum, quod ubi qui cujus est, se apposuisse fatetur, & extra controversiam est, solum sine subscriptione fidem facit. Et in præsenti causa tanto magis, quod Comes Palatinus alio attestatore post quinquennium addito causam omissæ subscriptionis explicuit, & hanc si necessaria videretur obtulit, quicquid dubitationis alias movetur, præterquam quod leve est, nec in re tanti momenti facile attendendum, satis diluitur, tum ex autoritate & fide Comitis Palatini viri fidei & virtutis exploratæ, tum ex præsumptionibus pro instrumento militantibus, (5) tum ex defectu seu non existentia eorum quæ fidem ejus labefactarent, tum denique ex judicio publico, per quod juxta tenorem legitimationis liberi naturales instar legitimorum ad possessionem bonorum atque legitimatis admissi sunt, & in ea conditione tum in vita sua constituerunt, tum post mortem liberos reliquerunt. *In eadem causa:*

1. *Matth. Steph. lib. 2. de jurisd. part. 2. cap. 6. memb. 1. num. 20. & seq. Quetta consil. 18. num. 9.*

2. Ultra quam in diplomate est expressum non licet Comitibus Palatinis propredi. *Auth. de Rosell. lib. 2. de Legitim. §. modo viso de caus. num. 6.*

3. Ex consuetudine est, quod diplomata legitimationum soleant subscribi.

4. Legitimationis privilegium seu instrumentum, ubi id in promptu est, plenam fidem facit, & jus clarum ostendit post *Afflict. dec. 195. Cothman. resp. 33. n. 82. vol. 1.*

5. In instrumento legitimationis sufficit, exprimi causæ cognitionem, & quæ in eam venerunt, unde omnia solenniter facta fuisse præsumuntur, *Anch. Consil. 244. n. 4. Dec. cons. 292. num. 4.*

TIT. XV.

Unde legitimi, & unde cognati.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XVI.

De successorio Edicto.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XVII.

De Carboniano Edicto.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XVIII.

UNDE VIX ET UXOR.

DECISIO I.

Dimidia pars mobilium & Instrumentorum Rusticorum Viehe und fahrende Haabe *vitæ ex bonis mariti obærati non cedit.*

INter Privilegia Nobilitatis Pomeranicæ viduæ impetraverant, ut defuncto marito cum aliis luctis etiam dimidiam partem pecorum & aliorum mobilium, quibus ad culturam agrorum iste usus est, das halbe Viehe und fahrende Haabe, capiant. In dubitationem venit, utrum cum maritus valde obæratus fuit, talia nihilominus debeantur? Siquidem iste dum vixit bonis cessit vel concursum creditorum excitavit dubitatione caret, viduæ nullum ex iis bonis mariti, quæ non amplius supersunt, esse lucrum. Non quippe manserunt ista mariti usque ad tempus quo incipit deberi, sed antea creditoribus cesserunt, (1) ut post mortem aliis in istis nihil juris superesse possit. (2) Neque etiam cum maritus bonis cessit ipso vivo uxori debentur lucra quæ in casum mortis assignantur. (3) Sed quid si nulla bonorum cessio à vivo facta nec fieri debuit, post mortem autem ad concursum creditorum res ejus deveniunt nec æri alieno sufficiunt? Discernendum hic erit, utrum antequam ad concursum devenitur viduæ satisfactum sit, conventione inter defuncti successores & viduam inita, quo casu conventa subsistent modo nihil in fraudem creditorum factum sit, quod revocabitur: (4) an vero omnia adhuc integra sint. Et putavimus nisi ex soluto defuncti ære alieno viduæ ejus lucri nomine nihil deberi, sicque convenire constitutioni Ducatus Pomeraniæ. (5) Nec propitia ratione aliud fieri posse, tum quia illud portio bonorum est, quæ non sunt nisi detracto prius ære alieno; (6) tum quia absurdum est

Digitized by Google

est lucrum capi antequam onera hæreditaria sunt exsoluta; (7) tum quia iniquum viduam lucrum captantem in concursu anteferri creditoribus de damno vitando certantibus; (8) tum denique quod indigna res sit viduam lucrari quam mariti famam fidemque ex bonis suis liberatam velle. (9) Sic & alias circa portionem statutariam cujus illud lucrum species est, observatur & simile usus vicinæ Saxoniæ docet. (10) Non movet in aliam sententiam statuti vel privilegii tenor, qui nihil de illo casu quando maritus animam debuit disponit, nec aliter quam ex sana ratione, & ne magna iniquitas sequatur intelligendus est. (11) Constitutailla sunt eo tempore, quando rarissimum & fere inauditum fuit, nobilem cum fide & fama bona sua creditoribus dilaceranda dare. Inde non cogitatum de tali casu qui hodie quotidianus est. De quo si cogitassent, tam iniquum lucrum viduis datum voluisse verisimile haud est. (12) Sic privilegia & statuta accipienda sunt, ne jus naturale violent. (13) Non obstat quod lucrum seu augmentum dotis, quod **die Besserung** vocamus in concursu creditorum viduæ tribuimus. Diversa conditio & ratio ejus est. (14) Quando bona in feudum per nobiles Pomeraniæ recognita fuerunt, hoc vicissim beneficium à Ducibus acceperunt, ut viduæ ipsorum ex istis dotem, & cum ea lucrum reciperent, de reliquo in subsidium debita solverentur. In potestate feudi Dominorum fuit eam legem feudis, quæ sua natura non sunt æri alieno obnoxia, dicere. Ut dicta ita servanda est, nec in eo quædam injuria creditorum, qui juris nihil habuerunt quam concessum est. At longe alia ratio est bonorum hæreditariorum, qualia sunt, de quibus hic agitur. Ipsa sunt pro creditis naturaliter devincta, (15) inde non potest in præjudicium creditorum sine iniquitate in iis lucrum tribui & capi, (16) aut si fieri illæsa justitia poterit, non aliter quam si certa de eo lex loci erit, debebitur. Qua sine insistitur juri communi. A quo in his discessum fuisse nullibi reperitur. Frustra objiciuntur sententiæ quædam judicium in aliud tendentes. Non constat an latæ sint postquam de eo articulo in contradictoria judicio fuit disputatum. Potest factum esse, ut nullo creditorum contradicente aut aliquid movente postulato viduæ indultum sit. Imo ex errore aut falsa opinione. (17) Uti sæpe fit, quando ad extraneos JCtos acta transmittuntur, qui statutorum vel consuetudinum peregrinatum ignari allegata sequuntur, interea vel juri locali præjudicium non faciunt. (18) Visum juxta hæc priorem judicem recte pronunciasse, nec sententiam ejus corrigendam esse *in causa Jürgen von Platen Wittwen wider ihres Ehemans Creditorem. Die 14. Junii, Anno 1658.*

1. Cessio bonorum efficit cedentem desinere esse dominum, & credidores in ejus locum succedere. *l. 1. tot. tit. ff. de Cess. bon.*

2. Non debetur uxori illud lucrum nisi ex bonis quæ mariti sunt tempore mortis.

3. Statutum uxori lucrum in casum mortis tribuens non pertinet ad casum cessionis bonorum. In quo mulieri nihil amplius juris est vivente marito quam ut dos in tuto sit. *Gail. 2. Observ. 93.*

4. *Iuxt. tit. ff. & C. quæ in fraud. cred* & circà hæc lucra observabitur, quod de donatis habetur, *in l. quod autem 5. §. simili* 11. *ff. eod.*

5. Constitutio explicans viduarum jura & lucra edita est Wollini *die 24. Maij Anno 1569.* in qua leguntur hæc verba. Worüber solches in der Ehestiffung Vergleichungen und Leibzucht Verschreibungen beständiglichen nicht versehen, und die Erbschafften auß die Lehenfolgere mit allen/ und sie dieselben sine beneficio inventarii annehmen/ so sollen sie vom Erbe und Lehne die Außsteur / auch alle Schuld tragen, und wo sonst keine andere Schulde als expensæ funerum und Volcks-Lohn vorhanden/ so sollen dieselbe vor allen auß der gemeinen Erbschafft neben dem Hergewedde / damit das Lohn verdienet wird/ und Pferden/ wo die vorhanden/ vor die Wittfrau abgezogen/ und darnach von allen zur Erbschafft gehörig/ (ausserhalb der Baarschafft/) Kleinod/ Kleider / Bücher und Rüstuug von allen andern/ und als auch von Silbergeschirr die Helffte in unsern Landen/ ausserhalb deß Fürstenthumbs Rügen/ da es beym dritten Theil bleiber/ frey folgen/ darzu was die Witfrauen eigen/ und in die Güter ihrem Manne zugebracht/ ihr auch im Leben oder Testament beständiger Weise gegeben worden/ neben gewohnlichern Trauer-Kleidern/ Wagen/ Pferden/ Ehegeld/ und dritten Pfennig Besserung frey folgen nach Gelegenheit der Guter / auch mit einer Wohnung oder ziemlicher Heur zu dero Behuff versehen werden/ so lange sie in unverrücktem Witwenstande bliebe/ und dessen gnugsam versichert werden. Ista expresse indicant quod constitutio sonat de illo casu tantum, quando res est cum successore feudi, & non est æs alienum præter funeris impensas & mercedes famulorum.

6. *l. subsignatum. 39. §. 1. ff. de Verb. Signif.*

7. *l. fin. §. fin. C de Iur. delib.*

8. Potior semper est ratio de damno vitando quam de lucro captando cerrantis. *l. in eo 33. ff. de Reg. Iur.*

9. Bestiarum magis quam conjugum nomen merentur, quæ de suis lucris sollicitæ alias pietatis oblitæ maritorum famam atque existimationem flocci pendunt, cujus tamen radiis coruscant, *l. fin. Cod. de suc.* & fortunæ participes ex societate esse debent. *l. si cum dotem 22. §. si maritus 7. Cod. solut. matrim.*

10. *De quo vid. Carpzov. in Iuris forens. part. 3. constit. 36. defin. 9.*

11. Statuti ea interpretatio demum justa est, quæ rationabilis & à jure non aliena, cum non valeat nisi quatenus rationabile, & cum fit injustum, cessat, ne unde jus oriri debet, injuriarum occasio nascatur, *l. meminerint C. unde vi.*

12. Ad verisimilem statuentium mentem referenda est interpretatio. *Cacheran. decis. 59. num. 9.*

Digitized by Google

13. Ita quod dotis argumentum Verbesserung ut vocamus observat Praxis Pomeraniæ. Justa sit nec ne? nunc non disquirimus.

14. Naturalis obligatio seu vinculum quod jus naturæ injicit, ut nihil non hominis pro fide liberanda serviat; hoc simul constituit ut bona hominis ære alieno fiat obnoxia, *ut hoc exposuit juris naturalis solers indagator Hugo Grotius de Iur. Pac. & bell. lib. 2.*

15. *d. l. quod autem 6. §. simili 11. ff. quæ in fraud. credit.*

16. Hoc requiritur ad consuetudinem & jus inducendum *l. cum de consuetudine 34. ff. de Legib.*

17. Tale judicatum quidem in partes jus facit *l. pen. ff de Iustit. & Iur.* at non inter alios nec in republ. *l. quod vero 14. l. seq. ff. de Legib. l. quod contra 141. pr. ff. de R. I.*

18. Quod non ratione introductum, sed errore primum deinde consuetudine obtentum in aliis similibus non obtinet. *l. quod non 39. de Leg.*

DECISIO II.

Currus & equi nobili viduæ non debentur, cum æs alienum exhaurit bona defuncti.

QUæ ex lucrativa causa petuntur post haberi, his quæ oneroso titulo debentur, vulgata est juris æquitatisque regula. (1) Cui insistimus merito donec exceptio per legem docetur. (2) Quidquid itaque viduæ ut lucra ex bonis maritorum petunt, non potest creditoribus anteferri quamdiu non constabit tale esse eorum privilegium. (3) Tantum vero abest, ut inter constitutiones Pomeraniæ hoc reperiatur, ut potius inspectis iis appareat noluisse Illustrissimos Principes ea quæ dederunt illuc extensa, ut ipsæ potius sua lucra habere quam creditores suum recipere debeant. Quod ut in aliis in & circa currum & equos, qui debentur per privilegium ex defuncti mariti hæreditate, æquius judicavimus. Privilegium unde nascitur horum petitio expresse de eo casu loquitur, cum successor feudi simul hæres est, & sine beneficio inventarii hæreditatem adit, (4) certo argumento, quod cum hoc mediante aditur, & bona ære alieno non sufficient, non teneatur. Deinde assignantur, cum cæteris lucris, si præter impensas funeris, & mercedes famulorum non alia sint debita, (5) non levi indicio, quod cum onerosa alias sit hæreditas lucra dare noluerit. Quid enim talibus opus si non esset discrimen. Porro speciatim fit assignatio pro bonorum conditione, (6) ut, ubi ea tenuia, multo magis si nulla, non debeantur. Nulla autem putantur ubi superantur ab ære alieno. (7) Cum paria sint, nihil relinqui, & hoc quod ob æratum. Accedit quod in talibus sub jure communi relinquendum est non immunitatum ex lege singulari. (8) Præsertim ubi hoc ab æquitatis regulis deviaret. Sic judicatum *in eadem causa.*

1. *l. ult. §. fin. vero 5. C. de Iur. delib.*

2. *l. ab ea 5. ff. de Probat.*

3. Privilegia facti sunt, ideo quæ ex privilegiis assumuntur, horum probatione egent. *Castrens. in l. fin. ff. de Constit. Princip.*

4. *Hoc est in Constitutione Wollienſi die 24. Maij Anno 1569. edita.* §. Wo aber solches in Ehestifftung/ &c verb. und die Erbschafften auff die Lehensfolger mit fallen/ und sie dieselbe sine beneficio inventarii annehmen.

5. *In dict.* §. Wo aber solche &c. verb. und wo sonst keine andere Schulde als impensæ funerum und Volckes Lohn vorhanden/ &c.

6. *de const.* §. Wo aber solches/ &c. verb. nach Gelegenheit der Güter/ &c.

7. Non sunt bona nisi deducto ære alieno. *l. subsignatum 59. §. 1. ff. de V. S.*

8. *Præcipimus 32. §. fin. C. de Appellat.*

TIT. XIX.

De repudianda bonorum possessione.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XX.

DE COLLATIONIBUS.

DECISIO I.

Quod datur ut præcipuum, als Vorauß *non confertur.*

PAter filiabus pecuniam quandam assignans, **daß sie ein gewisses vorauß haben sollen/** ejus mentis esse censetur, ut ista habeatur tanquam præcipua seu ante divisionem hæreditariam sine collatione retinenda. (1) Quocirca in collationem non venit, sed tanquam debitum quoddam expromissione seu dispositione paterna petitur. (2) Illa enim remittitur voluntate patris, non tantum expressâ, sed etiam tacitâ, (3) ubi apparet ex argumentis verisimilibus voluisse patrē, ut sine deductione liberi caperent, (4) id quod ipsa voce præcipui, **vorauß zu haben/** indicari videtur. (5) Etsi itaque aliquæ filiarum pro præcipuo assignatum non acceperint, ab aliis collationem exigere nequeunt, sed superest illis ex debito contra hæreditatem actio, ex qua non est in singulos hæredes, nisi proportione hæreditariâ, non ad collationem accepti condemnatio. Quod hæc aliter facta fuit, justa appellandi causa visa est, *in causa filiarum Iohann Vergins, contra Ioh. Horn, die 24. Sept. Anno 1653.*

1. Verbum **Vorauß** indigitat amplius quid tribui illud capientibus quam cæteris.

2. Sic

Digitized by Google

2. Sic in simili planè specie concluſum apud *Fabrum in Cod. lib. 4. tit. 4. defin. 2. per l. filia 18. C. famil. erciſc. l. illum 19. de Collat.*

3. *Bald. Conſil. 200. vol. 4. Gravett. conſil. 85. n. 18.*

4. Conjecturæ de voluntate patris ſufficiunt ad excludendam collationem, *l. ex parte §. ex teſtamento. ff. famil. erciſc. Surd. conſil. 192. n. 22. & ſeq.* collatio ut à regulis juris communis exorbitans, *Anton. de Amat. in tr. de Collat. in princ. quæſt. 5. num. 52.* odioſa eſt, & facile excluditur. *Rimin ald. in l. ſi proponas num. 11. C. de Collat.*

5. Ut ſunt contraria aliquid ultra portionem hæreditariam ut præcipuum teneri, & in collocationem deduci, dum talia nemo velle creditur, ea nonpoteſt non ſubſumi patris voluntas, ut hæc per illud excludatur.

DECISIO II.

Collationem petens tenetur probare conferenda non à collaturis deſignationem acceptorum exigere.

CUm à ſororibus collatio & ſimul conferendorum deſignatio exigeretur, ſecuta ad hanc condemnatione appellatum juſtumque gravamen eſſe, viſum fuit, quod actor nihil certi, quod acceptum ideoque conferendum erat, expreſſerat, ſed è domo rearum quæ ſe accepiſſe talia negabant, ejus rei veritatem fidemque petebat, (1) ad quam nemo contra ſemet tenetur. (2) Multo minus autem cum negarent ſe quædam talia, quæ in collationem veniunt, accepiſſe, juſtè potuit iis injungi, ut deſignarent. (3) Prius enim ab actore denominanda illa fuerunt & probanda. Actore quippe non probante reus abſolvitur. Nec nullo deſignato oportet ex conſcientia rei intentionis fundamentum petere. *In eadem cauſa.*

1. *l. Contr. l. qui accuſare 4. C. de Edend.*

2. Nemo ſui proditor eſſe cogitur, ſed tuus eſt, donec fuit convictus. *Bald. in l. 1. C. de accuſat.*

l. 2. l. actor C. de Probat.

4. Quando certum eſt debitum, debiti autem quantitas incerta, tunc recurritur ad juramentum, & per hoc iſtud exprimi poteſt, *l. literis x. de Iurejur. Cacheran. deciſ. 96. num. 3. Fr. Viv. deciſ. 108. num. 1.* At ubi plane illiquidum eſt, an debeatur, non admittitur juramentum, ſed probatione res eget. *vid. Cothman. conſil 73. per tot. vol. 2.* Atque ſic circa collationem ſervari ſolet atque uſus recepit, ut ſi conſtet aliquem accepiſſe, unde collationi obnoxius ſit, juramento quantitatem revelare teneatur, quod vulgo dicimus, muß vermittels Eydes conferiren. Ubi autem adverſarius neſcit, ſed tantum de acceptis conjicit, nihilque probat aut de aliquibus apparet, non cogitur alius jurare, allegans tenetur probare.

DECISIO III.

Conferenda non debent in numerata pecunia in judicio deponi, quamdiu ſunt controverſa, aut in hæreditate ſupereſt, unde coheredibus æqua evenient.

QUod vulgò dicitur, collationem re ſeu illatione accepti ejusve æſtimationis fieri debere, (1) non aliter locum invenit quam cum de collatione faciendâ omnia ſunt certa & in eo ſtatu, ut collatio ſtatim fieri debeat & poſſit. Lite pẽdente non tenetur hæres, niſi ad cautionem de conferendo (2) in caſum, ſi huic ſe obſtrictum eſſe conſtiterit; Ultrà eum condemnari aut ad depoſitionem pecuniæ cogi debito nondum liquido juri contrarium eſt. Ex quo non niſi re certa fit talis condemnatio. Præterea etſi apertum ſit, quid & quantum conferri debeat, ſi tamen & non incertum, in hæreditate ſupereſſe, unde æqualia aliis eveniant, non eſt neceſſe ad realem collationem aut depoſitionem progredi, ſed ſufficit tantum ex iſtâ, quantum ſatis eſt, aliis cedi aut adjudicari, ſeu minus in partem ſucceſſionis patris auferri. (3) Uti exiſtimatum eſt *in eadem cauſa.*

1. *l. 1. §. quamvis 11. ff. de collat.*

2. Sic definitum *in d. l. 1 §. quamvis 11.* Ex quo textu apparet duplicem eſſe collationem, aliam realem, aliam cautionalem. Ex quibus illa inter illiquida hæc inter controverſa locum habet. *Vid. Petr. Gregor. Tholoſ. in Syntagm. lib. 46. c. 8. num. 27.*

3. *l. dotis quidem 5. C. de collat.* Sic plerumque collatio fit, ut minus accipiatur, non ut aliquid detur, *l. 1. §. ſed etſi tantum 12. ff. eod.*

DECISIO IV.

Caſus quando collatio non fit ſub juramento, ſed probatione conferendorum eget.

PEr conſuetudinem quidem in his oris invaluit, ut collatio ſub juramento fiat, & liberorum quisque à parentibus accepta & conferenda cum deſignatione jurata detegere teneatur. (1) Attamen huic modo ad collationem veniendi locus non amplius relinquitur, ſi qui conferre tenentur ſcientiam non habent acceptorum, (2) veluti ſi nepotes repræſentationis jure ſuccedunt, & ad collationem tenentur, at à parentibus accepta ignorant, (3) quare de ignotis jurare nequeunt. (4) Similiter cum inter eos inter quos de hæreditate res eſt vel convenit, ut conferendorum probatio fiat, (5) vel ſi à judice hæc ſemel injuncta eſt. (6) Tunc ad juramentum amplius deveniri non poteſt. Hæc reperta ſunt *in cauſa Laurentii Geſellbrechten, contra viduam M. Dulbiers, die 28. Iunii, Anno 1656.*

1. *Id quod non injuſtè, ſed commodè fieri tradit Cothmann. reſp. 49. num. 53. ſeq. vol. 1.*

2. Jurandum tantum eſt de rebus certis & quorum certa habetur ſcientia. *Setzer. de Iurament. lib. 1. cap. 17. num. 4. ubi ſcribit, magna temeritatis & impietatis fore de iis jurare, quorum certam non habemus notitiam.*

3. Eſt veriſimilis & juſta hæredum ignorantia, *l. qui cum alio 19. ff. de Reg. Iur.* inde nec de alio quàm quod ſcit hæres non ex ſcientia defuncti hæres jurare compellitur. *l. 11. §. 2. rer. annot. l. generaliter 12. pr. C. ſi cert. pet.*

Digitized by Google

4. Exceptio inde est contra delationem juramenti ex ignorantia, *l. 34. pr. ff. de jurejur. nec jurari potest aut debet, quod ignoratur, d. l. 34. §. 4. h. t. l. 4. §. 1. ff. de in lit. jurand.*

5. Standum est pactis conventis, *l. 1. pr. ff. de ex eorum tenore prima est regula humanorum negotiorum l. contractus 28. ff. de R. I.*

6. Post injunctam semel probationem deinde non permittitur, regulariter ad juramenti delationem recursus uti communis JCtorum sententia habet.

DECISIO IV.

Quando Parentum professio circa conferenda plenam fidem non facit.

MUltum quidem inter liberos valere debet parentum professio & assertio, (1) speciatim etiam, cum de conferendis à liberis dubitatio oritur, ei multum tribuendum est. (2) At ità demùm fidem facit, si ideò facta fuit, ut esset collationis regula, nempe si parentes, ut fieri solet, à liberis præcepta designaverunt, quo post obitum de iis constaret. (3) Aliæ parentum enunciationes ore vel scriptis obiter factæ eum effectum minimè habere queunt. (4) Multò minus si vagæ, obscuræ & ambiguæ. Præterea si quæ deinde aliter reperiuntur, quam iis continetur, per eas non satis probatum habendum. (5) *In eadem causa.*

1. Hoc convenit tum optimæ quæ pro parentum affectu capitur præsumptioni, *vid. Mascard. de Probat. conclus. 1154. n. 1. seq.* tum debito & reverentiæ liberorum, *l. liberto 9. ff. de Obseq. part. præst.*

2. *l fin. C. Famil. ercisc.*

3. Ultra intentionem nihil valet actus agentium, & dictum loquentium.

4. Enunciativa verba non per se, sed propter aliud prolata non probare regula juris est. *ex l. non nudis l. non Epistolis C. Probat. l. verbis C. de Testam. milit.* Nullibi excepta sunt verba parentum enunciativa, nec iis est vis data, ut obligent liberos, nisi demente obligandi aliunde constet.

5. Scriptum in uno vel alio articulo deprehensa non vera, in aliis quoque fidem veri amittit. *Petr. Frider. Mindan. in tr. de Continent. Caus. cap. 18. num. 29. seq.*

TIT. XXI.

De Testamento Militis.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXII.

QUI TESTAMENTA FACERE possunt vel non.

DECISIO Unica.

Testamentum fœminæ non minus quàm maris valet.

PEr jus commune quâ testamenti factionem inter mares atque fœminas differentia nulla est. Jus Lubecense autem, quo maritimæ civitates utuntur, discrimen introduxit, nec nisi ex permissione maritorum fœminis testandi facultatem relinquit. (1) Plures autem utut alias eo jure utuntur, ab hoc statuto discesserunt, ad jus commune reversæ. (2) Unde apud illos testamenti factio fœminarum frequentatur. Receptum quoque eandem Vismariæ allegant appellantes, & plura exempla conditorum à fœminis testamentorum allegant. Ex quibus manifestum in hac civitate libertatem illam contra statuta esse restitutam. (3) Ideo qui alios speciales civitatis mores pro se contra sententiam, à quâ appellant, allegabant, audiendi sunt. Sicut admissi *in causa Hardingk Petersen, & consortum contra Erasmum Hagelschlâchten, & Consortes, die 23. Ianuarii, Anno 1655.*

1. *Vide de hoc dispositionem Iuris Lubecensis lib. 2. tit. 1. artic. 14. ubi tamen exceptiones quasdam habet, quas in Commentario ibidem exposui.*

2. Hoc observavi in Pomerania & Magapoleos civitatibus allegatum artic. 14. non observari, sed fœminis manere libertatem juris communis; Ideo etsi ibi.

3. Admissio testamentorum mulierbrium, præsertim accedens confirmatio magistratus, argumentum est non recepti aut abrogati istius statuti.

TIT. XXIII.

DE TESTAMENTIS ET quemadmodum Testamenta ordinentur.

DECISIO I.

Testamentum Parentum inter liberos inæqualitas partium non vitiat, sed corrigitur & quomodo.

ACriter JCti contendunt, utrum Parentum inæqualiter bona inter liberos dividens cum solennibus caret, valeat? Communior quidem sententia negativa est. (1) At non verior nec æquior. (2) Dedit Jurisprudentia parentibus hoc singulare jus, ut inter liberos nuda eorum voluntas pro testamento sit, (3) nec solennitatibus alias in testamentorum confectione observandis egeat: (4) Præsertim quæ per jus civile ad testandi formam requiruntur, in isto remissa nec necessaria sunt. (5) Nullibi vero lex ulla eam restrictionem favorabili parentum licentiæ adjecit, ut cum ita disponere velint, æqua inter liberos omnia faciant. (6) Ideo sine lege generali legis permissioni ea coarctatio non adjicienda. (7) Est in hoc parentum eadem potestas quæ in solenni. (8) Si aliud diceretur non valde proficuum foret parentum singulare jus. Imo supervacuum & inutile (9) dum non

ultra

Digitized by Google

ultra hoc quod ab intestato liberi capiant, quoad illos testari permissum id tamen absonum plane foret. Est hoc jus parentum, ut cum liberos habent ad legitimam usque libera sit ipsis de bonis Dispositio. (10) Nec debitum illorum ullum est ultra istam liberis quædam relinquendi. (11) Non est in testamento quæ solennitatem imperfecto aut jus illud aliqua lege vel ratione parentibus imminutum, aut legitimæ debitum in hoc liberis actum. Nec ullibi reperitur inter solenne & imperfectum testamentum qua hæc discrimen fuisse constitutum, quin potius expresse sancitum. (12) Tantum si quid legitima minus liberorum alicui datum fuerit, huic jus est ad petendum supplementum legitimum, legitimæ. (13) Qua actione non rescinditur testamentum, sed conservatur, (14) ideo etsi læsio vel sit enormis, haud tamen testamentum declarandum nullum, sed eo res dirigenda, ut læsus quod deest recipiat. Quocirca contentione super eo inter liberos ex parentibus non æquis institutos exorta, rejecta seu sepositia petitione rescissionis testamenti tantum læsionis probatio injuncta est. *In causa Friderici Schaden contra Heinrich Schaden, die 8. Ianuarii, Anno 1662.*

1. Quemadmodum per plures allegationes asserit, *Cothman. resp. 6. num. 36. vol. 1.*

2. Ita sentiunt & docent post alios. *Gail. 2 Observ. 112. num. 23. Harm. Pistor. quæst. 1. n. 11. part. 1. Vasq. de succes. part. 1. lib. 3. §. 21. limit. 7.*

3. *l. hac consultissima §. ex imperfecto C. de Testam.*

4. Omni alio testamento quantumcunque privilegiato parentum inter liberos dispositio magis privilegiata est nec ulla solennitate eget, sola voluntate disponentium contenta: uti scribit *Castrens. in d. §. ex imperfecto.*

5. Parentum dispositio ut juris naturalis, ita servanda etsi civilibus requisitis destituitur.

6. In re parentibus alias libera non est faciendæ restrictio sine expressa lege.

7. Ita hoc argumento utitur *Alexand. Consil. 146. num. 3. vol. 2.*

8. Legibus par jus & potestas tribuitur parentum solenni testamento, & quali quali voluntatis declarationi.

9. Non est colligendum aut statuendum de aliqua legum providentia quod inanis sit.

10. *l. parentibus C. de Inoffic. testam.*

11. *Novell. 18. cap. 2. Novell. 115. cap. 3.*

12. Sic qui observabit reperiet *in l. filii 16. l. pen. C. famil. ercisc.* ubi non de dividenda ut ab intestato hæreditate, sed juxta testamentum, & quidem inæqualiter constitutio sonat, uti explicat, *Harm. Pistor. dict. quæst. 1. n. 11.*

13. *Iunxta l. omnimodo C. de inoff. test.*

14. Actio ad supplementum non est contra testamentum, sed ex testamento. *Vasq. 3. illustr. Cont. 106. num. 41. Wesenbec. ad tit. de inoff. t. stam. n. 83.*

DECISIO II.

Testamentum parentum inter liberos ob legitimam institutionis titulo non relictam, non est invalidum.

POsteaquam Parentibus ob naturalem erga liberos pietatem, & ab his iis debitam reverentiam jure permissum est quomodocunque velint nullis adhibitis solennibus inter hos testari, (1) etiam hoc licere creditur, ut quando velint liberos hæredes faciant, (2) aut quod ut suis hæredibus debetur, quale est legitima, relinquant, ut necesse non sit hanc institutionis titulo dare. (3) Quod enim de hoc observando aliis legibus constitutum, (4) eo tantum pertinet, quod unum vel alterum liberorum præterendi facultas non sit, (5) ut & ad testamenta solennia quorum in hæredis institutione substantia habetur. (6) At in quibus hoc non necessarium est, ibi sine titulo isto data subsistunt. E quorum numero habetur Parentum inter liberos dispositio. (7) Cui ex juris potestate ideo ineest clausula codicillaris. (8) cum etiam subest ea mens, ut quocunque modo pater liberis dederit hæredes fecisse intelligatur (9) adeo, ut si tantum inter eos hæreditatem diviserit singulis suas partes assignando perinde sit, atque si hæredes instituisset. (10) Quod considerantes rejecimus allegationem de nullitate seu vitio ultimæ voluntatis parentum *in eadem causa.*

1. *l. Consultissima §. ex imperfecto C. de Testam.*

2. Paternum testamentum dicitur esse juris gentium naturalis *Castrens. in d. §. ex imperfecto.* In quo nuda volantas spectatur satisque ad ultimæ voluntatis substantiam si de illa constat.

3. Communis quidem JCti aliter sentiunt, uti refert. *Harm. Pistor. part. 1. quæst. 1. num. 12.* ubi plures allegat, sed ex errore non ex ratione, cui convenientius sine expressa institutione valere ultimam testatoris patris voluntatem tanquam testamentum uti hoc confirmat & sequitur. *Cothman. resp. 3. num. 14. & seq. vol. 1.*

4. *Novell. 115. cap. 3.*

5. *Ita Vasq. de succes. lib. 3. §. 21. n. 65. declarat.*

6. *§. 34. Inst. de legat. Mej. C. l. A. de hæred. instit. cb. 1.*

7. Non est ea institutionis solennitas injuncta paterno testamento, sed voluntati relicta est plena potestas uti scribit, *Iason. in Consil. 82. num. 13. vol. 1.* Esse in eo discrimen testamenti ex quo liberi & ex quo extranei hæredes sunt docet, *l. 3. C. inoff. Testam.*

8. *Iason. in Auth. Novissima num. 21. C. de inoff. Testam.*

9. In testamentis privilegiatis seu in quibus nudam voluntatem non solennitates spectamus non requiritur institutionis formula, sed sufficit testatoris mens & sententia.

10. Ita pulchre & rationabiliter collegit Wesenbec. *Consil. 29. num. 22. & seq. part. 1.* probatur expresse per *l. 3. C. de inoff. Testam.* ubi institutio qua liberos

Digitized by Google

liberos ex mente tacita pro sustinendo testamento adsumitur & præsumitur.

DECISIO III.

Creditori non potest obtrudi post judicatum rei in quam immissus fuit, sine prævia subhastatione in solutum acceptio.

HAbent quidem ex novissimo jure Justinianeo debitores, quibus non est pecunia, hoc beneficium, ut ex immobilibus possint, quod eorum optimum in solutum mediante æstimatione dare, (1) eique consequens est, quod creditor invitus recipere cogitur, at non pertinet ad eam speciem quando ex judicato jam pignus captum est, seu in ipsa exsecutione: (2) In qua jure sic constitutum, quod prius illud subhastari, & demum emptore non reperto mediante æstimatione adjudicari debet: (3) Ex quo nihil in Novella Imp. constitutione mutatum reperitur. (4) Quæ ut veteris juris correctoria atque exorbitans stricte accipienda, nec ultra verba atque casum de quo disponit accipienda est. Loquitur enim de eo casu, ubi debitor obæratus in solutum bona offert antequam judicio condemnatus fuit. Nihil habet de eo qui cum creditore judicio contendit, deinde victus exsecutionem patitur, inque cujus potestate amplius non est in solutum datio capto jam pignore. Qui etiam postquam litigio creditorem vexavit beneficium non meretur, (5) sicut è contra creditor post illud non compellendus adversus juris regulam aliud pro alio accipere, (6) ideo duplex incommodum pati, (7) sed audiendus distractionem, & pro hac subhastationem seu proclamationem pro reperiendo emptore postulans. (8) Uti judicatum *in causa Immanuel Eichlers contra Hans Brandstädten, die 10. Octobr. Anno 1666.*

1. *Ex Novell. 4. c. 3. unde desumpta est Auth. nisi debitor C. de solut.*

2. Est quidem de hoc JCtorum quædam disputatio, nec pauci credunt beneficium dictæ Novell. etiam procedere in executione. At communior rectiorque est contraria sententia quam tenent *Maranth. in spec. par. 6. tit. de execut. n. 11. Alexand. in l. à Divo §. in vendit. ff. de re jud. Coler. de process. executiv. lib. 3. cap. 9. num. 73. & 109.* Quantum etiam observari illam in judicus semper receptam deprehendi.

3. Jure communi triplici modo post judicatum in executione victori consulitur, vel datione in solutum, vel subhastatione pignoris ex ista causa capti, vel adjudicatione. Prior non habet locum nisi præoptat creditor: Secunda vero, ubi victor eam mavult: Posterior non nisi postquam circa secundam emptor non reperitur. Prius enim distractio per licitationem tentanda, antequam ad adjudicationem devenitur. *l. 1, 2. l. fin. C. si ex caus. judic. pign. capt.*

4. Quod lex non mutat expresse hoc relictum est juri veteri *l. præcipimus 32. §. fin. C. de appellat.*

5. Indignus est legis beneficio qui legem non observat. *l. auxilium 37. pr. ff. de minor.*

6. *l. 2 ff. de reb. cred.*

7. Contra *l. 2. §. 2. ff. ad L. Rhod. de jact.*

8. Hæc petitio legitima & admittenda est donec per legem exclusa reperitur. In dubio quippe ea novæ legis interpretatio est facienda ut vetus beneficium integrum maneat.

DECISIO IV.

Petitio æstimationis pignoris pro judicato capti sola non astringit ad receptionem in solutum nec excludit à subhastatione.

INtegrum est victori pignus, quod ex causa judicati capitur non repugnante debitore in solutum poscere & sumere, (1) & ubi se illud facturum semel declaravit, non potest variare, (2) & subhastationem exigere, sed facta æstimatione illud adjudicatur, Electione & voluntate sua ab alio remedio excluditur. (3) Ad hoc vero requiritur, ut voluntatem istam sic declaret, quo intelligatur, eum in solutum datione sibi velle satisfieri: (4) In dubio alia potius mens subintelligenda est, quam juris mediiq; melioris abdicatio. (5) Quocirca quod in utramque partem accipi valet sic capiendum prout alicui conducibilius est. Incidebat quæstio de petitione æstimationis, quam decreta immissione in hypothecam creditor petiebat, ex qua deinde debitor illa subhastationem petenti objiciebat electam in solutum acceptationem, hancque ideo exclusam. Nec res erat sine dubitatione, quod nisi istam eligente victore demum post subhastationem nullo reperto emptore ubi adjudicatio fieri solet, ad æstimationem pervenitur. (6) Verum pœnitius consideratis actis conclusum hujus petitionem solam haud ad electionem in solutum dationis sufficere, utpote cujus alius finis esse potest, quam ut quis cum ea se rem ita accepturum declaret: (7) Et in præsenti casu apparebat petentis alia ratio. Nam cum creditum ejus multo inferius esset, ea taxatione, quæ ædibus oppignoratis, in qua immissus fuerat, contingere posset de ista certus esse voluit, quo deinde de medio sibi prospiciendi eo certius statuere. Interfuit sua illud nosse ad electionem vel subhastationis vel adjudicationis. Deinde de hac qua ædes nihil fuit in petitione, sed tantū

ut

Digitized by Google

ut ex quantitate qua æstimaretur sibi tantum adjudicaretur quousq; creditum suum ascendit ita indicans, ædes semet comparare & in solutum habere nolle: (8) Sicque eo magis sentiendum est propter magnum incommodum quod alias victor incidet, qui superfluo exsolvendo obnoxius fieret 9) invitus emptor & debitor, (10) juxta & periculo atque oneribus ædium, quæ hoc tempore non levia erant, immixtus. (11) *In eadem causa.*

1. Postquam tam creditoris quam debitoris gratia ita constituit jurisprudentia, ut cum pignora ex causa judicati capiuntur illa mediante subhastatione distrahantur *l. 2. C. si ex caus. jud.* ita comparatum est ut nec debitor invito creditori possit obtrudere in solutum dationem, ut in superiori decisione vidimus, nec etiam creditor invito debitore eam poscere & assequi *l. & qui sub* 10. *C. de distract. pign.* sed quod constitutum est ordinarium medium tam diu ac ei locus esse potest adhibendum: Ex utriusque tamen consensu inde receditur. Quare ubi non reluctatur debitor creditori in solutum petere & suinere licet quod isti redditum est obnoxium.

2. Quod semel placuit amplius displicere non debet. *l. Pomponius 9. ff. de Negoc. gest. c. quod semel ff. de R. I.*

3. Electio ex pluribusquæ alternativè competunt vim excludendi habet, *l. 3. §. & generaliter ff. de eo quod cert. loc. l. si quis stipulatur ff. de V. O.*

4. In his ex quibus præjudicium oritur voluntas à jure non excludit nisi expressa & specialis, *l. sicut* 8. §. *non videtur* 15. *ubi Bart. ff. quib. mod. pignus vel Hypoth.*

5. Renunciatio juris alicujus non præsumitur *Mascard. de probat. conclus. 1263. num. 1. seq.*

6. Juxta ordinem in *l. 2. & 3. C. si ex caus. jud pig* præscriptum.

7. Taciti non est eadem vis quæ expressi nisi quod ex facto necessaria sit voluntatis consequentia & conclusio *Bart. cons. 29. num. 3.*

8. Petens ex precio rei pro quantitate crediti sibi satisfieri, non censetur id facere ea mente quâ sibi in solutum res addicatur, sed tantum ut distrahatur. Ea quippe mens cujusque intelligitur, ut de jure vel consuetudine esse solet & debet.

9. *l. 2. §. fin. C. de jur. domin' impetr.*

10. Contra *l. invitum C' de contrah. empt.*

11. Non est verisimile quemquam oneribus & periculo se subjicere velle quæ sapiens quisque fugit & devitat.

DECISIO V.

Reciproci testamenti pars morte alterutrius confirmatur & robur accipit, altera vero manet sub arbitrio testatoris & revocari potest.

COnditio testamento reciproco, seu ut alii vocant mutuo, ubi testantium alter decedit, qua ipsum testamentum statum valet & morte confirmatur: Qua superstitem vero non similiter, sed ei supereſt libera illa voluntas quæ ad mortem usque ambulatoria est: (1) Ideo illi integrum voluntatem suam revocare & aliter prout lubet non obstante quod reciproce compositum erat disponere. Ita tamen ut nihil ex eo quod alter disposuit mutare ipsi fas sit. (2) Reciproca ista testamenta vicem duorum habent: (3) Singulæ enim personæ suam voluntatem ultimam edunt, etsi conjunctim & tabulis connexis, tamen pro se quæque testatur, nec alterius vis ex alterius voluntate sed quæque dispositio ex disponentis voluntate subsistit. Quare ut ubi alterutrius voluntas morte desinit testamentum firmum redditur, ita ubi superstitis voluntas mutatur & prius testamentum ex eo simul mutatur (4) Uti judicatum qua utrumque testamentum *in causa Iohan Heidenreichs contra Herman Harvvich & Ioh. Pancken, die 12. Maii Anno 1666.*

1. l. quod si 4. ff. de adim. vel transf. legat. Gail. 2. observ. 117. num. 1. in fin. Covarruv. de testam. part. 2. n. 17.

2. Vid. quæ scripsi in Comment. Inst. Lubec. lib. 2. tit. 1. art' 10. num. 27.

3. Gail. d. observ. 117. num. 2. Peck. de testam. conjug. lib. 1. c. 43.

4. Vid Gail. d. l. n. 17.

DECISIO VI.

Testamenti nuncupativi non est justa probatio nisi vel ex testibus qui adfuerunt vel ex instrumento notarii desuper confecto, modo sit perfectum.

NOn sufficit ut testamentum nuncupativum coram septem ad id rogatis testibus conficiatur, sed etiam ita confici oportet, ut ejus plena fides constet, atque sic rite confectum esse manifestum evadit. (1) Si quidem ita factum dicitur, sed non appareat, ejus nulla habetur ratio. (2) Non sufficit ad eam fidem testamentum coram testibus nuncupatum deinde in scripturam redigi, nec etiam illud à notario & testibus ad illud rogatis subscribi, (3) sed necesse est vel testes illos in judicio mediante juramento de illo testamento testificari. (4) vel super illo rite confecto instrumentum publicum confici. (5) Alterutrum fieri sufficit: (6) Ubi neutrum adest testamentum factum non habetur, quia non legitimè probatum. Haud satis est dici illud esse factum seu adhibita esse omnia ad testamenti substantiam necessaria, sed oportet de illo etiam constare & rem manifestam reddi, siquidem pars in in instrumento se fundat, considerandum est utrum illud omnibus suis numeris sit absolutum seu perfectum, ad quod jurisprudentia plura exigit. (7) Id verò præcipuè ut notarius duobus ad minimum testibus adhibitis super nuncupativo testamento instrumentum confecerit. (8) Etsi itaque ille hoc in formam instrumenti redegerit, at testibus instrumentariis nullis præsenti-

Digitized by Google

bus, non habebitur testamentum probatum, (9) nec ex eo jus dicetur nisi qui testamentarii testes fuerunt adhuc supersunt, ac jurato de testamento testificari queunt. (10) In tali itaque casu ubi non erat super testamento instrumentum ritè confectum placuit illud quidem ratum non habere reservare tamen probationem per testes si ità fieri posset. (11) *Inter eosdem.*

1. §. *ult. Instit. de testam. ordin, l. hac consultissima 21. §. per nuncupat. 2. l. jubemus 29. C. de testam.*

2. Etiam circa testamenta valet illa regula, quod paria sunt non esse & non apparere: Quo magis fraudibus & periculis subjacent testantium voluntates eo cautius observandum ut de fide testantium voluntates eo cautius observandum ut fide testamenti constet nec voluntas ultima fingatur & obtrudatur.

3. *Vid. Fabr. in C. lib. 6 tit. 5. def. 4.*

4. Non aliter valet testamentum nuncupativum quam ubi testium, queis praesentibus confectum, depositione, eaque jurata corroboretur, *d. l. hac consultissima §. si quis autem in fin. l. ult. §. fin. vero unus verb. & hoc post mortem testatoris jurati deponant C. de testam. Coler. part. 2. decis. 250. num. 2. Durand. de arte testand. tit. 2. testam. ordin. caut. 1. n. 2. ubi ait, irritum esse testamentum nuncupativum, nisi per testes juratos coram judice approbetur.*

5. Ob difficultatem probationis per testes, quorum plerique saepe ante testatorem moriuntur, ne ex illorum obitu ultimae voluntates interirent ex consuetudine ita coepit & invaluit, ut per instrumentum publicum veritas ejus asseretur, si nempe testator id quod coram septem testibus nuncupat statim curat in tale instrumentum redigi, *Jason. in l. publicati num. 4. C. de testam. Schneidew. ad tit. de testam. ordin. §. ult. num. 7. Modest. Pistor. cons. 31. q. 2. vol. 1.* Id quod eandem fidem facit ac si testes omnes de testamenti tenore jurato deposuissent. *Col. d. decis 250. num. 4.* & oritur ex virtute quam jurisprudentia publicis instrumentis tribuit, ut plene probent, *Jason d. l.* in quo magnum est compendium.

6. Ubi quis per testes probare potest vel vult non opus est solennitate Instrumenti, *Covarruv. in c. reum n. 1. vers. Tertia concl. de test.* & vice versa, ubi instrumento fides fit, supervacuum est testium examen.

7. De quibus vide *Beust. in l. admonendi n. 697. de jurejur.*

8. Testium praesentia ad instrumenti substantiam est necessaria.

9. Circa instumentum omisso aliquo necessario requisito testamentum in illud redactum non valet *Carpzov. resp. Elect. 85. per tot. lib. 3.*

10. Supplent testes sua depositione fidem testamenti *Mascard. de probat. Concl. 1352. Danth. in l. si testamento n. 104. ff. qui testamen. fac. poss.*

11. Judex nihil non facere & admittere debet quo ultimae voluntates sustineatur.

DECISIO VII.

Testamentum perfectum fuisse non praesumitur, nisi forma sua absolutum apparet.

FAvor insignis, quo jurisprudentia testamenta colit, conservat & sustinet (1) etiam hoc effecit ut semper praesumatur perfectum & validum (2) ideoque non illud alleganti, sed neganti probatio incumbat. (3) Verum ita demum ea praesumptio obtinet, si testamentum existit & coram oculis exhibetur, sic sua forma completum, ut pro tali haberi possit. (4) Est enim istius tantum vis in dubiis; At ubi imperfectum est scriptura quae pro testamento valere debet, apertum existit, testamentum non esse eique tunc contraria praesumptio resistit, (5) facitque ut qui perfectum dicit prius probare debeat. (6) Quod consideratum *in causa Johann Otto von der Decken, viduae & consortum contra Obrist Dietrich von Düringen, die 10. Januarii, Anno 1656.*

1. Cujus ratio est *in l. 1. C. de SS. Trinit. & l. 5. ff. Testam. quemadm. aper.* ex quibus tam humanitatis quam publici usus causa favorabiles esse ultimas voluntates docetur.

2. *l. si post divisionem ib. gloss. Bartol. Bald. Jason. C. de Jur. & fact. ignor. l. si scriptum ib. Bartol. C. de Probat.*

3. *Vid. prolixe Mascard. de Probat. conclus. 136. num. 1. & seq.*

4. Ita limitant Cùm eam praesumptionem *in d. l. si post divisionem. Mantic. in tr. de Conject. ult. volum. l. 2. tit. 9. num. 1. & seq.* Non visibile vitium facit illam praesumptionem *l. fin. C. de Edict. D. Adrian. toll.*

5. *Decius consil. 11. num. 8.*

6. In dubio hoc est affirmantis non negantis, *l. 2. ff. de probat.*

DECISIO VIII.

Ad testamenti probationem non sufficit Notarii de eo assertio, sed alia opus est.

EXhibebatur testamentū paternum, quod septem testium praesentia & subscriptione munitum esse narrabat scriptura, sed ipsa subscriptio deerat, ii autem qui testamento nitebantur, eos subscripsisse, subscriptionem adfuisse, sed chartam quae continebat abscissam atque deperditam esse praetendebant. Istam vero non alio documento quam solius Notarii qui confectioni interfuisse dicebatur, probabant. Non quidem necessarium, ut quomodo ad solennitatem septem testes requiruntur, ita etiam ad semel confecti probationem tot adessent. (1) Creditur ad probationem ejus tenoris etiam duos testes sufficere, (2) ideo ubi ipsum testamentum existit, saltem subscriptio deficit, si duo jurato deponent adfuisse, puto inde de testamenti solennitate & perfectione fidem fieri. (3) At sine testibus solius Notarii assertioni ea fides minime debetur, (4) maxime cum non constet testamentum aliquando fuisse factum aut publicarum, nec etiam alia adminicula apparebant. Quocirca si ex testamento quidam obtinere potuissent alia probatione opus fuisset. Injunxissemus etiam

Digitized by Google

etiam eandem si probatum relevare potuisset. Reperto autem quam ea probatio frustranea futura sit, quando etiam existente eo testamento etiam actores obtinere non potuerint omissa illa. (6) Juxta cæteras allegationes dicta fuit sententia. *In eadem causa.*

1. Distinguunt JCti solemnitatem & probationem Testamenti. Illa est conficiendi hæc confecti. Illa septem Testes desiderat. *l. consultissima in pr. C. de Testam.* Hæc paucioribus contenta est.

2. *Sulyc. in l. testium. C. de Testim. Cotta in memorab. verb. Testamentum. Coras in l. admonendi num. 34. C. de jurejur.* ubi hanc communiorem sententiam esse testatur. In praxi ita receptum esse testari possum conscius exempli ubi de perditis testamenti tabulis ejus tenoris probatio per duos testes facta sufficiens declarata est.

3. Cum de solemnitate quadam testamenti quæstio exoritur, an adhibita fuerit, probatio, quâ ea res eget, per duos Testes fieri potest. *Jason in l. errore C. eod. Bartol. in l. inter omnes C. famil. ercisc. Ruinus late consil. 1. num. 8. & seq. vol. 2.*

4. Notariis quidem in his quæ officii sui sunt multũ fidei, unquam vero tantum tribuitur, ut soli possent testificari & duorum omni exceptione majorum testium vicem suppleant, ideo singuli plenam fidem faciant, quod vel circa testamenta & instrumento hinc evidens est, quod Notarii scriptura sola sine Testibus non sufficit.

5. Publicatio Testamenti non præsumitur. *Bald. in l. si fideicommissa § 1. de legat. 3.*

6. Juxta regulam vulgatam. Ad probandum admitti non debere quod probatum non relevat.

DECISIO XIV.

Testamentum inter liberos ex non relicta institutionis titulo legitima nullum est.

PArentum inter liberos testamenta ob pietatem jura singulari favore dignantur, (1) ita ut sine solemnitate ex sola illorum voluntate consistat, (2) hanc utcumque expressam sufficiat: Attamen necessitas liberos instituendi seu legitimam istis titulo institutionis relinquendi (3) remissa non est, ideo per Jus reliqua habetur, (4) cui consequens ut etiam inter liberos testamentum institutionem non habens irritum sit. (5) Non sufficit dotem filiabus reliquisse, quæ etsi alias legitimæ instar habeat, tamen in testamentis nullo jure hanc potestatem adepta est, ut testamentum in eo constituta non vitiet. (6) Statuto vel consuetudine quidem recipi potest, & alicubi receptum, ut aliqua pro legitima dari possint, imò ex ea dotem dari sufficere potest. (7) At quando facti illa est, sic semper probari debet. Cum de ista non constat, juri communi insistimus & institutionis titulum semper seu solenne seu minus solenne sit testamentum, requirimus. (8) Non quidem ut ejus insertione expressa opus sit, sed ut ex dispositione intelligi possit. *In eadem causa.*

1. *l. hæc consultissima §. ex imperfecto ib. Dd. C. de Testam.*

2. Non desiderat parentum ultima voluntas inter liberos ullam solennitatum civilium *Gail. 2. Obs. 112. num. 2.*

3. Ex jure naturali enata civilibus legibus confirmata est hæc necessitas, ut liberi à parentibus vel institui vel exhæredari debeant. *§. 1. Instit. de hæred. Instit. l. 1. ff. eod.*

4. *Nov. 117. c. 1. Novell. 115 c. 3.* sic communior & juri magis consentanea habet JCtorum sententia, *ut testantur Gail. 2. Observ. 112. num. 2. Hartm. Pistor. illustr. quæst. 1. num. 12. part. 1. ubi plures pro hac sententia Allegant.*

5. Pro præteritione est omissa liberorum institutio & exhæreditatio, eaque perinde parentum non solennia quam alia testamenta vitiat. *H. Pistor. de quæst. 1. num. 13.* Ratio patet; Lex enim solennitatem testandi remisit non pietatem dispositionis.

6. Sine lege ita loqui erubescimus *Nov. 18. c. 5.*

7. Legitima ex jure naturali debita nullo statuto tolli potest, modus tamen ejusdem subest & mutari aliqualiter potest, ideo & fieri ut dos vel aliud quid ejus vice detur, uti consuetudine sic hodie ferè receptum est & interpretes *ad l. quoniam 29. C. de Inoffic. Testam.* sic scribunt.

8. *Hartm. Illustr. quæst. 1. num. 17. part. 1.*

9. Quod fit, si testator quid det sub nomine legitimæ *Barthol. in Anth. unde si parens num. 1. C. de inoff. Testam. Boer. decis. 267. num. 1.* aut si pater inter liberos bona dividat. *Gail. 2. Observ. 118. num. 7.*

DECISIO XV.

Quod legitima nomine datur oneris & conditionis omnis expers esse debet, pro ista adjectum nullum est.

CUm pater filiabus in testamento dotis & ornamentorum nomine sub ea conditione seu eo modo potius certam pecuniam dedisset, ut iis innuptis descendentibus ad fratres istius portio reverteretur, non modo cum aliqua illorũ maritata postea vidua discessisse nihil fratres capere potuerunt, velut conditione deficiente seu cessante modo, uti alibi occasione hujus causæ inter decisiones relatum est, sed etiam ex nullitate ejus conditionis vel modi inutilis foret dispositio, quandoquidem dos hic data esset vice legitimæ, ubi nihil aliud datum fuit, (1) legitima autem ut naturale quoddam debitum (2) hic liberis est præstanda, ut nihil conditionis vel oneris admixtum patiatur. (3) Ut enim ista liberis debetur proprio quodam jure suo ex legis providentia, non ex testatoris voluntate, ita non subest hujus arbitrio, ut ulla ratione gravare possit. (4) Et licet liberi acceptaverint & approbaverint in aliis testamentum paternum, in eo tamen nisi expresse renunciaverint, (5) sibi præjudicium aliquod non inferunt, ut integram legitimam non retineant. *In eadem causa.*

1. *Fab. in Cod. lib. 6. tit. 23. defin. 9.*

2. *l. cum ratio 7. ff. de bon. damnat. l. 26. §. 2. C. de Inoff. Testam.*

Digitized by Google

3. *Novell. 115. cap. 3. & cap. 5. in pr. Gail. 2. Observ. 116. num. 3.*

4. Nulla valet patris disposition, per quam fraus fit legitimæ *l. parentibus 8. C. de Inoff. testam. Faber. in d. tit. 23. defin. 9. num. 6. seq.* ubi in terminis tale fidei commissum ex hac ratione improbat.

5. Ea renunciatio liberis integra est, *l. si quando §. fin. ib. gloss. & Dd. C. de Inoffic. testam.*

6. *Vid. Gail. 2. Observ 117. num. 8.*

Super his sententia hoc tenore fuit pronunciata.

In Sachen Johann Otto von der Decken Wittwen Erben und Consorten, Beklagte und Appellanten/ eins/ entgegen/ und wider Obrist Litterich von Düringen Erben/ Klägere und Appellaten andern Theils in puncto testamenti, werden die gravamina als überflüssig nicht/ sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen und erkannt, daß von Richter erster Instanz den 22. Septembr. Anno 1654. übel gesprochen/ wol davon appellirt/ daher solche Urthel zu reformiren/ und Appellanten von dem Anspruch der von Appellaten prætendirten Braut-Schatz-Gelder zu absolviren: Inmassen Wir auch dieselbe hiemit von solchem Anspruch loß zehlen und absolviren/ von Rechtswegen.

(Hoc est)

In causa Joannis Ottonis à Decken viduæ hæredum & consortum, reorum & appellantium ex unâ contra Colonelli Dietheri à Düringen hæredes, actores & appellatos ex altera partibus, in puncto testamenti, gravamina velut superflua non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis accepsamus & decernimus, à judice primæ instantiæ 12. Septembris Anno 1654. male judicatum, bene appellatum, hinc sententiam eò reformandam esse, quod appellantes ab impetitione pecuniæ dotalis ex parte appellatorum prætensæ absolvendi sint, prout eos etiam hisce absolvimus, idque de jure.

TIT. XXIV.

De hæredibus Instituendis, æquæ personæ hæredes Institui non possunt.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXV.

DE INSTITUTIONIBUS vel substitutionibus & restitutionibus sub conditione factis.

DECISIO Unica.

Substitutio in dubio censenda est directa, non fideicommissaria.

QUerebatur appellans se jussum sententiâ restituere hæreditatem testatoris cognatis velut ex fideicommisso, cum de hoc nullum in testamento verbum reperiretur, sed ipse cum in India orientali commoraretur, ignarus, utrum parens viveret necne, parentem & in casum mortis bey Ablebicheit deß Vattern/ uti verba Belgico idiomate habebant, illum cognatam hæredem scripserat, quocirca prætendebat ad parentem filio testatori superstitem ex institutione translatam hæreditatem post mortem ejus non amplius restituendam esse. Litis decisio pendebat ab illa quæstione, Substitutio qualis in dubio reputanda sit, utrum directa seu vulgaris, an fideicommissaria? Communiori JCtorum sententia, quam praxis forensis dudum approbavit atque recepit, & à quâ discedere nihil rationis apparuit, sic colligitur, cum res de modo vel genere substitutionis dubia est, directam potiùs quàm fideicommissariam statuendam esse. (1) Quod ideò rectius, tum quia testator verbis directis usus est, quæ substitutionem proprie dictam indigitant, qualis est directa: (2) tum quod ex fidei commissaria plenior (3) ideo testatori magis placuisse putatur: (4) tum quia etiam favore majori digna, (5) tum quia per se etiam dignior, (6) nec non validior est; (7) tum quia voluntati testatoris convenientior. Est cum alias ità servetur, tum precipuè inter liberos & parentes capienda atque admittenda est præsumptio illa. Quemadmodum cum parentes liberos instituunt; (8) Et iis substituunt, qualitas verò substitutionis non planè certa est, directo substituisse intelliguntur, ut ipsimet potius retineant, quàm alius bona capiat, (9) ità vice versâ ubi liberorum aliquis patri substituit, eadem capienda est interpretatio. (10) Quando itaque appellans semet in illa juris præsumptione fundabat, necdum apparebant aliqua alterius voluntatis argumenta, ex quibus aliud statui deberet, (11) placuit audiri ipsam & processus decerni. (12) *In causâ Iohann Nadops vidua, contra Annam Massen, die 10. Iunii Anno 1656.*

1. *Prolixe vide de hac sententia. Mevoch. de Præsumpt. lib. 4. præs. 66. n. 1. & seq. Mantic. de Conjectur. ultim. volunt. lib. 5. tit. 1. n. 3. qui plures alios allegant.* Nituntur verò ita sentient. *text. in l. fin. ubi vide etiam Baldum C. de Hared. l. si quis ita ff. de Usufr. e. l. c. si pater X. de Testam. in 6.*

2. *Hac ratione utuntur Mantic. d. tit 1. n. 7.*

3. *Bald. in Consil. 35. num. 2. vol 7.*

4. Favore ultimæ voluntatis in institutionibus earumque specie substitutionibus attenditur id quod plenius, *l. si de solum ff. de hæred. instit. Bartol in l. quod traditum ff. de Condit. & Demonstrat.*

5. *Bald. in Consil. 423. vol. 1.* Ratio hujus traditur quod fidei commissaria, ut gravamen imponens non possit non censeri magis odiosa, *l. coheredi §. cum filio ff. de Vulg. & pupill. subst. l. ex tribus C. de Inoff. test.*

6. *Decius Consil. 416. num. 12.*

7. *Mantic d. tit. 1. n. 5. seq.* Ratio hujus dicti traditur, quod ex directa ipso jure & propria manu capitur,

Digitized by Google

plitur hæreditas nullaque inde imminutio. Ex fideicommissaria autem per alium & ex manu hæredis atque cum imminutione ista habetur.

8. Testator qui institutum diligit & honorat in dubio gravatum voluisse non præsumitur, *l. unum ex §. si remib. gloss. & Dd. ff. de Legat. 2.*

9. *Ita decidit post gloss. in verbis civilibus ff. de vulg. & pup. subst. Bald. cons. 423. vol. 1. & cons. 35. vol. 2. Mantic. dict. tit. 1. num 8.* Ratio est, quod pater præsumitur filio velle prospectum, non autem gravamen impositum, *l. in fideicommisso § cum Pollidius ff. de Legat. 3. l. si quis in suo ff de inoff. Testam.*

10. Eadem utrinque ratio est, ideo & jus idem statuendum atque sequendum erit.

11. Spectat hæc sententia nostra ad casum dubium. Si adsunt argumenta aliud inferrentia secus sentiendum erit, *de quibus vide latius Menoch. dict. tit. lib. 4. præsumpt. 66. per tot.*

12. Judicis est in dubio sequi juris præsumptionem, *l. fin. ff. quod met. caus. tot. tit. ff. & Cod. de Probat. & Præsumpt.*

TIT. XXVI.

De Impuberibus & aliis substitutionibus.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXVII.

De necessariis servis hæredibus instituendis vel substituendis.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIX.

De Liberis præteritis vel exhæredatis.

DECISIO I.

Sola causa vel voluntas patris non facit filium exhæredem, nisi per testamentum.

QUerebatur appellans filium sententiâ ad successionem admissum esse, qui in patrem manibus violentis & ore maledico valde injurius fuisset, quemque ille exhæredem velle sæpius dixisset. At cum testamentum non fecerat, nec in eo exhæredationem ex causa legibus probata, nihil rationis visum, cur de injusta sententia ille quereretur. Non enim valet exhæredatio, nisi ritè facta. (1) Ad quod necesse est, ut in testamento fiat, (2) & ut causa exhæredationis in eo explicetur. (3) Non sufficit ad exhæredationem alio modo voluntatem parentum declarari, (4) nec etiam sola causæ veritas, sed tantùm à parente in testamento declarata voluntas spectatur. (5) *In causâ Gammelkarn, contra Claus Lindovven, die 10. Junii, Anno 1656.*

1. *l. non putavit 8. §. 2. ff. de Bon. possess. cont. tab.*

2. Nec adimi nec dari hæreditas potest nisi testamento. *§. 2. Inst. de Codicill. Rationem videas in l. testandi 13. C. de Testam.*

3. *Novell. 115. cap. 3.*

4. Ne quidem Codicillis potest fieri exhæredatio, *ad §. 2. Inst. de jur. Codic. l. non Codicillum 14. C. de Testam. Rationem pete ex l. si idem 7. C. Jur. Codicill.*

5. Qui non exhæredat, actu ille remittere videtur injuriam, & dum non adimit relinquere hæreditatem. Inde nisi nominatim facta exhæredatio non habetur justa, *pr. §. 1. seq. Inst. de ex hæred. lib. 1. seq. ff. de lib. & posthum. l. 3. §. 5 ff. de Injust. Rupt. & irrit.*

DECISIO II.

Etsi non facta fuerit à parente exhæredatio, impietas tamen liberorum non debet esse impunis.

APpellatio cohæredum ad excludendum à successione filium planè immorigerum & in patrem violentum, etsi qua ipsos justa non erat, eatenus tamen admittenda videbatur, ut filius iste nihilominus ad hæreditatem non admitteretur, (1) sed de delicto fieret ulterior inquisitio, & de pœna statueretur. (2) Non enim omissa à parente exhæredatio, imo nec expressa injuriæ remissio efficere potest, quin à judice filiorum insignis impietas plectatur. (3) Grave hoc delictum est, (4) ex officio etiam judicis graviter coercendum: (5) Non tribuitur hodiè amplius parentibus jus, ut ex ipsorum voluntate tantum liberi pœnam sentiant, (6) sed velut ob publicum crimen pro modo delicti per Magistratus vindicta exercetur. (7) Quam etiam in præsenti specie, ubi violentas manus & os maledicum inculisse patri filium dicebatur, atque fama erat, non negligendam esse existimabatur. *Inter eosdem.*

1. *Ea quæ sub tit. ff. & C. de his quæ ut indig. legantur, in hac specie obtinent, uti inter Decisiones sequentis anni expositum leges.*

2. Ad judicis officium hoc pertinet etiam non imploratum, *l. congruit 13. ff. de Offic. Præsid.*

3. Non est in privatorum potestate remittendo suam injuriam, publicam tollere vindictam, *l. transigere 18. ib. Dd. C. de Transact.*

4. Inter atroces refertur injurias, *l. 7. §. atrocem 8. de Injur.* quam Deus sua lege jussit severissimè punire *Deuteron. c. 21. vers. 18. seq.*

5. *l. 1. ff. de Obseq. à par. vel patron.*

Digitized by Google

6. Concessum jure civili patri castigare filium qui pietatem parenti debitam non agnoscit, aut si gravius peccaverit, præsidi provinciæ parenti offerre dicturo sententiam quam pater voluerit. *l. 3. C. de pat. Potest.* At hodiè hoc non observatur amplius, sed Magistratus etiam patre non compellante punit, & non ex ejus voluntate, sed pro modo criminis pœnam decernit. *Carpzov. in Pract. Crimin. part. 2. quæst. 100. num. 35.*

7. *l. 1. ff. de Obseq. par. & patron.* Arbitraria est ea pœna pro modo delicti per judicem statuenda. Solent & possunt hodie impiæ manus carcere, relegatione, fustigatione, amputatione, prout gravius leviusque per istas peccatum castigari. *Vid. Wesenbec. in Paratl. ff. ad L. Pomp. de Parricid. num. 12. in fin.*

TIT. XXIX.

De postbumis hæredibus Instituendis vel exhæredandis vel præteritis.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXX.

DE JURE DELIBERANDI & Adeunda vel acquirenda Hæreditate.

DECISIO I.

Inventarium matris proficit liberis, tantum defectibus ejus respondere tenentur.

QUando mater vidua confecit inventarium, ut hoc ipsi juxta Pomeraniæ consuetudinem, dum jure retentionis utitur, incumbit, non opus habent liberi aliud inventarium conficere, (1) aut restitutionem in integrum ad ejus confectionem petere, (2) sad eo quod à matre confectum est gaudent. tum tanquam successores feudi, ita ut ab illa bona descripta sunt accipientes; (3) tum tanquã qui sub tutela vel cura matris, quamdiu in viduitate mansit, fuerunt; (4) tum quia tutores isto contenti aliud non fecerunt sed ita bona acceperunt. (5) Tenentur autem respondere de istius inventarii defectibus perinde atque si ab ipsismet confectum esset, Quomodo enim pro se isto uti cupiunt, ita etiam vicissim ut tale sit, quale ab hærede præstandum, efficere debent. *In causa Raphael Erichen Erben contra des Land-Rath Gehrt Behren Kinder, die 16. Ianuarii, Anno 1658.*

1. Quo opus est, si tollent teneri ultra vires hæreditatis, *l. fin. §. 1. & seq. C. de Iur. delib.*

2. Hoc remedio consulitur iis qui inventarium non confecerunt ubi non sua negligentia, sed impediti vel aliter persuasi confectionem omiserunt. *vid. Fabian Cod. lib. 6. tit. defin. 27.*

3. Sic usu obtinuit & rationi convenit, ut successores feudi non opus habeant confectione novi inventarii, sed ejus beneficio fruantur, quando mediante eo, quod vidua confecit, bona recipiunt. Id quod idem præstat. ut eadem in hoc est ratio.

4. Inventarium tutoris pupillis proficit ad usum istius beneficii. *arg. l. fin pr. C. de Arbitr. Tutel.*

5. Ita usus observat, ut cum mater in bonis retentionis jure moratur & inventarium conficit, tutores aliud conficere opus non habeant, sed illo mediante tutelam suscipiunt. Id necesse, ut iis citatis à vidua conficiatur.

Juxta ista sic pronunciatum.

In Sachen Raphael Erichen Erben Appellanten/ wider Gerdt Behren Söhne und andere Behrische/ Raphael Erichen prætendirte Creditoren Appellaten/ in puncto Inventarii rationum & taxæ, auch immixionis lucri dotis & usurarum, werden die gravamina theils als unerheblich/ theils als überflüssig nicht/ sondern acta ex officio vor beschlessen angenommen und erkandt/ daß es bey Richters voriger Instantz in puncto inventarii & immixtionis den 30. Octobr. Anno 1655. publicirten Urtheil zu lassen/ in puncto lucri dotis & usurarum übel gesprochen/ wol davon appellirt/ und dieselbe Urthel dahin zu reformiren/ daß Gerdt Behren Söhne Einhalt der den 7. Julii Anno 1653. in erster Instantz außgesprochenen Concurs Urthel/ von der Widerkehrung der 3000. Thaler allein die Zinsen/ so der Mutter bey dero Leben gebühret/ nicht aber dieselbe Summe/ als welche nach dem Buchstaben/ der zwischen ermeltem Gerdt Behren/ und dessen Ehefrauen aufgerichteten Ehe-Stifftung/ auff jetztgedachter Wittwen Absterben ins Lehn zurücke gefallen/ zufordern befugt/ dann auch der sämptlichen Creditoren Zinse/ wie dieselbige vors hundert verschrieben und zu berechnen üblich/ nach dem jüngsten Reichs-Abscheide/ &c. Anno 1654. auff das vierdte Theil zu reduciren/ wären nun ferner Appellanten/ in puncto rationum & taxæ zu verfahren gemeynet/ So ist deßhalber Commissio anzuordnen/ welche in sechs Wochen von Appellanten zu extrahiren/ wozu offterwehnte Appellanten die Appellaten Gerdt Behren Söhne/ und der Creditoren gemeinen Anwald citiren zu lassen/ darauff in termino was sie sambt erwehntem Anwalde wider die ad acta gebrachte rationes & taxam einzuwenden haben/ vorzubringen und die Parten allerseits in diesen Puncten biß zum Schlusse mündlich zu handlen/ zuforderst aber Dr. Schabbelt sich wegen der appellirenden Erben gebürlich zu legitimiren/ ingleichen Dr. Gerdes Copiam gemeinen Gewalts/ worauff er sich bezogen/ cum signatura ad acta dieser Sachen zu legen schuldig/ Von Rechtswegen/ Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 25. Ianuarii Anno 1658.

Hoc est: In causa Raphaelis Erichen hæredum appellantium contra Gerdt Behren & alios Behricos Raphaeli Erichen prælatos creditores appellatos, in puncto inventarii rationum & taxæ ac immixtionis lucri dotis & usurarum, gravamina partim tanquam irrelevantia partim ut superflua non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus, sententiæ à judice prioris instantiæ in puncto inventarii & immixtionis 30. Octobris Anno 1655. publi-

Digitized by Google

publicatæ inhærendum in puncto lucri dotis & usurarum male judicatum, bene appellatum, & sententiam eò reformandam esse, quod Gerdt Behren filii vigore sententiæ concursûs 7. Julii Anno 1655. Publicatæ de restitutione 3000. Thalerorum solum Pensiones quæ matri tempore vitæ competierunt non vero illam summam utpote quæ juxta liberam pactorum dotalium inter dictum Gerdt Behren, & ejus uxorem initorum retrocadunt, petere possit, ut & universorum creditorum pensiones prout ad rationem dandam obligatæ sunt, & computari solent juxta novissimum Recessum Imperii de anno 1654. ad quartam partem reducendæ, quatenus nunc ulterius in puncto rationum & taxæ procedere vellent, in eum casum commissio decernenda quæ inter sex septimanas ab appellantibus extra Gerda, eo appellati Gerdt Behren filii, & creditorum communis procurator citandi, inde ipsis in termino quod cum dicto Procuratore contra rationes & taxam ad acta exhibitas opponere possent, producere, & partibus utrobiq; in his punctis usq; ad conclusionem oretenus agere, præprimis vero Doctori Schabelt ratione appellantium hæredum delegitimare, similiter Doct. Gerdes copiam communis Procuratorii, quo se reculit, cum signaturâ ad acta hujus causæ apponere incumbit. Idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 25. Januarii Anno 1658.

DECISIO II.

Designatio bonorum loco inventarii juramento asseri debet, etsi nihil defectuum allegetur.

UBi inventarium alteri debetur, at recte confectum non est, ejus loco exhiberi debet bonorum designatio jurata. (1) Hanc petenti judex copiam cujusdam designtaionis actis additæ communicavit, simul injunxit, ut prius defectus, seu quæ in designatione desiderarentur, exprimeret. Appellatio idcirco interponebatur. Recipienda, quod in eo non parum à juris tramite aberratum erat. Nec enim de jure, ut loco inventarii jurata exhibeatur designatio, prærequiritur defectuum specificatio, quasi ubi hæc non fieret, sola sufficeret. Sine ea etiam non admittenda nisi jurata. Juramentum est loco solennitatis quam inventarium requirit. omnino necessarium, si efficiet ut illius loco ista admittatur. (2) Quod si solenne & legitimum inventarium fuit confectum jurejurando conficientis corroborari opus non est, nisi prius defectus ejus allegentur & fiant verisimiles. (3) At minime ex isto inferendum, quod designatio juramento asseratur idem requiri. (4) Multum interest an solenne inventarium sit juramento corroborandum, quod ex se subsistit & plenam fidem facit, an nuda designatio inventarii locum sustinere debeat, quæ ex se fidem non habet, nisi juramento accedente. Illud non eget juramento nec, nisi ubi evidens hujus ratio, exigitur. (5) At designatio sine illo nihil valet & licet nihil defectuum arguetur, tamen ita corroboranda est, ideo frustra nec sine præjudicio exigitur quod supervacuum. Juxta hæc decretum *in causa Margretæ Rohden, contra Christoff Dechowven, Die 5. Februarii, Anno 1658.*

1. Ita servamus in praxi præterquam qua hæreditatem, si cum creditoribus vel Legatariis res est (ubi in l. fin. C. *de Iur. delib.* solenne requiritur) ut quis aut inventarium aut juratam designationem exhibeat. *Coler. de Proceſſ. execut. part. 2. cap. 3. num. 410. ſeq.*

2. Quando juramentum requiritur pro forma actus, tunc nihil ultra ad illud requiritur, quam ut præstetur *gloſſ. in l. pen. C. de reb Credit.*

3. *d. l. fin.* §. *licentiato. ib. Dd C. de Iur Deliber.*

4. Sine lege non est injungendum defectus robandi onus, ubi ex lege vel consuetudine juramentum exigitur, & sufficit.

5. *d. l. fin.* §. *licentia C. de Iur. Delib.*

6. Est enim annotatio privata, quæ fidem contra alium proscribente non facit. *l. instrumenta 5. C. de Probat.* Ideo juramento suppletorio eget. Cujus praxis circa designationem bonorum ita apud nos constat.

DECISIO III.

Quem possidere verosimile est, jubetur juramento designare bona aut quod nihil eorum penes se fuerit & adhuc sit, jurare.

PEtitio hæreditatis contra possessorem datur & si Reus se possidere neget, incumbit actori possessionis probatio. (1) A qua tamen relevat ejus verisimilitudo. (2) Veluti cum maritus est qui convenitur, & omnia alia uxoris defuncti bona domumque tenet & inhabitat, ad quem omnia uxoris bona devenisse apud ipsum in domo communi, multo magis si ea uxoris propria sit, existere præsumitur. (3) Visum itaque quod accepit olim uxor & per hanc sine dubio ad maritum transiit, adhuc penes ipsum si non in corporibus tamen qua utilitatem existere, (4) adversus hunc non onerandos actores probatione ulteriore quæ valdè difficilis ipsis futura esset, (5) sed injungendum reo, ut aut designet bona quæ ad uxorem devenisse non negabat, ideo & apud illum existere ex aliquibus indiciis verosimile erat, aut juret, nihil illorum in sua potestate esse aut in suam utilitatem devenisse. (6) *In causa Ottonis Volkmars contra Adriani Velinxen hæredes, die 19. Aprilis, Anno 1658.*

1. Possessio facti est ideo probatione indiget.

2. Verosimile facit præsumptionem *Eberhard. in Top. Legal. in l. à verosimili*, hæc liberat ab onere probationis, *l. fin. ff. quodmet. cauſ.*

Digitized by Google

2. Hanc

3. Hanc juris præsumptionem JCti faciunt, quod omnia quæ in domum mariti veniunt ipsius sunt.

4. Qui olim accepit & habuit donec amisisse docet adhuc habere intelligitur, *l. si quis ex argentariis § fin. ff de Edend. l. pater §. 15. ff. de Leg. 3. l. Testimonium C. de Testam. Menoch. de præsump. lib. 6. præs. 21.*

5. Ob difficultatem probationis levioribus argumentis fit rei fides & loco istius præsumptiones & conjecturæ sufficiunt. *Bartol. in l. de pupillo § si quis ff. de Op. Nov. nunt. Gail. 2. Observ. 93. num. 18.*

6. Ubi constat bona apud aliquem exstitisse, qualia & quanta fuerint si non apparet, qui habuit, juramento tenetur exprimere *l. præsente 5. §. cum autem C. de his qui ad Eccles. Menoch. 6. Præsumpt. 61. n. 7. Heig. quæst. 40. n. 2. & 5. part. 1.*

Juxta hæc ita pronunciatum.

In Sachen Otto Vockmars Appellanten/wie der Sel. Adrian Velinxen Erben Appellaten/wird die von Appellanten post conclusionem in causa eingebrachter Schrifft ab actis abgethan/ auff dieselbe ferner erkandt/ uud zwar zuvorders in puncto transactionis, daß Appellanten/ was sie deß prætendirten doli halber zu beweisen sich erbotten/ wie zu rechte genugsam nicht erwiesen/ sondern deß erkandten Eydes halber bey der den 21. Aprilis Anno 1656. publicirten Urthel zu lassen/Apellaten von die in Zeit dero publication in diesem puncto dem Gegentheil verursachte Kosten jedoch mittelst Richterlicher moderation zu verdammen seyn. Hieneben in puncto der Theilung der mobilien Appellanten via ad probandum zu præcludiren/und der solche mit den Appellaten jedoch salva Collatione rechtmässig vorzunehmen. Dann endlich in puncto der drey in vorbemeldter Urthel benannte Erbschafften deß Einwendens ungehindert was auffer dem/ so nach laut des Inventarii zur Mütterlichen Erbschafft gehörich / von denen Erbgütern in seine Gewalt und nutzen gekommen / in eine Eydliche designation und Theilung zu bringen / oder daß er nichts also empfangen/ durch einen Cörperlichen Eydt zu erhalten schuldig sey. Von Rechtswegen. Publicatum in hohen Tribunal zu Wißmar den 26. Aprilis. Anno 1658.

Hoc est)

In Causa Ottonis Volckmari Appellantis, contra defuncti Adriani Velinxen Hæredes Appellatos, scriptum ab appellante post conclusionem in causa exhibitum ab actis removemus & ulterius decernimus & quidem primitus in puncto transactionis appellatos, quod ratione prætensi doli docere se obtulerunt prout juris sufficienter non docuisse, sed ratione decreti juramenti Sententiæ. 21. Aprilis Anno 1656. pulicatæ inhærendum appellatos expensas à tempore publicationis parti adversæ in hoc puncto causatas praviâ judiciali moderatione condemnandos, præterea in puncto divisionis mobilium appellanti viam ad probandum præcludendam, & ut eam cum appellatis, attamen salva collatione ineat, injungendum esse. Tum denique in puncto trium in sententia nominatarum hæreditatum non attentis exceptionibus, quod extra id quod juxta Inventarium ad maternam hæreditatem pertinet, ex bonis hæreditariis in ipsius potestatem & utilitatem versum, juratam designationem & divisionem facere, vel quod non ita acceperit corporali juramento obtinere illi incumbit, idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ. 26. Aprilis. Anno 1658.

DECISIO IV.

Filia ad inventarium, non nisi ex eo tempore, quo jure retentionis utitur, tenetur.

QUando maritus filiæ, cui dos adhuc ex feudo debebatur, in ejus possessione erat ab initio ex contractu cum tutoribus & quidem per primum triennium constituto ipso administratore rationibus obnoxio, deinde facto colono pro certa mercede fruente, post finitum locationis tempus jure retentionis in prædio commorante inter successorem feudi & filiam viduam istius, orta lite & postulato inventario, hocque, non alio exhibito quam quodpaulo post ante usurpatum jus retentionis confectum erat, controversia de eo exorta est, successore Inventarium ejus temporis quo maritus administrator primum esse cæpit desiderante. (1) Etsi vero justum fuerit tunc id confici, (2) tamen cum' omissum seu culpa tutorum, (3) seu culpa mariti, eo nomine nihil fœminæ imputari potest obnoxiæ quidem ad inventarium, (4) si retinet feudum sed non priusquam ex quo actu incipit uti jure retentionis. (5) *In causa Vincenz Bluckeren contra viduam Obrist Andreas Ilenfelden rationes super feudo Baberkord concernente, die 24. Aprilis Anno 1658.*

1. Quisquis tenetur ad rationes, obligatur simul ad confectionum inventarii, cum hoc sit caput & fundamentum rationum *l. cum tali 72. §. Titius th, Bartol. num. 2. ff. de Condit. & demonstrat.*

2. Dolum & culpam tutoris non luet pupillus *l. fin. ff. de admin. tut. l. 1. ff. Quand. ex fact. tut.*

3. Culpa mariti non nocet uxori *l. res uxoris 24. C. de donat. int. vir. & uxor.*

4. Ex constitutione Pomeraniæ filiabus & viduis vasalli intra annum à tempore mortis parentis seu mariti incumbit inventarii confectio, si jure retentionis uti cupiunt.

5. Tempus confectioni inventarii præscriptum ita demum currere incipit, si istud fieri potest nec impeditur, adeoque ex eo momento quo quis facultatem faciendi habet. *Schneidevin. in §. extraneis num. 12. vers. Tertio quod infra Inst. de hared. qual & differ.* quæ censetur ex eo quando bona possidentur vel accipiuntur, *l. fin. §. 1. C. de Iur. deliber.*

Digitized by Google

DECISIO V.

Inventarium non præjudicat hæredum juri singulari.

INventarii finis est, ut ex eo constet corpus hæreditatis, ideo in id redigi solet quidquid ad illud pertinet. (1) Ex eo verò non sequitur, omne istud sine discrimine pertinere ad communem hæredum divisionem. (2) adeoque præjudicium inferre iis, qui ex peculiari jure ante alios in aliqua obtendunt. (3) Differt longe designatio bonorum & divisio seu appropriatio. Quot bona redigantur in inventarium in quæ jam aliis jus est ex legato, credito vel simili titulo? *In eadem causa.*

1. *l. fin. §. seq. C. de Iur. delib.*

2. Inventarium quidem præsumptionem facit omnia in eo descripta esse hæreditatis, at minime probationem, sed illa integra est alleganti aliquid esse suum & non hæreditatis.

3. Inventarii beneficium omnia jura & bona servat hæredi integra *d. l. fin. C. Iur. delib.*

Juxta hæc ita pronunciatum.

In Sachen Gödert Roterdams Imploranten wider Marten Tancken Kinder / und dero Vormünder Imploraten / in puncto Inventarii jetzo restitutionis in integrum wird deß Vorbringens ungehindert / es bey dem am 26. April. jüngsthin publicirten Urthel gelassen / vermeynte aber Implorant bey denen von ihm sonst gemeldten Pösten wider die Imploraten rechtmässige Zusprache zu haben / mag er solche absonderlich anstellen / wie dann dieselben so weit Rechtens vorbehalten werden. Von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 18. Octobr. Anno 1658.

Hoc est: In causa Göderti Roterdams implorantis contra Martini Tancken liberos, & eorum tutores imploratos in puncto inventarii, modo restitutionis in integrum, non attentis allegatis sententiæ 26. Aprilis nuperi publicatæ inhæremus, existimaret vero implorans in punctis alias nominatis contra imploratos fundatam actionem se habere, poterit eam separatim instituere, prout illa eidem inquantum juris reservatur. Idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 18. Octobr. Anno 1658.

DECISIO VI.

Inventarium multis post additionem annis confectum etsi juratum hæredi contra Legatarios proficit.

APpellans querebatur judicem priorem hæredi contra semet velut Legatarium tribuisse inventarii beneficium, cum tamen inventarium justo tempore non confecisset, sed demum postquam à se conventus, bona consignare & in inventarium redigere volebat. Nec injusta erat querela, postquam inventarii conficiendi certa tempora per legem sunt constituta, (1) & quidem tanquam solennitas Legalis seu pro forma ejusdem, (2) quam servari creditorum atque legatariorum interest; (3) ideo arbitrio judicis immutari non potest. (4) Non observato itaque illo tempore, justum non est inventarium nec inde hæredi ejus beneficium, (5) multo minus si post illud diu seu multis annis elapsis demum velit ejus confectionem suscipere. (6) Nec sufficit oblatum vel injunctum super designatione bonorum seu sero inventario juramentum, quia ut hæres ultra vires hæreditatis creditoribus & legatariis non teneatur solenne justumque inventarium requiritur, (7) nec sufficit quale quale, nec juramentum illas solennitates supplet. (8) Ideo jurata designatio pro inventario non est. (9) Auditus igitur appellans *D. Petrus Gotze contra D. Iohannem Sitman. Die 3. Sept. Anno 1658.*

1. *In l. fin. §. si autem dubius C. de Iur. delib. ubi præsenti trimestre spacium, absenti annus præfigitur.*

2. Sic convenit textui & tenet communis JCtorum sententia, tempus præscriptum esse de Inventarii forma.

3. Fraus enim fit creditoribus etiam in tempore, cum tempus est pars obligationis. §. *plus autem Inst. de Action. l. 1 §. cautiones ff. de Edend.*

4. *Ita sentit & exponit post alios Sichardus in d. §. sin autem dubius num. 8.* Judex ex suo arbitrio nihil valet contra legem & jus partis.

5. *Vid. Fabr. in C. l. 6. tit. 11. defin. 19.*

6. In eo accidit fraudis & mutata interea rerum conditionis præsumptio, non sinens inventarii interpretationem credi.

7. *Ita totus textus in d. l. fin. C. de Iur. delib. ostendit,* qui sic beneficia quæ continet tribuit, si illa quæ præscribit fuerint observata, ut appareat sine iis non esse justum inventarium, & nihil ex jure communi fore immutatum.

8. Si justum seu solenne est inventarium, sed in materia saltem defectuosum, juramenti locus esse potest. *d. l. fin. §. licentia 10. de Iur. delib.* At minus quod injustum juramento corroboratur. Nec enim quod juxta legem deest addit. *l. non dubium 5. ibid. Dd. C. de Legib. Dec. consil. 408.*

9. Etsi alias pro bonis alicujus deregendis, cum non est confectum inventarium sufficere solet jurata delignatio, minime tamen proficit in ea specie, ubi liberandus debitor à nexu in solidum, quem lex isti injecit, quia lege aliter *in d. l. fin. C. de jur. delib.* cautum, tum, ubi ad hoc solenne requiritur.

DECISIO VII.

Hæres cum inventario post datum receptumque insolutum nomen hæreditarium, ultra non tenetur etsi id satis bonum non sit.

INventarii beneficio, ut hæres isto mediante non tenetur ultra vires hæreditatis, consequens est, ut res hæreditarias, ubi emptorem non reperiunt, in solutum effere queat, nec ultra creditoribus tenetur, (1) Horum vero jus est eligendi quidnam ex

Digitized by Google

hæreditariis sibi in solutum cessum velint.(2) Potius in eo jus est creditoris quam hæredis. Ubi vero semel elegerit liberatur hæres, (3) nisi res evicta fuerit. (4) Quo nomine obligatur, sed saltem quousque vires hæreditatis patiuntur. Ut si in iis supersit, unde quod evictum suppleatur, inde creditori satisfiat. Ubi vero jam omnia hæreditatis conversa sunt in liberationem, nulla contra hæredem superest actio; sed tantum contra concreditorem repetitio. (5) Siquidem nomen hæreditarium in solutum datum fuerit, idque verum non repertum, seu evictum est, utique & quod deficit, ab hærede juxta vires hæreditatis refundendum. (6) At si verum fuit, sed non bonum seu exigibile, utiq; hæres non ultra tenetur, sed electioni suæ imputabit, cur meliorem rem non elegerit,(7) aut in illum casum sibi non prospexerit, (8) Etsi vero singulari pacto hoc factum fuerit, tamen non proficiet si nihil ultra in hæreditate sit, unde satisfiet, (9) nec licet quid supersit, actioni locus erit, nisi prius facta excussione appareat nomen in solutum datum non esse exigibile. (10) Quod consideratum *in causa Otto von Rammins contra Elisabeth von Rammins, die 3. Sept. Anno 1658.*

1. Hoc quidem officium hæredis est, ut pro solvendis creditis res hæreditarias distrahat ex pretio solvat. At ubi emptorem non reperiunt, id beneficium, ut pro justo pretio non teneatur istas retinere, sed possit creditoribus in solutum offerre. *l. fin. §. etsi præfatam 4. verb. vel ex ipsis rebus vel ex illarum venditione C. de Iur. delib.* Ratio quæ ibidem præmittitur. *Nihil ex sua substantia hæredes penitus amittant, ne dum lucrum facere sperant, in damnum incidam.*

2. *Huc pertinet quod provisum in Novell. 4. c. 3.*

3. Electione creditoris liberatus debitor. *l. si creditores ibid. Dd. Cod. de Pact. l. liberum Cod. de Fide juss.*

4. Evicto præstatur ob rem in solutum datam *l. si prædium 4. Cod. de Evict.* Ideo cum ista res evincitur, non censetur facta liberatio. *Hering de Fide juss. c. 20. §. 21. n. 29.* sed perinde est atque si solutum mihi non esset. *Mandell. consil. 2. num. 22.*

5. *l. 5. § sin vero creditores 5. Cod. de Iur. delib.*

6. Nomen cedens verum præstare tenetur, *l. 4. ff. de hæred. vend.*

7. Satisfactum est ei qui acceptavit semel debitorem. *Bald in l. pro debito 6. num. 2 C. de reb. autor. jud. possid.* Nec enim gravatur qui potestatem eligendi habet. *Angel. in Auth. de Alien. & Emphyteus §. si vero quædam num. 2.*

8. Qui in solutum recipiunt, solent aut pacto aut protestatione vel reservatione sibi ea de re prospicere. Quæ efficit ut si bonum nomen non sit, regressus supersit. *Steph. Gratian. tom. 1 disp forens. c. 64. num. 22.*

9. Non enim hæres mediante inventario ultra vires hæreditatis obligatur. *d. l. fin. pr. & §. 2. de Iur. delib.*

10. Non apparet prius nomen bonum non esse nisi ubi ex inopia debitoris inanem actionem esse apparet, ad quod exactione & excussione opus est.

DECISIO VIII.

Separationis jus, quod ex consuetudine obtinet, non ita hæredis seu successoris quam defuncti creditoribus competit.

NOn aliter atque per civile jus Romanum separationis singulare beneficium intra quinquennium aditæ hæreditatis creditoribus hæreditariis, non hæredis conceditur, (1) illud quod per consuetudinem Pomeraniæ inveteratam introductum, ut prius ex bonis defuncti satisfiat, ejus creditoribus ideo avitis vel paternis prærogativa sit, proficit aliis antecessoris creditoribus non etiam successoris. (2) Nec enim quæ his similiter prospexit repetitur consuetudo, (3) ideo ut hæc facti ita non præsumitur, (4) præsertim cum juri communi contraria futura sit, à qua discedere voluisse mores, non creditur nisi probatur. (5) Quæ ratio movit, ut creditoribus hæreditariis perpetuum esset ex observantia jus separationis, quia æquum, non capere quidquam ex bonis hæredem ejusque creditores, nisi deducto ære alieno, (6) cessat in creditoribus hæredis,(7) & quæ his negat separationis beneficium, durat, (8) sunt hæreditarii creditores non minus hæredis creditores, cum quibus ex aditione quasi contrahit, (9) propriosque suos creditores facit, ac quibus alias ex contractu obligatur. Hoc consideratum & non levem dubitationem fecit. *In causa Ulli Paul Schmalzhagen contra Bernhard Teschin, die 6. Octobr. Anno 1658.*

1. Separationis beneficium proprium est creditorum hæreditariorum, creditoribus hæredis non competit, *l. 1. §. 2. ff. de separat. ubi notatur ratio diversitatis.*

2. Sæpius inter definitiones nostras admonitum est de consuetudine Pomeraniæ tribuente perpetuam separationem bonorum defuncti creditoribus.

3. Quam diligenter etiam scrutatus sum & excussi acta, in quibus ejus potuit fieri allegatio aut observatio, tamen nunquam vestigium illius deprehendi.

4. *Bald. in l. 1. C. quæ sit long. consuet.*

5. *l. 32. §. fin. C. de Appellat.*

6. Ea æquitas separationis quam JCtus *in l. 1. §. ff. de Separat.* ostendit, ob quam beneficium illius ad quinquennium petitur, ex consuetudine obtinuit, ut sine petitione perpetua sit hæreditariorum creditorum prærogativa.

7. Horum conditionem debitor succedendo deteriorem facere potest. *d. l. 1. §. ex contrario 2. eod.*

8. Consistit illa in potestate seu libertate contrahendi, alienandi atque obligandi bona, adeo creditores sibi adjiciendi, quam consuetudo Pomeraniæ hæredi non adimit.

9. Adeundo hæreditatem contrahitur quasi cum creditoribus hæreditariis. *§. hæres quoque Inst. de Oblig. quæ ex quas. contract. l. 3. §. fin. l. seq. ff. quib. ex caus. in possess.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO IX.

Quando separationis beneficio gaudent creditores hæredis.

ETsi uti jam vidimus hæredis creditores non ita ut quibus defunctus debet separationem petere possunt, (2) sunt tamen casus in quibus soli, aut ut anteriores capiunt bona sui debitoris, veluti si hæres adeundo bona separata atque ut distincta patrimonia habere & nullatenus confundi voluit, (2) deque eo protestatus fuit. (3) Si creditores defuncti separationem petunt, & nolunt hæredis creditoribus quidquam ex defuncti bonis præstari & proficere. Si in concursu creditorum petitur utriusque bona & debita discerni, idque semel mutuo consensu factum fuerit. (4) Si antequam debitor succedit, bona ejus jam sunt à creditoribus possessa: (5) si cessit bonis, aut quod perinde censetur, si concursus creditorum jam excitatus est, adeoque bona non amplius ipsius sed creditorum sunt, (6) nec ultra licet horum conditionem aliqua ratione deteriorem reddere. (7) Si in fraudem creditorum adita sit hæreditas; (8) vel si necessitas quædam hæreditatem adeundi fuit. (9) Quorum pleraque evenerunt in prædicta causa inde bona separanda consequenter etiam concursus distinguendos esse conclusum fuit.

1. *l. 1. §. ex contrario 2. ff. de Separat.*

2. *d. l. 1. §. 1. verb. quasi duorum fieri bonorum venditionem ff. d. tit.*

3. Protestatio ut declaratio mentis circa illa quæ ex hac dependent omnia facit integra. *Nazian. Consil. 27. num. 3.*

4. Creditores hæreditarii post petitam separationem bonorum non possunt reverti ad bona hæredis, sed ei quod semel postulaverunt stare debent. *l. si creditores 5. ff. de Separat.*

5. Ex mutuo complacito fieri potest separatio, quo abdicant hæreditarii creditores jus suum, & quod semel placuit tenetur servare.

6. Ut creditorum conditionem post possessa bona contrahendo non potest facere deteriorem. *l. quod autem 6. §. sciendum 7. §. seq ff. quæ in fraud. cred.* ita nec adeundo hæreditatem *l. ait Prætor. 10. §. si impubes 11. ff. eod.*

7. Bona cessa creditoribus separata sunt à bonis postea hæreditate quæsitis. *§. fin. Inst. de Action.*

8. *l. 1. §. quæsitum 5. ff. de Separat.*

9. *d. l. 1. §. sed si quis suspectum. 6. d. tit.*

Juxta hæc pronunciatum fuit.

In Sachen Barbara Schmaltzhagen deß Lands Raths Joachim Mörders Wittwen Appellantinnen wider Bernhard Thessinen Appellaten in puncto separationis Henning und Balzer vonder Ostens concurs Processe werden die gravamina als überflüssig nicht / sondern acta ex officio, vor beschlossen angenommen und erkant / daß von Richter erster Instantz den 13. Novembr. Anno 1656. übel verabscheidet / wol appelliret / und solches dahin zu ändern / daß Appellaten Einwenden ungehindert zwischen Henning von Ostens Creditoren der liquidation und priorität halber unaufhaltliche Entschuldigung zu machen / deßwegen die acta und Sache an den Land-Vogt in Rugen zu Einholung der Urthel zu remittiren / inmassen das remissorium darzu erkant wird / V. R. W. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 13. Octobris Anno 1658.

Hoc est: In causa Barbaræ Schmaltzhagens consiliarii Joachimi Mörders viduæ appellantis contra Bernardum Thessinen appellatum in puncto separationis Henningi & Balthasari ab Osten processus super concursu, gravamina tanquam superflua non admittimus, sed acta ex officio proconclusis acceptamus & decernimus, à judice primæ instantiæ 13. Novembris Anno 1656. male decretum, bene appellatum, & decretum eò reformandum, quod exceptionibus non attentis quod inter Henningi ab Osten creditores ratione liquidationis & prioritatis irretardabilis separatio facienda, propterea acta & causa ad præfectum provincialem in Rugia pro requisitione sententiæ remittenda sint, prout in eum finem remissorium decernimus. Idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 18. Octobris Anno 1658.

DECISIO X.

In separatione bonorum spectatur eorum status & conditio sub tempore mortis.

SEu petatur bonorum separatio, (1) seu ipso jure ex lege seu consuetudine competat, (2) bonorum status censendus est ex tempore mortis tantumque cedit creditoribus hæreditariis, quantum reliquit defunctus. (3) Etsi enim alienationes aliique actus & contractus hæredis super bonis hæreditariis bona fide gesti consistunt, (4) tamen si quid inde abest hæreditati, ex bonis hæredis supplendum est. (5) Et vicissim si quid hæres in bona hæreditaria impenderit, inde auxerit, aut melioraverit, detrahendum. (6) Quocirca cum hæres à pignoris nexu liberavit bona quædam hæreditaria, in tantundem atque solutum est jus creditorum hæredis anterius vel solum est; (7) nec enim hæres amplius accepit quam detracto ære alieno supercest. (8) Unde frustra creditor defuncti sibi blanditur ea spe, quod in damnum hæredis creditorum velit re liberata frui separationis jure, quæ in locum pecuniæ hæredis successit. *In causa liberorum Wedige Behren, contra Arend Mollendorff, die 13. Octob. Anno 1668.*

1. Uti per jus civile regulariter ea petitione opus est intra quinquennium. *tot. tit. ff. de Separat.*

Digitized by Google

2. Sic ex Pomeraniæ moribus & Magapoleos constitutione separationem perpetuam esse introductam, in superioribus dictum est.

3. *L. 1. sciendum 4. ff. d. tit.*

4. *l. 2. ff. eod.*

5. Separatio poscit ut nihil per hæredem absit ex hæreditariis rebus, qui nihil exinde lucrari nec creditoribus quidquam accedere debet. *d. l. §. 2. & 3. eod.*

6. Ut hæredis creditores nihil ex hæreditariis consequuntur, ita etiam nihil ipsis decedet.

7. Hoc enim veluti suum ex quasi emptione redditum est.

8. *l subsignatum 49. §. 1. ff. de V. S.*

9. Hoc foret contra regulam juris naturalis, locupletari cum alterius damno. *l. 14. ff. de Condict. Indeb.*

Pronuntiatio in hac causa ita sonuit.

In Sachen Wedige Behren Kinder erster Ehe Appellanten wider Arend von Möllendorffen Appellaten in puncto debiti jetzo interventionis hat Appellat die desiderirte Urkundt ab actis erster Instantz als dabey solche bereits produciret / und in auscultatis copiis befindlich zu nehmen / es seyn aber Appellanten alles Einwendens ungehindert am reluirtem Gute Weder auff die Höhe der mit Dalgen vergnügten Summen / so weit die daran prætendirte Förderungen nicht unrichtig befunden werden / deß Vorzugs fähig / demnach im Fall Appellat weiter an bemelten Werder seine Forderung fortzusetzen gemeynet / auff vom Gegentheil vorgebrachte Pöste und dero liquidation sich einzulassen / und proxima die Gebühr zu verhandlen schuldig / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 18. Octobris Anno 1658.

Hoc est: In causa Wedige Behren liberorum primi matrimonii appellantium contra Arend à Möllendorfen appellatum in puncto debiti modo interventionis Appellatus copiam desideratorum documentorum ex aliis primæ instantiæ ubi ea jamdum producta sunt & in auscultatis copiis reperiuntur desumat, appellantes vero exceptionibus non attentis in retracto prædio Werder ad quantitatem summæ satisfactæ in quantum eò formata prætensio non illiquida reperietur prioritatis capaces, exinde casu quo appellatus ulterius ad dictum Werder suam prætensionem prosequi vellet, ad partis adversæ exhibita puncta & eorum liquidationem se ingerere & in proxima necessaria agere obstrictus est idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 10. Octobris, Anno 1658.

DECISIO XI.

Separationis beneficium excludit electa fides successoris, etiam cum novatio facta non est.

POst processus decretos contra viduam & hæredes potiora jura obtendentes, ideo etiam à sententiâ appellantes, appellati pro impedienda devolutione excipiebant ex jure separationis indeque exorta prærogativa per antiquam Provinciæ consuetudinem creditoribus autoris ante creditores successoris competente. Sed quod locus isti adhuc non relinqueretur, faciebat repertum à creditore fidem successoris electam esse, (1) & quidem contractâ novâ obligatione acceptaque satisdatione per generalis hypothecæ suppositionem. Unde separationis beneficium jure communi excluditur, (2) nec circa illam consuetudinem aliud introductum reperitur. (3) Regerebatur quidem ista omnia sine novatione esse facta. Præterquam verò quod referebatur pristinæ obligationis mutatio & in novam transfusio, (4) non necesse est ad excludendum illud beneficium novationem fieri seu novandi animum accedere, (5) sed sufficit fidem successoris eligi & sectari, etiam sine novatione. (6) *In causa Viduæ & hæredum des Stadthalters Philips Horns contra hæredes D. Heinrich Sibranden. Die 30. Novembr. Anno 1658.*

1. Ex tali facto excluditur bonorum separatio. *l. 1. §. illud sciendum 10. §. seq. ff. de Separat. l. 2. ff. de Reb. auctor. jud. possid.*

2. *Ita in terminis decidit d. l. 1. §. quæritur ff. de Separat.*

3. Sequimur circa consuetudinariam separationem regulas beneficii, quod *in tit. ff. de separ.* creditoribus defuncti indulgetur, nisi manifesta diversitatis ratio potest ostendi.

4. Hinc oritur novatio, *uti ostendit ejus in l. 1. ff. de Novat. definitio.*

5. Aliud non probat, *d. l. 1. §. sciendum 10. ff. de Separat.* Ubi de certâ specie tantum fit dispositio, veluti si creditor ab hærede usuras acceperit vel ab eo creditum exegerit. Inde separationem non excludi decidit, nisi novandi animus accesserit, quia nempe illi actus citra novationem non sunt fidem ejus eligentes. In quibus secus est nec novatio desideratur, *uti ex seq §. §. apparet.*

6. Tum quia legibus nihil aliud requiritur, quam ut fidem sequatur creditor, *d. l. 2. C. d. reb. aut. jud. possid.* tum quia *in d. l. 1. §. item quæritur 11. ff. de Separat.* Sola pignoris seu satisdationis acceptatione quæ novationem non facit. *l. fin. C. de Novat.* exclusio ista accidit.

DECISIO XII.

Inventarii loco non sufficit hæredis jurata designatio.

QUod aliàs obtinet, ut qui aliena bona detinent & administrant teneantur edere inventarium, aut eo non confecto juratam designationem & cum illud deest per hanc debito defunguntur, (1) non pertinet ad hæredem, ut etiam per talem designationem juratam beneficio Inventarii fruatur, nec ultra vires hæreditatis teneatur, (2) Soli enim inventario eique solenniter confecto à lege is effectus tribuitur, non nudæ desi-

Digitized by Google

designationi, utut juramento corroboratæ. (3) Quocirca sine lege, imò & contra legem, cum tanta solennitas conscriptioni præscribitur, admittere non licet. (4) Esset id totam constitutionem de modo & forma inventarii uno ictu tollere, (5) multisque fraudibus, quas jurisprudentia præcautas voluit, occasionem præbere. Nec in potestate judicis est sic dispensare aut à legum præscripto decedere, sed his astrictus observare debet præcisè quod cautum fiat. (6) Ita decretum die 30. Novembris, Anno 1658.

1. Sic in ejusmodi speciebus quotidiana praxis observat, nec frequentius quidquam, ac injungere, ut alterutrum fiat.

2. Non tantum nullâ lege hoc hæredi tribuitur, sed potius certa constitutione *in l. fin. §. 1. & seq. C. de Iur. delib.* isti præscribitur, quomodo si in solidum teneri nolit inventarium conficere debeat, & quidem ut sine eo beneficia ejus non competant.

3. Non observatis solennibus *in d. l. fin. C. de Iur. delib.* præscriptis, hæredem in solidum creditoribus teneri nec inventario inutili seu secus facto juvari JCtorum communis est sententia. *Bald. Bartol. Sichard. & alii in d. l. fin.* Ratio manifesta est, quod illa sunt de ejusdem forma & cum necessitate observandi constituta.

4. Exceptio non admittitur à regula nisi ex lege docetur. *l. 1. ib. Decius & Dd. ff. de R. I.*

5. *contra l. si quando 35. in pr. C. de inoffic. Testam.*

6. Judicis factum juri derogare nequit. *l. 1. §. 1. ff. de Feriis.*

DECISIO XIII.

Inventarium à vidua confectum non citato hærede juramento confirmandum, etsi defectus in materia non apparet.

EST pro inventario juris præsumptio, (1) at ita si legitime ac solenniter confectum fuerit. Quo reperto fides ei habetur donec contrarium allegatione aut demonstratione defectuum probatur. (2) Nec admittitur super eo juramenti delatio, si non sponte qui confecit, præstare velit. Alias arguens defectum hunc prius allegare & probare tenetur. (3) At ubi non observata est forma confectionis seu cum necessarium ex lege vel consuetudine requisitum deficit, caret ea præsumptione eaque non potitur, (4) nisi accedente juramento, quod super isto deferre licet, etiam sine alicujus defectus allegatione. Quod etiam fit si vidua inventarium confecerit, non advocatis mariti hæredibus aut aliis quorum interest videre recte cuncta fieri. (5) Etsi enim non ideo designatio bonorum defuncti sine solenni inventatione sit plane inutilis, pro inventario tamen non est, nisi accedente juramento quod suppleat eam solennitatem & defectus emendet. (6) Præterquam quod id de jure requiritur, suspecta est omissio. (7) Aut solenne oportet esse inventarium, aut jurata opus est designatione. Id autem solenne non est omissa citatione interessatorum. Præter illum defectum adhuc reperiebatur non esse instrumento legali inclusam designationem. (8) Similiter quod diu post mortem defuncti confectum erat, lite jam mota, (9) Conclusum itaque super designatione juramentum esse injungendum *in causa Thielen und Margretha Roden vvider Johann Roden, die 24. Ianuarii, Anno 1659.*

1. *l. fin. pr. C. de Iur. deliberand. Alciat. de præsumpt. reg. 3. præs. 5. Menoch. consil. 715. n. 13.*

2. Præsumptionis juris is effectus est. *l. fin. ff. quod vi met. caus.*

3. *d. l. fin. §. Licentia ibi Gothofred. C. de jure deliber.*

4. Deficit causa præsumptionis, quæ est in solennitate scripturæ. Non est enim fides instrumenti nisi publici.

5. Juxta *d. l. fin. §. 1. & seq.* unde patet de substantia inventarii esse citationem eorum quorum interest.

6. Sic usus recepit, ut ubi deficit inventarium ibi jurata designatio fieri & exhiberi debeat, quæ pro inventario habetur, exceptis tamen iis speciebus, in quibus illud solenne requiritur.

7. Omissio eorum quæ ad formam jure vel consuetudine requiruntur inducit suspicionem aut falsitatis aut perversitatis *l. cum his 8. §. Prætor. 17. ff. de Transact. Veltej consil. Marpurg. 17. num. 6 vol. 3.*

8. Id quod ad solennitatem inventarii requiritur *d. l. fin. §. sin autem 2. C. de jur. delib.* quam consuetudo sic observat.

9. Ad requisita inventarii pertinent tempora inchoandi & finiendi, *quæ præscribuntur in d. l. fin. §. 1. & 2.*

Juxta hæc ita pronunciatum:

Jn Sachen Thielen und Margarethen Roden Appellanten/ wider Johann Roden Witwen Appellantinnen in puncto inventarii, werden die gravamina als überflüssig nicht/ sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen und erkant/ daß von Richter voriger Instantz den 14. Decembr. Anno 1657. übel verabscheidet/ wol appelliret/ die an statt deß Inventarii eingebrachte Verschreibung der Güter an sich als gnugsam nicht zu halten/ sondern Appellantinnen solche zuvorderst durch den Eyd zu bestetigen schuldig sey. Von Rechtswegen.

Hoc est: In causa Thielen & Margarethæ Roden appellantium contra Joannis Roden viduam appellatam in puncto inventarii gravamina tanquam superflua non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis accepramus & decernimus, à judice prioris instantiæ 14. Decembris Anno 1657. male decretum, bene appellatum, loco inventarii exhibitam designationem bonorum in se ut sufficientem non habendam, sed appellantem ut eam prius mediante juramento confirmet adstringendum. Idque de jure.

Digitized by Google

DECISIO XIV.

Legatarii æque ut creditores gaudent jure separationis.

SUnt quidem legatarii post creditores quando concurrunt circa bona defuncti (1) non minus tamen si bona sufficiunt ex iis satisfaciendum est, & gaudent beneficio separationis, (2) sic ut ante hæredis creditores, iis ex bonis defuncti in quibus legale pignus habent, (3) satisfiat. Atque ut juxta communis juris præscriptum iis integra est petitio separationis, (4) ita cum per statutum vel consuetudinem ipso jure indulgetur, eadem frui debent. (5) Sic pronunciatum fuit *in causa Claus Wedige Hans & Valetin Horns creditorum, die 22. Junii, Anno 1659.*

1. *l. fin. C. de jur. delib.*

2. Quoties hæredis hona solvendo non sunt, non solum creditores testatoris, sed etiam eos quibus legatum est, separationem bonorum impetrare æquum est. *l 4. §. fin. l pen. ff. de separat.*

3. *l. fin: C. Commun. de Legat.*

4. Sicut in Pomerania ex antiqua consuetudine obtinuit ut defuncti creditores anteriores sint omnibus hæredis creditoribus perpetuo, etiam non petita intra quinquennium separatione bonorum.

5. Imitatur consuetudinaria separatio eam quæ ex jure communi competit, eadem ejus jura, idem effectus est, in eo differunt, quod illam peti necesse non sit & quod perpetua existit.

DECISIO XV.

Voluntas creditorum defuncti & beneficium inventarii tribuit creditoribus hæredis jus separationis bonorum.

CReditores defuncti, non autem hæredes, beneficium separationis bonorum impetrare jure communi constitutum est. (1) Fit autem nihilominus, ut isto aliquando fruantur, nempe vel ex voluntate creditorum defuncti vel ex inventarii beneficio. Illa concedit ipsis bona hæredis integra vel in solidum, quoties defuncti bonis contenti esse volunt, (2) ut hoc ineſt omni petitioni separationis, per quam abdicant exactionem ex bonis hæredis qua ejus creditores, eaque cedunt quasi hujus creditoribus. (3) Per inventarii autem jus legalis quodammodo fit separatio. (4) Atque sicut per istud hæres consequitur, ut non teneatur ultra vires hæreditatis, (5) ideoque exceptione discussionis gaudet, ita ipsius creditores qui post cessionem bonorum in illius locum quasi succedunt, tam mortuo quam vivo illo simili jure utuntur. (6) Quocirca non debet his denegari, ut bona defuncti & hæredis divellantur, & juxta ea jura, quæ ex inventarii beneficio proficiscuntur procedatur atque adjudicatio fiat. (7) Sicut reputatum fuit *in eadem causa.*

1. *l. 1. §. ex contrario 2. ff. de Separat.* Ratio additur. *Nam licet alicui adjiciendo sibi creditorem creditoris sui facere conditionem deteriorem.*

2. Licet Creditoribus defuncti renunciare juri suo *l. pen. C. de Pact.*

3. Separatio quam creditores defuncti petunt eos plane separat à bonis hæredis. *l. 1. §. item scendum 17. ff. de separat.*

4. Hoc convenit effectui inventarii, ut non fiat confusio obligationum *l. fin. §. 4. seq. Cod. de jur. delib.*

5. *d. l. fin. §. 1. C. de jur. delib.*

6. Beneficium inventarii hæredum bono quidem indultum est, attamen quemadmodum juvantur contra creditores, ita etiam vicissim hos ex illo contra debitores hæredis juvari æquum est.

7. Per Pomeraniæ mores, ex quibus separatio bonorum ipso jure fit, de eo res certa est.

DECISIO XVI.

Separatio beneficium debitorum circa usuras non tollit, nec majores, atque eis isto debentur, tribuit.

CUm quis feudum pro certo precio vendidisset, cujus emptor manebat debitor, at simul proximus agnatus, ad eoque successor feudi erat, concursu creditorum postea existente, cum venditoris, tum emptoris proprii creditores, conjunctim ex feudo suum petebant, illi vero juxtim ut bona separarentur, & separationis beneficio suorum prior esset ratio, (1) ideoque cum penes emptorem ex precio amplius esset, quam juxta novissimam Imperii constitutionem usurarum nomine deberetur, (2) ideo his cum sorte solutis in bonis aliquid supereſſet, integræ sibi solverentur, emptoris vero creditores nollent ultra tribui, sibique reliquum ex hac lege asserent, re rectius considerata, inepta visa est partium disputatio de jure separationis, ubi non concurrebant defuncti & hæredis creditores, sed creditoris & debitoris, seu successoris singularis, (3) ideoque considerandum erat, quantum hic istis deberet. Quatenus hic velut obæratus gaudebat novissimæ Imperii constitutionis beneficio, eatenus creditoris creditoribus deberi extra dubium erat. Nec, si ex jure separationis ea res definienda esset, aliter dicendum fuit. Nam ab hærede amplius peti nequit quam defunctus debet. (4) Etsi enim hujus bona ex separationis jure ipsius creditoribus cedunt, (5) tamen non alio jure ac modo atque ut defunctus solvere potuit ac debuit cujus jura in hæredem transeunt. (6) Quod si ergo defunctus juvandus fuit moderamine usurarum juxta prædictam con-

Digitized by Google

constitutionem, eidem quoque beneficium est hæredis, quod non tollit separatio bonorum. Ita pronunciatum *in eadem causa.*

1. Per hoc impetrant antecessoris creditores, ut successori ejusque creditoribus ex iis bonis nihil eveniat, antequam illis satisfactum. *l. 1. tot tit. ff. de Separat.*

2. Hæ usque ad quartam partem per illam legem novissimam sunt sublatæ & cassatæ, exstincto petendi jure.

3. Inter hos statuendum est non ex jure successionis, sed contractus atque debiti.

4. Non excludit ea constitutio debitores ex causa emptionis, ubi precium versum fuit in creditum. Quoad istud secus dicendum erit.

5. Ut non melioris sic nec deterioris conditionis hæres est quam defunctus fuit, *per vulgata.*

6. Separatio bonorum tantummodo credito actionem reddit faciliorem, non aliam, nec creditum auget.

DECISIO XVII.

In inventarium seu designationem bonorum quando redigenda sunt, de quibus non aperte constat esse matris, salvâ huic ejus vel hæredibus petitione.

CUi incumbit inventarium seu designatio bonorum paternorum, cum quædam omisisset, sub obtentu, non paterna de quibus illud confici debebat, sed materna illa esse, jussa fuit, eadem isti addere quia non constabat talia esse; (1) præsumptio vero in contrarium valebat, quod in dubio bona intelliguntur esse mariti non uxoris, saltem salva relicta est actio ad petendum velut materna, cum talia probare posset, (2) cui non præjudicat descripto istâ, veluti non tollens jus designantis, præsertim si cum reservatione ista aut protestatione scribit, (3) Non sibi scrupulum facere opus habebit, si jurato rectitudinem ejus asserere tenetur, (4) nec enim juramentum excludit actionem, quia non jurat, ea omnia bona, quæ complectitur designatio, esse paterna, sed se nescire, nec meminisse alia in paternis esse, (5) Præstat pro conscientiæ securitate inserere etiam alia, quam omittere de quibus dubium est, (6) cum hoc sine periculo fieri non posset, istud vero sine præjudicio contingat. (7) Eo modo declaratum & pronunciatum est *in causa vicarii militum Tribuni Adam ab Horn contra viduam Iochim Petersen, die 22. Iunii, Anno 1659.*

1. Inventarium confici debet de omnibus quæ in hæreditate reperiuntur, & alterius quam defuncti esse nondum constat. *Bartol. in l. fin. §. licentia num. 66. de jur. delib.*

2. Hæc juris præsumptio est, quam in dubio sequimur.

3. Insertio in inventario non facit aut conficienti aut alii præjudicium in his quæ ad hæreditatem non pertinent.

4. Solet ex moribus pro majori cautela inventario præmitti protestatio, quod si hæres comperietur alia esse, supplere velit, si etiam inseret non inserenda, præjudicium nec sibi nec aliis fieri debere. Quæ præoccupat omnem dubitationem & conservat jus protestantis.

5. Quod exigi solet ubi quædam circa inventarium suspecta sunt, *d. l. fin §. 10. ib. Dd. de jur. delib.*

6. Hæc vulgatis formula juramenti super inventario est.

7. Inventarium seu in eo descriptio non est modus amittendi res suas, sed potius eas sibi contra creditorum petitiones conservandi, uti finis & effectus istius indicant *ea d. l fin.*

Tenor sententiæ publicatæ hic est.

In Sachen Jochim Petersen Wittwen / jetzo Henning Volckmar Bennerts Haußfrauen / Appellantinen wider Obrist-Lieutenant Adam von Hornen / und die Zemminsche Creditoren Appellaten in puncto liquidationis & prioritatis wird erkant / daß von Richter voriger Instantz den 19. Jan. Anno 1656 so viel die illationem dotis und den Beweißthumb betrifft / übel gesprochen / wol appelliret / ex actis so viel befindlich / daß die Compensation, immassen Adam von Horn solche einmal zugelassen / deß Einwendens ungehindert statt finde / demnach Krafft dero die drey tausend Gulden Ehegeld als eingebracht zu achten / und zusamt der Besserung / auß Valentin von Horns Gütern für andern deß selben Creditoren / so viel nach zu klegter Rechnung über den gehabten Nutz nabgetragen sich befinden wird / zu bezahlen sey von Rechtswegen.

(Hoc est)

In causa Joachimi Petersen viduæ modo Henningi Volckmari Bennerts uxoris appellantis contra Colonell: locum tenentem Adamum ab Hornen, & Zemminicos creditores appellatos in puncto liquidationis & prioritatis decernimus, à judice prioris instantiæ 19. Januar. Anno 1656. quantum illationem dotis & probationem concernit, male judicatum, bene appellatum, ac ex actis apparere, quod compensatio, prout Adam ab Hornen eam semel admisit, exceptionibus non attentis locum habeat, exinde vigore ejusdem tres mille floreni dotales tanquam illati reputari, & una cum meliorationibus ex Valentini ab Horn bonis ante alios ejusdem creditores, in quantum facto computu supra perceptam utilitatem nondum solutum reperietur exolvi debeant. Idque de jure.

DECISIO XVIII.

Filius bona parentis administratorio potius nomine quam proprio tenere præsumitur; at si aliis in contrarium præsumptionibus oneratur juramento fidem facere tenetur.

COnventus à creditore paterno, quod bona ejus tenere, & cum conditione æris alieni solvendi accepisse diceretur, negabat,

Digitized by Google

gabat, & nihil sibi in iis amplius, quam ut ob senium patris administraret, concessum fuisse obtendebat. (1) Aliud dicenti merito incumbebat probatio, cum in eo fundamentum intentionis collocaret, præsumptio juris pro filio militabat. (2) Nec ultra quid faciendum fuisset, si in eo res constitisset, quam ut filius absolveretur. (3) At cum creditor è contra non quidem probationem plenam, tamen argumenta quædam non levia proferret, unde conjici posset, filium non nudum administratorem esse, sed ex bonis æs alienum solvere debuisse, veluti quod cum aliquibus creditorum pactus esset, aliquibus solvisset, è fructibus parenti nihil præter alimenta præbuisset, rationes non reddidisset, visum est, inde ad condemnationem quidem perveniri non posse, tamen nec reum absolvendum, à juramento vero remedium petendum esse, idque injungendum esse filio iis conjecturis onerato, ut se ab iis purget, & per sanctam fidem assertionem suam certam reddat. (4) Sicut pronunciatum *in causa Dominici Schnellen, contra Jürgen Mellentin, die 1. Iulii Anno 1659.*

1. *l. 2. ff. de Probat.*

2. Præsumptio capitur, ut quisque quam potest minime obligatus sit, cum nemo semet obligasse præsumatur, nisi obligatio doceatur.

3. Actore non probante reus etsi nihil præstiterit absolvitur. *l. fin. C. de rei vindic. l. 2. Cod. de Probat.*

4. Reo hoc injungi solet, ubi pro actore præsumptiones militant, etiam tam graves, ut instar semiplenæ probationis habeant. *Thessaur. decis. 47. num. 5. Heig. quæst. 41. num. 24. part. 2.*

Sententiæ tenor.

In Sachen Dominici Schnellen Appellanten wider Henning Mellentinen Appellaten/jetzo dessen Sohn Hanß Georg Mellentinen/ in puncto reassumendæ litis, wird von Appellanten den 20. Junii eingebrachten Schrifft Gegentheil Copey ertheilet/ Gegenhandelung überflüssig / acta über bißheriges Vorbringen vor beschlossen gehalten und erkant/ daß deß Einwendens ungehindert es bey der den 18. Octobris Anno 1658. publicirten Urthel allerdinges verbleibe / Hanß Georg Mellentin darauff so wol/ daß es nicht anders denn von ihm in actis vorgebracht/insonderheit/ daß er als ein Administrator im Namen deß Vatters / und nicht für sich die Güter verwaltet und genützet / sich verhalte / auch sonsten ihm aufferleget / Eydlich außzusagen schüldig/ zu Abstattung deß Eydes aber für dem Hoff-Gerichte nach der demselben fürschreibenden Form auff fleißige Erinnerung zu zulassen / und deßhaber die Commission zu erkennen sey. Von Rechtswegen.

Hoc est: In causa Dominici Schnellen appellantis contra Henningum Mellentinen appellatum modo ejus filium Joannem Georgium Mellentinen in puncto reassumendæ litis, scripti ob appellante 20. Junii exhibiti parti adversæ pro notitiâ copiam damus, acta pro conclusis habemus & decernimus, exceptionibus non attentis sententiæ 18. Octobr. Anno 1658. publicatæ inhærendum, Joannem Georgium Mellentinen tam quod res aliter se non habeat, quam ab illo in actis allegatum præcipue, quod ipse tanquam administrator in nomine parentis & non pro se bona administraverit & fructus perceperit; tam quod alias ei injunctum mediante juramento ut asserat adstringendum, ad præstatione juramenti vero curam judicio aulico juxta formulam eidem præscribendam prævia diligenti examinatione admittendum, & propterea commissionem decernendam esse. Idque de jure.

DECISIO XIX.

Inventarium etsi docetur confectum & amissum non est inde hæredi beneficium nec juratæ designationi locus, si ex culpaquadam ejus factum ut inde non constet de viribus hæreditatis.

COnfecto & amisso inventario ejus tamen beneficium prodest hæredi ejusque Juramentum de tenore seu jurata specificatio admittitur, (1) oportet tamen ipsum carere omni culpa & negligentia, per quam fit ut lateant vires hæreditatis, (2) Nam si ex ista proficiscitur, ut nec de his constet, nec certa sciri queant imputare sibi debet hæres negligentiam, non ista creditoribus atque legatariis nocere, aut hæres admitti, ut juramento jus quæsitum aufferat. (3) Si enim iste non statim post mortem defuncti ex quo sciri potuit conditionem hæreditatis, curavit creditores & legatarios citari, atque ipsis satisfecit, aut quo minus fieri posset, per discussionem legitimam demonstravit, sed retentis bonis aliquibus solvit, alios præteriit, de istis interim pro lubitu disposuit, multos etiam annos præterlabi patitur, in quibus nihil ad rem cum creditoribus & legatariis juxta vires patrimonii dirimendam fecit, (4) postquam autem post longam temporis ab aliquo eorum conventus exceptionem beneficii inventarii, & non idoneas defuncti facultates obtendit nec tamen tenorem ejus demonstrare potest minime ad juramentum, & cum eo faciendam designationem provocans audiendus erit. (5) *In causa D. Petri Götzen contra D. Joannem Sitmannum ejusque uxorem, die 28. Sept. Anno 1659.*

1. *Matth. de Afflict. decis. 13. num. 10. Mascard. de probation. conclus. 88. num. 4.*

2. Negligentibus jura non subveniunt, sed tantum necessitate quadam impeditis. *lib. 16. ff. ex quib. caus. major. sunt enim.* Vigilantibus saltem scripta. *l. 24. ff. quæ in fraud. cred.*

3. Amis-

Digitized by Google

3. Amissio ex culpa orta amittenti nihil proficit sed facit potius, ut negligens & culposus omnibus ex amissione ortis damnis & incommodis obnoxius sit. *Mascard. de probat. conclus. 87. num. 2. & seq.*

4. Hæc omnia repugnant officio hæredis qui inventarii beneficio frui cupit, idcirco non faciens hoc indignus est.

5. In discutienda hæreditate negligenter versatus non juvatur beneficio inventarii in creditorum vel legatariorum detrimentum. *Fab. in Cod. 6 tit. 11 defin. 16. num. 4.*

Juxta hæc pronunciatum fuit.

In Sachen D. Petri Götzen/ Appellanten wider D. Joh. Sietmans Haußfrauen Ursulam Buschen Appellatinnen in puncto legatorum werden die gravamina als überflüssig nicht/ sondern acta ex officio für beschlossen angenommen/ und erkant/ daß von Richter erster instantz den 4. Maji Anno 1658. übel gesprochen/ wol Appelliret/ die Urtheil zu ändern/ und zu erkennen sey/ daß Appellatinne die legirte 800. Gülden abzulegen schuldig sie vermöchte dann ihr Vorwenden besser beweisen/ daß nach ihres ersten Ehemannes Tode sie die Creditoren und legatarien vorfodern lassen/ ihres der Verlassenschafft Zustand und daß wegen Vielheit der Schulden die legatarii könten erstattet werden/ repræsentirt dieselbe insonderheit Appellanter Vatter es darauff auch beruhen lassen/ so hätte sie sich des beschehenen Nachlasses zu gebrauchen. So viel aber die legirte Bücher und Kleider betrifft würde Appellatin vermittelst Eydes erhalte/ daß die selbe von ihr in den auff dem Rahthause deponirten Kasten verwahrlich beygelegt/ und allda weggekommen/ wäre sie von dem Zuspruch zu entbinden/ er wolte dann Appellante/ daß sie in mora præstandi gewesen/ beybringen/ so würde er wieder sie damit gehöret. Von Rechtswegen.

(Hoc est) in causa D. Petri Gœzen appellantis centra D. Joannis Sitmans uxorem Ursulam Buschen appellatam in puncto legatorum gravamina ut superflua non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus a judice primæ instantiæ. 4. Maji Anno 1658. male pronunciatum, bene appellatum sententiam reformandam & pronunciandum esse, quod appellata illos 800. Florenos solvere teneatur, Nisi suam exceptionem melius probaret, quod post mortem primi mariti Creditores & legatarios citare curaverit ipsis hæreditatis statum & quod ob multitudinem debitorum legata non posset solvi repræsentaverit, illi præsertim appellantis Pater huic desuper acquieverit, in quem casum de facta remissione gaudere posset, quantum vero legatos libros & vestes concernit, si appellata mediante juramento obtinebit quod illos in cistam incuria custodia causa positam reposuerit & ibidem illi ablati sint, veniret ab actione absolvenda, nisi appellans probaret quod fuisset in mora præstandi, tunc ipse contra illam audiretur idque de jure.

DECISIO. XX.

Hæres cum beneficio legis solvens creditori injuria ejus succedit eisque fruitur.

SImpliciter hæredi solventi nihil nisi ad liberationem qua creditorem proficit solutio. Cæteris creditoribus hæreditatis perinde ut suis tenetur, etiam ultra vires hæreditatis. (1.) ideo ex eorum creditorum, quibus solvit, jure nulli ipsi adversus cæteros exceptio est. (2.) Secus se res habet quà hæredem cum inventarii beneficio. Siquidem is simul creditor est solvens aliis anteriorem hypothecam habentibus, succedit in illorum jus tanquam concreditor, cui hoc ex communi jure datum, ut solvens anteriori etiam cessione non facta in locum ejus succedit. (3.) Nec aditio hæreditatis hoc aufert ubi beneficium inventarii adhibitum est. (4.) De eo vero qui creditor non est dubitatio suborta fuit, quod ille qua creditorem & ejus hypothecam pro extraneo sit. ideo nisi facta cessione non ita succedat. (5) Verum sive huic cessio facta fuerit, sive non peræque potitur ille hoc jure, ut quantum solvit hoc præcipiat nec in eo jus quoddam posteriorum sit, quod pro solutione sua vindicare queunt. Et quidem, non ex jure successionis sed inventarii effectu. Quandoquidem per istius beneficium primovenientibus solvere permissum, deinde in id quod detracto soluto super est tantum supervenientibus actio competit. (6.) Quod si nihil reliquum est, non poterit contra hæredem aliter agi quam ut contra alium creditorem, (7) atque ita se quoque tueri valet exceptione juris anterioris. *In causa Clüer contra Clüer die 11. octob. Anno 1659.*

1. §. *fin. instit. de hæred. qual. & different.* quod ex quasi contractu, qui per jus civile additioni hæreditatis inest, proficiscitur *l. apud 3 §. fin. ff. quib. ex caus in possess.*

2. Definit illud jus & exstinguitur confusione *l. Stichum 95 §. 1. & seq. ff de Solution.*

3. *l. 2. C. de his qui in pot. Credit. loc.*

4 Hæres cum beneficio inventarii qua commoda & incommoda eo jure censetur ac si hæres non esset.

5. *l. 1. ib. Cyn. & Dd. C. dict. tit.*

6. *l. fin. §. & si præfatam. 4. §. seq. C. de lur. deliberand.*

7 Duplicem personam habet hæres simul creditor, pro cujus diversitate diverso jure utitur. Ut hæres plane contra actiones securus est. Ut creditor ei juri obnoxius est cui alii creditores. Ex quo beneficium in inventarii quod tantum ut hæredidatur nihil mutat aut tollit, nec extendendum est ultra sui finem.

Digitized by Google

DECISIO XXI.

Non declarandus quis est hæres cum inventario nisi audit prius, quorum interest de eo constare.

SIcut multum refert, utrum quis simpliciter hæres sit, an cum inventarii beneficio, (1) ita incuriosè in eo versari non decet, qualis quisque hæres sit habendus. Non debet Judex ad declarationem aliquam super eo procedere nisi auditis quorum interest. (2) Sicut itaque creditoris maximè refert aliquem simpliciter esse hæredem, (3) ut non cogatur pati discussionis difficultates magisque de solido suo certus sit, ita etsi exhibeatur inventarium, etsi etiam per sententiam aliquando quis contra alium non simpliciter sed cum illo beneficio hæres declaratus fuerit, non tamen alii super eo non audito præjudicabitur, (4) quin relervetur intra certum terminum adversæ parti allegatio, sic factum *In causa Bernhard Otto Rammin contra sororem & uxorem Ioachim Plozen die 28. Januarii Anno 1660.*

1. Id quod videre licet ex *l. fin. C. de jur. delib.* qui textus ex magna diversitate beneficiorum ostendit discrimen.

2. *juxta l. de unoquoque 47. ff. de Re judic.*

3. Latius multo creditori obligatur, qui sine inventario adit, nempe ultra vires etiam bonorum, quam qui cum isto adit, qui non nisi juxta eas tenetur ne cætero ab omni actione liber. *d. l. fin. §. ult. seq. C de jur. deliber.*

4. *l tot. tit. C. Res. int al. act.*

Pronunciatio talis facta.

In Sachen Bernd Otto Ramminen Appellanten wider Elisabeth Sabinen von Rymminen Jochim Plötzen Hauß-Frau Appellantin in puncto verschiedener Forderungen werden die Gravamina die Zinsen von dem Ehe-Gelde von andern Forderungen / wie auch Berechnung der Abnützung von Blanckensee betreffend / als überflüssig nicht / sondern Acta ex officio vor beschlossen angenommen / und erkandt / die von Richter erster instantz den 22. Januar. Anno 1656. publicirte Urtell dahin zu ändern / und zu erklären sey / daß von den richtigen unstreitigen Posten die Zinse nicht anders denn nach der jüngsten Reichs Constitution gebühren / wegen derselben so wol als deß bemeldten Guts Abnützung halber liquidation und Richtigkeit / unverzüglich zuzulegen / was sich dann nachständig befinden würde / zu bezahlen oder Appellatinne in das Gut Stoltzenburg zu immittiren Dabey aber Appellante deß beneficii inventarii, wann deßwegen Gegentheil nichts erhebliches einzuwenden hätte / damit es gleichwol in Rechts Frist annoch zu hören wäre / so weit Rechtens zu genüssen haben: Anreichend der Arnheimischen Post der 2000. Rthlr. die Gravamina zu ferner Außführung als nicht unerheblich anzunehmen seyn / deßwegen dann Appellatinnen Copia libelli ertheilet / und proxima darauff zu handeln aufferleget wird. Von Rechtswegen.

(Hoc est) in causa Bernardi Ottonis Ramminen appellantis contra Elisabetham Sabinam à Rymminen Joachimi Plotzen uxorem appellatam in puncto diversarum protensionum gravamina pensiones pecuniæ dotalis & cæterarum prætensionum prout & rationes usus fructus Blanchencæ concernentia ut superflua non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis accepramus & decernimus sententiam à judice primo instantiæ publicatam eo reformandam esse, quod liquidorum & non controversorum capitalium pensiones non aliter quam secundum novissimam constitutionem imperii competans ratione earundem ut & propter usum fructum dicti prædii liquidatio & reliqua in conjunenti præstanda, quod tunc in decessu reperietur solvendum vel Appellata in prædium Stolzenburg immittenda, Appellant vero ad beneficium inventarii, si propterea per adversa nihil quod relevet apponere posset, quo cum in termino legati adhuc audire deberet, in quantum juris admittendus, quod concernit punctum Arnheimense. 2000. Talerorum gravamina ad ulteriorem deductionem ut non irrelevantia admittimus, eorundem copiam appellanti damus & ut in proxima desuper ageat injungimus idque de jure.

DECISIO XXII.

Antequam de bonis defuncti statuitur de hærede ejus res certa esse & quomodo fieri debet.

COntra hæreditatem nihil statuitur aut decernitur, nisi prius certo an, & quis hæres sit, ideo si jacens est, nec de sanguine conjuncto constat, curator ad ejus custodiam & administrationem constituitur, interea de hærede inquiritur. (1) Si vero adsunt ejus cognati, illis injungitur, ut intra certum tempus declarent, an hæriditatẽ adire velint. (2) idque faciendum iis existentibus antequam ad petitionem creditorum aliquid decernitur, (3) uti factum *in causa Martin Bremern contra Sorores die 4. Maji Anno* 1660.

1. *Juxta l. 1. tot. tit. C. accurat. bon. dand.*

2. *Vid. Anth. Faber in C. lib. 6. tit. 12. def. 16. n. 4*

3. Contra jacentem hæreditatem quiescunt actiones regulariter, usque dum hæret adit hæreditatem *de quo vid plur. ap. Coler. de process. execut. lib. 2. c. 3.*

DECISIO XXIII.

A suo etiam hærede exigitur declaratio de immixtione mentis, ubi se non immiscendi voluntas præsumitur.

NOn ita ut ab hærede extraneo, (1) sic à suo exigitur & injungitur declaratio animi, sed contra ipsum tanquam hæredem

Digitized by Google

dem agitur & decernitur, quia ipso jure hæres est, (2) nec aliter habetur non hæredis loco, quam dissertis verbis se abstinere dixerit. (3) Ita vero id tantum obtinet si non accedit, unde colligitur, ipsum abstinere quam se immiscere male: (4) veluti si in jure interrogatus an hæres sit, se talem non esse dixerit, (5) vel si protestatione differt immixtionem, donec vires hæreditatis, quæ apud alium est, cognovit, (6) vel sub conditione tantum immiscere velit, deque ea existat controversia. Tunc quo certum sit judicium præstat poscere, & injungere declarationem, quam in dubio & suspenso actionem relinquere, aut quod decernitur in incertum conjicere. (7) Sic judicatum *in eadem causa.*

1. Cum sanguine junctus ut hæres convenitur se talem negat, talis vero esse potest jubetur expressis verbis declarare, adire an repudiare velit, uti praxis observat sicut jam scriptum in decisione præcedente.

2. *l. cum quasi 30. §. sed etsi suus ff. de Fideicommiss. libert.*

3. *l. pen. ff. de aur. tut. l. sicut 4. C. de repud. & acquir. hæredit.*

4. Qui enim abstinet etsi hæres sit pro eo tamen non habetur. *l. si filius 12. ff. de inter injur. facend. l. necessarii 57. ff. de acquir. hered.*

5. Hoc est medium inter hæredem esse & hæreditatem repudiare. *l. si curatoris 9. ff. de jur. delib.*

6. Ut extraneum hæredem ad adeundum aut repudiandum, ita adiminiscendum aut abstinendum judex arctare potest quia eadem ratio est.

7. Ad judicii certitudinem facit, ut res per se sit certa & eludendi præscindatur accasio.

DECISIO XXIV.

Inventario ex se non inest vis exclusiva non nominatorum.

INventarium quod traditionibus bonorum adhibetur designat, & declarat quidem tradenda & cedenda, (1) at non excludit non nominata si juxta contractum aliosve titulos debentur, (2) nec alias reperiuntur excepta, nisi constet & doceatur ideo factam designationem, ut non alia quam expressa cedantur, cætera apud cedentem remaneant. (3) Hæc mens designantium vim exclusivam adfert & exceptionem parit. Alias ista non apparente non spectatur quid descriptum, sed quid sine inventario fuit dubitum, (4) Præsertim tertius caret exceptione ex inventario inter alios confecto, (5) *In causa Philipp Wakenitter contra die Universität Greifsfeld, die 19. Iunii, Anno 1660.*

1. Hic finis est talis inventarii, quod traditionibus adhiberi solet, ut ex eo appareat, in quo statu res sint, & quales traduntur.

2. Est hoc à mente inventarium conficientium alienum, nec quod in eorum utilitatem adhibetur in eorum dem odium, & damnum detorqueri debet. *l. 7. C. de leg.*

3. Ex intentione facientium vis facti oritur, & ea mente factum, ut si exclusivum ulterioris petitionis, recte ex ista talem effectum habet. Actus ex intentione agentium distinguuntur, *l. 19. ff. de reb. cred.*

4. Exclusio non præsumitur, sed probanda est *Alciat. de præsumpt Reg. 2. præsumpt. 14. n. 3*

5. Ex jure tertii nemini se tueri & defendere aut alium excludere licet. *l. loci 4. §. competit. 7. ff. si servit. vind. l. si quis emptionis 8. §. 1. C. de præscript. 30. vel 40. Annor.*

DECISIO XXV.

Hæres beneficio inventarii gaudet qui ipse non confecit, sed cui à possessore bona cum designatione quadam traduntur.

POst longam litem inter fratres circa hæreditatem Patris illi qui bona hæreditaria tenuerant, abstinebant, inde mediante designatione quæ habuissent cedere, reliqui non nisi cum protestatione recipere intendebant, quod ultra designata creditoribus non teneri suum quoque creditum sibi reservatum vellent, quod utrumque erat beneficii inventarii (1) Dubium autem incidebat, an reservata illa admittenda essent nullo ab ipsis confecto inventario. (2) Sed quia per illos non steterat ut conficerent, sed per fratres eorumque litem impediti erant, nihil ideo imputandum erat, quo minus cum eo hæredes essent, pro facto habendum est. (3) Ex quo autem conficere potuerint, designatio quoad ipsos pro inventario fuit. (4) Et quia inde palam factum nihil ultra in bonis defuncti ad ipsos pervenire, itidt & confusio evitata est non minus, ac solenni inventario confecto omnia innoxia beneficia salva esse debuerunt. (5) Consideratum hoc *in causa Alverich und Ernst die Clüver, contra Burchard und Lüder die Clüver, die 2. Octobr. Anno 1661.*

1. *Iuxta l. fin. §. 4. & 6. C. de jur. delib.*

2. Non entis nullæ qualitates sunt, *l. 1 ff. de hæred. vend.* ubi non est inventarium, beneficium inventarii locum habere nequit.

3. Pro facto habendum quod per eum non stat qui facere debet, quod fiat.

4. Sic rationi & praxi convenit ut qui justo tempore inventarium conficere non potuit, quia bona apud alium fuerunt, excusetur, si non fecerit, satisque ei sit vel mediante possessoris inventario, vel cum ejus designatione bona accepisse, vel cum acceperit tunc confecisse.

5. Cum manifestum est nihil amplius in bonis defuncti esse quam hæres designavit eodem jure utitur atque si inventarium confecisset. *Suhard. in l. fin. §. præfatam num. 1. & 2. C. de jur. delib.*

Digitized by Google

DECISIO XXVI.

Separatio bonorum hæredi conservat contra creditores facta tecta quæ propria sunt, etsi à defuncto profecta.

INventarii beneficium quidem & hoc est, quod bona defuncti & hæredis ita separat, ut hic de suis solvere non teneatur, sed tantum de his quæ defuncti fuerunt atque in hæreditate existunt, (1) at non diutius quam apud hæredem separata manent ex commixtione desinit separatio ejusque jus. (2) Quocirca etsi hoc perpetuum est, quod hæres cum inventario ultra vires hæreditatis non tenetur, (3) id tamen ut in propria bona ejus ob hæreditaria debita non fiat executio eaque perinde creditoribus hæreditariis obnoxia non fiant, non potest assequi, nisi sinat plane separata, (4) pro quo expedit & fieri solet, ut hæres ubi hæreditatem obæratam intelligit creditoribus citatis solutionem pro viribus istius offerat ideoque istam discuti efficiat. (5) Eo omisso post multum temporis confusio facta intelligitur, ideo promiscua est qua bona juris prosecutio, nil valente exceptione de propriis bonis, & inventarii beneficio præterquam, quem casum probabili ratione excipimus, si separatio sit continuata & provisum ab hærede, ne confusio unquam oriatur. Non male sibi hæres consulet si non modo confusionem illam de vitet protestatione quadam judiciali cum mentem suam declaret. Quemadmodum durat inde separatio, ita enim effectus illius perpetuatur, (6) Nec refert unde bona sint profecta. Ex hac ratione cum contigisset nobilem quendam cum consensu Principis uxori dotalitium in parte feudi constituisse, viduam vero post mortem ejus dotalitium ab hæreditariis bonis separasse, & separatim plane habuisse deque eo protestatum, postea à creditore hæreditario conventum, & in ea quæ dotalitii erant executione decretum esse post appellationem interpositam existimatum est ejus justam causam, & gravamen quod processus mereatur adesse. *In causa viduæ Marescalli Provincialis A Boyenhagen, contra Petri Gralen hæredes, die 5. Jun. Anno 1662.*

1. Inventarium infert separationis beneficium.
2. *l. §. pretereo 12. ff. de separat.*
3. *l. fin. §. & si præfatam C. de Iur. delib.*
4. Hæres etsi cum inventario tantum talis, vere tamen hæres est, & ex quasi contractu creditoribus obligatur, hæreditariorum Dominus fit, ideo adversus ipsum ut debitorem & Dominum fit, condemnatio atque executio.
5. Hoc non modo hæredi ad quietem consultum verum etiam ad officium istius pertinere creditur.
6. Protestatio conservat jus protestantis.

DECISIO XXVII.

Ex antecessoris persona hæreditas non petitur nisi legitima transmissa, & quomodo transmittatur.

EX alterius persona hæreditatem vel partem ejus petens tenetur ostendere in eo cujus nomine petit, tum jus successionis tum modum hujus ad se translationis quæ evenit vel per illam jam aditam vel si adita non fuit legitime transmissam. Postquam facta est aditio desinit qua adeuntem esse hæreditas, & fit istius patrimonium: ideo isti succedens tanquam hæreditatem istius, & cum illa capit, hæres tamen prioris simul censetur. Inde quicquid juris primus hæres adeptus est ad secundum transit, qui iisdem actionibus sicuti aliis ejus juribus utitur. Nondum adita hæreditas regulariter ad hæredem non transmittitur. (1) utpote quæ in bonis hæredis non est. (2) Ideo hæres hæredis nisi immixtionem vel aditionem ostendens ex ejus persona nihil capit, (3) præterquam in certis casibus ubi juris pendentia transmissionem hæreditatis introduxit. Triplicem hujus modum jurisprudentia Justinianea annotavit nempe ex potentia suitatis (4) sanguinis, (5) & juris deliberandi. (6) Nullus eorum congruebat speciei quæ in considerationem veniebat, prior enim modus valet tantum in suis hæredibus, secundus in descendentibus, tertius quidem omnium est communis (7) at non perpetuus. Intra tempus deliberandi si defunctus decesserit reperitur spacium adeundi idem tamen quod illi reliquum tribuit. (8) Non tamen ideo putabatur rejiciendam esse factæ transmissionis allegationem quandoquidem tum ex legibus, (9) tum ex moribus, (10) alii modi esse possunt præter illos regulares. Melius transmissionem allegantes audire, & facere ut istius modum exprimant atque deducant ut factum. *In causa fratrum der Duringe contra sorores der Wersabe, die 5. Junii, Anno 1662.*

1. *l. sic pluribus in pr. ff. de suis & legitimis hæred. l. un. §. in novissimo C. de cad. tollend.*
2. *l. pretia ibi Bartol. ff. ad L. Falcid.*
3. *l. quoniam C. de jur. delib. l. emancipata C. qui admitt. ad bon.*
4. *l. qui in aliena 6 §. interdum 4. ff. de acquir. hæred. l. cum milei 30. ff. ex quib. caus. major. l. in suis 14. ff. de lib. & legit.* quia in his est quoddam parente vivo in bonis ejus Dominum *l. cum ratio in pr. ff. de Bon. damn.* quædam Dominii continuatio *l. in suis 11. ff. de lib. & Posthum hæred.* cujus virtute statim & ipso jure hæredes sunt, ideo ut aditio ipsorum non necessaria, *d. l. in suis 14. l. 2. §. qui sunt in potestate ff. si quis omiss. caus. testam.* non facta non potest esse impedimento ut non fiat transmissio, non modo in suos hæredes, sed etiam extraneos ut verior & com-

Digitized by Google

& communis habet JCtorum sententia, *vid. Rauchbar quæst. 15. num. 7. & seq. ubi textus & autoritates plures allegat.*

5. Hæc Theodosiana vulgo vocatur ab autore Imp. Theodosio *in l. un. C. de his quæ ant. apert. tab.*

6. Justinianea hæc ab autore audit *l. cum in antiquioribus C de jur. delib.*

7. Tam sui quam extranei qualescunque sint hoc transmissionis genere gaudent, *Gomez. var. resol tom. 1. c. 9. num. 51.*

8. Hæc transmissio dat tantum potestatem in residuo tempore adeundi. *Gomez. dict. cap. 9. num. 52.*

9. Habentur quædam eorum etiam in legibus Romanis *vid. l. si infanti 18. C. de jur. delib. l. ventre 4. ff. de acquir. hared. l. si quis ex gravi 3. §. eleganter 3. ff. ad SC. Sila. vid. plura ap. Petr. Gregor. Syntagm. Jur l. 46. c. 2. num. 23.*

10. Consuetudine fieri potest ut hæreditas non adita transmissa habeatur *Angel. de Bambell. in d. l. ventre de acquir. hared.*

DECISIO XXVIII.

Non transmittitur hæreditas nisi prius adita.

SUnt tantum certi hæreditatem nondum aditam ad hæredes transmittendi modi, nempe ex jure suitatis, sanguinis, juris deliberandi. (1) Ubi ex aliquo illorum non fit transmissio insistitur regulæ hæreditatem aditam non transmitti. (2) In ea quæ tractabatur causa nullus eorum modorum qui exceptionem faciunt reperiebatur, ideo in quæstione non supererat, nisi ut dispiceretur utrum facta esset aditio? Negantibus illam appellantibus, quia facti est probanda fuit ab allegantibus. (3) In quo hi collocabãt, erat, quod cum concursus bonorum excitatus esset, appellatorum mater publice protestata fuerat, si quid discussis bonis post solutum æs alienum supereret, se in eo cum aliis cohæredibus succedere velle, Dubitatio inde utrum talis declaratio mentis pro aditione esset? Etsi vero ista qualis qualis hæredem facit, dummodo animus adeundi elucet, tamen creditum non sufficere ejusmodi animi expositionem, quæ non statim & puræ hæredem facit, sed aditionem differt & suspendit. Qualis est quæ fit sub ea conditione si quid in bonis supererit. (4) Hæreditas adeunda est uti est nempe velut successio in universum jus defuncti tam active quam passive; (5) Non est hæreditas sine onere, quod ab illa divelli seu separari nequit. Præterea non est aditio quæ fit sub conditione, (6) quandoquidem inter actus legitimos est, qui conditionem non recipiunt. (7) Accedebat æquitas ut cum alii hæreditatem adiissent, & multis sumptibus studiis & molestiis curassent quo bona discuterentur, atque creditoribus satisfieret, interim cæteri ut otiosi spectatores ea frui siviissent, hi non eodem fructu potirentur, (8) sed ut quæ hæreditatis discussio, & concursus habebat incommoda sustinere noluissent, ita & fructu deinde carerent, juxta quæ judicatum est *in causa fratrum & agnatorum der Düringe contra Elisabeth Clüvers.*

1. De quibus *vid. plur. ap. Rauchbar. lib. 2. q. 15. per tot.* ubi plenius & solide jura transmissionum exponit.

2. *l. si ex pluribus 9. in pr. ff. de suis & legit. l. 3. §. acquisitere 7 ff. de bonor. possess. l. infantes 18. C. de jur. delib.*

3. *l. pro hærede 20. pr. ibi Gloss. & Dd. ff. de acquir. hared.* quæ facti sunt non præsumuntur, sed probari debent.

4. Ita habet textus expressus in *l. eum qui 51. §. fin. ff de acquir. hared.* cujus verba sic habent. *Si ita quis dixerit si solvendo est hæreditas adeo hæreditatem, nulla est aditio.*

5. Ita habet definitio hæreditatis *in l. hæreditas 62. ff. de R. I.*

6. *Ita ex d. l. eum qui §. fin. colligit ibidem Godofr. in notis* ubi ejus decisionis hanc rationem affert.

7. *l. actus legitimi 77. ff. de R. I.*

8. Oportet esse inter desides & vigilantes differentiam *l. 2. C. de annal. præscript.*

DECISIO XXIX.

Quod non nisi detracto ære alieno peti potest sub illa conditione si aliquid supererit, agnitum & reservatum ad hæredes transmittitur, secus atque si hæreditas sic aditur.

CAsus talis in judiciariam disceptationem veniebat. Nobilis Ducatûs Bremensis superstite una filia Anna decesserat, postea & hæc relictis hæredibus ex linea paterna & materna, quorum illi nobilis istius agnati bona occupabant, & contra hos ex jure successionis in bonis avitis quæ tantum ad agnatos pertinent defendebant, sed cum multo ære alieno gravata essent, & ideo tandẽ & agnati deserarent, concitato concursu creditorũ prædictæ filiæ cognati, at ejusdem hæredes discussionem urgebant, quæque pro ea necessaria sua cura & impensa promovebant, ut si quid post alienum supereset, tanquam lucro filiæ, quod juxta æquestre jus Bremense competebat, (1) ut ejus hæredes haberent. Accidit autem ut convocatis creditoribus ex masculina linea filiæ conjuncta quædam protestaretur, si quid post exsoluta debita super esset, sibi partem suam in successione integram fore nihil, tamen postea pro concursu finiendo ageret, omnem pro eo industriam cæteris ex materna linea cognatus relinqueret mox

Digitized by Google

relictis liberis decederet. Postquam creditoribus satisfactum aliquod millia Imperialium in bonis supererant, eaque retenta à cognatis lineæ maternæ tanquam hæredibus filiæ. Qui è paterna ejusdem gradus erant deinde portionem hæreditariam ab iis petebant tanquam filiæ præmemoratæ cohæredes. Hi opponebant hæreditatem à matre non aditam, ideo ad liberos non transmissam: Eaque objectio movit ut liberi hi à successione excluderentur. At petita restitutione in integrum altera pars dicebat; filiæ istius de cujus successione agitur portionem non considerandam ut hæreditatem, sed ut legitimam jure Equestri concessam, ideo non egisse aditione, seu sufficere declarationem, per quam reservatio facta fuit. Utut vero initio cum in ea causa judicaretur & juxta juris regulas, quæ de aditione sunt, cuncta examinarentur, videbatur eos qui non pure, sed sub conditione adiissent non potuisse ad liberos hæreditatem transmittere, tamen cum deinde aliter causæ status poneretur atque doceretur hic non de hæreditate agnati qui filiam reliquerat, sed filiæ legitima seu lucro agi, ideo non de hæreditate, sed de portione statuaria seu legitima quæstio erat, itum deinde in aliam sententiam, & restitutione in integrum contra priorem sententiam concessa judicatum est, non obsistente conditione liberos illius, quæ protestatione sibi prospexisset non minus quam occupassent, ad eam portionem, quæ Annæ fuerat admittendos esse. Ex pari agnationis & cognationis gradu par ab initio jus fuit eorum à quibus utraque pars litigantium descendit, ideo æqualiter successio in bona à filia Anna & relicta debebatur. Siquidem alterutra eo frui non debebat, oportet adesse quod excluderet. Ad excludendum appellatos duo obtendebantur, non facta transmissio hæreditatis non aditæ, & ex lapsu temporis triginta annorum præscriptio. Certum erat, non adesse aliquam istarum specierum ex quibus de jure hæreditas non adita transmittitur: Et si is fuisset casus in quo aditio pura requirebatur, non putasset sufficere quod actum. (3) At ex quo per partium deductiones ampliores apparuit, litem non versari in iis terminis, ubi de hæreditate ageretur, aut ubi aditio pure fieri posset, existimatum est quod non simpliciter adita fuit hæreditas non obstare, sed tantum in casum cum post æs alienum ex bonis supererit reservationem factam ad transmittendum jus sufficere. Primo enim, cum à defuncto Annæ parente successio in bona avita juxta jus Ducatus Bremensis non ad filiam, sed proximos agnatos devenerat, ii ista occupaverant, deinde concursui creditorum locum fecerant, non erat filiæ, de cujus successione aliud, quam quod post credita super futurum, ergo hæredibus ejus nihil aliud competebat. (4) Deinde cum de eo nulla ante discussionem certitudo erat non poterat loco hæreditatis apprehendi aut agnosci cum adhuc incertum, & ex incerto exitu suspensum. Quare non poterat aditione quidquam quæri antequam illud pateseet. Tertio ex natura rei inerat successioni talis conditio, si quid ex bonis supererit. Uti sub conditione aliqua hæreditas defertur, utique non potest adiri antequam illa existit. (5) Ut autem illa sub conditione debetur, ita & sub illa agnosci potest, & agnita ista existente deinde pure defertur. Quarto id quod ex successione filiæ petitur non est hæreditas respectu bonorum ex quibus capitur, sed legitima portio juxta statum debita. Filiæ enim juxta jus Equestre Ducatus Bremensis in bonis avitis non succedunt ut hæredes, sed æstimationem certo modo præscriptam capiunt, ut lucrum statuarium sine onere æris alieni. Ejusmodi portionis proprium, ut lege & ipso jure deferatur, ideo aditionem non requirat, sed sine ea ad liberos transmittatur. (6) Quinto in ejusmodi specie agnitio sui juris pro acquisitione est, & aditionis instar habet, postquam transmissio juris quæsiti sit. Satis autem agnitum & acquisitum, quod mater sibi reservavit & tribuum voluit, cum apparuerit aliquid post æs alienum supersesse, & deberi. Sexto per circumstantias rei alter eo tempore, quamdiu sub concursu res vertabatur, non potuit agnitio, aut si ita loqui velimus aditio fieri, cum nihil adhuc esset, quod ut ab hærede apprehendi posset, sed omne hujus successionis in portione legitima à fine concursus, & bonorum inter creditores distributionis dependebat. (7) Septimo in hac specie non potest opponi negligentia in promovendo concursu & creditorum satisfactione, cum non defunctæ Annæ, sed agnatorum, qui bona avita ut successores apprehenderant, causa præcipue in eo agebatur, ideo ejus finis exspectari poterat, agendi cum creditoribus tanta necessitas non erat. Accedit quod non aliter altera pars se concursui immiscuit, quam spe alicujus superfuturi lucri, eaque conditione tantum secum creditoribus agere protestata fuit. Amplius itaque in altera desiderare nequit, quæ etiam expresse declaravit eo modo eoque jure jus illi agerent, & ad bona pervenire vellent, semet ex iis suam partem desiderare atque exspectare. Præscriptio inter hæc objici nequit, tum ubi nondum ante discussa bona agi potuit, tum ubi ex protestatione atque declaratione interrupta est. (8) Et quando agebatur de

Digitized by Google

de excludendis iis quorum jus æquum erat per talia, quæ partim magis ex juris subtilitate proficiscuntur, quam ut æquitatem habeant partim valde injuriosa & dura, inclinatum est in illam opinionem admissa restitutione in integrum, à priori sententia recedendum, & utramque partem ad successionem admittenda esse *in causa der Dæringe contra die von Wersabe die 3. Jul. Anno 1669.*

1. Ex hoc jure Equestri bona gentilitia seu avita Erbstamm-Güter ad proximos agnatos successione deveniunt etsi ultimo defunctus filias & sorores reliquerit. His autem assignatur æstimatio bonorum exceptis saltem quibusdam juxta conditionem fructum sex florenis horum facientibus sortem seu precium centum florenorum. Ab illa detrahitur æs alienum, quod supereſt filiæ vel sororidatur non ut hæreditas, sed ut lucrum quasi statutarium, cujus nomine non est obnoxia creditoribus.

2. Ad acquirendam legitimam non est necessaria aditio sed sufficit qualis qualis declaratio.

3. Id quod de eadem causa alibi fuit demonstratum.

4. Hæres non potest plus juris habere quam defunctus habuit.

5. Conditio suspendit aditionem hæreditatis & perinde ea pendente habetur ac si hæres non esset

6. Est legitima debitum naturæ quod ipso jure liberis debetur *l. scimus 30. §. illud 2. C. de inoffic. test.*

7. Quod non est non potest aditi.

8. Protestatio conservat jus protestantis & impedit præscriptionem.

DECISIO XXX.

Hæres Hæredis non juvatur beneficio inventarii quæ hæreditatem quam hic sine isto adit.

CUm quis hæreditatem sine inventario adiisset mortuus hæredem habuit, qui inventarium se fecisse obtendit. Hic quidem qua successionem suam hujus beneficii gaudebit, nec ultra vires hæreditarias creditoribus tenebitur. (1) At minime ideo extendi potest, ut etiam qua hæreditatem prjmam beneficia ista allegare possit. (2) ideo nec separare bona quæ ad primum hæredem per successionem venerunt, & quæ ex aliis titulis singularibus ejus fuerunt, (3) Tenetur ea sine discrimine cedere creditoribus nec quidquam sub illo obtentu, qui fundamento caret, retinere potest, quod fuerit dos materna vel sibi aliunde donatum. Quomodo aditâ hæreditate hæres succedit in omne jus commodum & incommodum defuncti, (4) & cum inventarium non fecit etiam ultra vires hæreditarias ex quasi contractu itaque de suis solvere obnoxius fit, (5) ita etiam hæres hæredis qui quoad ista quæ ad ipsum ab hoc deveniunt melioris conditionis esse nequit, (6) Tantum inventarium, quod fecerit, proficiet, ut cedendo hæreditatia à autore profecta, nihil ejus nomine retento liberetur, qua sua indemnis sit,) 7) Quæ considerata *in causâ Skhwen Jacobsen contra Hans Krake Wizen, die 2. Aprilis Anno 1617.*

1. *Juxta l. fin. §. 1. & seq. C. de Iur. deliber.*

2. Ubi deficit inventarium, ibi non potest arrogari inventarii beneficium. Qui potest esse effectus sine causa. *c. cessante X. de Appellat.*

3. Per hæreditatis aditionem, nisi confectum inventarium fuerit, existit bonorum hæredis & defuncti confusio, ita ut creditoribus omnia fiunt obnoxia: nisi legitimè petita fit separatio *l. 1. in pr. & §. seq. ff. de separat.*

4. *l hæreditas 60. ff. de V. Sign.*

5. §. 1. *Instit. de Oblig. qua quasi ex contract. nasc. l. 3. §. fin. l. seq. ff. Quib. ex caus in possess. eat.*

6. Hæres non potest esse melioris conditionis quam defunctus cui succedit. *l. hæredem ff. de R. I.*

7. Qua suam aditionem proficiet inventarium, non qua alienam. Quæ ut semel facta, ita obligat adeuntem ejusque hæredem, sed qua illa, quæ apud hunc fuerunt. Qua cætera ex beneficio inventarii fit separatio.

DECISIO. XXXI.

Inventarium nihil proficit post tempora isti præfixa aut hæreditarias res apprehensas & in usus hæredis conversas conditum.

COnstituto per legem inventarii beneficio, istius confectioni certa tempora sunt præscripta & quidem ut intra triginta dies â scientiâ delatæ hæreditatis inchoerur & intra sequentes sexaginta perficiatur. (1) Quisquis fatalem illum terminum præterlabi paritur, nec ex justâ causâ prorogationem matutè impetravit, (2) ille postea beneficio isto non fruitur sed simpliciter hæres habetur. (3) Similiter non finitur juvari, cum hæres res hæreditarias attigit, administravit, circa illas tanquam proprias disposuit. Multo minus cum deminuit vel alienavit. (4) Ipse quippé ex eo tempore jam adiisse intelligitur, ideo cum creditoribus hæreditariis quasi contraxisse, (5) nisi protestatione quâdam aliam mentem declaraverit vel causa subsit, cur ita existimari non debet. (6) Qua sine omissio est beneficii abdicatio. (7) Quibus jus quæsitum ex aditione par inventarium rebus non amplius integris confectum non potest pœnitentia auferri. (8) Sub esse quoque videtur fraus aliqua hoc merita, ut beneficio inventarii indignus sit, qui ejus leges non servavit. [9] Nec permittendum ut majorennis in integrum restituatur, etsi damnosa sit hæreditas. (10) Talis non amplius censetur postquam hæredem habuit, (11) & licet esset, proficere non posset qui justum justo tempore auxilium non adhibuit, (12) quæ improba & non excusanda. *In eadem causa.*

1. *L. fin*

Digitized by Google

1. *l. fin. §. fin. autem dubius 2. C de jur. de liber.*

2. Hanc ob impedimenta impetrare licet, si antequam elapsa sunt tempora, rogatur. *Sichard. in d. § fin. autem dubius num 4.* Etiam contra lapsum termini restitutio in integrum impetratur.

3. *Faber. in Ced. lib. 6. tit. 11. num. 19.*

4. *Vid. Faber. in C. dict. tit 6. defin. 18. & 20.*

5 *l. 3. §. fin. l. seq. ff. quib. ex caus. in possess. eat.*

6 Potest fieri justo modo, ut ante inventarium attingatur quid hæreditarium, nec tamen amittatur ejus beneficium, veluti si necessarium est vel hæreditati expedit. Proficit tamen de ea causa protestatio ut conservet jus facientis & à facto removeat sensum adversum *l, proherede 2, ff. de acquir. hered. l.*

7. *l. fin. §. fin. 2. de Bon. quæ liber.* Hac ratione utitur *Faber dict defin. 20 n. 3* dicens ex omissione, cum fieri oporteat, facto oriri renunciationem, sicut ex facto juri contrario.

8. Postquam res integra esse desiit aut jus alteri quæsitum nihil proficit pœnitentia aut consilii mutatio. *l. nemo ff. de Reg. Iur. ib. Decius & Dd. alii.*

9. Committit quippe in legem, qui legis præscriptum non observat. ideo ejus auxilio indignus. *l. auxilium 37. §. fin. ff. de Minor.* Eam pœnam non servati circa inventarium præscripti dicta lex *in Novell. 1. cap. 1.*

10. *Ita in terminis Faber dict. defin. 19.*

11. *l. fin C. de acquir. hered.*

12. Non gaudet restitutionis beneficio sua culpa læsus & cui imputari potest, cur justa non facit *l. Papinianus. ff. de Minor.*

DECISIO XXXII.

Creditor ut quivis possessor tenetur ad inventarium aut juratam designationem bonorum debitoris quæ tenet.

RE conventus creditor de exhibendo hæreditatis vitrici, qui debitor illius fuit inventario absolutus fuit ab illa petitione, quod hæreditatis possessor non fuit repertus, eaque sententia vires rei judicatæ accepit. Cum autem instaret credita petere, & constaret, nec ipse negaret, domum aliaque bona vitrici penes eum fuisse, de inventario isto rursum iterum compellatus rei judicatæ exceptione se tueri voluit. Visum autem fuit minimè istam proficere ad evadendum postulatam exhibitionem, dum longe diversa erant, de quo fuit absolutus, & quod deinde petitum. (1) Sententia concernebat inventarium hæreditatis, posterior petitio designationem bonorum paternorum quæ tenuit. Ad illud non fuit obligatus, cum nec pro hærede nec hæreditatem possideret. Hanc verò exhibere debet quilibet possessor rerum alienarum. (2) Ideo & creditor qui pignoris aut alio nomine cum vel sine titulo tenet res alienas. (3) Probare quidem tenetur actor, quod reus res alienas tenet, (4) at si tenere constat, quid quantumque teneat, non eget probatione sed exhibitione, cujus causa ad exhibendam aut præstandam designationem actio est. (5) Quæ ut fuit ex alia causa antea, quam nunc petita, Ipsum non repetit rei judicatæ exceptio. Sic pronunciatum in. *In causa Margarethæ Bremeri contra Martinam Rhoden die 17. Junii Anno 1657.*

1. Exceptio rei judicatæ non obstat in iis quæ aliqua ratione diversa sunt. *l. cum quantitas 12. l. seq. ff. de Exceptione rei judic.*

2. *Ant. Fab. in Cod. lib. 3. tit. 19. defin. 33. n. 3.*

3. *Carpzov. in juris prud. forens: part 3. defin. 33. defin. 7.*

4. Hoc est ejus qui ad exhibendum agit debitum.

5. *l. 1. tot. tit. ff. ad Exhib.*

DECISIO XXXIII.

Qui aliorum nomine possidet. etsi hæreditatis petitione non conventur, tamen ad inventarii quod confecit, exhibitionem iis quorum interest, tenetur.

QUia hæreditatis petitio non competit nisi contra possessorem, (1) utique alieno nomine tenens dum vere possessor non est, (1) ista conveniri nequit sed conveniendus est cujus nomine possidetur. (3) Attamen minime hæc porrigendum ad inventarii quod iste fecit exhibitionem. (4) Hæc debetur omni cujus interest inspicere (5) & quidem ab omni penes quem existit. (6) Quo circa ubi petebatur hæreditas parentis juxtim inventarium bonorum paternorum per liberos prioris matrimonii à fœmina quæ nomine liberorum secundi matrimonii bona hæreditatis occupaverat, non admissa est hæreditatis petitio, inventarii autem editio est injuncta. *In causa Margarethæ & consortum der Emmerich contra Ingeman Bambams, die 12. Julii Anno 1657.*

1. *l regulariter 9. ff de hæret petit. l. 7. C. eod.*

2. Hic non est possessor sed ut procurator ministerium alienæ possessioni præstat, *l. quod meo 18. pr. ff. de acquir. rei. amitt. possess.*

3 *l. nec ullam 13 §. si quis absentis 1. ff. de Pet. hæred.*

4. In hoc non est petitio hæreditatis, sed tantum præparatio ad illam, & habet instar actionis ad exhibendum, quæ non tantum competit contra eum qui vere & suo nomine possidet, sed & qui impropriè & alieno nomine, *l. 4. l. 5. ff. ad exhibend.* In eo tantum spectatur exhibendi facultas, *l. 5. in fin. pr. §. 1. leg § 4 ff. l. 7 C. eod.*

5 *l 1. pr. & §. seq. ff. de Exhib. Tab.*

6. Quod provenit ex debito revelandæ veritatis

DECISIO XXXIV.

Viduæ maritus factus post ejus mortem privignis de quibus bonis inventarium edere & respondere tenetur.

VIduas qui ducunt uxores & in illarum domicilium transeunt welche zu ihr ins Haus

Haus freyen uti loquimur aut mediante inventario bona quæ penes ipſas ſunt accipiunt ſeu quia vidua confecit, ſeu quia providè tempore nuptiarum de omnibus bonis quæ iſtarum ſunt inventarium confici curant; (1) aut ſine eo cæco impetu in hæc involant, Inventarium tunc confectum norma eſt debiti reddendi vel dividendi bona uxoris cum privignis. (2) Juxta illud vitricus de bonis reſpondet, ita ut tanta & talia tempore contracti matrimonii fuiſſe cenſeantur quanta & qualia reperiuntur deſcripta, (3) Si quæ abſunt vel imminuta fuerint, imputantur vitrico, niſi docet ſine dolo & culpa ſua perempta vel deperdita, qui quoad illa adminiſtratoris vice eſt & rationibus obnoxius. (4) Si inventarium iſto tempore non eſt confectum, vel mater binubia ſemet à liberis ſeparavit, ut fit aut diviſione omnium bonorum, (5) aut aſſignatione portionis certæ; (6) vel ſeparatio nulla facta fuit, ſed mater cum liberis in communione bonorum ſubſtitit alium verò maritum in iſta ſuperinduxit. Separatione facta maritus ſen vitricus inſtar poſſeſſoris alterius hæreditatis eſt, [7] qui aut inventarium aut juratam deſignationem eorum, quæ hæteditaria ſunt, liberis porrigere tenetur, quibus integrum ſi ampliora matris bona exiſtimaverint, defectus allegare & ſupplementum petere. (8) De quo exorta lite præſumptio eſt contra vitricum, qui in bona utriusque parentis ſui venit, quod non ipſius ſed uxoris illa fuerint ideo ubi ſua allegat, probatione opus habet. (9) At ſi liberorum facta non eſt ſeparatio tunc manet bonorum communio, (10) ex qua liberi non diſſortes præcipiunt paterna [11] taliaque omnia illa reputantur, quæ in domo communi, cujus origo eſt à patre liberorum, exiſtunt; (12) donec vitricus ea vel uxoris peculiaria, ideo cum liberis dividenda eſſe, (13) aut etiam ſua eſſe docet. (14) Quocirca ad partes vitrici pertinet, omnia quæ in communionem bonorum venerunt in inventarium redigere & poſtea circa diviſionem qualitatem bonorum paterna an materna an ſua ſunt, docere. (15) Juxta quæ ſic pronunciatum *in cauſa Martini Trancken liberorum primi matrimonii contra Gœdert Rotcrdam die 2. Octob. Anno 1657.*

1. Hoc accuratè in Civitatibus, quæ jure Lubecenſi utuntur, obſervant prudentes, ne cogantur experiri incommoda & damna, quæ ſæpius incurrunt incurioſi, quanto cum gaudio opulentas viduas ducunt tanto cum luctu in damna ſuorum bonorum poſt mortem illarum nec non in onerosa litigia incidentes.

2. *l. fin. C. de Iur. deliber.*

3. Ita tamen, ut liberis integrum ſit, ſi velint & poſſint probare aliqua bona parentum fuiſſe ſuppreſſa ſeu omiſſa. Non carent fraudum ſuſpicione illa tempora, quando mulieres ſecunda vota meditantur, in quibus hæ amoris impetu cæcæ de liberorum ſalute & indemnitate minus ſollicitæ ſunt, Proci vero alienarum opum compendiis magis ſæpe quam ſponte ſtudentes, ſe ditiſſimos fieri liberis quantum fieri poteſt detractum cupiunt, uti experientia teſtatur. Ut inde liberis eo magis proſpici æquum ſit,

4. Omnia iſta bona inſtar dotalium habent, ideo quæ circa hæc mariti debent etiam in iſtis incumbunt.

5. *Iuxta artic. 2. & 3. tit. 2. lib. 2. Iuris Lubec.*

6. *Iuxta artic. 33. eod. tit. 2. lib. 2.*

7. Per jus Lubecenſe conjugibus ſuperſtitibus ex bonis prædefuncti debetur lucrum ſeu portio ſtatutaria, cujus jure bona detinent. ſed ad inventarium tenentur hæredibus, ſeu liberi ſeu alii ſint.

8. *d. l. fin. §. Licentia 10. C de Iur. delib.* Cujus tenor ad omnes pertinet qui de bonis hæreditariis inventarium conficiunt.

9. Hoc ſingulare eſt, quod cum alias bona quæ reperiuntur in communi conjugum domo mariti eſſe præſumuntur, ut & ex bonis ejus acquiſita, *uti de illa præſumptione inter deciſiones noſtras ſæpius ſcriptum* in ea ſpecie, ubi maritus novus à conjuge in bona defuncti ſuper inducitur, nec inventarium legitime confectum eſt, omnia ejus domus, quæ cum priore marito fuit communis, eſſe cenſentur; tum favore liberorum, quibus alias multum noceri poterit; tum odio ſecundarum nuptiarum. tum ob non apparentes ſecundi mariti facultates; tum denique ad excludendum fraudes, quæ hac in re ſunt frequentes; tum ob æquitatem, ut ſi quibus inde eſt incommodum, eorum ſit qui ſibi & liberis proſpicere potuerunt & debuerunt, ideo ſibi meritò neglecta imputabant.

10. Iſta communio per ſecundas nuptias non finitur niſi accedente diviſione vel ſeparatione.

11. *Vid jus Lubec. lib. 2. tit. 2. artic. 28. ubi plura huc pertinentia expoſui.*

12. Omnia mariti præ defuncti eſſe reputantur, quæ ſunt in illius domo *Peck. de Teſtam. conjug. l. 1. cap. 2. num 1. Covarruv. lib. 3. var. reſolut. cap. 19. num. 3*

13. Nihil mulieris in domo mariti eſſe creditur, niſi quod illatum docetur, *l. Quintus 51. ib. gloſſ. & Dd ff de Donat. int. vir. ex uxor.*

14. Vitrico propria ipſius manent ſed ſi talia docet

15. In hoc utriusque jam dictæ ſpecici diſcrimen inſigne eſt. Ubi cum liberis non ſupereſt communio, ſua in inventarium non redigit, ſed tantum ubi in iſta bona ſua maritus confudit. Diſtinctio ad diviſionis articulum pertinet. Sic pronunciatum ſcio

DECISIO XXXV.

Modus procedendi ad rectificationem inventarii congruus.

POſtquam vitricus, cum quo ptivigni diviſionem maternæ hæreditatis intendebant, inventarium exhibuerat, & quæſtio exoriebatur, tum de inferendis bonis, tum de defectibus, reperiebatur in priori inſtantia non exigua circa iſta, quæ ad rem hanc pertinebant, concluſio. Exiſtimatum autem eſt, primo loco deciſionem ejus quæſtionis faciendam eſſe, de quibus bonis inventarium à vitrico conficiendum atque exhibendum fuit. (1) Deinde poſtquam de hac res definitur, non convenit ſtatim

Digitized by Google

super iuvenrario exhibito juramentum debere sed prius oportet ab hæredibus vel liberis allegationem defectuum exspectare, suâ sine jus jurandum non est necessarium, (2) Ubi vero defectus allegati fuerint, incumbit vitrico inventarium conficienti super iis respondere, (3) ut appareat quos confiteatur aut emendare offerat: Siquidem negaverit ab adverso oppositа aut simul satis diluit, ideo ultra non tenetur aut vero in sola negatione subsistit, & tunc si nondum factum, liberos oportet rationem & argumenta suæ allegationis afferre. (4) Judicem vero illa examinare. (5) Haud vero ad prolixiores disputationes super iis partes admittere decet, sed saltem utrâque parte citata quæ hinc inde proferuntur judex audiet aut commissariis delegatis explorari faciet: (6) Post talia demum statuet pro qualitate prolatorum, an absolvet vel condemnabit. Siquidem vero similiter constat, ea quæ addi petuntur, defuncti aliquando fuisse, non super eo admittitur juramentum, sed opus est probatione successorem non accepisse. (7) Alias ubi de iis dubium supereſt, & qui inventarium confecit præsumptione quadam oneretur juramento innocentiam asserere opus habet. (8) *Iuxta hæc dicta est inter eosdem sententia.*

1. Est hæc velut præjudicialis quæstio ideo prius terminanda. *l. fin. C. de Ordin. Cognit.*

2. Est hoc juramentum purgationis. *vid. Heig. part. 1. quæst. 40. num. 21.* cui non est locus nisi ex præcedente suscipione vel adversa conjectura. *Castrens. in l. præsenti C. de his qui ad sacr. Eccles. confug.*

3. *Iuxta l. de unoquoque 47. ff. de Re Iudic.*

4. Alleganti defectum inventarii incumbit probatio *l. 2. ff. de Prob.*

5. Judicis arbitrio multa sunt circa ea relicta quæ ad inventarii rectitudinem pertinent, ut pro diversitate circumstantiarum statuat, quæ supplenda, vel purganda sint. *Abbas in c. ult. n. 9. qui accus. non poss.*

6. Hoc compendium examinis circa defectus inventariorum expedit ad evitandas multas atque longas lites, ideo semetipsum commendat.

7. Contra præsumptionem, quod omnia quæ apud defunctum fuerunt ad successorem pervenerunt. *l. 1 & seq. ff. de Fide juss. tut l. omnis 139. ff. de Reg. Iur.* non committur soli ejus conscientiæ, cum se non accepisse dicit. *Menoch. de Præsumpt. lib. 4. præs. 77. num. 3. seq. Plot. in tract de in lit. Iurand. §. 50. num. 10. Caroc. in tr. de Deposit. part. 10. rubr. Actio tertia. contra Deposit. num. 4.*

8. Cum non repugnant graviores præsumptiones, possessor autem oneratur aliquibus argumentis, juramento utimur. *l. fin. §. Licentia 10. C. de Iur. deliber.*

Sententiæ is tenor fuit.

In Sachen Marten Tancken Kinder Vormunder Appellanten wider Göddert Roterdam Appellaten in puncto hæreditatis jetzo inventarii werden gravamina als überflüssig nicht / sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen und erkandt daß von Richter erster Instantz den 23 Februari und 9. Martii / lauffenden Jahres wegen angeordneter transmission der Acten übel verabscheidet / wol appelliret / und dieselbe dahin zu reformiren / daß ohne solche gantz unnöthige Weitläufftigkeit / was bereits erkandt / zum Effect und Richtigkeit zu bringen / demnach denn Appellate mit Abstattung deß Eydes denen den 17. Jan. und 5. Febr. gegebenen Bescheiden zu geleben / darauff dann die in actis vorgebrachte Defecten durchzugehen / von Appellanten was bey den angezogenen Defecten nicht gestanden / Rechtlich beyzubringen / und demnach von Appellaten darauff das Inventarium zu suppliren / auch vermittelst Eydes zu erhalten / deßwegen dann Commissio so wohl zu Auffnehmung deß Eydes / worzu in vierzehen Tagen Appellat sich zugestellen sub pœna contumaciæ schuldig / als zu förderlichster Erkündig- Beybringung und examination der streitigen Defecten anzuordnen / Nach dero Verrichtung und ankommender Relation ergehet alsdann im übrigen / was recht ist / von Rechts wegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 20. Octobr. Anno 1657.

Hoc est: in causa Martini Tancken liberorum tutorum appellantium contra Göddert Roterdam appellatum in puncto hæreditatis modo Inventarii gravamina velut superflua non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus, à judice primæ instantiæ 23. Febr. & 9. Mart. currentis anni ratione demandatæ transmissionis actuum male decretum, bene appellatum, & decreta eo reformanda, quod absque tali superflua prolixitate illud, quod decretum ad effectum deduci, exinde appellatus circa præstandum juramentum decreris 17. Jan. & 5. Febr. latis parere, exinde defectus in actis allegati examinari, ab appellante quod ex allegatis defectibus non admittitur, prout juris doceri, exinde inventarium ab appellato suppleri & mediante juramento obtineri, præterea commissio ad præstationem juramenti, in quem finem appellatus intra quartumdecim dies sub pœnâ contumaciæ se sistere obstrictus est, quam ad celerrimam investigationem, probationem & examinationem controversorum defectuum decerni debeat, qua finita & relatione præstita fiet alterius quod juris, idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 20. Octobr. Anno 1657.

DECISIO XXXVI.

Hæres adeundo non perdit legatum, nec quod debuit defunctus, nec quid ipse debet, & de utriusque differentia.

APpellatum est à sententiâ quæ legata adimebat legatariis, ex ea ratione, quod simul hæredes essent, quam appellantes putabant illegitimam, quandoquidem per leges hæredi legare & prælegare licet, isque legata non minus quam alius quisque capit. Non apparebat autem satis perspicue, qualia

Digitized by Google

qualia essent ea de quibus quæstio erat legata, utrum defunctus, cui succeditur, debuisset an dedisset. Inter quæ differentia est. Illa quippe velut aditæ hæreditatis onera, (1) siquidem separatio petitur, (2) aut ipso jure existit, (3) sunt ante omnia defuncti credita; (4) horumque nomine legatariis si nondum acceperint, & quidem rerum singularum vindicatio; alias hypothecaria actio competit ex legali hypothecâ quæ afficit omnes res hæreditarias. (5) Quod si vero jam acceperint, ut sua retinent nec ex aditione ad restituendum tenentur. Quod attinet alia à defuncto cui succeditur, hæredi relicta, interest inter legatum simplex & prælegatũ. (6) Illud siquidem datum sit à cohæredibus totum utile est. (7) Si vero ab omnibus simul hæredibus qua partem istius cui legatur siquidem hæreditatem adit, (8) inutile habetur non ut ipsi decedat id quod legatur, nec retinere queat, seu ut alteri cedat, sed quia ejus à se ipso nulla petitio est, & quod jam habet ut hæres iterum ut legatarius capere non potest. Ut id tanquam hæres habeat, est ipsi actio familiæ erciscundæ contra cohæredes, (10) & petitio hæreditatis adversus alios quâ partem cohæredum valet legatum. (11) Prælegatum totum debetur & præcipitur, ideo etiam jure deducitur & retinentur. (12) Nec impedimento est quæ ex aditione hæreditatis oritur confusio. Hæc ex corcursu jurium in ead. persona tollit quidem quod hæres debet, aut ut hæredi debetur quousque hæres est, (13) non verò quâ alios & extra suam partem jura hæredis abolet. (14) Nedum quæ ejus sunt tanquam legatarii. (15) Placuit ideò appellantentem audiri & processus decerni *ad preces Margaretha Platen & consortum contra Iohann Brummern, die 14. Sept. Anno 1653.*

1. Legata sunt donatio qua dantem & accipientem, §. *1. Inst. de Legat.* qua debentem instar æris alieni, *l. fin. C. Comm. de Legat.*

2. Etiam Legatariis proficit separationis beneficium, *l. quoties 6. pr. ff. de separat.*

3. Aliquando bona separantur lege aut consuetudine, per quam inducitur, ut creditores defuncti sit ante omnia credita successoris, uti in Pomerania atque Megapoli hoc obtinet.

4. Separatio bonorum tribuit jus prioritatis creditoribus ac legatariis in rebus hæreditariis, *l. & tot. tit. ff. de separat.*

5. *l. 1. Commun. de Legat.*

6. Hanc differentiam annotat JCtus *in l. 4. §. qui 6. ff. quod Legat.*

7. Licet legare abomnibus hæredibus, ab uno, ab aliquibus, uti placuerit testatori. Uni hæredum à cohæredibus legatum ex horum partibus tantum debetur illi tanquam alii extraneo, *l. Quod si autem ff. de Leg. 3.*

8. Cum abstinet aut repudiat, secus res habet, *l. quisiliabus 17. §. fin. & l. seq. ff. de legat. 1.* pro hærede enim non habetur, *l. si filius 12. pr. ff. de interr. in jur. fac.*

9. Sic datum legatum iuutile est, *l. & quidem 18. l. plane 34. §. si duobus 11. ff. de legat. 1.* A semetipso legatari non potest, *l. legatum 116. §. 1. d. tit.*

10. Ea ratio redditur, *in d. l. legatum 116. §. 1. verb. quia à se vindicare non potest.*

11. Sic distinguitur *in dict. l. qui filiabus §. 1. & seq. fin. de legat. 1.* à cohærede actione hac percipi datum ut hæreditarium, à se verò tanqnam legatum non peti.

12. *d. l. legatum* 116. §. *1 ff. de legat. 1.*

13. *Vid. de hoc plura ap. Hill. ad Donell. l. 8. c. 7. l. b. &c.*

14. *Bald. in l. debitori num. 4. C. de Pact. Molignat. in tract. de Retent. 189.*

15. *l. debitor l. pater ff. ad L. Falcid.*

DECISIO XXXVII.

Hæres inventarii exceptione non gandet, qui alia etiam ex causa in solidum & ultra vires hæreditatis tenetur.

APpellavit conventus ob debitum patrui cui successit, sed non tantum ut hæres istius, sed etiam ut hæres patris, qui fide jusserat pro eodem debito. Condemnatus autem in solidum, decretâ factâque immissione in bona à parente accepta pro gravamine attulit, se excluſum à beneficio inventarii, juxta quod ex bonis patrui, cujus hæreditatem eo mediante adierat, non tenebatur ultra ipsorum vires, (1) & petebat separari bona. (2) Quod si non aliter, quam ut hæres patrui ad solutionem obligatus fuisset, cæteris paribus ut exceptio, sic querela justa foret. At quando etiam ut hæres patris ex hujus fidejussione reus erat, ideo in quod illius bona non sufficiebant ex hujus patrimonio solvere debuit. (3) integrumque Creditori erat, an ipsum ut hæredem patrui, an ut patris convenire vellet, (4) inanis est ista exceptio nec admittenda, cum prævideretur nihil profuturam. (5) Nec juvare potest, quod reus non ut hæres patris, sed ut successor patrui coventus erat; Præterquam enim quod de eo nondum apparuit, sufficit ex actis atque tenore obligationis constare, duplici ex causa reum teneri, (6) & etsi ex una liberum, tamen ex alia condemnandum esse. Habetur in hoc ratio actoris, ne inanis sit actio, nec admittitur exceptio quæ exitum usumque habere non potest. Nec enim judex duplicare debet lites, ubi simul potest unâ sententia omnem perimerè. Juste decidit, etsi speciatim non petitum, quod ex actis apparet & ad causam terminandam pertinet, magis adstrictus causæ quam actionis speciei. (7) Quamvis itaque si saltem ut hæres debitoris appellans teneretur justa provocandi causa videri posset, haud tamen, ubi aliunde pro eodem debito teus est, *ideoque negati sunt processus Christophoro Cluvern, contra Claus Roloffs & Statium Grimmen, die 19. Sept. Anno* 1653.

Digitized by Google

1. E beneficiis inventarii est, quod hæres non tenetur ultra vires hæreditatis, *l. fin. §. etsi præfatam 4. C. de jur. delib.*

2. Inventarii juri inest effectus separationis bonorum hæredis & defuncti, cum ex sua substantia hæres penitus nihil amittat, *d. l. fin. d. §. & si præfatam.*

3. Facultates Fidejussoris supplent bona debitoris, cujus loco ille est & habetur, *l. 4. ff. de Fidejussorib.*

4. Est actionis contra utrumque arbitrium creditori, inde etiam electio & ab una ad aliam transitus, *l. pen. C. de Fidejuss.* multo magis ubi in eandem personam coincidunt.

5. Inanibus nec immorabitur judex, nec partes immorari sinet, *l. quisquis 15. C. de rescind. vend.*

6. Non est novum, ut duæ obligationes in unius persona concurrant, *l. generalium 5. ff. de Fidejussor.*

7. Non solicitus est judex de actionis formâ, si aptam rei & proposito negocio competentem constat, *l. 2. C. de Formul. & impetr.*

DECISIO XXXVIII.

Casus quando Fidejussoris, etsi reo hæres sit, obligatio non extinguitur per additionem hæreditatis, sed in illum manet actio.

IN eâ specie, ubi hæres fidejussoris succedit quoque ei, pro quo fidejussio facta erat, cum ab illo ut hærede debitoris per beneficium inventarii solidum consequi non liceret, (1) dubium incidit, an ut contra hæredem fidejussoris actio supereresset, seu an quod non licet assequi ab illo ut tali, solvere deberet ut fidejussor? Videtur obsistere quod generaliter Julianus ait, eum qui hæres existit ei pro quo interveneral, liberari ex causa accessionis, & solummodo quasi hæredem teneri, ideoque si fidejussor hæres existit ei pro quo fidejussionis liberari. (2) At sicut oritur ea sententia in concursu utriusque obligationis in eadem personâ ex confusione, quæ facit alteram desinere, (3) & cum alterutram oporteat cassare, eam quæ minus plena atque accessoria est, perimit; (4) Ita ubi cessat aut non fit ea confusio, sed uterque respectus manet, separatur, non evenit illa confusio, (5) ideoque nec alterius extinctio, sed utrâque actione sic agitur, ut agi potuit ante additionem, veluti si separatio bonorum petitur, (6) aut fit id ipsum quod ejus loco est, vimque ejus habet, nempe cum hæres mediante inventarii beneficio hæreditatem adiit. (7) Similiter si contingit plenius esse debitum in fidejussore quam in reo, seu plus ab illo quam ex hujus relictis bonis posse accipi, non intelligitur extincta obligatio fidejussoria, sed tanquam plenior durat, (8) Perinde est ubi ex confusione vel extinctione creditori damnum aliquod imminet. (9) Ex quo itaque hæres rei principalis non voluit teneri ultra vires hæreditatis tum oppositio beneficio inventarii, tum ratione petitæ inde separationis, tum ex pleniori obligatione patris, ex qua in solidum tenetur, obnoxius manet ad id, quod ex bonis defuncti rei non est sperandum. (10) *In eadem causa.*

1. Ex hoc non est ultra vires hæreditatis obnoxius hæres de cætero liber ab actione, nihil de suo solvere.

2. *Vid. l. generaliter 5. ff. de fidejuss. ubi ratio hujus sententiæ exponit.*

3. Confusio est modus liberandi, & fit, si reus fidejussorem hæredem habet. Generale enim est, ut ubi obligationi, quæ sequelæ locum obtinet, principali accedit, confusa sit, *l. si duo rei 93. §. sed & si 2 ff. de Sol.*

4. *d. l. generaliter 5. ff. de fidejussorib.*

5. Cessante ratione & causa confusionis, cessat confusio, *c. cessante x. de Appellat.*

6. Ejus Exemplum habes *in l. 3. ff. de separat.* Separatio restituit omnia in eum statum atque si nulla facta esset confusio, sed diversæ personæ diversa patrimonia, *l. 1. & tot. tit. ff. & C. de seperat.*

7. Inventarium vim separationis habet, *d. l. fin. §. sed & si præfatam & ib gloss. & Dd. C. de jur. delib.* ideo impedit confusionem bonorum, obligationum & actionum, *d. l. fin. §. in computatione 9.*

8 Hanc limitationem indicat *d. l. generaliter 5. ff. de Fidej.* & ibi notat *Gothofr. lit. a* Ideo dicit extingui fidejussoriam, quia principalis plenior est, ergo à contrario sensu, ubi fidejussoria plenior est, durat, idem traditur & exemplificatur *in d. l. 3. ff. de separ. bonor.*

9. Neque enim juris ratio, quæ causam fidejussionis propter principalem obligationem quæ amplior fuit, excluserit, damno debet afficere creditorem, qui sibi diligenter prospexit, *uti habent verba Papiani in l. debitor. 3 pr. ff. de separat.*

10. Qui beneficio pro se uti cupit, eodem vicissim alios contra se frui sinere oportet, *l. 1. pr. ff. quod quod quisque de jur.*

DECISIO XXXIX.

Cum beneficio Inventarii adiens per omnia hæredis loco, & jure censetur, præterquam quod quæ ex isto proficiscuntur, singularia habet.

ERror est multorum, qui cum inventario hæreditatem adeunt, hæredes non esse, unde ea non infrequens exceptio, se non esse, sed adiisse mediante inventarii beneficio. (1) Non minus hi, quam qui simpliciter adiit, hæredes sunt, nec alio jure ac loco censentur. (2) Omnia de hæredibus justa & constituta adversus illos obtinent, (3) saltem in eo peculiari jure fruuntur, quod per leges aut mores beneficio inventarii additum fuit. (4) Quatenus ex hoc quædam hæredi istud conficienti relaxata aut indulta sunt, singulari utitur jure, in quibus non est illius aliquod peculiare beneficium, censetur ut pure hæres, & ut

hæres

Digitized by Google

hæres tenetur ad ea quæ hæredi & in hæredem conveniunt: *In eadem causa.*

1. Illum errorem ita castigavit & rectius docuit, *Faber. in Cod. l. 6. tit. 11. defin. 13.*

2. Non est enim inter illos præterquam ex beneficio inventarii differentia. In quibus hoc non facit diversitatem, in iis manet idem jus, & quoad hæredem cum inventario exceptio confirmat jus in casibus non exceptis.

3. *Ita ostendit l. fin. C. de jur. delib.*

4. *Vid. Fabr. dict. defin. 13. num. 2.*

DECISIO XL.

Separatio bonorum, post ea semel commixta, ab hærede per inventarii beneficium peti & obtendi non potest, id verò, ut ultra vires hæreditatis non teneatur, remanet.

INventarii beneficium bona hæredis & defuncti separare quà creditores ex Constitutione Justinianeâ constat, (1) eique consentaneum est, ut hæres à creditoribus conventus iis possit cedere hæreditatem semel aditam, & ea cessione semet ab ulterioribus actionibus liberare. (2) At eo usque competit ea facultas, si non bona defuncti & hæredis confusa & unita sunt, (3) quod evenit illis in eam conditionem deductis ut creditoribus defuncti, eâ cum utilitate præstari non possint, cum quâ pervenerunt ad hæredem, quibusdam forte alienatis aut immutatis aut deperditis. Perinde etiam erit, si longó tempore usus sit hæres bonis defuncti ac difficile foret dignoscere, quantum ex perceptis hæreditatis sit. Imò etiam ex quavis commixtione decedit separatio. (4) Ejus jure & beneficio si hæres frui cupit, oportet bona tenere separata, (5) quod si hoc non fecerit iis semel commixtis post multum temporis illo frui non poterit, quod facto contrario abdicavit. (6) Quare ei non proficit exceptio inventarii, ut impediat immissionem in bona propria ob debitum hæreditarium, nisi statim exhibere poterit ex hæreditariis unde creditori satisfiet. Est enim ex eo quod hæres fuit debitor redditus, & ut hæres pure convenitur extra ea quæ ex beneficio inventarii competunt. (7) Quæ desinentia eodem loco rem constituunt ac si nunquam fuerunt. (8) Hoc tamen perpetuum est, & post confusionem etiam remanet, quod hæres qui inventarium confecit, non tenetur ultrà vires hæreditatis, (9) ideo exhibito inventario docere semper potest se tantum jam solvisse atque in hæreditate fuit. Quocirca cum postquam bona diu commixta fuerunt, hæres sub obtentu confecti à se inventarii separationem peteret & ea denegata esset, appellationem interpositam non admittere placuit, tum quia incongrua erat ac sera nimis post confusionem semel factam separatio; (10) tum quia sine gravamine, dum integrum erat de cætero beneficium. Sicuti decretum fuit *ad libellum supplicem Christophori Cluvers, contra Creditores, die 17. Sept. Anno 1653.*

1. *Vid. l. fin. §. & si præfatam 4. C. de jur. deliber.* Ex quo putatur hæredem implorare officium judicis super separatione bonorum citatis creditoribus & legatariis quorum interest. *Rol. à Vall. de Confect. Invent. §. Decima est utilitas num. 6.* Quæ tamen propriè non est separatio, quæ ex petitione & decreto, sed quæ ipso jure competit impediente inventario, ne immixtio fiat, *uti notabiliter docet Phan. de Phanuciis de Inventar. har. part. 3. num. 19.*

2. Quod prolixius docet *Carpzov. part. 1. decis. 25. per tot.*

3. Separatio bonorum non potest impetrari, postquam bona hæreditaria bonis hæredis mixta sunt, *l. 1. §. præterea 12. ff. de separat.*

4. Contraria quippe sunt confundi, & velle habere separata, nec potest nisi unum ex iis subsistere, *l. generaliter 5. ff. de Fidejuss.* nec enim in eodem subjecto subsistunt, *l. Titia. 100. ff. de Condit. & demonstr.*

5. Beneficium inventarii est, ut per separationem legalem bona defuncti & hæredis, sicut aliàs fit, non habeantur unum patrimonium, sed velut duo distincta bona, *l. 1. §. 1. ff. de separat.* At non ultra durat, quam si bona non confunduntur; Eo ipso desinit separatio, nec unquam id tribuitur inventario, ut semel confusa postea iterum separentur. Ex lege enim ob inventarium competit separatio sine petitione. At ut post confusionem petere liceat, sine lege asserere merito dubitamus.

6. Facto contrario fit abdicatio juris, nec ad semel renuncunciata datur regressus, *l. si quis 11. C. de reb cred.*

7. Sicut hæres cum defuncto una eademque est persona; *l. dabimusque 19. §. 1. ff. de reb. autor. jud. possid.* Ita utriusque una eademque bona si non separantur.

8. Paria sunt non esse & cum fuerit, desinere.

9. Per inventarii beneficium hæres perpetuo servatur indemnis, *l. ult. §. licentia 10. Cod. de jur. delib.*

10. *d. l. 1. §. Præterea ff. de separat.* Quinquennium etiam elapsum erat, quod multum temporis habetur, & excludit aliàs separationem *d. l. 1. §. quod dicitur 13.*

DECISIO XLI.

Possessor bonorum hæreditariorum tenetur ad inventarium cohæredi exhibendum.

DEfunctâ fœmina in ædibus unius cohæredum integrum fuit hæredibus conjunctim custodiam, curam & descriptionem bonorum hæreditariorum suscipere, (1) si verò ille cæteris restitit, & ad hæreditatis apprehensionem eos admittere noluit, solus ad hanc & inde inventarium cohæredi exhiben-

Digitized by Google

hibendum tenetur. (2) Nec tantum de iis domi suæ reperiuntur, sed etiam quæ alibi esse, & ad hæreditatem pertinere scit, describere tenetur. (3) Haud excusat aliqua bona apud cohæredem existere, seu cum eo fuisse recondita; de hoc in inventario referre non ideo istud denegare oportet. (4) *Inter ipsa Nicolai Severin contra Ioannem Küssendorp, die 22. Ianuarii. Anno 1654,*

1. Sic decet conjunctim in communi hæreditate occupanda versari, injustum & violentum est, cum unus alii præripit aut anticipat. *Gail. de Arrest. cap. 1. num. 22.*

2. Inventarium petere possunt omnes quorum interest. *l. cum plures 15. ff. de reb. autor. Iud. possid Faber. in Cod. lib. 3. tit 19. defin. 33.* & exhibere tenentur quinque possident res alienas vel communes & restitutioni sunt obnoxii, *Vasqui. de Success. lib. 1. §. 6. num. 45. Rauchbar. quæst. 30. part. 1.*

3. Inventarium oportet complecti omnia bona quorum scientia est penes detinentem, *l. fin. C. de jur. delib.*

4. Alterius factum ab eo quod petitur diversum non liberat ab officio seu debito alium.

DECISIO XLII.

Jurata designatio pro inventario est, ubi hoc saltem pro notitia bonorum requitur.

UT hæres ultra vires hæreditarias creditoribus non teneatur haud quævis designatio etsi jurata fuerit, sufficit. (1) Attamen ubi alius finis vel effectus inventarii non est, quam notitia bonorum si illud non confectum, ejus loco jurata designatio admittitur, (5) vicemque inventarii habet. Quocirca cohæres non ultra illam adstringitur, ubi cohæredi inventarium exhibere tenetur & jubetur. (3) Sic pronunciatum *in causa Claus Severin, contra Hanns Klüssendorff, die 10. Aprilis, Anno 1654.*

1. Inventario hæredis, *in l. fin. C. de Iur. delib.* certa forma præscripta est ad unguem servanda, qualem non acceperunt à lege alia inventaria.

2. Jurata designatio est loco inventarii ex communi consuetudine atque necessitate, quando hoc non est confectum, *l. 2. ib. gloss. verb. Iurata §de Cod. quomod. & quand. quart. par. Moller. lib. 2. Semestr. c. 14. num. 5. Rauchbar. part. 1. q. 29. num. 2. & seq.*

3. Inventarii forma creditores concernit, *ut ita tus contextus d. l. fin. C. de Iur. delib. indicat.* non eo hæredes.

DECISIO XLIII.

Hæres etsi Inventarium, de cujus beneficio excipit, non exhibet, tamen non condemnatur, si vel ante exhibuit, vel statim exhibere paratus est.

CUm hæres, qui de inventarii beneficio excepit, ne ultra vires hæreditatis condemnetur, simul illud ipsum non produxisset, in dubitationem venit, utrum audiendus & executio ut petebatur, sistenda esset? quia hæres cum Inventario dici nequeat illo non existente; (1) existere non intelligatur, nisi eo apparente. (2) Alias enim purè quis hæres reputatur, & statim in solidum condemnatur. (3) Sed quia appellans unà allegabat, id confectum fuisse, & ex actis de eo constare. ad illa se referebat. (4) Præterea ad exhibendum semet offerebat, (5) terminum & citationem ad partem rogans, perinde esse videbatur, ac si, productio jam facta fuisset, cum nec proficeret, nisi exhibitionem vidente & audito adversario, adeoque nihil moræ in eo erat, quod non præsens adesset, nec eo minus confestim vel in continenti exhibitum dicendum, quod in justo vel congruo termino fiet. (6) Multo magis autem verbalis oblatio sufficiet ad sistendam executionem, ex actis apparet partem adversam illud non gasse. *In causa Herrn Grafen Erich Steinbock, contra Walschleben, die 28. Iulii, Anno 1654.*

1. Inventarii benficium non oritur ex illo quali quali, sed solenniter juxta requisita legis confecto. *l. fin. §. 1. & seqq. C. de jur. delib.* Quocirca oportet de illo tanquam de intentionis fundamento ante omnia constare.

2. Paria sunt in talibus non esse & non apparere, *l. duo sunt 30. de Testam. tuel.*

3. *De hoc & ejus justa ratione vid. Fabr. in Cod. lib. 9. tit. 11. defin. 8.*

4. Relatum inest in referente, *l. Theopompus ff. de dot. prælegat.* & paria sint quid proferre & ad aliud se referre, *l. Institutio ff. de condit. Instit. l. Tutia §. fin. ff. de V. O.*

5. Paratus statim facere, si per eum non stat, ne simul fiat feciisse intelligitur, *l. 24. ff. de Condit. & Demonstrat.*

6. Verbum in continenti non sic accipitur, ut in eodem momento fiat, sed ut in eo spacio, quod pro ratione rei conceditur vel necessarium est, *l. promissor. 21. §. sisine ib. gloss. & ff. Dd. de Constit. pecun.* id quod Judicis arbitrio relictum, *Menoch. de Arbitr. Iudic. Quæstion. lib. 2. cas. 22. num. 4.*

7. Quod pars non disputat vel movet, id Judex pro concesso & confesso habet atque sequitur, *Wesenbec. in Paratitl. tit. Cod. de Confess.*

DECI-

DECISIO XLIV.

De Processu post oppositam & admissam ab hærede Inventarii exceptionem observando.

CUm hæres creditori adversus se agenti opponit exceptionem inventarii, primum est, ut statim de inventario constet; quocirca ejus exhibitio exigatur, & mandetur, præfixo brevi termino citatis his quorum interest: (1) alterum, ut fiat bonorum, quæ inventario describuntur discussio. (2) Quam ante omnia ut hæres promoveat, & ad finem producat à Judice providendum, ad cujus partes spectat ejus maturationem hæredi injungere, ideo terminum intra quem fiat præfigere, (3) nisi intrà eum perageretur, non ultrà exceptionem, quam probare moratur, attendere, (4) sed hæredem ex mora fraudis suspectum, & creditoribus nocentem condemnare, (5) multo magis decretam executionem at opposita ea exceptione suspensam perficere. (6) Pertinet autem ad discussionem, ut ex Inventario demonstretur corpus tubonorum, tum æris alieni: deinde de istis administrationis ratio reddatur. (7) Porrò aut juxta eorum vires creditoribus solvatur, aut pro rata insolutum dentur. Pro eo faciendo terminus possessori hæreditatis præfixus est *in eadem causa*.

1. Quia hoc pertinet ad fundandam intentionem hæredis ante omnia doceri debet; *l. fin.* C. *de Edend.* Non facta exhibitione condemnatio fit tanquam purè hæredis. *Fab in Cod. lib. 6. tit. 11. defin. 8.*

2. *Fab. in Cod. dict. 11. defin. 1.* Statim quippe curandum, ut creditoribus ex bonis satisfiat. *l. fin. §. etsi præfatum* C. *de Jur. delib.* quod sine discussione fieri nequit.

3. Pro perducenda maturè ad finem discussionis instantia hoc remedium justum & solitum dicit. *Faber in Cod. lib. 6. tit. 11. defin. 4. num. 9.*

4. Quia debitum extra controversiam est, saltem debitori beneficium, ut possit docere tantum in bonis non esse; Si hæc non demonstrat intra terminum juste contra eum tanquam debitorem devenitur ad condemnationem, *l. si debitori 21. ff. de Judic.*

5. In mala fide nec tolerandus aut juvandus est, qui actorem frustratur, ne ad finem lis deveniat, *l. fin. ff. de Procurat.*

6. Non producto inventario, nec præstitis iis, quæ ejus beneficio conveniunt, indignus isto est, ideo tanquam pure seu absolute hæres fit obnoxius. *Faber in Cod. dict. tit. 11. defin. 8. num. 1.*

7. Hæc est ea computatio patrimonii, cujus mentionem facis, *d. l. fin. §. in computatione 9.* C. *de jur. delib.* Nos discussionis instantiam vulgo vocamus.

DECISIO XLV.

Discussio aliquando cum uno creditorum incunda.

DIscussionis processus, qui super inventarii beneficio ad discutiendas vires hæreditatis instituitur, regulariter est universalis, ut super omnibus bonis totâque hæreditate ita cum omnibus creditoribus conjunctim, ratio discussionis ineatur. (1) Quâ de causa creditorum & legatariorum concursus iniri, & convacatio fieri solet. (2) Cui etiam consequens, quod extra illum unus vel alter creditorum discussionem petens non auditur, sed ad concursum remittitur: (3) Inde etiam hæredi pendentis cum creditoribus discussionis causæ exceptio competitit, cujus virtute à processu speciali seu petitione separatæ discussionis se liberare, & remissionem ad causam generalem petere potest. (4) At excipiendus est hic casus, si hæres omissâ istâ cum creditore aliquo in separatam disceptationem super viribus bonorum descendit & offert, adversus illum talem corporis bonorum, & æris alieni demonstrationem, unde ipsi constare queat, quod cedere nec executionem in solidum prosequi, sed potius oblatum è bonis recipere debeat: (5) Eo ipso hæres renunciat suo juri, & ut cum aliquo cœpit Judicium, sic continuare cogitur. (6) Est potissimum hæredum causâ introductum, ut in universum discussionis instantia peragatur. (7) Cui quoad se renunciare potest, (8) & renunciat, ubi ad particularem & separatam unius actionem respondet, & adversus illum separatim demonstratione virium hæreditatis defungi vult. (9) Nec interest, si tantum pro lite cum ipso amicabiliter componendâ id fecerit, cum protestatione & in eventum petitione, si non transigetur, ut creditor ad communem discussionis instantiam remittatur; Nam & in eo Judex voluntatem ejus rectè sequitur, dum non vult de hoc prius judicandum, antequam illud fuerit tentatum. (10) Quemadmodum Judex isti tractatui deesse non debet, nec potest, ita justè summariam cognitionem super viribus hæreditariis separatim præmittit, & illuc facienda decernit. Accedebat vero quod reus inventarii exceptione utebatur, quam probare oportebat. (11) Quod tamen in ea specie nisi per discussionem fieri poterat. (12) Ita & factum *in eadem causa*.

1. *Ita suadet & monet Fab. in C. l. 6 tit. 11 def. 4. in fin.* Sic expedit & æquum est communem causam communiter tractari, nec ab illa separatas aliquorum partes fieri. Fuit quippe pro ea discussione concursus creditorum.

2. *l. fin. §. sin autem dubius 2.* C. *de jur. deliber.* qui textus facit mentionem citationis eorum, quorum interest ad confectionem inventarii. Quæ etsi per

Digitized by Google

per mores nostros hodie remittitur, tamen postquam super confecto inventario initur bonorum discussio, omnium citatio est necessaria & usitata.

3. *Faber in Cod. dict. tit. 11. defin. 40. in fin.*

4. Est hæc litu pendentis exceptio, quæ ex concursu creditorum nascitur, & specialibus petitionibus obsistit, *l. quod autem 6. §. sciendum 7. §. ff. quæ in fraud. credit. ubi ratio redditur, quod paria sint omnium creditorum jura*, quæ æque sub pendende hæreditatis discussione valet. Unde interea adjudicatio omnis differtur, *Faber. in Cod. lib. 6. tit. 21. defin. 4. num. 10.*

5. Est ejus & quidem huic similis species, *ind. l. fin. §. fin. vero creditores. 5. §. seq. C. de jur. deliber.* ubi post solutionem primo venientibus creditoribus facta m cum superveniente solo discussio fit, & per hunc demonstratur, nihil in hæreditate superesse, ideo liberum esse hæredem. Non enim exhausta illa doceri adeoque exceptio fundari potest, nisi discussione suscepta.

6. *l. ubi 30. ff. de judic.*

7. Est quidem hæredi *juxta d. l. fin. §. etsi præfatam 4. C. de jur. delib.* liberum primo venientibus solvere, & concursum non excitare. Attamen si ita melius videtur, est integrum atque concessum nulli solvere, donec discussio fit, quo ita tutus sit. *Sichard. ad d. §. etsi præfatam.* In hac ejus quoddam beneficium atque compendium est, quo uti necessarium, ubi gravius æs alienum metuitur.

8 Renunciare licet juri pro se introducto, *l. pen. C de pact.*

9. Continentiæ causæ, quoties se dividi finit, renuntiari potest & renunciatur, si non dividendi exceptio ante litis contestationem omittitur. *Petr. Frider. Mindan. de contin. caus. lib. 3. cap. 2. n. 5.*

10. In his quæ ad patres spectant, ubi consentiunt eorum voluntatem Præter sequitur, *l. juris Gentium. 7. §. fin. ff. de Pact.*

11. *Lin. exceptionibus 19. pr. ff. de Probat.*

12. Hæres de exhausta jam per solutionem hæreditate, aut quod idem est omnibus creditoribus non sufficere excipiens, non aliter quam per computationem patrimonii seu per discussionem docere potest; *d. l. fin. §. in computatione 10. C. de jur. delib.* Quæ sic in judicio fieri solet, uti non semel ita exactam & præscriptam scio, ut hæres cogatur, exhibere inventarium, ut ex eo cum hæreditatis vires ab una, deinde æs alienum & necessariæ impensæ ab altera parte appareant, super eo ista computatio deinde ineatur.

DECISIO XLVI.

Ad inventarii editionem non tenetur hæres contra semet ipsum cohæredi postquam hic stipulatus certam pecuniam isti omnia hæreditaria resignavit.

Querebatur appallans, se injustè ad editionem inventarii bonorum hæreditariorum condemnatum sorori, quæ etsi hæres simul à parentibus instituta, stipulata tamen certam tantum pecuniam, quid hæreditatis erat, sibi resignaverat, adeoque hæredis unici loco erat; præsertim verò ideo se gravatum dicebat, quod ad rescissionem conventionis inventario uti intendebat. Visum est audiendam atque appellationem admittendam esse, utpote innixam non modo generali regulæ, quod reus contra se actori instrumenta edere non tenetur, (1) sed etiam præsumptioni calumniæ, (2) ubi actrix contra factum pactumque suum veniebat, odio non favore digna, (3) ideo non ad intentionem suam fidei datæ contrariam promovendam, (4) ex rei domo juvanda. (5) Non potest qua ipsam inventarium amplius considerari ut commune Instrumentum hæredum, (6) quando ipsa simul pro hærede non habenda est, postquam de quotâ hæreditariâ pepigit, & pro certâ pecunia nomen & jus hæredum planè abdicavit, (7) eoque contra fidem datam redire nequit. (8) Dicit etiam appellans à se suisque solis sumptibus Inventarium fuisse confectum, adeoque ratione dominii suum proprium. Etsi itaque vel pro utilitate fuisset ante pactum commune, id tamen nec tunc ad editionem injungendam sufficisset, (9) nedum postea, cum omne jus ad hæreditatem, quæ in Inventario describitur, à sorore remissum dicitur. (10) Non dubitatum itaque est mereri illam appellationem processus, qui decreti sunt, *in causa Hinrich Schaden, contra Fridericum Schaden, die 5. Sept. Anno 1654.*

1. *l. qui accusare 4. l. fin. C. de Edend.*

2. Hæc excludit petitionem editionis, etiam si alias non injusta esset. *Vid. Fabr. in Cod. l. 1. tit. 10. defin. 11.*

3. Non audiendus est contra factum proprium veniens, multo minus qui contra datam fidem agit, *l. pen. §. fin. ff. de inoff. Testam.*

4. Ad rescindendum contractum actaro non debetur instrumentiut ut communis editio. *Fab. in dict. def. 11. n. 4 seq.*

5. Nunquam permittendum est, ut de domo rei actor probationes extrahat, *l. nimis grave 7. Cod. de Testib.*

6. Communium editio fieri debet etiam à reis, *l. 1. §. editiones ibid. gloss. & Bartol. not. de Edend.*

7. Hæres non est qui repudiat seu renunciat hæreditati, *l. 15. ff. de acquir. hæred. l. sicut 4. Cod. eod.*

8. Ad renunciata non dandus est regressus. *Quæritur §. si venditur. 14. ff. de Ædil. edict.*

9. De communium instrumentorum editione est rationabilis JCtorum sententia, quod pertinet tantum ad illa quæ dominio sunt utrique parti communia, non quæ saltem nullitate, *uti explicat Gail. 1. Observ. 106. n. 5. & seq.*

10. Pro hærede gerere non videtur, qui precio accepto repudiavit hæreditatem, *l. 2. pr. ff. si quis omiss. caus. testam.* Paria sunt remissum & victum esse, *l. 1. ff. de injust. & irrit. testam.*

DECISIO XLVII.

De justa Inventarii forma.

Sub lite quæ inter creditorem atque debitricis hæredem ejusque maritum super Inventarii beneficio versabatur, postquam

ejus

Digitized by Google

ejus productio, uti injunctum erat, fiebat, an quod exhibebatur pro justo Inventario habendum esset? in quæstionem veniebat. Justum creditor putabat saltem quod solenne seu juxtà præscriptam à lege formam confectum: Examinatis autem quæ lex Justinianea (1) requirit, multa deesse videbantur, quando non uno instrumento, sed tribus diversis bona defunctæ designata reperiebantur: (2) non erat confectio aut inchoata aut absoluta iis quæ lex requirit temporibus: (3) non erant convocati creditores: (4) quod diversæ inventarii partes per diversos Notarios erant conscriptæ, nec iidem testes ubique adhibiti, (5) quod non reperiebatur inventario addita hæredis per propriam manum subscriptio: (6) quod non omnia bona præsertim mobilia inventario putabantur inscripta, sed à defuncta ut divite fœmina longe plura relicta: nec quæ descripta erant sic posita, ut continerent exactè qualitatem, quantitatem s. mensuram: (8) quod denique nec justa bonorum æstimatio addita fuit, quam ad excludendas omnes fraudes, & discussionis facultatem necessariam credunt. (9) Non levem hæc sciebant dubitationem, utrum istis ferè omnibus aut certè potioribus repertis, hæres seu possessor ultra ad inventarii beneficium admittendus esset? Quo non faciendo aut maximi præjudicii futurum erat, si super discussione ulterius causa ageretur, (10) aut iniqui incommodi atque impendii partes super ista contendere sineret. (11) Re vero omni cum suis circumstantiis penitus considerata existimatum est, aut ea non obsistere quin reo inventarii beneficium proficiat aut verò quæ in contrarium movebant sic comparata esse, ut statim ab hoc iste non excludi, sed causa velut altioris indaginis penticulatius explorari & considerari debeat. Primo enim occurrit, hodie nullibi tam strictam Constitutionis Justinianeæ formæ inventario præscriptæ observantiam reliquam esse; sed aliqua imo multa in usu esse desiisse: (12) Deinde uti certum est plerisque in locis, præsertim in Germania pluribus ejus legis præscriptis contrariâ vel aliâ consuetudine esse derogatum, ita etiam ei consequens non præptimis, ubi de Inventarii forma & substantia quæritur, considerandum, quid constitutio ista velit, sed quid consuetudo alicubi recepit. (13) & quomodo in unaquaque provincia inventaria hodie confici, & confecta in judicio sustineri soleant. (14) Porrò etiam scivimus in Pomerania non amplius observari ea omnia, quæ præfata lex exigit, sed pro Inventario sufficere descriptionem bonorum à Notario præsentibus testibus factam, & in instrumentum publicum redactam, coptam & finitam eo tempore, quo primum facere, licuit non vocatis legatariis & creditoribus. Præter hæc verò etiam hac ex ratione considerata decuit, etsi lex vel mos aliqua circa inventarii formationem requirit, attamen non statim ita esse substantialia, ut iis non adhibitis totum Inventarium corruat, & inde hæres ejus beneficio privetur, (15) sed quæ in eo leviora sunt minorisq; momenti parum curari: (16) cætera omissa etiam alteri non nocere, quam si per fraudem omissa etiam alteri non nocere, quam si per fraudem omissa, & in detrimentum creditorum vergentia sint. (17) Cum post hæc præacta expenderentur, quæ in Inventario exhibito fuerunt desiderata, aut parum facere aut præsenti speciei non congruere repertum fuit. Quod non uno inventario omnia bona comprehenduntur, ex eo factum apparuit, quod ista non fuerunt in uno eodemque loco, sed diversis. Aliqua immobilia in Pomerania; Aliqua in Megapoli; mobilia pleraque Stralsundi & alibi: unde tot fieri possunt Inventaria, quot sunt loca. (18) Temporis legalis non observati causa ex ipsis datis seu tempore quo confectio processit, tum etiam ex relatione Notarii in Instrumentis expressa elucet; impedimentum scilicet ex bellicis turbis. (19) Creditores ad Inventarium convocari non ex textu legis, sed ejus ampliativa interpretatione seu potius extensione tantum ortum est. (20) Ideo non valet, nisi ubi ita usus legem interpretatur & observantiam introduxit, (21) Qualem Pomerania nunquam recipit, nec in ea usitatum convocari ad confectionem creditores, sed confectum Inventarium demum iis offertur & integrum est, utrum examinato eo habeant, quæ de amoris, celatis vel surreptis proferant. (22) Per plures Notarios diversis manibus factam scriptionem nec adhibitos esse testes eosdem causavit locorum distantia, & bonorum in diversis sitorum conditio. (23) Subscriptio hæredis non amplius apud nos est in usu. (24) Quod arguitur non esse omnia, quæ defuncta reliquit, bona in Inventario descripta, (25) hoc non ad excludendum à beneficio Inventarii hæredem, sed ad examen & indaginem ulteriorem illo de cætero salvo pertinet: (26) De quo ad alium processum partes remittendæ, interim juxta Inventarii jura procedendum decernendumque erit. Si etiam quid deesse deprehendetur, supplemento Inventarii locus erit; maximè si per protestationem id reservatum fuerit. (27) Si quæ etiam ex descriptis obscurius aut non satis accurata significatione qualitatis atque quantitatis designata sunt, levius id est, quam ut ideo beneficium tollatur. In eo errari facile & omissum corrigi atque suppleri potest.

Digitized by Google

(28) Æstimationem quod attinet Justinianea Lex illam non requirit, aut inter solennitates posuit. (29) Ubi simul fieri solet, ex usu valet, & quærendum, an ex eo ad formam spectet. Etiamsi vero mos loci recepit, & perutilis sit, attamen eam sequi, nisi eam ista junctim illius necessitatem fecit, opus non est, nec omissa facit ad privationem beneficii, in Pomerania de eo nihil dubii superest, postquam in Inventario æstimari bona designata moris non est, sed æstimatio ad discussionis instantiam refertur: sub qua ad illam commissio petitur & decernitur. Ea vero licet omissa, inventarium integrum perfectumque habetur. (30) Per hæc de quo agebatur inventarium ut justum, justum & solenne admittere æquius existimatum est *in causa Herrn Graf Erich Steinbock, contra Iohan Walschleben Erben, die 24. Nov. Annn 1654.*

1. Inventarii beneficium non tantum Imp. Justinianus *in l. fin.* C. *de jur. delib.* indulsit, sed etiam certam formam ibidem præscripsit.

2. Unius tantum inventarii *d. l. fin.* mentionē facit.

3. Sic constitutum, ut à die delatæ hæreditatis, si in loco domicilii hæredis est hæreditas intra duos menses, *l. fin* §. *fin autem dubius* C. *dict. tit.* si aliqui aut tota aut major pars intra annum, *d. l. fin.* §. *fin autem à locis* C. *de Iur. delib.* perficiatur.

4. Ad exemplum legatariorum, *quos d. l fin. vult. advocari*, etiā creditores citari debere JCtorū communis est sententia, *gloss. in d. l. fin.* §. *fin autem dubius Alex. in d. l. fin. in pr. Alciat. consil. 43. n. 7. vol 3.*

5. *Contra id quod glossa habet in d. l. fin.* §. *si qui absunt in verb. Inventarium.*

6. *Iuxta d. l. fin.* §. *fin autem dubius, verb. Subscriptionem tamen supponere necesse est.*

7. Quæ exactissimè describi nec in iis quidquam omitti ad formam atque synceritatem inventarii pertinet. *dict. l. fin.* §. *fin. vero dubius verb super his rebus quas defunctus tempore mortis habuit, ib. gloss. Bartol. Bald. & Dd.*

8. *Iuxta l. si quis intra* C. *de bon. proscript. ib. gloss. & Bald.* qui id ad inventariū ex similitudine rationis extendit, *de quo etiam vid latius Natt consil. 574. & seq.*

9. *Natta consil. 575. n. 8. Plotus in rep. l. si quando. 239. de in lit. jurand.* ubi contra hæredes æstimationem omittentes in litem jurari scribit.

10. Non est necessaria hæredi talis discussio, ubi hæres tenetur in solidum, ideoque non habito ad bona hæreditaria respectu condemnandus est.

11. Judicis officio contrarium est inania & supervacua in litem admittere, cùm debeat hanc abbreviare, *l. properandum. 13. C. de Iudic.*

12. *Vid. Rauchbar. part. 2. quæst. 24. num. 21. seq. ubi prætera allegat. qui sentiunt solennem Inventarii confectionem ab usu recessisse, at refutat, tantum mulcta existimata veterem formam aliter servari refert.*

13. *Bald. & Iason. in d. l. fin. in pr. Sichard. in eod. §. fin. autem dubius n. 27. ut in fine addit in inventario dominari consuetudinem.*

14. Non sufficiunt ad probandam hanc consuetudinem exempla aliter confecti inventati, sed oportet constare, quod in ea forma in judicio pro integro & justo habetur. *Bald. in d. l. fin* §. *cum igitur Guid. Papa consil. 42. n. 3.*

15. *Per text. express. in l. fin.* §. *licentia 10.* ubi etsi vel in præcipuo inventarii nempe descriptione bonorum hæres fraudulentus fuerit, tamen tantum in duplum celati vel amoti, non in privationem damnatur. *vid. ibid. Sichard. n. 7. & seq.*

16. Sunt pleræque solennitates ex levioribus quarum omissionem iniquum est ei nocere, cujus nullus dolus arguitur. *Fab. in Cod. lib. 6. tit. 11. defin. 17. num. 3.*

17. Sine fraude & dolo est locus pœnæ legis. *Novell. 1. cap. 1.* ab isto autem quævis etiam levis causa excusat.

18. *Ita statuit Odofred. in d. l. fin.* § *fin autem dubius col. fin.* etsi vero cautelam addit, quomodo uno inventario possunt inscribi bona ubicunque sita, *quam refert & sequitur Guid. Papa de Form. Inventar. n. 24. n. 24.* tamen ad melius esse non ad necessitatem illa spectat, nec in præsenti specie præsertim eo tempore quo inventarium confectum est, adhiberi potuit.

19. Impedimentum justum excusat à lapsu temporis & pœna. *arg. l. & cum ipse ib. Bartol. ff. de Excusat. tutor.* Tale vero est, quod ex loco non tuto & calamitate bellica exoritur, *Porc. consil. 15. n. 13.*

20. Non requiritur expresse *in d. l. fin. C. de Iur. delib.* ad formam & subsistantiam vocatio creditorum, sed ab exemplo legatariorū ea sententia seu extensio ad creditores quorundam JCtorum opinione deducta fuit.

21. Ubi usus non congruit cum lege, non intelligitur ea mens aut vis legis, ut usui deroget. *l. de quibus 32. ff. de Legib.*

22. *Iuxt. d. l. fin.* §. *licentia 20.* ubi remedium pro creditoribus adversus fraudem hæredi reperies traditum & tale, ut supervacuum sit antea convocari creditores, sicut valde difficile id est, nec in praxi commodum.

23 Ita ab JCtis de uno tabellione iisdemque testibus Inventarii confectioni adhibendum sententia limitatur, nisi propter rerum absentiam vel late diffusum patrimonium, vel ob Notarii & testium impedimenta alios accersere necesse est. *Luc. de Penna in l. 1. C. de Canon. frumentar. Urb. Rom. Angel. in Novell. de Tabellion.*

24. Quando apud nos descriptio bonorum in publici instrumenti formam redigitur, in usu esse desiit ab hærede subscribi, tanquam supervacuum, ubi illius fides sufficit. Ita enim & olim cum apud acta fieret, ea omittebatur, tanquam non necessaria, ubi alias fides constaret. *Bald. in consil. 43. column. 2. vol. 4.*

25. *Iuxta d. l. fin.* §. *licentia 10.* ubi punitur factum duplo, at non privatur hæres beneficio.

26. Sic observamus, ut hæredi integrum sit addere inventario omissa, si aut erratum à Notario, imo & à semet reperiet, aut postea alia quædam ad hæreditatem pertinentia resciscet, etiam cum tempora conficiendi dudum sunt elapsa. Ea additio pars est primi inventarii, ideo non desiderat novam solennitatem. *Bald. in d. l. fin. in pr. Vual. de Camban. in tract. Clausul. rubr. Nihil innov. inuent. convent. pendent. n. 26.*

27. Solent hæredes protestatione solenni eam additionem sibi reservare. Quæ etsi non est necessaria, ne omissa illam impedit. *Vital. de Camban. d. rubr n. 20.* tamen si fit, innocentiam & candidum animum hæredis declarat.

28. Cum omissio aliquarum rerum non vitiet Inventarium, sed supplementum poscat, quā id fiet per obscuriorem expressionem quæ tantum declaratione eget.

29. Non

Digitized by Google

29. Non reperitur in legibus de Inventario conſtitutis apex quidam, unde æſtimationis neceſſitas colligi poſſit. Nec ſine lege aut conſuetudine iſtius neceſſitas eſt facienda, uti de alia ſolennitate dici ſolet. *Iaſon. in l. hac conſultiſſima num* 17. *Cod. de Teſtam.*

30. *Vid. Faber. in Cod. lib. 6. tit.* 11. *defin.* 17. *n.* 4. *& ſeq.*

DECISIO XLVIII.

Caſus qui rebus hæreditariis poſt aditam hæreditatem accidunt, periculo & damno hæredis ſunt, etſi inventarium confecit.

INter rationes ſuper bonis immobilibus, quæ in Inventario deſcripta erant, multa reperiebantur ad illorum reparationem poſt clades bellicas impenſa, quæ poſſeſſor, qui hæredis loco erat, refuſa, aut à bonis deducta volebat, cui creditor refragabatur. Dependet hujus rei deciſio ex ea inſpectione, utrum caſus rerum hæreditariarum hæredis, an creditorum periculo & damno ſint? Juri conſentaneum eſt diſcernere tempus, quo accidunt. Siquidem per illos perditæ ſunt, antequam hæres hæreditatem adiit, hæreditatis jacentis damnum id eſt. (1) non hæredis, (2) niſi accedente aliqua ejus culpa vel mora. Eo minor ac dum jacuit, deceſſit, habetur hæreditas, atque dum ille ultra hujus vires non tenetur, (3) & creditores ad id tantum quod in his eſt, actionem habent, (4) eorum detrimentum erit, (5) uſque dum hæres Inventarium confecerit. (6) Poſt aditionem vero aut ſtatim hæres bona offert creditoribus in ſolutum, ſeu ut ex iis diſtractis ipſis ſatisfiat, & ſi pendente ea diſcuſſione damnum accidit, hæredis non erit, (7) quia jam creditoribus ceſſit, (8) niſi mora vel cauſa ab illo oritur, cur non ex iis ſtatim ſatisfiet, (9) aut vero ea ſecum retinet, & tunc periculm damnumque ex caſibus eſt hæredis, (10) velut domini (11) Inventarium ut non eo minus dominii jus transfert. quam cum ſine eo quis hæres eſt, ita quoque non liberat ab iis quæ ſunt Dominorum. (12) Acceſſiones & commoda ab illo tempore hæredem ſequuntur, quare non etiam feret incommoda? Summa foret iniquitas his non imputatis fructibusque rerum perceptis damna velle creditoribus imputare. Ex errore proficiſcitur, quod à multis fit, quod totam hæreditatem retinent, in bonis morantur, verſantur & graſſantur, creditores proceſſibus liquidationem, & prioritatis intricant, deinde rationes inſtar adminiſtratorum reddere volunt, putantes ſatisfieri, ſi iſtis qualiter qualiter defungantur, tanquam ſi adhuc hæreditas ſit, quæ poſt aditionem talis eſſe deſinit; (13) Juri iſte modus minimè convenit, ſed hæres poſt confectum Inventarium aut ſtatim, ſi ab actionibus atque caſibus liber eſſe vult, rebus hæreditariis cedere debet, (14) atque creditoribus integrum relinquere, ut curatorem bonis conſtituant, aut verò ſi retinet, inde ſtatim in id obnoxius atque debitor fieri, quousque vires hæreditatis ſe extendunt. (15) Præterea aditione atque retentione rerum, ſuper iis cum ipſis contrahit, ideoque etiam ut debitori pereunt, quæ cladem patiuntur. (16) Poteſt quidem hæres deſinere eſſe debitor; At cum id repudiando facere valens non facit, debitoris jure cenſendus eſt. (17) Eoque magis ſi quædam mora in facienda diſcuſſione acceſſerit, nec ſtatim ex bonis aut juxta ea facta eſt ſolutio. (18) Quare hæres cautus ſi ſibi proſpectum eſſe velit, non debet moram quandam facere diſcuſſioni, ceſſioni aut diſtractioni. Quod ſi cunctante eo quædam perierunt vel deteriora reddita ſunt, minime confidat ſe ſub adminiſtrationis ratione poſſe damna evadere, & in creditores transferre, qui adminiſtratorem eum ſuum non conſtituerant. Non horum bona eſſe incipiunt, ſed tantum ex iis juxta vires, ut tempore Inventarii fuerunt, ſolutio præſtanda. (19) Hæredi eum titulum poſſeſſionis ſibi immutare non licet; (20) niſi bona maturè cedit, hæc ſemper remanet. (21) Incongruè obtenditur mora ex proceſſu, & quaſi illo durante ſolvi, aut de bonis ſtatui nihil poſſit; Poteſt interea æſtimatio fieri aut diſtractio, imo ſi hæres uſuras de ſuo ſolvere nolit, depoſitio pecuniæ. *In eadem cauſa.*

1. Hæreditas antequam adita eſt, nullius in bonis eſt. *l.* 1. §. *quod autem ff. de rer. diviſ.* ideo in nullum ſui damna transferre poteſt. Eousque defunctũ repræſentat non hæredem.

2. Hæres quamdiu jacet hæreditas, nullus intelligitur. *l. 4. totes ff. de damn. infect.*

3. Dum deliberat de adeundo hæres, aliquam tamen curam debet, ne deteriores fiant res hæreditariæ, *l. Ariſto* 5. §. 1 *ff. de Iur. deliber.* inde etiam in culpa & mora eſſe poteſt, quæ in eum transferunt damna. *l. ſi ut certo* 5. §. *quand vero* 4. *ff. commod.*

4. *l. fin.* §. 2. C. *de Iur. delib.*

5. Creditoribus incumbit, ſi nolunt defraudari ut de cura jacentis hæreditatis ſint ſolliciti. *l. apud* 3. § 1. *& ſeq. l. hac autem* 5. *l. Fulcinius* 7. *pr. ff. quib. ex cauſ. in poſſ. eat.*

6. Donec Inventarium conſummatum, etſi hæres ſe adire dixerit, tamen adiiſſe cenſetur, nec creditoribus hæreditariis tenetur. *d. l. fin. donec tamen* 11. C *de jur. deliber.* Intra tempora illa præſtitura hæreditas pro jacente habetur. *Coler. de Proceſſ. Executiv. part.* 2. *c.* 3. *n.* 393. *& ſeq.*

7. Hæredi hoc integrum eſt. utrum velit bona hæreditaria cedere creditoribus, an iis retentis ipſis debere: Prius ſi elegit, tunc liberatur ceſſione ſeu repudiatione, quæ ob beneficii inventarii iſti hæredi integra eſt, *ut Carpz. in deciſ.* 25. *per tot. part.* 1. *docet.* ubi retinet, ſemet debitorẽ facit ex quaſi contractu, §.

Digitized by Google

Hæres Inst. de Oblig. ex quasi contract. d. l. apud. 3. §. fin. ff. quib. ex caus. in possess.

8. *l. is qui bonis 4. §. 1. ff de Cession. bon.*

9. Hæres ex mora sua vel mala versatione circa hæreditatem ut ut cum beneficio Inventarii aditam creditoribus obligatur.

10. Quod constitutum est hæredem cum inventario hæreditatem sine periculo habere, nihil penitus debere, nec amittere ex sua substantia, *d. l. fin. §. etsi prefatam C. de Jur. delib.* & nullum omnino damnum ipsum pati debere, *d. l. fin. §. licentiam*, quod etiam de minimo JCti exponunt. *Roland. à Vall. de Invent. Hared. part. 4. util. 1. n. 2. in med.* ad solutionem creditoribus faciendam pertinet, quia ultra hæreditaria hæres non teneatur de suo etiam in minimo, non ut postquam adiit, damnum rerum hæreditariarum ad ipsum non pertineat, quod juri & rationi contrarium foret. Manet verum quod de suo nihil solvit, qui satis pro creditis accepit. Aliud est si perdidit, ut tunc nihilominus juxta vires hæreditatis præstet. Habuit enim & non de suo dare intelligitur.

11. Res perit suo domino, *l. quæ fortuitis C. de Pignor. action.*

12. Inventarii jus singulare est, & ut à plurimis fit tam longe in consequentias non extendendum ultra illos terminos quos lex ei figit, aut eos effectus quos tribuit. *l. quod contra ff. de Legib.* Hoc tantum mutat, ut ultra vires hæreditatis hæres non teneatur minimè autem aditionis, & ex ea hæredis obligationem mutat.

13. Bona post eam amplius defuncti, sed proprium hæredis patrimonium fiunt, *l. sed si plures §. filio 2. ff. de Vulg. & pupill. subst. Roman. consil. 168. n. 1.* Hoc non immutat Inventarii beneficium tantum, quamdiu separata reliquuntur hæreditaria & hæredibus bona ea creditoribus cedere integrum est.

14. Beneficio Inventarii inest quidem beneficium separationis, *Phanuc. de Invent. hared. part 5. num. 19* sed ea etiam hæres sicuti debet, ut non sinat confundi illa cum bonis hæredis, *l. 1. §. præterea 12. ff. de separat.*

15. *d. l. fin. §. & si prefatam C. de jur. delib.*

16. *Inst. l. incendium 11. sicert. pet.*

17. Hæc maxime circa effectus Inventarii discernenda sunt, utrum hæres non tantum faciat, sed etiam ex eo se indemnem servare maturè studeat, an vero hæreditatem cum suis commiscendo se debitorem constituat. Ex quo etiam nostra sententia quam tenemus, facile conciliari potest cum illa, quam JCti Lipsienses habuerunt. & *Carpzov. decis. 160. per tot. part. 2.* qui damnum casu fortuito datum hæredem cum Inventario non sustinere scribit. Non possumus nobis persuadere, viros doctos adeo indistincte ita sensisse, ut creditorum perpetuo periculo hæreditaria bona esse debeant, quod à lege, ratione & hæredis officio alienum est. Ideo sic putamus, si interea dum hæreditas discutitur, vel discuti debet, illud acciderit, non hæredis sed creditoribus ex hæreditate statim non solvit.

18. Mora in morosum transfert damnum casuum fortuitorum, etsi aliàs de iis non tenetur, *l. hominem 37. ff. mandat. l. 173. §. 2. ff. de Reg. Jur.*

19. Similis est hic hæres ei, in quem bona sua quis per contractum transfert, ut ex iis satisfaciat. Nemo dixerit hunc ideo, quia cedere potest. à casibus fortunis & inde enatis damnis tutum esse, *de qua specie sic consulit Alexand. consil. 72. vol. 5.*

20. *l. 3. §. illud quoque 19. ff. de acquir. poss.*

21. *l. ait Prætor. 7. §. 10. in fin. ff. de Minor.* Quod ex Inventario competit, quod repudiare licet, accipiendum est re integra, antequam creditoribus inde incommodum accidit, *arg. l. si mandavero 21. §. fin. ff. mandat. l. actione 65. §. diximus 3. seq. ff. pro Soc.*

DECISIO XLIX.

Quomodo inter creditores & hæredem cum beneficio Inventarii ad solutionem ex hæreditate impetrandam judex juste, & prudenter procedere debet.

IN ea contentione, quæ inter possessorem hæreditatis uxoris nomine simul hæredis vicem sustinentis, & creditorem agitabatur, post discussa, quæ ille de beneficio Inventarii, hic de crediti suo jure & actione proferebat, non alius prævidebatur causæ securus, & innoxius exitus quam ut legitima fieret corporis tam bonorum quam debiti discussio, nec separatis inter creditores processibus, sed uno aliquo universali atque conjuncto. (2) At obstabat valdè, quod tum ex prolatis in audientia, quæ inter partes beym Vorbescheide / super hac causa habebatur, non obscurè apparebat coram inferiori judicio in universum cum omnibus creditoribus nihil vel parum pro discussione legitimè cœptum esse, in his quæ cum aliis creditoribus possessori erant litibus separatis omnia fere ab illa aliena, & valdè à negocii conditione discrepantia esse. Nec integrum superiori judicio reperiebatur, aut in ea causa, quæ ad illud non devoluta erat, justa disponere atque præscribere, aut causam ad illa, quæ incongruè & juste fiebant, eo remittere. Quod primum in hoc processu esse debeat, ut Inventarii rectitudo constaret, vocatis nempe & auditis creditoribus nondum factum erat. (3) Ab uno vel altero carptim quædam Inventariis diversis pro diversitate locorum, ubi bona erant, confectis, opposita fuisse ex actis eminebat: at in discussionis processu ea conjunctim fieri oportuit. (4) Deinde ad officium hæredis, qui Inventario frui cupit, pertinet, ut aut solvat creditoribus hæreditariis, cum exigunt, aut si æs alienum hæreditatis vires superare scit, illos citari curet, (5) bona aut eorum precium offerat, illos vel inter se convenire, vel judiciali determinatione de liquidatione & prioritate decidi sinat, & curet. (6) Post quod ipsi integrum est aut cedere bona, (7) aut vero iis rerentis juxta vires hæreditatis solvere. (8) Quod si ita solvere velit, æstimatione istorum opus erit, juxta quam de viribus hæreditatis statuetur. (9) Quæ omnia sic comparata fuerunt, ut non cum uno vel altero creditorum separatim tractarentur, sed sub concursu. Remisse-

Digitized by Google

sissemus etiam ad talem discussionis instantiam, si in eo statu res fuissent, ut fieri potuisset. Omnibus vero aliter, deprehensis nihil superfuit, quam ut quomodo singularibus processibus cum cæteris creditoribus actum, ita etiam cum illo, adversus quem appellatum, lis super Inventario ejusque beneficio in hac instantia perageretur. *In eadem causa.*

1. Talis discussionis instantia circa Inventarium solita & necessaria est, cujus omissæ multa sunt incommoda atque confusiones, uti vel in eo qui ante oculos fuit, processu animadvertere licuit. Unde Judex merito ante omnia curare debet, ut ista recte ordinetur & dirigatur.

2. *Faber. in Cod. lib. 6. tit. 11. defin. 4.*

3. Hærede ad Inventarii beneficium provocante primum processus esse debet, ut si non sponte, uti decet, fecerit, jubeatur in judicio exhibere & creditoribus aliisque quorum interest, copiam facere, hos super eo audire, monita vel defectus attendere, & ante omnia curare, ut de rectitudine Inventarii constet, isti si quædam opponentur vel justo pronunciato vel supplendo, *junct. l. fin. §. licentia 10. C. de jur. delib.*

4. Potest quidem hæres primò venientibus satisfacere, nec opus habet citare creditores omnes, *d. l. fin. §. etsi præfatam 5. C de Iur. delib.* sed ita si nescit æs alienum vires patrimonii superare, ubi plures creditores esse ipsi constat ad communem discussionis instantiam progrediendum est, aut periculum ipsius erit. *Faber. in Cod. dict. tit. 11. num. 33.*

5. Quod *ex d. l. fin. §. 1. C. de jur. delib.* requiritur ut ad confectionem Inventarii creditores omnes citentur, id per mores contrarios aliter observatur subsistitque sine illa advocatione Inventarium; At postea creditoribus ejus copia fit, citatis nempe & auditis super eo quorum maxime interest, *l. de unoquoque 47. ff. de re judic.*

6. Ad bonam fidem hæredis pertinet diligenter curare & efficere, ut ex hæreditate creditoribus eo quo fieri potest modo, satisfiat, ideo incumbit sine mora & tergiversatione discussionis instantiam promovere, in quo negligens fraudis suspectus est, *Fab. in Cod. lib. 6. tit. 11. defin. 6. num. 4.* & in mora est. Nam solutioni moram facere dicitur, qui eam facit liti, *l. ficui legatum 92. ff. de Condit. & demonstr. l. si quis serv. 84. de leg. 2.*

7. Hæreditatem quam hæres non solvendo reperitur, ut aditam creditoribus cedere imo & hæres esse desinere potest, *quem inventarii effectum exponit Carpzov. decis. 25. per tot. part. 1.* In solutum cessa vel oblata creditores inviti recipere tenentur, *uti etiam hoc inter Inventarii beneficia collocat. Sichard. in l. fin. §. cum igitur num. 3. in fin: C de jur. delib.*

8. *Hoc tribuit Inventarii beneficium d. l. fin. pr. & §. 1. C. de Iur. delib. Novell. 1. c. 1.*

9. *De quo vid. Fabr. in dict. tit. 11. defin. 17.*

DECISIO L.

Omissio solennitatum ex necessitate & voluntate partium profecta non vitiat inventarium.

INventarii certæ solennitates sunt ex lege (1) vel consuetudine, (2) quas sine ejus vitio omittere non licet, (3) nisi aut inevitabilis necessitas non permiserit adhibere, (4) uti in bello istæ remittuntur ubi adhiberi nequeunt, (5) aut voluntate eorum quorum interest omittuntur, (6) quæ supplet omnes solennitates ipsorum causa per legem requisitas. (7) Alterutra harum causarum sufficit, ut sustineatur inventarium etsi solennibus consuetis carens, multò magis ubi utraque adfuit pro illo pronunciandum fuit *in causa Heinrich Dobels contra Curt Schlackowen hæredes, die 2. Octobr. Anno 1655.*

1. *l. fin. C. de Iur. delib.*

2. Ex consuetudine tolli possunt legales inventarii solennitates, utpote ex jure civili ortæ, & vicissim aliæ substitui. Circa illud præcipuè spectatur quod est consuetudinis, istius potissima circa solennitates ratio esse solet. *Redoan. in tract. de reb. Ecclesiast. non alien. rubr. de reb. exig. immobil. num. 13. & seq.*

3. *l. non dubium C. de Legib.*

4. Etsi non facile quid immutandum ex solennibus tamen ubi æquitas poscit subveniendum *l. etsi nihil 183. ff. de R. I.* qualis oritur ex necessitate quæ legem non habet, *l. fin. ff. de Offic. Consul.*

5. *l. 1. tot. tit. ff. & C. de Milit. Testam.*

6. Nihil potest fieri injuriæ ei qui semel voluit *l. in diem 9. § 1. ff. de aq. pluv. art.* Placitis stare & acquiescere æquum est.

7. Licet quippe renunciare juri pro se introducto *l. pen. C. de pact.*

DEISIO LI.

Vidua omittens confectionem inventari non perdit lucra nedum dotem cæteraque illata cum probabilis omittendi causa est.

EX constitutione Pomeraniæ Anno 1569. Wollini edita vidua tenetur post obitum mariti conficere inventarium omnium ejus bonorum. At omittendi pœna certa non irrogatur, ideò lege de eo nihil statuente non poterit ob omissionem privari dote cæterisque illatis. (1) Impunè tamen facere non debent, inde praxis observat arbitrariè illam coerceri. (2) Non tamen aliud infligitur ac ut vel præstet, quod interest agnati vel hæredum vel creditorum inventarium fuisse confectum, (3) vel ut lucris nuptialibus careat. (4) Quod si autem à vidua causa aliqua verosimilis aut probabilis allegatur, ut sine dolo malo omissam inventarii confectionem appareat, veluti quod vel belli turbis impedita vel dum liberos habebat eorum pietate freta putavit supervacuum nudare facultates, etiam à pœna & præstatione ejus quod interest liberabitur: (5) saltem in id obnoxia, quod intervertis se arguitur. (6) *In causa Balthasarum von Kalden Witwen contra, die Vätterliche Creditoren, die 10, Octobr. Anno 1655.*

Digitized by Google

1. Pœna privationis juris vel rerum legis effectus est nec sine expresso jure infligitur, *Novell. 2 c. 3. Novell. 115. capit. 3. Iason. in l. neque pactionum. 12. ff. de Transact. Menoch. de A. I. Q. lib. 2. cas. 276. num. 1.*

2. Ità inter Coneluſa ut vocant Stetinenſia, *cap. 10. concl. fin.* exiſtimatum eſt judicis arbitrio relinquendam eſſe pœnam.

3. Ad hoc eſt ordinaria velut actio adverſus omnes non præſtantes vel facientes, quod ex lege vel pacto debent.

4. Æquiſſimum eſt carere beneficiis legum qui eas non obſervat. Fruſtra eas invocat qui adverſus eas committit. *l. auxilium 38. §. fin. ff. de Minorib.*

5. Ubi non eſt delictum ibi non infligitur pœna *l. ſi pœna ff. de pœn.* Quidquid à delicto excuſat, pœnam tollit *c. cum ex literis X. de Cleric. Ordinand.* Hæc enim commenſuranda eſt delicto, *l. pedius ff. de Incend. ruin.*

6. Etiam ad viduas poſtquam inventarii neceſſitas illata eſt pertinet, eo obſervari poteſt, quod de hærede habetur. *in l. fin. §. licentia 10. C. de Iur. deliber.*

DECISIO LII.

Inventarium non conficienti incumbit poſſibilis deſignatio eorum, quæ in memoriam veniunt, & quomodo illa decernenda.

CUm vidua ad conficiendum inventarium ſuper bonis defuncti obligata id non confecerat, neque etiam, quod in illius defectum pro pari habetur, ſic deſignaverat, ut addito juramento vicem inventarii habere poſſet, incepta eſt condemnatio ad inventarium aut juratam deſignationem omnium bonorum, cum neutrum ſe præſtare jam poſſe in actis vidua aſſerebat, allegata ratione, quod belli tempore multa ex bonis maritalibus conſumpta, multa deperdita, multa deprædationibus erepta, & poſt multorum annorum lapſum ſibi in effœta ætate non ſuperſit amplius omnium memoria. Nec enim per ſententiam ad impoſſibilia pars adſtringi debet. (1) Etſi enim non injuſtum erat injungere editionem inventarii aut juratæ deſignationis, tamen non erat res in eo amplius ſtatu, ut juxtà petitionem creditorum ità fieri poſſet; nec etiam cauſa in eo amplius verſabatur cardine, an fieri deberet, ſed cum fieri non poterat, quid eo nomine ſtatuendum? Viſum autem fuit injungendum fœminæ, ut jurat (3) non fraude ſed allegata ex cauſa omiſſam fuiſſe confectionem inventarii, nunc ſe deſignare amplius omnia non poſſe, velle tamen omnia à marito relicta quorum recordari poſſet deſignare, ſi quæ præterierit cum poſtea in mentem venerint aperire & addere, ſi quæ etiam creditores omiſſa oſtendere potuerint, ſicut illis hoc reſervandum fuit, de iis bonâ fide reſpondere. (4) Quo ipſo creditoribus poteſt eſſe proſpectum ut intelligant nihil in fraudem ſuam factum eſſe, & etiam viduæ ne ad impoſſibilia adigatur. Sic judicatum *in præfata cauſa.*

1. Impoſſibilium nulla obligatio eſt. *l. impoſſibilium ff. de R. I.* Ideò nec talium habetur ulla ratio. *l. fin. C. de contrah. empt.*

2. Quod fieri recta via non poteſt curandum poſſibili modo. *Novell. 4. cap. 1.*

3. Juranti remittitur neceſſitas ejus quod fieri non poteſt. *l. in actione 19. §. de veſte 4. de Furt.* ſic aliàs in iis quæ præſtari nequeunt â juramento remedium petitur. *l. cum quidam 21. C. de Fid. Inſtrument.*

4. Hæc ſufficiunt ad excludendum fraudis præſumptionem atque ſecuritatem ejus quod juſſum erit.

DECISIO LIII.

Non amittit inventarii beneficium qui aliquibus creditorum ultra bonorum vires ſolvit.

QUod creditor poſſeſſori hæreditatis objiciebat, amiſſum inventarii beneficium ob factam aliquibus ſolutionem in ſolidum ſeu ultra vires hæreditatis, ideo & ſibi tantundem ſolvendum eſſe, juri non congruit: quo inde non eſt irrogata amiſſionis pœna, (1) ſed ſi quidem, dum ignorantur alii creditores, facta fuit ſolutio, quæ cæteros poſtea venientes liberatus eſt hæres, & iſtis tantum contra concreditores actio petit. (2) Si ſciverit aut negligentius verſatus ſit, non quidem ita ſolutum repetit, nec, quatenus juxta inventarium debetur, ab actione creditorum, ut in priori ſpecie, liberatur, non vero inventarii jus perdit, (3) vel hæres eo mediante eſſe deſinit. (4) Alii itaque creditori tantum ſupereſt actio ad id, quod juxta bonorum vires ſibi debetur. (5) *In cauſa Graff Erich Steinbock, contra Iohann Walſchleben Erben, die 23. Februarii, Anno 1656.*

1. Pœna præſerrim privationis ſine lege non irrogatur. *l. aliud eſt fraus 135. §. 1. ff. de V. S.*

2. *l. fin. §. etſi præfatum 4. §. ſeq. C. de Iur. delib.*

3. *Faber in Cod. lib. 6. tit. defin. 33. numer. 8. & ſeq.*

4. Ex inventario rite confecto jus quæſitum non niſi fraude amittitur, quæ nulla in eo, qui amplius quam debet, ſolvit.

5. De eo quod inter alios actum, creditori non quæritur actio, *l. 1. tot. tit. C. res int. al. acta.*

DECISIO LIV.

Argumenta adita hæreditatis reſeruntur.

PRæjudicialis ea quæſtio eſt, an quis hæres ſit, ideò ante omnia diſcutienda. Cum in concurſu creditorum id omiſſum quererebantur appellantes, æquum viſum eſt audiri alle-

Digitized by Google

allegantes argumenta plurima eaq; legalia, quibus liberos defuncti hæredes patres esse convincere intendebant. Ex quo omnia cætera istius processus dependebant. Sufficiunt verò ad probandam immixtionem vel aditionem possessio,(1) præsertim diuturna & plusquam decennalis bonorum paternorum(2) inhabitatio domus paternæ:(3) Successio in feudis paternis præsertim hæreditariis: (4) Versatio in hæreditate ad instar hæredis per dispositiones de iisdem;(5) bonorum locatio; (6) exactio à creditoribus hæreditariis. (7) Confectio inventarii: (8) perceptio fructuum: (9) nominis hæredum usurpatio ab ipsis in et facta: (10) cessio bonorum.(11) Quæ cum singula per JCtos assumũtur ad probationem aditionis vel immixtionis utique conjunctim sufficient. Ad talium allegationem decreti sunt pro cessus in *causa Raphael Erichen Erben, contra Dietrich Behren Söhne, die 17. Maji, Anno* 1656.

1. *l.1.l.2. ib. Dd. C. de repud. hared.*
2. *Mascard. de Probat. conclus. 46. n. 1.*
3. *Maranth. in l. is potest num. 58. ff. de acquir. hared.*
4. Filius quippe non potest succedere in feudo, nisi simul hæres, *uti hoc inter Decisiones nostras alibi positum fuit.*
5. *Arg. l. pro hærede ff. de acquir. hared. Nic. Bell. consil. 24. n. 17.*
6. *Maranth in d. l. is potest nu. 77. Gravett. consil. 837. n. 7.*
7. *l. pro hærede §. 1 ff. de acquir hared.*
8. *Cynus in l. fin. autem C. de Iur. delib.*
9. *Barol. in l. gerit ff. de acquir. hared.*
10. *Menoch. de Præsumpt. lib. 4. præs. 99. n. 25.*
11. *l. gerit ff. de. acquir. hared. l. si avia C. de jur. deliber. Gravett. consil. 200. n. 1.*

DECISIO LV.

Inventarii beneficium non liberat hæredum unum ab actione hypothecaria in solidum.

INventarium hæredi hoc quidem præstat, ut ultra vires hæreditatis non teneatur,(1) at minimé hoc efficit, ut contra hypothecariam actionem quæ non personam sed rem persequitur,(2) hæres exceptione divisionis, quæ alias contra personalem actionem competit,(3) vel excutiendi pro parte cohæredis gaudeat, vel in solidum ex hypotheca non teneatur,(4) Non reperitur ulla lege hoc singulare jus inventarii causa contra jus commune hæredibus datum,(5) aut commune jus sublatum. (6) Non repugnat huic inventarii beneficium, quod tantum liberat à præstatione ultra vires, non solidi ex hypotheca. Convenit potius eidem, dum vult solvi juxta vires hæreditatis.(7) Nec considera-

tur qua hypothecariam ut hæres, sed quâ possessor, qui planè extraneus isti actioni usq; ad valorem rei obnoxius est.(8) Nec refert, generalis an specialis hypotheca sit constituta. Nam quæ est creditoris qua ista electio (9) similiter durat per inventarium, cujus beneficium nimis extendendum non est,(10) minimé abrogat. Incongrua ideo ex hoc exceptio rejecta fuit. *In causa Matthias Thun contra viduam D. Stockmanns, die 10. Junii, Anno 1656.*

1. In eo beneficium istius potissimum consistit, *l. fin. C. de jur. delib.*
2. *l. pignoris 18. C. de Pignorib.*
3. Ob divisionem crediti & actionis, quæ ipso jure inter hæredes fit, *l. 1. C. si cert. pet. l. 3. ff. Famil. ercisc.*
4. Divisio debiti & actionis, inter hæredes cessat in actionibus in rẽ & speciatim in actione hypothecaria, qua unus qui possidet solus vel in solidum tenetur *l. 2. C. si un. ex plur. hared. l. 2. C. de hared. vel act. vend. l. hæreditarias C. de hared. action.*
5. Sine lege loqui erubescimus Nov. 18. c. 2.
6. Non correctum qui non durabit? *l. sanctimus 32. §. fin. C. de Appellat.*
7. Ut non teneatur ultra vires hæreditatis, est inventarii beneficium; Ut verò intra easdem actio sit non mutat, sed potiùs continet, d. l. fin §. 3. & 4. *C. de jur. delib.*
8. Talis ea contra quemvis possessorem, *l. 16. §. 3. ff. de Pignor l. 14. C. eod. l. 3. C. de procur. l. fin pr. ff. de Pignor. action.*
9. Generalis hypotheca afficit res omnes sub illa comprehensas *l. 2. C. de pignorib.* & in tegrum creditori quam exhis persequi velit eligere, *l. fin. ff. qui pot. in pig. l. 2. C. eod.*
10. *In d. l. fin. C. de jur. delib.* recensentur effectus inventarii. Inter hos verò non legitur liberatio ab actione hypothecaria in solidum, nec ista ali quibus istorum consequens est.

DECISIO LVI.

Concursus à proximo consanguineo super defuncti bonis excitatus argumentum aditæ potius quam repudiatæ hæreditatis est.

ARticulabant appellantes pro argumento repudiatæ hæreditatis concursum creditorum à fratribus excitatum cessaque creditoribus bona. Inde quæstio erat, an cum ille esset ex actis notorius tanquam his non existentibus hæredibus qui excitarent, pronunciandum esset? At re rectius expensa non tam repudiationis quam aditionis seu immixtionis actum esse argumentum concludebatur, quando quidem cedere bonis creditoribus non nisi ejus est, cujus sunt bona,

Digitized by Google

bona, (1) ideoque & hæreditaria cedere tantum hæredis. Si quis hæres esse nolit, ejus est intactam relinquere hæreditatem & sinere ut jacenti hæreditari curator detur. (2) Quare nisi alia pro repudiatione fuissent adducta hæredem declarari oportuisset. Cætera verò quæ ad illam probandam allegata erant, effecerunt ut non statim ex concursus excitatione argumentum solum valeret, cum fieri posset, ut circa illum actum quis mentem suam aliter declarasset, alio fine concursum movisset. (3) Quare de eo discussio necessaria & ut prius fieret, decretum fuit sic dicta sententia. *In causa Alverich und Ernst die Cluer contra Luder und Burchard Cluer, die 28. Iulii, Anno 1656.*

1. *Privatio præsupponit habitum, l. 1. ff. de injust. rupt. irr.*

2. *l. 2. ff. de Curat. bon. dand. l. Aristo 5. ff. de jur. deliber.*

3. De actibus quis aditio vel repudiatio hæreditatis arguitur, censendum est ex mente facientium *l. pro hærede 20. pr. ff. de acquir. hared.*

Tenor sententiæ hic fuit;

In Sachen Alverich und Ernst die Clüver Appellanten / wider Luder und Burchard die Clüver Appellaten / in puncto petitiæ citationis & concursus creditorum betrifft / als überflüssig nicht / sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen / und und erkannt / daß mit dem concursu noch zur Zeit einzuhalten. Hergegen der punctus immixtionis hæreditatis zu erst zur Richtigkeit zu bringen. Demnach im Fall Appellaten zu abstiniren nicht gemeynet / inwendig 6. Wochen auff 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 24. 25. und 26. Articul zu antworten / dero Anwald auch seine Person der Gebühr alsdann zu legitimiren schuldig sey / von Rechtswegen Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 7. Julii Anno 1656.

Hoc est: in causa Alberici & Ernesti Clüvers appellantium contra Luderum & Burchardum Clüvers appellatos in puncto petitæ citationis & concursûs creditorum, gravamina quantum concursum concernunt tanquam superflua non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus, quod concursui cursus sisti, contra punctus immixtionis hæreditatis decidi, exinde casu quo appellatos abstinere non cogitaret, intra sex-septimanas ad 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 24. 25. & 26. articulum respondere, eorundem procuratores etiam suas personas debitè legitimare debeant, itque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 7. Julii Anno 1656.

DECISIO LVII.

Circa supplementum inventarii quâ suspicionem fraudis interest quo tempore fiat.

NIhil frequentius est, quam inventaria statim ab initio ob ignorantiam hæredum non ita perfecte confici, ut non aliquid deinde addendum sit: ideo ad excludendam omnem de se fraudis suspicionem consuetum, hæredes tempore confectionis solenniter coram Notariis & testibus protestari, quod bona fide confectionem intendant, quia tamen fieri potest se quædam latere, addendi minuendique facultatem integram, & quod adjicietur, ubi plura resciscentur, partem inventarii fore, nec alio loco, quàm si adjecta sint, habenda. (1) Quod deinde suppletur, pars inventarii est, nec aliter habetur, quam si tempore ejus confecti insertum fuerit. (2) Hoc vero non parum refert, quo tempore supplementum illud fiet. Siquidem antea quam à creditoribus, aliisque quorum interest, inventarium defectuum arguetur, tunc sine omni suspicione ea res est, nec inde occasio vel causa inventarium arguendi, sed pro hærede ejusque justa ignorantia præsumitur, (3) Tantum si supplementi defectus argui possunt, de iis similis atque super inventario actio & processus erit. (4) At ubi postquam inventarium velut ex defectu inculatum hæres ad supplementum processerit, tunc suspicionem quæ antea fuit, illud non imminut aut tollit, sed auget, (5) quare his quorum interest defectus arguendi copia facienda, & ad purgationem à suspicione juramentum, injungendum est. (6) Uti judicatum *in causa Tielen und Margaretha Roden, contra Iohann Roden, Witwe, die 14. Aprilis, Anno 1659.*

1. Consuetum hodie eam protestationem non tantum ita fieri, sed instrumento à Notario confecto inseri, idque à prudentioribus ita curari.

2. Sic supplementum, ratio consuetudo legitimavit, à quo jus civile non est alienum.

3. *l. quicum alio 19. ff. de R. I.*

4. Supplementum pars inventarii est, & quod juris est in toto idem est in parte, *l. quæ de tota ff. de R. V.*

5. Velut reus eorum quæ sunt desiderata adjecisse, videtur, qui non prævenit, ideo suspicione non leviter se onerat.

6. *l. fin. §. licentia 10. C. de jur. delib.*

Juxta hæcita pronunciatum.

In Sachen Tielen und Margarethen Roden Appellanten wider Johann Roden Wittwe Appellatine / in puncto inventarii, wird von Appellatinnen eingebrachter Schrifft und angefügtem supplemento inventarii Gegentheil Copia, da sie dagegen annoch etwas einzuwenden hätten / terminus auff sechs Wochen und ferner erkandt / daß auß fürgebrachten Ursachen Appellatinne zu Abstattung dreß Eydes extra judicialiter auff hernach bestimmende Zeit citata & præsente adversa parte zu zulassen sey. Von Rechtswegen:

Hoc est: In causa Tielen & Margarethæ Roden appellantium contra Joannis Roden viduam appellatam in puncto inventarii, scripti & parti appellatæ exhibiti & adjuncti supplementi inventarii parti adversæ

Digitized by Google

versæ copiam ut si adhuc aliquid opponere posset & terminum ad sex septimanas ac ulterius decernimus, quod ex allatis causis appellata ad præstationem juramenti extra judicialiter in termino postea præfigendo citatâ & præsente adversâ parte admittenda sit. Idque de jure.

TIT. XXXI.

DE REPUDIANDA VEL abstinenda hæreditate.

DECISIO I.

Hæreditas mediante inventario adita repudiari potest, aut non nisi auditis iis quorum interest.

QUi judicialiter declaraverant se hæredes patris esse velle at cum beneficio inventarii, cujus editionem à possessoribus bonorum paternorum suis cohæredibus petebant, postea vero mentem mutantes se abstinere velle proferebant, quod an iis permittendum sit ambigebatur. Regulariter aditam semel hæreditatem repudiare non licet, (1) nec semel factus hæres renunciatione hæres esse desinit. (2) Excipitur autem ille hæres, qui mediante inventario hæreditati semet immiscuit, cui ex peculiari constitutione Imperatoris (3) indultum, ut aditam licet hæreditatem repudiare queat. (4) Inter quem & eum, qui simpliciter hæres factus fuit diversitatis ratio constat, cum hic adeundo cum creditoribus indefinite contrahat, & ex quasi contractu ultra vires hæreditarias tenentur, (5) ideo jus illis inde quæsitum mutatio voluntatis auferre nequeat. (6) Ille vero ex re demum seu qua hæreditarias vires obstringitur, (7) ideo illas creditoribus cedendo liberetur, (8) & licet actu hæres tamen pro eo ultra, atque accepit non habetur. (9) Judicis tamen non est illam renunciationem admittere, nisi auditis prius cohæredibus aut creditoribus (10) tanquam, quorum interest, (11) cum ratio accedere queat, cur ad repudiationem etiam talis hæres admitti non debeat. Uti observatum *in causa Alverich & Ernst die Cliver, contra Burchard und Lüder die Clüver, die 27. April. Anno 1661.*

1. §. *extraneis 5. Inst. de hæred. qual. & differ. l. sua 3. l. seq. C. de repud. vel abstin. hæred.*

2. *l. ait Prætor 7. §. 10. in fin. ff. de minor. 25.*

3. *in l. fin. §. 1. ff. 1. verb. vel sese immiscuerit ut non postea repudiet §. hæc quidem 13. verb. cum enim liceat ius & adire hæreditatem & sine damno ab ea discedere C. de jur. delib.*

4. Is est quoque effectus beneficii inventarii *Monticul. in d. ult. §. & hæc quidem verb. discedere n. 254. C. de jur. delib. & in tract. de Invent. in præfat. n. 140. & seq. & cap. 9. n. 331.*

5. §. *hæres quoque 5. Inst. de Oblig. quæ ex quas. contract. § extraneis 5. Instit. de hæred. qual. & differ.*

6. *l. sicut 5. C. de oblig. & Act.*

7. *l. fin. C. de jur. delib.*

8. *Phanuc. de Phan. inter. de inventar. hæred part. 5. n. 13. & seq.*

9. Inventarium constituit hæredem in eo statu, ac si aditio facta non esset, *l. 1. §. 6. in fin. ff. de separat. Rol. à Vall. in tr. de inventar. §. decima est utilitas. Phuuc. d. tr. part. 5. n. 13.* servat plane indemnem *d. l. fin. §. & si præfatum.*

10. *Iuxta d. l. ult. 5. etsi præfatum Roland. à Vall. d. l. num. 6. Phanuc. d. part. 5. n. 19.*

11. Ad quemvis actum vocandi, quorum aliqua ratione interest *l. de unoquoque 55. ff. de rei jud.*

DECISIO II.

Possessor rerum hæreditariarum pro hærede non habetur, nec se non esse hæredem jurare tenetur, cum curator hæreditati datus fuit.

QUæ contra eum, qui res hæreditarias possidet, est præsumptio hæredem esse, seu jure hæreditario possidere, (1) ex qua nisi docet, se alio titulo possidere, tanquam hæres condemnari solet, (2) cessat ubi vel possessor hæres esse non potest, (3) vel etsi possit, tamen jam declaratum est, hæreditatem esse jacentem, nempe curatore dato. (4) Hic non datur aditæ hæreditatis, præterquam in ea specie, quando hæredi cum inventarii beneficio est contra hæreditatem actio. (5) Ideo quando curator à judice datur, ille tacite simul pronunciat non esse hæredem, (6) ne quidem, qui postea probare velit hæreditatem alium adisse audiendus est. (7) Nedum si velit neganti se hæredem deferre juramentum, cum satis constitutione curatoris per judicem factâ probet hæredem nullum, adeoque nec semet esse. (8) Cui etiam consequens, si ideo juramentum recusaverit, pœnam non jurantis ipsi itrogari non posse. (9) Ita conclusum *in causa Iochim Oldenborgen, contra Melchior von der Lieth, die 23. Maji, Anno 1654.*

1. *l. pro hærede 20. l. gerit. 88. ff. de acquir. hæred. l. 1. l. 2. ib. gloss. C. eod.*

2. *Fab. in C. lib. 6. tit. 12. defin. 1.*

3. Quia nempe vel testamento institutus vel proximus consanguineus est, in alio ut ut possessore non magis congruit præsumptio, quam occurrit qualitas habilem faciens.

4. *Eam speciem exponit Fab. in Cod. lib. 7. tit. 19. defin. 17.*

5. *Vid. Fab. d. defin. 17. num. 7. seq.*

6. Ideo enim datur, quia hæres non est, & dare idem est ac dicere hæredem non esse. Cum non compatibilia, *l. toties 1. ff. int. in jure fac.*

7. Nempe contra rem judicatam, quæ litis peremptoriam exceptionem parit, *l. 1. ff. de re jud.*

Digitized by Google

8. Qui scientiam suam probatione defendit, jurare non tenetur, *l. fin. C. de reb. cred.*

9. Recusatio juramenti accipitur pro confessione, quando jurare debuit, & recusandi justa non est causa, *Bart. in l. manifesta ff. de jurejurand.*

DECISIO III.

Filia verbo tantum non actu abstinens ut hæres juste condemnatur, donec edoceat, non ut hæredem se fecisse, aut teneri.

LIberi vivo patre veluti domini sunt paternorum bonorum, (1) eo mortuo inde ipso jure hæredes. (2) Præsumuntur etiam actu tales, quam diu se abstinuisse non docent. (3) Eo non edocto ut hæredes condemnantur, præsertim si bona paterna possident. (4) Nec sufficit ad abstentionem negatio se esse hæredem, si bona retinent, (5) & non constat de alio quam hæreditario titulo. Opus est iis quibus alias hæreditas competit dimittere bona, & efficere ut curator hæreditati constituatur, & cum constitutus est, ut ad eum bona hæreditaria perveniant, si hæredes haberi nolunt. (6) Nec enim verba proficere illis possunt, ubi res adest. Potest quidem fieri ut bona parentum à liberis teneantur, nec tamen hæredes sint; at ita demum, ubi ab his allegatum & demonstratum fuit, alia ex causa penes se bona esse, quam ut hæredes esse velint. Quo non facto durat ea juris præsumptio, atque super ea juste judicatur. (7) Cum itaque filia quædam negaverat se hæredem patris, at non quod plura bona patris percepisset, atque adhuc teneret, nec diffiteretur maritum suo nomine hæreditati se immiscuisse, & apud se ea de causa quædam esse, ideo ut hæres condemnata erat, visum fuit injustè judicem pronunciasse, eamque ut hæredem juste condemnatam: *In causa vidua Colonelli Andreæ Ilenfelden Appellantis contra Christoff Altwvich Blixen, die 20. Febr. Anno 1655.*

1. *l. in suis* 11. *ff. de Lib. & Posthum.*

2. *l. in suis* 14. *ff. de suis & Legit.* Ea collectio est Pauli, *ad Galat. 4. si filius ergo hæres.*

3. *Faber in Cod. lib. 6. tit. 12. def. 3.* ubi discernit lucrosa an onerosa sit hæreditas, quod non tam ex re, quam opinione censendum. Nam qui putat compendiosam, etsi lucrosa non sit, immiscuisse se præsumitur. Plus est in opinione quam veritate, *l. is qui putat. 15. ff. de acquir. hæred.*

4. *Vid. Faber d. defin. 2. num. 7.*

5. Protestatio facto contraria nihil juvat.

6. *Faber d. defin. 2. num. 7.*

7. *Menoch. de Præsumpt. lib. 3. præs. 67. ubi latius hæc tractat.*

Tenor sententiæ hic fuit;

In Sachen Obrist Andreas Ilenfelds Wittwen Hyppolita Dorothea Blüchers Appellantinnen wider Christoph Altwich Brixen / jetzo dessen Wittwe und Erben / Appellaten wird auff beschehenes Vorbringen / und vorgenommene Beleuchtigung eingelangter Acten erster Instantz es bey der 180. fl bereits ergangenen Pfandung der Appellation ungeachtet / gelassen / Appellantin aber hat was deßwegen von den ihrigen entrichtet / sich auß der Mütterlichen Verlassenschafft zu erhohlen. So viel aber im übrigen der Appellaten Schadenloß Haltung betrifft / befunden / Appellanten deßhalben allein noch zur Zeit nicht anzustrengen / sonderlich die mütterliche Erbschafft / und die so sich dero theilhafftig gemacht / in Ansprach mitzunehmen / doch die Appellation-Processbey der deßwegen von dem Königl. Hof-Gerichte sub dato den 11. May abgewichenen Jahres eingebrachten Erklärung / daß es mit dero Verordnung keine andere Meynung habe / dahero Appellantin in dem nicht præjudiciret zu erkennen überflüssig / darumb denn Appellantin, / und ihre Mitinteressenten an das Hof-Gerichte zurück verwiesen / und dabey auch ihr Vorgeben / daß sie als Erbin / nicht gehalten / allda an- und außzuführen so weit Rechtens vorbehalten wird / zugleich aber schuldig seyn / nicht wie bißher geschehen zu seyn ex actis sich herfür gibt / mit vergeblichem vorzüglichem Einwenden die Creditores auffzuhalten / sondern in der That so beschaffen / daß die Mütterliche Creditores auß der Erbschafft rechtlicher Weise abgefunden werden / daß auff widrige Bezeigung nicht nöthig sey in dero eigene Güther die Rechts-Hülffe ergehen zu lassen / von Rechts- und Amptswegen.

Hoc est: In causa Colonelli Andreæ Ilenfeld viduæ Hyppolitæ Dorotheæ Blüchers appellantis contra Christophorum Altwichs Brixen, modo ejusdem viduam & hæredes appellatos, ad allegata & perlustrationem actorum primæ instantiæ, pignorationi ad 180. fl. factæ non attentâ appellatione inhæremus, appellanti vero incumbit, quod propterea ex propriis expendit, ex materna hæreditate satisfactionem procurare quantum vero cæterum appellatorum indemnisationem concernit, apparet quod appellans sola eo adhuc dum non adstringendo, sed materna hæreditas & ii qui ex ea participarunt conveniendi, attamen processus appellationis juxta declarationem apud Regium judicium aulicum sub dato 11. Maji superiore anno ea propter exhibitam, superflui. Hinc appellantem & ejus consortes ad judicium aulicum remittimus & ipsi allegatum, quod ea tanquam hæres, non sit obligata, ut deducat in quantum juris reservamus, simul vero ipsi incumbit, non, prout hucusque factum esse ex actis eruitur, in annibus dilatoriis exceptionibus creditores circumducere, sed in affectu ita esse constitutum, quod creditores materni ex hæreditate debite soluti sint, ita ut in contrarium eventum necesse non sit in ejus propria bona executionem emanere idque de jure.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO IV.

Valet pactum Tutorum cum pupilli sororibus de recipienda pro hæreditate certa pecunia, ista vero penes pupillum cum omni commodo, & onere relinquenda.

EST in Pomerania hoc conventionum genus inter Nobiles frequentissimum, ut filii feuda omnemque hæreditatem paternam retineant, sororibus tantum certum pro dote & hæreditate parentum præstent. (1) Consuetudo istas approbavit, nec dubitationi de iis locũ amplius relinquit. Quando vero tutores pupilli ejusmodi pactum cum sororibus pupilli inierant, deinde eo velut jacto fundamento, cui consequens erat, ut etiam pupillus omne æs alienum patris solveret, seu in solidum hæres & ideo debitor fieret, creditorum alicui solutionem promisissent, isque deinde velut ex constituto experiretur, in dubium incidit vis primæ conventionis, ex qua de secunda impræsentiarum decisio fieri debebat. Nisi priori prævia, qua cohæredes fuisset merum constitutum tutorum, quod alienum, nempe cohæredum debitum, recepissent. (2) Quod quidem qua ipsos subsisteret, at pupillum non obligaret, nisi quatenus in rem ejus factum reperitur. (3) At quando prævia esset alia conventio, cui altera erat consectaria, & de hac ex illa statuendum, oportuit de istius vi primum dispicere. (4) Et quidem quia de restitutione in integrum agebatur, utrum jure nulla an valida? Quia quæ ipso jure nulla sunt, non egent rescissione, ideo nec integrum restitutione. (5) Existimatum autem est, non esse id conventionis genus ipso jure irritum, etsi à tutoribus fuerit initum, quando his pupilli nomine paciscendi facultas est, eademque in prædicta specie non reperitur jure aliquo interdicta. (6) Quin potius per exempla compertum est, etiam per tutores ejusmodi conventiones fuisse confectas (7) Tantum hoc ab iis requiritur, ut circum specte iis pupillos eorumque facultates obstringant. (8) Cum non tantum inde commodum, sed etiam onus in illos derivetur, longeque amplius sit, quam hæreditatem in solidum adire, dum non modo parentum ærì alieno inde pupilli obnoxii fiunt, sed etiam sororibus non minimam bonorum partem cedunt, illos beant, & liberant a debito, hoc totum in pupillum transferunt. Haud prudenter tutores ad talia pacta descendent, nisi cum æs alienum defuncti tum bona ejus ita explorata habent, ut certo sciant hæc illud superare, (9) & ita quidem, ut non minus pupillo quam cæteris sua hæreditaria portio, aut quod de jure ex paternis bonis integrum capiat. Nec vel ita satis consultum pupillo, aut totori sic pacisci securum erit, si non simul recipit, aut habet, quod pro molestia, incommodo & periculo, cum quibus conjuncta est creditorum exactio, cui in solidum subjicitur, compensationem affert, aut alia ratio accedit, quæ ita potius pacto rem decidi suadeat, (10) sicut talis in eo poni solet, quod eo modo familiæ splendor manentibus apud masculos boni omnibus conservatur, feuda non distrahuntur, existimationi & famæ parentũ consulitur, & quæ alia istuc incitare solent. Siquidem non sint hæc tanti, ut æquent incommoda, est pupillis adversus tutores actio. (11) Competit juxtim restitutionis imploratio. (12) Hac rescinditur pactum, quod alias ex se nullum non est sed subsistit. Hac considerata *in causa Niclaus Tessin contra Christian Crassowen, die 29. Aprilis Anno 1659.*

1. Quod pactis plerumque dotalibus, aliquando etiam aliis inseri debet, daß die Töchter oder Schwestern so viel Ehegeld / so viel an Vatter so viel an Mutter Erbe haben sollen / wenn ꝛc. aliquando vero conjunguntur hæc, daß für alles Ehegeld Vatter und Mutter Erben sie ein gewisses bekommen

2. *l. 1. tot. tit. ff. de Constit. Pec.*

3. *l. cum quis 5. §. sed & ipsi 8. ff. de Constitut. pecun.*

4. Quando prima obligatio est valida, & quæ pupillum obligatoria in ejusdem consequentiam necessario vel prudenter acta, etsi deinde incommodum parient, subsistunt.

5. *l. nam etsi 5. ff. de injust. rupt. irrit.*

6. *l. pen. C. in quib. caut. in integr. restit.*

7. Non interdicendum plane est tutoribus quod pupillis aliquando potest evenire commodum.

8. Ea considerata providencia cum in aliis omnibus in tutore desideretur, tum maxime circa hæreditates earumque aditionem ob periculum ab ære alieno necessaria est, cujus damna in ipsum recidunt. *l. si ad pupillum ff. de autor. tutor. l. cum tutor. ff. de tutel. & rat. distrah. l. cum qui C. arbitr. tutel.*

9. Tutor certo consilio certusque de utilitate pupilli circa hujus negotia statuere, nec cum periculo conjuncta suspicere debet. *l. tutor qui 7. ff. de administr. tut. l. lex quæ C. eod.*

10. Sollicite in omnibus intentus debet esse tutor, ut utilitatem pupilli procuret. *l. 1. §. 6. l. 3. pr. ff. de Contrar. tutel.* ubi notabiliter additur ne merganter pupilli.

11. Quæ competit de eo non modo quo noxie, sed & quod non utiliter gestum est. *l. 1. ff. de tut. & rat. distrah.*

12. Est de eo pupilli electio. *l. etiam C. si tut. vel curat. interven.*

TIT. XXXII.

Quemadmodum Testamenta aperiantur, describantur & inspiciantur.

Hunc titulum Mevius non attigit,

Digitized by Google

TIT. XXXIII.

DE EDICTO DIVI HADRIani Tollendo, & quemadmodum scriptus hæres in possessionem mittatur.

DECISIO I.

Jus retentionis excludit remedium L. ult. C. de Edict. Adriani toll.

ETsi possessorium d. l. ult. C. de Edict. D. Adrian. toll. remedium pro adipiscenda possessione èx testamento visibile vitium non habente celerrimæ expeditionis atque processus est, (1) statimque immissionem mereatur, (2) nec tantum in totam hæreditatem, sed etiam in singulas res hæreditarias, cessat tamen hoc ipsum ubi qui possidet jus retentionis habet. Is enim sine dubio legitimus contradictor est, & pollet facultate excludendi eum qui possessione potiri non debet. Hæc virtus ejus juris est, ut cui ex legitima ratione competit non teneatur alterum in possessionem admittere nisi prius sibi eo nomine quo competit satisfiat. (3) Non exceptum est prædictum remedium, etsi alias valde favorabile. Id quidem testamentis etiam executionem tribuit, sed jus aliorum non tollit. Rejecta est, ideo appellatio ejus qui contra eum qui dotis causa jure retentionis utebatur solo favore dicti remedii uti cupiebat *in causa Dietrich Bremern, contra den Konigl. Regierungs-Rath Niclaus von Hopken, die 1. Iulii Anno 1662.*

1. *Maj. C. I. A. tit. 3. lib. 29. th. 1b. 12. vers. ex quibus deduco.*

2. *l. ult. C. de edict. D. Adrian. toll.*

3. *De quo alibi inter decisiones nostras scripta reperies.*

DECISIO II.

Solvere ex bonis à testatore jussus non potest ex testamento adipisci possessionem quam creditor habet antequam solvit.

HÆres contra creditorem ex L. fin. C. de Edict. D. Adrian. toll. experiens juri retentionis peristum opposito replicabat voluntatem testatoris sic disponentis solvendum ex bonis **soll auß den Gütern bezahlen**/ ideo prius hæc restituenda esse cum nisi iis acceptis ex iisdem solvi non possit at præterquam, quod creditori testator jus retentionis auferre aut illius conditionem sua voluntate deteriorem facere non poterit, (1) minimè proficere id potuit hæredi simul debitori, dum petit quod retinere aut accipere nequit nisi statim solvat. (2) Nec est ea mens testatoris in illa formula ut prius restitutio quam solutio fiat, sed ut unde solutio facienda declaret, quæ formula hypothecam potius constituit, uti & illa testamento dari solet, quam ut jus retentionis tollat. *In eadem causa.*

1. Nemo potest facere ne leges in suo testamento habeant locum.

2. Etiam in possessorio adipiscendæ locus est regulæ non esse audiendum qui mox restituturus, aut pro quo quis restitutione se obnoxium fatetur *in terminis Hartm. Pistor. q. 20. num. 16. part. 4.*

DECISIO III.

In remedio L. fin. C. de Edict. Adrian. tollendo reis non superest appellandi facultas.

QUod testamentorum favori datum est, ut executionem paratam habeant, hoc quoque porro effecit, ut adversus eos qui ex eo omissionem obtinent, appellationi locus non sit: (1) consequens, ut nec in remedio L. fin. C. de Edict D. Adrian. tollendo, adversus sententiam definitivam appellatio admittatur. (2) Dubitationem hoc movit non levem, quando post provocationem pro processibus supplicabatur in tali causa, quæ id remedium concernere videbatur. Verum circumstantiis quæ proferebantur, accuratius consideratis reperiebatur de tali hic agi casu, ubi isti remedio licet intentatum fuerit locus esse non possit: Quocirca aut sententiam id remedium non fuisse intentatum, aut si id factum, incongrue accidisse, (3) inde nullam esse sententiam. Utut vero actores, contra quos appellatur, usi fuissent illo remedio, attamen adsunt causæ & circumstantiæ quæ jus commune qua appellationem cessare faciunt. Si enim narrata vera sunt, injusta omnino est sententia. (4) Si sententiam spectas, multum egreditur terminus illius possessori, & restitutione injuncta petitorium simul excludere videtur, (5) & damnum inferet, quod sine magna difficultate non reparabile erit. (6) Si porro expendis narrata, reperitur appellantem legitimum esse contradictorem atque ea allegare, quæ in dicto remedio admittuntur atque attenduntur. (7) Nec tantum restitutionem rerum, sed etiam fructuum injungit. (8) Quæ singula ita comparata sunt, ut appellationi locum faciant, & processus mereantur, & quidem non tantum ad effectum devolutivum, sed etiam suspensivum, quocirca inhibitio etiam decreta fuit. *In causa des Marschallen Helmuth Otto von Winterfeld, contra die Gebrüder der Schulten, die 23. Decemb. Anno 1662.*

1. l. fin

1. *l. fin. ff. de Appellat. recip. l. quisquis C. quæ appellat. non recip.*

2. Quod latissime probat & duplicat. *Menoch. adip. poss. remed. 4. num. 126. & seq.* ubi post multas pro hac opinione tanquam communi allegatas rationes addit, eam opinionem aperte fundatam esse, *in l. ultima ff. de appell. recip.*

3. Cum judicandum, causa appellabilis sit nec ne, haud est spectandum, quod à parte inepte factum est, sed quod congrue fieri debeat.

4. Cum sententia in remedio *L. fin. C. de Edict. D. Adrian. tollendo*, evidenter est injusta, appellationi locus est, uti limitat priorem sententiam *Zuchard. in d. l. fin. num. 447. Cacheran. decis. 25. num. 13. Joseph. Ludov. decis. 39. num. 9.*

5. In tali specie ea sententia ex causa, *d. l. fin.* fit appellabilis. *Jason. in l. 2. C. de Edict. D. Adrian. tollend. ibid. Castrens.*

6. Et hoc in eodem casu efficit, admitti appellationem *Bart in l. 1. §. quæsitum ff. de appellat.*

7. Hunc excipit ipsa *d. l. fin.* & pro tali habetur, qui possessionem ejusque justum titulum allegat & probat, aut in continenti probare vult *Bart. Castrens. num. 7. Zuchard. nam. 399. dec. num. 43. ad de l. fin.* similiter pro tali censetur ad impediendâ immissionem, qui jus retinendi non vitiosum habet. *Hartm. Pistor. quæst. illustr. 10. num. 14. & 24. lib. 4.*

8. Cum non tantum super restitutione, sed fructuum perceptione fertur sententia, locus est in eo remedio possessorio, de quo hic agimus, appellationi. *Bald. in l. un. num. 6. C. si de moment. possess.*

DECISIO IV.

Fideicommissarius non juvatur remedio L. fin. C. de Edict. D. Adrian. tollendo.

DUbitationem, quæ erat de recipienda appellatione, ubi remedium legis fin. C. de Edict. D. Adrian. tollend. obtendebatur tollebat quoque qualitas actorum, cum qua ad illud remedium accedebat. Erant enim fideicommissarii hæredes, quibus illud non competere communis est JCtorum sententia, (1) eaque verior. (2) Quandoquidem ante restitutionem ipsis jus nullum est in rebus, (3) nec ipsi possessionem apprehendere, (4) nec etiam aliter accipere possunt, quam ex restitutione, (5) nisi lex vel testator specialiter hoc in aliquo casu tribuerit, ut sine restitutione capiant. Opus itaque habent aliis remediis, quibus fideicommissum persequuntur, de quibus extra dubium est in iis, non excludi appellationem. (6) *In eadem causa.*

1. Ita Doctores fere omnes in *d. l. fin.* tradunt. *Bart. n. 9. Jas. num. 8. Dec. num. 24. Alex. n. 7. vid. Tiraq. in tr. le mort. saisit le vif part. 2. declar. 1. num. 3. Menoch. adip. rem. 4. num. 166. & mult. seq.*

2. Loquitur *l. fin.* de hærede tantum: qualis non est fideicommissarius, sed inter utrumque magna diversitatis ratio. *Menoch. de rem. 4. num. 171.* Confirmat illam, *l. fin. C. de jur. Codic.* ubi missio in possessionem illi asseritur, qui directo se hæredem dicit.

3. *l. restituta l. facta ad SC. Trebell.*

4. *Dec. cons. 424. num. 15.*

5. Fideicommissariis de manu hæredis capere debet, cui restitutio est injuncta.

6. Hujus aliqua species est in *l. pen. §. ult. ff. ad SC. Trebell.* in quibus putant Fideicommissario tam occupationem propria autoritate, quam immissionem *ex d. fin. permittendam Bart. Bald. Zuchard. n. 226. in d. l. fin.* Sed recte declaratur; si hæres non sit in possessione, à cujus manu tunc æquè capi debet. *Bart. in d. l. pen. Menoch. d. rem. 4. num. 102.*

DECISIO V.

Ex L. ult. C. de Edict. D. Adrian. tollend. immissione in bona decreta, condemnatio in fructus, non injuste fit.

COmmunior quidem JCtorum sententia concluſit, cum hæres remedio possessorio expertus immissionem in bona Defuncti juxta l. fin. C. de Edict. D. Adrian. toll. obtinuit, condemnationem in fructus fieri non posse, sed eam pertinere ad aliud nempe petitionis hæreditatis judicium. (1) Veruntamen illam ut subtilem magis quam utilem non sequi placuit, sed petita & decernenda immissione statim etiam de fructibus pronunciare. (2) Etsi enim hi tempore mortis Defuncti in hæreditate non fuerunt, tamen deinde percepti hæreditatem tanquam ejus portio, & accessio auxerunt, & eodem loco & jure tanquam bona hæreditaria censentur. (3) Ut itaque circa eos idem quod de his jus est, cur non etiam circa immissionem condemnatio fieri non debeat, haud apparet. Concedunt debitum qui aliter sentiunt tantum novam & peculiarem actionem requirunt: At quid ea opus, ubi res statim liquida est? Non convenit judici augere lites, sed deminuere. Quod uno judicio commode & juxta justitiam æquissimè expediri poteris, cur ad duplex & novum remittimus, præsertim cum nulla lex impediat aut dictet fructus in istud judicium non venire. Sine illa multum valet judicis officium æquitatem subtilitati præferens. Sic judicatum *in causa Martin Bremers, contra den Regierungs-Rath von der Hôpken, die 18. Decembr. Anno* 1668.

1. Uti etiam post alios allegatos sentit & tradit *Menoch. remed. adipisc. possess. 4. num. 8.* ubi hanc raitonem ponit, quod immissio tantum fit in bona quæ tempore mortis in hæreditate fuerunt.

2. Prout etiam sic explicavit *pract. Papiens. in form. libell. pro hared. ex testam. in Gloss. ult. in fin.*

3. Ex hoc diligenter observandum, quod alias JCti eum ratione monent differre fructus, qui ut pars augent hæreditatem, & eos qui ex facto vel culpa possessoris ut lucrum petuntur. Illos hæreditariis bonis esse accensendos. *Donell. de Usur. cap. 4.*

Digitized by Google

DECISIO VI.

Legatarius non ita ut hæres ex l. ult. C. de Edict. D. Adr. toll. in res legatas immitti debet, etsi testamentum omni visibili vitio careat, sed contra hæredem justis actionibus experiri.

HÆredibus pro adipiscenda possessione rerum hæreditariarum varia remedia sunt constituta. Siquidem ex testamento sunt hæredes, ubi hoc caret visibili vitio nec legitimus contradictor adest, statim fit in bona immissio. (1) Alias ex interdicto quorum bonorum possessione potiri licet. (2) Non sunt eadem remedia parata legatariis seu hæres seu alii res legatas possident; sed aliter iis prospexit Jurisprudentia, ut vel actione contra hæredem personali, vel contra quemvis possessorem rei vindicatione, vel hypothecaria experiantur. (3) Quodsi judex illos ad exemplum hæredum statim immiserit, aut immissionem decreverit, non instituta talium actionum aliquâ, nec post causæ cognitionem lata sententia erit. (4) Injustè decernit, ubi tale remedium istis jure non est paratum. (5) Atque ratio diversitatis apparet. (6) Nec tantum adversus extraneum immissioni tali non est locus, sed nec contra ipsum hæredem, quamdiu exceptione legitimâ se defendit, veluti si in rebus legatis pignus, & ex beneficio inventarii id sibi salvum. (7) Aut alias confusioni non esse locum prætendit. (8) Secus contra se judicatum conquerentem cum appellaret, audiendum atque processus ipsi decernendos esse conclusum fuit, *in causa Christoff Cluvers, contra Sophiam & Adelheidam von der Huden, die 27. Sept. Anno 1653.*

1. *l. ult. C. de Edict. Div. Adrian. toll.*
2. *tot. tit. ff. & C. quor. bon.*
3. De his tribus diversis actionibus legatario competentibus prospectum est. *in l. 1. C. Comm. de Leg.*
4. Sine actione experiri nemo potest, *l. si pupilli 6. §. fin. ff. neg. gest.* nec judex ubi ea deficit, officium impertiri debet.
5. *Ex l. ult. C. de Edict. D. Adrian. toll.* non est legatariis actio aut possessione potiundi remedium. *Menoch. adipisc. poss. remed. 3. num. 133.*
6. Legatarius, etiam cui per vindicationem legatum est, nonnisi per manus hæredis legati, possessionem adipisci debet, alioqui tenetur interdicto quod legatorum, *l. 1. tot. tit. ff. quod Legat. Faber in C. lib. 8. tit. 2. defin. 1. num. 1.*
7. Inventarii beneficium efficit, ut non confundantur actiones, *l. fin. §. in computat. 9. C. de lib.*

DECISIO VII.

Quamdiu de jure & viribus testamenti lis pendet, neutri partium juxta l. fin. C. de Edict. Div. Adrian. toll. immissio decernitur.

HÆredem qui testamento institutus est, ubi illud nullo vitio visibili labore ostendit, statim in bona quæ defunctus habuit, immitti debere jure constitutum est. (1) Quo beneficio frui permittitur, etiamsi dubium adhuc sit, an testator facultatem testandi habuerit nec ne, (2) ut & an testamentum de jure subsistat, (3) aut an hæres capax sit nec ne. (4) Quibus consequens quod si de bonis hæreditariis seu gentilitiis Erb-Gütern/ quis testatus alios quam ab intestato successuros hæredes instituerit, & in quæstionem venerit, an ita testari licuerit, an bona sint hæreditaria, nec ne, immissionem tamen istam institutum impetrare posse. Cujus is effectus est, ut possessio & usus rerum, quas defunctus reliquit, eidem cedant & remaneant, donec causa successionis, quæ ad ordinarium remittitur, (5) terminabitur. Ita vero hæc obtinent, si nondum testamenti jus & vis seu testatori potestas in controversiam venerint. (6) Postquam de eo lis jam cœpit, non est amplius locus immissioni, sed usque dum lis finietur, relinquenda omnia in eo statu, in quo sub istius initio fuerunt apud litigantium alterum. (7) Quisque durante lite possessionem continuabit, in ea non magis turbandus, quam aliquid innovare licitum. (8) Ea vero, quæ apud neutrum exiitunt, nemini petere integrum erit, sed vel apud eum ubi sunt, relinquentur; vel penes sequestrum deponentur. (9) Quodsi aliquis litigantium pecuniam à defuncto creditam exigere tentabit, arresto vel prohibitione, ne solvatur faciendum, ut ad eum non deveniat, sed omnia ad finem litis integra serventur. (10) Ita *in causa Harding Petersen & consortum, contra Erasmum Hagelschlachten, decretum die 26. Augusti An. 1614.*

1. *in l. fin. C. de Edict. Div. Hadrian. toll.*
2. *Menoch. remed. adipis. poss. 4. num. 745.*
3. *Menoch. dict. remed. 4. num. 759.*
4. De jure Lubecensi de bonis hæreditariis seu gentilitiis von Erbgütern testari non licet. Conditio autem testamento, ubi dubium est, an bona de quibus disponitur talia sint nec ne; Item ubi controvertitur, annon contrario usu à Statutis Lubecensibus recessum fuerit, interea juxta præfatam missio fit.
5. Quæ altioris indaginis sunt, in isto possessorio *l. fin.* non remorantur immissionem, sed alii processui reservantur. *Roland. à Vall. consil. 1. num. 37. vol. 1. Caheran. consil. 42. num. 11.*
1. Ita semetipsam lex, *fin. C. de Edict. D. Hadr. toll.* declarat & limitat, si legitimus contradictor adest, ab immissione abstinendum. Talis verò est, cum quo lis super testamento jam cœpta fuit. *Menoch. dict. remed. 4. num. 555.*

7. Non

Digitized by Google

7. Non est hoc possessorium exceptum à generali regula, quod lite pendente nihil est innovandum *jun. t. l. 1. C. ult. lit. pend.*

8. *Fab in Cod. lib. 6. tit. 13. defin. 1.* Nec tantum eo jure gaudebit, qui testamento nititur, sed etiam qui ab intestato successionem petit. *Faber. in Cod. dict. tit. 13 defin. 4.* ubi *num. 24.* hanc rationem addit. *Ne eveniat facile, ut ex sola testamenti inspectione sequestranda sit hæreditas privandusque hæres legitimus sua possessione, quod sane absurdum esset, præsertim ubi eam sine vitio nactus est.*

9 Ubi neuter possidet, remedium ex sequestratione peti solet. *Dd. in l. un. C. de proh. sequestr. pecun.* cujus species est mandare, ut apud quem res est, nisi finita lite nemini restituant, *l. ei apud 5. § fin. ff. de depos.*

10. Hoc sub lite super hæreditate frequentissimum, ne alteri voluntaria præceptione noceatur, *sicut hoc remedium suggerit Gail. in tr. de Arrest. Imper. cap. 1. num. 21. seq.*

DECISIO VIII.

Ex sententia à qua appellatum in aliquem, ut hæredem non transit jus possessionem hæreditariorum apprehendendi.

CUi super immissione in hæreditaria bona juxta *l. fin. C. de Edict. D. Hadrian. toll.* cum altero lis fuit victori juxta testamentum statim decernenda est immissio, non attentâ appellatione interposita. (1) Secus vero est, ubi non super possessorio tantum ista lis fuit, sed super viribus testamenti, & potestate testatoris adeoque in petitorio. (2) Etsi enim pro testamento pronunciatum, tamen post appellationem immissio non est decernenda. Ratio differentiæ est; Quod possessorium illud summarium est, ideo appellationem non admittit. In altero vero Judicio appellationi locus est, judicatum suspendit & velut exstinguit. (3) Ut vero ei qui testamento nititur, post appellationem in eo nihil indulgetur, ita multo minus legitimo hæredi hoc tribuendum, (4) ut licet in priori instantia obtinuerit, post interpositam appellationem possit ex rebus hæreditariis aliquid apprehendere. (5) Qui etsi in possessorio judicio vicisset, & testamentarii hæredis immissionem impedire potuisset, (6) tamen ex eo non potiretur possessionis quodam jure, donec super testamenti viribus lis finita esset. (7) Quocirca ut ut sententiam pro se obtinuerit, hæreditaria tamen credita, ut hæres exigere permittendus haud est, *Inter eosdem.*

1. In remedio *d. l. fin.* à definitiva pro hærede pronunciatâ locum non habet appellatio. *Covarruv Pract. quæst. cap. 23. num. 8. Cacheran. decis. Pedemont. 25. num. 9. latè Menoch. adip. poss. remed. 4. num. 826. & mult. seq.* rationenem sumit ex favore testamenti & huic debita celeri executione.

2. Testamentorum quidem insignis favor est, haud tamen illum per leges obtinuit, ut plane eorum causæ non sint appellabiles.

l. 1. §. 1. ff. ad SC. Turpill. Appellatio validis impedit executionem Testamenti quam exceptio. *Menoch. remed. 4. num. 876.*

TIT. XXXIV.

Si quis aliquem testari prohibuerit vel coëgerit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXV.

DE HIS QUIBUS UT INdignis hæreditates auferuntur, & ad senatus consultum Sillanianum.

DECISIO I.

Indignus paterna hæreditate habendus, qui post obitum ejus de liberanda ejus fide non est sollicitus.

CUm inter quatuor fratres duo concursum creditorum excitassent, duo verò ei repugnarent, atque sine illius incommodis creditoribus satisfacere offerrent, tantum desiderantes, ut isti ab hæreditate porro abstinerent, nec sibi impedimento essent, exactis didicitum est, renunciationem hæreditatis, quam ab illis factam hi obtendebant, non esse probatam, nec aut simpliciter illis ut hæreditate paterna abstineant injungi, (1) nec etiam adhuc excludi posse. Id verò justum non minus, quam expediens visum, ut illi juberentur mentem de se immiscendo aut abstinendo declarare, & si hæredes esse vellent à cõcursus excitatione abstinere, & conjunctis cum fratribus consiliis atq; officiis de fide patris aliter liberanda cogitare atq; laborare. Quia amplius tribuendũ iis, qui citra concursum creditoribus satisfacere volunt, quam qui ad illum provocant. (2) Prævisum autem est illos ut refractarios sponte in eam sententiam non descensuros, nisi addita pœna compellerentur. In quæstionem inde venit. An comminanda, & si non pareretur, irroganda esset pœna exclusionis à successione pro parte sua? Et visum non injuste sic decerni posse, quando quidem ista indignus videatur, qui famam fidemque patris liberare negligit, (3) imo cum necesse non esset, aliis mediis ei subveniri posset, eam in periculum conjicit, & inter concussus infames stugillationes labefactari (4) non modo sinit, sed & facit. In quo insignis filiorum impietas est, & neglectus ejus officii, quod parentibus debent. (5) Mereatur

Digitized by Google

retur is ingratus filius pœnam per quam à Magistratu coerceatur. (6) Nec æquior quam ut hæreditatem amittat, circa quam peccat. Nec adeo grave futurum his qui concursum excitando patrem non solvendo esse ostendunt, ideo parum amittunt. Æquitati etiam congruum, ut hoc potius statuatur, quam ut per liberos qui famam parenti conservare student impedire permittantur. Addita inde est ea comminatio. *In causa Alverich & Ernst Cluer contra Burchard & Luder Cluer, die 24. Ianuarii Anno 1660.*

1. Abstinere est actus voluntarius nec magis ad repudiationem quam additionem hæres compelli potest. *l. nec timere C. de jur. delib.*

2. Est concursus è remediis extraordinariis & extremis, ad quæ non deveniendum quamdiu aliud superit *l. in causa 16. §. 1. ff. de Minorib. l. cum sine pr. ff. de Carbon edict.* Extrema non sunt, nisi extremis casibus adhibenda *c. reperiatur quæst. 1. Hering. de Fidejussor. cap. 13. num. 16.*

3. Cessio bonorum seu concursus ex se quidem infamiam non irrogat. *l. debitores 11. Cod. ex quibus caus. infam.* pudorem tamen & famam valdè adfligit, & lædit sic venire & prostitui defuncti bona *l. paterfamilias 28. ff. de reb. author. jud.*

4. Gravis hæc in cineres defuncti injuria est, uti vocatur *in §. 1. Inst. qui man. non poss.*

5. Parentum persona liberis sancta esse debet. *l. antepen. ff. de obseq. par. & patron.*

6. Sic comminari, terrere, castigare filios impios officium magistratus dicitur. *l. nec quicquam 9. §. de plano 3. ff. de offic. proconsul.*

Pronunciatio post hæc ita facta.

In Sachen Alverich und Ernst Gebrüdern der Cluver Appellanten wider Burchard und Lüder die Cluver Appellaten in puncto immixtionis hæreditis wird was von der renunciation und Verlustigkeit der Erbschafft von Appellanten vorgebracht/zu erweisen aufferlegt/und angenommen/wie zu Recht genugsam nicht erwiesen/ befunden/ demnach den Appellaten noch zur Zeit zur hæreditât ihres Vattern nebest den Appellanten zu verstatten/ dieselbe sich mit Appellanten unverzüglich zusammen zuthun/ der Erbschafft sich mit anzunehmen/ wie Appellanten Erbietens seyn und thunlich erachten/ die Creditoren ausser den Concursum abzufinden/ oder inwendig sechs Wochen/ so sub pœna præclusi præfigiret/zu recht beständige Ursachen/ warumb deß Concursus unvermeintlich vonnöthen sey/ fürzubringen schuldig/ sonst so ausser dem sie ferner an obgemelten säumig und behinderlich seyn würden/ den Appellaten hinfurters der Erbschafft verlustig zu achten. Von Rechtswegen.

Hoc est: In causa Alberici & Ernesti fratrum de Clüver appellantium contra Burchardum & Luderum de Clüver appellatos in puncto immixtionis hæreditatis apparet id, quod circa renuntiationem & caducitatem hæreditatis ab appellante allegatum, probare injunctum & acceptatum prout juris sufficienter probatum non esse, exinde incumbit appellatos adhucdum ad hæreditatem patris præter appellantes admittere, una cum appellantibus absque mora convenire, hæreditati se intro miscere prout appellantes offerunt & conveniens æstimant creditoribus extra concursum satisfacere, vel intra sex septimanas, qui sub pœnâ præclusi præfiguntur relevantes de jure causat quare concursus inevitabiliter necessarius sit propone, alias si circa prædicta negligentes fuerint, appellantibus solis concedendum & appellati hæreditate privandi sint, Idque de jure.

DECISIO II.

Post mortem mariti prole impubere relicta vidua, quæ reassumendæ litis sunt, incumbunt, & injunguntur.

QUi moritur relictis liberis litem ad hos cum hæreditate transfert. Siquidem illi jam perfectæ ætatis fuerint adreassumendam litem citantur. (1) At cum infra eam existant litem peragere est eorum in quorum tutela vel cura sunt. (2) Si vero tutores vel curatores non habent, sed matrem superstitem, haud exspectandum est donec istos accipiant, sed matri quod litis significandum, & ut vel ipsa liberos defendat vel tutores accipere efficiat (3) citanda est, (4) ut vel ipsa tanquam tutrix liberorum causam porro agat (5) vel tutores petat. (6) Etsi enim cui cum pupillo lis est petere possit, imo & debeat, tamen id injungendum non est cum mater existit, sed prius tentandum atque exspectandum, quid illa factura sit, (7) Quod secuti sumus *in causa Herrn Landgraffen zu Hessen, contra Detloff von der Hyden. Die 27. Nov. Anno 1655.*

1. Ita solita est hæredum ad reassumendam citatio.

2. Impuberes minores & personam in judicio standi legitimam sine tutore vel curatore non habent *l. 1. C. qui legit. person. stand.*

3. Alterutrum mariti incumbit. *l. 2. §. quidsi pater 25. ff. ad SC. Tertyll.* ideo ad alium nec decurrendum nec ex officio, ut aliquibus visum, dandus tutor vel curator. Nec enim ad hos perveniunt ubi aut legitimus est tutor, aut si non petit qui petere debet.

4. Compellenda est mulier ut alterutrum faciat, *d. l. 1. §. quid ergo 24. ff. ad SC. Tertyll.* quod dicitur compulsam impunem non facere id male eo extenditur, quod compelli non debeat, Eo ipso quod compulsionem exspectans punitur eam necessariam esse ostenditur.

5. Ante cæteros ad tutelam mater admittitur si suscipere velit, juxtim vero & quæ leges requirunt præstare. *l. 2. C. quand. mul. Offic. fung. Novell. 22. cap. 46. Novell. 89. cap. 14.*

6. Hoc sub pœna amissionis hæreditatis incumbit matri *l. 2. §. 1. & 2. ff. qui per tut.*

7. Ejus est prius rogare ut petant qui petere debent, ubi isti petere negligent tunc demum quo cum impubere litigat. *d. l. 2. §. siquidem l. 4. Cod. eod.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO III.

Ex sola impietate erga defunctum sine ejus voluntate nemo exhæredatur, aut portio alicujus cohæredibus accrescit.

MAgna erga defunctum impietas facit quidem aliquem hæreditate indignum, at non incapacem; (1) ideo ex illa sola non est jus cohæredibus ingratum & impium cohæredem ab hæreditate excludendi & petendi ut pars illius sibi cedat. (2) Etsi enim ob illam defuncto jus fuerit liberos exhæredandi, (3) tamen si hoc factum non sit, haud est cohæredibus jus vel facultas alium hæredirate privandi. (4) Quando itaque ex consilio JCtorum pronunciatum erat, pro exclusione ex ista causa cohæredis in defunctum olim valde injurioſi non admittendos esse ad probandum articulos, velut non revelantes, quibus continebantur crimina seu impietas, unde cohæres fiebat indignus non incapax, visum non esse justam appellandi causam, (5) sed bene pronunciatum esse. *In causa Peter Gammelkarns contra Claus Lindowen, die 4. Aprilis Anno 1657.*

1. Multum discriminis est, utrum hæres sit incapax an indignus. Illius in successione nullum jus est, ideo statim fit locus proximiori. Hujus verò est successio, at quod ex ista capere potest, ob causam quæ indignum facit fiscus vindicat. *Cujac. in Paratit. C. de his ut quib. indign.*

2. Ea quæ ut indignis auferuntur non cedunt cohæredibus aut substitutis sed fisco. *l. 2. Cod. d. tit. l. Papinian. 8. §. meminisse 14. ff. de Inoffic. Testam. l. 29. ff. de jur. Fisc.*

3. *Novell. 115. cap. 3.*

4. Privatio juris successionis ut pœna non est sine lege statuenda. *l. aliud 131. ff. de verb. signif.* Quisque successionis capax est, nisi ubi lex facit incapacem. Multum quippe hæc differunt; Nec ab uno ad aliud argumentum valet.

5. Ex causa indignitatis soli fisco jus est, non cohæredi, *tot. tit. ff. & C. de his quib. ut indig.* ideo sine jure nec gravamen.

DECISIO IV.

Ut indigno meritò auferatur hæreditas qui parentibus violentas manus aut os maledicum intulisse arguitur.

SI parentes filios immorigeros à sua successione non excluserint, ipsis quidem velut non exhæredatis manet jus succedendi, at in pœnam atrocis injuriæ erga parentes, quam vindicari publicè interest, (1) ut indignis auferenda est hæreditas. (2) Quæ cum fisco cedat, illi jus est petendi illos declarari indignos sibique portionem eorum adjudicari. (3) Etsi igitur reus absolvitur à petitione cohæredum, qui istam sibi vindicant, manet tamen integrum jus fisco. (4) Quocirca existimatum est, utut ille huc usque non dum interveniisset, tamen sic pronunciari debere, ut cum illa reservatione injungatur advocato vel procuratori fisci competentibus remediis vindicare bona & pro hoc injungi hæredibus, ut inventarium communis hæreditatis exhibeant. Sic *judicatum in prafata causa.*

1. Parentum persona liberis honesta, & sancta esse debet *l. liberto 7. ff. de Obseq. Parent. & Patron. præstand.* Quod si istos quos venerari oportet contumelis affecerint vel violentas manus intulerint, officio magistratus delictum ad publicam pietatem pertinens, pro modo delicti vindicatur *l. 1 §. 2. ff. eod.*

2. *l. inimicitia. 9. §. 1. ff. de his quib. ut indign.* Fortè opponetur his, quasi textus ille intentioni contrarius sit, dum ex illa causa quidem legatum ait amitti, at verò non fisco quæri, *uti ex §. seq. fin. apparet,* qui prioribus speciebus in eo opponitur, quod in posteriori fisco defertur, in cæteris tantum legatum ex tacita voluntate exstinguitur, *uti explicat, Mejer. in Colleg. Argentorat. lib. 24. tit. 9. thes. 4. sub. num. 2.* Verum ejus ratio est in legato peculiaris, quod censetur ob subsequentem injuriam testator non voluisse datum legatum, idcò tacitè revocatum Hoc verò manet, quo tamen indignus est, qui talia facit, ideo hæreditas manet sub communi de indignis regula, & confirmat *dict. §. fin.* indignum declarans eum, qui status controversiam facit, quantò magis, qui manus violentas infert, contumeliis afficit. Circa convitia etiam interest extranco an parenti, cujus sanctior persona est, dicta fuerint.

3. Fisci hoc jus *tot. tit. ff. & Cod. de his quibus ut indig.* ostendit. Inde inter regalia hodiè computatur.

4. Indemnitati fisci consulendum est officio judicum. *l. 2. Cod. de Fid. & jur. hast. Fisc.* semperque prospiciendum ut si illud in causam incidet integrum servetur. Unde moris est tunc admonere sui officii Fisci Advocatos seu Procuratores.

DECISIO V.

Titulus ff. & C. de his quib. ut indign. nec abrogatus est, nec in desuetudinem abiit.

INcidenti casu, ubi videbatur Fisco contra hæredem ut indignum esse actionem, dubitatio movebatur an titulus *ff. & Cod. de his quib. ut indign.* adhuc in usu sit, quia in desuetudinem abiisse JCtorum quidam scribunt. (1) At inspectis aliorum scriptis apparuit eos loqui tantum vel de certa specie seu causa, ob quam indigni habentur, non generatim de toto titulo, vel de certo quodam loco, provincia vel regno. Quid de jure aliquo seu more orbis referat reperio neminem, vel si generatim ità sentiunt, opinionis fundamentum collocare in lege, quæ nihil tale constituit, (2) ideo sine fundamento sic sentire. Præsertim vero in

Digitized by Google

Germania illum titulum contrariâ consuetudine sublatum esse nemo fidem hactenus fecit, nec crederem. Insistendum juri communi recepto donec abrogatio probatur, (3) quæ nunquam præsumitur. Est illorum Germaniæ JCtorum etiam alia opinio. (4) In ditionibus Germaniæ Regiis eam desuetudinem non deprehendimus id circò legem sequuti juxtâ eam decrevimus *contra Asmus Lindo Wen injuncta Fiscalis ejus custodia die 4. Aprilis Anno 1657.*

1. *Faber in error. Pragmat. decis. 38. error. 10. ubi scribit interplerasque gentes abrogatum esse. Mo. Molina in consuet. Parisiens. §. 13. glos. 3. num 9. Fr. Caldas consil. 35. num. 37. Clar. §. fin. quæst. 79. numer. 8. in fin.*

2. Putant quippe mutatum esse jus vetus per *Novell. 134. cap. ult. Auth. Bona damnatorum,* quæ nihil tale habet, nec pertinet ad ea, quæ fiscus indignis aufert *Mejer. in Colleg. Argentoratens. lib. 48. tit. 9. thes. 6.* detrahit hæc constitutio publicationem bonorum aliis condemnationibus pœnalibus & non ait simul pœnam corpori irrogari & bona in fiscum redigi, nec dupli pœna quis affligatur. At ubi delicti pœna sola confiscatio est, nihil sustulit vel mutavit.

3. *l. præcipimus 32. §. fin. C. de Appellat.*

4. *Vid Heiger lib. 2. quæst. 34. num. 44. Thom. Merchelbach. int. consil. Klockis 46. num. 211. vol. 1. ubi in Germania residuum ejus usum testatur & docet.*

TIT. XXXVI.

De Codicillis.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXVII.

DE LEGATIS.

DECISIO I.

Amittitur legatum, quod loco rei quæ petitur datum fuit, & unde sic datum fuisse constet.

CUm mulier testamento aliquibus proximorum hæredum legata dedisset, aliis institutis hæredibus, illique ex ea causa testamentum impugnasset, quod de bonis hæreditariis tastata esset, atque hæc via successionis ab intestato ad se pertinere contenderent, postquam pronunciandum fuit, qua ista ultimam voluntatem non valere, in quæstionem venit, an nihil ominus legata deberentur: Etsi vero ex vindicatione talium bonorum testamentum non corruit, (1) sed de cætero subsistit nec minus quam cum inofficiosum dicitur, legata ex eo peti possunt, (2) eorumque debitum diversum est, tamen voluntati testatricis, quæ præprimis considerari debet, (3) non conveniens visum, dispositionem circa hæreditaria bona impugnantibus ac inde ista impetrantibus legata deberi, cum hæc dare censentur loco & vice omnium, quæ deberentur. Sicut enim legatum compensatur cum debitis, si necessaria sunt, & legatarius accipiendo legatum debito renunciare aut petere non posse creditur velut recipiens quod ejus vice est (4) ita & vicissim ubi quod ex lege vel alias necessario debetur, petitur & præeligitur, oportet cessare legatum. Quedin præsenti casu eo minus dubii habebat, cum legata maxima ex parte dabantur de bonis hæreditariis & præterea additum erat, si aliqui legatariorum legatis non contenti litem moverint aut ultra quid petierint legatis carere debebunt, (5) Unde voluntas manifesta erat non legantis, nisi si consisteret per omnia testamentum & adjectæ illius taciæ conditionis, si nihil ultra petetur. Qui tenor certum argumentum præbet testatricem legato quod alias peti posset, compensatum voluisse. (6) *In causa Harding Petersen & consortum contra Erasmum Hagelschlacht die 11. Junii Anno 1658.*

1. Est enim eo loco atque fide alienis quibus testatur, ex quo quoad ipsa invalidum de cætero justum nihil ominus est.

2. *Novell. 115. c. 3. in fin.*

3. Ubi ex argumentis quibusdam verosimile est testatorem quid velle, etsi ita dictum non sit, magis tamen voluntas attenditur quam verba. *l. Publius §. Titius ff. de Condit. & Demonstrat. l. 3. §. Conditio ff. de adim. legat.*

4. *l. si cum dotem 22. § si pater 3. ff. solut. matrim. l. Titia 34. §. quin vitæ 5. ff. de Leg. 2. vid prolus Menoch. lib. 4. præsumpt. 104. per. tot.*

5. Acceptatio legati continet approbationem testamenti.

6. Ex eo colligitur voluntas verosimilis compensandi *l. creditorem 85. ff. de leg. 2.*

DECISIO II.

Data ad piam causam debentur, quoties de voluntate defuncti constat, etsi illa omni solennitate caret.

PEtitioni legati vel dati ad piam causam opponebatur defectus testamenti & non solenniter editæ de isto voluntatis defuncti. Per jus quidem civile tali exceptioni locus esse potest. (1) Per canonicum tamen jus aliter provisum, (2) quod in iis quæ ad piam causam pertinent præprimis sequimur (3) Isti vero convenit deberi quicquid ad piam causam destinatur, modo de voluntate dantis qualitercunque constet. (4) Nam etiam ex testamento imperfecto legata ad pias causas deberi, communis tenet sententia. (5) Qualiscunque etiam sit dispositio, quâ

Digitized by Google

quà pias causas isti ineſt clauſula codicillaris (6.) & ſi non valet ut teſtamentum tanquam ab inteſtato ex cauſa fidei commiſſi ſubſiſtit. (7) Atque idem jus Lubecenſe, quo civitas & cives Gryphiswaldens utuntur, ſpeciatim diſpoſuit. (8) Ex his cum de voluntate teſtatoris res dubia non amplius erat, pronunciatum eſt, non attentis iis quæ de teſtamenti defectibus diſputabantur, ſententiam, quæ ad ſolutionem legati condemnaverat confirmandam eſſe, *in cauſa Præſ. in Broda Georgii Volſchovii, cont. Senat. civitatis Gryphis Waldenſ. die 19. Jan. Anno 1660.*

1. Jus civile quà legata ad pias cauſas ſingulare nihil conſtituit, ſed ea ſub diſpoſitione juris communis reliquit *Iaſon in l. 1. C. de SS. Eccleſ. Finckelthaus obſerv. 78. num. 38. & 49.*

2. Ex Jure Canonico in ultimis voluntatibus ad pias cauſas remiſſa eſt ſolennitas teſtamentaria, & præter voluntatem ejusque aliquam fidem nihil requiritur. c. *cum eſſes c. relatum x. de Teſtam. de quo vid. latius apud Fanſchow. lib. 2. qu. 8. per tot.*

3. In iis quæ pias cauſas concernunt jus Canonicum etiam in terris imperii ſequi oportere Juris Conſ. ſententia communior eſt vid. *Tiraq. de privil. pia cauſ. 163. Weſenb. conſ. 130. num. 143 vol. 3.*

4. Hoc etiam inter privilegia piæ cauſæ refert *Tiraquell. d. tr. privil. 12.*

5. *Tiraquell. d. l. privil. 7.*

6. *Tiraquell. privil. 92. Clar. in §. teſtam. q. 98. n. 7.*

7. *Iaſon. in l. Coheredi § cum filia in fin. ff. de vulg. & pupill. Anton. Fab. in C. lib. 6. tit. 6. defin. 13.*

8. *lib. 2. tit. 1. artic. 13.* ubi in commentario pro ejus expoſitione plura videbis.

DECISIO III.

Legatarii contra creditores exceptione excuſſionis qua rem legatam gaudent.

QUod illi qui ſuo nomine poſſident excuſſionis beneficium habent, utrum etiam legatariis adverſus creditores defuncti proficiat, inde dubitatum eſt, quod illi nihil capiunt ex hæreditate, antequam his ſatisfactum eſt (1) & in concurſu creditorum potius jus eſt de damno quam de lucro certantium. (2) At quia non amplius quibus prius ſatisfieri oporteret, quæſtio erat, ſed an ex quo legatariis ſatisfactum & quorum domini jam erant ab iis revocari poſſet (3) concluſum eſt non aliter creditorum potius jus ad revocandum proficere, quam excuſſis prius cæteris debitoris facultatibus (4) nullo circa eos qui ut Domini poſſident diſcrimine faciendo oneroſo an lucrativo titulo acceperint. (5) Sufficit legatarios dominos eſſe factos (6) *In cauſa aliquot creditorum hypothecariorum Claus Horns contra Iochim Bibo Wen & Chriſtoff Zepelin die 25. Januarii Anno 1661.*

1. *l. fin. §. fin. vero creditores 5. C. de jur. deliber.*
2. *l. 41. ff. de R. j.*

3. Difficilius multo repetitio conceditur, quam ut quid non detur aut capiatur.

4. Exceptio excuſſionis generatim data eſt poſſeſſoribus ex ſingulari quadam æquitate, ideo non excludendus ab ea quisquam ſine lege *arg. l. 2. C. de inoffic. Teſtam. l. generaliter C. de reb. credit.*

5. Etiam de his ita expreſſe conſtitutum eſt *in d. l. fin. §. fin. vero creditores 5. C. de jur. deliber.* per *verb* qui poſt emenſem patrimonium nondum completi ſunt. Confirmatur idem *per. l. 1. C. de revoc. donat.*

6. Ad legatarios dominium tranſit ipſo jure *l. ſi mulier. 3. §. ſi rem. 2. ff. de leg. 3. l. à Titio 64. ff. de Fort.*

DECISIO IV.

Pœnam dupli ob inficiationem Legati meretur cui ab initio cauſa litigandi non injuſta fuit, ſed poſtea deſiit ſi ipſe litem tunc non omiſit.

COnventus à Fiſci Advocato ad duplum ob inficiationem legati & motam contra ejus petitionem litem prolixam, videbatur ab initio juſtam litigandi cauſam habere quod poſcere teſtamenti, in quo datum erat, exhibitionem & cum exhiberi non poſſet ſolvere recuſaret, nec etiam deeſſet, quod iis per quos legati præſtatio intendebatur opponeret. At quando deinde tum ejus qui legato oneratus erat confeſſio, tum judicium eorum qui de iſto cognoſcebant, tum cohæredum conſenſus, tum ab eo qui contendebat facta aliquoties uſurarum ſolutio allegabatur, & ex his non poterat non ſatis de legato conſtare, valdeque indignum erat reum adverſus hæc longa lite contendere viſum fuit non ad excuſationem ſufficere, quod ab initio injuſte opponi poterat, ſed ſpectandum ultimo factum, (1) eoque tali reperto ut congruat verbis legis inficiationem & rationi, pœnam irrogari æquum fuit. Sic judicatum *In cauſa Advocati Fiſci contra L. Georg. Vækſcho Wen die 18. Sept. Anno 1662.*

1. A pœna dupli non liberatur qui ab initio habuit juſtam ignorantiam legati, ſi non ad finem in iſta perſiſtit. Superveniens mala fides & ſcientia priorem ignorantiam abſorbet.

DECISIO V.

Quæ pœnam inficiationis legati non dolus in litigante requiritur, ſed tantum litigii temeritas.

POEna dupli, quæ legatum controvertenti irrogatur, non ob dolum ſed eam culpam infligitur quæ eſt in temeraria atque moroſa lite; Hæc quippe per iſtam

Digitized by Google

coercetur. (1) Ideo in illa irroganda non quærendum de dolo sed tantum de litis motæ temeritate atque injustitia, modo tamen litigans se malam causam fovere sciat aut facile scire possit: (2) Quod in illo accidit qui contra decretum visitatorum Ecclesiæ cui legatum datum erat, contra propriam confessionem, aut de liberalitate defuncti factam gloriationem imo contra approbationem quæ ex solutione partis evenit litigare non dubitavit. In eadem causa.

1. Improbus enim litigator non longe à dolo est ideo justum præstatione dupli luit pœnam.

2. Animus distinguit delicta nec sine scientia malæ causæ temeritas litigandi esse potest.

DECISIO VI.

Quando ipsum legatum comprehendit usuras tanquam peculiare legatum.

ETsi extra dubium sit usuras statim à morte testatoris deberi cum ipsæmet legatæ sunt, (1) tamen obscurum fuit an istæ ex legato an pro legato debeantur. Inter quæ nobis occurrebat specie dubitationi locus non super erat, postquam legatarum usurarum varia exstabant argumenta ex verbis testamenti & mente testatoris concludentia, nempe quod res & pecuniæ non tantum dabantur ex testamento, sed etiam possessio earum quasi cedebatur, cum testator uteretur non tantum verbo **Geben/** legiren, sed etiam **Abtreten/** quod translationem ipsius possessionis & traditionem aliquam indicat, quæ cum omni sua culpa fieri intelligitur. Quod mentio expressa fiebat redituum & usurarum & cum iis res & pecuniæ legebantur: Quod additum istorum perceptionem statim & continuo fieri debere **sollen die Abnützungen und Zinsen fort gemessen**: Quod legatæ res erant Sacro-Ministerio ideoque ad piam causam cujus legati vis est ut usuræ statim à morte testatoris transeant. (2) Quod nomina erant legata & usuræ præstandæ non ab hærede sed ab hærede sed ab hæreditariis debitoribus: (3) Quod nullibi in testamento reperiebatur aliquid usurarum nomine ex legato ademptum vel in hæredem translatum: Quod cum testator prospexisset, ne hæres vidua intra annum eorum legatorum nomine molestia aliqua afficeretur iis verbis usus est: **soll binnen Jahr und Tag nach meinem Absterben darum nicht beunruhiget noch um Zinsen oder** Capital **gefodert werden/** quæ exactionem ab illa suspendunt non tollunt, imo ipsum debitum usurarum peræque ac sortis, ostendunt & inferunt. Non apparebat alia dubitandi ratio quam ex verbis quibusdam testamenti alii cuidam sed post multum intervallum posito legato adjectis, **welches legatum meine Erbin gleichfals ohne Zinsen über Jahr und Tag zu bezahlen gehalten seyn soll.** Præterquam autem quod vero simile ea non ad anteriora legata, sed proxime præcedentia mentionem alicujus debiti, cum quo compensatio qua sortem fieri debebat, pertinere manifesta diversitatis ratio erat, tum inter legatum pecuniæ ab hærede solvendæ & nominis alieni, tum etiam inter petitionem usurarum ab hærede & exactionem à debitoribus hæreditariis, Ex eo enim quod nisi post annum non deberentur ab hærede usuræ inferri poterat, ut etiam legatariis non deberentur ex nomine legato à debitoribus hæreditatis. Non est inter hæc similitudo, ut congruat verbum **Gleichfals**. Non sequitur, qui non debet vidua usuras ex legata pecunia per ipsam solvenda, ideo nec ad piam causam legatorum nominum usuras à debitoribus solvendas legatariis deberi, præsertim cum multa argumenta istarum legatarum adsint, nullum pro hærede quod illa capere debeat. Nec etiam testator in eodem testamento voluntatem mutare aut contraria disponere voluisse præsumitur. Interpretatio ita capienda ut illa eviteretur, nec ex una alterave voce præsertim dubia contra voluntatem satis expressam contrarium arguendum atque hæc moverunt ut usuræ simul ministerio adjudicarentur die 16. April. Anno 1669.

1. *l cum unus 10. §. verbis 1. ff. de alim. & cibar.*

2. Pii legati causa multa singularia esse recepta exponit *Tiraquel in tr. de pia caus.*

3. *Mej C. I. A. lib. 34. tit. 3. th. 13. num. 14.*

TIT. XXXIIX.

DE VERBORUM SIGnificatione.

DECISIO I.

Verbum Ehegeld *non semper dotem significat & quando aliter accipitur.*

OB doris multa privilegia quidquid uxor ad maritum adfert ipsa ejusque hæredes pro dote venditare satagunt, inde nihil non in id argumentum attrahitur, Factum hoc est cum quædam referret se accepisse, vel sibi promissa quatuor millia florenorum usurpata voce **Ehegeld**. Non dubitatur ea significari dotem, (1) at tunc si non apparet alio sensu usurpari. (2) Utuntur aliqui ista voce etiam latiori significatu ut com-

Digitized by Google

comprehendas quidquid nummorum matrimonii causa promittitur, vel accipitur, nec dotem modo proprie sic dictam sed & pecuniam, quæ loco suppellectilis & vestimentorum, donorum, pro nupriarum impendiis vel aliter occasione conjugi dantur. Hæc significatio admittitur, ubi propriæ & strictæ non est locus, (3) veluti si appareat aliunde non esse tantam dotem atque in nummis sub illa voce confessatis comprehenditur, constitutam; (4) Si se scriptura refert ad alia, in quibus idem non habetur, (5) si tantum dotis nomine socer dare non potuerit; (6) si præter illam pecuniam nihil, quod alias elocatis dari moris, dederit. (7) Ut hæc considerata sunt *In causa Siegefried Deckhowen prioris matrimonii contra creditores ejusdem die 16. Januarii Anno 1656.*

1. Hoc discrimen, si proprietatem & communiorem usum vocum sequimur, est inter duo hæc verba Außsteur & Ehegeld / quod illo continetur, quidquid ad elocationem liberorum confertur, unde dotem, donationem propter nuptias, vestimenta, aliaque ornamenta nuptialia, impendia nuptiarum & similia complectitur. Hoc autem communiter ad dotem saltem refertur.

2. Magis ad sententiam loquentium quam ad verba respiciendum est *l. Labeo 7. § fin. ff. de suppell. leg.* verba si res aliter se habet fidem veri non perstringunt *l. verb. 6. C. de Testam.*

3. Decet verba potius impropriare, quam a voluntate loquentium aut veritate rei decedere *Bald. in d. l. Labeo § fin.*

4. Ubi apparet aliud in voce aliud in mente esse veritas obtinet *l. fin. §. 1. C. de SS. Eccles.*

5. Referenti non creditur nec statur ultra quam est in relato *l. ex asse ibi Dd. ff. de Hared. instit.*

6. Dos censetur data secundum facultates parentum cum ultra dari non debuit. *l. 60. l. 69. §. 4. & seq. ff de jur. dot.*

7. Sic in actibus humanis omnia accipienda sunt, ut ex more vel consuetudine fieri solent, *l. quod si nolit 31. §. quia assidua 20. ff. de Ædilit. Edit.* Cum itaque parentes non solcant modo sed & debeant præter dotem alia elocationis impendia facere, ubi non fecerunt, sed certam quantitatem pro elocatione marito dederunt, non potest alius capi intellectus quam quod non hæc pro dote solum sed cæteris debitis consuetis accipi debeat.

Juxta has decisiones ita pronunciatum fuit.

In Sachen Sigfrid Dechowen Kinder erster Ehe Appellanten / wider dessen Creditoren Appellaten / in puncto geforderten 782 fl. wird erkandt / daß was deßwegen zu beweisen aufferleget / und angenommen / wie zu rechte zulässig nicht beygebracht / noch das Suchen delationis juramenti necessarii statt finde / sondern nunmehr Appellanten mit dieser Forderung abzuweisen. Von Rechtswegen.

Hoc est in causa Sifridi Decho Wen liberorum primi matrimonii Appellantium contra ejus creditores Appellatos in puncto petitorum, 782. fl. decernimus, illud quod propterea probare injunctum & acceptatum prout de jure licitum non probatum nec petitum delationis juramenti necessari locum habere, sed tandem Appellantes ratione hujus prætensionis à limine judicii repellendos esse idque de jure.

DECISIO II.

Pecunia, qua Kinder-Geld *dicitur & privilegiata est, nomen cui conveniat.*

QUod privilegium jus Lubecense dedit pecuniæ liberorum dem Kinder-Gelde / (1) aliqui referunt ad omnem pecuniam pupillorum seu à Parente seu à tutoribus creditam: Atabsurde. Non reperitur ullibi in statutis Lubecensis pecuniæ orphanorum ea vox tributa, sed ex iis propria est portionis adsignatæ liberis cum à parentibus separantur, (2) ideo non est extendenda ad aliam speciem (3) & quidem contra jus commune, cujus correctio sine expressis certisque statuti verbis non præsumitur, (4) sed potius dubia statuti ex eo exponenda sunt. (5) Ex quo pecunia pupillaris nullum privilegium nec tacitam hypothecam habet. (6) Sic conclusum in causa Margarethen Hanken contra Creditores Johan Doyen die 3. April. Anno 1660.

1 *tit. art. 12. tit. 1. d. lib. 3.*

2. Circa intellectum Statutorum præprimis respiciendum est quomodo verba accipiantur in aliis ejusdem civitatis Statutis *Aderan. Mascard. in tract. de Interpr. statut. Conclus. 3. num. 44. seq.*

3. Statuta stricte sunt accipienda ut juri communi quam minimum derogent.

4. Correctio omnis odiosa est nec sine expressa Lege inducenda *l. 32. § fin. ibi Bald. C. de Appellat.*

5 *Mascard. d. Tract. Concl. 1. num. 1. seq.*

6. *l 6. § sed etsi quis ff. de negat gest. Fab. in Cod. lib. 8. tit. 7. definit 2. num. 6. seq.*

DECISIO III.

Negatio immixtionis vel additionis non est renunciatio hæreditatis nec illius imposterum exclusio.

INstitura à fratre uterino adversus fœminam actione ex debito tum parentum, cujus causa petebatur in solutum addictio bonorum paternorum, tum proprio ex causa alimentorum dotis & impensarum nuptialium, opponebatur ab ista se nec parentum hæredem nec actioni locum esse propter illorum debita, adversus hos qui se nondum immiscuissent; conventum vero inter fratrem & parentes ut ille horum bona reciperet, sicut etiam vivis his acceperat ipsos vero & sorores aleret, suæ sepulturæ cum moreretur & sororem elocationis impendia subministraret. Quando verò actor contendebat

Digitized by Google

debat per aliquot argumenta sororem se immiscuisse hæreditati, negabat autem allegatam cum parentibus conventionem, illi per juramentum se non esse hæredem asserere, hanc vero probare interlocutione judiciali fuit injunctum. Juravit illa se conventorum probatione se destitui dixit, & juramentum super eo fratri actori retulit, quod postquam ob illa de calumnia juratum fuerat hic præstitit. Quando verò iste post hoc petebat, sibi ob debita parentum addici eorundem bona, super hoc petito audita soror negavit adjudicationem fieri posse, nondum esse liquida credita, ipsi non deberi tantum, plus esse in bonis paternis, & petiit à fratre inventarium aut juratam designationem hæreditatis, quo deliberare possit an hæres esse velit nec ne. Post replicam vero nec se hæredem esse parentum sed quæ tenet bona à vivis parentibus accepisse, nec jus petendi esse sorori, quæ hæreditati renunciaverit, seu abstinuerit. Quæsitum inde an soror ex eo quod se hæredem negavit, ut creditori non cogeretur respondere, se abstinuisse putanda, ideo ab hæreditate excludenda sit? Est de eo varia & prolixa JCtorum disputatio. At generatim vix quidquam constitui potest, sed spectandus est animus ejus qui se hæredem negat. Nam ut aditio hæreditatis sic & repudiatio animi est. (1) Quocirca semper videndum quo animo negatio facta sit. Per se sola non est argumentum repudiationis aut abstentionis, (2) sed intermedium quoddam inter adire seu immiscere & abstinere. (3) Variis ex causis negatio fieri potest, ut tamen non repudiet aut abstineat se hæres. (4) Atque non hoc fine facta videtur, ubi negatio respicit saltem ad tempus præteritum & præsens, ut quis inde inferre velit, se convenire non posse quia nondum se immiscuit aut adiit, nihil de futuro adjecto; (5) vel si negaverit ex certo supposito; quia ejus loco quod non sit hæres vel alteri hæreditatem reliquit, se quid accepisse aut accepturum putet, suo errore aut alienâ captione inductus. (6) At si dubium sit quomodo verba negantis sint accipienda non præsumitur repudiatio, (7) sed statur interpretationi proferentis si verosimilis sit, (8) præsertim verò in suis hæredibus non ex simplici negatione abstentio inferenda, sed ut facta intelligatur, opus est declaratione tali, quæ indicet expressius mentem volentis abstinere, (9) qua sine judicis est eum pro hærede habere. [10] Quando verò in superiori casu non obscurè apparuit, ideò reum se negasse hæredem, ne antequam aliquid ex bonis parentum accepisset, actionum molestiis vexaretur, & ut; qui inducta per allegationem actoris putavit hæreditatem valdè onerosam fore, prius exploraret vires ejus, (11) deinde etiam quod persuasum ipsi erat inter parentes & fratrem, qui tenebat bona hæreditaria præfato modo initam esse conventionem, (12) ex quo verò hæc secus explora vit, aliam mentem ostendit, nec quod ex supposito fecit, eo erroneo deprehenso nocere debet (13) existimatum est non obstante ejus negatione posse ad hæreditatis petitionem ideò ad ea quæ hæreditatis sunt discutienda admitti. Sic *judicatum in causa Margretæ Roden contrà Martin Bremern, die 5. Octob. Anno 1655.*

1. *l. recusari 95. ff. de acquir. hæred.*

2. *Vid. Fab. in Cod. lib. 6. tit. 12. defin. 16. in pr. Menoch de Præsumpt. lib. 4. præsumpt 102. num. 16. ib. & in sequentib.* docet multum interesse an quis solùm negaverit seu dixerit se non esse hæredem an ità se nolle esse hæredem. Hoc enim spectat etiam ad futurum; illud ad præteritum & præsens unde non infertur ad futurum.

3. Nam qui dicit se non esse hæredem ille repudiare non videtur, quia quamdiu non adit verum est hæredem non esse, licet nec repudiaverit, *vid. Fabr. d. defin. 16. num. 2.*

4. In his quæ ex animo dependent animus semper inquirendus & hic talis censendus est quem finis dicti vel facti declarat, cum ille regat dicentium vel agentium animum. *gloss. in l. 1. verb. aliorum ff. quod cujusque univers.*

5. In his formulis interest verba an præteritum & præsens tantùm an & futurum comprehendant. Illæ repudiationem non inferunt veluti si quis dicit; non sum hæres, nolo adire hæreditatem, nego me hæredem *vid. scripta à Menoch. de Præsumpt. lib. 4. præs. 101. num. 3. & seq. num 9.*

6. Ex certo præsupposito vel respectu dicta vel facta ad illum restringuntur & extra eum nihil operantur. *l. fin. C. de Offic. l. fin. C. de re judic. l. debitore fin. ff. ad SC. Trebellian.*

7. *Vid Mascard. de Probat. conclus. 1173. num. 1. seq.* Etsi enim species alienationis & renunciationis, cujus non est præsumptio.

8. In iis quæ sunt inter aditionem & repudiationem media, statur declarationi proferentis nec sine ea in præjudicium illius trahenda sunt. *Mascard. de Probat. conclus. 874. num 7.*

9. *Fab in Cod. lib. 6. tit. 12. defin. 18. ubi decidit abstentionem non fieri nisi verbis aiserris & expressis.*

10. Eum solum qui se abstinuit Prætor non habet hæredis loco. *l. si filius 12. ff. de interrog. in jur. fac.*

11. Deliberandi quod sumitur spatium, relinquit qua aditionem & immixtionem rem integram, & ut interea quis non est hæres ità se negare potest, ad aditionis facultatem non præcindit quæ manet *l. fin. §. pen. C. de Iur. deliber.*

12. Ea patientia dum sciens quis sinit à fratre teneri & administrari bona non excludit sororem nec inducit repudiationem *Bald. & alii in l. licet C. de jur. deliber. Maranth. in l. is potest n. 19. ff. de acquir hæred.* multò minus ubi ejus causa fuit quæ indicat alium animum.

13. Error non habet voluntatem *l. 2. in pr. ff. de judic.*

DE-

Digitized by Google

DECISIO IV.

Usus loquendi communis nec non stylus Notarii vulgaris index est mentis testatoris.

PRo argumento in testamento dispositionem ut in casum mortis bey Ablievicheit cognata hæres fieret, esse substitutionem directam seu vulgarem, proferebatur ab appellante sic communiter illa verba in Belgio accipi, & Notarios, quando testamenta concipiunt, istam eâ formulâ exprimere solere, & cum hujus probationem offeret appellans, satis rationis visum ut contra sententiam à qua provocabat, audiretur. Etsi enim aliàs voluntas testatoris magis spectatur quàm vulgaris usus loquendi, (1) ita tamen hoc obtinet, quando de illa satis constat, in dubio iste interpres optimus censetur; (2) qui etiam in ultimis voluntatibus recipitur. (3) In quibus uti alias sequimur intellectum juris, (4) ità perinde etiam consuetudinis, & quidem ejus loci ubi testator versatur, (6) maximè cum etiam lingua ejus loci utitur, (7) ut & si Notario conceptore testamenti ibidem usus fuerit. (8) *In causa Iohann Nadops vidua contra Massen die 10. Iunii Anno 1656.*

1. *l. in conditionibus ff. de Condit. & Demonstrat. l. 3. C. de Liber. Praterit. Iason. in l. si pater. num. 2. C. de hæred.*

2. Quisque creditor in dubio loqui cum vulgo, ideo ut hic loqui & intelligere solet, ita fit interpretatio, *Corn. consil. 233. n. 6. in fin. vol 4.*

3. *l. liberorum §. quod tamen ff. de Legat. 3. l. Labeo ff. de Supell. Legat. l. cum de Lanionis §. asinam ff. de instruct. vel instrum. l. vinum. §. illud ff. de Trit. legat. ex quibus textibus ICti sentiunt prævaleri circa interpretationem testamenti usum communem proprietati significationis.*

4. Præsumitur ità testator voluisse disponere, ideò etiam ita intelligi se quomodo juri convenit.

5. Ex hac interpretatio habetur necessaria, *uti addit Bald. Consil 245. in fin. & consil. 308. n. 1. vol. 3.*

6. Si quidem quis in loco aliquo non diu versatus fuerit, quod in loco originis observatur, testator secutus intelligitur. Ubi verò diu in loco aliquo versatus ejus mores sequi creditur; ideo voluntas ex ejus moribus præsumitur, *l. si servus plurium §. ult. ff. de Legat. 1. Alexand. consil. 131. n. 5. vol. 7.*

7. Cujus loci lingua quis utitur, ejusdem leges sequi censetur, & ex ejus moribus voluntas accipitur.

8. Notarius censetur ita scribere, ut testator voluit, ideo voluntati stylum applicuisse. *Bald in l. veteren. 2. Castrens. n. 3. C. de Testam.* Quidquid ergò hic indicat, creditur testatoris voluntas, *Bart. in l. siquis filiabus n. 3. C. de Testam. Ioh. de Platea in §. ult. num. 11. Instit. qui testam. fac.*

TIT. XXXIX.

Si omissa sit causa testamenti.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XL.

De indicta viduitate lege Julia missellâ tollendâ.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLI.

De his, quæ pœnæ nomine in testamento vel codicillis scribuntur vel relinquuntur.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXIIX.

DE FIDEI-COMMISSIS.

DECISIO. I.

Quæ bona propriè dicuntur hæreditaria Erbgüter *de quibus non licet testari.*

DE bonis hæreditariis sine consensu proximorum hæredum non esse testamenti factionem ex Jure Lubecensi tralatitium est. (1) De eo verò dubium, quæ bona jure Lubecensi hæreditaria Erbgüter dicenda sunt. Horum definitio quidem tradita est in libro Lubecensium statutorum, (2) Cujus verba si respexeris comprehendit bona omnia, quæ ex hæreditate conjunctorum in linea descendente, ascendente aut collaterali ab intestato deferuntur, nec distinguit inter mobilia & immobilia. At si cum alios juris textus, (3) tum rationem dispositionis respexeris, qua prohibitam alienationem istorum bonorum non nisi immobilia comprehendi dixeris. (4) Hoc praxis fori observat & usus rerum monet, qui valde impeditus foret si nec mobilium quidquam alienare liceret. (5) Et cum ea prohibitio valde coarctet libertatem naturalem in rerum dominiis & alienationibus odiosa maximè, eo in dubio non est extendenda. (6) Nisi itaque aut consuetudo loci eam prohibitionem extenderet ad mobilia aut voluntate partium si placuerit servari, non est qua ista infringenda dispositio testamentaria. Ita existimatum fuit *in causa Harding Petersen & consortum contra Erasmum Hagelschlacht, Die 11. Junii Anno 1658.*

1. *Vid.*

Digitized by Google

1. *Vid. artic. 2. tit. 1. part. 1. Iur. Lubecenſ. & quæ ad ill. Commentar. num. 165. & ſeq. ſcripſi.*

2. *Artic. 6. tit. 10. lib. 1.* Erbgut wird geheiſſen/ welches einem Menſchen anfallen mag/ von ſeinen Eltern oder Blutsfreunden in auffſteigender und niderſteigender und Seit-Linien.

3. *Vartic. 3. d. tit. 3. lib. 1.*

4. *Vti concluſit Cothm. reſponſ. 11. num. 24. ſeq. vol. 3. & ſecutus ſum in Commentar. ad jus Lubecenſ. l. 1. tit. 6. artic. fin. num. 43. ſeq.*

5. Jus Lubecenſe præprimis ſtudet vigori commerciorum ideo ſic omnis ejus diſpoſitio in dubio eſt intelligenda, minimum eſt ex ea detrimentum velimpedimentum; quod non leve eſt ex reſtrictâ bonorum alienatione.

6. Jure communi quædam bona potius hæreditaria quam acquiſita cenſentur. At ex jure Lubecenſi alia recepta eſt præſumptio, *uti Commen. ad d. artic. 6. num. 58. ſeq. plenius demonſtratur.*

DECISIO II.

Subſtitutio quando exiſtimatur eſſe fidei commiſſaria.

COmmunis quidem eſt JCtorum ſententia, ſubſtitutionem quæ in teſtamento fit, in dubio præſumi vulgarem & directam, ut ſubſtituti ſuccedant, ſi inſtitutus nolit vel non poſſit eſſe hæres, non fidei commiſſariam, ſeu ut adita hæreditas reſtituatur. (1) At tantum in dubio. Secus ſe res habet ubi ex verbis teſtamenti atque mente teſtatoris aliud conſtat. (2) Conſtare autem intelligitur non tantum ſi teſtator expreſſis verbis dicat, ſed etiam ſi mens ejus appareat, ex diſpoſitionis tenore, (3) nempe cum illa aliter accipi nequit, (4) id evenit ſi teſtator utitur verbis quæ non plenum dominium, ſed ſaltem poſſeſſionem & uſum rerum ex inſtitutione transferunt, dicens quod debet poſſidere & utitanquam ſuo, non ſi additum, quod ut ſuum habere, & retinere debeat (5) Similiter ſi poſtquam in inſtitutione bona transtulit & modum tenendi dixit adjicit in caſum, cum morietur, aliorum ſucceſſionem, quia ad aditam jam hæreditatem verba reſpiciunt. (6) Nec non ſi in caſum mortis non inſtitutionis formulis ſubſtituit, ſed reſtitutionis; (7) cujusmodi eſt in verbo devolvendi maxime ad inſtitutum hæredem directo; (8) Ubi etiam aliud eſt in ſubſtitutione quam fuit in inſtitutione, veluti ſi inſtitutus in totam hæreditatem rogatur devolvere cum morietur certas res ad ſubſtitutum, eſt argumentũ factæ petitionis, poſtq; adierit (9) Porro ubi non ad unum ſubſtitutionem dirigit, ſed in plures & quidem ſucceſſivè, argumentum inde fidei commiſſi deſumitur, quod communis JCtorum Schola approbavit. (10) Deque eo minus dubii eſt cum ea teſtatoris apparet intentio, quod familiæ ſuæ conſultum velit, ut ſit ea clauſulâ, quod bona quædam ad ſuos agnatos tranſire debeant. Quæ omnia cum concurrerent in Teſtamento Johannis Nodoppen Junioris dubitatum ultra non fuit pronunciandum eſſe pro fidei commiſſo, uti factum *in cauſa Vidua Iohan. Nodoppen Senioris contra Mariæ Maaſen curatorem die 5. Januarii Anno 1659.*

1. *Per text in c. 1. in fin. de Teſtam in 6. prolixè Menoch. de Præſumpt. lib. 4 præſ. 67. per tot.*

2. In certis non opus eſt præſumptionibus ſed ſequimur verba teſtatoris. Voluntas ejus lex quædam eſt, quam ante omnia ſequi oportet.

3. Satis expreſſa eſt mens teſtatoris quæ colligitur ex iisquæ teſtator expreſſit *l. ſi ſervus §. ult. ff. de Legat. 2. l. nuncupat. ibi. Bald. C. de his qui ant. ap. tab.*

4. Fidei commiſſi præſumptio temere non eſt capienda *l. ucius §. tres haredes ff. ad SC. Trebellian.*

5. Quæ reſpiciunt ad temporalem uſum fidei commiſſum arguunt. *Bartol. Conſil. 72. num. 13. part. 1.*

6. Vulgaris ſubſtitutio non fit niſi in caſum, ſi quis hæres non fit. *l. 1. & tot. tit. ff. de Vulg. & Pup.* Ideo ubi verba ſonant in eum caſum, ubi quis hæres exiſtit; illa non poteſt ſubintelligi ſed alia ſubſumitur, cui verba congruunt, qualis eſt fidei commiſſaria.

7. Reſtituere eſt rei jam acquiſitæ, ideo non vulgaris ſed fidei commiſſariæ ſubſtitutionis.

8. Devolvere rogatus non poteſt non intelligi rogatus reſtituere.

6. *Per text. in l. peto in pr. ibi Bartol. de legat. 2.*

10. *Vid. Menoch. de præſumpt. lib. 4. præſ. 68. numero 7. 10.*

DECISIO III.

Fidei commiſſi colligendi quæ ſufficientes ſunt conjecturæ.

AD fidei commiſſum ſubſumendum conjecturas ſufficere creditur, (1) at non omnes idoneæ ſunt. Tales requiruntur, quæ mentem teſtatoris veroſimilem efficiunt, ideo ex ipsâ mente deſumuntur: (2) id autem non refert, utrum mens ex diſpoſitione colligitur, an aliunde, nam ſatis eſt conſtare de mente utcunque explicata fuerit, (3) Deinde non leves ſed concludentes neceſſariæ ſunt, quia generalis eſt præſumtio, fortioribus & ſpecialibus præſumptionibus elidenda, quod nemo hæredem fidei commiſſo onerare voluerit, (4) Optimæ itaque illæ, quibus inferri poteſt, non aliud teſtatorem voluiſſe. *In eadem cauſa.*

1. *Vid. Menoch. de Præſumpt. lib. 4. præſ. 6. per tot.*

2. Non ſufficit ad ea, quæ ex teſtamento dependent præſumptio hominis alia quam ex teſtamento, quia in iis nihil, niſi quod huic convenit, attenditur.

3. Ita JCti diſtinguunt; Aut eſt in teſtamento, quod ad fidei commiſſum trahi poteſt, at de eo dubium, aut nihil habet de iſto teſtamentum. In priori ſpecie, ad intellectum aſſumitur, quod extra teſtamentum de voluntate teſtatoris conſtat, at in poſteriori nihil hoc facit. *Decius conſil. 89. Hieron. Gabriel. conſi. 121.*

4. *Bald. in l. cum virum num. 10. C. de fideic.*

DE-

Digitized by Google

DECISIO IV.

Fideicommissum quando non est odiosum ideo facilius præsumitur.

QUod commune fere JCtorum dicterium est, fideicommissa esse odiosa, (1) ideo pro iis inducendis non capiendam interpretationem, (2) id quidem quod ad hæredem instituturn attinet, rectè dicitur, cujus onus est in fideicommisso: (3) at non ita qua illum qui substituitur & fideicommissum accipit. (4) Providè igitur eo axiomate utendum est, ut sic faveatur hæredi, quo non noceatur contra testatoris mentem verosimilem fideicommissario. (5) Circa ejus applicationem considerandum est, cui ex utroque testator magis faverit, atque pro eo capienda erit interpretatio. Et siquidem major fideicommissarii apud eum favor deprehenditur, non habendum est fideicommissum odiosum. (6) Deinde, si ex voluntate favor non eminet, considerandum, cui major favor debeatur ex jure & ratione. Siquidem id quod ex vel pro fideicommisso obtenditur, aut sua conditione aut pro testatoris intentione aut ex æquitate magis sit favorabile, & tale erit inde fideicommissum. (7) Cujus exemplum statui potest in eo casu, ubi si non subintelligitur fideicommissum bona deventura sint ad novercam aut extraneos illi qui instituit, odiosas aut minus favorabiles personas; Si autem illud adsit ad agnatos vel familiam. (8) Quemadmodum hujus favor amplior ita & fideicommissum, quod familiæ proficit favorabile est, & citius præsumitur. *In eadem causa.*

1. *l. coheredi §. cum filiæ ibi. gloss. & Dd. ff de Vulg. & Pupill. substit.*

2. Aut constat ex voluntate testatoris fideicommissum, & tam favorabile est, ac quidquid alias in ultima voluntate disponitur. Aut obscura de eo est testatoris voluntas, & quia onerosum odiosum est. *Ita distinguit Menoch. de Præsumpt. lib. 4. d. præs. 67. num. 19. & seq.*

3. *l. unum. §. si rem ff de leg. 2.*

4. Hic enim juvandus est fideicommisso, & curandum est interpretatione ne intercidat fidecommissum. *l. cogi in pr. ff. SCt. Trebellian.*

5. Verosimile est utrique testatorem voluisse prospectum.

6. In testamentis maxime favorabile est, quod congruit voluntati testatoris quam exitum habere reipubl. interest. *l. 7. ff quemad. tab. testam.*

7. Favor & odium fideicommissi præcipue ex materia, prout illa alterutrum meretur, censendum.

8. Fideicommissum favorabile est non odiosum quod consulit agnatis seu familiæ. *Capic. decis. 108. num. 15.* quia familias conservari cuique gratum reipubl. utile, affectioni cujusque congruum est.

DECISIO V.

Hæres Patris fideicommisso per filii testamentum onerati duplicem deducit quartam Legitimam & Trebellianicam.

VExata inter JCtos quæstio est: utrum filius fideicommisso oneratus duplici potiatur quartâ Legitimâ & Trebellianica? Nec desunt in utramque partem rationes. At postquam in jure canonico res ea decisa reperta fuit, (1) JCti sepositis juris civilis ambiguitatibus secuti sunt illam decisionem, & communioribus calculis ivêre in sententiam affirmativam, (2) eaque in judiciis ubique ferè recepta reperitur. (3) Et si rationes utrinque ponderaveris æquiorem etiam reperies. (4) Quod autem in filio receptum id per rationis similitudinem ad patrem non inepte porrigitur. (5) Est enim legitimæ quæ parentibus debetur, si non causa, tamen jus idem cumeâ, quam liberi capiunt, & ab ad hac illam valet argumentum. (6) Ut autem patri jus deducendi est, ita cum post mortem restituere ille rogatus est, hæres ejus peræque utramque quartam deducit & retinet. (7) Quod cum ex Consilio JCtorum Lipsiensium in prima instantia ita decisum esset, per appellationem causa huc devoluta confirmatio sententiæ accessit *in eadem causa.*

1. *C. Rainutius Raimaldus X. de Testam.*

2. Communem hanc esse sententiam post plures testatur, *Covarruv. in d. cap. Rainutius §. 11. n. 5. Heig. quæst. 13. num. 15 part. 1.*

3. Eo rem deveniisse testatur *Faber in Cod.* ut inepte ulterius de eo quæratur.

4. Diverso quippe jure & causâ competit utraque Legitima. Altera ut debitum juris & legis sine ullo onere; Altera ut redhostimentum operæ & incitamentum immixtionis seu additionis. Illa tolli nequit, nec tollit hanc.

5. *Vid. Eman. à Costain v. si pater part. 3. verb. privare non possit, num. 34. seq.*

6. *Novell. 18. c. 1. in fin. Covarr. d. §. 11. num. 5.*

7. Etiam cum hæres ipse restituere rogatus detrahere nequit, dum vivit, hæredi permissa est deductio. *l. quanquam 161. Dd ad L. Falcid. Hier. Gabriel. consil. 63. num. 76. seq. Heig. d. quæst. 32. num. fin.*

Pronuntiatio eo tenore facta est.

In Sachen Annâ Schütten Johann Noddoppen deß ältern Wittwen Appellantinnen / wider Marien Maassen / und dero Litis Curatorem Johannem Reimatum Appellaten in punct. hæreditatis wird appellatio zwar anhero erwachsen zu seyn befunden / die gravamina als unerheblich nicht / sondern Acta ex officio vor beschlossen angenommen / und erkandt / daß von Richter voriger Instantien wol gesprochen / übel appelliret / und es dabey zu lassen / die Unkosten aber auß bewegenden Ursachen zu compensiren seyn. Von Rechtswegen.

Hoc est: In causa Annæ Schütten Joan. Nodoppen senioris viduæ appellantis contra Mariam Massen, & ejus litis curatorem

Digitized by Google

Joannem Reimatum in puncto hæreditatis apparet quidem appellationem huc devolutam, gravamina vero tanquam irrelevantia non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus, à judice priorum instantiarum bene judicatum, male appellatum, & ei in hærendum, expensas vero ex moventibus causis compensendas esse. Idque de jure.

DECISIO VI.

Postquam bona gentilitia talia esse desierunt in iis successioni locus manet agnatis at non ut talibus.

JUs equestre ducatus Bremensis bona gentilitia nobilium die Stamm-Güter/ agnatis solis addicit, at cum ea lege & onere, ut relictis defuncti filiabus precium illorum quantum facit æstimatio reddituum sex in centum computatis. Arbitrarium vero ipsis est, utrum bona soluta æstimatione retinere an filiabus cedere velint. Ubi soluta æstimatione retinent quicquid filiæ capiunt, iis mortuis non recidit ad agnatos ut gentilitii boni conditionem assumat, sed hæreditas fit (1) in qua succedunt proximi defunctorum consanguinei si non cum testamento cujus de iis factio libera est, deceditur. Inter illos vero agnati cum vel cum cognatis in eodem gradu reputantur, vel soli proximi sunt, admittuntur. (2) Minime eos jus equestre excluſit, ut à sanguinis jure hæredes, etsi noluit ut agnatos als Stamm-Vettern/ quomodo in gentilitiis bonis proprium jus habere. (3) Etsi non veniunt ut agnati als Stamm-Vettern/ admittuntur tamen ut consanguinei. (4) Quod si agnati tales malint gentilitia bona ad fœminas aut die Spielseite / velut ex successione parentum pervenire tunc admittunt conditionem vel qualitatem illam, atque qua successionem eadem quæ in priori casu ratio. (5) Non habent agnati tunc aut potius jus præcognatis, tanquam in bonis gentilitiis, nec vero etiam nullum ut à successione hæreditaria excluduntur. (6) Non sine ratione existimatum est carere de gravamine quærendi causa qui impugnabant successionem agnati seu etiam qui pari cum ipsis gradu erant excluſum volebant, cum lex nulla excluderet nec quod ut agnati non als Stamm-Vettern non caperent ut consanguinei amittere deberet *in causa fratrum der Duringe, contra Sorores der Wersabe, die 5. Iunii, Anno 1662.*

1. De quo casu vid. das Bremsche Ritter-Recht *tit. 2. §.* was auch.

2. Dubitationem movit non levem quod in jam allegato paragrapho habetur *in verbis.* Aber nicht zurück auff die Schwerdtseiten vererben und fallen/ unde appellans colligebat agnatos, qui ibi significantur voce Schwerdt-Seiten / cui opponitur Spiel-Seiten/ excludi.

3. In d. §. quæstio erit de agnatis Stamm-Vettern ut talibus, & cum statutum ad illos nollet precium redire ex jure gentilitio minime excludit ut sanguine conjunctos. In statutis quæ stricti juris sunt inclusio non est cæterorum exclusio.

4. Excluſus à successione ex uno capite non excluditur ex alio *Bald. in l. licet. C. de jure delib.* qui non admittuntur amplius seu excluduntur ut agnati ad successionem veniunt ex capite cognatorum *l. 1. §. sed videndum ff. de succeſſ. edict. l. pen. §. filius ff. quis ordo in bon. poſſ.*

5. Hoc sub eodem tit. disponitur §. Da aber die Vettern.

6. Similis est in hoc casu ratio cum priori imo etiam potior, & magis expressa quando in jam allegato §. Da aber die Vettern jus proximiores agnatis den Stamm-Vettern conceditur, quod non est nisi illorum quibus jus succedendi supereſt.

TIT. XLIII.

Communia de legatis & fideicommiſſis, & in rem miſſione tollendâ.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLIV.

De falsa causa adjecta legato vel fideicommiſſo.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLV.

DE HIS QUÆ SUB MODO legata vel fideicommiſſa relinquuntur.

DECISIO I.

Legatum ex implemento modo adjecti non debetur alii ac cui legatur, nec huic decedit, si per alterius factum aut casum implere non poteſt.

LEgatum ad pias causas Ecclesiis & Scholis sic relictum, ut vicissim Testatori mortuo ejusque viduæ, gratuita essent funeralia, intelligitur datum Ecclesiis & Scholis istius loci, in quo Testator cum uxore sua vixit, hisque jus quæsitum est. Evenit autem, ut vidua istius post obitum aliò migraret, nec in loco conditi testamenti, sed in alio mortua terræ demandaretur, ideoque in isto non consequeretur, quæ per Ecclesias & Exequias conferri solent, & testamento indigitata erant, nempe sepulchrum, companarum sonitum, concionem funebrem, cantus solitos, &c. Inde inter Senatum urbis, in qua

Digitized by Google

qua ultima voluntas disposita erat, & hæredes viduæ, orta est disputatio. Illo suæ civitatis piis domibus. His si quid ita legatum, iis quæ sunt in loco sepulturæ adferentibus. At huic nullum ad legatum jus esse potest deficiente voluntate. (1) Etsi enim additus legato modus in hoc impletus esset, tamen inde ei jus & actio non est ad legatum, si non indefinite datum loco, ubi corpus humaretur. De eo enim testator non cogitavit. (2) Sed tantum de eo, ubi conjuges vixerunt, modo isto adjecto, ut vicissim præstarentur, per quem legatum non fit conditionale, nec suspenditur, sed purum est. (3) Et legatariis statim acquiritur, (4) sub illa tantum lege, ut præscripta recipiantur, in quibus si legatarius negligens fuerit, ad ea quæ compelli aut legatum revocari potest. (5) Si autem ut non præstentur penes ipsum non fuit, sed vel ex facto ejus cui præstanda sunt ortum, vel ex casu aliquo, pro præstitis habentur. (6) Istud in præsenti specie contigit ob discessum, vel mortem in alio loco Ecclesiis & Scholæ non vacavit ultimo debito perfungi, ideo eos legato carere iniquum. *In causa perfecti Brodæ Volschovii contra Senatum civitatis Griphiswaldensis, die 9. Ianuarii, Anno 1660.*

1. Facit totum voluntas defuncti & quid senserit sequendum est *l. ex facto 35. §. rerum ff. de hæred. inst.*

2. Non oportet quæri cum quo quis de lucremit loquatur, sed in quem voluntatis intentio dirigitur, *l. cum pater 77. §. donationis 26. ff. de legat. 2.*

3. Diversitatem hanc inter modum & conditionem exponit JCtus in *l. eas causas 80. ff. de condit. & demonstr.* quod alibi *in l. 1. C. de his quæ sub mod.* dicitur, in legatis modum pro conditione observari, id respicit ad exitum & effectum, circa quem æquiparantur, non ad initium & petitionem, ut explicat. *Donell. l. 8. comment. jur. civil. cap. 17.*

4. *l. cum in testamento 48. ff. de fideicomm. libert.* vid. *Donell. d. l.*

5. *l. 2. C. de his quæ sub mod.*

6. *l. 2. C. d. tit.* impleta habetur conditio si per eum qui implere debet non stat, quo minus fiat, *utes l. 20. ff. de condit. Iustit. l. jure 24 ff. de condit. & demonst.*

Juxta hæc ita pronunciatum fuit.

In Sachen deß Hauptmanns zu Brode Georg Vollschowen Appellanten / wider Burgermeister und Rath der Stadt Greiffswald Appellaten in puncto legati ad pias causas werden die Gravamina das Legatum betreffend / als unerheblich nicht / sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen / darauß befunden / und erkannt / deß von Richter erster Instantz deßwegen wol gesprochen / und Appellante alles Einwendens ungehindert die 1500. fl. mit den Zinsen abzutragen schuldig / Appellaten auch die Zahlung auff länger Säumniß auß den articulirten Geldern billich erheben / biß Appellant wie Rechtens beybringet / daß Inhalt deß 34 Articuls des libelli bemeldtes legatum gebührend abgestattet und vergnüget wäre / so zu ferner Außführung der jährlichen Zinse unverhinderlich zugelassen / und darauff die Appellaten proxima zu antworten schuldig seyn solle.

Hoc est: In causa Capitanei in Brode Georgii Volschowen, appellantis contra consules & Senatum civitatis Gryphiswald appellatos in puncto legati ad pias causas, gravamina legatum concernentia tanquam irrelevantia non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus, quod à judice primæ instantiæ propterea bene pronunciatum, & appellans omnibus allegatis non attentis 1500. fl. unà cum pensionibus solvere teneatur, appellatos etiam solutionem ad ulterionem dilationem ex articulatis pecuniis merito recipere possit, usquedum appellans, prout juris, doceat dictum legatum vigore 34. articuli libelli debite solutum esse, quo casu ad ulteriorem deductionem attamen interea salvâ petitione annuarum pensionum admitteretur, & appellati proxima respondere tenerentur.

TIT. XLVI.

DE CONDITIONIBUS Insertis tam in legatis quam in fideicommissis & libertatibus.

DECISIO Unica.

Conditio fideicommissi si innupta moritur per primas nuptias deficit, nec per viduitatem revivisicit.

QUi filiabus suis certam dotem testamento dederat, addito, quod aliqua illorum præmortua ista non ad cæteras sorores simul, sed ad solos fratres pervenire debeat; Si non legitimæ loco dos ista data fuit, valet dispositio, (1) & fideicommissi loco est. (2) Quod deficit ex quo filiarum aliqua nupsit tanquam deficiente conditione. (3) Cum deinde maritus ejusdem moritur adeoque maritata esse desinit, non recidit res in eum casum, ut fideicommissis locus fiat. (4) Etsi enim marito caret, innupta tamen dici nequit, quæ aliquando nupsit. (5) Per primas nuptias oritur defectus conditionis hæcque semel exstincta non reviviscit. (6) Ne quicquam ideo fratres dotem quam soror accepit, ex testamento patris petunt: Justior multo est sororum de exstincto fideicommisso exceptio, per quam obtinere queunt, ut sorori velut ab intestato succedant. Quando supplicantes in prima instantia secus judicatum, seque à successione fororis exclusas quærebantur, post interpositam appellationem gravamen justum subesse deprehendebatur, ideo ista admittebatur *in causa Ioannis Ottonis à Delken viduæ hæredum contra Colonellum Diedericum à Diring & consortes, die 24. Octobr. Anno 1654.*

Digitized by Google

1. Ubi dos in locum legitimæ succedit, quia tunc hujus instar nulla conditione gravari debet & potest, non valet ea adjecta, quin potius dispositionem vitiat, *vid. interminis Fabrum in Cod. lib. 6. tit. 23. defin. 9.*

2. *l. non dubium 14. pr. ff. de Leg. 3.*

3. *per l. 1. C. de Indict. viduit. tollend.*

4. Conditio semel desinens postea non revivisci, etsi res in eum casum devenerit, à quo incipere posset. *Bentend. decis. 74. num. 13.*

5. Ridiculum quidem est, si species formam & statum connubii de præsenti eandem dicere viduam & nuptam. *l. Titia 100. ff. de Condit. & Demonstrat.* At si respicis conjunctionis vim & effectum, vidua respectu præteriti status nupta dici potest. Ideo ubi mentio fit innuptæ, vidua minime continetur.

6. *l. hac conditio 10. ff. de Condit. & Demonstr.*

TIT. XLVII.

De usuris & fructibus legatorum seu fideicommissorum.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLIIX.

De incertis personis.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLIX.

AD SENATUS CONSULtum Trebellianum.

DECISIO Unica.

Restitutio fideicommissi non faciendæ ante detractionem detrahendorum.

ESt quidem restituenda fideicommissaria hæreditas existente eo casu, quando restitutio fieri debet sine mora, attamen non ante detractionem eorum, quæ restituenti ex hæreditate debentur: (1) Qualia sunt etiam cum à filia post mortem restitutio fieri debet, dos ipsi promissa, legitima, bona materna, seu à matre ad patrem à quo fideicommissum datur, illata, Trebellanica, credita hæreditaria, quod solutū pro legatis & quæ sunt similia. Etsi vero de iis singulis res nondum satis certa sit, sed liquidatione egebunt, tamen ideo non oportet restitutionem facere, sed ea suspenditur, donec de iis causa discutitur. (2) Cum iis plane sepositis imo præteritis restitutio esset per sententiam injuncta, appellandi causam esse existimatum fuit *in caus. des Marschallin Helmuth Otto von Winterfeld, contra die Gebrüder der Schulten, die 23. Decembr. Anno 1662.*

1. Hæreditas non intelligitur, nisi deducto ære alieno.

2. Dolo agit qui petit id, quod mox restituturus est.

TIT. L.

Ad legem falcidiam.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LI.

De caducis tollendis.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LII.

De his qui ante apertas tabulas hæreditatem transmittant.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LIII.

Quando dies legati vel fideicommissi cedit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LIV.

Ut in possessionem legatorum vel fideicommissorum servandorum causa mittatur, & quando satisdari debeat.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LV.

DE SUIS ET LEGITIMIS liberis, & ex filia nepotibus ab intestato venientibus.

DECISIO I.

In Ducatu Bremensi filiæ ad divisionem bonorum avitorum provocare nequeunt, sed dote contentæ esse coguntur.

IN lite acri inter fratrem atque sororem super quantitate dotis inter plures quæstiones ambiguas, quæ super quantitate precioque bonorum aliisque de rebus movebantur, soror pro obtinendo litis fine non se offerebat modo ad acceptationem partis bonorum paternorum tantæ, quæ virilis esset, si æqua inter liberos divisio fieret, sed tandem & adjudicationem urgebat. Erant autem bona avita Stammgüter. Quanta æquitate etiam illud desiderium micabat, tamen locum reperire non poterat obsistente constitutione Equestri Ducatus Bremensis das Ritter-Recht. Primo illa bona

avita

Digitized by Google

avita generi, & agnationi addicit ut nolit ad fœminas venire, quando ejus agnationis masculi supersunt. Deinde speciatim cum pater relinquit filios & filias, istis bona tribuit, his tantum dotem pro qualitate bonorum constituendam, & per hanc à bonis paternis separat. (1) A jure non deviat ejusmodi statum per quod liberi dote jubentur esse contenti, & per illam de cætero à successione excluduntur. (2) Ejus effectus est, ut petitionem hæreditatis elidant, & fratres non cogantur sororibus parte aliqua hæreditatis cedere, quæ qua illas habetur nulla. Ratio providentiæ quæ est in illa constitutione, ut familiæ conserventur, & penes masculos, per quos fit conservatio, bona maneant, non permittit divisionem. Jus inde quæsitum non potest masculis adimi, ut & ademptum lege fœminis invita mascula proles teddere. Juxta hæc pronunciatum *in causa Rittmeister Lüder Wersabe contra Gertrude Magdalenen von Wersabe uxorem Obrist Anrippen, die 26. Martii Anno 1669.*

1. De his lege sub. tit. Auff was Weise und Gestalt in solchen Fällen die Brüder ihre Schwestern abfinden sollen.

2. *vid. quæ scripsi in comm. Iur. Lub. art. 34. tit. 2. lib. 2. num. 5. seq.*

DECISIO II.

Hæreditariorum bonorum petitio ex hæreditate defuncti non alia obtinet quam extantium.

EX quo prohibita est testamentaria de bonis hæreditariis dispositio, (1) fas est proximis consanguineis ista ex statuto ut sibi debita petere, quoad ista non obtinet testamentum. (2) At non ad alia pertinet petitio, quam quæ impræsentiarum sunt in hæreditate. Olim habitorum, sed dudum alienatorum aut immutatorum, multo magis non amplius existentium, nulla est petitio, (3) nec eo nomine valet testamenti impugnatio. Itaque licet defuncta à parentibus bona plurima accepisset, at si non omnia supersunt seu in hæreditate existunt, non potest ab hæredibus ex testamento aliquid aliud vindicari, quam existat, nec super petitione hæreditariorum est referenda ad accepta olim condemnatio, sed ad existentia in hæreditate. (4) *In causa Harding Petersen & consortum contra Erasmum Hagelschlacht, die 11. Iunii Anno 1658.*

1. Jure Lubecensi, quod fecit necessitatem, ut bona à majoribus accepta in legitimæ successionis tramite remaneant, *artic. 6. tit. 10. lib. 1.* non nisi de acquisitis vom wolgewonnen Gut/valet testamenti factio. *artic. 2. tit. 1. lib. 2. ubi vide in Commentar. num. 165. seq. scripta.*

2. Rei vindicatio an condictio ex lege vel statuto competat? quæsitum olim; & posterius placuit.

3. Alienatione semel facta desinunt bona esse hæreditaria. *Cothman. consil. 40. num. 71. seq. vol. 1. Tiraquell. de retract. lignag. §. 32. gloss. 1. num. 46.*

4. Restitui nequeunt ac quæ quis habet, vel fecit, nec cum peteretur haberet. *l. si quo 41. pr. in fin. ff. de Petit. hared.*

DECISIO III.

Testamentum quod pater solenne condere voluit, sed non perficit, ut ultima voluntas inter liberos non sustinetur.

NOn eget quidem parentum inter liberos testamentum aliquâ solennitate, sed ex sola voluntate subsistit, (1) de hac constare sufficit seu per manum testatoris, (2) seu alio quodam fide digno documento. (3) Attamen ita id obtinet, si parens qualitercunque testari voluit. Ubi verò alia & quidem ea ejus mens fuit, non decedere nisi cum testamento solenni, idque conficere incepit, scripsit, testes se rogasse, illos secum subscriptio vel subsignatio istorum addita non fuit, non valet ea dispositio. Solenne testamentum haberi nequit, quia præcipua septem testium solennitas deficit, (4) Nec minus solenne, quia sic id confectum parens noluit. (5) Destituetur voluntate quæ in testamentis totum facit. Nec obstat quod dicitur, quod cum pater dicit, se velle adhuc adhibere solennia quædam, at non adhibet, sed antequam factum fuerit, moritur, in eo tantum solennitatis defectum esse non voluntatis, ideoque ex eo non minus testamentum paternum subsistere. (6) Ita etiam hoc obtinet, si constat, qualiter qualiter parentem testari voluisse. (7) Quidquid super additum voluit, omissum tunc dispositionem non vitiat, quia de voluntate manifestum est, secus se res habet, ubi apparet de voluntate patris, quod solenne testamentum editum voluerit. Inde fit ut, quod deest, faciat non minus ipsius quam alterius cujusquam testamentum nullum vel irritum. (8) Noluisse id testamentum suum esse creditur, quod non perficit, cum perficere potuisset. Nihil contra voluntatem patris facit qui tale impugnat. Sic visum *in causa Iohann Ottoven der Decken Wittoven Erben, contra Obrist Dieterich von Düring & Consortes, die 24. Octobr. Anno 1654.*

1. *l. consultissima §. ex imperfecto C. Testam.*

2. Nihil refert utrum parens scripserit & subscripserit simul, an tantum scripserit, at non subscripserit. *Castrens. in l. fin. C. fam. ercisc. Hartm. Pist. ill. quæst. 1. num. 6. part. 1,* an non ipse sed alius scripserit, ille tantum subscripserit. *Hartm. Pist. d. quæst. 1. num. 7. Clarus in Testamentum q. 14.*

3. *Bartol. & P. de Castr. in Auth. ex imperfecto C. de Testam.*

4. *d. l. hac consultissima 21. in pr. C. de Testam.*

Digitized by Google

5. Defectus voluntatis patris inter liberos testamentum vitiat. *l. si is qui lib. Bartol. num. 1. ff. quietest. fac.*

6 *Iason. in l. consultissima §. ex imperfecto n. 4. Gail. 2 Observ. 112. num. 16. seq.*

7. Hoc in dubio præsumitur. *Arg. in l. 1. §. si autem num. 1. ff. hered. instit.*

8. *Sic Dd. omnes in d. l. ex imperfecto sentiunt de testamen patris, quod ipse pro completo nondum habuit id non valere in vim non solennis testamenti. Vide præterea Mynsing. 5. Observ. 28. num. 4. Wurmbser. Pract. Observ tit. 29. Observ. 5. num. 6. & seq.*

TIT. LVI.

Ad Senatus Consultum Tertullianum.

Hunc tituium Mevius non attigit.

TIT. LVII.

Ad Scratus Consultum orficianum.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LIIX.

DE LEGITIMIS HÆredibus.

DECISIO I.

Lucrum ex conventione cum creditoribus defuncti seu datione bonorũ gentilitiorum in solutum, cui juxta jus Equestre Bremense cedat, agnato an proxima hæredi.

BOna gentilitia cum per constitutionem juris Equestris in Ducatu Bremensi cedant proximis agnatis, sed ea lege, ut filiabus & sororibus ultimo defuncti earumque liberis ex iis vel certa pecunia ut conveniet, aut si conveniri nequit, pretium bonorum præstetur sic statuendum ex reditibus ut sex florenis statuantur centum, retentis etiam quibusdam ut præcipuis, & deducto ære alieno. Contingit autem ut excitato creditorum concursu agnatus bona illis in solutum dederit, æstimatione istorum facta juxta reditus quatuor pro centum, (1) ideo tertia parte minus præstiterit quam ob illud deduci debuit. Inde non leve lucrum ortum, quod materiam liti dedit inter agnatum & sororis filium hæredem. Non levia erant quæ pro hac adducebantur, nempe duplex in agnato lucrum, dum præcipua quædam haberet, & tamen etiam superfluum lucrari deberet, cujus duplicis lucrativæ causæ concursus juri contrarius: (2) Proximitas sanguinis & quod propriori magis favendum præsertim inter dubia. (3) Favor amplior per jus Equestre in dubio filiabus, & sororibus addictus ut cum alterum cavendum agnatus potius quam illæ onerari debeant. Ratio damni in quo versatur hæres, dum lucrum captat agnatus, & quod magis damnum vitanti quam lucrum captanti sit favendum. Statuti vox & ratio deducens tantum æs alienum, ideo non amplius quam revera præstatur. Bonorum conditio quod in iis sit quicquid deducto ære alieno supereſt. Accedit legis juris communis correctoriæ odium, & major pro hærede æquitas. Ut ut vero valde speciosa hæc erant, tamen argumentis legi convenientioribus nitebatur contraria sententia. Primo enim expressa est juris Equestris dispositio de æstimatione facienda, & post eam tum computatione, tum deductione æris alieni, solutione filiæ, sorori earumque liberis per agnatos facienda cujus verbis inhærere tutius. (2) Secundo jus Equestre bona gentilitia addicit agnatis, ideo eorum esse & remanere debent cum omni commodo & incommodo, præterquam si ex iis per illud erit demptum vel impositum. Quando itaque illorum casus fortuitos sustinere debent, ex quibus adversa & tristia pati queunt, utique & commoda atque lucra ipsis cedere debent. Tertio filiæ, sorores earumque liberi nihil ultra juris habent quam in bonis agnationi addictis jus Equestre cessit, nec ultra quidquam sibi vindicare queunt a successione exclusæ: (5) At nullibi illud amplius tribuit, quam quod post constitutam æstimationem supereſt. Quarto in eo spectandum tempus quo filiæ vel sorores quod deducto ære alieno reliquum est capere debent. Sub eo vero adhuc incertum, quale lucrum habiturus est agnatus, & an creditoribus pecunia an datione insolutum satisfacturus, an ista hac contenti futuri ante distractionem postulaturi. Quinto lucrum illud venit non ex re, sed ex subsequente casu, qui non spectatur, nec lucri adventitii habetur ratio: Non quia amplius aliquando haberi potest, sed quanti res valet in definiendo precii respiciendum est. (6) Sexto lucrum inde oritur quod inter agnatũ & creditores ita convenit, & hi distractionem non urgent, ex usuris multum remittunt. At vero ex tali remissione proveniens non potest alterius quam debitoris lucro cedere. Septimo quicquid laboris sollicitudinis molestiæ sumptus poscunt cum creditoribus actiones, & in eum statum ut agnatus liberetur, deductio ei incumbit, ideo si quid post illud lucrum etiam illi relinquendum. Est octavo etiam ea non levis ratio, quod lucrum illud non tam ex re seu reditibus, & utilitate rei venit quam ex agnati voluntate, & dispo-

Digitized by Google

dispositione dum conducibilius videt, in solutum datis bonis ab ære alieno se liberat, & aliqua libera retinet, ideo eo modo rebus suis consulit. Nono etsi vel ex re ipsa proveniret, tamen & rem ejusque dominum sequeretur, in quem casus & fata adversa redundarent. (7) Decimo, ex illo præsuppositio ut quod alia æstimatione minus accipiãt creditores, lucro sororum simul esse deberet, utique & illud statuendum, ut si res pluris vendita, idem fuerit, adeoque nunquam ex rebus suis agnatus lucrum capere posset: Quod ut absonum foret in alia venditione, ita etiam in solutum datione quæ venditionis speciem habet. Undecimo quando creditoribus in concursu bona in solutum juxta solitam æstimationem dantur, agnatus redit ut sua, ideo & quod inde lucrum suum non alterius esse debet. Duodecimo confirmatur hæc opinio non parum ex statuto Equestri ubi constituit, ut si facta æstimatione juxta computationem sex in centum, non supersit unde quid filiæ vel sorori aliquid contingere queat, qui casus fere evenire nequit, nisi cum ingens æs alienum adest, & post id in bonis nihil aut parum remanet, filiæ debeat porrigi dos ad minimum quingentorum imperialium, sorori autem nihil, unde non unum argumentum præbetur, tum quod onus impositum contra & lucrum confert: tum quia si juxta æstimationem nihil supereſt, sorori nihil tribuit, tum quod in ea specie aliam æstimationem non inducit, sed priorem retinet, tum quod filiæ quidem quam agnati potiorem conditionem facit, non ita sororis qua illius potior est. Decimo tertio nihil damni sentit soror ejusq; filius, dũ nihil amittit quia nihil habet aut petere potest ut hæres dum non succedit, nec etiam soror dum illi nihil debetur, quam juxta priorem æstimationem. Decimo quarto favor qui agnationi ejusq; conservationi debetur multum facit, & in dubio pro ea pronunciandum in iis quæ ad finem juris Equestris circa eam faciant. Unde etiam quod statutum est cum aliqua juris agnatorum imminutione, ut odiosum, stricte est accipiendum. Duplicitas lucri quæ objicitur hic non occurrit. Nec enim agnatus retinet ac si quod suum est, & si esset, tamen non ex eadem causa, sed diversa oritur, alterum ex statuto, alterum ex sua dispositione super rebus suis, quod malint creditoribus juxta æstimationem qua ipsos solitam insolutum cedere, & aliqua eorum retinere, quam omnibus retentis magno ære alieno immergere. Proximitas sanguinis nihil facere potest, ubi ex lege ei non debetur successio, sed tantum cum certo modo statutaria portio: Quæ cum juxta illam haberi nequit, non est onerandus agnatus ut eo carat quo frui potest, sed casui imputandum & habendum ac si defunctus nihil reliquerat. Favor quidem filiarum ex statuto major est quam agnati, at hujus major quam sororum quibus cum juxta æstimationem istam bona non sufficiunt, nihil tribuendum esse ex eo apparet. Non est in eo damnum fœminarum, dum illarum non est successio, seu jus quoddam, nisi quatenus statutum tribuit, nec lucrum agnati qui retinet quod juxta illud habere debet. Addicitur quidem fœminis nominatis quod deducto ære alieno supereſt: Ad deducendi etiam modus exprimitur, juxta quem æs alienum deduci debet, nempe juxta æstimationem constitutam. Jus Equestre non corrigit jus commune, sed præter illud de bonis aliis quam hæreditate, quod æquum & utile constituit, & quidem id quod æquitatem habet, sicut cum publica reipubl. & privata Nobilium familiarum utilitate est conjunctum. Ita concluſum, die 21. Junii Anno 1669.

1. Sic mos Ducatus Bremensis habet ut in adjudicatione bonorum debitoris æstimatio fiat computatis reditibus in quatuor pro centum gewiſſe Abnutzungen werden angeſchlagen auff 4. zum Hundert.

2. Duæ lucrativæ causæ in unum concurrere non debent.

3. In dubio semper pro proximiore pronunciatur.

4. Verba semper sunt inspicienda & secundum ea judicandum.

5. Quando bona gentilitia familiæ seu agnitioni pro ejus conservatione sunt addicta, filiarum & sororum jus successionis nullum, sed tantum portio statutaria utique pro regula certa tenendum: Quicquid & quomodo ex iis filiabus & sororibus non tribuitur, ad illud jus earum non esse. Non autem aliud iis attributum reperitur, quam quod post æstimationem computatis redituum sex in centum deducto ære alieno reliquum.

6. Precia rerum ex fructibus æstimari solent.

7. Res perit suo Domino.

DECISI II.

Gerada uxoris post mortem superstitis ac postea defunctæ per jus Equestre Ducatus Bremensis filiæ patris an aviæ sit.

IN Ducatu Bremensi post Uxorem alicujus in puerperio mortuam relicta filia recens nata, at ea post novendium etiam defuncta, de Gerada hujus quæstio incidit, utrum ea ad hujus patrem an ad aviam pertineat? Pro hac judicatum fuit, ille appellavit. Videbatur quidem initio aviæ astipulari tum consuetudo Geradæ, quæ fœmineum sextum in cognatione sequitur: (1) tum Juris Saxonici dispositio: (2) tum etiam huic similis Ducatus Bremensis qua Geradam ratio. (3) At expensis iis quæ Bremensis Ducatus Jus Equestre das Ritter-Recht uti vocant, de Gerada continet, existima-

Digitized by Google

tum

tum est, patris quam aviæ potiorem esse successionem. In illo quippe Geradæ non aliarum est quam fœminarum, quæ aut maritis elocatæ sunt, aut nubiles & non amplius in domo paterna existunt, separatim sua tenentes & administrantes. (4) Dum has personas, à quibus Gerada habetur & capitur, tantum jus locale refert, de cæteris sentiendum, iis eandem non applicari. (5) Quod eò firmius colligitur, quò manifestius est, post Geradam fœminis tantum iis assignatam, quæ non sunt in domo & potestate parentum, in cæteris non obtinere. (6) Quocirca deficiente in tali filia, quæ in domo parentum fuit, Geradæ nomine & qualitate, (7) avia loco illius nihil exigere potest, (8) sed successionis ratio, per quam pater aviam excludit, habenda est vel ideò potior, (9) quod statuto non reperitur correcta seu mutata. (10) Quo cessante jus commune sequimur, (11) donec statutario juri vel consuetudini loci aliud convenire docetur. (12) Nec Jus Saxonicum instar juris communis haberi potest, ubi non reperitur receptum. Juris similitudo facit quidem ut in dubio interpretatio statuti ex vicino jure sumatur, haud verò, ut quod statutum non continet addatur. (13) Ea potius mens statuentium subintelligitur, quod omissum aut noluerunt, aut sub juris civilis dispositione relictum voluerunt. (14) Maxime sic sentiendum, si etiam adsint quæ excludunt. Recepta itaque meritò est sententia, quæ in jure communi fundamentum habet, & Statutario magis congrua, quam contraria reperitur, *in causâ Lüder Corney contra viduam Wulff Heinrich von Wersaben, die 7. Febr. Anno* 1654.

1. Gerada id proprium est, ut proximæ cognatæ non masculo, ut ut propiori, debeatur *quod etiam sic statutum* im Bremischen Ritter-Recht *tit. 8.* Von der Gerade und was dazu gehörig ꝛc. *in pr.*

2. Jure Saxonico hæc quæstio certam decisionem pro avia habere videtur, *per ea quæ leguntur apud Capzovium in Iurispr. Forens. part. 2. Const. 14. defin. 52.*

3. In plurimis Ducatus Bremensis jure Saxonico utitur, non quidem sub eo nomine, simili tamen tenore, ideo ubi textus proprii juris deficit, ex illo desumenda erit interpretatio.

4. Sic expressum indicat §. *fin. d. tit.* deß Ritter-Rechts/ gleicher Gestalt soll es auff dem Fall/ da die Frau nach ihres Mannes Tode auff ihrem Leibgedinge/ oder bey ihren Söhnen verstürbe/ und allein Söhne und keine Töchter/ oder Töchter Töchtere/ sondern weiter Nifftele oder Spillmagen nach sich liesse/ mit Außgebung deß Frauen Gerades gehalten/ als auch von den Jungfern/ so zu ihren Mannbahren Jahren kommen/ und bey ihrem Leben selbst Hauß gehalten/ und ihre eigene Güter gehabt und verwaltet/ ein Gerade allermassen wie die Frau/ als oben angezogen/ auß ihren verstorbenen Manns-Gütern nimbt/ auff ihre neheste Nifftele gestellet werden.

5. In statutis unius inclusio est aliorum exclusio *Cothm. resp. 5. num. 70. vol. 1.* quia strictæ juris sunt, & strictè interpretanda. *Bartol. in l. omnes populi, num. 60. ff. de Instit. & Iur.*

6. In statutis etiam valet argumentum à contrario sensu, *Eberhard. in Topic. tit. à contrar. sens. num. 22. Mynsing resp. 10. num. 81. dec. 1.*

7. In statutis unius speciei inclusio est alterius exclusio. *l. maritus. 19. C. de procurat. l. cum prætor. 12. ib. Gloss. & Dd. ff. de Iudic.* & expressio unius est derogatio aliorum *Hippol. Kiminald. Iun. Consil. 783. num. 4.*

8. Non entis nullæ sunt qualitates *l. 1. ff. de hered. vel act. vend.*

9. In successione antecedit pater aviam. *Novell. 118. cap. 2.*

10. Statuta strictè interpretanda nec ultra casum de quo loquuntur accipienda, *l. si servum §. non dixit ibi Bartol & Castrens. ff. de acquir hæred.*

11. *l. si extraneus 6. ff. de Condict. caus. dat. caus. Bald. in l. si plures num. 29. C. de Condit. insert.*

12. Statuta & consuetudines facti sunt atque ab allegante intra terminos, queis applicantur, probari debent.

13. Statuta à loco ad locum, à personâ ad personam, à casu ad casum non extenduntur, *Gud. consil. Marpurp. 62. num. 162. part. 1.* nequidem ex identitate rationis *Schrader. consil. num. 83. part. 1.*

14. Alias enim expressissem. *l. 1. §. sin autem C. de Caduc. toll.* aut certarum personarum & circumstantiarum mentionem non fecissent. *Schrad. dict. consil. 3. num. 184.*

DECISIO III.

Gerada neptis an debeatur aviæ.

COntroversia incidebat, utrum Gerad quam juxtà constitutionem Ducatus Bremensis seu jus Equestre das Ritterrecht/ ut vocant defunctæ fœminei sexus relinquunt, etiam nullâ ejusdem sexus alia relicta aviæ debeatur? Nihil de eo in constitutione reperiebatur, (1) ideoque sine ejus literâ aliter sentire incongruum videbatur. (2) Maximè cum ubi alias Geradæ usus est non nisi descendentibus & collateralibus cedit. (3) Et ultra literam extendere legem cum exclusione ordinariæ successionis nõ videbatur rationabile. (4) Tantùm quia appellans dicebat statuto provinciali aviam admitti, idque judicem prioris instantiæ secutum esse, ut ut ex actis prioribus illud præter nudam allegationem non constabat, ad probationem allegans admissus est *in causâ Luder Torni contra viduam Wolff Wersabe, die 6. Octobr. Anno 1655.*

1. *Sic de eo habet constitutio sub Tit.* von der Gerade *verb:* Und diese Gerade nimbt die Frau vollenkömlich auß ihres Mannes-Gütern/ als viel der Stücke da seyn/ und fället sie nach ihrem Absterben auff ihre Töchtere und Töchter Töchtere/ allein was sie aber sonst an beweg- und unbeweglichen Gütern nachlasset/ das vererbt sie auff Söhne und Töchter zugleich/

Digitized by Google

gleich / wo sie auch keine Kinder hätte / so erbet sie die Gerade auff ihren nähesten Nifftel / aber die andere Güter auff das nähesten Blut / es sey von dem Schwerdt oder von der Spille / Mann oder Weib ohne Unterschied. Wo aber die Fraue für ihrem Manne verstirbet / und lässet nach sich Töchter und Töchter Töchtere // so gebühret auch denselben eine Gerade / und gehören alsdann dazu alle der Frauen Kleyder und Kleinodien so sie zu ihrem Leibe getragen und gebrauchet; Item alle Kisten / Laden / Bette und Leingewand / und was sie deß sonsten mehr in das Gut gebrauchet / und noch vorhanden ist / aber die übrigen Stücke alle bleiben alsdann bey dem Manne / der auch von solchen Stücken etliche versetzet / oder neu gekaufft / und ohnbezahlt geblieben / die gehören den jenigen zu lösen / und zu freyen / denen die Gerade zufällt. Gleicher Gestalt soll es auff den Fall / da die Fraue nach ihres Mannes Tode auff ihrem Leibgedinge / oder bey ihren Söhnen verstürbe / und allein Söhne und keine Töchter oder Töchter Töchtere / sondern weitere Nifftele oder Spielmagen nach sich liesse mit Außgebung deß Frauen Gerades gehalten / also auch von den Jungfern so zu ihren Mannbaren Jahren kommen / und bey ihrem Leben selbst haußgehalten / und ihre eigene Güter gehabt und verwaltet / ein Gerade aller massen wie die Fraue / als eben eingezogen / auß ihres verstorbenen Mannes Gütern nimbt / auff ihre nähesten Nifftele gefället werden. Ubi tamen fit mentio, die nähesten Nifftel / quæ vox aviam non significat.

2. Statuta stricti juris sunt nec extra literam valent. *l. 4. §. toties ff. de damn. infect. Bald. in l. illum num. 4. C. de Collat.*

3. *Vid.* Carpzov. *in jurisprud. Forens. part. 2. constit. 14. defin. 56. num. 1. seq.*

4. Statuta quæ ordinariam successionem mutant odiosa, nec præsumenda sunt. *Jason. in l. 1. num. 4. C. de SS. Eccles.*

TIT. LIX.

Communia de successionibus.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LX.

De bonis maternis, & materni generis.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXI.

De bonis quæ liberis in potestate patris constitutis ex matrimonio vel alias adquiruntur, & eorum administratione.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXII.

De hæreditatibus decurionum navicularium, cohortalium militum & fabricensium.

Hunc titulum Mevius non attigit.



Digitized by Google

IHS

CODICIS MEVIANI DECISIONUM FORENSIUM

& quæstionum super causis ad summum tribunal Regium ab anno 1653. usque 1670. de volutis.

LIBER SEPTIMUS.

TITULUS PRIMUS

De vindicta libertate, & apud Concilium manumissione.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. II.

De Testamentaria manumissione.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. III.

De lege fusia caninia tollenda.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. IV.

De fidei commissariis libertatibus.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. V.

De dedititia libertate tollenda.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. VI.

De casuali libertate tollenda, & per certos modos in civitatem Romanam transfusâ.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. VII.

De communi servo manumisso.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. VIII.

De servo pignori dato manumisso.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. IX.

De servis reipublicæ manumittendis.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. X.

De his qui à non Domino manumissi sunt.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XI.

Qui manumittere non possunt, & ne in fraudem Creditorum manumittatur.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XII.

Qui non possunt ad libertatem pervenire.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XIII.

Pro quibus causis servi pro præmio libertatem accipiunt.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XIV.

DE INGENUIS MANUmissis.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO I.

Quando justa ex ratione dubium est, an actioni ex L. Diffamari locus sit, non est decernenda citatio, sed audiendus prius citandus.

PEtebatur citatio ex L. Diffamari contra intervenientem in judicio possessorio ordinario, cum allegasset in scripto exhibito fundi controversi proprietatem ad se pertinere. Dubium autem erat, tum an esset vere diffamtio ab interveniente in judicio assertio illa juris sui proposita, eaque talis, ob quam citatio decernenda; tum an possit probatio proprietatis injungi quamdiu in possessorio contenditur, quando hujus causam prius decidi oportet; tum quod summo cum præjudicio causæ conjunctum erat injungere intervenienti probationem dubia adhuc de possessione lite, post quam decisam demum constare poterat, quis probare debeat; (2) ante quam sententiam intervenienti non fuit præjudicandum. (3) In quo dubio visum nondum decernere citationem (4) sed saltem communicare petitum nec tamen etiam repellere implorantes ac cum clausula mandare, ut aut allegata probentur aut causæ allegentur, quare non conventi non putent id fieri oportere. (5) *Sic decretum ad libellum supplicem Senatus Gryphisvvaldensis contra Academiam. Die 23. Martii, Anno 1658.*

1. Proposita in judicio pro suo jure contra adversarium asserendo diffamationis speciem non habent, nec de iis quis ad agendum compellendus, sed potius alter, ad se contra illa defendendum.

2. *l. 1. §. 3. ff. ut possid. ordinariis 3. Cod. de rei vindic.*

3. Ideo de possessione prius contenditur & deciditur, ut constet quis probare debeat de domino. *l. 3. Cod. de Interdict.* cum possessio relevet à probatione *l. 2. C. de Probat.*

4. Cavendum à judice ne cui præjudicium circa litem inferatur, quod æquitas non patitur *Gaddi consil. Marburg. 49. num. 39. vol. 4.*

5. Antequam ex Diffamatione citatio decernitur oportet de diffamatione probabiliter constare. *Gail. 2. Observat 10. num. 7.*

DECISIO II.

Citatio ex lege Diffamari decernenda etiam ob ea, quæ in judicio proponuntur.

LEgis Diffamari remedium hodie latissimum, & ad omnem diffamationem extensum est, quæ ex quacunque causa fit, (1) dummodo aliquid præjudicii aut incommodi alteri afferri possit. (2) Nec interest in judicio aut extra judicium processerit. (3) Si interveniens quædam in judicio contra alterutram partem adducit, quæ in hujus præjudicium vergere queunt, integrum est petere citationem ex L. Diffamari *uti ea decreta fuit ad instantiam Senatus Gryphisvvaldensis contra Rectorem & Professores ibidem. Die 10. Septembr. Anno 1658.*

1. *Vid. Blarer. in tr. L. Diffamari c. 1. num. 1. & 8.*

2. Hoc ut considerandum judici ita etiam aliquatenus præsentandum à parte, ne aliquis inani processu vexetur.

3. Non faciunt jura discrimen inter ea quæ in judicio vel extra illud diffamantur. Imo textus *in L. diffamari Cod. de Ingen. manumiss.* ad illa verba tenus spectat.

DECISIO III.

Ad impositionem perpetui silentii non est opus nova citatione ad audiendam sententiam.

REgulariter quidem ad audiendam sententiam definitivam citatione opus est, nec hæc sine nullitatis vitio potest omitti. (1) At excipitur ab hac regula impositio perpetui silentii contra diffamantem, ubi post binam citationem illo non comparente ad istam juste procedit. (2) Etsi enim & illa habet vim sententiæ definitivæ, (3) ita tamen comparata est, ut contineatur in citationibus quæ emanant, queis injuncta probatio sub comminatione silentii. Spretis itaque iis nihil superest ut ultra pronuncietur, quam ut fiat quod in citatione continetur. (4) Eoque minus opus est nova, quod in contumaciam proceditur contra eum qui facere jussus detrectat ideo meretur quod indictum, ad quod non requiritur citatio. (5) Quando etiam in extraordinario hoc processu lex nihil ultra citationes ad probandum aut patiendum eam impositionem requirit, sine

Digitized by Google

urgenti ratione non oportet aliud exigere. (6) De quo in hoc Tribunali eo minus dubitari oportuit, cum aliàs non fiunt citationes ad audiendum sententiam peculiares. (7) Sic creditum & conclusum *in causa* Walter Blocken *contra* Claus Kauffmeistern. *Die 1. Octobris, Anno 1658.*

1. *Gail. 1. Observ. 109. num. 1.*

2. Statim post secundam citationem accusata diffamatoris contumacia ad illam procedit *vid. Gail. 1. Observ. 12. num. 6.*

3. Ex hac ratione Conradus *in Comment. ad L. Diffamari num. 87.* requirit citationem ad audiendam sententiam. At ratio diversitatis apparet ex iis quæ hic dicuntur.

4. *Atque ita sentit Boer. decis. 193. num. 1. ubi ait communem esse sententiam.* At ratio diversitatis apparet ex iis quæ hic dicuntur.

5. Ad sententiam in contumaciam latam non opus est nova citatione. *Gail. 1. Observ. 109. num. 3.*

6. Inest prioribus citationibus etiam illa, quod emanens debeat statim exspectare sententiam, sine lege itaque ultra quod superfluum, non est postulandum.

7. Sequitur Regium Tribunal processum Cameralem, in quo citatio fit ad totam causam, ideo peculiariter nulla fit ad audiendam sententiam, *vid. Gail. dict. Observ. 109. num. 3.* Quæ precedunt ex remedio l. Diffamari citationes sunt, quæ concernunt totam causam judicii diffamatorii.

Ita pronunciatum.

In Sachen Walter Blockens Imploranten und Diffamaten wider Claus Kauffmeistern Imploraten und Diffamanten in puncto L. Diffamari wird auff abgelauffene und producirte Citation dem Diffamanten ein ewiges Stillschweigen auffgeleget / Diffamaten aber seine Action so weit Rechtens vorbehalten / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 18. Octobr. Anno 1658.

(Hoc est)

In causa Walteri Blockens implorantis & diffamati contra Nicolaum Kauffmeistern imploratum & diffamantem in puncto l. diffamari ad insinuatam & reproductam citationem diffamanti perpetuum silentium imponimus, diffamato vero actio sua in quantum juris reservamus, idque de jure. Publicatum in supremo tribunali Wismariæ 18. Octobris Anno 1658.

DECISIO IV.

Debitoribus citatio ex L. diffamari creditores caute est decernenda ne hi exactionis jure atque commodis privemur.

EX aliis variis remediis seu conditionis ex L. Diffamari abusibus quos experiuntur in foro aliquamdiu versati, non infrequens, ut quod debitores quidquid creditoris de eorum mora vel non præstita ita fide profetunt pro diffamatione accipiant & venditent, inde sic assumant, ut petita citatione ex prædicta lege causam ad judiciarium processum trahant, interim veluti pendente lite & ipsi contra alia executiva remedia securi, & creditores occasione atque commodis exactionum priventur vel impediantur. Etsi autem ex eo locus sit tali imploranti, ubi quis aliquem debitorem suum dicit, qui talem se non esse obtendit. (1) Attamen sub hoc prætextu in hoc astutiæ debitorum indulgere, & creditoribus aliquid præjudicii vel impedimenti atque remoræ injicii iniquum est. (2) Quocirca non tantum si citatio emanavit creditori integrum est opposita exceptione non factæ diffamationis, (3) sicut nec pro ea habendum, quod juris sui consequendi causa, (4) vel etiam alias non injusta ratione creditor protulit, elidere & evadere debitoris intentionem, sed etiam quo integra cuique jura sua serventur, (5) ad judicis circumspectionem pertinet, ut non temere decernat, sed tum occasionem prætensæ diffamationis, tum statum creditoris recte consideret. (6) Uti factum *ad implorationem Senatus Stadensis contra viduam Iodoci von der Becken, die 23. Ianuarii Anno 1659.*

1. Debitorem contra creditorem remedio L. Diffamari uti quotidiana praxis notum fecit, Juri convenire tradunt. *Gloss. Bartol. & Da. in l. fin. Cod. de Usur. Pupillar.*

2. Sic in processu servamus, ut quia multi remedio hoc abutuntur non competentis ejus implorationis exceptione, ut & prohac diffamationis non existentis allegatione, uti liceat.

3. Quod pro jure consequendo intenditur pro diffamatione non habendum nec ejus causa processus ex L. Diffamari decerni di sunt. *Covarruv. lib. 1. Var. resol. cap. 11. num. 6.* juris executio injuriam non habet. *l. injuriarum §. 1. ff. de injur.*

4. L. Dif-

Digitized by Google

4. L. Diffamari ad eos tantum pertinet, qui sine justa ratione vel causa aliquid proferunt. *Contard. in L. Diffam. cap. 4. num. 77.*

5. Præstat intacta jura servare quam post vulneratam causam remedia quærere. *l. fin. C. in quib. caus. restit. in integr.*

6. Ad judicis officium pertinet considerare remedia, quæ quisque intendit & cavere, ne ineptis ac noxiis partes maligno ausu utantur, idque cum alias tum circa remedium L. diffamari faciendum est, *ut monet Blarer. in tr. L. Diffamari cap. 1. num. 4. & fin.*

DECISIO V.

Assertio libertatis contra eum, qui alium in servitutem avocare intendit, multum à remedio L. diffamari differt.

QUi metuit avocationem ad servitutem, cum se in libertatem asserere vellet, agere debuit coram judice ejus contra quem intendit assertionem. (1) Etsi enim ob prævium diffamationem ex L. Diffamari coram judice suo petere potuit citationem contra diffamatorem ad probandum aut patiendum impositionem perpetui silentii, (2) tamen si id non fecit, sed saltem allegatis adversarii modi nimbus petit mandatum tuitorum, donec de servili statu convincetur, idque impetravit idem processus non potuit postea converti in diffmatorium judicium; (3) cujus longe diversa ratio est, quia ab initio debuit doceri diffamatio aliquibus documentis, deinde rogari & impetrari citatio sub commination perpetui silentii, illa spreta superaddi alia, tandem saltem in contumaciam nihil allegantis pronunciari. (4) Quorum cum nihil adesset non potuit non existimari, male & à parte secus atque inchoasset litem contortam ad aliud genus actionis, (5) nec minus imperite à judice prioris instantiæ inversionem processus factam ad aliud remedium, (6) & velut super eo pronunciatum, cum tale nihil in libello contineretur. (7) Cui cum consequens esset, judicem non saltem super incongruo remedio pronunciasse, sed & ratione alterius quo actor usus erat, plane incompetentem esse, cassatus merito fuit processus & redacta ad suum ordinem forumque actio. (8) Ita pronunciatum *in causa Iohann Georg à Schwverin, contra Christian Kadowven, die 16. Martii Anno* 1758.

1. *l. si ex possessione 4. C. ubi caus. stat.*

2. In remedium *per l. diffamari, C. de Ingen. manum.* primo in tali causa inductum, ad alias omnes transiit.

3. Juri contrarium est ut judicium cœptum deinde contravertatur in aliud a priori alienum. Nec etiam judici fas permittere aut super alio, quam quod in libello fuit, pronunciare, *de quo plura notanter scripta vid. apud Harim. Pistor. quæst. 45. per tot.*

4. Hic est ordo processus ex L. Diffamari solitus.

5. Et si partibus licet emendare & mutare libellum *l. edita 3. Cod. de Edend.* non tamen genus actionis. *uti Dd. omnes ad. l. edita exponunt.*

6. Si ex una causa in libello actum, ea vero non probata fuerit, etiamsi in processu alia causa probetur, ex qua actor agere potuit, tamen non obtinere sed reus absolvi, actor ad aliud judicium remitti debet *l. habebat pr. ff. de Instit. act. l. Bebius ff. de Pact. dotal.*

7. Sententia debet esse conformis libello. *l. ut fundus 13. ff. Comm. divid.* fatuus est judex qui ultra illum pronunciat. *l. Libert. fin. C. de Fideic.*

8. Quod quis inter eos jus dixerit inter quos jurisdictionem non habet, pro nullo habetur nec est ulla sententia *l. 1. in fin. ff. quod quisque jur.*

DECISIO VI.

Quando & cum quo discrimine L. Diffamari & ex L. si contendat, ff. de fidejussor. locus est.

SI cujusquam interfit creditorem suum adversus se agere, jurisprudentia ei de legitimis aptisque remediis prospexit. Et quidem duo hæc sunt vulgaria, & cuivis nota, condictio ex L. Diffamari & imploratio officii judicis ex l. si contendat. Verum tamen ut non omni ex causa istis locus est, ita nec sine discrimine, (1) quod imperiti Advocati & judices incauti non semper observant. Pro diversitate casuum utrumque tantum si jus magis quam promiscuam, & confusam praxin spectes locum habet. Vel enim quis se alterius debitorem falso dici ait, vel etiam nihil dicente creditore justam contra debitum exceptionem vel allegationem sibi competere putat. Illi prospectum est ex l. Diffamari ex qua contra illum qui se creditorem jactat petitur citatio ad probandum creditum sub perpetui silentii comminatione, & si non paruerit irrogatione. (2) Huic vero ex L. si contendat, juxta quam proposita exceptio-

Digitized by Google

ne judicis sui officium implorare potest, excitato actore super ea pronunciet, & se liberatum vel non esse debitorem declaret. (2) Ubi mulier compellabat possessorem hypothecæ ex instrumento, in quo pro credito erat nexa, in dubium veniebat, utrum ex L. diffamari recte citatio peteretur & decernenda esset, cum per illud de debito & hypotheca constaret, tantum de exceptione opponenda res esset. Verum quia accedebat diffamatio, & quidem talis, quod creditrix possessorem suum debitorem diceret, admissa fuit petitio, eo magis, quod hodie praxis fori non adeo accurate ut oportet remedia ista distinguit, sed fere promiscua facit. *In eadem causa.*

1. De diversitate horum remediorum & observando utriusque discrimine plura videas *apud Maranth. in Specul. part. 2. dist. 21. num. 3. seq. Contard. ad L. Diffamari cap. 3. num. 32. & 122.*

2. *In ea specie L. Diffamari praxin esse quotidianam fori praxis ostendet.*

3. *Mynsing. 4. Observ. 72. Felin. in c. in præsentia ibid. Decius not. 2. X. de Probat.*

DECISIO VII.

Ex L. Diffamari citationi paretur non tantum agendo, sed executionem petendo vel aliud quod convenit faciendo, quod Iudex sequitur, non quod petiit diffamatus.

DIffamatus ut est in remedio L. Diffamari actoris loco, (1) ita citatio ejus petitionem sequitur atque plerumque hæc talis est, quod diffamator sub impositione perpetui silentii agere & probare debet. (2) Ast postquam citatus comparet, & agit velut finito priori judicio in secundo quod actionis vocamus ille actoris partes sustinet, ideo judex in decernendo ad libellum non attento tenore in primo petitionis, ut decretæ citationis ejus petita sequitur. (3) Quare etsi cum quis alium ideo ex L. Diffamari convenit quod ipsum debitorem suum dixit, idque probare velit, (4) tamen si hic nititur tali instrumento, quod paratam executionem petit, non aut actionem, aut ad probationem remittitur, aut ita, ut his convenit, etsi diffamatus petat, decernitur, sed ut executivo processui convenit mandatur. (6) Ut factum *in causa Iodoci von der Becken Wittwe, contra den Rath zu Stade, die 4. Martii, Anno 1654.*

1. Constat pro diffamationis causa duplex existere Judicium alterum diffamationis alterum actionis seu causæ principalis. In illo diffamatus actor, diffamator reus velut est, in hac diffamator fit actor diffamatus reus. *Vid. Gail. 1. observ. 11. num. 2.* In quo omnia diversa sunt nec confundendum quod unius cum altero, præcipuè discernenda, quæ diversum finem habent.

2. Sic judex decernit. ut petit pars *l. 18. ff. Comm. divid. l. fin. Cod. de fideicommiss. libera.*

3. Qua fraude debitores ex instrumento paratam executionem habente remedio L. diffamari abutuntur ut creditores processui involvant. Quomodo istam tam pars quam Judex evitare debeat, admonet & tradit. *Hartman. Pistor. illustr. quæst. 13. numero 3. versic. Cum autem hoc modo.*

4. Cauti creditoris est juxta monitum hoc Hartm. Pistoris semet non sinere à recto tramite per remedium L. diffamari seduci.

5. Venit enim in condemnationem quod petitioni convenit, nec tantum probatio ex L. Diffamari injungitur, sed quidquid aliud causæ convenit. *Contard. L. Diffamari cap. 3. num. 19.* adeo ut etiam extrajudiciale aliquod factum injungi possit. *Contard. cap 3. num. 14. Gabriel. comm. conclus. lib. 2. de Action. Conclus. 6. num. 14.*

6. Ita sæpius servatum & in talibus processibus æquum esse docet. *Hartm. Pistor. dict. quæst. 15. num. 3.*

DECISIO VIII.

Exceptio dicti non animo injuriandi non elidit remedium L. Diffamari.

LAtius est remedium L. Diffamari quam injuriarum actio, locumque habet etiam in iis casibus ubi hæc cessat. Quoties alicujus interest defendi famam, bona, possessionem, istud obtinet, ideo comparatum ut talia serventur ab omni inquietatione secura. (1) Quoties itaque hæc ex diffamatione oritur, ut probetur aut perpetuo sileatur, experiri licet, non attento quo animo quidquam dictum sit: (2) tantum id consideratur, utrum sic comparatam, ut de eo imputationem aut diffamationem supprimi intersit. (3) Differt hoc remedium ab actione injuriarum, quod illud tendit ad manifestandam veritatem, aut habendam ejus quod diffamatione impetitur securitatem. (4) Hæc vero aut ad reparandum honorem aut ad vindicandã

cum-

Digitized by Google

contumeliam. (5) Quocirca ad illud diluendum non sufficit dictum esse sine animo injuriandi aut diffamandi, (6) sed nihilominus diffamator tenetur dicti sui rationem reddere quoties sic fieri refert, quocunque animo dictum scriptumque fuerit. (7) Ita rejecta est illa exceptio *in causa Senatus Wismariensis contra Harding Petersen, die 12. Octobr. Anno 1659.*

1. Latissimum est hoc remedium & pro omni causa competens. *uti declarat Blarer. in tr. ad L. Diffamari in præfat. ut & cap. 1. per tot.*

2. Diffamatio sine animo injuriandi imo quæ fit pro jure aliquo asserendo facit locum isti remedio, ut ex praxi illius nemini non notum est.

3. Hoc præcipuè circa illud remedium considerandum est. Quidquid extra illum finem est ad abusum istius spectat.

4. Usus & quotidiana praxis hoc remedium ad quasvis controversias civiles & criminales, reales & personales, petitori & possessori extendit eosque uti licet omnibus qui aliquam controversiam metuunt. *uti explicat Cothman. respons. 83. num. 11. seq. vol. 2.*

5. *Wesenbec. in Paratitl. ff. de injur.*

6. De differentia diffamationis cum animo injuriandi in alicujus contumeliam, & ejus quæ fit ad statum, res vel jura turbandum, & quomodo illa actionis injuriarum, hæc diffamatorii judicii propria sit & in hoc iste animus ut necessarius, declarat prolixius, *Blarer. in dict. tract. in Argum. L. Diffamari num. 2. & seq.*

7. *Uti interminis videbis apud Cothman. dict. respons. 83. num. 11. seq.*

DECISIO IX.

Generalis ultra causam imputatio non excusatur obtentu defensionis.

Est quidem gravis sine dubio injuria & diffamatio, cum quis in lite, quam cum magistratu habet, se contra pacta conventa publica læsum aut ista, adversus semet violata quæritur, eoque nomine transgressionem arguens pœnam poscit si injuste id imputatum postea apparebit, sed non vindicanda quamdiu lis durat. (1) Talia quippe interea pro jure suo deducendo, & consequendo quis dixisse aut scripsisse creditur justaque ex eo contra condictionem ex L. diffamari exceptio erit, eaque res non pertinet ad peculiarem implorationem officii judicis, sed ad causam, cujus gratia illud allegatur. (4) Secus autē se res habet quando non limitatè, sed generatim & ultra causam illam sonant verba, veluti cum scribitur, adversarii propositum esse pacta cum civibus conventa plane non servare, libertatem civium turbare aut tollere. (5) Frustra hæc defensionis obtentu velantur, cum gravem criminationem contineant, nec recte ad causam de qua in judicio agitur restringantur, quæ latius longe sonant, nec in una de qua agitur specie, sed generatim, cum faciunt pacti fideique violatorem. (6) In quo valde exceditur terminus actionis & defensionis. Vana & actui contraria ea protestatio seu allegatio, non simpliciter, sed secundum quid pro illa causa, dictum esse. (7) Nam sonat multo latius, quam pro illa causa, generatim imputans quod turpe nec sine existimationis læsione perferendū. (8) Longe aliud est occasione vel causâ alicujus litis dici, aliud pro lite congrue. Hoc excusat se tale esse oportet, ut ad litem atque jura vel defensionem partium pertineat nec excedat. (9) Illud vero illicitum est quia non necessarium aut aptum. Inde reperta imputatione multum generaliori quam causa fuit, in qua fiebat, concluſum est exceptione defensionis non posse evadi probandi aut silendi necessitatem. (10) *In eadem causa.*

1. *junctra l. si quidem 10. Cod. de injur.*

2. Ea est præsumptio & durat quamdiu lis pendet, cujus eventus dubius est *l. 51. ff. de pecul.* At postquam sententia contra scribentem prolata pro illa præsumptio oritur.

3. Quod in judicio occasione defensionis profertur repellendum est in eodem judicio, non pertinet ad remedium L. diffamari *Cas. Contard. in tract. ad L. Diffam. cap. 4. num. 19. & seq.*

4. Pro ejus conditione ordinarium ad repellendam diffamationem remedium est, quod excludit extraordinarium illius Diffamari *Contard. dict. cap. 4. num. 97.*

5. Diffamatio de maleficio facit locum dicto remedio, *Blarer. in Summ. L. Diffamari num. 5.*

6. Defensio ut inculpata fit debet consistere intra terminos defensionis. Ubi illam excesserit vindicta atque injuria erit. *Jas. in l. ut vim. ff. de just. & jur. Salycet. l. 1. Cod. und. vi.*

7. Protestatio facto contraria est inepta & nullius momenti. *l. cum in plures 60. §. locator 6. ff. Locat. c. gratum 20. x. de offic. delegat. Bald. cons. 489. in princ. lib. 3.*

8. Nihil potest de magistratu ut vindice & custode fidei turpius dici quam illum fidei pactique publici violatorem esse. Non est non in eo atrox injuria.

9. Defensor quatenus seu quousque talis non peccat *l. 1. Cod. ad L. Corn. de Sicar.*

10. Eo spectat communis atque rationabilis Juris-Consultorum sententia, quod scripta vel dicta contumeliosa in contemptum alterius pendente lite prolata sub dispositione *dict. l. si quidem 10. Cod. de injur.* non continentur, sed statim ante finem litis ex qua occasionem habent non materiam legitimis mediis recte vindicantur.

DECISIO X.

Rejectis exceptionibus in remedio L. Diffamari non renovatur citatio, sed secunda decernitur.

Quando aliàs contra citationem opponuntur exceptiones, iis rejectis hæc renovari solet, seu iterari ideo pronunciari non atten-

Digitized by Google

attentis citatum teneri comparere atque in id citationem renovandam esse. (1) At in processu L. Diffamari non renovatur citatio, sed secunda decernitur. (2) Nam in aliis causis peremptoria fit citatio eaque una loco trium, ideo nec alia fit, sed prior renovatur. (3) At ex L. Diffamari duplex citatio fieri debet, ideo primam renovari non est opus nec sufficit, sed secunda id præstat, (4) nec hac deinde reservata primam reiterari æquum, ubi exceptionibus injustis suspensa fuit, quæ nec citatio proficere nec imploranti nocere debeat. (5) Ita conclusum *in eadem causa.*

1. Quod duplici modo fit, vel in ipsa sententia, dum in ea comparatio & responsio injungitur, uti id plerumque fit, ubi unica ad totam causam procedit citatio, vel de novo ista decreta & expedita. Arbitrio judicis integrum est quo modo defungi velit, ubi lege judiciaria vel stylo curiæ certus non requiritur.

2. Duplicem enim seu binam hoc remedium requirit *uti pluribus ostendit Blarer. ad L. Diffamari cap. 6. num. 22. & seq.*

3. *l. non nunquam ff. de judic.*

4. *Gail. 1. Observ. 12. num. 4.*

5. Sicuti de frivolis exceptionibus loquitur *Oldendorp. in tract. de Except. cap. 2. num. 14. in loc.* ubi addit paria esse an quis nihil, an quod nihil proficit exceperit: hoc ita habendum sicque decernendum ac si nihil excepisset.

Pronunciatio super his ita sonuit.

In Sachen Burgermeister und Rath der Stadt Wißmar Supplicanten wider Harding Petersen Supplicaten / in puncto L. Diffamati, wird befunden und erkant / daß so viel den ersten Punct der beschuldigten Diffamationen betrifft / derselbe zu der wider Supplicaten reservirten Action wegen seiner vorhin beklagten Ungebühr gehörig / und dahin zu verweisen / das übrige aber deß Einwendens ungehindert Supplicate bey Vermeydung eines ewigen Stillschweigens gebührend beyzubringen schuldig sey / deßwegen secunda citatio an denselben nunmehr fürters ergehet. Von Rechtswegen.

Hoc est: In causa Consulum & Senatus civitatis Wismariæ supplicantium contra Hardingum Petersen supplicatum in puncto L. Diffamari decernimus, quod, quantum concernit primum punctum insimulatæ diffamationis, is actionem contra supplicatum reservatam pertineat, & eo remittendus sit, residuum vero exceptionibus non attentis supplicatus sub pœna perpetui silentii debite docere teneatur, ea propter secunda citatio contra eundem emanat.

DECISIO XI.

Satisdationi & aliæ exceptiones dilatoriæ diffamatori agenti recte opponuntur.

QUibusdam visum fuit diffamanti quando agit contra diffamatum dilatorias exceptiones opponi non posse, quod provocatus adeoque necessario agit, & quidem ut adversarius, voluit, attamen forensi praxi (1) dudum invaluit, etiam contra illum his locum superesse, quod nec ratione caret. Etsi ejus judicii diffamatori necessitas quædam sit ex diffamatione, tamen inde diffamator melioris conditionis esse non debet, (2) & postquam incipit, nihil in eo ab actione sit alienum. (3) Nec jam primi judicii ultra ratio habetur, (4) ad quod circa ordinem judiciorum vel lex vel consuetudo introduxit, dum eorum solennia in hoc non minus quam in alio observanda sint. (5) *In causa Iodoci von der Becken, contra den Nath zu Stade, die 19. Junii, Anno 1660.*

1. *De hoc testatur Hartman. Pistor. illustr. quæst. 13. num. 6. part. 4.*

2. Diffamatio quatenus remedio L. diffamari causam præbet est culpæ seu delicti instar, unde nemo meliorem suam conditionem reddere debet.

3. Diffamator in causa actionis perinde obnoxius est judiciorum ordini, atque si alias ageret.

4. Proposita à diffamante actione novum judicium inchoatur, & prius finitur atque si plane non fuisset, habetur *Hartman. Pistor. dict. quæst. 15. in fin.*

5. *Blarer in L. diffam. c. 7. num. 133.*

DECISIO XII.

In processu executivo satisdationis exceptio quando locum habet.

PRocessus executivus, etsi summarius celerque esse debet, tamen nec in eo negligendum, ut vicissim reo de æquis & justis cautum sit, (1) quocirca qui convenitur non excludendus est ab exceptione satisdationis. (2) Verum non indiscriminatim, sed ita si profert quicquam sic comparatum, ut eum securum reddere æquum sit, (3) veluti si aut exceptionem opponit altioris indaginis, ideo post executionem seponendam, (4) aut habet de quo reconveniat, (5) aut de expensis (6) judex prævideat, inepte & injuste executionem peti: unde judicis est disquirere ne supervacanea cautione oneret. *In eadem causa.*

1. Ut quisque sibi contra debitorem jus dici cupit, ita vicissim debitori securitatem de eo quod petitor est debet, & quomodo hæc ratione justa exigatur, docet *Carpz. jurisp. part. 1. constit. 5. def. 25. in pr.*

2. *Carpz. d. l. Coler. de process. executiv. part. 3. c. 1. num. 65.*

3. Non cavetur nisi justa ex causa de qua judicis arbitrium statuet.

4. *De qua specie vid. Coler. dict. tr. part. 4. c. 3. num. 20.*

5. Habet etiam in executivis reconventio locum quoad prorogationem jurisdictionis, etsi non quoad processum simultaneum *Bartol. in aut. & conseq. C. de sent. & interlocut.*

6. Diffamator etsi compulsus agit, tamen si perperam, condemnatur in expensas *Blarer. in d. tr. cap. 7.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XIII.

Quæ exceptiones conditioni ex L. diffamari oppoſitæ admittuntur.

POſtquam diffamator ut diffamationem aut probet, aut perpetuum ſilentium ſibi imponi patitur citatus eſt, non præcisè tenetur probandi onus ſuſcipere, ſed imploratione ex L. diffamari factam juſtis ſi quas habet exceptionibus declinare poteſt (1) Nam & ſæpius qui ex iſta condictione in jus vocantur, rationes adferunt, cur vel non in eo judicio, vel plane non probare teneantur, ex quibus declinatoria ejus judicii oritur (2) At minimè omnes exceptiones locum habent. Quemadmodum duplex ex diffamatione judicium oritur, alterum diffamationis alterum actionis & utriusque ſua ſunt diverſa & non confundenda jura (3) ita etiam illud diligenter providendum, ne exceptiones, quæ utriusque ſunt, confundantur. Nec enim omnia peræque utrique conveniunt. In priori non aliud tractatur, quam annon ſub pœna ſilentii coram judice diffamator comparere & agere debeat. In poſteriori, quod ad merita ipſius actionis ſpectat. Quare in illo non aliæ exceptiones locum habent, quam quæ tendunt ad judicium declinandum vel diffamationem elidendam, tanquam ut non factam aut non ſatis probatam, aut taliter dictam, ut ob eam remedio iſti locus non ſit. Cæteræ, quæ merita ipſius cauſæ concernunt, non ad judicium diffamationis ſed actionis pertinent, ideo illuc rejiciuntur (4) ob eas verò non ſiſtitur alter proceſſus, ſed illuc reſervatis reſervandis diffamator jubetur agere & diffamationem probare, (5) ſicut ita exiſtimatum debere pronunciari in cauſa *Harding Peterſen contra Burgermeiſter und Rath der Stadt Wismar die 25. Januarii Anno 1660.*

1. Ita hoc de proceſſu L. Diffamari annotat, *Blarer. in tr. L. Diffamari cap. 7. n. 8. ſeq.*

2. Aliquot talium ſpecies refert *Blarer. dict. cap. 7 num. 11.* Sed ſunt multo plures, quarum aliquas etiam deciſiones noſtras exhibent.

3. *vid. Gail. 1. obſerv. 11. num. 5.*

4. *Blarer. in dict. cap. 7. num. 9.*

5. *Gail. 1. obſerv. 12. num. 3.*

DECISIO XIV.

A judicio diffamatorio non liberat vel pro defenſione in alia lite ſcriptorum obtentus vel ejus victoria.

DE diffamatione propter quædam ſibi in alia lite improperata querentibus ideo poſt illam citationem ex L. diffamari nactis opponebatur inter alia tum ſcripta defenſionis cauſa & animo prolata fuiſſe, tum in illa lite victori ex iis qnicquam objici non poſſe. Sed neutrum vel congruebat vel excuſabat, ideo ad judicium declinatorium ſufficere non videbatur. Si quæ ad defenſionem in lite allegantur innoxia quidem ſunt, ſed quatenus ad illa neceſſaria. (1) Nam minimè ad heterogenea ſeu ad rem non pertinentia id extendendum præſertim in aliorum contumeliam & pudorem. Habet etiam defenſio modum atque inculpata eſſe debet. (2) Ex ceſſus ejus in vitio, nec impunis eſt, (3) qui etiam circa injuriæ propulſationem vituperatur & punitur. (4) Utut verò defendendi animo ſcripta ita comparata fuerint, ut non videri poſſint à cauſa plane aliena aut ſuperflua, evadent quidem injuriarum actionem & vindictam (5) minimè tamen id efficiet, ut is cui objecta ſunt, non poſſit, ubi ejus intereſt pro defenſione famæ, rerum, poſſeſſionis, condictione ex L. diffamari uti, cui locus eſt etſi quid ſine injuriandi animo dictum ſcriptumve, quoties metus ex hoc incommodi exſiſtit, (6) Nec animus nec occaſio hic quicquam facit. Non etiam obtenta in iſta lite, cujus cauſa ſcriptum fuit, victoria, niſi illud ipſum pro diffamatione venditetur, quod ſententia definitum fuit. (7) Extra hoc cætera non eo minus pro diffamatione erunt, quatenus iis non cohærent aut ex iis ſequuntur, ideo ſimul fidem atque certitudinem non habent, (8) ſeparata quippe tunc ſunt (9) & juxtim ita comparata, ut nec diffamator ex ſententia ſibi jus afferere, nec diffamarus inde ſecurus eſſe poſſit, ideo legitimo remedio opus habeat, (1) Ita exiſtimatum *in eadem cauſa.*

1. Defenſio juſta eſt, quatenus neceſſaria, ultra neceſſitatem propulſationis non eſt defenſio ſed injuria *Gail. 2. obſerv. 110. num. 14. Iaſon. & Dd. alii ad l. ut vim ff. de juſt. & jur.*

2. *l. 1 ibi Bald. & Salic. C. und vi.*

3. *Obrecht de neceſſar. defenſ. c. 13. per tot. Carpz. prax. crim. p. 1. p. 29. num. 1.*

4. *Gail. 2. obſerv. 100. num. 9. Gylman. Symphorem. deciſ. & vot. Cammal. tom. 2. part. 2. vot. 6. num. 13. ſeq.*

5. Non eſt injuriarum actio, ubi deeſt animus injuriandi *l. ſi non convitii 5. C. de injur.*

6. Prout hoc demonſtratum à Cothmanno *reſp. num. 11. & ſeq. vol. 2.*

7 De eo quod ſententia definitur non poteſt locum habere judicium diffamatorium aut non ſtatim oppoſitione ſententiæ ceſſare quia res judicata pro veritate habetur *l. 24. ff. de ſtat. homin.* Hoc intereſt inter actionem injuriarum & remedium L. diffamari. Illa locum habet, etiam ubi objecta ſunt vera, modo animo injuriandi ſint prolata, veritas convitii non excuſat. *l. eum qui 18. ff. de injur. Gail. 2. obſerv. 99. n. 1. ſeq.* Huic verò locus, ubi vera non ſunt quæ dicuntur, etſi ſine animo injuriandi

Digitized by Google

riandi prolata. Veritas ex judicato vel alia re statim adparens hoc excludit *Blarer. in tr. ad. L. Diffamari cap. 7. n.* 11.

8. Est de iis remedium quæ probatione egent. cujus causa quis eo utitur, ut vel probet vel perpetuo sileat, quomodo is finis & effectus istius existit. *Blarer. in dict. tractat. in argum. Leg. num. 6*

9. A separatis mala semper illatio *l. Papinianus ff. de Minorib.*

10. Ex quo quis vel contumeliam habet ut famam purgare opus sit, vel molestiam timet, cur securitatem personæ rebus & quæstionibus quærere expediat, id venit in judicium diffamatorium qualecunque sit, *Cothman dict consil. 83. num. 12. Wesenbech. consil. 96. per tot. lib.* 2.

DECISIO XV.

Post rejectas judicii diffamatorii exceptiones alius ad probandum terminus indulgendus actitatio secunda renovanda est.

QUando post primam citationem ex condictione L. diffamari factam opponuntur exceptiones & rejiciuntur, non renovatur prior citatio, sed secunda decernitur. (1) At post secundum facta oppositione & rejectione, quia non ultra duas citationes alia locum habet, fit secundæ renovatio (2) Etsi enim injustæ illæ fuerint, non tamen statim ad præclusionem & impositionem perpetui silentii properandum, quia in illa oppositione fuit, quare probatio facta non sit. (3) Etsi enim hæc frivola & ridicula, ideo irrogatione refusionis impensarum castigganda, (4) attamen non hoc meretur, ut penitus causa quis cadat, nec ad aliud judicium causæ admittatur. (5) Observamus ita in aliis terminis legalibus, ut non labantur causas vel exceptiones contra id, quod incumbit allegantibus, etsi admitti non mereantur. Etsi tempus interea elapsum fuerit, tamen terminus labi non intelligitur, sed à tempore rejectionis currit. *In eadem causa,*

1. Haut quippe opus, cum supersit secunda, de quo inter priores anni decisiones reperies.

2. Ita ex praxi aliorum judiciorum observavi.

3. Quamdiu super illo litigatur an condictioni ex L. Diffamari locus sit, velut pendente lite præjudiciali, non potest judicium causæ, quod secundum est, peragi.

4. Hæc ordinaria frivolæ litis pœna est etiam in remedio L. diffamari locum habens.

5. Pœna hæc valde dura, ut nulla lege irrogata ita nec decernenda *l. aliud 131. ff. de verb. signif.*

DECISIO XVI.

Convento ex Lege Diffamari Electio fori & actionis competit.

DIffamator post demonstratam diffamationem compellitur quidem ut velut ad judicium provocans (1) sub impositione perpetui silentii agat & diffamationem probet (2). At ubi agat & quomodo, liberum relictum est. Nam quod est de diffamatione judicium, quod diffamatorium appellamus, non est simul causæ principalis, (3) aut ex præventione fit necessarium. (4) Sed tantum efficit ut diffamator agere debeat. Quod si diffamatus diversos habet judices, electio est diffamantis coram quo principalem actionem instituat, (5) multo magis vero si diffamatus ad superius judicium diffamatorem pro diffamatione probanda citari fecerit, ille vero ibi agere nolit, sed coram inferiori immediato judice audiendus est, (6) ne instantiarum beneficia, quæ processus ex L. diffamari non demit, decedat (7) Similiter si ejus, ei nomine quæ in diffamatione continentur plures sunt actiones, electio earum super est, nec ex diffamatorio judicio quædam unius vel alterius necessitas infertur. (8) Sic judicatum *in causa civitatis Gryphis-Waldensis contra Vniversitatem die 17. Aprik Anno 1660.*

1. Diffamare est ad judicium provocare *Gail. 1. observ. 9. num. 5.*

2. *l. diffam ibi Dd. C. de ingen. manumiss.*

3. Diversa sunt judicia diffamationis & causæ principalis. Illud tendit solum ad inferendam necessitatem agendi diffamatori. Hoc vero materiam diffamationis prosequitur, quod discrimen exponit *Gail. 1, observ. 31, num. 2.*

4. *Gail. dict. observ. 31. num. 4.*

5. *Gail. ibid. num. 6.*

6. Actoris est hoc beneficium, ut forum eligat cum reus habet multiplex *l. fin. ibi Dd. C. ubi in rem act.*

7. Eatenus fori exceptio proficit Diffamanti uti de eo notabiliter scribit *Blarerus in tr. L. Diffam. C. 7. num. 11.* his verbis: *Atque cum hic quilibet judex invocatus sit judex competens ratione fori declinatorium facile opponere non poterit: nisi forte contra personam judicis legitimas exceptiones habeat, aut diffamatus ordinario suo omisso superiorem judicem á quo appellatio non restat, protinus adegerit: cum favor actoris sit ut supra dictum, plures habere judices, &c.*

8. Agendi necessitas quæ ex diffamationis judicio infertur, tantum eo pertinet, ut de eo, quod in diffamatione est, agatur aut perpetuo sileatur. Quo actionis genere quis experiri velit nihil refert, nec ad illud judicium pertinet, sed integrum est actori quo experiri velit, dummodo in illud tendat aut concludat quod in diffamatione continetur.

DECISIO. XVII

Termini lapsus solus non excludit diffamatorem, sed sententia demum. Ante hanc locus manet actioni.

IN judicio diffamatorio quod tendit ad compellendum diffamantem ut agat judicis partes sunt, præfigere ad agendum probandumque terminum sub perpetui silentii comminatione. Moris est hodie id fieri

per

Digitized by Google

per citationem, eamque non unicam ſaltem ſed duplicem decerni. Citationi additur terminus poſt quem diffamatus contumaciam adverſarii accuſat & ſilentium imponi petit. At eo ipſo non præcluditur via agendi atque probandi diffamatori, ſed eidem agere integrum eſt, donec per ſententiam ſit ſilentii impoſitio. (1) Ante illam integrum eſt, diffamationis probationem facere, non attento tempus termini dudum præterfluxiſſe. (2) Non terminus, ſed ſententia ſilentium imponit. (3) Ad ſententiam autem progredi non licet, niſi accuſata diffamatoris contumacia, uti hoc poſt lapſum termini fieri ſolet, (4) Deinde ſi nihil ab eo oppoſitum fuerit, cur ita, ſicut injunctum fuit, procedere non oportet. (5) Nam etſi diffamatorium judicium ſummarium eſt, in quo cito proceſſu cauſa terminatur; exceptiones tamen admittit, (6) quas ut allegare licet, ita examinare & ſuper iis interloqui oportet. Quicquid ad hanc cauſæ cognitionem pertinet, terminum ſiſtit, aut labi non ſinit. (7) Ejus generis exiſtimavimus fori exceptionem, quando diffamator ſe ad agendum obtulit, ſed in eo, ubi citatio decreta fuit, foro agere noluit, cauſam ad judicium inferius tanquam competens remitti voluit, (8) quod interea elapſus eſt terminus, efficere non potuit. *In eadem cauſa.*

1. Textus in *d. l. diffam. C. de ingen. manumiſſ.* oſtendit ſat manifeſte ex ſententia demum proficiſci ut quis inquietudinem ultra non ſuſtineat.

2. De hoc quidem dubitationis cauſæ non leves ſunt, verior tamen legi magis conſentanea & in praxi accepta eſt ſententia ex ſolius termini lapſu non excludi ab agendo diffamatorem quam poſt allegatas & diſcuſſas utriusque opinionis rationes ſequitur & defendit *Blarer. in tr. L. diffam. cap. 8. num. 7. & multis ſeq.*

3. Hoc intra terminum legis & judicis intereſt, quod ex illo ſtatim præcluditur via ipſo jure *l. ob Commiſſ. C. ad L. Iul. de adult. l. fin. ff. de decret. ab ord. faciend.* nec interlocutoriam aut declaratoriam deſiderat *Innocent. in c. cum. in tua X. qui matrimonium accuſ. poſſint.* At judicis terminus non excludit niſi cum declarat lapſum, & ex eo amiſſam facultatem agendi *Iaſon. in l. qui Romæ §. duo fratres num. 35. ff. de verb. oblig.*

4. Contumacia non nocet niſi accuſata *l. properandum §. & ſiquidem ibi Iaſon. Cumanus & Dd. omnes C. de judic.*

5. *l. 11. §. 4. ff. de inter. in jur. fac. ibi Iaſon. Bologn. & Dd. carpz. part. 1. Conſt. 10. def. 16.*

6. *vid.* Blarer. *dict. Tr. cap. 7. num. 9. ſeq.*

7. *Blarer. d. Tr. c. 9. num. 3.*

8. Super hoc illum audiendum eſſe in deciſ. præced. vidimus: ideo interea præcludi viam agendi iniquiſſimum.

DECISIO XVIII.

Connexitatem cauſæ non facit ſola origo & occaſio litis. Ideo nec obſtat, quo minus ex L. diffamari ad agendum compulſus in foro competente experiatur.

SIquidem id, de quo facta fuit diffamatio & ob hanc diffamator judicio agere compellitur, (1) idem erit ac de quo alio judicio jam agitur, utique propter connexitatem non mutabitur nec dividetur judicium, ſed diffamator ſeu in altero ſit actor vel reus, ſeu velut tertius conſideratus in eo agere neceſſe habebit. (2) At ſecus omnino eſt, ubi non eſt eadem lis, ſeu non eadem litis materia, nec ad hanc pertinet, quod alterius actionis eſt, ſed de alia re agitur, aliaque actione. (3) Etſi enim alia lis occaſionem vel originem dederit diffamationi, minime tamen ex inde adſerenda eſt connexitas. Idcirco nec ideo, quod in alia lite quid ab appellatis ſcriptum quod pro diffamatione aſſumitur ubi ex L. diffamari actum diffamator cum in alio judicio agere vellet, impediendus, ſed inſpiciendum ex pendendumque fuit, quatenus vera materiæ connexitas ſubeſſet. *Inter eosdem.*

1. Ut juxta *l. diffam. C. de ingen. manumiſſ.* fieri poteſt.

2. Juxta generalem conſtitutionem & inde enatam juris Regulam de non mutando nec dividendo judicio, ubi continentia cauſæ ſubeſt *l. nulli 10. C. de judic.* Quæ circa remedium L. Diffam. non videtur mutata. Nec rationis diverſitas apparet, ut aliud ſtatuere neceſſe ſit.

3. Connexitas cauſæ eſt ex materiæ connexitate. Quæ ubi deficit, non congruit non dividendi judicii exceptio *vid. de hoc ſcripta à Petr. Frid. Mindan. lib. 3. de Contin. cauſ. cap. 5. ſeq.*

DECISIO XIX.

Ante citationem ex L. Diffamari non cognoſcendum tantum de diffamationis veritate ſed etiam de qualitate.

ANtequam judex citationem ex L. Diffamari decernit prius de diffamatione cognoſcere debet, & quidem initio explorare an ſit vera, quandoquidem non decernenda illa niſi hæc prius per quædam documenta conſtet. (1) Deinde an & talis, ob quam iſti condictioni locus eſſe poſſit, poſtquam non omne dictum quod aliquem oſtendit iſti locum facit. Magnus ei rei abuſus eſt uti JCti prudenter de tali merito conqueruntur; (2) quem judex præcavere debet & evitare. Ne itaque ea in re peccaretur, quomodo peccatum fuiſſe appellans

Digitized by Google

querebatur, processus appellatorii sunt decreti *in causa duorum Wismarienſis Civitatis Senatorum, die 24. Nov. Anno 1662.*

1. *Vid. Deciſ. noſtram 258. part. 5.*
2. *Contard. in L. Diffamari in pr.*

DECISIO XX.

Denunciatio ex officii ratione magiſtratui facta non habenda eſt pro diffamatione nec ad probandum obſtringit.

APpellans ſententia judicis per quam probatio factæ à ſe denunciationis injungebatur, ſe gravatum querebatur: Putavimus audiendum, tum quod ſi narrata actis congrua eſſent ex L. diffamari ob talem quæ diffamationis loco haberi non debet, inique conventus erat, (1) & tamen actor audiebatur, tum quod probatio injungeretur, cui ſe non obnoxium feciſſet, nec faciendus eſſet, quodquidem judex ſeu Magiſtratus ex officio inquirere debet. *Inter eosdem.*

1. Officii neceſſitas juſtam excuſationem præſtat *l. 22. ff. quib. ut indign.* & actionem L. diffamari excludit.

DECISIO XXI.

Niſi diffamatione in terminis qualificata & probata non decernenda eſt citatio, aut cum decernitur ab illa abſolvendus citatus.

AD proceſſum ex L. diffamari ante omnia neceſſe eſt ut diffamatus citationem adverſus diffamatorem petens diffamationem non modo allegat, ſed etiam ut probet, (1) quo judici de veritate fides fiat nec is de veritate dubitare queat. (2) Deinde circa hanc probationem ſimul opus eſt, ut in iis ipſis terminis, in quibus diffamatio arguitur & aut probatio, aut ſilentii impoſitio exigitur ea conſtet. Quatenus ab iis quæ in imploratione vel narratione continentur documenta differunt, non habetur illa vera & probata, ideo nec citatio recte ſuper iis fundata: (3) Quod non tantum ad exceptionem diffamationis, ſed etiam ex officio judicem attendere convenit. (4) Cujus eſt talibus repertis non decernere citationem, aut cum decreta fuit injuſte citatum, condemnato ad impenſas implorante, abſolvere: ſecus ſi fiat appellationi locus eſt. (5) *In cauſa Chriſtoff Bockhauſern contra Marcum Burgermeiſtern, die 26. Novembr. Anno 1662.*

1. *Mynſing. 3. obſerv. 78.* nudis narratis implorantis monſtratur. *Gail. 1 obſerv. 10. num. 8.*
2. *Gail. d. obſerv. 10. num. 7.* cum in aliis tum maxime etiam injudicio diffamatorio, veluti quod non levis præjudicii eſt ante omnia de veritate ejus ſuper quo judicandum eſt judici conſtare oportet, uti ſcribit & monet *Blarer. ad L. diffamari c. 1. n. 9.*
3. Quicquid in his diverſum, alienum. At diverſi quippe non eſt illatio *l. fin. ff. de calum.*
4. Judicis officium in hoc judicio eſt diligenter omnes rei circumſtantias conſiderare nec niſi probe cognita cauſa ſuper diffamatione ſtatuere & procedere de quo monita *Blareri vid. d. c. 1. num. 6.*
5. Uti alias in judicio L. diffamari appellationi locus eſt, quomodo prolixius exponit *Blarer. ad L. diffamari, c. 10. per tot.* ita etiam in his terminis ubi exceptio delinatoria juſta rejicitur *Blarer. in d. tr. c. 7. num. 11. in fin.*

DECISIO XXII.

Denunciatio criminis non habenda pro diffamatione nec permittenda ejus cauſa ex L. diffamari citatio & quomodo ad & ob eam procedendum.

GRavatum ſe querebatur appellans citatione ex L. diffamari ſecunda vice decreta, cum primæ oppoſuiſſet exceptionem deficientis diffamationis, (1) quandoque nulla diffamatio, nullus diffamandi animus ſecum fuiſſet, tantum perperam acta, ubi Reipubl. expedire viſum Senatui denunciaſſet juſta viſa fuit ea exceptio, ideo injuſta rejectio. Multum quippe differt à diffamatione delictorum denunciatio, nec confundendæ hæ ſunt, aut hæc ad illius ſpecies trahenda, quandoquidem res plane licita hæc eſt, & non modo non improbanda, ſed à Magiſtratu recipienda, & ſuper ea ulterius ad inquiſitionem procedendum. (2) Habet iſta laudem imo & neceſſitatem aliquam, reipublicæ utilis, bono civi præſertim Senatori conveniens cenſenda. Deinde ab ea magiſtratum vel judicem ad inquiſitionem procedere, non inter partes diffamatorium proceſſum permittere convenit. Iſta ordinarium denunciata delicta perſequendi remedium eſt & pertinet ad finem denunciationis, quæ non fit ut quis ipſe contra alium ad judicium provocet, ut de diffamatione cenſetur, (3) ſed ut judici via ad officii exercitium atque conſulendum reipubl. aperiatur. Defertur inde ad judicium res, ubi inſons ſe defendat & purget. Non permittendum itaque ut denunciatus tanquam diffamatus cum denunciato in litem deſcendat, adeoque aliquis denunciare reformidet, ſed inquirendum & legitima juris via procedendum eſt. Multi è reis ut inquiſitionem à ſe amoliantur ubi denunciationem ingruere vel incipere reperiunt ad diffamatorium proceſſum decurrere ſolent, attamen eo opus non habent, ubi contra inquiſitionem defenſio adeſt, eaque via innocentiam defendendi ordinaria eſt, tum & à juris ratione alienum ut effugiendi vel judicium rectum differendi

Digitized by Google

di occasio concedatur. Quod si autem falso, maligne & non ex boni viri officio quis denunciaverit, inde famam cujusdam læserit impune id denuncians non feret, (4) & superest tunc ipsi tam de calumnia quam injuriarum actio. Ei tamen ita demum locus, si inquisitio vel præcessit, vel per argumenta justa incongrue demonstrat sit. In eo itaque casu de quo hic res fuit ita versari convenit, ut judex denunciantem audiat, eum diffamatorio processu à denunciato fatigari non sinat, sed prius inquirat, quibus fidei argumentis denunciatio nititur ubi eam fundatam reperit, ad officium illius pertinet porro legitime ad criminis vindictam procedere, ubi vero iis caret tum demum calumniæ vindictam vel injuriarum judicium diffamato relinquere. Sic existimatum *in eadem causa.*

1. Post primam citationem in primo termino diffamatori citato exceptiones judicii declinatorias opponere integrum est, *Blarer. ad L. diffamari. c. 7. n. 11.* inter quas etiam est ineptæ petitionis, & hæc ex non ostensa statim diffamatione, ut idem refert.

2. Publice interest delicta non manere impunita ideo cuilibet ea denunciare permittitur.

3. Diffamare est ad judicium provocare, ideo qui diffamat agere velle intelligitur, ideo invitus agere cogitur *Gail. 1. observ. 9 num. 5.* quod secus in denunciante, quem denunciatio non similiter obligat.

4. *l. 3. C.* qui accusare non poss.

DECISIO XXIII.

Reconventio in causa L. diff. non est locus.

APpellationis gravamen aliquod sumebatur atque proferebatur ex rejecta conventione, quam diffamator injuriarum nomine contra diffamatum post impetratam citationem ex L. diffamari vicissim intentabat: At nullum id erat, quandoquidem in judicio hoc diffamatorio reconventioni locus esse nequit, (1) quippe non instituitur ut quis ipse agat, sed ut diffamator contra se experiatur vel sileat, nuda pro his judicis officii imploratio est, ideo momentaneum atque summarissimum est & mox desinit. Vel enim non apparet de diffamatione, & statim à citatione fit absolutio ideoque desinit & exspirat id judicium: vel de illa constat; & tunc diffamator vel non agit, & tunc imposito statim silentio judicium idem exspirat, vel actionem instituere vult & transmutatur in aliud. Porro id quod in reconventionem venit, vel concernit eandem causam, & inutilis est reconventio, ubi una cum ipsa actione diffamator deducere possit vel aliam materiam seu aliud actionis genus, & perinde integrum peculiari actionis genus, & perinde integrum peculiari actione experiri. *In eadem causa.*

1. Ita post alios à se allegatos tradit *Blarer. in tr. L. diffamari c. 7. num. 10.*

DECISIO XXIV.

Quando arrestum præventionem non inducit, nec excludit citationem ex L. Diffamari.

QUod vulgò dicitur ex arresto induci litis pendentiam, (1) ideò oriri præventionis exceptionem (2) hoc accipiendum est de ea arresti specie, quæ non saltem intendit securitatem crediti, sed etiam actionem, dum ideò petitur & imponitur, ut debitor ad solutionem compellatur. (3) Sic verò eo effectu potitur, si arrestum sit legitimum seu justè impositum. (4) Ad quod plura requiruntur, quæ an adsint vel an præter vel contra ea quid quam factum sit, ante omnia diligenter inspici atque examinari debet. Sicubi arrestum reperitur injustum, utique ut nullum nullas vires habet, nec efficere potest, ut arrestatus teneatur in judicio, ubi illegitimè impositum est, super causa principali contendere, sed ostensâ ejus iniquitate vel injustitiâ relaxari & partes ad forum competens remitti debent. (5) Ex quo statuendum est, de ea specie ubi cujus bona arrestata sunt arrestantem ex L. Diffamari citari effecit ad suum forum, utrum post arrestum impositum *isti* locus sit? Siquidem omnia circa arrestum justa sunt, utique non audiendus qui per per conditionem ex L. Diffamari vult causam ad aliud forum abduci. (6) Ubi verò per defectum requisitorum illud ità comparatum est, ut arrestatum foro non adstringat, tunc quomodo non sequitur ex tali præventio, (7) ità non excluditur condictio, sed citatio rectè decernitur, (8) nisi sibi imponi velit silentium, comparere tenetur. *In causa D. Billerbecken contra D. Casparum Wilcken, die 12. Maji Anno 1657.*

1. *Peck. in tract. de Iur. sistend. cap. 35. num. 1.*

2. Ubi cœptum est judicium ibi finiri debet *l. ubi 30. ff. de Iudic.*

3. *Ita vid. Peck. dict. c. 35. num. 4.*

4. Illegitimi arresti nulla vis nullus est effectus juris. *arg. l. non dubium 5. C. de Legib.*

5. Regula illa; Quod nullum est, nullum quoque producere effectum, ad arresta quoque pertinet, ea quæ non legitima imposita censentur tanquam nulla. *in terminis Vulteji consil. Marpurg. 36. num. 49. seq. vol. 4.*

6. *Ita ostendi in tr. de Arrest. cap. 15. n. 18.*

7. Prævento ut effectu potiatur suo, hæc necessario requirit, primo ut judicium competens & legitimum sit. Deinde ut legitimè fiat citatio *Zanger. de Except. part. 2. c. 3. n. 3. & 5.*

8. Est enim in eo statu res, ac si alibi nihil actum quia inutiliter actum, quæ duo æquiparantur *l. quoties ff. qui satisd. cog.*

Digitized by Google

DECISIO XXV.

Ob convitia & injurias ex L. diffamari condictio incongruum quidem remedium est, quia tamen moribus receptum admittendum donec lege, aliud ordinatur.

INter alias remedii L. diffamari abusus (1) quibus magis ad molestias aliorum, quam defensionem implorantis adhibetur, non exiguus est, quod qui ab aliis injuriis verbalibus se affectos queruntur, adversarium imploratâ citatione ad suum forum trahunt, ut verificentur in probum prolata, aut perpetuum silentium imponatur. Recte rem considerantibus non potest non videri plane incongruum illud esse remedium. Primo enim non est paratum ad dikendas injurias, purgandam quo existimationem, sed ad præstandam securitatem contra metum alienæ impetitionis, (2) secundo recte non usurpatur, ubi ordinario aliquo remedio uti licet, (3) seu certo genere actionis actori prospectum est. (4) Actionem quippe de injuriis Prætor dedit non diffamationum remedium, illarum gratiâ constituit aut recipit, nec opus est. Tertio haud congruum est veluti eo tendens, ut diffamator agat, (5) cui consequens ut locum tunc demum habeat, ubi ipsi actio competit. (6) Quæ tamen nulla ex eo est, ut talem doceat qualem injuriose dixit. (7) Cessat quartò in his ratio remedii, quod diffamator velut jus contra aliũ ejusve res prætendens ad judicium provocare videtur. (8) Quæ mens, causa & ipsum factum longe inde abest. Nec non quintò ridiculum est diffamatum ita velle experiri, ut diffamator se talem probet, qui sine dubio eludet & regeret, non probanda esse nisi vera, qualia nemo ipso diffamato melius sciet, ut alienâ probatione opus non habeat, si autem falsa dicere, ideo coërcita velit, se exspectaturum legitimam actionem, nec talibus repositis judex fere reperiet, quid inter tam vaga expeditius futurũ. Sexto non est injungendum diffamatori, quod inutile futurum. Sive enim veritatem diffamationis doceat nec ne, perinde erit nihilque efficietur, Veritas enim convitii non excusat convitiantem. (9) Falsitas detecta sola non satis purgabit diffamari pudorem, cujus existimatio ex eo periclitabitur, quod non usus sit legitimis actionibus, nec vindicavit injurias, quod etiam cogitandi causa remanet, magis ex inopia probationum succubuisse diffamatorem, quam ex alterius innocentiâ, ut nec diffamato satis prospectum sit illo remedio. (10) Est & octavò confusio distinctarum actionum in Judicio non permittenda, sed distinctis remediis distinctim oportet uti. Accedit nono quod regulariter nemo invitus agere vel accusare compellitur, (11) nec aut lex aut consuetudo constat, ex qua ob convitia convitianti agendi necessitas sit. Multò minus permittendum facilè sub obtentu ejus remedii trahi aliquem ad alienum forum, alias pro vindicandis convitiis incompetens. (12) Hæ rationes sufficere potuissent ad excludendum aut removendum à convitiis illud remedium, si nondum pro iis in usum veniisset, & sine hoc de eo judicandum foret. (13) Postquam autem consuetudine & stylo curiæ sic invaluit, ut injuriarum causà ex L. diffamari agitur, (14) etsi id primum per errorem & abusum contigerit, tamen sequi oportet donec lege corrigetur. (15) Quam condere sicut non est judicis, ita nec consuetudinem tollere. Prævalere debet apud judicem consuetudo suæ opinioni. (16) Ita ut etsi rationabilem illam non opinetur, sibi tamen arbitrium in illam non magis quam in legem sumere debet. (17) Qua actiones etiam ejus est inspicere, & sequi consueta; (18) cum non minus ex consuetudine quam ex lege condictio sit. (19) Conderata hæc sunt *in causa Dn. Matthæi Liebeherrn Assessoris Dicasterii Pomeranici contra D. Ioachimum Zandern, die 7. Octobris Anno 1653.*

1. De his quæstionibus varias apud JCtos leges, præcipue *vide Contard. in L. diffamari in pr.* ubi dicit tam promiscuum & confusum esse ejus remedii usum, ut omnibus negotiis applicetur, & tam corruptum & pernicioſum, ut cujuslibet fere malitiæ pallium fiat.

2. *Ita censet Contard. in L. diffamari cap. 5. in 33. Cothm. resp. 4. n. 1. vol. 3.*

3. Non est locus extraordinario remedio quamdiu ordinario expediri licet. *L. in causa 16. in prin. ff. de Minorib.* Extraordinarium esse remedium ex L. diffamari ait *Contard. in dict. L. cap. 4. num. 97.* ideo ubicunque intentatur competente alias actione ordinariâ, inutiliter fieri Baldus consulit. *cons. 241. fol. 5.*

4. Ubi ordinaria actio data est, non cogimur per actionem in factum. *l. quædam 9. in princ. ff. de ædend.*

5. Singulis controversiis singulæ actiones sufficiunt, *l. singulis 6. ff. de Except. rei jud.*

6. Non enim remedium L. diffamari actio est, sed saltem officii judicis imploratio, quæ diffamantem facit actorem, *Gail. 1. Observ. 9. num. 7. Baldus in l. un. num. 1. Cod. ut nem. invit. ag.*

7. Conveniendi Judicio facultatem non habet, qui nullam actionem intendere potest, *l. si pupilli 6. §. fin. ff. de neg. gest.*

8. Diffamatio ut provocatio ad Judicium censetur. *Gail. 3. observ. 9. num. 7.*

9. *l. eum qui nocentem 18. pr. ff. de injur.*

10. Non enim famæ atque existimationis læsæ restitutio nec pœna diffamanti ex illo remedio imponitur, ideo hoc uti consultum esse negat. *Carpz. Resp. Elect. 57. num. 2. lib. 2.*

11. *l. un. C. ut nem. invit. ag.* Quia contra hanc regulam remedium condictionis ex L. diffamari receptum

Digitized by Google

ceptum est strictissimum, ejus usum JCti volunt *vid. Concord. dict. loc, num. 99.*

12. Foro quisque suo relinquendus est, *l. nemo C. de Iurisd. omn. Iudic. Novell. 15. cap. 3.*

13. Qui ita sentiunt, non esse propter injurias locum condictioni ex L. diffamari; sentiunt eo, quod ex ratione juris statui debet, non quod usus introduxit.

14. Sic de communi fere omnium Curiarum consuetudine servari scribit *Blarer. ad L. diffamari cap. 5 num. 76. in fin. Cothman. respons. 4. num. 31. vol. 3.* In Pomeraniæ foro idem ex usu fieri per plura exempla compertum est.

15. Consuetudinem loci Judex legis instar sequi tenetur, *l. 1. §. ult. ff. de ventr. inspic. l. si servus 50. §. ult. ff. de Legat. 1. l. quod si nolit 31. §. qui assidua ff. de adilit. edict.*

16. *Nevizan. cons. 23. num. 6.*

17. In Consuetis contra rationem juris, sicut in iis qui ita constituta sunt, non oportet sequi regulam juris, *l. in his qua contra 15. ff. de Legib.* nec etiam ideo, quia consuetudo à jure & ratione communi aliena videtur, minus observare oportet, sed legis vim æque nanciscatur, *uti docet Cothman. respons. 46. num. 18. seq vol. 1.*

8. *Cothman. respons. 9. num. 5. vol. 3.* ubi ait, circa actiones consuetudinem locorum inspiciendam esse.

19. *Bartol. in l. un. ff. de condict. ex leg.*

DECISIO XXVI.

Fori non competentis exceptio non liberat ab impositione perpetui silentii, sed saltem in coactione & quomodo de illa pronunciandum.

QUando condictio ex L. Diffamari coram quocunque judice institui potest, cessat contra illam fori non competentis exceptio: (1) illa tamen injustè opposita non statim ad impositionem perpetui silentii est properandum, sed ea rejecta adhuc injungendum, ut probetur vel illa exspectetur, (2) & tunc demum non præstitis præstandis silentium imponetur. (3) Quando verò judex istam exceptionem non rejecit, sed super illa pronuncians admisit, appellatione interposita tantum sententia corrigenda fuit, ut in priori foro super diffamatione statuatur & legitimo juris tramite procedatur, non vero ut silentii impositio fiat. Sicut pronuntiatum *in causa Senatus Gryphiswaldensis contra Iochim Edelingen, die 28. Iulii Anno 1656.*

1. *Vid. Blarer. in l. diffamari cap. 4. numer. 36. & seq.*

2. *De hoc modo & forma pronunciandi latius vide scripta apud Blarer. dict. tract. cap. 9. numer. 5. & seq.*

3. Etsi summarium & celerem aliquem tamen & legitimum processum requirit diffamatorium judicium, *uti eum describit Blarer. dict. tract. cap. 7. per tot.*

DECISIO XXVII.

Exceptio præscriptionis non proficit post istius finita tempora, qui intra eadem ex L. Diffamari actionem postulavit.

EUm, qui jam præscripsit actioni, deinde debito diffamatum, per remedium L. Diffamari contra diffamatorem intentatum non renunciare exceptioni præscriptionis, sed ex ea actorem adhuc repellere posse certum est. At ubi intra præscriptionis tempora quis de debito aliquem diffamat & hic ex Lege Diffamari experitur, efficit ut etiam post illa elapsa non possit præscriptionis exceptione uti. Etsi enim ea diffamatio sicut extrajudicialis interpellatio per se non interrumpit præscriptionem, (1) attamen accedens diffamantis petitio facit; ut perinde res habeatur, atque si diffamator jam ad judicium provocasset, (2) dum diffamatus eo loco hanc habet atque causam illam vult judicio submissam. (3) Quod si tunc citatus diffamator nihil fecisset, & intrà ea tempora completa esset præscriptio, etsi dubitatio quædam inde diffamato exorta videri possit, nihilominus præscribit. (4) Ubi vero ab illo quæpiam pro debito asserendo in medium prolata fuerint, id judicialis interpellationis loco est, (5) facitque aliquam debiti notitiam atque agnitionem, ideo etiam ut præscriptione amplius diffamatus juvari non possit. (6) *In causa Frantz Sundershausen contra Consules & Senatum civitatis Buxtehudæ, die 16. Ianuar. Anno 1655.*

1. Denunciatio extrajudicialis post cœptam præscriptionem non constituit in mala fide, nec istam interrumpit, *l. pro emptore 2. §. si servus ff. pro empt.*

2. Diffamare est ad judicium provocare & diffamator agere velle intelligitur. *Gail. 1. Observ. 9. num. 5.*

3. Non potest quis exceptione præscriptionis à judicio excludere quem agere voluit, & agendum compulit. Contraria quippe hæc sunt quæ allegans non auditur.

4. *Vid. Coler in cap. illud numer. 30. X. de Præscript.*

5. Ad interrumpendam præscriptionem facit & est causa illius, *l. 3. C. de Præscript. 30. vol. 40. annor.*

6. Qualis qualis notitia vel agnitio debiti præscriptionem impedit, *Faber. in Cod. lib. 7. tit. 13. def. 21. num. 2.*

Juxta decisiones in hac causa ita pronunciatum fuit.

Jn Sachen Burgermeister und Raths der Statt Buxtehude Appellanten / wider Johann Frantz von Sundershausen Appellaten in puncto depositi, wiro auff Appellanten Erklärung die Sache zu fernerer Außführung bey dem hohen Tribunal angenommen und erkannt / daß wenn Appellat eine förmliche Klage einbringen / dabey aber / inmassen er dan schuldig / sein Person besser den geschehen /

der-

Digitized by Google

vermittelſt zu Recht beſtändig Vollmacht Annen von Sündershauſen zu dieſer Action legitimiren wird/ Appellant als Beklagter alles übrigen Einwendens ungehindert ſich hauptſächlich einzulaſſen verbunden/ darauff wegen der gebettenen recognition und ſonſt die Verordnung alsdann erfolget/ das Suchen aber der Caution halber geſtalten Sachen nach zuläſſig/ und Appellat davon zu entbinden ſey/ von Rechtswegen. Publicatum den 22. Jan. Anno 1655.

Hoc eſt: In cauſa Conſulum & Senatus civitatis Buxtehude appellantium contra Joannem Franciſcum à Sundershauſen appellatum in puncto depoſiti, cauſam ad appellantium declarationem pro ulteriori deductione apud hoc ſummum tribunal recipimus & decernimus, quod, ſi appellatus formalem actionem inſtituit, ſimul vero, prout ipſi incumbit, ſuam perſonam melius, quam, hucuſque mediante legali procuratoria Annæ à Sundershauſen ad hanc actionem legitimabit, appellantes utpote rei non attentis ulterioribus exceptionibus principaliter ſe ingerere teneatur, exinde ratione petitæ recognitionis & alias quod convenit ordinabitur, petitum vero ratione cautionis hoc rerum ſtatu non admittimus, ſed ab eodem appellatum abſolvimus, idque de jure. Publicatum 22. Januarii, Anno 1655.

TIT. XV.

Communia de manumiſſionibus.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XVI.

De liberali Cauſâ.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XVII.

De adſertione tollenda.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XIIX.

Quibus ad libertatem proclamare non licet, & de rebus eorum qui ad libertatem proclamare non prohibentur.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XIX.

DE ORDINE COGNITIONUM.

DECISIO I.

Non eſt properandum ad diſcuſſionem rationum antequam inventarium exhibitum & examinatum eſt.

INventarium caput rationum eſt,(1) idcirco ante omnia illud ad certitudinem redigi debet, ut appareat quid, quantum, quale exiſtat, de quo rationum redditio fieri debeat. (2) Præpoſtere idcirco ibitur ad diſcuſſionem rationum antequam punctus inventarii extra controverſiam & certus erit. (3) Petita itaque commiſſio ad exhibitionem rationum atq; diſcuſſionem denegata fuit, injuncto prius poſſeſſori, ut quod ab ipſo deſideratum erat inventarium, prius ad acta porrigeret & altera pars ſuper eo audiretur. Decretum *in cauſa viduæ Iochim Peterſen, contra Adam von Horn, die 18. Martii, Anno 1658.*

1. Ita apud vulgus JCtorum audit & revera eſt. *Coler. Conſil. 17. n. 18.*

2. Qui poteſt venire in rationem de quo an adfuerunt adhuc dubitatur vel controvertitur.

3. Eo nomine exceptioni præpoſterationis locus eſt, quæ ob interverſum juſtum ordinem competit. *Graſſ. de Except. c. 22. n. 17.*

DECISIO II.

Poſſeſſorium quando abſorbetur à petitorio.

QUod dicitur, prius de poſſeſſione agendum cognoſcendumque eſſe, quam de proprietate, ſeu, ut alii loqui amant, prius judicandum de poſſeſſorio quam de petitorio, (1) non aliter accipiendum eſt, quam ſi de neutro adhuc conſtat, multo magis ubi poſſeſſorii res plana, de petitorio autem adhuc controverſa atque dubia exiſtit. (2) Quod ſi de petitorio res aperta eſt, ſive poſſeſſionis cauſa ſit adhuc dubia, (3) ſive etiam liquida, tamen ſuper iſto tantum eſt pronunciatum. (3) Fruſtra enim de poſſeſſione contenditur & jus dicitur, ubi de petitorio liquida res eſt. Tunc enim petitorium abſorbet poſſeſſorium. (5) Et poteſt non modo, ſed etiam debet judex ſuper evidenti petitorio jus dicere, etſi tantum ſuper poſſeſſorio lis ſit & concluſum fuerit; (6) imo etſi libellus unice comprehendit. (7) & de ſe non intromittendo in petitorium proteſtatio multiplex acceſſerit. (8) Ita juxta hæc poſſeſſorium rejectum eſt, quia de petitorio ex actis manifeſte conſtabat. Die 23. Martii Anno 1658.

1. *Juxta l. incerti 3. C. de Interdict.*

2. In qua ſpecie ſuper poſſeſſorio pronunciari petitorium reſervari ſolet. *Alexand. conſil. 117. num. 3. vol. 2.*

3. Quo-

Digitized by Google

3. Quoties poſſeſſorium & petitorium cumulatur, ſeu ſimul in judicium venit, id prius decidendum de quo prius docetur. *c. 2. de cauſ. poſſ. & propr. Sixtin. de Regal. lib. 2, cap. 3. num. 20.*

4. *Mynſing. reſp. 18. num. 13. & reſp. 25. num. 8. Gail. 1. Obſerv. 61. num. 12.*

5. *l. poſt ſententiam C. de Sent. & inter loc. Hondedaconſ. 23. num. 38. vol. 1. Cravett. conſil. 258. num. 4. & ſeq.* Cujus ratio in regula quod majori cauſæ cedit minor & hanc ad ſe trahit. *l. per minorem 54. ff. de Judic.*

6. *Cacheran. deciſ. 47. num. 3. Cothman. reſp. 42. num. 108. Mynſing. 3. Obſerv. 93.*

7. *Poſt jam allegatos Cravett. conſil. 299. num. 6.* qui ita ſentiunt & ſcribunt, ad deciſionem ſuper petitorio ſufficere titulum ſaltem ad colorandam poſſeſſionem proferri & ſi de eo res clara atque ita proprietas alterius manifeſta ſit, non eo minus de hac ſepoſito poſſeſſorio recte pronunciari. *vid. in eandem rem ſcripta à Menoch. recup. poſſ. remed. 1. num. 167. ſeq. Hondeda conſ. num. 44. ſeq. vol. 1.* De quo in hoc ſummo Tribunali dubitationis nihil ſuperfuit, poſtquam ſummorum judiciorum ea facultas eſt, ut dum ſola veritate inſpecta judicant, nec adeo præciſe ſubtilia proceſſus obſervare opus habent, libelli petita non adeo exacte ſequuntur ſed juxta narrata quod jus videbitur dicunt. *Sixtin. conſil. Marp. 14. num. 45. vol. 2. Aſin. in Prax. Judic. § 3. cap. 6. num. 2.*

8. Hujus in tali ſpecie, cum petitorii juſtitia evidens eſt, inutilitatem annotat Brun. *Conſil. 19. num. 29. ſeq. Cacheran. conſil. 67. num. 3.*

DECISIO III.

Creditores quando tenentur exſpectare finem litis ſuper ſucceſſione.

CUm inter duos de ſucceſſione in feudo eſt contentio, ſiquidem utriuſque par eſt conditio, at tam petitor quam poſſeſſor æri alieno obnoxius ſit, ideo creditori ſolvere debeat, integrum eſt quem ex his creditor convenire velit, & ille non attenta ſuper ſucceſſione lite reſpondere tenetur. (1) Secus vero eſt, ubi diſpar illorum ratio eſt, alter creditori tenebitur, alter vero contra ipſius actiones juſta exceptione ſemet defendere valebit, tunc ſuper ſucceſſione prius decidenda eſt controverſia quam creditores in bona immitti poſſint. (2) Nec enim immiſſio fieri debet niſi citato atque audito debitore, qui in hac ſpecie incertus eſt, quamdiu pendente lite non conſtat quis ſuccedere debet. Inde cauſa ſucceſſionis præjudicialis eſt, (3) ante quam terminatam nemo citari aut condemnari debet. (4) Et licet alter contendentium ſit in poſſeſſione, hand tenetur reſpondere ſed juvatur exceptione præjudicii. (5) Quando itaque aliqui feudi poſſeſſorem convenerant, alius autem ex cauſa ſucceſſionis intervenerat, & ita quidem ut ſuum eſſe feudum, ex eo vero quod alii petunt non ſolvendum eſſe contenderet, & ſuper hac lis cœperat, viſum fuit male judicem illum condemnaſſe ſepoſita ſucceſſionis controverſia. Suſpenſa itaque fuit, poſtquam à ſententia appellatum, debiti petitio, cum iis quæ hanc concernebant & remiſſæ partes ad agendum cauſam præjudicialem, præfixo tamen termino, intra quem perageretur, ne nimis diu creditores cum ſuo incommodo exſpectare opus haberent. (6) Sic judicatum *in cauſa vidua Andreæ Buggenhagen contra Viduam & Liberos Chriſtoff Brünellen. Die 1. Octobris Anno 1658.*

1. *Ita conſtitutum in l. fin. §. 1. in fin. C. de Petit Hared.*

2. *Vid. Fab. in Cod. lib. 7. tit. 32. defin. 22. quem ad talem ſpeciem referre oportet, ne in jam allegatum textum impingat.*

3. *l. fin. C. de Hared. vendit.*

4. Præjudicialis cauſæ hoc eſt proprium ut ante omnia finiatur. *l. ſi teſtamentum 6. ff. de Inoffic. Teſtam.*

5. *Sic ex d. l. fin. in pr. C. de Petit. hared ICti circa eam quæſtionem, an præjudicii diſcuſſio alterius petitionem ſuſpendat. diſcernunt, utrum Lis una impedimento ſit ne alia exitum habeat an vero hanc permittat.*

6. *Hoc rationabile conſilium ſuggerit in ſimili ſpecie Faber in dict. defin. 22.*

Juxta hæc ſic pronunciatum.

In Sachen Chriſtoff Brunellen Wittwen und Kinder Appellanten wider den Land-Marſchallen Andreas Buggenhagen Witwen & conſorten Appellaten in puncto debiti werden die gravamina als noch zur Zeit überflüſſig zur Außführung nicht veranlaſſet/ ſondern außgeſetzet/ auß den actis aber befunden/ und erkandt/ daß der punctus ſucceſſionis an dem Gute Engels Wacht und deſſen Zubehör zwiſchen Appellanten und Philip Gutzlaff Rotermunden erſt wie angefangen/ alſo zur endlichen Richtigkeit fürderlichſt zu führen/ demnach dann von Richter erſter Inſtanz den 26. Aprilis Anno 1656. übel geſprochen/ wol appellirt/ und die Verordnung dahin zu ändern/ daß die den 31. Januarii ſelbigen Jahres publicirte Urthel noch zur Zeit anzuheben/ und zu erſt zur Richtigmachung deß puncti ſucceſſionis gebührende Veranlaſſung zu machen/ wie dann deßwegen mandatum an beſagten von Rotermunden hiemit erkant wird/ inwendig ſechs Wochen ſeine Prætenſion und deßhalber vorgebrachte intervention ſub pœna præcluſi zu proſequiren/ und auff Gegentheils den 1. Septembr. Anno 1653. eingebrachte Schrifft ſchließlich zu handeln/ wornach ſich Appellaten zu gedulden haben/ und alsdann ergienge was Recht iſt/ von Rechtswegen. Publicatum im hohen Trihunal zu Wißmar den 18. Oct. Anno 1658.

Hoc eſt in cauſa Chriſtophori Brunellen viduæ & liberorum appellantium contra Mareſchall Andrea Buggenhagen viduam & conſortes appellatos in puncto debiti, gravamina tanquam adhucdum ſuperflua ad deductionem prætermittimus & ſuspendimus ex actis vero decernimus punctum ſucceſſionis in prædio Engelswacht & ejus appertinentibus inter appellatem & Philippen

Digitized by Google

lippen Gutzlaff Rotermunden prout inceptus, ita ad finalem decisionem maturè ducendum, exinde à judice primæ instantiæ 26. Aprilis Anno 1654 male judicatum bene appellatum ac dispositionem eò reformandam quod sententia 31. Januarii eodem anno annotata adhuc dum cassanda & prius ad decisionem puncti successionis Jansa aperienda prout eâ de causâ mandatum ad dictum à Rotermunden hisce decernimus, ut intra sex septimanas suam prætensionem & propterea propositam interventionem sub pœna præclusi prosequatur & ad adversæ partis 1. Septembr. Anno 1653 exhibitum scriptum submittendo agat, quod appellati expectent actum, fiet quod juris est idque de jure, publicatum in summo Tribunali Wismariæ 18. octob. anno 1658.

DECISIO IV.

Cum filia se ex renunciatione vel transactione super hæreditate læsam dicens vult in integrum restitui, prius de genere successionis tanquam puncto præjudiciali, quam modo lasionis dispiciendum est.

DEsiderabat se læsam dicens inventarium seu juratam designationem bonorum paternorum à fratre, cum quo transegerat mediante renunciatione hæreditatis; nec iniqua illa est petitio, etsi ante rescissionem conventionis nihil juris petens habere videretur. (1) At quando reus opponebat exceptionem ex testamento paterno, ut & renunciationis factæ, præmaturum fuit id petere antequam de viribus paternæ inter liberos dispositionis constabat. (2) Nec enim potuit de læsione certum statui, antequam appareret quomodo defuncto succederetur ex testamento an ab intestato. Nam in testamentaria successione à filia simul instituta nihil ultra peti potest quàm legitimæ supplementum, de cætero subsistit testamentum. (3) At si ab intestato succeditur venit in judicium quidquid sic successuræ pro parte sua debetur. (4) Ut verò magna ejus differentia sic pro certitudine judicii prius cognoscendum est de viribus testamenti. Cujus causa in talibus præjudicialis est. (5) Quando igitur actrix contra pactum & renunciationem ut hæres ab intestato petebat se restitui ad petitionem hæreditatis & quidem ab intestato, reus negabat succedi ab intestato ultimam defuncti voluntatem obtendebat, (6) placuit inventarii petitionem seponi donec de jure & viribus testamenti constaret. (7) Hinc injuncta est reo testamenti exhibitio & actrici ad articulos qui continebant ex isto exceptionem responsio. *In causa Henrici Schaden contra Fridericum Schaden, die 13. Octob. Anno 1655.*

1. *Vid. Fab. in God. lib. 3. tit. 19. defin. 33.* ubi docet filiæ utut jurato renunciaverit paternæ hæreditati tamen cum ob læsionem se integrum peti desiderat inventarium exhibendum utinde de læsione docere & constare possit.

2. Erat quippe intentio actionis restitutio in integrum in pristinum statum sed in eo & dubitatio hæc, ex testamento an ab intestato succedi debeat. Ubi hoc intendit actrix, illud reus, omnino prius statuendum est de viribus testamenti qui antea actricis intentioni locus esse nequit. *l. quamdiu 39. ff. de acquir. hæred.*

3. *l. 3. omnimodo 30. pr. C. de inoff. Testam.*

4. *Ita discernit & discrimen attendendum esse monet Ans. Faber. in C. lib. 2. tit. 3. defin. 8.*

5. Cujus ante omnia fieri debet discussio. *l. 2. l. seq. C. de Ordin. Judic.*

6. Quæ obstat successioni ab intestato ideo & ex ea petitioni hæreditatis, *l. 1. ff. si tab. testam. null.*

7. Testamento sic facta dispositione ut eliqui in certis bonis saltem sint instituti, alii verò in reliqua hæreditate, istorum ut non interest, sic illis acceptis non justa est petitio inventarii.

Juxtà prædicta pronunciatum est.

In Sachen Heinrich Schaden Appellanten wider Fridericum Schaden Appellatinnen werden die gravamina so viel die Exceptionem præventionis auch die Verschickungs-Kösten betreffen/ als unerheblich nicht/ sondern in diesen Puncten acta vor beschlossen angenommen und erkant/ daß den Richter erster instantz wohl gesprochen/ übel appellirt/ dabey es zu lassen. Was aber in puncto petitæ hæreditatis im andern und folgenden Articuln biß zum 45. inclusivè vorgebracht/ ist zu fernerer Außführung angenommen/ deßwegen Appellatinnen Copey erkant/ und dieselbe proxima darauff Rechtliche Nothdurfft zu verhandeln/ Appellante auch immittelst die Vätterliche disposition inter liberos darauff er sich beziehet/ ad acta zu bringen schuldig/ V. R. W.

Hoc est: in causa Henrici Schaden appellantis contra Fridericum Schaden appellatum, gravamina quantum exceptionem præventionis & sumptus itineris concernunt ut irrelevantia non admittimus, sed in his punctis acta pro conclusis acceptamus & decernimus, quod à judice primæ instantiæ, bene judicatum, male appellatum, adeoq; ei inhærendum, quod vero in puncto petitæ hæreditatis in secundo & sequentibus articulis usque ad 45. inclusivè propositum, ad ulteriorem deductionem admittimus, propterea appellato copiam decernimus, ut desuper in proximâ necessaria agat, appellanti vero interea paternam dispositionem inter liberos, quo se refert, ad acta exhibeat, injungimus. Idque de jure.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO V.

Ex causa desertionis processus quomodo non præcipitandus, & , quæ ante illum observanda.

CUm in ditione Wismariensi Consistorium nondum erat constitutum, ideo quidquid consistorialium causarum occurrebat, ad Summum Tribunal Regium deferri solebat, inde pro qualitate causæ aut ibi ventilandum retinebatur, aut per Deputatos ex Collegio assumptis Pastoribus expediebatur, eo quoque devenit querela super desertione uxoris cum petitione separationis nec non danda ad aliud conjugium licentia. Meretur quidem istam desertio, (1) eaque facta innocenti parti licitum est ad alia vota progrediendi arbitrium, (2) attamen non est divortii declaratio facienda, (3) & sine prævia citatione, (4) hæc vero non decernenda sine aliqua causæ cognitione, per quam indaganda desertionis veritas. (5) Ad hanc enim sola conjugis absentia ejusque allegatio non sufficit, sed oportet eam istius causam & qualitatem narrare, juxtim verosimilem facere, quæ desertionem eamque malitiosam arguat. (6) Talis enim ad divortium requiritur. (7) Ideo ante omnia constare debet, antequam citatio ex ista causa decernitur. Pro tali exploranda necesse est ante omnia judicem inquirere, & inspicere primo causam discessus utrum hic necessarius fuerit, an mere voluntarius (8) & si talis, an ex levitate quadam, aut erga conjugem ira & indignatione profectus fuerit. (9) Deinde tempus absentiæ an faciat præsumptionem desertionis. (10) Tertio, mores personæ tam desertæ, quam desertricis, (11) Pro qua inquisitione facienda decreta est commissio ad petitionem Jochim Könings, die 8. Januarii, Anno 1656.

1. Consensus de eo est Orthodoxorum Theologorum & JCtorum, quem sequitur fori praxis, juxta quam divortia ex causa malitiosæ desertionis per judiciorum decreta sunt frequentia.

2. Divortium innocenti personæ restituit veluti post dissolutum connubiale vinculum libertatem, qua sine culpa sua privari non debet. *c. discretionem §. nam etsi X. de eo qui cognov. consang. uxor.* nec conscientiæ illius ob alienum delictum laqueus rejici *vid. Joh. Gerhard in loc. Theolog. de conjug. §. 623.*

3. Quod Deus conjunxit, homo separare non debet, nisi ex causa Deo probabili: *Matth. 19. v. 6.* & si ea ex causa desertionis petitur, omnes circumstantiæ accurate sunt considerandæ, *uti monet Beust. de Sponsalib. part. 2. cap. 27.*

4. Contra desertorem nunquam fertur sententia aut decernitur divortium nisi citatum ob grave quod exisio infertur præjudicium, quia non tantum conjuge privatur, & huic libertas restituitur, sed ipsi conjugium imposterum interdicitur, nec sine dispensatione ex probabili causa ad illud iterum admittitur, præterea pro qualitate malitiæ graviter ex arbitrio judicis punitur, *vid. Schneidewin. ad tit. de Nupt. in rubr. de Divort. num. 44. & seq. Carpz. in Practic. crimin. part. 2. quæst. 58. num. 61.*

5. Desertionis causa valde caute est tractanda, *uti prudenter monet Beust. de Sponsal. & Matrim. part. 2. cap. 27.* tum ob grave præjudicium, quod imminet tam matrimonio quam personis conjugatis, tum ob exitum qui criminalis est ob pœnam quam incidit desertrix persona. *Arnisæ. de Jur. Connub. cap. 4. sect. 6.*

6. Non quivis discessus conjugum, etsi multi temporis facit desertionem, sed qui malitiosus est, seu deserendi animo fit. *Salycet. in l. 2. num. 1. C. de sponsal.* Quisquis causam habet aliquam qualem qualem à desertione purgat, nec à vinculo liberat.

7. Necessaria absentia abest à vitio desertionis, quamdiu talis. Ubi incipit desinere causa esse voluntaria, degenerare potest in malitiosam.

8. Causa judex est desertionis. Quæ si non improba, non facit locum divortio, etsi absentia sit valde longi temporis. *Novell. 117. cap. 11.*

9. Temporis hujus apud JCtos varia est definitio, alii biennium, alii triennium, alii quadriennium, alii quinquennium, alii septennium vel decennium requirunt. At ut lex non definivit certam, ita nec facile potest. Pro diversitate circumstantiarum de eo statuendum, ut de malitia & voluntate non revertendi per eas constat, ex quibus hac apparente vel annus sufficit. Relinquendum itaque judicis arbitrio *juxt. Schneidewin. ad tit. Instit. de Nupt. part. 4. Rubric. de Divort. num. 46. Arnisæ. de Jur. connub. cap. 6. sect. 7. num. 28.*

10. Utrumne discessui mariti causam dederit, quomodo semet post eum gesserit, an honeste & pudice, cujus testimonia exigi solent, & si suspiciones accedunt, etiam purgationis juramentum. *Carpzov. in jurispr. Consistor. lib. 3. cap. 39. num. 1. & seq.*

11. In hoc explorandi sunt tum mores anteriores tum post discessum secuti. Ex quibus argumentum est de cæteris.

DECISIO VI.

Cum possessorium dependet à petitorio attentatorum causa ad litem principalem remittenda nec ante illam decidenda est.

QUod pro regula traditur, attentata ante omnia revocanda, nec de his implorationem ob litem principalem suspendendam esse, (1) id non tantum falli si quod pro attentato allegatur idem est cum eo quod sub lite principali versatur, (2) sed etiam ubi an revocatio fieri debeat, seu ipsa causa attentatorum ab illa dependet, (3) nec de hoc quidquam nisi ista finita statui potest, (4) uti fit cum possessionis causa non est à petitorio separata nec quis seu an de attentatis conquerens possidere debeat, constare potest, nisi petitorio decisso. (5) Uti fit in causa tributorum, quando allegans possessionem exemptionis allegat, & cum solvere cogeretur

Digitized by Google

retur de attentatis conqueritur. (6) Ubi non est certa immunitatis ratio, sed de ea adhuc lis pendens ad revocationem attentati haud procedendum, sed prius lis super illa terminanda erit. (7) Quod secuti sumus *in causa Henrici ab Hadeln contra Nicolas Hammelwordenses, die 15. Ianuarii, Anno 1656.*

1. *c. non solum de Appellat. in 6. ubi omnes Canonistæ sic tradunt & exponunt.*

2. Quoties attentata causam principalem concernunt, non fit eorum revocatio statim, sed remissio ad hanc & cum hac disceptantur & indicantur. *Gail. 1 Observ. 145. n. 1.*

3. *Lancellot. de Attent. part. 3. c. 24. q. 19. n. 1. seq.*

4. Sic judex in causa attentatorum procedere debet ne præjudicium inferat causæ principali *Franck. in c. cum teneamur num. 1. & 7. de Appellat.* ideo quoties illa huic præjudicium faciant aut hæc istis ut præjudicialis prius terminari debet. *l. 1. l. 2. C. de Ord. Iudic.*

5. *Lancellot. dict. tract. part. 3. cap. 30. num. 230.* ubi generatim tradit, quando conjuncta est causa principalis, & attentatorum utraque conjunctim esse terminandam.

6. In collectarum causa executive proceditur, & sine vitio attentati pendente lite fit executio. *Lancellot. dict. tract. part. 2. c. 4. limit. 25. n. 1. seq.* sicut & pendente appellatione. *Lancellot. d. tract. part. 2. c. 12. limit. 43. n. 12. Cacheran. decis. 88. per tot.*

8. *Vid. Lancello: d. c. 12. limit. 24. num. 40.*

Sic pronunciatum est;

In Sachen Otto Heinrich von Hadeln Appellaten/ entgegen und wider die Eingesessenen deß Kirchspiels Hammelwörden Appellaten in puncto deß Adelichen Rechts und Schatz-Freyheit etlicher Ländereyen/ wird allem An- und Vorbringen nach zu Recht erkannt/ daß Appellat mit vorgebrachtem Beschwer zuhören: Gestalt dann zu weiterer Außführung den Appellaten von eingebrachtem Libello appellationis copia ertheilet/ und innerhalb 6. Wochen litem zu contestiren/ singulariter singulis zu respondiren aufferleget wird. Im übrigen wird das beschehene Suchen der Attentaten halber noch zur Zeit nicht erkannt/ sondern zur Hauptsache und füderlichsten Außführung hiermit verwiesen/ von Rechtswegen.

Hoc est: In causa Ottonis Henrici ab Hadeln appellantis contra incolas districtûs Hammelwörden appellatos in puncto juris nobilitatis & exceptionis à tributis aliquorum prædiorum juxta acta & allegata decernimus, quod appellati in suis gravaminibus audiendi, prout appellatis ad ulteriorem deductionem exhibiti libelli appellationis copiam damus, & ut intra 6. septimanas litem contestentur, & singulariter singulis respondeant injungimus. Cæterum petitio ratione attentatorum nondum decernimus, sed ad causam principalem & ejus celerem deductionem remittimus, Idque de jure.

DECISIO VII.

Etsi mors non præsumitur, tamen sola allegatio sistit processum, si allegans probare vult.

CUm objiciebatur processui ad ulteriorem citationem edictalem impediendam mors citandi; at non probabatur, haud quidem ejus præsumptio capi debuit, sed quod alias præsumitur, vivere eum qui vixit, judex sequi potuit, (1) tamen nec etiam ultra procedere oportuit, quam ut allegans ad probationem mortis admitteretur, & defensori ad istam tempus præfigeretur. (2) Minime autem ideo quod nondum mors probata esset, ob contrariam præsumptionem, ad ulteriora litis procedendum est. Nec enim præsumptio vitæ hoc operatur, ut tanquam contra vivum agatur etsi incertum sit, an vivat necne. (4) sed tantum ut mortem allegans probatione oneretur. Quemadmodum vitæ allegatio non efficit, ut vivus sit, ita nec isti præsumptioni convenit, ut nihilominus velut contra vivum statuatur, sed isti debet processus & mortem alleganti ad probationem spacium relinqui: (5) sicut decretum *in causa Georg Ludewigs Wittruven, contra Elisabeth Mollers litis Curatorem, die 18. Ian. Anno 1656.*

1. *De hac juris præsumptione vide plura scripta per Menoch. in tract. de Præsumpt. lib. 6. præs. 49. per tot.*

2. Præsumptioni statur, donec contrarium ab adversario probatur, quem præsumptio à probationis onere relevat per vulgata.

3. Ex præsumptione non statuendum est, ubi alius contrarium non modo allegat, sed etiam probare intendit, quia illata probatione diluitur. *l. fin. §. fin. ib. gloss. & Dd. ff. quod met. caus.*

4. Ubi causa ita est comparata, ut vita certo liquere debeat ibi, ut de vivo non statuitur, sed vita probatione eget. *l. 2. §. si dubitetur ib. Dd. ff. Testam. quemadm. aper.* Ideo etiam ubi fundamentum intentionis est: *Aliciat. de Præsumpt. reg. 1. præs. 44.*

5. Pertinet ad arbitrium judicis, quando super præsumptione vitæ statuet aut probationem exigit. *Cagnol. in l. emancipati num. 91. C. de Collat.*

DECISIO VIII.

Dotis quantitate adhuc incerta de usuris sententia suspenditur.

DOtis ex feudo debitæ usuras à tempore moræ deberi certum est, (1) At quantitate residui adhuc incerta in usuras condemnatio commodè fieri non potest, dum hæ, nisi illa certa, certæ esse nequeant. Quære in ea specie quando filia dotanda per aliquot annos feudum tenuit & fructus percepit. (2) de usuris sententia dilata fuit, donec quid quantumque quovis anno perceptum fuerit, redditis & discussis rationibus appa-

ret,

Digitized by Google

ret, cum nisi ex eo quantitas sortis post quæque annum, (3) ideo & modus usuræ referri non potuit. (4) Quare ob omissam usurarum in sententiam mentionem justè ea nullitatis accusata non est. (5) Sic pronunciatum *in causa Wendelini Blüchers litis curatoris contra Vincentium Blüchern, die 19. Ianurarii Anno* 1656.

1. Sicut in aliis bonæ fidei judiciis ex mora debentur usuræ, *l. mora 32 §. in bonæ ff. de jur. dot.* sic etiam ex promissa vel debita dote. *vid. Fab. in Cod. lib. 5. tit. 7. defin. 22.* de qua actio bonæ fidei est, *l. in. §. 1. C. de rei uxor. act. Wesenb. in Parat. ff. de jur. dot. num. 6.*

2. Sententia quippe debet esse certa. *l. 1. C. de sent. quæ sin. cert. quant.*

3. Pignoris quasi jure filia feudum paternum tenet & fructus percipit, quos in dotem ejusque usuras imputant, *l. 1. C. de Pignor. act.* & in rationem exonerandi debiti refert. *l. 3. C. eod.*

4. Quod percipitur ex bonis quæ pro debito tenentur, primo in usuras, reliquum in sortem imputatur, atque ita fit fructuum & debiti compensatio, adeoque pro istorum quantitate ab hoc liberatio: Si ergo amplius in fructibus quam in usuris est, illæ non possunt deberi, nisi ubi per rationes tantum non perceptum esse constabit. Quin potius ex sorte quidquam solutum præsumitur.

5 Usura est sortis adjectio, *l. jus retentionum 4. C. de Usur.* ideo non est earum petitio aut adjudicatio, nisi ubi sors certa est. *l. lecta 40. ff. de reb. cred.*

Tenor sententiæ ex his decisionibus.

In Sachen Ventz Blüchers Kinder und angehörigen Litis Curatoris Deducenten wider Vincentz Blüchern Deducaten / in puncto successionis & juris retentionis wird auff beschehene Erlassung deß Juramenti malitiæ vom Gegentheil geschehen / solches zu ersodern / gestalten Sachen nach überflüssig gehalten / demnach Deducenten davon befreyet / der Deduction-Schrifft aber ungehindert / so viel das Jus retentionis in feudo betrifft / es bey der den 22. Octobr. abgewichenen Jahres publicirten Urtel gelassen: Jedoch mit der Erklärung / daß die Zinßforderung ad punctum rationum außgestellet / und dahin man solche annoch außgestellet seyn lasse. Jngleichen daß / was jetzo abermahlen wegen deß den Erbgütern zugestossenen Verderbes / und daher prætendirten Zuspruchs erholet unter den in der Urthel reservirten actionem so weit Rechtens vorbehalten verbleibe / allein was Hanß Wilhelm Treysens Kinder wegen ihres Vatters Rechnungen eingewandt / ist zu ferner Außführung angenommen / demnach Deducaten Copia davon erkant / und proxima darauff zu antworten auffleget / von Rechtswegen.

Hoc est: In causa Ventz Blüchers liberorum & appertinentis litis curatoris deducentium contra Vincentium Blüchern in puncto successionis & juris retentionis ad factam remissionem juramenti malitiæ & adversâ parte, ut illud de uno exigatur hoc rerum statu superfluum judicamus, exinde deducentem illo exoneramus, & non attento scripto deductionis quantum jus retentionis in feudo concernit sententiæ 22. Oct. superiori anno publicatæ inhæremus, attamen cum hac declaratione, quod exactio censuum ad punctum rationum suspendatur, similiter id quod modo iterum ratione ruinæ bonis hæreditariis illa, & inde prætensæ actionis repetitur sub actionibus in sententia reservatis in quantum juris reservatum maneat, quod vero Joannis Wilhelm Treysens liberi ratione eorum patis rationum opposuerunt ad ulteriorum deductionem admittimus, exinde deducto copiam illius decernimus, & ut desuper in proximi respondat injungimus. Idque de jure.

DECISIO IX.

Executivus processus contra hæredem non exercendus, nisi ex quo hæredem esse certum sit, de quo cognitio ad ordinarium judicium pertinet.

CErti quidem juris, nec non judiciorum moris est, executivè non minus contra hæredem procedi, quàm contra defunctum debitorem: (1) At sic demum justus ille Processus est, si hæredem esse liquet. (2) Ubi qui convenitur se talem negat, priusquam executivè proceditur, de eo agendum atque discutiendum, interea processus executivus sistendus est. (3) Quod uti altioris indaginis est, & non semper citò explorandum, ità ad ordinarium processum remittendum. (4) Quò non factò sed ante pronunciationem super hæreditatis aditione, vel immixtione, immissione, uti in executivis moris est, decreta appellans non tantùm audiendus, sed etiam processus ità dirigendus, ut cum ordinaria cognitione de istius veritate constet. (5) Nec refert, extraneus an suus hæres sit, si modò pro hoc ea argumenta adsint, per quæ magis colligetur hæredem non esse. (6) Utiis in locis subest, ubi filiæ non solent hæreditatem patris cernere, sed dote vel alia portione legitimæ loco contentæ bona omnia agnatis relinquere. (7) Ità factum *in causa Annæ und Metta von der Huden, contra Rochum von Gahlen, die 19. Aprilis Anno 1656.*

1. *Per l. ex contractu 44. l. miles 6. §. fin. verb. judicati actio hæredi & in hæredum competit. ff. de re judic. Batol. in l. creditores num. 22. C. de Pignorib. Neguzant. de Pignorib. part. 4. princ. n. 20. & seq.*

2. Omnia ratione petentis debitoris debiti & si quæ alia ad substantiam pertinent, in processu executivo liquida esse oportet, *uti pulchrè exposuit Petr. Frider. Mindan. lib. 2. de Mandat. cap. 59. num. 1. & 2.*

3. *Coler. de Process. Executiv. part. 1. cap. 10. num. 329. seq.*

4. *Suarez. in l. post rem judicatam 25. in declar. Leg. Reg. extens. 1. num. 2. ff. de re judic. ubi ait, cessandum prius reum, audiendum, eo negante ab allegante probandum.*

5. An hæres quis sit, tantopere discussione diligenti eget, quam an debeat; quia nisi hæres sit, non debet nec conveniri potest.

6. Est quidem de suo hærede semper immixtionis

Digitized by Google

nis præsumptio, ut talis, quæ per alia argumenta validiora tollitur, *vid. Menoch. de Præsumpt. lib. 4. præsumpt. 63. per tot.*

7. In Ducatu Bremensi inter nobiles sita fieri solet, ideo filiæ hæredes non præsumuntur.

Sic in hac causa pronunciatum:

In Sachen Annä und Mettä Geschwistern von der Huden Appellantinnen/ wider Rochus von Gahlen Appellaten puncto debiti seynd die gravamina zu fernerer Außführung angenommen / demnach wird Appellaten davon Copey erkannt/ und proxima darauff zu antworten auffer leget. Von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar/ den 21 April, Anno 1656.

(Hoc est) in causa Annæ & Mettæ sororum ab Huden appellantium contra Rochum à Gahlen appellatum in puncto debiti gravamina ad ulteriorem deductionem admittimus, appellato illorum copiam decernimus, & proximam juridicam ad respondendum injungimus. Idque de jure. Publicatum in summo tribunali Wismariæ, die 21. Aprilis, Anno 1656.

TIT. XX.

DE COLLUSIONE detegenda.

DECISIO Unica.

Fidejussori non potest super eo, quod nondum solvit, tamen reus debet, objici collusionis exceptio.

FIdejussori actione mandati contra debitorem agenti, & apocham creditorum in quo acceptæ ab illo solutionis mentio fiebat, & cessio addita erat exhibenti debitor opponebat simulate per collusionem ista acta, solutionem nondum factam esse, ideo agi, ut ipse prius pecuniam det, quam fidejussor à se acceptam deinde demum solvere velit. Etsi vero quod per collusionem inter creditorem, & fidejussorem fit, debitori nocere non debet, (1) attamen ubi non fit tale quidquam ut noceatur, sed ut fidejussori innocenter consulatur, non est justa debitoris adversus id objectio, (2) præsertim ubi non aliud fidejussor intendit, quam ad quod debitor tenetur ideoque ejus nihil interest. (3) Quia itaque isti non modo cum solvit, sed etiam cum solvere debet, actio datur, (4) & non minus debitor facere debet ne solvere opus habebat, quam ut solutum recipiat, (5) non est ultra ea exceptio justa atque congrua quam quatenus repetitur, quod non reddendum, (6) nisi solutione facta, veluti si usurarum solutarum usuras petit. (7) Non admissa itaque est nondum factæ solutionis exceptio, dum nihil proficere poterat, (8) *in causa Philipp Gutzlaff Rotermundes contra Ægidium von der Osten, die 17. Maij Anno 1659.*

1. *l. si procuratorem. 8. §. 1. ff. mandat.* Collusio enim nec unquam prodesse. *l. si servus 50. §. 2. ff. de Legat. 1.* nec alteri nocere debet. *l. 27. Cod. de Liber. caus.*

2. Nec enim vere id collusio est, sed adversus damna, & pro jure suo innocua vigilantia. Licet enim creditori habere pro accepta pecuniam & hoc cum fit, fidejussori statim est actio. *Franc. de Fidejussorib. c. 5. num. 595.*

3. Quod alicui prodest, sed alii non nocet id improbandum minime est. *l. 2. §. item Varus 5. ff. de aq. & aq. pluv. arcend.*

4. *l. sed addes 19 pr. ff. locat.*

5. *l. si proca ib. Bald. & Sichard. Cod. Mandat. l. Lucius §. 1. ff. eod.*

6. Non justum hoc modo, sed justis remediis etiam ipsi prospectum est. *vid. Hering. antr. de Fidejussorib. c. 52. n. 98. & seq.*

7. Solvens fidejussor, usurarum, quas solvit, usuras petit. At secus est, si nondum solvit. Diversa plane est ratio. Nihil enim ipsi adhuc abest.

8. Non audiendus est excipiens, ubi nihil interest. *l. loci 4. §. competit 7. ff. si serv. vindic.*

TIT. XXI.

Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXII.

De longi temporis præscriptione, quæ pro libertate & non adversus libertatem opponitur.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIII.

De periculo ejus qui libertatem meruit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIV.

De Senatus Consulto Claudiano tollendo.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXV.

De nudo Jure Quiritum tollendo.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXVI.

De usucapione pro emptore vel transactione.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT.

Digitized by Google

TIT. XXVII.

De usucapione pro donato.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXVIII.

De usucapione pro dote

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIX.

De usucapione pro hærede.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXX.

COMMUNIA DE USUcapionibus.

DECISIO Unica.

Temporis lapsus acceptum precium, retenta post scientiam vitiosa res excludunt redhibitoria remedia.

APpellanti, cum redhibitoriis remediis usus erat, præter scientiam vitii seu supinam ignorantiam etiam alia plura obstabant, cur audiri non deberet. Reperiebatur elapsum diu tempus istis præstitutum, nempe actioni redhibitoriæ semestre, actioni quanto minoris annus. (1) Unde præscriptionis exceptio vel replica competit. Deinde emptor, cum jam re vendita ejus vitium, si quod fuit, scire potuit, partem precii solverat, pro reliquo suppositis pignoribus satisfecerat. (2) Unde velut approbans vitium (3) excluditur à redihibitione. (4) Tandem retinuerat ipsam rem quam vitiosam arguebat, ea in operis suis ad commoda sua usus post usum demum redhibere aut quanto minoris agere volebat. (5) *In causa David Betken contra Wendelin Schildknecht, die 19. Januarii Anno* 1656.

1. *l. sciendum 19. §. fin. l. ædiles 38. pr. ff. de Ædil. Edict.*

2. Satisfactio talis pro solutione est, *l. satisfactio ff. de solut.*

3. *arg. l. 2. C. de his quæ vis metusve caus. l. 8. ff. de condict. ob turp. caus.*

4. *Caballin. tr. de Ædilit. c. 3. n.* 11.

5. Audiendus quidem est is qui de vitio querens retinere tamen vitiosum velit. *l. si tamen 48. ff. de Ædilit. Edict.* attamen retinens uti nequit amplius actione vel exceptione aliqua, qui eo ipso approbavit vitium & remedia remisit. *Mejer. in colleg. Argentin. lib. 21. tit. 1. thes. 19. in fin.*

TIT. XXXI.

De usucapione transformanda, & de sublata differentia rerum mancipi & nec mancipi.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXII.

DE ACQUIRENDA ET retinenda possessione.

DECISIO I.

Ex re possessa ad tempus relicta male infertur possessio derelicta.

APpellanti à decreto sequestrationis quæ in possessione ejus tempore reperta fuit, pro non admittenda appellatione à partibus appellati opposita fuit tum negatio possessionis, tum vitium ejusdem. Qua illam allegabatur immissum quidem aliquando ex causa crediti in feudum fratris appellantem, sed administratione & fructuum perceptione isti relicta, ex possessione abiisse, eamque fratri usque ad obitum vacuam mansisse, post illam demum istam occupatam at vitiose. Verum non sufficere videbantur hæc ad sequestrationem confirmandam, & de possessione excludendum appellantem, quam semel in feudum sibi oppignoratum velut ex secundo decreto immissum esse ex actis constabat ideoque possessionem adeptam dubio carebat. (1) Ex qua semel acceptæ possessio continuata & durare intelligitur. (2) Nec obest quod post immissionem appellans non mansit in prædio, fratri vero reditus reliquit, quando id non feciisse intelligitur animo deserendi possessionem, sed evitandi administrationis incommoda Animo potius retinuit, (3) & ex eo perinde est, ac si non decessisset, (4) quare mortuo fratre etiam jus fuit feudum ingrediendi, & judiciali immissione impetratam semel possessionem manutenendi. Non tantum enim corpore, sed etiam animo possidemus, quam diu hic durat etiam nobiscum manet possessio. Iste vero remanet, ubi nihil apparet. unde depositus appareat. (5) Placuit ideo etiamsi alia possessionis habitæ argumenta non proferrentur, tamen quam possediisse patebat in possessione reliquere donec lis cæpta esset peracta. *In causa vidua des Lands-Raths Iochim Morders, contra den Königl. Regierungs-Rath Simon Matthæi Rosenhand, die 23. Aprilis, Anno 1658.*

1. Immissiones in pignus ex causa crediti per consuetudinem Pomeraniæ vim secundi crediti habent ideo possessionem tribuunt.

2. Sine animo possessio non admittitur. *l. 3. §. in amittenda l. quemadmodum ff. de acquir. possess.*

3. Ani-

Digitized by Google

4. Animo retinetur possessio etsi alius actus possessorius non accesserit, *l. licet C. de acquir. possess. l. quamvis saltus ff. eod.* Eaque possessio quæ solo animo valet, prodest in interdicto retinendæ. *Fab. in Cod. lib. 7. tit. 4. def. 4. num. 12. Menoch. retin. remed. 3. num. 22.*

4. Possessione semel apprehensa non opus est possessorem continue in ea commorari, sed potest pro lubitu ab illa discedere & animus pro possessione est. *l. 3. §. salus l. clam. 6. §. qui ad nundinas ff. dict. tit.*

5. Qui olim possidet illum adhuc hodie possidere credimus. *l. sive possidetis ib. gloss. & Dd. C. de Probat. l. non ignoravit C. ad exhibend.* Nec enim animum possidendi quis deposuisse præsumitur. *Tiraquell. de Præsumpt. §. 1. gloss. 5. vers. Imo.*

DECISIO II.

Possessio nisi notorie injusta defenditur, donec super ejus injustitia pronunciatur.

QUod dici solet, injustam atque vitiosam possessionem in possessorio non proficere, (1) ex contractu nullo atque vitioso possessionem non quæri, (2) pertinet ad illam quæ notorie improba est, aut cujus titulus manifeste invalidus & injustus est. Quamdiu supereſt aliqua de ejus injustitia dubitatio multo magis si discepatio, minime est possessor è possessione dejiciendus; nec inutilis ipsi possessio, est, quæ præsumptionem juris pro ipso facit, (4) donec ab alio injustitia probabitur. Incongrua est, ubi de possessione tantum retinenda agitur, de ejus titulo justus sit nec ne, (5) quæ potius ad petitorium pertinet. (6) Frustra igitur pro exceptione appellatationis non devolutæ opponitur vitium possessionis, velut ex contractu simulato, ut quæ per decretum sequestrationis in possessione turbata erat appellans non audiretur. Quæ omnino defendenda fuit donec de jure possessionis lis finita est. (7) *In eadem causa.*

1. *c. fin. x. de restit. spoliat. c. licet. de Probat. Menoch. retin. possess. remed. 3. num. 726.*

2. *Lancellot. in tr. de Attentat. part. 2. c. 4. in præfat. n. 451. & seq. Hondeda. consil. 10. num. 3. seq. l. 1.*

3. *l. 1. C. si per vim. vel al. mod.*

4. *l. fin. C. de rei. vindic. ib. gloss. & Dd.*

5. Non refert circa hoc interdictum justa sit possessio an injusta. Qualiscunque enim possessor hoc ipso quod possessor est, plus juris habet, quam qui non possidet. *l. 2. ff. Uti possid.*

6. Hoc nisi liquidum seponitur & possessio defenditur. *l. incerti 3. C. de Interdict.*

7. *Menoch. recup. poss. remed. 1. num. 11. seq.*

DECISIO III.

Instrumentalis possessio non proficit à feudum successuro.

ANtiquior appellanti objiciebatur possessio at aliud ejus argumentum non proferebatur, quam quod in diplomate Regio per quod ipsi feudum in casum, quando aperiretur concessum erat, possessio simul tradita vel cessa diceretur. Est quidem talis clausula qua concedentem vel ab hac causam habentem effectus quidam insignis, ut ita accipiens facultate possessionem apprehendendi gaudeat. (1) At qua veritatem possessionis & qua alias minime inde quæritur possessio. (2) Solæ quippe literæ non sunt ad transferendam possessionem habiles, (3) sed hæc eget translatione atque apprehentione quadam reali. (4) Quæ considerata sunt *in eadem causa.*

1. Inde etsi alias instrumentum in possessorio parum operatur, in id tamen proficit, ut apprehensionem, & actus possessorios ut ut pendente lite factos ab attentatis excusat. *Mandos. in tr. de Inhib. quæst. 23. n 13. & quæst. 116. num. 2. Lancell. de Attent. part. 2. c. 4. limit. 1. n. 44. & 64.*

2. Verbis, Instrumentis & literis possessio, quæ facti est, non transferetur. *Contard. in l. un. part. 3. num. 270. C. si de mom. poss.*

3. Recte ideo JCti sentiunt, quod instrumentis possessio alio in possessione existente capta considerabilis non sit nec ullum jus tribuat. *Mascard. de Probat. conclus. 1148. n. 32. Mandos. dict. quæst. 116. num. 2. Afflict. decis. 375. n. 1. & seq.*

4. *l. 3. §. ff. de acquir. possess.*

DECISIO IV.

Possessio ex uno actu modo non vitioso inducitur & probatur.

IN possessione braxationis cerevisiæ se defendi petendi objiciebatur unum, & alterum actum saltem esse exercitum ac pertestes depositum. At in possessorio hoc nihil facere potuit, ubi unicus etiam actus modo non vitiosus, ad habendam & probandam possessionem sufficit. (1) Eum qui patitur alterum & sequentes durante lite tolerare cogitur, & qui probat defendendus est, (2) sic judicatum *in causa viduæ Eberhard Fischers contra der Brauer Compagneyzu Wolgast, die 12. Aprilis Anno 1659.*

1. *Mascard. de Probat. conclus. 1197. n. 9.*

2. Unico actu acquiritur possessio. *Beroi Consil. 13. num. 2. vol. 3.*

DECISIO. V.

Testes singulares de diversis actibus & tempore deponentes possessionem probant.

IN lite super possessione post attestata publicata præcipuum erat, quod testibus opponebatur, quod singulares videbantur, nec omnes de eodem actu nec eodem tempore deponerent. Id autem officere non potuit, cum constaret, omnes de possessione deponere. Singularitas de modo & tempore possidendi nihil demit testimoniis. (1) est enim possessio ex iis, ubi probatio in genere

Digitized by Google

nere sufficit. (2) In quibus testes singulares probant, quando deponunt diversim ea, ex quibus possessio constat, dummodo ipsam contineat depositio, (3) veluti si singuli alios actus possessorios testificantur, modo ita comparati sint, ut omnes immediate illam inferant. (4) Et licet circa tempus singulares sint, obesse non potest, dum tamen possessionem in quovis tempore repræsentant, (5) *In eadem causa.*

1. In causis possessoriis testes singulares sufficiunt. *Contard. in l. un. num. 30. Cod. si in mom. possess. Pinell. in l. 2. cap. 4. num. 27. Cod. de Rescind. vend.*

2. *Vid. Corneum consil. 247. numero 21. & seq. vol. 2.*

3. *Bald. in l. de quibus num. 38. ff. de Legib.* ubi dicit possessionem repræsentari in qualibet ejus specie. Ideoque qualiscunque ea sit genus probare.

4. *Ruin. consil. 44. num. 9. vol. 4.* ubi ait quæ finalem intentionem probant, pro iisdem habenda, licet ex se diversa sint. Unde licet in mediis testes singulares sint, in fine tamen convenientes, tales minime censendos esse.

5. *Gloss. & Bartol. in l. ob carmen §. testes ff. de Testib.*

DECISIO VI.

Clam non possidet, qui quidquam in conspectu omnium facit etsi ignaris omnibus.

POssessionem braxationis cerevisiæ ex obtentu actuum per quos eam probabat, defendenti opponebat exceptio clandestinitatis, seu clam & injuste illos processisse. (1) At cum in vulgus seu palam essent illi actus exerciti, non potuit ejus præsumptio capi, (2) maxime cum sic omnes comparati sint, ut non potuerint fieri remotis aliis & ignaris. Egerunt quippe pluribus ministris, quibus adhibitis clam factum haberi nequeat. (3) Nec si vicini observassent, potuerant illos latere. Sufficit in talibus, ut clandestini dici nequeant, non esse celatos actus ex quibus possessio infertur. (4) Non vero necesse est, ut à faciente manifestentur, aut ad id iis quorum interest acclametur. (5) Sibi imputent, qui non melius observarunt aut inquisiverunt, cum facile rescisere possent. Illi etiam pro scientibus habentur. (6) *In eadem causa.*

1. Habent clandestina contra se præsumptionem injustitiæ. *l. fin. ff. de rit. nupt l. non existimo 54. ff. de admin. tut. ideo* in possessoris retinendæ non proficiunt, *l. 1. ff. uti possid. l. 1 tot. tit. ff. quod vi aut clam.*

2. Clandestina non sunt, quæ palam fiunt. *Seraphin. privileg. 83. num. 54.*

3. Clam factum dicitur, quod fit omissis iis, quæ per consuetudinem requiruntur *Bartol. in l. 2. n. 2. C. de his quæ ex publ. ration.* Ideo ubi adhibiti sint, qui opificio adesse solent, nihil in facto clandestinum reputabitur.

4. Tunc demum clam fit, cum sic agitur, ut ad notitiam aliorum pervenire non possit. *l. intelligitur §. Tacite ibi Bartol. ff. de jur. fisc. Corset. in singular. verb. Occulte.*

5 Ita *in l. clam possidere 6. ff. de acquir. vel amitt. poss.* exponitur definitio possessionis clandestinæ. *Clam possidere dicimus, qui furtivè possessionem ingressus est ignorante eo quem sibi controversiam facturum esse suspicabatur, & ne faceret timebat.*

6. Paria sunt scire & scire posse *l. nec supina 6. l. pen. §. fin. de jur. & fact. ignor.*

Juxta hæc ita pronunciatum.

In Sachen der Brauer Compagney-Verwandten in Wollgast Appellanten wider Eberhard Fischers Witwen Appellatinnen in puncto deß Bier-Außspundens / wird erkannt / was Appellatinnen zu beweisen aufferleget / und angenommen / sie zur Nothdurfft beygebracht / demnach so lange / biß zu Recht von Appellanten auff eingebrachte gravamina ein und anders außgeführet / sie ungehindert / bey dem Brauwerck zu lassen / und das Außspunden ihr immittelst nicht zu verbieten sey / darauff dann das gebettene mandatum manutenentiæ ertheilt wird. Von Rechtswegen.

(Hoc est) in causa societatis braxatoriæ incorporatorum in Wollgast appellantium contra Eberhardi Fischers viduam appellatam in puncto promendæ cereviſiæ decernimus, illud quod appellata probare debuit, & suscepit sufficienter esse probatum, exinde tam diu donec ab appellantibus ad exhibita gravamina unum aut alterum deductum fuerit, illam in braxatione non turbandam nec in promendo interim impediendam esse, desuper petitum mandatum manutenentiæ concedimus. Idque de jure.

DECISIO VII.

Unicus actus semel adprobatus etsi liti causum præbet, tamen ad possessionem & victoriam in possessorio retinenda.

CUm de decimis ultra anteriorem consuetudinem auctis lis movebatur, & debitores cum semel istas majori quam antea quantitate solvissent, deinde controversiam faciebant, prima exsistebat quæstio, quid in possessorio judicandum, utrum pendente super jure augmenti lite, hæc an olim consueta pecunia præstanda esset. Dubitationem non levem movebat, quod semel tantum & unico actu major præstatio facta erat, deinde earum super jure augendi ad judicium itum non ex actu quæritur regulariter possessio. (1) Cæterum re diligentius expensa existimatum est, ad possessorium illum unicum actum sufficere, & ex eo quæsitam esse possessionem, quando consensu debitorum iste actus processerat, & non prius impugnatus, quam cum deinde exactio iteraretur. Ejusmodi actus etsi

Digitized by Google

etsi unicus, si quietus & aprobatus possessionem transfert, (2) & exorta deinde lite nihil innovari, (3) sed donec in petitorio de jure quæstio terminabitur, dominus decimarum exactione simili defendi & debitor ad eundem condemnari debet. (4) Est ea regulæ, ex unico actu possessionem non acquiri, ratio, quod iste de facto absque jure & sine voluntate alterius usurpatus creditur, (6) qui cessat, ubi consensus alterius actui accedit, & per illum iste comprobatur. Iste adsensus & obligat conscientem, & possessionem tribuit accipienti. (7) Quod porro sit, continuatio possessionis est. Quæ ubi sequitur ex unico actu, illa rectè quæsita intelligitur. (8) Talis actus allegatio movit, ut audirentur appellantes, cum de retinenda possessione contenderent. *In causa der Gräfflichen Königsmarckschen Beambte, contra die zehen Leuthe des Mittel und Borstell Kirchspiels, die 25. Ian. Anno 1660.*

1. *Bartol. in l. 1. §. hoc interdictum num. 1. ff. de itin. actuque privat. Guid. Pap. singul. 236.*

2. *l. 1. §. quæsitum ff. de acq. quot. & astiv. Alexand. cons. 74. num. 16. vol. 4. Mascard. de probat. concl. 1186. num. 9. & 12.*

3. *l. 1. l. 2. C. ut pend. lit.*

4. Ut res quæque se habet sub litis principio, ita servari debet, nec semel quiete cœptum continuans attentat, sed possessionem suam juste tuetur. *Lancell. de Attentat. part. 2. cap. 4. limit. 1. num. 4.*

5. *Eberhard. consil. 107. num. 10.*

6. *l. sicut. C. de obsig. & Act. c. quod semel de R. I. in 6.*

7. Similis in semel alium in se quid permittens ac alium in fundum suum ire sinens, cui acquiritur inde possessio.

8. Ita limitat illam regulam, de non quærenda ex uno actu possessione *Wesenbec. consil. 20. num. 6. lib. 1.*

DECISIO VIII.

Actus licet initio violentus, tamen ubi postea adprobatus ad possessionem acquirendam sufficit.

JUsta est de vi in possessorio retinendæ exceptio, (1) & ut violenta possessio nemini proficit, ita nec actus violentus ad illam acquirendam valere potest, (2) sed de vi agens vincat, non sufficit dicere, se ab alio coactum ad faciendum, quod alius in argumentum istam durare, (3) hoc est, id quod violenter factum esse arguitur, ab eo, qui vim passus, non comprobatum esse. (4) Ubi enim is, qui passus est, in actum consentit, hic consensus purgat metum & tollit vitium. (5) Nec tantum hoc oritur ex consensu expresso, seu tali facto, quod istum continet atque indicat, sed etiam ex silentio annali (9) intra annum & diem contra vim non intentatis legitimis remediis. *In eadem causa.*

1. Exceptio quod vi quis possideat perpetuo indictio retinendæ possessionis inest *l. 1. §. 5. ff. ut poss. sid.*

2. Nam cui denegatur id quod majus est, ei & id quod minus est denegatum esse intelligitur *An. Gramat. in dialect. legal. l. 2.*

3. Non videtur factum, quod non durat factum, quam Reg. Doctores fundant in *l. 4. §. 12. ff. de usucap.* cujus exempla sunt in promptu *vid. l. 4. ut in possess. legat. l. 2. §. 4. ff. Quib. ex caus. in possess. eat.*

4. Volenti non fit injuria *l. 187. ff. de Reg. jur.*

5. Quia remittens jus suum eo amplius uti non potest *l. 14. §. 9. ff. de Ædilit. Edict.*

6. Cum silentium annale consensui comparetur *vid. Ol. ad Tit. de succeff. Feud. §. Titius Wesenbec. 2. Consil. 54. num. 20.* & quisque sibi per illud tempus præjudicare solet. *Wesenbec. d. consil. 45. num. 24.*

DECISIO IX.

Actus violenti, ut & manifestè injusti in præjudicium vel detrimentum alicujus non faciunt possessionem.

INsurgebatur contra immunitatem Academicam ab hospitatione militari, tum aliis argumentis, tum & aliquo vehementiore ex possessione vel quasi istam imponendi, quod anteriore tempore cum Cæsareus miles in urbe hospitia habuerat, ista aliquoties membra Academica subierint. Eaque exempla erant nota. Haut vero ita comparata, ut possessionem seu talem facere possent, ex qua similia & nunc imponenda atque sustinenda essent. Primo enim actus isti fuerunt violenti atque coacti ex injuria militari orti, qui possessionem non inducunt. (1) Deinde erant plane injusti atque immunitati, quam Professoribus Academiarum lex tribuit, contrarii, qui legi prævalere nequeunt. Plus quippe valet lex non abrogata, quam consuetudo contraria. (2) Non oritur possessio ex actibus injustis atque improbis. (3) *In causa Senatus Griphiswaldensis contra Academiæ Professores, die 10. Ianuarii, Anno 1660.*

1. *Menoch. de Præsumpt. lib. 6. præf. 41. num. 17. Cephal. consil. 441. num. 36.*

2. *l. 2. C. quæsit long. Consuet.*

3. Sunt enim in valde odiosi *Vult. 3. consil. Marpurg. 22. num. 28.*

DECISIO X.

Cessio licet à Principe facta non transfert possessionem, nisi quam ille habet vacuam.

CIrcà mandata manutenentiæ, quod litigantium alter impetraverat, ut in possessorio retinendæ dubitationem aliquam movebat illum esse cessionarium Regii Regiminis, quod Regis ut Ducis Bremen-

lis

Digitized by Google

sis atque Verdensis vice regis provinciam, a quo in satisfactionem pro occupato per castrum loco vicissim cessus erat cum omni jure fundus de cujus possessione contendebatur. Etsi enim alias nuda rei cessio, (1) ut ut omnis juris, (2) etiam nominatim possessionis cum facultate istam apprehendendi non transfert possessionem, (3) attamen eum effectum sortiri videbatur, ubi à Principe facta fuerat. (4) Verum quod de jure Principum circa possessionis sine traditione translationem traditur, ita est accipiendum, primo si Principes ipsi possident, (5) cum nec quod illi non habent, transferre possint. Deinde si & vacua sit possessio. Nam nec illam præstare possunt ulla cessione nuda. (6) Tertio etiam salvo jure in re aliorum accipienda est. (7) Quæ cum omnia in hac specie deessent, & singula sufficerent, ut possessio ex cessione Principis quæsita non haberetur, (8) nihil quoque id, quod alias æquum remorata est. *In causa Iobst Caspar Klincken & Consortum contra Elerdglander, die 26. Aprilis. Anno 1661.*

1. Actionem quidem & jus petendi judicis officium nuda cessio transfert. *Bald. consil. 436. lib. 3.* at minime sine conditione & apprehensione possessionis *Natta d. consil. 398. per tot.*

2. Possessio juris nomine quidem venit, sed ab uno ad alium sine facto non transfit *Natta d. consil. 398. num. 10.*

3. Hæc quidem facultatem apprehendendi confert, non ipsam apprehensionem *Natta d. Consil. 398. num. 35.*

4. *Ita limitat sententiam illam Natta d. cons. 398. num. 21. & 27. Afflict. decis. 299. n. 25.*

5. De hoc jure Principum, quod ex solo cum iis contractu dominium transeat *vid. Gail 2. observ. 55. n. 6. & seq.*

6. Illa regula, quod nemo plus juris in alium transferre possit, quam ipse habet in naturali jure & ratione fundata etiam ad Principem pertinet.

7. Princeps possessionem quidem alii traditam velle potest, sed non alii eripere & dejicere, nec id voluisse præsumitur.

8. Princeps jus suum nemini auferre potest, nisi ob publicam necessitatem *Gail. 2. observ. 56. num. 1. & seq.*

DECISIO IX.

Constitutarius possessionem propria autoritate invito detentore occupare non debet.

ETsi ex constituto non minus quam ex reali traditione possessio ab eo, qui constituit alieno nomine possidere in constitutarium transfertur, (1) nec tantum civilis, sed etiam naturalis, (2) inde etiam quæritur facultas propria autoritate possessionem invadendi, (3) haud tamen aliter quam si eadem vacet, (4) aliusve quisquam in possessionem non sit. (5) Hunc invitum & reluctantem expellendi adeoque tunc occupandi non est jus atque potestas. (6) Cum enim expresso pacto ea sic tribui non possit, ut contra possessorem exerceatur, nedum tacite ex constituti conventione sequitur, in qua tantum fictitius possessionem transferendi modus existit. (7) Nec modo contra tertium detentorem illicita est istiusmodi occupatio, sed etiam contra illum ipsum qui constituit. (8) Non enim in eo spectatur jus constitutarii, ex quo contra illum prævalere potest, (9) sed illicitum factum, ex quo non tantum suo potiri, sed etiam suum amittere debet. (10) Quanto minus itaque defendi potest, si qui constituit, causam contradicendi habet, eamque talem, quæ aut occupantis jus facit dubium aut constituentis potentius. (11) Sicuti in ea quæ occurrebat specie negabatur jus constitutario tale, ut occupare juste posset, & vicissim à detinente allegabatur quod illo potius erat, (12) ideo indaginem alteriorem requirebat. (13) Accedebat quod circa constitutum expresse reperiebatur conventum, ut autoritate judiciali possessio obtineretur; brevi tamen processu & levato velo. *In causa Dieterich Garlip contra Daniel Horns Wittwe und ihre Cessionarien die Neukirchische Erben. die 1. Octob. Anno 1657.*

1. *l. quod meo 18. ff. de acquir. possess.*

2. *Ita habet Communis Iterum sententia.*

3. Possessioni tam civili quam naturali hæc apprehensionis facultas adjecit *l. sed id. quod 25. §. l. peregre 44. §. ult. ff. de acquir. vel. e. amit. poss.*

4. *Ita declarat & limitat Faber. Cod. l. 7. tit. 7. defin. 18.*

5. *l. si ex stipulatione 5. ff. de acquir. vel amitt. possess.*

6. *l. 3. ib. Dd. omnes C. de Pignorib.*

7. Ita ab JCtis vocatur, quia deest quod in vero acquirendi modo necessarium, nempe cum animo corpus. *l. quemadmodum 8. ff. de acquir. vel am. poss.*

8. *Ita Faber tradit. dict. defin. 18. num. 3. & 4.*

9. Possessio facti magis est, quam juris *l. 1. §. si vir uxori ff. d. acq. vel amitt. p. l. 1, §. Schævola ff. si quis testam. l. eff. jus.*

10. *l. exstat. 13. ff. quod vi met. c. l. si quis intantum 8. C. unde vi.*

11. De dubiis nemo sibimet ipsi jus dicere, sed ad judicem ire debet. *l. non est singulis ff. de R. I.*

12. Non defenditur ut injusta possessio contra eum qui jure potior est. *l. 2 seq. ff. uti possid.*

13. *Vide in decisione sequenti.*

DECISIO XII.

Referuntur causæ plures, ex quibus constituens se defendere potest contra constitutarium possessionem sibi asserentem.

CUm maritus acepta mutua pecunia feudum obligasset, & uxor in pignus consensisset suisque juribus renunciasset, uterque conjux autem constituissent creditorem possessorem, seque ejus nomine possidere velle, post mortem autem mariti elapso multo tempore creditor possessionem

Digitized by Google

sionem, in qua uxor dotis nomine jus retentionis asserebat, occupasset, & in ea defendi vellet, postquam petitionem illam judex prioris instantiæ, ipsum vero ad ordinarium judicium rejecerat, interim prohibita adversus detentorem turbatione, non tantum nihil causæ repertum, cur appellatio admitteretur, sed multum, cur appellantis iniqua esset petitio, & causa in eo statu non habenda, ut statim constituens cederet possessione, quam ex jure retentionis defendebat. Primo enim fœmina eo tempore quo constitutum cum marito fecerat non possidebat, sed tantum jure familiaritatis cum marito in eadem domo ex vinculo conjugali commorabatur, adeoque non erat penes ipsam possessio, (1) quæ constitui non potuit, ex quo constitutum nullum est, (2) ideoque nec ejus effectus quidam est qua ejectionem alterius. Deinde fœmina postquam cum titulum cum marito vivo fecerat, diu post illo mortuo alio jure bona mariti retinere cæpit, nempe pro securitate dotis aliorumque illatorum, (3) quæ juxta nobilium Privilegia in Pomerania ante omnes creditores ex bonis mariti debentur. Nec potuit ad illam quæ postea demum quæsita est & contigit retentionem constitutum referri. Etsi enim si debitor, qui constituit, postea sit possessor, constituario eadem possessio quæsita intelligitur, (4) qua tertium tamen secus est, etsi à debitore quoque jus habet. (5) Tertio ex potiore tertii jure desinit vis constituti, veluti si alius creditor magis privilegiatus teneat, quam ille, pro quo debitor constituit. (6) Quarto ex cessante qua mulierem causa constituti, & ipsum cessabat nec effectum amplius habet. (7) Nam mulieris promissio oriebatur ex remissione pignoris dotis, quæ non ultra tenet, quam si alia bona supersunt, unde dos servari poterit. (8) Quibus deficientibus remissio pignoris, & ideo ejus nomine factum constitutum inutile est. (9) Quocirca quintò, cum pro explorando tum pignoris jure, tum bonorum sufficientia opus sit discussione tum juris utriusque partis, tum etiam facultatum mariti eo usq; effectus constituti suspendendus est. (10) Sexto longum etiam tempus elapsum erat, intra quod de avocanda possessione nihil egerat constituarius. Decennium jam à tempore constituti dudum præterfluxerat. (11) Tandem quod feudum erat, de cujus possessione agebatur, non parum movit. Etsi enim etiam hujus possessio per constitutum transferri potest. (12) Haud tamen aliter præsertim ex jure crediti atque pignoris, quam cum consensu domini (13) quo sine nulla feudi alienatio, oppignoratio aut possessionis translatio valet. (14) Quem in præsenti casu petitum, at non subsecutum esse apparebat.

In eadem causa.

1. *l. qui jure 41. ff. de acquir. possess.*

2. Non potest quis transferre possessionem in alium quam ipsemet non habet. *l. quamvis §. 1. ib. gloss. & Dd. ff. de acquir. possess. arg. l. nemo plus juris 54. ff. de R. I.*

3. Mulier quæ marito vivo familiaritatis jure in bonis ejus moratur, post mortem pignoris jure retinere incipit, neque ita causam tenendi mutat, sed potius vere possidere incipit. *l. quibona 19. l. si aliquem 28. ff. de acquir. possess. Faber. in Cod. lib. 7. tit. 7. defin. 31. num. 9.*

4. *Vid. Tiraquell. in tr. de constit. Possess. part. 3. limit. 1. num. 20.*

5. *Ita declarat Tiraquell. dict. loc. & Fab. in Cod. dict. lib. 7. tit. 7. defin. 20.*

6. *Faber in Cod. lib. 7. dict. tit. 7. defin. 20. in fin. in not. sub num. 7.*

7. *Tiraquell. in tr. de Jure constit. part. 3. limit. 29.*

8. *l. jubemus 21. C. ad SC. Vellejan. l. un. §. & cum Lex Iulia 15. C. de rei uxor. act.*

9. Certo respectu tantum licita & firma, tum eo desinunt.

10. Ante finitam discussionem in audiris aliis creditoribus non manutenendus est creditor juxta *l. uls. C. de Acquir. possess.* ex clausula constituti possessionem condicens. *Fab. in Cod. d. tit. 7. defin. 34. num. 1. in print.*

11. Intra decennium à tempore constituti possessionem realem non accipiens, remisisse intelligitur, nec ex eo ultra juvatur. *uti prolixe confirmat & explicat Tiraquell. in dict. tract. part. 3. limitat. 21. & seq.*

12. *Uti confirmat Tiraquell. in d. tract. part. 2. ampliat. 36.*

13. *Afflict. in c. 1. quid sit mvest. Chinff. consil. 7. & 8.*

14. *c. un. de prohib. feud. alienat.*

DECISIO XIII.

Ex contractu vitioso & nullo qua effectus juris non transfertur possessio.

TRanslata possessione apparuit titulum translationis nullum & vitiosum esse, alienatione ab eo facta cui ejus potestas non erat, inde quæstio nascebatur, an nihilominus qui acceperat pro possessore habendus erat? Et licet initio ita videri posset, quod possessio non juris, sed facti est (1) inque ea non jus sed factum spectatur: (2) attamen, ubi non nudum detentionis factum considerandum, sed juris effectus, minime proficere potest, (3) nec ex contractu nullo possessio consequi. (4) Quod aliqui secus statuunt, (5) ideo tantum pertinet, ut donec de vitio possessionis apparet, detentor defendatur, ideo non notorie vitiosæ possessioni, sed dubiæ applicatum sit, (6) ita vero ut postquam nota sit contractus nullitas vel vitium, non amplius juris effectibus potiatur. Juxta quod decretum, die 3. Novembr. Anno 1657.

1. *l. 1. §. scævola ff. si is qui testam. lib.*

2. *l. denique 29. ff. ex quib. caus. major. l. 5 cum qui ff. de Donat. inter vir. & uxor.*

3. *l.*

3. *l. 1. §. fin. utipossid.*

4. Ita communis habet] Ctorum sententia, per contractus, quibus lex resistit, non transferri possessionem. *Bartol. in l. non dubium num. 27. Bald. n. 18. C. de Legib. Iason. in l. 1. § sivir uxori num. 26. & seq. ff. de Acquir. possess.* quæ probatur textu *l. jubemus null. in fin. verb. possessionem Ecclesiasticam tanquam nullo jure transcriptam, plane in jure ejus atque dominio permanere. C. de SS. Eccles. Cujus ratio manifesta.* Quod enim jure nullum est, ejus quoque nullus est effectus seu *ut Hondeda consil. 24. num. 56. vol. 2. habet.* Qui se contrahendo obligare non potest, qui tradere potest?

5. *Gabriel. 36. num. 22. vol. 1. Molinæ consil. 17. n. 26. & alii.*

6. Sic dictione non improbabili utramque sententiam conciliat Rodoan. *in tr. de reb. Eccles. non alienand. rub. de Authorit. num. 23. fol. 228.*

DECISIO XIV.

Liberandus ab actione non tenetur, oblata cautione licet ideoneâ, cedere bonorum, ex quibus liberatio fieri debet, possessione.

CUm ex jure Equestri Ducatus Bremensis defuncti filiæ & sorores teneantur agnatis relinquere bona avita, sed ita ut deducto prius ære alieno residui justa æstimatio præstetur, (1) in quæstionem venit, an hâc oblatæ filiæ vel sorores decedere teneantur bonis, antequam exsoluta sint parentum seu fratrum debita, aut alio modo liberatio ipsis evenerit, si agnati sufficientem de illis liberando cautionem præstare velint? Multum interest filiarum & sororum dissolvi debita aut satisfieri creditoribus, tum quia ad famam & existimationem defuncti spectat, tum quod liberatione non facta ipsæ creditoribus manent obnoxiæ (2) in quorum arbitrio est, utrum filias & sorores, ut hæredes, convenire velint, an agnatos. (3) Etsi vel contra illas nisi in subsidium non daretur actio, tamen in periculo futuræ sunt, Quia autem nemo cautioni, quæ res fragilis est, se committere tenetur, nec periculose & sua subdere, (4) quin potius cujusvis justa est petitio, ut sibi quam optimè cautum sit, præterea plus cautionis est in re quam in persona, (5) ideo & plus cautum si rem habeamus, quam si contra alios agere opus sit, (6) cujus dubius semper est eventus, (7) magna molestia & non levis impensa, præterea metuendus in debitore lapsus facultatum, (8) existimatum est nemini invito injungendum, ut decedat possessione antequam liberetur, (9) & securus sit de non sentiendo damno & incommodo. (10) Deberur id filiabus & sororibus ab agnato, ideo præstare debet nec potest cautionem pro illo obtrudere, hoc est conditionem deteriorem reddere, quod cuiquam non licet. (11) Sic existimatum est *in causa Margarethæ Brummers & Consortum contra Ioannem Brummern, die 15. Septembr. Anno 1653.*

1. *Vid.* das Bremische Richter-Recht *tit. 2. §.* Konten sie sich aber.

2. Hæredes enim fiunt, acceptando æstimationem, quo ipso se immiscent bonis, *l. pro hærede 20. ff. de acquir. hared.* ideo inde sunt obnoxiæ debitis *§. 1. Instit. de oblig. quæ ex quas. contr.*

3. Creditorum petitiones debitorum conventione tolli aut mutari nequeunt, *l. creditorum 25. C. de Pact.* nec etiam auferri jus quod habent in omnia bona. Etsi etiam receperit agnatus solutionem debiti, tamen si non consensit creditor, non liberatur hæres. Nec enim invito alius obtrudi potest debitor. *l. 1. C. d. novat.*

4. *l. cogi §. idem quærit. l. qui ita §. 1. ff. ad SC. Trebell.*

5. *l. plus cautionis 25. ff. de Regul. jur.*

6. *l. eum §. 1. ff. de Transact.*

7. Litis eventus semper est dubius. *l. quod debetur ff. d. Pecul.*

8. Inopia sæpe excludit actionem, *l. nam is 6. ff. de dol. mal.*

9. Possessionis commodum nulli auferri debet. *§. commodum Instit. de Interdict. l. is qui 24. ff. de rei vendit.*

10. Aliud enim pro alio invito creditori obtrudi nequit, *l. eum à quo 16. C. de solut.*

11. Alteri per alterum iniqua conditio inferri non debet, *l. non debet 55. ff. de Reg. Jur.*

DECISIO XV.

Non est jus prohibendi, ne subditi ad alia eant molendina, visi vel nunquam antea fecerint suumque tantum longiss. tempore visitaverint.

VIsitare molendina actus meræ facultatis est, in quo per naturalem libertatem cuique relictum est, quod expedire videtur ac placet, (1) ideo nec per nudam visitationem molendini alicujus continuam, etsi per aliquot secula continuatam præscribitur contra libertatem, (2) nec prohiberi potest à Domino, ne subditi sui eant ad aliud quoddam molendinum. (3) Deficit enim jus restringendi eam libertatem, (4) nisi accedit causa per quam tale jus prohibendi legitimè quæsitum sit, veluti si aut lege publica provinciæ vel civitatis sic constitutum, (5) vel consuetudine inveteratâ introductum, (6) vel conventione sic complacitum, (7) vel præscriptione longissimi temporis jus prohibendi acquisitum, (8) vel denique ex injuriâ atque malitia jus coercendi præbitum. (9) Facere id Jus Regum seu Imperii, ut subditi in molendinis dominorum molere cogantur alienum est, & à jure communi, quod nunquam inter regalia seu Imperii Jura id retulit, (10) & à consuetudine Germa-

Digitized by Google

niæ generali, (11) & à moribus provinciæ ſpecialibus, (12) & à ratione, quæ nec ſuperioribus permittit coercitionem ſine delicto, aut coactionem ſine jure aut coarctionem libertatis ſine neceſſitate Reipubl. (13) Non illuc pertingit jus Imperii, ut lucri cujusdam gratia liceat ſubditis libertatem auferre, (14) nec fides & obſequium ſuperiori debitum, ut non liceat libertate uti. (15) Quando itaque civitas à prohibitione civi ſuo factâ appellavit, nec apparuit cauſa aliqua jus prohibendi docens, aut ſi foret in ulteriori proceſſu diſcutienda, interim pro libertate ſtatuendum erat, (16) decreti ſunt proceſſus die 21. Sept. Anno 1653. *in cauſa civitatis Stetinenſis contra Petrum Hanſon Quæſtorem Regium.*

1. Ita communiter JCti docent. *vid. ſcripta à Iaſon. in l. quominus n. 156. ff. de flum. Kopp. dec. 19. per tot. Hartman. Piſtor. obſerv. 200. Rauchbar. part. 1. q. 27. num. 1.*

2. Actibus meræ facultatis nullo unquam tempore ut ut immemoriali præſcribitur nec per eos quæritur jus, *l. Proculus ff. de damn. infect. l. quæ de jure ff. de acq. poſſeſſ. Crav. de Antiq. temp. part. 4. ſect. Materia ſta n. 98. ſeq. Balb. in tract. de Præſcript. 4. part. 5. part. princip. q. 5. per tot.*

3. Etiamſi ſubditi per mille annos iverint ad molendinum aliquod, non quæritur inde jus aut molitori; *Teſſ. dec. 16. num. 2.* aut ad prohibendum domino: *Koppen. d. deciſ. 19. num. 6.*

4. Ex actu meræ facultatis & voluntario nec obligatio nec quaſi poſſeſſio alicui quæritur, *l. Lucius 88. §. teſtator, 3. ff. de Legat. 2. l. 2. § l. & habet. 15. ff. de Precar. l. 2. ibid. Dd. ff. de Via Publ.*

5. Lege, quæ domino hominum & rerum eſt, *l. 2. ff. de Leg.* libertas reſtringitur, §. 1. *Inſt. de Stat. dom.*

6. Conſuetudo vim Legis habet *l. dint. 32. ff. de leg.*

7. Permiſſum cuique juri ſuo & libertati renunciare, *l. pen. C. de Pactis*, de quo pactum omnino ſervare convenit, *l. 1. §. ſi conveniat ff. depoſit.* Id pactum valere ait *Koppen. dict. deciſ. 10. num. 13.*

8. Ex actibus voluntariis non admittitur libertas ſed ex coactis, cum accedit patientia: Per prohibitionem & patientiam inducitur quaſi poſſeſſio, quæ ſi per longiſſimum tempus durat, acquiritur jus prohibendi, *uti docet Koppen. d. deciſ. 19. n. 19.* Is modus eſt acquirendi Jura negativa.

9. Cum non pro conſervanda libertate aut ubi intereſt, ſed meræ malitia animo dominum offendendi, vel nocendi aut inimicis ejus proficiendi iturad alia molendina ob injuriam æqua fit prohibitio. *Kopp. dec. 19. num. 10.* Nam licet in ſuo aliquid in æmulationem vicini, nedum ſuperioris facere licet, *l. 1. §. denique Marcell. ff. de aq. pluv. arcend. l. opus ortum 1. ff. de oper. publ.*

10. Ex ore eorum, quibus cum ratio non eſt, jus Imperii facere ſolitum, auditur ſæpe Regium & Principum id jus eſſe; ſed in jure ſcripto nullus de eo apex reperitur, ſine quo ſubditis eam ſervitutem imponere tam injuſtum quam juri contrarium libertatem ſine neceſſitate auferre.

11. De Germaniæ conſuetudine teſtantur *Kopp. & Hartman. Piſtor. dict. loc.* & notoria eſt ubique.

12. In Pomerania receptum nunquam eſt id jus cogendi ſubditos, nequidem in molendinis ad principem pertinentibus, cum inter Præfectum Treptovienſem, & civitatem de eo quæſtio in judicio eſſet cœpta; mandatum ipſi negatum fuit.

13. Regulariter & extra caſum neceſſitatis voluntas ac facultas jurisdictioni non ſubeſt, *l. nemo 15. Dd. ff. de Pact.*

14. In confirmatione privilegiorum continetur quod libertates, & conſuetudines ſubditis ſervari debent, id quod & alias incumbit dominis *Bald. in Cod. 1. num. 8. Quali Dom. propr. feud. priv.*

15. *l. cum ſatis §. convenit. Cod. de Agric. & cenſit.*

16. In dubio præſumitur libertas naturalis manſiſſe, & pro eâ concluditur ac judicatur, *l. inter pares ff. de re jud. c. ult. x. eod. Chaſſana. in conſuet. Burgund. rub. 1. §. 4. verb. & ſur. les hommes n. 6. Betrand. conſil. 200. num. 12. vol. 3.*

DECISIO XVI.

Poſſeſſio animo ſolo non retinetur, ſicut nec recuperatur ſemel derelicta.

QUi pendente lite ſemet in poſſeſſione vel quaſi defendi rogabat, duabus ex cauſis id impetrare non poterat; Primo, quia quod retinere ſatagebat, ita comparatum erat, ut ante finitam litem iſtam habere non deberet, quia nempe ſuſpenſus ab officio ſimul ab iis quæ deſiderabat, ſuſpenſus eſſe debuit. (1) Deinde quod poſſeſſionem ſponte deliquerat. (2) Fruſtra obtendit animo retentam eſſe poſſeſſionem, qui ſemel ſponte ab illa diſcedit. (3) Etſi enim ſolo animo retinetur poſſeſſio, (4) ideo qui corpore tantum amiſit ad illam regredi, aut remediis retinendæ poſſeſſionis experiri poteſt, (5) tamen ita niſi ſemel penitus dereliquit. (6) Quo ipſo animus deſiit, (7) nec magis ille iterum aſſumi poteſt, quam voluntate ſuâ amiſſa poſſeſſione recuperari. (8) Derectionis vero argumentum ſufficiens eſt, ſi quis ſuſpenſus ab officio non ab illo ſaltem, ſed ab ejus emolumentis ſtatim, quia excludi metuebatur, abſtinuit, nec aliquamdiu uſus eſt. (9) Multo magis ſi cum uti iterum vellet, prohibitus ad aliquod tempus acquievit. (10) Quando itaque gravamina eorum, qui à mandatis poſſeſſionem reſtituentibus appellaverunt, ut relevantia ſunt recepta, per eas quæ ex actis deprehendebantur circumſtantias viſum ſub obtentu poſſeſſionis appellatione pendente reſtitutionem eſſe faciendam *in cauſa Senatus Verdenſis, contra Frantz Panning, die 30 Ianuarii, Anno 1655.*

1. *De hoc inter Deciſiones noſtras alibi videbis nempe part. 1. deciſ. 191.*

2. *l. 1. l. 2. ff. pro derelict.*

3. Neglectus poſſeſſionis ejus amittendi cauſa eſt. *l. ſi de eo fundo 40. §. 1. ff. de acquir. poſſeſſ.* & quidem etiam ſi ea de cauſa fiet, quod timetur repulſa, ſi quis iſtam continuare velit, *l. ſi id quod 25. §. 1. ff. eod.*

Digitized by Google

4. *l. 3. §. sed etsi 7. l. peregre 44. §. fin. l. seq. ff. eod.*
5. *l. clam. 6. l. seq. ff. eod.*
6. Secus est si certis tantum temporibus. *d. l. 3. §. alius 11. ff. eod.*
7. In possessione amittenda affectio ejus qui possidet, intuenda est, *l. 3. §. in amittenda 6. ff. eod.*
8. *l. si. quis vi 17. ff. eod.*
9. *d. l. 3. §. si quis nunciat. 8. l. & si nolit. 7 ff. eod.*
10. *l. clam. 6. §. 1. l. si id quod 25. §. 1. ff. de acquir. possess. l. 1. §. sive autem 24. ff. quod vi aut clam.*

Super his sic pronunciatum.

In Sachen Burgermeister und Rath der Alten Stadt Behrden Appellanten eins / wider Franz Panningen Appellaten andern Theils in puncto der freyen Rühe-weide / werden die verschiedene eingewendte appellationes der Formalien halber vor beständig / auch in materialibus der Erheblichkeit zu seyn angesehen / daß sie zu fernerer Außführung zu verstatten seynd / als ist dem Appellaten vom libello justificatorio Copey erkannt / und soll derselbe darauf litem zu contestiren / und proxima rechtlicher Ordnung nach zu antworten schuldig seyn. Immittelst aber dessen was dem Rechts-Ampt angehörig nicht nießhafft. V. R. W.

(Hoc est) in causa Consulum & Senatûs veteris civitatis Verdæ appellantium ex una contra Franciscum Panningen appellatum ex alterâ partibus in puncto liberi pascui, diversas interpositas appellationes ratione formalium justificatas, ac in materialibus ita relevantes censemus, ut ad ulteriorem deductionem admittendæ sint, proinde appellato copiam libelli justificatorii decernimus, & ut desuper litem contestator ac in proxima debite respondeat injungimus. Idque de jure.

DECISIO XVII.

Similitudo conditionis simile quidem jus, sed non similem possessionem tribuit.

IN lite inter Ministros Regios & Senatum Urbanum super potestate braxandi cerevisiam exorta, cum ejus exercitium aliquibus adjudicatum esset, alius idem obtendebat, siquidem de solo jure res fuisset, utique sic decernere æquitas exegisset. (1) At quando pendente adhuc super jure litigio, de possessione interea non relinquenda, sed permittenda quæstio erat, cum quâ hanc dispar reperiebatur supplicamis à cæteris conditio, (2) nempe quia nondum possessionem suam edocuisset, utique idem tribuere ratio non sivit. (3) Circa possessionem enim non jus sed factum spectatur, (4) & ille saltem defenditur qui se possidere ostendit, inde nec sententia in possessoriis alii proficit, etsi in cæteris quibusque cum ipso alias omnia sunt eadem. (5) Sic decretum *ad Supplicationem Iohannis Tessuten, contra Bürgermeister und Rath zu Wollgast, die 14 Novemb. Anno 2654.*

1. Similium similis jus esse, *l. fin. C. de Inoffic. donat.* & similia eadem lege determinare oportet, *l. quoniam 4. C. de Natur. lib.*
2. Quatenus inter similia exoritur quædam differentia, fit juris dissimilitudo, *l. cum post. 69. §. gener. ff. de jur. dot.*
3. Possessionis multa sunt commoda & prærogativæ. Semper prævalet possessor, *l. 5. ff. si usufr. pet.* & melioris conditionis est, *c. 6. c. x. de Præscript.* etiam in pari causa, *c. in praxi x. de R. I. in 6.*
4. Possessio facti est, *l. possessionem 29. ff. de acquir. possess.*
5. *l. 2. tot. tit. C. quib. res judic. non noc.*

TIT. XXXIII.

DE PRÆSCRIPTIONE longi temporis id est Decem vel viginti Annorum.

DECISIO I.

Quod intra triginta annos non petitum postea sub allegatione tituli, & bonæ fidei juste retinetur.

CUm qui horologiam per triginta annos se tenuisse dicebat, allegaret titulum emptionis bonamque fidem, & adversarius emptionem quidem, non autem tempus possessionis negaret, pro reo possessionem tricennalem allegante pronunciandum fuit, (1) utut allegatus titulus non probaretur, nec alias ex actis constaret, sed sola allegatione rei niteretur, (2) quando quidem præscriptio procedit etiam sine titulo, (3) ideo ejus probatio supervacua. Præterea ex ipsa mor præsumitur justus titulus ac bona fides, (4) nec præscriptionem longissimi temporis opponens præter hujus probationem ad alia tenetur. Ista autem ex silentio rei relevatur, cum id in judicio pro confessione sit. (5) Sic judicatum *in causa D. Iohann Sibrandt hæredum, contra D. Casparum Wilcken, die 2. April. Anno 1658.*

1. *l. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*
2. Allegato solum titulo & præscriptione probata actio omnis extinguitur, & plenissima securitas acquiritur. *c. 1. de Præscript. in 6. Covarr. c. possessor. part. 2. de Reg. Iur. Vasq. illustr. controvers. lib. 2. cap 58. num. 12.*
3. Jure civili sine titulo & bona fide procedit præscriptio longissimi temporis. Jure Canonico secus est, & hoc etiam in terris Imperii servari communis est sententia. At per id non est opus probatione titulis ut bonæ fidei, sed ex lapsu tanti temporis præsumitur donec contrarium probatur. *Col. ad c. ult. num. 39. x. de Præscript. Heig. part. 1. quæst. 16. num. 55.*
4. Præsumptio juris liberat à probatione *l. fin. ff. quod vi vel met.*
5. *Wesenbec. in Paratitl. C. de Confess.*

DECI-

Digitized by Google

4. Præsumptio juris liberat à probatione *l. fin. ff. quod vi vel met.*

2. *Wesenbec. in Paratil. Cod. de Confess.*

DECISIO II.

Præscriptio vindicationem excludens non liberat à probatione solutionis precii.

POsſeſſor rei poſt lapſum temporis longiſſimi oppoſita præſcriptionis exceptione allegabat juxtim ante triginta annos rem ex emptione ad ſe perveniſſe. Si nihil ultra addidiſſet, dubio caruit etiam contra actionem empti de pretio potuiſſe per idem tempus ſecurum eſſe. (1) At quando proferebat ſe pretium ante vicennium fere ſolviſſe, id vero adverſa pars negabat, opus fuit non obſtante illa præſcriptione, (2) ſolutionem quæ facti eſt, (3) probare, quod tantum temporis nondum elapſum fuerat ut procii petitionem excluderet fatente reo tempore contractus & diu poſt non fuiſſe ſolutum. (4) *In eadem cauſa.*

1. Præſcriptio enim longiſſimi temporis omnem actionem excludit. *l. omnes 3. C. de Præſcript. 30. vel 40. annorum.*

2. Hæc ſtrictijuris eſt nec extendenda ultra ea, quæ certam poſſeſſionem vel quaſi habuerunt, aut negligentiam tanti temporis atque requiritur arguunt.

3. *l. conſilio 7. §. quæſitum 3. ff. de Curat. Furioſ.*

4. Præſcriptio non eſt niſi eorum de quibus non fuiſſe intra ejus tempora actum dictumve conſtat.

Secundum hæcita pronunciatum.

In Sachen Doct. Johannis Siebrands Erben Kläger / wider D. Caſparum Wilcken Beklagten / in puncto vindicationis einer Schlaguhr / wird erkannt / daß Beklagter à rei vindicatione zu entbinden / dagegen aber die Abſtattung der 30. Fl. 16. ß. ſo auff den Kauff geſchehen ſeyn ſoll / beſſer zu erweiſen / oder nochmahlen zu entrichten ſchuldig / Immaſſen dann deßwegen / wie auch der übrigen Forderung halber allen Theilen die Nothdurfft vorbehalten wird / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 26. April Anno 1658.

(Hoc eſt)

In cauſa Doct. Joannis Sibrand hæredum actorum contra D. Caſparum Wilcken reum in puncto vindicationis horologii decernimus, quod reus à rei vindicatione abſolvendus econtra vero ſolutio 30. flor. 16. ſolid. quæ in defalcationem pretii facta dicitur melius docenda vel adhuc ſemel facienda, prout propterea ut & ratione ulteriorum prætenſionum omnibus partibus neceſſaria reſervamus, idque de jure. Publicatum in ſummo Tribunali Wimariæ 26. April. Anno 1658.

DECISIO III.

Mulieris actionem ad vindicandam hypothecam, quæ cum ipſius conſenſu alinata fuit, excludit præſcriptio.

ETſi, cum maritus facultatibus labitur, mulieri redit quaſi in priſtinam ſtatum actio contra hypothecam non obſtante renunciatione ejus cum qua alienata fuit, tamē etiam intra juſta tempora iſta uti debet. (1) Siquidem ab eo tempore, quo dos repetenda fuit, per longum tempus mulier contra bonæ fidei emptorem actionem non moverit, poſtea non audietur. Qua in re mulieri nullum eſt privilegium, (3) præſertim ubi inſignis ejus negligentia acceſſit, quod ſi vigilaſſet, ex alijs bonis mariti ſuum recipere potuiſſet; (4) Multo magis ſi excitato mariti creditorum concurſu non perſecuta eſt pignus ſuum, ſed in eo de ſuo recipiendo egit, eoque in ordine prioritatis collocata fuit, ut ſuo potiri potuiſſet. *In cauſa Ludolph Sangerhuſen, contra viduam Otto Heinrich Brobergen, die 27. Februarii, Anno 1660.*

1. Paria ſunt non habere actionem & tempore ab illa excludi *l. 1. C. de annal. Except. ib. Bald.*

2. *l. 1. l. 2. C. ſi adverſ. cred. præſ.*

3. Præſcriptione mulierum excludi, dicitur in *l. pervenit. de Empt. Vendit.* qui textus de 30. annorum loquitur, ſed in ea ſpecie, ubi mulier non conſenſit, nec de hypotheca res fuit, ut & in ea ſpecie, ubi alia tanti temporis præſcriptio neceſſaria eſt. Congruè autem inde argumentum ſumitur, ubi lex brevius tempus præfixit, & ſimiliter in ea ſpecie mulierem excludi.

4. Negligentia uxoris cum alieno incommodo non habet, nec meretur beneficium.

DECISIO IV.

Vindicatio hominis proprii ſeu ruſtici quanto tempore præſcribitur.

OPpoſitâ vindicationi hominis proprii Præſcriptionis exceptione eaque per ſententiam approbatâ poſt appellationem interpoſitam plura pro ea juſtificanda atqui impetrandis proceſſibus allegabantur queis præſcriptionis vires enervari videbantur, indeque in diſquiſitionem venit, an & quando præſcriptioni obſtet? In qua quæſtione diſcernendi ſunt duo caſus, nempe quando illam opponit homo proprius pro aſſerenda libertate, & quando opponit poſſeſſor hominis proprii pro aſſirmando ſuo dominio. In quibus diverſa ratio diverſum jus reddit. In priori ſpecie refert

homo

Digitized by Google

homo proprius utrum malâfide in libertatem pervenerit an bonâ, seu utrum se domino ignoranti subtraxerit, an volente seu patiente illo in possessionem libertatis pervenerit. Illi ex nullo ne quidem longissimo tempore contingit libertas; Tanquam sui ipsius fur, (2) nunquam contra dominum præscribit, (3) sed perpetua adversus ipsum authoritas existit. (6) Mala fides in qua suæ conditionis conscius semper manet, non admittit præscriptionem, (5) æquitati ac pietati tam contrariam futuram, quam est ut fuga & malitia cuiquam sua prosit & vero domino noceat. Ubi possessio libertatis cum bona fide est conjuncta, discernendum est an ex aliquo titulo ipsam adeptus sit glebæ adscriptus, an sine illo. (6) Ex titulo in libertatem deveniens, at non à vero domino, veluti cum qui possessionem bonorum habet, at dominus non est, accepto pretio libertatem concedit; aut gratis liberum dimittit longi temporis præscriptione, excluditur rei vindicatio, (7) nec qua libertatis acquisitionem jus aliud est atque in aliis rebus incorporalibus. (8) Nec enim appareret differentia inter libertatem aliaque jura. Ubi titulo caret possessio libertatis aut sic habetur ut justâ ratione credi possit, dominum dimisisse vel libertatem permittere, (9) veluti si finat vel addiscere, quod rustico homini non convenit, artem nempe seu opificium à quo non est ad ruriculturam congruus regressus, vel in aliud vitæ genus, quod rusticos non decet transire, vel jura civitatis accipere, & præscribitur contra servilem conditionem seu ad istam vindicationem triginta annorum spatio; (10) aut apertum est dominum non ideo reliquisse ut vellet liberum fieri, sed quia aut hominis opera non indiget, aut occasione mediisque ipsi de necessariis prospiciendi caret, & tunc cessat præscriptio, (11) nisi per leges aut mores provinciæ aliud observetur. (12) In alterâ specie, quando de præscriptione ejus qui Rusticum possidet agitur idem sequimur, quod per jus in præscribendis aliis rebus immobilibus obtinet, (13) quarum speciem faciunt glebæ adscripti, (14) ut de iis sit statuendum, quod de immobilium præscriptione jura servari volunt. (15) Cum itaque allegarentur non levia quæ huic obsistere viderentur, admissa est appellatio. Considerata hæc sunt *in causa Balthasar Horn contra Iochim Knochen, die 26. Septemb. Anno 1653.*

1. *Bald. in l. 1. C. de Serv. fugit. Fab. in C. lib. 7. t. 4. defin. 4. Zasius consil. 17. n. 28. & seq. lib. 2.*

2. Sic furtum sui facere dicitur fugitivus, *l. 1. C. de serv. fugitiv.*

3. *l. 1. C. de long. temp. præscript. quæ pro libert. l. cum scimus 22. §. 1. C. de Agricol. & censit.*

4. *l. fin. C. ut de Stat. defunct. l. quod autem 10 ff. de liber. caus.*

5. *C. possessor. x. de R. I.*

6. Potest fieri, ut sine titulo certo in libertate existens tamen probabili ratione credat se liberum, adeoque in bona fide sit, modo causa credendi sit isti congrua.

7. Præstat firmam defensionem libertatis ex justo initio longo tempore obtenta possessio, *l. 2. C. de long. temp. præscript.*

8. *Fab. in C. lib. 7. tit. 4. defin. 1.*

9. Patientia domini in talibus pro titulo est. *l. fin. ff. d. servit* Atque ut alias per patientiam libertas & servitus rerum præscribitur, ita eadem in personis præscriptibilis censetur. Negligentia quæ isti inest, facit æquam præscriptionem,

10. *Ioh. de Platea in l. domini n. 3. C. de Agric. & Censit. Berlich. part 2. pract. concl. 6. num. 8. arg. l. patronus 25. §. 1. ff. de Oper. lib. l. 1. C. eod.*

11. Ubi causa habendi vel utendi alia est quam ut quis jus à se abdicare velit, item ubi non est arguenda negligentia, non est locus præscription, *l. 1. ib. Bartol. C. de Annal præscript.*

12. Multis civitatibus ex statutis, privilegiis vel inveteratâ consuetudine pro jure cessit ut annali vel biennali possessione vel quasi juris civitatis libertas quæsita habeatur, vindicandi facultas præclusa sit. Cujus exemplum continet Jus Lubecense, *l. 1. tit. 3. art. 3. ubi in Commentario plenius ea de re scripsi.*

13. *l. 1. titibus 20. in pr. C. de Agric. & Censit. Husan. in tr. de Prob. hom. c. 3. n. 20. & seq.*

14. *l. quemadmodum ib. Ioh. de Platea C. de Agricol. & censit.* Etsi enim ex se homines sunt inter moventia ideo mobilium speciei propiores, tamen ex conditione sua per quam glebæ adhærent ejusque pórtio sunt, immobilium speciem in juris quæstionibus sustinent.

15. *De præscriptione hac plura exposui,* in dem Bedencken von dem Zustand und Abforderung der Bauersleute/ &c *quod ante hac edidi præsertim sub quæst. 2.*

DECISIO. V.

Vicennium quod excludit à re ædificandi jure non labitur tempore belli.

QUod jure Lubecensi provisum est, quod ædificia quæ invitis vicinis exstrui & haberi nequeunt, ut postquam per vicennium non fuerunt exstructa, vel usibus prioribus addicta, postea nec haberi nec usurpari ità debeant, (1) hoc extenditur ad cætera omnia, quæ non libera sunt olim habita atque haberi desierunt. (2) Opposita fuit inde exceptio circa plateam parietem ex asseribus reædificaturo & ob istam ut ædificatum destrueretur, & ab ædificatione porrò desisteretur, severe mandatum est. Non injuria, nisi temporum ratio replicam præbuisset, quæ exceptionem objectæ præscriptionis elidit. Destructus quippe fuit inter inquieta tempora, queis civitas fuit pressa & jacuit tamdiu, donec meliora post pacem refulgebant. Sci-

Digitized by Google

mus per talia sub bello dormire seu quiescere præscriptiones. (3) Eoque minus in iis civitatibus nocere debent in causis ædificiorum, ubi injuria militum hospitia nimis onerantium ejecti vel depauperati sunt inquilini, ut nidos vix conservare nedum reædificari potuerunt. Putavimus hinc in loco, ubi magna inhospitationis fuerunt incommoda, inde plures ædes solo æquatæ, tempo reædificationi nocere iniquissimum fore. *In causa Gregorii Rabens contra suos Vicinos, die 25. Aprilis, Anno 1656.*

1. *Juxta articul. jur. Lubecens. 12. tit. 12. lib. 3.* ubi statutum sic habet; Wann sie aber in zwantzig Jahren nicht gebrauchet / so ist dieselbe Gerechtigkeit verloschen.

2. Ita statuti extensivam interpretationem fecit praxis & observantia fori. Ex quo generatim receptum est vicennio in civitatibus quæ Juri Lubecensi utuntur, juri ædificatum habendi præscribi.

3. Sic habet vulgata & in praxi semper observata JCtorum sententia, quam non semel inter Decisiones nostras citavimus & secuti fuimus.

TIT. XXXIV.

In quibus causis cessat longi temporis præscriptio.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXV.

Quibus non objicitur longi temporis præscriptio.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXVI.

SI ADVERSUS CREDITOREM præscriptio opponatur.

DECISIO I.

Interim dum personali actione quis agit, sed ineptè, non præscribitur actioni hypothecariæ aut alii contra eundem competenti.

QUi in personam agit, sed ineptè, non prohibetur postea actione in rem seu hypothecaria ejusdem rei nomine experiri, (1) & licet decennium, quo præscribi solet hypothecariæ actioni, (2) sit elapsum, inde non obstat præscriptio. Ex hac exceptio opponitur planè non petentibus propter negligentiam. (3) Qui autem agunt, licet ineptè, negligentes dici nequeunt, ideò ipsis non oberit exceptio præscriptionis. Egerunt enim, tantùm per imperitiam oberrarunt. Sic judicatum *in causa Annæ & Metta ab Huden contra Kochum à Gattler, die 15. Ianuar. Anno 1657.*

1. Cum eadem causa ad idem duo vel plura remedia competunt, electio unius excludit cætera. At quando ex diversis causis, ad diversa spectant, ex electo uno non præcluditur quod alia aditus *l. fin. C. de fide jussorib.*

2. *l. 1. l. 2. C. si adverss. cred. præscript.*

3. *l. 2. C. de annal. Except.*

DECISIO II.

Tertio Possessori pignoris non profecit longo tempore adversus ipsum hypothecaria non esse actum si intra decennium rescivit pignoris conditionem.

EXcludit quidem possessor rei alteri oppignoratæ creditorem hypothecaria agentem præscriptione, cum decennio inter præsentes & vicennio inter absentes possidet; (1) at ita demum si justo titulo accepit, & cum bona fide tenuit. (2) Ideò non proficiet tantum intra decem annos non fuisse actorem conventum hypothecaria, si interea scientiam juris in re sua alieni accepit. Ex illa ut desinit bona fides. (3) Sic & præscriptio, quæ sine bona fide non potest procedere aut compleri. (4) Rejecta est itaque ista ex actis apparente præscriptionis exceptio. *In causa D. Klapmeyers hæredum & consortum contra Derl. Schulten, die 3. Sept. Anno 1656.*

1. *l. 2. & 3. C. si adverss. præscript.*

2. *Fab. in Cod. lib. 7. tit. 10. def. 1. num. 3.*

3. *l. 7. §. qui scienss ff. pro Emptor. l. item veniunt §. petitam ff. de Petit. hæred. l. 2. C. eod.*

4. Malam fidem etiam obstare præscriptioni adversus actiones rectior, communior & pietati moribusque bonis convenientior est sententia, *de qua vide plura apud Cothmann. in respons. 72. num. 33. vol. 2.*

In hac causa, in qua superiores decisiones processerunt, hoc tempore pronunciatum.

In Sachen Doct. Johann Klapmeyers und Eberhard Wegen Erben Appellanten wider Detloff Schulten zum Dauterich Dessen Curatorem Johann Heinrich von Brobergen, wie auch Jacob Rüschen Appellaten in puncto adjudicationis, seynd die gravamina so viel die vorgewandte anteriorem hypothecam, ingleichem nit beschehene liquidation und exceptionem excussionis betreffen / angenommen und zu fernerer Erörterung zugelassen / demnach Detloff Schulten und seinem Curatori Copey vom Libell ertheilet / und ist auff den 13. Articul und folgende zum 29. dann den 37. biß zum 61. wie auch den 66. biß zum 70. alles inclusivè proxima zu antworten / alsdann auch zugleich den Procuratorem ad acta zu legitimiren schuldig. Was aber in dem 17. und folgenden Articulen wider Jacob Rüschen vorgebracht / wird von dieser Sache ab / und zu absonderlicher Außführung verwiesen / deme

demnach Appellanten da ſie die abſonderlich von der den 10. Decembris Anno 1650. publicirten Urtel interponirte Appellation zu proſequiren gemeinet / proxima die zwiſchen ihnen verubte acta und libellum einzubringen gebühret/von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar/ den 20. Octobr. Anno 1656.

(Hoc eſt) In cauſa Doct. Joannis Clapmeyers & Eberhardi Wegen hæredum appellantium contra Detloff Schulten in Dauterich, ejus curatorem Joannem Henricum à Brobergen ut & Jacobum Ruſchen appellatos in puncto adjudicationis gravamina quantum oppoſitam anteriorem hypothecam, ſimiliter non factam liquidationem & exceptionē excuſionis concurrunt recipimus, & ad ulteriorem deductionem admittimus, inde Detloff Schulten & ejus curatori copiam libelli damus, & ut ad articulum 13. & ſequentes uſque ad 29. ſimiliter ad 37. uſque ad 61, ut & ad 66. uſque 70. omnes incluſive in proxima reſpondeat, atq; tunc ſimul procuratorem ad acta legitimet injungimus. Quod vero in Art. 17. & ſequentibus contra Jacobum Ruſchen proponitur, ab hac cauſâ & ad peculiarem deductionem remittimus, inde appellantibus, quatenus à ſententiâ 10. Decembris Anno 1650. publicatâ ſeparatim interpoſitam appellationem proſequi intendunt ut in proxima acta inter ipſos vendilata & libellum exhibeant injungimus. Idque de jure. Publicatum in ſummo Tribunali Wismariæ 20. Octobris Anno 1656.

TIT. XXXVII.

DE QUADRIENNII PRÆſcriptione.

DECISIO I.

Exceptio ex L. fin. de Quadrien. Præſcriptione non competit ex proprio vitio conventis.

QUi ex donatione Gubernatoris Regio nomine facta in poſſeſſionem fundi, quem alius tenebat, immiſſus erat, à dejecto ex cap. ſæpe contingit X. de reſtit. ſpoliat. ad reſtituendum ablatum conventus opponebat jus ſeu privilegium alienationum & donationum Principis, nempe quod donationis aliove titulo accipientes nullius rei cauſa actionibus obnoxii eſſe, ſed hæ contra fiſcum vel Principem intra quadriennium moveri debeant. (1) Viſum autem fuit, exinde non competere exceptionem ei, qui non tantum ex fiſci vel principis cauſa, (2) ſed ſuo proprio facto conveniebatur, (3) ideo nec alienæ proprietatis cauſam, (4) nec authoris ſui nomē repetenti objicere, (5) ſed reſtitutione ſola conſcientiam & bonam fidem liberare poteſt. (6) Conventus etiam erat, ut reus ſpolii, dum occupatam ab alio poſſeſſionem vacantem ipſe accepit, qui perinde cenſetur atque ſi dejeciſſet, (7) ideo ex alterius jure nondum certo & dubio reſtitutionem negare nequit. (8) Concluſum inde, non attenta illa exceptione reum actori teneri reſpondere *in cauſa des Konigl. Hof Marſchallen Hans Chriſtoff Luzoen contra Berndt Wulffrath Senatorem Stralſundenſem, die 26. Ianuarii, Anno 1659.*

1. Illa exceptio fundata eſt in Privilegio Cæſaris & fiſci quo conſtitutum *in l. 2. l. fin. C. de Quadrienn. Præſcript.*

2. Verba legum oſtendunt illos tantum gaudere ex privilegio Cæſareo, qui conveniuntur ex iis cauſis quæ Cæſarem ipſum concernunt, & contra illum vel fiſcum proferri atque diſcuti debent,

3. Remedium *d. c. ſæpe contingit.* oritur ex peccato vel vitio ſingularis ſucceſſoris proprio, *ubi verba textus oſtendunt.*

4. *Menoch. recup. poſſeſſ. remed. 16. num. 63. ſeq.*

5. *Menoch. de remed. 16. num. 65.*

6. Suam quisque conſcientiam purgare tenetur, qua illam non obtinet laudatio autoris.

7. *l. ſequitur 4. ſi tu me ff. d. Uſucap. Menoch. remed. recup. poſſ. 1. num. 153.*

8. Exceptionem de jure tertii non proficere, inter regulas juris habetur.

DECISIO II.

Titulum licet à principe habens, tamen actioni obnoxius eſt, quæ ex vitio ipſius rei vel autoris naſcitur.

QUod Princeps & fiſcus privilegium habet, ut ab ipſo titulum habentes non conveniantur, ſed ipſemet, attamen non ultra quadriennium, id non pertinet ad illas actiones, quæ aut ex rei conditione naſcuntur, (1) aut ex ipſius vitio. (2) Nec enim in his privilegium conceſſum reperitur, ſicut (3) nec verba legū ad has ſpecies pertinent. (4) Similiter ſi mala fide princeps vel fiſcus poſſederit, ceſſat. (5) Cui æquiparatur vitioſum poſſeſſionis principium ex via atque iniquitate. (6) Inde per illud non excluſa cenſemus remedia poſſeſſoria, quæ ex iſtiusmodi defectibus fundantur, nec putandam contra eum, qui cauſam habet à principe vel fiſco, haud licere iſtis experiri. Nihil autem dubii ſupereſt, ubi princeps inter partes ad diſcuſſionem judiciariam remittit, & into eas examinari & judicari vult jus antiquiori & recentioris poſſeſſionis. (7) *In eadem cauſa.*

Digitized by Google

1. *l. 2. l. 3. C. de Quadrien. præscript.*

2. Cujus exemplum est *in l. 1. C. de hæred. vend.* quæ videtur pugnare cum *d. l. 2. & fin.* at non contrariatur, sed exceptionem ejus oneris, quod ipsi rei inhæret, non conventione, sed ejusdem conditione, continet.

3. Res cum iis vitiis quæ realia sunt transeunt naturaliter. *l. Pomponius* §. 1. *ff. de Acquir. poss. l. vitia C. de Acquir. poss.*

4. Singulare jus, quod in dd. legib. habetur, nec trahendum est in consequentiam.

5. Hæc exceptio *ad d. l. fin.* per JCtos traditur *vid. Gothofred. ubi Bartol. in l. ult. C. si contra jus allegat.*

6. Violentia vitio reali rem spoliatam afficit ideo ad successorem transit. §. *quod autem 3. ib. gloss. & Dd. Inst. de usucap.*

7. Privilegium Principis est quod *in d. l. 2. & fin.* habetur, cui potest renunciare *l. pen. C. de Pact.*

DECISIO III.

Constitutione l. fin. C. Quadrien. præscriptione utuntur Principes Imperii.

OPpositæ exceptioni, post donationem à Principe ipso factam non contra donatarium rei donatæ nomine competentis actionis, sed tantum contra fiscum vel principem intra Quadriennium (1) replicabitur, id saltem imperatoris superiorem non recognoscentis privilegium, (2) nec ad alios quam de quibus sonat extendendum esse. (3) At non minus aliis Imperii Romano-Germanici Principibus idem convenire existimatum est. (4) Veluti qui jura fisci in territoriis habent, (5) ideo fisci juribus & privilegiis utuntur. (6) Regalia habent omnia, modo non Imperatori sint reservata, (7) & tantum qua terras homines que suos intra territorium valent quantum Imperator in Imperio. (8) Non itaque sufficisset ad repellandam rei exceptionem, donationem non à Regia Majestate ut tali, sed à Duce Pomeraniæ factam esse, nisi & aliæ causæ fuissent, cur isti constitutioni locus non esset.

1. *l. 2. l. fin C. de Quadrien. præscript.*

2. Imperialis Culminis tantum mentionem leges faciunt.

3. Privilegia ut jura singularia & à jure communi exorbitantia stricti juris sunt.

4. Sic de Duce Sabaudiæ sentit *Anton. Fab. in Cod. lib. 7. tit. 11. defin. 1.* de aliis Principibus superiorem recognoscentibus idem scribit *Rol. à Vall consil. 29. num. 17. vol. 1.* Quod hic de Italiæ Principibus scribit id Germanis quo illustriores atque potentiores sunt, eo magis asserendum.

5. Hoc comprobat notoria Imperii circa status observantia.

6. Reges & jura de Imperatore loquentia principibus imperii in suis territoriis applicantur, *Ruland. Commissar. part. 1. lib. 5. cap. 1. num. 25.*

7. *Dauth. de testam. rubr. Efficiens Testum. num. 39.*

8. Hoc est vulgatum axioma in ore JCtorum & Politicorum, tanquam indubitabile juris publici principium frequens, quod oritur tum ex jure terrarum veteri, tum ex investiturarum lege, per quam terras eo jure in feudum habent, quo Imperium tenuit *vid. de eo Reinking. de regim. Secul. lib. 1. class. 5 cap. 6. per tot.*

DECISIO IV.

Detractionis jus per quinquennii præscriptionem excluditur.

IN ea lite inter creditores, ubi civitas petebat decimam bonorum ex jure detractionis, quod sibi ex consuetudine competere allegabat, circa processus decernendos inter alia dubium movebat, quod ex actis apparebat, illum ex cujus bonis gabella ista exigitur ante plures & fere viginti annos ab urbe discessisse, nec tamen interea ab illo per magistratum decimas petitas fuisse. Videbatur quippe præscriptum decimandi juri, quandoquidem decimæ istæ vectigalium instar habent, (1) de his vero competenti actioni per quinquennium præscribitur. (2) Qui enim debentem sub aliam jurisdictionem abire permittit, & tamdiu tacet, non videri remisisse, (3) maximè cum magistratum deceat, statim sub discessu exigere. (4) Juvat non parum, quod exorbitans à communi jure, imo ei contraria est detractio, (5) soli consuetudini innixa, cujus strictissimus usus est cum odiosa. (6) Non potest objici mala fides ejus, quem decimarum debitorem dicunt, ubi ille se talem non putavit, se immunem credidit, nec prætextu caruit. (7) Præterea non est ex mala fide objectio, ubi lex vel princeps actioni certum terminum statuit. (8) *Hæc in considerationem venerunt petitis processibus à Senatu sedinensi contra Liberos & Creditores D. Balthasari Henckels, die 2. Maji, Anno 1654.*

1. *Ita Oldendorp. in Lexico Iuris vectigal hanc decimam vocat, & apud ICtos consuetum a vectigali, ut genere ad hanc ut speciem, argumentum ducere.*

2. *l. 2. Cod. de Vectigal. & Commissar. Guid. Papa singular. 865. Choppin. de Domen. lib. 3. tit. 9. num. 7.*

3. Non petens cum debet remisisse præsumitur. *l. Æmilius 38. §. dicebam ff. de Minorib.* & remittenti actiones non datur regressus. *l. queritur 14. §. si venditor 9. ff. de ædil. edict.*

4. Sic fieri solet. Qua de causa arresta per Leges Imperii indulgentur contra discedentes & eorum bona. R. A. zu Regenspurg *de Anno 1594. §. Und so viel die ungleiche. Vid. Gail. de Arrest. Imp. cap. 10. n. 1. cap. 14. n. 11. seq.*

5. *l. uls. vers. Quia & vicesima hereditatis ib. Bald. num. 13. & Dd. Cod. de Edict. D. Adrian. tollend.*

6. *Uti de hac ipsa censet & scribit Rauchbar. q. 15. num. 5 part. 2.*

7. In præscriptionibus si quis certo non scit rem esse alienam, vel se omni jure carere, sed causam opinandi habet, quod justè non præstat, quæ ab ipso exiguntur, in mala fide esse dicendus non est. Dubitans & ignorans æquiparantur, *l. fin. C. de Condict. ob caus. l. fin. § fin. autem C. de furt. Iason. in l. 1. n. 14. de Instit. & Iur.*

8. Quando

Digitized by Google

8. Quando lex vel Princeps certum terminum actioni præfigit, non spectatur, an bonâ an malâ fide sit, contra quem agitur, sed saltem latissus termini, quem præfigere licuit. *Gilken. in tract. de Præscript. pr. memb. 1. cap. 3. num. 34. & seq.*

TIT. XXXVIII.

Ne rei dominicæ vel templorum vindicatio temporis perscriptione submoveatur.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXIX.

DE PRÆSCRIPTIONE 30. vel 40. Annorum.

DECISIO I.

Actioni Tutelæ quanto tempore præscribitur.

POst triginta à tempore perfectæ ætatis annos elapsos tutelæ actio instituta occasionem fecit quæstioni, annon & præscriptione tricentaria ista excludatur? Et in thesi sic opinati sumus, per generalem constitutionem, qua per illud tempus omnes actiones personales exspirant & præscriptione eliduntur. (1) A qua non reperta actionis tutelæ exceptio indicat, qua illam insistendum esse regulæ. (2) Eo magis quod aliis juris Justinianei textibus continetur longi temporis præscriptione istam non excludi, (3) qua decisione minime opus fuisset, si longissimum tempus iis non obstaret. Non apparet etiam differentiæ ratio, dum quæ aliis actionibus longissimo tempore præscribi effecit, in actione tutelæ eadem nec diversa est. (4) Quocirca quod à quibusdam sine juris textu secus traditur, non curamus, turius cum aliis contrarium sentientibus (5) insistentes generali legi, quam sine ea exceptionem quærentes. (6) Ut consideratum, *cum Casparus Schwartze contra Consulis Nicolai Brauns hæredes appellatorios processus peteret, die 14. Aprilis Anno 1659.*

1. *l. 3. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.*

2. Durat regula quousque probatur exceptio *l. 1. ibi Dd. ff. de R. I.* disponens generaliter accipienda est de omnibus generis speciebus.

3. *l. maxime ff. de Administ. tut. l. tutores 8. C. arbitr. tutel.*

4. Inepta esset decisio de minori, si id quod majus ita se haberet. Nulla fuisset tunc dubitandi causa, qua sine lex non disponit aut accipitur. *l. 1. ff. ad Muncip.*

5. Eadem ratio idem facit jus.

6. Esse aliquos in ea sententia, quod actioni tutelæ per 30. annos non præscribitur, docent quæ tradit & in hoc puncto sequitur Montan. *in tr. de Jurisd. cap. 38. num. 99.*

7. *Vid. Gothofred. in d. l. maxime & in dict. l. tutores.*

DECISIO II.

Tricenaria præscriptio tutori non proficit, quem contra officium & bonam fidem quidquam feciſſe aut omiſiſſe probari poteſt.

NOn obstante tricenaria præscriptione appellatio super actione tutelæ admissa est, cum appellans narraret non pauca, quæ tutor contra leges officii atque bonam fidem in gestione tutelæ feciſſet aut omisisset. Uti enim alias præscriptio longissimi temporis contra personales actiones, non proficit, ubi debitoris mala fides apparet, (1) ita neque in judicio tutelæ proficere debet, ubi à tutore non sunt facta, quæ illi incumbunt, nec salva bona fide omitti queunt, (2) veluti cum inventarium non confecit, rationes legitime non reddidit, reliqua non solvit. Adversus hæc quippe præscriptione nullius temporis securus esse potest, cui nec conscientia unquam erit secura, aut fides bona integra. (3) Utraque enim semper interpellat, etsi is cui talia præstanda sunt silet. Quibus illæsis exceptio illa tanquam impium præsidium non potest proficere. (4) Talibus itaque à parte adversa allegatis, non potuerunt ob solum temporis longissimi lapsum denegari processus, donec ex actis de eorum veritate constaret *in eadem causa.*

1 Acris est JCtorum disputatio, an præscriptio tricennalis procedat cum mala fide præscribentis? Negativam veriorem justiorem & conscientiæ magis tutam, & in praxi receptiorem, prolixe ac dictissime exposuit Cothmannus *consil. 63. pr. tot. vol. 2. quo lectorem remitto*, alibi ejus jus & ratio etiam à me posita est.

2. In tali specie, qualis sub hac definitione continetur, consuluit ita Cothmannus *in d. consil. 63. num. 6. & seq.*

3. Ubi conscientia exigit debitum, non proficit lapsus temporis in eo quod contra conscientiam fit. *Felin. in c. ult. num. 3. X. de Præscript.*

4. Ubi sponte sine monitore agnoscenda est bona fides, & debitum solvendum est, non juvatur debitor exceptione præscriptionis etiam longissimi temporis. *Tiraquell. in l. si unquam verb. revertatur num. 390. seq. C. de revoc. donat. Boich. in c. si diligenti X. de Præscript.*

DECISIO III.

Omissis ob ignorantiam non obstat præscriptio etiam tricennaria.

RReliquorum petitio per triginta annos ideo omissa, quia inventarium bonorum pupilli non exhibitum, sed ignorabatur, per lapsum longissimi temporis non excluditur, quia ex eo horum, quæ debebantur, justa ignorantia est, (1) cui tribuitur, quod contra præscriptionem ob eam restitutio in integrum indulgetur, (2) ideo ignorantiam allegans auditur. (3) *In eadem causa.*

Digitized by Google

1. Justa ignorantia est, cujus justa & probabilis causa est, *l. 1. §. item sciendum 17. ff. de separat.* Hanc qui allegant non damnificantur. *l. 1. C. de plus pet.* Talis est ex facto alieno, quod probabiliter ignoratur. *l. liberorum 12. §. fin ff. de his qui not. infam.*

2. De hac ambigua est JCtorum disputatio, verior & communior est sententia, ideo etiam in judiciis utitatior, ob ignorantiam contra præscriptionem restitui in integrum, *de quo vid. latius Tessaur. decis. 133. & seq. Covarruv. in c. possess. de R. I. in 6. part. 3. relect. §. 3. Mauris. de restit. in integr. c. 27. & seq. Surd. decis. 4.*

3. Ignorantiæ facile succurri debet, ne quis decipiatur aliorum fraudibus *l. si patronus 3. ff siquid in fraud. patron.*

DECISIO IV.

Creditor ab hypothecaria contra emptorem rei oppignoratæ non excluditur per præscriptionem ubi agere non dum potuit.

ETsi emptor bonæ fidei contra hypothecariam actionem alias præscriptione decennii inter præsentes defenditur, (1) haud tamen eo frui potest, si creditor specialem & generalem hypothecam habuit, & ideo ex hac nihil persequi, nisi illâ discussa. (2) Impeditus quippe est agere per concursum creditorum sub quo discussio longa lite suspensa fuit, (3) nec interea ipsi potuit currere tempus. (4) Hoc tantum spectandum fuit, an non alienatio ex se ex generali hypotheca actionem excludat, ut fit, quoties res illa non obstante alienare licet nec eget ad dominii robur tempore qui justo titulo & bona fide acquisivit. (5) Quod consideratum *in causa Valentin in Rothen & Iohan Hofmeistern, die 16. Aprilis. Anno 1659.*

1. *l. 1. & 2. C. si adverss. credit. præscript.*
2. *Iunct. l. 2. C. de Pignorib. ib. gloss. & Dd.*
3. Nisi à die distractionis bonorum seu factæ discussionis currit tempus actionis. *l. quod autem 6. §. fin. l. ait. Prætor. 10. §. annos 18. qua in fraud. cred. l. pen. C. de revoc. his quæ.*
4. Impedimentum juris agere non sinens præscriptionem excludit. *Iason. in §. item si quis num. 87. Inst. de Action. Boich in cap. auditis dist. 2. de Præscript.* Non valenti agere non currit præscriptio *l. 1. §. ne autem 1. C. de Annal. Except.*
5. Est circa hoc differentia generalis & specialis hypothecæ. Hæc alienata non excludit actionem nisi ex tempore. *Iunct. d. l. 1. C. si adverss. credit.* illa translata facit tutum si alienari potuerint, uti indistincte potestatem ejus non adimi generali oppignoratione alibi ostendimus.

DECISIO V.

Promissæ tantum dotis ex obtentu præscriptionis nulla est repetitio.

CUm post promissam dotem plus quam triginta anni effluxissent, dos quidem ultra per maritũ ejusve hæredes à promissore vel uxore peti nequit, (1) at tanquã exceptione non numeratæ dotis perempta non habet locum à mariro repetitio, (2) nedum in concursu creditorum. (3) Quæ enim de exceptione ista constituta sunt, non pertinent ad dotem, saltem ab uxore ejusve parente promissam, sed ad istam quæ cauta est tanquam numerata mariti confessione. Præscriptio adversus petitionem dotis concessa ad eos terminos pertinet, ubi maritus falso à se cautam, sed vere non numeratam esse dotem obtendit. (4) Juxta quod judicatum, die 8. Octobr. Anno 1659.

1. Quod *in l. 3. Cod. de Præscript. 30. vel 40. annor.* constituitur ad dotis exactionem etiam pertinet.

2. Præscriptione quidem maritus excludi potest, ne dotem petat, at non impetrare uxor ejusve hæres, qui nullum solutæ argumentum præter tempus habet, ut maritus etiam restituat. Nulla lege hoc concessum. Præscriptio ut alias strictissimi juris, *c. auditis de præscript. Barb. de præscript. 2. part. princ. 12.* ita etiam in hac specie non extendenda ultra quam expressim concessa *c. cum contingat X. de Decim. Eberhard. in loc. a contract. ad distract. n. 6.*

4. Creditoribus præjudicare aut nocere non debet negligentia mariti, quæ donationis instar habet & onerosæ sto ũ causæ haud debet præferri *contr. l. ult. §. fin. vero creditores 5. Cod. de jur. delib.*

3. Valde erant qui hæc duo confundunt, promissam saltem in pactis dotalibus dotem, & juxta à marito tanquam acceptam cautam seu confessatam. De hac saltem disponit quod de dote cauta non numerata, & contra illam exceptionis vel actionis præscriptione constitutum est, *uti apparet cum ex aliis textibus, tum præsertim ex l. 3. Cod. de dot. caut. non num.* De Priori specie nullum in legibus vestigium est, etiam diversa plane ratio: Accipienda quoque est sic non numeratæ dotis exceptio, ut non numeratæ pecuniæ exceptio intelligitur *tot. tit. Instit. de Liter. Oblig.* Cauta dos hic dicitur non respectu promittentis, sed mariti.

DECISIO VI.

Præscriptio triennalis excludit petitionem hæreditatis & quomodo probanda.

INter gravamina appellationis prolatum cum cujus successio obtenditur inde hæreditas petitur ante triginta annos decessisse, ideo petitioni hæreditatis locum non superesse justam habet exceptionem quando quidem isti etiam triginta annorum spacio præscribitur, (1) tantum opus est allegantem præscriptionem probare (2) ad quod sufficit à momento mortis usq; ad momentum litis cæptæ tantum spatium effluxum ostendere. Quo probato incumbit actori ut si velit exceptionem exclusam doceat intra illud à se agnitam aditamque non modo hæreditatem, sed etiam petitam esse. Nec enim sufficit sola aditio quæ declaratione animi adeundi hæreditatem non interrumpens præscriptionem, sed interpellatio accedere debet. Quod consideratum *in causa fratrum der Düringe contra sorores de Wersabd, die 5. Junii, Anno 1662.*

Digitized by Google

1. l. hereditatis 7. C. de Petit. hared. ibi Gloss. & Godofr.

2. Præscriptio facti est, ideo eam alleganti incumbit probatio.

DECISIO VII.

Contra præscriptionem tricennariam malam fidem obtendens, & probare offerrens, audiendus est.

PEtimit quidem præscriptio tricennalis omnes actiones personales; (1) at ita, si qui præscripserit malæ fidei non potest convinci: Hæc enim per id, quo utimur jure, non finit præscribi, (2) post cessationem autem tanti temporis non præsumitur mala fides, (3) ideo, qui præscriptionem pro se allegat, defenditur, (4) nec sufficit in contrarium allegari malam fidem; (5) si autem allegans eundem simul probare velit, non excludendus est, præsertim ubi ea adducit, ex quibus mala fides probatur. (6) Ad talium deductionem seu probationem actorem admitti oportet. Et cum sub obtentu præscriptionis per sententiam exclusus appellasset, sed ab oblata malæ fidei probatione exclusum conquerens, visum est male pronunciatm & facultate male fidem probandi correctoria sententia esse restituendam. *In causa Caspari Schvvartzen contra hæredes Consul. Nicolai à Brauw, die* 10. *Ianuarii, Anno* 1660.

1. *l. 3. C. de præscript. 30. vel 40. anner.*

2. Jus civile circa præscriptiones longiss. temporis nihil ultra quam negligentiam non petentium considerat, quâ fide bona an mala sit, qui debet non attendit, utrique hoc tribuit ut negligentia alteri sua obsit. *l. 2. in princ. l. 2. in fin. Cod. de Annal. Except. Bart. in l. cum notissimi in pr. C. de præscript. 32. annor.* Pœnæ velut loco ista introducta, in quâ non alterius qualitas, sed negligentis meritum saltem consideratur, ut docet *Wesenb. cons. 5. num. 13. & consil. 3. num. 15. part. 1.* jus autem canonicum conscientiis magis consulens, præscriptiones etiam longissimi temporis eam mala fide non admittit. *per cap. 5. de Præscript.* quod etiam in personalibus actionibus locum habere requiritur, tum ex generalitate textus, tum ex particula nulla negativa ad omnis speciei exclusionem efficace, tum ex generali ratione omnibus actionibus communi, eam esse veriorem, communiorem, æquiorem, conscientiis tutiorem & in foris Christiani orbis receptiorem sententiam *Cothmann. respons. 63. n. 31. & seq. vol. 2.* aliquot pagianarum allegationibus demonstrat.

3. Tanto tempori censetur inesse quædam malæ fidei purgatio. *Boer. decis. 39. num. 7. Vasq. illustr. controv. l. 2. cap. 81. num. 2.*

4. Pro præscriptione perfecta, in dubio pronunciatur tanquam pro legitime procedente. *Cothman. in dict. consil 63. num. 23.*

5. Mala fides non præsumitur, sed probanda est.

6. Et conciliatio sententiæ de præscriptione cum mala fide contrariæ congruæ & æquæ habetur, quod si aperte constat mala fide ista utentem fuisse profiteri non debeat, tanquam impium præsidium, ut Imp. vocat *Novell. 100. c. 1.* ubi vero de illa res non est aperta pro illa pronuncietur. Quare non potest non integrum esse, ut qui probare velit, admittatur, *vid. Cothman dict. cons. 63. num. 24.*

DECISIO VIII.

Argumenta male fidei in tutore.

QUi post triginta annos administratæ tutelæ rationes reddi, & reliqua solvi petebat, contra exceptionem liberationis ex præscriptione de mala fide replicans pro hac probanda adducebat, primo quod tutor inventarium legitimum non confecit, (1) dum illud non apparet, è contra ejus loco scriptura sine justa forma & subscriptione probata fuit. (2) Secundo deinde quod libet rationum à tutore non est exhibitus. (3) Tertio quod rationes non sunt dispunctæ atque calculatæ. (4) Quarto quod nihil eorum, quæ in ordinatione tutelari, publica velut lege civitatis tutoribus sunt præscripta, observatum esse constabat circa rationes. (5) Quinto quod Apocha seu liberatio continebat non congrua iis, quæ postea apparebant. (6) Sexto quod aliqua alia occurrebant, quæ suspectam reddebant administrationem, præsertim quod solita non observasset, (7) *in eadem causa.*

1. Ex quo adversus illum fraudis præsumptio oritur *l. fin. Cod. arbitr. tutel.* ideo doli malæque fidei argumentum contra tutorem sumitur, uti post plures allegatos habet *Cothman. respons. 63. num. 79. vol. 3.*

2. *Wesembec. cons. 47. per tot.*

3. Inter malæ fidei argumenta quâ tutores hoc refert *Wesenbec. consil. 52. num. 68. l. 1. Iason cons. 219. num. 1.*

4. Dolum liberationis hunc colligit. *Paul. Montan. de jur. tutel. cap. 38. num. 137.*

5. *Paul. Montan. de jur. tutel. cap. 38. num. 156.* ubi ait liberationem obtentam, etsi juratam nihil omissum, quod lex requirit.

6. Deprehensus in uno aliquo feciss vel dixisse à vero aliena, illi in cæteris fides deficit

7. Neglectus necessariorum circa administrationem tutelæ in tutore argumentum est malæ fidei. *Cephal. cons. 115. num. 1. lib. 1. Anton. Barbat. consil. 25. num. 21. vol. 1.*

DECISIO IX.

Redditioni rationum à tutore debitæ non potest opponi præscriptio triennalis, modo non redditas esse constet.

ACtioni quidem tutelæ per 30. annorum lapsum præscribi posse constat, ar ita, si non appareat à tutore omissum, quod per officii rationem, etiam nemine flagitante, præstare debet, (1) quale ex rationum redditio, pro qua tam conscientia, quam officii debi-

Digitized by Google

debitum interpellat, (2) ideo sine dolo & mala fide à tutore omitti non potest, (3) eo minus, si per legem vel statutum speciale civitatis tutoribus ea injuncta sit, ut certis temporibus fiat. (4) Quæ itaque tantum ad dubia pertinet præscriptio, non porrigi debet ad certa debita per bonam fidem nunquam præstanda. (5) Ita vero post tantum temporis lapsum, rationes reddi non obstante præscriptione petitur, si nondum redditas esse constat. Nam & hujus facti, & ex eo quæsitæ liberationis ex tempore tanto capitur præsumptio. (6) Etsi itaque negativæ alias probatio non sit, qui tamen negat rationes esse redditas, ob sistente præsumptione, tenetur id probare. (7) Sic judicatum *in eadem causa*.

1. Neglectus officii seu debiti in tutore est argumentum doli & malæ fidei. *Jacob Riminald. cons. 340. num. 51. vol. 3.*

2. *l. 1. & tot. tit. ff. de tutel. & ration. distract.*

3. *l. 1. si procuratorem. §. fin. l. seqq. ff. mandat. Crat. respons. 23. num. 16. lib. 1.*

4. Legis interpellatio perinde ut hominis in mora & mala fide constituit; quia quisque ei sponte obedire debet. *Cothman. respons. 63. num 55 lib. 2.*

5. Ita distinguit. *Cothm. d. resp. 36. n. 64.*

6. *l. si pupill. in fin. ib. Accurs ff de administr. tut. Bolognet. in l. si unus §. pactus num. 54 ff. de pact.*

7. Quoties pro affirmante militat juris præsumptio neganti onus probandi incumbit. Est vero ex lapsu & silentio longissimi temporis justa præsumptio.

DECISIO X.

Ex causa instrumenti noviter reperti contra præscriptionem auditur, qui ex eo jus suum rescisit.

QUi putavit inventarium legitimè fuisse confectum, & rationes redditas, postea ex accepta quadam charta, quæ instar inventarii habuit, & penes tutorem fuit, aliud didicit, nempe inventarium non rite confectum, ideo nec rationes redditas; nec reliqua soluta inde arguere potuit: (1) At per binas sententias ob exceptionem præscriptionis exclusus fuit. Interposita autem appellatione, existimatum est, istam acceptionem elidi per instrumentum noviter repertum (2) ex quo actor demum competit sibi actionem tutelæ de non exhibito inventario rationibus, & reliquis reddendis competere. (3) Nec enim tempus longissimum ignorantibus, (4) ideo agere non valentibus currit, (5) cessante negligentia ob quam actionibus præscribitur. Nec potest huc applicari, quod de transactione post nova instrumenta reperta non rescindenda constitutum est, (6) ubi longe diversa ratio evidens est, nec quod expressæ voluntati & juris abdicationi generali tribuitur, ad tacitam remissionem extendi potest, (7) quæ soli præsumptioni innixa refellitur per contrariæ voluntatis argumenta, (8) & cessantem causam tacitæ remissionis. (9) quia ignoratum est actionem competere. Præterea pupillorum id privilegium putatur, ut etiam transactiones illorum ob repetta nova instrumenta rescindantur. (10) *In eadem causa.*

1. Inventarium caput rationum est, quo legitime non confecto sequitur nec rationes legitime redditas esse veluti deficiente fundamento.

2. Ex instrumento noviter reperto restitutio contra lapsum termini competit, si juramento adseritur ejus ignorantia *Moller. ad constit. Saxon. 17. num. 19. seq part. 1.*

3. Antequam quis sciat, sibi competere actionem non labitur tempus actioni præstitum *l. quamdiu 5. ib: gloss. & Dd. ff. qui admitt. ad bon. poss.* Scientibus præfinitum est tempus *l. 1. ff. de bon. possess. furios.* Periculum ejus non nocet ignorantibus *l. pen. Cod. de Pericul. tut.*

4. Ob ignorantiam contra præscriptionem etiam longissimi temporis restitutionem competere, communis & in foro usitata sententia est, ubi alibi inter decisiones nostras probatum.

5. *l. 1. Cod. de annal. except.*

6. *l. sub. pretextu 19. Cod de Transact.*

7. Minor vis est taciti, quam expressi *l. sita 65. §. 1 ff. de legat. 1. l. non nunquam 52. ff. de condit. & demonstrat.*

8. Præsumptio tollitur præsumptione fortiore multo magis probatione *l. fin. ff. quod vi & met. caus.*

9. Remissio non extenditur ad ignorata.

10. *Siehard ad dict. l. sub. pretextu 19. n. 5. Cod. de Transaction.*

DECISIO XI.

Reservata super canone conveniendi libertas excludit præscriptionem etiam immemorialis temporis.

QUando, qui pensionem illam, quæ instar arrhæ dari solet, & der Weinpfenning vocatur, in eadem quantitate se ab immemoriali tempore solvisse dicebant ejus augmentum sibi inique imponi querebantur, ideo recusabant, non jure auditi sunt, ubi inter ipsos & dominum decimarum olim conventio inita fuerat, ut post septimum quemvis annum de illa conveniret. Es solle alle sieben Jahr der Zehende für eine gewisse Summa wiederumb gekauffet werden/und der Weinpfennig verglichen werden. Ideo cum à sententia quam impetraverunt appellaretur, existimatum est, intentionem illorum super perpetuo eadem solvenda quantitate non esse fundatam, quando hæc contraria erant, ut perpetuo constans esset, ejusdem quantitatis solutio & tamen reservata super ea conventio, in qua, si non debet esse frustranea & ridicula, uti non præsumitur; (1) ita quid reservatum, libertas superesse debet statuendi, quod placuerit. (2) Quod conventio, initio

Digitized by Google

tio voluntatis est, etsi postquam conventum, necessitatis fiet, (3) Nec proficere potest, ab immemoriali tempore conveniendo sic placuisse, ut eadem quantitas solveretur, cum id non factum, ut ita in perpetuum fieret, sed tantum prosingulis vicibus; (4) nec ultra illum actum valuit aut obstrinxit conventio, ne alia vice post septenniū aliter conveniret. Tunc enim iterum convenire debuit. Incongruè opponitur exceptio: Ipsa enim conveniendi libertas ostendit, quàm libertati relictum, ideo mere facultatis sit, quid conveniet. In cujusmodi rebus nulla præscribendi occasio ac vis est. (5) Quò circa judicatum est, appellantes in libertatu & facultate illa qua quantitatem statuunt, & cum iis appellati conveniunt, relinquendos esse atque quod ad illius immunitionem tendit, corrigendum. (6) Cujusmodi etiam est, ut durante lite prior quantitas solvatur velut ex possessione præterita, cum conventionis tenor illi manifestè sit contraria, nec quis in possessione ejus rei dici debeat, quod ex conventione cum alio definiendum est. (7) *In causa der Græfflichen Königsmarkschen Beampte, contra die Zehendleute des Mittelund Borstell Kirckspiels, die 25. Ian. Anno 1660.*

1. *vid. Crœvett. conf. 920. num. 1. 2.*

2. Reservationis indoles habetur, ut jus competens sartum tectum conservet, *l. si quis legaverit 72. ibi Dd. ff. de legat. 1. Rimnald. Iun. conf. 260. num. 14. Cephal. conf. 441. n. 66. lib. 3.*

3. *l. 5. Cede & A.*

4. Nemo præsumitur libertati ex conventione sibi competenti facile renunciare.

5. *Arg. l. 2. ff. de via publ. Gail. 2. obs. 18 Mynsing. 1. obs. 16. ubi in Camera ita observari, ait.*

6. Renunciatio ex patientia resultans ulterius non extenditur, quam quatenus necessario ex actu ipso patientiæ vel contraventiones infertur. *Dalner. de renunc. c. 3. num. 58.*

7. Rei in natura non existentis nulla est possessio.

DECISIO XII.

Pro decimis per longissimum tempus simili quantitate pecuniæ soluta an & quatenus decimarum in natura detractio deinde sit exclusa.

NOn infrequens est, eos, quibus decimæ debentur, detractionem illarum ex fructibus cujus facultas istis consequens omittere, & pro illis annuatim certam pensionē accipere, quo evitentur incommoda & sumptus detractionis, certusque sibi sit annuus reditus, qui alias pro diversitate annorum, fructuum & casuum diversus. Quod cum etiam in ea, quæ occurrebat, specie factum, indeque evenerat, ut per longissimum tempus similis quantitas annuatim soluta esset, dominus decimarum, cui ex agris debebantur, istam auctam ibat, & cum amplior pensio pecuniaria negabatur, ad detractionem in natura redire intendebat. Reluctabantur debitores & non saltem possessionem diuturnam, sed etiam jus quoddam suum non aliter solvendi opponebant. Ex quo gravis exsurgebat disputatio, utrumne domino dem Zehend-Herrn/nō obstante longissimi temporis conformi solutione argumentum exigere, aut ad detractionem redire liceret? In hoc consensimus, solum tempus hac in re non sufficere, sed si per mille annos eadem quantitas quotannis solum tempus hac in re non sufficere, sed si per mille annos eadem quantitas quotannis soluta receptaque fuerit, tamen ubi jus decimandi certum est posse decimationem ita fieri, ut juri decimandi convenit, per quod in arbitrio decimantium est, fructuum partem an pro ea pecuniam accipere velint, Quod cum metæ facultatis arbitriique sit, nulla præscriptione tollitur vel excluditur, (1) multo minus in decimis, quarum tantus favor est, ut in earum imminutionem nulla præscriptio admittatur. (2) Quo facultas dominorum tollatur & arbitrium istud excludatur, necesse est aliud quicquam accedere, per quod fiat exclusa seu impediatur augendi vel detrahendi potestas. Id quod variis causis fieri posse ex consuetudine scimus, præsertim hodie, postquam decimæ omnes non manserunt spirituales, sed ad laicos transeunt & iis debentur, uti in terris Evangelicorum, Principum & Statuum Imperii longe aliam faciem post reformationem Ecclesiasticam decimæ sortitæ sunt, & ideo non omnia de iis ut rebus spiritualibus in jure canonico constituta, iisdem perque applicari queunt & solent, sed cum discretione ex hoc de istis statui debet. (3) Inter eas vero causas, quibus tollitur facultas pristinam consuetutinem immutandi, & ab annua pensione ad detractionem ex fructibus revertendi existit, tum decimarum venditio pro certa annuatim solvenda pecunia, tum alia similis conventio perpetuum nexum continens, (4) qualis tamen in dubio non præsumitur: (5) tum lex vel consuetudo provinciæ ita servans ut in pecunia certa decimæ pendantur: (6) tum titulis talis, qui semel placitam præstationem sua quam velut natura perennem facit, qualis est emphyteusis, unde cum in Emphyteusin decimæ dantur, pecunia, quæ canonis instar debetur, ut promissa sic jugiter exigenda & sumenda (7) nec magis id mutari licet augendo vel in natura detrahendo quam à contractu recedere. (8) Haut vero simile est jus ex locatione fructuum, qui ex decimatione percipiendi essent, aut ex eorumdem venditione. Illa enim semper in se habet jus resignandi, & ab ista recedendi utut lon-

Digitized by Google

longissimi temporis sit, & per immemoriale sic continuata. Hæc pro singulis annis tantum facta creditur, & eam conditionem habere, quamdiu partibus ita placuerit, (9) multo magis ita sentiendum ubi quovis septennio iteratur, & renovatur aut locatio aut venditio. (10) Ex his apparet quam certa quadam regula non sit de eo statuendum, sed ea res ex diversitate specierum & casuum dependens, quam diligenter considerare & discutere convenit. Quod etiam in nostro casu necessarium fuit, ubi in controversia præprimis erat, utrum ex emphyteusi, an ex locatione aliove contractu temporali pro decimis pensio annua solveretur. Id cum per plures circumstantias in ambiguo erat, adulteriorem disceptationem res reniisa est. *Inter eosdem.*

1. Rem meræ facultatis nullo tempore præscribi posse sæpius inter decisiones nostras addnctum reperies.

2. *c. causam X. de præscript. c. revertimini 16. quæst. 1. ibique Matth. Coler. Anton. Fab. in C. d. lib. 7. tit. 13. Def. 14.*

3. *vid omnino Maximil. Fanst. ab Aschaffenburg. Consilio de Ærario Class. 3. Consil. 17. ord. 106. Struv. Syntagm. juris Feud. cap. 6. aphor. 4 in notis Knipschild. in Tract. de Fideicomm. Nobil. cap. 5. num. 33. Reusner. 4. decis. 2. num. 19. & seq.*

4. Postquam enim decimæ inter aliarum rerum commercio laicorum sunt subjectæ, nihil dubii restat, quin ex conventione partium legem & normam accipiant, *l. 23. ff. de R. l. 1. §. 6. ff. depos. Rot. decis. 669. num. 4. Socin. consil. 167.*

5. Conventiones namque sunt facti *l. 7. §. ult. ff. de Curat. Furios.* unde fit quod non præsumatur *l. 12. §. 2. ff. de Captiv. & post. imin. revers. Vultej. vol. 1. Consil. Marpurg. 15. num. 151.* quod in nostra specie multo magis locum habet cum de prima conventione constet, cujus mutatio non præsumenda *l. 5. C de oblig. & act. l. 22. ff. de Probat. Alciat. de Præsumpt. p. 3. Reg. 2 præs. 26.*

6. *vid. Carpzov jurispr. consist. lib. 1. def 125. in fin & Def. 16.*

7. *vid. Consilior. Marpurg. vol. 4. consil. 50.* ubi multa reperies, quæ totam hanc decisionem ex moribus, & legibus Germaniæ optimè illustrant.

8. Per reg generalem, quod semel placuit amplius displicere non debet. *c. quod semel X. de R. I. l. 5. C. d. O. & A.*

9. Quælibet res origine sua metienda est *l. 33. ff. d Donat.* & talis rei status semper adesse præsumitur, qui initio fuit *vid. Dd. in l. si prius ff. de op. novi nunt.* qui igitur certam & specificam causam, ex qua mutatio facta sit, prætendit, eam probare debet *l. 2. ff. de probat. Molin. de Usur. Quæst. 20. n. 213.* Et fundata est eorum intentio, qui decimas in natura præstari desiderant, cum juris notissimi sit, aliam rem invito creditori per debitorem solvi non posse *aut hoc nisi debitor C. de solut.* uti hanc rem deduxit *Virgil. Pingizer. in suis Respons. consil. 3.* ubi pro monasterio quoddam respondit, quod illi contra rusticos integræ decimæ sint solvendæ in frumento seu natura, non in pecunia. Nec obstit, quod in nostra specie Domini decimarum aliquoties decimas in pecunia receperint, cum enim vel ex benesicentia & humanitate rece, tum eorum benignitas in sui incommodum verti non debet, *Filius 7. ff. ut legat. vel Fidei.*

10. Natura enim reservationis est, ut jus reservatum conservet. *cap. indemnitatibus 43. in fine de Elect. 6. Cravet. consil. 70. num. 6.*

DECISIO XIII.

Etsi debitor ejusque hæres præscriptione contra debitorem non juvatur tertio tamen concreditori nempe, proficit.

IN personalibus actionibus præscriptione longissimi temporis non defendi debitorem ejusque hæredem verior atque communiot sententia tenet. (1) Secus vero se res habet qua tertium nempe concreditorem. (2) In quo cessat ratio præscriptionis exclusiva. Ideo quando in concursu creditorum quisquam post lapsum triginta annorum creditum petit, & de præscriptione excipitur, aut ex actis constat, (4) non audiendus amplius erit pro creditoribus faciente jure commun, nec exceptio illo casu. (6) *Ita judicatum contra liberos Erich von Kalden, in concursu creditorum Claus Horns, die 9. April. Anno 1661.*

1. *De quo vid. prolixius scripta à Cothman. in resp. 63. per tot. vol. 2.*

2. Hic extranei & bonæ fidei possessoris loco est.

3. Hæc est in mala fide debitoris scientis quod debeat, ideo sine dolo non valentis opponere creditori suo temporis lapsum. Jus Canonicum quod in præscriptionibus sequimur ob malam fidem istas ubique excludit *c. fin. X. de Præscript.* cujus vitium transit successione in hæredes. *l. cum hæres ff. de diver. & temp. præscript. l. vitia C. de Acquis poss.*

4. Supplere tenetur judex præscriptionis exceptionem, ubi exactis apparet.

5. Generalis est de præscriptione 30. vel 40. annorum providentia pertinens ad omnes actiones & casus non exceptos *in l. 3. C de præscript. 30. vel 40. an.* omnibus proficiens qui non reperiuntur excepti.

6. Exceptio probanda est alias statur regulæ *l. 1. ibi Dd. ff. de R. I.*

DECISIO XIV.

Præscriptio ante bellum impleta credito obstat.

QUod vulgo dicitur, in bello dormire præscriptiones & in novissimam Imperii constitutionem relatum est, (1) ut præscriptionis exceptio admitti non debeat, ad illam pertinet quæ tempore belli implenda est non quæ ante illud jam impleta fuit, sicut illa constitutione id non obscure indicatur, (2) *In eadam causa.*

1. R. A. *Anno 1654. §.* So viel nun die Capitalia &c.

2. *d. §.* So viel nun *verb.* wegen der bey währendem Krieg unterlassenen Forderung.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XV.

Præscriptio quadragenaria non obstat litem persequi impeditis aut penes quos non stetit ut persequerentur.

ACtionibus semel in judicium deductis post cessationem quadraginta annorum præscribitur computandis ab eo tempore quo ultima causæ cognitio processit. (1) At ista præscriptio non obstat nisi cessantibus, hoc est, cum agere possent negligentibus. (2) Minime vero iis qui litem persequi impediuntur, (3) aut penes quos non stetit ut persequerentur, si vel alterius partis fuit in judicio respondere vel judicis decernere. Etsi enim pro hac non institerit pars, tamen præscriptio objici non debet, præprimis vero ubi judicis officio quid decernendum fuit ejus neglectus patri nocere debet. (4) Quare cum in transactione conventum esset, quod de aliquibus rebus sepositis imposterum tractari, & à judice dies partibus dici deberet, in quo utrinque proferrent intentionis suæ rationes, quod intra quadraginta annos nihil de eo actum est non nocebit, cum judex uti conventum non diceret. Eo minus vero exinde præcluditur agendi via, quod per majus illius temporis spacium bellicis turbis involuta fuit provincia & sub incerto ejus inter arma Domino ordinaria jurisdictio quoque cessavit provisionali tantum remedio litibus consultum est. Etsi vero præscriptio allegata, attendi quoque solet cum exactio apparet, ideo ubi certa appellationem recipere non oportuisset, tamen ubi de illa per supra dicta ambiguitas superfuit, admissa est. *In causa Senatus Stetinensis die Eigenthümer der ausgesetzten Häuser, die 8. Maij, Anno 1661.*

1. *Ita constitutum in l. fin. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.*

2. His jura miraine subveniunt.

3. Impenditis sine suo facto nulla currit præscriptio *Gail. 1. observ. 124.*

4. *Vid. inter decis. nostras decis. 314. num. part. 3.*

DECISIO XVI.

Quanto tempore sine titulo servitutes discontinuæ & nominatim compascendi præscribantur.

ESt inter JCtos prolixa & non expedita contentio de Præscriptione servitutum Et hoc certum veteri jure Romano ex L. Scriboniana illam fuisse nullam: Postea vero primum ex JCtorum opinionibus, deinde Imperatorum Constitutionibus istæ factæ sunt præscriptibiles. (1) Et quidem ubi ex titulo fundaretur præscriptio instar rerum immobilium ex longo tempore illam existere constitutum fuit, seu istæ essent continuæ seu discontinuæ. (2) At ubi deest titulus; non definitum fuit ex quo tempore præscriberentur. Existimatum à nonnullis, quod de præscriptione actionum tricennali generaliter constituitur, (3) etiam an servitutes & quæ sunt de iis actiones, confessoriam & negatoriam pertinere, ideo post triginta annos quæsitam servitutem putarunt. (4) At alii nimis durum & iniquum judicarunt, ut dominus qui ex jure dominii fundatam intentionem habet, servitutem perpetuam ideo tolerare cogeretur, quod per illud tempus alter suo fundo usus est, (5) cum id seu vi, seu clam, seu precario, seu vicinitatis occasione, seu familiaritatis causa fieri potuerit; visumque est nec cum bona fide aliquem qui ejus titulum non habet hoc posse triginta annis prætendere, (6) ideo nec præscribere. (7) Non aliter igitur sine titulo præscriptionem admiserunt, quam si per tempus, cujus non exstat memoria, quis servitute usus esset. Quam opinionem ut ratione convenientiorem, æquiorem, communiorem, (8) & cum alibi in praxi forensi tum etiam in Camera Imp. receptum, (9) in summo Tribunali sequi placuit. Secundum quam ideo & in causa servitutem fodiendi cespitis & pascendi pecora in vicino fundo concernente, (10) judicatum inter dem Land-Rath Gerd von der Liht und die Dorffschafft Eichstedt, die 4. Martii Anno 1668.

1. De cujus juris circa præscriptiones servitutum origine, progressu & constitutione vide præ aliis accuratè scribentem Welenbecium *in Paratitl. ff. de servit. num. 9.*

2. *l. 2. C. de servitut. l. un. C. de transform. Usucap.*

3. *l. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*

4. Horum sententiam recepit Saxonia & peculiari constitutione suam facit. *vid. Carpzov. part. 2. constit. for. 4. def. 8.*

5. Præscriptioni servitutum resistit jus commune, ex quo res quælibet præsumitur libera, *l. altius 6. C. de servit.* & ut in ea dominus aliquid invitus faciat vel patiatur, magna habetur injuria, *l. fin. C. de contrah. empt.* unde circa eas, velut res stricti juris, procedi-tur, nec ulla interpretatione jurandæ sunt, *l. si mater §. si quis inter ff. de except. rei jud. Felin. in cap. auditis de præscript. Gravett. cons. 292. num. 3. & 4.*

6. Ubi resistit jus commune rei, non præsumitur in præscriptione triginta annorum, uti alias fieri solet, bona fides. *vid. Menoth. de præsumpt. lib. 3. præs. 130. num. 13, 38. 53.* Et sic de præscriptione servitutum censet communis JCtorum opinio. *Bald. de præscript. 2. part. 4. princ. q. 1. num. 10. seq. Mascard. de probat. concl. 1214. num. 15.*

7. Prævalet apud pios & luce verbi divini illuminatos juris canonici providentia etsi juri civili contraria, quod nulla contra bonam fidem procedat præscriptio, *c. fin. X. de præscript.* quam in foro, ideo etiam qua immemorialem præscriptionem com-

Digitized by Google

communior sententia recepit & praxis sequitur, uti testantur *Mynsing. cent. 4. observ. 6. Wesenbec. consil. 4. num. 63.*

8. Ita de hac opinione sentiunt & scribunt Practici Germaniæ in foro diu versati. *Schneidvv. ad §. ult n. 15. & seq. Inst. de servit. Wesenbec. in paratitl. d. tit. sub num. 9. Zanger. de except. part. 3. c. 10. num. 180. Modest. Pistor. Consil. 7. num 5. vol. 1. Mynsing. 4. Observ. 53. Gail. 2. Observ. 66. num. 7.*

9. *De his testatur Mynsing. d. observ. 53.*

10. Speciatim jus pascendi non alia quàm immemorialis temporis præscriptione acquiritur, sicque Jurisconsl. communiter sentire & in foro etiam Cameræ Imp. observari post multos allegatos prolixe docet *Koppen. decis. 57. num. 73. seq.*

DECISIO XVII.

Fugitivus rusticus sibi non libertatem, alter vero ipsius servitutem præscribere potest, & quanto tempore.

FUgitivus qui sui ipsius furtum facit, (1) ideo in malâ fide constitutus, (2) nullo tempore libertate potitur, sed perpetuis vindiciis subjectus est. (3) Ipsius autem vindicationem tertius possessor præscriptione potest excludere; (4) non tamen omni, sed tantum eâ, quæ longissimi temporis est, (5) dum ille ad quemcunque possessorem pervenerit, instar rei furtivæ est, (6) non aliter, atq; de hac præscriptionem jura sinunt, quâ illum huic locus esse potest. (7) Unde non malè in eo pronunciavit judex, quod exceptionem præscriptionis admisit; sed tantum cum ad hanc necessaria non attendit, præsertim tempus ejus legitimum, non observavit, de quo omnino statuendum, & pronunciandum fuit, in secunda instantia jus istorum discutiendum fuit, uti factum *in causa Baltzer Horns, contra Iochim Knochen, die 8. Aprilis, Anno 1654.*

1. *l. 1. C. de Furt.*

2. Mala fides omnem etiam immemorialem excludit præscriptionem.

3. Sine bona fide non procedit præscriptio *vid. decis. sequent.*

4. *Vid. Husan. de propr. homin. cap. 5. n. 7. & seq. plura de hoc* im Bedencken von dem Zustand der Bauerpflichtigen *quæst. 2. n. 140. & seq.*

5. Rei furtivæ nulla est usucapio §. *furtiva Inst. de Usuc. l. 4. §. 6. l. 33. pr. ff. eod.*

6. Vitium reale, quale ex furto oritur, ad quemvis successorem cum re tranfit, *l. vitia 11. C. de acquir. possess.*

7. *l. 1. §. ad hæc. C. de annal. except.* ubi 30. annorum spatio dicitur tolli furto actio, ideo post illud etiam oportet desuere furti vitium, quod convenit textui & rationi *in l. omnes 4. C. de Præscr. 30. vel 40. ann. & ex his ita statuit Schneidvv. in tit. Inst. de Usucap. rubr. quæres. poss. præscrib. num. 65. ubi etiam jure civili rem furtivam longissimo tempore præscribi sentit.*

DECISIO XVIII.

De necessariis Præscriptionis longiss. temporis.

CUm judex primæ instantiæ admissa præscriptionis exceptione, pro ea postea pronunciasset, post interpositam appellationem sunt allegata quæ valde dubiam fecerunt, ideo non siverunt sententiam prioris instantiæ statim confirmari (1) tanquam altioris indaginis indigam. Cum autem in illa versabamur materiâ, in qua nisi longissimi temporis præscriptioni locus esse non potest, (2) pro hac articulandum & probandum necessarium existimatum est, primò ut præscriptionem allegans ejusve autor (3) rusticum, de cujus præscriptione agebatur, possedisset. (4) Deinde ut continua fuerit possessio, nullo tempore interrupta; (5) Tertiò ut in bona fide præscribens manserit; (6) Quartò ut tempus triennale impletum sit. (7) Quæ omnia & singula dum non satis ex actis apparebant, lis ulteriori discussioni submissa est *in eadem causa.*

1. Præscriptio ut impium & rigorosum remedium *Novell. 9. c. un.* odiosa est *Cravet. consil 29. num. 9. Petra de Fidei commiss. quæst. 14. num. 241. & 260.* Ideo in dubio ea interpretatio fit, qua excluditur *Hondeda consil. 79. n. 46. vol. 1.*

2. Ubi dubium est, quanti temporis præscriptio necessaria sit, ad triennalem res redigitur *l. 3. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* nisi ex rationabili judicis arbitrio pro qualitate rerum & circumstantiarum aliter tempus definiendum esse appareat, cui id committitur, *Menoch. de A. I. Q. liq. 2. cent. 1. cas. 83. num. 6.*

3. Possessio auctoris accedit & proficit successori *l. Pomponius 13. ff. de acquir. poss.*

4. Sine possessione nulla procedit præscriptio *l. sine 25. ff. de Usucap.* Tantum præscriptum quantum possessum *l. quod meo 18. §. fin. si de acquir. possess.*

5. Continuatio possessionis causa est præscriptionis *l. 3. ff. de Usucap.*

6. Jure civili ad præscriptionem longissimi temporis bona fides non est necessaria. *l. sicut 3. l. seq. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.* Jure Canonico vero malæ fidei possessor nunquam præscribit *c. vigilanti 5. c. si diligenti 17. c. fin. x. de Præscript.* quod pro evitando peccato & animæ periculo hodie in terris Imperii isti præferimus.

7. *l. in Usucapionibus 6. l. seq. ff. de Usucap.*

DECISIO XIX.

Fidejussor contra creditorem ex non motâ adversus se intra 30. annos actione non præscribit, ubi interea reus aut fidejussor solvit, vel conventus est.

INter nullitates, quarum supplicans arguebat sententiam contra se latam, proferrebat ab eo tempore quo fidejusserat triginta & plures annos elapsos, seque hactenus non com-

Digitized by Google

compellatum, id verò non attentum, sed se contra manifesta præscriptionum jura (1) damnatum esse. Verum præterquam quod ex non admissa præscriptionis exceptione nullitatis querela moveri non poterat, (2) repertum fuit in tali specie præscriptioni locum non esse, sed solutionem vel interruptionem contra reum impedire istam qua fidejussorem. (3) Quidquid enim alii putent, juri & rationi hoc convenientius est, quamdiu reus vel fidejussorum aliquis solvit, vel convenitur præscriptionem non inchoari nec currere. Hoc per legem sic constitutum de duobus reis, (5) ad reos & fidejussores pertinet, (6) quorum eadem ratio est. (7) Etsi enim non eadem actione conveniuntur reus & fidejussor, sed ille ex mutuo, hic ex fidejussione vel stipulatione tenetur. idem tamen debitum est, imo & eadem ratione rei atque finis obligatio, (8) nec omnium eadem persona creditur. Reus quippe & fidejussor unius vice sunt, sicut pro una re tenentur. (9) Ex quo etiam fit, interpellationem rei perpetuare actionem contra fidejussorem. (10) Cessat præterea ratio præscriptionis, quæ est in negligentia creditoris. Ut verò illa nulla est, quamdiu vel solvit reus principalis, vel convenitur, ita nec præscriptionem æquam facit. (11) Non potest fidejussor conveniri, quamdiu reus solvit vel compellatur. Finis fidejussionis etiam repugnat, quia hæc in eum demum eventum recipitur, si creditor periclitabitur, inde ita promittunt se soluturos, si debitor morosus fuerit. Cogitetur modo iniquitas inde eventura, si sine jure non modo ullo fidejussoris, sed etiam sine culpa creditoris ea præscriptio inducetur. (13) Nulla itaque ratio habita est istius allegationis *in causa Iochim Mathias Thun, contra viduam D. Stockmanns, die 10. Iunii, Anno 1656.*

1. *In l. 3. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* quæ etiam ad fidejussorem pertinere eumque tricennalis præscriptionis exceptione tuum esse certum habetur, *Franch. in tr. de Fidejussorib. cap. 6. n. 34. & seq. Hering. in tr. de fidejussor. cap. 20. §. 18. num. 10.*

De nullitate ob omissa processus solennia querela est; Cum merita causæ concernit gravamen, appellatione gravatus opus habet. Qua omissa non rescinditur sententia, *l. 1. l. fin. C. sentent. resc. non poss. l. fin. C. ut lit. pendent.*

3. *Sic post glossam in d. l. si fidejussor. §. ult. ff. mandat. sensit Hering. dict. cap. 20. §. 18. num. 14. Gomez. var. resolut. lib 2. tit. de Contract. cap. 13. num. 20.*

4. *Post Franc. in dict. c. 6. n. 89. & alios allegatos ita sentit. Carpzov. decis. 34. num. 9. seq.*

5. *In l. ult. C. de duob. reis in verb. Nobis pietatem suggerente videtur esse humanum semel in uno eodemque contractu qualicunque interruptione vel agnitione adhibita omnes simul compelli ad persolvendum debitum.*

6. Argumentum hoc legitimum est à duobus reis ad fidejussores, sicut æquiparari solent, *l. fin. de Fidejussor. ib.*

7. Ratio illius legis est tam in contractus identitate, quæ etiam est qua reum & fidejussores, cum hi contractui illius, ut pars ejus atque accessio accedunt; tum in æquitate seu humanitate, quæ etiam in his similis reperitur. Quæ à contrarium sentientibus diversitatis ratio ex diversis contractibus traditur, subtilior est quàm humanior.

8. In hoc non tam ad modum obligationis quam ad finem & effectum respiciendum est.

9. *d. l. fin. C. de Fidejussorib.*

10. *l. si servum 91. § sequitur 3. §. nunc videamus 4. ff. de V. O.*

11. Tempus ex se non est modus liberandi, ab obligatione, *l. obligationum §. placet ff. de Obl. & Action.* sed accedens negligentia & ex hac vel non debiti vel soluti, vel etiam liberati debitoris præsumptio. Qualem nullam licet capere, ubi ab alio exigitur.

12. Non valenti petere non currit præscriptio, *l. 1. C. de Annal. Except.*

13. Ubi non est culpa, ibi nec negligentia: ubi hæc non est, cessat præscriptio, *Covarruv. in c. bon. fidei part. 3. glos. 2. num 5.*

DECISIO XX.

Belli tempora non sinunt præscriptionem currere contra vindicationem rusticorum.

EXtra dubium habitum est post triginta annorum spacium etiam vindicationes rusticorum adversus illos, qui titulo alio, quàm quod isti semel glebæ ascripti fuerunt, carent desinere (1) nec isti obesse, quod intra illud tempus integrum non duravit illa ascriptio, sed ante illam per aliquot annos rusticos operas aliis pro mercede præstitit. (2) At cum exceptione temporis bellici id accipiendum est creditum fuit, Nam cum sub hac præscriptiones dormiant, (3) tum maximè contra rusticorum vindicationes cessare debent, quæ nullo tempore minus quàm inter bellicas tempestates, & sub his existentes prædiorum desolationes, & agriculturæ impedimenta fieri queunt, (4) unde placuit discedere à priori sententia quæ in præscriptione se fundabat *in causa Baltzar Horns contra Iochim Knochen, die 13. Octobr. Anno 1656.*

1. Generalis est constitutio *l. 3. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* ad omnes actiones pertinens, quæ non reperiuntur exceptæ. Inter quas vendicationem servorum, quibus æquiparantur in his terris rustici, nulla lex posuit.

2. In hac præscriptione quæ coerceat negligentiam res suas non curantium *uti d. l. 3. indicat.* non inspicitur, quomodo per omne tempus abfuerunt homines rustici, sed quamdiu non vindicavit pristinus dominus.

3. Ità communiori sententia JCti statuunt & praxi servamus, quam recentior Imperii Constitutio Ratisponensis Anno 1454.

4. Hoc consideratum in Pomerania, ideò legi cau-

Digitized by Google

Sententia pronunciata sic sonat;

In Sachen Balzar Horns Appellanten wider den Inspectorem zu Wollgast Jochim Knochen Appellaten in puncto vindicationis eines Bauren Claus Wedige genannt / wird nach Beschluß der Acten dar auß befunden/und erkannt/ daß den 29. Junii Anno 1656. vom Richter erster Instanz übel gesprochen / wol appelliret / demnach dieselbe dahin zu ändern sey / daß Beklagter und Appellate den obbenannten Bauren quæstionis mit allem seinem Zugehör dem Klagern und Appellanten abfolgen zu lassen schuldig: Gestalt sam dann er zur Abfolge hiermit condemniret / Unkosten aber gegen einander compensiret und auffgehoben worden / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 20. Octobris, Anno 1656.

(Hoc est) in causa Balthasari Horn appellantis contra inspectorem in Wollgast Joachimum Knochen appellatum in puncto vindicationis unius rustici Nicolai Wedige dicti post conclusionem actorum ex illis invenimus & pronunciamus, 29. Junii Anno 1656. à judice primæ instantiæ male pronunciatum, bene appellatum, proinde illam eò esse reformandam, quod reus & appellatus prædictum rusticum quæstionis cum omni causâ actori & appellanti extradere teneatur, prout illum ad extraditionem compensamus. Idque de jure. Publicatum in summo tribuhisce condemnamus, expensas verò invicem tribunali Wismariæ 10. Octobr. Anno 1656.

TIT. XL.

De annali exceptione Italici contractus tollenda, & de diversis temporibus & exceptionibus & præscriptionibus & interruptionibus earum.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLI.

DE ALLUVIONIBUS ET palludibus & pascuis ad alium statum translatis.

DECISIO Unica.

De jure alluvionis in publico flumine.

CUjus ager & pascua pro exstruendo munimento circa confluxum Visurgis & Alleræ occupata erant, in recompensationem amissi cessionem alicujus loci in Visurgi siti à Regimine Ducatus acceperat, cum vero isto uti vellet, vicini resistebant. Inde ille querelam movens, & se in possessione defendi rogans, mandatum tuitorium satis severum impetraverat, ex quo colligi poterat, eum locum per mandantes haberi pro publico. Econtra vicini ex jure alluvionis sibi asserebant, ideo à mandato ad summum Tribunal provocabant. Ubi in talibus, quæ ad publica Principum jura spectant, circa provocationes in judicio singularis circumspectio necessaria est, ita etiam pro ea in præsenti causa putavimus diligenter expendendum esse, an contra tuitorium appellantes audiendi, id vero indagandum atque expendendum ex jure alluvionis. De quo ab antiquo observatum inter gentes, quod quidquid per eam accrescit vel enascitur ei qui fundum vicinum habet, & cujus agro adjicitur. (1) Id quod summa æquitatis ratio exigit, ut qui damna fluminum sentiunt, illi etiam commoda percipiant, (1) & quomodo si ex agris detrahunt vicinorum detrimenta sunt, ita adjecta similiter accedant. (3) Accedit quod ex fluminum periculis multa sint vicinorum incommoda & impendia (4) quæ adventitia accessione pensari æquum sit. (5) Secuta est illam æquitatem tanquam naturalem Romana jurisprudentia, Insulas in flumine enatas, (6) nec non ex alluvione accedentia faciens illorum qui prope flumina accolunt. (7) Ex quo hæc censitorum vice fungi dicitur, veluti quæ ex publicis privata & privatis publica faciunt. (8) Cavet eadem contra invasiones Principum, queis sibi circa ista nihil arrogare voluit. (9) Nihil in his accessionibus ex jure isto hodie lege publica mutatum reperitur; Nec de consuetudine constat; si esset, an valeret dubitandum foret spectata naturali æquitate, ex qua gentes inter se talia receperunt, contra quam mos parum pius & justus habendus esset. (10) Etli enim flumina publicata sunt, non tamen ideo quidquid est in iis, nedum quæ saltem sunt ad illa, eam conditionem habent. (11) Qua proprietatem, imperium & jurisdictionem talia existunt, minime qua usum, qui communis, & occupant vacati, (12) cujus pars est alluvio, quæ addicit vicino fundo, quod ei inseparabiliter adhæret velut divinitus destinatum, per fortunam occupatum, justitia per gentium atque civile jus attributum. Sunt qui hodie in correctum creduut, ideo jus Principum faciunt, & inter Regalia alluvionem referunt; sed non sufficit ita dicere, sed oportet probare: correctio juris non præsumitur, sed probatione eget, (13) Stamus isti donec ab eo discessum esse appareat. (14) Id quod in Imperio Romano constitutione vel generali consuetudine factum non reperitur. (15) Aliquibus Electorum vel Principum in Rheno, & aliis circa id singulare privilegiis quibusdam concessum, (16) argumento est, jure communi rem secus se habere. Quamdiu itaqua non constat, in Visurgi exceptionem ab hoc introductam esse, quod negant qui appellabant, communi juri convenit, eos qui isto nituntur audiri.

(17) Me-

Digitized by Google

(17) Meruerunt itaque processus in causa alias adpellabili. (18) *Ioſt Iasper Klenecke & Consortes contra Eliand Glandern, die 2. Sept. Anno 1659.*

1. Jus alluvionis hoc ex gentium jure esse ait. *Imp. in §. preter ea 20. Inst de rer. divis. de quo* secus sentit Grotius *lib. 2. de jur. bell. & Pacis cap. 8. n. 1.*

2. *l. secundum 10. ff. d. K. I.*

3. Nunquam non contingit, ut aliquid flumen agro alicujus adjiciat quin simul agro alterius tantundem detrahat, *l. un. §. 3. ff. ne quid in flum. publ.*

4. Et ratione utuntur. *Imp. in l. 1. l. 2. l. 3. Cod. de Alluvionibus* in quibus ista æquitas astruitur.

5. §. *Insula Instit. de rer. divis. l. 7. §. Insula ff. de acquir. rer. dom.*

6. §. *Praterea quod 20. Instit. de rer. divis. l. 1. & tot. C. de Alluvion.*

7. *l. ergo 30. §. flumina ff. de acquir. rer. dom.*

8. *l. ult. Cod. de Alluvion.* in qua constituitur, fiscum non debere incrementa fluviatica sibi vendicare, neque pro his censum augere, ne vel alluvionum ignorare vitia, vel rem novam possessoribus inducere videantur.

10. Ita censet Albert. Brunus *consil. 159. in fin. lib. 2.* scribens consuetudinem quæ vicinis jus alluvionis & glareæ adimit, in foro conscientiæ non procedere.

11. Quod adjicitur per alluvionem, non fluminis sed alvei est cui adhæret, qui non est diutius publicus quam à flumine occupat §. *quod si naturali 23. Instit. de Rer. divis. l. 1. §. simili ff. de Fluminib.*

12. *l. diligenter C. de Aquæduct.*

13. *l. præcipimus 32. in fin. C. de Appellat.*

14. *l. sancimus 27. C de Appellat.*

15. Id quod fusius demonstrat Heigus *quæst. 40. num. 83. seq. part. 2.* qui per integram illam quæstionem contra illos disputat, qui jus principum seu Regale alluvionem faciunt.

16. Quomodo Dni. Electores Palatini in Rheno id jus alluvionis sibi asserunt.

17. Standum juri communi, & pro eo statuendum, donec abrogatio vel exceptio probatur. *l. ab 3. ff. de Probat. Decius in l. 1. ff. de Reg. Iur.*

18. De fluviorum ut & ab his dependentium jure causa appellabilis est. *Ruginel. in tr. de Appellation. §. 2. c. 3. 404. sub. verb. Flumen.*

TIT. XLII.

DE SENTENTIIS PRÆfectorum prætorio.

DECISIO Unica.

Res judicata non obstat, quo minus Iudex à juramento potest discedere ad probationes alias, ubi ejus ratio est.

CUm per sententiam injuncta erat super certo articulo jurisjurandi præstatio, & post hanc multum temporis elapsum esset, accidit apud acta instrumentum produci, ex quo videbatur id quod jurandum secus se habere, & si non aliud probari, tamen tantum constare, ut quod jurari debeat, sine conscientiæ periculo, & perjurii metu tam sancte asseri non posse. Inclinatum itaque in eam opinionem, ad probationes redeundem esse. (1) Tantum dubitatum an per rem judicatam liceret. Concluſum vero illam minime obstare. Quando enim partibus delato juramento licet per sententiam ad probandum redire integrum est, judici ex causa idem non debet non licere. (2) Nihil obstat sententia juramentum injungens, quæ nuda interlocutio judicis est, in rem judicatam non transiens antequam juratum est, dum eo usque pœnitentiæ locus. (3) Ratio judici sufficiens est admutandum vel differendum, donec veritatis scrutinium alio modo faciat, ubi perjurium non vanis argumentis per ea quæ apparent metuitur. (4) Quod consideratum *in causa Dominici Schnellen contra Georg. Mellentin, die 3. Maji, Anno 1659.*

1. *Per l. jusjurandum 11. C. de Reb. credit. vid. Fab. in Cod lib. 4. tit. 1. defin. 22.* ubi revocationi isti etiam in actu jurandi locum esse statuit.

2. Relictum in eo multum judicis arbitrio, præsertim in differendo juramento donec de fide rerum alias constare queat. *Faber in Cod. dict. tit. 1. de fin. fin in prud.*

3. *De quo vides Fab. in Cod. dict. tit. 1. defin. 35 per tot.*

4. Id omni modo judex evitare debet. *Setz. in tr. de juram. lib. 3. cap. 3. num. 58.*

TIT. XLIII.

QUOMODO ET QUANDO Judex sententiam proferre debeat præsentibus partibus vel una absente.

DECISIO I.

Nullitas ex defectu citationis ad audiendum sententiam quatenus attenditur.

INter ordinaria processus refertur citatio ad audiendam sententiam, (1) adeo ex ea omissa nullitas sententiæ sine ista publicatæ objici solet. (2) Generaliter autem in Summo judicio Regio ea non attenditur, (3) quia in illo ab initio generaliter partes ad totam causam citantur, ideo specialis ea citatio nunquam fit. At si vel acciderint casus, ubi fieri deberet, non tamen ob eam omissam sententia haberetur nulla, nisi quatenus non citatus docere & probare possit ob omissam eam citationem se enormiter esse læsum, aut eam fuisse iniquæ sententiæ causam. (5) Alias nullitas exinde illata non attenditur; (6) præsertim in summo judicio. (7) Præterea & in executivis, summarie proditur, (8) magisque per mandata decreta,

Digitized by Google

quam

quam per processus ambages, non est solitum citari partes, sed mandata decernuntur executiva. *In causa Nicolai Demeln Imploranten contra Daniel Beckern, die 9. Octobr. Anno* 1658.

1. *l. ea quæ C. quom. & quand. Iud.*
2. *Clem. sæpe §. sententiam de Verb. signif.*
3. Citatio ad audiendam sententiam est juris positivi, nec defensionem partibus tollit, ideo à principe potest omitti. *Afflict. decis. 283. n. 6.*
4. Ex ea ratione in Camera Imperiali non fit talis citatio. *Vti docet Gail. 1 Observ. 109. n. 3.* cujus stylum in hoc judicio sequimur.
5. Ita distinguit in ea quæstione, quatenus ab omissam citationem ad audiendam sententiam nullitas dici & attendi debeat. *Cothman. dict. consil. 17. num. 83 seq. vol. 1.*
6. Hocusu & praxi judiciorum servari testatur *Cothman. d. Consil. 17. 83.*
7. In summis judicus spectatur ad merita causæ, non ad solennia processus, quatenus omissa iis non untimpedimento.
8. In processu executivo omittuntur quæ sunt mere jure civilis.

Pronunciatio juxta hæc ita facta fuit.

In Sachen Niclaus Demeln Appellanten jetzo Imploranten wider Daniel Beckern Appellaten jetzo Imploraten in puncto restitutionis in integrum werden die gravamina welche die cessionem dubitirt, imgleichen die annoch erforderte Ackermessung und die beschuldigte omissa circa taxationem dabey dann die Schatzfreyheit betreffen / als überflüssig nicht angenommen / sondern deßwegen Implorant auff die in solchen Puncten den 16. Martii, 26. Aprilis und folgends den 14. Junii lauffenden Jahres publicirte Bescheide und Urthel verwiesen / und wann er solchen gebührend nachgehen / und was zu obbemeldten Puncten gehörig / deutlich beybringen und suchen wird / auch was recht ist / in puncto optionis & adjudicationis aber seynd die gravamina unerheblich / und bleibet derowegen hindert bey dem Decreto adjudicationis den 26. April auffgegeben / billich / es möchte dann Impetrant in sechs Wochen in probante forma über dem Land-Gebrauch / darauff er sich in artic. 67. beruffet / ein genugsam attestatum einbringen / so ergienge solchem nach was sich gebühret / in solcher Frist aber ist dancben Implorant was ihm der Ackermasse und anderer omissorum halber frey gelassen / und er annoch an den optirten Stücken desideriret / gleicher Gestalt gebührend zu suchen und beyzubringen sub pœna concluſi schuldig; Inmittelst wird nichts destoweniger die Immissio an die optirte Stücke / wie auch die Commission wegen dessen / so der Zimmer halber in dem Decreto vom 14. Junii enthalten / erkannt / wegen der deponirten Gelder werden beyde Theile zu dem deßwegen absonderlich anhängigen Proceß verwiesen / dabey darauff / was in der Imploration-Schrifft vorgebracht / wann es dabey gebürlich erholet wird / ergehet was Recht ist; Von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 18. Octobr. Anno 1658.

(Hoc est) in causa Nicolai Demeln appellantis nunc implorantis contra Danielem Beckern appellatum nunc imploratum in puncto restitutionis in integrum gravamina, quæ cessionem debiti, ut & adhuc requisitam agri mensuram, illaque insimulata omissa circa taxationem ac etiam immunitatem à contributionibus concernunt ut superflua non admittimus, verum eapropter imploratum ad illa quoad ea puncta 16. Martii 26. Aprilis, ut & 14. Junii currentis Anni publicata decreta & sententias remittimus, & quod si iis convenienter parebit, & quod ad supradicta puncta pertinet ordinatè producet & quæret, fiet quod juris; in puncto autem optionis & adjudicationis gravamina sunt irrelevantia, & iis non attentis decreto adjudicationis 26. Aprilis, tato meritò inhærentur, nisi impetrans intra 6. septimanas in probante forma ultra statutum, (ad quod in articulo 67. provocat) sufficiens attestatum produceret, fieretco prævio quod convenit, in tali vero termino prætera implorans, quod ipsi ratione agri mensuræ & aliorū omissorum arbitrio relictū, & ipse adhuc quoad optata puncta prætendit simili modo decenter quærere & producere sub pœna concluſi tenetur; interea nihilominus immissionem quoad optata puncta, ut & commissionem ratione illorum, quæ intuitu cubiculorum, in decreto de 14. Junii continenter decernimus: ratione depositæ pecuniæ utramque partem ad processum desuper separatim pendentem remittimus; ubi ad hoc, quod in supplica productum, si ibi convenienter repetantur, fiet quod juris. Idque de jure. Publicatum in summo tribunali Wismariæ 18. Octobr. Anno 1658.

DECISIO II.

De Notario processus insinuante carceri incluſo statim relaxando mandatur sine clauſula.

QUomodo ob factum omni jure illicitum nec excusabile mandato sine clausulâ decerni solent, sic etiam his locus est quando Notarius, qui mandatum Judiciale præsertim Judicii superioris Judici inferiori & parti adversæ insinuat, comprehenditur & in carcerem conjicitur, (1) lædit quippe existimationem Judicii; (2) detrahit honorem decretis Judicialibus debitum, (3) quem per pœnalia mandata tueri oportet. (4) Violat gravissimè authoritatem superioris, cujus nomine Justitia administratur, quippe Notariis dedit eam officii facultatem, (5) turbat justum Judiciorum ordinem, profanat Judiciariam religionem. (6) Quæ etiam per orbis Jura (7) & Imperii Constitutiones. (8) Notariis tanquam instrumentis publicis, (9) officio suo fungentibus concessa publica securitas & pro vigore Judiciorum summe necessaria est, (10) poscit ut mandatis pœnalibus

Digitized by Google

libus defendatur. Conclusum ita fuit die 14. Octobr. Anno 1653.

1. *Vid. Ord. Cameral. part. 2. tit. 23.*

2. Quemadmodum ulus orbis Christiani pro necessitate atque utilitate publica iis personis, quibus Judicia ad decretorum executionem utuntur, publicam & plenam securitatem tribuit, ita eam severissimis mandatis atque decretis conservare fas est.

3. Nulla potest esse decretorum authoritas, si pro iis ministrantium incolumitas est in periculo.

4. *l. un. ff. si quis Ius dic. non obtemp.*

5. Notariorum non origo modò, sed etiam fides atque securitas à Majestate Rectoriâ fluit, cum ejus saltem sit creare Notarios virtute Imperii. *Sixtin. de Regal. lib. 1. cap. 2. num. 35. Boer. de Regal. cap. 2. num. 161.* & ex ejus authoritate ipsorum dependeat autoritas. *Rola d. in tr. de Notariat. cap. 1.*

6. Fidem judiciariæ religioni debitam omni gratiæ & Potentatui præferendam esse scripsit Imp. *in l. eos 5. C. de Testib.*

7. Ubique terrarum esse quosdam eosque valde privilegiatos, qui in his quæ ad fidem publicam ac ministeria judiciorum pertinent, ministrent, docet *Rolandin. d. l. & Chassan. in Catalog. Glor. mund. part. 1. consid. 19. ubi plura privilegia Notariorum refert.*

8. *Vid Constit. Imp. Maximiliani I. de Notariis ann. 1512. quæ extat inter Imperii Recessus.*

9 Sunt personæ publicæ, *l. 1. §. 18. ff. de Magistrat. convent. l. 18. ff. de adoption. l. 2. ib. Gothofred. rem pupill. salv. for.* & Judices chartularii *pen. C. de SS. Eccles. l. 1. §. 6. C. de Præf. Præt. Afric.*

10. Utile & necessarium est hominum genus juxta præsentem constitutionem Judiciorum, quibus uti hæc tarere non possunt, utiliter utuntur, ita etiam securitatem servare debent. Talibus ministris illata injuria Judicio & Judicibus illata censetur, *arg. l. 1. §. 3. ff. de Injur Wesenbec. in Paratit. ff. de Injur. n. 6. Guid. Pap decis. 557.*

DECISIO III.

Cum de jure mero, non de facto quæritur, processu Iudicario opus non est, sed Iudex sine eo statim jus dicere potest & debet.

PRocessus judicarius repertus & tantum necessarius est ad informationem de facto quod in judicium venit, (2) non similiter cum de jure quæritur, (2) quod certum est (3) nec judicem latere potest, scire etiam præsumitur præsertim si jurisperitus sit. (4) Multo magis si ex multis jurisperitis judicium constat. (5) Quocirca in illa quæstione de jure ob missa processus solita vel ea non adhibita aut præventa non est locus nullitatis querelæ, cum juste pronunciatum vel pars à judicio recte repulsa sit. (6) Quod consideratum *in causa Senatus Stetinensis, contra den Cammer Rath Daniel Schlegeln, die 27. Ianuarii Anno 2654.*

1. *Vincent. de Franch. decis. 221. num. 12.*

2. *Natta Consil. 529. num. 15. Nevizan. consil. 30. num. 5. & seq.*

3. *l. 1. ff. de Iur. & fact. ignor.*

4. *l. 2. ff. de Offic. Assessor.*

5 Vulgatum verbum est, *Curia scit leges.*

6. Superflua in judiciis maxime vitanda sunt, nec omissa querelam nullitatis pariunt. *Gail. 1. Observ. 42. num. 6.*

DECISIO IV.

Mandatum de non offendendo contra magistratum cautè decernendum est.

CUm alias mandata sine clausula, contra Magistratum subditis & civibus non facilè sint decernenda, (1) tum in eo quod de non offendendo rogatur judex eo cautior esse debet, (2) quod isti non est locus, nisi ubi injusta metuitur offensio & ipse metus justus atque non vanus est. (3) Quando itaque pro magistratu militat juris præsumptio, (4) haud temerè creditur illum injustè velle offendere, (5) ideo nec tali mandato coërcetur, (6) nisi jam quidquam injusti fecerit & adsit causa gravior injusta tamen metuendi. Talia si narrantur & quidem cum aliqua vero similitudine superior uti opem adversus inferioris vim atque potentiam præbere debet, sic etiam mandata decernere valet. (7) Non sufficit si supplicans profert se à magistratu aut apud ipsum delicti cujusquam incusari, ideo carcerem metuere; Nec enim in eo est manifesta injuria nec justus metus, (8) ideo non de non offendendo sine clausula, sed saltem juxta narrata de procedendo secundum jus & justitiam mandatum decernitur. (9) Sicut observatum *supplicante David Macken, contra Senatum Civitatis Wismar. die 14. Februarii, Anno 1654.*

1. *In hac re circumspectionem admonet Gail. 1. Observat. 17. n 6.*

2. *Rationes hujus exponit Petr. Frider. Mindan: de Mandat. lib. 2. cap. 34. n. 2.*

3. *Gail. 1. Observ. 4. n. 1.* ubi ait, non temerè decernendum, neque contra quoslibet, sed tum demum quando justus est metuus offensionis.

4. *l. 2. C. de Offic. Iudic. v. in præsentia x. de Renunciat.*

5. *Vid. Petr. Frider. Mindan. dict. c. 34. n. 1.* ubi de praxi Camerali his verbis scribit. Licet cives & subditi sæpissimè perquam graviter de Magistratus in se iniquitate conqueruntur, exponentes quomodo extra omne suum meritum propterque nullum delictum quod commiserint, ex puro puto odio vel invidia propter causam aliquam civilem, vel quo jus suum contra cives legitimè prosequantur, vel quod à sententia magistratus ad superiorem appellaverint, etsi à lictoribus vel hominibus armatis ut in vincula conjicerentur, quæ sit sint, ut nisi fuga sibi consuluerint, malè & atrociter secum actū fuisset: Urbem se tutò intrare vel salvum conductum obtinere non posse: Petentes propterea mandatum de non offendendo: tamen id ob dictam rationem denegatur. Quia prius probandum subditis est injuste & inique dolo malo & violenter magistratum ea quæ narrantur attentare. Prout in pleno decisum.

Digitized by Google

6. Interest an ex metu futuri petitur mandatum, an ex præsenti injuria, ob hanc contra magistratum est præsumptio *c. conquerente x. de Restit. spoliat. Alciat. de præsumpt. reg. 3. princ. præs. 6. n. 6. seq.* & ob eam à superiori adversus inferiores vim metuentibus succurri æquum est *l. illicitas §. potentiores ff. de Offic. Præsid.*

7. *Post Ludov. Roman. Consil. 244. n. 1. Cothman. respons. 7. n. 135. vol. 1.*

8. Magistratus in talibus jure publico utitur, ideo injuriam facere non videtur *l. injuriarum ff. de injur.* & cum talia liceant, non illicite sed pro authoritate & potestate judiciaria usurpare creditur *d. l. 2. C. de Offic. Civil. Judic. s. sicut x. de Sentent. & re jud.*

9. *Praxin hujus rei vide annotatam apud Mindan. d. c. 34. n. 1. in fin.*

DECISIO V.

Arrestum in dubio non est inaudita altera parte decernendum, nisi ubi est periculum in mora.

SUnt quidem causæ & casus, quando arresta statim non auditâ alterâ parte decerni possunt, (1) at regulariter ab iis non est incipiendus processus, tanquam ab executionis specie. (2) Præsertim verò ab iis abstinendum est, quando certum non est, quod arresto locus esse possit. (3) Id quod evenit, ubi petentis jus non apparet, (4) vel ex ipsis narratis judex adversæ partis contra quam arrestum petitur, jus & exceptionem legitimam prævidet. (5) Saltem ob periculum quod in morâ est ex fugâ, dilapidatione, alienatione in potentiorem, & similibus taliumque metu fieri potest, ut in dubio quoque locus arrestis sit non audito altero. (6) At quando nihil tale fuit in narratis causæve circumstantiis deprehensum, rectius decretum ut prius altera pars audiretur, (7) communicatâ petitionis copiâ & præfixo termino ad allegandum causas non decernendi arresti, si quas haberet, *ad petitionem Fritz Otto von Ilenfeld, contra viduam Obrist Andreas von Ilenfeld, die 1. Iulii, Anno 1654.*

1. *De quibus plura congessi in tract. de Arrest. c. 2. & c. 6. per tot.*

2. *Gail. de Arrest. Imper. c. 1. num. 10 Coler. de Process. Executiv. part. 1. c. 7. n. 1. seq.*

3. In illiquidis quippe executive non proceditur, *l. 1. l. 2. C. de Excecut*

4. Jus petendi seu debitum quoddam causa arresta justificans est, quo sine nunquam debet decerni, *Peck. de jur. sistend. c. 6. n. 4.*

5. Paria sunt jus nullum habere, & quod habetur exceptione posse elidi, *arg. l. 1. ff. de Except. ib. Bartol.*

6. De his causis ob periculum moræ arresta excusantibus scripsi *in dict. tract. de arrestis c. 6. n. 1. & seq.* quorum ratio in eo consistit, quod ob illud recedatur à regulis juris communis, *l. de pupillo 5. §. si quis rivos 11. ff. de Oper. nov. nunc iat.*

7. Hoc jus naturale requiritur, non nisi audito eo cujus interest, statuatur quod incommodum infert, *l. de unoquoque 47. d. ff. de re Iud.* A quo non recedendum, nisi gravissima ex causâ cáque taliqua non sinit exspectari citationem & causæ cognitionem; Ubi ea non apparet insistendum juris regulæ, *l. 1. ff. de R. I.*

DECISIO VI.

Judex ante omnia diligenter articulos positionales expendere, nec irrelevantes admittere, aut clausula salvo jure impertinentium abuti debet.

NIhil magis ad litium abbreviationem & processus judiciarii rectum minusque intricatum cursum proficit, quàm si ab initio judex à partibus seu actore in positionalibus seu reo in defensionalibus articulata diligenter dextreque expendit, nec ex iis admittit, quod ad causæ merita actionisque vel exceptionis requisita non facit. (1) In illo fundamentum litis est, quo bene posito omnia imposterum expeditiora sunt: sicut promiscuè & sine discretione admissis omnibus non possunt non istum intricare, prolongare, disputationes multiplicare. (2) Parum tamen in multis judiciis hoc curatur, & raro accurata atque solicita ei opera impenditur, sed indiscriminatim totum libellum & omnes articulos ad respondendum, excipiendum, probandum admitti videmus. Non possumus ejus etiam causam suspiciari, quam judicum aut imperitiam aut desidiam; quod vel nolint, quia ea res studium non leve deposcit; vel non possint, quid nisi accurati judicis dexteritate fieri potest, pertinentes atque relevantes discernere. Vulgare refugium est ad clausulam salvo jure impertinentium & non admittendorum, quam ut salutarem adhibent. (3) Hæc quidem aliquando ut remedium assumenda, sed non ultra quam necessaria. Haud verò eâ opus nisi in dubio, quando satis non apparet, an articuli sint impertinentes. (4) At cum judici manifestum est, vel facilè deprehendere licet, non pertinere ad causam articulos, nihil relevare, etsi probarentur, tam ingens abusus est illius clausulæ quam incongruum, ineptum, inutile, imo noxium ipsos admittere. (5) Præterquam quod valde culpandus est judex, qui in illo examine atque dijudicatione officium suum negligit, (6) & causa prolixoris, sæpe etiam inutilis & sumptuosæ litis existit, ita partibus inde justa querendi ratio, etiam appellandi necessitas, nec injustum gravamen. (7) Horum in S. Tribunali Regio suscepta consideratio permovit, ut semper non tantum ab initio de relevantia gravaminum appellationis, sed etiam ubi ad probatoria in processu deveniendum de articulis in consilium atque examen iretur,

atque

Digitized by Google

atque pertinentes ab impertinentibus circa injungendam responsionem atque probationem circumspectè considerarentur. Quod ita factum & ut imposterum fieret complacitum. Die 12. Julii Anno 1655.

1. Nihil enim admittendum est in judicio, quod non relevat: ideo considerate quod in articulis habetur, est admittendum, *Gail. 1. Obs. 81. n. 1. & 3.* Hoc maxime ad judicis officium pertinet *Gail. d. Observ. 81. num. 13. & seq.*

2. *De his vitiis & incommodis articulorum vide plenius Rutg. Ruland. in tr. de Commissar. part. 3. lib. 1. cap. 3.* ubi docet, quàm magnæ artis sit, bene articulare; juxtim quomodo ad officium judicis spectet, circumspectè articulos admittere.

3. *De virtute & effectu hujus clausula vide quæ scripsit Rutger. Ruland. dict. part. 1. c. 1. n. 5.*

4. Præstat in dubio superfluum admittere, quàm necessarium omittere, *uti in his ipsis terminis loquitur Speculator in tit. de position. §. 7. n. 8.*

5. *Gail. dict. Observ. 81. n. 2.*

6. *Oldendorp. de actionibus tr. tit. de position. §. Caterum.*

7. *Mascard. de Probat. conclus. 132. n. 1.*

DECISIO VII.

Submissio pura post responsiones non arctat judicem ut super causa principali pronunciet, sed quæ processus sunt non eo minus recte definit.

CUm post responsiones appellati appellans pure submiserat, (1) in quæstionem veniebat utrum statim definitive pronunciandum esset. Siquidem responsiones fuerunt congruæ & causa satis eventilata & non dubia amplius, dubitandum non est pronunciationi definitivæ locum fore. (2) At si non satis judici de veritate & statu causæ constat, ea submissio non impedit ulteriora judiciarii processus adhiberi. (3) Integrum judici est illa non obstante ubi necessarium pro veritate vel responsiones uteriores, cum non sunt congruæ priores, exigere, vel probationem eorum quæ negata sunt & ad causam faciunt, (4) injungere. Sicuti juxta hæc decretum *in causa Philipp Gutzlaff Rotermunden contra Hans Krackewitzen, die 16. Nov. Anno 1655.*

1. Statim super actis prioribus vel libello submitti potest, nedum post responsiones.

2. Judici non concluditur sed integra sunt omnia pro causa necessaria, etsi partes concluserint. *Alexand. in l. 4. §. hoc autem num. 14. 18. & seq. ff. de damn. infect.*

3. Judicis est ante omnia veritatem facti indagare & pro hac quæ processus judiciarii sunt adhibere. *Specul. in tit. de judic. § sequitur nunc. num. 6.* ubi officii & arbitrii judicis esse scribit dirigere processum prout causæ expedit.

4. *Gail. 1. Observ. 107. n. 5. seq.*

DECISIO VIII.

Super desertione appellationis in superiori judicio pronunciatur sine appellantis citatione.

QUerebatur appellans de pronunciatione super desertione contra semet factâ se non citato, hinc nullitatis sententiam arguebat. Movebatur inde quæstio, an citatione opus sit, antequam super ista pronunciatur? Sic visum JCtorum plurimis (1) ex illa ratione, quod in re tanti momenti nihil sine causa cognita statuendum sit, hæc cognitio verò citationem requirit. (2) At sicut plerique istorum in suis scriptis loquuntur de Judicibus, à quibus appellatur, ut cum lapsus illius temporis ex quo deserta habetur appellatio allegatur, ad executionem devenire non debeant, (3) antequam aut à judice superiore legitimè non introductæ appellationis attestatum profertur, aut appellans citatur & auditur. (4) Ita etiam ad illos istam opinionem tantum referimus. (5) At in superiori illa citatio non est necessaria, (6) sufficit ex actis lapsum fatalium & inde desertionem constare. Illa cum inducant notorium, simul efficiunt, ut alterum citare sit supervacuum. (7) Præsertim cum ad prosequendam appellationem à judice appellans non compelli, sed ipse per leges vigilare & justo tempore quæ istius sunt, facere teneatur. (8) Omittens desertionis reus fiat. Nec est quod ultra cognoscatur, quam ut tempora & in iis facta vel facienda considerentur, de quibus ex actis statuendum est. (9) Quam sententiam in summo Tribunali Regio circa desertionis articulum semper secuti sumus. Uti etiam factum *in causa Iochim Schlegels, contra Iohann Wincklern, die 20. Novemb. Anno 1656.*

1. *Bartol. in l. 1. quæst. fin. ff. nihil innov. pend. appell. Panorm. in c. ex ratione ibid. Felin. num. 9. de Appellat. Maranth. in Spec. part. 6. tit. de Appellat. num. 223.*

2. *Iuxta l. de unoquoque 47. ff. de Re Iudic.*

3. In dubio appellatio non habenda est deserta; sed ei ut defensioni maximè favetur; inde desertionis causa odiosa & in obscuro potius contra istam pronunciandum est. *Iason. consil. 16. lib. 3.*

4. Ita ratio & mos habet, ut judices inferiores nisi notoria sit desertio, abstineant à pronunciatione vel decreto, sed prius petant, vel appellatum petere jubeant attestatum ex actis de lapsu fatalium.

5. *De communi hac praxi testatur Padill. in l. 1. num. 16. C. de jur. & fact. ignor.*

6. Non modo jurisprudentia illum nullibi requirit, sed etiam legibus contraria est, *uti ostendit text. in l. fin. §. illud C. de Appellat. c. personas c. Roman. X. de Appellat.* ex quibus constat, eo loco rem habendam post lapsum temporum ac si planè appellatum non fuerit.

Digitized by Google

7. Nihil hic appellanti demitur aut irrogatur; sed quod cum deberet, non fecit, omissum ex actis declaratur. In quo nihil ultra acta cognitionis opus est.

8. Vigilantibus jura scripta sunt.

9. Quia acta notorium faciunt; in notoriis autem non opus est citatione nec probatione, *c. fin. ib. Canonista de Cohab. Cleric.* sed ea statim terminari possunt pronunciatione.

DECISIO IX.

Ob contumaciam non decernenda ante legitimam citationem vel jussionem, accusationem, & sententiam super illa executio.

OB contumaciam quidem tanquam contra confessum proceditur, haud tamen præcipitanter (1) nec prius, quam reus legitime citatus aut sententiæ vel decreto parere jussus fuerit: (2) Deinde contumaciam adversarius accusaverit, (3) denique super illa contumacia judex pronunciavit reum contumacem declarando. (4) Idcirco ubi sententiam judicis intra certum terminum reum exceptiones proferre debere pronunciatum erat, nec constaret sententiam ad conscientiam rei pervenisse, (5) nec ultra illam ulla accesserat quæpiam admonitio aut jussio, (6) nec accusatio sic facta ut ad notitiam accusati devenire potuerit, (7) extra juridicam judici porrecta nec judex ad illam contumacem declaraverat, (8) nec causam ob contumaciam pro concluſa acceptaverat, (9) in causa sententiam protulerat, sed ante hanc seu sine hac executionem statim decreverat, (10) & quidem in causa ubi executive procedi non poterat, appellatio interposita non tantum recepta, sed cassato mandato executivo processus ad suum ordinem reductus fuit. *In causa D. Ioannis Ende contra Ioannem Ludolphum Schönbeck, die 19. Aprilis Anno 1661.*

1. Leniter & caute ad pœnam contumaciæ procedendum esse monet *Carpzov. in resp. Elect. 28. n. 3. lib. 3.*

2. *Hippol. de Marsil. singul. 118. num. 1.*

3. *l. ad peremptorium ff. de judic. l. properandum 13. §. 1. C. eod.*

4. *Hartm. Pistor. part. 1. quæst. 3. num. 10. Thesaur. decis. 19.*

5. Ante omnia contumaciam accusans docere debet, ad scientiam contumacis decretum judicis veniſſe, si de eo non apparet aut judex dubitat, in contumaciam non proceditur. *Carpzov. jurispr. forens. part. 1. constit. 9. def. 16.*

6. Ob magnum præjudicium quod contumacia irrogatur sic servari solet, ut etsi sententia injungat responsionem præfixo termino, nisi hic peremptorius sit, alia accedat jussio. Nec enim ob contumaciam fit condemnatio nisi terminus sit peremptorius.

7. Clancularia accusatio non sufficit.

8. Per interlocutoriam sententiam id fieri debuit. *Carpzov. d. const. 9. def. 15. num. 5. in fin.*

9. Ordo processus exigit, ut prius in contumaciam causa pro concluſa habeatur, antequam pronuncietur *vid. Gail. 1. observ 60.*

10. *contra l. judex 5. l. C. commin. Epistol.*

DECISIO X.

Tuitoria possessionis nisi hac existente notoria pendente lite sine causæ cognitione non sunt decernenda.

LIte quidem pendente nemo possessionis suæ commodo privari debet, (1) sed à judice quisque in ea contra turbationes defendi, (2) ut fieri solet per mandata, quæ vocamus tuitoria; attamen non aliter hæc decerni, quam si possessio petentis est notoria, (3) ex actis per confessionem partis adversæ, aut documenta fide digna. Cum de ea judici sic certo non constat, haud ad ea deveniendum est, nisi cum causæ cognitione, (4) ob maximum quod inde imminet præjudicium, circa quod cautè versari, ideo ante omnia veritatem antequam tuitorium decernitur, explorare, quocirca ubi res non est perspicua, adversarium citatum prius audire oportet. (5) Sicut concluſum die 28. Februarii Anno 1654.

1. *c. 1. ut lit. pendent.*

2. *Lancellot. de Attent. part. 2. cap. 4. num. 15.*

3. Mandata sine clausula non decernuntur, nisi cum certum est jus petentis.

4. Est tuitorium species inhibitionis, quæ non decernitur nisi cognita causa. *Bartol. in l. 1. §. adversus. ff. de Op. nov. nunc.*

5. *Roll. à Vall. consil. 77. num. 25. vol. 2.*

DECISIO XI.

Restitutio Pignoratorum differenda est, quamdiu jus pignorationis est dubium.

QUando pignorationes inter prohibita & odiosa relatæ fuerunt, (1) & contra eas de restituendo decernuntur mandata sine clausulâ, (2) ideo divellitur in processu processus mandati atque citationis, seu causæ pignorationis, ita ut isti prius obtemperandum, hæc deinde, alio judicio discutienda sit, (3) videri initio potest injustam esse restitutionis suspensionem seu dilationem, donec de causa cognoscitur. At ita demum id obtinet, quatenus pignorationes plane sunt injustæ atque vetitæ. Qualis est illa species, quam Constitutio intuitu Pacis publicæ pro ea imperturbatâ conservandâ prohibuit, (4) ideo statim restitutionem sine clausulâ mandari, huic pareri, nec pari-

Digitized by Google

paritionem objectu causalium suspendi voluit. Secus autem est in aliis casibus, in quibus aliquando pignorationes licent. (5) Ex quo enim pignorationes ex consuetudine aut ratione justâ in usum venerunt, atque aliquibus in speciebus licentiam acceperunt, (6) sequitur cessante causa mandati, non posse adversus illas sine clausula mandari, aut verò si mandatum processerit, paritionem propter exceptiones istas, quæ asserunt jus pignorandi, suspendi. Hoc enim interest inter plane prohibita, & quæ juris specie defendi queunt, seu aliquando licet. Quod in illis mandata celerem paritionem requirunt, nec admittunt exceptiones ante istam nisi tales, quæ jus petentium plane perimunt. (7) In his vero exceptio vel allegatio causæ suspendit vim mandati, (8) cujusmodi etiam ea est, cum dicitur pignorationem factam esse in loco seu solo pignorantis, & ex ea causa, ut defendatur prædii libertas, vel interrumpatur præscriptio, vel avertatur damnum, quod ex actu per pignorationem impediendo imminet. Quando itaque judex post mandatum sine clausula de restituendo noluit paritionem injungere aut exequi, sed suspendit hæc, usque dum discuteretur, an non licite pignoratum esset, & probationem exegit, visum ideo non esse justam appellandi causam, sed remittendas partes ad judicem à quo, *uti inter Oloff Segebaden & Senatum Demminensem pronunciatum fuit, die 10. April. Anno 1654.*

1. *Vid. Koppen, decis. 41. num. 1. seq.*

2. *Gail. Observ. 8. num. 1. & seq.*

3. Quod uti fieri debeat, exponit *Gail. in tract. de Pignorat. Observ. 13. n. 1. seq.*

4. Non enim contra alias locus est mandatis sine clausula.

5. Ingens error est etiam magnorum JCtorum, quod constitutionem Imperii, quæ intra certos terminos, & cum certis requisitis intuitu Pacis publicæ disponit, *ut prolixe exponit ista Mindan. lib. 1. de Process. cap. 34. & seq. Gail. in tract. de Pignorat. obs. 3.* ad alias species extendunt, & quæ inter privatos procedunt, ex ejus legis rigore definire volunt, cum tamen in iis & verba constitutionis & ratio cessent, nec similis providentiæ necessitas adsit.

6. *De his scripsi in part. 1. definitionum, ubi plures recensui species.*

7. Ita de mandatis sine clausula generatim JCti tradunt.

8. Pro turbatore non habetur, qui justam turbandi causam habet. *Bartol. in l. 1. §. hujus num. 2. § ult. num. 19. ff. Uti possid. Chassana. in consuet. Burg. rub. 1. §. 5. vers. sit ea num. 82. seq.* Hodie per consuetudinem universalem Germaniæ istiusmodi pignorationes ex his causis frequentantur, atque licitè habentur tanquam defensionis species, quod inter decisiones nostras alibi jam probatum dedimus, & in judicando sæpius secuti sumus.

TIT. XLIV.

DE SENTENTIIS EX periculo recitandis.

DECISIO Unica.

Ostendendi remoram sententia mandatum ad inferiorem judicem de ea publicanda intra certum tempus decernitur.

Sicut ob remotam processus de protracta justitia partes queri & promotoriales ad administrandum sine mora justitiam decerni solent; (1) Sic cum processus finitus & acta conclusa sunt, dilata pronunciatione mandata de publicanda sententia petuntur. Per quæ solet præfigi inferioribus judicibus certum tempus intra quod sententia proferatur. (2) Et siquidem ea mora aperte doceatur tantaque sit, ut judicis superioris indignationem mereatur, pœna mandato additi solet. Ubi in nudis narratis consistitur, nec de magna culpa constat, aut excusationis aliquid ex præterito deprehenditur, pœna omittitur, (3) sine clausula tamen decernitur. (4) Sicut decretum *ad supplicationem Licent. Petri à Kampen contra Senatum civitatis Wormatiensis, die 7. Novembris Anno* 1659.

1. De ea specie mandatorum sine clausula ob protractam justitiam *vid. Gail. 1. Observ. 28. num. 3.*

2. Habet quidem etiam in hac specie locum petitio promotorialium ob protractam, justitiam an præterea peti solet mandatum de pronunciando intra certum tempus. *Rutger. Rutland. in tract. de Commissar. & Commiss. part. 1. lib. 9. cap. 14. num. 8, docet hic sub n. 9. quomodo hoc priori remedio multo sit utilius.*

3. Sub pœna enim non mandatur nisi in iis quæ manifestè sunt illicita & in crimine puniri debeant *Bald. in l. fin. C. de Mod. mult.*

4. Est enim res plane illicita & judice indigna litem protrahere & sententiam differre, ideo congruum ut sine clausula mandetur. *Ord. Camer. part. 2. tit. 23.* Quomodo in Camera talia mandata ex ista causa decerni Observatores Cameralium processum docent.

TIT. XLV.

DE SENTENTIIS ET INterlocutionibus omnium Iudicum.

DECISIO I.

Contra magistratuum statuta & edicta nisi notorie iniqua non est decernenda inhibitio.

Querelæ civium de nullitate & injustitia ordinationis vel statuti, addebatur pro

Digitized by Google

inhibitione executionis impetranda petitio. Siquidem nullitas vel iniquitas statuti fuisset notoria, nec de ea amplius dubitandum, istam impetrari æquum fuisset. (1) At quamdiu nondum de ea constabat, sed lis erat, placuit inhibitionem adhuc negare, tum ob vim quæ debetur magistratuum decretis, adeo ut nulla impugnatione etsi legitime interposita executio suspendi vel prohiberi debeat. (2) tum ob præsumptionem quæ pro magistratu ejusque decretis militat; (3) tum ob periculum reipubl. si magistratus autoritas sine gravi causa enervetur; (4) tum denique quod nec ob privatas lites nullitatis querela solet executionem suspendere & impedire; (5) tum denique quod nec ob privatas lites nullitatis querela solet executionem suspendere & impedire; (5) tum denique quod acta tam publica quam privata interea sustinenda & observanda sunt, donec legitimis mediis revocentur. Rejecta est itaque ea petitio civium, Die 19. Martii Anno 1658.

1. *l. ambitiosa 4. ff. de Decret. ab ord. fac.*

2. *Textus de hoc notabilis est in c. ad nostram 3. de Appell. ex quo aliisque adductis rationibus Petr. Frid. Mindan. de Mandat. lib. 2. num. 15. rectè colligit non esse promiscue ob subditorum & civium querelas magistratui per superiorem cohibendas manus.*

3. *de hac vid. Alciat. de Præs. reg. 3. præs. 9. in pr.*

4. Nisi conservata magistratuum autoritate non potest conservari quies civitatis, cujus unicum in illa vinculum: Minime inde impediendum ne illi decreta sua pœnalibus judiciis defendant. *l. un. ff. si quis jus dic. non obtemp.*

5. *de quo vide latissimam explicationem apud Scacciam in tr. de Appellat. q. 19. remed. 1. concl. 4. per tot.*

6. Per rationem justitiæ servamus, ut omnia acta antequam rescinduntur habeamus ut rata & observentur, ne ante sententiam super iis quis sibi jus de iis dicere videatur.

DECISIO II.

Potest ob mutatum causæ statum de alio in secunda instantia ferri sententia, ac de quo actum fuit in prima.

QUod dici solet, judicis superioris ad quem provocatur, jurisdictionem saltem de iis esse, quæ ad illum per appellationem devolvuntur, & in priori instantia agitata fuerunt, non in aliis; (1) cessat, ubi per sententiam mutatus fuit rerum status, quia ad idem judicium pertinent postea incidentia. (2) Cum itaque appellatum esset in puncto fori competentis, appellatus autem renunciasset isti exceptioni & consensisset agi in superiori judicio causam, (3) & super ea pronunciatum esset, non auditus fuit ideo sub isto obtentu appellans, quod super alio capite quam fori sententia lata esset, cum hoc desisset & de ipsa causa lis jam acta esset. (4) *In causa Georgii Barsenii Secretarii Regii contra Capitulum Hamburgense, die 15. April. Anno 1650.*

1. *Matth. de Affict. decis. Neapol. 155. n. 3. Menoch. retin. poss. remed. 5. n. 95.*

2. Puta si prioris litis sunt accessoria. *l. 1. C. de iu. dic. l. secus est ubi ab ea diversum fuerit, de qua specie loquitur. l. non potest 23. ff. eod.*

3. In eo est jurisdictionis prorogatio, quæ judicem facit, ex partium consensu competentem *l. 1. C. de Jurisdict.*

4. Appellatio devolvit ad judicem omnia causæ in qua interponitur accessoria. *Franch. in c. ut debitus n. 4. de Appell. Scacc. de Appell. quæst. 3. n. 14.*

DECISIO III.

Vitiose possidens attentat pendente lite, modo de vitio manifeste constet, alias causæ cognitione prius opus est.

POssessio à vitio attentati ita demum liberat, & purgat si non est injusta & vitiosa. Quod si enim injuste plane quis teneat aut exerceat de quibus controvertitur, non magis vitiosis & prohibitis detentionibus atque actibus se teneri potest, quam qui delicta frequenter exercet pro possessore haberi aut criminum possessor dici. Ut autem ob allegationem vitiosæ possessionis super attentato querelæ atque revocationi locus sit, oportet manifeste atque indubie injustam ac improbam esse. Si cum jus actoris tum iniquitas possessoris dubia, non proceditur ad revocationem. (1) Defenditur hic contra eam præsumptione possessionis quæ in dubio prævalet. (2) Præsertim si cum magistratu res sit, ex cujus autoritate alia exurgit præsumptio. (3) Quocirca cum cives de injuria gabellarum, quas aliquandiu magistratus receperat, conquererentur, ob continuatam exactionem pendente appellatione non decreta fuit revocatio, dum non levia pro magistratu aderant argumenta, quæ jus exactionis firmare videbantur. (4) Vitium tamen juxtim fuit non plane etiam repellendos esse conquerentes, sed punctum attentatorum peculiari cognitioni submittendum, cum quædam allegarentur, ex quibus non tam jus quam possessio ipsa dubia reddebatur. (5) tum etiam ex quibus ipsum jus diluebatur. (6) *In causa Aromatariorum civitatis Wismarienſis contra Senatum ejusdem, die 11. Maij Anno 1658.*

1. Vitiosa possessio nemini proficere debet. *Bald. in l. 1. n. 16. C. de Servit. & aq. Sichard. in l. fin n. 397. seq. C. de Edict. D. Adrian. tollend.*

2. *Vid. quæ latius exponit Lancellot. in tract. de Attentat. part. 2 cap. 4. limit. 1. n. 3. & 6.*

3. *De hac vid. in defin. seq.*

4. Vide plura de præsumptione quæ pro magistratu militat *apud Petr. Frid. Mind. lib. 2. de Mandat. c. 13. n. 3. & seq.*

5. Circa ea onera, quæ civibus à magistratu imponuntur, hoc servatur discrimen, ut si plane nova, insolita & non excusanda sunt, exactio mandatis sine clausula coerceatur, non attento quod aliquandiu tolerata sunt. *Gail. 1. Obs. 17. num. 1. seq.*

At

Digitized by Google

At ubi jus illorum dubium est præstari cœpta, non nisi cum causæ cognitione exactio prohibenda est *Anchoran. consil. 37. n. 3.*

6. Ita sæpius observatur cum attentatorum punctus concernit possessorium, ipsa vero causa simul petitorium. Separatur processus & ille prius terminatur quo de possessionis causa, quæ in illum incidit, prius definiatur *juxt. l. 3. C. de Interdict.*

DECISIO IV.

Similiter in inferiori judicio judicata, nisi cum consuetudinem certam fecerint, necessario non sequitur superius.

MAgna quidem vis est in causis similiter & perpetuo judicatorum, (1) ex quibus præsumptio justitiæ & argumentum voluntatis popularis; at non tanta ut aut legem aut rationem vincat; (2) sed potiores sunt hæ in judiciis. Ideo etsi vel multoties super quæstione aliqua similiter jus dictum constet, ubi aut ex lege aut ex justa ratione justum non reperitur, superior judex nõ sequitur. (3) Non apud eum prævalebit quod ex opinione, multo minus si ex errore aliorum una vel altera vice sic pronunciatum sit. (4) Non enim exemplis sed legibus judicandum est. Nec res judicata aliis nocet ac præjudicat ac inter quos dicta fuit sententia. *In causa viduæ D. Tarnovii contra Ioachimi Matthaum Thun, die 12. Octobr. Anno 1658.*

1. *l. Nam Imperator 38. ff de Legib.*
2. *l. 2. C. quæsit long. consuet.*
3. In ambiguitatibus tantum res perpetuo judicatæ auctoritatem habent. *d. l. Nam Imperator 38. Non ubi de jure aliter constet.*
4. *De eo jud ex admonetur in l. nemo 13. Cod. de Sentent. & Interloc.*
5. *l. 2. l. fin. C. quib. res jud. non noc.*

DECISIO V.

Error in litera sententiam nec vitiat, nec si apparet à contumacia excusat.

CUm in sententia interlocutoria pro voce appellantis posita esset vox appellati, & quidem errore describentis, id ad vitiandam sententiam nihil facit. Nec enim error est in ipsa sententia, sed in litera tantum, qui veritatem non immutat, (1) nec defectus literæ, ubi de veritate constat, mutat actum. (2) Magis dubium videtur, utrum error ille sufficiat ad excusandam contumaciam, nec ob hanc probandi via percludi debeat? Putatum est interesse, utrum juste errarum, atque pars non injusta opinione inducta sit in eum intellectum sententiæ prout ex errore sonuit, an vero ipse error manifestus, sensusque sententiæ ex tenore indubius fuit, sicut magis veritatem quam errorem sequi convenit, (3) nec excusari potest errorem apertum voluntarie secutus, (4) ita nec à contumacia excusabitur, (5) præsertim ubi error à quovis facile deprehendi potest. (6) Multo minus, ubi alio decreto detectus & correctus fuit error, imo ipsemet aut procurator istum agnovit, ideo non secutus, (7) sed quod veritati convenit antea petiit (8) atque proposuit, postea demum ad illud tegumentum (9) negligentiæ falsum & inane reversus. Non attento itaq; eo prætextu ex litera petito, mansit via probandi appellanti præclusa, etsi primum decretum probationem injungens appellati mentionem fecerat, ita tamen, ut eam non esse mentem satis intelligi potuerit. (10) Cavillatio mera fuit, qua negligentiam suam appellans obtegere voluit ex ratione & tenore sententiæ conscius suum esse probandi onus, petita etiam postea secunda dilatione, sed eandem labi passus. (11) *In causa Henrici Bremern contra den von der Decken, die 1. Septembr. Anno 1659.*

1. *Vid. Fabr. in Cod. lib. 7. tit. 20. defin. 3.*
2. Hic vitiat sententiam.
3. Veritas erroribus rerum gestarum non vitiatur. *l. illicitas 6. §. 1. ff. de Offic. Præsid.* Rei gestæ potior quam scripturæ habetur ratio. *l. multum 6. C. si quis alt. vel sib.* Nuncupatum magis quam scriptum inspicitur. *l. quoties 9. §. 2. seq. ff. de Hared. Instit.*
4. *l. errore 7. C. de Testam.*
5. De quo dubitari potuit, quia quælibet causa etiam frivola & injusta, à contumacia & dolo excusat. *l. igitur 12. §. potest. l. 2. seq. ff. de lib. caus.*
6. Justi erroris excusatio est *l. 2. C. de Excus.* quia in eo nulla voluntas est. *l. sed hoc ita 20 ff. de Aq. & Aq. pluv.* subvenitur inde errantibus & lapsis, *l. hi qui 3. Cod. de Apostat.* & cum dolo caret qui erraverit. *l. 2. §. si publicanus 20. ff. vi bon. capt.* utique nec in contumacia est cui dolus inesse videtur. *l. non potest 399. ff. de Reg. Iur.*
7. Non stultis solet succurri, sed vere erantibus. *l. regula 9, §. ff. de jur. & fact. ignor.*
8. Plane injusta causa non liberat à contumacia. *l. properandum §. fin. autem ib. Dd. Cod. de judic. Fab. in Cod. lib. 3. tit. 7. defin. 17. num. 11.*
9. Negligentia vel imperitia crassa & supina ad excusationem non admittitur, *l. nec supina 6. ff. de jur. fact. ignor.* sed de sequeri debet quod facile potest intelligare non attendens. *l. patronus 3. pr. ff. si quid in fraud. Patron.*
10. Ejusmodi frivola causa quæ fuit affectata & ficta non excusat à contumacia. *l. 2. §. ult. ff. si quis caution. l. 2. §. subvenitur ff. ad SC. Syllan. l. & qui data ff. ex quib. caus. major.*
11. Paria sunt scire & facile scire posse. *l. pen. ff. ad SC. Macedon.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO VI.

Ex depoſito quod recipit magiſtratus non eſt contra civitatem actio.

SIc legibus cautum, ut civitas ex contractu magiſtratuum vel adminiſtratorum non obligetur niſi accedente utilitate ſeu in rem verſione. (1) At non eſt civitati ex receptis rebus depoſitis utilitas. Depoſitum enim non depoſitarii, ſed tantum deponentis gratia contrahitur. (2) Quare non competentis actionis exceptio contra repetitionem ejus depoſiti fundata & admittenda eſt. (3) Et licet allegetur, non ſolum magiſtratum, ſed una eum eo cives contraxiſſe aut aſſenſiſſe, ad actionem non proficiet aut judicem ab abſolutione remorabitur, cum non edocta ſtatim verſione in rem, læſio manifeſta ſit nec probatione ulteriori indigeat. (4) Ideo licet vel ex aliquo rigore teneret obligatio vel actio, tamen dum notorium eſt locum reſtitutioni in integrum fore, non attendi deberet. (5) Ita judicatum *in cauſa Senatus zu Buxtehude, contra Frantz von Sundershauſen, die 20. Octobr. Anno 1657.*

1. *l. civitas 27. ff de reb. cred.* quæ lex non tantùm ut quidam putant, in mutuo, ſed etiam in omnibus aliis contractibus obtinet. *Hartman. Piſtor. part. 1. quæſt. 37. num. 51. Heig. part. 1. quæſt. 34. n 3.*

2. §. *pen. Inſt. quib. modis re contrah. l ſi ut certo* §. *videndum 2. ff. Commodat.*

3. *c. 1. X. depoſit.*

4. Quando de iis negociis agitur, in quibus manifeſtum eſt, credere in alicujus incommodum ſine ulteriori probatione læſio ex re ipſa apparet *l. ait Prætor.* § *non ſolum ib. gloſſ. ff. de Minorib. Hartm. Piſtor. d. quæſt. 37. num. 60. part. 1.*

5. Cum manifeſtum eſt reſtitutioni in integrum locum eſſe judex ſine ambage id, quod ei convenit judicat, nec ex una lite plures facit.

DECISIO VII.

Non eſt nulla ſententia excedens punctum ſuper quo ſubmittitur, ſi alias actis ſit congrua.

COncludi in cauſa & ſubmitti ſuper eo, quod in pronunciationem judicis venire debet judiciorum mos obſervat. Inde querela nullitatis non in frequens, ob exceſſum ſententiæ ultra id de quo ſubmittitur. Quæ non immerito attenditur, facitque ſuſpendi ſententiam, ſi pronuncietur ſuper eo, de quo aut in actis nondum fuit diſputatum, (1) aut non ſatis deducta & probata utriusq; partis merita ſeu cauſæ momenta. (2) Id quippe foret pronunciare ſine plena cauſæ cognitione. (3) At ſi ſatis ventilata, deducta & diſcuſſa illa ſunt, alterutra vero partium nondum velit definitive pronunciari, ſed prius articulum quendam interlocutione definiri, judex, ubi id iniquum aut inane & ſupervacuum reperit, ulterius progrediendo minime peccat, (4) cui integrum, ſuper actis eorumque tenore non tantum juxta deſiderium partis juſta proloqui. (5) Quinimo rejiciendo quod ineptum non poteſt non ſupereo quod congruum ſtatuere. (6) Sicut cum contra decretum eſt lapſum termini probatorii probationis excluſivum petita erat reſtitutio in integrum, & altera parte eam reſici petente, altera ſuper illo ſaltem articulo judici cognitionem ſubmiſerat, ubi hic illa rejecta ſimul ſuper cauſa principali judicavit, argui nequit, veluti non injurius in eum, qui juſte ab ulterioribus excluſus erat, juſte pronuncians ſuper actis quæ merita cauſæ ſufficienter indicabant. *In cauſa Senatus Golnovienſis contra Conſulum Valentin Wendland, die 30. Sept. Anno 1659.*

1. Quod fieri non debet *l. ut fundus 18. ff. commun. dividund.*

2. Probatio pars ſubſtantialis proceſſus eſt ex juræ naturæ, ideo ſententiam neceſſario præcedere debet, nec ante illam hæc valet.

3. Hæc omnino neceſſaria eſt, ut valeat ſententia.

4. Eſt ex debito partium, ut in cauſa poſt ſatis eam diſcuſſam concludere & judicio ſubmittere, ideo ſi id non fecerint, judex iſtam pro concluſa ex officio acceptare valet, *Gail. 1. Obſervat. 107. n. 2.*

5. Judicis eſt ſequi actorum veritatem, non partium placita *l. illicitas 8.* §. 1. *ff. de Offic. Præſid.*

6. Terminatio litis ad officium judicis & naturam ſententiæ ſpectat *l. 1. ff. de re judic.* quam judex quærere non ex lite litem permittere debet *l. ſi ſe 4.* §. *ait. Prætor 3. ff. eod.*

DECISIO VIII.

Inhibitioni non parens haud condemnandus eſt in mulctam, quamdiu non parendi cauſa ſub lite verſatur.

URgebat qui inhibitionem impetraverat declarationem contumacis ſeu non parentis in pœnam illi infertam, quæ ob non factam & edoctam partitionem fieri ſolet, & debet. At quando contra quos inhibitio decreta fuerat poſſeſſionem vel quaſi allegabant etſi ſtatim non docebant, viſum fuit ad condemnationem haud properandum eſſe, (1) ubi narrata vero ſimilia & præſumptionibus juris innixa erant. Etſi olim ſtricta inhibitionibus debetur obſervantia, & pro iſtarum autoritate & vi rigoroſa eſſe debet executio, (2) tamen non adeo præciſa, ut non audiatur, qui parendi neceſſitatem ex juſtis rationibus refellit. (3) His allegatis quemadmodum de cæteris mandatis ſine clauſula dicitur, inhibitio reſolvitur in ſimplicem citationem, (4) & fit ſuper poſſeſſione allegata cauſæ diſcuſſio ſummariè tamen, & quam fieri poteſt celerrimè. (5) Prout tunc reperitur narratorum veritas vel confirmanda eſt inhibitio. Quod conſide-

ratum

Digitized by Google

ratum, *In causa Senatus Stradensis, contra die Gräffen des alten Landes, die 30. Ianuarii Anno 1660.*

1. Circa inhibitiones non est sine aliqua causæ cognitione procedendum. Est enim magni momenti, dum tendit ad possessionem alteri demendam alteri tribuendam.

2. *l. 1. C. de offic. Præf. Prætor. Lancell. de Attent part. 2. cap. 31. num. 253. Ioseph à Sese de inhibit cap. 10. §. 1. num. 11.*

3. Nemo etiam per inhibitionem sine causæ cognitione possessione sua dejiciendus est, ut docet *Carpzov. respons. Electoral. 22. num. 1. seq. lib. 1.* ubi tradit, inhibitionem juste possidenti non præjudicare.

4. Quod traditur & exponitur *à Carpzov. resp. Electoral. 20. n. 19. seq.*

5. Causa inhibitionis est summaria.

DECISIO IX.

Arresti causa finita arrestata præstanda sunt arrestanti & de ijs tenetur huic, cui arrestum denunciatum fuerat.

IS apud quem pecunia vel alia bona arrestantur dum arresti persecutio fit, arrestata secum retinere & mandato judicis parere debet. (1) Post eam finitam ubi arrestanti adjudicantur relaxatione arresti facta mandatur eidem ut res arrestatas juxta judicatum porrigat, si pecunia sit, ei cui adjudicatio facta fuit, solvat. Quem de eo indemnem præstat judicis autoritas. (2) Quod si vero qui arrestata penes se habuit, spretó seu posthabito arresto, creditori suo solverit, vel ei cujus bona fuerunt tradiderit, non eo minus arrestanti tenetur ad solvendum quod ex arrestis debebatur, aut si non fit, præstandum interesse. (3) Quocirca non attenta allegatione ejus soluti, quod penes se erat creditori, adversus quem arrestum decretum fuit, quia solvi non debuit mandari potest sine clausula. Uti mandatum tale decretum fuit viduæ D. Coleri contra Senatum Stralsundensem. Die 10. Martii, Anno 1661.

1. *Vid. qua scripsi in tr. de arrest. c. 15. num 13.*

2. Qui judicis mandato paret nemini facit injuriam.

3. *De hoc scripsi plura in tr. de arrest. cap. 22. num. 19. & 20.*

DECISIO X.

Iuxta mandatum arresti censetur obligatio eorum qui ex hoc solvere jubentur, non juxta petitionem impetrantis.

QUi à judice arrestum petebat prima vice non nisi unum chirographum seu instrumentum, ex quo ipsi sexcenti imperiales debebantur produxit, quando autem mandatum à judice generale de nihil solvendo creditori contra quem arrestum tendebat, impetrasset, (1) postea productis pluribus instrumentis quadruplo majora debita in prosecutione & post obtentam adjudicationem omnium mandatum de solvendo ad debitoris debitorem petebat, ubi vero resciscit hunc creditori suo omnia solvisse, accusat inde contemptum mandati arrestatorii, & de iterum solvendo mandatum rogat. Quando autem ad illius tum & adjunctæ primæ pro arresto supplicationis tenore respeximus, cui posteriora decreta aptanda fuerunt, deprehendimus primum ab arrestante nonnisi prætatam summam & pro eo arrestum petitum, inde in eam dubitationem incidimus, utrum mandatum ad debitorem debitoris de cæteris creditis omnibus, quorum causa arresti prosecutio facta, quæque adjudicata fuerunt, an tantum de prima summa sexcentorum imperialium decernendum esset? Initio videri potuit non extendendum ultra hanc mandatum, quando ejus causa saltem arrestum petitum atque decretum erat (2) & apud quem pecunia ex arresto affigebatur, cogitare potuit non ultra ejus sensum se porrigere nec creditoris interesse quod solveret. (3) Veruntamen spectato mandato judiciali, ejusque generali tenore, idem creditori nichts für Außtrag der Sachen oder ferner Verordnung abfolgen zu lassen. (4) eique debita observantia, (5) nec non arresti effectu (6) & arrestantium potestate, (7) è contrario verò per solutionem exhibito insigni contemptu (8) tum porro quod hac in re nihil est arbitrii eorum, apud quos arrestatio fit, (9) si quid contra eum sibi arrogant & damnum patiuntur, suæ facilitati imputari debent, (10) hac vero non decipi arrestantem, qui fiducia arresti longam & sumptuosam litem sustinuerat considerato porro arresti effectu, quod hypothecæ instar habet (11) eaque afficit omnem rem hypothecatam etsi debito longe majorem, (12) æquius longe existimatum est illum temeritatem suam luere quam hujus innocentiam affligi. Et illos potius injuste solutum seu indemnitatem à creditore suo repetere, quam hunc incommoda novæ actionis alibi sustinere debere. Cum itaque nondum ex allegatis appareret, quod à nexu illo liberaret aut facto excusaret mandatum de omni credito decretum est inter eosdem.

1. Generale interdictum de non solvendo decerni solet cum arrestum petitur. Fieri tamen potest, ut etiam illud ad certam quantitatem restringatur ut frequenter fit addi der Schuldner soll so viel von der Summe biß zu ferner Verordnung ein und bey sich behalten. Hoc facto ultra summam expressam arrestum non tenet. Alias vero afficit quicquid est penes eum cui arrestum indicitur.

Digitized by Google

2. Judex non censetur imperiri officium extra causam in qua impertitur.

3. Quicquid a dolo excusat, liberat à pœna contemptus judicis. *l. un. ib. Iason. & Dd. ff. si quis jus dic. non obtemp.*

4. Generali mandato generaliter etiam obtemperandum est. *Cothm. resp. 22. n. 133. vol. 5.*

5. Obtemperandum est mandatis judicum prout sonant, nec permissum cuiquam alium sibi ejus sensum quemquam facere, ac quem verba indicant.

6. Arresto illa vis tribuitur, ut ob unum creditum implicatum pro alio etiam proficiat ejusque propter hoc prosecutio *fct. arg. l. un. C. etiam ob Chirograph. caus. Carpz. in jurispr. forens. part. 1. Constit. 29. defin. 5.*

7. De hac ita quidam sentiunt, quod pro modica summa arrestum impetrans illud possit pro majori & quidem etiam pro alio credito, cujus gratia non fuit impositum, persequi. *Berlich. part. 1. conclus. 24. num. 153.*

8. Communis omnium securitatis interest, mandata arrestatoria debita veneratione coli, ideo rei publ. interest contemtum eorum severe vindicari.

9. Ex arresto incumbit obsequii necessitas.

10. *l. 3. ff. de fidejussor.*

11. Arresta hypothecæ in effectu æqui parantur. *Coler. de Process. executiv. part. 3. cap. 11. num. 26. & seq.*

12. Pignoris nexus totam rem afficit, & donec solutum nihil ex eo fit liberum.

DECISIO XI.

Declaratio sententiæ ab extraneis Jurisperitis petitæ juxta eorundem intellectum, non pro captu aut opinione judicis, facienda est.

CUm de sensu sententiæ genuino oriebatur controversia, nec ipse judex suomet Judicio sed ex Jurisperitorum, ad quos proista concipienda acta transmissa erant, consilio, pronunciaverat, non frustra appellans segravatum conquestus est, quod judex ille declarationem istam non ab iisdem J.Ctis petiit, sed ex sua opinione fecerat, (1) eamque talem quæ actis parum consona videbatur, (2) Declaratio quippe rei dubiæ melior & securior ab his qui conceperunt, (3) quorum verum sensum judex negligere non debuit. (4) Ubi ex ipsis verbis ille non constabat, sic nempe comparatis, ut in utramque partem accipi possent, nec ille scire quid vere concipientes senserint. In tali casu incumbere visum, ut ad eosdem pro mentis expositione utriusque partis sumptibus iterum acta transmitterentur. Non injusta potuit videri appellatio, ob eam Judicis præsumptionem interposita. Eo magis recipienda, quod appellans responsum declaratorium pro se sonans ab eodem Collegio J.Ctorum impetraverat. (5) *In causa viduæ D. Rabhuns, contra Balthasarum Sachtleben, die 27. September Anno 1653.*

1. Judex quando aut ad petitionem partium aut ex officio sententiam vult ab aliis J.Ctis ex suo de jure sensu concipi, non est ei arbitrium vicissim ex suo sensu pronunciandi, *l. judex 55. ff. de re jud.*

2. Sententia cum dubia est, juxta acta est interpretanda & ita intelligenda, ut actis propius convenit. *Bald. in l. fin. C. de sent. & inter l.*

3. Ejus est declarare ac interpretari, cujus est condere. *l. fin. C. de legib.*

4. Quisque optimus verborum suorum interpres est.

5. Responsa J.Ctorum quidem à partibus privatim petita & impetrata parum proficiunt, nec sola movere Judicem debent, ut in illorum sensum judicando transeat, nisi actis juri & dextro suo judicio congruunt. Attamen cum pars intellectum pronunciati ab iis, qui publico nomine sententiam conceperunt, petit & impetrat, parvi id faciendum non est, cum non super actis & jure petentis tantum, sed super mente concipientis exponatur, quod convenit.

DECISIO XII.

Creditor post citationem cum comminatione præclusionis, publicata prioritatis sententia ad liquidandum vel deducendum contra rem judicatam ulterius non admittitur, etsi super præclusione nihil pronunciatum fuerit.

NE infinita & inextricabilia inter creditores concurrentes sint litigia, (1) opus est & consuetum, ad liquidandum ac deducenda jura sua peremptorium præfigi terminum, & quidem sub pœna præclusionis his, qui intra tempus præfinitum non venerint. Post illum non comparentes amplius non audiri æquum est, (2) nisi justam allegent causam, ex qua restitutionem in integrum mereantur. (3) Quam talis clausula impeditis non præcludit. Observatur porro in quibusdam locis post duo vel trina proclamata imponi non comparentibus perpetuum silentium & præcludi sub isto agendi viam. An autem id necessitatis sit? In quæstionem venit. Ex qua dependet, an tali interlocutione omissa creditorum alius, ac qui intra terminum liquida fecerunt jura sua, admitti & audiri debeat? Prius vero negandum est, (4) nisi lege aut consuetudine Judiciorum sic receptum fuerit. Circa alterum discerni debet casus duplex. Primus est, cum nondum sententia prioritatis fuit publicata, adeoque omnia adhuc integra sunt: Alter, si sententia jam definivit liquidationis certitudinem & prioritatis ordinem. In priori specie re integra admittendus erit creditor, (5) si probabilem causam dilatæ vel omissæ eousque allegationis afferre potest. (6) In posteriori autem admitti non magis debet, quam si prætacta interlocutio super præclusione interveniisset. (7) Terminus enim præfixus & com-

Digitized by Google

comminatio Judicis continet exclusionem. Quæ inanes ac frustratoriæ esse non debent. Constat ex jure terminum habere vim præcludendi. (8) Quem qui non observat, negligens est ac contumax, ideo non adjuvatur, (9) nisi per illa remedia, per quæ contra rem judicatam restitutioni in integrum ocus est. (10) Non admissa itaque appellatio, quæ saltem in non speciatim factâ præclusione vel impositione silentii fundabatur, in prædicta causâ. *In causa Henrici Bremers curatorio Nomine appellantis contra Matth. Pickenpack. Die 4. Octob. Anno 1653.*

1. Secus quam monetur *in l. quidam 21. ff. de reb. credit.*

2. Vigilantibus enim non negligentibus jura scripta sunt, *l. non enim 16. ff. ex quib. caus. major l. pupillus ff. quæ in fraud. cred.*

3. Ob ignorantiam vel impedimenta dari in integrum restitutionem creditoribus non comparentibus æquum est ex *l. 1. ex quib. caus. major.* Est enim ex æquitate etiam contra terminum probatorium in integrum restitutioni locus, *l. minor 36. ff. de Minorib.*

4. Jure communi nullibi constituta est ejus præclusionis per sententiam faciendæ necessitas, ideo nec fine lege exigenda; multo minus in præjudicium vertenda, *l. dissentientis 5. C. de Repud. l. illam 19. C. de collat.*

5. Præstat enim re integra quam post vulneratam causam remedium quærere, *l. fin. C. in quib. caus. restit.* & potest purgari contumacia usque ad sententiam. Et Judicis ea non potestas modo est, sed etiam officium; ut si prævidet partibus remedium aliquod seu restitutionem in integrum ex causa competere, ut præveniat potius quam exspectet indulgendo maturè, quod tandem impetrari possit, quo litigantes à moræ molestiis & impensis litigiorum liberet, *vid. Carpz. Elect. respons. 74. num. 14. seq. lib. 3.*

6. Licet enim alias usque ad sententiam partibus petere rescissionem conclusionis in causa vel submissionis, si rationabili ex causa fit. *Maranth. de Ord. Jud. part. 5. concl. 15. num. 3.*

7. *Per text. express. in l. si eo tempore 6. C. de remiss. Pign.* Ubi soli programmati tribuitur inter præsentes vis præclusionis.

8. Nempe cum peremptorius est, qualis est omnis probatorius seu ad docendum de jure suo præfixus, *l. oratione ibi gloss. & Dd. ff. de Fer.*

9. Negligentibus non subveniunt jura, sicut nec contumacibus, *l. evidenter ff. de Except. rei jud.*

10 Quomodo alias in integrum restitutioni locus esse potest, ut tanquam legitimum remedium contra res judicatas non tantum minoribus, sed etiam majoribus ex gravi justâque causâ judicis officio conceditur, *l. 1. l. 3. ff. de restit. in integr. l. 1. tot. tit. ff. & C. ex quib. caus. major.* ita etiam contra sententiam inter creditores latam admittitur, jure nullo in hac specie adempta. Exceptio sine lege non statuenda. *l. ab ea 5 ff. de Probat.*

(o)

DECISIO XIII.

Nondum introducta appellatione Judex ad quem super desertione non pronunciat, sed tantum non introductam attestatur.

POst quam semel introducta est appellatio, eâ deinde desertâ, judicis ad quem seu superioris est super desertione pronunciare, (1) nec convenit Judici à quo ante illam pronunciationem exequi. (2) Illa vero nondum introductâ licet interpositâ, judex ad quem imploratus ad declarandam illam desertam aut reperit causam, quare opus habet prius citare appellantem & audire, (3) num de aliquo impedimento docere habeat; aut vero nihil tale occurrit, sed desertio vere similis est, & tunc non pronunciat super desertione, de quâ ipsi non constat. (4) Arbitrio autem ejus relictum est, utrum oporteat citare appellantem ad respondendum accusationi desertionis, & postea pronunciare, an inferiori Judici ejus dijudicationem relinquere (5) Quorum prius fieri solet, ubi dubium est, utrum deserta sit appellatio, vel si quid factum aut prolatum coram superiore in præparationem introductionis petita prorogatione. (6) Posterius autem ubi tantum tempus elapsum, ut verosimile sit, appellantem non introducturum, aut introductionem non amplius fieri posse. (7) Tunc autem solet petenti pronunciationem dari documentum non introductæ appellationis, per quod exhibitum judex à quo eo securius & eo citius sententiam exequetur. Uti decretum hoc *in causa Curatorum viduæ Mareschalli Andreæ Bugenhagen, contra viduam & hæredes Adam Heiden. Die 8. Novemb. Anno 1653.*

1. In hac specie requiritur in superiori judicio accusatio contumaciæ ob non facta facienda, causæ cognitio, & demum sententia. *Hartman. Pistor. part. 1. decis. 104. num 24. Moller. lib. 4. Semestr. 32.*

2. *Scacc. in tr. de Appellat. quæst. 11. num. 151.* ubi duplicem rationem habet, prima, quod per receptam appellationem inferiori judici sunt ligatæ manus: Altera, quod scire hic nequit, an sit introducta, annon prorogatio impetrata, an impedimentum inciderit, & quæ sunt similia.

3. Quia desertionis magnum est præjudicium, judex caute super ea versari debet, nec temerè eam præsupponere, sed potius appellantem adhuc audire, *Moller. 1. Semestr. 32. num. 5.*

4. *Carpzov. in Iurisprud. Forens. part. 1. Constit. 20. defin. 31.*

5. Pertinet ad officium judicis etiam nondum introductâ appellatione ea quæ ad desertionem spectant, diligenter expendere. *Gail. 1. Observ. 137. num. 1. & seq.*

9. In dubio credendum est appellationem non esse desertam, *Ruginell. in tract. de Appellat. §. 12. gloss. 1. num. 26.*

Digitized by Google

7 Cum introducta appellatio post lapsum fatalium non docetur, multo magis ubi de non introducta ex documento constat judicis à quo est, super desertione statuere. *Gail. 1. Observ 137. num 3. Coler. de Proceſſ. Executiv. part. 2. Cap. 1. num. 118.*

DECISIO XIV.

Mutare decretum & ſententiam interlocutoriam integrum, at non neceſſarium eſt, & quid ſuperiori cum de eo querela oritur, convenit.

POstquam Judex decreverat, ut partium altera inſtrumentum quoddam ad acta deponeret, cum ab hac depoſitio recuſaretur, & finem litis differret, reſcriptum impetratum fuit, ut ea neceſſitas ad acta deferendi remitteretur. (1) At ei non obtemperatum. Iterata inde querela & ſuborta quæſtio eſt, quid porro ad illam decernendum ſit? Quemadmodum Judici integrum eſt id quod ſemel decrevit ex ratione probabili mutare, (2) idque etiam ad interlocutoriam ſententiam pertinere creditur, (3) ita etiam appellatione non interpoſita apud ſuperiorem Judicem ſupplicatio pro reſcripto fieri poteſt, ut cum juſta cauſa adeſt, inferior emendet & mutet. (4) At inde non eſt neceſſitas obtemperandi, ſed penes Judicem inferiorem integra remanet facultas cauſas examinandi, ſuper iisdem ſtatuendi & decernendi. (5) Quod ſi itaque priori decreto inſiſtit, non eſt ſuperiori poteſtas illud annullandi vel injuſtum declarandi aliter, quam ſi inde læſus appellaverit, & poſt proceſſus obtentos injuſtum decretum ex actis repetierit. (6) Ideo qui non vult effectum iſtud capere vel executioni mandari, appellatione opus habet. Qua non interpoſita rejicienda eſt de tollendo decreto petitio. Tantum hoc ſupereſt, ut vel iterum inferior Judex à ſuperiore judice admoneatur de iniquitate, ſi adhuc ad eam corrigendam moveri poſſit, vel jubeatur legitimè in talibus procedere, ne nullitate reperta inde opus ſit cauſam in ſuperiori judicio aſſumere. (7) Juxta hæc factum *in cauſa Andreas Albrechten, contra die Proviſoren des Cloſters zu S. Iohannis in Stettin, die 12. Decembr. Anno 1654.*

1. De iisquæ juſta videntur ad ſupplicationem part. reſcribitur ad Judices.

2. *l. quod juſſit 14. ff. de re judic.*

3 Ita communis JCtorum ſententia habet, *vid. Bartol. Paul. de Caſtro. Zaſ. Duaren & alios ad d. l. quod juſſit.*

4. *Quod in l. c. ſent. reſcind. non poſſ.* habetur ad ſententiam definitivam pertinet, uti indicant ſatis verba illius, *ſi deciſa ſemel cauſæ fuerint judiciali ſententia*, & ſimul arguit in aliis decretis judicum ſecus ſerem habere. Ut hæc mutari poſſunt à Judice, ſic etiam per reſcripta, ut revocet, admoneri.

5. Ita verba *d. l. quod juſſit 14. de re jud.* habent, quod contraria imperio decreta tollere licet. Hoc verò neceſſitatem non infert, *l. 4. C. quomod. & quand. jud. ſent.* Non quidquid Judicis permittitur poteſtati, ſubjicitur juris neceſſitati, *l. non quidquid 40. ff. de Iudic.*

6. *l. 1. C. ſent. reſcind. non poſſ.*

7. Notoria iniquitas ut & nullitas devolvunt cauſam ad ſuperiorem, ita ut poſſit decreta ob eam reformare & tollere, *Bartol. & Dd. in l. expreſſim ff. de Appellat Iaſon. in l 2. §. hoc edictum num 3. ff. de Nov. Oper. Nunc. Vant. de Nullit. cap. 3. num 13. 14. ult. num. 132. ſeq.*

DECISSIO XV.

Ex oculari inſpectione ſententia antequam communicato rotulo audiuntur partes & cauſa plene cognoſcitur, nulla eſt, & in rem judicatam non tranſit.

ET ſi in his, quorum veritas ex inſpectione hauriendæ eſt, & quæ in oculos occurrunt, modo partes ad illam citati fuerunt, (1) juxta eam judicans perperam non facit, haud tamen aliter ex iſtâ ſententiâ valet, & vires rei judicatæ accipit, quam ſi poſt eam legitima fiet cauſæ cognitio, (2) & hanc ſequetur pronunciatio. (3) Ad quam requirirur primo, ut quod per inſpectionem Commiſſarii intelligunt, in rotulum redigatur. (4) Deinde ut rotulus iſte partibus communicetur iisque integrum ſit, ſi quid ex eo vel contra eum proferendũ habeant deducere. (5) Tandem ut in cauſa concludatur atque pronuncietur. (6) Quorum cum nihil factum reperiretur, nulla habita fuit ſententia. *In cauſa Martins Schepels contra Chriſtophorum Bockhauſen die 3. Iulii Anno 1655.*

1. Citatio utriusque partis ad ocularem inſpectionem neceſſaria eſt. *Rutg. Ruland. in tr. de Commiſſar. part. 2. lib. 3 c. 10. n. 1*

2. Hæc in omni cauſa ad ſubſtantiam judicii pertinent & minimus in hoc defectus ſententiam nullam facit, *tot. tit. C. commin. Epiſtol. Programm.*

3. Ita generatim dicitur de ſententia experitorum judicio lata, quod tunc demum vires rei judicatæ nanciſcitur, ſi à judice & quidem mediante juſtitia approbatur. *Maranth. in Specul. part. 6. n. 130. Hieron. de Mont. de Finib. c. 30. 31. & 32.*

4. *Rutg. Ruland. in dict. tract. lib. 3. c. 15. n. 1.*

5. Eſt inſpectio ocularis loco atteſtatorum. Quomodo itaque poſt hæc publicata non ſtatim ad pronunciationem decurendum eſt, ſed partibus integrum reliquitur ſuper iis deductio cauſæ, ita etiam idem poſt ocularem inſpectionem ſervandum.

6. Prolata contra ſolitum judiciorum ordinem ſententia nulla eſt. *l. prolatam 4. C. de ſent. & interloc.* Non immutat ex iſto quidquam ocularis inſpectio, *l. ſi irruptione 8. §. 1. verb. ut æquum eſt, ſi ita res exigit oculisque ſuis ſubjectis locis ff. fin. regund.*

DE-

Digitized by Google

DECISIO XVI.

Sententia ubi à peritis necessario petenda fuit, sine iis lata nulla plane est.

QUando per ordinationem Judicii in Pomerania Stylum ve curiæ sic provisum, ut, si nullitatis deductione in eodem judicio, ubi publicata fuit, sententia impugnatur, acta ad collegium JCtorum transmitti, & super causis nullitatum ex eorum sententia statui debeat, ipsi autem qui Dicasterio præerant, sententiam, qua remedium illud rejectum fuit; omissa transmissione dixerant, existimatum fuit, eam plane nullam esse, tanquam legi publicæ, quæ modum pronunciandi præscripsit, contrariam, & tam authoritate judiciali destitutam, quam qui judicarunt judicandi potestate caruerunt. (2) Ex eo enim quod JCtorum extraneorum judicio sententiæ facultas data fuit, ipsis adempta est. (3) Quemadmodum itaque non habetur pro sententia, quæ ab iis fertur, qui judicare non debent, etsi aliàs judicio præfecti, (4) & ubi plures sententiis adhibendi seu judicare jussi aliquibus non adhibitis, pronunciatum rei judicatæ vim non fortitur: (5) ita quod per juris Peritos extraneos ex lege judicari debuit, iis non judicantibus pronunciatur, viribus caret. Ita putatum *in causa Nicolaus Baude Win, contra Iacob Blok, die 6. Iulii Anno 1655.*

1. *L. 1. C. quand. provoc. non est necess.* Stylus curiæ pro lege est, ideo contra illum judicans nulliter pronunciat. *Hieron de Cavallos in præfat. practic. quæstion. num. 17. & seq.*

2. Ex hac non competente oritur nullitas sententiæ *l. 7. ff. de Confess.*

3. Cujus ratio est, quod ipsorum sententia impugnatur, ipsi idonei judices non sunt.

4. *Vid. Novell. 60. cap. 2.*

5. *l. duo 39. ff. de re judic. l. 4. C. quand. provoc. non est necess.*

DECISIO XVII.

Frater sorori in adjudicatione domus paterna præfertur jure communi, secus est ex jure Lubecensi.

JUre communi quoad res, quæ commodam divisionem non recipiunt, sic servatur, ut in judicio familiæ erciscundæ & communi dividendo adjudicentur potius fratri quam sorori, (1) masculo quam fœminæ, (2) præsertim ubi à majoribus ortæ sunt. (3) Per jus Lubecense alia ejus ratio & forma est. Statuit, ut in communione inter cohæredes qui ad divisionem provocat, rem æstimet & alteri optionem, precium an rem velit, relinquat. (4) Nec distinguitur, utrũ masculi vel fœminæ sint, seu fratres, & sorores, ideo sine distinctione statutum observatur. (5) Cum aliud rogabatur, non admissa fuit petitio. *in causa Claus Severin, contra Hans Klüssendorff, die 22. Februarii Anno 1654.*

1. *Carpzov. in Jurisprud. Forens. part. 3. Constit. 15. defin. 39. in fin.*

2. *Menoch. lib. 4. de Præsumpt. 85. num. 19.*

3. Jus sequitur eum favorem, ut in familia bona conserventur *l. si. in emptionem 35. ff. de Minoribl. lex qua 22. §. jam ergo C. de administr. tutor.*

4. *Artic. un. tit. fin. lib. 3.*

5. Lege non distinguente praxis non est distinguenda, nisi consuetudo distinctionẽ illam explicet de qua nihil probatum fuit, nec quidquam constitit. Quin potius scimus ubi juxta Statuta Lubecensia jus dicitur indiscriminatim, id jus omni hæredi cujuscunque sexus concedi.

DECISIO XVIII.

Notarii salarium pro actu judiciali à judice statim taxandum & solvi sine clausula mandandum.

NOtariis tanquam personis judiciorum constitutione redditis publicis, (1) cum inviti incumbant operæ, quæ pro officii ratione requiruntur, (2) etiam meritò debetur merces laboris. (3) Cujus gratia non modò jus retentionis habent in documentis literariis quæ confecerunt, (4) sed etiam jus petendi. (5) Hoc verò interest inter Notarium, qui quod judiciale est expediit & qui actui extrajudiciali adhibetur; quod hic, si non ex lege vel conventione certum est (6) salarium imploratione quidem officii judicis extraordinaria petere potest, (7) at non sine causæ cognitione, nec nisi citato auditoque eo qui opera illius usus fuit quidquam decerni debet. (8) At qui præstitit quod ex commissione aliove decreto judiciali fieri oportuit, ille solâ supplicatione pro mandato ad solvendum eget, (9) quod sine clausula decernitur, facta simul taxatione, uti æqua visa fuerit. (10) Est enim in talibus statim quod factum quale quantique valoris sit judici liquidum, (11) & interest ad maturandam telam judiciariam, ne iddifferatur & intera Notarius retentione rotulorum vel instrumentorum dilationibus causam præbeat. (12) Quod consideratum est supplicante Joachimo Gartnern, die 11. Octob. Anno 1655.

1. *l. 1. §. 15. ff. de Magistr. convenil. 2. ibid. Gothofr. ff. rem pup. salv. for.*

2. *Mandoza de Monitor. quæst. 55. num. 6. per l. 4. C. de Collat. fundor. patrimon.*

3. *Per rationes quas habet Rutger Ruland. in tr. de Commissar. parti. lib. 7. cap. 7. n. 7. & seq.*

4. *Molignat. de Iur. Retent p. 159.* Instar cujusque alterius scriptoris cui chartæ per retentionem ad securitatem proficiunt. *Coler. de Process. Execut. part. 1. cap. 2. num. 246.*

Digitized by Google

5. Æquitas debiti fundat implorationem judicis pro salario. *Decius & Rebuff. in l. diem functo ff. de Offic. Assessor.*

6. Tunc vel conditio ex lege *juxta l. 1. ff. de condict. ex leg.* vel actio ex stipulatu *Gail. 1. Observ. 44. num. 3.* aut certi condictio *ex l. un. C. de Suffrag.* competit.

7. In publicis operarum salariis non competit ordinaria actio, sed extraordinariè officium judicis imploratur. *l. 1. §. Divus ff. de Var. & extraord. cogn. Bartol. in l. 1. ff. si mens falsi. mod.*

8. Hoc est ejus implorationes officii judicis, quæ pro actione servit, proprium, ut quomodo in alia actione non est condemnandus nisi citatus & auditus, ita nec ad implorationem judicis, maximè ubi nisi adversa parte audita liquidum non fit, quod petitur, necin illiquido executivè procedi potest. Ad hoc requiritur ut appareat, quid quale quantum sit, *arg. l. 6. sib. Bartol. ff. de reb. cred. Coler. dict. tract. part. 3. cap. 1. num. 4.*

9. Salarii favor hoc meretur, ut cum liquidum est, executivè procedatur, & à mandato sine clausula incipiatur.

10. Hæc judicis arbitrio relicta est. *Rutg. Ruland. dict. cap. 7. num. 27.* qui ex actis notorium inducentibus statim potest de illius veritate & quantitate scire & statuere.

11. In liquidis executivè procedendum est, *juxta ea, quæ prolixè Coler. exponit. in d. tract. in præfat. per tot.*

12. Ubi alterius multum interest non differri causam, eò magis properandum, ne alii per alium iniqua conditio inferatur. *contra l. non debet 74. ff. de R. I.*

DECISIO XIX.

Sententia sic accipienda est, ut salva sit adversæ parti defensio.

CUm inter aliquos de jure retractus controversia in judicio agitabatur & quidem uno agnatorum retrahente proximior intercedebat, post oppositâ huic non competentis amplius retractus & ex hoc interventionis exceptionem sic pronunciatum erat daß auff Seiten Baltzer Sachtlebens er mit dem Einspruchs Rechte vor D. Friederich Rabhuns Wittven billich zu hören / und noch vielmehr Daniel Schlegels bey Verlassung deß Hauses gegen Erlegung deß gebetenen pretii vorzuziehen sey. Post publicatam verò sententiam vidua jam dicta, quæ primo retractu usa fuerat, contra intervenientem exceptiones opponebat, per quas hunc non esse ad retrahendum habilē docere intendebat. Controversia hinc nascebatur, utrum iis adhuc locus esset? Iis verò rejectis & appellatione interpositâ apparuit, de eo statuendum ex vero sensu sententiæ, de quo dubitabatur, utrum exclusâ prima retrahente ad retractum, an verò tantùm ad actionem pro isto secundus admissus erat: Si prius, non superfuisset exceptioni locus adversus eum, cui protimiseos jus adjudicatum est. Si posterius, salvæ manerent legitimæ exceptiones. Existimatum autem, eam mentem sententiæ esse, ut tantùm ad agendum retrahere volentem admitteret, ideò exceptiones proponere adversæ parti integrum servaret. Præterquam enim quod hoc conveniebat tum actis prioris instantiæ, in quibus nondum de jure retractus, sed tantum utrum interveniens adhuc audiendus sit, disputatum fuerat: (1) tum verbis quæ in eam quæstionem saltem sonant & de audiendo interveniente loquuntur: (2) tum contextui & diversitati inter duos adversarios, quorum alteri planè præferebatur, adversus alterum verò audiri debebat, cujus diversæ formulæ diversus effectus erat, (3) tum juri & rationi congruebat, ut sic acciperetur sententia, quo defensio ideò exceptio, (4) justa salva esset, quam non magis judex adimere voluisse censetur quàm potuit. (5) Sic judicatum *in causa D. Rabhuns viduæ contra Balzer Sachtleben die 12. Octobris Anno 1655.*

1. Sententia ex actis & juxtà acta est intelligenda, ut conformis iis sit quomodo esse debet. *l. fin. §. fin. ff. quod mes. caus. §. præterea Inst. quod cum eo qui in al. potest.*

2. Audire unum potest etiam audire alterum, cum pro uno nihil statui debet inaudito altero. *l. de unoque 47. ff. de re jud.*

3. Diversa de eadem materia prolata diversam mentem indicant. *l. ut responsum C. de Transact.*

4. Exceptio est defensionis species.

5. Nemini defensio sua auferri debet tam in judicio quàm extra illud. *Jason. in l. ut vim ff. de Just. & Jur.* nec exclusa censetur exceptio nisi repertus rejecta. *Natta consil. 267. n. 3.*

Tenor sententiæ talis fuit.

In Sachen Margareta Dillies D. Rabhuns hinterlassener Wittwen Appellantinnen wider Baltzer Sachtleben Appellaten in puncto retractus seyn die den wahren rechtmässigen Verstand der den 12. Julii Anno 1651. publicirten Sententz betreffende gravamina überflüssig / acta derowegen ex officio vor beschlossen angenommen und darauß befunden / daß wie jetzt gedacht Urtheil also lautet / appellate mit dem Einspruchs Recht vor Appellantinnen zu hören / also es dabey sein Bewenden habe / nichts destoweniger aber Appellatinne mit ihren Exceptionibus wider den Einspruch so weit Rechtens zuvernehmen / und gestalten Sachen nach nicht außgeschlossen zu halten / darumb den 24. Septembr. und 30 Novembr. Anno 1654. übel verabscheidet / wohl appelliret / dahero Appellantinne mit den vorgebrachten Einreden und Sachen zu hören / auch Appellate auff die in dem 27. und folgenden Articuln begriffene Exceptiones sich einzulassen / und darauff proxima die Nothdurfft zu verhandlen schuldig ist / dabey denn Appellatenals dann einen Anwald ad acta zu constituiren zugleich aufferlegt wird / von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Margarithæ Dillies D. Rabhuns viduæ appellantis contra Balthasarem Sachtleben Appellatum in puncto retractus, gravamina verum genuinum Sensum sententiæ 12. Julii Anno 1651.

1651. publicatæ concernentia tanquam superflua non admittimus, sed acta ex officio pro concluſis acceptamus, & apparet, appellatum prout ſententia modo dicta ſonat in jure retractus ante appellantem audiendum, & hinc ei inhærendum, nihilominus vero appellantem cum ſuis exceptionibus contra jus retractus in quantum juris admittendam, & hoc rerum ſtatu nondum pro excluſa habendam, ideo 24. Septemb. & 30. Novembris. Anno 1652. male decretum, bene appellatum, & propterea appellantem cum allegatis exceptionibus & petitô audiendam eſſe, appellatum etiam ad exceptiones in articulo 37. & ſequentibus contentas ſe ingerere & deſuper in proxima neceſſaria agere teneri, ubi appellato ſimul injungimus, ut procuratorem ad acta conſtituat. Idque de jure.

DECISIO XX.

Vſurarum ex mora petitio non ſupereſt poſt ſententiam quæ iſtas præteriit.

COndemnatione in ſortem facta, uſuræ rum adhuc fiebat petitio, & inde exiſtebat quæſtio, utrum iſti locus ſupereſſet? Eſt in eo inter uſuras ex conventione ſeu jure peculiaris actionis, & ex mora debitoris differentia. (1) Iſtas quod attinet, utut in ſententia præteritæ, peti tamen poſſunt, (2) præterquam ſi ante ſententiam petitæ à judice poſthabitæ ſunt. (3) Eſt enim illarum nomine peculiaris actio, quam non extinguit ſuper ſorte ſola res judicata, niſi ſimul in judicium fuerit deducta & ſuper iſta pronunciatum. Hæc pronunciatio exſtinguit actionem, facitque ei opponi poſſe rei judicatæ exceptionem. At cum ſolo judicis officio uſuræ ſunt debitæ, quemadmodum hoc per ſententiam, qua iſtam cauſam finitur atque deſinit, (4) ita quoque ex eo uſurarum petitio non poteſt admitti, (5) præterquam ſi in continenti fiet & intra illud tempus, in quo judici ſententiæ ſuæ, quæ in conſequentiam veniunt, addere integrum eſt. (6) Quod ſi judici dubitatio ſuboritur, utrum ex peculiari actione an ex mero judicis officio uſuræ debeantur & petantur, non recipi nec rejici debet petitum, ſed ſaltem cum clauſula mandari, aut copia petitionis decerni ac cum cauſæ cognitione ſuper illo ſtatui (7) *In cauſa Detleff Reventlo Wen Cancellarii contra Joannem Balthaſari, die 18. Decemb. Anno 1655.*

1. Hanc diſtinctionem videbis *in l. qui per colluſionem 49. §. 1. ff de act. empt. ubi gloſſ. & Dd. iſtam annotant & explicant.*

2. *l fin. pr. C. de Uſur. rei jud.*

3. Ab illis reus abſolutus creditur ubi petitio facta non attenditur, ideo rei judicatæ exceptio obſtat. *arg. l. de eadem 5. l. ſeq. ff. de Except. rei judic.*

4. *l. Index 55. ff de re judic.*

5. *l. ſi depoſita 4. C. depoſit.*

6. Quæ ad conſequentiam pronunciatorum pertinent, priori tamen ſententiæ deſunt, judex poteſt ſupplere, ſcilicet eodem die, *uti habent verba JCti in l. Paulus 42. ff. de rei vindic. Exemplum eſt in l. 3. C. de Fructib. & lit. expens.*

7. Si enim eo minus non poteſt à judice deeo ſtatui, æſtimabit an jure de eo querela competit, & tunc audiet & cum cauſæ cognitione judicabit. *d. l. 3. C. de Fructib. & lit. expens.*

DECISIO XXI.

Cum legitimo remedio emendatio decreti à judice à quo poteſt impetrari, appellans ad illum debet remitti.

ET ſi appellans non parum decreto executionis & immiſſionis in rem quam tenebat, gravatus eſſet, ſi iſta peragerentur: tamen non ideo ſtatim ad appellationis proſecutionem in judicio ſuperiori admittendus erit. (1) Quando enim ipſe in lite non fuerat, ideoque ipſum decretum vires non habebat (2) licebat ipſi tum nullitatis deductione, tum interventione executionem in eodem foro impedire, nec appellatione cauſam ad aliud forum devolvere, novamque litem ſuſcitare opus erat. Quare placuit non decernere ſolitos appellationum proceſſus, ſed appellantem cum reſcripto ad judicium inferius remittere (3) *In cauſa Adami ab Eichſtatten, contra Curatores liberorum, Joannis Wuſtowien, die 14. Januarij Anno 1656.*

1. Appellatio non recipienda niſi ubi neceſſaria. *tot. tit. Quand. appell. non eſt neceſſ.*

2. *l. 2. C. quib. res judic. non noc.*

3. Non auditur appellans, cum judicati correctionem per judicem à quo impetrare poteſt. *Fab. in Cod. lib. 7. tit. 15. deſin. 8.*

DECISIO XXII.

Modus pronunciandi ſuper eo, quod poſt appellationem ſed ignoratam factum eſt.

QUandoquidem à parte aut judice poſt appellationem at ignoratam factum pro attentato non habetur, (1) ceſſat quoque revocatio & qui alius attentati effectus eſt. (2) Haud tamen factum comprobatur aut perpetuò validum eſt, ſed ſervatis de cætero integris omnibus ſuper eo deciſio ad cauſam principalem remittitur, circa quam dijudicandum eſt, quatenus ſubſiſtere aut caſſari debeat, (3) ſicut pronunciatum *in cauſa hæredum Everdt von Ahnen, contra hæredes Steffen von Ahnen, die 19. Januarii Anno 1656.*

1. Nihil eſt quod ignoranti poteſt imputari. *Bero. conſil. 6. n. 4. lib. 3.* à quo contemptus ille abeſt, qui vitium attentati facit. *Menoch. conſil. 74. n. 12. l. 1.*

2. *Vid.*

Digitized by Google

2. *Vid. Lancellot. in tract. de Attentat. part. 2. cap. 12. ampliat. 15. n. 22. seq.*

3. In præteritum circa facta nihil decernitur, ubi ab ignorante processerunt, præterquam ut causæ præjudicium non faciat, & ut de cætero omnia partibus integra sint. Post notitiam autem facta cassari debent. *Ita discernit Rota decis. 349. in notis.* Sententia hujus tenoris fuit;

In Sachen sel. Evert von Ahnen Erben Appellanten contra sel. Steffen von Ahnen Erben Appellaten / in puncto attentatorum ist die Sache uff beyderseits suppliciren vor beschlossen genommen / und erkannt / alldieweil ex actis erhellet / daß die geklagte Theilung der briefflichen Urkunden vor Intimation der Appellation, und ehe sie die Appellaten einige Wissenschafft dessen erlanget / vorgenommen / daß dahero dieselbe und was darauff erfolget / als ein Attentatum nicht zu achten: und wird / was deßwegen vorgangen / in die Hauptsache verschoben; Wofern aber die Appellaten nach der auß diesem hohen Tribunal abgelassen und insinuirten Citation einige Gelder gehoben / hätten sie daran als pendente & intimata appellatione zu viel und Unrecht gethan / dahero solches billich zu revociren / wie wir dann solches hiemit revociren / und läst man es durante lite bey der den 17. Novemb. Anno 1646. publicirten Urtel und darin bestätigten Arrest nochmaln billich bewenden / von Rechts wegen.

(Hoc est.) In causa Everti ab Ahnen hæredum appellantium contra Stephani ab Ahnen hæredes appellatos in puncto attentatorum causam ad utriusque partis implorationem pro conclusâ acceptamus & decernimus, cum ex actis appareat ad divisionem literariorum documentorum ante intimationem appellationis & antequam appellati ullam ejusdem notitiam consecuti sunt processum esse, quod illa & quod desuper insecutum pro attentato non habendum & idquod propterea gestum ad causam principalem differimus, casuquo vero appellati post citationem ex hoc summo Tribunali emanatam & insinuatam aliquas pecunias recepissent, in eo tanquam pendente & intimata appellatione nimium & male fecissent, hinc illud merito revocandum, prout etiam illud hisce revocamus & durante lite sententiæ 27. Novemb. Anno 1646. publicatæ & inibi confirmato arresto adhuc semel meritò inhæremus.

DECISIO XXIII.

Exemplum instrumenti quando probat & vim originalis habet.

EXemplum, quod copiam vulgò vocamus, regulariter non probat, nisi per productionem originalis firmatur. (1) Inter eos autem, qui excipiuntur casus, illum non sine ratione JCtorum communis opinio collocat, si ille ipse notarius qui originale confecit exemplum eâdem formâ conscripsit. (2) Hoc enim nihil distat ab originali, (3) & quia de eodem actu plura licet conficere instrumenta, perinde est, atque si duplex originale factum esset. (4) Quod cum in aliis obtineat, tum etiam quando idem notarius qui conscriperat testamentum, exemplum fecit sua manu, hoc originalis vice est. (5) Eoque minus de hoc dubitandum, si aliqua partium approbatio (6) accesserit, qualis colligitur non tantum ex verbis sed etiam ex factis; veluti cum pars adversa nihil opponit, (7) vel cum isto usa est pro se, (8) vel ubi judex secundum illud ut originale judicavit. (9) Quocirca reputatum est viduam quæ tali exemplo testamenti nitebatur velut ex injuncta productione originalis gravatam audiendam esse. *In causa viduæ Iochim Petersen, contra Adam von Horn, die 2. April. Anno 1657.*

1. *c. 1. X. de fid. instrum. ib. gloss. & Dd.*

2. *Bartol. in Auth. siquis in aliquo. num. 5. Cod de Edent. Covarruv. Pract. quæst. 21. num. 2. Lapi alleg. 77.*

3. Non aliud sed idem esse instrumentum ac non tam exemplum quam originale esse ait. *Iason. in d. Authent. num. 3.*

4. *Hac ratione utitur Felin. in cap. ult. de Fid. instrum.*

5. *Iason. in l. ult. num. 4. Cod. de Edict. D. Adrian. tollend.* ubi ait ad exhibitionem talis instrumenti hæredem mitti in bonorum possessionem.

6. Approbans scripturam fidem isti obligat, & licet alias plenam non habeat, fidem meretur ex approbatione, cui semel factæ nemo contravenire debet.

7. Non opponens contra exemplum approbat & fidem haberi efficit. *Socin. in Auth. Si quidem aliquo num 17. ibid. Purpurat. num. 32. C. de Edend.*

8. Qua quis pro se scriptura utitur, eandem contra se admittere teneatur. Productio in judicio & allegatio tacitam instrumenti continet approbationem, *Bart. in l. 1. C. de Fid instrum. Paris. cons. 104 num. 53 & 54. vol. 1.*

9. Exemplum, secundum quod fuit judicatum postea inter eosdem, habetur pro authentico. *Iason in dict. Auth. siquis in aliquo fall. 9. Paris. dict. cons. 104. num. 34.*

DECISIO XXIV.

Nullitas sententiæ ut non suâ die publicatæ cum partium alicui incommodo est, omnino & quomodo attendi debet.

NUlla est sententia quæ non citatâ parte lata est, (1) & hinc planè similis, quæ non eo ad quem quis citatus sed alio die prolata est. (2) Attamen si aliunde gravaminis nihil est, ea nullitas in superiori judicio non attenditur. (3) Ubi vero quis inde sibi illatum incommodum allegat, utique nullitas attendi debet. (4) Quale est cum ob ignoratam publicationem quisquam pro suo jure vigilare non potuit, aut omisit facienda vel fecit omittenda. (5) Quidquid inde præjudicii enascitur, causam querelæ,

de

Digitized by Google

denullitate facit & emendationem meretur. (6) Non obest quod pars publicationem inquirendo rescisscere potuit aut deinde rescivit, cum in illo non imputanda sit negligentia, ubi non ex ista sed judicis officio cessante ortum fuit incommodum (7) in hoc vero qui nullam scivit sententiam, ei obtemperare opus nondum habuit. (8) Quando de eo in superiori judicio nullitatis querela profertur, pro remedio erit avocare acta & his visis repertoque nullitatis incommodo sine longiore appellationis processu denuo pronunciare. (9) Uti eade causa illa fuit decreta *in causa Iochim Matthiæ Thun, contra Viduam D. Stockmanns, die 11. Martii. Anno 1656.*

1. *l. ea quæ 7. C. quom. & quand. Iud. Gail. 1. Observ. 109. num. 1.*

2. *l. cum nonnullo C. quand. provoc. non est nec.*

3. Id firmavimus & secuti sumus inter decisiones præcedentis anni.

4. Nullitas quæ merita causæ contingit vel afficit, seu facit ut circa causam quis impediatur vel lædatur, omnino attendi debet.

5. Etsi per statuta vel rescripta omnes nullitates processus removentur, aut ne processui obsint, cavetur, hoc tamen porrigendum non est ad illas, quæ vel naturali juri contrariæ sunt, vel partibus grave incommodum afferunt. *Alberic. in l. 1. C. de in jus vocand.*

6. Judicis partes sunt ad audiendum sententiam citare, *Gail. d. Observ. 109. n. 1. & seq.* non partium, & quando prolaturus sit indagare.

7. Ubi citatio ad actum pro sententia de jure est necessaria & ob illam omissum, actus nullus est, nihil ad ejus validitatem proficit scientia.

8. Sic præscribitur & monetur *in d. l. cum non eo 6. verb. ne ambages frustra interpositæ appellationis diutius negotium protrahant præses provinciæ* (qui, quod notandum superior judex ibidem erat) *superstitiosa appellatione submota ex integro inter eos cognoscet.* Ex quo textu observa cum nullitatem sententiæ talis, tum superioris judicis de ea & quamdiu per aliam sententiam emendanda potestatem, tum processum brevem sine ambagibus appellationum.

9. *l. stipulatio ista 38. § alter. ff. de V.O.*

DECISIO XXV.

Ex non abhibito numero collegii non similiter sententia nulla est atque ex omisso numero judicum.

APpellans sententiam nullitatis arguebat, quod ex statuto loci certus numerus personarum constitutus erat, ex quo judicium constaret, ille verò ad istius conceptum & pronunciationem non accesserat, absentibus plerisque, quòd per cognationis vel affinitatis proximitatem abesse necesse haberent. (1) Quando verò de illa nullitate contendum, oportet distinguere, utrum certus numerus judicum causa constitutus sit, an collegio. Inter quæ multum refert. Quando ad causam numerus judicantium definitus, & veluti cum certi judices sunt constituti aut delegati, tunc omnes adesse debent, (2) & unius absentia efficit eam nullam esse, (3) præterquam quando cum clausula si non omnes dati fuerint. (4) Est quippe sine hac ea conditio judicii, ut omnes judicare debeant. (5) At secùs seres habet, quando numerus tantùm collegio præscriptus est, (6) non simul ea lex addita, ut omnes è collegio vel certa illorum pars ad sententiam necessariò concurrere debeant. (7) Extra hanc legem non censetur sancita illa necessitas, ut omnes adsint, ideò aliquorum absentia non finit eò minus sententiam haberi validam & justam (8) Imò si vel pauci vel unus sententiam dixerit, valebit aliàs non injusta nec impugnata. (9) Quemadmodum enim collegium constitit, si ad pauces vel unum redactum fuerit, (10) ità etiam collegii juribus atque functionibus utitur, nec tunc tam unus quam collegium judicasse dicitur. (11) Juxtà hæc decretum *in causa Christian Peter Taden, contra Heino Hinzen Wittven und Erben, die 24. April Anno 1656.*

1. Ut judicia sine omni suspicione procedant, *juxta l. apertissimi 16. C. de Iudic.* abstinere ab iis debent & tollenti ponte, qui possunt argui suspecti.

2. *l. duo 39. ff. de Re judic. l. sicuti 18 ff. de recept. arbitr.*

3. *l. cum magistratus 4. C. quand. provoc. non est nec.*

4. Hæc frequens est in Commissionibus atque delegationibus, per quam fit, ut unius absentia vel impedimentum non ob sit actui reliquorum.

5. *Qua ratio notatur in d. l. sicuti 18. de recept arbitr.*

6. Ratio diversitatis manifesta est. Cessat eadem mens & condiuq. Congruum idem & naturæ Collegii, quod collectivum nomen est, & in eo non considerantur singuli *l. 6. l. 7. ff. quod cujusque universit.*

7 Ex tali constitutione ut certa pars Collegarum judicet vel decernat, (qualis fuit in Decurionũ ordine, *l. nulli 3. l. seq. ff. quod cujusque univers.*) necessitas est, ut à tanta factum alias nullum sit, *l. 2. ff de Decret. ab Ordin faciend.*

8. *d. l. sicuti 18. ff. de recept arbitr.*

9. Habent collegia quæque certum numerum, sed non eam semper legem, ut nihil sit Collegii aut è collegiali actu validum, nisi omnibus Collegis concurrentibus, sed citans omnibus præsentes omnium vice agant, *d. l. nulli 3. ib. Castrens. & Dd. ff. quod cujusque univ. l. quod major 19. ff. ad Municip.*

10. Etsi enim alias collegium tres faciunt, *l. Neratius 85. ff. de V. S.* & cùm ea vox ad corpus vel universitatem refertur, non pauciores illud repræsentant. *Vid. Gædda. ad d. l. Neratius num. 2. in fin. ff. de V. S. Matth. Stephan. de Luxis dict. lib. 2. part. 2 cap. 6. n. 24. seq.* tamen pauciores, imo unus conservat potestatem, sustinet & exercet, *l. sicuti 7. § fin. ff. quod cujusque universit.*

11. *l. sicut. 7. § fin. ff. quod cujusque Univers. ibid. gloss. Bartol. Iason. & alii.*

Digitized by Google

DECISIO XXVI.

Iudex in decernenda æstimatione sequitur legitimum & ordinarium modum, qui est in supputatione fructuum.

DEcretâ taxatione prædii, agrorum, pascuorum, aliarumque pertinentiarum, reus rogabat speciatim commissioni inseri, ut Commissarii reditus singularum partium explorent, & juxta illos æstimationem faciant. Petitioni locum esse dandum putabatur, quod iste modus taxandi legitimus atque ordinarius est, (1) juxtim etiam æquissimus, (2) ut eum præprimis observare oporteat. Verum fructuum censura & computatio quomodo facienda juxtim præscribere negatum, quod illa ubique non est eadem, sed pro diversitate locorum varia est. (3) Quando itàque de certa consuetudine loci non constabat, quæ aliàs pro regula ponenda esset, (4) relicta est illa Commissariorum arbitrio. (5) *In causa Daniel Beckern, contra Nicol. Demel, die 17. Maji. Anno 1656.*

1. *l. si secundum verb. precio secundum redutum ff. de Legat. 1. l. pen. in fin. prine. verb. utique pro fructuum modo precium inventarii ff. de reb. eor. qui sub tut. l. qui bonis 6. ff. de Cess. bon. l. si quos 16. C. de rescind. vend.*

2. Ea enim quæ juxta fructus seu utilitatem fit æstimatio, illa juxta veritatem est, *l. in lege 62. §. 1. ff. ad L. Falcid.* & facit precium, ut communiter fungitur. *l. precia 63. pr. ff. eod.*

3. *Aliqua de fructuum taxatione quæ in usu multis in locis sunt, vide apud Coler. de Proces. Executiv. part. 3. cap. 9. num. 149. seq.*

4. Taxatorum prima regula esse debet regionis consuetudo.

5. Sicut fit aliàs in his quæ certam definitionem non habent, *l. 1 §. 1. ff. de Iur. de lib.*

DECISIO XXVII.

Injusta est sententia, quæ rem debitoris creditori adjudicat, antequam quod debetur, est liquidum.

CUm de debito constat, at quantum debeatur, non liquet, quæ ad crediti securitatem spectant, judicio decerni queunt, velut non magno cum præjudicio qua debitorem conjuncta, & tamen in dubio creditori consulentia. At ut creditori antequam appareat, quantum debeatur, bonorum debitoris adjudicatio fiat, juri non convenit. (1) Continet quippe hæc condemnationem, in quam deduci non potest, nisi quod est liquidum. (2) Injustè quis condemnatur ad id quod adhuc liquidandum est. (3) Præposterè enim in scientiam venit quod litis ultimum est, antequam quæ necessariò præcedant, sunt decisa. Ex quo dici solet, sententiam quæ sine certa quantitate profertur, esse nullam. (4) Inde meritò admissa est appellatio à sententia, quæ pro quantitate debiti adjudicabat hypothecam creditori, at ut ulterior fieret liquidatio, ad noscendam debiti quantitatem simul pronunciabat. *In causa D. Klapmirus hæredum & consortum contra Detel-Schalten, die 3. Sept. Anno 1656.*

1. *l. in sententiis 59. pr. ff. de re judic.*

2. *Fab. in Cod. lib. 7. tit. 15. def. 4. num. 5.* Sententia enim ratione rei quæ in judicium venit, certa esse debet, §. 32. *Instit. de Action. lib. 3. C. de inutil. Stipul.*

3. Sententia litem finire non facere debet, *l. 1. ff. de re judic.*

4. *l. 3. & 4. C. de Sentent. quæ sin. cert. quantit.*

DECISIO XXVIII.

In causa attentatorum pronunciatur ante definitivam, cum causam principalem non concernunt.

CUm fiscus in causa attentatorum succubuisset, peregrinum hoc visum aliis, ideò sententiæ nonnulla oppositum, restitutionem ablatorum sub illo obtentu denegantes, inter ea quædam processum, quædã merita causæ concernebant. Qua illũ putabatur, non esse rationis, ut super attentatis contra fiscũ pronunciaretur, antequã causa principalis esset decisa & finita. Causa attentatorũ cum altioris est indaginis (1) una cum principali causa agitur, nec hanc suspendit. (2) Utrum verò hæc istam suspendat, discernendum est inter attentata, quæ causam principalem concernunt, ideò ad hanc refertur de iis definitio indeque suspensa manet. (3) & quæ sunt à causa principali diversa. De quibus non modo separatim agitur, sed etiam non exspectato causæ principalis fine vel conclusione pronunciatur. (4) Quod ad privilegia causæ attentatorum pertinet, quæ summariæ cognitionis atque celeris expeditionis est. (5) Quod minime per Ordinationem Cameræ Imperialis sublatum est, (6) sicut hujus notæ praxis ostendit. (7) Id secuti sumus *in causa Obristi Lieutenants Iohann Lipfeld, contra Advocatum Fisci Ducatus Bremensis. Die 1. December. Anno 1656.*

1. Cum hæc notoria sunt, non est opus libello, sed de plano proceditur, & statim revocatio fit. *Gail. 1. Observ. 146. num. 4.*

2. *Ord. Cameral. part. 2. tit. 31. §.* Und dieweil bißhero.

3. Ob talia remedium attentatorum locum non habet, *ut docet Gail. 1. Observ. 146. num. 8. seq. Fab. in Cod. lib. 1. tit. 10. def. 1.*

5. *Vid. Lancellot. in tract. de attentat. cap. 3. num. 137.*

6. Or-

Digitized by Google

6. Ordinatio *in d. part. 3 §. sit. 31.* disponit tantum de processu utroque simul prosequendo, sed non de eo simul per pronunciationem finiendo, Quin potius indicat alteram causam alteri non esse impedimento.

7. De observantia Imperialis Cameræ pronunciationis separatæ & prioris circa attentata, quam in causa principali testatur. *Gail. dict. Observ. 146. num. 1.*

DECISIO XXIX.

Attentata sunt, quæ interposita appellatione, etsi nondum factâ inhibitione fiunt.

NOn excusat aut liberat à revocatione attentatorum nondum factæ inhibitionis obtentus, (1) si intimata fuerit appellatio. (2) Scientia hujus sola judicem à quo obligat ad reverentiam superiori debitam, & ut ob hanc acquiescat non exspectatâ inhibitione, ideò frustranea est disputatio, utrum & quando innotuerat, seu an facta sit inhibitio nec ne, sicut an ea posthabita est. *In eadem causa.*

1. Appellationis interpositæ is effectus est, ut suspendat jurisdictionem judicis à quo, *l. 1. §. 4. ff. ad SC. Turpill.* ideò ipsa non vero inhibitio facit attentata.

2. Intimatione appellationis opus est, *uti docet Lancellot. in tract. de Attentat. part. 2. cap. 12. in præfat. num 1.*

DECISIO XXX.

Exceptio frivolæ appellationis non impedit revocationem attentatorum.

GEneraliter jure provisum est, appellatione pendente nihil innovandum, (1) ideo attentata ante omnia esse revocanda, (2) Nec discernitur, utrum frivola sit appellatio nec ne. (3) Est quidem apparente appellationis injustitiâ judicis ad quem rejicere istam, ideo non resistere judici à quo, ne exequatur. (4) Attamen ubi de illa judicio superiori nondum liquet, non est inferioris sub eo obtentu exequi, (5) cum istius de illo non sit cognitio, (6) sed suspensa per appellationem jurisdictione super qualitate & jure appellationis superioris sententiam exspectare debet, quo secus facto attentat & non attenta frivolæ appellationis exceptione attentata revocantur. Sic judicatum *in eadem causa.*

1. *l. un. ff. nihil innov. appell pendent.*
2. *c. non solum de Appellat. in 6.*
3. *De quo vid. latius Lancellot. de Attentat. part. 2. cap. 12. ampl. 5. per tot.*
4. Frivolam appellationem judex superior recipere & tueri non debet. *l. 1. ff. de appellat. ib. Bartol. & Dd.*
5. Pendente appellatione nihil innovari debet. *d. l. un. ff. ut nih. innov. app. pend.*
6. Appellatio suspendit jurisdictionem judicis, sive admissa sive rejecta fuerit appellatio, *Lancellott. d. cap. 12. amp. 5. n. 6.* nec est inferioris cognitio super devolutione, *ut inter Definitiones nostras alibi expositum reperies.*

DECISIO XXXI.

In causis fisci revocatio attentatorum fit, nisi ubi agitur contra debitores onerum publicorum.

DEbita fiscalia adeò privilegiata à quibusdam censentur, ut post sententiam super iis pro Fisco & interpositam appellationem revocationi attentatorum non esse locum credatur. At de privilegiatis ejus debitis, nempe de oneribus publicis, quàndo contra horum debitores agitur, id accipiendum. (1) Secus se res habet, quando de aliis debitis agitur, in quibus fisci non est peculiaris ratio, (2) sed in iis uti alias in litibus fiscus utitur jure privatorum. (3) Quod maximè obtinet, si non tam ex suo jure quam ex alieno contractu fiscus egit, tunc utitur jure sui autoris. (4) Quod etiam in illâ specie accidit, quando fiscus contra debitorem debitoris sui agit. (5) Etsi etiâ hic tributa & similia onera publica debeat, attamen ubi fiscus illum quam hunc malit convenire, non poterat alio jure uti, quam quo hic contra illum experiri potuit. (6) Quæ remedia, beneficia & exceptiones competunt debitoris debitori contra suum creditorem, iisdem justè utitur contra fiscum. (7) Sic pronunciatum *in eadem causa.*

1. *Ita declarat Ant. Fab. in Cod. lib. 1. tit. 10. defin. 9.* ubi hanc rationem annotat, quod talia moram non patiantur, & valde privilegiata sint.
2. *Lancellot. in tr. de Attentat. part. 2. cap. 12. ampl. 4. num. 6.* ubi ait, contra fiscum non minus quam alios revocationem attentatorum juxta jus commune fieri.
3. *l. fiscus 6. pr. ff. de Iur. fisc.*
4. Fiscus iisdem cautionibus uti debet, quibus ipse, à quo ad illum res pervenit, *l. in facto. 60. ff. de Condit. & demonstrat.*
5. *Iuxta l. 3. C. quand. fisc. vel. privat. deb.*
6. Successoris non est melior quam antecessoris conditio.
7. *Hoc apparet ex d. l. 3. C. fisc. vel privat.*

(0)

Digitized by Google

DECISIO XXXII.

Pertinentiæ sequuntur fundum addictum quæ tempore addictionis existunt.

NUllitatis arguebatur sententia tanquã consuetudini quæ legis vim habet contraria, quod ab addictione fundi seu villæ separasset proprios homines in villa natos, quos putabat deducens ut glebæ adscriptos & fundi portionem istum sequi debere, & allegabat veterem terræ circa adjudicationes consuetudinem, (1) eamque allegatione plurium exemplorum comprobare nitebatur. Non ignari ejusdem fuimus, nec ab ea in judicando discessimus. Et vero non aliter locum esse existimavimus, quam quoad pertinentias fundi, quæ tempore addictionis existunt, (2) ideo simul addici possunt. Si quæ antea fuerunt, at voluntate domini directi vel utilis tempore faciendæ addictionis separatæ in hac minime veniunt. (3) Quando itaque ii qui addici petebantur liberi, non amplius ejus fundi portio erant, sed à possessore ad alias villas per dominum translati, (4) ut accessio in adjudicationem minime veniunt, (5) sed si actor jus ad istas ex hypotheca vel alia causa se habere existimaverit, aliis actionibus contra possessores utendum fuit, quas tamen in hac ipsa causa aliis rationibus fuisse exclusas apparuit, uti circa sententiam consideratum fuit. Rejectum idcirco est ut ineptum, quod ex illo obtentu pro illius oppugnatione opponebatur. *In causa Iulius Paul von Schmitzhagen, contra Ioachim Behren Sohne, die 1. Iulii Anno 1657.*

1. Ex hac immissus ex causa debiti in fundum, multo magis cum ex adjudicatione nactus est jus ad omnes fundi pertinentias, accipit & inter illas ad rusticos seu glebæ adscriptos.

2. Circa ea quæ ex adjudicatione acquiruntur, inspicimus statum præsentem tempusque quo fit. *Coler. de Process. Executiv. part. 3. cap. 9. num. 117.*

3. Desinunt esse pertinentiæ fundi, quæ voluntate domini à fundo semel separantur, cum ex ista sola pertinentiæ constituantur atque definiantur. *Gail. lib. 1. de Pac. public. cap. 6. num. 29.*

4. Est ex juris ratione & consuetudine Pomeraniæ ius rusticos ab uno fundo vel agro ad alium transferendi, imo etiam penitus dimittendi vel alienandi.

5. Consuetudo, de qua dictum, ut fundum in adjudicatione sequantur rustici, ideo hunc obtinenti jus vindicandi sit, non ad alios pertinet, quam ad eos qui tempore ejus nondum sunt separati, ad alios non pertinet. *Et ita in praxi semper observatum est.*

DECISIO XXXIII.

Ocularis inspectionis quædam nullitates.

EX oculari inspectione ad impendia reparationis onerum damnati appellantes istius plures nullitates & quidem tales proferebant, quæ non poterant non attendi & pleniorem causæ discussionem mereri. Primò arguebatur id, de quo judicandum fuit, non occurisse in oculos, nec ex eorum sensu statui posse. (1) Etsi enim de impendiis res erat, & ubi horum necessitas, utilitas, qualitas & quantitas in litem venit, mediante oculari inspectione de iis judicari solet, (2) attamen cum non quæritur, qualia & quanta debeantur, sed à quo, hæc & ista definire non licuit. Deinde nulla prævia causæ cognitione statim ad illam inspectionem decursum dicebatur. (3) Tertiò, nondum eousque causa devenerat, ut probationes fieri possent, nec enim aut obtulerat libellum actor, nec responderat reus, (4) Quarto, appellantes allegabant se insciis nec citatis factam inspectionem, nec se citatos vel auditos fuisse. (5) Mereri hæc videbantur, ut nulla haberetur ratio ejus judicii, quod Commissarius super repertis in inspectione protulerat. (6) Sed merita causæ exactius discuterentur. *In causa der drey Dorffschafften, in Osterstade, contra die drey Dorffschafften daselbst, die 17. April. Anno 1656.*

1. Ocularis inspectio est eorum, quorum judicium dependet ex sensu. *Rutg. Ruland. de Commissar. part. 2. lib. 3. cap. 3. num. 17.*

2. *Damhoud. in prax. Civil. cap. 177. num. 4.*

3. Contrà l. *si irruptione ff. Fin. regund. ex qua apparet, aliquam causæ cognitionem prærequiri.*

4. Inspectio ista pertinet ad probatoria, ideo, nisi ubi maximum in mora periculum erit, ibi ad terminos probatorios deventum tantum exigi vel decerni debet, *uti ostendit Rutger. Ruland dict. tract. part. 2. lib. 3. cap. 3. num. 2. & seq.*

5. Partes ad oculatem inspectionem necessariò sunt citandæ, & ipsarum præsentia est necessaria. *Covarruv. lib. 2. Variar. resolut. cap. 13. num. 5.* adeo ut illa omissa actus sit nullus, *Bartol. in l. quibona §. huic stipulationi num. 2. ff. de damn. infect.*

6. Cui alias non parum tribuitur, *juxta ea quæ latius exponit Rutger. Ruland in 1. part. 2. lib. 3. cap. 14.*

DECISIO XXXIV.

Cum præsens & paratus ad jurandum per adversarium impeditur, ut non juret, juramentum habendum est pro præstito.

PAratus jurare at in præfixo termino sine facto adversarii impeditus adhuc jurare tenetur. Juramentum tunc pro præstito non

Digitized by Google

non habetur, (1) nisi mortuus fuerit. (2) Quod si autem adversarii facto impedimentum existit, si quidem in termino judice postulante non juraverit, (3) qua adversarium à juramento liber est, nec ad iterum jurandum cogendus. (4) Sic judicatum *in causa Iochim Sukovven uxoris, contra Iochim Christoff Horn & consortes, die 4. Septembris Anno 1656.*

1. Judiciariis decretis vel partium delationi cum jurandum, non satisfit regulariter, nisi reali eius præstatione, quæ semper necessaria est, ubi in casu singulari non reperitur remissa.

2. Mors in tali specie loco juramenti habetur, *Borchold. de Iure jur. cap. 7. num. 9. Sebast. Medices in tract. mors omnia solvit, part. 1. num. 69. & part. 3. n. 28. Crave. 1 consil. 158. num. 7.*

3. Judici integrum est non comparente in præfixo termino adversario juramentum nihil ominus exigere. Vacat quoque ei finere judicatum abire. Nihil ei imputari potest, cum per alium stetit, ut non fiat.

4. Remittere videtur per quem fit, ut justo tempore non juretur, inde juramentum pro præstito est. *l. si non fuerit. ff. de Iure jur. C. Significante X. de Pignorib. Seizer de Juram. lib 4. cap. 4.* Valet in hoc quoque regula, quod conditio pro impleta habetur, quoties stat non per eum qui adimplere debet sed per adversarium, *l. si quis heredi ff. de Statu lib. Cacheran. decis. Pedemont 98.*

TIT. XLVI.

De sententia, quæ sine certa qualitate profertur.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XLVII.

DE SENTENTIIS QUÆ pro eo quod interest, proferantur.

DECISIO I.

Contractus non mutatur ex casu in subsecuto, sed tantum præstatio pro eo, ut quisque casui sit obnoxius.

Cum juxta tenorem contractus olim initi de dotis quantitate & præstandi modo sententia fuit, quod crederet contractum ex mutato rerum super quibus initus erat & fundabatur statu desiisse, ideo aliter & quidem atque si ita contractum non esset, rem definiendam esse. Præterquam autem quod non apparebat, si se ita præsuppositum haberet, dotem ampliorem ex feudo deberi, cum etiam illius conditio per bellorum clades longe deterior reddita dotis quantitatem minorem faceret, (1) contrarium potius sentiendum videbatur; Minime congruit legibus & rationi per casum mutari vel tolli contractum. (2) Etsi enim isti inest clausula, si res in eodem statu manserint, (3) ideo hoc mutato actionis aliquando alia ratio fieri solet; tamen non pertinet ad contractus vel obligationis exstinctionem, sed tantum ad præstationum moderationem. (4) Quæ ex eo sumenda & statuenda est quem casus subsecutus contingit, seu qui casum sustinere vel præstare debet. Siquidē ille debitoris est, & si res perierit, nihil ominus tenetur. (5) Ubi vero ejus, cui debetur, damnum esse debet, debitor minime ultra oneratur. (6) Quod consideratum *In causa Wendelini Bluchers litis curatoris contra Vincentium Bluchern, die 19. Ianuarii Anno 1658.*

1. Debitæ ex feudo dotis quantitas statuenda est ex quantitate & qualitate feudi, quæ spectatur eo tempore quo dos dari debet, *uti hoc in praxi apud nos servatur.*

2. Non fecit juris prudentia casum modum tollendi contractum vel obligationem. Ideò quod lex non mutat, curstare prohibeatur *l. 27. C. de Testam.*

3. Quo respiciunt verba JCti *in l 2. §. pen. ff si quis caution.* Casum ex æquo & bono exceptionem accommodandam esse.

4. Etsi enim quæ fortuitis casibus contingunt nullo bonæ fidei judicio præstantur, *l. quæ fortuitis 6. C. de Pign. act.* tamen aliquorum id damnum est & de eo statuendum, cujus esse debet.

5. *l incendium 11. C. si cert. pet l. fin. C. de Nautic. fœn.*

6. *l. contractus 23 ff de Reg. Iur.*

DECISIO II.

Usuræ ejus quod interest, antequam hoc sortis speciem assumit, peti & adjudicari non debent.

Appellantis querela de judicis sententia inter alia de eo erat; quod interesse non modò actori, sed ejusdem usuras adjudicaverat. Certi juris habetur ejus quod interest, non dari interesse, (1) vel non peti posse usuras, (2) cum illud sit accessio, cujus non alia admittenda est accessio, (3) sicut nec commodum commodi & luctum lucri, (4) nè res tandem ad infinitum deveniat. At ità obtinet quatenus interesse petitur vel adjudicatur ut accessio: secùs se res habet, quando vicem sortis principalis habet, (5). Veluti cum loco & vice rei debitæ petitur, (6) vel quando jam lite taxatum est, ut in præstando mora committitur. (7) Cum ista distinctione statuendum est de quæstione, an ejus quod interest, interesse seu usura debeatur. Non apparebat satis in præsenti casu, quæ interesse species in litem atque condemnationem venerat. Processus inde decreti sunt, ut ex actis de eo statue-

Digitized by Google

retur. *In causa Georg Christoff Behren, contra Iohann Horstman. Die 24. Apr. Anno 1656.*

1. *Alber. de Rosat. in. socium ff. pro soc. Lupus Gem. in l. curabit. §. 6. num. 119. C. de Action. Empt. Rom. Consil. 55. §. 16. seq. vol. 2.*

2. Interesse vicem usuræ habet, & usura usuræ non debetur, *l pen. C. de Usur.*

3. *Lnon utique §. 51. indemnitas ff. de administrat. rer. ad civit. pertinent.*

4. *Contr. l. un. C. de Sentent. qua pro eo quod interest.*

5. *l. socium qui in eo pr. ff. pro Soc. Cujac. in Paratit. l. C. de sentent. qua pro eo quod interest. Signorel. de Homodeis consil. 65. num. 8. Corset. singular. 165.*

6. *Cagnol. in d. l. un. num. 46. in fin. C. de Sentent. qua pro eo quod interest.*

7. *Cagnol. ibid Molina. de Usur. quæst. 69. n. 441.* postquam interesse loco rei succedit, vel sors ex sententiâ fit, non est amplius accessio; non super est enim cui accedat, sed imposterum non soluti justa est usura; quod iniquum cum debetur non solvi, nec mora vel creditori damnosa vel debitori cum alteriusdamno luctosa esse debet.

DECISIO III.

Conscientiæ litigantium quatenus ratio habenda est.

QUi ad consummandum promissi matrimonii vinculũ operose agens intentionem contra sponsam reluctantem ex causis quæ non injustæ reperiebantur eo usque obtinere non poterat, ut invita adigeretur, non desinebat multas facessere molestias & confugiebat ad telum ex conscientia, multum de illa sibi afflicta conquerens, ideo se ab instantiis abstinere nec posse nec velle ostendens, donec ad extrema compulsionis procederetur, sibi persuadens, quod juris tramite obtineri non poterat, hoc lamentationum & conscientiosæ quasi perturbationis motu obtinere. Id quidem conveniebat, etiam in judiciis conscientiæ rationem habendam esse, ut non modo judex nihil faceret quod isti adversum esset, sed etiam quo partium conscientiæ consulatur. (1) Verum nihil inter omnes querelas reperiebatur, quod aut judicis conscientiam movere, aut partis conscientiam in discrimen adducere posset. Illius conscientia juri est astricta, satisque secura & servata, si quod juri consentaneum pronunciavit vel decrevit. Quod in illa causa, adhibitis in consilium non modo qui in loco erant Theologis, sed etiam consistorio Ecclesiastico extraneo, factum esse extra omne dubium erat, nec in omnibus actoris allegatis vel narratis reperiebatur, quod scrupulum injicere posset, lege & ratione fretæ, ideo satis tutæ. (2) Quod vero actoris conscientiam attinet, & illi per judicata prospectum satis erat, pro quibus optime præsumere, ideo nihil isti adversum factum esse, credere poterat & debebat. (3) Inest magistratuum judicumque decretis, quod ad istam tranquillandam facit. (4) Si quid secus pars opinatur, est quæ inde trahitur conscientia vel affecta vel erronea, utraque non attendenda. (5) Hæc quidem quæ ex errore proficiscitur, & animo injicitur efficit, ut qui ista afficitur, nihil contra eam facere debeat, quamdiu vel credit aliquid illicitum vel dubitat: (6) Attamen ut ob errorem ipsius vel affectatam opinionem quod alias injustum est immutetur, justum habeatur, & decreta ipsius erroneæ menti applicentur, id nulla ratione obtinere potest, præsertim cum alterius partis injuria. (7) Cui minime præjudicium inferendum ex adversarii opinione erronea & illegitima. (8) Qua quidem frui secum potest, sed non alteri iniquam inde conditionem inferre, multo minus impetrare, ut in futurum sibi suus error contra jus proficiat. (9) Malè cum justitia ageretur, si ob erroneam persuasionem, & hinc sibi injectos conscientiæ scrupulos ista flectenda vel mutanda esset. (10) Non eò minus jus cuique suum tribuendum, si quid ultra faciendum, hoc erit, ut falsæ persuasioni evellendæ, inde conscientiæ informandæ & tranquillandæ studeatur, quod ad officium illorum, penes quos animarum cura est, pertinet, eoque remitti oportuisset, nisi apparuisset, ex obstinata supplicantis stultitia instantias profectas fuisse. Si verò quid serio actum, conscientiæ morsum non ex lite vel causa oriri, sed ex vitiis actoris existere constabat. Rejecta itaque ut inepta & stolida petitio. Die 8. Febr. Anno 1659.

1. *l. rem non 14. §. 1. C. de judic. c. per tuas 32. de Simon.*

2. In eo fundamentum & regula bonæ conscientiæ consistit, quod nihil contra præcepta Dei & naturæ actum, *vid scripta à Balduino in tract. de Conscient. Casib. lib. 1. cap. 13.*

3. Ea præsumptio pro magistratu & judice divino æque atque humano jure nititur. Deus non minus quam civitatis constitutio vult magistratui & judici obsequium præstari, ubi in ipsorum mandatis vel judicatis nihil divinis legibus contrarium reperitur manifeste.

4. Nam etiam ipsis propter conscientiam, reverentiam & obsequium deberi monet Apostolus *ad Romanos 13.* ex quo Theologi colligunt & inferunt, Imperantium jussa & sententias etiam in conscientia obligare.

5. *Vid. de hac scripta à Balduino in dict. tract. cap. 7.*

6. *Quod exponit latius Amesius in tract. de conscientia lib. 1. cap. 4. §. 4. seq.*

7. *Vid. Balduin. dict. cap. 7. in fin.*

8. *l. fin. C. de Usur ap. pro donat.*

9. Con-

Digitized by Google

9. Conscientia errans de jure post factum, ita ut credat peccatum quod licitum nullam vim ligandi vel obligandi habet. *Vid. Amesi. dict cap. 4. num. 9.*

10. Conscientia ex jure debet informari & scrupulus ei contrarius deponi, *Bald. consil. 295. num 2. lib. Heig. 2. quæst. 1. num. 166.*

DECISIO IV.

Pendente exemptionis quæstione super jurisdictione qui semet ab ea exemptum dicit, non aliter in illa defendendus, quam ubi possessio vel quasi constat, aliasprius titulum docere opus habet.

VAlde inter JCtos controvertitur, quid pendente de exemptione lite quaeum, qui se exemptumdicit, servandumsit, utrũ pro exempto habendus contra jurisdictionem ordinarii Magistratus defendendus, an veroisti, donec exemptionem docuerit, submittendus sit ? Existimavimus præprimis possessionem esse indagandam atque spectandã: Et si quidem exemtionem prætendens in eadem citra controversiam reperitur, donec lis finietur defendendus est, modo tamen non nudam seu meram possessionem, sed simul titulum alleget, ex quo justitia exemptionis constet. (1) Quo sine illa injusta reputatur, ideo nec ejus possessio tanquã vitiosa contra Magistratum defendenda. (2) Allegatio tituli faciet ut justa præsumatur, ideo conservetur, donec tituli fiet probatio,(3) quæ ipsi nihil proficiente possessione alleganti incumbit. (4) Idque in exemptione ab eo quod universalis potestatis atque subjectionis est necessarium habetur. (5) In id tantum proficit certa possessio, ut usque ad probationem tituli eximat, non vero ut sine hac eum perpetuo faciat exemptum. Ubi possessio immunitatis non constat, vel in dubio versatur, in usu exemptionis sinendus non est, qui titulum allegat nisi simul docet. (6) In ea specie non sufficit nuda allegatio privilegii, sed opus est ejusdem quoque exhibitione & probatione per quam exemptio fundatur. (7) Quando autem non modo de possessione res est incerta, nec privilegium exhibetur, sed ex contractu subjectionis & adstrictionis ad forum argumentum apertum reperitur, utut controversia de exemptione mota, tanto minus sub obtentu litis contra fundatam alias magistratus ordinarii jurisdictionem (8) indulgendum alleganti, ut antequam pro sua exemptione sententiam obtinuerit, eximatur. (9) Uti juxta hæc conclusum *ad supplicationem Walter Block, die 19. Augusti Anno 1660.*

1. c.1.ut lite pendente & per agr. à contrario sensu ex c. cum Persona de Privileg. in 6. ubi idannotat glossin verb. turbentur & tradunt interpretes alii,

2. Quod adeo obtinet ut licet vel exemptio præscripta esse dicatur si non titulus ex quo præscriptio facta additur ea non attendi debeat. *Amb. de Petra in tr. de fidei commiss. quæst. 14. n. 24. & 26. Vultej. & consil. Marpurg. 30. n. 77. seqq. vol. 3.*

3. Capyc. decis. 189.

4. Quoties jus commune resistit possessioni, ipsa nihil proficit non adjuta titulo. *Franc. in c. cum persona rum. 3 ibid. Geminiam. num. 5. Ioseph de Sese in tract de inhib. c. 5. §. 10. num. 9. ubi pro terminis exemptionis ita statuit.*

5. Hoc oritur ex præsumptione juris quæ semper militat pro ordinaria jurisdictione contra omnes incolas notoriè non exemptos. Quando juris præsumptio aliqua gravior [levis non sufficit *uti habet Covarruv pract. quæst. c. 17. num. 6.*] possessioni adversatur, tunc quamdiu exhibitione tituli non justificatur, nemo contra illam in ea defenditur *c. ad decimas de restit. spoliat. c. 1. de præscript. in 6. l. 15. C. de Probat. Valasc de jur. Emphytev. quæst. 8. num. 29. Paciam de Probat. lib. 2. c. 20. num. 48.*

6. *Franc. in dict. cap. cum persona num. 3.* Qui contra jus commune possessionem sibi arrogat, nisi edocto simul justo titulo audiendus non est. *Boss. in tit. de Princip. num. 235. Ioseph. de Sese d. tr. c. 5. §. 10. n. 33 seq. Capyc decis. 77.*

9. *Rebuff. in tit. de mater. possess. artic. 1. gloss. 1. n. 21. Knichen, de jur. territor. c. 5. num. 156.*

8. Ordinaria Magistratus jurisdictio ut in omni ejus districtu in omnes qui sub eo sunt fundata est, ita & fundatam facit intentionem istius contra omnem exemptionem, quæ odiosa est & nunquam præsumitur. *Gail. 1. observ. 41. n. 4. & 11.*

9. In dubio contra exemptionem statuendum.

DECISIO V.

Summi Tribunalis Iurisdictio in causa fractæ Pacis publicæ qua primam instantiam fundata est.

QUod in decernendis processibus primum esse debet, ut inspiciatur an competens sit jurisdictio, id in prolata simplici querela super violatione Pacis publicæ considerationem eam prærequirebat, utrum summi Tribunalis Regii juris dictio qua talem fundata, ideoque ea recipienda erat: Etiam in prima instantia apud dicasteria Principum Statuumque Imperii de ista agi potest, (1) sed necessario non debet. (2) Singulare id jus introduxit Constitutio Imperii pro pace eo sanctius munienda, ut statim in Camera Imperiali violatam illam accusare liceat. (3) Quando itaque Jurisdictio Tribunalis huic principio innititur & superstructa est, quod qua terras sacræ Regiæ Majestati in Germania subditas sit surrogatum & exæquatum Cameræ Imperiali, Ideoque Ordinationi ejus insertum, quod quæ causæ in hac qua primam instantiam recipiuntur, eædem quoque in isto forum competens habeant, cum parium eadem sit ratio, & surrogatum sequatur conditionem ejus, cui surrogatur, (4) visum est, quomodo in causis fractæ Pacis publicæ Cameræ jurisdictio tam adversus mediatos quam

Digitized by Google

quam immediatos imperii cives fundata est, atque in hac illæ primam instantiam sortiuntur, ita etiam dum nihil mutatum in hoc tribunali, non attento reum esse Ducatus subditum recipi debere. Cujus eadem ratio esse potest aut non dispar. (5) Nec superfuit dubitatio, at non sic concluderetur, ideoque causa obveniens reciperetur, nisi ex narratis repertum esset, malè velut de fracta Pace querelam proponi, ideo frustra ea de re jam nos sollicitos fore. *Ad supplicationem Henrici Bremern, contra Albrecht zum Velde & consortes. Die 27. Septemb. Anno 1653.*

1. Non congruit Legibus Imperii multorum ea sententia in causis fractæ Pacis publicæ privative concessam esse Cameræ Imperiali Jurisdictionem, cui à inferioribus officiis & Judiciis eam competere apparet, ex cura Pacis iis concredita & injuncta frustranea nisi jurisdictio adesset. *vid.* Handhabung des Landfriedens *de Anno 1495 tit.* Verpflichtung der Stände *verb.* Wie auch umb Forderung gemeinen Kayserl. Landfriedens zu Augspurg *Anno 1548. &c.* Handhabung des Friedens *in fin.* Explicatius idem apparet, *ex Ordin. Cam. part. 2. tit. 10. §.* Und soll auch einen jeden. ubi coram ordinario judicio citatio & ulterior processus instituitur. Quare contra Jurisdictionem Cameræ Imperialis exceptio litispendentiæ ex lite coram inferiori cœpta admittitur. *Vid. Gail. 1. de Pac. Publ. 11. num 12. & seq.*

2. Forum utrinque competens cumulative fecit lex Imperii, ideo præventioni locum relinquit. *Frid. Mindan. de Proceff. lib. 1. cap. 12 num fin.*

3. Est fundata ratione fractæ Pacis publicæ Jurisdictio Cameræ in prima instantia, ita ut primo istam adire liceat præterito judice ordinario. *Gail. 1 Obferv. 1. num. 2. & Obferv. 3. num. 1.* Rationem *Gailius 1. de Pac. Publ. 11. num. 3.* desumit ex fine accusationis qui est contra reos Bannum, quod solus Cæsar irrogare potest, ideo etiam solus de isto crimine cognoscere debeat. *Frider. Mindanus de Proceff. ib. lib. 1. cap. 22. num. 2.* hanc tradit, quod persecutio & vindicta illius criminis non modo privatorum sed totius Imperii interesse concernit, ideo quo huic pax conservetur coram Imperiali judicio agi multum referat.

4. Hanc regulam merito sequimur juxta ductum instrumenti Pacis, quoties de Jurisdictione Tribunalis & quatenus fundata sit, quæritur.

5. Quando validior latiusque extensa & Imperii jurisdictioni propinquior magisque attemperata est Tribunalis Jurisdictio, eo aptior est strictiori terrarum jurisdictione ad ea quæ Pacis constitutio exigit. Spectandum quoque hac in re, quid voluntati S. Regiæ Majestatis convenientius.

TIT. XLIIX.

SI NON A COMPETENTE Judice judicatum fuerit.

DECISIO Unica.

Sententia judicis super sui recusatione est nulla.

REcusatio judicis perinde ut appellatio suspendit jurisdictionem ejusdem. (1) Ideò post illam intimatam in causa judex recusatus supersedere debet, (2) nec vel super causis recusationis ejus est aliqua cognitio. (3) Non enim sicut judex opposita fori non competentis exceptione de sua jurisdictione, (4) sic & de sui recusatione cognoscere potest, (5) sed ejus sententia tanquam ab inhabili lata est ipso jure nulla, (6) & quidquid ultra factum invalidum & proattentato. (7) Sic existimatum *in causa Obrist Leuten. Iohann von Lipfeld contra den Regierungs-Rath Niclaus von Hopken, die 30. Ianuarii Anno 1654.*

1. Recusatio & appellatio in hoc, ut ea pendente nihil novi fiat, æquiparantur, *gl. fin. in cap. quoties 2. q. 6.*

2. *Gail. 1. Obferv. 35. n. 12.*

3. Siquidem notoria vel evidens sit falsitas allegationis, non attenta recusatione judex recusatus potest in processu progredi. *Franch. in c. cum speciali n. 1. x. de Appellat. Milis in repertor. verb. Iurisdictio sicut.* At cum illa examen, causæ cognitionem & judicium requirit, non est recusati de eo judicare. *Gail 1. Obferv. 34. n. 6. Wurmbser. Pract. Obferv. 1. tit. 1. Hartm. Obferv. Pract. 13 lib. 1.*

4. *l. 1. §. sed si dubitatur ff. de Iudic.*

5. Rationem diversitatis *vid. apud Gail. dict. Obferv. 34. n. 6. in fin.*

6. *Gail. dict. Obferv. 34. n. 6. in princ.*

7. *De eo vid. prolixè Lancellot. in tract. de Attentat. lib. 2. cap. 6. n. 1. & seq.*

TIT. XLIX.

DE POENA IUDICIS qui male judicavit, vel ejus qui judicem vel adversarium corrumpere curavit.

DECISIO Unica.

Iudex quando tanquam litem suam faciens, tenetur ad interesse.

JUdicem qui litem suam facit quasi ex maleficio teneri (1) ideo ad id quod interest partis id non factum fuisse condemnandum esse, (2) prout judicanti æquum bonum videbitur (3) certo jure constitutum est. Ita autem

Digitized by Google

autem suamlitem facere censetur, si male hoc est per injuriam seu injustè judicavit vel decrevit (4) cui consequens quod parti læsæ non tantum appellare ad superiorem, sed etiam judicem male judicantem ad interesse convenire permissum sit. (5) In quam rem parata in factum actio utilis ei, quæ ex L. Aquilia in factum datur similis. (6) Ut vero isti locus sit, quatuor hæc concurrere debent. Primo ut male judicatum vel decretum sit à judice seu injuria sit parti illata, (6) deinde ut aperte de eo constet atque res notoria sit. (8) dubitatio ut per imprudentiam suam judicis ita factum fuerit, (10) alias in errorem inductus aut per allegationes partium aut per difficultatem & ambiguitatem litis illam condemnationem non meretur. (11) Quarto ut damnum ex injuria judicis tanquam ex causa immediata provenerit, (12) cujus si alia sit quam quod judex decrevit, causa non facto illius imputandum erit. Hoc consideratum atque observatum fuit, quando Magistratus de fuga hominis proprii conventus erat, quod admissa cautione istum ex carcere dimiserat, de quo etiamnum conveniri potuit, si de injuria admissæ cautionis & relaxationis res plana fuisset. (13) Apparentibus autē quibus dam circūstantiis, ex quibus excusari factum judicis poterat, pro eo absolvendo prævaluit sententia. *In causa Rittmeister N. Sperlings contra Senatum Civitatis Wismarienſis, die 8. Octob. Anno 1661.*

1. *pr. Inst. de oblig. qua ex quas. delict. l. ex maleficiis 5. §. 4. ff. de obligat.*

2. *vid. Schneidevv. ad d. pr. Inst. de oblig. quæ ex quasi delict.*

3. *l. fin. ff. de extraord. cognit.*

4. Sic communi JCtorum sententia & ex praxi forensi fit interpretatio hujus phraseos litem suam facere, ut videre licet apud *Dd. ad. d. l. l.*

5. In hoc tendit in factum actio & eo pertinet quod dicitur teneriin quantum judici æquum videbitur; uti explicat *Schneidev. d. l. n. 157.*

6. Huic actioni etiam contra judicem imperite judicantem sicut contra Magistratum male procedentem locus est *l. 29. §. 7. ff. ad. L. Aquil. Oldendorp. Class. 6. act. 12. num. 4. Mynsing. resp. 52. num. 3. seq. Decad 6.*

7. Injuria est causa actionis quod ab illa excusat, ab actione hac in factum seu ex quasi maleficio relevat.

8. Judicis decretum semper justum & ex justis causis interpositum præsumitur *l. Herennius §. Gaja ff. de evict. l. ab ea parte ff. de probat. l. manumissio ff. de manum vindict.*

9. Ejus fit mentio in supra allegatis textibus tanquam causæ hujus actionis. Imperitia judicis culpæ annumeratur *l. imperitia ff. de R. I.* non vero solus & quidem excusabilis error, pro cujus qualitate judex eo de statuere debet nec ex quovis errore condemnabit *Schneidevin dict. loc. n. 15.*

10. Error judicem non facit obnoxium, sed imprudentia etiam prudentissimus decipi potest *l. 2. ff. de jur. & fact. ignor.*

11. De damno injuria dato in factum actio est *Mejer. in colleg. Argent. lib. 5. tit. 13. thes. 4.*

12. Regula quod damnum dedisse intelligitur, qui causam vel occasionem damni præbet, eum intellectum habet, ubi immediata damni causa est culpa.

13. *Iuxt. §. fin. Inst. de L. Aquil. ubi vide Schneidevin. & Dd.*

TIT. L.

SENTENTIAM RESCINDI NON POSSE.

DECISIO I.

Ut superiori judicio obtemperandum non obstante inferioris prohibitione, ita hæc non liberat à pœnâ.

OPponebatur accusationi contumaciæ & petitioni declarationis in pœnam prohibitio seu præscriptum Regiminis de faciendo aliter quam judicatum & ex eo mandatum erat. Non potuit dubitari, perperam prohiberi vel impediri qualicunque jussu aut præscripto paritionem superioris judicii sententiis atque decretis debitam. Non debet superior imo nec summus Princeps turbare ordinem judiciorum, aut adversus res judicatas inferiorū rescripta impertiri, (1) & si emanaverint apud inferiores non admitti, sed impetrans & allegans repelli. (2) Quando minus superiori judicio ea vis inferri potest, ut ab obedientiâ judicatis debita deterreantur vel coerceantur damnati, quod exemplo non minus quam facto pernicioſum est. At utrum jussus vel prohibitio illa excuset à pœna? adhūc dubitationis aliquid habet. Nam uti alias creditur & asseritur, jussum vel mandatum superioris multum revelare & excusare, (3) ita multo magis, ubi de contumaciæ pœnâ agitur, ad excusationem proficere videbitur, cum ab illâ quælibet causa etiam fatua, uti JCti loquuntur, excuset, (4) Verūm præterquam quod hoc effatum non ultra admittitur, quam quatenus probabilis est causa, speciatim jussui superioris non aliter excusandi vis tribuitur, quam si cum causæ cognitione & ordine juris servato interdicitur, nec fiat, quod judicatum est. (5) Minimè cum illa non præcessit. (6) Deinde in illicitis non proficit ubi officialis non tatum non parere, sed etiam resistere debet. (7) Cum itaque superioris jussus contra judicatum attendi non debeat, quanto minus in præjudicium & contemptum superioris judicati ejus, à quo ad illum appellatur, jussus vel prohibitio valere debet. Quantopere itaque reipublicæ interest judicatorum autoritatem esse inviolabilem & non præberi etiam

Digitized by Google

per superiores occasionem ista labefactandi vel eludendi, (8) tanto magis oportuit coerceri illorum proterviam, qui sub obtentu jussus seu prohibitionis ab alio non competente judice contumaciter vel fraudulenter adversus ista agunt. Non attentâ itaque eâ allegatione facta est condemnatio, eo magis, quod nec mandatum quod obtendebatur præcisam parendi necessitatem inferebat, sed conditionem continebat, sicut narrabatur res se haberet. (9) *In causa Burgermeister und Rath der Stadt Stade Wider die Gräfin des alten Landes, die 5. Ianuarii Anno 1656.*

1. *l. fin. C. si contr. jus vel util. publ.*
2. *l. fin. C. sentent. rescind. non poss.*
3. *c. 2 Major. & Obed. l. in fraudem 10. §. in. ff. de his quib. ut indign. l. ff. fundus 33. ff. Locat. Menoch. consil 27. num 31. Afflict decis 55. num 2.*
4. *l. igitur 12. ff. de lib. caus. l. si quis 57. sb. Iason num. 25. ff. de Iurisdict. Wesembec in Comment. adl properandum §. 1. num. 44. C. de Iudic.*
5. Sic ex causâ fieri potest, ut sistatur executio judicatorum. *Mandos. de Inhibit. cap. 37. in fin.*
6. Quod latius comprobat *Klock. Consil. 72. n. 35. & 87. vol. 2 Mynsing. resp. 13 num. 30.*
7. *Christoph. Sturzius in l. non videntur 167. §. 1. n. 14. & seq. ff. de Reg. Iur.*
8. In res judicatas Impp. potestatem abdicarunt nec licentiam illas nisi legitimis remediis revocandi superesse, aut contra ista supplicandi ausu impunem esse voluerunt: *l. 2. l. 3. C. ut lit. pendent. l. fin. C. quom. & quand. jud.*
9. Talis clausula non infert parendi necessitatem, sed tribuit instructionem ad procedendum. *Felin. in c. ex parte num. 1. & 6. X. de Rescript Trentacinq; lib. 1. var. resolut. tit. de Rescript. resol. 7. num. 11.*

DECISIO II.

E duabus ejusdem judicis sententiis contrariis priorem sequi oportet.

CUm inter partes, creditorem nempe & fidejussorem actum esset de remissione usurarum per pactum facta, quam altera ob non servatam conventionis conditionem retractatam, altera servatam volebat, judex sententia primâ in eam summam condemnavit, quæ non continebat quantitatem remissam, nec impugnata est, sed saltem sine aliquo legitimo remedio impugnativo, cum de residuo liquidatio fieret, allegata est iniquitas servandæ remissionis; quod non servata esset ejus conditio, inde motus judex aliam sententiam protulit, & priorem ex obtentu erroris correxit, addita quantitate antea remissa. Quando vero postea inter fidejussorem, qui juxta posteriorem se solvisse dicebat, & debitorem ab illo contra hunc mota mandati actione in eo res erat, ut statuendum, quam sententiam sequi oportebat, concluſum fuit à priori non esse recedendum; (1) quod vires rei judicatæ acceperat, (2) nec ab eodem judice mutari potuit, (3) ideò secunda nulla est. (4) Eoque magis eam secuti sumus, quod etiam justior, nec satis justa ratio correctionis ex actis reperta fuit. (5) Sic judicatum *In causa Philip Gutzlaff Rotermundes contra Ægidium von der Osten. Die 17. Maii. Anno 1659.*

1. Neque suam neque decessoris sententiam judex retractare potest, sed necesse est eum qui se gravatum putat provocare *l. 1. Cod sentent. rescind. non pos.*
2. *l. 1. C. de rejudic.*
3. *l. judex 55. ff. de rejudic.*
4. *l. 1. C. quand. provoc. non est nec.*
5. Injuste contra fidejussorem dicta sententia debitori non obest. *l. exceptione 67. ff. de Fidejussorib.*

DECISIO III.

Sententia priori contraria nulla est, nec ex ea fidejussor solvere sed priorem sequi debet, si indemnis servari velit.

CUm quatuor annorum usuras creditores debitori remisissent, ut sub conditione si cætera, uti conventū fuerat, accurate justo tempore solverentur, velut ob non servatam fidem, exacto à fidejussore in pœnam eo quod remissum, judex primo condemnationem tantum in id, quod illo detracto debebatur, fecit: deinde vero ad instantiam creditorum alia dicta sententia fidejussorem in remissam velut ob non servatam à debitore fidem adhuc condemnavit, hic etiam se solvisse dicit; Repetenti vero à principali debitore solutum, hoc vero recusante existimatum est, eo nomine non esse ex mandato aut negocio gesto actionem, quia semel ab eo liberatus solvere non debuit. (1) Etsi enim solutionem injunxit, posterior sententia tamen priori contraria plane nulla erat, ideo non illa, sed prior tantum attendenda. (2) Unde si fidejussor voluisset facile ab exactione per oppositam posterioris nullitatem, & prioris judicati vim atque exceptionem absolutionem impetrare poterat, nec appellatione opus habebat. Quod injuriam judicis sectatus est, non potest imputare debitori. (3) Debuit opponere nullitatis exceptionem. Dum omisit, suæ facilitati idipsum imputare. (4) *In causa Philip Guzlaffs Rotermundes contra Ægidium von der Osten, die 17. Maii Anno 1659.*

1. Indebitè soluti non est à fidejussore à debitore repetitio.
2. *Uti superius decisione 207. scriptum.*
3. Injuria per judicem fidejussori illata non attingit debitorem qui refundere damna ejus non tenetur. *l. fidejussor 29. impr. l. si cum debitor ff. Mandat. l. exceptione 67. ff. de Fidejussorib.*

4. Eide

Digitized by Google

4. Fidejussor negligens exceptionem opponere per quam oppositam, condemnationem evadere poterat, regressum non habet. *l. idemque 10. §. generaliter l. fidejussor 29. §. ult. l. Quintus Mutius ff. Mandat.*

DECISIO IV.

Contra sententiam judicis ut ut apparenter injustam nihil decernit superior judex nisi legitime appellatur.

CUm in judicio inferiore ex causa depositi actum & res depositæ alienatæ, reluctante deponente taxatæ, & qui injuste alienaverat in illam æstimationem condemnatus esset, apparuit quidem juxta narrata juste judicatum non esse, cum in talibus non ex æstimatione judicis fieri debeat condemnatio, sed deponens ad juramentū inlitem admitti, (1) attamen cum non provocasset, sed supplicando saltem de injustitia sententiæ quereretur, nō decerni potuerunt processū nec ad rescindendū velut ob denegatam justitiam quidquam fieri, cum non satis sit injuste quemquam à judice inferiori gravari, sed oporteat etiam causam ad superiorem legitime deferri. (2) Quod per appellationem fieri debet. Cum alias etiam justa sententia nanciscatur vires rei judicatæ & ex injusto faciat justum. (3) Quod eo magis observandum fuit, quod cum inferiore judice superior de certa forma appellationum aliorumque remediorum convenerit, à qua recedere liberum non erat. (4) *Sic responsum ad libellum supplicem Iohann Kalthausen contra Senatum Vismariensem. Die 7. Sept. Anno 1658.*

1. *l. 1. l. fin. C. sentent. rescind non pos.*
2. *l. fin. C. ut lit. pend. & post. prov.*
3. *l. pen. ff. de Iust. & Iur.*
4. Forma appellationum lege, statuto vel pacto præscripta exacte servanda est.

TIT. LI.

DE FRUCTIBUS ET litis expensis.

DECISIO I.

Ex juramento suppletorio absoluto utrumne victus in expensas condemnari debeat.

COmmunis JCtorum habet sententia, quam etiam aliquando in hoc judicio secuti fuimus, ex juramento adversarii condemnatum non solvere expensas litis. (1) Nec aliud dicendum est de eo qui ob præstitum juramentum necessarium absolutus fuit, nempe eum impensas non recuperare. (2) At sic vel ista accipi debere visum, si non appareat malignè atque temerarie litigatum esse. Hujus pœna est expensarum litis onus. (3) Quæ juramento non aliter relaxatur, quam si justa litigandi causa existit, vel præsumitur. Et hæc præsumptio existit ubi pars quæ jurat intentionem suam non aliter probare poterit, quam necessario jurejurando, sic ut opus fuerit ipsummet facere sibi judicem. (5) In quo relevatus, videtur non esse impendiis onerandus. (6) At quamvis hæc ratio obtinet, ubi dubia plane est causa, tamen eo porrigi non debet, ubi apparet jus alterius, utut probatio defecit, (7) ideo ad jusjurandum suppletorium devenire opus fuit, (8) qui ideo iniquitatis suæ conscius ob defectum probationum alterum vexare non debet, nec ab expensatum condemnatione liberandus est. Atque si eam communem opinionem acceimus. Sicuti etiam essemus, nisi prolata essent, quæ aliqualiter justam litigandi causam ostendissent. (9) *In causa Canzler Detloff Reventlouven contra Friz Backen, & consortes. Die 20. Ianuarii Anno 1658.*

1. *Iason. in l. properandum 13 c. sine autem alterutra num. 10. C. de Iudic. Menoch. de Arbitr. Iud. Quæstion. lib. 2. cas. 177. num. 8. seq. Thesaur. decis. 236. num. 1.*

2. Similis in utroque ratio est, sive reus ex juramento condemnetur, sive reus ex isto absolvatur.

3. *l. 79. ff. de judic.*

4. Nullo certo jure constitutum, ut juramentum per se sit justa ab expensis litis liberandi causa, sed ideo proficit, quòd cum adversarius ipsum convincere nescit, ille justam litigandi causam habere præsumitur, incertus an ille jurare velit nec ne.

5. An talis esse velit incertum est, quamdiu nondum juratur, quin multi numinis metu usque ad superstitionem ad jurandum timidi sunt *l. quia sub conditione 8. ff de condition. instit.* ideo etiam an altera pars ideo cedere debeat incertum.

6. Oneratus in uno in aliis relevatur *l. eum qui 30. pr. ff. de Iurejur.*

7. Sæpe fit ut non jus sed probatio deficiat. *l. si duo. 32. ff. de Testam.*

8. Non minus malitiosus litigator est & odio pœnaque dignus, qui mala fide litigans finit alterum probationum difficultate macerari, quam qui juramento veritatem exprimi efficit. Imo eo magis culpandus est, ubi aliter se rem habere sciens nomen Domini contra Decalogum in vanum assumere finit. Sic pii JCti semper censuerunt, non tantum perjurii reos, sed etiam qui juramentis non necessariis causam dant, puniendos. *Lessius de Iust. & Iur. lib. 3. cap. 4. sect. 1. q. 7.*

9. Quæcunque causa aliqualiter probabilis temeritatem litis purgat. *Fab. in cod. lib. 7. tit. 18. de fin. 4.*

Digitized by Google

Juxta hæc ita pronunciatum fuit.

In Sachen Cantzler Detloff Reventlowen Clägers und Appellanten/ wider Fritz Backen und Jochim Greven Beklagte und Appellaten/ in puncto debiti wegen gekaufftes Gerste/ wird auff den von Appellaten der Erkändnis gemäß abgestatteten Eydt es nunmehr bey der den 1. April. Anno 1651. publicirten Urtheil gelassen/ deren Einhalt nach Beklagte von der Zusprache entbunden/ die Unkosten aber compensiret/ von Rechtswegen/ Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 25 Januarii Anno 1658.

(Hoc est)

In causa Cancellarii Detloff Reventlowen Actoris & appellantis contra Fridericum Backen & Joachimum Greven reos & appellatos, in puncto debiti, ratione empti hordei, ad juramentum cognitioni conformiter ab appellatis præstitum sententiæ 1. Aprilis Anno 1654. publicatæ tandem inhæremus, juxta ejus tenorem reos ab actione absolvimus, expensas vero compensamus, Publicatum in summo Tribunali Wismariæ. 25. Januarii Anno 1658.

DECISIO II.

Cum in uno causæ articulo utriusque partis quædam est injustitia, impensæ compensantur.

IN causa reus absolvebatur quidem, at circa eandem causæ articulum erant in quibus etiam obnoxius erat, ideo non ille sed actor intentionem adversus ipsum obtinebat. Diverso itaque respectu utriusque partis justa aliquatenus causa erat. Quando autem justus absolutus impensas petebat, actorem non condemnandum, sed istas utrinque compensandas esse visum fuit, (1) uti injuriæ mutua compensatione tolluntur. (2) *In causa Dieterich Garlippen, contra Alexander Harzen Wittwe, die 24. Januarii. Anno 1658.*

1. *Ita in simili statuit & judicatum refert Faber. in Cod. lib. 7. tit. 18. defin. 17.*

2. *l. ex hoc 3. § si & stipulator 3. ff. de eo per quem fact. Uxiro. 39. ff. solut. matrim.*

DECISIO III.

Renuncians appellationi non condemnatur in expensas ubi injuste non appellatum, aut non petuntur.

POst elapsum appellandi tempus appellationi renuncians frivolæ appellationis conscius, atque ideo renunciasse præsumitur, hinc appellato ad expensas si quas fecit tenetur (1) Verum sicut illud ex præsumptione injustæ litis proficiscitur, ita cessat, ubi apparet, non frivole & injuste sed ex probabili ratione appellatum fuisse. (2) similiter non fit condemnatio in impensas, nisi petitæ fuerint. Quare ubi renunciatione per procuratorem facta altera pars ipsam fieri sinit, acquiescit & nihil expensarum nomine petit, non habetur istarum ratio, (3) Uti judicatum *in causa Dic Riet Esell, contra David Herlin. Die 24. Aprilis Anno 1658.*

1. *c. interposita § ille denique in fin ib. Decius num. 2. Franch. num. 1. de Appellat. ubi istam rationem addunt.*

2. Ita limitant jam allegati, cujus certa est ratio, cum in impensas condemnatio tantum sit pœna temerariæ litis, sine hac non imponenda *l. eam qui temere ff. de Iudic.* Probabilis causa litigandi ab ista liberat. *l. cum qui 77. § 1 ff. de Legat. 2.*

3. Judex officium suum non impertitur nisi imploratus. *l. die 5. 4. § hoc autem 8. ff. de Damn. infect.*

Juxta hæc ita pronunciatum fuit.

In Sachen Johann Georg Vollraths/ und Hans der Riet/ Esell/ Appellanten wider David Herlinen Appellaten/ wird die renunciatio Appellationis angenommen/ und was zur Sachen gehörig nunmehr an Richter voriger Instantz verwiesen/ von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 26. April. Anno 1658.

(Hoc est)

In causa Joannis Georgii Vollraths & Joannis Riet-Esell appellantium contra Davidem Herlinen appellatum renunciationem appellationis acceptamus, & quod ad causam pertinet nunc ad judicem primæ instantiæ remittimus idque de jure, publicatum in summo Tribunali Wismariæ 29. Apr. Anno 1658.

DECISIO IV.

Debens solvere ex fundo, ut ut sub parata executione percepterum in solutum fructuum juvatur.

INstrumentum paratæ executionis concessionem continens dicitur quidem exclusivum omnium exceptionum, quæ executionem retardare possunt, at ita nisi exceptiones fiat peremptoriæ actionis, quales sunt quæ litis ingressum impediunt vel quæ ipsum debitum tollunt. Inter quas est exceptio solutionis, quæ per statutum vel pactum omnes exceptiones excludens non intelligitur exclusa. (1) Quare si debitor obtendit creditorem ex bonis à se possessis tantum in solutum percepisse, (2) etsi amplissimis clausulis semet debiti causa executivo processui submiserit, audiendus tamen est, volens demonstrare satisfactum esse creditori. *In causa Viduæ Christoff Brunellen, contra Philip Gutzlaff Rotermund, die 24. Sept. Anno 1658.*

1. *Ita prolixe docet Coler de Process. Executiv part. 4. c. 1. n 120. seqq.*

2. In solutum datio vel captio species solutionis est. *l. 4. C. de solut.*

In

In causa sic pronunciatum.

Jn Sach deß Obristen Christoff von Brunmellen Wittwen und Kinder Appellanten wider Capitain Philip Gutzlaff Rotermunden Appellatum in puncto debiti wird der vorgebrachten Exception non devolutæ appellationis ungehindert die Appellation anhero erwachsen die gravamina aber ausser dem / was von bereits beschehener Zahlung und der erforderten cession eingewand / nicht erheblich befunden / darauff dann erkant / daß wann Appellate die begehrte cession beybringen / oder auch warumb er dazu nicht schuldig / gegen das so in libello vorgebracht / nothdürfftiglich außführen wird / alsdann Appellanten der eingewandten andern Exception ungeachtet zur Zahlung verbunden / sie möchten dann zwischen diß und nächsten daß darauff bereits die articulirte Zahlung geschehen / Rechtlich darthun / so ergienge nach Gestalt dessen / was Recht ist V. R. W. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 18 Octobr. Anno 1658.

(Hoc est)

In causa Colonelli Christophori à Brunellen viduæ & liberorum appellantium contra Capitaneum Philippum Gutzlaff Rotermunden appellatum in puncto debiti, non attenta exceptione non devolutæ appellationis appellationem huc devolutã, gravamina vero extra id quod ratione jamdum factæ solutionis & petitæ cessionis oppositum irrelevantia invenimus, inde decernimus, casu quo appellatus petitam cessionem producet, veletiam quare ad id non obligetur contra id quod in libello prolatum quatenus opus deducet, quod appellantes non attenta altera exceptione ad solutionem teneantur, nisi intra hanc & proximam legitimã doceant articulatè solutionem desuper jamdum factam esse, & inde fiet quod juris, itque de jure, publicatum in summo Tribunali Wismariæ. 18. Oct. Anno 1658.

DECISIO V.

Loco interesse judex potest adjudicare usuras solitas, ut ut non petitas.

CUm petitur à parte ob moram pecuniæ non solutæ interesse, ad nihil ejus nomine speciatim exprimitur, judex non tenetur exigere specificationem ejus quod interest, sed potest condemnare in usuras; (1) tum quia hæ succedunt in locum interesse, ubi alias non apparet; (2) tum quia id ad litem finiendam, cui judex studere debet, hac in re expedit, (3) tũ quod non secus ut in promissione, ita & in petitione eam mens exigentis esse videtur; (4) tum quod justior taxatio interesse fieri non potuit nisi ad usuras, cum eæ capi possint, pro pecunia, nec de ea taxatione queri aliud non docens pars alterutra. (5) *In causa capitularium Ecclesiæ Stetinensis, contra Daniel Schlegeln Hæredes, die 24. Sept. Anno 1658.*

1. Sic cum interesse continetur in stipulatione justum esse docet Faber *in Cod. l. 4. tit. 24. defin. 7.*

2. Cum de interesse pecuniæ quæstio est, sub intelligitur usura, ne in infinitum excurrat taxatio *l. fin. ff. de Prætor. Stipul.*

3. *l. 3. ff. de in lit. jur. l. 4. l. 8. ff. de eo quod cert. loc.* Difficilis & intricata est interesse taxatio. *d. l. fin.* quia in facto non in jure consistit; *l. quatenus 24. ff. de R. J.* ideo visum est, Ctis certo modo illam litem esse præveniendam, ut loco ejus quod certum statuatur potius, quam ut partes ad infinitum litigium permittantur.

4. Vulgo enim usuras vocamus interesse & viceversa ideo quæ aliud non exprimit, vulgariter loqui videtur.

5. *Vid. Fabr. d. defin. 7. n. 8. seq.*

Juxta hæc ita pronunciatum est.

Jn Sachen der Capitularen St. Marien Stiffts-Kirchen in Alten Stettin Appellanten wider deß Königl Cammerraths Daniel Schlegels Erben Appellaten in puncto nachstehender Kornhebung außLincke / wird die gebetene edictio der Urkunde wie dann auch die gravamina überflüssig befunden / dann auch nicht / sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen und erkant / daß vom Richter voriger Instantz übel gesprochen / wol appelliret / und die Urtheil dahin zu ändern / daß Appellaten die Kornhebung von den Jahren / worin Daniel Schlegel das Gut Lincke eingehabt / vermöge der Regierung Verordnungen / davor dann auch à tempore moræ den Landgewöhnlichen Zinß abzutragen schuldig / hätten aber Appellaten wider die den 4. Octobris Anno 1656. ad acta gebrachte designation etwas annoch mit Bestande einzuwenden, wenden sie damit in sechs Wochen annoch gehöret / sonst aber ist derselben bey der Abführung nachzusehen. Von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 18. Octobris Anno 1658.

In causa

Capitularium Ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ in veteri Stetino appellantium contra Hæredes Danielis Schlegels Regii consiliarii Cameræ appellatos in puncto restantis receptionis siliginis ex lincke, editionem documentorum ut & gravamina, superflua judicamus propterea ea non admittimus sed acta exofficio pro concluſis acceptamus & decernimus à judice prioris instantia male judicatũ, bene appellatum, & sententiam eò reformandam esse, quod appellati receptionem siliginis ab annis, quibus Daniel Schlegel prædium Lincke possedit, vigore decreti Regiminis ut & consuetũ interesse à tempore moræ solvere teneantur: casu quo vero appellati contra designationem 4. Octobris Anno 1656. ad acta exhibitam quidquam quod relevet opponere possent, ii in hoc intra sex septimanas adhuc audirentur idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismario. 18. Octobr. Anno 1658.

Digitized by Google

DECISIO VI.

Magistratus civi non est damnandus in expensas litis super eo quod pro autoritate sua servanda factum.

QUæ pro magistratu præsumptio est id quoque effecit, ut melior in dubio censeatur causa ejus in lite cum cive, super his quæ ad officium ejus pertinent, ideo non facile condemnatur in litis expensas, (1) quæ temeritatis litigantium ordinaria pœna sunt. (2) Multo minus autem fieri hoc debet, quoties magistratus pro defendenda officii & decreti autoritate aut servando honore suo contendit, eique non conveniens civi cedere: (3) Etsi enim succumbet, tamen intentioni pro dignitate militanti tribuendum est, ut pœna vacet, nisi notoria sit plane injustitia. (4) *In causâ Harding Petersen contra senatum civitatis Wismarienſis die 8. Octob. Anno 1658.*

1. Inter præsumptionis juris effectus refertur ut ab expensarum condemnatione liberet. *Rimnald. consil. 73. num. 18. vol. 2.*

2. *l. eum quem 79. ff. de Iudic.*

3. *l. un. ff. si quis jus dicent. non obtem.*

4. In dubio pro magistratu statuendum, ne ejus pessum eat autoritas. *Vid. Pet. Frider. Mindan. de Mandat. lib. 2. cap. 23. num. 1. seq.*

In causa sic pronunciatum fuit.

In Sachen Harding Petersen Impetranten wider Bürgermeister und Rath der Stadt Wißmar Impetraten / in puncto mandati de restituendo wegen abgenommener Pfande/wird befunden und erkant / daß der eingewandten Einreden ungehindert bey dem Mandato de restituendo es verbleibe / und impetraten solchem zu pariren schuldig/ inmassen dann solches renoviret / und die Beandung der an impetranten beschuldigten Ohngebühr durch ordentlichen Behör und erkäntniß abzurichten verwiesen und vorbehalten/auch die Eintreibung der Steuren von dessen Bruders Hause so weit selbige bey dero gleichen Häusern und Fällen hergebracht / durch übliche Mittel unbenommen gelassen / die Unkosten aber auß bewegenden Ursachen compensiret werden; Von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 18. Octobr. Anno 1658.

(Hoc est)

In causa Harding Petersen impetrantis contra consules & senatum civitatis Wismariæ impetratos, in puncto mandati de restituendo propter ablata pignora, decernimus, quod non attentis exceptionibus mandato de restituendo inhærendum, & impetrati eidem parere teneantur, prout illud renovamus, & anima dversionem injusti hujus facti ut viâ juris ordinarie terminetur remittimus ac reservamus, ac executione tributorum de domo fratris, in quantum ea â talibus domibus & in talibus casibus in observantia est, per ordinaria media relinquimus, expensas vero ex moventibus causis compensamus, idque de jure. Publicatum in summo tribunali Wismariæ. 18. Octobr. Anno 1658.

DECISIO VII.

Sumptus facti ab aliquo creditorum in concursu non sunt imputandi bonorum corpori sed his qui temerariam litem impendenti moverunt.

FOemina quæ diu pro consequenda dote materna litigaverat, tandem victrix sibi in concursu non tantum istam & usuras sed etiam impensas litis adjudicari instanter petebat. Non dubitabatur litem ipsi frivole motam esse, ideo impensas deberi, (1) Veruntamen quod intendebatur ut à corpore bonorum refusio fieret, illud videbatur iniquum, (2) cum non omnes creditores, sed aliqui tantum & præcipue unus istam moverat, & protraxerat, licet omnium velut nomine, non tamen mandato. (3) Æquitati non convenit omnes præsertim posteriores creditores, quorum inde damnum solum erit, istius culpam luere, (4) Sed iis, qui justam litigandi causam non habuerant, expensi ferendi sunt. (5) Ideo cum adversus hos nihil petitum esset, sed tantum ut in prioritatis ordine sumptuum ratio haberetur, in sententia hi sunt præteriti. Nec de eo querendi causa cum sibi imprudentiam seu negligentiam suam pars imputare debeat, Judici nihil possit, qui ultra petita non pronunciat, (6) *In causa Iochim Petersen Wittwe contra die Hornischen Creditoren die 13. Septemb. Anno 1659.*

1. In has condemnatio est ordinaria pœna temeritatis litis. §. 1. *in fin. Inst. de Pœn. tem. litig.*

2. In alteram quidem opinionem inclinat *Faber. in Cod. lib. 7. tit. 28. defin. 43.* veruntamen injustum in iis in quibus nos versamur terminis, ubi damnum erit innocentium quibus nihil imputari potest. Nam textus juris *in l. queries 200. ff. de R. I.* quo ille nititur rectius hic in contrarium applicatur, quia minus iniquitatis est, litigantem carere impensis quam illis detrahi, qui non fuerunt in lite aut ex eo hæreditatem seu corpus bonorum, cum detrimento aliorum imminui, cujus causa separata est ab illa, quam aliqui egerunt. Spectat Fabri sententia ad illam speciem, ubi hæreditatis causa contra creditorum aliquem acta fuit ab his qui potuerunt.

3. Pœna suos tenere debet autores non alios affligere. *l. 22. C. de Pœn.*

4. *Contra l. culpa ff. de R. Iur.*

5. *Ita recte Faber de defin. 43. sub princ. statut.*

6. *l. fin. C. de Fideicommiss. libertat.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO VIII.

Expensarum condemnatio in possessorio summario suspendenda est, ubi finis litis dependet ex justitia possessionis eaque adhuc disputienda est.

QUando in litem venit, utrumne quis à Consulatus functione juste exclusus sit, inque ea variæ causæ sunt prolatæ, quare remotio ab officio fieri debeat, eæ verò altioris indaginis erant, interim ex cau. redintegranda exclusus egerat, ut velut spoliatus restitueretur, justumque erat, eum fungi munere, nec deponi, antequam satis probatæ prunt causæ, ideoque dejectum restitui, ad ulteriorem causæ cognitionem cæteris remissis, quoad expensas momentaneæ litis dubium fuit, utrum rei in eos essent condemnandi? Etsi vero judici à quo sic visum fuerat, pronunciatum tamen est, suspendendam condemnationem, donec porro super causis remotionis res esset discussa & ejudicata, quandoquidem illæ satis graves & prægnantes videbantur, & si verè forent, ita comparatæ, ut non iniqua fuisset remotio. (1) Et licet in eo aliqualiter peccatum fuerit, quod ante eam discussionem causarum facta erat exclusio, & ideo videri poterat, temere à reis actum, adeoque in expensas condemnandos esse, (2) Cum tamen malis moribus & artibus si probari possent actor causam dedisset, (3) nec magis dignus tunc foret receptione expensarum, quam dignitate exclusionis etiam ratio aliqua constaret, melius visum differre in istas condemnationem, (4) quam innocenti infligere & nocentem juvare. (5) *In causa senatus Golnovienſis contra consulem Valentin wendland die 30. Sept. Anno 1659.*

1. Condemnatio in expensas est pœna veluti ordinaria temeritatis litis. *pr. Instit. de pœn. tem. litig.* non dictanda antequam de litis temeritate constat.

2 Liti causam dans aliqua sua culpa, etsi deinde victor, tamen impensas non recipit, dum adversarius ipso causante litigavit. *Heigius in commentar. ad dict. §. 1. num. 3.*

3. Ab expensis excusat non injusta seu probabilis litigandi ratio *l. qui solidum 28. §. 1. ff. de Leg. 2.*

4. Ita fieri solet circa provisionalia ut & interlocutoria, quod articulus expensarum in dubio differtur usque ad definitivam.

5. *Iuxta l. absentem ff. de Pœn.*

Sententia juxta superiora sic fuit dicta.

In Sachen Bürgermeister/Raths und Bürgerschafft der Stadt Golnow Appellanten wider Bürgermeister Valentin Wendlanden Appellaten in puncto Entsetzung deß Bürgermeisters-Standes/ werden gravamina als zu mehrem Theile unerheblich/ im übrigen auch überflüssig nicht/ sondern acta ex officio verbeschlossen angenommen/ darauß befunden und erkant/ daß vom Richter erster instantz den 15. Maij Anno 1658. so weit wohl gesprochen/ daß Appellat bey dem Bürgermeister Stande biß dahin zu lassen/ auch so weit er davon bißhero excludiret, wiederumb völlig zu restituiren/ biß von Appellanten durch die in ihren defensionalen enthaltene Beschuldigungen ordentlich beygebracht/ deß Appellat deſſelben sich unwürdig gemachet/ und er vermittels rechtmässiger Erörterung und Erkantniß entsetzet werde. Wann demnach Appellanten dazu befugte Ursachen zu haben vermeynten ihre vorgewandte Beschwerden in Rechtsfrist fürzubringen und außzuführen/ immittelst sich erkanter massen gegen ihn zu verhalten schuldig/ Condemnatio in expensas aber biß zu fernerer Verordnung und Erkantniß über den reservirten Zuspruch zu suspendiren sey. Von Rechtswegen.

(Hoc est.)

In causa consulum, senatus & civium civitatis Golnau appellantium contra consulem Valentinum Wendlanden appellatum in puncto cassationis à Statu consulari gravamina ut potissimum irrelevantia decernimus, cæterò etiam superflua non admittimus, sed acta ex officio proconclusis acceptamus & decernimus à judice primæ instantiæ 15. Maij Anno 1658. in tantum bene pronuntiatum, quod Appellatus eousque in Statu consulari relinquendus, & in quantum is ab illo huc usque exclusus, iterum plenarie restituendus, usq; dum ab appellantibus per insimulationes in eorum defensionalibus contentas appellatum se illo indignum reddidisse, prout juris doctũ, & median e legitima cognitione & pronuntiatione privatus fuerit. Quod si exinde Appellãtes existimarent se justas habere causas, incumbit ipsis sua prætensa gravamina in termino legali proponere, & producere, interea verò decreto modo erga ipsum se exhibere. Condemnationem in expensas usque ad ulteriorem decisionem & cognitionem super reservata actione suspendimus. Idque de jure.

DECISIO XI.

Appellans licet in uno capite victor in aliis tamen litis protractionem & ludibria reperta merito refusione expensarum luit.

CUm diversa litis capitula sunt & in alio appellans, in alio appellatus victor est, fieri solet expensarum compensatio, quia mutua est utriusque victoria. (1) At ita demum quatenus utriusque par litigandi fuit probabilis causa. (2) Si quidem alter eorum cum majori alterius partis incommodo, atque graviori improbitate reperitur malitiose litem protrahere, & non hoc agere, ut jus deducat & consequatur, sed omissis legitimis allegationibus protelet disputationes, atque adversarium inanibus sumptibus vexet,

Digitized by Google

vexet, quoadaid tempus, ex quo tam calumnioſe litigat, & qua actus frivolos & inanes condemnationem in expenſas merito patitur. (3) Id quod ad judicis arbitrium ſpectat expendere, in quo excedit alterius partis temeritas. (4) In qua diſſimili ſimile jus eſſe iniquum foret. (5) Multo magis id obtinet, ſi ob contumaciam contra illam pronuncietur, cujus ordinaria pœna eſt, expenſarum refuſio. (6) Sic judicatum. *In cauſa Iohan Horſtmans viduæ & hæredum contra liberos Georg Chriſtoff Behren, die 29. Iunii Anno 1659.*

1. arg. l. viro 39. l. cum mulier 47. ff. ſolut. matrim.

2. Compenſatio non eſt niſi inter paria & ut ſunt talia. *l. ſi ambo 10. pr. verb. parem negligenti ami Societati adhibuerunt. verb. alter tantam negligentiam exhibuerit, quæ eadem quantitate æſtimetur ff. de Compenſat.*

3. Cum nulla juſta litigandi cauſa eſt, debentur à victo victori expenſæ. *l. eum quem temere ff. de Iudic.*

4. In lite quæ plura habet capita qua expenſas ſic diſcrimen & pro una parte compenſatio, pro altera non fit. *Vid. Fabr. in Cod. lib. 7. tit. 18. deſin. 2.*

4. Diverſa ratio diverſum jus facit & diſparis delicti diſpar pœna eſſe debet.

6. *l. un. C. ſi quis jus d. c. non obtemp.*

DECISIO X.

Impenſæ quæ ex lege in pœnam alterius tribuuntur, etiam lite principali finita petuntur & quando.

DIſcrimen eſt utrum impenſæ judicis mero officio debentur an jure actionis. (1) per hanc petuntur, etiam ſi lis principalis terminata fuerit. (2) Manet quippe poſt illam de iis actio pecuniam ſpecialem, & à lite ſeparatam cauſam habens. (3) Talis exiſtit ubi vel ex lege, (4) vel etiam ob delictum aliquod partis in pœnam refuſio ſumptuum irrogatur (5) veluti ſi vel judici lex ſtatuit vel alias mos aut æquitas dictat ut deſertionis appellationis expenſas refundere teneatur. (6) Habet vero tunc non minus locum excuſatio ex juſta aliqua cauſa ob quam non tam deſeritur quam deſiſtitur à lite. (7) Sicut id conſideratum *in cauſa Georgii Barſenii Wider den Thum-Dechant D. Langeman.*

1. De iſto vid. Fabr. in Codicem lib. 2 tit. 35. definit. 4. & libr. 7. tit 18. definit. 3. Carpzov. in Iuriſprud. forenſ part. 1. Conſtit. 31. definit. 21. & 22.

2. Poſt allegatos ita recte ſtatuit *Iſæus. in l. properandum § ſive autem a terutra num. 28. Cod. de judic.*

3. De hac differentia ratione vide Fabr. in Cod. de lib. 2. tit. 35. defin. 4.

4. Ex his quæ lex ſtatuit, ſi alia non datur actio, competit condictio *ex legel. 1. & tot. tit. ff. & Cod. de Condict. ex leg.*

5. Ex delicto debitas expenſas etiam lite finita peti poſſe, docet *Carpzov. ſub dict. Conſtitut. 31. definit. 31.*

6. Hæc deſertionis pœna velut ordinaria eſt, quæ licet in ſententia dictata non eſt, poſtea tamen non injuſtè petitur, quomodo expenſæ ob temeritatem vel negligentiam circa obligationem condictione *ex reprehenſibilis x. de Appellation.* atque ita jure actionis petuntur. *Faber in Cod. dict. lib. 7. tit. 18. definit. 3. num. 5.*

7. Verecunda cogitatio ejus qui lites execratur non eſt vitu exanda. *l. item ſi res 4. §. 1. ff. de alienat. Iudic. mutand.*

Sententiæ tenor.

In Sachen deß Thumb-Dechanten Laurentii Langermans Erben Appellanten wider den Herrn Secretarium Georgium Barſenium Appellaten in puncto injuriarum ito expenſarum wird die von Appellanten eingebrachte Schrifft als überflüſſig nicht angenommen / ſondern ex actis befunden und erkant / daß Appellanten geſtalten Sachen nach von der Expens-Forderung zu entbinden. Von Rechtswegen.

(Hoc eſt.)

In cauſa Decani Cathedralis Laurentii Langermans Hæredum appellantium contra D. Secretarium Georgium Barſenium appellatum in puncto injuriarum modo expenſarū, ſcriptum ab appellantibus exhibitum ut ſuperfluum non admittimus ſed ex actis decernimus quod appellantes juxta has circumſtantias à petitione expenſarum abſolvendi, idque de jure.

DECISIO XI.

In lite inter ſponſum & ſponſam quomodo expenſarum ratio habenda.

QUod æquum viſum, inter cognatos atque adfines veneratione conjunctionis ceſſare condemnationem in expenſas, ne inter eos odia graviora excitentur & augeſcant, (1) ex ſimilitudine rationis inter ſponſum & ſponſam merito obſervatur (2) at ita ſi durant ſponſalia & votum nuptiale conſummatur, (3) ſecus ſe res habet, ubi altera pars refragatur tandemque ad diſtractionem pervenietur, tunc ceſſante iſta ratione pars malitioſe aut temere litigans in expenſas condemnatur. (4) Ut vero de eo inter condemnationem ad obſervantiam voti & effectum ſententiæ cauſa condemnandi nec ne in ſuſpenſo eſt, ita etiam ipſa condemnatio (5) ſic fiet, ut ſi refractarius ſententiæ paruerit, non damnetur in expenſas, niſi ſub conditione, ſecus ubi refragari continuaverit. (6) Quod procedet mediante clauſula comminatoria. Sic obſervatum *in cauſa Annen Hagenmeiſter contra Brandanum Eggebrechten, die 21. Ianuarii Anno 1660.*

1. vid. Fabr. in Clib. 7. tit 18. defin 63. num. 2.

2. Inter

Digitized by Google

2. Inter hos omni ope atque medio contendendum, ut amor reconcilietur atque servetur, ideo quamdiu ejus spes est nihil admittendum, unde odium aut ira excitetur.

3. Omne jus adstrictum suæ rationi.

4. Ubi non est justa remittendi causa, calumnia cujusquam non debet relinqui impunita *l. 1. §. 1. ff. simul. vent. nom. l. procurator.* 11. §. 1. *ff. de dol. mal. & met except.*

5. Dum res in suspenso est perinde habetur ac si non sit *l. si debitor. 33. ff. de jur. Dot.* ideo petitio cessat. *l. Statius 43. §. 1. ff. de jur. fisci* haud tamen jus abscissum est *l. si. quis 9. §. filium 2. ff. de lib. & Posthum.*

6. Ubi existit conditio seu tacita seu expressa, purificatur ab illa dependens.

Pronunciatio super his ita sonat.

In Sachen Jungfrauen Annen Hagemeisters Vormündern Klägern wider Brandanum Eggebrechten Beklagten in puncto injuriarum zu forderst und jetzo deß Ehegelübds wird befunden und erkant/ daß Beklagten Eggebrechten bemeldte Jungfrau als seine einmahl beliebte und gehaltene Gespons/wie geschehen/zu repudiiren nicht gebühret/ sondern das von ihm selbst gestandene Ehegelübde deß Einwendens ungehindert bey Vermeidung ernster Straffe / und von Klägern erhobenen injurien Klage auch Erstattung der verursachten Kosten zu vollenziehen schuldig sey. Von Rechtswegen.

(Hoc est)

In causâ Virginis Annæ Hagemeistern Tutorum actorum, contra Brandanum Eggenbrechten reum in puncto injuriarum prius modo promissi matrimonii decernimus, quod reo Eggenbrechten non licuerit uti factum repudiare dictam virginem, tanquam suam semel accepratam & declaratam sponsam, & quod teneatur votum matrimoniale à se ipso confessatum sub evitatione gravis pœnæ & actionis injuriarum ab actrice intentatæ ac restitutionis expensarum causatarum consummare, idque de jure.

DECISIO XII.

Desistens à lite non tenetur ad expensas nisi est calumniator.

QUi à cœpta lite desistit condemnari solet in expensas, (1) At tunc demum si fuerit calumniator (2) Seu si temerè & malitiosè litem moverit. Si autem vel errorem suum competit. (3.) Vel etsi non manifeste injusta fuit actio, nihilominus postea deserit, vel quia exceptio rei antea ignorata, postquam discita est, commovet, (4) Vel quia tædium litis subit (5) Quisque mavult desistere, quam difficili lite molestari, vel quia causa desistendi supervenit (6) Non est puniendus expensarum condemnatione qui desistit. Quod etiam perinde est, si non adsit unde constet de injuria actionis aut calumnia agentis (7) Veluti contingit, ubi reus nihil eorum, quæ pro exceptione opposuit, probavit, nec in continenti suum jus & adversarii calumniam docere potest, quæ in dubio non præsumitur. (8) Ex his causis ab expensis absolutio processit *in causa Iohann Christoph Möllern contra Frantz Massen die 26. Ianuarii Anno 1660.*

1. Actoris à lite desistentis pœna est in expensas condemnatio tanquam temere litigantis. *l. properandum 13. §. 2. C. de Iudic.* malè enim sibi conscius liti cessisse præsumitur. *c. per tuas X. de Simon.* ideo tacite confiteri tum suam injuriam tum jus adversarii *arg. l. si adversarius C. de Fid. instrum. l. rem non novam C. d. judic. Gloss. in l. si maritus §. si negaverint ff. ad L. jul. de Adult.*

2. Desistere est, quantum ad pœnam calumniæ attinet, de negocio abstinere, quod calumniandi animo instituerat *l. destitisse 10. ff. de judiciis.*

3. Errorem circa motam litem allegans imprudentiæ veniam capit *l. Senatus 15. ff. de jur. fisc.*

4. Si quis cognita rei veritate suum negotium nolens improba lite perseverare quam calumniæ causa non instituerat. destitisse non videtur *l. destitisse 10. ff. de judic.*

5. Verecunda cognitio ejus, qui lites exsecratur, non est vituperanda *l. item si 4. §. 1. ff. de alienat. judic. mutand.*

6. Ex causa quæ retro adest renuncians non excusatur, secus si ex nova super veniente fit renunciatio. *Sichard. in l. postquam 4. n. 22. C. de Pact.*

7. Calumnia, ut delictum grave, non præsumitur *l fin. C. ad L. jul. Repetund.*

8. Alia potius causa quam quæ pœnam meretur subintelligitur.

Ita pronunciatum.

In Sachen Johann Christoff Müllers Klägers wider Frantz Massen den Jüngern Beklagten in puncto expensarum wird befunden und erkandt/ daß Beklagter von der Ansprach zu entbinden sey. Von Rechtswegen.

(Hoc est)

In causa Ioannis Christophori Müllers actoris contra Franciscum Massen juniorem reum in puncto expensarum invenimus & decernimus reum ab impetitione absolvendum esse, idque de jure.

DECISIO XIII.

Mandata à quibus appellatur, non sufficiunt, deprehensa injusta litigandi causa, ad absolutionem ab expensis.

QUod communis Ctorum sententia statuit, & usus fori recepit, ut qui in prima instantia sententiam pro se obtinuerunt, ab expensis absolvi mereantur, non porrigendum est ad eos, qui nuda mandata judicum pro se contra adversarios impetrarunt. Non habent hæc vim sententiæ, (1) cùm sine causæ cognitione impetrentur, (2) Sæpius ad falsa partium narrata. (3) Diversa ratio diversum jus facit. Et cum qui per sub & obreptionem ista impetrant, pœna digni sunt, multo minus ab ista condemnatione, quæ temerariis litigatoribus irrogatur, erunt exempti. (4) *In causa Senatus Verdensis, contra Frantz Panning, die 6. April. Anno 1660.*

Digitized by Google

1. *l. 1. tot. tit. Cod. Comminat. Program. Epist. &c.*

2. Hæc ad substantiam sententiæ est necessaria & sine ea non est sententia *l. 1. ibi Bartol. ff. de Re judic.*

3. Sub & obreptitium pro nullo habetur & ac si nihil actum *l. 3 §. 3. ff. de Carbon. Edict.* ideo inutile plane *l. 26. §. 1. C. de Episc. aud.* & nullas vires sortitur *l. in fraudem C. de annon. & Tribut.*

4. *l. 1. l. fin. C. si contra jus vel util. publ.*

DECISIO XIV.

Non liberat à condemnatione in expensas mandatum seu inhibitio judicis, à qua appellatum.

NOn ut sententia in priori instantia pro appellato lata à condemnatione ab expensis regulariter liberat, (1) Sic etiam mandatum vel inhibitio, quæ pro sententia non est, veluti sine causæ cognitione procedens: quin potius qui mandata per sub & obreptionem cum alterius incommodo impetrat, refusione impensarum coercendus est, (2) Utpote qui causam sua temeritate dat omnibus incommodis, quæ ex iniquo mandato consequuntur & præsertim ut litis causa est, ita & ejus sumptus refundere opus habebit. (3) Sicuti placuit ita judicare ubi ab inhibitione & pignoratione appellatione interposita lis exorta est, ut qui impetrarunt succubuerant. *In causa Bernt von Kampen contra die Gewandschneider in Wismar die 23. Sept. Anno 1660.*

1. *Gail. 1. observ. 112. num. 5. vers & communiter.* Idemque & tum observari monet, quando sententia prioris judicis reformatur, nisi ex actis manifestum fuerit appellanti nullam probabilem litigandi causam fuisse. *Mej. coll. jurid. Argent. tit. 1. lib. 42. th. 26. numer 7.*

2. *Frider. de Mandat. c. 16. num. 2. circa fin. Gilhausf. arb. judic. civil. c. 4. Ramus c. 1. de mandat. §. 2. num. 16.*

3. Alterius malitiæ non est indulgendum.

DECISIO XV.

De expensis actio tanquam de interesse supereset etsi in litis decisione per judicem præteritæ fuerint.

FActa erat tantum qua unum litis articulum condemnatio in expensas, at cum actor designabat, quicquid pro tota lite impensum erat, non modicum petebat. Excipiebat reus de compensatione impensarum quam continet judicis sententia tum prætereuntur. Replicabat actor se non ex officio judicis istas petere, sed peculiari actione tanquam interesse ob incommoda vexationis, quam lis temere mota intulerat; duplicabat reus non posse pro interesse haberi, quod idem esse quam in litem insumptum, & absurdum fore à quo judex absolvisset, ex alio obtentu peti rem judicatam obesse. Veniebat inde in quæstionem, utrumne quod pro lite expensum sit in judicium deduci, & utrum non obstante præteritione judicis novo judicio condemnatio fieri possit? vulgata est JCtorum distinctio utrum sumptus litis debeantur judicis officio tantum, an jure actionis. Illorum præteritio in sententia facta compensationis vicem habet, idcirco excludit petitionem, velut post sententiam desinente judicis officio & ei obsistente judicato, Secus est ubi jure actionis petuntur. (1) Nec enim competentem actionem quæ in judicium deducta non est finit aut tollit sententia. De damno per litem malitiosam ad vexandum adversarium illato actio est, (2) Nempe ex L. Aquilia utilis aut in factum, competens (3) Ad id quod interfuit sic non vexari ac malitiam adversarii sibi esse innoxiam alteri non impunem. (4) In quam venit damnum, idcirco etiam quicquid sumptuum, causatum & damni rationem habet (5) Nec de eo dubium superfuit. Tantum actor ut non audiretur, effecit, quod ab initio non ut interesse, sed tantum simpliciter ut litis sumptus petiit (6) Juxta acta designans tum demum cum compensationis exceptio opponebatur, contra tenorem libelli incongrue replicabat (7) *in causa Niclaus Demeln contra Otto Heyen die 9. Julii Anno 1660.*

1. *Vid. de hoc discrimine Fabrum in Cod. lib. 7. tit. 18. defin. 3. sub num. 5. ubi plures allegat. Et inter decisiones nostras alibi de ea scripsi, undevidere licet, quod ea distinctio in Summo Tribunali Regio observata sit.*

2. *Fab. in C. d. l. 7. tit. 16 def. 1.* ubi exemplificetur in ea specie ut evidens calumnia vel dolus adversarii detegatur.

3. Generalis est hæc actio de quovis damno alteri illato competens per culpam aliquam. *Wesenbec in Paratit. ff. ad L. Aquil.*

4. Non debet remanere impunita temerarii litigatoris calumnia & dolus *l. procurator 11 sin. ff. de dol. mal. except. l. 1. §. 1. ff. simul. vent. nom.*

5. Discernunt JCti damna & expensas, & illorum nomine has non comprehendi sentiunt, & hoc sequitur etiam *Faber. in dict. defin. 3. in fin. sub. tit. 18.* At erronee. Aliud expresse constituitur in *l. Sanctimus 13 C. de judic.* ubi in specie quando de damno litis agitur expensas comprehendi traditur.

6. Judex respicit petitionem libelli & ei conformat sententiam *l. fin. C. de Fid. liberat.*

7. Quæ incidenter miscentur liti, non attendit judex sed sequitur primam petitionem.

DECISIO XVI.

Expensas non in solle designari sufficit, sed oportet singulatim specificare pro quibus unaquæque earum insumpta sit.

VIctor post condemnationem in impensas, has ita designabat ut certam quantitatem

Digitized by Google

titatem pro advocato, procuratore, Scribis velut insumpta exprimeret. Ad rejecta talis designatio velut in follefacta nec congrua judicio, in quo diligenter expendendum quid necessario impensum sit. (1) Nec enim in aliud condemnatio fit. Impossibile autem illud est nec sciri potest impendii necessitas vel utilitas, si non singulatim exponitur pro quo & quando istorum unumquodque insumptum (2) Cujus specificationem adferre injunctum, in eadem causa.

1. Non alias impensas victus debet victori nisi quam necessarias non delicatas.

2. Ita designationes specifice fieri consuetudo judiciorum habet, quam sequi decet ut rationabilem.

DECISIO XVII.

Hæres non condemnatur in expensas, cum probabilis est ejus facti, de quo contenditur, ignorantia.

PRobabilis litigandi causa liberat à condemnatione in expensas. (1) Talis vero in hærede existit qua defuncti facta & res, nempe sic comparatis iis, ut ignorantia sit probabilis seu verosimilis, qualis præsumitur. (2) *In causa hæredum D. Ioannis Sibrand contra D. Casparum Wilken die 24. Octob. Anno 1660.*

1. *l. pen. §. 1. C. de fruct. & expens. lit.*

2. *l. 12. C. de Iurejur. Thomming. part. 1. decis. 45. n. 1. Carpzov. part. 1. constit. 24. def. 1. num. 2.*

DECISIO XVIII.

Ad expensas litis tenetur debitor cæpto concursu, quando bona tenet.

CEssio bonorum liberat quidem debitorem ab actionis pro creditis quæ sub communionem veniunt, attamen non ab expensis, queis processus communis indiguit, si bona detinet & fructus percipit, (2) Frustra intendit se uxoris jure detinere. (2) Nam cum impendia illa ante omnes creditores sint veluti ad communem omnium utilitatem pertinentia, (3) non potest ex fructibus rerum quicquam præcipere antequam impensæ istæ solvantur. Quarum nomine contra debitorem possidentem justa est condemnatio & executio. Ita decretum adversus Claus de Horn zu Wallendavv die 31. Octob. Anno 1660.

1. Possessorum id debitum est cum litigatum cum ipsis de re quam petentium esse constat.

2. Ipsa uxor non obstante retentionis jure si bona mariti detinet iisque fruitur, ad hujusmodi impendia adstricta est, sicuti aliquoties inter decisiones nostras relatum reperies.

3. *l. b. pr. ff. quipot. in pig.*

DECISIO XIX.

In expensas non condemnatum trinæ sententiæ ijs non faciunt obnoxium.

COntra eum qui tribus concordibus sententiis victus fuerat, sed nulla in expensas condemnatus ad horum refusionem experiebatur victor. Excipiebat victus de condemnationis defectu. Replicabat ille tribus sententiis victum sine dubio pro temerario litigatore habendum esse. Præsumptione quidem non levi per tres sententias victus valde onerabatur, & postquam istæ expensas præterierant, existebat alia pro ipso præsumptio, tantum à judicibus temeritatem non deprehensam esse, quæ condemnationem mereretur, (1) Ideo hæc omissa pro absolutione erat. Cui consequens fuit ex eo jure de expensis sententiam dicendam esse quod post sententiam istæ, quæ saltem ex officio judicis debentur peti nequeunt. (2) Nec ab eo excipitur multitudo sententiarum. Est in pluribus eadem quæ in una saltim ratio, idcirco idem jus secuti fuimus *in causa Hæredum viduæ D. Kaphuns contra hæredes Dan. Schlegeln die 2. Octob. Anno 1661.*

1. Præsumptio est pro eo quod probabilem litigandi causam habuerit, qui per sententiam in expensas non est condemnatus.

2. *Vid. inter decisiones nostras decis. 293. num. 3. part. 3.*

DECISIO XX.

Iustus litigator ex quo malam causam fovere incipit ad impensas tenetur.

NOn rarum est ut cui ab initio justa litigandi causa fuit, deinde in mala fide esse & malam litem prosequi incipiat. Contingit etiam hoc in tali specie, quando qui ab initio ad retractum habilis, deinde ex quodam facto suo incapax & inhabilis efficitur, nihilominus tamen litem non attenta mutatione causæ status prosequitur. Quod si nulla causa mansit cur prosequeretur, (1) ex eo tempore in expensas condemnandus, ex quo temerarius factus est litigator (2) Causa istarum dividua est, & pro ea parte vel articulo litis pro qua vel quo quis malè seu temere litigat, fit in expensas condemnatio. (3) Ita pronunciatum *in eadem causa.*

1. Ex causa, quælitis persecutionem exigit, etiam qui improbam causam agere incipit ab omnibus expensis absolvitur. Uti quemadmodum emptor licet cognoverit rem alienam, ideo tamen litigaverit, ut actionem de evictione salvam habeat, in expensas non damnatur *Bocer. in Class. ult. disput. 30. th. 44.*

Digitized by Google

2. Sicuti cum reus bonam fidem agnoscens solvit ante sententiam impensarum condemnationem evadit *l. pen. §. 1. ff. de Fruct. & lit. expens.* ita cum incidit ubi illa desiit *Bocer. dict. disp. 30. th. 24. & 34.* Et quidem si cubi ab initio mala causa fuit, & litigans nescivit, si persequitur cum scivit in omnes expensas damnatur etiam ex anteriore suæ ignorantiæ tempore, quod verisimile est eum licet ab initio injustum sciviſſet litigaturum esse. *Dec. in l. 42. num. 8. ff. de R. I.* secus est cum ab initio justa causa fuit ex eventu injusta redditur.

3. Qui pro parte vicit, pro parte succubuit ita pro parte in expensas damnandus est *Sichard. in l. properandum §. 6. num. 13. C. de judic.* Similiter de plurimis capitulis litigans pro quibus idem victor de aliis victus ex his expensarum reus fit.

DECISIO XXI.

Sponsa actrix desistens ab actione non modo non tenetur in expensas, sed etiam à refractario sponso eas recipit.

QUod jure sic provisum, ut actor à lite desistens reo in expensas teneatur, (1) Id minime porrigendum est ad illum, qui, postquam in lite obtinuit, deinde desistere, quam jus suum executivo processu persequi mavult. (2) Similiter nec ad illum, cujus jus manifestum est, sed qui quod ab lite abhorret à judicio discedit. (3) Quo circa ut sponsa, quæ cum sponso refractario judicio contendit, desistit, quod pericula contracti matrimonii metuit & evadere intendit, si de pacto & vinculo matrimonii res certa fuit, non modo non est damnanda in expensas, (4) Sed etiam sponsus ille ipsimet non obsistente pœnitentia actoris illas solvere tenetur, tanquam malitiosus litigator (5) & cum hoc obtineat, ubi saltem manifestum est desistentis jus, quanto magis post sententiam: Longe amplius, si & sententia jam in expensas condemnavit. (6) Quo circa etsi consentiente sponsa sponsus à promisso liberatur, non eo minus tamen illi de expensis sicut & de injuria actio reservanda fuit (7) *In causa Brandani Eggebrechts contra Annam Hagemeisters die 21. Martij Anno 1662.*

1. *l. 18. §. ult. ff. devi & vi armat. Specul. part. 3. tit. de expens. §. si ante litis num. 11. Hartm. Pistor. p. 4. q. 22. num. 5.*

2. Ratio prædicti juris est in præsumptione temere susceptæ litis, cujus pœna est condemnatio ad expensas *l. ult. C. quand. prov. non est necess. l. 4. C. de fruct. & lit. expens. Hartm. Pistor. part. 1. q. 11. num. 1.* ubi vero ista cessat ibi nec ad hanc devenitur *l. qui solidum 78. §. etiam 2. ff. de Legat. 3.*

3. Verecunda cogitatio ejus qui litem execratur non est vituperanda *l. item si 4. §. 1. ff. de alien. jud. mut.*

4. Facit quippe, quod prudentem & saluti suæ consulentem decet.

5. Pœna ordinaria litis malitiosæ est in expensas condemnatio *§. 1. in fin. Instit. de pœn. tem. litig.* quæ non evitatur, quod alter desistit.

6. Duplex est sententia, qua causam principalem & expensas: Illi renuncians harum petitionem non abdicat. Renunciatio est stricti juris, nec ultra verba extenditur.

7. Jus quæsitum ex sententia non potest auferri.

DECISIO XXII.

In taxatione expensarum spectatur tantum necessitas.

QUod judici super expensarum moderatione vel taxatione arbitrium tribuitur, non plane liberum est, sed regulam habet ex necessitate impendii, quam spectare debet, ideo non adjudicare alias quam necessarias, nec has ultra quam impendere necesse fuit. (1) Quidquid supra necessitatem est, etsi qua impendentem aliquid rationis habere videbitur, non venit in taxationem, (2) Quod consideratum fuit *in causa Peter Ernsten, contra Albin Behren, die 18. Jan. Anno 1655.*

1. *Vid. Carpzov. in Iurisprud. forens. part 1, constit. 31. defin. 8. in pr.*

2. *Hartman. Pistor. Observ. 139. num. 4.*

3. Impensarum delicatarum seu voluptuariarum in taxatione non est habenda ratio, *l. inter quos 39. §. fin. l. seq. ff. de damn infect. l. properandum 13. §. 2. C. de Iudic. Gail. 1. Observ. 151. num. 1. & 11.*

DECISIO XXIII.

Advocati salarium non ex promissione ac præstatione partis, sed ex modo laboris taxandum atque inter impensas tribuendum est.

LItigantes aliquando aut spe victoriæ atq; impendia recuperandi, aut pro lite protelanda diligentiorem operam quærendi causa in Advocatos atque procuratores liberales sunt, & ampliora quam merentur promittunt, & solvunt. At ejus quod promiserunt, vel præstiterunt, judex in taxandis expensis rationem non habet, sed ejus quod vel lege pro annuo salario addictum, vel saltem laboris atque meriti. Primo quæ studia illorum reperiuntur; deinde an pro statu causæ necessaria, consideratur atque juxta hæc æstimatur. (1) In eadem causa.

1. *Carpzov. in Iurispr. forens. part. 1. constit 31. defin. 11.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XXIV.

Damna litis cum expensis in condemnationem non veniunt nisi ob manifestam calumniam.

ORdinaria temerariæ litis pœna est in expensas litis condemnatio, (1) Præterquam juxtim etiam damna peti solent: quorum ut non est una species, ita non eadem quoque ratio. Aliæ sunt causæ ob non factam justi præstationem seu restitutionem: Alia litis, ob illatam ex hâc adversarii vexationem. (2) Illæ peti solent unâ cum re de quâ in judicio contenditur, & veniunt sub nomine ejus quod interest, ideo in jure constituta aut consueta circa interesse quâ damna talia in judicando observantur. (3) Hæc autem ex lite ortum habent & petuntur, deque iis ubi sententia profertur quoties debentur, simul pronunciari solet. (4) Eadem autem horum atque litis sumptuum conditio habetur, ut nisi judex illorum rationem in sententia habuerit, postea peti non queant. (5) Non verò semper & quoties in impensas fit condemnatio; etiam damnorum reparatio injungitur. (6) Illa enim litis temeritatem sequitur, (7) Ideo hoc tantum respicit, an quis justâ litigandi causâ caruerit. Hæc vero aliud delictum, contumaciam, dolum aut calumniam prærequirit. (8) Qua sine ob solam temeritatem litigantium damna litis non irrogantur. (9) Quæ cum non appareret, etsi aliâs frivolè litigatum esset, à damnis facta fuit absolutio, *in causa Hinrich von Taden, contra Senatum civitatis Wismariensis, die 20. Martii Anno 1655.*

1. l. eum quem 70. ff. de judic. l properandum 13. §. 6. C. eod. pr. Inst. de Pœn. tem. litig.

2. De hâc distinctione & utriusque speciei diversitate vid. Fabr. in Cod. lib. 7. tit. 16. defin. 2.

3. De hoc vide l. un. C. de sentent. quæ pro eo quod interest.

4. Inter JCtos de eo controversia legitur, an damna litis victori sint adjudicanda præter impensas, & in ista reus sit condemnandus: *Contra Bartol. & Angel. hoc negat Waltherus 1. Miscell. 28. quem sequitur Hilliger. ad Donell. lib. 26. cap. 3. lit. c.* At clarior est textus quàm quod negari possit in §. 1. *Inst. de Pœn. tem. litigat. verb. Improbus litigator damnum & impens. litis adversario suo inferre cogatur.* Communis etiam est Practicorum sententia contraria, quam in judiciis observatam multis illorum exemplis constat. Recepta quoque illa est Summi hujus Judicii Ordinatione, *dict. tit. 16. defin. 2.*

5. l. 2. C. de Fruct. & lit. expens. l. 1. C. de Calumniatorib.

6. Exinde fit quod in aliis textibus in quibus fit expensarum litis mentio, nihil de damnis dicitur, quod distincta est illorum ratio, *vid. Hillig. dict. loc.*

7. l. qui solidum 28. §. etiam 2. ff. de leg' 2.

8. Improbo enim litigatori tantum, non etiam temerario seu inconsiderato infligitur utraque pœna damni & expensarum. *in d. §. 1. Inst. de Pœn. tem. litig.* Eam distinctionem continet textus, *in l. non ignores 4. C. de Fruct. & lit. expens.* qui juxta illam accipi debet, uti istam respicit. Sequitur & declarat istam *Fab. in Cod. defin. 2.* Quà dolum & calumniam; Idem qua contumaciam juris est, *l. sancimus 15. C. de Iudic. Gail. 1. Observ. 151 numer 14.* ut & malitiosam retardationem processus. *Iason. in l. properandum §. sive autem alterutra num. 13. C. de Iudic.*

9. Lege ita nulla cautum est, sine qua nec pœnam inducere, nec exasperare licet, *l. aliud. 131. § 1. ff. de Verb. Sig.*

DECISIO XXV.

In taxatione expensarum quæ necessaria sunt habenda nec ne.

DEbitum expensarum ob litem temerariam pertinet tantum ad necessarias: (1) Harum definitio arbitrio judicis relicta est, (2) Cui incumbit conferre id quod expensum cum eo quod pro impetrando jure seu adversario superando necessarium & expeditum est. (3) Inspecto tamen non tantum fine, qui aliquando minoribus impendiis obtinebitur, sed ratione & justa opinione necessitatis. (4) Rejiciuntur autem meritò à designatione expensarum pro iis erogatæ quæ per judicem expetitis & prolatis à parte rejiciuntur aut non attenduntur, (5) Similiter quæ incidenter occasione quidem litis, at non principaliter ejus causa insumuntur, ut contingit in accessoriis petitionibus ob quædam incidentia. (6) Eadem ratio est illorum, quæ non lis nec litigans, sed alius causat, etsi illa inde fiet intricatior ac victori impendia auctiora. (7) Sicut ita facta fuit deductio *in causa prædictâ.*

1. Vid. de hoc Gail. 1. Observ. 151. num 1.

2. Carpzov. in jurisprud. forens. part. 1. Constit. 31. defin. 6.

3. In taxandis expensis eorum tantum habetur ratio, quæ pro instructione & prosecutione causæ fiunt; ideo hujus termini sunt sumptuum norma. *Gylman. in Symphorem. part. 1. part. 2. vol. 10. num. 14. seq.*

4. l. in fundo 38. ff. de rei vindic.

5. Ipsa rejectio docet ineptionem aut iniquitatem, adeoque nullam fuisse necessitatem.

6. Illæ tantum impensæ debentur, quæ propter ipsam causam factæ sunt pro instructione & prosecutione. *Gail. 1. Observ. 151. num. 1.*

7. Ex alieno quippe delicto aut culpâ alius luere non debet, *l. sancimus 22. C. de Pœn.*

Digitized by Google

DECISIO XXVI.

In criminalibus causis adversus accusatorem actio pro expensis supereſt etsi abſolutoria ſententia iſtas præterierit.

QUando judex in ſententia omiſit condemnationem partis victæ in expenſas, vulgata JCtorum circa quæſtionem an earum petitio ſuperſit, diſtinctio eſt, utrum mero officio judicis debeantur, an jure actionis. (1) Atque ut ſententia non tollit actionem ſeparatam, ità per hanc petere licet expenſas, quarum iſta mentionem non facit. (2) Alia ratio verò illarum eſt, quæ ob temeritatem litigantium judicis officio infliguntur. Ut enim hoc deſinit finita lite & per ſententiam judex functus eſt officiô (3) Ita per id non poteſt ulterius impetrari in expenſas condemnatio nec ad eas agi. (4) Utut verò hæc in civilibus ſic procedunt, in cauſis tamen criminalibus ſecus ſe res habet. Ex Conſtitutione Imperii Caroli V. poſt ſententiam abſolutoriam locus eſt adhuc actioni ſuper expenſis & damnis ex accuſatione mala illatis. (5) Hæc condictionem ex lege præbet, per quam exceptio addita eſt juri jàm memorato, ob quam eò magis lege publica ſic definitam, non attentô fine prioris litis, quod etiam aliàs eô nomine eſt actio, admitti debet reus ad implorationem officii judicis pro condemnatione in damna & expenſas; [6] Cum & aliàs ei locus ſit, nec auditur opponens finitam jam litem & omiſſas in ſententia expenſas fuiſſe. (7) Quomodo itaque hoc prograyamine appellationis fuit oppoſitum, non admiſſum eſt. Sic judicatum *in cauſa Claus Dunckern, contra Martin Dunckern, die 3. Octobris Anno 1655.*

1. Iaſon. in l. properandum §. ſive autem al. er utra numer 28 C. de judic. Fab. in Cod. lib. 7. tit. 18. defin. 3.

2. Ex quo tempore ſententiam definitivam tulit, judex cauſæ eſſe deſinit. *l. judex 55. ff. de re judic. l. centum 8. ff. de eo quod cert. loc.*

3. Nefas litem alteram conſurgere ex primæ litis materia *l. terminato 3 C. de Fruct. & lit expenſ.*

4. V. Conſtit. Criminal. art. 12. & 13.

5. l un ff. ae Condict. ex leg.

6. Calumnioſè accuſantes obnoxii ſunt ex facto improbo ad omnia damna & expenſas. *Farinac. in Pract. Crim. part. 1. quæſt. 15. num 8. & 9.* coque nomine in juriam agi poteſt.

7. Non obſtat quod *l. 1. l. 3. C de Calumniat.* dicitur, poſtquam de cauſa judicatum eſt, contra conſuetudinem deſiderari, calumniam accuſatoris puniri. Nam id referendum eſt ad pœnam calumniæ, quæ jure veteri calumnioſè accuſantibus *juxt. l. fin. C. eod,* irrogabatur & hodie in deſuetudinem venit: non verò ad actionem de eo quod intereſt, malè non fuiſſe accuſatum atque incarceratum & ad impendia litis. Deinde propter legem recentiorem, qua iſta actio conceditur, ſecus ſe res habet, ideoque locum, quod *in l. 1. §. 4. ff. de SC. Turpillian.* ſcribitur *illud non voluntati judicis relictum, ſed autoritati legis reſervatum eſſe.*

DECISIO XXVII

Neceſſitas vindictæ & ratio ſeu cauſa vindicandi relevant ab actione ad expenſas & damna.

ÆQuè in criminalibus quàm in civilibus temerarius litigator in expenſas & damna condemnatur. (1) Haud minus verò in iis accuſatorem ejusque fidejuſſorem à petitione expenſarum liberat juſta accuſandi cauſa. (2) Duplex hæc, imò & alterutra ſufficiens eſt neceſſitas vindicandi, quando ſub pœna necem defuncti vindicare oportet, (3) Et ratione vindictæ non improba, (4) Veluti cum delictum eſt atrox & vindictam meretur, defenſionis rationes è contra ſtatim non apparent, (5) De quibus ex arbitrio judicis ſtatuendum eſt. (6) Quæ contra condemnationem in expenſas fidejuſſor appellans pro accuſatore obtendit, ex utraque hac cauſa relevantia viſa ſunt, ut ad ulteriorem deductionem admitterentur *in eadem cauſa.*

1. Pœna temeritatis litis ordinaria condemnato in expenſas ſine diſtinctione conſtituta eſt *in l. eum quem 78. ff. de judic.* idcò ſine diſcrimine cauſarum ſervanda.

2. l. Senatus 15. ff. de Iur. fiſc.

3. l. 2 l. 4. C. de Column.

4. l. 3. C. eod.

5. Error quivis excuſat à calumnia. *d. l. Senatus 15. ff. de Iur. fiſc.*

6. l 1. §. ſed non utique 3. ff. ad SC. Turpillian.

7. Super his ità pronunciatum fuit.

In Sachen Martin Dunckers Appellanten und Beklagten eines entgegen und wider Claus Dunckern Appellaten und Klägern andern theils/ in puncto expenſarum & damni in ſpecie relevantiæ gravaminum iſt das jenige was im 17. Articul deß den 8. Martii allhier eingekommenen Appellations libells angezogen / als erheblich zu fernerer Rechtlichen Erörterung verſtattet / und ſoll Appellat Claus Duncker inner ſechs Wochen ſich darauff einzulaſſen / der Gebühr zu antworten / und ſonſten ſeine zuſtehende Nothdurfft ſub pœna contumaciæ zuverhandeln ſchuldig ſeyn / geſtalt denn auch Appellaten wegen ſeines vorgewandten zum theil bekannten und ohne das in actis ſatſam beſcheinigten Unvermögens Doctor Zander vermöge der Ordnung zum Advocato & Procuratore, denſelben in dieſer Sache ohne Entgeltnuß zu dienen/hiemit conſtituiret und verordnet / und als den Parten die ſchleunigſte Abhelffung deß Rechts Streits am dienlichſten / ſo iſt deßfals commiſſio ex officio an Burgermeiſter und Rath der Stadt Stralſund einige auß ihrem Mittel zu gütlicher

Digitized by Google

gütlicher Hinlegung dieſer Sachen zu deputiren ſalvô proceſſu erkannt / von Rechtswegen.

(Hoc eſt)

In cauſa Martin Dunckers Appellantis & rei ex unâ, contra Nicolaum Dunckern Appellatum & actorem ex alterâ partibus, in puncto expenſarum & damni in ſpecie relevantiæ gravaminum, illud, quod in act. 17. libelli appellationis 8. Martii hic exhibito allegatum, ad ulteriorē diſcuſſionem admittimus, & incumbit Appellato Nicolao Duncker intra ſex Septimanas ſe deſuper ingerere, debitè reſpondere & alias neceſſaria ſibi competentia ſub pœnâ contumaciæ agere, prout Appellato propter ſuum partim notum, & abſque hoc in actis ſufficienter doctum mediorum defectum Doct. Zander juxta ordinationem pro Advocato & Procuratore in hac cauſa, ut abſque recognitione ſerviat, hiſce conſtituimus & ordinamus. Et ſicut partibus celerrima expeditio proceſſus maxime conducibilis ea propter commiſſionem ex officio ad conſules & ſenatum civitatis Stralſundæ, ut aliquos ex ſuo gremio ad amicabilem compoſitionem iſtius cauſæ deputent ſalvo proceſſu decernimus, idque de jure.

DECISIO XXVIII.

Appellans renunciante appellato ſub obtentu expenſarum litem injuſtè remoratur & progredi cogitur.

NOn quidem appellato, ut alibi ſcriptum, licet renunciatio articuli ſuper quo appellatur invito appellante ubi hujus litem peragi & pronunciari intereſt. At id porrigi eo non debet, ut deſiſtente appellato appellanti prius expenſæ litis refundantur. Etſi hoc fieri iſti utile, tamen haud intereſt vel certò quamdiu cauſa deciſa non eſt; (1) Nec juſtè, quia dum appellans ſententiam à qua pro ſe habet, ad expenſas non tenetur, (2) Idcircò ubi certum eſt non debere appellatum in eas condemnari, fruſtrà & iniquè appellans adeò cum appellatus ad ulteriora progredi vult litem remoratur; (3) Cogendus ut porrò procedat decretis aliasdecernendis. (4) Sicut factum *in cauſa des Königl. Regierungs-Rath Niclaus von Hopken, contra Obriſt Lieutenant Iohann von Lipfeld, die 6. Octobris Anno. 1655.*

1. Litis eventus dubius & quod ex eo dependet ſemper incertum eſt, *l. quod debetur 51. ff. de Pecul.*

2. Sententia vel decretum judicis in priori inſtantia liberat ab expenſis. *Gailius 1. Obſerv. 152. num. 5.*

3. Moroſus eſt litigator qui litem ex cauſa non juſta movet aut protrahit. *l. ſi quis ſolutioni 24. ff de uſur.*

4. Ad judicis officium & curam pertinet litem propediem finire, nec admittere moras non neceſſarias. *l. quidem 21. ff. de reb. credit.*

DECISIO XIX.

Appellatus à lite in favorem vel utilitatem adverſarii deſiſtens non eſt obnoxius expenſis.

ALite cœpta deſiſtens etſi alias adverſario ad expenſas tenetur (1) Haud tamen ſic condemnandus eſt, ſi id tendit in utilitatem vel favorem iſtius. (2) Quomodo facit appellatus, qui renunciat appellationi ſeu illi articulo ſuper quo appellatum eſt, quod ei etjam invito appellante regulariter licet. (3) Quomodo itaque nihil ab eo peccatur, ita ideo in expenſas condemnari injuſtè petitur. (4) Nec intereſt ſive ſtatim poſt appellationem nunciat an poſt actam aliquandiu ſuper ea litem, dum utriuſque eſt ea licentia. (5) Sic judicatum *in cauſa Nicolai à Hopken Regii conſiliarii Aulici contra locum tenentem Ioannem à Lipfeld die 6. Octob. Anno 1655.*

1. *Sichard. & Dd. alii in l. poſtquam C. de Pact.*

2. Abſurdum & iniquum eſt, quod tendit in favorem alicujus, id multare impenſarum damno.

3. *Gail. l. 1. Obſerv. 136. per tot.*

4. Pœna non eſt ſine delicto. *l. abſentem 5. ff. de Pœn.*

5. Legitimè factum pœnam non meretur *l. Grachus 4. C. ad L. Iul. de Adulter.*

DECISIO XXX.

Sumptus concurſui creditorum ab uno ex his impenſi etſi in prioritatis ſententia præteriti poſt hanc petuntur & adjudicantur.

QUi ſumptus ad concurſum creditorum promovendum impendit, cum horum communem tum & bonorum quæ in illum veniunt cauſam agit, ideoque negotiorum actione impendia repetere poteſt, quæ refundi æquum eſt, (1) Quia ex iis utilitas omnium procuratur & ante omnia credita ei reſtitui debent. (2) Etſi verò quæ inter creditores in puncto liquidationis atque prioritatis fertur ſententia iſta ſilentio præterierit, (3) Non tamen inde præcluſa eſt repetitio, ſed quia non ex officio judicis, verùm ex quaſi contractu negotiorum geſtionis adeoque jure actionis debentur, poſtea & petuntur juſtè & adjudicantur. (4) Saltem id demonſtrari mediante liquidatione oportet non ſui ſaltem commodi causâ, ſed pro communi uſu fuiſſe inſumpta.

Digitized by Google

interrupta. (5) Sic judicatum *in causa Dominici Schnell, contra Henning Mellentin, die 16. Octobris Anno 1655.*

1. *l. 2. ff. de negot. gest.*

2. Potior est ante creditores pecunia quæ salvam fecit bonorum ac eoque omnium creditorum causam. *l. hujus enim 6. ff. quæ pot. in pign.* Id quoque praxis fori observat.

3. Talis præteritio per injuriam magis quàm animo removendi petitionem facta intelligitur cum fieri non debuit, nec sine injuria intelligitur.

4. Quæ jure actionis petuntur expensæ non ita ut illæ quæ ob temeritatem litigii judicis officio saltem adjudicantur, lite principali finitâ desinunt deberi, sed nihilominus peti queunt. *Ias. l. properandum 13. § sive autem alia extra 6. C. de Iudic.*

5. Eorum quæ quisque creditor impendit sui saltem crediti causa: on est repetitio diversitatis, quæ ratio sit, notavit *Anton. Fab. in Cod. lib. 7. tit. 18. defin. 43.*

DECISIO XXXI.

Pro fructibus justè addicitur quod juxtà loci consuetudinem ex re percipitur.

Sic quidem jure & usu receptum est ut petitor fructuum eos designet & probet, antequam quantitas certa definitur & adjudicatur; attamen cum id difficile aut non tanti isti sunt, ut eas litis ambages & difficultates mercantur, judex pro arbitrio potest statim definire, (1) ex eo quod ex re percipi seu pro quo locari solet. (2) Siquidem illud consuetudine provinciæ certum, judex rectè sequitur. (3) Ità cum ovium injustè per attentatum pignoratarum restitutio cum fructibus perceptis & percipiendis injuncta at non paritum esset, placuit singularum pro fructibus post deductas expensas in octo solidos Lubecanos condemnationem sine ullo ulteriori super eo litigio statim fieri (4) *In causa Obrist Alexander von Weissenstein contra oppidi Lassan incolas die 24. Octobris Anno 1655.*

1. Ex probationum inopia aut difficultate judex incerta ad certam quantitatem redigit, ut lis eò facilius terminetur. *l. fin. ff. de Prætor Stipul. l. un C. de Sentenc. quæ pro eo quod interest.*

2. Tantus rei fructus censetur, quantus percipi solet aut naturaliter ex cultura aut civiliter ex locatione.

3. *Ità in simili planè ex eadem ratione concludit Faber in C. lib. 7. tit. 18. defin. 20.*

4. Hæc est consueta fructuum ex ove annuorum computatio.

DECISIO XXXII.

Fructus ex re perperam adjudicata sed revocata usque ad litis contestationem percepti non restituuntur.

Adjudicatione, quæ durante concursu facta fuerat, revocata, de fructibus quæstio supererat. Utrum ad aliorum creditorum instantiam, cum re etiam restituendi sint? Existimatum est, illos in restitutionem non venire, (1) Tanquam à bonæ fidei possessore perceptos, (2) Cujus non est alios restituere fructus quam exstantes. (3) Eoque magis pro possessore in ea quæ occurrit specie hac, æquum visum fuit, quod ante concursum creditorum appellans juxta constitutionem Ducatus Bremensis immissus fuerat. (4) Postea demum adjudicationem impetraverat. (5) Accedebat etiam quod imputari poterat cæteris creditoribus, quod citius possessionem non avocassent. (6) Usque ad litis contestationem autem seu quod in lite hac summaria eius loco haberi poterat, ista saltem locum habere potuerunt. Post eam enim appellans in mala fide esse censetur. (7) *In causa Ioannis à Lipfeld locum tenentis contra Ioannem Henricum à Brobergen die 17. Aprilis Anno. 1657.*

1. *Sic existimat in hac specie Rauchbar. quæst. 9. numer 42. libr. 2. arg. l. 1. ff. de distract. pignor.*

2. Juste possidet, qui prætore autore possidet, *l. justo 11. ff. de Acquir. possess.*

3. *l. certum 22. C. de Rei vindicat. l. 4. §. post litem ff. fin. regund.*

4. Immissio ista quæ fit juxta Edictum Ducatus von trucherlichen Contracten / habet speciem immissionis ex secundo decreto, cui æquiparatur. Inde tribuit immissio ex judiciali authoritate possessionem, pignus & fructuum perceptionem, *utpote quotidiana ejus constitutionis praxi novimus atque extra dubium existit.*

5. Cœpto concursu omnes adjudicationes quiescere debent, factæ ut attentata cæteris non obsunt, *vid. dicta fin. præcedent.*

6. Inter desides & diligentes merito discrimen est, *l. 4. ff. quod vi aut clam.*

7. Litis contestationis hic effectus est, in mala fide constituere, *l. sed etsi lege 25. §. si ante ff. de Petit. hæred. l. 2. C. de Fruct. & lit. expens.*

Juxta hæc ita pronunciatum fuit;

In Sachen Obrist-Lieut. Johan von Lipfelden appellanten / wider Johann Heinrich von Brobergen als Claus von Zesterfliets Schwieger Sohn / in puncto adjudicationis werden die gravamina als unerheblich nit / sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen / und erkant / daß vom Richter erster Instanz den 2. Martii An. 1653. wohl gesprochen / übel appelliret / Demnach es dabey zu lassen / und die Sache

Sache an Richter erster Instanz zuverweisen sey / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar / den 21. April Anno 1656.

(Hoc est.)

In causa Colonelli locumtenentis à Lipfelden appellantis contra Joannem Henricum à Brobergen tanquam Nicolai à Zesterfliets genetum, in puncto adjudicationis, gravamina ut irrelevantia non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus, & decernimus, quod à judice primæ instantiæ 2. Martii Anno 1653. bene judicatum, male appellatum, proinde ei inhærendum, & causa ad judicem primæ instantiæ remittenda sit idque de jure. Publicatum in summo Tribunali, Wismariæ 21. Aprilis Anno. 1656.

DECISIO XXXIII.

Necessitas accusandi nec non justa ratio accusationis à condemnatione expensarum etiam in criminalibus causis liberant.

REgula victum victori in expensas condemnandum esse, non ad civiles tantùm causas sed etiam ad criminales pertinet, & accusator cũ succumbit reo, absoluto in easdẽ tenetur. (1) Quomodo verò in istis justa litigandi causa liberat (2) ab ista condemnatione, ità etiam in his admittendum idem est, (3) dum Jurisprudentia non distinguit, (4) similisque ratio est. (5) Justam verò causam talem opinati sumus, primò accusandi necessitatem, qualis est in his, qui necem defuncti vindicare opus habent. (6) Quos in expensas condemnari iniquum, nisi vindictæ justum locũ non esse planè notorium est. (7) Deinde etiam tunc remittenda est ea condemnatio, ubi justa fuit accusatio, (8) veluti cum factum, quod publici criminis speciem habet, est notorium, nempe quia homicidium perpetratum est, quod verò ad excusationem facit, altioris indaginis atque probationis digeret. (9) Si quis præsertim ex aliqua pietate ità rem accusaverit & carcerari fecerit, etsi probatâ inculpatâ defensione (de qua tamen ab initio non constabat) absolutus deinde fuerit, nõ est condemnandus in expensas. Ità correcta priori sententia condemnatoria sublata fuit *in causa Clauß Dunckern, contra Mertin Dunckern. Die 28 Iunii An. 1659.*

r l. si stipulaverit 27. § si reus 15 ff. ad L. Iul. de Adulter. l. quòd crimen 3. C. qui accus. non poss. Ordin. Criminal. CAROLI V. artic. 12. & artic. 204.

2. Expensæ sunt pœna litis temerariæ, *l eum qui 29 ff. de Iudic.* Quæ itaque causa relevat vel excusat à præsumptione temeritatis, ea etiam liberat à condemnatione expensarum. *Donell. lib. 26. Comment Iur. Civil. cap. 3. ib. Hilliger lit. I.*

3. Non apparet ratio diversitatis, Etsi enim minus properandum sit ad accusationes, tamen ubi necessariæ & justæ videntur, etiam non abstinendum. Quia publicè utile est delicta vindicari, permissum idcò est omnibus accusare *l. 1. ff. de Accusat.*

4. Lege non distinguente nec nostrum est distinguere aut exceptionem facere.

5. Perinde imò vel magis æquum accusatorem non condemnari, ubi justâ ratione ad illam progreditur. Quia minus ab accusatione abstineri ad Rempubl. pertinet, *ut pluribus demonstrat Carpzov. in jurisprud. forens. part. 3. quæst. 104. n. 115. seq.*

6. Hoc confirmatur, *tum ex l. 2. C. de Calumniat.* ubi hi à pœna calumniæ, quæ est etiam in expensas condemnatio, ob illam necessitatem & pietatem liberantur; *tum ex l. de crimine 12. C. qui accus. non poss.* Ubi remissa his, qui suam suorum que injuriam persequuntur, inscriptionis necessitas argumentum est non existentis expensarum debiti.

7. Notorietas injuriæ ut facit apparere non adesse necessitatem accusandi, ità etiam eam non proficere. Calumnia tunc manifesta est, ubi accusanti rationem non esse constat, *l. 1. C. de Calumniat.*

8. Ratio accusandi justa à Calumniæ suspicione & pœna, adeoque & expensis liberat. *Fab. in Cod. lib. 9 tit. 2. defin. 2. num. 5. ubi addit argumenta, ex quibus præsumptio bona oritur, & ab expensis liberationem efficit.*

9. Accusari necesse est & Reipub. utile, ut exploretur defensionis veritas, ideo cum de hac constare debet, accusationem non excludere vel punire oportet.

DECISIO XXXIV.

Juramento damna taxantur, idque etiam non petitum superius judex defert.

DE damno ob injustam uxoris incarcerationem refundendo condemnatus reus, haud quidem simpliciter tenetur ad ea quæ adversa pars designat, sed tantum quæ probat. (1) Haud verò exacta istius probatio requiritur, (2) sed sufficit vero similis demonstratio, qui fidem facit judici, ut damnum illatum credat. (3) Si tamen non adest ejus sufficiens probatio, juramentum petitoris deferri solet, quo mediante damnum quod judex ut verosimile admittit, taxet vel verè lesensisse asserat. (4) Quod etiamsi judex taxaverit, nihilominus necessarium habetur. (5) Ideo etiam cum pars adversa non petierit, id judex ex officio deferre solet & potest (6) tanquam suppletorium, (7) instarque aliorum juramentorum legalium, in quibus exactio non exspectatur, sed judex legi satisfacere jubet. (8) Sicut judicatum *in causa Martin Teschen, contra Cap. Philip Guzlaff Rotermunden. Die 16. Octob. Anno. 1656.*

1. Requiritur ejus quod interest, quædam probatio, nec sine omni ea certum quid ejus loco assignatur, *l. fin. ff. rem rat. haber. l. un. C. de Sent quæ pro eo quod. interest.*

Digitized by Google

2. Difficilis enim est, *d. l. fin. rem rat. hab.* & ob eam difficultatem atque obscuritatem levior sufficit

3. Æstimationem quippe facere debet, juxta ea quæ probantur, *l. videamus 4. §. fin. ib. Iason. & Zas. ff. de in lit. jurand.*

4. Hic ordinarius & consuetus procedendi modus est, cum damna sunt dubia.

5. Judicis arbitrio relictum est, an designationem factam statim ad juramentum admittere velit, an prius taxare, & sic juramento committere, *dict. l. videamus 4. §. jurare 4. ff. de in lit. jur.*

6. *l. in actionibus 5. §. 1. ff. eod.* Videtur quidem aliter sentire, *Ranchbar. quæst. 9. n. 43. seq. part. 1.* sed sine lege, sine ratione, contra praxin. Forte ad forum Saxonicum respicit. Quo nostris potior est communis jurisprudentia.

7 Perinde hoc ad supplementum probationis assumitur, quod suppletorii proprium est, *l. admonendi. 31. ib. Beust. num. 178. & Iason. in repet. 60. num. 169.* Et de hac scimus praxi receptum, ut non tantum parte petente sed etiam ex officio à judice deferatur *Gail. 1. Observ. 108.*

8. Legalia juramenta judex defert quoties opus est, etiam cum pars non petit. *Iason. in d. l. admonendi num. 145.*

Sententia pronunciata sic sonabat;

In Sachen Marten Teschen Klägern wider Philip Gutzlaff Rotermundten Beklagten in puncto damni & expensarum wird erkannt/ wurde Kläger vermittelst Cörperlichen Eydes erhalten/ daß Er durch seines Weibes Gfängnuß den angezogenen Schaden biß auff 85. fl. erlitten/ auch die Unkosten deßwegen angewandt sich nit unter sondern ehe über 41. fl. 14. ß belauffen/ darauff es mittelst Richterlicher moderation hiemit gesetzet wird/ daß alsdann Beklagter solche 85. fl. an statt deß Schadens und 41. fl 14. ß. verursachete Kosten dem Kläger zu erstatten schuldig sey. Die Unkosten aber so ausser vorberegtem punct außgewandt/ werden biß zur endlichen Erkantnuß in puncto prætensæ libertatis außgestellet/ von Rechtswegen: Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 7. October. Anno 1656.

(Hoc est)

In causa Martini Teschen actoris contra Philippum Gutzlaff Rotermunden rei in puncto damni & expensarum decernimus, si actor corporali juramento obtinuerit, se per suæ uxoris incarcerationem allegatum damnum usque ad 85. fl. perpessum esse, & propterea sumptus adhibuisse qui non infra sed potius supra 41. fl. 14. sol. excurrunt, ad quam summam interea judicialis moderatio hisce ponitur, quod tunc actor tales 85. fl. loco damni & 41. fl. 14. sol. causatos sumptus actori solvere teneatur, expensas vero supra allegatum punctum adhibitas usque ad finalem decisionem in puncto prætensæ libertatis differimus, idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 7. Octobris Anno 1656.

DECISIO XXXV.

Condemnationem in impensas non sola causa victoria vel justitia, nec Rei miseria vel egestas meretur.

ABsoluto ab expensis accusatore accusatus restitutionem in integrum petebat, exaggerans tum obtentam in lite victoriam; tum demonstratam à se innocentiam; tum viræ miseriam & egestatem. Verum nihil in his fuit quod expensarum condemnationem mereatur. Hæc enim est pœna temere litigantis, (1) ideo ubi temeritas litigii abest, cessat. (2) Repertum vero fuit non temere accusasse viduam liberosque, qui necem defuncti ulcisci voluerunt, cum deberent, nec ratione accusandi destituerentur. (3) Victoria sola non est causa, ut refundantur expensæ, ut nec reperta tandem innocentia rei, (4) sed saltem accusantis malitia vel iniquitas. Quæ cum abest, ut crimine caret, etiam pœna abesse debet. (5) Non est in eo discrimen inter pauperes & divites. Paupertas quidem indigentium per misericordiam est sublevanda, (6) at ideo aliis sua non auferenda aut injusta irroganda sunt. (7) Quas accusatus in carcere & ex diuturnitate processus sustinuit calamitates, damna & miserias, ex quo per demonstratam inculpatam tutelam innocens repertus est, merentur commiserationem, verum minime ejus, qui necessario accusavit & contra homicidam, usque dum defensionem non notoriam probaret, egit, punitoriam condemnationem. (8) Rejecta ideo est implorata restitutionis *in causa Clauß Dunckern, contra Martin Dunckern. Die 11. Januarii Anno 1657.*

1. *Instit. de pœn. temer. litig. l. cum. qui 29. pr. ff. de Iudic.*

2. Quælibet justa ratio litigandi relevat ab expensarum condemnatione. *l. qui solidum 78. §. etiam 2 ff. de Legat. 2.*

3. *De qua specie scriptum & decisum videas part. 4. decis.*

4. Quid frequentius quam victoribus non tribui, sed compensari expensas, ubi justa causa litigii reperitur.

5. *l. 1 ff de pœn.*

6. *l. Privilegia §. fin. C. de SS. Eccles.*

7. Pauperibus non est favendum cum alterius injuria *Cephal. consil. 36. num 14. vol. 1.* Hoc est quod proverbio dicitur; Non esse unum altare detegendum, ut alterum tegatur.

8. In hoc non spectandum quo alter eget, sed qui mereatur condemnandus.

Digitized by Google

DECISIO XXXVI.

Non pronunciatur super expensis, nisi specificè designatis.

CUm cui adversarius in expensas erat condemnatus, certam quantitatem exprimebat, petens super ea judicis arbitrium, rejecta fuit petitio & jussus supplicans speciatim seu frustratim expensas designare, (1) quo judex quid expensum dignoscere, & super eo judicare possit, cum ea in re non quod visum, sed quod verum spectari debeat, (2) ideò sine designatione judex, quantum justè adjudicet, scire non queat. (3) *Ita decretum ad petitionem Dietrich Massovven, contra Friedrich Sittmannen, die 13. Martii Anno 1657.*

1. Hoc in judicis est consuetudine, à qua recedendum non est.

2. Inde juramento taxatio fieri solet, *vid. Gail. 1. Observ. 151. num. 11. seq.*

3. Judex nihil nisi ex certa scientia ac cognita causa pronunciare debet.

DECISIO XXXVII.

Procuratoris culpa non excusat principalem ab expensis.

CUm de expensarum moderatione agebatur, appellans designationi objiciebat istarum plures à suo Advocato & procuratore se ignorante nec volente causatas fuisse, ideò sibi non imputandas. Sed inutilis habita est objectio, nec eò minus in tales, præterquam quod & veritas istius nondum constabat, processit condemnatio. (1) Procuratoris culpam luit qui constituit, quia sibi imputare debet, si minus diligentem cautumque legerit. (2) Id verò adversario non debet esse incommodo. (3) *In causa Iacob von Rammins, contra viduam D. Rebhuns, die 8. Maji Anno 1657.*

1. *Ita decisum quoque reperies apud Fabrum in Cod. lib. 7. tit. 18. defin. 36. ubi idem esse tradit quo ad eum quem procurator sibi substituerit.*

2. *arg. §. præterea Instit. quib. mod. recontr. oblig. l. 1. §. item. quæritur ff. de separat.*

3. *l. culpa ff. de Reg. Iur.*

DECISIO XXXVIII.

Iuramentum taxationis expensarum non adhibendum est, ubi taxa judici est certa.

POst condemnationem in expensas, harum designatio incumbit parti victrici; super designatis autem taxatio judici, (1) quæ est istarum ad moderatam summam reductio. (2) Ad quam adhiberi solet primo judicis quoddam peculiare examen, in quo singula juxta necessitatem expendantur, deinde super approbatis juramentum partis victricis, porrò super juramento condemnatio. (3) At non aliter putavimus adhibendum, quam ubi designatæ expensæ certam non habent taxam, & deinde, si aliquanto majores fuerint. Quod si ità sunt comparatæ, ut non comprehendant nisi specificationem impendii pro actis, decretis, mandatis, sententiis, judicii sportulis, Advocatorum, Procuratorum, Notariorum, Scribarum salariis, honorariis & similibus, quæ vel ex ordinatione judiciaria & consuetudine definitam habent taxam, vel ex oculari inspectione actorum per judicem facilè taxantur, ità ut & veritas & quantitas certa esse queat, sine exactione juramenti taxatio & condemnatio fit. Superfluum enim est planè juramentum, quo sine res judici certa est & ab ipso facilè definienda. (4) Melior quoque sumptuum ex lege vel actis probatio. (5) Et licet inter designata sint quædam alterius generis, attamen si modica, non propter hæc juramentum injungendum erit. (6) Cum eo itaque discrimine, qua impositionem juramenti in ea specie versari pietati, juri, rationi conveniens putavimus, ideò hoc nunc & imposterum sequi decrevimus. Die 26. Junii Anno 1657.

1. Judicis Religioni committitur taxatio expensarum litis *Novell. 82. c. 10. verb. cum. quantitate quæ visa erit ei rectè se habere.*

2. Sunt plerumque litigantes in sumptibus faciendis nimia spe recuperandi prodigi: Advocati & Procuratores pro suis lucris intenti, utrique deinde in repetendo cupidi, ideò in designando largi; judicis autem est non aliarum nisi necessariarum rationem habere. *Gail. 1. Observ. 151. n. 1. & 2.*

3. *Eum processum taxationis præscriptum habemus in Auth. post. jus jurandum C. de judic. dict. Novell. 82. cap. 10. Affin. in prax. §. 32. cap. 6. numer. 1. seq. Mynsing. §. hæc autem omnia num. 8. ff. de Pœn. tem. litig.*

4. Superfluo juramento nec partium quisquam onerandus nec judiciorum sanctitas violenda est, quando scimus, in vanum sumere Dei Nomen secundo Decalogi præcepto vetitum esse.

3. Juramentum in subsidium deficientibus aliis probationibus demum assumitur. *l. 3. l. pen. ib. Dd. C. de reb. cred.*

6. Super modicis expensis non est jurandum. *Mascard. de Probat. conclus. 117. num. 6.* Idem Camera Imperialis observat, pro impendiis infra 20. aureos juramentum non imponens. *Mynsing. in § hæc autem omnia sub num. 8.*

Digitized by Google

DECISIO XXXIX.

Cujus expensis commissio pro rationibus discutiendis est expedienda.

QUando rationes discutiendæ sunt & harum causa commissio decernitur atque expeditur, qua sumptus, quos requirit, discernendum est, utrum ex officio judex commissarios deputavit, an ad instantiam unius partis? Quæ ad decretum judicis per rationem officii expediuntur, impensarum onus partium commune faciunt, (1) nisi manifesto apparet, unius gratia aut usui commissionem decerni, (2) aut quod coram commissariis est efficiendum, præstandi onus esse unius (3) veluti si quisquam suis sumptibus rationes reddere obnoxius fuerit. (4) Ex talibus causis à judice impetrari potest, ut post decretum commissionis juxta æquitatem, cujus sumptu expedienda sit, declaret quis sumptus expendere debeat. (5) At quando ad alterutrius partium instantiam saltem commissarii deputantur & actum commissum expediunt, regulariter presentis est onus sumptuum, (6) nisi statim constet utriusque partis causa negocium geri. (7) Tunc enim judex licet unius precibus commissionem indulserit, utrique tamen impendia injungit, (8) Sicubi illud non apparet seu res dubia erit, ita manet onus commissionem extrahentis, ut tamen ei repetitio deinde integra sit ubi causa deducetur, cur aut commune aut adversarii solius istud onus esse debeat. De quo etiam pendente lite discepture atque judicare integrum erit. (9) At si ea saltem de causa quod frivole litigatur impensa commissionis reperitur, de ista non statuendū antequam in causa judicetur. Juxta hæc decretum *in causa Ioannis Scholvini liberorum tutorum, contra Henricum Geveldten, die 16. Decemb. Anno 1657.*

1. In dubio quippe præsumitur causæ potius communi quam personæ soli commissionem decernere.

2. Cujus solius causa decernitur commissio, ejus etiam est impensarum onus. *Munoz. ab Escobar. de Ratiocin. cap. 42 num. 6.*

3. Quod unicuique incumbit onus, illud suis tenetur præstare impendiis. *l. quod nisi 20 ff. de oper. libert.*

4. Quod evenit ubi rationes reddere pars officii & pro quo salarium accipitur, nec aliud convenit.

5. Quando decretum commissionis ex officio judicis processit, frequens est à partibus peti declarationem, cujus sumptibus illa expedienda sit. De quo ejus est arbitrium. *Menoch. de Arbitr. Iud. Quæstion l 2. cas. 228.*

6. *gloss. in l. fin. C. de Erogat. milit. annon Vincent. de Franch. decis. 32 num. 3. part. 2. Boer. decis. 303.*

7. Ubi utriusque partis peræque interest rationes discuti, tunc etiam utriusque id onus est. *l. 1. ff. de Contrar. & ut tut act. Escobar. d. l. num 51.*

8. *Sic usus fori servat.*

9. Inter expensas de quibus in fine litis ad quem pertinet de iis statuere, etiam habetur illorum ratio sumptuum, qui in commissiones necessarias impensi fuerunt.

DECISIO XXXX.

Expensarum causa summaria est brevi processu præsertim ob contumaciam condemnati terminanda.

ITa servatur, ut facta in expensas condemnatione ad designationem victoris, siquidem illa aliquantò majoris summæ est, non statim taxatio & condemnatio fiat, sed victus adhuc super ista audiatur: (1) Hoc tamen celeri processu faciendum, omnisque in eo circuitus vitandus est (2) Ideo ex quo designatio editur, statim ejus copia iuxtimq; brevis terminus victo ad proferendum, si quid ad veritatem vel taxationem faciens proferre habeat, decernitur. Quo nihil intra hunc allegante statim ad taxationem à Judice progrediendum est, (3) non dato alio ad allegandum termino. Hoc enim non convenit tum sumario processui. (4) qualis est super expensis, (5) tum contumaciæ ob quam qui sibi negligentiam imputare debet, non amplius audiendus est. Quod secuti sumus *in causa Albini Behren, contra Peter Ernst, die 25. Novembr. Anno 1654.*

1. Est enim novum quid in illa designatione & quidem ita comparatum, ut super illa victum audiri, ne immodicè condemnetur, interest. *l. de unoquoque 47. ff. de re judicat.*

2. *Carpz. resp. Elect. 70. num. 5. l. 1. arg. l. dominus 53. ff. de Condict indeb. l. 3. §. pen. ff. de don. int. vir. & uxor.*

3. Judicis est taxare expensas. *Novell. de Iud. cap. 10.*

4. Sumarius processus breviores & pauciores exigit terminos, quia summaria causa citius expeditur. *Maranth. in spec. part. 4. distinct. 9. num. 3. & seq.*

5. *Panorm. in cap. 2 num. 7. x. de dol. & contum.*

6. *Fab. in Cod. l. 7. tit. 18. defin 59. Faciunt etiam huc ea quæ prolixius exponit de pœna contumacia circa expensas Ioh. Bapt. Asin. in Prax. Iud. §. 32. ampliat. 32. n. 4.*

TIT.

Digitized by Google

TIT. LII.

DE RE IUDICATA.

DECISIO I.

Artificum sententia sola instruit tantum, litem non finit, ideo rem judicatam non facit.

QUando fabri lignarii & cœmentarii libris super ædificiis adhiberi soliti, in prima instantia de quæstione, quid circa ædes pertinentiarum loco habendum, ex oculari inspectione judicium suum protulerant, eo vero posthabito, Judex à quo super non competente actione tantum pronunciaverat, in superiore autem non recte pronunciatum apparebat, de eo dubitatio oriebatur, utrum de actione competente sententia statim correcta simul juxta peritorum judicium super ipsa causa pronunciandum esset. Id quod fieri potuisset, imò debuisset; si sententia artificum vim judicati obtineret, (1) At secus existimavimus. Etsi enim peritorum judicio in litibus multum tribuendum est, (2) haut tamen eo usque vis istius porrigitur, ut pro judicato sit, (3) præterquam cum super eo seu juxta illud judicis sententia accessit, (4) circa quam minimè in rem judicatam transit. (5) Adhibetur enim artificum judicium ad causam saltem instruendam veritatemque explorandam, ideo ad probatoria tantum pertinet: Super eo verò statuere judicum est. (6) Quo circa hic integrum non modo quid ei tribuendum statuere, sed etiam diligenter perpendere incumbit. Cui consequens est quod arbitrio ejus relictum est sequi, an posthabere velit (7) ita tamen, ut non sine justa causa retrectet vel postponat, ubi super relatione exsurgit disputatio altera parte illam impugnante, vel si & judici dubia subveniunt, vel si obscura, vel non sufficiens, vel defectu aliquo laborans, tunc juxta illam sententiam minimè feret, sed prius quæ ad fidem, veritatem, rationem, solennitatem debitam spectant, examinabit, (9) id quod etiam cum talia inciderent in secunda instantia prius faciendum, ideo relata artificum ad ulteriorem discussionem remittenda esse, concluſum fuit. *In causa Heinrich Bonsack contra Hanß Branstedten, die 11. Ian. Anno 1660.*

1. Quia res judicata litem decisione finit *l. 1. ff. de Re jud.* contra eam nulla ulterior disputatio admittenda est *l. fin. C. sentent. rescind. non poss.*

2. *de quo vid. Pacian. in tract. de probat. cap. 46. n. 110. seq. part. 1.*

3. *l. si quis versic. & huic C. Fin regund. l. si irruperit §. fin. ff. eod. Mynsing. 6. observ. 35.*

4. Ex adprobatione judicis vim judicati accipit *Marant. in specul. part. 6. verb. Expedit. n. 130. Hier. e Montan in tr. de Finib. 30. 31. 32.*

5. Ita habet communis JCtorum sententia, quam Praxis fori recepit.

6. Peritos superat peritius judicium. *Panorm. in c. causam de probat.*

7. Ab arbitrio judicis pendet confirmare vel retractare peritorum judicium. *Pacian. in tract. de probat. lib. 2. cap. 46. n. 85. & 87.*

8. *Bursat. consil. 184. n 9. vol 2,* ubi scribit, non discedi à peritorum judicio nisi quodam ejus errore vel defectu deprehenso.

9. Ex eo praxis judiciorum observat, ut priùs sint partibus relationis communicatio, permittatur iis defectuum allegatio & post eam demum expensis cunctis sequatur pronunciatio.

DECISIO II.

Rei judicatæ exceptione aut allegatione uti non potest, qui non fuit in lite super qua judicatum.

IIs inter quos sententia dicitur, postquam rei judicatæ vires consequitur, exceptio rei judicatæ competit, (1) quæ litis finitæ est nec sinit eam quæstionem quæ semel decisa fuit inter eosdem refricari & in judicium reduci. (2) At aliis minimè profi. cit sententia, ideoque nec rei judicatæ exceptio, (3) sed illa non obstante, quod inter alios decisum, inter alios in disceptationem reduci poterit, (4) & cum post hanc aliud pronunciatur, fruſtra allegat, sententiam repugnare rei judicatæ, cum pro alio non pro ipso sic judicatum sit, (5) Sic existimatum *in causa Viduæ Ioachimi Petersen, contra Adamum ab Horn. Die 2. Aprilis Anno 1657.*

1. *Vid. tot. tit. ff. de Except. rei judic.*

2. *l. pen. C. de re judic.*

3. Sicut enim aliis non præjudicat inter alios pronunciatum seu judicatum. *l. 1. tot. tit. Cod: int. alios act. vel. judic.* ita nec emolumentum afferre debet *l. 2 C. quib re jud non noc.*

4. Ut noceat res judicata oportet esse corpus idem, quantitatem eandem, jus idem, eandem causam petendi, eandem conditionem personarum *l. cum quæritur 12. l. seqq ff. de except. rei jud.*

5. Pro quo non est pronunciatum seu judicatum, is non potest pro se allegare ex judicato exceptionem.

Digitized by Google

DECISIO III.

Sententiæ aut pro præstando ejus tenore terminus non currit, nisi ex eo tempore, quo illa facta est res judicata.

SEntentia ad solutionem condemnans simul reliquit locum deductioni ejus, quod actor vicissim debuit, injuncta ejus liquidatione, cui certum terminum judex præfixit. Quando autem reus quod sententiam impugnavit, cum non observavit, Judex puro non admisso ultra ad liquidationem reo nec hac reservata condemnavit. Aquo interpositâ appellatione gravamen non injustum visum est, quod non potuit nec debuit satisfacere reus sententiæ antequam vires rei judicatæ accepit. (1) Uti non habet, quamdiu legitimis remediis impugnativis suspenditur. (2) Nec scire poterit lite adhuc pendente quid ei faciendum sit. (3) Qui ita pronunciari non debuisse contendit, adeoque ei nulla culpa & mora imputari. (4) Etiamsi vero vel frivole talibus usus, non tamen aliter quam in expensas condemnandus esset. (5) Amissione ejus juris quod ex sententia habuit, plecti non debuit. (6) Termini probatorii lapsus quidem est peremptorius, nec qui labi patitur amplius auditur, id tamen ita demum valet, si currit, vel si negligens sit & observare possit, aut non probabilis non observandi ratio sit. (7) Qualia post legitima remedia quæ sententiam suspendunt adsunt. (8) Placuit itaque non rejici appellationem, amplo tamen & prolixo processu opus non esse, sed summariam cognitionem, nec non compositionis tentamentum judici inferiori committendum esse. *In causa Henrici Koppens, contra Cessionarium Henrici Haverechten, die 27. Septembris Anno 1653.*

1. Nec enim antea verè est sententia, aut res judicata dicitur quæ id nomen tum demum accipit, cum finem controversiarum pronunciatione judicis accipit, *l. 1. ff. de re jud.*

2. Tunc dicitur finitum judicium sententiâ, quando nulla provocatio secuta est, *l. in bonæ 13. C. de Usur. cui* similia sunt alias remedia impugnativa. Pendente adhuc lite & suspensa per appellationem sententia fieri nequit, ut dilatio currat dum principio caret, ideoque nec finem habere potest *l. si in diem 26. ff. de Condit & Demonstrat. l. 2. C. de Usur. rei judic.*

3. Ante rem judicatam res plane incerta, dubia & contraversa est. *l. 1. ff. de Transact.*

4. Iudicium accipere paratus moram non facit, *l. si qua 24. ff. de Usur.*

5. Hæc est pœna temere litigantis, *l. Eum quem 79. ff. de judic.*

6. Non est talis pœna lege constituta, sine qua jure suo nemo privari debet.

7. Non valenti facere non currunt fatales termini, *l. 3. C. de præscrip. 30. vel 40. annor. l. 1. C. de Annal. Except.*

8. Nec enim qui impugnat sententiam, potest ei simul satisfacere. Sunt quippe hæc invicem contraria: Sententia quippe per appellationem exstinguitur aut suspenditur, *l. 1. §. ult. ff. ad SC. Turpill.* ideo ejus tempora currere non possunt, *uti in terminis traditum ab Anton. Fabr. in Cod. lib. 4. tit. 12 defin. 1. n. 1. Eam praxin judiciorum communem observari.*

DECISIO IV.

Nemo ut causam semel decisam iterum agat, nec quidem sub obtenturescripti Regii cogendus est.

QUo litium finis esset rei judicatæ etiam cum injustæ (1) perpetuam hanc authoritatem acceperunt, ut pro veritate habeantur. (2) Quomodo autem ex iis lis finem accipit, (3) ita post eas resuscitare non licet. (4) Est inde adversus eos, qui in litem sopita reducere volunt rei judicatæ exceptio, eaque litis finitæ & statim sub novæ litis principio opponi potest, & oppositæ eum effectum habet, ut à judicio agentem repellat, (5) ideoque efficiat, ut conventus iterum respondere non teneatur. (6) Nec tantum si ordinariâ cognitione de causa pronunciatum est, verum etiam si rescripto vel consultatione decisa fuerit, nascitur peræque illa finitæ litis exceptio. (7) Et licet vel Regio rescripto judex jussus sit citare, de causa cognoscere, judicare, nihil nocere debet injuste convento, aut proficere impetranti, (8) quem ideo quod tale rescriptum impetrat, jurisprudentia pœnâ affici meritò censet. (8) Et licet vel rescripto remota sit omnis appellatio, tamen qui contra judicatum vel decisionem jubetur judicio contendere, ob nullitatem & manifestam iniquitatem audiendus, (10) & rescriptum pro sub- & obreptitio habendum est. (11) *In causa Regij Commissarii Cæsarei à Kempendorff, contra Regium Medicum Iohannem Georgium à Weissenfels, die 19. Iunii Anno 1654.*

1. *l. pen. ff. de Iust. & Iur.*
2. *l. res judicata ff. de R. I.*
3. *l. 1. ff. de re judic.*
4. Singulis controversiis unus judicati finis sufficit, ne aliter modus litium multiplicatus summam atque inexplicabilem faciat difficultatem, *l. singulis 6. ff. de except. rei judic.*
5. *d. l. 1. ff. de re jud. l. si quis cum totum ff. de Except. rei judic. c. 1. de lit. contest. in 6. Asin. in prax. judic. §. 13. c. 9. num. 11.*
6. *Angel. in §. aque n. 5. Instit. de Except.*
7. *l. 2. verb. terminatam rescripto, vel consultatione quæstionem C. ut lit. pende nt vel post prov. voc.*

Digitized by Google

8. Rescriptum ad retrahenda ea, quæ decreto terminata sunt, non patrocinatur, *l.1.C.dict tit.* sententiis; Finita negocia rescriptis refusitari non oportet, *l.fin. C. de Error. Advoc.* Talia impetrantes à limine judicii repellere oportet, *l.fin. C. sent. rescind non poss.*

9 Triplex pœna irrogata est, prima quod omnem litis æstimationem solvet, *l.2.C.ut lit. pend. vel post provoc.* Secunda, quod ignominiæ pœna notabitur, *l.fin. C. eod.* Tertia, quod desiderio carebit, *d.l.fin.*

10. *l.1.C.sent. rescind. non poss.*

11. Principū rescripta judicatis contraria semper censentur sub-& obreptitia, ideo non sunt attendenda, *tot.tit.C.si contr.jus vel util.publ.*

TIT. LIII.

DE EXECUTIONE REI judicatæ.

DECISIO I.

Impossibilitatis objectio non excludit executionem ante factam excussionem.

Est quidem propter inopiam. adversarii seu ex defectu bonorum inanis actio, (1) at propter eam objectam non sistenda executio, sed quia debitor tenetur aut usque ad saccum atque peram bonis cedere, (2) aut vero omnium quæ habet excussionem pati, (3) atque hæc fit in executione, (4) utique non attento quia debitor miseriam bonorum suorum exaggerat quod istius est peragitur, quo constet an tanta sit debitoris inopia. (5) Post quam demum, aut non reperto unde solvitur per inopiam, cessat executio, aut de eo videndum, utrum quidquam eorum supersit, unde creditori satis fiat. *In causa Iohan Horstmans wittven, contra Iürgen Christoff Behren hæredes. Die 8. Ianuarii Anno 1658.*

1. *Iuxt, l.nihil nullam 6. ff.de Dol. Mal. juxt. proverbium.* Da nichts ist/ hat der Käyser sein Recht verlohren.

2. *l.pen.sb. gloss. ff.de cess. bon.*

3. *Covarruv.lib 2.Var.Resolut.cap.1.num'5.*

4. Est illa bonorum excussio pars Executionis.

5. Nec enim sine excussione potest constare de tanta inopia neque sine executione excussio.

DECISIO II.

Cessionario perinde ut cedenti creditori executivi processus facultas nec inter illos differentia est.

QUa executionem paratam ex instrumento obligationis nulla est inter creditorem ejusque cessionarium differentia. (1) Non tamen ipse qui instrumento nominatus est, sed etiam qui causam ab eo habet juste remediis executivis utitur tanquam creditor, modo cessionem seu titulum habendi doceat. (2) Nec refert utrum instrumentum jus det cessionario nominatim nec ne: (3) Non obstat isti exceptio, non nominatus es in instrumento, qui voce creditoris continetur & ejus loco est. (4) *In causa Otto Cluvern, contra Benedict Bremern, Die 11. Ianuarii Anno 1658,*

1. *Moller. lib 2 Semestr. 20.num.11. & seq. Coler. de Process. Executiv. part.2.cap.2.num.31.& 33.*

2. Est ille tanquam procurator in rem suam, creditoris jure & vice ex successione potitus, cujus personam repræsentat. *l.2. C. de Donat.*

3. *Coler. de Process. Executiv. part .2. cap. 2. num.69.*

4. Cessionarius proprie creditor est. *l. ab Anastasio verb. alium creditorem* C. *Mandat.* ideo in qualibet dispositione creditoris appellatione continetur. *Alciat.in l.1.num.74. ff.sicert.pet.* Et instrumenta statuta vel pacta paratam executionem tribuentia nomine creditoris etiam cessionarium velut unam cum cedente personam complecti tradit *Coler.dict.cap.2.num.31.& seq.*

DECISIO III.

Prohibitio cessionis ligitiosæ actionis non spectat ad executivum processum.

QUæ in jure facta fuit prohibitio cessionis non tantum rei, sed etiam actionis litigiosæ (1) inde exceptio non potest opponi cessionario, cui cæpti contra debitorem suum executivi processus cessio facta est quando ex eo lis non est sed tantum executionis petitio, (2) & qua hanc cessat ratio vitii litigiosi. (3) Quomodo non est interdictum post rem judicatam jura sua alteri cedere, (4) ita nec paratæ ex instrumento executionis cessio illicita habetur. (5) Multo minus si post factam immissionem cessio processerit. Nec si deinde cessionario lis movebitur vel exceptiones quædam opponentur, ideo dicendum est litigiosam actionem cessam esse, (6) cum super illo lis nondum mota fuit cedenti, nedum lis cum ipso contestata, unde actio demum fit litigiosa. (7) *Inter eosdem.*

1. Non tantum rem litigiosam, sed nec actionem alienare, seu in alium transferre licitum est. *l. 2,l. 4. C. de Litigios.*

2. Processus executivus non litis sed executionis leges sequitur, tanquam liquidum non controversum jus tractans.

3. Ne durior adversarius alicui obtrudi possit, nec alteri invito alius post litem cæptam obtrudi, prohibita est actionis translatio.

4. De

Digitized by Google

4. De hoc nulla in toto jure exstat prohibitio, ideo manet cedendi licentia *Parladar. l. 2. rer. quotid. c. fin. part. 3. §. 4. n. 5. Meier. Coll. Arg. l. 42. tit. 1. thes. 90. num. 4.*

5 Instrumentum ex pacto vel statuto paratam executionem habens rei judicatæ æquiparatur: *Rebuff. in tit. de Liter. Oblig. in præfat. num. 27*

6. Hanc enim antecedit cessio non sequitur in tali specie.

7. *d. l. 2. l. 4. C. de Litigios.* Sunt quidem multi qui hoc *per Novell. 112. cap. 1. & Anth. Litigiosa C. de Litigios.* mutatum putant *Peregrin de Iur. fisc. lib. 2. tit. 6. num. 3. Covarruv. pract. quæst. 15. num. 6.* tamen nihil ejus qua actionem est in illo textu, qui saltem de re litigiosa disponit. Inter quam & actionem litigiosam multum discriminis est.

Juxta hæc ita pronunciatum fuit.

In Sachen Otto Clüvers Appellanten wider Benedict Bremern Appellaten in puncto debiti nunc immissionis werden die gravamina als unerheblich nicht / sondern actaex officio vor beschlossen angenommen / und erkandt / daß vom Richter voriger instantz wol verabscheidet / und immittiret / übel davon appelliret / demnach es dabey billich sein Bewenden hat / und im fall Appellant die vorgewandte immission und perception darauß prætendirter solution zubehaubten hätte / zudem deßwegen veranlasseten processe zu weisen sey / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 25. Januarii Anno 1658.

(Hoc est)

In causa Ottonis Cluvers appellantis contra Benedictum Bremern appellatum in puncto debiti nunc, immissionis gravamina tanquam irrelevantia non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus, & decernimus, à judice prioris instantiæ bene decretum & immissum, male appellatum, proinde ei inhærendum & caluquo appellans prætensæ immissioni & perceptioni inde petitæ solutionis insistere vellet, eum ad processum propterea excitatum remittendum esse, idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 25. Januarii Anno 1658.

DECISIO IV.

Dominus feudo postquam concessit nova onera imponere nequit.

RES in feudū concessa sic transit cum suo onere ad vasallum, sicuti eo tempore cum eo affecta fuit, & quod tunc incubit sustinet vasallus. (1) Post concessionem autem semel factam, non est in potestate domini feudum ejusque vasallum aliis præstationibus aut veterum augmento onerare. (2) Etsi enim proprietas fundorum in feudum datorum penes dominum manet; (3) haud tamen valet magis in præjudicium vasalli quædam magis imponere, quam proprietarius servitutem vel aliud quicquam in detrimentum usufructuarii, (4) cujus vice censetur. (5) Et cum post feudum datum id non amplius vacat domino, utique multo minus ejus regimini aut commissariis, quorum mandato ea potestas non continetur, sed cum facultas reditum ex feudo habentibus prospiciendi data esset, non ultra competit quam juxta regulam prioris consuetudinis, quæ isti inesse creditur. Ex hac ratione creditum recte appellari à decreto, quo vasallus jubebatur ultra antiquam præstationem, quod jam sibi collato feudo auctum erat, solvere *in causa Baron Schlangenfelds contra die Closter. Jungfern zum Neuenkalen, die 14. Septemb. Anno 1660.*

1. Res transit cum suo onere in quemcunque possessorem.

2. *Knich. tr. de Vsufr. pact. part. 2. c. 5. n. 6. Kchl. de servit. feud. part. 4. num. 98. 191. 192.*

3. *Cap. in fin. in quib. caus. feud. amitt. Alvarot. Aflict. & Dd. omnes in c. 1. §. res autem de investit. de re alien. fact.*

4. *l. 15. §. 7. 8 ff. de usu fruct.*

5. Unde ab usufructuario ad vasallum frequens in jure feudali argumentum est, etsi alias multum inter se differant.

DECISIO V.

Creditori ex instrumento executionem paratam habente seu judiciali causa immisso, debetur possessio fructuumque perceptio, ideo habitatio & inadministrationem inspectio.

QUerebatur creditrix in bona debitoris sui immissa de injuria administratoris, qui in bonis erat, quod nec habitationem sibi vacuam relinquere, nec ex fructibus quippiam suppeditare, nec de fructibus rationes reddere velit, culturam agrorum negligeret, nec ut bonus paterfamilias versaretur. Mandatum itaque rogabat de concedenda commoda habitatione, reddendis rationibus, atque frugali administratione: impetrare id debuit, ne otiosa & inutilis esset immissio, quæ in tali specie tam jure communi, (1) quam per consuetudinem, (2) immissionis ex secundo decreto proprietatem & effectum habet, unde ex illa immissione creditori evenit possessio, (3) quare etiam in prædio in quod immittitur habitandi licentia. (4) Debetur etiam eidem fructuum perceptio, (5) ideo & justum fructus perceptos ab administratore petendi, tum & de iis rationes exigendi. (6) Eoque minus dubitandum competere tam inspectionem in administrationem quam facultatem hanc ita constituendi, ut immissio utilis magisque frugifera fiat. (7) Qui semet his opponet, administrator iniquus non modo sed & suspectus erit, ideo coc-

Digitized by Google

coercendus. Quod *per mandatum factum ad supplicationem N. Heimbruchs Jürgen Behren Wittwen contra Jacob Ernst Meyen, die 5. Februarii Anno 1656.*

1. Est quidem inter Interpretes de eo altercatio, utrum ex causa judicati immissus, ex primo tantum decreto, an ex secundo mittatur, seu an custodia ei saltem, quod illius est, an quæ hujus est possessio cedat? At quamvis interpretum pleraque pars aliter sentiat, in praxi tamen valet opinio, quæ istam missionem possessorem facere dicit. *vid. Coler. de Process. Executiv part. 1. cap. 2. num. 56. & seq.* Et si recte omnia pensitaveris, reperies magis consonans juri *ex l. à Divo 15. §. si rerum 4. vers. si evenit ff. de Re. judic. ubi Angel. in Comment. scribit, immissione ex causa judicati accipi & naturalem & civilem possessionem ut neque primo neque secundo decreto opus sit ratione multo majore usufructum, aum sine possessione nihil eorum quæ creditor ex immissione habet, consecuturus sit.*

2. *Sic in Pomerania dudum usu invaluit.*

3. *Per allegata num. 1.*

4. Nulla aut inepta futura est possessio missi nisi contingat habitatio, ut in fundo manere possit. Nam possessio est pedum positio. *l. 1. pr. ff. de acquir. possess.*

5. Hic est finis immissionis, ut creditor rebus in quas immittitur, sicut pignora ex judicato capta immissus distrahere vel non possit vel nolit, utatur fruatur, donec satisfactum sit fructibus, primo in usuras, deinde in sortem imputandis l. 1. *l. 2. C. de Pignor. act.* ideo non excludendus effectus *Coler. dict. tract. part. 3. cap 9. numer 81. seq.*

6. Cui consequens competit, ei permittendum etiam necessarium antecedens *l 2. ff. de Iurisdict.*

7. Etiam immissio ex primo decreto quod saltem custodiam tribuit ea potestas inspectionis & curæ est, ut agri recte colantur, fructus serventur, non dissipentur *Coler. de Process. Executiv. part. 3. cap. 12. num. 33. 47. seq.*

DECISIO VI.

Executio per Commissarios aliquando commode expeditur.

EXecutio quidem non est in arbitrio mero magistratus seu judicis, sed quem lex certum ejus definit ordinem observare decet; (1) Si tamen non simul statuit per quem præcise fieri debeat, judici vacat quem executorem dare velit; (2) Apparitorem per quem vulgo fieri solet; (3) An Commissarios. (4) Hos eligi & constitui sæpe expedit, si circa effectum sententiæ quædam necessaria captum & vires apparitoris superantia accidunt, veluti in executione requiritur exhibitio documentorum, discussio rationum & similia per commissarios effici solita. Sic decreta pro executione commissio *ad appellationem hæredum Steffen von Ahnen contra hæredes Everdt von Ahnen, die 15. Martii Anno 1658.*

1. *l. à Divo. 15. §. 1. seq. ff. de Re Iudic.*

2. *l. si ut proponis. 6. C. de Execut. rei judic.*

3. *l. 2. C. si in causa judic.*

4. Ita jam mos apud nos recepit, ut multæ executiones ab executoribus subnomine commissariorum constitutis expediantur.

DECISIO VII.

Non deneganda quæ ad victum & negocia hominis spectant sub obtentu non præstiti debiti.

INcolæ cum tandem ex privilegio concederetur immunitatis cum civibus similitudo, deinde ex alia causa & ideo negabatur concessio certificationis, quod prætendebatur ipsum non solvere solitam recognitionem, nec forum urbanum agnoscere velle. Etsi vero ipse in eo videbatur iniquus & merito coercendus, ut justa præstaret, attamen non visum æquum ideo statim negare quæ ut incolæ debebantur (1) Nec etiam ex beneficio civitatis sed Regionis habebat. (2) Quare visum eo non attento injungendum esse, quod pro victu atque negotiatione supplicanti erat necessarium. (3) Aliis quippe mediis ad justa ipsum adigere Senatui vacabat, ut opus non esset, unde ipse vitam sustentabat, cohibere, cum si vel executio tacienda, eximantur quibus debitor ad victum eget, (4) Nec justa tam rigorosè sint exigenda, ut illo citra necessitatem debitor privetur. Quod in præsenti casu eo minus æquum erat, quod debitum nondum liquido apparebat, partim subjudiciali controversia versabatur. Arctius inde mandatum sub arbitraria pœna processit *ad preces Walter Blocken, contra Senatum Wismariensem die 30. Martii Anno 1658.*

1. Non præstatio debiti civilis non est modus amittendi incolatum sed illa executionum rigore coërcenda est. Hæc vero in res & facultates exercenda *l. properandum 13. §. sin autem 3. C. de Iudic.*

2. Beneficii quod aliunde habetur amissio statim non sequitur ex non præstitis alteri debitis.

3. *Bartol. inl. à D. vo §. 1 ff. de re Iudic.*

4. Executio non nimis aspera & vehemens esse debet, *l. sancimus 53. pr. C. de Episc. & Cler.* sed congrua debitis. Damnatur executorum pertinax & avara protervitas. *l. omnes 33. §. præterea 2. C. eodem.*

DECISIO VIII.

Ab executione devolvitur appellatio, qua exceptionem in ista admittendam.

IN solutum datio non tantum liberandi modus est, (1) Sed & hodie executionem evadendi medium; (2) Ideo istius oblatio

Digitized by Google

& de hac exceptio in ipsa executione locum obtinet, eamque suspendit: (3) Circa quam si quid evenerit controversiæ & judex vel mandando vel pronunciando decreverit, de quo gravamen non injustum sit, locus est appellationi, non tanquam ab executione, sed causa concernente exceptionem circa executionem admissibilem. (4) Etsi itaque debitum sit confessatum, dum tamen illud non impugnatur, sed de modo satisfaciendi quæstio est, admittitur appellatio, quando prius necessaria est causæ cognitio. (5) Ideoque executorialia mandata suspendantur per appellationem quoad ea, quæ iis obiici queunt. Nec enim illa majorem re judicata autoritatem habent. *In causa Valentin ab Eichstädten contra Viduam Iochim ab Eichstädten die 20 April. Anno 1658.*

1. Est vice solutionis nec minus liberat *l. manifesti 17. C. de Solut.*

2. *Novell. 4. cap. 3. Auth. Hoc nisi debitor. C. dict. tit.*

Id quod recentiori Imperii constitutione de anno 1654. corroboratum.

3. Est enim juxta beneficium harum legum inter illa exceptiones, quæ non sententiam impugnant, sed tantum executionem moderantur, & imminuunt, ideo in ipsamet locum habent. *l. 1. ib. Dd. C. de Iur. & fact. ignor. Zinger de except. part. 3. cap. 26. num. 96.* ob qualem spretam etiam in ipsa executione appellatio admittitur. *Conrad. in l. un. limit. 59. num. 6. C. si de moment. possess. Rebuff. de Sent. Execut. artic. 7. gloss. 12. num. 2. & gloss. 14. num. 9.*

4. Cujus rejectæ novum gravamen est, ideo etiam in ipsa executione appellatio. *Scacc. de Appellat. quæst. 17. limit. 10. num. 18.* ubi scribit ex novo gravamine sententia de exequendo dari appellationem.

5. Hæc circa executionem & in ea admittendas exceptiones necessaria est. *Scacc. d. tract. quæst. 19. remed. 1. conclus. 5. num. 34.* ideo sine excessu executionis, qui appellabilis est. *l. ab executione 5 C. Quor. appell. non recip.* non potest omitti.

DECISIO IX.

Pendente super datione in solutum lite, in usuras non fit executio, cum supernitur eas capiendi medium.

OBlata in solutum datione juxta Novellam Constitutionem Imp. Iustiniani, (1) Siquidem controversia inter creditorem & debitorem super ea orietur, usuræ liquidi debiti non eo minus debentur, (2) Et si non solvuntur lite pendente, fit condemnatio & executio, (3) Nisi debitor ex bonis offeret unde usuræ interea capi possent. Qua oblatione facta sed recusata non est locus executioni, tum quia non sortis tantum sed & usurarum causa ad liberationem licet in solutum datio. (4) Tum quia non recipiendi causa deficit ubi offertur unde percipi potest solutio, (5) Tum quod si per creditorem stat, ut debitor non solvat, hic liber est, cui nihil imputari potest. (6) Cui placet litem malle quam rem unde usura accipi potest, ægre ferre non debet, ut exspectet litis quam amat eventum, (7) Dum debitor causas rationabiles affert, cur aliam rem tradere non possit, (8) Creditoris non interest, cur rem oblatam non recipiat, quia usuris aut ex ea, aut si non sufficiet, aliunde potietur. (9) *In eadem causa.*

1. *Novell. 4. cap. 3.*

2. Sola sortis oblatio non sistit cursum usurarum *l. acceptam 19. C. de Usur.*

3. Lis super modo solutionis non suspendit executionem quo usuras, quarum debitum extra omnem controversiam est.

4. *In dict. Novell. 4. cap. 3.* ubi debitori permittitur in solutum datione semel liberare, non distinguitur inter sortem & usuras, utriusque debiti eadem est ratio.

5. Oblatio qua usuras liberat sola, ubi præter illas nihil adhuc aliud debetur, eas autem recipere creditor recusat. *l. qui Romæ 122. §. Seja. 4. ff. de Verb. Oblig. quem textum singularem ICti dicunt.*

6 *l. in jure 161. ff. de Reg. Iur.*

7. Cujus quisque causa ipsemet sibi est, de eo queri nequit. *l. 3. ff. de Fidejussorib.*

8. Est quidem *juxta dict. Nov. 4. cap. 3.* creditoris electio, at ubi ita omnia comparata sunt, ut isti locus esse possit. Cui si causæ aliunde obstant, cessat.

9. Ubi nihil interest miserum urgere debitorem, & tantum sine suo commodo alterius incommoda quærere, malitiæ nec huic indulgendum est *l. fundo 38. ff. de Rei Vindic.*

Juxta hæc ita pronunciatum.

In Sachen Valentin von Eichstädten Appellanten / wider Susannam von Wedeln / Iochim von Eichstädten S. Wittwen Appellatinnen / in puncto oblationis in solutum, jetzo devolutionis & responsionum wird befunden / daß des Vorbringens ungehindert die Appellation anhero erwachsen und anzunehmen / in der Sache darauff weiter zu verfahren / demnach die responsiones, jedoch ausser denen verbottenen anhängen / die abgethan seyn sollen / angenommen / und in rechtlicher Ordnung was sich gebühret ferner proxima zu verhandeln / Appellanten aufferleget wird / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 26. April. Anno 1658.

(Hoc est)

In causâ Valentini ab Eichstätten Appellantis contra Susannam à Wedeln Ioachimi ab Eichstätten viduam appellatâ, in puncto oblationis in solutū, modo devolutionis & responsionum, apparet allegatis non attentis appellationem huc devolutam & admittendam ac desuper ulterius causa procedendum, Inde responsiones, attamen extra prohibitas appendices, quæ rejiciendæ sunt, admittimus, & Appellanti injungimus, ut ordinationi conformiter quod convenit in proximâ agat, idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 26. Aprilis Anno 1658.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO X.

Transactio post rem judicatam nulla est, ideo edocta læsione non servatur.

MUlier postquam sententiam pro se obtinuisset, metu & potentia adversarii inducta transegerat, postea autem pœnitens in integrum semel restitui petebat, allegata enormissima læsione. Absoluto per sententiam in hac lite reo appellabat. Apparebat autem eam transactionem plane nullam esse (1) Veluti contra rem judicatam factam. (2) Et cum si vel læsio non edoceretur, illa non subsisteret, (3) Multo magis non observanda fuit, ubi comparatione ejus quod ad judicatum, atque ejus quod per transactionem datum, erat læsio enormissima (4) Et ad quadruplum reperiebatur. Nec potuit considerari, quod ab ea sententia appellari potuit cum appellatum non esset, (5) nec tempore transactionis intra ea tempora ubi appellari potuit fatalibus diu præterlapsis, (6) Conclusum hinc audiendam esse appellantem & sequendam rem judicatam. (7) *In causa D. Sigismundi Grafen viduæ contra Obrist. Joachim von Radeken, die 17. Dec. Anno. 1661.*

1. Ad transactionis formam pertinet ut sit de re dubia. Qui transigit quasi de re dubia & incerta, nec finita transigit *l. 1. ff. de Transact.*

2. *l. eleganter 23. §. 1. ff. de condict. indeb. l. si causa 32. C. de Transact.*

3. Non considerat lex læsionem, sed nullitatem transactionis, quæ *in d. l. eleganter §. 1.* nullius momenti dicitur *in d. l. in causa 32.* frustra transigi.

4. Læsio etsi non est causa cessationis, facit tamen illam æquiorem.

5. Post rem judicatam valet transactio, si vel appellatum sit vel appellari potuit *l. & post rem 7. pr. ff. de Transact.* Priores leges tunc locum habent cum de indubitata sententia transigitur, quæ nullo remedio attemperari potest. *d. l. & eleganter §. 1. ff. de condict. indeb.*

6. Ubi amplius appellari non potest, indubitata res & finita lis est *l. 1. ff. de re jud. idem in d. l. & post rem.*

7. Verbum potuerit declarat. Posse amplius non creditur tempore exclusus.

8. Ita judices jubentur in *d. l. si causa 32. C. de Transact.* non attenta transactione rebus pridem judicatis effectum adhibere. Rationem tradit JCtus in *d. l. si post. rem 7 §. 1.* quod transactio rem judicatam non perimat.

(o)

DECISIO XI.

Immissio autoritate Regia commissionis facta contra priorem possessorem qui titulum habet, ad eum excludendum non proficit, sed tantum ad jus ejus conservandum.

UTrum sequestrationis decretum esset suspendendum, dubitationem movebat, quod tam recentior possessor ex commissione Regia immissus erat quam prior ex decreto judiciali. Verum præterquam quòd sub & obreptio præsumebatur, (1) Satis apparebat S. Reg. Majestatem ignorasse alium feudi possessorem esse, adeoque non secus, quam ut vacui feudi possessionem esse concessam, imo etiam excessam veluti alterius non injustam possessionem, quando concessio posterioris continebat exceptionem solvendi justi crediti, quod feudale onus esset, ex quali prior immissio exhibito super credito consensu Ducali obtendebatur. Juri convenit pro possessione minime habendam esse, sed turbationem potius illam occupationem, quæ alterius possessionem intervertere intendit, (2) Etsi vel per judicem fieret, (3) Vel ex rescripto principis. (4) Nec obest quod tamen immissio est facta. Illa enim ita accipienda est atque eatenus valet, ut pro conservando jure ejus qui immittitur fit, non ut ad alium dejiciendum porrigatur. (5) *In causa viduæ des Land-Raths Joachim Mörders contra den Königlichen Regierungs Rath Simon Matthæi Rosenhand die 23. Aprilis Anno 1658.*

1. Præsumptio, cum talia rescripta exeunt, sub & obreptionis subest. *l. meminerunt. C. und. vi Jas. Ludov. decis. Perusin. 47. num 33.*

2. *l. 1. §. est igitur. l. si duo §. item videamus ff. uti possid. l. Divus ff. de Serv. Rust. Præd. Menoch. remed. retin. 3. num 490.*

3. *l. fin C. si per vim vel al. mod. c. conquerente de Restit. Spoliat.*

4. *Gail. l. 2. obs. 76. num. 9. seq. Ratio est in l. meminerint C. und. vi.*

5. *Cothmann. respons. 4. num. 274. vol. 5.*

Juxta hæc ita pronunciatum fuit.

In Sachen Barbarä Schmatzhagens Jochim Mörders Wittwen Appellantinnen / wider den Königl. Regirungs-Rath Simon Matthai Rosenhanen / Appellaten in puncto turbatæ possessionis & administrationis des Guthes Rentzevitz wird es / so viel deß Appellati Lehens-Gerechtsamkeit betrifft / bey der den 21. Martii Anno 1656. anbefohlenen und den 13. April. ejusdem vollenstreckten Immission, auch ihm auß der Königl. confirmation seines Lehen-Brieffes zustehenden Rechten gelassen / im übrigen und was die Schuldsache / insonderheit den punctum immissionis & sequestrationis belanget / ist deß desertæ nec devolutæ appellationis beschehenen Vorbringens

Digitized by Google

ungehindert die Sache angenommen / und anhero erwachsen zu seyn befunden / auch daß die gravamina als erheblich zur Außführung zuzulassen / demnach Appellaten copia libelli und er proxima die rechtliche Nothdurfft darauff zu verhandlen / zugleich beyder Theile Anwalde sich zu dieser Sachen gebührlich zu legitimiren schuldig erkandt. Hätten aber immittelst die Parten / so viel die Schuld / dero Bewandniß und Qualität angehet / gegeneinander Zusprache und Einreden / bleibet ihnen beym Königl. Hoff-Gericht / als dahin es in prima instantia gehöret / solches vorzubringen und fortzusetzen frey und unbenommen / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 26. April. Anno 1658.

(Hoc est)

In causa Barbaræ Schmatzhagens Ioachimi Mörders viduæ appellantis contra Regii Regiminis consiliarium Simonem Matthæum Rosenhanden Appellatum in puncto turbatæ possessionis & administrationis prædii Venzevvitz, quantum Appellati jus feudale concernit immissioni 27. Martij Anno 1656. demandatæ & 13. April. ejusdem anni executæ ut & illi ex Regiâ confirmatione literarum investituræ competentibus juribus inhæremus, de cætero & quod causam debiti præcipuè punctum immissionis & sequestrationis concernit non attentis allegationibus desertæ nec devolutæ appellationis tanquam huc devolutam & gravamina velut relevantia ad deductionem admittimus, inde Appellato copiam libelli damus, & ut desuper in proxima necessaria agat, simul utriusque partis procuratoribus ut ad hanc causam se debite legitiment injungimus, quod si vero interea partes quantum attinet debitum, ipsius constitutionem & qualitatem, ergase invicem actionem & exceptionem haberent, relinquitur earum arbitrio & reservatur coram Regio judicio aulico, utpote quo in prima instantia spectat, id proponere & prosequi, idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ. 26. Aprilis Anno 1656.

DECISIO XII.

Mandata sine clausula super instrumentis privatis non decernuntur, nisi quatenus istorum sensus est manifestus.

ROgabat supplicans mandatum sine clausula pro defensione immunitatis, quam in contractu emptionis cum magistratu loci inito fundabat, & syngraphamseu instrumentum super isto conscriptum producebat. Ita quidem arbitrati sumus super instrumento etiam privato executionem paratam, ideoque mandato sine clausula locum esse. (1) At ei quæ occurrebat speciei hoc applicati non posse, quandoquidem intellectus instrumenti eâ parte, in quâ semet supplicans fundabat, plane dubius & obscurus, nec certum erat talem esse, ut iste interpretabatur. (2) Imo videbatur verba longe aliter accipienda esse. Ubi autem non est liquidus instrumenti tenor, ibi cessat parata executio & mandatum sine clausula. *In causa Obrist. Lieut. Iohan von Lixfeld, contra Burgermeister und Rath zu Stade, die 25. Martii Anno* 1655.

1. Est quidem de hoc JCtorum controversia, Atverior, communior, in praxi receptior, nec non in Camera Imperiali observari solita est sententia, mandata sine clausula super instrumentis privatis tribui, *sicut prolixè per rationes pro & contra disputat, deinde decidit Petr. Frider. Mindan. in tract. de Mand lib. 6. cap. 20 per tot.*

2. Ambigua causa est, si modicum pro aliquo facit, ut non videatur evidenter non esse, *l. Carbonianum 3. §. carsæ 4. ff. de Carbon. edict.* Non videtur super eo esse instrumentum, quod an in eo dictum sit, non intelligitur, nec certo scitur, sed investigatione eget, *l. Labeo 7. § fin. ff. de Supellect. Legat.*

DECISIO XIII.

Non omnes exceptiones, quæ in processu executivo admittuntur, similiter sistunt rei judicatæ executionem.

PLurimæ sunt exceptiones quæ sistunt processum executivum, ex quibus cum exceptionem simulationis, juris potioris, usurariæ pravitatis & similes condemnatus ad possessionem tradendam executioni rei judicatæ opponeret, auditus non est. Etsi enim qua processum argumentum frequens est ab executione rei judicatæ ad alia quæ paratam executionem habent, in eo tamen differunt, quod in his exceptiones etiam aliæ admittuntur, quam quæ executioni rei judicatæ opponi queunt, dummodo sint liquidæ. (1) In hac tantum nonnisi ad moderamen executionis pertinentibus locus est. (2) Cæterae executionem rei judicatæ non impediunt, (3) ideo cum sententia de immittendo in bona aliquo istius vires assecuta fuit, nihil ad immissionem impediendam ultra proficiunt istæ, sed res judicata prævalet; (4) Sic judicatum *in causa Iohann Herlin & consortum, contra Wilhelm de Muma, die 23. April. Anno 1658.*

1. *Quarum magnum catalogum profert & praxin docet Coler. de Process. exec. part. 4. cap. 1. per tot. Zanger. de Except. part 3. cap. fin. n. 61. & mult. seq.*

2. *Sic habet communis JCtorum distinctio. vid. Coler. de Process. Executiv. part. 1. cap. 4. num. 150*

3. Remittuntur ad aliam instantiam seu processum reconventionis post factam executionem *l. fin. C. de Ordin. Cognit. Zang. dict. cap. fin. num. 177.*

4. Nisi tamen una cum allegatione statim fiat ita edoctæ, ut judici nihil dubii supersit, ut eas attendi & ab executione desisti æquum est *Coler. de tr. part. 4. c. 2. num. 1. seq.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XIV.

De eodem credito alibi actione agi, at executio peti non potest.

CReditori qui personam & rem obligatam habet liberum est non modo qua actione personalian hypothecaria experiri velit, seu etiam una electâ, istâ omissa ad aliam progredi: (1) nec dubium si utriusque diversa sint fora, quod uno omisso in alio agendi licentia sit; (2) nec justè opponitur subactionum diversitate litis alibi pendentis exceptio. (3) Ita verò hoc obtinet si diversa & separata in alio foro legitime instituetur actio, velut nova & alia. (4) Secus est si ex priori alibi mota & finita saltem petitur executio, aut aliud priori liti cohærens. Etsi si quis actione judiciali contra aliquem experiri vult, id quoque in alio foro, ubi victus degit vel bona habet, facere potest, haud tamen sola executionis rei alibi judicatæ petitio sine actione rectè instituta admittitur. (5) Hæc enim saltem accessorium est alterius actionis, neque admittitur in alio quam ubi agitur. Peti autem solet nempe per judicis illius literas subsidiales. (6) Quas cum prius afferre jussus esset, qui ex decretis alibi volebat in fundum debitoris sui immitti, visum est conquerendi causam non esse hypothecariæ jus alleganti at illam legitime non instituenti. (7) *In causa Gottfried Michaelis contra Vincenz. Bluckern die 4. Maij 1658.*

1. *l. quamvis 8. C. de Pignor.*

2. Regula *l. ubi cœptum 30. ff. de Judiciis* non pertinet ad actionem aliam & diversam, cum hæc non eandem litem esse sinat, ideo per eam de eadem re in alio foro agere permissum. *Lancellot. de Attentat. part. 2. cap. 4. limit. 2. num. 41.*

3. Ubi sententia non parit exceptionem rei judicatæ, ibi lis non facit exceptionem litis pendentiæ *l. sed si ante ff. de Exception. Lancellot. in tr. de attentat. dict. cap. 4. limit. 2. num. 2.* At sub alia actione seu causa petendi ista non nascitur, *l. Et an eadem 14. pr. ff. de Except. rei jud.* ita ut si personaliter actum alio judicio in rem agere non sit prohibitum, *ut exemplum hoc in d. l. & an eadem 14. §. 2. sequitur.*

4. *Asin. in Prax. §. 31. cap. 10. Lanfrac. in pract. cap. 10. num. 39. Gail. 1. de Pac. Publ. cap. 17. n. 35.*

5. Judex non rectè requisitus alterius judicis sententiam sine nullitate exequi non potest. *Mynsing. 3. Observ. 68.*

6. Hoc medio sententiæ alibi pronunciatæ executio, alibi à magistratu loci impetratur. *Petr. Frid. Mindan. de Mandat. lib. 2. cap. 65. num. 8.*

7. Sibi imputare debet qui ordinatè petit si non impetrat justa. Nam secundum juris formam convenire oportet. *l. 1. C. si. tut. vel cur. interv.* Paria sunt non agere & non legitimè ac decenti modo agere. *Bald. in l. un. C. de litis contest.*

DECISIO XV.

Executio super eo cujus fuit possessio non est attentatum.

CUm per aliquot annos magistratus fuit in possessione vel quasi capiendi & exigendi à civibus quibusdam certas præstationes & accisas, si postquam appellatum vel lis cœpta est, de jure istarum nihilominus exigit & contra refractarios executive procedit, non dicetur attentare. (1) Propter litem enim & appellationem nemo possessionis suæ commodo privari debet. Continuans itaque istam minime attentat, (2) potius qui continuanti resistit pro attentante habendus est. (3) Nec potest continuanti obesse, quod jus possessionis in judicium deductum est & controvertitur. Est enim pro illo velut possessore, donec vincitur juris præsumptio. (4) Multo magis cum magistratus est. (5) Alias etiam cum id quod pro attentato allegatur idem est cum eo quod in judicium venit, interea non impediendum exercitium ejus de quo controvertitur. (6) Nec contra possessionem valet inhibitio, quam appellantes impetrarunt, quæ eo saltem tendit, ut nihil fiat in præjudicium appellationis & contemptum judicis, non ut dejiciat appellatum ex sua possessione. (7) Ita existimatum *in causa Aromatariorum Civitatis Wismarienſis contra Senatum ejusdem. Die 11. Maji Anno 1658.*

1. *l. sciendum §. fin. ff. qui satisd. cog. c. 1. ut lit. pend.*

2. *Istud axioma tradit & explicat Lancellot. in tract. de Attentat. part. 2. c. 12. limit. 26 per tot.*

3. Prohibitio & impedimentum possessionis pro attentato habetur. *v. Menoch. recup. possess. remed. 7. q. 17. n. 50.*

4. *Bartol. in l. quidam ff. de Condit. instit. Mascard. de Probat. conclus. 539. n. 9. & 23.*

5. Pro hoc in dubio justitiæ capitur præsumptio *l. 2. C. de Offic. civil. jud. l. injuriarum 13. §. is qui jure ff. de injur.*

6. *Gail. 1. Observ. 145. num. 1. seq.*

7. *c. 1 x. ut lit. pend. Mandos. de inhib. q. 23. per tot.*

DECISIO XVI.

Optio creditoris ex rebus debitoris quomodo hujus etiam rationem habere debeat.

QUæ creditoris, ubi executio in bonis immobilibus debitoris facienda, electio est eorum, quæ aut distrahi aut sibi facta æstimatione in solutum dari, & adjudicari debent (1) sic velut ex æquitate per JCtorũ sententiam restringi solet, ut debitoris eo usque habeatur ratio, ne eligantur res, quarum amissio magnum isti incomodum allatura seu nimis noxia futura sit, (2) sed medio ea res

Digitized by Google

temperetur, quo nec delicatus debitor nec onerosus creditor audiatur, (3) & quod minus nocituram, in executionem vertatur. (4) At sicut ea debitores frequenter ad executionis vigorem cohibendum abutuntur, sic idem experti sumus, ubi post optionem jam factam debitor multum litis & contradictionis ex damnis suis movebat. Quæ tamen sola ea in re spectari non convenit. Ea quippe congrua mens est illius sententiæ, ut si æque commode ex aliis debitoris rebus creditori satis fieri potest non debeat in ea, quæ eliguntur, executio fieri, cum valde gravia incommoda debitori infliget. (5) Ubi vero facilior & expeditior in istis erit executio, in cæteris plus difficultatis habitura, minime habetur ratio debitoris, sed fit quod ad crediti consecutionem optimum, etsi debitori detrimentosum. (6) Potior semper pro recuperando credito habetur ratio creditoris, quam debitoris; nec admittitur querela cum debet non solventis, tantum executionis incommoda ingementis. *Ita pronunciatum in causa Iohann Daniel Beckern contra Nic. Demeln. Die 14. Iunii, Anno 1658.*

1. *De qua vid. Novell. 4 cap. 3.*

2. *Bald. in l. ordo num. 9. C. de Exec. rei jud. Bartol. in l. à Divo 15. §. in venditione num. 9. ib. Iason. num. 10. ff. de Re Iudic.*

3. *l. juxta monitum l. si servos 25. ff. de Pignor. act.*

4. *gloss. in d. §. in venditione.*

5. *Ita habent verba Alexandri in d. l. à Divo §. in venditione num. 4. & eundem sensum indicant, quæ Bartolus & Iason ibidem scribunt.*

6. *d. Novell. 4. cap. 3.*

DECISIO XVII.

Quando creditor ex adjudicatione non tenetur recipere in solutum rem cum accessionibus, sed separationem petit atque impetrat.

QUando ad adjudicationem rei per executionem devenitur, uti in bona victor immissus est & qualia fuerunt, sic ista in solutum mediante æstimatione accipit & dominium impetrat. (1) Sequuntur rem illam omnes ejus accessiones, (2) Nec integrum est creditori quædam ex iis nolle, ubi semel facta fuerunt inseparabilis accessio, nempe quæ rei ita cohærent, ut sine incommodo separari nequeant, (3) Sed totum retinet & de superfluo debitori tenetur. (4) Excipitur autem ille, qui rem dominii quodam jure vindicat. Si dum ea res apud alium fuit, possessor isti quædam adjecerit, ille nisi necessario vel utiliter adjectio ad usum rei facta fuerit, non tenebitur illa recipere & vel in creditum suum imputare alias impensas vel restituenti refundere, sed sinet ista impendenti deducere (5) Nec enim ei obtrudi potest, quod suum non fuit nec factum est. Ex hac ratione illum creditorem, qui sibi in re vendita donec pretium residuum solveretur, dominium reservaverat, eo non soluto, ex re tantum atque isti sufficeret adjudicari petebat, non esse compellendum alia soli ædificia, quam quæ fuerunt aut necessarium usum habent, recipere. (6) Conclusum atque judicatum fuit. *Inter eosdem.*

1. *l. fin. §. siquidem minus 4. C. de Iur. dom. impetr.*

2 Ita à natura comparatum est, ut accessorium sequatur principale, nec dividi se non sinante, *accessorium ib Peckius. num. 3. de Reg. Iur.*

3. Pignus individuum reputatur tam active quam passive, uti docet *Caballin. in tr. de divid. & individuis part. 3. num. 27. seq.*

4. *d. l fin. § sed si quidem 4. d. creditor 42. ff. de Pign. action. l. fin. C de Distract. Pignor.* Ea ad residuum obligatio post impetratum dominium non faciendæ separationis est argumentum.

5. Ita decidit *in l. in fundo 38. ff. de Rei Vindic. l. si servos 25. ff de Pignor action.* Ex quo apparet, quomodo dominus rem suam repetendo non tenetur recipere onerosa sibi impendia, sed tantum deductionem sincere, nisi ubi per tergiversamentum ibi traditum utrique parti prospectum est consuli.

6. Ex tali reservatione pro domino, quantum ad sua commoda, habetur venditor, cui pretium vel pars ejus adhuc debetur.

DECISIO XVIII.

Exceptio licet in processu rejecta tamen in executione est admittenda & quomodo.

ETsi opposita exceptione, at non attenta judicatum fuerit, modo non super ea cognitio & pronunciatio simul facta sit, haud eo minus admittitur in ipsa executione. (1) Interest autem qua effectum oppositionis an sit liquida statim ve fieri possit & tunc executionem judicati remoratur, (2) an altioris indaginis & executionem quidem non differt, attamen nec illa differtur donec executio facta fuerit, sed statim potest actori injungi, ut respondeat & sic in processu pergi. Uti judicatum fuit *inter eosdem.*

1. *Vide hoc confirmatum & expositum apud Carpzov. in respons. Electoral. lib. 2. resp. 5. per tot.*

2. Contra paratissimam executionem locus est exceptioni, quæ liquida est vel statim liquidari potest. *Vid. Coler de Process. Executiv. part. 4. cap. 1. per tot.*

3. Sic apud multos servatur, ut exceptio talis reservetur post executionem, & ea facta per reconventionis modum proponatur. At illud fit quia statuto sic præscribitur vel ex moribus observatur. At ubi nihil certi ex lege vel more invaluit, putavimus etiam alio modo id fieri posse, ita ut non exspectetur finis executionis, sed dum de hac perficienda agitur, integrum relinquatur istam

deducere

Digitized by Google

deducere nec ad aliquam recognitionem reus redigatur. In quo judicis arbitrio multum relictum est. *Menoch. de Arb. jud. Quæst. lib. 2. cas. 20.* Pro eo itaque studio, quod abbreviandis litibus tribuimus, id quoque compendium hac in re eligimus, ut quæ executionis essent decernerentur, juxtim data adversario exceptionis copia prò illa discutienda procederetur.

Sententiæ fuit is tenor.

In Sachen Nicolaus Demeln Appellanten jetzo imploranten wider Daniel Beckern Appellaten jetzo imploraten / in puncto restitutionis in integrum werden die gravamina, welche die cessionem debiti, ingleichen die annoch erforderte Ackermessung und die beschuldigte omissa circa taxationem dabey dann die Schatz-Freyheit betreffen / als überflüssig nicht angenommen / sondern deßwegen Imploranten auff die in solchem Punct den 16. Martii, 26. Aprilis, und folgends den 24. Junii lauffenden Jahres publicirte Bescheide und Urtheil verwiesen / und wann er solchen gebührend nachgehen / und was zu bemeldten Puncten gehörig / ordentlich beybringen und suchen wird / ergehet was Recht ist / in puncto optionis & adjudicationis aber / seynd die gravamina unerheblich / und bleibet dahero ungehindert bey dem decreto adjudicationis den 26. April. außgegeben / billich / es möchte dann Implorant in 6. Wochen in probante forma über den Landgebrauch / darauff er sich in artic. 67. beruffet / ein gnugsam attestatum einbringen / so ergienge solchem nach was sich gebühret / in solcher Frist aber ist daneben Implorant, was ihm der Ackerwasse und anderer omissorum halber frey gelassen / und er annoch an den optirten Stücken desideriret / gleicher gestalt gebührend zu suchen und beyzubringen / sub pœna præcluſi schuldig / immittelst wird nichts desto weniger die Immissio an die optirte Stücke / wie auch die commission wegen dessen / so der Zimmer halber in dem decreto vom 14. Junii enthalten erkandt; wegen der deponirten Gelder werden beyde Theile zu dem deßwegen absonderlich anhängigem Processe verwiesen / dabey darauff was in der Imploration Schrifft vorgebracht / wann er dabey gebührlich erholet wird / ergehet was Recht ist. Von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 18. Octobr. Anno 1658. (Hoc est)

In causa Nicolai Demeln appellantis modo imploruntis contra Danielem Beckern Appellatum modo imploratum, in puncto restitutionis in integrum, gravamina quæ cessionem debiti, similiter adhuc petitam agrimensuram & insimulata omissa circa taxationem simul taxationis exemptionem concernunt, ut superflua non admittimus, sed propterea implorantem ad decreta & sententias in hoc puncto 6. Martii 26. Aprilis & 24. Junij currentis anni publicatas remittimus, & si ijs debitè insistet, & quod ad prædicta puncta pertinet ordinate proferet & quæret, fiet quod juris; in puncto optionis & adjudicationis vero gravamina sunt irrelevantia, hinc ijs non attentis decreto adjudicationis 26. Aprilis emanato meritò inhæretur, nisi implorans in 6. septimanis in probante formâ super consuetudine, ad quam se in act. 67. refert, sufficiens attestatum produceret, quo facto fieret quod convenit, in tali vero termino præterea imploranti quod ipsi ratione agrimensuræ & aliorum omissorum liberum relictum, & ipse adhuc in rebus optatis desiderat, ut quærat & doceat sub pœnâ præcluſi incumbit; interea nihilominus immissionem in res optatas ut & commissionem ratione ejus quod ratione conclavium in decreto die 14. Junii continetur decernimus, ratione depositarum pecuniarum utramque partem ad processum propterea separatim pendentem remittimus; inde ad id, quod in scripto implorationis allegatum, si debitè repetatur, fiet quod juris. Idque de jure, publicatum in summo Tribunali Wismariæ 10. Octob. Anno 1658.

DECISIO XVIIII.

Sylvarum devastationem circa executiones non permittere, multo magis impedire debet judex.

UT in alias prædiorum pertinentias sic etiam in sylvas immissionibus atq; executionibus locus est; at quæ eo non pertingunt, ut pro lubitu arbores excidere, vendere atque sylvas devastare liceat. Sic quippe res quasque in solutum accipere atque habere convenit, ut fert illarum conditio & reipubl. ratio. (1) Quæ in sylvis talis est, ut promiscuè excidere non liceat, ita vero, ut salva arborum substantia fructus atque utilitas esse potest. Limitavit in sylvis dominii potestatem utilitas publica & damnum irreparabile. (2) Unde devastantes mandatis pœnalibus sine clausula coërceri solent. (3) Laudandus itaque potius judex quam arguendus, qui noluit ut arbores majores in solutum assignatæ cæderentur & distraherentur. Superiori vero judicio an permitti deberet decernere integrum [reliquit. (4) In quo etiam ab illa indulgentia propter publicam noxam abstinere placuit. *In causa Ludolff von Zesterflieth contra die Schul Collegen zu Verden. Die 1. Iulii An. 1658.*

1. De hoc in Republ. singularis cura esse solet, ideo constituti curatores sylvarum Holtz- oder Wald-Förstere / qui abusus sylvarum amoliuntur, condi etiam leges sylvestres Holtz- oder Wald-Ordnungen / in quibus modus sylvarum usibus dicitur. Etsi vero alicubi non existunt, tamen hoc ratio suggerit, ut ligna cædendi vel vendendi promiscua non sit potestas. *vid. prolixe de hoc Petr. Frid. Mind. lib. 2. de mandat. c. 39. num. 1. & seq.*

2. De utraque ratione sic habet Mindanus *d. l. n.* 2. scribens. *Quod sylvarum vastatio recte per præceptum inhiberi potest, duæ cum primis gravissimæ sunt causæ: Publica utilitas & damnum irreparabile. Primo enim interest Reipublicæ, ne materia desint ædificiorum, navigiorum & similium, quibus usus humanus carere non potest: Accedit quod absque sylvarum subsidio publicus civitatum aspectus publicumque decus tandem deformetur, tectaque & ædificia omnia corruere necesse sit, & nihil ædificari queat, contra*

Digitized by Google

contra lib. 2. & tot. tit. C. de exif. priv. & tot. tit. de oper. pub. eod. deinde cum ſylvæ arbores que annoſæ ſublimes craſſæ & χωρεῖαν Χαράδρας excisæ aut everſæ immemorabilibus temporibus recreſcere & reſtitui in priſtinum non poſſint, nemo eſt qui de irreparabili damno hic dubitet, quod mandatis ſine clauſula pœnalibus recte præcavetur. Gail. 2. Obſ. 67. num. 8.

2. De obſervantia Germaniæ & in hoc Cameræ Imperialis teſtatur *Gail. 2. Obſerv. 77. num. 7.* in Gallia idem ſervari ſcribit *Papon. de Arreſt. lib. 14. tit. Vſage de Bois num. 8:*

4. Nec vero ideo inutilis vel fruſtranea exiſtimanda eſt executio vel immiſſio, tum quia alii Sylvæ uſus ſunt, in venatione, paſcuis & glandibus der Maſt; tum quia particulatim aliquas arbores ad uſus hominum vendere concedi poteſt.

DECISIO XX.

Litis alibi pendentis exceptio ex & in executivo proceſſu quomodo non opponitur.

AUt actum eſt in alio judicio proceſſu & via ordinaria, ut vero executivo, petito nempe ſuper inſtrumentis paratam executionem habentibus juſto & præſenti auxilio, Semel electa via judicii ordinarii non licet mutato propoſito progredi ad ſummarium atque executivum proceſſum. (1) Ideoque ut illi viæ adſtricto eſt cauſæ proſecutio, ita in alio judicio obſtat petenti executionem litis pendentis exceptio. (2) At quando in alio foro petita eſt ſuper inſtrumento executio, etſi vel decretum ſit aliquod remedium executivum veluti arreſtum, licet in alio nihilominus petere executionem, nec obſtat litis pendentis exceptio. (3) Quod eo minus dubii habere poteſt ubi exceptioni fori fuit renunciatum, (4) Quæ continet litis alibi pendentis exceptionem, quæ etiam fori eſt. (5) Sic judicatum *in cauſa Viduæ Chriſtoff Brunellen contra Philip Gutzlaff Rotermund. die 24. Sept. Anno 1658.*

1. *Quod late per multas rationes docet Coler. de Proceſſ. Executiv. part. 3. c. 5. num. 35. & ſeqq.*

2. *l. ubi cœptum 30. ff. de judic.*

3. *l. 1. ib. Jaſon num. 21 ſeq. ff. ſi. quis jus dic. non obtemp.* Quando quis in uno judicio ſuum non fuit conſecutus, in altero licet implorare judicis officium pro executione, quia in executivis non obſtat litis officium pro executione, quia in executivis non obſtat litis pendentia, velut in talibus ubi lite opus non eſt nulla *Maranth. de Ord. Iudic. part. 6. tit. de Execut. numer. 59. Roman: conſil. 76. n. ult.*

4. *l. fin. C. de Pact.*

5. Genus complectitur ſpeciem omnem. Ad quam eo magis fieri debet extenſio in liquidis & paratam executionem habentibus, ne ulla exceptione differantur. Quod mentiſe ita obligantium eſt contrarium.

DECISIO XXI.

Non proficit in executione inventarii beneficium ad excludendum creditorem hæreditarium à bonis hæredis, niſi ex hæreditariis exiſtunt & monſtrantur, in quæ iſtafieri poſſit.

POſt actum de jure crediti litigium contra hæredem decernebatur executio, & demandabatur executori. Hic autem cum creditorem in aliquod prædium hæredis immittere, & ad capiendum pro pignore, & in ſolutum fruges ſolito more horreum occludere, triturationemque prohibere vellet, hæres reſtitit, beneficio inventarii id contrarium dixit, nec modo ut executor re infecta abiret, effecit, ſed etiam querelam de exceſſu executionis exhibuit. Re diligentius conſiderata concluſum fuit, minime admittendum, ſed ea non attenta, cum creditor inſtabit, continuationem cœptæ executionis injungendam. Certum enim erat, illum eſſe hæredem, ideoque pro eo credito teneri, (1) Et poſtquam condemnatus fuit ſolvere, aut executionem etiam in ſuis bonis pati debere. (2) Etſi vero & hoc certum erat, cum inventarii beneficio ipſum ſucceſſiſſe, (3) Tamen hoc proficere non poterit, ubi bona hæreditaria non exſtabant, in quæ immiſſio vel executio fieret, (4) Sed ea ſic iſtius bonis immixta fuerant, ut difficulter ſeparārentur. (5) Deinde nec ipſe hæres demonſtrabat, aut nominabat, nedum cedebat bona ex quibus creditori ſatisfieret. Quod tamen ipſum facere oportuit. (6) Uti juxta hoc decretum. Die 1. Octob. 1658.

1. Executio non minus, contra hæredem, quam contra ipſum debitorem fieri poteſt, cujus tanquam unius cum defuncto perſonæ obligatio virtualiter in inſtrumentis & decretis continetur. *Alex. de Imol. in l. poſtulante num. 9. Ad SC. Trebell.* ideo contra ipſum executio fit. *l. miles 6. § fin. l. ex contractu 44. ff. de re Iudic.*

2. *Bartol. in l. creditores 3. num. 22. C. de Pignorib. Neguzant. ant. tr. de Pignorib. part. 4. princ. numer 20. & num. 28.*

3. Ex eo regulariter defendere poteſt propria bona contra petitiones hæredum *l. fin. § 4. ſeq. C. de Iur. deliber.*

4. Ita limitatur jus inventarii & ex eo proprio rum hæredis bonorum contra creditores hæreditarios præſervatio. *vid. Coler. de Proceſſ. Executiv. part. 1. cap. 10. num. 326. ſeq.*

5. Quomodo hæredi incumbat ſua & defuncti bona ſeparatim habere, & quod confuſione illorum ſemel admiſſa per quam creditoribus hæreditariis iſta cedere non liceat, inter deciſiones noſtras alibi expoſitum fuit.

6. Hæredem qui inventarii beneficio à ſuis bonis creditorem hæreditarium vult excludere, oportet aut monſtrare & ex hæreditate unde ſatisfiat, aut

Digitized by Google

docere tantum creditoribus hæreditariis primo venientibus solutum ut securus sit, quod convenit. *d.l.fin.§.3.seq. C.de Iur. deliberand.ubi hoc Nevius in addit.notavit.*

DECISIO XXII.

Adjudicatio non est suspendenda propter defectus æstimationis, quorum demonstratio stat penes debitorem.

POstquam peracta fuit æstimatio, propter allegatos ejus defectus, non suspendenda est adjudicatio, si statim non appareant. (1) Etsi enim adjudicationem æstimatio rei præcedere, ideo hæc prius constare debet, attamen ubi facta & publicata fuit, si quidem in aliquo aut erratum aut quod neglectum debitor alleget, id vero altioris indaginis sit, non differenda omnino executio, sed facienda hæc est, reservata discussione illorũ, quæ objiciuntur post executionem. (2) Ut enim contra æstimationem defectus opponere debitori integrum, ita creditori in debito liquido, cujus paratiss. debet esse executio, ex eo non est mora injicienda. (3) Eo minus si per debitorem stat, ut nõ emendentur defectus, qui forte inæstimando evenissent, (4) nempe si id tempus, quod sententiam super æstimatione atque adjudicationem intercedit, præterlabi passus, (5) pro emendatione æstimationis nihil allegavit aut petiit. Eo magis vero progrediendum ad adjudicationem, ubi illa licet facta cum error aut læsio æstimationis detegetur, illæsus potest manere debitor, (6) dum creditor tantum reddere tenebitur, & debitori satis prospectum est in re, quæ cautionis loco erit. *Ita judicatum in causa Nicolai Demeln, imploranten contra Daniel Beckern. Die 9. Octobris Anno 1658.*

1. De iis, quæ in continenti apparent, obtinet, quod vulgo dicitur, hodie constat, hodie agatur seu judicetur.

2. Postquam ad æstimationem deventum est, res jam versatur in executivis, inter quæ non attenduntur nec ad remoram processus admittuntur illiquida, & quæ altioris indadinis existunt, sed iis sepositis de cætero proceditur. *Rebuff.in tit. de Provision.sentent.rubr.1.num.13.seq.*

3. *Contra l.statuliber.5.ff.de statulib.*

4. Pro facto habetur, quod per aliquem stat ne fiat. *l.24.ff.de Condit.& demonstrat.*

5. Mora cuique sua non alteri nocere debet *juxta juris regulam.* Quisque suæ negligentiæ acceptum ferre tenetur quod per illam accidit. *l. argentarius 10.§.fin.ff.de Edend.*

6. In his quæ alicui prosunt, alii non nocent, integrum est judici decernere quod expedit.

DECISIO XXIII.

Cessio debiti alteri facta non suspendit adjudicationem.

CUm cedenti non obstante cessione petere & solvere liceat debitum alteri cessum, exceptis iis casibus quos lex exprimit, (1) utique etiam ei petenti fieri poterit adjudicatio (2) non obstante non amplius esse ejus nomen qui petit, quia cessit. Ut enim directa actio penes cedentem manet, eaque post cessionem uti potest, (3) ita & effectus judicii demendus non erit, (4) ne elusoria sit legis concessio, quæ actionem permittit. (5) *In eadem causa.*

1. *l.3.C.de Novat.*

2. Hæc est ultimum jurisdictionis.

3. *l.si facto 63.§.si hæres l.si hæres 70.ff. ad SC. Treb*

4. Actio non destituenda est executione *l.1.C. de Exec.Rei jud.*

5. Verba legum cum effectu sunt accipienda. *l. 1.ff.quod quisque jur in al.*

DECISIO XXIV.

Exceptio etsi altioris indaginis, tamen si in instrumento, cujus executio petitur, fundata fuerit, executionem sistit & appellationem facit justam.

COntra ea, quæ paratam executionem habent, non admittuntur nec suspendunt istam exceptiones, nisi sint liquidæ aut in continenti liquidari possunt: (1) ceteræ quæ altioris indaginis sunt executionem non remorantur, sed post eam rejiciuntur seu reconventioni reservantur, (2) nisi ex eodem instrumento, ex quo parata executio competit, jus reo sit petendi, antequam executio fiet, liquidationem à parte sua fieri, veluti si, postquam debitor solutionem certæ summæ promisit, adjectum est rationum discutiendarum reservatum, ita ut si quid ex discussis rationibus sibi invicem deberi constiterit, id detrahendum sit. (3) Ex quo, ubi reus rationes edi & ex iis probationem residui obtulerit, etiam si alias ratione liquidi ex instrumento fieri posset executio, ex eodem ob additam talem clausulam suspenditur. (4) Quasi sub conditione liquidationis ulterioris promissum videtur, quod reus debet nec intelligitur promisisse adeoque nec deberi, nisi ut & admittatur abaltera parte liquidatio. Cui consequens, etsi in debitis liquidis locum non habeat appellatio, tamen ob rejectam in instrumento fundatam probationem isti locum

Digitized by Google

fore tanquam erepto jure, quod simul ex eodem competebat, ex quo petebatur executio. *Sic existimatum in causa Haredum Petri von Brun, contra Peter Koch & consortes, cum in puncto devolutionis Senatus Civitatis Stralsundensis intervenichat. Die 20. Octobr. Anno 1658.*

1. *Coler. de Proceſſ. Execut. part. 4 c. 1. n. 43.*
2. *Coler. d part. 4 c. 1. n. 166. c. 2. n. 21. arg. l. 2. C. de Execut. rei jud.*
3. Exceptio ex inſtrumento manifeſta liquida eſt & paratam executionem ſuſpendit
4. Talis clauſula eum effectum habet, ut liquidum non habendum ſit debitum, niſi cum rationes ſuper illo redditæ atque diſcuſſæ fuerint.

DECISIO XXV.

Res judicata opponi nequit ubi appellationi renunciatum ſub conditione, & de ea controvertitur.

APpellationis renunciatio efficit, ut res judicata habeatur; At ita, ſi pure fit, non ſi ſub conditione. Hac adjecta iſta non habet effectum, niſi exſtiterit ſeu adimpleta ſit conditio. (1) De qua ſi oritur controverſia, non attenditur prior ſententia, cujus vis per appellationem fuit ſuſpenſa. (2) Vel enim de eo contenditur, quod conditio renunciationis non fuit obſervata, vel de eo, quod illa obſervata deinde ex alio capite in diſcuſſionem venit. In priori caſu res in eo ſtatu eſt atque ſi renunciatio non fuiſſet facta, donec conſtiterit præſtitum ſeu impletum, quod in conditione eſt, adeoque renunciationem eſſe purificatam & conſtantem. (3) In poſteriori alia jam cauſa in judicium venit, nec ex priori amplius ſententia ſtatuendum, an cauſa appellabilis ſit nec ne, cum ex ea in capite diverſo non obſtet rei judicatæ exceptio, (4) ſed pro qualitate materiæ, de eo judicandum. Veluti cum in prima ſententia pronunciatum eſſet ſuper eo, an debitum petitum ſit liquidum, & ab hac ſententia appellatum, appellationi vero ſub ea conditione, ſi condemnati liquidatio mutua admittetur, renunciatum, eaque prolata at rejecta viciſſim appelletur, non poteſt ob priorem ſententiam, aut quod qua illam decretum fuit ex obtentu rei judicatæ appellatio à poſteriori ſententia excludi. (5) *In eadem cauſa.*

1. Quod conditionale eſt, non valet, niſi exiſtente conditione. *l. ſi quis ſub 8 ff. ſiquis omiſſ. cauſ. l. ſi quis fundum 37. ff. de Contrah. Empt.*
2. Quam diu res controverſa eſt, & incertum, quorſum ejus via eſt, eo in ſtatu habetur & cerneretur, ac ſi foret controverſia non mota. *l. manifeſtiſſimi §. ſin autem neſcius. ib. gloſſ. Cod. de Furt.* Quod controvertitur ſeponitur ac ſi non ſit; donec evincitur.
3. Renunciatio ſtricti juris eſt, ideo non niſi ubi expreſſa & certa eſt, attenditur. *Bartol. conſil. 24. vol. 1.*
4. *l. 11. l. ſeq ff de Re Iudicat.*
5. Renunciatio ultra ſ. ecificata non extenditur. *l. jubemus 21. C. ad SC. Velle jam. Ltres fratres 35. Lemptor. 47. §. 1. ff. de Pact.*

DECISIO XXVI.

Ordo Executionis in legibus præſcriptus non obſervatur ſub concurſu creditorum.

ORdinem executionis Jurisprudentia Romana conſtituit talem, ut primo ex mobilibus ſatisfiat creditori; ſi ea non adſint, ex immobilibus, tandem ad nomina perveniatur. (1) Debitoris potius quam creditoris in gratiam ſic conſtitutum fuit. (2) Ideo ubi illi non amplius proſpicitur & quoad alios is ordo non attenditur. Uti evenit in concurſu creditorum, poſtquam debitor omnibus bonis ceſſit, (3) & inter illos cauſa executionis verſatur. (4) Non eſt jus poſterioribus creditoribus petendi, ut anterioribus prius ex mobilibus & qui horum loco habentur reditibus immobilium ſatisfiat. (5) Id adverſatur tum juri electionis quod anteriores habent, (6) tum hypothecæ anteriori, cujus virtute res oppignoratas apprehendere licet nec ab illis ad alia bona diſcedere opus eſt. (7) *Ita judicatum in cauſa inter viduam Ioachim Peterſen & Creditores Claus von Horn. Die 26. Octobris Anno 1658.*

1. *l. à Divo Pio §. ſententiam ff. de re judic.*
2. *vid. Tulden. in Cod. de execut. rei judic. num. 5.* ubi ait adeo debitoris jus in hoc radicatum eſſe, ut ob neglectum illum ordinem appellationi locus ſit.
3. Ejus tunc nil amplius intereſt quæ bona in ſolutum cedant, ubi nihil retinet, & ei vivo quaſi funus ducitur, *uti Cic. in orat. pro Roſc. Amerin loquitur.*
4. Ille ordo executionis debitum quoddam humanitatis eſt erga debitorem condemnatum, quod non idem eſt inter creditores invicem.
5. Sine lege & ultra illam legem jus de ordine non eſt extendendum.
6. Ratio & conſuetudo hoc probat.
7. Hypothecario creditori non obſtat exceptio ceſſionis.

DECISIO XXVII.

Executio fit contra emptorem prædii, utut tertium ſuper pretio, ex quo creditori debetur ſolutio.

IStius regulæ, quod contra tertium poſſeſſorem executio fieri non debet, etſi cauſam à debitore habet, ea quoque exceptio æqua eſt, (1) ſi tertius pro re, in quam immiſſio petitur, debet, ex quo actori ſolvendum eſt, velut cum inter cohæredes actio fuerat, & iſtorum unus prædium, ex quo, ut

Digitized by Google

ut ex pignore commune creditum ſolvendum, alteri vendiderat, pretium verò nondum emptori exſolverit. (2) Contra hunc non minus quam ſi venditor poſſideret executio recte fit, dum in locum venditoris ſucceſſit, ejusquè voluntate rem accepit, & ejus vice debet, quod ex judicato præſtandum. (3) Quocirca aut ſolvere debet pretii eam partem, quæ actori debetur, aut pati immiſſionem in bona unde debetur. (4) Tantum hoc obſervandum, ut non ſtatim ad executionem deveniatur, ſed prius mandetur ſub commination immiſſionis ſolutio, ipſique ſi quam habet defenſio ſua permittatur. (5) *Vti factum in cauſa Clauß Biboven und Iochim Zepeln, contra die Ovvſtine. Die 10. November Anno 1658.*

1. *de hoc vide Bartol. in l. creditores num. 18. & 22. Salycet. num. 9. & 6. Bald. num. 5. C. de Pignoribus, Menoch. adipiſcend. poſſeſſ. remed. 5. num. 211. ſeq.*

2. Eſt ex jure pignoris hinc contra poſſeſſorem non tantum in rem actio. *l. perſecutione 24. C. de Pignoribus*, ſed etiam id quod pro pignore alteri ceſſo debetur. *de quo tractat Coler. de Proceſſ. Executiv. part 2. cap 3. num. 448. ſeq.*

4. Eſt contra debitorem debitoris executivis locus, quantumvis nulla præceſſerit ceſſio vel delegatio. *Rebuff. in Conſtit. Regn. Gall. tit de lit. Oblig. actis 6. gloſſ. 3. num. 63.* & hanc ſpeciem inter exceptiones prætatæ regulæ refert. *Coler. dict. tract. cap. 3. num. 485. ſeq.*

5. Cum hac declaratione id intelligit, & exponit *Coler. dict. cap. 3. num. 489.*

DECISIO XXVIII.

Reſtitutionis in integrum imploratio in executione ad illam impediendam non admittitur; tantum, ſi gravamina ſtatim patent, eorum ratio habetur & quomodo.

POſtquam ſententia in rem judicatam tranſit, & ad executionem deventum eſt, reſtitutionem in integrum contra eam decretam peti atque admitti iniquum eſt, (1) tum quia judicata exitu carere, aut moris litium involvi à jure alienum & judiciorum cluſio foret, (2) tum quia præcipuum reſtitutionis, læſio, abeſt, quæ nulla, niſi poſtquam executio fuit peracta; (3) tum quia ſi quidquam exceſſus circa illam fiet, illum tantum corrigi, non totam cauſam ſuſpendi fas eſt; (4) tum quod, ſi qua in re fit cum debitoris incommodo, ſibi imputare debet, cur in ſolvendo vel juſta faciendo ejus neceſſitatem non prævenerit; (5) tum quod quæ altioris indaginis ſunt executionem remorari non debent, ſed poſt illam demum diſcuti. (6) iſta itaque non attenta pergendum eſt ad effectum. Hoc tantum, in quo notorie ejus exceſſus injuſtus, foret attendendum. (7) Non ut ideo tota executio differatur, ſed tantum ut per decreta corrigatur vel executoribus committatur, ſic iſtam peragere, quo incongruis & injuſtis victus inique non oneretur. (8) *Sicut ita factum in cauſa Daniel Beckern, contra Niclaus Demehln, die 22. Ianuarii Anno 1659.*

1. Multum intereſt utrum contra ſententiam, an contra executionem reſtitutio in integrum imploretur. Iſta facit exceptis quibusdam caſibus ſuſpendi executionem, & ſi quid attendatur pro attentato haberi, *uti videas expoſitum à Lancellot. in tr. de Attentat. part. 2. cap. 18. per tot.* At ubi jam decreta fuit executio, non admittitur ad illam remorandam imploratio, ſed ea non attenta ſine vitio attentati ullo perficitur *Lancellot. dict. cap 18. n. 6. & ſeq.* ubi rationem differentiæ qua hanc ſpeciem inter reſtitutionem & appellationem oſtendit.

2. *Gloſſ. in rubr. C. de Execut. rei judic.*

3. Non obtinetur reſtitutio, ub nondum illata eſt læſio. *l. 1. l. ſcio. 4. ff. de Reſtit. in integr. l. 3. §. ſed utrum 4 ff. de Minorib.*

4. Non operatur ultra gravamen in integrum reſtitutio.

5. Haud auditur reſtitutionem in integrum petens, qui non præſtando juſta cauſa eſt ſui incommodi *l. 16 ff. ex quib. cauſ. maj.* ideo nec de executione conqueri, quæ aut præveniri, aut reluendo capta indemnis eſſe potuit. *Fab. in Cod. lib. 7. tit. 20. de fin. 22. num. 5.*

6. Liquidi executionem non remorantur illiquida & altioris indaginis indigna. *Lancellot. part. 2. cap. 4. limit. 28. num. 1. ſeq.*

7. *Lancellot. dict. cap 18 num. 32.*

8. Propter illiquida non ſuſpendenda executio liquidi *l. ſtatu lib. §. ff. de ſtatu lib.* quod autem liquidum id ſtatim attendendum eſt.

Sic pronunciatum.

In Sachen Niclaus Dehmeln Appellanten und Imploranten / wider Johan Daniel Beckern Appellaten und Imploraten in puncto optionis & adjudicationis wird ferner gſeuchten reſtitution ungehindert es bey der den 18 Oct. abgewichenen Jahres publicirten Urtheil gelaſſen / darauff weiter befunden und erkandt / daß nachdem Appellant und Implorant in dem beſtimpten termino peremptorio mit richtiger Beybringung der beſchuldigten Mängel / und was ihm obgelegen / nicht gelebet / er nunmehr zu Auffſchub erkandter adjudicarion dergeſtalt wie gebetten weiter nicht zu hören / ſondern mit der Immiſſion auff die optirte und adjudicirte Stücke zu verfahren / jedoch im fall vor oder bey der immiſſion an den optirten Stücken / die Mängel und was Landgebräuchlich erſchiene / oder incontinenti demonſtriret würde / ſolche ſo weit Rechtens und gebräuchlich beobachtet werden / maſſen commiſſio an das Juſtiz-Collegium zu Stade ferner auch zu der Erkündigung ſo wol der prætendirten Schulen Freyheit / auch ſonſt angezogenen Lands-Gebrauch / und da ſolche notor und keines weitern Auffenthalts bedürff-

Digitized by Google

tig / zu derselben Beobachtung reſcripten andere commiſſion aber nicht erkandt / das übrige wird nach vollzogener adjudication außgeſetzet / und zu ordentlichem Rechte verwieſen. Von Rechtswegen.

(Hoc eſt.)

In cauſa Nicolai Dehmeln appellantis & implorantis contra Johannem Danielē Beckern appellatum & imploratum in puncto optionis & adjudicationis, non attenta ulteriori petita reſtitutione in integrum ſententiæ 18. Octobris ſuperiori anno latæ inhæremus, & ulterius decernimus, poſtquam appellans & implorans in præfixo termino peremptorio in probatione inſimulatorum defectuum & quod ipſi incubuit defecit, quod is ad protractionē decretæ adjudicationis prout petitum amplius non audiendus, ſed ad immiſſionem in optatas & adjudicatas res procedendum, attamen caſu quo ante vel circa immiſſionem in optatis rebus defectus vel quod conſuetudinarium appareret, vel in continenti demonſtraretur, id in quantum juris & conſuetudinis attendendum, prout commiſſionem ad collegium juſtitiæ in Stade ulterius etiam ad inveſtigationem tam prætentæ exepmtionis ſcholæ quā etiam alias allegatam patriæ conſuetudinem, & ſi ea notoria eſſet, ac protelatione non indigeret, reſcripta alias vero commiſſiones non decernimus, quod reliquum eſt usque poſt executā adjudicationem differimus & ad viam juris ordinariam remittimus, idque de jure.

DECISIO XXIX.

Executio ex ſententia contra matrem ejusve maritum lata fieri nequit contra pupillum, qui tutores habet, etſi in communione bonorū cum matre adhuc fuit.

NOlebat primus judex deferre appellationi, fretus receſſu quodam, per quem in cauſis executionum appellandi licentia erat excluſa, ita vero ſe res habebat, quod cum pater pro aliquo fide juſſiſſet, poſt mortem mater, quæ cum liberis ſuis in cōmunione manſerat virtute ſtatuti Lubecenſis conventa condemnata erat, non ſimul vocato ad litem liberorum tutore, qui ipſis datus erat, ſed defendente ſaltem ſecundo marito. Per has circumſtantias compertum erat, pupillos ex iſta ſententia non poſſe actione judicati teneri, aut judicis officio circa executionem obnoxios reddi; tum quia non citato ipſorum tutore in lite non fuerant, (1) tum quia non recte uti oportebat, à tutore defenſi, (2) tum quia contra ipſos ſimul judicatum non fuerat. (3) Licet vero bonorum, quæ à patre profecta fuerunt, communio inter ipſos & matrem non facta diviſione ſubſiſtebat, tamen mater, poſtquam liberi tutorem acceperant, ipſorum cauſam in judicio ſimul agere non potuit, nec ipſis ſua lite præjudicium facere, quin tutori integra ſit pupillorum nomine interventio, (4) ejusque gratia appellatio, præſertim ubi cauſas proferebat, quare pupilli non ſint condemnandi, vel ex ſententia executio contra ipſos facienda, uti in præſenti ſpecie utrumque proferebatur, nec ſine juris prætextu. Nec receſſus appellationum allegatus poterat hic objici, tum quia ad illos pertinet, qui rite condemnati rei judicatæ executionem merito patiuntur, non ad tertium, qui in lite non fuit, nec recte defenſus, (5) præſertim non ad pupillum, tum quia ejusmodi receſſus minime ita indiſcrete accipiendus eſt, ut ſi manifeſtum ſit, executionem injuſte plane fieri & maximum iniquiſſimū que gravamen inferre, tunc nec qui juſtiſſime de injuria queritur audiendus ſit. (6) *Non rejecta ideò appellatio Paul Eichhorns im Namen Scrveder Müllers Kinder, contra Claus Schweder Erben, die 8. Febr. Anno 1659.*

1. Contra non citatos nec auditos nihil judicii ſubſiſtit. Nulla major nullitas, quam ex proceſſu qui non habet præviam citationem. *Weſenbec. in Paratit. ff. de in jus voc.*

2. Contra pupillos indefenſos nihil judicii valet.

3. Executio ſequitur terminos rei judicatæ *l. 1. ibid. gloſſ. C. de Executt. rei jud.*

4. Liberorum qui tutorem non habent, cauſam agit mater vidua ut tutrix. At cum habent, ut non eſt tutrix, ita nihil eorum rei ſine iis agere poteſt & debet, uti ſic praxis diſcernit.

5. Eſt in eo exceſſus executionis, qui ſemper appellabilis *l. ab executione 5. C. quor. appell. non recip.* Nec per ſtatutum in eo quidquam putabitur correctum, quia ſic iniquum & invalidum foret.

6. Huc pertinet de quo ſæpius ſcriptum: Quidquid legum vel ſtatutorum, eſt civiliter & ut æquo & bono convenit accipiendum eſſe. Nec enim aliud ars juris admittit.

DECISIO XXX.

Contra tertium rei oppignoratæ poſſeſſorem proceſſus executivus competit.

REgulare eſt jus pacti vel ſtatuti executivi non tranſire in ſingularem ſucceſſorem, (1) hunc ordine juris ſervato actione hypothecaria conveniendum eſſe. (2) At ubi plures ea regula habet exceptiones, ita inter has putavimus enumerandam, ſi hypotheca conſtituta ſit, (3) modo eique pactum paratæ executionis additum & conjunctum. (4) Nam ut pignus cum ipſa re tranſit ad quemcunque poſſeſſorem, (5) ideo hypothecaria actio etiam contra tertium competit; (6) ita id accipiendum, id eſt, cum ea qualitate, cum qua illud conſtituitur, quando jus in rem cum eadem eſt conſtitutum. (7) Id quod alicui alienatione adimi iniquum foret. (8) *Quando*

Digitized by Google

do itaque mandatum executivum rogabatur super instrumentis contra Senatum Stadensem ut tertium possessorē ab hæredibus Iodoci von der Becken, de cretum fuit, die 14. Martii. Anno 1659.

1. *Vid. hoc latius expositum apud Coler. in tr. de Process. Executiv. part. 2. cap. 3. num. 432. & seq.*

2. *Vid. plur. apud Coler. dict. cap. 3. num. 437. & mult. seq.*

3. Est controversa de hac quæstio. In negativam sententiam post alios descendit. *Coler. dict. cap. 3. num 455.* credens communiorem & veriorem. Secus vero aliis visum. *Bartolin l. creditores num. 22. C. de Pignor Negusant. de Pignor. part. 4. pr. num. 20. Menoch. adipisc. remed 5. num. 143. seq.* quorum sententia juri magis consentanea, ideò rectior & à pluribus approbata.

4. Non sufficit nudum pignus, nec etiam ut in obligatione cui pignus additur pactum executivum comprehendatur, nec etiam si sit de capiendo bona debitoris, cum tale pactum tantum personale sit, nec afficiat bona nisi quæ habet ipse debitor. *Rod. Suarez. in l. post rem judicatam 56. in declarat. leg. regn. extens. 8. fall. 1. num 1. seq.* Utrumque pignus & pactum executivum super eodem requiritur.

5. *l. debitorem 15. C. de Pignorib. l. si debitor 12. C. de Distract. Pignor.*

6. *l. persecutione 24. C. de Pignor.*

7. Res transit cum suo jure & onere. *l. alienatio ff. de contrah. empt.*

8. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

DECISIO XXXI.

Ad executionem in causa debiti non devenitur antequam de ejus quantitate res certa est.

CUm de debito dicta erat sententia ad executionem non sufficiebat pronunciatum deberi, sed prius liquidari oportet, quantum debeatur. (1) Quando enim non genus vel universitas venit in judicium & sententiam, sed debitum aut jus incertum & singulare, executioni, nisi de quanto constat, locus non est. (2) Ideoque utut dicta fuerit sententia, tamen ut quantitas appareat, partes prius ad liquidandum remitti debent, (3) *sicuti factum in causa Anthon Crassovven Legatarii contra viduam Christoff Heinrich von Schwverin, die 3. Maji Anno 1650.*

1. *Vid. Petr. Frider. Mindan de Process. lib. 2. cap. 63. numero 4.* ubi scribit, non esse rem mandandam executioni, de qua nondum apparet, quæ qualis quantaque sit: Si non patet denegandam istam esse, aut per exceptionem incerti & illiquidi debiti elidi.

2. Hæc est JCtorum distinctio circa executionem, ubi res adhuc incerta est; *vid Minsing. cent. 2. Observ. 6. Mindan. dict. cap. 63. num. 4. subfin.*

3. *Iason. in §. superest numero 86. Instit de Action.*

DECISIO XXXII.

Considerandæ circa appellationem à rejectione exceptionis in executione, quæ ad hanc sistendam vel moderandam apta est.

POstquam juri convenit in executione admitti exceptiones quasdam, (1) ad illam sistendam vel moderandam, utique etjam hoc justum est, ut qui de rejecta ejusmodi exceptione queruntur, appellantes audiri debeant. (2) At minime, ut ad appellationem recipiendam sufficiat sola rejectionis narratio, sed ut simul narratis comprehendantur ea omnia, quæ ad exceptionem istam admittendam sint necessaria, quo judex adquem intelligat, non modo rejectam fuisse, sed etiam reji ci non debuisse. (3) Veluti quod exceptio ista in processu opposita non fuit, idcirco intelligi queat, nondum per sententiam fuisse rejectam. (4) Deinde ut ratio constet, cur non ante sententiam justo tempore oppositio facta sit, nedum alias negligentia non opponentis apparet vel præsumitur, attendi æquum non sit. (5) Tertio ut exceptio sit in continenti liquidabilis, idque narretur non modo, sed etiam simul allegetur, quomodo ejus probatio in continenti fieri possit & debeat. (6) Quo sine altioris indaginis reputabitur, nec dum in executione causa versatur attendi debet. (7) Eò sine nec gravamina adesse dici potest. Quocirca cum in narratis horum aliqua deficerent, rejecta est processuum petitio.

1. *Quarum catalogum atque explicationem videas apud Coler. in tr. de Processib. Executiv. lib. 4. cap. 1. per tot.*

2. Non potest exceptionis rejectio fieri sine aliquo gravamine, dum defensionis species ista est. *l. 1 ff. de Except.* quam alicui adimere juri naturali repugnat, *l. ut vim ibid. Bolognet & Iason. ff. de justit. & jur.*

3. Quia non indefinitè seu indiscriminatim in executivis admittenda est exceptio, sed admissio certa requisita habet, utique nec ab omni rejectione appellationi locus est, sed ea saltem, quæ fieri non debuit, cum omnia justa adessent.

4. Oppositа semel in processu exceptio at rejecta in executione iterum opponi nequit. *l. quod in diem 7 §. 1. ff. de compensat. Roer: decis. 43. num. 2. Zanger. de Except. part. 3. cap. 26. num. 112. seq.* obsistente rei judicatæ authoritate.

5. Deserta & neglecta in processu exceptio deinde in executione ultra non admittitur. *Roschitz in process. part 2. art. 20. num. 1. seq. Coler. in c. cum venerabilis num. 67. X. de Except.* sibi suæque negligentiæ imputare debet, qui justo tempore opponenda non profert.

6. Haud enim alia in executivis ad sistendam vel moderandam executionem admittitur. *Coler. dict tract part 4. cap. 2. numero 19. & 23. Moller. 2. Semestr. 19.*

Digitized by Google

7. Non omni probationis genere fides fit in continenti, sed fide dignis documentis, quæ statim illam faciant. *Vid. Carpzov. Resp. Elector. 7. per tot. lib. 2.*

DECISIO XXXIII.

In personali actione, quæ ad restituendam rem tendit, non datur judicatis tempus quadrimestre, sed citius restitutio, ubi ejus facultas est, injungitur.

TEmpus judicati præstandi diversum vulgo faciunt in actione reali & personali. (1) In illa ubi restituendi copia est, statim injungitur restitutio: In hac vero quadrimestre spacium jurisprudentia tribuit. (2) Quod tamen sic accipiendum, ubi non res aliqua reddenda in actionem venit, sed solutio pecuniæ. Nam ubi illius restitutio est, in condemnatione perinde ut in actione in rem, tantum spacium non est indulgendum, sed statim restitutio facienda, ubi ejus penes habentem est copia. (3) A jure atque æquitate alienum est, rem alienam invito domino ab alio, qui restituere & debet & potest, retineri. (4) Occurrebat de hoc quæstio, in eo casu, ubi conductor rem locatam exjudicato restituere debebat, id facere jussus tempus rei judicatæ in personalibus actionibus præscriptum opponebat, & cum non indulgeretur, apud superis judicium querebatur. (5) Non auditus in ea specie, tanquam valde in alium, cujus rem detinebat, injurius & in dolo erat. (6) *Rejecta ideo querela D. Petri Götzen, contra hæredes Georg Dederdings, die 17. Maji Anno 1667.*

1. §. 2. *verb. restituat Instit. de Offic. judic. Rosbach. in Proces. jur. Civil tit. ult. num. 14. Coler. de Proces. Executiv. lib. 3. cap. 6. n. 14.*

2. *l. 2. l. fin. C. de Usur. rei judic.*

3. Est in hac specie eadem omnino in personali actione ad restituendum ratio quæ in reali, ideo idem jus æquitas suadet.

4. Probat hoc textus. *in l. debitoribus 31. verb. quod pro facultate sufficere videtur ff. de re judic.* ex quo textu Bartol. & Dd. ibidem colligunt, non dandum esse tantum tempus judicatis, ubi penes eos existit citius restituendi facultas.

5. Conductor finito contractu statim restituere tenetur, & ea restitutio nullo ne quidem dominii obtentu potest retardari. *l. si quis 25. l. ne cui 32. C. Locat.*

6. Ex causa doli ut & magnæ contumaciæ tempus judicati coarctatur. *Donell. in l. 2. ff. de Re judic. Umm. in Proces. Disputat. 23. conclus. 3. numero 17.*

DECISIO XXXIV.

Exceptio rei judicatæ non obstat iis quæ ad moderamen executionis pertinent.

COndemnatione facta in sortem & usuras usque ad alterum tantum, ubi ad executionem deventum, debitores obtendebant beneficium cum constitutionis Imperii novissimæ, tum statuti moratorii provincialis, ex quo utroque tantum non est solvendum ab his, qui solvendo non sunt. Opposita autem his exceptione rei judicatæ, in quæstionem venit, utrum ab his beneficiis condemnati essent excluſi? Quando autem diversa sunt plane quid debeatur, & quantum ex debito per beneficia miseris debitoribus indulta solvendum sit, super isto judicatum in hoc obesse non potest, (1) præsertim cum in illa lite an debeatur, nihil de quantitate præstanda actum sit, (2) dum debitores opinati sunt, se per exceptionem novationis oppositam liberari posse. Nec est novum, ut in executione judex aliud quantum quam fuit in condemnatione attendat & sequatur, præsertim ubi reperit, hoc in illa exitum secundum literam habere non posse. (3) Relictum est quippe judicibus moderamen quoddam executionis, (4) & in eo consideratio facultatum aliarumque circumstantiarum. Non tollit quoque judicatum humanitatis debitum. (5) Minus dubitandum est, juste posse beneficia humanitatis in executione admitti, ubi expressim constitutione continetur, quod etiam ubi judicatum aliter fuerit, quam diu non facta fuit executio, attendi debeant. (6) Sic visum & pronunciatum *in causa hæredum Christoff Neuen-Kirchen contra hæredes viduæ Alexandri von Hartzen, die 29 Junii Anno 1659.*

1. Rei judicatæ exceptio non obest, nisi eadem persona, eadem res, eadem actio sit. *l. 10. § fin. l. seq. ff. de Except. Rei judic.*

2. Sententia stricti juris est nec, extra verba operatur. *l. 1. C. si plur. un. sent. condemn. l. terminato. Dd. C. de Fruct. & lit. impens.*

3. Quæ exceptiones non impugnant judicis sententiam sed eam firmam relinquunt, tamen ad moderamen executionis locum habent post rem judicatam, in ipsa executione, etiam ab ipso executore admittuntur. *Gail. 1. Observ. 113. n. 8. Pegner. decis. 182. num. 2.*

4. *Bartol. in l. à Divo Pio in pr. n. 8. ff. de re judic.*

5. *l. fin. § 1. ib. Salicet. C. de Usur. rei jud.*

6. *Vid. R.* Abschied zu Regenspurg de Anno. 1654 §. die künfftige Zinse verb. die vollenzogene Urtheil und vollführte Executiones, unde apparet, usque dum sententiæ non sunt executioni demandatæ, locum esse moderationi.

DE-

Digitized by Google

DECISIO XXXV.

Pignoris distractio judicialis vel adjudicatio non est differenda in biennium, sed statim fieri potest post tempora rei judicatæ.

PEtenti distractionem pignoris, aut non reperto emptore adjudicationem, opponebatur à debitore nondum adesse lapsum biennii, (1) quod Imper. Justiniani constitutione distractioni à tempore moræ est præfinitum. (2) In quæstionem quidem veniebat, utrum ista lex etiam de distractione pignoris esset accipienda, annon saltem de impetrando dominii jure, sicut hæc aliquorum ex JCtis est opinio, (3) nec non an adhuc in usu sit? (4) Attamen cum textus legis nimis perspicuus sit, & apertis verbis de distractione loquatur, (5) & in his terris penitus ab usu illam legem secessisse non probetur, (6) nec aliàs constet, utique stetimus ejus definitioni. Verum reperimus plurimis ex causis, illa licet vigente, non observandam esse in præsenti causa istam constitutionem, quæ intra suos terminos consideranda & observanda est. (7) Tantum loquitur de pignore conventionali, eaque distractione quam creditor, cui istud in manus datum fuit, propria autoritate facere intendit. (8) Non vero pertinet ad illam, quam judex à partis instantia facit vel ex causa prætorii pignoris, (9) vel ex causa judicati, (10) vel ex instrumento paratã executionem habente, (11) vel juxta aliam conventionem, quæ modum recuperandi crediti definit. (12) Etsi quidem creditor contra debitorem égerit, ut pignus aut luat, aut publice autoritate judiciali distrahatur, utique si judex distractionem tunc permittit, minime ea in biennium differenda, (13) sed statim facienda, & si emptorem res non reperit, in solutum mediante æstimatione creditori adjudicanda est. (14) *Quod secuti sumus in causa Nicolai Demeln, contra Daniel Beckern, die 6. Septembr. Anno 1659.*

1. *Iuxt. l. ordo 3. C. de Exec. rei jud.*

2. *in l. fin §. sin autem Cod. de jur. Domin. impetr.*

3. *Sic sentiunt Conan. de jur. Civil. lib. 4. cap. 15. num. 17. Donell. in tract. de Pignorib. cap. 10.* quos seduxit titulus, quo tamen laxiorem esse constitutionem antecedentia dominium impetrandum, simul definientem ex verbis apparet.

4. Ita multorum habet opinio *d. l. fin. Cod. de jur. Domin. Imper.* ex usu jam recessisse, quibus tamen nisi reperta contraria consuetudine non simpliciter est credendum.

5. *Id quod latius docet & explicat Hartman. Pistor. part. 3 quæst 18. num. 11. seq*

6. Non negamus multa *ex d. l. fin.* hodie in plerisque Germaniæ locis non observari. Et in Pomerania scio alia usu obtinere. Verum de Bremensis Ducatus observantia aliud nil constat, ideo jus cõmune ea non probata sequimur, *juxt. l. præcipimus 32. §. fin. C. de Appellat.*

7. Cum alibi tum & circa *d. l. fin.* termini constitutionis exacte sunt observandi. Extra quos eam sequendo injusta facile consequuntur.

8. Ad hanc speciem tantum verba constitutionis pertinent, ideo velut nova & multis ambagibus involuta ad istam dispositio restringenda, *uti sic exponit Bolognet. in l. si si finita §. Iulianus num 111. ff. de damn. infect.* atque illam sententiam in judicando & consulendo ut veriorem & communiorem observandam esse monet *post Alexandrum consil. 11. vol. 5. Decius consil. 592. & consil. 508. num. 2.*

9. In hujus venditione tempus arbitrarium est. *Neguzant. de Pignor. part. 8 membr. 1 num. 7 seq.*

10. Hoc post duorum mensium spacium venditur. *l. debitoribus ff. de Re judic.*

11. Pignoris judicialis instar habet, quod capitur vigore instrumenti paratam executionem habẽtis. *Zasius in l. cum unus in pr. ff. de Reb. author. jud. possid.*

12. Sic Imp. *in dict. l. fin.* expresse excipit quod actum est. Inde ubi etiam generaliter vendendi pignoris potestas data est, locus non est istius dispositioni. *Neguzant. de Pignor. part. 6. partis princip. memb. 1. num. 1 seq.*

13. *Bald. & Salycet. in Auth. ei qui C. de Bon. author. judic. possid.*

14. *l. 2. Cod. si in caus. jud. pign. d. d. l. 3. Cod. de exec. rei judic.*

DECISIO XXXVI.

Executio quà modum injuriosa non revocatur, sed tantum excessus corrigitur & quomodo.

SI quidem de debito constat seu certum est executionem faciendam esse, ideo quod contra formam legis ista peragitur, seu quod aliqualiter modus excedítur, ista minime revocatur, nisi debitor statim solvit, quod debet & solvere paratus est, (1) ideo ab executione desisti æquum est. (2) Licet enim ipsi justa faciendo, seu quod debet præstando evadere istius rigorem, aut si jam passus est enormiter, capta reluere & liberare, (3) juxtim illatam sibi injuriam actione injuriarum (4) seu ad id quod interest reparare. (5) Qua via duplici potest eam quã quéritur injuriam evadere; Iniquus est, id post ponens & revocata executione justa interea non fieri cupiens; (6) Tantũ itaque non interrupta de cætero executione judex de eo sollicitus esse debet, quomodo in quo executor vel executio exorbitavit emendetur. (7) Quod statim fiet mandando executori

Digitized by Google

tori, ut ab injuriosis desistat si liquido constent. (8) & injuriose ablata restituantur. (9) Si vero altioris indaginis fuerint, (10) prius oportet rescripto ab executore super querela relationem exigere & juxta illam, deinde causâ cognitâ haud eo minus perficienda executione statuere. Uti hic processus observatus decreto *in causa Daniel Bekern, contra Niclaus Demeln. Die 5. Octob. Anno 1659.*

1. Executio etsi facta nulliter tamen tenet, nec revocatur, si facta est pro vero debito. *Faber in C. lib. 7. tit. 20. defin. 22. num. 4.*

2. *l. si creditor 19. ff. de injur. l. si vero §. 1. ff. Qui satisd cog.*

3. *Hac ratione utitur Faber in Cod. d. tit. 20. defin. 27. ubi docet discrimen inter executionem quae fit in bona & quae in personas.*

4. *l. injuriarum 13. §. si quis per injuriam ff. de injur.*

5. De quo condemnatio fit ex arbitrio & æstimatione judicis *l. constitutionibus 37. §. 1. ff. de Injur.*

6. *Arg. l. si quidem 10. C. de Injur.*

7. *Judicis de hoc officium annotat Faber in Cod. dict. tit. 26. defin. 15.*

8. Coercenda est judicum mandatis executorum insolentia, cui etiam partes de facto resistere possunt *l. contra 5. C. de Execut. & exact. l. prohibitum 5. C. de jur. Fisc.*

9. Pervim & injuriam in exequendo facta rata non habentur *l. si mulier 21. §. 1. ff. Quod met caus.* ne injuriarum occasio inde nascatur, unde jura proficiscuntur *l. meminerint C. und. vi.*

10. Præsumptio est pro executore ut officiali Publico, quod limites mandati non excedat. Multo magis pro Judice, si ipsi executio committitur. *l. 2. C. de Offic. civil. judic. sb. Dd.*

DECISIO XXXVII.

Executio pro parte injusta tota non revocatur aut suspenditur, sed tantum quatenus injusta.

EXecutionem inter individua JCti referunt, ideo quoties aliqua ex parte justè ex alia injustè decreta fuerit, eam pro parte non valere credunt, sed totam revocandam esse statuunt. (1) Ea sententia in præsenti casu dubitationem non levem movit, utrumne eum modum executionis excessisse executor arguebatur, ita ut & amplius, quam adjudicatum & non in ea æstimatione quæ facta fuerat, ex partibus prædii captum esset, tota executio revocanda & de novo de ejus modo aliis datis executoribus seu commissariis cognoscendum & statuendum esset. Verum recte considerata non potuit nos illuc adducere, ut rei petitioni indulgeretur. Primo enim sic illa accipienda est, si illa quæ in executionem veniunt semet dividere non sinunt, (2) ita ut totum quod pro judicato captum vel retinendum vel restituendum (3) ideo quando creditor, cui injuste totum adjudicatum, retinere non debet, tota etiam revocanda aliterque facienda erit executio. Secus autem sentiendum, ubi amplius pro judicato captum vel addictum atque addici debuit, idque semet ab illo, quod debitum æquat, commode separari sinit. (4) Deinde pertinet ista sententia ad judicialem adjudicationem, quæ tota aut servanda aut rescindenda. Porrigenda minimè ad illam speciem, si ultra id quod adjudicatio (5) executio vel pars quidquam demit. De hoc tanquam injuriose facto saltem statuendum, nec ob hoc quod utiliter factum revocandum erit. (6) Porro & ita demum juxta illam sententiam fit executionis perperam intentatæ revocatio, si certum & manifestum fuerit, qua partem aliquam executionem injuste decretam fuisse. De quo quamdiu res dubia & nondum satis discussa est, haud ad revocationem devenitur, sed executio potius durat & perficitur, id quod circa illam controversum ad ulteriorem discussionem remittitur. *Uti factum in eadem causa.*

1. *Faber in Cod. lib. 7. tit. 20. defin. 27. in. fin.*

2. *Faber d. l. Tiraquell. de Retract. lignag. §. 23. gl. 1. num. 26.* ubi etiam ob minimam partem retractandam esse scribit. Rationem hanc tradunt, quod nemo ad communionem compellendus sit. *l. si non sortem 26. § si centum 4. sb. Alexand. num 2. de Condict. indeb.*

3. Ratio prædictæ sententiæ est ex natura individui, propter quod etiam utile propter inutile vitiatur *l. 1. §. item quaritur. 17. §. seq. ff. de Aq. quot. & æstiv. l. Gracè. 8. §. illud 7. ff. de Fidejuss. Bartol. in l. 1. §. si quis ita aff. de verb. oblig.* Illa vero cessat in iisquæ dividua sunt, seu separationem admittunt. In quibus Regula valet, quod utile per inutile non vitiatur *c. utile 37. de R. I. in 6. l. sancimus C. de donat. l. pecunias. l. usuras l. placuit 28. ff. de usur. l. 5. §. generaliter ff. de donat. inter vir & uxorem.* Inde quando quod circa executionem perperam factum, se per separationem corrigi sinit, ex diversitate rationis aliud statui debere sequitur. Non obstat communio quæ alias ut invito non contingat spectatur.

4. In quo modus excedituri, hoc tantum locum facit querelæ & corrigi debet.

5. *l. Padius 7. ff. de recept. Arbitr. l. 1. §. item quæritur 17. ff. de Aq. quot. & æstiv.*

6. In executione exceptiones & allegationes altioris indaginis non attenduntur, sed peracta nihilominus executione ad aliam litem seu ulteriorem deductionem reservantur, uti praxi quotidiana servatur.

DECISIO XXXVIII.

Interventio tertii, nisi in continenti se possessorem docet, impedire nequit in possessorio executionem sententiæ contra alium.

INterventio tertii quidem ad impediendam executionem fit & proficit, (1) at ita

Digitized by Google

ita tantum, quatenus contra illum tertium fieri debet, eique rem & jura ſua tollit. (2) Haud ultra nec prout contra eum qui in lite fuit & contra quem pronunciatũ eſt decernitur. (3) Ut enim tertio non nocere debet ſententia, (4) ita nec ejus interceſſio qua eandem rem quæ petitur proficere alii, poſtquam ſententia vires rei judicatæ accepit. (5) Deinde neceſſe eſt, tertium qui in poſſeſſorio executionem impedire vult, eſſe poſſeſſorem (6) idque ſtatim apparere. (7) Niſi cum interceſſione id in continenti docetur, non nocere ea poteſt victori, nec ei inde moram fieri æquum eſt. (8) Illiquidum ad executionem liquidi non ſufficit. (9) Sicut judicatum eſt ad *interventionem Inſpectoris Iochim Knochen in cauſa Obriſt Alexander von Weiſſenſtein contra die Statt Laſſan die 14. Octobris Anno 1659.*

1. *Gail. 1. obſerv. 70. num. 15. & ſeq.*

2. Executio contra tertium non citatum & inauditum fieri non poteſt *l. ſæpe 63 ff. de Re judic. l. judicata ff. de Except. rei Iudic.*

3. *Bart. in l. à Div. Pio §. ſi ſuper reb. num. 2. ibid, Iaſon. num. 17. ff. de re jud.*

4. *L. 1. tot. tit. Cod. int. alt. act. vel jud.*

5. *Gail. 2. Obſerv. 70. num. 21.*

6. *Sic in terminis traditum & deciſum eſt ap. Fab. Cod. lib. 7. tit. 20. defin. 39.*

7. Si non docetur ſtatim poſſeſſio, præſumitur colluſio & intervenies potius ab adverſario ſubjectus ad impediendam executionem *l. à Divo 15. §. ſi rerum 4. ibid. gloſſ. & Dd. ff. de re judic.*

8. *Arg. l. ſervo 63. §. cum Prætor ff. ad SC. Trebellian. junct. l. ille a quo 13. §. ad SC. Trebellianum 3. in pr. ff. ut in poſſeſſ. leg.*

9. *l. ſi ſtatu liber 5. ff. de Statu lib.*

Publicata eſt ſententia die 17. Octobris Anno 1659.

In Sachen Obriſt Alexander von Weiſſenſtein Appellanten / contra Bürgermeiſter und Rath zu Laſſan Appellaten / des Königl. Inſpectoris zu Wollgaſt Jochim Knochen Intervenienten in puncto juris compaſcui, wird erkant / daß der Intervention ungehindert es bey der den 13. Febr. An 1655. zwiſchen obbenanten beyden Theilen in Summario poſſeſſorio ergangenen Erkantnuß noch zur Zeit ſein Bewenden habe / derſelben Appellaten zu geleben / auch völlig / was abgenommen / zu reſtituiren ſchuldig / wann auch was auff die erkante Execution ergangen / Relation eingebracht / wird deßhalben fernere Verordnung nach Befindung gemachet / vermeynte aber Intervenient beybringlich zu ſeyn / daß Appellant in dem Beſitz der Weyde nicht zulaſſen / bleibet ihm frey inwendig Rechts-Friſt gewiſſe Articul darüber einzubringen / Zeugen zu benennen / und die Kundtſchafft zu beſchaffen / ſo ergienge deßwegen / wie auch auff das Suchen die Acta von dem Königlichen Gouvernement abzufordern / ferner was ſich gebühret / ſonſt aber beruhets allein dabey / was in ordinario poſſeſſorio & petitorio reſerviret. Furters wird was wegen des directi vel utilis dominii an den Streit-Acker vorgebracht / als zu dieſen Sachen noch nicht gehörig ab- und zu abſonderlicher rechtmäſſiger Außführung / wann einer zum andern deßwegen Zuſpruch hätte / gelaſſen / und daran allen Theilen ihre Jura vorbehalten. Von Rechtswegen.

(Hoc eſt)

In cauſa Colonelli Alexandri à Weiſſenſtein appellantis contra conſules & ſenatum in Laſſan Appellatos, Regium inſpectorem in Wolgaſt Joachimum Knochen intervenientem in puncto juris compaſcui decernimus, quod non attentâ interventione judicato 13. Februarij 1655. inter dictas ambas partes in ſummariiſſimo poſſeſſorio lato adhucdum inhæreri, Appellatus ei parere, & plenariè quod ablatum reſtituere teneantur, quatenus etiam, quid ad decretam executionem inſecutũ, relatio advenit, ulterior deciſio juxta exigentiam emanabit, exiſtimaret vero interveniens doceri poſſe, quod appellans in poſſeſſione paſcui non relinquendus, reſervatur ei, ut intra terminum legalem certos articulos deſuper exhibeat, teſtes de nominet & examinari faciat, inde propterea ut & ad petitum ratione actorum à Gubernatore Regio avocandorum ulterius fieret quod convenit, alias vero ſolum conſiſtit in hoc quod, in ordinario poſſeſſorio & petitorio reſervatum. Præterea quod ratione directi vel utilis dominii circa agrum quæſtionis profertur, tanquam ad hanc cauſam non ſpectans ab ea ad peculiarem legitimam deductionem, ſi unus contra alterum eatenus actionem haberet, remittimus, & omnibus partibus in hoc ſua jura reſervamus. Id quede jure

DECISIO XXXIX

Executionem ſuper re ex ſententia reſtituenda interventio tertii non impedit, & quando nec cautionem meretur.

INterventio tertii quidem in unaquaque judicii parte non tantum antè, ſed etiam poſt publicationem ſententiæ fieri poteſt, (1) at nunquam aliter quam pro eo ſtatu cauſæ, in quo tunc reperitur atque ut intervenientis tanquam tertii jus ſalvum ſit. (2) Ultra hoc proceſſui atque executioni inter partes curſus juſtitiæ manet imperturbatus & non impeditus. (3) Quare cum poſt rem judicatam executione jam decretâ intervenit tertius, ſiquidem de re alia ac quæ ſub lite fuit atque ſententia ſonat interveniendo impetrare poteſt, ut ſiſtatur executio propter jus quod in ea obtendit. (4) At quando eam ipſam rem, de qua judicatum fuit, interventione impedit, minime audiendus eſt ut impediat, (5) ſed integra ſervatur ipſi contra poſſeſſorem actio, tantum illi cui adjudicata fuit de reſtituendo in caſum ſuccumbentiæ cautio injungetur, (6) modo judex hanc non ſuperfluam arbitrabitur. (7) Quod ſi interveniens ſine illa ſecurus eſſe poterit,

Digitized by Google

utique quam supervacue injungitur tam etiam inique. (8) Quando ergo adversus eum qui rusticum diuturna vindicationis lite persecutus executionem contra possessorem obtinuerat interveniebat, qui dominium fundi prætendebat, non audiendus fuit cum interventione ad impediendam executionem, sed tantum eâ factâ ad deducendum contra victorem pro restitutione jus suum, ideo executio nihilominus fuit decreta die 16. Novembris Anno 1659.

1. Petr. Frid. Mindan. lib 3. de Contin. caus. c. 6. n. 2.

2. Late hoc exponit Gailius 1. Observ. 71. n. 1. & seq.

3. Ultra suum interesse in aliorum præjudicium vel impedimentum non auditur interveniens, ideo id quod sua interest antequam admittitur probare opus habet *Gailius 1. Observ. 69. num 2. seq.*

4. Adeo ut etiam post trinam sententiam conformem audiatur *Gail. 1. Observ. 72. num. 4.*

5. Ea distinctio circa interventionem tertij in executione & quando circa rem illam, in quam extenore judicati fit executio versatur ea cautela servatur *juxta tradita Gailii Observ. 70. num 70.*

Ex hoc in tali specie remedium petitur, quo utrique consultum est *l. is à quo fundus l. seq. ff. de rei vindic. l. pen. ff. de petit. hared.*

7. Circa cautiones multum valet judicum arbitrium, quibus hoc incumbit, ut circumspiciant an necessario sit cavendum.

8. Superflua cautione nemo est onerandus *l. 14. ff. ut legat. vel fideicom. caus.*

DECISIO XXXX.

Executio contra defunctum dudum decreta, etsi hic de solvendo admonitus, contra hæredem non peragitur, antequam certus hic sit & certioratus.

CUm defunctus ex actione, quam Fisci nomine Advocatus instituerat, non tantum condemnatus, sed etiam admonitus erat, ut intra certum terminum solveret, aut executionem indilatè peragi debere, eo deinde post termini lapsum mortuo contra hæredem hæc petebatur, sed ut statim juxta petitum non decerneretur, duo obstabant: primo quod de hæreditatis aditione vel immixtione nondum erat res certa. Etsi enim defunctus reliquerat suos hæredes, tamen incertum erat, an semet immiscere vellent, nec non an se immiscuerint. (1) Non enim aliter executio contra hæredem decernitur, quam cum constat illum esse hæredem, (2) nec non hæreditati se immiscuisse. (3) Ubi hoc certum fuerit, porro requiritur, antequam ad executionem deveniatur, illum certiorari de debito & admoneri ut solvat, aut executionem exspecter. (4) Nec in Fiscalibus causis singulare quid admittendum. (5) Non *itaque aliud, quam monitorium decretum fuit ad petitionem Advocati Fisci contra Burchard Behren Erben die 30. Martii An. 1660.*

1. Sui hæredes non sunt necessarii, sed jus deliberandi & se immiscendi vel abstinendi arbitrium habent §. *3. seq. Inst de hared qual. & diff.*

2. Executive contra hæredem non procedatur, quamdiu non est certum illum esse hæredem *l. de ætate 11. §. Qui interrogatus. ff. de Interrogat. in jure faciend Bald. in l. 2. n. 9. C. de Execut. Rei judic.* unde præmitti solet ejus, qui heres dicitur, citatio. *Bartolus in l. proinde 22. §. notandum ff. Ad L. Aquil.*

3. Quamdiu jacet hæreditas, omnibus sistitur executio, uti latius deducit *Coler. de Proces. Execut. part. 2. cap. 3. num. 387. seq.*

4. *l. si quis insciatus ibi Bartol. ff. depos. Coler. dict. tr. part. 1 cap. 10 num. 331.* ubi hanc rationem addit, quod antequam scit se debere, hæredem non constitui in mora.

5. Nulla lege reperitur in eo Fisco datum privilegium in causis debiti, ideo non utitur jure singulari sed communi tantum *l. 11. ff de jure Fisc.*

DECISIO XXXXI.

Contra tertium rei hypothecata possessorem ex instrumento paratam executionem habente executive agitur.

EA quæ inter debitorem & creditorem conventa sunt, quatenus non aliam atq; personalem obligationem pariunt, non obstringunt tertium (1) Ideo licet per instrumentum, ut vocamus, Guarentigionatum plenissimis & efficacissimis clausulis parata executio concessa & in obligationem deducta fuere, non est exinde contra tertium, qui à debitore res comparavit, processus executivus (2) ut nec contra res ejus. (3) At ubi non persona modo, sed etiam res constituto pignore sic obligatæ sunt, ut moroso existente debitore in istas sine alio longiori processu per paratam executionem statim fiat manus injectio, tunc ut in tertium possessorem res eum suo onere transit. (4) Ita etiam æquum est, ut quod per illud creditori prospectum esse debuit, sic eo fruatur. (5) Nec per alienationem deterior ejus conditio fieri debet (6) Est quidem de eo JCtorũ disputatio & sententiarũ diversitas (7) utrum contra possessorem pignoris, qui debitor non est, ex pacto cum debitore executivo processui locus sit? Nec si subtilius quam utilius de eo censere velimus negandum per stricti juris rationem ac regulas tertium possessorem conventum executivis non subjiciendum; (8) At considerata tum intentione contrahentium, tum sine pacti tum onere rei æquius longe nec à jure alienum dicendum est, ut quæ est contra tertium hypothecaria actio sequatur eundem processum, hoc est brevem, summarium atq; executioni intentum. (9) Qui pignus contrahunt non se modo sed rem etiam pactis illigant, (10) ut quocunque hæc pervenerit, eam securitatem quam ipsi intenderunt præstet. (11) Hic finis conventionis de parata executione est. Ut vero per hunc onus rei

ad

Digitized by Google

ad quemvis possessorem transferri potuit, cur non & hoc, quod pro onere isto, quo fine suo potiatur, conventum est. (12) Non enim aliter sentiendum, quam onus non simpliciter, sed cum omni sua qualitate & efficacia, quam indidit conventio, transire. (13) Quandoquidem ergo non modo quid persona facere, sed etiam quid illa non faciente fieri debet, spectandum ex re ob pignus impositū & quomodo parari conventū utriq; hoc onus præstandum atq; ut conventum sic contra tertium ex isto agere licitum est. (14) Nec in eo quid contra possessorem iniquum si ei relinquitur exceptiones justas proponendi spatium, per quas incontinenti liquidabiles retentionem obtinebit. At cum altioris indaginis sunt, judicem ad hoc expendendum deducet quid æquius sit, cum cui res antiquius nexa fuit ex ea citius creditum recipere, quam cum qui non nisi cum onere accepit, per litem prolixam justam petitionem remorari. (15) Cui deinde integrum erit si justas allegationes habet jus suum prosequi, dummodo interim jure suo non careat creditor. Id secuti sumus cum aliquo temperamento *in causa Immanuelis Eichlern contra Hans Brandsteten die 4. Maji Anno 1660.*

1. Inter alios conventio personalis tertio nec nocet nec prodest *l. si unus 27. §. ante omnia ff. de pact. ib. Iason. num. 4. & 5.*

2. *Latius hoc expositum vid. ap. Coler. de Process. exec. part. 2. cap. 2 num. 433. & seq.*

3. Obligationes personales non sequuntur fundum *l. fin. ff. de contrah. empt. l. 3. §. opus ff. de alien. jud. mutand. caus. l. 1. §. si hæres ff. ad S. C. Trebell.*

4. Pignus in re constitutum transit & sequitur onem ejus possessorem *l. debitorem 15. C. de pign. l. si debitor 12. C. de distr. pignor.*

5. Quemadmodum pignus ita rem afficit, ut mutatione possessionis non mutetur, ita etiam cum eo effectu hoc fieri debet, ut creditori proficiat de re conventum non modo contra debitorem sed etiam possessorem tertium, contra quem actio hypothecaria competit. *l. persecutione 24. C. de pign.*

6. *l. 1. §. 1. ff. de alien. judic. mut. caus.*

7. Est vero apud JCtos de hac quæstione scribentes hoc observandum, quod multi suis sententiis non tangunt nec impugnant hoc, quod nos sequimur thema, sed vel ita sentire, quod si ex pacto executivo contra debitorem creditor experitur, executionem statim contra creditorem fieri non posse, vel contra tertium hypothecaria actione agendum. Neutrum etiam nos sentimus: tantum dicimus executivo processu, quatenus ille circa hypothecam conventus fuit, contra tertium locum esse, at ita, si non debitor sed ipse conveniatur. Deinde hypothecaria agendum, at ubi hypotheca cum virtute paratæ executionis conventa est, non ordinario, sed executivo processu. Ut igitur dextre intelligamur, perspicue mentem explicamus.

8. *Hanc sententiam sequitur Coler. de process. exec. c. 3. num. 454. & communem testatur; pluribus rationibus approbat.*

9. Huic opinioni adstipulatur *Bart. in l. creditores num. 22. C. de pignor. Menoch. adipisc. possess. remed. 5. num. 143. seq. Neguzant. de pignorat. part. 4. princip. num. 20. in princ.* confirmatur ex resso textu *l. pen. ff. de serv. exportand. per quem Godo sed. in notis idem sequuntur & tradit.*

10. *l. debitorem 11. C. de pignor.*

11. Tum pactorum tum etiam constitutæ hypothecæ jus cum pleno effectu accipiendum est, ut quomodo conventum, sic operetur. *l. 11. §. fin. ff. quod quisque juris in alt.*

12. Pacto quidem tertius directo non potest obligari, rei tamen lex dici potest. & per hanc fieri, ut qui habet super ista conventum vel onus ei impositum præstet ex rei conditione seu lege, uti patet ex *l. si quis sub hoc 56. ff. de contrah. empt. d. l. pen. ff. de serv. exportand.*

13. *l. 1. C. si servus exportetur.*

14. *Per text. express. in d. l. si quis sub hoc 56. ff. de contrah. empt.*

15. Huc applicandum est quod in *d. l. pen. ff. de serv. export* dicitur potiorem habere dominum, qui Author fuit legis rei dictæ, quam scienti emptorem

DECISIO XXXXII.

Petens ex instrumento per quod debitor obligatus est bonæ fidei possessori den getreuen Brieffs-Haltern oder Einhabern, qui se talem dixit, tenetur ad probationem tituli.

EX instrumento tertius in illo non nominatus agere nequit, nisi titulum ex quo jus agendi consecutus sit, habet & docet (1) Nec aliud est sentiendum, etsi obligatio contracta sit etiam pro possessore bonæ fidei, cum illa clausula, quæ inseri solet, daß der Schuldmann dem Gläubiger seinen Erben oder getreuen Brieffs-Einhabern sich verpflichtet. Utut enim alias ex possessione oritur tituli præsumptio, & quisque juste possidere creditur, donec contrarium ab adversario probatur, ideo titulum possessor dicere non cogitur. (3) Id tamen saltem in actionibus, quæ adversus ipsum moventur, obtinet, non cum ipse ex eo tantum quod possidet agere vult, (4) præsertim ubi non tantum factum possessionis, sed jus inspicitur, quo casu jus possessionis negante reo tenetur actor probare. (5) Convenit id quoque isti formulæ, quæ non nudo possessori debitorem ad solvendū obstringit, sed bonæ fidei, den getreuē / hoc est justo possessori, qualis non est, nisi qui requisitus jus habendi seu titulum docere potest. (6) Non proficit præsumptio, quemlibet esse bonæ fidei possessorem, ubi instrumentum requirit eam qualitatem, (7) sine qua edocta etiam debitor solvens non potest esse securus, cui objiciatur quod temere solverit ei, cujus jus exigendi vel accipiendi fuit incertum, ideo iterum solvere debeat, veluti non liberatus. (8) Sic conclusum & pronunciatum fuit *in causa Jodoci von der Becken contra den Rath zu Stade die 19. Junii An. 1660.*

1. *Fab. in C. lib. 4. tit. 29. def. 10. num. 2. Fab. lib. 2. semestr. cap. 20.*

2. *l. 2. C. de edend. l. 2. C. de probat.*

Digitized by Google

3. *l cogi* 11. *C. de hared. pet. l. fin. C. de R.V.*

4. *l. ut fide jussor. 39. ff. de Fide juss. Suarez. in l. post rem jud. 5. in declarat. leg. Regni §. quia superius num. 23 ff. de re jud.*

5. Fundans actionem in qualitate, quæ se habet adesse & non esse, eam semper tenetur probare tanquam fundamentum intentionis *l. 2. ib. Alber. de Rosat n. 8. ff. de probat. l. habebat 13. in pr. ff. de instit. act.*

6. Qui sciri potest esse bonæ fidei possessorem, nisi causam possessionis doceat? Sine hac semper incumbit dubitatio *vid. Coler. de Process. exec. part. 2. c. 2. num. 81. seq.* usus sic interpretatur verbum Getreuen Briefs Einhaber / quod significet eum, qui titulo justo accepit. Quidquid de eo seens sentiat *Coler. d cap. 2. num. 77. & seq.* verius justiusque est quod habet in contrarium *Carpz. part. 1. const. 17. def. 33. cui vulgaris praxis adplaudit.*

7. Qualitas fundans intentionem non debet constare per præsumptionem sed per probationem. *Alberic. de Rosat. in l. 5. §. qui pro rei num 5. ff qui satisdare coguntur.*

8. *l. vero 12. l. ratum 13. l. si servus ff. de solut.*

DECISIO XXXXIII.

In executivo processu requiritur exhibitio originalis instrumenti.

JUdicii nostri more sic quidem receptum est, ut mandatum de solvendo decernatur, etsi in eo originale instrumentum, cui innititur petitio, non sit exhibitum & exspectatur, utrum reus cui mandatur, neget vel confiteatur, debitum, & super eo scripturâ, ideo mandato annectitur, ut si obsequi nolit recognoscat, termino plerumque præfixo; attamen si debitoris agnitio non accedit, tunc actori incumbit probatio. (1) Multò magis si dubitat & vult produci scripturâ. Nec tunc sufficit exhibitio copiæ (2) sed necessaria est productio ipsius originalis, (3) nec sufficit oblatio productionis talis circa ipsam executionem, sed ab initio fieri debet (4) *Sicut id in junctum in eadem causa.*

1. Ad substantiam processus executivi pertinet exhibitio instrumenti *Coler. de process. executiv. part. 3. c. 2. num. 47. seq.*

Exemplum regulariter non probat *l. 2. ff. de fid. instr. Auth. si quis in aliquo C. de Edend.* sed sine originali productum suspicionem obreptionis parit *Nevizan. Consil. 37. num. 28.*

3. *Menoch. adipisc. poss. remed 4. num. 651.*

4. Fundamentum quippe processus est ista exhibitio, quo incerto nihil certum potest esse in illo judicio. *Bald in Auth. & qui jurat. n. 10. C. de bon. aut. jud. possit.* Ideo non potest non esse processus nullus qui ea omissa factus est. *Angel. Aretin. in l §. si quis ita n. 15. ff. de V.O.*

DECISIO XXXXIV.

Excessus executionis non statim revocandus nisi manifestus, sed mediante cognitione.

AD querelam de excessu executionis mandatum revocatorium seu cassatorium quod petebatur, decernere non congruum visum, non modo quia ille non præsumendus, (1) præsertim ubi judici ordinaria executio fuit commissa, (2) sed etiam quia fieri potuit, ut tenor executorialium non sine ratione non exactè fuerit servatus. Etsi enim mandatum etiam executoriale stricti juris & accurate juxta tenorē servandum est, tamen contingere potest, ut & præter illud quicquam circa executionem fiat, non tamen mandato contrarium sit. Siquidem nondum constat quod in excessu peccatum sit, ad revocationem male procedi-tur. Securius multo est & juri convenientius, prius de excessu inquirere & cognoscere, quàm sine causa cognita statuere. Itaque incerto non fuit admissa petitio de revocatione nec mandatum sine clausula decretū, sed tantum cum notificatione querelæ rescriptum seu mandatum de referendo, ut se res haberet *in causa Niclaus Demels, contra Ernst. Iohan Daniel Becken die 13. Iulii An. 1660.*

1. Est enim facti; Facta autem non præsumuntur, sed probanda sunt;

2 Quia pro judice est præsumptio, quod jure agat.

DECISIO XXXXV.

De excessibus quibusdam executionis eosque corrigendi modo.

PRovocabatur ab executione propter ejus excessum, cujus variæ species referebantur. Est quidem ei locus: (1) At prout semper abbreviandis litibus studemus, nec cum ad executionem deventum facile admittimus, quod ad eam impediendam retardandamve intenditur, ita & in casu occurrente illud omni ope devitandum putavimus. (2) Haud itaque processus, ut alias circa appellationes suetum, decernere visum, sed qui arguebantur excessus, si tales, statim sub ea clausula si ita se haberent, emendare, quæ male sub eo nomine tegerentur rejicere, quod rescripto judiciali commode fieri poterat. Quæ pro excessu in præsenti causa allegabantur, hæc erant. Primo quod judex competens non erat, qui executionem faciebat. At nullius hoc erat ponderis, ubi appellans eundem habuerat judicem, nec antea de foro exceperat. (3) Et si vel superesset declinandi jus qua judicem, si causa cognoscenda tamen deficiebat, ubi executioni sententia mandanda & quidem jussu & autoritate superioris judicii, ita ut hic inferior non tam ut judex, sed ut executor & minister superioris considerandus sit. Fieri potest executio ab alio quam competente judice ex mandato superioris. Secundo querela movetur de semel jam facta executione & ea nunc iterata, in quo nunc excedi-tur quousque nondum victori est satis factum; modo hic nihil amplius capiat quam adjudicatum, potest executio iterari, nec

Digitized by Google

nec una aliam impedit, [4] Perinde tertium non erat attendendum, quod creditum, cujus causa executio fieri debebat, nondum plane liquidum erat. Potest quidem illiquidi exceptio etiam post sententiã remorari executionem, quæ non est incerti, ut aliquando potest esse sententia. (5) At præterquam quod male id opponebatur, ubi ex sententia constabat quantum debebatur, etiam non pertinet ad ea, quorum statim coram executore manifesta fieri potest quantitas. [6] Quarto arguebatur executio extensa ad res uxoris, cum tamen illa non teneretur. Cujus si accessisset interventio, attendenda fuisset, at non ita mariti excipientis de jure tertii. Prospici tamen & potuit mulieri rescripto, ut quæ ejus essent, manerent intacta, aut si jam sumpta redderentur, cum sua sub executionem venire nolit. Quinto taxationem pignori captorum iniquam & quidem ab infensissimo hoste suo factam incusabat. (7) Si vero quid in ea vitii corrigendum erat rerata æstimatione petitorum, ut ad illam hos remitti & modum præscribi placuit. (8) Sextum quod erat de non permisso capta pignora reluendi tempore. Præterquam quod ei adhuc locus erat distractione non dum facta, ut eam lubentius admissurus est creditor, ex distractione incommodi multum habiturus, & provideri potuit, ut terminus adhuc præfigeretur. *Iuxta hæc factum in causa Christoph Hoffmeistern, contra Valentin Rethen, die 4. Septembr. Anno 1660.*

1. *Ab executione 5. C. quand. provoc. non licet.*

2. Etti nunquam magis quam cum ad cuspidem res venit, mali debitores contendunt ad eludendam juris vim, tamen nunquam magis eis resistendum, ne cum magno labore, molestia & sumptu ad finem litis perventum, post sententiam in executione lis recrudescat. Quo nihil justitiæ magis adversum, ideo à judice qui non inanem ac elusoriam reddere autoritatem judicati laborat, audiendus non est *l. sancimus* 15. *C. de judic.*

3. Fori exceptio temporalis ante litem contestatam opponenda erat, qua omissa velut prorogatione facta deinde judex declinari nequit.

4. *l. 1. § quia autem ff. quod legat. Fab. in* C. *lib. 7. tit. 2. defin. 4. in pr. & num. 1.*

5. *Quomodo pulchre leges expositum á Fabro d. tit. 20. defin. 10.*

6. Paria hæc sunt esse liquidum & incontinenti posse liquidari.

7. Æstimatores perinde ut judices ab initio recusare licet tanquam suspectos. Ubi semel ad æstimationem admittuntur, approbantur. Si quis non admiserit, non tamen & mature recusaverit, valet æstimatio, sed permittitur in quitatis, cum docetur, correctio. Sic praxis id discrimen observat.

8. Ita fieri solet, cum æstimatorum error aut iniquitas arguitur & docetur.

DECISIO XXXXVI.

Appellatio non suspendit causam ultra quam controversa est, quod in ea liquidum, nihilominus executioni mandandum est.

TUtor in solidum condemnatus ob rejectam divisionis atque excussionis exceptionem appellaverat, ac processus appellatorios solitos, cum his etiam inhibitionem impetraverat. Supplicabat autem appellatus, ut inhibitio quoad dimidiam debiti partem de qua controversia non erat, tolleretur, atque executio sententiæ super ea permitteretur, Ut fieret inhibitionis cassatio, & liberæ judici manus concederentur, decernendum non fuit. (1) Hoc vero æquum, ut quod liquidum per illiquidum non trahatur in litem, aut illius executio propter hoc suspendatur. (2) Ideo cum se hæc separare sinunt, ita agendum, ut controversis judicio relictis certa & extra controversiam posita, uti par est, præstarentur. (3) Quocirca etsi tota causa ad superius judicium devoluta fuerat, tamen quod ex ea certum, non in litem venit, (4) Ideo quod ejus certum & controversum statim dividere, & super illo executionem decernere justum visum. (5) *In causa Fridrich Pipers, contra Daniel Kirsten, die 4. Sept. Anno 1660.*

1. Appellatio etiam circa inhibitionem virtute sua naturali ligat manus judicis à quo, jurisdictionem ejus finit & causam ad superius judicium devolvit *l. 1. §. 3. ff ad SC. Turpil.* Ideo non est quicquam illius jurisdictionis antequam causa remittitur, sed quod ad eam pertinet à superiore decernendum.

2. *l. statu liber 5. ff. de Stat. lib.*

3. Hoc discrimen observandum, an sine præjudicio & incommodo illiquidi liquidi præstatio fieri queat, necne. Alias ex continentia causæ non dividendæ etiam quod liquidum suspenditur.

4. Male in judicium trahitur, quod certitudinem juris factique habet.

5. In quovis judicio, hoc fieri æquum & utile est etiam bonis atque diligentibus judicibus suetum.

DECISIO XXXXVII.

Executio etsi nulliter facta non revocanda tamen, nisi quatenus cum incommodo gravi debitoris eoque injusto conjuncta.

INstabat supplicans pro revocanda executione, de qua ut nulliter & contra ordinẽ juris morisque peracta querelam movebat. Visum est indiscriminatim non attendendam esse, quia de executione etsi injuste facta, haud queri posset, qui sine illa justa facere deberet, (1) Ideo sibi etiam imputare,

Digitized by Google

quod eam non antevertit, sed potius debitum non præstando causam dedit. (2) Tantum hoc inspiciendum, an cum aliquo incommodo injuste aut injuriose facta sit, (3) quo circa non movit querela ut statim aut inhiberetur aut revocaretur factum sed tantum ut inquireretur, quid & quomodo, quo cum effectu injurioso & executio facta esset. *Decretum pro eo rescriptum ad executores in causa Niclaus Demeln, contra Ioh. Daniel Becken, die 4. Sept. Anno 1660*

1. *Ita de executione nulliter & contra juris ordinem facta tradit Fab. l 7. tit. 20. def. 22. num. 4.*
2. Non potest de injuria queri, cui quod causam ei dederit potest imputari.
3. Injuriosa executio non valet sed revocanda est. *Fab. in C. d. tit. 20. def. 15.*

DECISIO XXXXVIII

Ad impediendam executionem non sufficit allegatio debiti nondum plane liquidi, & petitio decernendæ prius liquidationis, quamdiu non pervenitur ad adjudicationem.

POst longam litem demum publicata sententia & executione ad certam quantitatem usuræ residuæ, de cætero immissione in bona decreta, condemnati debitores eam remorari intendebant, quod dicerent, etsi condemnatio ad solvendam sortem atque usuras facta fuerat, tamen nondum esse liquidum, quantum esset residuum, & jam data quædam, & quod deberetur nondum in quanto certum prius fieri debere, petebant ideo inhibitionem executionis & discussionem liquidationis. Ut hæc fieret placebat, sed non similiter ut inhiberetur. Nec enim decreta erat executio, nisi ad certam usurarum summam, cujus & certum erat debitum nec negandum. Haud ad omne quod in lite fuerat se extendebat, sed tantum immissio in bona pro residuo decreta erat. Quæ nihil aliud tribuit quam pignus judiciale, (1) ad quod sufficit aliquid deberi & liquidum esse, (2) cujus causa individua est, & se extendit ad omnia quæ debentur, (3) etiamsi nondum sint certa. (4) Interest enim inter immissionem, quæ certitudinem totius debiti non requirit, & inter adjudicationem vel distractionem bonorum; quæ fieri nequit nisi illo jam plane liquido. (5) *Sic rejecta petitio hæredum Christoff Behren die 18. Sept. An. 1660.*

1. *Iuxta tit. C. siea caus. jud. pign. tit. C. de bon. aut. jud. possid.*
2. Ad pignus constituendum sufficit aliquid deberi etsi vel minimum sit *l. quamdiu 6. C. de distr. pign. l. 2. C. debit. vend. pign. impedir.*
3. *l. rem hereditariam 63. ff. de evict.*
4. Etsi non sit certum quantum, tamen non ideo minus æquum est, certum seu securum esse debitum.
5. *vid. Fabr. in C. lib. 7. tit. 20. def 51. num. 5. 6.*

DECISIO XXXXIX.

Executio quando ex superveniente nova causa non est suspendenda.

QUando de restituendo in officium Consule, qui ab officio suspensus fuerat sententia, pronunciatio facta erat, & ejus effectus rogabatur, at nova causa pro illa impedienda adferebatur, nempe eo tempore quo hostili vi provincia in vasa fuerat, ipsum non modo, contra edictum Regii Regiminis de non discedendo in loca, quæ hostis tenebat, aut transferendo illuc bona, discessisse in terra ejus, sed etiam advectione commeatus eum juvisse. Existimatum vero est, ob eam non differendam vim sententiæ, sed nihilominus mandatum de restituendo seu recipiendo executoriale decernendum, tum quia allegata causa ad hanc litem jam peractam non pertinebat, sed plane diversa alio judicio agitanda erat, (1) tum quia si ita res haberet, nondum certum erat, sed prius accusatus audiendus & deinde condemnandus. (2) Quomodo itaque nisi cum causæ cognitione ab officio dejiciendus non fuisset, ita nec vis sententiæ, per quam in officio remanere debuit, suspendenda, aut jure quod per judicatum obtinuerat, privandus. (3) Qua sonatum contra quem judicatum fuerat, exceptio executioni oppositæ de jure tertii erat, ideo ipsi proficere non potuit. (4) Vindicta pertinebat ad Regium Regimen, cui integrum, si mereretur, ex alia causa removere non obstante judicato, ut quod ad istam non pertinebat. (5) Putabatur autem altioris indaginis, utrum removeri posset pace jam composita *in causa B. Wendlandes contra Senatum civitatis Golnovienſem die 18. Septembr. Anno 1660.*

1. Tanta est rerum judicatarum authoritas, ut ne quidem obtentu postea repertorum instrumentorũ executio illarũ remorari debeat *l. 4. C. de rei jud.*
2. Nemo inauditus & indefensus condemnari debet.
3. Jus alicui per sententiam quæsitum ei auferri nequit.
4. Licita est exceptio de non jure agentis etiamsi non constet de jure suo, *arg. l 28. C. de rei vind. Rota Genuens. decis. 14. num. 95. Fr. Viv. decis. 291. n. 2.*
5. *vid. inter decis. nostras decis. 149. n. 3. 4. part. 1.*

DECISIO L.

Contra fidejussorem judicatum solvi sine novo processu executio fit.

INter fidejussorem pro debito ex contractu & de judicato solvendo qua executionem

Digitized by Google

nem interest, quod sententia contra principalem debitorem lata contra istum non auditum nec citatum executioni non mandatur, sed novo processu opus est, & post hunc condemnatione. (1) Adversus hunc autem absque alio novo processu statim post sententiam fit executio, (2) ideo etiam contra hunc ex ista mandatum de solvendo sub comminatione præsentis executionis sine clausula juxta tenorem satisdationis & sententiæ decernitur. (3) Uti *factum ad petitionem Georg Keslers, contra hæredes Segeband von der Haden, die 8. Ian. Anno 1661.*

1. Sic communis JCtorum sententia habet *vid. Soretz. in Thesaur. comm. opin. lit. F. n. 125. Caroc. decis. 136. num. 12.* eam Camera Imperialis recipit & observat *Mynsing. cent. 4. observ 96.*

2. *vid. Coler. de process. execut. part. 2. c. 2. n. 6. 8. & 22. c. 3. n. 24. seq. Peck de jur. sist. c. 45. n. 16. Sorez d. l. n. 124.* fide jussor. judicatum solvi eadem cum reo persona, ideo cum eodem condemnatus intelligitur *Bart. in l. 1. ff. judic. solv.*

3. Ab hoc fit executionis exordium.

DECISIO LI.

De executione contra tertium possessorem.

INter JCtos controvertitur, an & quando sententiæ inter alios latæ executio contra tertium possessorem absque novo processu fieri possit? Communior veriorque sententia est, quam praxis judiciorum sequitur, distinguens tempus acceptæ à tertio possessionis, utrum lite jam mota hic demum possidere cœperit, an ante illam. (1) Post litem motam refert, res litigiosa sit nec ne. Quia rei litigiosæ alienatio prohibita est, (2) ideo nulla possessio, (3) ex ea non transire sed res in eo statu esse intelligitur, ac si ista non processisset, (4) ideo contra successorem perinde ut contra eum qui cum lis fuit sine alio processu fiet executio, (5) tantum citatione opus erit. (6) Per quas actiones autem non res fit litigiosa, post eas executio rei lite pendente alienatæ nomine contra tertium possessorem ita non fit, sed actione revocatoria opus est (7) nisi alienatio non tantum in adversarii sed etiam judicis fraudem veluti post inhibitionem facta, (8) aut tertius in lite fuerit, seu quia citatus sit, seu quia sponte pro interesse suo comparuerit. (9) Ante litem aut possessione translata non potest fieri executio, sed actione & novo processu eget, qui rem vel possessionem vult ad se revocare (10) ideo non sufficit rem contra alios judicatam obtendere (11) sed exceptiones possidentis potius audire & examinare oportet. *Ita judicatum in causa Ludolph von Sangershausen, contra viduam Otto Heinrich von Brobergen, die 9. Ian. An. 1661.*

1. *Cavallos in comm. opin. cent. comm. q. 820. n. 22.*

2. *tot. tit. ff. & C. de litigios.*

3. Ex contractu super re litigiosa nullo non transit possessio. *Lancell. de attent. part. 2. cap. 4. num. 452. seq. Hondeda. cons. 20. num. 3. lib. 1.*

4. *l. fin. ibi* Bart: *C. de litigios.*

5. *Covarruv. pract. quæst. cap. 15. num. 6. Gail. 1. obs. 118. n. 2. Lancellot. d. l. num. 459 seq.*

6. Circa citationem etiam supra re litigiosa non fit executio contra tertium *Cavalc. dec. 16. num. 2. & 7.*

7. Sic cum agitur personali actione, quia illa rem litigiosam non facit, executio non fit contra ejus successorem sine novo processu, etsi lite pendente facta fuerit alienatio. *Bart. in l. Creditores n. 23. C. de pign. Mynsing. cent. 3. observ. 73. numer 8. Lancell. d. l. n. 481.*

8. *Ioh Asin. in prax. §. 31. c. 2. limit. 30.*

9. *Cavalc. dec. 5. numer 40. p. 4. Crav. cons. 14. numer 6.*

10. *l. rei judicatæ l. cum quæritur ff. de except. rei jud. l. sæpe §. si super ff. de rejud. Vala. c. dec 55. nu. 1.*

11. *l. 1. & tot. tit. 1. C. res int. alios act.*

DECISIO LII.

Iudex citra attentatum exequitur quod non amplius est controversum.

EXecutio judicis pendente appellatione attentatum non est nec revocatur quatenus effectum sententiæ in his quæ non amplius controversa sunt præstat. (3) Quousque suspendit judicatum appellatio, eatenus ligat manus judicis, ultra id à quo appellatur licet exequi, ideoque super attentato processus denegantur. *Sic decretum est ad querelam super attentatis Baronis Melchior à Schlangenfeld, die 15. Ianuarii Anno 1661.*

1. Appellatio non suspendit jurisdictionem, nisi in his quæ sunt in lite per sæpius adductas rationes.

DECISIO LIII.

Interventio uxoris ad impediendam executionem in bonis mariti quando admitti non debet.

FRequentissimum hoc seculo est, cum agunt contra maritum creditores, sub obtentu illatorum & ejus quod pro his competit privilegii uxores intervenire, ut executionem in bona debitoris impediant. Ex eo quidem jure, quod ob dotes uxores habent in bonis mariti, jus interventionis competit, eumque habet effectum, ut sistat executionem, donec satis factum est mulieri. (1) At haud ista abuti licet ad defendendum sub isto obtentu, ut non raro fit, maritum adversus creditores, aut ad impediendum temere justas aliorum petitiones. (2) Regulariter & in universum non valet, vel admittitur ea interventio, sicut nec constante matrimonio locum habet repetitio.

Digitized by Google

repetitio. (3) Fraudibus obviam ire debet Judex, ideo ſicut juvandæ ſunt mulieres, ne dotes perdant; & ex maritorum inopiâ ſuis priventur, ita viciſſim cavendum, ne jure & favore ad ſua conſervanda competente in perniciem & incommodum creditorum abutantur. (4) Quod ne fiat juſta aliqua hujus interventionis ſunt requiſita circa eam ad evitandum abuſum ſollicite obſervanda. Primo; Oportet illam eſſe neceſſariam, ſeu ut mulier de ſuis ſecura eſſe non poſſit, niſi interventionis remedio, ut contingit, (5) cum vel ad inopiam vergit maritus, vel ſi obæratus à creditoribus ſic urgetur, ut illorum ſatisfactio uxori nihil aut parum pro ſervandis illatis reliquum factura ſit, vel ſi quod ſpeciatim uxori pignori datum actionibus impetitur. (6) Secundo; Convenit idcirco fieri, quò ſua ſibi mulier ſervet, (7) non ut creditores de ſuo conſequendo certantes impediat, (8) ut non raro fieri ſolet, uxores magis de marito contra creditores per ſua privilegia defendendo, hisque difficultate litis atque moleſtia oppoſitionis ad ærdium redigendis aut impediendis eſſe ſollicitas, quam ut ſua ſeparatim ſalva habere velint. Cui perfidiæ fraudumque patrocinio jurisque abuſui Jurisprudentia non ſuccurrit, quin potius juſtus & prudens judex occurrere debet. Cujus ſi quædam ſint indicia, non modo permittendum eſt creditoribus exigere juramentum calumniæ ſeu malitiæ ab uxore interveniente, ſed judex iis deprehenſis ex officio injunget. (9) Tertio; Ut interventio ad impediendum alterius jus proficiat, æquitati convenit, non eſſe illiquidam, ſed aut cujus causâ intervenit ſtatim apparere, aut ſine prolixiori proceſſu liquidum fieri poſſe. (10) Inter ea quæ proferuntur eſſe veriſimilia. Si enim altioris ſint indaginis, juri adverſum eſt per illa ſuſpendi executionem liquidi, ſed ita procedendum, ut audiatur interveniens, illique in omnem eventum cautionibus proſpiciatur, at non retardetur in juſti conſecutione, qui fundatam habet intentionem. (11) Quarto; Ut non appareat potiorem ejus, contra quem intervenit mulier, eſſe conditionem, (12) dum vel ex ſtatuto ſeu conſuetudine communio bonorum inter conjuges introducta, vel alia ratio eos facit invicem ærî alieno obnoxios, vel alterius petitio privilegium ante mulierum jura habet. Quinto; ad interventionis juſtitiam pertinet, ut non ſuperſint bona, unde mulieri ſatisfieri poſſit, quam ea, in quæ alterius cauſa interventio fieri debet, [13] Sexto; Decet tempeſtivam eſſe interventionem re integrâ. Ideo non proficiet uxori, quæ ſcivit litem cum marito agitari & ſiluit, donec ad extrema juris deventum eſt, ſicut nec illi, quæ conſcia fuit à marito alienari bona vel obligari, quæ ſuæ ſecuritati erant dedita, nec quidquam eâ de causâ movit, priusquam cum alius ex jure ſuo diu quæſito experitur. (14) Id quod fraude non caret, non modo marito doloſè agente, quod uxori obnoxia alteri cedit aut obligat, ſed participe ejus uxore, quæ ut maritus alienâ pecuniâ fruatur, tacet, poſtquam conſumpſit & reddere debet, interveniendo obeſſe vult repetitioni. [15] Opus verò non eſt ad interventionem mulieris citari omnes quorum intereſt, tantum contra unum vel alterum creditorem admittitur, nec opus eſt, ſi qui alii jus in rebus habent, vocari. (16) Talis quippe interventio, quæ modo fiet pro defendenda hypotheca uxori conſtituta, non requirit aliud, quam audiri, quibus in re illi ſuppoſita jus eſſe poteſt: Secus ſe res habet, cum ad dotem ex bonis mariti repetendam, ideo ex his ſeparandum, quantum ad illam ſatis eſt, mulier agit. Tunc publica inopiæ mariti allegatio & æris alieni profeſſio fit, unde ad intereſſe creditorum pertinet ipſos audiri. Hæc conſideravimus, ubi de interventione mulierũ, præſertim quando ad impediendum tendebat, quæſtio fuit. Et cum pleraque ex iſtis non reperiebantur, cum uxor adjudicationi jam decretæ, à qua ob exceſſum in modo appellatum erat, nimis ſero interveniebat, omniaque ejus adhuc illiquida & dubia erant, pronunciatum fuit ad ſuſpendendum iſtam interventionem non ſufficere, ſi quid autem pro ſua ſecuritate mulier experiri vellet, ordinario proceſſu in foro competenti citatis his, quorum intererat, opus haberet. *Sic judicatum in cauſa uxoris Nicolai Demels, contra Iohann Daniel Beckern, die 16. Ianuarii Anno 1657.*

1. *De hac interventionis ſpecie vid. Coler. de Proceſſ. Executiv. part. 2. cap. 3. num. 255.*

2. Eo uſque prohdolor! excrevit is interventionum abuſus, ut mariti aſylum veluti quoddam in iis quærant & collocent, & à mulieribus quaſi tunicam contra fidem ſuam mutuentur, unde non mirum eſt, maleiſtos audire & objici, daß/die ſich dero bedienen/den Weibern unter den Peltz kriechen/und darunter ſich für ihren Creditoren verſtecken.

3. Regulariter dos conſtante matrimonio repeti non poteſt, ſed cauſam accedere oportet ſingularem, ex qua liceat. *l. ſi non conſtante 22. ff. Solut. matrim. Gail. 1. Obſerv. 86. num. 12. ſeq.*

4. Alias interventio tertii ad impediendam executionem non admittitur, cum apparet malitia intervenientis. *Gail. 1 Obſerv. 70. num 20.*

5. Non admittitur interventio à judice, niſi ſummariè edocto jure & intereſſe intervenientis. Cujus non allegatio modo, ſed etiam probatio neceſſaria eſt ad fraudis atque colluſionis ſuſpicionem, quæ alias ſubeſt, diluendam. *Gail. 1. Obſerv. 69. numer. 4. ſeq.* Et eo magis in hac ſpecie probatione opus eſt, cum mulier fundatam intentionem non habeat, & fundamentum intentionis, quod eſt in paupertate,

Digitized by Google

paupertate, probare opus habet. *Fab. in Cod. lib 5. tit. 7. defin. 47.*

6. Solum periculum dotis & illatorum, quod est in memoratis casibus, facit locum constante matrimonio repetitioni, ideo etiam interventioni, *d. l. si constante 24. in pr. ib. Iason & Duaren. ff. Solut. matrim.*

7. Huic unicus finis est interventionis, extra quem illa injusta est.

8. In hoc extra finem singularis exercebitur mulierum malitia, cui bonus non indulget judex. *l. in fundo. ff. de rei vindic.*

9. Pro depellenda fraude remedium sumitur à juramento calumniæ, quod non tantum partibus deferre permittitur, sed & judici, quoties suspicio calumniæ existit. *l. 2. pr. §. 5. C. de Iure jur. propt. calumn.*

10. Illiquida non proficiunt ad expediendam executionem liquidi. *l. statuliber. 5. ab gloss & Dd. ff. de statulib.*

11. Ubi cautione alia mulieri potest esse consultum, non impedit executionem.

12. *De hac specie ita habet Fab. in Cod. lib. 5. tit. 7. defin. 40. num. 7. seq*

13. Cum alias prospectum est mulieri, non habet locum interventio. *Faber dict. defin. 40.* Hoc quidem non discernendum esse in uxore, ut circa alios putat *Coler. de Process. Executiv. dict. cap. 3. num. 276.* sed iniquè & sine ratione. Quo ille respicit, pertinet ad dotem restituendam. Nos versamur in casu ejus tantum assecurandæ, pro qua tantum separari debet, ex quo cautum esse potest; Reliquum vacat aliorum creditorum petitionibus, *uti istam differentiam ejusque rationem exponit Faber in Cod. lib. 5. tit. 7. defin 2.* Etsi enim mulier in bonis mariti generalem habet hypothecam & in ea jus prælationis, *l. fin. C. qui pot. in pign.* attamen non potest ex illa ultra sibi sumere pro securitate, ac quantum necesse erit, laxiori tamen facta æstimatione, ut illa plenior sit. *l. ubi adhuc 29. C. de Iur. dot.* Hoc ipsum remedium separationis, ex quo illi consultum, secum habet.

14. Mulieri succurritur propter inopinatam mariti inopiam, non ob prævisam & cognitam. *l. si is à quo §. fin. ff. ut in possess. legat. l. fin. §. his illud quoque C. de sponsalib.* Sciens talia mores mariti approbat, & iis contenta esse cogitur. *l. promittendo §. si a debitore ff. de Iur. Dot.*

15. Frequens hoc ævo est maritos conscils mulieribus dilapidare bona, multum æris alieni contrahere, ipsos una credita consumere, bono animo ex alieno sanguine gaudere, nec de suo conservando cogitare, priusquam creditores mutuo accepta repetunt, tunc demum iis obsistere. Utut verò iis contra maritos eo non attento permittendum securitati dotium consulere, *juxta ea qua habet Gail. 2. Observ. 84. nu. 8.* Iniquum tamen creditoribus tunc sua interventione obesse, ne suo potiantur, sed tunc si putet, maritum solvendo non esse, ad cessionem bonorum illum adigi, & super prioritate decerni convenit.

16. Non tantum agendo, sed etiam excipiendo contra eum, qui experitur creditorem, mulier servare potest dotem, & tunc non nisi cum eo in judicio res est. *Faber in Cod. lib. 5. tit. 7. defin. 10.*

DECISIO LIV.

Cum non admittitur, sed ad peculiarem processum remittitur interventio, causa agenda est in foro possessoris.

CUm in appellationis instantia mulier pro dote cæterisque ad maritum illatis servandis intervenit, at sic ista in continenti non facit liquida, ut executio fisti aut retardari possit, hæc effectui danda; illa verò remittenda est ad peculiarem processum, reservato in eventum jure suo in rebus mariti, qua alii adjudicantur. (1) Quia autem ipsi cum novo possessore aliisque, quibus in rebus jus est, de prioritate contentio exoritur, necesse est illam sequi, sub quo res suæ sunt, (2) necapud judicem appellationis retinenda aut agenda est causa, quæ nova & diversa est à priori, (3) & dum non recipitur, remittitur ad ordinariam ventilationem, cujus est, ut in suo agatur foro. (4) *Sic in præfata lite visum est, remitti causam ad forum competens, sub quo erant bona, in quibus mulier præferentiam obtendebat.*

1. *Iuxta l. pen. ff. de Hered petit. Gail. 1. Observ. 70. num 21.*

2. *Ita tradit Felin. in c. veniens num. 8. X. Testib. Mindan. de Contin. caus. lib. 3. cap. 9. numero 8. in fin.*

3. Ideo non devoluta ad eundem. Fundat appellatio jurisdictionem saltem in his, quæ devolvit aut his sunt connexa. Eo ipso quod judex ab his quædam ut diversa separat suam non esse jurisdictionem, declarat.

4. Nec causa à suo foro sine justa causa abstrahenda, nec instantia cuiquam auferenda vel impedienda est.

DECISIO LV.

Executio injuriosa est, qua tollit victus media, opus non est.

DAmnato locis piis ex ædibus suis solvere residuas pensiones annuas, non solventi judex prohibuerat cerevisiæ braxationem, unde victum quærebat, negatis schedulis quibus facultas ejus habetur, lassen ihm die accis Zettel verbieten. De eo querelam movens debitor mandatũ de non prohibendo mereri videbatur, etsi deberet, ob injuriosã nempe executionem, quæ sine injuria fieri debet. (1) Quæ huic modo exequendi inesse videbatur, tum quia negligebat executionis ordinem, (2) cujus initium est à bonis in ista facienda missione, nec quamdiu ex his debitor creditum consequi potest, deveniendũ

Digitized by Google

est ad personam; (3) tum æquitatem in executione servandam, ut integra sint quibus victus quærendus, violabat; (4) tum denique quod immanis nimis erat, victum impediendo, vitam veluti miseram & acerbam faciendo. Mandatum idcirco decernebatur de cassanda prohibitione, per quam vitæ sustentatio impediebatur, & observando legitimo executionis modo & ordine. *Ad supplicationem Christoff Rollin, die 28. April. Anno 1657.*

1. Ne unde jura oriri debent injuriarum sit occasio *l. meminisse C. und. vi.*

2. *Hic est præscriptus in l. à Divo 15. §. in venditione ff. de Re Judic.* quem præcisè observandum esse JCti putant, *Coler. de Process. Executiv. lib. 3. cap. 9. num. 20.*

3. *l. 1. C. qui bon. ced. Bartol. in l. nemo carcerem num. 2. C. de Exactor. Tribut. Coler. de Process. Executiv. part. 1. cap. 16. num. 115.*

4. *l. stipendia 4. C. de Execut. rei judic. l. executores 7. C. qua res pign. oblig.* Etsi enim alias executio fit ad saccum & peram usque, tamen excipitur quod non est in bonis sed in operis pro victu. *gloss. in l. nepos de Verb. Signif.*

5. Necare videtur, qui alimenta, seu, quod idem, ista quærendi & habendi media, tollit. *l. 4. ff. de Agnosc. & Alend. lib.*

DECISIO LVI.

Debitori ad executionem impediendam non proficit obtentus ex debito judicis aut executoris.

NOn admissa est debitoris ad impediendam executionem ea allegatio, quod magistratus ipse, qui executionem decreverat, sibi quoque deberet, & quod si sibi solverit, creditori suo inde satisfacere vellet ideo enim impetrare non debuit, ut ille juberetur ipsi solvere, atq; idcirco executio sisteretur. Nihil hoc pertinebat ad creditorem. Ex alieno debito non magis objicienda est compensatio, (1) quam invito obtrudi potest in solutum acceptio. (2) Magistratus etsi injustè facit debitum non solvendo, injustè tamen non facit creditori jus cum effectu dicendo. (3) Alia est ejus persona qua officium ex quo jurisdictionem exercet, alia qua debitum, cujus ratione privatam conditionem sustinet. (4) Non ideo quia debitum non solvit alteri, officium negare debet aut potest. Contra magistratum debitorem suum vacat creditori actio, sed ex alterius injuria vel iniquitate, non est contra tertium, ad quem nihil ejus rei pertinet, exceptio. (5) Nam etsi vel eo nomine quod civitas vel magistratus debet, contra alterum, qui pro ipso fidejussit, jus dicendum esset, non ideo sui exceptione gauderet aut solutionem negare, imo nec ipse magistratus justa differre posset, injurius quidem in eum qui pro se fidejussit, quod non liberat; at ideo etiam injurius contra creditorem esse non debet. (6) *In eadem causa.*

1. *l. cum milit. 6. pr. ff de Compensat.*

2. *l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. l. 16. C. de Solut.*

3. Hoc officio ejus incumbit & necessarium est.

4. Ubi duplex persona sustinetur, potest ex respectu unius fieri, quod ex altero fieri non potest, nec debet, nec alia ejus habetur ratio, quam duarum diversarum personarum. *Gail. in tract. de arrest. cap. 16. num. 14. & seq.*

5. Nec debet alterius factum pertingere ad alienum dispendium. *l. 1. C. de divid. tutel.*

6. *Sic aliquando pronunciatum scio cum talis casus occurreret, ut princeps condemnaret eum, qui pro semet fidejusserat.*

DECISIO LVII.

Liberis contra vitricum per arrestationem bonorum parentis rectè prospicitur.

CUm vitricus privignæ elocatæ dotem promisisset at non præstaret, generarresto sibi cautum ibat, per illud impetrato, ut vitricus nihil ex bonis paternis consequi posset, antequam sibi satisfieret. A quo appellatione interposita creditum malè appellari. Etsi enim aliàs arresta regulariter sunt prohibita, (1) & ab iis processum exordiri injustum, (2) cessat tamen hæc regula, ubi justa ea decernendi ratio est. (3) Justior verò esse nequit, quàm ut liberis bona parentum conserventur, (4) & contra vitricos ista detinentes, quando pro conservatione laborant, defendantur, qui præsumptione sinistra laborant, (5) ideò quo magis in privignos creduntur malevoli, eò magis, ut justa reddant, coercendi sunt. (6) Præsertim verò æquum est, ut liberis potius è paternis de dote & legitima satisfiat, quàm ut vitricus retineat. (7) Accedit etiam insignis favor dotis. (8) *Ex his rationibus rejecta est appellatio Dieterich Garlippen, contra Reinholt von Hallen, die 28. Aprilis Anno 1657.*

1. *Ità habet vulgata vox JCtorum Mynsing. resp. 66. num. 14. decad. 7.*

2. *Arg. l. 1. C. de Execut. Gail. lr. de Arrest. cap. 1. num. 10.*

3. Uti arrestum non est justum, ubi justa ejus non adest causa. *Gail. de Arrest. cap. 11. num. 30.* ità ubi hæc accedit, arresta consuetudo totius orbis legitimat, velut quibus nihil est frequentius.

4. Quibus ipsa naturalis ratio ista addicit. *l. cum ratio 7. pr. ff de Bon. damnat.* ut & vivo quodammodo parente domini habeantur, *l. in suis 11. ff. de Lib. & Posthum.*

5. Quanto pluribus exemplis testatum fecit experientia, quomodo vitrici & novercæ conen-

tur

Digitized by Google

tur liberos suos defraudare patrimoniis, se verò, suosque iisdem ditare, tanto magis impediendum ut fieri non possit Remedium ex arrestis sumitur & praxi receptum est.

6. *l. non est 4. ff. de Inoffic. testam.*

7. Jura civilia inde caverunt, ut nihil ex bonis conjugum capiant superstites, ne liberis decederent & ad extraneos devenirent, præclusa ipsis successione quamdiu cognati sint. *l. 1. & tot. C. und. vir & uxor.*

8. *De quo vid l. 1. ff. solut. matrim.*

DECISIO LVIII.

Ex superveniente post sententiam jure executio non modo sistitur, sed etiam aliud pronunciandum est.

IN lite super jure protimiseos seu retractus circa rem venditam excluso à venditione emptore, quod rem minoris â tutoribus sine decreto emerat, & confirmato contractu conductionis, contra quem ex obtentu emptionis conductoris expulsio rogabatur, post sententiam accidit, venditores à magistratu decretum impetrasse, & inde robur emptioni comparare voluisse. Orta inde est quæstio, utrum ex superveniente illo jure emptoris non attentâ sententiâ appellandus sit conductor? Et conclusum fuit, non eo minus hunc cogendum esse cedere emptori. (1) Superveniens quippe jus efficit, ut non principium litis & quod tunc abfuit, sed quod deinde accessit, valeat atque attendatur. (2) Et quidem cum ante sententiam jus ei qui non habuit accessit, retro in judicium res deducta videtur. (3) Si post rem judicatam, ex eo velut novo jure non tantum contra executionem exceptio oritur, sed etiam actio seu petitio est, nec ei rei judicatæ exceptio opponi potest. (4) Nec tantum, si alia planè causa accesserit, id obtinet, sed etiam si eadem quidem, at quæ primum fuit injusta & ex qua perperam actum, deinde accessione justorum convalidatur. (5) Non est eadem petendi causa, ubi prior ex defectu juris injusta, posterior ob accessionem requisiti legalis reddita est justa; ideò non habet locum rei judicatæ exceptio. (6) Posterius enim in judicium nondum venit. (7) Quocirca ex eo agens, petens vel excipiens ex novo jure & alio experitur. (8) *Sic judicatum* (9) *in causa Paul Otten, contra Hinrich Gevekoten, die 12. Junii Anno 1657.*

1. *Iuxta l. emptorem 9 C. de Locat.*

2. *l. si rem 9. fin. ff. de pignor. action. l. si mandavero 27 ff. mandat.*

3. *l. licet 56. ff. de Iudic.*

4. *l. si mater 11. §. eandem 4. ff. de Except. rei jud. ubi ratio additur.*

5. *l. si servus 42. ff. de Statu lib.*

6. *l. quantitas 13. l. seq. in pr. ff. de Except. rei jud.*

7. Non potest videri in judicium venisse, quod post judicium acceptum accidit. *l. non potest 25. ff. de judic.*

8. *d. l. si mater 11. ff. eandem ff. de Except. rei judic. l. si cui 25. pr. ff. de Liberal. caus.*

9. *Cujus tenor hoc fuit.*

In Sachen Paul Otten Appellanten an einem/ Heinrich Gevekoten Appellaten am andern/ und Johannis Scholvini Kinder Intervenienten am dritten Theile/ in puncto retractus itzo rationum wird befunden und erkannt/ daß es de Anno 1654. biß 1655. bey dem geforderten Reste der 82. Marck 11. Schillingen 3. Pfenningen billich verbleibe/ wegen der Fuhre kein mehrers als einmahl angerechnet/ imgleichen deß gestorbenen Pferdes (jedoch deßwegen der etwa zustehenden Zusprache wider Freiken so weit Rechtens/ vorbehältlich) und deß Baumhoffs und Platzes halber nichts abzurechnen/ wie auch bißhero Appellante bey dem Heur-Contract billich zu lassen/ also die Miete abzutragen/ deßwegen aber mit seinen Rechnungen zu vernehmen sey/ von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 14. April. Anno 1657.

(Hoc est.)

In Causa Pauli Otten Appellantis ex unâ, Henrici Gevekoten Appellati ex altera, & Joannis Scholvini liberorum intervenientium ex tertia partibus, in puncto retractus modo rationum decernimus, quod de Anno 1654. usque ad 1655. circa petitum residuum 82. marcarum 11. sol. 3. den. permanere, ratione vecturæ ea non nisi semel computari, similiter ratione mortui equi (cum reservatione tamen eatenus, in quantum juris fortasse competentis actionis contra Freiken) ut & curiæ ac arcæ nihil detrahi, non minus huc usque appellans in contractu conductionis manuteneri consequenter pensio solvi, propterea vero cum suis rationibus audiri debeat, idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 14. Aprilis Anno 1657.

DECISIO LIX.

Statutum ad ordinativa litis pertinens non obstringit extraneum, ubi ex causa judicati petitur executio.

ITa communis habet JCtorum sententia; quod in iis quæ ad decisionē causæ pertinent, qua extraneos semper sequimur jus commune aut loci contractus. (1) In his verò quæ ordinationem processus vel executionem concernunt, legem vel consuetudinem loci in quo agitur. (2) Cui initio consequens videbatur, ut quando extraneus arrestum impetravit, ille non minus quam judicio subditus teneatur prosequenti fatalia per ordinationē Sum̃i Tribunalis præscripta observare, (3) quandequidem hæc prosecutio est ex processus ordinatoriis. Verum

Digitized by Google

quando ille extraneus vel potius ejus causa magistratus loci pro executione judicati executionem rogaverat, secus dicendum erat, (4) quia non pro lite iste comparet & judicium petit, sed executionem judicati, in qua spectandū quod judicatum & ut victor ejus effectu potiatur, (5) Præterea, quia ordinatio de prosecutione arresti, quæ in hac specie ubi executionis medium ex arresto desumitur, non est vel non talis, cessat quoque illius tenor. Uti decretum *in causa Iohan Wilbrandten, contra Hæredes Ioachim Schvvarzkopffen, die 12. Iunii Anno 1657.*

1. *Bald. in l. 1 num. 5. C. ne fil. pro patr.*

2. *l. 2. C. Testam. quemadm. aper. l. 3. § fin. ff. de Testib. l. missi. 7. C. de Exact. Tribut. Cyn. in l. 1. quæst. 9. C. de Confess.*

3. Sex septimanarum spatium prosecutioni arresti præfigitur *in Ordinat part. 3. c. 3. §. 5.*

4. Ex causa judicati vel vi contractus arrestum imponendum, sicut executionem faciendam à prædicta regula excipit, & vult juxta statuta loci ubi judicatur fieri *Coler. de Process. Executiv. part. 1. cap. 3. num. 224.*

5. Circa executionem ex judicato spectatur consuetudo loci ubi judicatur, non ubi ista petitur. *Apostill. ad Bald. in l. 1. num. 5. C. ne filius pro patre Roman. Consil. 262.*

DECISIO LX.

Arrestum pro executione rei judicatæ impositum non finitur lapsu termini prosecutioni præfixi.

ÆQuissima est prosecutionis arresti impositi intra certum tempus necessitas, quæ ut alibi per statuta exigitur, ideo fatalia accepit, ita etiam ordinatione Summi Tribunalis Regii constituta fuit. (1) Cui consequens, ut omissa prosecutione relaxandum vel invalidum sit arrestum. (2) Inde contra Arresti prosecutionem exceptio lapsus termini seu desertionis opponi potest, & solet. Cessat vero illa in ea specie, ubi pro executione rei judicatæ arrestum petitur & impetratur. Illud enim prosecutione speciali non eget, (3) sed ut ad magistratus vel judicis qui judicavit rogationem imponitur, ita etiam per illud creditori vel victori satisfit. Non enim hic prosequi opus est, cum in lite sententiam jam obtinuit. Non pertinet etiam lapsus iste ad eum qui agere non potuit, (4) in eo statu rerum positus, ut ad prosecutionem in alio foro procedere integrum non fuerit, quia causa in prosecutione agenda alterius fori & ubi lis cœpta fuit, (5) attamen arresto securitate judicii caveri æquum fuit. (6) Sic rejecta illa exceptione pronunciatum, durare arrestum, injunctum vero arrestanti intra tempus certum facere, ut terminetur. *In causa Ioachim Willbrandten, contra hæredes Ioachim Schvvarzkopffen, die 4. Iulii Anno 1657.*

1. Ex ordinatione prosecutionis necessitas est intra sex septimanas, *part. 3. tit. 3. §. 5*

2. Addit hanc sanctionem Ordinatio *in d. §. 5. verb.* Im widrigen soll der Arrest alsfort loß und der Arrestant in die Unkosten und Schaden völlig erkannt werden.

2. Nec enim causa tunc amplius agenda, sed alibi acta & finita executioni mandanda est. Ablonum erit prosequi arrestum, quod est ejus jus deducere, ubi per rem judicatam res certa & lis finem accepit, *l. ff. de re jud.* secus procedere est rem judicatam in litem revocare *contr. l. 1. l. fin. C. sent. rescind. non poss.*

4 *l. 2. C. de Annal. excep.*

5. Ubi cœptum judicium, ibi finire debet, *l. ubi 30. ff. de Iudic.*

6. Pendente lite ea licent, quæ ad securitatem judicii faciunt. *Lancellot. in tr. de Attentat. part. 2. cap. 4. limit. 17.*

Juxta hæc ita pronunciatum;

In Sachen Johann Willbrandes Impetranten wider sel. Joachimi Schwartzkopffes Erben Impetraten / in puncto arresti, seynd die Impetraten noch zur Zeit mit der gesuchter cassation arresti nicht zu hören / sondern Impetrant denselben vermöge der Ordnung / inwendig sechs Wochen / zu prosequiren / und deßwegen annoch citation außzubringē / schuldig / worauff alsdann weiters ergehet was sich zu Recht gebühret / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 4. Julii, Anno 1657.

(Hoc est.)

In causa Joannis Willbrandes Impetrantis contra Joachimi Schvvarzkopff hæredes impetratos in puncto arresti, impetrati in petita cessatione arresti nondum sunt audiendi, sed impetrans illud vigore ordinationis intra sex septimanas prosequi & propterea citationem extrahere tenetur, quo super ulterius fiet quod convenit, idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 4. Iulii Anno 1657.

DECISIO LXI.

Optionis libertas relicta creditori circa bona debitoris in executione, seu cum ex iis creditori satisfaciendum, quomodo restringitur.

EST quidem circa executionem contra bona debitoris faciendam, certus quidam ordo præscriptus, ut primo mobilia, deinde immobilia, tandem vero nomina capienda sint; (1) attamen de cætero circa singula cum juxta istam ad hæc devenitur, non est alius ordo, nec discrimen, sed ubi mobilia desunt, & ad immobilia deveniendum est, creditori vacat, quidnam velit ex iis eligere, ut pignori capiatur, distrahatur vel ad-

Digitized by Google

adjudicetur: (2) & licet rem meliorem, quam debitor habet, apprehendere. (3) Unde creditori in executione per judicem eligendi libertas relinquitur, & executori committi solet, ut in id, quod iste elegerit, immittat, & alia quæ executionis sunt, efficiat. (4) Saltem id æquitati conveniens ab JCtis visum, ut ea electionis, seu ut vocamus, optionis libertas civiliter accipienda & usurpanda sit, ita quo creditor suo potiatur, tamen ut debitor ultra, quam ut isti satisfiat, non nimis oneretur. (5) Quocirca si isti commode satisfit per ea bona, quibus debitor facile carebit, istis contentum esse debere, nec alia queis ægre caret, apprehendenda existimatur. (6) Similiter ex bonis debitoris non sunt eligenda, queis sine reliqua debitori relicta inutilia erunt aut pendentur, (7) utsæpe fit allatis per executionem pertinentiis prædii; queis sine illud fructus ferre nequit. Eo magis autem illa libertas coarctanda erit, si Reipubl. inde nocebitur, uti fit, si separatis prædii partibus istius munera non poterunt præstari. (8) Porro etiam circa libertatem temperandam, aliorum creditorum interesse considerandum est, quo sic satisfiat, ne cæteris occasio sua consequendi adimatur. (9) Quæ considerata effecerunt, ut optionem factam suibonorumque suorum perniciem omnino futuram, nec tamen ita necessariam aut incommodam aliter satisfieri posse, allegans audiretur, gravamina ulteriori discussioni committerentur *in causa Niclaus Demels, contra Daniel Beckern. Die 4. Sept. Anno 1657.*

1. *l. à Divo 15. §. 1. & seq. ff. de Re judicat.*

2. *Masser. in Practic. tit. de Execut. & subhastat. n. 8. ubi ait, hanc libertatem consuetudine generalisic servari.*

3. *Auth. hoc nisi debitor verb. rem quam habet meliorem* C. *de Pignor. Novell 4 cap. 2.*

4. Ita praxis judiciorum habet, ut decreta executione parti integrum sit rem, quæ pro judicato capienda sit, eligere, & executori necessarium voluntatem ejus sequi, unde in ista solitum ita decernere, was Kläger benennen wird / darein die execution zu verrichten / deßwegen die Verordnung ergehen solle / aut executoriali indere, daß / was er anweisen würde / darin die Hülffe verrichtet werden solle. *Vid. Coler de Process. Executiv. part. 3. cap. 6. n 38.*

5. Res ita medie dispicienda est, ut neque delicatus debitor neque onerosus creditor audiatur. Sed temperamento æquo huic satisfiat, ille non gravetur. *l si servos 25 ff. de Pignor. act.* Malitiæ est id poscere, quod sibi non prodest, alteri nocet, cui non indulgendum, *l. in fundo 38. ff. de Rei. Vind.* sed injungendum, ut quod non nocet, fiat, quo alteri prosit. *l. 2. §. item Varus ff. de Aq. & aq. pluv. arcend.*

6. *Hoc temperamentum executionis tradidit Bartol in l. à Divo §. in venditione ff. de Re judic.* quod ab æquitate JCti commendant & sequi suadent, in de *Jason. ad l. §. in venditione* scribit, communem illam opinionem esse.

7. *Coler. dict. cap. 9. num 40.* ubi annotat, eâ in re utilitatem prædiorum quoque considerandam esse, ne diruantur.

8. Inde circa executiones præcavendũ, ne distrahantur prædia, ex quibus tributa aliaque onera sustinenda sunt, ne reddatur functionum publicarum conditio difficilior. *Carpzov. in respons. Electoral. 2. num. 21. l. 4.*

9. Eo pertinet, quod ab JCtis dicitur, unam executionem per aliam non esse impediendam.

DECISIO LXII.

Interventio in executione quando non admittenda est.

OB rejectam interventionem in executione & ad illam impediendam oppositam appellatione interposita, in quæstionem venit, an isti in executione & contra eam locus sit? Communis ita habet JCtorum sententia, intervenientem in ipsa executione audiendum esse. (1) At si indefinite & promiscue id accipitur atque permittitur, valde magna & multa justitiæ impedimenta evenient. Quocirca caute ista sententia utendum, prospiciendumque, ne alteri jus, quod per judicatum obtinuit, difficile aut impeditum reddatur. Quod cum circa eam, quæ obveniebat, causam nobis etiam incumbebat, reperimus ex iis quæ JCti desiderant, ut interventio tertii vi sistendi extremum juris potiatur, plurima defuisse. Primo objiciebatur & deprehendebatur, intervenientem scivisse inter actores & reos litem diu agitatam, interea vero quievisse, nihil de suo credito movisse; donec post rem judicatam ad executionem deveniendum fuerat. (2) Secundo, reperiebatur, creditum, pro quo interventio instituebatur, nondum esse liquidum, sed ulteriori discussione egere. Id quod minime videbatur ad remorandum executionem sufficiens. (3) Tertio, si vel nihil controversiæ habuisse creditum, attamen in rebus, in quas fieri debebat, executio juris quidquam intervenientium non apparebat, ideoque ad impediendam executionem non valebat. (4) Quarto nec apparebat potius jus quoddã intervenientis. Etsi enim creditori contra creditorem ad impediendam executionem intervenire permissum est, (5) haud tamen aliter quam ut potius jus doceat. Alias vigilantibus jura scripta sunt, & prius ad executionem suum creditum persequentibus auxilium juris porrigitur. (6) Ex his considerationibus confirmata est sententia quæ interventionem rejecerat. *In causa Burgermeister und Rath der Statt alten Stetin, contra Iohan Scherenberger. Die 25. September. Anno 1657.*

Digitized by Google

1. *Gail. 1. Obſerv. 70. n. 13. & ſeq.* ubi ait, etiam poſt trinam ſententiam pro impediendâ executione tertii interventioni locum eſſe.

2. Sciens agitari inter alios litem at quieſcens, ſeu interventione alteri circa conſecutionem juris ſui nocere non debet. *Gail. 1. Obſerv. 70 n. 25.*

3. Juxta regulam, quod executio liquidi non debet ſuſpendi propter illiquidum. *l. ſi ſtatulib 5. ff. de ſtatulib l. fin. C. de Compenſat.*

4. Ut interventione tertii alterius in proſecutione juris ſui & executio impediatur, oportet intervenientem docere de ſuo intereſſe, *Gail. 1. Obſerv. 69. n. 4.* Eoque non quali quali, ſed quod rem ipſam concernit, ut appareat illum potius quam actorem habent debere. Alias obtinent quæ habet *Faber in Cod. l. 7. tit. 20. defin. 39.*

5. *Mindan de Continent. cauſ. l. 3. c. 9. n. 9.*

6. *l. pupillus 24. ff. quæ in fraud. credit.*

DECISIO LXIII.

Quando tertii interventio ad executionem impediendam non eſt admittenda, quomodo intervenienti proſpiciendum.

ET ſi interventio tertii executionem impedire non poteſt nec debet, tamen niſi ſtatim plane frivola ſeu nullius momenti apparet, (1) non ſimpliciter rejicienda eſt ſed tantum ſeponenda, (2) interim intervenienti proſpiciendum, ut eo quod habet, jure nihilominus poſtea fruatur, quod duobus modis fieri poteſt & ſolet. Primo interventionis reſervatione ad alium proceſſum: (3) Deinde in eventum, ſi interveniens in lite vicerit idonea cautione. (4) *Quemadmodum in prædicta cauſa illud obſervatum fuit.*

1. Talis plane attendi non debet, nec alicui oneri eſſe, ſed ut manifeſte nulla & injuſta effectu carere.

2. Conſulendum ſimul ita eſt intervenienti, ut non auditus non damnetur, & victori, ut ipſius juri quæſito mora non fiat. Ita medie rem curare expedit. *juxt. l. ſi ſervus 25. ff. de Pignor. act.*

3. *Vid Fabr. in Cod. lib 7. tit. 20. defin 39.*

4. *Juxt. l. is à quo 58. l. ſeq. ff. de Rei Vindic.*

Juxta hæc ita pronunciabatur:

In Sachen Burgermeiſter und Raths der Stadt Stettin Intervenienten und Appellanten wider Johann Scherenbergen Interventen und Appellaten werden die gravamina, ſo viel die geſuchte ſuſpenſionem executionis betrifft/ als unerheblich nicht/ ſondern acta darüber vor beſchloſſen angenommen und erkannt/ daß die Execution den 20 Novembr. Anno 1655. wol zugelaſſen/ damit deß Vorbringens ungehindert auff Maſe in deß Hoff-Gerichts Decreto den 11. Junii An. 1655. enthalten zu verfahren/ ſo weit aber übel decretiret, dahin zu ändern und anzufügen/ daß Appellate ſchuldig/ zuvorhero vermittelſt annehmlicher caution die Appellanten zu verſichern/ ihnen darauff ſo viel künfftig denſelben zu Recht an ihrer Forderunge zuerkannt/ und vor ihm einen rechtmäſſigen Vorzug haben würden/ auch aus den Beckmanſchen Gütern facta diſcuſſione nicht zuerreichen/ aus dem Empfange gerecht zu werden/ geſtaltſam dann mit ſolchem Anhange es bey vorigen Verordnungen der Execution haiber gelaſſen wird/ den Appellanten aber gebühret/ vor weiter Anhalten den Procuratorem gebührend zu legitimiren von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 20. Octobris Anno 1657.

(Hoc eſt.)

In cauſa Conſulum & Senatus civitatis Stetini intervenientium & Appellantium contra Iohannen Scherenbergen interventum & appellatum, gravamina, quantum petitam ſuſpenſionem executionis concernunt, tanquam irrelevantia non admittimus, ſed acta ex officio pro concluſis acceptamus & decernimus, executionem 20. Novemb. Anno 1655. bene permiſſam, & in eadem exceptionibus non obſtantibus juxta tenorem decreti judicii aulici de 11. Junii Anno 1655. procedendum, eatenus vero male decretum, & eo reformandum appellatum teneri prius mediante acceptabili cautione appellantes aſſecurare, quod ipſis, quantum eis pro futuro ratione prætenſionis adjudicabitur, & ante ipſum prælationis habebunt, ac bona Beckmanica facta diſcuſſione ſufficientia non erunt, ex receptis ſatisfieri debeat, prout cum hac clauſula prioribus ordinationibus ratione executionis inhæremus, appellantibus vero injungimus, ut ante ulteriorem implorationem procuratorem legitiment, idque de jure. Publicatum in ſummo Tribunali Wiſmariæ. 20. Octobr. Anno 1657.

DECISIO LXIV.

Quomodo procedendum, ubi adjudicatio unius partis prædii aut ipſum aut alias partes ex ſeparatione faciet deteriores.

IMmiſſione in prædium oppignoratum decreta poſſeſſor oppoſuit alium jam ejus ſtatum, quam tempore oppignorationis fuit, ut & totum non ſub pignore comprehendi, ſed aliquam tantum partem: Si vero hujus à cæteris partibus & pertinentiis ſeparatio fieret, & illas & has minoris pretii uſusque per diviſionem fore. Speciatim docebatur, quomodo ſolus ager prædii hypothecâ afficiebatur; ruſtici vero quibus cum colendus, non erant oppignorati. In eo conveniebat, ſollicite proſpici debere, ne diſtractione partium detrimentoſa & incommoda tum domino tum aliis creditoribus accideret. Quando enim circa executiones æquum eſt & jure proviſum, ut fiant cum quam minimo debitorum malo & damno, quanto magis ratio habenda

cum

Digitized by Google

tum aliorum tum rerum; no in de pernicies exiſtat, (1) Sed de remedio difficilior in talibus exſurgit conſultatio. Sumitur illud præprimis ex diſtractione totius prædii, ſicut illa poſt finitum creditorum concurſum alia æqua eſt & conſueta. (2) Quando enim prædium ſemper commodè dividi non finit, aut totum ſubhaſtatione diſtrahendum & inter creditores precium dividendum, aut uni horum pro hoc adjudicandum, ſub illa conditione, ut aliis ſatisfaciat. (3) Quod ſi verò ſunt, quæ alterutrum horum aſſequi non ſinunt, vel quia non reperitur emtor aut ſaltem talis, qui nimis vile & iniquum precium offert. (4) vel quia creditorum nemo id ſibi totum adjudicatum cupit, (5) communio donec aliud remedium ſuppetet ſuſtinenda eſt, & de proviſionali remedio cogitandum, ut reditus quam maximo ex toto non niſi valde incommode dividuo habeatur, isque dividatur, donec æquus emptor reperietur, (6) Id quod fit, ſi vel immiſſus creditor una cum ſua hypotheca omnes pertinentias recipiet, ut cæteris certam mercedem velut ex locato ſolvat; (7) vel alii cuiquam pro iſta totum prædium locetur, (8) vel tertius quisquam ut communis adminiſtrator conſtituatur. Nec tantum talia cum volentibus ſic componere, ſed etiam invitis imponere licebit, ubi ratio adeſt, cur res dividi non deberet. (9) Id quod evenit circa feuda. Quæ licet in Pomerania ſint dividua, tamen ſic ſaltem ſunt dividenda, ne conditio iſtorum fiat deterior, qui ſic non fieri dominorum qua directum dominium & ſervitia intereſt. (10) Unde etſi creditoribus inde ſolvitur, pro ære alieno in ſolutum dantur, diſtrahuntur, haud tamen aliter dividuntur, ac ſi commode fieri poterit, hoc eſt, quatenus conditio, natura, & qualitas rei admittit. (11) Nihil eſt inde in creditorem iniquum, cui juxta conditionem ſuam feuda oppignorantur, inde non niſi ea integra juſta petunt. (12) Juxta quæ decreta commiſſio adtentandum componendumque quod pro exitu rei expediret. *In cauſa Nicolai Teſſins, contra viduam Baltpaſari de Kaldens, die 10. October Anno 1657.*

1. *l fin in pr. C. de Iur. dom. impetr.*

2. Per ſubhaſtationem diſtrahuntur pignora *l. qua ſpecialiter 9. C. de Diſtract. Pignor.*

3. Ubi ſubhaſtationi non eſt locus devenitur ad adjudicationem *d. l. fin. §. 2. ſeq. C. de Iur. domin. impetr. l. ordo 3. C. de Execut. rei judic.*

4. *Paria hæc ſunt l 2. C. ſi in cauſ. judic.*

5. Siquidem nemo præter creditorem in pignore jus habet, ubi non reperitur emptor, ut neceſſaria eſt adjudicatio, ita etiam à parte creditoris receptio. *d. l. fin. §. 2. C. de Iur. Domin. impenſa.* At ubi concurrunt creditores plures, omnimque in rem non dividendam jus quoddam eſt, non competit jus cogendi unum eorum, ut totam rem & quidem ultra quam iſti oppignorata eſt, ideo quod ſe dividere non ſinit, recipiat & cæteris ſolvat. Inſtar emptionis illa res eſt, *d. l. 2. in fin. C. ſi in cauſ. judicat.* quæ invito non obtruditur. *l. invitum C. de Contrah. empt.*

6. Sicut in ſingulis ſic ſervatur, quod ubi emptor non eſt, hæc adjudicatio fieri poteſt aut debet, res penes creditorem manet, isque fructus in ſolutum computat, ſic idem obſervatur, ubi plures concurrunt.

7 Quantum ad ſuum pignus attinet, non tenetur cæteris creditoribus; eſt enim in illo ſolus. At de reliquis tanquam alienis vel ad rationes vel adpenſationē fructuum obnoxius erit.

8. Ad hoc frequenter res devenire ſolet.

9. Circa executiones multum relictum eſt judicum arbitrio, & decet illud moderamen, ut mediè res curetur, quo nec onerosus creditor nec delicatus debitor audiatur. *l. ſi ſervos 25. ff. de Pignor. act.* Eam ſic peragit non ut exiget creditor, ſed ut patitur rei conditio, & ut facilius eſt. *l. a Divo, 15. §. item quid dicemus 10. ff de re judicat.*

10. Quod feuda Pomeraniæ æri alieno Vaſalli ſunt obnoxia, nihil mutat alias ex illorum conditione, ita enim in ea fit executio, ut de cætero domino & agnatis ſua jam ſint ſalva & feudi jus integrum.

11. *Vt circa feudorum diviſionem limitat Cothman. reſponſ. 1. num. 61 vol. 3.*

12. Executio nihil mutat ex rei conditione, nec tertio præjudicium facit. *Bartol. in l. a Divo. §. ſi rerum ff. de Re Iudicat.*

DECISIO LXV.

Concurſum Creditorum excitare debitore invito creditori non eſt permittendum.

APpellantes ſe querebantur gravatos; quod qui pro ipſis apud alios interceſſerant ſub obtentu actionum mandari, cum ex fidejuſſione ſolviſſent aut exactionem metuerent, edictalem citationem pro convocatione omnium creditorū ad liquidandum & deducendum jura ſua, nec non videndum ſe immitti aut allegandum ſi contradicere vellent, petierant & impetravetant. Quærebatur, utrum debitoris à Decreto tali juſta eſſet appellatio ſeu juſtum gravamen? Intereſſe exiſtimavimus, utrum debitor, ſe quia latitat, ſeu quia ſolvendo amplius non eſt, ſinit poſſideri bona ſua; ideo immitti in illa creditores, an debitor ſolvendo ſit atque ſolvere poſſit & velit. Quomodo uno immiſſo omnes immiſſi cenſentur, (1) ita non poteſt non congruume ſſe, ut omnes citentur quorum intereſt, (2) & ſi vel unus immiſſus velit ſibi adjudicari bona debitoris, quò eo ſecurius poſſideat, non immeritò citationem ad omnes creditores impetrat, (3) maximè cum ſcit aut veroſimiliter allegat alios adeſſe, à quibus impugnationem metuit; Suæ quippe ſecuritatis non debitoris cauſa fit ea convocatio, (4) Quando autem debitor voluntate & facultate ſolvendo exiſtit, minimè convenit creditori pet-

Digitized by Google

permitti, ut concursum creditorum debitoris ipso invito excitat. (5) Concursum Creditorum excitare est debitorum proprium & quidem tunc, quando bonis cedere actumve similem facere volunt. Ut vero ad hoc adigi nequeunt inviti, præsertim quamdiu creditoribus suis aliter satisfacere parati sunt, alias etiam in ea specie mandati actio prodita est & institui solet & decet, inque bona fieri executio, ita non est recurrendum ad extraordinarium remedium (6) nisi cum debitores in eo quærunt effugium. Quod debitoribus invitis obtrudi non est necessarium, quorum bona mediante executione capiuntur, distrahuntur vel addicuntur. (7) Quando etiam concursui aliquid contumeliæ inest, (8) nec sine incommodo peragitur, grave atque iniquũ foret ultra necessitatem illud debitori invito alias creditori satisfacere parato, velle obtrudere. (9) Iniquius illo nondum convento, citato & audito imo & inscio petere & decernere, ut creditores omnes convocentur. (10) Cujus cum nulla aut necessitas aut ratio certa apparebat, admissa fuit appellatio & processus pleni decreti. *In causa Ortgies Iobst Detlevi Schulzen, contra Eberhard Nicol. & Ludolff Zesterfliet & consortes, die 28. Sept. Anno 1653.*

1. *l. eum unus 12. pr ff de reb. aut jud. poss.*
2. *l de unoquoque 47. ff. de re jud.*
3. *l. Pup. 24. ib. gloss. ff. quæ in fraud cred.*
4. Securitati suæ quisque ut consulat, permittendum est, *l. 1. §. 1 ff. de action. empt.*
5. Est quâ debitores voluntarius actus cessio, *l. in omni §. 1. C. qui bon. ced.*
6. Ubi competit actio ordinaria, non oportet recurrere ad remedium extraordinarium, *l. in causa 16. pr. ff. de Minorib.*
7. *Vid. aut. tit. ff. & C. de execut. rei jud.*
8. Non quidem cessio bonorum irrogat infamiam, *l 11. C. ex quib. caus. infam. irrog. l. fin C. qui bon. ced. poss.* contumeliæ tamen non parum habet. *Nov. 4. §. 3 vers. quamobrem Novell 135. pr. & c. 1.* & facti infamiam JCti illi tribuunt. *Cicero pro Rosc.* de eo plura habens, dicit, *vivo funus per creditores duci, cujus bona proscribuntur.*
9. Repugnat pietatis officio, debitori ultra gravem esse quam necesse sit. *Nov. 4. C. fin.* Ut non est delicatus debitor audiendus, sic nec onerosus nimis creditor ferendus. *l. 25. ff. de Pignor. action.*
10. Hoc fundamentum est omnis Judicii & in eo actus, ut vocentur & audiantur, quorum interest. *l. cum Domini 56 ff. Locat.* ideo suprema & maxima nullitas, non vocatis & auditis iis quidquam factum esse, *l. etiam 29. § fin. ib. Bartol. & Dd. ff. de Minor.*

DECISIO LXVI.

Decreta à superiori immissio non aliter accipienda quam salvo jure tertii, nec illuc extendenda est, ut qui in possessione est, sine causæ cognitione ejiciatur.

REx jubens aliquem immitti in feudum apertum tanquam successorem, ex concessione in obitum ultimi agnati impetratâ, cum in illo reperiretur creditor ex feudo debitum exigens, non aliam mentem habuisse creditur, quam ut immissio fieret salvo jure tertii, (1) quia de jure alia mente id decernere non potest, (2) nec debet, (3) nec solet, (4) & quia sancta justitia non permittit eum, qui possidet ejici sine causæ cognitione, (5) reservata intelligitur unicuique possessio, & sic tantum demandata immissio, ut cum eâ convenit, nempe ad jus suum conservandum, quale habet, alterius qua possessionem jure potiore. (6) Cum itaque ex mandato superioris immittere demandatur, jus alterius integrum relinquere debet, etsi in mandato de eo nihil contineatur: Circa ejus quippe intellectum non mera verba, sed mentem præprimis eamque talem, qualis futura esset, si mandans sciviſſet rei circumstantias, attendere oportet. (7) *Sic æstimatum in causa Dn. Philippi Christophori à Lancken, contra Dn. Ioachim Transæum à Roseneck, die 5. Octobr. Anno 1653.*

1. Intentio Principis nunquam præsumitur talis, quod velit juri alterius quæsito derogare, ideo quicquid rescribit, mandat, aliterve fieri vult, ita intelligendum est, ut nemini fiat injuria, jus tertii illæsum relinquatur. *l. nec avum C. de Emancip. Liber. l. 2. §. merito l. si quis à Principe ff. nequid in loc publ. c. super eo §. hoc tuum ff. de offic. judic. deleg.* Inde omnia scripta omnes concessiones tacitam continent clausulam, salvo jure tertii, *c. quamvis de rescript. in 6. c. super eo x. de offic. deleg. Iason. in l. beneficia ff. de Constit. Princ.*
2. Princeps à Deo constitutus, à Populo receptus, ut Justitiam & Judicium gentibus faciat, *3. Reg. cap. 10.* non potest alii ad nudam alterius instantiam jus suum auferre. Alteri jus auferre absolutæ potestatis est, quæ exerceri non potest justè, nisi inexorabili necessitate aut magnâ utilitate publicâ, & tamen sine dispendio quantum fieri potest, privati, *vid. Gail. 2. observ. 58. per tot.*
3. Repugnat enim officio boni Principis, quod est tueri subditos eorumque bona & jura.
4. In Principe præsumitur justitia & voluntas recta, *c. si quando §. fin. x. de rescript.*
5. *l. meminerint. C. undevil. l. 3. l. ult. C. si per vim vel al. mod.*
6. Eum intellectum decreta Principum habent, quod voluerint juri atque æquitati conformia. *Iason in l. ex facto numero 6. ff. de vulgar. & pupill. substit.*

Digitized by Google

7. Haud quidem de potestate Principis disputare licet ei, cui obedire oportet, quin sacrilegii instar hoc habetur, *l. disputare 3. Cod. de crim. Sacrileg.* attamen de voluntate, & scientia ejus inquirere fas est, *Gail. 2. Observ. 58. num. 7.* nec quamdiu hæc dubia exstitit, debet præcipitare executionem.

DECISIO LXVII.

Qui mandatum accepit de aliquo in bona immittendo, non potest alium, qui in possessione est, jubere, exire aut ejicere, jubenti impune non paretur.

MAndata semper stricti juris sunt, (1) ideo nunquam extra literam porrigenda aut executioni mandanda. (2) Ut itaque diversa sunt immittere unum, & dejicere alium, nec immissio naturaliter complectitur alterius ejectionem, (3) ita de ista mandatum ad hanc extendi minimè debet. Illud itaque obtendenti, si possidentem seu detinentem jubeat exire, impune non paretur, excedenti limites mandati. (4) Et cum nemo, ne quidem à summo principe sine causæ cognitione possessione dejici debeat, (5) sine expresso mandato jussus exire merito ad judicium provocat & se defendi petit. In prædicta causa.

2. *Cap. 30. x. de offic. & Process. jud. deleg.*

2. Fines mandati non excedere sed stricte & diligenter servare decet, *l. diligenter ff. mandat.*

3. Potest enim alio fine fieri immissio, quam ad excludendum possessorem, veluti ad custodiam rei, ad inspectionem, ad confirmationem vel conservationem juris &c. qualia sunt salva alterius possessione. Duo quidem in solidum possidere nequeunt, plures tamen possunt simul ex diverso jure vel causa esse in possessione. *l. 3. §. incertum l. locus ff. de acquir. poss. l. Servus ff. de stipul. serv.*

4. Invalida sunt præcepta quæ officium excedunt, *l. 1. l. 2. C. Commin. Epistol.* ideo iis non modo impune non paretur, sed etiam exequenti ut privato resistitur, *l. prohibitum C. de Iur. Fisc.*

5. *Menoch. remed. recup. possess 8. num. 51. & seq*

DECISIO LXVIII.

Cui mandata est executio, ubi deprehendit mandatum sine summa iniquitate exequi non licere, quiescere & mandanti causæ circumstantias prius referre debet.

SUb & obreptionibus in aulis Principum nihil est frequentius, (1) nec unquam vixit tam prudens Princeps, qui præcavere aut evitare potuit. Inde frequens per istas aliqua adversus alios obtineri, etiam apud bonos atque laudabiles reges, quæ re rectè cognita nunquam vellent. Justum adversus ista sub & obreptitiè impetrata non capere effectum & exitum. (2) At frustra ex hoc statuitur remedium, si non iis qui exequi debent, licet re aliter perspecta, sistere executionem, (3) remque integram servare. Imo nisi & debeant inquirere prius, an narrata ad quæ processit mandatum, ita se habeant. Inde Jurisprudentia officialibus Principum non tantum permittit, sed etiam examen precum injungit, & si eas veritate non niti aut quædam Principem celata deprehenderint, quæ narrari debebant, sistere executionem. In quibus enim deficit veritas aut jus, præsumitur sub & obreptio, (4) Quocirca si immittere alium jussus deprehendit idipsum sine alterius, qui possidet, injuriâ ac illæsa Principis qui mandavit existimatione seu salvâ justitia fieri non posse, quiescere, (5) cuncta sedulo exquirere, & domino mandanti referre, interea unicuique omnia integra reservare debet. (6) Secus si fecerit, in Principem mandantem; suam conscientiam, officii authoritatem, ejus qui defendi debet jura, peccat. Frustra metuit ex eo offensam, quod nunquam non potest placere bono principi. *In eadem causa.*

1. Sæpius male instruitur & informatur bonus Princeps, *l. 1. Cod. de petit. bonor. vid. Cravett. consil. 296.*

2. *l. Carbonianum 3. §. puberi 3. ff. de Carbon. Edict. l. de his 26. §. 1. Cod. de Episcop. audient. l. 2. Cod. de legib.*

3. Etsi non cognitio sed executio mandetur, de veritate precum inquirere oportet, *l. & si 4. Cod. si contra Ius vel util. public.*

4. Sicut Princeps non præsumitur aliquid velle contra jus & veritatem, ita si tale quid statuerit vel concesserit, censetur per ignorantiam veri ad importunitatem partis decrevisse, *c. fin. de rescript, in 6. c. un. de religios. domib. l. 1. Cod. de Petit. bonor. sublat.* ideo quidquid tendit ad alterius injuriam, subreptitium habetur, *l. 2. §. merito §. si quis à Principe ff. ne quid in loc. publ. l. ex facto ff. de vulgar. & pupillar.*

5. Rescripta contra jus ab omnibus judicibus refutari oportet, *l. rescripta C. de Prec. Imp. offer.*

6. Ut nunquam censetur velle nisi justa, *Bald. l. 1. num. 1. ff. de constit. Princ.* ita nunquam offendent omissa, quæ juste fieri non potuerunt. Æquo animo patietur princeps, cum veritas & justitia defenditur. *Decius cons. 51. num. 1.* Ad quem spectat illud Pontificis, *in c. si quando §. fin. de rescript.* Patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.

DECISIO LXIX.

Semel ob liquidum debitum immissus ad liquidandum ultra non tenetur.

IMmissio in bona debitoris non custodiæ tantum, sed exigendæ inde solutionis causa executionis species est, nec nisi ob debitum

Digitized by Google

liquidum locum reperit. (1) Quare semel facta debitum liquidum præsupponit, & tale repertum atque declaratum esse præsumitur. (2) Siquidem qui immissionem impetraverat, jubetur adhuc post illam jam executione mandatam liquidum reddere creditum vel ut ex judicato securus, (3) non injustè liquidationem ulteriorem recusat, (4) donec ab adversâ parte docebitur causa, ob quam liquidatio iterari debeat, (5) aut unde constet, illam non factam, sed judicem errore, (6) aut injuria ad immissionem properasse. (7) De quo cum nondum constabat, appellans autem injustè sibi dudum peracta immissione liquidationem injunctam querebatur, processus solitus obtinuit. *In causa H. Cœlestinæ Sternbach, contra die Borcken, die 22. Novemb. An. 1653.*

1. Primum requisitum executionis est, ut debitum seu jus cujus executio petitur, sit liquidum, *l. fin. verb. causa liquida sit. & de Compensat. l. cum proponas 9. Auth. qui jurat. C. de Bon. auth. jud. possid. Coler. de Process. Executiv part. 3. cap. 1. num. 2. seq.* non præcedente liquidatione executio non permittitur. *Bald. in l. apertissimi num 9. C. de Iudic.*

2. De Judicis quippe processu, quod verum & justum præsumitur, *l. 2. C. de Offic. Civil. Iud. ib. Dd.*

3. Decretum Immissionis tacitè continet judicatum liquidationis, quia consequens continet necessarium antecedens, *l. 2. ib. gloss. Iason. & Dd. omnes ff. de Iurisdict.*

4. Superfluis nemo est onerandus, *l. Iurisgentum 7. §. sed si frandandis n. ff. de Pact.*

5. Ex causa rationes de novo reddi debent. *Bartol. in l. un. C. de Err. Calcul.*

6. Ob errorem repetitur ratio, *l. un. C. de Error. Calcul.* nec ex illo factum ratum habetur, *l. fin. C. de Probat. l. illicitas §. veritas ff. de Offic. Præsid.* nec sententia aut decretum ex illo vires ratum habet, *l. 1. §. 1. ff. quæ sent. sin. appell.*

7. Executio sine prævia liquidatione facta omnisque super istâ processus est ipso jure nullus, *Bald. in l. 1. num. 13. C. de sentent., ex peric.*

DECISIO LXX.

Cautione arrestum non relaxatur, ubi ad illud prosecuritate exactionis se astringit debitor.

QUi ex tenore Instrumenti obligationis arrestum impetraverat, & prosecutus erat, querebatur injustè per Judicis sententiam oblatâ cautione arrestum esse relaxatum, & se ad forum rei remissum esse, ideoque ab istâ provocaverat. Videbatur initio nihil injuriæ inesse relaxationi arresti, si cautio sufficiens præstaretur, cum cautio pro re & sub istâ relaxari arresta justum solitum debitumque sit. (1) At re rectius consideratâ, pro iis quæ narrabantur circumstantiis, secus statuimus in ea specie, quando debitor non tantum pro securitate, sed potissimum pro citiori consecutione crediti facultatem arresti in se & bona sua dedit, (2) atque ex obligatione executive proceditur. (3) Cautionem tunc admitti contrariatur intentioni contrahentium, quia pro remedio coercendi morosum debitorem placuit, (4) & conditioni obligationis, quæ citam & celerem executionem habere debet, (5) & cum rei judicatæ instar habeat, (6) nihil admittitur, quod ejus effectum suspendet aut differet. (7) Est etiam alienum ab executivo processu in liquidis, ut cautio admittatur, ubi solutio fieri debet. (8) Ubi secus factum allegabatur, justa appellandi ratio existimata est, *in causa Iohan Colerividuæ, contra Senatum Civitatis Stendalienſis, die 6. Decembris Anno 1653.*

1. Ordinaria arresti medicina habetur sufficiens cautio. Per quam præstita securitate ipso jure arrestum cessat, *l. si Fidejussor. §. fin. ff. qui satisd. cog. Frider Mindan. de Mandat. lib. 1. cap. 41. num. 1.* Ideo qui impetrat cautionem recipere tenetur. *Peck. de Iur sisten. cap. 45. num. 3. seq. Coler. de Process. Executiv. part. 3. cap. 11. num. 93.* aut ea licet recusata judex tamen admittit. *Peck. d. num. 3. Moller. lib. 2. Semestr. cap. 4. num. 10.*

2. Multum interest inter arrestum, quod tendit ad meram securitatem crediti, & quod quæritur ad citius consequendum solutionem, seu reum coercendum, quo satisfaciat. Aliud obtinet, quando est medium satisfactionis, *sicut exposui in tractatu de Arrestis cap. 25. num. 40. & seq.*

3. Quando non ad finem cautionis, sed solutionis & præstationis arrestum imponitur, id non relaxat cautio, sed tantum solutio, *Schurff. cons. 15. num. 15. cent. 3.*

4. Ex conventione partium expressâ non modo, sed & tacitâ arresta sunt licita atque regulam habent.

5. Ubi executivè proceditur, non auditur cautionem pro relaxando arresto offerens. *Peck de jur sistend. cap. 45. num. 4. Koppen. decis. 35. num. 24.*

6. Sic traditur & creditur instrumenta, quæ paratam executionem habent, pro re judicata esse, eundem effectum sortiri. Unde æquiparantur, *vid. Coler. de Process. Execut. part. 4. cap. 3. num. 30.*

7. Pro executione oblata cautio relaxationem arresti non impetrat, *Petr. Frid. Mindan. de Process. lib. 1. c. 41. num 5 Gail. in tr. de Arrest. cap. 11. num. 7. & seq.*

8. Cautionem pro solutione acceptare nemo cogitur, *l. si se non obtulit 4. §. ait Prætor. ff. de re Iudic. l. promissor § constituto ff. de constit. pecun. l. quid si non ff. de Pignor. action.*

DECISIO LXXI.

Executione ab uno hæredum licet injustè extortum non reperitur, nec redditur, præsertim ubi isti statim de indemnitate satisfit.

NOn potest quidem contra unum hæredum agi & executio fieri pro communi plurium cohæredum debito: (1) facta tamen

Digitized by Google

men non retractatur, (2) nec acceptum si debitum fuit, redditur. (3) Maximè si accedit, quod reus judicio condemnatus est insolidum etsi injustè, (4) aut post executionem intentatam deinde sponte solvit. (5) aut ubi de damno, quod aliorum causâ infertur, statim aliunde, seu ex communi hæreditate, seu à cohærede satisfieri potest: (6) Multo magis si hæres conventus communia hæredum bona vel tanta, unde satisfactio constat, possidet; (7) quod iniquum sit creditorem, quod accepit suum, restituere, ubi si aliâs hæredi quoque suum potest contingere; (8) Imo ubi ipse habet, quod statim insolutum cederet & restitueret. *Ita existimatum ad libellum supplicem Christoff Alivvich Blixen, contra Viduam Obrist Andreas Ilefelden, ideoque negatum mandatum de restituendis pignoribus ablatis, quæ hæres ex bonis possessis reluere debet, die 14. Aprilis Anno 1654.*

1. Actiones activè & passivè ipso jure inter hæredes dividuntur, *l. 3. ff. famil. ercisc.* & neuter ultra partem virilem, pro qua hæres est, tenetur, *l. 1. C. si cert. pet.* quod si solvit, quod ipso jure non debuit, habet indebiti condictionem, *l. si testamento 49. §. 1. ff. de Fidejussor.*

2. Multa subsistunt facta, quæ fieri non possunt.

3. Non est adversus creditorem, qui sibi vigilavit & suum accepit, ad restituendum actio, *l. quod autem 6. §. sciendum 7. l. pupillus 24. ff. quæ in fraud. cred.* Nam nec indebiti condictio, aut repetitio ulla est ab eo, qui suum accepit, etsi ab alio, quam vero domino solutum sit *l. repetitio 44. ff. de condict. indeb.*

4. *l. Iulianus 60. pr. ff. eod. l. 1. C. eod. l. 29 § 5. ff. mandat.*

5. Sciens indebitum solvens non repetit, *l. 1 §. 1. l. si is qui 24. l. si non forte 26. §. 3. ff. de Condict. indeb.*

6. De tali casu, ubi unus hæredum solvit solidum, notabiliter Ctus *in l. si testamento 9. §. 1. ff. de Fidejussor.* ait. *Severior & utilior est sententia, solutionem non indebitæ quantitatis non debere revocari.*

7. Ex bonis hæreditariis nascitur obligatio, *l. ex parte 25 ff. de solut.*

8. *Arg. l. 3. ff. de Compensat.*

DECISIO LXXII.

Specialis hypothecæ excussio necessaria est, antequam ad generalem perveniatur, etiam in dotis debito.

CUm pro dote hypotheca specialis constituta est, quæ est ex lege generalis, (1) manet quidem, [2] sed ad hanc non devenitur, nisi illâ prius repertâ inidoneâ. (3) Creditor enim, cui speciali hypothecâ quædam bona obligata sunt, cætera non potest hypothecaria persequi quam speciali egerit. (4) Inde cætera debitoris bona tenenti competit excussionis exceptio, per quam obtinetur, ut prius quod speciali nexu devinctum discutiatur, nec prius aut ulterius ad alia bona deveniatur, quam ex ista impetrare non licet; (5) Dotis favor non habet aliam rationem aut exceptionem (6) Quantumvis dotis privilegiatum est debitum, tamen ubi contra jus commune speciali lege privilegium non accepit, dodo generali lege constitutus in ea quoque observari debet. (7) *Sic decretum ad instantiam Viduæ & Liberorum Ulrich Crammon, contra Hanns Blüchern, die 18. Aprilis 1654.*

1. Omnia bona parentis, qui dotem debet, pro ea tacito nexu sunt obligata, isque generalis est, tacita hypotheca ex lege, *l. un. §. & ut plenius 1. C. de rei uxor. action. Neguz. de Pignor. 4. memb. 7. part. 1. num. 11. & 27.*

2. In his quæ pro majori cautione adduntur, provisio hominis non tollit positionem legis, *vid. Gabriel. comm. conclus. lib. 6. tit. de Regul. Iur. con. Ant. clus. 8.*

3. Hoc probatione allegantis indiget, cum hypotheca specialis semper indubio præsumatur idonea, donec non sufficere probatur, *vid Mynsing. 6. Observ. 94. n. 1. Neguzant de Pignorib. part. 5. memb. 2. num. 51. Covarruv. lib. 3. var. resol. cap. 18. num. 1.*

4. *l. quamvis 2. de Pignorib.* Hoc proficiscitur ex tacita mente contrahentium, quæ talis fuisse per legem præsumitur, ne inanis sit, quod generalis hypotheca tantum sit subsidiaria, *Conan. de Iure Civil. lib. 4. cap 17. num. 6.* & id potissimum haberi debeat, quod ad speciem directum est, *l. in toto ff. de Reg. Iur.*

5. *Caroc. intr. ff. de Excuss. bon. part. 2. q. 65. n. 4. & 9.* Congruit ad hanc speciem ratio excussionis, *quæ traditur in Novell. 4. cap. 2.*

6. Sunt quidam secus sentientes, sed communius iterum est in contrariam sententiam, *Cavarruv. d. l. vers. octav. Cravett. Consil. 77. num. 16.* Nec enim exceptio sine lege legi generali addenda, præsertim ubi ratio legis doti competit.

7. *Ripa in l. privilegia num. 20. ff. de Privil. Cred. Surd. decis. 44. num. 5. Caroc. de Excuss. bon. d. q. 65. num. 17.*

DECISIO LXXIII.

Debitor ejusque successor excussionem specialis hypothecæ juste objicit & impetrat.

AGnato feudi successore filiæ dotem ex feudo generatim tantum obligato petenti, specialem constitutam hypothecam ejusque excussionem objiciente, dubitatio obortа est, utrum illi tanquam debitori dotis ea excussionis exceptio proficiat? (1) Re diligenter expensâ, concluſum fuit non tantum si inter primum & secundum creditorem (2) aut si cum extraneo creditore res est, (3) specialis hypothecæ eum effectum esse, ut excutienda prius sit, antequam ad generalem devenitur, sed etiam si contra debitorē ejusve successorem agitur. (4) Non

Digitized by Google

repertâ rationis diversitate, quin potius eâdem, quæ contra cæteros excussionis exceptionem causavit, existente ratione atque æquitate: (5) dum cui generalis hypotheca fuit specialem recipiens, ipsemet hanc primarium suæ securitatis remedium elegerit, & illam saltem subsidiariam esse voluerit, (6) idem jus asserendum est. (7) *Sic decretum in eadem causa.*

1. *Plurimi ICtorum in negativam sententiam transeunt. Covarrv. lib. 3. var. resol. cap. 18. vers. 6 Surd. decis. 44. num. 10. Fab in Cod. lib. 8. tit. 6. defin. 9.*

2. *De hac specie sonat l. quamvis 2. C. de Pignor.*

3. *His securus est ex Auth. si debitor C. de Pignor.*

4. *Sic expresso satis textu decisum in l. quæ specialiter 9. C. de distract. Pignor.* qui textus manifeste de hac specie agit, si est res cum debitore. *verb. debitoribus detrectantibus solutionem*, & pertinet ad casum, ubi præter specialem fuit generalis, quam indicant verba, *cætera bona*, quorum nexus ad jus conventionis relatus, ejus argumentum sufficiens est. *Ita gloss. ad d. l. quæ specialiter accepit, eumque intellectum JCti communioribus calculis sequuntur. Vinc. Caroc. de Excuss. bon. part. 2. quæst. 65. n. 4. & 9.*

5. Hæc ordinem & ex eo jurisdictionis temperamentum in aliis speciebus introducit, *d. l. quamvis 2, C. de pignor.*

6. *In. t. l. in toto ff. de Reg. Jur eam rationem. radit. Conan. de Jur. Civil. lib. 4. cap. 17.*

7. *l. illud ff. ad L. Aquil l. à Titio in fin ff. de V. O.*

DECISIO LXXIV.

Executio nulliter facta tenet, modo pro re debita facta fuerit.

DEbitor de executione nulliter vel insolito modo factâ conqueri non potest, si se debere non negat, nec audiendus est, nisi debitum offeret, (1) Potior est ratio debiti atque iniquitatis debitoris, quod non solvit debitum, quam nullitatis cujusdam, quæ in forma executionis contingit. (2) Modo debitum adsit, non spectatur qua debitorem. (3) à quo & quomodo fiat executio, quippe qui quamdiu debet, de injuria conqueri nequit. (4) Tantum in id ipsi proficiet nullitas, ut si solvere vel præstare debitum velit, audiatur, (5) & in eo quodam laxiori termino postea fruatur. Ita rejecta fuit cassandæ executionis, ut nulliter *facta petitio Tutorum Iohst Moltzans Kinder, die 25. Aprilis Anno 1654.*

1. *Faber. in Cod. lib. 7. tit. 1. defin. 26. in pr. & defin fin. num. 3.* Nemo ideo juris jacturam patitur, quod male egerit, *l. 1. Cod. de plus petit. l. 1. Cod. de form act.*

2 Differentia est, tantum contra formam nulliter, an contra jus injuriose fiat executio. In hoc secus est, & cum revocari debet, tum injuriam passo, quod interest, præstari. *Faber. d. defin. 26. num. 3. seq.*

3. Secus se res habet, qua fiscum vel alium; cui vindicta nulliter facti competit, *cujus exemplum vid. ap. Fabr. in C. d. tit. 1. defin. 22.*

4. Injuriæ reus non habetur, qui jure suo utitur. Semper creditori prospiciendum est, ut crediti causa sit in tuto, *l. proso cio 38. ff. proso c. l. 5. §. 1. ff. ut legat. vel fidei comm.*

5. *Vid. Fabr. d. defin. fin. 53. num. 5. & seq.*

DECISIO LXXV.

Post executionem evenientia ad cujus judicis cognitionem pertinent.

EVenerat tempori belli inter Pomeraniæ atque Megapoleos nobiles in Camera Imp. publicatam fuisse sententiam, per quam illi his condemnati fuerant; hos autem cum remoram executionis per statum illorum temporum metuerent, sepositio solito ad executionem procedendi modo (1) à Gubernatore Regio immissionem, adeoque ultimum litis principalis rogasse atque impetrasse. Postea incidit inter eosdem tum de vi sententiæ, tum de perceptione fructuum & rationibus reddendis controversia, & cum illa ad Tribunal Regium deferretur, in quæstionem venit, cujus judicii de illa sit competens jurisdictio? Discernendum fuit inter ea, quæ sunt causæ, de qua in Camera actum fuit, & quæ ab ea diversa. Illa concernunt aut causæ merita, quæ vel non sunt attendenda, (2) vel si considerari merentur, seu necessaria super iis cognitio erit, ad judicem superiorem, qui litem decidit, sunt remittenda: (3) aut tantum executionem, & de his est cognitio executoris, haud tamen indefinitè, sed certo modo. (4) Quando itaque qua lites Ducatus Pomeraniæ Tribunal Regium successerat in locum Cameræ imperialis, in prima sorte causarum judicium competens esse potuit, maximè cum ejus opem pars appellata imploraret, nec appellans, quæ totum negotium jam ad Regii Regiminis Consilium detulerat, refragari potuisset. (5) In altera vero specie uti executoris est cognoscere, ita oportet ad illum causam deferre, cujus arbitrio relictum fuisset, quid de occurrente controversiâ statuendum esset. A causâ olim controversâ diversa capita seu puncta quod attinet, uti ad appellationis judicium, nec ab initio, nec propter propriam connexitatem spectant, ejus judicii sunt, quod in prima instantia inter partes competens fuisset, si non esset appellatum. (6) *Quomodo etiam illuc remissa sunt inter eosdem.*

1. Duplex est hic in Camera Imperiali tractus, vel per executoriales ad partem de parendo sententiæ sub pœnâ, additâ citatione ad comparendum docendamque paritionem in termino: vel per mandata executorialia ad judicem à quo, seu ad alios, queis juxta Imperii constitutiones munus exequendi competit, *vid. Gail 1. observ. 113. num. 13. seq. Reding. in Pandect. Camer. lib. 3. tit. 63.*

2. Judic

Digitized by Google

2. Judici à quo etiam sine mandato superioris judicis sententiam hujus exequi licet, maxime si ejus non exspectandi justam rationem habet.

3. Nempe si in puncto executionis merita causæ recuperantur. *Uti provisum in Recess. Visitationis Anno 1668. §. ult. pen. & Anno 1572. §.* dem alten Sprichwort.

4. *l. si ut proponis l. executorem C. de Execut. rei jud. Specul. in tit. de Execut. sent. §. fin.* ita postulat connexitas causæ, quæ decisionem non permittit, ideo requirit remissionem incidentium ad judicem appellationis. *Scacc. de Appellat. quæst. 17. limit. 10. num. 48.*

5. Refert quæ incidunt, utrum concernunt modum executionis, & de eo est executoris statuere: aut exceptiones contra executionem, & executor tantum cognoscit, an sint relevantes nec ne; si tales reperit, ad superioris cognitionem remittit; alias rejicit, & in executione pergit, *vid. Scacc. d. tr. quæst. 17. lim. 10. num. 49. & seq. Mynsing. resp. 16. num. 14. & seq. decad. 2.*

6. Appellatio non devolvit causam, aut ligat manus judicis à quo ultra articulum, de quo sententia à quo sonat, nisi quoad connexa. Qua disjuncta & diversa jurisdictio non est suspensa, nec retardatur processus, *Franch. in c. præterea not. 2. num. 1. & in cap. proposuit x de Appellat. Scacc. de Appel. q. 17. lim. 47. memb. 2. num. 12. & seq.*

DECISIO LXXVI.

Non petita adversus sententiam restitutio in integrum deinde contra executionem non impetratur.

QUi sententiam in rem judicatam ire finit, nec ullo remedio impugnat, malè deinde contra executionem istius restitutionem in integrum petit. (1) Quæ tantum est effectus sententiæ, quam qui nolit, efficere debet, ut illa vires rei judicatæ non obtineat. (2) Seu igitur per negligentiam contra illam non facta est petitio, seu causæ diffidentiâ, serò & ineptè postea imploratur. (3) Et cum præsumatur pro sententia, quæ vires rei judicatæ nacta fuit. (4) tum etiam contra implorationem restitutionis præsumendum est. (5) Ex quo sequitur, ut judex admittere non debeat, ubi calumniæ causa potius, quam pro jure & ob lætionem vel gravamen facta censetur. (6) *In causa Obrist Ilefelds Wittwe, contra Christoph Altwich Blixen, die 28. Aprilis Anno 1654.*

1. Ad exemplum appellationis, *l. ab executione 5. C. quor. appell. non recip.* cui restitutio in integrum, quando ut remedium sententiæ impugnativum adhibetur, æquiparatur. *Scacc. in tr. de Appell. quæst. 19. lim. 19. num. 1. & seq.*

2. *l. 1. fin. Cod. sentent. rescind. non poss.* postea instaurare finita rerum judicatarum autoritas non patitur, *l. ad solutionem 5. C. de re Judic.*

3. Vigilantibus jura sunt, *l. pupillus 24. ff. quæ in fraud. cred.*

4. *l. 1. C. de re judic.*

5. Restitutio remedium extraordinarium & odiosum est, *l. auxilium 38. pr. ff. de Minorib.*

6. In executione non est gravamen, sed in sententia. Qui contra hanc justo tempore non queritur & restitutionem impetrat, postea gravamen ex executione non habet. *Cravett. cons. 27. 3. n. 1.*

DECISIO LXXVII.

Tertio post trinas sententias interveniente at nihil novi proferente, executio non suspenditur.

TErtius interveniens sententiæ executionem impedire potest, cum de interesse suo docet. (1) Etiamsi vel trina sententia publicata sit, (2) at non aliter, quam si aut nullitatem anterioris processus opponit, (3) aut novas allegationes profert. (4) Quando interventio tendit ad assistendum litiganti, at nihil aliud in judicium adducit, quam super quo jam ter pronunciatum fuit, non admittitur, (5) tanquam magis ad impediendum justitiæ cursum tendens, quam ut meritis causæ conveniat. (6) *Ita judicatum in causa viduæ Walter Linsen, contra viduam Michael Bolten, die 2. Junii 1654.*

1. Hoc in omni interventione necessarium est. *Vid. Gail. 1. Observ. 69. num. 4. seq.*

2. *Gail. 1. observ. 72. num. 4.* Qua intervenientem appellatio non est tertia sed prima. *Wurmser. pract. observ. 8. tit. 24. Bartol. in l. à sententia 5. ff. de Appell.*

3. *De hac specie ICti qui jam dictum tradunt loquuntur, vid. Petr. Frid. Mindan. lib. 3. de Contin. caus. cap 9. num. 7.*

4. In ea specie ubi ad assistendum parti intenditur interventio, exclusâ illa excluditur etiam interveniens. *Gail. 1. observ 71. num. 19.*

5. Cum judex malitiam intervenientis præsumere potest, interventionem, & pro hac remedia ad impediendum executionem non admittit. *Gail. 1. observ. 70. num. 20.*

6. Post trinam sententiam conformem tam præsumitur impugnantis malitia, quam certa esse videtur toties judicatorum justitia. *Bald. in l. un. Cod. quand. tert. prov.*

DECISIO LXXVIII.

Creditum in expensas concursus hoc pendente redditur, & executionem citam meretur.

ETsi post excitatum concursum paria quidem sunt omnium creditorum jura, (1) nulli præ aliis creditum etsi valde privilegiatum addicitur, aut executio decerni solet, (2) id tamen non pertinet ad impensas, quas creditorum aliquis vel extraneus in commoda communis processus impendit, (3) quorum debitores veluti sunt omnes creditores, ideo iis in sententiâ prioritatis anteferun-

Digitized by Google

tur. (4) Quam iniquum inde earum repetitionem concursus oppositione remorari, (5) tam non injustum modo, sed & æquum pro negociorum gestore citam impensarum refusionem decernere. (6) *Sic de iis refundendis mandatum sine clausula ut in re omni jure licita decretum fuit ad instantiam Ioachim Suckouven, die 4. Iulii Anno 1654.*

1. *l. quod autem 6. §. sciendum 7. ff. quæ in fraud. credit.*

2. Bartol. *in l. pupillus ff. eod. tit.*

3. *Arg. l. hujus 6. pr. ff. quipot. in pign.* Favorabile valde hoc debitum est, cui provisionalis adjudicatio pendente lite tribui solet. *Faber. in C. lib. 6. tit. 11. de fin. 4. num. 2.*

4. *Sic praxis fori habet & servat.*

5. Ne id fiat, curator constitui solet, qui actiones excipiat, *l. 2. ff. de Curat bon. dand.*

6. *Arg. l. 1. l. 2. ff. de neg. gest.*

DECISIO LXXIX.

Ignoratio sententiæ citata parte publicata non suspendit executionem, nec excusat à contumacia.

POst decreta & insinuata executorialia pars condemnata obtendebat ignoratam sententiam, inde petebat executionem suspendi, dilationem concedi, prius quod pronunciatum erat communicari & adhuc audiri. At denegata ulterior dilatio; quæ parti victrici futura erat noxia, (1) & injuncta intrà terminum executorialibus insertum paritio, [2] quod ignoratio sententiæ affectata erat & supina. (3) Cum reus ad illam audiendam maturè citatus & in ordinaria juridica publicata esset. (4) Quocirca ubi non erat justum impedimentum, sed tale quod facile potuit ante hac debito modo comparendo declinari, (5) & nunc statim petitione descriptionis sententiæ tolli, (6) non visa est justa dilatio, (7) nec excusatio contumaciæ congrua; (8) Quidquid contra affertur, ex negligentia, quam sibi quisque imputare debet, exoritur adeoque non attendendum est. (9) *Sic decretum in causa Hinrich von Taden, contra Senatum Wismarienſem, die 10. Iulii Anno 1654.*

1. Factum cuique suum non alteri nocere debet, *l. factum ff. de R. I.*

2. Id juri ac mori judiciorum convenit, ut ubi dilatio injuste petitur, intra priorem terminum quis parere jubeatur, *l. à procedente 4. C. de Dilat.*

3. Non proficit, quod ex remissioris negligentiæ vitio non discitur, *l. pen C d. Peric. tut.* nec ferenda est supina ignorantia, *l. nec supina 6. ff. de jur. & fact. ignor.* qualis est nimis securi hominis, *l. plurimum 3. §. 1. ff. eod.*

4. Pro præsentibus & scientibus habentur, qui per contumaciam desunt, *l. in causa 13. pr. ff. de Minorib.*

3. Si quis cum possit non incidere impedimentum, exceptio ideo minimè prodest, *l. 2. §. si quis tamen ff. si quis caution. jud. sist.* Affectatum est nec excusat, cui quis ipse causam præbet, *l. 2. §. fin. ff. d. tit.*

6. Impedimentum non attenditur, quod est in potestate allegantis, *l. hæ opera. 23 §. 1. ff. de Op. libert.*

7. Dilatio nisi ex justa causa dari non debet, *l. argentarium 45. ff. de Iudic. l. 1. C. de Dilat.*

8. Non excusatur contumacia, nisi ex eo, quod non est improbum seu injustum. *Bartol. in l. properandum §. C. de Iudic.*

9. Non negligentibus sed necessitate rerum impeditis subvenitur, *l. non enim 16. ff. ex quib. caus. maj.* de se queri debet negligens, *l. argentarium 11. §. fin. ff. de Edend.*

DECISIO LXXX.

In vindicatione rei in executione precium ut ut justum pro re offerens non auditur.

VIndicanti proprium suum hominem post factam ad restituendum condemnationem rei offerebat æquum precium, visum est id ad remoram executionis eatenus non admitti debere, ut mandetur actori oblatum recipere, aut causas quare non allegare, (1) sed supplicantes ad hunc remitti, pro tentandâ ejus voluntate, interim ex processu nihil suspendi, (2) quia nemo teneatur pro re sibi restituenda aliud recipere; (3) aut invitus suis pro justo licet precio carere. (4) *Sic decretum ad preces Senatus Wismarienſis, contra Hinrich à Taden, die 24. Ianuarii Anno 1654.*

1. Tale mandatum non decernitur, nisi cum juxta narrata petitio reperitur in jure fundata. *Id sic in Praxi rationabiliter observatur.*

2. Dilatio aut protestatio processus nisi ex eo quod justum est, fieri non debet, *l. argentarium 45 ff. de Iudic.* præsertim cum in executione res versatur, quæ moratoriis ambagibus suspendi non debet, *l. si longis 7. C. de Execut. rei jud.*

3. *l. 2. §. 1. ff. de reb. credit.*

4. Quia æquum non est, invitum suo precio quenquam res vendere, *l. non est 9. ff. rer. amot.* non debet quoque esse in cujusquam potestate, invito domino rem etiam justo precio comparare, *l. nec quasi 70. ff. de rei vindic.*

DECISIO LXXXI.

Addictio ante æstimationem rei injusta & nulla est.

EX constitutione Ducatus Bremensis ob liquidum creditum non attentâ exceptione illiquidâ in bona debitoris immissio quidem fieri solet, sed non insolutum addictio, nisi primo super causâ debiti, adeoque exceptione oppositâ sententia fuerit prolata.

Digitized by Google

prolata. (1) Deinde post illam justus executionis ordo servatur. (2) Ad quem pertinet statuere, quâ viâ eo veniendum, ut satisfiat creditori, quæ ex jure atque moribus non una est. (3) Deinde cujusque, quæ electa fuit justa observare. (4) Et quidem si per adjudicationem rerum satisfactio ista promovenda est, ante omnia oportet quæ addicenda sunt, æstimare, & æstimata postea creditori pro quantitate crediti insolutum adjudicare. (5) Quæ sine æstimatione simpliciter rei in solutum fit addictio, nulla est, & injusta etsi deinde fieri debet. (6) Nam non observato necessario ejus requisito & quidem legitimo ordine perturbato oritur præpostera ratio processum executionis annullans. (7) Quocirca tali veniente tanquam ab insigni atque iniquo executionis excessu appellationi locus est. *In causa Nicolai Demels contra Iohan Daniel Beckern die 19. Ianuarii Anno 1655.*

1. Executio prærequirit judicium, (cum ab illâ incipere non liceat), & ex hoc sententiam, uti admonet, *l. 1. C. de Exec. rei jud.*

2. Non tollit ordinem executionis de cætero constitutio, quam quod immissionem, donec lis terminetur, concedit.

3. Quadruplex modus est, per quem eò devenitur, ut creditori ex bonis debitoris satisfiat; Primus ex conventione partium seu cum debitum contraheretur, ut in guarentigiatis instrumentis vel literis obligationum describi solet, seu post sententiam: secundus ex possessione creditoris nec non fructuum perceptione, donec ex his quantum debetur, recipietur: Tertius ex subtractione vel venditione: Quartus ex adjudicatione: *Vid Coler. de Proceſſ. Execut. part. 3. cap. 9. n. 77. ſeq.*

4. Tam ex jure communi, quam ex moribus locorum executionum atque adjudicationum certa solennia sunt, quæ ordinem ejus constituunt: Et quomodo alias illa omissa vitiant actum, *l. cum hi 8. §. ſi Prætor. 17. ib. Bartol. ff. de Tranſact.* ita etiam ordo, qui est forma executionis, neglectus illam annullat. *l. à D. Pio. 15. §. in venditione ib. gloſſ. & Dd. de re Iudic. Maranth. inſpec. 6. tit. de Exec. n. 9.*

5. *l. fin. in pr. C. ſi in cauſ. judic. pign. capt. Coler. d tract. part. 3. cap. 9. num. 114.*

6. Adjudicationem insolutum super rebus majoris pretii quàm sit debitum, nisi debitor consentiat, in totum annihilare decet, ubi rationem videas.

7. Præpostera executionem vitiat. *Eberhard in Top. loc. ab ordine num. 6.*

In Sachen Nicolaus Demeln Appellanten wider Johann Daniel Beckern Appellaten / werden die gravamina so viel die Exceptionem cessionis in Potentiorem betrifft / als unerheblich / die übrigen als überflüssig nicht / sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen und erkannt / Appellant annoch so weit zu hören ist / daß ihme die ad acta von Appellaten gebrachte Verträge auff sein beschehenes Suchen Copeylich mitzutheilen / und er damit / was er deßwegen vorzubringen hätte / vor weiterer Verordnung zu vernehmen sey / wie dann ihme die Copia erkannt / und zu Einbringung der Notdurfft eine sechswochige Frist eingeraumet wird. Wann aber nach gestalt der Sachen die mündliche Behör und gütliche Vergleich füglichst zu Entscheidung der Sachen und Abkürtzung deß Proceſſus gereichen würde / als ist darzu der 6. Martii bestimmet / und sollen alsdann beyde Theile zu erscheinen schuldig seyn. V. R. W. Publicatum den 22. Ian. Anno 1655.

(Hoc est)

In causa Nicolai Demeln appellantis contra Ioannem Danielem Beckern appellatum, gravamina, quantum exceptionem cessionis in potentiorem concernunt, ut irrelevantia, cætera vero ut superflua non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus, & decernimus appellantem ad hucin tantum auidiendum, quodipsi transactiones ab Appellato ad acta productæ ad factam ejus implorationem in copia communicari, & is in eo quod propterea proferre posset ante ulteriorem decisionem percipi debeat, prout ipsi copiam decernimus, & ut necessaria agat terminum sex septimanarum præfigimus, si vero juxta statum causæ amicabilis compositio convenientius ad decisionem causæ & abbreviationem processus conduceret in eum finem 6. Martii præfinimus, in quo termino utrique parti ut compareant incumbit, idque de jure Publicatum in summo Tribunali Wilmariæ 22. Ian. Anno 1655.

DECISIO LXXXII.

Litem peragens post eam finitam non potest sub obtentu rei ad se non pertinentis executionem judicati effugere aut impedire.

QUæ diu cum alio in prima & secunda instantia super jure servitutis litigaverat, post pronunciatam sententiam justa facere admonita obtendit, ædes, quæ istam debere dicebantur, non esse suas, sed fratris ejus indultu saltem à se inhabitari. Existimatum est minime ipsam audiendam, sed non attenta illa allegatione contra ipsam, quæ ad judicati effectum pertinent, decernenda esse. Est ea de autore exceptio dilatoria, & in principio litis nominatio ejus facienda, cum per istam quis judicium declinare intendit. (1) Ante litem contestatam illa omissa, rem tenens judicio se obtulisse creditur, (2) ideo contra illam porro agitur, pronunciatur & ultra proceditur, (3) quia pro possessore habetur. (4) Non superest tunc exceptioni locus ad declinandum judicium, sed tantum ad illum effectum, ut auctor nominatus liti admotæ assistat. (5) Cui, si ignoravit litem, omnia quidem circa illam sunt integra, cum de jure suo intervenerit. Quando vero mature non intervenit, ejus quoque nulla habetur ratio; (6) nec sufficit ejus quæ in lite fuit de isto velut jure Tertii, (7) aut propriæ suæ turpitudinis allegatio. [8] Si scivit causam agi, frusta

Digitized by Google

frustra ipsemet interveniet quà præteritum. (9) In eo statu in quo causa fuit eam acceptare cogitur. (10) *Iuxta hæc decretum in causa Alard Sitmanns, contra Sophiam Horns, die 23. Februarii Anno 1655.*

1. *Zanger de Except part. 2. cap. 1. num 1. & 7.*

2. Obtulit se liti judicium accipiens; Ad hoc ut quis se judicio obtulisse dicatur, non necessarium est, ut defensio offeratur, sed sufficit, si quis litem secum comestari patiatur, vel si non allegat rem esse alienam, *l. is qui si obtulit verb. quia se negat possidere ff. de rei vindic.* Nam quia ille tantū juxta hanc textum qui negat se possidere, evadit litem, sequitur qui non negat obnoxium manere, ideo negatione opus esse.

3. *l. nec ullam 13. §. non solum 13. l. qui se liti 45. ff. de petit. hared. l. is qui se 25. ff. de rei vindic. l. fin. ff. si usufr' pet.*

4. Offerens se liti cum scit ad se rem non pertinere in dolo, *d. l. nec ullam 13. §. non solum 13.* dolus pro possessione est, *l. 131. l. 157. §. 1. ff. de Reg. Iur.*

5. *Covarruv. lib. 3. var. resolut. cap. 17. num 8.*

6. Nemini judex officium suum impertiur nisi imploratur, *l. Dies 4. §. hoc autem 8. ib. gloss. & Dd. ff. de damn. infect.*

7. Jus Tertii ad excipiendum non prodest, *l. loci 4. §. competit. 7. ff. si serv. vind.*

8. *l. si creditoribus 5. C. de serv. pign. dat. manumiss.*

9. *Gail. 1. Observ. 70. num. 25.*

10. *Gail. 1. Observ. 71. num. 1 & seq. per c. fin. Ut lis pendent. in 6.*

DECISIO LXXXIII.

Exceptio litis pendentis in processu executivo admittenda est, nisi abdicata.

NOn attentæ exceptionis litis pendentis querela in appellatione an justa & admittenda esset ex eo statuendum fuit, an & quando in processu super chirographis isti locus esse possit. Regulariter in omni judicio illa opponi potest, sicut in jure generaliter constituta est. (1) Nec dubitatur de eo in actione crediti super chirographis, cum ordinario judicio contenditur, vel agi cœptum est. (2) At quando executive agetur, major est dubitatio. Nisi ex statuto vel consuetudine aliud sit receptum, (3) nos communem regulam sequimur. (4) Ratio quippe in isto eadem est, nec dissimilis iniquitas, si quis cogatur de eadem re in duobus judiciis litigare, aut post quam in uno contendere cœpit, ad aliud transire. (5) Ex conventione tamen partium sæpe fit, ut non attendatur, sed ab uno ad aliud judicium facilioris consecutionis gratia transitus sit permissus, (6) nec modo si expresè sic dicitur, sed etiam si tacite conventis sequitur: Quomodo concessio pro eodem credito variorum remediorum, quemadmodum horum electionem, sic quoque fori diversi tribuere intelligitur. (7) De quo cum judici maxime spectandum sit, quod in tabulis creditorum continetur, tum etiam appellatio interposita appellato eo gravato rejicienda non fuit, antequam visis actis statueretur. *In causa hæredum Ottonis à Walschaleben die 6. Martii Anno 1655.*

1. *l. ubi cœptum 30. ff. de judic. Auth. qui semel C. quom. & quand jud.*

Coler. de Proceff. Executiv. part. 3. cap. 4. num. 72.

2. Uti ex statutis & moribus sunt executivi processus, ita etiam formam, modum atque effectum accipiunt.

4. Ab illa non est recedendum, nisi edocta prius exceptione, *l. 1. ib. Dd. ff. de R. I.* Quod aliter sentit Coler. *d. tr. part. 1. cap. 10. num. 22. seq. & dict. part. 4. c. 1. n. 71. seq.* id respicit aut ad mores aut ad pactum.

5. *l. nulli C. de Indic. ib. Sichard. & alii Dd. l. fin. C. de in jus voc.*

6. Sicut penes partes facultas est mutandi locum & tempora jurisdictionum. *Bartol. in d. l. ubi cœptum num. 1.* ita etiam justum mutandi judicii potestatem facere. *Coler. dict. part. 1. cap. 20. num. 227.*

7. *Mind. in de Continen. caus. lib. 3. c. 5. n. 24* ubi exceptionem hanc ex pacto ponens ostendit citra pactum ex juris communis ratione rem secus se habere.

DECISIO LXXXIV.

Prohibitio præfecti liberat à pœnâ contumaciæ, non à parendi necessitate.

CUm qui rei judicatæ parere debebat, promptitudinem suam, at factam à præfecto, sub quo erat, prohibitionem, allegabat, in hoc illa quidem proficere poterat, ut tanquam contumaci pœna non dictaretur; (1) minimè verò ut parere opus non haberet. (2) Si quid causæ fuisset præfecto, interventio legitima vel appellatio ejusque persecutio decuit, haud talis extrà judicialis prohibitio, (3) quam eo minus judex attendet, quo magis improba est, & in contemptum judicialis sententiæ tendit, & non est in potestate inferioris. (4) Non habet rationem ejus judex, quod coram ipso justo ordine non profertur. (5) Si forte prohibendi causæ quidquam fuerit, legitimis modis intercedere licuit. (6) Quid non fecit, sibi imputet neglectum, (7) nec conqueri potest, ulterius paritionem injungi atque executionem fieri. (8) Convenientius ideo visum, nihil eo nomine ad præfectum sed arctius mandatum ad condemnatos de præstandis judicatis decernere (9) *in causa Obrist Weissensteins contra Oppidum Lassan, die 23. April. Anno 1655.*

1. Cum fatua etiam causa à contumaciæ pœna liberet, ut vulgo dicitur, dubitandum non est, in id proficere excusationem ab imperio ejus, cui quis subest. *l. adea 157. ff. de Reg. Iur. l. 2. §. 1. ff. de Noxa l. act.*

2. Contra

Digitized by Google

2. Contra rem legitimè judicatam nec summi principis rescriptum valere debet, *l. 1. l. fin. C. sentent. rescind. non poss.*

3. *l. fin. C. ut lit. pendent.*

4. *l. Judicium 58. ff. de Judic.*

5. *l. 4. §. hoc autem 8 ff. de Damn. infect.*

6. Jus juste & legitimis actionibus petere oportet, non propria autoritate quidquam moliri, *l. extat 13 ff. quod met. caus.*

7. *l. pupillus 24. ff. quæ in fraud. credit.*

8. Hoc enim rebus judicialibus consequens est, *l. 1. C. de Execut. rei judic.*

9. Judicum severitati competens reddenda est autoritas, *l. omnes 12. C. de Offic. Rect. Prov.*

DECISIO LXXXV.

Exceptio ex L. Anastasiana in ipsa executione locum habet, si causa adest, cur in lite non fuit proposita vel satis deducta.

APpellans præter alia gravamina exceptionis ex L. Anastasiana momenta urgebat, at quomodo cætera erãt irrelevantia, ita hæc sero nimis proponi putabatur, quod videbatur debitor non oppositâ ante litem contestatam exceptione cessionarium jam admisisse, ideo cessionis vitium purgatum esse; (1) quâ de causa nec illa efficere potuit, ut appellatio admitteretur. (2) Iterum vero atque iterum ille supplicans juxtim allegans, quod aliis exceptionibus nempe legitimationis, plurium hæredum, nec non solutionis contra adversarium contendisset, ideò à se non fuisse nisi obiter tantum objectam, istis vero rejectis demum ei locum fore, quia admissis istismet opus non habuisset: (3) Quando itaque causa fuit, cur in lite illa non fuit proposita post sententiam demum opponeretur, existimatum est tunc admittendam; (4) Verum non in hoc judicio, sed cognitionem super ea ad judicem à quo remittendam esse. *In causa Hanß Küffovven, contra Obrist Lieut. Adam von Horn. Die 29. Maji Anno 1655.*

1. Ita existimatum & judicatum refert Faber *in C. lib. 4. tit. 26. defin. 1. num. 1. & seq. Guid. Pop. decis. 567. num. 4. qui putant hanc exceptionem ante litem contestatam opponendam esse.*

2. Frustra de non admissâ aut non attenta exceptione conqueritur, qui justo tempore non opposuit illam neglectam suæ negligentiæ quisque imputare debet.

3. Exceptiones dilatorias in prima instantia omissas in secunda non posse opponi communis sententia est, *l. ita demum 13 ib. Bald. & Salyc. C. de Procur. Jason. in l. arrogator. num 59. ff. de Adopt.* at quæ ita obtinet, si tunc opponi potuerunt.

4. Est hæc instar ejus exceptionis quæ supervenit, ideo etiam post litem contestatam & in secunda instantia opponitur. *c. insinuante ib. Felin. num 8. de Offic. delegat.*

5. Exceptiones sententiæ non contrariæ, ideo in executione locum habentes, non egent appellatione, sed à judice priori non obstante sententiâ attendi possunt & debent.

DECISIO LXXXVI.

Contra civitatem ex contractu Magistratus urbani, executivè non proceditur.

CIvitatem obligari & executivo processui obnoxiam esse dubio caret. (1) Sed ita si ipsam contraxisse apparet. (2) Secus verò seres habet, quando non ipsamet, sed qui res civitatis administrant seu Magistratus tantùm, licet nomine ejus, contraxerunt. (3) Nam haud perinde indiscriminatim ex horum contractibus civitas obstringitur, sed ea res multis circumstantiis, unde jus variat, involuta est, quas probè examinare convenit. (4) Quod cum diligenti discussione egeat, non est properandum ad executiva, nisi juxtim appareat, civitatem ex illo contractu, de quo agitur, obligatam esse. (5) *In causa Franz von Sondershausen, contra Civitatem Buxtehude, die 9. Iulii Anno 1655.*

1. *Ita Colerus de Process. Executiv. part. 2. cap. 3. num 348. & seq. inter eos contra quos executive agitur collocat.*

2. Civitas contrahere intelligitur, quando aut universi cives convocati, aut ii, quibus potestas expressim data fuit, contrahunt.

3. Regulariter hi civitatem non obligant, *Coler. d. cap. 3. num. 361.* sed tantum si in utilitatem reperitur versa pecunia, *l. civitas 27 ff. de reb. credit.* quæ versio altioris est indaginis, & indiget probatione creditoris seu ejus qui versam allegat. *Bolognet in d. l. Civitas num 15. Jason. num. 12. & 13.*

4. Difficilis est ejus rei explicatio, uti ostendunt quæ JCti prolixè & varie scribunt. Executivo processui in tam intricatis dubiis & difficilibus locus non est.

5. *Coler. dict. cap. 3. num. 360. & seq.*

DECISIO LXXXVII.

Executio pœnæ contra consules & senatores ob ipsorum contumaciam & facta, etsi nomine universitatis litigant, facienda est.

ETsi causa quæ agitur sit civitatis, tamen ob delicta consulum & Senatus, quæ circa litem committuntur, pœnæ irrogatio non debet fieri contra civitatem, quam suis maleficiis nudi magistratus obstringere, ideò pœnæ obnoxiam facere non possunt: (2) sed hæc irroganda est ipsis administratoribus, utut alienam causã agentibus. (3) Quare cum post mandata pœnalia consules & Senatus

Digitized by Google

Senatus civitatis contumaces in pœnam condemnati per executiva media ad solvendum compellendi essent, visum est executionem non contra civitatem & ejus bona, (4) sed adversus ipsosmet regentes qui deliquerant decernendam esse, non attento quod non suam causam egissent. (5) *In causa Alexandri à Weissenstein, contra Incolas oppidi Lassan, die 24. Octobris. Anno 1655.*

1. *Coler. de Process. Execut. part. 2. c. 3. nu. 338. & seq.*

2. *l. sed & ex dolo 15. §. 1. ff. de dol.*

3. Quando iis quidquam potest imputari de eo, non alii quorum causas agunt, sed ipsi tenentur *l. non est ignotum 6. C. de Administr. Tut. Exemplum habet Faber in Cod. lib. 7. tit. 20. defin. 15. n. 3.*

4. Pœnæ suos autores non alios tenere debent, *l. sancimus 22. C. de pœn.*

5. Nullum etsi generale mandatum & ex eo obligatio porrigitur ad delicta, sed ex his quisque delinquens tantùm obstringitur. Rei turpis seu delicti mandatum non intelligitur. *l. si remanerandi 6. §. rei turpis ff. Mandat.*

DECISIO LXXXVIII.

Executio per judicem à quo deserta appellatione quando sine attentati vitio fieri potest necrevocanda est.

QUerebatur appellans judicem à quo nondum facta aut remissione aut pronunciatione in superiori judicio ad excusationem sententiæ suæ processisse velut deserta appellatione, cum tamen deserta non esset, & petebat ejus ut attentati revocationem, dubitabatur an jure de eo querela moveretur, postquam post lapsa fatalia nec insinuatos interea processus solitos exequi integrum videbatur? Etsi quidem inde vere deserta esset, attendi id non meruisset (1) at quando post lapsum fatalium appellans causas allegabat, cur vel ipsi iste nocere vel per æquitatem restitutio in integrum impetrari poterat, inde an appellatio deserta sit habenda, adhuc sub lite & in dubio erat, existimatum fuit executioni nondum locum, factum vero pro attentato habendum esse. (2) Ita enim ad illum tantum sine attentati vitio progredi licet, cum desertio ex actis est certa, & extra omnem dubitationem. (3) Alias vel exspectari à judice ad quem sententia super desertione, (4) vel citari prius appellans eoque audito demum procedi. (5) In dubio appellatio non habenda est deserta, (6) præsertim si adhuc super desertione contenditur & appellans non desertam appellationem docere seu restitutionem implorare & impetrare laborat. (7) In qua specie dubitatum non fuit, prius super desertione sententiam dicendam, interea factum ut attentatum revocandum, & ne ultra procedat judicià quo arctius inhibendum esse *in causa Iochim Schlegelu, contra Andreas Winckloven, die 27. Nov. Anno 1655.*

1. *per l. si contra 8. l. quoniam 18. C. de Appellat. l. 2. & fin C. de Temp. appellat.*

2. Per desertionem lis finitur, *Lancellat. de Attentat part. 2. cap. 4. n. 338.* Ideo post illam pro executione facta non sunt attentata. *Franch. inc. ult. de Appellat. Boer decis. 206. num. 11. seq. Fr. Marc. decis. 283. num 1. & 3.*

3. Quamdiu contra desertionē justa est appellantis allegatio vel causa petendi restitutionem contra lapsum, ex aliquo impedimento, nec habetur appellatio deserta, nec fieri debet executio, facta vero habetur pro attentato, *Lancellot. dict tract. part. 2. cap. 12. ampl. 1. n. 48. seq. num. 52.*

4. *Oldr. consil. 295.*

5. Sine citatione partis appellatæ ad alterius instantiam præterquam in notoriis non mandatur sententia executioni *Bartol. in l. 1. in fin. ff nih. innov. pend app. Salyc. in l. si contra numer. 2. C. de Appellat. Petr. Gregor. Tholosan de appell. lib. 6. cap. 9. n. 4.*

6. *Paul. de Castr. in l. 1. ff. si quis cam. Berti consil. 1. num. 7. vol. 3.*

7. *Lancellot. dict. cap. 12 ampl. 1. num. 48.*

DECISIO LXXXIX.

Executio judicis à quo etsi perperam facta tamen ob debitum revocare petentis sustinetur.

QUi appellaverat, quod beneficio inventarii gaudere non erat permissus, interea biennales usuras juxta morē provinciæ creditori solvere jussus eoque nomine executio inferiori judici commissa fuit: Hic autem non modo tunc istarum causâ decretum executus est, sed sequenti anno iterum sub comminatione executionis usurarum solvi injunxit. Dubio caret injustè hoc fieri à judice, qui in eâ causâ non judex sed tantum executor erat, cujus partes sunt ex mandato superioris exequi, (1) illud vero non excedere. (2) Ultrà etiam id ipsum, per appellationem ligatæ erant manus judicis à quo, (3) ut pro attentato esset quod mādaverat. Revocare tamen vel prohibere haud visum juri congruum, ubi certum erat appellantis debitum, (4) & quidem tale, quod appellatione pendente eaque non obstante erat præstandum. (5) Ex quo constat de non jure revocationem petentis à revocatione abstinetur. (6) Cujus petitio ideo rejecta fuit. (7) *In causa Herrn Graff Erich Steenbock Gevollmächtigten, contra die Walschleben, die 8. Februarii Anno 1656.*

1. Executor nihil sine aut ultra mandatum judicis, à quo ejus potestas dependet, facere potest vel debet *Coler. de Process. Executiv. part. 2. cap. 1. n. 2. seq.*

2. Si excesserit, ipsi resisti potest. *l. prohibitum 5. ib. Luc. de Penna C. de Iur. fisc. Maranth. de Ordin. Iudic. part. 6. tit. de Citat. num. 78.*

3 Ap-

Digitized by Google

3. Appellatio suspendit jurisdictionem judicis à quo, manusque ejus ligat. *l. 1. §. 3. ib. gloss. & Dd. ff. ad SC. Turpill.*

4. Quemadmodum ex appellatione planè frivolâ non fiant attentata, *uti late exponit Lancellot. in tr. de Attentat. part. 2. cap. 12. limit. 6. num. 1. seq.* Ita etiam in ea quæ non injusta quod incidit plane injustum non obstante appellatione potest corrigi.

5. Hæres cum beneficio inventarii pro eo obtinendo appellans non plane interea à solutione liberandus est, sed tantum ne ultra vires hæreditatis teneatur cavendum. Ideò ubi certum id quod injungitur eô salvô solvi, non sistenda executio.

6. *De quo plenius vid Lancellot. in dict tract. part. 3. cap. 24. quæst. 1. num. 32. seq.*

7. In hoc relictum est aliquid arbitrio judicis, ut ex ratione justâ & æquâ attentata non revocet. *Lancellot. d. tr. part. 3. cap 30. num. 238.* qualis est in bonæ fidei Creditoris & iniquitate debitoris.

DECISIO XC.

Ad processum executivum non sufficit adesse instrumentum, sed oportet etiam esse in manibus creditoris.

JUxta Constitutionem Ducatus Bremensis von wucherlichen contracten executivo processu actum erat contra aliquem ut debitorem, injuncta per sententiam solutione & rejectis quæ opponebantur exceptionibus, cum tamen instrumentum prætensi debiti non erat in manu creditoris agentis, sed penes debitorem, isque causam allegabat ejus scripti sed nunquâ creditori traditi. Appellatione itaque interposita placuit processus decerni, velut ista bene fundata, postquam ad processum executivum pertinet non tantum adesse instrumentum originale, in quo aliquis se debitorem scripserit, sed etiam esse in manibus creditoris executionem ex statuto petentis. (1) Siquidem enim penes alium sit instrumentū, absurdum erit, antequam curet à tenente produci, etsi constet sibi teneri alteri id non habenti præberi executionem. (2) Absurdius verò si sit in manibus debitoris, pro quo illud tenente liberationis justa militat præsumptio. (3) Qui etiam adversus semet ipsum edere non tenetur. (4) *In causa Nicolai Demeln, contra Hæredes Henrici Spallen. Die 26. Sept. Anno 1656.*

1. *Coler. de Process. Executiv. part. 3. cap. 1 n. 29. verb. qui juris sui paratam executionem petit, instructum esse oportet instrumento debiti vel juris quod petit ad hoc, ut oculis judicum subjicitur.*

2. Necessaria quippe est ante omnia instrumenti productio, *uti prolixè docet Coler dict. cap. 1. n. 13. seq.* ideo avocandum prius est ab habente instrumentum, isque edere compellendus, antequam super eo executivè proceditur.

3. *Fab. in cod. lib. 3 tit. 29. defin. 1.*

4. *l. qui accusare. 5. C. de Edend.*

DECISIO XCI.

Executio consentiente parte facta pro attentato non habetur, nec revocatur, sed effectum retinet.

ET si aliàs appellatio sicut extinguit judicatum, ità & executionis vim atquepotestatē, (1) inde cum ab executione appellatur, qui appellat, in possessione manet, nec ista dejici debet, (2) attamen si assensu condemnati facta fuerit immissio, plenô effectu potitur, & immissus gaudet rei fructibus pro solutione debita. (3) Sicuti ut attentatum accusari non potest, in quod pars consentit, ideò nec revocari debet; Cessante autem revocatione, sic effectus illi tribuendus est, ne sit actus inanis ac elusorius. (4) Nec locum habere poterit ulla querela, cum volente parte processit. (5) Pertinet hoc ad consensum, non modo expressum, sed etiam tacitum, (6) qui est in omissa contradictione, (7) aut intimatione appellationis. (8) *Sic judicatum in causa Wedige Behren, contra filias Iustiniani à Rammin. Die 9. Novembris Anno 1656.*

1. *l. furti 6. §. 1. ff. de his qui not infam. l. 1. §. ult. ff. ad SC. Turpil.*

2. *Fab. in Cod. lib. 7 tit. 20. defin. 13.*

3. *Vid. Lancellot. de Attentat. part. 2. cap. 4. limit. 36. num. 2. seq.*

4. Judicia non debent esse elusoria.

5. Non potest videri injuriam accepisse, qui semel voluit, *l. in diem §. 1. ff. de aq. & aq. pluv. arc.* id circò semel consentiens de damno actionem ultra non habet *l. Sabinus 28. ff. Comm. Div.*

6. In præjudicialibus tacens pro consentiente est, *l. item quæritur 13. §. fin. ff. Locat.*

7. Qui cum debet, non contradicit, evidenter is consentit, *l. 2. §. 1. ff. Solut matrim.*

8. Omissa appellationis intimatione quod fit, prò attentato non habetur, nec sine ea appellatio alium atque devolutivum habet effectum. *Lancellot. d. Attent. part. 2. cap. 12. ampliat. 15. num. 21. seq.*

DECISIO XCII.

Injuriosæ executioni & post eam factis de facto resisti potest.

QUi manutenentiæ mandatum rogabat, pro eo impetrando narrabat, ab adversario spretâ immissione per judicem à quo facta non tantùm quos immissus ad triturandum frumentum conduxerat, non admittere voluisse, sed etiam ejeciisse, vimque sibi opponere. Consideratum inde, an & quatenus isti violentiæ indulgendum, seu an taliter executioni & executoribus

Digitized by Google

resistere fas sit? Injuriosam fuisse executionem dubio carebat, quando interposita appellatione facta erat ideò attentatum. (1) Tali autem resisti posse juri convenit. (2) Est enim in eo non vis, sed contra vim defensio, (3) postquã ille, qui pendente lite vel appellatione interpositâ attentat, spoliat & vim facit, eique resistere non injustum est. *In causa haredum Henrici Spallen, contra Nicolaum Demelu, die 14. Novemb. Anno 1655.*

1. Nec judex nec pars post interpositam & intimatam appellationem executionem sine attentati vitio facere aut rogare debet, *l. un. ff. nihil innov. interp. app.*

2. Etiam magistratui atque judici injustè exequenti resistere jure civili permissum, *l. 29. §. pen. ff. ad L. Aquil. l. contra 5. C. de Execut. & Exactor. l. prohibitum 5. C. de Iur. Fisc. l. fin. §. neque C. de Discussor. l. 5. C. qui milit. poss. Novell. 8. cap. 10. Faber. in Cod. lib. 7. tit. 20. defin. 14.* Quando enim potestate sua abutitur, vim atque injuriam infert, amittit autoritatem & sanctimoniam, quam officium tribuit. *Menoch. lib 2. præs. 67. num. 16.*

3. Naturali jure hæc unicuique concessa est, *l. ut vim 3. ff. de Iustit. & Iur.* non tantùm contra privatos sed contra Judicem, ubi privati instar habetur, qualis de eo censura cum notoriè officii limites excedit. *c. Clerici. 1. §. fin. sb. Zabarell. de Celebr. Missa Wesenbec. Paratit. l. num. 3. ff. quod met caus.*

4. Attentans spoliatori & violento invasori æquiparatur. *Lancellot. in tr. de Attentat. part. 3. cap. 31. num. 77.*

5. Accipe autem hæc de ea resistentia, quæ impedit vim & injuriam, non quæ coercet & in publicam vim degenerat.

DECISIO XCIII.

Excessione nominis in solutum factâ sine mentione debiti pro quo ceditur, non habet contra cedentem locum processus Executivus.

QUi ex Constitutione Ducatus Bremensis contra debitores solitus est processus executivus, contra illos locum habet, quorum debita constant ex ipsorum Chirographis aut confessione. Pro Chirographo autem vel confessione haberi non potest cessionis instrumentum, quod facit mentionem dationis insolutum, & ex ea cessi nominis; ubi simul non continet, quid & ex qua causa debitum fuerit, pro quo cessio processit. (1) Hæc quippe continere debet causam non generaliter sed specificè. Sine tali expressione non valet. (2) Ubi ipsa nulla est, eo loco res habetur, ac si facta non esset. Qui pro debito factam dicit, etsi hoc generaliter in cautione ità dicitur, ex ista non potest id verificare vel patere, cum nec ejus specificam mentionem comprehendit, (3) ideò aliter probare prius tenetur, si debitum illud, quod obtenditur, negetur. (4) Deinde cessio nihil docere potest, nisi quod exprimit. (5) Quando igitur de debito tale quid non habet, ex quo locus est processui executivo, in illa ne quicquam iste fundatur. (6) Maximè verò ab isto abstinendum, si præsumptiones adsunt, illum non esse debitorem, veluti si nomen cessum mansit, postea penes cedentem, præsumptionem continet, illum aut non fuisse debitorem, aut alio modo liberatum esse, cum revocatio cessionis non sit verosimilis nisi ex causa, quæ ei cui facta, profecerit. Similiter si de debito, quod prætenditur, nihil constat, vel si inter creditorem & debitorem rationes computatæ sint, sub iis autem nulla istius debiti factæ servatio aut mentio, vel si exactio ejus, quod in nomine fuit, sciente & non contradicente multò magis consentiente cessionario facta sit, vel si post illam retroactam diu, hoc est, intra decennium siluit creditor. Visum inde, reum qui talia proferebat, velut juri innixum audiendum, & contra immissionem decretam, cum provocasset, per inhibitionem aliosque appellatorios processus subveniendum esse. *In causa Nicolai Demels, contra Iohann à Lipfeld, die 18. Nov. Anno 1650.*

1. *Coler. de Processib. Executiv. part. 4. cap. 1. n. 90. per text in l. nuda 26. ff. de donat.*

2. *l. 1. §. circa in fin. ff. de dol. mal. & met. Except. Petr. Frideric. Mindan. lib. 2. de Mandat. cap. 6. 4. num. 1.*

3. *l. non solùm 49. §. fin. ff. de Pecul.*

4. *Ita præscribitur in c. sicautio x. de Fid Instrum.*

5. Juxta illud vulgatum; De quo non cantat instrumentum, de eo nec nobis cantandum est.

6. Hic requirit causam aliaque omnia liquide & non altioris indaginis, antequam ad executiva decernitur *Petr. Frid. Mindan. dict. lib. 2. cap. 2. num. 2.*

DECISIO XCIV.

Instrumentum conditionale non mandatur executioni, antequam conditionis existentia probatur.

QUæ ex statuto vel moribus instrumentis data est potestas, ut executivo processu iis comprehensa obtineantur, pertinet etiam ad ea quæ conditionem habent. (1) At ita si conditio jam dum existit, idque vel notorium est, vel probatur. (2) Secus verò ubi existentia abest, vel statim non docetur. (3) Seu illa conditio expressa sit, seu tacite tantum insit. (4) Executivus quippe processus non habet locum, nisi circa ea quæ statim liquida sunt. In quibus hoc substantiale ejus requisitum deficit, in illo iste

sistitur

sistitur & impeditur. Ideo à judice prius ad probandam conditionis existentiam supplicans remittendus est; quo non facto justa est alterius appellatio. *In eadem causa.*

1. Covarruv. lib. 2. Var. resolut. cap. 11. Gomez. ad LL. Tauri l. 64. num. 7.

2. Suarez. in l. post rem limit. 5. num 2. & 4. ff. de re Judicat. ubi exemplis amplificat in promissa dote, cujus paratam non dicit executionem, nisi de matrimonio constat.

3. Coler de Process. Executiv. part 3. cap. 1. num. 2. & seq.

4. Exceptio debiti illiquidi sistit & impedit executionem. *Jason. in §. 8. supereſt num. 86. Inst. de Action. Rebuff. in tr. de Liter. Obligat. artic. 1. glos. 9. num 7.*

DECISIO XCV.

Tempus judicatis datum, judex circa salaria ministrorum Ecclesiæ observare non tenetur.

QUod lege constitutum est, quod tempus ad faciendum judicata, nempe quadrimestre spacium juxtà jus commune necessariò à judice sit observandum, (1) & si judex aliud tempus statuerit, quantum in hoc ex isto deest, supplendum sit, (2) obtinet præterquam, si justa aliqua causa sit, cur vel dilatari, vel coarctari debet. (3) Hanc subesse credidimus, ubi de salario aliisque ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ pertinentibus res erat, & in ista condemnatro executioni mandari petebatur. (4) Quæ ut alimentorum species sunt, ità etiam istorum hoc privilegio, ut tempus illud servare necesse non sit, fruuntur. (5) Aderat etiam alia causa, (6) quod non de istis an deberentur, controversia fuit, sed ex quibus bonis, ideò postquam decisum instar realium onerum statim fieri potest executio, (7) nec queri potest reus, qui dudum scivit deberi, & si adversus se condemnatio procederet sibi incumbere, quin potius valde inculpandus qui ultra differt. (8) *In Causa Ernst Iacob Bicren, contra die Einhabere deß Ampts Lindenberg, die 9. Decemb. An 1650.*

1. l. 2. l. fin. C. de Usur. Rei Iudic.

2. Et tantùm rigorem communis JCtorum sententia tribuit, ut restrictionis licentiam demat & coarctare non permittat, *de quo vid. Coler. de Proceſſ. Executiv part. 3. cap. 6. num. 9. seq.*

3. l. si non 4. §. si quis condemnatus 5. ff. de Re Iudic.

4. Ex justa causa id fieri posse ostendit, *l. 2. ff. de tit.* & declarat, quomodo rigor, qui ex aliis textibus colligitur, sit accipiendus, cum exceptione justæ alicujus causæ.

5. In dict. *l. 2. ff. de re jud.* expresè ab ordinario tempore causa alimentorum excipitur. *Vid. Coler. in tract. de Aliment. lib. 3. part. 16. numero 10.*

6. Arbitrio judicis multum hac in re relictum esse docetur *per d. l. 2.* haud quidem absoluto, ut pro libitu tempus mutari possit, sed pro causæ qualitate, & quantitate, & personarum obsequio vel contumaciâ, sicut verba textus habent. Id arbitrium Ordinatio Tribunalis Regii stabilit *part. 3. cap. 1. §. 4.* Nec ullum tempus præscribit, sed pro circumstantiarum diversitate statui finit. Inque eo à Jure communi abit, atque multas de tempore certo quæstiones uno ictu amputat.

7. In realibus non fit mora executionis quia certà est condemnatio, *§ si in rem junct. § sed si possessor Inst. de offic. Iudic. ib. Fab. num. 4.*

8. Iniquitas cunctationis facit locum celeriori executioni, *d. lib. 2. verb. contumacia ff. de Iudic.*

TIT. LIV.

DE USURIS REI JUdicatæ.

DECISIO Unica.

Usuræ post primam sententiam debentur, si apparet appellando protractam esse inique causam.

CUm usuræ non debentur nisi postquam causa cognita pronunciatum atque condemnatio facta fuit, (1) appellatione interposita, in quæstionem venit, utrum priori sententia, qua sortis debitū confirmanda, demum à die secundæ an primæ sententiæ mora esset censenda, & de usuris statuendum? Visumque est in ea quæ sub lite fuit specie, rationem usurarum à tempore prioris sententiæ habendam esse. Etsi enim alias appellatio suspendit, imo, ut alii loquuntur, exstinguit judicatum, (2) nec hoc antea vires habet, ac si à judice superiori confirmatū fuerit, unde quod ex judicato debitū peti nequit, nisi finita appellationis instātia, (3) id tamen non aliter accipiendū est ac si justa ratione provocatum fuerit; haud eo extendi, ut frivola appellatio, aut talis quæ ad protrahendum magis causam, quam jus impetrandum interponitur, reum liberet ab eo, quod si non fuisset appellatum deberetur; (4) Iniquum enim foret, malitiosam morosamque litem nocere contra sententiam actori, & proficere reo, (5) atque calumniosam appellationem mereri effectum ejus, quæ justa est. Talis autem habenda, ubi pro deductione gravaminum appellans nihil quod oportet facit, itaque dilationes multas petendo, in contumaciam tandem adversus se pronunciare finit. Ex quo frustratoria intentio eminet. (6) *In causa Iohan Horstmans Viduæ & Hæredum contra Liberos Georg Christoph Behren. Die 29. Iunii Anno 1659.*

Digitized by Google

1. Ita evenit in ea specie, quando non est certum atque liquidum debitum, nisi ex sententia, *uti in superiore definitione vidimus.*

2. *De quo effectu appellationis late Lancellot. in tract. de Attentat. tit. de attent. pend. appell. in præfat. n. 118. & mult. seq.*

3. Exceptis tamen iis casibus, in quibus appellatio saltem devolutivum, non suspensivum effectum habet.

4. Qui, dum vult apud alium prætorem agere, tempus frustratus est, non ei subveniendum. *lib. sed etsi 26. §. & adjicitur ff. ex quib. caus. major.*

5. Quod mora judicii contingit, alteri non nocere debet. *l. ut prætor ait 23. §. fin. ff. ex quib. caus. maj.* mora cuique sua non alteri noceat. *l. mora ff. de R. I.*

6. *Scacc. in tr. de Appellat. quæst. 3. numero 50. seq.*

TIT. LV.

SI PLURES UNA SENtentia condemnati sunt.

DECISIO Unica.

Condemnatio plurium in eadem sententia non dividit actionem, si alia mens judicis apparet.

QUando uno tutorum in solidum residui ratione convento judex duos tutores simul ad solutionem condemnat, censenda est facta debiti divisio (1) si non apparet judicem aliud voluisse. (2) Ea quippe juris constitutio, quæ tali formulæ vim divisionis tribuit, respicit ad dubium sententiæ sensum & præsumtionem ejus voluntatis tanquam rationem respicit. (3) Cessat itaque ubi ex actis satis constat, judicem longe aliam mentem habuisse: cujus melius non potest argumentum existere, quam si ejus sententiæ executionem deinde contra unum decreverit, eumque in solidum adhuc teneri declaravit: Multominus autem ad exceptionem divisionis ex sententia admitti debet, ubi ipse teus sententiam illam aliter intellexit, deque ea suum sensum declaravit. Ita judicatum die 2. Sep. Anno 1662.

1. *l. si mandato 59. §. Paulus 2. ff. mandat. l. si qui separatim 10. §. quoties 3. ff. d. appellat.*

2. Mens judicis est mens sententiæ, meliusque hæc exilla quam verborum cortice visenda:

3. Sic colligere licet ex verbo videatur (quod dubitationis fictionis & præsumtionis signum est) quod est in *l. 2. C si plures una sent.*

TIT. LVI.

QUIBUS RES JUDICAta non nocet.

DECISIO I.

Ex sententia restituendum ex causa alia retineri nequit, nisi pignori nexum.

REtentionis jus aliquando quidem est, ubi non habet locum compensatio, (1) ideo fieri potest, ut hac per sententiam rejecta, tamen ex alia causa retentione, donec de credito satisfiat, uti liceat, (2) & quidem etiam contra executionem. (3) At non aliter quam si ea retentio non repugnet sententiæ, nec ex tali causa fiat quæ finem per istam accepit. (4) Deinde si aliqua ratione res pro causa retentionis nexa sit. (5) Tertio si etiam deberi liqueat. (6) Quarto nisi restitutio sit necessaria. (7) Quorum aliquo deficiente contra executionem sententiæ retentio non est concedenda, uti pronunciatum *in causa Wedige Behren, contra hæredes Wilken Platen Die 9. Januarii, Anno 1661.*

1. Facilius admittitur compensatio quam retentio *Medic. de compens. q. 28. n. 5. part. 2.*

2. *Vid. Coler. de process. execut part. 1. c. 2. n. 211.*

3 *De quo prolixius vid. apud. Molinat. de jur. retent. quæst. 424. per tot.*

4. *Sic declarat & distinguit Molinat. d. quæst. 424.*

5. Retineri tantum potest invito Domino res aliquo modo obligata *l. Julianus. §. offert. ff. de action. empt. Molinat. d. tr. q. 117.*

6. *l. fin ibi Dd. C. commod. l. 18. §. fin. ff. eod.*

7. *Molinat d. quæst. 117. in fin.*

DECISIO II.

Emptori sententia contra venditorem lata quando non nocet, ideo sine novo processu executioni non est obnoxius.

QUod in jure regulæ instar traditum est, scientibus sententiam, quæ inter alios lata est obesse, cum de ea re cujus actio vel defensio priorum sibi competit sequentem agere patiuntur, ex eo concluditur, successori etiam singulari sententiam nocere, (1) ideo cum agitur contra venditorem sciente emptore, hunc teneri parere judicato, (2) & sine novo processu executionem merito pati (3) ita vero hoc accipiendum, primo si certa & speciali scientia tertio notum est agi de suo jure, (4) eaque probetur. (5) Deinde si contra reum in judicium venit, quod simul

Digitized by Google

simul jus successoris seu tertii possessoris omne aboler. Siquidem separatum aliquod hujus jus sit & non idem cum causa rei, nihil proficit actori tertium sciviſſe, (6) cum & hoc sciverit sibi eam actionem non nociturum esse. (7) Tertio si contra autorem actio fuerit apta & justa, cum si inepta plane fuerit actio, (8) frustra scientia successoris in ejus præjudicium arguitur, ubi eadem non potest convalidare actionem quæ nulla est, ideo nullam facit sententiam. (9) Inter tales circumstantias juste rejicitur contra successorem seu emptorem ex re judicata actio, utut sciverit cum autore sic actum esse. Quemadmodum etiam sic judicatum fuit. *In causa Ludolff von Haugershan, seu contra Viduam Otto Heinrich von Brobergen. Die 9. Ianuarii Anno 1661.*

1. *Ut hæc omnia habentur in l. sæpe 63. vers. scientitibus ff. de re jud.*

2. *l. si mater §. ult. ff. de except. rei jud. l. 2. §. solet ff. de petit. hared.*

3. *Molin. in Consuet. Paris. tit. 1. §. 45. num. 18.*

4. Ubi necessaria est scientia, eam oportet esse certam, & cum omnibus suis qualitatibus specialem *Gloss. in cap. concertationi de appell. in 6. Surd. Consil. 189. num. 49.*

5. Ignorantia illorum qui in locum alterius successerunt præsumitur. *l. qui in alterius ff. de R. J.* ideo probatione indiget scientia. *Phil. Port. consil. 247. num. 73.*

6. Cum jus unius separatum est à jure alterius, sententia lata contra unum alteri non præjudicat. *Abb. in c. cum dilecto num. 15. de prabend Hartm. observ. 3. l. 1 tit. 18. n. 2. 12. 13.* nec potest contra non auditum nec condemnatum fieri executio. *Convale. decis. 6. num 16. part. 4.*

7. Silentium ejus qui scit, aut cui actus alterjus præjudicare non potest, haud habetur pro consensu.

8. Quod nullum est, nullos parit effectus.

9. Qualis causa talis effectus.

DECISIO III.

Rei judicatæ exceptio non obstat, etsi idem petitur à quo absolutus est, si petitio aliam habet causam.

QUando possessor bonorum defuncti conventus, ut cohæres se eum negans crediti jure illa tenere excipit, à petitione inventarii aut juratæ designationis absolvitur, non eò minus tenetur ea quæ habet designare cum de liquidatione crediti & quod ex eo residuum agitur. (1) Nec enim absolutio tunc facta quando ut possessor hæreditatis conveniebatur, proficit aut exceptionem rei judicatæ præbet, cum postea ut à creditore petitur designatio eorum, quæ secum vel pignoris jure tenet vel insolutum data allegat. (2) Est enim hujus petitio ut ejusdem rei, tamē ex alio jure aliave causa, cujus diversitas efficit ut non obsit rei judicatæ exceptio. (3) Quo circa non attentâ sententiâ absolutoria judicatū est, teneri creditorem ad designationem acceptorum, utut eadem sint quorum petebatur ex causa hæreditatis inventarium. *In causa Margarethæ Roden, contra Martinum Brummern. Die 5. Octob. Anno 1655.*

1. Creditor enim tenetur ad rationes debitori cum tenet res ejusdem. In quas veniunt non solùm data sed etiam accepta *l. 2. ff de Pignorib.*

2. Sententia stricti juris est, nec ultra verba vel actionem porrigitur.

3. Cum quæritur hæc exceptio noceat nec ne inspicitur an idem corpus sit, quantitas eadem, idem jus an eadem causa petendi, an idem jus & an eadem conditio personarum, quæ nisi omnia concurrunt, alia res est *l. cum quæritur 12 ll seqq ff de Except. rei judic.*

DECISIO IV.

Sententia parit saltem exceptionem rei judicatæ in iis quorum expresse meminit, non in cæteris quæ pro iis impetrandis fuerunt allegata, de quibus superest actio cum ad alia intenditur.

CUm quis ex petitione hæreditatis ad inventarii editionem egisset, & conventus postquam plura cur se non teneri putabat, & inter hæc non esse petitorem defuncti hæredem opponebat, & absolutus fierat, dubitatur an postea pro hærede nihilominus haberi possit & debeat, non attentâ sententiâ absolutoria? Etsi verò hæc videatur rejeciſſe omnia adversarii allegata & approbasse, quæ pro victore adducebantur, non aliter tamen id factum quàm pro illa de qua agitur causa, quod in hac invalida & nullius momenti fuerunt. (1) De cætero quod non est in petitione nec exprimitur in sententia, non obstat rei judicatæ exceptio, quæ sequitur tenorem sententiæ, hæc verò quod petitum. (2) Ultrà eam non extenditur, ideò non parit rei judicatæ exceptionem in his, quæ aut obiter aut incidenter aut pro majori declaratione allegatorum adducuntur. Nec enim talia petit actor, nec de iis loquitur sententia judicis. (3) Etsi enim & illa considerat judex, super iis tamen non pronunciat. (4) Sententia de iis concipitur & intelligitur, quæ sunt in conclusione libelli, non quæ adduntur pro illustratione causæ, (5) rejiciuntur hæc ut non apta aut valida ad causam, non ut in se aut non vera vel non justa. (6) Extra illum respectum ad quem allegantur manent qualia ex & in se sunt, ultrà petitum

Digitized by Google

titum & judicatum non improba, ideò alias allegari non prohibita. (7) Quocirca etsi post objectionem petitorē non esse hæredem cum alia etiam opposita essent, ab inventarii exhibitione absolutus fuit reus, quia nec inter petita rei fuit, eum non hæredem declarari, (8) nec sententia dixit eum hæredem esse, aut ut talem petere non posse, sed saltem absolvit reum à petitione, (9) non eò minus tamen sic decætero hæres erit, si talem se probare possit, & extra id quod sententia comprehendit se pro tali gerere poterit. Fieri enim potuit, ut non ex hac sed alia allegatione processerit absolutio, similiter ut non, quia non habendus pro hærede, sed quia non rectè verus hæres petiisset, facta sit. Eoque minus dubitandum, quod cum quis petiisset, ut hæres velut àpossessore hæreditatis inventarium, etsi hæredis nomen & jus in illa lite in controversiam vocatum sit, tamen ut à creditore eorū quæ accepit à debitore cujus hæres est designationē justè petat. (10) Ut hoc consideratum & pronunciatum *in præfata causa.*

1. Est enim prolixè in causa disputatum an actor hæres erat, oppositâ exceptione abstentionis, quæ excludit non minus agentem quam facit eum qui se abstinuit non esse hæredem.

2. Quæ certò respectu dicuntur, extra illum secus se habere possunt, nec ultrà præjudicant quam pro eo fine, cujus causa dicta aut posita sunt *per vulgata.*

3. Ad libellum & petita restringenda est sententia. *l. ut fundus 18. ff. commun. divid. Menoch. consil. 114. num. 4.*

4. Judex ultrà petita procedere non potest *l. fin. C. de Fideic. hared.*

5. Sententia stricti juris est, nec extendenda ultrà tenorem verborum.

6. *Hæc est decisio Carpzovii 49. part. 1.*

7. *Vid. Modest. Pistor. consil. 21. n. 7. vol. 2. Fichard. consil. 31. num. 3. & 4. vol. 2.*

8. Libelli petitio inspicienda & ex ista libellus ex hoc sententia regulanda est. *Maranth inspecul. part. 6. pr. part. ult. 116.*

9. Cum sententia pronunciat de jure vel exceptione rei, haud de non jure actoris, tunc saltem declarat, adversus reum intentionem actoris in proposita actione non valere, minimè verò extra istam improbam esse & omne jus deficere.

10. Creditor cum petit ex sua designatione aut ex rationibus, quæ sibi deberi annotavit, simul etiam mediante juramentō accepta tenetur designare. Rationum quippe hoc proprium, ut contineant data & accepta.

Sic postea super his pronunciatum.

In Appellation-Sachen Margaretā Roden Daniel Sassen Ehefrau Appellantinnen / wider Marten Bremern Appellaten in puncto debiti wird deß geforderten Inventarii oder Eydlichen designation der Eltern Erbschafft halber die Sache nicht / im übrigen aber anhero erwachsen zu seyn / befunden / angenommen uud erkannt / daß Appellantinne annoch zum Beweise ihres Einwendens / daß von ihrem Bruder die jetzo gefoderte Außsteuer / Hochzeit- und Kleydungs-Kosten / donandi animo angewandt / demnach die übergebene probatorial-articul zuzulassen / auch ferner mit denen wider Klägers und Appellaten eingebrachte Rechnungen articulirten Einreden / so weit dieselbe dero Unfug betreffen / zuhören / wie sie dann / was in beregten probatorial-articuln begriffen / zwischen diß und nechsten Rechts-Tag zu beweisen / Appellaten aber proxima auff den 25. und folgende Articul deß Libelli biß zum 115. inclusivè und in additionalibus von dem 54 biß zum 59. zu antworten schuldig ist. Anreichend was wider Appellati Forderung in dem libell im 15. und folgends biß zum 32. dann 24. biß zum 66. inter additionales im 16. biß zum 34. inclusivè vorgebracht / darauff wird demselben gleicher Gestalt die rechtmäßige Antwort / daneben aber eine designation dessen was er von der Eltern Güter bey sich hat / und bey deren liquidation in den Empfang zu bringen / wie er es künfftig durch sein Eyd zu erhalten getrauet / einzubringen sub pœna contumaciæ auffer legt. V. R. W.

(Hoc est.)

In causa appellationis Margarethæ Roden Danielis Sassen uxoris appellantis contra Martinum Bremern appellatum in puncto debiti, causam ratione petiti inventarii vel juratæ designationis parentum hæreditatis non, cæterū vero ut huc devolutam recipimus & decernimus, appellantem adhuc ad probationem suæ exceptionis, quod ab ipsius fratre modo petiti sumptus dotis, nuptiarum & vestimentorum donandi animo expensi, inde exhibitos articulos probatoriales admittendos, ac ulterius cum suis articulatis exceptionibus contra actoris & appellati productos computus audiendam, prout ipsi, quod in dictis articulis continetur, ut inter hanc & proximam juridicam doceat, appellato vero, ut in proxima ad act 25. & sequentes libelli usque ad 115. inclusive & in additionalibus à 54. usque ad 59. respondeat, injungimus. Quatenus concernit, quod contra appellati prætensionem in libello in act 15. & sequentibus usque ad 32 ut & 44. usq; ad 66. inter additionales in 16. usque ad 34. inclusive profertur, desuper illi similiter debitam responsionem, & præterea designationem ejus, quod de bonis parentum penes se habet, & in liquidatione ad recepta poni debet, prout pro futuro id suo juramento putat obtinere, sub pœna contumaciæ imponimus. Idque de jure.

TIT. LVII.

COMMINATIONES, Epistolas, programata, subscriptiones authoritatem rei Iudicatæ non habere.

DECISIO I.

Pro fide rei judicis decreto postulatum non facit præjudicium causæ.

QUi ex ultima voluntate legatum petebant, à judice testamentum exhibere jussi

Digitized by Google

jussi sunt. Eo autem non facto, aliunde verò legato probato, à judice non requisita ulterius ista exhibitione, sed reo condemnato, hic se gravatum putans, appellatione interposita, rei judicatæ vim obtendit, (1) quasi contra illum pronunciatione facta, (2) & per illam jure quæsito, ut testamentum prius produceretur, sublato; (3) sed contra visum fuit, decretum illud, per quod testamenti exhibitio injuncta fuit, pro judicato male venditari, velut quod sine præcedente causæ cognitione (4) & partium super eo disceptatione processit, (5) nec causæ facere præjudicium, cum ea non fuerit mens judicis, ut testamento non edito nulla esset Legati petitio, (6) sed ut quod in lite erat, eo certius exploraret, sine quo aliter apparens Actoris intentio non eo minus obtinebit, (7) veluti quæ non adstricta est uni probationum speciei, (8) nec privanda libertate litigantibus debita, ut quomodo possint, probatione defungantur. (9) *In causa præfecti Broda Georgii Volschovii contra Senatum civitatis Gryphisvvaldensis die 9. Ianuarii Anno 1660.*

1. Semel in causa judicatum facit præjudicium in subsequentibus.

2. Nulla est contra rem judicatam sententia *l. 1. C. quand. prov. non est nec.*

3. Jus quæsitum per judicem alteri non potest auferri.

4. Jussa judicum sine causæ cognitione præcedentia vim & nomen rei judicatæ non merentur *l. 1. tot. tit. C. Comm. Epist. programm.*

5. Sine prævia disceptatione partium non est sententia *l. judex 5. l. fin. Cod. tit.*

6. Extra mentem judicis non est porrigenda vis decreti.

7. Veritas rerum gestarum spectatur à judice, non quod à parte allegatur. *l. illicitas 6. §. 1. ff. de offic. Præsid.*

8. Probatio probationem non excludit. *Seraphin. decis. 575. num. 5.*

9. Probationum facultas non debet angustari sed ampliari *l. quoniam 21. C. de Hæretic.*

DECISIO II.

Mandata utut post causæ cognitionem decreta contra quæ excipitur vires rei judicatæ non habent.

MAndata post causæ cognitionem decreta vires rei judicatæ accipere moris atque rationis est (1) sed ita demum, nisi contra ea exceptiones non injustæ proferuntur. (2) Per has mandatorum vis suspenditur, & licet sine clausula sint, in simplicem citationem resolvuntur. (3) Ideo exceptio rei judicatæ ex his post eas frustra opponitur, multo minus ubi exceptiones judex admisit, atque super iis disceptatio subsecuta est. [4] Præsertim vero si & in hunc pars adversa descendit. (5) Sic judicatum *in causa Jacob Brummern contra Generalem Caspar von Posthausen & consortes die 19. Iunii Anno 1660.*

1. Ita quod *ex lege 1. & tot. tit. C. comminat. Epist. program.* traditur de judicum decretis & mandatis, quod rem judicatam non faciant, limitatur ex rationis diversitate. Nam quia ideo eo effectu potiuntur, quod sine causæ cognitione emanant, quæ ad sententiam necessaria est, utique ubi ista accessit, aliud sentiendum est.

2. In causis mandatorum exceptiones legitimæ admittuntur *Mind. de Process. & Mandat. lib. 2. c. 15.* Nec discernitur, an cum aliqua causæ cognitione emanaverint, nec ne. Tantum, si istæ non sint oppositæ & cum hac rejectæ locus supersit.

3. *Gail. 1. observ. 71. num. 1.*

4. Ea admissio judicis vim declarationis habet contra mandatum exceptioni oppositæ adhuc locum esse, idque simplicis citationis vicem habere.

5. Quando post rem judicatam pars in disputationem super causa regreditur, nec ejus exceptione opposita isti constanter inhæret, ei renunciare & litem sponte resuscitare intelligitur, ideo deinde exceptione ultra non juvatur. *Olrad cons. 69. n. 3.*

DECISIO III.

Juratoriæ cautioni non est locus, ubi aliter cautum esse potest.

APpellans cum gravatum se dicebat, quia ad juratoriam cautionem admissus non erat, auditus in eo articulo non fuit, quod adversario aliter prospectum esse potuit atque debuit: Utebatur hic jure retentionis in bonis defuncti debitoris, eoque contra hæredem niti potuit. Quatenus ergo debitum fuit liquidũ, plane non est locus cautioni sed solutioni, quasi debitor liberare, non cautione solvendum tardare debet. Nemini ideo indulgendum est quidquam ubi debet, quod cautionem præstare vult. Si quidquam ex debito illiquidum existet, cautioni quidem locus esse potest, (1) sed non juratoriæ (2) vel non aliter, quam cum aliam debitor præstare non potest, (3) aut si non melius creditori prospectum. (4) Quod si creditor bona debitoris detinet, utique satis cautionis habet, nec cogendus ea demittere recepta personali obligatione. [5] Si judici sic justa ratione videbitur iniquum esse, ut propter illiquidum res detineatur, hoc quidem injungere potest, ut ista præstita cautione restituatur, attamen non pro juratoria (6) quia per ipsam rem caveri potest, non juramento caveri satis est (7) sed quæ res restituitur pignori sic supponenda est, ut creditor vel actor securus sit. (8) Hæc cum accurate observasset judex prioris instantiæ, nihil rationis repertum, cur in hoc

Digitized by Google

litigii articulo pro obtinenda cautione juratoria appellatio reciperetur. *In causa Dietrich Bremern contra den Königl. Regierungs Rath Niclas von Hophen die 1. Iulii Anno 1662.*

1. *l. Statuliber 5. ff. de statu liber. ibi gloss. & Dd.*

2. Jurátoria cautio non admittitur ubi necessaria exigitur *l. filius familias §. iidem Principes ff. de Legat. 1. Jason in l. 1. num. 22. ff. quisatisd. cog. Cothm. resp. 18. num. 488.*

3. Subsidiaria hæc saltem est, nec admittitur nisi ubi aliter cautum esse nequit. *Contard. in l. un. q. 23. num. 11 seqq. C. fide moment. poss.*

4. Ubi alio remedio creditori consultum, nequicquam obtruditur cautio juratoria *Rol. à Vall. Cons. 43. num. 49. seq. vol. 2.*

5. Plus cautionis est in re quam persona *l. plus cautionis 25. ff. de R. I.*

6. *Per l. filius f. 114. §. iidem Principes ff de Legat. 1.*

7. Si quando hæres non potest de legato sua die solvendo satisdare, legatarius non tenetur juratoriam cautionem recipere, sed immissionem in bona impetrat. *d. l. filius fam. Suarez in declar. LL. for. lib. 2. tit. de les emplaz. num. 7.* quanto minus creditor qui jam tenet dimittere cogitur.

8. Non potest retentionem tollere juratoria cautio, cum quod minus longe est arrestum non relaxet. *Gail. de arrest. imp. cap. 3. num. 110.*

TIT. LIIX

SI EX FALSIS INSTRUmentis vel Testibus Iudicatum fuerit.

DECISIO VNICA.

Ex falsa causa lata sententia non valet.

ETsi res judicata pro veritate habetur. (1) & de non ente ens facere dicitur, (2) non aliter tamen, quam si ex vera causa fertur. Si falsa ei originem dederit, seu si in quo judex ipsam fundat, nullum vel falsum reperitur, utique & ipsa corruit, (3) nec cum causa cessat, res judicata effectum habet. (4) *In causa haredum Otto à Walschleben die 6. Martii Anno 1655.*

1. *l. res judicata 208. ff. de R. I.*

2. *Iason. in l. Julianus num. 2. ff de Condict. Indeb.*

3. *l. fin. C. si ex fals. instrum. Bald. in l. 1. n. 4. C. eod.*

4. *Tiraquell. in tr. Cessante causa lit. S. num. 240.*

TIT. LIX.

DE CONFESSIS.

DECISIO I.

Confessio dubia in leviorem partem & ex eo quod in ista perspicuum est accipitur.

QUando numerationem centum imperialium actori ad sumptus ædificationis domus factam inter disjunctionem rationum reus obtendit, ad ejus probationem actoris in judicio factam confessionem allegabat. Quod licet negasset se accepisse illam pecuniam, tamen addebat acceptam à se summam sexcentorum imperialium; sub qua continerentur controversa centum. Replicabat verò actor, ita errore aut suo aut scribentis exaratum ad prædicta impendia eam summam aliàs numeratam, imo ultrà à se acceptum esse, at non eo tempore, quo actor à se numerationem centum imperialium factam dicit, minimè itaque ad hos, sed ad prius accepta referendam esse suam confessionem. Visum fuit quod allegatum ad probationem solutionis non sufficeret, tum quia, ex quâ reus absolvi aut condemnari debet, confessionem certam & in dubiam esse oportet; (1) tum quod actor de illis centum Imperialibus nihil expressè erat confessus; (2) tum quod valdè generalis erat confessio; (3) In confessione assumptum eliciebatur ex dubiâ & obscurâ locutione ei apparenter contrariâ, quod aliàs de ipsa re controversa expressim & quidem geminato dictum erat; (4) tum quia an recte dictum an erratum sit, perinde dubium; tum quod ex distinctione temporũ facilius conciliandum erat, utrumque ut consisteret, quam ut appareret quod esset verius; (5) tum quod si ex alia confessione in specie contraria aliquid arripiendum prævalere deberet, quod certum ac apertum & ex eo potius dubium interpretandum, atque sic accipiendum, ut illi congruat, tum quod inter hæc dubia in favorem confitentis dicta potius accipienda erant. [6] Præterea in dubio confessiones in leviorem accipere decet partem, ut minus noceant. *In causa Nicolai Kirchhoff contra Assessorem D. Petrum Vogt die 16. Novembris Anno 1658.*

1. Non nisi ex liquidis & certis fit condemnatio, *l. pen. C. de Re jud. l. 1. C. de Exec. Rei jud.*

2. Confessio implicita non proficit, *Felin. in c. denique num. 6. & Excep.* nihil operatur ultra expressa, ideo nec ad alia quam quæ exprimit extendi debet, *Gœddeus consil. Marpurg 37. numer 10. vol. 4.*

3. Quæ habetur pro ambigua & incertâ, ideo insufficiens. *l. cum filius f. ff. de Donat. l. generaliter ib. gloss. C. de Non num. pecun. Bartol. in l. quoties ff. de Verb. Obligat.*

4. Confessio etiam deliberata prætextu erroris potest revocari. *uti habet communis Doctorum sententia Ant. Gabriel Commun. conclus. lib. 1. tit de Confess conclus. 5. in fin. Mascard. de Probat conclus. 378. num. 1. seq.*

5 Ambiguæ confessionis ad condemnationem nulla vis est. *Alberic. in l. nu. numer 167. C. de Confess.*

6. Sic

Digitized by Google

6. Sic JCti censent confessionem dubiam in favorem confitentis semper esse accipiendam. *Mascard. de Probat. conclus. 344. num. 22. Decius consil. 278. num. 10.*

DECISIO II.

Exceptionem solutionis opponens non fatetur debitum, nisi & actor solutionem fateatur.

DEbitor conventus exceptionem solutionis opponens, aut negat simpliciter debitum in eventum istâ adjectâ, & incumbit prius actori probatio debiti, aut non negavit, sed simpliciter exceptionem opposuit. (1) Et tunc actor vel fatetur solutionem, vel negat, istâ negatâ non intelligitur reus confessus de debito, (2) Etsi enim in judiciis silentium pro confessione habetur, haud aliter tamen actori proficit, quam si simul ratio silentii adsit, & quidem ista quæ confessioni congruat. Quod si alia ejus causa appareat, veluti quia respondere non visum sit necessarium, tunc non continet præsumptionem confessionis. (3) Ita fit si non negetur debitum, quia exceptione solutionis se tutum putet reus, speretque super ea actionis confessionem, quam si hic neget, non potest silentium certa contemplatione factum pro confessione, aut debitum, ut verum accipere, sed tenetur nihilominus probare. Ut pronunciatum *in causa Ulrich Buckouven contra Claus Horn die 25. Martii Anno 1659.*

1. *l. si quidem 9. C. de Except.*

2. *Socin. in c. 1. numer 17. utlit. contestat.*

3. Reus tantum implicite & conditionaliter, si nempe exceptio pro vera admittitur, intentionem actoris videtur fateri, ideo actor non potest exceptionem falsam dicere, & eam tanquam confessionem debiti acceptare, *l. non utique ff. de Except. Salycet. in l. siquidem num. 3. C. eod.* quod jure Canonico expressius provisum *c. cum venerabilis 6. §. adhæc vers. intelleximus X. de Except.*

DECISIO III.

Enunciatio in actis inter alios facta instar confessionis, quæ absente parte fit, semiplene probat.

QUando in lite super emptione inter alios partium altera dixerat, pecuniam numeratam ab aliquo acceptam esse, qui suo nomine istam solvisset, de quo alia lis inter diversos movebatur, nec id prætermittendum esse credebatur, in quæstionem venit, quam vim haberet ista enunciatio. Etsi vero de eo conveniebat, confessionis instar habere, tamen non putabatur plenam ex ista fidem constare; tum quia facta erat in aliena lite, non præsente eo qui jam ista uti intendebat; (1) tum quia incidenter saltem mentio injecta erat, unde pecunia provenerat (2) tum quia in alia causa aliove judicio confessio ista processit, (3) haud tamè & nullam facit, sed magnum momentum ad probationem affert, cum minime verosimile sit, aliquem in judicio non vera allegasse, præterea etiam dicens vel scribens mereatur, contra se atque hæredes suos id valere. (4) Quocirca non minus valere potest, atque extrajudicialis quædam confessio, quæ ut parte præsente atque acceptante plene probat, ita illa absente semiplenam probationem facit, (5) ut qui istam pro se habet, fundatam intentionem habere intelligatur, nec alia probatione opus habeat, sed ejus onus in adversarium transferat, (6) aut ad juramentum suppletorium, cætera si paria, admittendus sit, (7) Idque eo magis, quod illa enuntiatio nec processerat, nec usurpabatur ad obligandum confitentem, sed tantum ad probandum illud, quod alias factum erat, atque allegans verum probare volebat. (8) Quocirca concluſimus in illa specie, non quidem quod in actis enunciatum solum ad plenam probationem sufficere, tamen nec plane spernendum esse, sed audita adversa parte deinde de supplemento probationis cogitandum esse, *in causa Philip Adelhelman contra hæredes Heinrich Havechten die 9. Aprilis Anno 1659.*

1. Confessio facta absente parte non habet vim judicialis confessionis. *l. certum §. si quis absente ff. de confess.*

2. Confessio incidenter facta non probat nec præjudicat *Dec. in c. etsi clerici numero 19. seq. X. de jud.* ideo etsi de credito sonat ex illo nulla est contra confitentem actio. *Tiraquell. in tit. Res int. al. act. limit. 1.*

3. Confessio in uno judicio facta, si modus agendi variat, non facit plenam in alio fidem *Iob. Andic. in cap. cum contingat X. de offic. Delegat.*

4. *l. Publia §. fin. ff. depos. l. cum de indebito §. fin. ff. de Probat. l. generaliter in fin. C. de non num. pecun.*

5. *d. l. Publia §. fin. Tiraquell. de Retract. Lignag. §. 1. gloss. 14. num. 55.* Et hanc sententiam, quod confessio in favorem absentis semiplene probet, communem esse post multos allegatos docet Mascard. *de Probat. conclus. 347. num. 24.*

6. *Bald. in l. cum falsa demonst. 5. Cod. de Iur. & fact. ignor.* Unde contra confitentem talis confessio probat donec de errore constat. *Menoch. de Præsumpt. lib. 3. præs. 131. num. 50.*

Digitized by Google

7. Adhoc admittitur qui semiplene probavit. *l. 3. sb. Bart. Bald. & Dd. C. de Reb. Cred.*

8. Error est plurimorum non levis, quod cum *in d. l. certum. §. si quis absente*, confessioni aliquo absente factæ vis demitur, omnem demunt, non considerantes quod ibi tantum de illo effectu agitur, ut instar judicati sit, & statim tanquam ex hoc fiat executio, secus se res habet, ubi de probando res est. Ratione justiori nititur illorum sententia, qui circa probationem etiam magnam ipsi vim tribuunt, præsertim si non inducit obligationem sed tantum probat. *Cravett. de Antiq. temp. part. 1. n. 45. Mascard. dict. concl. 347. num. 3. seq.*

DECISIO IV.

Confessio mariti de paraphernalibus uxoris ad se allatis inque usus suos conversis utut ab ægroto marito, dum ab agone non multum aberat, facta, sola ad illorum probationem non sufficit, sed juramento supplenda est.

MAriti confessio de dote aliisque bonis uxoris à se receptis constante matrimonio facta suspectissima est, (1) ideò fidem facit nullam, nisi accedunt, quæ eam reddunt verisimilem. Inter hæc verò non reputandum, si decumbens maritus coràm notario & testibus contestatur, se illa quæ designavit ex uxoris utensilibus accepisse atque suos in usus convertisse. (2) Etsi enim memoria & meditatio mortis eam præsumptionem facit, quod sub ea nemo falsa dicturus aut aliis iniqua irrogaturus sit, (3) tamen non valet in aliorum præjudicium, quale hic, quà creditores, aderat. (4) Alias etiam ultrà non proficiet, quàm, ut qui dicit pro teste habeatur eoque unico, qui cujuscunque fidei sit tamen non facit plenam probationem, (5) multo minus ea dicto mariti tribuenda. (6) Non potest tamen & plane nihili haberi talis confessio, sed si non occurret, unde reperietur, aut demonstratur falsa vel suspecta, in id proficiet ut uxor admittatur ad juramentum suppletorium. (7) Quod cum injunctum esset malè ista provocabat velut gravata, quæ judici debebat gratias, quod admissa esset, recusando verò se suspectam reddebat *in causa Balthasar von Kalden Witwven contra die vätterliche creditoren die 10. Octob. Anno 1655.*

1. *l. fin. C. ad L. Iul. repetund.*

2. *Alciat. de Præsumpt. reg. 3. præs. 4. num. 2.*

3. Unus testis dicitur nullus testis, quia illi non creditur. *l. juris jurandi 9. §. 1. C. de Testib.* Nam in ore duorum demum consistit verum, uti in eo divinitus collocatum est veritatis testimonium.

4. Ob affectionem, quæ fidem testimonio derogat *l. testium 3. pr. ff. eod. tit.* inde domesticum valere non sinit *l. etiam 3. C. eod.*

5. Nuda quidem confessio mariti non proficit ut suppletorio juramento locus sit. *Vid Carpzov. in respons. Electoral. lib. 4. resp. 24. numer 2.* quia hoc prærequirit semiplenam probationem *vid. Mynsing. 1. Observ. 68. num. 5.* ideò unum testem omni exceptione majorem, cujus vices illa sine aliis adminiculis non habet. Si accedunt quæ fidem faciunt confessioni, tunc secus sentiendum. Hujusmodi est, si eo tempore fiet, quo lethi memor falsa dixisse non præsumitur. Illa memoria tollit multum è suspicione falsi, quam facit affectio, modo quod dictum ex se verosimile sit. *vid. Menoch de præsumpt. lib. 5. præs. 5. num. 1. & seq.*

6. *l. manifesta 8. ff. de Iure jur.*

DECISIO V.

Ex silentio vel contumacia adversarii pro confessatis vel liquidis non sunt habenda petita contra actorum fidem.

QUod ordini judiciorum convenit & observatur, ut ad quæ adversa pars non respondet cum respondere debet, ob silentium vel contumaciam petita tanquam concessa vel confessata pro liquidis habeantur & adjudicentur, (1) ita demum obtinet, si non ex actis aliud constet: (2) quæ potius sequi oportet, quam quod ex silentio saltem præsumitur, vel ex contumacia in pœnam irrogatur. (3) Illa quippe notorium faciunt, (4) & à judice præprimis attendenda sunt. (5) Cum ex iis apparet veritas, etiam pro contumace jus dicendum est; (6) idcirco non aliter contra eum pronunciandum, ac quatenus ex actis aliud pro ea non apparet. *Vti existimatum in causa Wedige Behren contra Arend Mollendorff. In qua prioritas pro intervenientibus saltem admissa est quoad credita, de quibus ex actis apparebat, non in cæteris, etsi nihil responsum fuit die 4. Octobris Anno 1659.*

1. *Wesenbec in Paratit. l. C. de Confess.*

2. Actorum veritas ante omnia est consideranda & servanda *l. illicitas 6. §. 1. ff. de Offic. Præsid.*

3. Ex his ficta saltem & præsumpta confessio est, cui prævalet veritas *l. 15. §. 3. l. 16. ff. de Adoption.* ubi concurrunt veritas & fictio, semper veritas præfertur & attenditur. *Angel. Aretin. Consil. 135. num. 6. Fr. Curtius. cons. 63 n. 4.*

4. *l. fin. C. de re judic.*

5. *Mascard. de Probat. conclus. 1101. num. 13. & seq.*

6 *l. properandum 13. num. 3. §. & seq. Cod. de judic.*

Digitized by Google

DECISIO VI.

Gravamina ob contumaciam non respondentis pro confessis acceptantur.

QUod vulgo traditur & in praxi servatur, ut positiones in contumaciam non respondentis pro confessatis acceptentur, (1) obtinet etiam cum in secunda instantia ad gravamina sive articulate sive summariè conscripta, postquam admissa sunt & responsio sub contumaciæ pœna, sicut ita fieri solet, injuncta fuit, non respondetur, (2) Servato tamen eo discrimine, utrum appellatus semel comparuit nec ne. (3) Quando non comparuit, tunc ultra non proceditur, antequam per proclama citetur. (4) Eoque sic citato in contumaciam lis pro contestata habetur & postea fiunt probationes. Ubi vero semel comparuit, multo magis si etiam procuratorem ad acta constituit, sic acceptatio confessionis ex contumacia, nec refert, utrum litem contestatus sit nec ne. (5) Etsi enim etiam id fieri deberet, tamen & ob contumaciam lis haberetur pro contestata; Quare sicuti processus apud nos servat, quia decretum de respondendo ad gravamina simul continet litis contestationem & responsionem tanquam ad positiones, utrumque simul non faciens pro confesso & gravamina pro confessatis ob contumaciam reputantur. (6) *Iuxta quod decretum in causa Hans Brandt contra Christoph Meyern die 19. Octobris Anno 1659.*

1. Hæc pœna non respondentis ordinaria est *c. 2. x. de confess. in 6.*

2. Qua contumaciæ pœnam juri communi non est inter primam & secundam instantiam discrimen.

3. De hoc discrimine quod ordinationi Cameræ Imperialis *in part. 3. tit. 15. §. 7. & tit. 43. §. 4.* convenit. *vid. Gailium 1. observat. 80. numer 2. & seq.*

4. Gravior habetur contumacia ejus qui semel comparuit, quam qui nunquam venit. An recte, dubito. Magis vero præjudicare seu nocere debet, quod semel comparentis negligentia major, ideo minus iniquitatis, illum pro confesso haberi *Cylmannin Symphor. voc. Camer. tom. 2. part. 3. voc. numer. 29. & seq.*

5. In prima instantia sic JCti censent, quia sine litis contestatione non est judicium, cujus initium illa est *vid. Gailium 1. Observ. 74. per tot.* At in secunda illa præcise opus non est. *Gail. 1. Observ. 79 numer 1. seq.*

6. Eo cui præprimis invigilamus lites abbreviandi studio apud nos processus ea est ratio, ut non separatim litem contestari injungamus, deinde vero articulos positionum loco repeti aut alios positionales formari, ad illos demùm responderi, id quod alibi in diversis terminis fieri multumque temporis consumere solet, sed eo ipso dum super relevantia gravaminum judicatur, his admissis responsio injungitur, quæ simul litis contestationem, repetitionem positionalium, & ad hoc responsionem complectitur, & sic injungit, etsi nulla specialis mentio fiat.

DECISIO VII.

Confessio debiti accipienda est juxta contractum seu causam antecedentem.

CUm qui curam exactionis debiti aliorum in se receperat, inde rationibus de exacto redditis subscripserat se ex residuis totidem debere, verbleibe ich schuldig an Restanten 1438. Reichsthaler exinde adversa pars alium, quam mandati contractum, & quidem constitutum seu expromissionem inferebat, lite desuper exorta, visum est hoc argumentum non esse satis congruũ, cum non alius in antecedentibus, quam mandati contractus apparebat, ejusque varia & concludentia argumenta erant. Nec quid aliud facere potest subsequens confessio, quam quod est in causa antecedente. (1) Sine qua cum alias nulla appareat, non est valida obligatio. (2) Quod si præterea quis verba ista curatius inspexerit, propius mentẽ reperiet, scribentem se non constituere debitorem pecuniæ, sed quod residua illa, & ipsorum signatam quantitatem apud debitores præstare deberet. Nec enim verosimilis est receptio alieni debiti tanquam sui, (3) aut alia confessio, quam quæ præsenti negotio convenit. (4) *In causa Alberti Matthias contra Catharinam Oelgart Meyers.*

1. Præcedentia sunt argumenta sequentium, quæ sic intelligenda, ut istis conveniunt *l. quoties in fin. C. famil. erciscund. Decius consil. 14. num. 5.* ut enim illa in hæc influunt magis, quam in hæc illa. *Tiber. Decian. respons. 41. num. 38. lib. 1.* ita etiam declarant atque explicant. *Iason. & Castrens. in l. 1. C. de lib. præterit.*

2. *l. 1. ff. de con. dict. sin. caus. ibi Bartol. & Dd.*

3. Quisque quam minimum potest se obligare intelligitur, & in dubio minimum sequimur. *l. semper in obscuris ff. de R. j. ubi Decius* scribit id in omnibus actibus & contractibus obtinere.

4. Hoc subintelligitur, quod rei quæ agitur convenientius existit. *Bald. in l. fin. C. commun. divid.*

DECISIO VIII.

Ad probandam ultimam voluntatem sufficit subsecuta hæredum confessio.

COnfessio hæredum de ultima voluntate ad hanc probandam sufficit (1) eos-

Digitized by Google

que ad præstanda legata, quæ disposita fuisse semel confessi sunt, obligat (2) nec præter illam alia ultimæ dispositionis probatione opus est, (3) Præsertim in legatis ad pias causas. (4) Eoque magis ea confessio obligandi vim habet, si iterata sæpius. (5) Nec dubium fuit, legata ad pias causas deberi, quorum in defuncti legantis concione ut & programmate funebri per viduam & hæredes singularis laus solenniter erat publicata. (6) Quæ deinde ab his coram visitatoribus Ecclesiæ non negata fuerunt, (7) de quibus viduæ hæredes post eum obitum celebrationem singularis pietatis inter personalia concionis referri & typis excudi fecerunt, (8) Quorum usuram etiam post mortem illius semel præstiterunt. (9) sic judicatum *in causa præfecti Brodæ Georgii Volschovii contra senatum civitatis Gryvisvvaldensis die 9. Ianuarii Anno 1660.*

1. Confessio omnium probationum probatissima habetur *tot. tit. ff. & C. de confess.*

2. *l. 2. C. de fideicommiss.* Suis quisque confessionibus acquiescere debet. *l. generaliter. C. de eonnum. pecun.*

3. Nec enim sunt aliæ partes judicis in confitentem, quam ut condemnet *l. proinde 25. §. fin. ff. ad L. Aquil.*

4. Inter horum favores etiam hoc refertur, quod confessio extra judicium facta plenam fidem facit. *Tiraquell. de privil. pia causæ cap. 112.*

5. De vigeminationis JCti multa congerunt, quod deliberatam mentem indicat, quod enixæ voluntatis, quod instar juramenti habeat.

6. Etsi veritas vel solennitas juris desit, si quis tamen aliqua ratione amplexus fuerit voluntatem postea ad solutionem urgeri potest *l. si verit. 23. C. de fideic.*

7. Instar judicum hi habentur, & coram ipsis facta confessio, velut apud acta judicialis ideo magni momenti existimatur *l. un. C. de confess.*

8. Hæc conscientiam relicti arguunt, ideo ex ea obligant, licet Scriptura deficiat *l. 2. l. fin. Cood. de fidei commiss.*

9. Qualis qualis agnitio voluntatis defuncti infert necessitatem observantiæ *l. non dubium 16. Cod. de Testib.*

DECISIO IX.

Si de legato ex confessione partis constat, non obstat petitioni, quod de testamento non appareat.

JUri quidem convenit, ut de testamentis nihil conveniat aut judicetur, nisi inspectis verbis testamenti, (1) Cui consequens videtur, si deficit, vel non apparet testamentum, etiam non valere super eo acta vel transacta. (2) At ita hoc procedit, si dubia sunt, quæ de testamento quæruntur. Secus se res habet, ubi aliàs certa atque ita extra dubium sunt, nec egent ulteriori testamenti exhibitione. (3) Deinde etiam aliter se res habet, ubi hæres, contra quem agitur, sua confessione aut promissione, aut alio modo amplexus est atque attestatus ultimam voluntatem; (4) Quali in specie non attentum fuit desiderium ejus, qui voluit prius exhiberi testamentum super eo, quod ex ipsius confessione & approbatione constabat. In eadem causa.

1. *l. de his controversiis 6. ff. de Transact. l. 1. §. 1. ff. testam. quemadm. aper.*

2. Ubi videre licet ex *Gloss. Bart. & aliis add. l. de his controversiis.*

3. *d. l. de his 6. & d. l. 1. §. 1.* expresse loquuntur de controversiis, unde per argumentum à contrario sensu, in liquidis secus esse colligitur, sicut ita concludit *Faber. in Cod. lib. 2. tit. 4. defin. 1. vid. & Bartol. in d. l. de his 6.*

4. Etsi enim Scriptura desit, tamen ex conscientia facti hæres obligatur, *l. 2. C. de fideicomm.* sicut etiam ex quavis approbatione etsi veritas desit *l. si veritas 23. C. eod.*

DECISIO X.

Erroris exceptio non proficit nisi errorem simul docenti.

QUi confessus fuit legatum ad pias causas esse datum, & ejus usuras solvere cœpit, postea conventus negat deberi, confessioni atque solutioni oppositæ reponit erroris exceptionem, ex ea confessionem seu verbis, seu actu solutionis factam sibi non præjudicare ratus, (1) Nec posset non audiri & integrum restitui (2) si etiam errorem verosimiliter doceret, quod necesse est, dum ille non præsumitur. (3) At cum nihil pro hoc probando præter solam allegationem adfertur, placuit istam non attendi, (4) præsertim cum intra viginti & ultra annos reus prætensum errorem non revocasset, nec restitutionem in integrum petiisset. Accedebat, quod contra illum errorem plura occurrebant, ex quibus non erratum, sed vere se rem ita habere colligebatur. (5) Eoque minus ista locum habere potuit, ubi de legato ad pias causas agitur, quod etsi indebitum, repeti non potest. (6) *In cad. causa.*

1. Non fatetur qui errat *l. non fatetur ff. de confess.* ideo confessio erronea nec probat nec præjudicat *l. cum falsa l. cum error. l. si post divisionem C. de jur. & fact. ignor.* & semper revocari potest. *Iason. in l. 1. n. 3. C. de Error. calc.* etsi fuerit jurata. *Dec. cons. 401. per tot.* aut sæpius repetita. *Herculan. de probat. negativ. 198.*

2. Non tantum minoribus sed etiam majoribus, ex capite si qua mihi causa restitutio in integrum contra errorem indulgetur *vid. Fabr. in Cod. lib. 2. tit. 24. defin. 3. num 3.*

3. *l. error. ib. Iason. C. de juris & fact. ignor. Bart. in l. non fatetur. ff. de confess.*

4. Paris

Digitized by Google

4. Paria sunt non esse & non apparere *l. in lege 77. ff. de contrah. empt.* Non probatum nihil relevat.

5. Talia argumenta dicuunt errorem cujus probatio ex eo est, quod res se aliter habere docetur *d. l. si post divisionem C. de jur. & f. Et ignor. d. l. error. ib. Bart. & Jason. C. eod.* Ea præsertim etiam in probando errore confessionis id requiritur, *vid. Mascard. de probat. conclus. 646. num. 1. seqq.*

6. *vid. Tiraquell. in privil. pia caus. 119.*

DECISIO XI.

Articuli vel positiones quando in contumaciam non respondentis pro confessis habendi & quo cum effectu.

REsponsiones injungi partibus litigantibus sub pœna confessi consuetum est (1) at quando non respondetur: an pro confessis articuli acceptandi & quid ultra decernendum sit, dubitatione non caret. (2) Communis JCtorum sententia praxi plerumque servata discernit causas criminales, in quibus liquidis & luce meridiana clarioribus probationibus opus, (3) ideo fictæ quæ ex contumacia existit confessioni locus non est (4) & civiles. In quibus refert, utrum reus nunquam comparuit, sed citatus contumaciter emanet, an cum semel in judicio comparet, postea in respondendo contumax est. (5) Ab initio emanens actor vel reus non habetur pro confesso nec causa statim cadit: (6) Sed ad veritatis scrutinium legitimo processu proceditur & probationes recipiuntur. (7) Semel autem compatens nec ut decet respondendo judici parens, judicis sententia pro confesso haberi (8) & declarari solet (9) nec ultra aliis probationibus opus est (10) nisi causa quædam existat aut moveat judicem, cur articulos vel positiones pro confessatis habere nolit (11) ut hoc ejus arbitrio relictum est. Præsertim in causis arduis & grande præjudicium inferentibus contumacia ad condemnandum, nulla alia probatione facta, sufficiens non habetur. (12) Etsi vero judex pro confesso reum habet, nec alias probationes exigit, attamen quia id ex tali confessione proficiscitur, quæ non vera sed ficta tantum est, (13) relinquitur reo facultas contrarium probandi, sicuti aliquoties judicavimus.

1. Hæc est pœna velut ordinaria non respondentis *c. 2. de confess. in 6. ibi gloss.* ideo decretis de respondendo Stylo judicario adnectitur.

2. Judex considerate procedere debet, ne sub obtentu contumaciæ injuria cuiquam fiat.

3. *l. fin. C. de probat.*

4. *l. properandum § & siquidem C. de judic. Clar. § fin. q. 45. num. 6. Gomez. de debit. c. 13. num. 33. Mynsing. 3. observ. 32.* ubi in causis fractæ pacis publicæ ex ea ratio ita in camera servari ostendit.

5. Longe gravior censetur contumacia ejus, qui plane non comparet, quam ejus qui semel comparens judici non obsequitur *Gail. 1. observ. 80. num. 2.* nempe quia hic comparens se obstrinxit, & per judicium susceptum quasi contrahendo ei pœnæ se subjecisse creditur.

6. Eo pertinet quod dicitur, contumacem non comparendo de jure non haberi pro confesso *Bald. in l. un num. 40. C. de Confess.* nec ob solam contumaciam causa cadere *Gail. 1 observ. 60. num. 8.*

7. *Ita præscriptum in d. l. pr. per. andum C. de judic.*

8. *Vid. Gail. d. observ. 80. num. 1. & seq.*

9. Non ipso jure contumax habetur pro confesso, sed per sententiam judicis declaratoriam, *Zasius in l. Julianus & in l. eum qui ff. de confess. Marant de ord. judic. part. 6. numer 347.*

10. In confessos nullæ sunt partes judicis nisi condemnantis *l. proinde 25. §. ff. ad L. Aquil.*

11. Ex superabundanti sæpius judex probationes injungit, ejusque arbitrio hæc res relicta est *Rutg. Ruland. de commiss. part. 1. l. lib. 2. c. 8. n. 5.* ita in Camera non semper pro confessatis in contumaciam accipi articulos scimus.

12. *Bartol. in l. 1. num. 25. ff. si quis jus dic. non obtemp. Cacheran. decis. 105 num. 6.*

13. Contra hanc locus est probationi *Jason. in l. si is qui num. 6. C.* qui testam. fac.

14. *Gail. 1 observ. 80. num. 5.*

DECISIO XII.

Confessio matris de morte filii in una causa, nec ipsi nocet in alia, nec sufficit quà tertium.

FOemina velut mortuo marito, qui in bellum iverat, & in acie mortuus dicebatur, lucra nuptialia à matre istius, bona filii possidente, petitura, fundabat intentionem super confessione ipsius matris, quæ in alio judicio filium suum mortuum esse confessa fuerat. Verum non satis hoc creditum, tum quà matrem ipsam, quando non in eadem causa contra supplicantem, sed quà alios ejus confessio processerat, (1) nec etiam satis fundata erat, sed tantum relativa, (2) ideò erronea esse poterat, (3) tum quà alios, præsertim fiscum quem concernebat, in confessione nihil præjudicii erat. (4) Inde non satis id pro mortis probatione habitum, sed supplicans aliter id, quod fundamentum intentionis erat, probare jussa fuit, eò magis quod juris præsumptio, ex qua, quem mortum nondum constat, vivere præsumitur, (5) isti contrariatur. (6) *Ita actum in causa Ilse von Brobergen, contra Obrist Lieutenant Johann von Brobergen, die 12. Decembris Anno 1656.*

1. *Bartol. Socin. consil. 8. num. 6. vol. 1.* Differunt quidem ab hoc alii, at tali distinctione fit conciliatio; An eadem sit actio, an variatum sit circa modum agendi. Alii enim distinguunt, utrum eadem judicii materia, an alia sit, *vid. Bartol. in l. Prætor ait, §. hoc. edicto ff. vi bon. rapt.*

2. Relativa

Digitized by Google

2. Relativa confessio non probat, nisi constat de relato. Ideò non habetur pro veritate, nisi quatenus in hoc illa est. *Hercul. de Proband. Negativ. n. 198. Paris. consil. 7. num. 4. vol. 3.*

3. Ubi præsumi potest, ex errore prognatam esse confessionem, ibi non nocet, *l. error. C. de Iur. & fact. Ignor.* non fatetur qui errat: *l. non fatetur ff. de Confess.*

4. Unius confessio non probat in præjudicium alterius. *l. Sejan in pr. ff. ad SC. Velleian. l. post certi C. de Liber. caus.* Nec enim in potestate cujusque esse potest aut debet, confitendo alicui nocere, aut jus suum auferre. *Felin. in c. 2. num. 11. de Fid. Instrum.*

5. *d. fin. C. de SS. Eccles.*

6. *De hac vide Mascard. de Probat. conclus. 10. 47. num. 1. seq.*

DECISIO XIII.

Mariti confessio de jure & privilegio crediti non nocet uxori ejusque juribus.

POstquam mulier nupserat viro, hicque adeptus prædium, in quod induxit velut in domicilium atque bona sua uxorem, super eodem cum matre & fratribus conventionem quasi hæreditariam einen Erb-Vertrag inierat, cui inter alia additum, illud loco portionis hæreditariæ ipsi cessisse cum onere æris alieni isti inhærentis mit der Schuld so darauff hafftet. Post annum veto designatio quædam creditorum subsequebatur, quos paciscentes dicebant esse eos, quibus ex illo prædio solvendum erat, tanquam defuncti, cui succedebatur, creditoribus, aut talibus, quorum pecunia illis satisfactum erat, ex qua nunc prioritas in concursu ante uxorem postea viduam obtendebatur. Quando verò mulier è contra nitebatur dicendo rem se aliter habere, receptos pòst priorem contractum à marito creditores non omnes esse ejus sortis, quibus jus protopraxias erat, alios, quam queis ex prædio debebatur, designationi in sui fraudem insertos esse, nec ex conventione inter matrem & fratres id statuendum esse, velut illatione suæ dotis adeoque quæsito jure posteriorem, sed aliunde & quidem in singulis creditis probandum esse, obtinuerat in ea lite, ut singulis injungeretur liquidatio non de quantitate modo sed & qualitate crediti. Post producta singula documenta, nihil tale, quod de onere istius prædii obtendebatur, ex iis apparuit, ideoque retroitum ad tenorem conventionis. Præterquam vero quod res judicata creditoribus obstabat, per quam rejectum erat id probandi genus, ideoque cum isti probando non esset satisfactum, rejicienda erat illorum petitio, (1) juri non convenit, ut nuda assertioni mariti fides habeatur contra uxorem, sive confessio istius noceat, (2) præsertim quæ ad jus uxori jam quæsitum tollendum vel immutandum tenebat. (3) Neque est in potestate mariti, conditionem dotis aut actionum muliebrium paciscendo cum aliis reddere deteriorem. (4) Creditores quidem contra maritum uti poterant allegatione pacti & confessionis, (5) haud tamen potuerunt contra uxorem. (6) Qua hanc enim res in eo statu habenda fuit, atque si pactum vel confessio non accessisset, quia qua illam invalida est. (7) Eoque magis audienda fuit, quod verosimiliter demonstravit, non esse versam pecuniam creditorum in ea quæ prætendebantur debita, quod dudum antea fuerunt exsoluta. *Sic judicatum in causa viduæ Heinrich Christoph Schweverin contra creditores socrus & mariti die 22. Junii Anno 1659.*

1. In probatoriis iteratio semel rejectorum inutilis est, cum rejectio vim judicati acciat. *Pract. Ferrariensis tit. de Probat. artic. fin. num. 6.*

2. Confitendo non magis quam paciscendo maritus conditionem deteriorem reddere potest, Factum mariti in nullo juri uxoris officere debet, *siquidem 15. C. de donat. int. vir. & uxor.*

3. Jus quæsitum suum nemini auferri potest, quod juris principio, ex quo suum cuique tribui debet, repugnat. *l. 10. ff. de just. & jur.*

4. *l. Atilicinius 27. ff. de Pact. dotal.*

5. *l. 2. l. in contractibus 14. §. sed quoniam C. de rei uxor. act. pecun.*

6 Nunquam probat confessio debitoris in præjudicium anteriorum creditorum. *l. cum quis decedens §. Titio ff. de Legat. 3. l. si quis post hoc ibi gloss. & Salicet. Cod. de Bon. proscript. Gail. 2. Observ. 81. n. 2.*

7. Pactum alterius qua tertium nullum & invalidum est. Quisque de re sua tantum, non de aliena paciscitur potest. *l. jurisgentium 7. §. pen. ff. de Pact.*

TIT. LX.

RES INTER ALIOS acta vel Judicata aliis non nocere.

DECISIO I.

Executio, ne quidem ex pignoris causa, contra alios, quam qui condemnati sunt, decernenda est.

QUando creditor omnes defuncti heredes convenerat, iique Judicis sententia condemnati fuerunt, executio vero contra viduam & aliquos hæredum decreta, appellatio interponebatur. Nec dubium erat, si adversus alios quam qui executioni obnoxii essent, ea procederet, excessum esse gravem ideo appellabilem (1) Etiam de eo conveniebat, quatenus personali actione

Digitized by Google

actione contra viduam & hæredes actum, condemnatione istorum simultaneè facta contra omnes simul etiam executionem decernendam esse. (2) Nominatim ubi hæredes conventi fuerint, illi non aliter tenentur, quam pro partibus hæreditariis, (3) ideoque aliter conveniri, condemnari aut executioni subjici queunt. (4) Sententia ipsa adversus illos conjunctim lata divisionem quantitatis, in quam condemnati fuerunt, pro virilibus portionibus efficit. (5) Verum præcipuam dubitationem faciebat, quod creditori dicebatur hypotheca constituta & ex ea crediti persecutio adversus possessorem & ejus causa unum etiam hæredum qui possidet compellere liceat. (6) At licet ita se hæc habeant, ubi hypothecaria actione adversus istum ex causa pignoris actum fuit; secus tamen statuendum, quando ab initio personali actione omnes hæredes conventi sunt, atque inde priori actione porro etiam condemnatione creditum divisum est, tunc ex causa pignoris non mutari potest executio. (7) Actio quippe judicati extra sententiæ tenorem & limites non competit, nec contra alios, nisi alio modo, quam actum & pronunciatum. (8) Etsi enim illa novat causam, minime tamen mutat. (9) Nec alia ratio executionis est quæ nobili judicis officio fit (10) quæ in locum actionis judicati surrogatur, ejusque conditionem imitatur. Hoc quidem integrum est creditori relicta, personali actione postea adversus unum hæredem possessorem hypothecaria agere, (11) & licet decreta fuerit executio, ad aliud remedium retrocedere. (12) Non vero similiter cum personali actione contra omnes actū super alia actione, quæ non instituta fuit, ita executionem petere, atq; impetrare, sed opus est actione de novo hypothecaria. Non itaque quod secus factū sine gravamine fore existimatum est. *In Causa Viduæ & Hæredum deß Statthalters Philip Horns, contra D. Heinrich Brandes Erben, die 8. Januarii Anno 1658.*

1. *l. ab executione 5. C. qui appellat. recip.*

2. Executioni non est locus adversus alios quam condemnatos. Sine condemnatione ab ea incipere injustum. *l. 1. C. de Execut. rei jud.*

3. Ipso jure inter plures hæredes fit divisio actionis activæ & passivæ. *l. 3. pen. ff. Famil. Ercisc. l. 2. C. si cert. pet.* Hæredes non repræsentant defunctum nisi pro ea parte ac pro qua hæredes sunt. *l. 2. §. fin. ff. de Prator Stipul.*

4. *l. 1. l. 2. C. plures un. sent. condemn.*

5. *l. 2. C. de hæreditar. action.*

6. Ista in rem est & possessorem sequitur. *l. persecutio 24. C. de Pignorib. l. 2. C. si un. ex plur. hæred.*

7. Naturalis ejus regula est, cui astringitur sententia. Non enim est nisi judicati, ideo nec in illam venit, nisi quod judicatum.

8. *Meier in Colleg. Argentor. l. 4. tit. 2. thes. 2. in pr.*

9. Novatio quæ est ex judicio & judicato *juxt. l. 29. ff. de Novat.* efficit quidem, ut actio formaliter non sit vetus. Virtualiter tamen est, nec aliud in actionem judicati venit, quam in prima fuit. *Quali distinctione hoc explicat. Meier. dict. tit. 1. thes. 85. num. 1.*

10. Lege 12. Tab. Judicati actio data fuit qua victores litis experiebantur ad consequendum adjudicata, quam deinde Prætor ex edicto dare solitus est. *l. 4. §. 3. l. 5. ff. de Re Iudic.* At quod prolixiori ambage sic ad juris extremū tendebat, frequentari desiit & officio judicis per mandata hodie plerumque expeditur, ita vero ut ista non sit sublata, sed cui placet adhuc uti integrum sit. Utut vero expeditiori istorem edio judicatis potiri licet, non tamen aliter quam ut illis conveniş, non extra illorum tenorem.

11. Est in arbitrio creditoris hypothecarii actione in rem an in personam contendere velit.

12. In executivis electio uniusremedii non præcludit viam cæteris, sed donec sua quis consequatur, ob electa recedere, consilium mutare & aliis remediis utilicet. *Vid. Coler. de Process. Executiv. part. 3. cap. 5. n. 40. & seq.*

DECISIO II.

Transactio civis non tollit litem quà interesse civitatis.

QUomodo unius litis consortis transactio alteri non nocet, (1) nec obstat, quo minus litem prosequi queat, (2) ita quando civis causæ magistratus civitatis pro hujus interesse assistit, illius cum adversario compositio non est impedimento, quin iste porro appellationem prosequi possit. (3) Multum refert in causis, quibus civibus à magistratu assistitur, utrum assistat tantum illorum gratiâ & auxilio, an ob civitatis peculiare commodum vel incommodum. In priori specie ubi transactione lis cum cive desinit, non superest magistratui agendi potestas, (4) modo res de qua transigitur sic comparata sit, ut civi de ista paciscendi facultas non fuerit adempta. (5) At quando sub una eademque lite alia est causa civis, alia civitatis, tunc illa licet per compositionem finitâ, huic integrum suam porro agere. (6) Quo circa magistratui pro litis finitæ exceptione non recte opponitur transactionis cum cive factæ exceptio, (7) eaque non attenta judici à quo injuncta est actorum editio. *In causa Burgermeister und Rath der alten Stadt Stetin contra den Advocatum Fiscii in Pommern, die 11. Octobris Anno 1659.*

1. *l. 3. §. fin. ff. de Transact. l. 1. C. eod. l. 2. Cod. res int. al. act.*

2. *l. 1. ibi Richard C. de Consort. lit.*

3. Civi nullo suo facto vel pacto civitatis juribus aut commodis præjudicium inferre valet.

4. Interventionum quæ fiunt tantum ad assistendum alterius causæ, hoc proprium est, ut ubi hic à

Digitized by Google

lite desistit appellationem deserit vel super lite transigit, & qui accedit ultra agere non queat, sed ei obstet transactionis exceptio *Gail. 1. Observ. 71. num. 19. Peter. Frider. Mindan. de Continent. caus. lib. 3. cap. 9. num. 5.*

5. Per statuta locorum ea sæpe fit providentia, ut civi super iis paciscivel transigere non liceat, quæ aliqua ratione civitatis statum publicum concernunt, sine iis verò æquitas & utilitas publica poscit, ut in eo cives cauti sint.

6. Alia sunt civitatis alia singulorum *l. 7. §. 1. ff. quod cujusque univers.*

7. *Mindan. de cap. 16. num. 5.*

DECISIO III.

Consortibus non citatis judicialia decreta aut sententia non præjudicant.

CUm plures causæ consortes essent, at unus illorum saltim legitimè conventus, quicquid contra hunc decernitur aut pronunciatur cæteris non præjudicat, (1) etsi una vel altera vice pro suo interesse quædam in judicio protulissent. (2) Hoc enim eos judicio ultra non adstringit, quam comparent, de cætero si obligari debent, citatione opus est. (3) non citatis acta non nocent, veluti quæ nulla sunt nec effectum quendam adversus istos habent. (4) *In causa Johan Müllers & Provisorum S. Spiritus Hospitalis in Stralsund, contra Bernhard Friederich Behren.*

1. *l. 1. C. de consort. ejusd. lit.*

2. Judicio non obstringitur ut reus, qui non legitimè convenitur.

3. Citatio initium judicii est.

4. Non citatis in judicio nihil nocet.

DECISIO IV.

Nullitas sententiæ qua unum consortem cæteris etiam in re individua proficit.

SEpius quod alicui ex sua non competit, ex alterius persona impetrat. (1) Quemadmodum ubi communis causa est, appellatio unius ex litis consortibus proficit aliis, (2) etsi ex ea obtinere non queat, ita & nullitas sententiæ qua unum facit, ut hæc non accipiat vires rei judicatæ. (3) qua alium nempe si res de qua agitur sit individua, neque jus illorum semet separare sinat. (4) Nec est, cur victor contra unum conqueri queat se privari rei judicatæ fructu, cum hujus vires sententia accipere non possit obsistente cum jure alterius non conventi aut potiori jure prædito, (5) tum rei individuæ conditione: Sibi imputare debet, qui continentiam causæ divisit, (6) nec consortes simul legitimè convenit, aut nullitatem judicii justis petitionibus non prævenit. *In eadem causa.*

1. *l. Aristo. 5. ff. Quæ res pign. vel Hypothec. l. 15. qui duos 29. ff. de lib. leg. 2.*

2. *l. 1. C. si un. ex plur. appell.*

3. Æstimarunt hæc, an sententia sit quatenus injusta an nulla? & remedium deductionis nullitatis appellationi.

4. De continentia causæ ob individuam rem plenius agit. *Petrus Frider Mindan. lib. 3. de comm. caus. cap. 12.* Ex cujus effectibus est quod victoria unius consortum proficit aliis *l. loci 4. si fundus 3. ff. si serv. vendic.*

5. *l. 1. tot. tit. C. Res int. al. act.*

6. *Contra l. nullis 10. C. de jud.*

Juxta hæc ita pronunciatum est.

In Sachen Johann Müllers als Pensionarii zur Engelswacht/ wie auch Provisorn des Gotteshauses zum Heil. Geist in Stralsund Appellanten wider Friedrich Bernhard Behren Appellaten/ in puncto vindicationis Marten Cluvers werden gravamina als nicht unerheblich so weit angenommen und deßwegen dero Copia ertheilt/ daß Appellanten annoch zum Beweißthum/ daß bemeldter Marten Cluver/ ehe sein Vatter unter Appellanten Güter Bauerpflichtig worden/ und ein freyer Mann annoch gewesen/ gebohren seye/ zuverstatten/ demnach Appellant zwischen dieß und nechsten solchen Beweiß zu führen/ und einzubringen schuldig seyn solle. Von Rechts wegen.

(Hoc est.)

In causa Iohann Mülleri tanquam Pensionarii in Engelswacht ut & Provisoris Ecclesiæ ad S. Spiritum in Stralsund appellantis contra Fridericum Bernhardum Behren in puncto vindicationis Martini Cluvers, gravamina ut non irrelevantia in tantum recipimus, & propterea eorundem copiam decernimus, quod appellans adhuc ad probationem, dictum Martinum Cluver natum esse, antequam ejus parens sub appellato glebæ adscriptus est & adhuc liber homo fuit, admittendus, exinde appellanti incumbit, ut inter hanc & proximam illam probationem ducat & exhibeat. Idq; de jure.

DECISIO V.

Appellatio creditoris a sententia contra debitorem lata admittitur, ubi hujus aliquod præjudicium apparet.

CUm possessor fundi ex causa evictionis succubuisset, creditor ejusdem exinde damnum sibi metuens appellabat, atque causam debitoris defidis contra evincente agere intendebat, siquidem fundus iste fuisset oppignoratus, de eo dubitandum non erat. At illo non apparente nec allegata hypotheca tantum in prætextum sumpto, quod obæratus, ut plerumque fit, rerum suarum incuriosus parum de servandis bonis solicitus male sibi & creditoribus consuleret, dubitatio exsurgebat. Quam tamen vicit interesse creditorum, (2) ut debitorem habeant opulentum, nec exutum

Digitized by Google

medlis, ex quibus sibi satis fiat. Quod minimè reputandum erat, tanquam si adhuc in spe fuisset, (3) dum ex amissione bonorum præsens damnum fuerat, & magnum præjudicium. (4) *Uti decretum ad supplicationem Otto Clüver. Die 25. Januarii. Anno 1660.*

1. Ita tradit de creditore appellant, cum debitorem ipsi pignoratam restituere condemnatur. *Scaccia in tr. de Appellat. quæst. 5. n. 59.*

2. Appellare potest quilibet, cujus interest sententiam aliter non fuisse latam *l. à sententia 5. ff. de Appellat.* & quisque tertius *l. ab executore 4. §. alio ff. eod. l. 1. ff. de Appellat. recip. Tiraquell. in tr. res int. al. act. limit. 9.* etsi nullo momento in prima instantia intervenerit *Ruginell. de Appellat. §. 2. cap. 1. num. 24. seq.*

3. Remotius interesse quod in sola spe est ita attenditur etiam circa appellationem *Ruginell. dict. cap. 1. num. 51.*

4. Sufficit ad fundandam appellationem quale quale interesse & damnũ *Gloss. in cap. cum super 17. X. de sentent. & re judic.* ut & leve præjudiciũ *Tiraquell. dict. limit. 19. Contard. in l. un. limit. 23. num. 10. C. si de moment. possess.*

DECISIO VI.

Contra tertium qui nomine vel jure litigantis facit, attentatorum remedia juste adhibentur.

QUod pro regulâ traditur, remedia attentatorum contra tertium non habere locum, (1) sed ordinariâ via peculiari judicio in foro competente agendum esse, (2) non procedit, quando quod tertius fecit, perindè est atque litigantium quis fecisset, veluti cum factum oritur & adhibetur nomine istius quo cum res in judicio est, (3) vel si ex jure isto quod inter litigantes in judicium fuit deductum, (4) multò magis si inistigantibus his à tertio processit. (5) De tali facto cum quererentur appellantes ad præfectũ ejus loci utut tertium qui fecerat, decretum est mandatum tum cassatorium tum inhibitorium *in causa Juraten zu Linsam, contra die Juraten zu Schnarve. die 7. Februarii Anno 1657.*

1. *Lancellot. de Attentat. part. 1. cap. 3. num. 4.* ubi rationem hanc addit, quod litis pendentia afficitli tigantes non tertium.

2. *Franch. in c. cum teneamur. num. 15. seq. de Appellat.*

3. Hic quasi in locum litigantis cujus nomine fecit, succedit, eademque cum ipsa persona est, ideò non tam ut tertius, quam idem qui litigat censetur, adeo ut hujus vice facit, ita & ejusdem nomine attentati remediis coercendus. *Uti de tertio qui ejusdem personæ loco vel præsumitur, tradit Lancellot. dict. cap. 3. num 50.*

4. Tertii factum in ea causa, quæ in judicio versatur, habetur ut factum partis, nec minus pro attentato habetur & revocatur. *Felin in cap. super eo. num 3. de Offic. Delegat.*

5. Hic se facit causæ consortem vel socium, ideò habetur tanquam cum ipso cujus nomine facit attentans. Qualis tertius attentatorum remediis est obnoxius *Lancellot. dict. cap. 3. num. 41.*

DECISIO VII.

Creditoris possidentis jura non excludit peremptoria citatio creditorum, nec subsecuta liquidandi præclusio.

ETsi quæ in concursu creditorum fieri solet citatio sub comminatione præclusionis eum effectum habet, ut post terminum venientium petitio ultra non audiatur, (1) multo magis vero sententia viam ulteriori liquidationi præcludens non sinit alios, nisi in integrum restitutione impetratâ admitti, (2) tamen non nocet creditoribus possessoribus pignorum, quin possessione sua frui & eandem defendere possint. (3) Quando enim hos non adstringit ea citatio quæ petitionem concernit, iis non necessaria, (4) sed integrum est utrum nomen in concursu profiteri an vero rei incumbere, & petitionẽ aliorum adversus se exspectare velint, (5) utique non potest præjudicium inferre præclusio non pertinens ad exceptiones justas possessori competentes (6) Multum quippe interest an petere debeant, an verò ultra possidere & possessionem exceptione defendere. Hæc nihilominus admittenda & audienda est, (7) *uti factum in concursu Ernst kammins, creditorum. Die 24. Augusti Anno 1655.*

1. *Iuxta l. si eo tempore 6. C. de Remiss. Pign.*

2. Ejus sententiæ ea vis est, ut postea venientes excludat.

3. Melior multò est causa possidentis quam petentis. *l. sive autem 9. §. duobus 4. ff. de Public. in rem act.*

4. Possessor ad probandum non adstringitur, *l. 2. C. de Probat.*

5. Est in arbitrio creditorum res debitoris sibi oppignoratas tenentium, an in concursu credita sua petere, an rationes suas separatas in bonis possessis habere velint. *Cothman resp. 28. num. 32. seq. vol. 5.*

6. Exclusus ab agendo non excluditur ab excipiendo & recipiendo. Exceptione se tueri potest possessor, ut agere opus non habeat. *l. cum proponas 21. C. de Pact.*

7. Exceptiones favorabiliores sunt actionibus, *l. fin. ib. Bartol. ff. de superficieb.*

Digitized by Google

DECISIO VIII.

Res contra unum causæ consortem judicata non obest aliis consortibus, nec appellationi obstat, etsi quoad hos simul sententia dicta fuerit.

CUm inter plures creditores unus omnium nomine contra debitoris liberos tanquam hæredes egisset, at succumbens sententiam legitimis remediis non impugnasset, isti cæteros deinde eandem litem de immixtione moventes per oppositam rei judicatæ exceptionem removere contenderunt. Cum in priori instantia obtinuisset, appellatione interposita creditores volebant nihilominus ad probationem immixtionis, à qua se injuste excluſos esse querebantur, admitti. Et admissa est appellatio non attenta sententiâ, utut vires rei judicatæ accepisset. Nocet enim hæc tantum ei qui litem egit, (1) non vero consortibus. (2) Etsi enim & horum nomine actum est à consorte, licet etiam sententiæ verba ad illos sint directa, tamen quando ipsimet cum consorte non fuerunt in lite, eis factum consortis nocere non potest, (3) nisi acta approbaverunt. (4) Non enim quod consors pro consorte agere & defendere potest, huc porrigitur, uti & obstringere possint invitos atque ignorantes, sed tantũ ut admittatur, si autem adversa pars secura esse velit, cautionem de rato vel judicato præstando poscere tenetur, (5) Ille tantum obstringitur, non alter consors, *Vti existimatum in causa Dietrich Staadtlandes Creditorum, die 25. Septemb. Anno 1655.*

1. Sententia inter alios lata aliis non præjudicat, *tot. tit. C. res int. al. act. l. 1. ff. de Except. rei jud.*

2. *Rubeus consil. 6. numero 49. vol. 1. ubi scribit. l. non. debet ff. de R. I. pertinere etiam ad plures consortes.*

3. Non debet jus unius consortis per alterius factum vel collusionem corrumpi *l. non pariter 9. ff. de Liberal. caus.*

4. Ad quod tamen nuda scientia minime sufficit. *l. sæpe 63 ff. de Re judic.*

5. *l. 2. C. de Consort. ejusd. lit. Petr. Frid. Myndan. de contin. caus. lib. 3. cap. 16. num. 12.*

DECISIO IX.

Contra tertium singularem successorem ex processu cum alio sine novo non fit executio.

QUando cum alio litigium est, alius autem bona, de quibus litigatur, possidet, illo victo non fit sine novo progressu contra hunc executio, (1) nisi pendente lite rei litigiosæ, (2) aut etiam alterius in fraudem litis facta fuerit alienatio. (3) Et cum illud in actionibus in rem servetur, quanto minus si ob debitum personali actione contra debitorem actum est, executio facienda in rem quam tertius tenet. (4) Etsi enim vel hypothecæ nexu res, quæ apud alium existit, obstringitur, tamen executionem non patitur, antequam actio hypothecaria legitime instituitur. (5) Si itaque executio contra tertium vel rem quam possidet decernitur, est illa ipso jure nulla, (6) eoque nomine in ipsa executione locus & interventioi (7) & appellationi. (8) *Quod consideratum in causa Adam von Eichstädten, contra Hans Wustewen Kinder Formünder. Die 14. Januarii Anno 1656.*

1. *Jason. in l. si unus 27. ante omnia 4. num. 5. ff. de Pact.*

2. *l. 2. C. de litig. Menoch. adipis. poss. remed. 5. num. 127.*

3. *De quo casu definit Faber in Cod. lib. 7. tit. 20. defin. 7. Coler de Process. Executiv. cap. 3. numero 442. part. 2.*

4. Actio personalis & ex ea judicatum non transit in singularem successorem. *l. fin. §. 1. ff de contrab' Empt. l. 1 §. si hæres ff. ad SC. Trebell.*

5. *Vid Coler. de Process. Executiv' dict. cap. 3. num. 454.*

6. Non citato nec audito possessore decreta ut inter alios acta qua ipsum nulla & invalida sunt. *l. 1. tot. tit. C res int' al. act.*

7. *Gail 1. Observ. 72. num. 4.*

8. Tertius de gravamine quod ad ipsum redundat appellare potest, etiam in & ab ipsa executione tanquam ab excessu ejus *Salycet. in l. ab executione s. quos appellat. non recip.*

DECISIO X.

Contra tertium non est decernenda immissio, sed ordinario processu agendum.

CUm bona non penes debitorem amplius erant, sed ab ipso derelicta à tertio possidebantur, creditore nempe, qui in illa immissus fructus pro credito percipiebat, incongrue decreta est ex constitutione Ducatus Bremensis adversus hunc immissio, quæ tantum contra debitorem constituta est non adversus tertium alio jure rem tenentem. (1) Nec enim adversus illum executivo processui locus est sed tantum ordinariæ actioni. (2) Resistere licet tali immissioni alterius, donec legitimis remediis experitur, (3) & jus potius docet. (4) Ideo appellatio ejus recipienda. *In causa Otto Clüvers, contra Otto Aschen von Friesen. Die 12. Febr. Anno 1656.*

1. Hæc fundata est in jure singulari istius constitutionis. Constitutio vero illam introduxit super instrumentis liquidis. Hæc vero non habent paratam

Digitized by Google

tam executionem nisi contra eos, qui in istis nominantur. *Coler. de Process. Executiv. part. 2. cap. 3 n. 436. Rebuff in Constit. Gall. tom. 1. tit. de oblig. liter. artic. 1. gloss. 9 num. 3.*

2. *Sic communis habet ICtorum sententia. Coler. dict. tract. cap. 3. num. 433. seq. Menoch. remed. adipisc. possess. 5 n. 111. seq. Bartol. in l. creditores n. 18. & 22. ibid. Bald. num. 5. Salyc. num. 9. & 16. C. de Pignor.* quam etiam in Ducatu Bremensi circa Praxin præfatæ Constitutionis servari per plura exempla didici.

3. Possessionem suam cuique licet quovis modo defendere. *l. 1. C. und. vi.*

4. Creditori contra creditorem immissum hoc remedium est, ut jus in re doceat potius, antequam alium vuls à possessore rei dejectum. Nec si vel pignuq docet ex eo parata est execuaio ob hypothecariam actionem contra tertium, *vid. Carpzov. respons. Electral. 10. num. 18. seq. lib. 4.*

DECISIO XI.

Attentati revocatio contra tertium, cujus eadem cum parte causa est, fit, & quidem sine novo processu.

REmedium revocationis non pertingit ad tertium, qui non fuit in lite, (1) nec magis quam sententia inter alios lata, tertio præjudicat, ipse de attentato convenitur: (2) At ita ut contra revocatio cesset. Secus se res habet, ubi eandem aut conjunctam tertius cum parte litigante personam sustinet. (3) Veluti si is una cum judice vel parte attentavit, (4) vel si habet ab alterutro causam, (5) aut succedit in rem attentatam, (7) vel adhæsit causæ, (8) vel se intrusit in litem, (9) vel deniq; aliquatenus repræsentat personam litigantis. (10) Quæ pleraque concurrebant in ea specie, quando Fisci Advocatus egerat, & pro hoc sententia subsecuta ac appellatione interposita hacq; pendente, qui regimini provinciæ præerant, ex depósito pecuniam rei exegerunt. Non tantum enim Regimen causæ adhæserat, sed etiam unam cum fiscali personã causamque sustinebat. Ideo cum penes fisci Advocatum non esset restituendi copia, de eo mandatum ad regimen decretum est. Die 17. Januarii Anno 1657.

1. *Lancellot. intr. de Attentat. part. 1. c. 3. num. 4. Afflict. decis. 354.*

2. *tot. tit. C. res int. al. act.*

3. *Franc. in c. teneamur X. de Appellat.*

4. *l. Chirographis. §. 1. ib. Bartol. ff. de Administr. tut.*

5. *Lancellot. dict. cap. 3 num. 29.*

6. *c. ex parte. ib. Imol. X. de Testib. Ursil. in Apostil. ad decis. Afflict. 354.*

7. *Vital. de Camban. in Clausul. Nihil innovan. appell. pend. num. 20.*

8. *Lancellot. d. cap. 3. num. 74.*

9. *Lancellot. d. cap. 3. num. 50.*

10. Minister regiminis Fiscalis est, ideò eandem cum domino personam repræsentat.

DECISIO XII.

Argumentum à simili quando in statutis obtinet.

QUi de tollenda inhibitione laborat per decreta ideo quod statuto ædificatio putabatur contraria, semel repulsus, iterum instabat, & eam quæ sub lite erat speciem verbotenus non comprehendi ideo illuc inhibitionem non extendendam esse allegabat. Eo vero non attento decreto statimus. Etsi enim alias in statutis quæ stricti juris sunt (1) argumentum à simili non valere creditur, secus tamen est, ubi illud ita concipitur, ut velit tenorem suum ad similia pertinere, vel ubi generalis est dispositio, quæ statuti verbis referuntur exempla sunt ideo non tam ad verba quam rationem statuti respiciendum est (4) Tunc enim quæ comprehendit mens vel ratio eadem censentur esse sub dispositione, etsi non fuerint expressa. (5) Si in statutis Lubecensibus (6) quorundam opificiorum exercitium ejusque officina in loco ubi antea non fuit prohibita, ultra expressa ex rationis similitudine extendenda est dispositio, tum quia expresse similium faciunt mentionem, (7) tum quia generatim quæ prohibita velint indicant. (8) Ubi itaque similem putabatur subesse rationem, pariter justa inhibitio adeoque ne quidem satisdatione oblata relaxanda fuit. (9) *Ad supplicationem Christoff von Essen, contra Peter Rosen. Die 23. November Anno 1657.*

1. *4. §. toties. ff. de damn infect. Bald. in l. illum §. c. de Colat.* Deficientibus statuti verbis ipsum deficit. *Schurff. consil. 25. num. 16. cent. 2.*

2. Statuta de re ad rem non extenduntur. *Aretin. consil. 132. num. 4.*

3. Mens statuti de similibus certa est, ubi de iis verba sonant.

4. Statutum generale omnes comprehendit species, & earum communem regulam facit, *Decius consil. 490. num. 5.* quam exempla non restringunt sed declarant. *l. Regula §. fin. ff. de Re I.*

5. Statuto comprehenditur, quod expressa vel aperta mens statuti comprehendit. *Eberhard. in Top. Legal. in loc. à Rit. leg.*

6. *l. 3. tit. 12. artic. 12.*

7. Id indicant *in d. artic. 12.* post recensionem aliquarum specierum desimilibus adjecta verba und dergleichen.

8. Ita enim generalem definitionem faciunt verba dergleichen gefährliche unleidliche Handwercke / ex quibus apparet nullas officinas invitis vicinis permittendas, quæ periculum aut grave incommodum habent. De quo ex judicis arbitrio statuendum est, *uti scripsi in commen. ad dict. artic. 12. num. 17.*

9. Quæ statutum prohibet ædificia nec oblata satisdatione permittenda, ut superius defin. 401. scriptum est.

9. Quæ

Digitized by Google

DECISIO XIII.

Ex actis à defensore non obstringitur is qui defenditur, sed omnia ei integra sunt.

CUm in causa matrimoniali absens citatus primum à patre, deinde hoc defuncto à matre ejusque advocato defendebatur, eo processus devenerat, ut appellatione interpositâ super desertione pronunciaretur. Interim verò absens reversus fuit. Actoreita que urgente, ut pronunciatio super desertâ illâ fieret, quæsitum fuit, utrum ex illo processu cum defensore hæc contra absentem nunc reversum facienda esset? Id quod ex eo decidendum fuit, an defensus obligaretur ex actis defensoris, quod non credidimus. Per alium alios non obligari nisi vel ob suum antecedens mandatum vel proprer ratihabitionem juris regula habet, (1) Nec excipitur is qui defenditur. (2) Ideo defensor solet obstringi speciali cautione, (3) rem ratam haberi, (4) nec non judicatum solvi. (5) Quæ non esset necessaria, si ipsemet defensus ex defensoris actibus obnoxius foret. Est quidem publicè utile absentes defendi, (6) sed non isti consequens, eos facto defendentium obstringi. (7) Iniquius autem ex ejus negligentia inferri præjudicium vel damnum. (8) Eo minus autē ex actis cum defensore tenetur defensus, quod in hac lite iste non causam principalem ex qua reus fuit, defendit, sed saltem absentiam excusavit, (9) ideo non ultrà duravit defensio quam ille absuit. (10) Reverso illo prior processus mutatur, dum ipse convenitur, inde obligatio defensoris exstinguitur, (11) multo magis defensus ex eâ recte non coarctatur; opus itaque ut cui contra eam actio est, eam legitimè instituat. (12) *Ita existimatumin causa Ulrich Engelbrecht, contra Christoph Richtern. Die 14. Aprilis Anno 1656.*

1. *l. cum te 3. C. ne ux. pro marit. l. bonam. 4. C de Oblig. & action.*

2. Eum non obligari ex defensione expresso textu traditur, *in l. si per curator. 28. in fin. ff. de procurat.* Non enim litigando citra voluntatem domini præjudicium facere licet, *l. nec filius 7. C. de reb. Credit.*

3. Inde juris regula, quod nemo defensor idoneus est sine satisdatione. *§. 1. quia nemo. Instit de satisdat. l. 10. §. 1. ff. de Reg. Iur.*

4. *l. servum 33. §. 3 ff. de Procurat. l. sed & hæ 35. §. ult. l. seq. ff. de Procurat.*

5. *Vti patet ex l. 3. & tot. tit. ff. Iudic. solv.*

6. Ubicunque absens quis damnari potest, ibi quemvis verba pro eo facientem & innocentiam excusantem audiri publicè utile & æquum dicit, *servum 33. §. publicè 2. ff. de Procurat.*

7. Juvatur quidem defensus per litem defensoris, ut Judicatum ipsi proficiat, *l. sinister 11. §. hoc jure 7. ff. de Except. rei judic.* at non exinde actione judicati obstringitur, *d. l. si procurator 28. in fin. ff. de Procurat.* similis est defensor negotiorum gestori, qui meliorem ignorantis & absentis conditionem facere potest, at non deteriorem. *l. solvendo 39. ff. de negoc. gest.*

8. Non æquum alios & alienis peccatis damno affici, *l. ex conventis 16. C. de Fid. Instrument.*

9. Multum hæc differunt, an defensor egerit causam, an excusaverit absentiam. Ex hoc non perinde ut ex illo obstringitur.

10. Causa defensionis desinente desinit defensio & defensoris obligatio. *l. si petitor 8 l. si duobus 14 in pr. ff. de Iudicat. solv.*

11. Cum translatione judicii in personam quæ defenditur tolluntur ea quæ ex defensione obligabant. *l. 1. §. fin. ff. quib. mod. pign. vel hyp.*

12. Mutatio hinc actionis est, ideo mutatur ratio defensionis, atque ex hac promissa, cum ipsa per mutationem actionis desinunt. *l. non à judice 64. §. 1. ff. de judic. li cum quærebatur 13. §. fin. ff. judic. solv.*

TIT. LXI.

DE RELATIONIBUS.

DECISIO I.

Dum exspectatur requisita à Iudice Inferiore relatio, ille ipse sine vitio attentati nihil innovare potest.

PLures sunt causæ in & ex quibus ad petitionem partium appellantium processus appellatorii statim non decernuntur, sed prius ad Judicem à quo rescribatur atque informatio seu relatio super narratis requiritur; Ejusmodi cū actum esset, Judex à quo relationem distulit, interea verò in eadem lite decrevit, super quo querela, ut de attentato, movebatur, & revocatio rogabatur. Etsi verò dubitatio aliqua inde surgebat, quod nondum recepta appellatio, incertumque erat, utrum recipi deberet, attamen quando ex ipsa appellatione etiam antequam apud superiorem introducta, nedum si hoc factum, ut processus soliti & inter hos inhibitiones decernuntur, jurisdictio ejus suspenditur, (1) solaque scientia judicem ad nihil innovandum astringit, (2) concluſum est non minus atque si recepta jam esset appellatio factum revocandum, (3) & utut adhuc de illâ recipiendâ nihil ob exspectandam informationem statueretur, inhibitionis loco mandatum de nihil innovando decernendum esse. (4) *In causa Iohan Valentin Rethen, contra Obristl. Hoffmeistern. Die 10. Novembr. Anno 1658.*

1. *Lancellot. in tract. de Attentat. part. 2. cap. 12. in præfat. num. 12.*

2. Ma-

Digitized by Google

2. *Maranth. de Ordin. Iudic. part. 6. princip. par. 1. num. 391.*

3. Qua effectum attentatorum nihil interest, an sit interpolita, an introducta, an inchoata. Sufficit, saltem partim vel Judici esse intimatam *Lancellot. in dict. præfat. num. 5. & seqq.*

4. Inter remedia attentatis opponenda habetur mandatum de non innovando decerni solitum; quotics nondum introducta appellatio, attamen aliquid attentatum est & aliud metuitur.

DECISIO II.

Non communicandæ partibus sunt literæ judicis inferioris ad superiorem, etsi causam concernentes, cum non fiunt pars actorum.

POstquam rescriptum ad judicem à quo pro explorando causæ statu aliisque circumstantiis missum, ab eo etiam responsum erat, instabat appellans, ut sibi communicaretur. Negatâ verò copiâ, tum quia literæ judicis à quo ad nudam informationem judicii superioris petitæ ideo velut privatæ literæ reputandæ erant, (1) tum quia non fiebant pars actorum, (2) tum quia partibus nihil præjudicii inferebant, dum in judicando actorum instar spectari non solent. (3) Non congruè in contrarium allegatur, quod de relationibus in Romanis legibus habetur, (4) quando quidem illæ non erant informationes petitæ ab inferioribus judicibus, sed ab his factæ repræsentationes referiberet. (5) Quare ad relationem secusa sententia jus inter partes faciebat. Non similiter informatio à judice inferiori causa dubia quædam desiderata, quâ judex superior hic utitur, ut inde pars nihil præjudicii creetur. *In causa Advocati Fisci Bremensis, contra D. Daniel Miethoff, die 17. Augusti Anno 1655.*

1. Privatarum literarum editio in judiciis non decernitur, cum evulgari non debeant. *Kulp. Ruland in tr. de Commissar. part. 2. lib. 5 cap. 19. num. 271.* ubi addit, non modo non teneri quem edere, sed ob eas quatenus in præjudicium alicujus vergunt vulgatas injuriarum actionem esse.

2. Caret pars jure poscendi ab actis, quæ eorum pars non fiunt nec fieri debent. Illorum tantum justa est petitio, quæ sunt de actis inter illos velut utrisque communibus.

3. *Gail. 1. Observ. 31. num. 10.*

4. Ex his litigantibus totius consultationis exemplum apud acta edi debet. *l. 1. lib. 2. C. de relationib.*

5. *Sient totus hic tit. C. de relation. ostendit, & ibi in Paratit. explicat Cujacius.*

TIT. LXII.

DE APPELLATIONIBUS & consultationibus.

DECISIO I.

Circa refutatorios Apostolos considerandæ.

POst appellationem interpositam Judici à quo licet Apostolos refutatorios dare, at non aliter quam si vel causa vel appellabilis sit, (1) vel si ipsa appellatio frivola plane fuerit. (2) Contingit vero sæpius judici à quo videri frivolam, at secus à judice ad quem reputari. Hujus in eo quidem prævalet judicium, (3) eique oportet judicem à quo obtemperare. (4) Attamen non est integrum isti ex mero arbitrio super illo statuere, sed consideratis circumstantiis ex ratione de justitia appellationis cognoscere atque judicare oportet. (5) In quo circa ea quæ pro refutatoriis judex à quo respondet (nec enim sine ratione isti mittuntur) (6) expendendum primo, an certi atque indubitati juris sint, quibus innituntur. (7) Deinde an quæ ex facto ad injustitiam provocationis demonstrandam allegantur, juri allegato congruant. (8) Tertio an & hæc vel notoria vel extra controversiam sint. (9) Quarto an narratis processus rogantium consonant. (10) Siquidem in uno vel altero circa tenorem refutatorium aliud deprehenditur ut tunc res dubia est, ita processus decernete, (11) visisque demum actis de appellationis devolutione decernere æquum est. (12) Quocirca in ea specie ubi per istos iniquitas appellationis fundabatur in superiis, quæ ex jure nō erant certa, & de quibus longe aliter per appellantem narratum; non attentis iis compulsoriales removere placuit. (13) eo magis quod quæ ad decernendum processus animos præcipue permoverent in refutatoriis non attingebantur, ideo dubia judici superiori non eximebantur. (14) *In causa Thomas Gerstenberg, contra M. Solteram. Die 8. Jan. Anno 1658.*

1. *Inst. tit. C. quos appell. non recip.*

2. Frivolis & frustratoriis appellationibus velut quæ illud nomen non merentur *Natta consil. 606. n. 3.* Judex à quo deferre non tenetur *c. cum appellationibus. de Appellat. in 6. ib. Franc. num. 1.*

3. Est enim Judicis ad quem de viribus & validitate appellationis cognoscere, *l. 10 C. de Appellat. c. ut nostrum c. Solicitudinem de Appellat.* & pronunciare *Franch. in d. cap. cum appellationibus num. 2.*

4. Ita tum reverentiæ superiori judicio debitæ convenit, *gloss. in c. cum appellationib. ib. Franch. n. 5.* tum necessitas pro litium fine poscit *Berl. consil. 214. num. 8. vol. 2.*

Digitized by Google

5. *lib. 1. tot. tit. ff. de appellat. recip.* Non minus injustum est frivolam appellationem recipere, quam justam rejicere.

6. Refutatorii sine causæ seu ratione non attenduntur.

7. Injustitia appellationis non statuitur, nisi jus cui contrariatur appareat. Alias non præsumitur.

8. Jus in facto positum est *si ex plagis. 52. §. 2. ff. ad L. Aquil.* ideo facti & juris congruentia consideratu necessaria.

9. Jis non plane certis defensionem, cujus species appellatio est, auferre & negare iniquum. Interpretatio facti etiam prudentissimos fallit. *l. 2. ff. de Jur. & fact. ignorant.*

10. Circa processus decernendos statur appellantium narratis, præterquam in notoriis. Nec contra ea creditur judici à quo, quin illi impetrentur; *uti praxin & rationem demonstrat Gail. 1. Observ. 31 num. 1. & 10.*

11. In dubio semper appellationi deferendum est. *Specul. in tit. de Appellat. §. nunc dicemus 9. num. 32. B. Gail. 1. Observ. 81. num. 11.*

12. *Gail. 1. Observ. 31 num. 2. seq.*

13. In ea contradictione nemo inaudita causa juris beneficio privandus est.

14. Circa processus decernendos plus valet dubitatio judicis ad quem, quam scientia Judicis à quo, quia illum dum dubitat in alterius præjudicium quidquam statuere non decet, *Riminald. consil. 218. n. 145. vol. 2.*

DECISIO II.

Cum superior judex appellatione interposita causam denuo committit judici à quo, perinde est ac si superior judicasset.

APpellatione interposita, at appellatorio judicio nondum introducto, S. Reg. Majestas causam in qua appellatum fuerat ad judicem priorem remisit, cum exhortatione, ut diligentius expensis omnibus circumstantiis justa faceret & statueret. (1) Non ideo quod ille judex deinde pronunciavit irritum est, quia antea judicaverat. Quod enim vulgo dicitur, judicis partes desinere postquam semel judicavit, nec ultra pronunciare aut sententiam mutare posse, (2) eo trahendum non est, quinid ex mandato superioris ad quem provocatum est liceat. Si enim is causam denuo discutiendam committat, quia in priori sententia circa factum aut jus erratum apparuit, non prohibebitur corrigere sententiam, quia non facit ut judex inferior, sed vice superioris, tanquam delegatus, (3) idemque est ac si hic judicasset. (4) Et licet non facile sic ad judicem gravantem partes remitti debeant, (5) tamen si factum fuerit, uti ex ratione pro qualitate circumstantiarum fieri potest, inde non oritur processus aut sententiæ nullitas. Præsertim is pro quo ante judicatum est, judicium impugnandi causam non habet, cui ita ut alteri parti judex suspectus non est. Nec obtendi valebit ex sententia jus quæsitum, cujus vis per appellationem suspensa est; (6) ideo pro ea est, ac quæ nondum lata sit. (7) Perinde habetur posterior sententia ac si à superiore processisset, unde frustra objicitur priorem vires rei judicatæ assecutam, quasi solita appellationis persecutione non facta, quandoquidem nondum constituto appellatorio seu superiore judicio fieri aliter non potuit, sic autem fieri superiori placuit, postea illo introducto jam correcta sententia prosequi opus non fuit. (8) *In causa Johan à Lixfeld, contra Hans Heinrich von Brobergen. Die 26. Martii Anno 1658.*

1. Ita sub defectu judicii superioris ad quod appellatur licet judicium aliquod revisorium constituere, vel coram priori revisionem quandam permittere, quod imperii Constitutione in iis casibus quando appellari nequit receptum, & multis in locis ita observatum est,

2. l. judex 55. ff. de Re judic.

3. Diversus respectus facit duplicem personam, & quod ex uno gestum non eo loco est, quod ex alio sit, etsi ab eadem fiat. *Gail. de Arrest. Observ. 6. num. 14.*

4. Quod quis facit per alium, idem est ac si ipse fecisset, quia alius vice ejus facit. *l. 1. ff. de Procurat.*

5. Semel enim gravans iterum gravare velle præsumitur. *Bald. in l. 1. ff. de Appellat.*

6. Appellatio extinguit judicatum *l. 9. 1. fin. ff. ad SC. Turpill.*

7. Paria sunt sententiam non esse dictam & appellatione sublatam. *Francin. in rubr. de Appellat. n. 28. seq.*

8. Pares superiores judices est causa cognitionem committere cui velint. *l. 1. tot. tit. ff. de eo cui mand. est jurisd.*

DECISIO III.

Nullitas processus & suspiciones contra judicem semel transmissa postea non attenduntur.

CUm farrago nullitatum processus & suspicionum contra judices in libello appellatorio allegaretur, quia ab appellante semel transmissæ erant, nec ea aut in quibus nulliter actum, dicebatur impugnata, nec suspecti judicis exceptio opposita, posteaquam à definitiva sententia appellatum esset, ut ut non recoquere licere sic non attendi debere visum. Nam si quis ex nullitate se gravatum putaret, tunc, cum committeretur, querelam movere debuit [1] & si judex suspectus arguendus, sub initio litis vel cum arguendi causa existeret, exceptione opponi oportuit. (2) Ad semel omissa, tanquam si abdicata fuerint, in judicio regressus non patet. (3) *Ideo non est admissus libellus talia continens in causa Thomæ à Gerstenberg, contra M. Henricum Solerum. Die 3. April. Anno 1658.*

1. Nullitatem processus re integra non allegans, sed judicem ad ulteriora, tandem etiam ad sententiam procedere sinens, deinde non auditur.

2. Ab

Digitized by Google

2. Ab initio recusationis exceptio opponenda est qua neglecta coram judice alia agens, vel excipiens in eum consensisse intelligitur nec amplius auditur. *l. fin. C. de Except. Bartol. in l. quidam ff. de Re Iudic. Pacian. l. 2 de Probat cap. 45. numer. 14. & seq.*

3. *l. sed & si susceperit 52. pr. ff. de Iudic.*

DECISIO IV.

Pignoratio pro Collecta civitati contra Professores Academiæ ex consuetudine licere potest.

ET si pro reparatione fontium & fossarum Clericos & professores collectam pro ædibus suis solvere non iniquum foret, injustum tamen visum est, civitatem ejusque magistratus sub cujus jurisdictione non essent (1) cautis pignoribus eos coercere & adigere. (2) Ideo justum videri poterat mandatum, nec ab eo interposita appellatio admittenda, quo talis exactio magistratui urbano interdicebatur. (3) At quia hic allegabat tum inveteratam consuetudinem in ædibus Professorum quæ in urbe sitæ erant pignorandi; (4) tum jurisdictionem in iis quæ sub illa sitæ erant, obtendebant, è contra etsi ab immunibus inhabitabantur, exemptionem talium ædium allibratarum negabant. (5) Visum fuit talibus probatis rem se secus habere posse, ideo non rejiciendam appellationem, sed cum pleniori causæ cognitione de eo statuendum esse. *In causa Civitatis Griphiswaldensis contra Academiam ibidem die 3. Aprilis. Anno 1658.*

1. Exemptio Scholarium à jurisdictione civitatum fundata est. *in Auth. Habita C. nesil. propair.*

2. Etiam illo casu quo Ecclesiasticæ personæ ad præstationem onerum tenentur, non à judice seu magistratu seculari, sed suo proprio Ecclesiastico compelli debere existimatur *per c. 7. verb. nisi Episcopus c. 7. 2. de Immun. Eccles. sb. Canonist.*

3. Decet quippe superiorem severa defensio, immunitatis Clericorum ob injurias & insidias quibus alias patent seculares.

4. Consuetudo tribuit jurisdictionem & in collectis non tantum indicendis sed etiam exigendis spectandra atque observanda est *Ant. de Amat decis. 18. num. 25. Graven. Pract. concluf. 52. num 18.* cum leges potestatem habeat. *l. de quibus 32. §. 1. ff. de Legib.*

5. Ædes sub urbana jurisdictione sitæ & allibratæ unà ad clericos vel scholas cum alienationes aut hæreditates transeunt, an mutent jurisdictionem & conditionem suam, acris & difficilis est disputatio egens diligenti discussione: ideo cum in litem incidebat & velut præjudicialis erat, mereri visum ut ad illam decretis processibus remitteretur.

DECISIO V.

Super renunciatione appellationis, non audienda est altera pars, quando ipso invito vel ignorante fieri potest.

REnunciatio appellationis regulariter per judicem admittenda non est, nisi altera parte audita, (1) propter jus illud quæsitum ex appellatione, (2) cujus in ejus præjudicium nulla valet renunciatio. (3) Excipitur vero ex justa ratione ea species, si vel appellationem istam impugnavit, seu oppositis desertæ & non devolutionis exceptionibus non admitti petiit, (4) vel in renunciationem vel ipse vel ejus procurator consensit, (5) seu expresse seu tacite per silentium; (6) vel si nihil appellati interesse putet; (7) vel si ab interlocutoria judicis sententia provocatum fuerit. (8) Quæ omnia cum concurrerent in præsenti specie, eo minus ambiguum fuit statim super ista pronunciari. *In causa die Riet Esell contra Daniel Herlin die 24. Aprilis Anno 1658.*

1. *Juxta l. de unoquoque 47. ff de Re Iudic.*

2. Commune utrique parti beneficium est appellatio. *Gail 1. Observ. 122. num. 3.*

3. *Bartol. in l. si quis. Libellos num. 1. C. de Appellat Franch. in c. interposita §. ille denique num. 12. de Appell.*

4. *Hanc limitationem addit Franch. in d. §. ille denique num. 15.* Cujus ratio, quod nemo potest juvari ex illo actu quem impugnavit.

5. Quod quis semel approbavit, adversus id venire non potest. *c. quod semel de R. I. num. 6.*

6. In judicialibus silentium pro consensu est. *Wesenbec. in Paratit. l. Cod. tit. de Confess. num. fin.*

7. *In hac specie cessat ratio ideo & jus.*

8. *Franch. & Abbas num. 4. in d. §. ille denique,* ubi hanc rationem tradit, quod ubi remittitur causa ad judicem priorem, nullum potest prætendi interesse, dum citius hoc obtinet appellatus, quod demum per sententiam si pro ipso pronunciaretur obtineret.

DECISIO VI.

Cum jus exigendi certum, at de quantitate saltem est controversia, non decernenda est generalis inhibitio.

QUando magistratui jus exigendi accisias competit, si inter ipsum & cives quosdam exoritur controversia, non tam illud ipsum quam quantitatem concernens, minime est decernenda generalis inhibitio, aut si decreta illuc extendenda, ut iste teneatur pendente lite ab exactione, abstinere quod foret jus certum sub obtentu illiquidi tollere vel impedire. (1) Quocirca nec factæ exactionis revocatio velut attentati facienda est, (2) sed inquirendum prius mediante legitima causæ cognitione, in qua

Digitized by Google

exceditur, ut si illa fieri debeat non ultra quantitatem illicitam extendatur. (3) *In causa Aromatariorum civitatis Wismarienſis contra ſenatum ejusdem die 11. Maij An. 1658.*

1. *contra l. fin. C. de Compenſat.*

2. Ita ſervatur cum pro parte, ſed quæ adhuc individua eſt, lis tantum exiſtit, ut donec ſeparatio ſit, inhibitio totum comprehendat. *Lancellot. in tr. de Attentat. part. 2. c. 4. l. 1. n. 80. ſeq.* Quod etiam evenit ubi pars incerta plane eſt, nec conſtat quousque lis ſe porrigat, ideo ex eadem ratione idem eſt ſentiendum.

3. In his quæ cum magiſtratu intercedunt non incipiendum facile à mandatis ſine clauſula, ſed procedendum eſt cum aliqua cauſæ cognitione, *ubi pluribus monet & probat Petr. Frid. Mindan. lib. 2. de Mandat. cap. 13. num. 1. ſeq.*

DECISIO VII.

Acta quando pro integris habenda

JUdex inferior ad compulſoriales tenetur edere acta & quidem integra, nec aliter intelligitur paruiſſe compulſorialibus, (1) quæ alias renovantur & dantur ad complenda acta, ſi quis defectus allegetur. Oportet autem hunc allegari & deſignari, (2) & ita quidem ut judex tam ſuperior quam inferior intelligere poſſit quid ex actis deſit. (3) Quo non facto acta habentur pro integris & ſuper iis ultra procedit & pronunciat judex. Quando itaque terminum ad allegandos defectus præfixit, at à parte nulli allegantur, non proceditur nulliter ſuper actis editis. *Ita decretum in cauſa Philip Adelhelm contra hæredes Henrici Koppen. Die 3. Sept. Anno 1658.*

1. *Gail. 1. Obſerv. 134. num. 12.*

2. Præſumitur judex edidiſſe acta integra.

3. Non ſufficit generalis allegatio, ſed ſpecifica eſſe debet. Alias non poteſt intelligi quid ſupplendum ſit.

DECISIO VIII.

Quando in ſuperiori judicio querelæ & provocationes ſtudioſorum contra magiſtratum Academicum recipiendæ ſunt?

CAuſas ſtudioſorum eſſe appellabiles in ſuperioribus demonſtratum eſt. At promiſcue omnes admittere non poteſt non devergere ad deſtructionem diſciplinæ Scholaſticæ, qua nititur ſalus & quies Academiæ. Media inde diſpicienda ſunt, quæ contra Magiſtratum Academicum moventur, ut nec horum autoritas & diſciplinæ vigor vileſcat, nec tamen & læſis fiat injuria. Intereſt, an Academici & Studioſi conveniant vel conveniantur ex cauſis, quæ non proprie ipſos ut Studioſos, ſed ut quosvis alios concernunt, veluti cum contractuum, proprietatis, poſſeſſionis vel ſimilium ex cauſa litigant; an eos ut tales cauſa concernat. In priori ſpecie inter iſtos & alios non eſt differentia, ſed communi jure fruuntur. (1) In poſteriore autem refert an quæ irrogantur, tendunt tantum ad emendationem morum ſeu correctionem, at in cœtu Academico, an ad pœnam publicam vel ad excluſionem à cœtu. Priora propria ſunt Scholaſticæ diſciplinæ nec ad judiciarios proceſſus ſunt admittenda, ſed ſic procedendum, uti ſolet fieri circa ea quæ meræ ordinationis politicæ ſunt. (2) Ideo diſcernendum an certa quædam appareat injuria nempe allegatis ſic comparatis, ut liqueat, iiſdem probatis injuriam ſtudioſis fieri, malignè eos vexari, in eos ſæviri, an verò dubium ſit jus provocationis. Quomodo in dubio ob præſumptionem, quæ eſt pro Rectore & Profeſſoribus tanquam parentibus, aliisque ex cauſis non facile ad retardandum diſciplinam audiendi ſunt qui querelas movent, (3) ita tamen non eſt ferendum, ut ſub obtentu diſciplinæ Scholaſticæ injuſta fiant bonis ingeniis, ad meliora non formidine & flagris, ſed amore & humanitate erigendis. (4) Cum egreditur terminos Scholaſticæ correctionis pœna, eaque in facinoroſos dictatur, qualis eſt relegatio, carcer ſqualidus, diuturnus & infamis, tunc criminaliter agitur, nec minus imo multo magis ſtudioſis quam aliis permittenda appellatio. (5) Non enim eſt diverſitatis ratio, nec iis qui privilegiati ſunt negandum, quod aliis permittitur. Regeretur, forte ſtudioſorum carcerem & relegationes non tanti effectus, præjudicii & contumeliæ eſſe atque aliis irrorgari ſolitas. Sed valde inepte non pro autoritate Academica, quæ cladem non exilem paſſa eſt, ex quo permiſſum eas pœnas parvi cenſeri, unde cœperunt flocci pendi. Quibus id tribuendum erat, ut delinquentes horrerent. Eſt etiam in iis non tam ſpectandum, quid vulgo reputetur, quam quod à ſapientibus æſtimatur, apud quos famam juvenum ſugillant nec parum exiſtimationi nocent. Quocirca ubi in appellatione profertur nulliter proceſſum, inauditis, indefenſis, antequam communicati ſunt articuli, publicata & edita arreſta, irrogatam relegationem, dubitandum non eſt; juſte eam admitti. *Ita viſum in cauſa Studioſorum contra Concilium Academicum Gryphiſvvaldenſe. Die 7. Septembr. Anno 1658.*

1 Omni caret ratione & abſurdum foret, homines ideo quod ſtudiis incumbunt deterioris reddere conditionis, quam alios, cum illos jura majoribus beneficiis & privilegiis dignos habeant. *Auth. habita C. ne fil. pro patr.*

2. Vid.

Digitized by Google

2. *Vid. script sapr decis. 222.*
3 *l. un. C. de Emend propinq.*
4. Ne unde jura oriri debeant nascatur injuriarum occasio *l. meminerint 7. C. Vind. vi.*
5. *Vide de hoc scripta superius decis. 223.*

DECISIO IX.

Ab injuste extensa vi juramenti recte appellatur.

CUm in contractu inter Principem & Civitatem conventum est, à juramentis von Eideshanden appellationem admitti non debere, id eousque non est porrigendum, ut tota causa, quæ juramento decidi tur, non sit appellabilis, sed sic accipitur, ut id quod juratum in litem revocari non debeat, ideo nec ab eo quod super juramento pronunciatum appellari. Effectus autem non extenditur extra rationem. (1) Ideo quod in causa extra rationem juramenti est, cessante in eo ratione fit appellabile. Quod si judex ultra verba & mentem aut ultra juramenti ex jure conditionem aliquid ex eo inferet, seu si effectum jurisjurandi ultra id ipsum extendit, non est exclusa appellatio. (2) Cujus beneficium ex illo obtentu in articulis, qui non innituntur juramento, velle excludere injustum foret. (3) Ex quo visum fuit male extendi verba istius contractus ad eam speciem, ubi juratum super scientia, & ex eo quod quis juraslet se non nosse manum, omnis fides scripturæ derogata, ulterior ejus verificatio præclusa fuit. (4) *In causa consulum & senatus Stralsundensis contra Garlib Gosquin die 7. Septemb. Anno 1658.*

1. Limitata causa limitatum producit effectum. *l. in limitatis ff. de acquir. rer. domin.*
2. A diversis mala est illatio. *l. fin ff de Calumn.*
3. Juramentum stricti juris est. *l. pen ff. de Jurejur. Felin. in c. fin. num. 3. ext. eod.*
4. Ex nostra ignorantia utut jurata male infertur rei non existentia vel falsitas allegati. Multo minus excludetur veritatis ulterior per legitima remedia demonstratio.

DECISIO X.

Solennia appellationum præstanda sunt etiam ab iis, qui officii ratione causam alienam agunt.

CApitulares Ecclesiæ Stetinensis agentes cum Senatu ejusdem civitatis causam immunitatis à collectis, postquam appellaverant à juramento & cautione, solennibus appellationum per appellantes præstari consuetis se immunes existimabant, & cum talium præstatio injuncta erat deprecabantur, ejus intentionis patrocinium per rescriptum judiciale rogantes. At cum ea solennitas legibus moribusque introducta & diu observata per Ordinationem Summi Tribunalis Regii confirmata erat, & quidem sine ulla exceptione, visum non indulgeri nec judiciali decreto defendi posse eam exemptionem, (1) dum præter literam generalem ratio illius constitutionis omnes litigantes, sive suam sive alienam causam agentes respicit; (2) tum ut resistatur litigandi temeritati; tum ut caveatur de indemnitate his adversus quos contenditur. Quæ causa non ad titulum vel qualitatem actionis sed ad agentium intentionem pertinet. Sic Decretum die 3. Novembris Anno 1658.

1. Omnis exemptio à jure aliàs omnibus communi odiosa est, nec facilè sine gravissima causa cuiquam indulgenda. *Enenkel. in tract. de Privileg. sect. 1. cap. 3. num. 17.*

2. Quia non minus qui alienam causam agunt frivolas lites movere & temeritati studere queunt, quam qui propriam. Utique rationis similitudo æquum facit ut idem observetur. Sicut & hactenus praxis judiciorum discrimen non admisit.

DECISIO XI.

Appellans à decreto privilegii usum concedente audiendus est, etsi privilegium antea non impugnaverit.

AMbiguum erat, an appellatio à decreto admittenda esset, quod illum, qui privilegium immunitatis obtinuerat, in usu ejus defendebat, cum appellantes antea ipsum privilegium non impugnassent, & quod illud executivum esset anterioris juris. (1) Verum quando nulla apparuit necessitas appellandi, nec certum tempus isti impugnationi præscriptum reperitur, (2) nec etiam ex eo ante usum gravamen, quod appellationem mereretur, adfuit, (3) quamdiu usus non accessit, imo incertum fuit, an uti quis eo voluerit, maxime si aliquamdiu usus non est, an etiam aliquando vires accepturum sit. (4) Ipsum vero gravamen ex usu demum oritur, (5) utique concludum, non eo minus appellantes esse audiendos *in causa der Eingesessenen des Landes Keding contra den Land Rath Georg Marschall die 10. Ianuarii Anno 1659.*

1. Ab executione non appellatur. *l. 5. C. quor. appell. non recip.*
2. Privilegii impugnationi certum tempus præstitum non est, ideoque in ea observantur aliarum præscriptionum tempora: quod si itaque materia vel alia circumstantia illud non facit brevius, intra triginta annos integra erit *juxt. l. 3. C. de Præscript. 30. vel 40. anor.*

Digitized by Google

3. Nemo tenetur appellare antequam gravatur. Gravamen est causa appellationis.

4. Privilegium eatenus tantum valet, quatenus in usum venit. *Vasq. illust. controv. 2 num. 6. part. 1.* sine eo nil prodest litera, nec ullius momenti est.

5. Ex usu oritur vis & sumitur mens Privilegii. *Alexand. consil. 77. num. 3. vol. 5.*

DECISIO XII.

Per frivolas allegationes prosecutionem appellationis differens post lapsum fatalium desertionis reus est.

QUi ad Regium Tribunal appellaverat, interea plures annos debito modo appellationem non prosecutus multa injiciebat, queis se impediri prætendebat, præsertim vero litis prosequendæ impedimentum ex eo exaggerabat, quod Curator bonorum, contra quem appellaverat, officium deposuisset, ideo contra quem ageret sibi non constare dicebat, inde dilationes plures rogabat, & impetrabat. Quando vero postea apparebat, eas allegationes omnes frivolas, ineptas & falsas saltē in protelationis tegumentum assumptas fuisse, quærebatur utrum ne appellatio deserta habenda sit non attento, interea tamen quædam in judicio acta fuisse. Verum quia hæc vana & futilia fuerunt, perinde habita sunt atque si nihil actum. (1) Existimatum etiam præterea eam illusionem severa pœna dignam, (2) nec æquiorem quam ut qui non prosecutus esset, ei non proficerent talia, non tantum inepta sed maligna. (3) cui consequens ut velut nihil facto deserta censeretur appellatio. (4) *In causa Obrist Leutenant Iohann von Lipfelden die 14. Ianuarii An. 1659.*

1. Ita jurisprudentia per regulam constituit, ut paria sint nihil agere, & agere quod injustum vel ineptum, *l. quoties 6. ib. gloss Bartol. & Dd ff. qui satisd. cog.*

2. Ut judicis officio convenit, omni modo curare, ut lites non protelentur sed justo tramite ad exitum decurrant, *l properandum 13. C. de Iudic.* sic etiam incumbit, nullo modo permittere ut partes ineptis & frivolis allegationibus processum remorentur, si id reperiret fieri, severe punire. Non minus imo gravius delinquit, qui protelandæ litis causa inepta & falsa allegat, quam qui nihil profert. Ut contra hunc ulterius procedi meretur contumacia, ita adversus illum malitia, cui indulgeri non debet. *l. in fundo 38. ff. de Rei vindic.*

3. Nemini sua malitia prodesse debet *l. fin. C. de com. serv. manumiss.*

4. Desertor appellationis est, qui non facit, quæ ad prosecutionem necessaria sunt, etsi alia faciat ab illa aliena. *Franch. in c. licet num. 14. de appellat.*

DECISIO XIII.

In causis inter Magistratum civitatis & Collegium opificum, exortis quomodo procedendum, præsertim in decernendis inhibitionibus.

QUando Magistratus Urbanus scriniario artis suæ satis perito licentiam ejus exercendæ dederat, cæteri verò ejusdem opificii reluctabantur, inde decretis admittere & recipere eum ut collegā jubebantur, ille etiam artem exercere cœperat, isti iterum provocaverant ad Dicasterium, inde ad instantiam provocantium non solum magistratui sed & opifici severa inhibitio artis suæ exercitii facta est. Ab hujusmodi decreto ad Tribunal Regium Magistratu appellante, inter alia quæ circa eam causam occurrebant consideratu digna, non postremum fuit de vi talis inhibitionis. Etsi verò de jure Senatus & Collegii opificum sine causæ cognitione statui nil certi posse videretur, ideo quæ controversa ad eam remittenda erant, tamen interim prævalere intentionem & reluctationes appellantium atque interdici exercitio artis eum quem Senatus approbaverat, simulque eo ipso victu privari non similis æquitatis erat, sed durum hoc & iniquum videbatur. Est autem in talibus discernendum, an reperiatur pertè fundata opificum intentio, an dubia adhuc & altioris indaginis. Si id quod isti petunt aut obtendunt, vel in jure communi, aut in manifestis civitatis Statutis, aut in notoriis nec controversis consuetudinibus, aut in collegii privilegiis vel rotulis, Rollen ut vulgo vocant, fundatum reperitur, justa erit inhibitio, defendendis in istorum usu appellantibus, donec adversus ea aliud evincetur. (1) Haud verò ad eam impetrandam sufficiet allegatio, sed simul & demonstratio talis, quæ judici verisimilem fidem facit, fieri debet. Unde decet judicem allegatis iis ante decernendam inhibitionem injungere jurium vel privilegiorum suorum editionem, edita examinare, nec aliter quam secundum literam aut notorium usum, ad quem decretum astringendum erit, inhibere. (2) Ubi vero jus per appellationem decretis magistratus reluctantium non est manifestum, sed controversum, & ex aliqua justa ratione dubium, non decernenda est inhibitio. Præsumptio enim semper est pro magistratu, (2) ideo contra eum non facile decernuntur mandata sine clausula, ne subditis ad majorem inobedientiam & contumaciam incitamentum accedat. (4) Sicut plerumque fieri solet, & præprimis circa inhibitiones idem provisum est Imperii Constitutione, (5) quod subditis contra magistratus processus decerni non debeant

Digitized by Google

beant, nisi gravamine verisimiliter probato. Quo examine præprimis opus est contra opificum collegia, quæ semper laborant, pro extendenda sua licentia, & consequenter coarctanda magistratus in se potestate, quod usibus publicis valdè noxium & impedimento est. Per opificum enim prætensiones, contractiones, arbitria & introductos mores multa quæ ad communem usum spectant, prædiuntur, aut tam difficilia & intricata imperantibus redduntur, ut sæpe inter reluctationes non modico Reipubl. incommodo decernenda sint. Quando vero illi privatam collegii & singulorũ utilitatem curant, publicæ atque omnium civium incurioſi & ignari; è contra magistratus communi salvti & singulorum civium commodis intentus est, merito hujus decretis & statutis plus tribuendum, quam illorum desideriis. Eoque potius quod penes hunc est jus mutandi, emendandi, corrigendi, interpretandi, talia statuta & rotula, (6) idque servari & non impediri ad publicam privatamque utilitatem civium spectat. Contraria huic in dubiis inhibitio & si per appellationem impetrare concederetur, istud interim aut inane fieri necesse est. Spectato præterea quomodo collegia opificum suis juribus & privilegiis abutuntur ad effrenem tere licentiam, sub eorum obtentu magistratus potestatem debito modo non honorant, in litem vocant, mandata spernunt, aut turbas proclives sunt, in vidiam exerunt, melioribus opificibus plerumque obsistunt, de quibus etiam in Constitutionibus imperii multiplex querela reperitur, non potest non sine aliquo magno incommodo ac periculoiis indulgeri, ut nondum plene fundatis eorum desideriis cedat magistratus, cui omni modo adversus eos conservari autoritatem summopere necesse est. Ne quod contra illum superior indulget, ut repant talia ulterius, nec ubi incipiunt subsistunt, ipse postea sentiat. Ex his cautis recentior Imperii constitutio vetuit faciles adversus magistratus in his quæ ad politiã civitatis spectant, inhibitiones. (7) Quando autem in ea quæ obveniebat specie non modo appellantium jus circa exclusionem ejus, qui artem bene didicerat & exercebat, non apparebat, sed potius alia, ex quibus pro magistratu firmabatur præsumptio, eo magis placuit inhibitionem cassari. Accedebant aliæ causæ, sine quibus priores sufficiebant, hic tamen eo magis æquitatem decreti stabilientes. Erat enim, qui prohibebatur exercitio artis, in ejus usu & possessione eadem relinquendus, donec lis finiretur. (8) Deinde appellatum erat ab extrajudiciali decreto. Per jura communia, tum ex Imper. constitutione scimus, in appellatione extrajudiciali ante causam cognitam seu fundatam appellantis intentionem, ut de injuria decernentis appareat, inhibitiones non decernendas. (9) Tandem cum cui facta inhibitio, iis quæ manu & usu artis suæ parare solet ad victũ sui atque familiæ quotidianum egeat, adeoque alimentorum causa ratione inhibitionis incidat, eo minus decernenda fuit. (10) Et licet alia sub lite sit causa, quam quæ principaliter alimenta concernit, si tamen virtualiter aut consecutivè comprehenduntur, & iis carebit appellatus, si appellatio admitteretur, non alio loco habebitur causa, atque si pro alimentis agatur. (11) *Juxta hæc pronunciatum in causa Senat. Stralsund. contra die Tischer, ib. 17. Januarii Anno 1655.*

1. Est enim in iis jus collegiorum, quod à Magistratu servandum, donec legitime immutatur. Ut non licet magistratibus fiducia imperii aliquid injurioſe facere. *Gail. 2. Observ. 110. num. 40.* Ita superior cum contra jus inferiorum ille agit, hos defendere, illi resistere debet. Tam enim civibus quam magistratibus præstanda est jurium suorum tutela.

2. Ultra literam privilegiorum vel notòrietatem consuetudinis ex jure communi fundata est contra subditos intentio magistratus. *Ant. de Petra de Potestat. Princ. part. 2. cap. 3. num. 117.*

3. *l. 2. de offic. civil. judic.*

4. *Gail. 1. Observ. 17. num. 6.*

5. R. A. zu Regenspurg *de Anno* 1594. §. Dãrum setzen / ordnen ꝛc.

6. *De observanda in hoc cautione vide quæ scribit & monet Petr. Frider. Mindan. lib. 2. de Mandat. cap. 13. per tot.*

7. Ita clausula in privilegiis & rotulis collegiorum tam liaris est caute è concedentibus addi solita: Uns behalten uns bevor diese Rolle oder Satzungen zu mitern / zu mehren / zu bessern / zu ändern und auffzuheben / cujus ea vis est quod excipit personam & potestatem magistratus eique relinquit emendandi, ubi expedit, arbitrium. Cujus virtute licet haud tamen sine ratione recedere è concessis.

8. Ita habent verba Recessus Imperii Ratisbonensis *de Anno* 1654 §. Wie nun solches von denen cautis Mandatorum & simplicis querelæ eigendlich zu verstehen / allwo der Bürger und Unterthan directè wider seine Obrigkeit klaget / als solles dannenhero auch gehalten werden wann Sachen / die denn bey einem Stand ins gemein eingeführter guter Policey- Zunfft- und Handwercks-Ordnungen anhangen / durch Appellation an unser Käyserl. und deß Heil. Reichs-Cammergericht gezogen werden wollen / daß der Richter / ehe er die Processe erkennet / deß Orts Obrigkeit / und des status publici mit einlauffendes interesse mit seinen Umständen wohl erwägen / fürnemlich aber in dergleichen Sachen keine inhibition leichtlich erkennen / sondern dafern solche Sach wider selbigen Orts hergebrachte vernünfftige und den Reichs-Constitutionen nicht ungemessene Handwercks- und andere hergebrachte rechtmässige Ordnungen lauffet / zu Abschneidung deß in denen Reichs-Constitutionen so hoch verbotenen Auftreibens / und Schützung der Meister und Gesellen und anderer Angelegenheiten ab- und an deß Orts-Obrigkeit / als die ohne das den Gewalt haben / dergleichen Statuta nach Gelegenheit der Läuffte und Zeiten zu wiederruffen und zu ändern / verweisen.

Digitized by Google

9. Si appellatus tempore interpositæ appellationis possessione fruitur, non est turbandus aut prohibendus possessione, ideo nec decernenda inhibitio, *Gail. 1. Observ. 144. num. 10. Mindan. de process. lib. 2. c. 19. num. 7.* sed relinquendus in eo, quo fuit statu & juris usu. *Gail. 1. Observ. 147. pr.* Unde singularis circumspectio in decernenda inhibitione à judice requiritur, ne possessor per appellationem, qua pendente nihil innovari debet, turbetur aut impediatur in usu aut commodo possessionis, *uti admonet Gail. 1. Observ. 145. num. 4.*

10. *Gail. 1. Observ. 144. num. 8. Mindan. d. tract. c. 27. num. 9.*

11. In causis alimenta futura concernentibus appellationem non admitti multorum est sententia, *vid. Surd. de Alim. tit. 8. privil. 60. num. 5. seq. Rebuff. in tit. de Appellat. artic. 7. gloss. 2. num. 19. tom. 3.* Discedunt ab ea alii. Conciliantur vulgo distinctione inter effectum appellationis devolutivum & suspensivum. *Surd. d. l. num. 16. & 19. Lancell de Attentat. part. 2. c. 12. limit. 24. num. 6. seq. Conard. in l. un. limit. 3. num. 54. & 57. C. si de moneat. possess.* Et quidem hæc verior opinio in praxi obtinens.

12. *Scaccia de Appellat. quæst. 17. limit 7. numer 19.*

DECISIO XIV.

Non eo minus quod sententiæ nullitas vel iniquitas apparet, super desertione pronunciandum est.

IN dubitationem venit, utrum judex ex gravaminum & quæ horum causa producuntur documentorum tenore perspiciens appellantem valde esse gravatum, & sententiam seu nullam seu injustam ad pronunciationem super desertione nihilominus progredi debeat? Hoc quidem indulgendum erit appellanti, ut si quædam superest dubitatio, utrum deserta sit appellatio, interea non fiat pronunciatio, si causa indulgentiam mereri videatur. (1) Etiam cum deserta fuerit, ut parte non instante differatur, de eo prolocutio jure non contrariabitur. (2) At ut desertione objecta & ejus declaratione petita non fiat pronunciatio, juri non congruum rati sumus, utut de meritis eluceat sententiæ prioris iniquitas. (3) Nec enim de illa judicium pertinet ad superiorem judicem, postquam appellatio deserta reperitur. Nec ejus est scrupulum conscientiæ suæ super eo injicere, de quo suum non est judicare. Imputet sibi, qui appellationem ut decet prosequi negligit. (4) Frustra jus invocat, qui non vigilat. Habet desertio ista quandam sui juris abdicationem, quæ cuique relinquenda, nec invito dandum beneficium. Incongrue applicatur hic quod dicitur, sententiam nullam seu manifeste enormiterque iniquam non transire in rem judicatam, (5) longe hoc differt à desertione appellationis. Quæ esse atque declarari, nihilominus tamen ex ista regula auxilium existere potest, longe tamen ab appellatione diversum. Nec enim ad illud sibi asserendum hoc opus est, sed citra eam coram judice etiam inferiore proponitur, utut deserta fuerit appellatio. Quare deserta licet appellatione isti locus est, sentiunt quidem aliqui aliter, super desertione pronunciationem in hac specie excludentes; at qui magis de consuetudine locorum speciali, quam ex jure communi sic statuunt. (6) Quod consideratum die 21. Januarii Anno 1659.

1. Ut appellationis beneficium favorabile est, sic causa desertionis odiosa, & in dubio non est pro hac facienda pronunciatio. *Jason. Consil. 16. lib. 3.*

2. Non est pronunciandum super desertione, nisi parte altera hanc arguente, altera citata. *Merumb. in specul. part. 6. tit. de appellat. num. 223.*

3. Paria sunt, non esse appellatum & appellationem esse desertam *l. fatalia §. fin. §. illud Authen. qui appellat. C. de Temporib. Appellat. c. personas c. cum sit Romana V. de Appellat.*

4. Vigilantibus jura scripta sunt *l. pupillus 24. ff. quæ in fraud. credit.*

5. *l. si expressim ibid. Bartol. ff. de Appellation.*

6. *Vid. Parlador. Rer. quotidian. lib. 2. cap. fin. part. 1. §. 1. num. 10.*

DECISIO XV.

Revocatio attentatorum non fit ante receptam appellationem & decretos processus.

POst intimatam appellationem per judicem à quo pro executione sententiæ vel decreti facta attentata quidem sunt, (1) at statim non revocantur, nec admittitur de iis revocandis petitio, (2) antequam prolatis, & examinatis gravaminibus decernuntur processus appellatorii. Nec enim judicis superioris est jurisdictio, nisi recepta appellatione. Accidere possunt, cur aut non recipiatur appellatio, aut ea non recepta judex inferior deferendum non putet, ideo executionem non attenta appellatione interposita juste se fecisse obtendat. (4) *Sic existimatum in causa Henrici Matthiæ contra Advocatum Fisci in Pomerania die 15. Febr. Anno 1659.*

1. Attentatorium vitium, quod est in contemptu jurisdictionis superioris, oritur ex notitia appellationis, *ut inter decisiones sæpius monitum.*

2. Hoc semper in summo Tribunali Regio ita observatū est, tantum ubi appellans ex justis impedimentis non potuit gravamina proferre, interea judex à quo attentavit, saltem cum reservatione juris competentis

Digitized by Google

competentis mandatum de nihil innovando sub comminatione revocationis aliarumque legalium pœnarum decernitur.

3. Ex his causis revocatio attentatorum non fit.

DECISIO XVI.

Ubi non quantitas sed jus sub lite versatur ad summam appellabilem determinandam, non rei valor, sed juris utilitas æstimatur.

EI qui pro jure retractus ex causa vicinitatis experiebatur cum appellasset, opponebatur non devolutæ appellationis exceptio, quod subjectum retractus ædes nempe venditæ essent, pro centum quinquaginta Imperialibus, qui non exprimunt quantitatem appellabilem, at sicut non de ea pecunia controversia erat, sed de ædium possessione exempto capienda, speciatim de jure retractus, ita non oportuit istius quantitatem spectare, sed hujus utilitatem, (1) Cujus æstimatio per ordinationem judiciariam relicta est arbitrio judicis aut juramento partis. (2) Huic saltem ubi per illud ex justis & verisimilibus argumentis colligi non potest ejus taxatio. (3) Per illud autem cernebitur recte appellabilis causa etiam circa rem valoris non adeo magni, si aut per hanc magna quæri potest utilitas (4) quantitatem definitivam æquans, aut onus averti, quod non facile tolerabile, aut incommodum perpetuum devitari. (5) Retrahentem itaque ædes, per quas vicinum rixosum aut onerosum aut incommodum quis acceptarus est, (6) seu usui ingrato destinatas, audiendum & non attenta exceptione non devolutæ appellationis ab appellato respondendum esse, conclusum fuit *in causa Hans Brand contra Christoph Meyern die* 15. *Martii Anno 1659.*

1. *Vid Gail. 1. Observ. 123. num. 6.*

2 *Vid. Ordin. Sum. Tribun part. 2 tit. 1. §. 9.*

3. Ita declarat allegata Ordinatio ex rationabili causa, quod ad juramentum est progrediendum, quamdiu alio medio veritas non potuit haberi.

4. Circa æstimationem rei spectantur omnia, quæ utilitatem aliquam præbere possunt. *Bartol. in L. 2. C. de rescind. vendit.*

5. Etiam minima res attenditur ubi magnæ facit præjudicium. *l. scio 4. ff. de restit. in integr.*

6. Hoc non parvi per jurisprudentiam æstimatur *l. si convenerit 14. ff. pro Soc.*

Sic pronunciatum.

In Sachen Hans Branden Appellanten / wider Christoph Meyern Appellaten / Burgermeister und Rath der Stadt Stade *Intervenienten* in puncto retractus, wird erkandt / daß der vorgebrachten Exception non devolutæ Appellationis, wie auch intervention ungehindert Appellat sich einzulassen / und proxima auff die Gravamina zu antworten / sub pœna contumaciæ schuldig sey / dabey aber *Intervenienten* / was von der Stadt Gebühr und Angelegenheiten bey der Wohnung quæstionis vorgebracht / vorbehalten bleibet. Von Rechtswegen.

(Hoc est)

In causa Ioannis Branden Appellantis contra Christophorum Meyern Appellatum consules & senatum civitatis Stade intervenientes in puncto retractus, decernimus, quod non attenta exceptione non devolutæ appellationis ut & interventione appellatus se ingerere & in proximâ ad gravamina respondere sub pœna contumaciæ teneatur, simulvero intervenientibus reservamus, quod de juribus civitatis & constitutione circa domum quæstionis profertur, idque de jure.

DECISIO XVII.

In judicio appellationis quod incidenter accedit causæ principali, simul recte decidetur.

CUm in vindicatione rustici, quam creditor hypothecarius instituebat, opponeretur exceptio soluti ex possessis hypothecatis, deinde adjudicatis fundis debiti, ejusque probatio injungebatur, incidit quæstio quantum deberetur, præsertim pro usuris, & decisum tandem has non aliter ac novissimæ Imperii constitutioni convenit solvendas esse, opponebatur incongrue de usuris judicari, de quibus in priori instantia non fuerit controversia, nec earum causa appellatio processerit. (1) At nec id necessarium visum fuit, cum postea in litem multa deveniant, quæ ab initio in libello non continentur, & super iis nihilominus judex pronunciare teneatur. (2) Præsertim vero de eo judicare necesse est, si aut id quod in judicium venit, isti tanquam præsuppositio innitur, ideo præviam decisionem requirit, (3) vel ex eo de quo judicatur necessario sequitur, (4) vel denique sic cohæret, ut alterum sine altero exitum non habeat. (5) *Ita judicatum in causa Filiorum Iochim Behren contra Paul. Schmatzhagens hæredes die* 19. *Martii Anno 1659.*

1. Hoc est quod communis habet JCtorum sententia, at male hic applicata. Ad judicium superius appellatione non devolvi, nisi de quo actum in inferiore, de quo inter decisiones nostras alibi scriptum.

2 Quæcunque post litem contestatam accidunt, arbitrium judicis desiderant. *l. quod si nolit 31. §. sed hoc 13. ff. de Ædil. Edict.* Etsi enim quia non potest in judicium venire, videri quod post judicium acceptum accidit alia interpellatione opus est. *l. non potest 23 ff. de Iudic.* haud tamen novo judicio §. 35. *Instit. de action. Hilliger. ad Donell. lib. 23. Comment. cap. 5. lit. N.*

3. *l. Annæus 14. §. fin. l. seq. ff. de aq. pluv. arcend.*

4. *l. 2. Cod. de judic.*

5. Ne continentia causæ dividatur. *l. nulli 10. Cod. eodem.*

Digitized by Google

DECISIO XVIII.

Post appellationem judex ex officio providere debet, ne ex ea publicis rebus damni quidquam accidat.

QUod circa appellationes frequens, ut quæ inde litibus mora non sine damno sit, eoque & publico; Ubi ex causa quidquam rempublicam contingit, curæ debet esse judici, quo processus decernendo observet & prospiciat, nequid detrimenti illa capiat. (1) Similiter etiam faciendum, ubi Ecclesiasticis rebus aliquid incommodi imminet. (2) Nec expectandum, donec judex de eo, in quo publicæ res discrimine versantur, admoneatur & remedium petatur, sed etiam non imploratus ex officio providebit, (3) quod fieri potest & solet provisionali decreto præscribente, quid inter ea pro avertendo damno servari debeat. (4) Sicut id sequi placuit circa appellationem, per quam functio pro colligendis Eleemosynis vacatura erat, cum processibus itaque appellatoriis simul decretum est mandatum, quo ea interea ab alio sustineretur. *In causa der Cramer Compagney vvider Bürgermeister und Rath der Statt Wismar die 8. Aprilis Anno 1659.*

1. Publici cura semper potior iis qui publica munia gerunt. *l. 3. ibi Ioh. de Plat. C. de Primip.*
2. Ecclesia est velut spiritualis Respubl.
3. Ex lege, quæ in est omni officio publico, ut provideat ne Respubl. detrimentum capiat.
4. Est modus prospiciendi usitatus & commodus.

DECISIO XIX.

Continuans appellatione pendente non attentat, ubi versatur in actu licito vel iure, cujus est possessio vel quasi.

ACtus qui fiunt per modum continuationis non esse attentata, dudum in judiciis tam receptum, quam ex ipsa ratione ortum est. (1) At de iis accipiendum, qui licite fieri possunt: secus est in iis qui prohibentur per jus commune vel speciale, quos facere nunquam licet. Ita etsi possessione ob appellationem decedere nemo cogitur, nec quod pro eâ conservanda atque continuanda fit, pro attentato sit, haud tamen de aliis sic existimandum, ac quorum est possessio vel quasi. (2) Quæ si nulla est, aut interdicta, (3) non potest admitti continuatio, veluti si quod fit delicti species sit, (4) cujus nulla est possessio. (5) Quocirca cum post inhibitionem fiunt, velut pro continuatione possessionis, quæ ex se improba & non admittenda sunt, defensionem vel auxilium non habent, (6) ideo licet interea sæpius facta nihilominus eo non attento ut attentata juste revocantur (7) uti judicatum fuit *in causa institorum civitatis Wismariensis contra Senatum die 12. Aprilis Anno 1659.*

1. *De quo videre potest plura apud Lancellot. in tr. de Attentat. part. 2. cap. 4. limit. 1. numer. 1. & seq.*
2. *Lancellot. dict. limit. 1. numero 10. & numero 92. in fin.*
3. Quamdiu certa non est possessio super attentatis conventi, sed in dubio antequam de ea & quidem tali, quæ defendenda sit constat, non fit revocatio. *Natta consil. 607 num. 10. seq. Bertrand consil. 49. num 1. lib. 1.*
4. Paria hæc sunt quoad legitima remedia nullam & vitiosam seu injustam esse possessionem *l. improba ibid. Gloss. Dd. Cod. de Acquir. possess.*
5. *Menoch. Retin. possess. Remed. ult. num. 25.*
6. Improba & vitiosa possessio non habet aliquod adminiculum aut effectum juris. *Roman. consil. 499. num. 7 Decius consil. 466. num. 17.*
7. *Lancellot. dict. tract. part. 2. cap. 4. declar. 4. num. 52. & 53.*

DECISIO XX.

Ex jure superiori sit revocatio, quæ aliàs inter litigantes ex causa attentatorum non fieret.

CUm Senatus per longos annos à quibusdam institoribus ex vino, aceto & aliis liquidis, accisiam quandam per superiorem non concessam exegisset, tandem vero hi velut gravati à decretis exactionis appellassent, & inhibitio facta esset, ea vero non attenta velut pro continuanda possessione pignoratio accessisset, an pendente lite exactionem durare, an eam ut attentatum revocare justum sit, inde in dubium vocabatur, quod Senatus longi temporis possessionem pro se allegabat non modo, sed & adversa pars concedebat, (1) illegitimam & improbam saltem dicens, non tam ex suo quodam jure, cum longa patientia & præscriptio id sustulisse videretur, (2) quam ex jure Principis, quia sine hujus consensu non licebat accisias instituere aut augere. (3) Quæ ex tertii jure exceptio vel replica proficere non solet ad excludendam petitionem alterius. (4) At licet in iis, quæ ea patientia & silentio cujusquam juste fieri possunt, non sit postea locus attentati querelæ contra actus, qui ad continuationem tendunt, in iis tamen, quæ per jus superioris improba sunt, ut non modo non patiti illa debeat appellans, sed nec facere appellatus, quia ad licentiam non proficit sola contra appellantes usurpata diuturna possessio vel quasi,

Digitized by Google

quasi, (5) locus supereſt revocationi, non quidem velut ex cauſa attentatorum, ſed ex jure ſuperioris publico, per quod illicita eſt uſurpatio. (6) Nec tantum ſuperiori jus eſt ex officio illud prohibere, ſed etiam parti prohibitionem petere. Nam jus ſuperioris obſiſtens facto inferioris, tollit jus faciendi, ſeu excluſivum eſt juris, ex quo factum defenditur. Unde etiam tertio exceptio vel revocatio competit, (7) maxime ſi ex publico jure oritur, quod judex ſuperior præter jura partium attendit, adeo ut quæ per hæc licent ex illo tamen non admittat, ſed revocet, ut jus reipubl. maneat illæſum. (8) Quando itaque per hæc exactiones vel acciſiarum fieri non debuit, non inhibet modo judex quæ diu cives paſſi ſunt, ſed & quæ poſtea fiunt juſte revocat. *In eadem cauſa.*

1. In continuatione antea ſolitorum non eſt vitium attentati, *uti in ſuperiori deciſione ex Lancellotto allegatum.*

2. *Bartol. in l. fin. ff. de Servit.*

3. *De quo fide deciſionem ſequentem.*

4. *l. loci corpus 4. §. competit. 7. ff. ſi ſervit. vindic.*

5. Pactis & factis privatorum nedum nudapatientia non poteſt jus publicum tolli, aut præjudicio affici, *l. Neratius 20. ff. de Religioſ. & ſumpt. fun.*

6. Ex publico jure jus eſt ſingulis ad ejus defenſionem & uſum. *Bartol in lib. 1. ff. ne quid in flum. publ.*

7. *Bartol. in l. 2. ff. de Except. Rei. Iudic. Zanger. de Except. part. 3. c. 26. n. 23.*

8. Semper & omni modo curandum, ut jus publicum maneat illæſum. *Novell. 17. c. 1.*

DECISIO XXI.

Quà revocationem attentatorum nihil intereſt judex à quo ſciverit an ſcire potuerit iſtam interpoſitam, aut decretos proceſſus.

QUod vulgo ad effectum attentatorum requiritur, ut intimatio appellationis vel inhibitionis fiat judici à quo, (1) eum ignorans non fiat reus contemptus judicis ſuperioris, qui revocationem meretur, ita accipiendum eſt, (2) ſi non hic appellatum eſſe aliunde ſciverit; (3) Similiter & ſi facile ſcire potuerit, (4) & per eum ſtat, quo minus ſciat, (5) multo magis ſi fingit & efficit ne ad ſcientiam ſuam perveniret. (6) Veluti, ſi cum pars appellans appellationem intimare vellet judicum unus documentum recipere nollet, ſed partem ad collegam remitteret isque etiam recipiendi difficultatem faceret, & quando collegium una congregatum foret, quod haberet offerendum diceret, interea vero executio fieret. (7) Inter illas circumſtantias concluſa eſt revocatio, decretumque mandatum de reſtituendis pignoribus ablatis *ad ſupplicationem der Camer in Wiſmar. Die 16. Aprilis Anno 1659.*

1. *De quo Vid. Mynſing. 4. obſerv. 44.*

2. Ignorantia excuſat. *l. ſed ſilege 25. §. ſcire ff. de petit. hared.*

3. Certus non debet amplius certiorari *l. 1. ff. de act. empt.*

4. *Paria ſunt ſcire, & facile ſcire poſſe l. pen. ff. de Sc. Macedon.*

5. *In terminis Lancellot. in tr. de Attentat. part. 2. c. 12. ampliat. 15. num. 42.*

6. *lib. 1. §. ſi autem 4. ff. ſi quis omis. cauſ. teſtam.*

7. Ejusmodi ludibria non tantum ad dedecus judicum pertinent, ſed & non admittere imo caſtigare ad autoritatem ſuperioris judicii.

DECISIO XXII.

Inhibitio etſi ab initio non decreta, poſtea tamen pro defendenda poſſeſſione fieri debet, ubi appellantem poſſidere apparet.

IN cauſa vectigal concernente appellationem interpoſitam recipere quidem juſtum viſum, at non decernere juxtim inhibitionem, tum quod extrajudicialis cauſa atque appellatio erat, (1) tum quia cauſa concernebat jus Ducale & intereſſe publicum, (2) tum quia pro immunitate à vectigali appellatio interponebatur, quæ non præſumebatur. (3) Ad deinde quando ſuper attentatis ſequebatur querela, & poſt exhibitionem privilegii demonſtrabatur poſſeſſio, vel quaſi immunitatis tum ex uſu multorum annorum quieto, tum ex confeſſione adverſæ partis, non negantis uſum tantum ex negligentia vectigaliorum ortum obtendentis, placuit tunc decernere inhibitionem. (4) Eſt quippe poſſeſſor pendente lite defendendus in poſſeſſione in qua tempore interpoſitæ appellationis fuit, eique tunc ſuccurrendum inhibitione, etſi ea ab initio negata fuerit, (5) Inter utrumque hoc intereſt quod quia prior ſine cauſæ cognitione decernitur, non eſt promiſcue in omni cauſa decernenda ſed multæ exceptæ ſunt, in quibus non inhibetur. At altra illa ubi ex aliqua cauſæ cognitione appellantem poſſidere apparet, omnibus ſine diſcrimine cauſæ tribuenda eſt nec pendente lite ea in qua fuerunt poſſeſſione ejiciantur. Sic judicatum *in cauſa Senatus Verdenſis, contra den Zoll Einnehmer allda. Die 16. April. Anno 1659.*

1. Juxta ordinationem in ea non inhibetur *part. 2. tit. 1.*

2. *l. abſtinendum 4. l. fin. Cod. Quor. appell. non recip.*

Digitized by Google

3. Exemptionis allegationi semper obsistit præsumptio. *l. 1. C. ut nem. lic. se ab empt. & jubemus C. de SS. Eccles.*

4. Sic in iis speciebus, ubi cum processibus appellanti non decernitur inhibitio, servatur, ut si postea appareat nihil innovandum esse, sequatur illa præsertim visis actis.

5. *l. fin. C. si per vim vel al. mod. Contard. in l. un. part. 3. n. 17. C. si de mem. possess.*

DECISIO XXIII.

Quæ judicem aut sententiam faciunt suspectam non attenduntur in secunda instantia.

EX suspicione contra judicem fit suspecta sententia. (1) Ante hanc vero ob illam jure ex recusari debet. (2) Ubi post pronunciationem ejus fit allegatio, non attenditur, sed tantum quæritur & inspicitur cum appellatur, juste pronunciatum sit nec ne. Reperta sententiæ justitia, non refert qualis fuerit judex, qua gratia quoque odio in partem feratur, modo recte justeque pronunciaverit. (3) Non est quippe appellationi locus nisi ob injuriam. (4) Quæ cum nulla, ista non admittitur. Quocirca etsi plura inter appellationis gravamina proferrentur, tum de judicis nimio in adversarium favore, & in se iniquitate, tum de suspectis nec ex fide factis circa transmissionem actorum, supervacua visa est querela, ubi ex actis deprehensa fuit justa sententia. (6) *in causa Senatus Golnoviensis, contra Consulem Valentin Wendland. Die 30. Sept. Anno 1659.*

1. *L apertissimi 16. C. de judic.*

2. Recusatio pertinet ad declinatorias fori exceptionis, & dilatoria est, ideo regulariter ante litem contestatam opponi debet. *l. fin. C. de Except. Gail. 1. Observ. 33, num. 11.*

3. Appellatio, etsi est sententiæ impugnatio, tamen est judicii prioris approbatio si non ex causa nullitatis ejus interponitur. Quæ hic opponi nequit, ubi ante sententiam, & ex eo finitum judicium, non est recusatus judex, ex quo demum nullitas ejus oritur. *Gail. dict. Observat. 33. num. 12. Maranth. de Ord. judic. part. 4. distinct. 16. num. 4.*

4. *l. 1. ff. de Appellation.*

5. Deficit quippe gravamen, sine quo non admittitur appellatio.

6. Inane foret litigium super eo permittere, cujus nullus effectus futurus sit.

DECISIO XXIV.

Attentata judex in parte arbitrarie punit.

ATtentatorum crimen non leve habetur, quia violant autoritatem judicis, & turbant ordinem judicii. Inde variis pœnis castignatur, aliis autem si judex, aliis si pars attentat. Contra illum ordinarie proceditur ad pœnam inhibitioni insertam. (1) Contra hanc vero, quia inhibitio non fit, nisi certis ex causis ex arbitrio judicis, (2) cui relictum est pro qualitate admissi seu contemptus attentatorem castigare. *In causa Advocati Fisci, contra Burchard Behren, die 17. Junii Anno 1659.*

1. *V. Mynsing. resp. 8 num. 20. dec. 1.*

2. Licet cuilibet magistratui pœnali judicio jurisdictionem suam tueri. *l. un. ff. si quis jus dicent. non obtemp.*

3. Ubi nulla certa constituta est pœna, arbitrariæ locus est. *l. 1. §. fin. ff. de jur. delib.*

DECISIO XXV.

Circa quæstionem de appellationis devolutione ad statuta & Recessus judicii à quo appellatur respiciendum est; non sequendum, quod aliter tribunalis Regii ordinatio disponit.

QUod ab JCtis pro regula traditur, judicem appellationis sui judicii statuta sequi, non prius incipit, quam causa appellationis ad illud devoluta, ibi recepta, & in ea procedi cæptum est. (1) Pertinet quippe ad illa solum quæ superioris instantiæ sunt. (2) quidquid ad primam pertinet, juxta ejus leges ordinatur & censetur. (3) Ad illam autem pertinere putandum quidquid est de ejus processu, ideo etiam illa quæstio eo spectat, quæ est de appellationis devolutione. (4) Nisi enim legitime devoluta fuerit, superiori judicio non competit de illa jurisdictio, sed eo usque subest inferiori. (5) An devoluta sit, ad cognitionem superioris judicii quidem pertinet, (6) sed regula judicandi non est ex ejus ordinatione sumenda, sed inferioris judicii legibus vel moribus. [7] Sicut enim appellatio interponitur coram judice à quo, ab eoque super illa apostolos petere decet, ita an huic locus sit, istic statuendum est, quippe quod appellationis est, de hoc quæstio appendix seu appertinens prioris instantiæ. (8) Id quod secuti sumus *in causa Senatus Stralsundensis, contra Sweder Müllern hæredes. Die 29. Junii Anno 1659.*

1. *Bald. in l. certum 5. numero 22. Cod. und. legit. Bartol. in l. cunctos numero 16. Cod. de Summ. Trinit.*

2. *Rebuff. in tit. de Appellation. quæst. 25. num. 40. tom. 4. Contrad. in l. un. num. 44. tom. 3.*

3. Hæc dependet à quæstione, an & quomodo possit appellari, de quo judicandum ex legibus judicii à quo. *Scacc. de Appellat. quæst. 18. num. 6. Bald. in l. 1. num. 10. C. ne lic. ter. provoc.* Ubi scribit de possibilitate appellandi spectari stylum cujusque judicii in quo appellatur.

4. *l. eos.*

Digitized by Google

4. l. vas Cod. de Appellat. c. dilectus 2. X. de Rescript.

5. Est enim appellatio & de ejus devolutione quæstio de Ordinatoriis judicii prioris. *Decius inc. cum in Ecclesiarum numero 36. X. de Constitut.*

6. *Specular. in tit. de Appellation. §. nunc dicamus num. 10.*

7. *Maranth. in Specul. part. 6. act. 2. in pr. numero 223. Scaccia dict. tract. quæst. 12. numero 43. & 44.*

8. *Jason. in l. in vitus. C. de Procurat. Ruginell. in tr. de Appellat. in rub. Quid sit appellatio & quos effect. prouuc. num. 16.*

DECISIO XXVI.

Qua cognitionem judicis à quo super desertione appellationis differentia est tantum ejus interposita & juxta introducta.

IN ea quæstione, quid post lapsum fatalium liceat judici à quo, & speciatim quando velut deserta appellatione ad ulteriora progredi liceat, multum interest, utrum tantum interposita, an etiam in judicium superius introducta sit appellatio. [1] Eâ saltem interpositâ, si intra fatalia ejus introducendæ apud judicem à quo nihil aut de introducta docetur, aut non petuntur apostoli, aut non insinuatur processus, integrum isti est ulterius progredi, & quæ judicavit exequi, (2) nihil metuendo de attentato querelam, qua qui frui cupit, etiam ut judicet à quo de prosecutione appellationis constet efficere, alias sibi quod sit imputare debet. (3) At postquam semel introducta est appellatio, non amplius licet judici inferiori super desertione judicium, sed illud est superioris judicii, à quo de eo exspectanda est super illa pronunciatio, interea ab executione abstinendum. (4) Quod si hanc pars urgeat, remittendus est ad superiorem instantiam, ibi declarationem desertionis petiturus. (5) Quod si eo neglecto judex inferior nihilominus pro executione quædam faciet, erit hoc sub attentatorum periculo, revocandumque erit, donec causa terminabitur. (6) *Juxta quæ decretum in causa Niclaus Bauman, contra Prozeln, die 9. Sept. Anno 1659.*

1. *Clement. Quamvis 1. de Appellat. Coler. de Proces. Execut. part. 2. cap. 7. n. 128.*

2. *Berlich. Pract. Conclus. 30. numero 185. seq. part. 1.*

3. *Gail. 1. Observ. 137. num. 3.*

4. Non habetur deserta appellatio, antequam coram judice appellationis contumacia appellantis accusatur, & causa cognita deserta declaratur. *Hurtm. Pastor. part. 1. quæst. 3. num. 13. Coler. decis. 104. n. 24. part. 1.*

5. Haud quippe decet jurisdictiones confundere, *l. 4. C. de jurisdict.*

6. Eo usque cessat jurisdictio inferioris, cui manus ligatæ sunt, *juxta vulgat.*

DECISIO XXVII.

In dubio appellatio non habenda est deserta.

OCcurebant post lapsum fatalium ex quibus poterat juris rigore appellatio haberi & dici deserta. Aderant simul, ex quibus lapsus erat ambiguus, nec in aperto, annon ad illum aut sistendum aut excusandum proclivius procedendum? Inter dubia quæ occurrebant, nec eandem omnium sententiam sinebant, visum est, appellationem non haberi vel declarari desertam. (1) Juxta regulam, quod in dubio appellationi favendum & pro ea statuendum. (2) *In eadem causa.*

1. Præsumptio juris hæc creditur, quod appellatio non præsumitur deserta. *Quam post alios allegatos exponit. Menoch. de Præsumption. lib. 2 præs. 96. num. 1.*

2. *Bartol. in l. 1. ff. de Appellat. Lancell. in tr. de Attentat. part. 2. c. 12. ampl. 1. num. 22. seq.*

DECISIO XXVIII.

Brevis appellationem causas expediendi modus in iis adhibendus, qua moram non ferunt.

APpellatione in causa contra conductorem interposita, appellantes demonstrando quam mora sibi futura sit noxia, processus solitos deprecabantur & eam providentiam rogabant, ut levato velo breviter procederetur atque statueretur, nedum liti prolixiori in voluta causa, interim conductor in prædio diutius male versaretur, & interea illi tam isto quam mercede carerent, imo laberentur anni, in quibus ipsi prædium conductum diutius non esset relinquendum. Prævidebatur tum in commodum, tum iniquitas tum & absurditas litis longioris, si propter quod litigabatur, ipsa lite desisturum esset. Volebant enim conductorem expelli, quia in solvendâ mercede cessaverat, atque male in prædio ipsorum versatus. Utut vero ea causa debebat esse summaria, (1) tamen utrum à solito etiam in summariis judiciorum ordine recedi posset; ambigebatur. (2) Utut vero ipsi alias juxta præscriptum ordinationis in hærendum tamen in tali quæ occurrebat specie recedi posse existimabatur, (3) non ut processus non decernerentur, iis quippe opus ad devolutionem causæ,

Digitized by Google

fundandam jurisdictionem, edictionem actorum citationem partis sed ut lis abbreviaretur. (4) Ad quod ea via per quam brevissime lis expediri possit, commoda erat, ut vel partes ad Tribunal citarentur, ibique auditis iis statim pronunciaretur, vel per delegationem seu commissionem de causa exquireretur. (5) posterius in hac causa placuit, cum in loco contractus melius ista expediri poterat. Recepta itaque appellatio quidem, decreti etiam sunt processus, sed statim simul commissarii lecti, queis demandabatur de gravaminibus propositis indagatio & examen sine mora in loco faciendum, ita ut audita utraque parte inter illos compositionem tentarent, si frustra hoc foret, de causæ momentis, & quid circa eam utrinque prolatum, ad judicium referrent, quo ibidem juxta ea aut lis per sententiam definitivam terminaretur, aut si id fieri nequiret, provisionali, quod æquum & causæ aptum statueretur. (6) *Sicuti factum in causa Senatus Grÿphisvvaldensis, contra Christoph Bunsovven, die* 13. *Sept. Anno* 1659.

1. Inter locatorem & conductorem causam summariam esse debere, monet *Paris. consil. 76. n. 4. vol. 3.*

2. Non nisi ex rationabili & gravissima causa recedendum à legum præscripto aut ordinatione processuum.

3. Cum periculum in mora est receditur à juris communis regulis. *l. 5. §. si quis rivos 11. ff. de op. nov. nunc.*

4. Hujus studium bono judici cordi curæque esse debet. *Juxta monitum ICti in l. cum quidam 21. ff. de reb. credit.*

5. Judicis arbitrio hoc relictum esse debet, an causam scripto, an ore agi expediat & necesse sit, & ubi sine scripto potest commode procedi, nihil obstat, quin ita ex causa disponere queat. Ita in aliis judiciis fieri videmus. Etsi itaque nostra nihil de eo habet Ordinatio, tamen quod non vetat at utile est, id admitti aut injungi potest.

6. Hoc remedio provisionalis sententiæ in causis locatorum atque conductorum nihil est frequentius, ut nihil aptius. *Fab. in Cod. lib. 4. tit. 41. defin. 4. & passim in aliis.*

DECISIO XXIX.

Denunciatio litis & citatio ad assistendum in secunda instantia etiam locum habet.

LAudatio autoris vel tendit ad declinandum judicium, vel tantum ad assistendum liti. In priori specie, de qua exceptio declinatoria est, seu dilatoria, (1) ideo ante litis contestationem opponenda est, nec in prima instantia omissa aut rejecta in secunda locum reperit. (2) In posteriori specie peremptoriæ exceptionis instar habet. (3) Et non modo post cœptum judicium, sed etiam post appellationem in secunda instantia fieri potest. (4) *Sicut admissa & citatio decreta est ad preces Hans Bonstacken, contra Danielem Maken. Die* 1. *Decembris Anno* 1659.

1. Reus quippe opponens laudationis exceptionem dicitur declinare judicium. *Maranth. de Ord. judic. part. 6. membr. 6. de Nom. auct. num. 2.* quia intendit, ut ipse liti eximatur & alius defendat, *Bart. in l. 2. C. ubi in rem act. ubi addit. super ea pronunciandi formulam.*

2. Per litis contestationem quasi contrahitur, & accipitur seu approbatur judicium.

3. *Sic ait Maranth. dict. memb. 6. de Nomin. auct. num. 2.*

4. *Covarruv var. resolut. lib. 3. cap. 17. numero 1.* ubi scribit, apud juris utriusque interpretes magis receptum, etiam in forensi examine sufficere renunciationem post sententiam in causa appellationis, modo eo tempore sint integra defensionis jura & auctor possit se ipsum & alium defendere.

DECISIO XXX.

Probandi onus perperam injunctum justam præbet appellandi causam.

NOn leve probationis onus (1) atque periculum est, (2) ideo judex circumspecte in probatione injungenda versari debet, (3) eique qui perperam isto gravatur, ob insigne præjudicium & onus appellare licet, (4) seu id probari debet, quod impertinens est, & ad causam non facit (5) seu plenior ejus, quod satis probatum fuit, probatio injungitur (6) seu qui à probationis onere immunis est, veluti si non actori, sed reo, (7) aut isti actori, qui juris præsumptionem pro se habet, (8) injungitur probare jubetur. Licet interlocutoria sit ea de probatione sententia, vim tamen definitivæ habet, ideo ab ea appellatio admittitur, uti factum. *In causa Abraham von der vveilen, contra Eberhard Ferbern. die* 9. *Ianuarii Anno* 1660.

1. Ita censetur in legibus *l. adversatio 18. Cod. de non num. pecun.*

2. Nam dum probare non potest, cujus est probatio, causa cadit & condemnatur *l. cum de 17. ff. de Probat.*

3. *l. curent. 22. ff. de testib.*

4. Ubi gravamen ibi locus fit appellationi.

5. Impertinentia ad probandum admitti non debent. *l. si duo §. idem Iulianus ff. de Iure jur. Gail. l. observ. 81. num. 2.*

6. Superfluis probationibus nemo onerari debet *argum. l. hac stipulatio 14. §. 1. ff. ut legat. seu fideicomm. serv.*

7. Actoris non rei est probare *lib. 2. ff. de probat.*

8. Juris præsumptio liberat à probandi onere & id in adversarium transfert. *l. fin. ib. Gloss. & DD. ff. quod vi & met.*

DE-

Digitized by Google

DECISIO XXXI.

Appellatio ab executore ad quem interponenda sit.

QUando post rem judicatam contrà condemnatos executio non rectà poterat per ipsum judicem fieri, sed docenda erat ab alio, sub cujus jurisdictione immediatà bona reorum erant sita, contingebat, ut injunctam executionem magistratus non modo non detrectaret, sed etiam præstare inciperet, sed statim à monitorio appellatio interponeretur, & quidem non ad S. Regium Tribunal, in quo judicatum erat sed ad Cameram Imperialem ad quam à Magistratu executore appellari solitum, idque deinde velut impedimentum executioni objectum referretur. Incidebat inde in consultationem, quid pro illo removendo suscipiendum esset. Cujus definitioni pro fundamento substruenda erat definitio certa, de quæstione ad quem ab executore appellatio interponi deberet aut posset? Est verò vel nudus executor, qui tanquam ministro suo judex executionem demandat, aut pro executione requiritur alterius forei, cui personæ vel bona subsunt, magistratus. Siquidem merus executor modum excesserit, si ex mandata committentis non ad hunc sed ad hujus superiorem judicem fit provocatio, (1) cum præter mandatum executor quidquam facit, ex quo alter se gravatum sentit, non ad alium; quam ad committentem pro emendatione appellatur. (2) Ubi non minister sed magistratus loci pro executione requititur, tunc vel executionis gravamen oritur ex præscripto istam ab alio desiderantis; & ad ejus superiorem provocatio fieri debet; (3) aut si talem non habet, istis remediis locus est, queis contrà sententias ejus utimur: quod si vero is, qui requiritur magistratus autor gravaminis est, tunc vel hic subest requirenti licet non immediatè non ad immediatum dominum sed nihilominus ad superius judicium provocatur vel querela defertur, (4) vel ejus jurisdictionem non agnoscit & appellatio ad illum tendit, qui ejus superior est, (5) ita tamen ut ex eo non fiat præjudicium jurisdictioni ejus, qui sententiam tulit, (6) de quo in præsenti casu statui nondum potetat, cum non constabat, qua ex causa appellatum esset, & quo appellantis intentio & petitio tenderet. Quare id prius explorare consultius visum interim decernendum in suspenso relinquere. (7) *In causa Iohann Keßlins, contrà Margaretha Eßiche Erben, die 7. Febr. Anno 1660.*

1. Est enim perinde atque si ipse judex fecisset, ideo eadem provocandi ratio, idem modus qui judice gravante *Abbas in c. quo ad consultationem n. 28. X. de Re judic.*

2. Juxta illam regulam, quod à delegato appellatur ad delegantem per vulgata & sæpius allegata jura.

3. Ille quippe qui ita desiderat, non qui manus desideranti ex præscripto porrigit, gravamen infert, ideo ad ejus superiorem appellationis causa est deferenda. *Rebuff. in Const. Reg. tit. de Execut. sentent. artic. 7. Gloss. 13. num. 4.*

4. Ita praxis Cameræ habet, ut cum magistratus inferior qui pro executione requiritur ex excessu ejusdem gravat non ad immediatum ejus Dominum sed ad Cameram Imperialem in qua judicatum & à qua executio injungitur appelletur.

5. *Post Rebuff. jam dict. loc. & Abbat. in C. quoad consultationem num. 29. de Re judicat. Scaccia in tr. de Appellat. quæst. 17. limit. 10. num. 68.*

6. Jurisdictiones non habent confundi, nec quod alterius ad alteram transferri. *Abb. in d. C. quoad consultationem num. 17. seq.*

7. Discernendum in tali specie exactius, quid causæ super qua judicatum & quid executionis qui implorata fuit.

DECISIO XXXII.

Libellus in secunda instantia non rejicitur, etsi conclusione careat, si ea in gravatorialibus continetur aut ex actis prioribus constat.

AD substantiam libelli etsi regulariter requiritur conclusio & petitio certa ejusque omisso libellum facere solet ineptum, (1) tamen in secunda instantia non adeo stricte requiritur, sed sufficit, quid appellans velit & petat constare ex articulis aut narratis gravatorialibus seu ex actis prioris instantiæ. (2) Eo satis apparente frustrà ulterior expressio desiderabitur, (3) cum enim appellans ad acta pure submittere queat nullo oblato libello, cur ideo appellatio rejicitur, si hic prolatus est sed non solennis aut formalia consueta non continens, ubi mens & petitio appellantis satis apparet. (4) Quando itaque supplicatio pro impetrandis processibus continuit gravamina, ob quæ appellatum erat, post decretos processus ultra quos initio nihil petitum eadem loco libelli repetebatur, cum satis inde petitio colligenda esset, placuit super eo judicare; nec alium libellum requirere. (5) *In causa Gener. Wachtmeister Caspar von Rothausen & consortum, contra Jacob Brümmern, die 1. Febr. Anno 1660.*

1. Conclusio enim regulat, ampliat & determinat totam actionem. *Gail. 1. observ. 81. num. 14. Wurmb. serv. 6. tit. 9.*

2. Sufficit libellum præsumptive concludere & tacite inferre ad quod actio tendit. *Felin. in c. dilecti num. 2. de lib oblat.*

Digitized by Google

3. Libellus non est ineptus, ex quo causa petendi cum petitione colligi potest.

4. Libellus quantum fieri potest sustinendus est, *Mynsi. g. 4. observ. 5.*

5. Judex ex officio libellum retinere & vitia ejus supplere potest, dum ad jus officium pertinet, quovis modo finire lites. *Gail. 1. observ. 66. num. 9.*

DECISIO XXXIII.

Appellatio à delata tutela admittitur.

ET si tutores dati provocare non habent necesse, (1) ideo tamen non vetantur, nec nulla lege ipsis prohibita est appellatio; (2) sed liberum relictum est utrum statim appellare velint, cum tutela ipsis defertur, an vero prius apud judicem, qui tutelam injungit, causas excusationis aut recusationis proferre, (3) Quas si judex rejecerit à decreto rejectionis nihilominus appellare licet, (4) *sicut admissa est appellatio Iacob Plasen, contra Gevert Lütken, die 7. Februari. Anno 1660.*

1. Olim erat quædam provocandi necessitas, At ea remissa est iis constitutione Divi Marci, facta licentia citra appellationem se excusandi *l. scire 13. pr. ff. de Excus. tut. l. 1. §. 1. ff. quand. appelland.*

2. Sunt inter JCtos, qui ita putant, sed errore. Quæ pro sua opinione abutantur legibus non loquuntur quod appellare non liceat, sed quod non oporteat seu necesse non sit, uti exposuit. *Cujac. ad l. 4. ff. de Excus. tut.*

3. Ea libertas appellandi expresse docetur per *d. l. 4. de Excus. tutor. l. 20. ff. de admin. tut. l. 17. §. 1. de Appellat. l. tutoris 18. C. de Excusat. Tut. de praxi hujus libertatis vid. Scacc. in tr. de Appellat. quæst. 17. limit. 8. num. 11. & seq.*

4. *l. quamquam 15. C. de Excus. tut.*

DECISIO XXXIV.

In conjuncta plurimum, etsi super rebus diversis actione, qualitas appellabilis non ex partibus sed ex conjuncta lite spectatur.

SI una, aut plurium, aut adversus plures actio est ex eadem causa, quod singulorum in illa lite est, non spectatur separatim, sed conjunctim, quomodo semel in litem venit. (1) Etsi itaque singulorum non ea sit pars quæ continent summam appellabilem, tamen ubi omnium coacervatio hanc conficit, locus est appellationi, (2) non tantum omnium sed etiam singulorum; (3) ut si vel cæteri non appellent, vel desistant, tamen uni consortum, etsi in communione minorem partem, quam quæ quantitatem appellabilem æquat, habenti appellare & appellationem prosequi fas sit. (4) *In causa Ludolph à Sangerhausen, contra Viduam Otto Heinrich Brobergen. Die 27. Februarii Anno 1660.*

1. *l. si idem 11. §. fin. ff. de jurisdict.*

2. *l. si qui separatim 11. §. 1. ff. de Appellat.*

3. Individuum jus singulorum facit totum commune. Nec differt utrum individuum sit re an actione & intentione. *Mindan. lib. 3. de comm. carf. cap. 16. n. 12. in fin.*

4. Propter connexitatem causæ, per quam consortibus jus quoddam commune est quæsitum, non valet in præjudicium alterius renunciatio appellationis. *Franc. in c. una num. 3. & 10. X. de Appellat. Scacc. de Appellat. quæst. 17. lim. 2. num. 95. seq.* quia illud tollere arbitrio consortis non est relictum, veluti qui rei communis arbiter non est *l. per fundum 11. ff. de Servit. Rust. præd. ideo in alterius* incommodum non cedit, lite etsi in suum cessare valeat, *Bald. in l. in hoc judicio num. 2. ff. Fam. ercis.*

DECISIO XXXV.

Separata condemnatio in eadem actione & lite non separat appellationis causam.

SI plures super eadem re separatim egerunt, etsi ex eadem causa inde secuta condemnatione separata, pluribus appellationibus opus est, (1) secus est, cum ab initio per ŏnes vel adversus omnes una actio etsi diversus super rebus simul instituta est, (2) tunc condemnatio licet seperata, non separat causam, (3) sed velut in eadem lite una appellatio omnium, aut unius pro omnibus, ideoque & unus idemque processus sufficit, atque admittitur. (4) Nam attenditur in hoc non quid fecit judex, sed quid facere debuit, (5) ideoque licet separatam condemnationem fecerit parti nocere non potest. (6) *Sicut inter easdem personas conclusum atque ordinatum fuit.*

1. *l. Siquil. separatim, 10. ff. de Appellat.* quam textum non de nuda condemnatione, sed actione separata accipiendum esse ratio exigit.

2. Una ab initio actio unam facit litem & conjunctum processum *lib. si idem 11. §. fin. ff. de jurisdict.*

4. Conjunctio ab initio facta fecit communionem, hæc causæ continentiam, quæ semel existens postea dividi non debet *l. 1. & 2. ff. de quib. reb. ad eundem jud.*

5. *l. sed licet. 12. ff. de offic. Præsid.*

6. Nam & in ipsa separatione gravamen est, ob quod appellationem locus sit, ubi non separati litem partis interest.

DE-

Digitized by Google

DECISIO XXXVI.

Quamdiu desertio appellationis nondum manifesta est, judex super illa ex officio non pronunciat.

QUod jure traditum, ut judex non tantum parte petente, sed etiam ex officio super desertione pronunciare possit, imo debeat (1) pertinet ad eam speciem, ubi ex actis desertio est notoria, nec de eo dubium supereſt: siquidem de ista sic aperte & indubie non constat, multo magis ubi causa dubitandi accedit & aliquid rationis appareat, cur non servatorum fatalium excusatio adferri possit abstinendum à pronunciatione. (2) Tunc prius debet ille, qui desertor arguitur, audiri & de impedimento cognosci. (3) Iniquum foret pronunciari desertorem & beneficium appellationis perdere, de quo an mereatur non manifestum est: Quare cum judex à quo non autem pars adversa urgeret, ut super desertione pronunciaretur, at ex ipsiusmet facto ortum ut introductæ appellationis non protessisset prosecutio, mota de modo præstandorum solennium controversia, indeque eo puncto hæsisset causa, desiderio locus non relinqui potuit. (4) Eo minus, quod de diligentia protestationes apud Acta reperientur. (5) Et non de introducendæ, sed de prosequendæ Appellationis Fatalibus intra quæ causa consistebat res erat, adversa pars nihil petebat aut urgebat, (6) quam ad judicium superius pro alleganda & docenda desertione remisisse oportuerat. *Sic decretum & responsum in causa D. Schulzen, contra creditores. Die 27. Martii. Anno 1660.*

1. *Clement. si appellationem de Appellat. Gail. lib. 1. O. 137. num. 1. & seq.* ubi id prolixius cum limitationibus additis exponit.

2. In dubio appellatio non habetur deserta nec pro desertione pronunciandum est, uti per allegationes probat *Scaccia de Appellat. quæst. 17. limit. 1. num. 18.*

3. Impeditis non currunt fatalia, uti prolixius exponi *Scaccia dict. tract. quæst. 15. per tot.*

4. Ubi impedimentum procedit ex facto judicis non currunt Fatalia nec fit desert appellatio etsi & omissa sit de diligentia protestatio. *Auth. Bard. de Temp. util. cap. 4. numero 3. Ripa in tr. de Peste. Tit. de Privil. Iud caus. pest. 3. part. 2. pr. num. 23. seq.*

5. Per Protestationes de diligentia & impedimento servatur jus appellationis integrum *Franc. in c. ex ratione numero 13. & numero 45. X. de Appellat.*

6 Prorogatio Fatalium prosequentiæ facilius fit & etiam ex consensu partium *Gail. 1. observ. 141. num. 6.*

DECISIO XXXVII.

Non redit causa ad Judicem à quo, etsi hic gravamen tollit, vel appellans appellationi renunciat.

QUod dicimus, exspirare appellationem & causam redire ad judicem à quo, si vel judex gravamen, ob quod appellatum est, sustulit, & abolevit, vel appellans appellationi renunciavit, non aliter obtinet, quam si appellatus assenserit & ita fieri permiserit, ut ad priorem judicem redeatur. Huic enim per appellationem tanquam beneficium utrique parti commune, (1) utut ab adversario solo interpositam jus quæsitum accedit, (2) quod ei invito auferri nequit, idcirco ei coram judicio superiore causam prosequi integrum manet, utut desistente altero, (3) dummodo aliqua ratione ipsius ita fieri interfit, (4) accidebat hoc in illa specie, ubi judex quidem gravamen tollere satagebat, sed eo modo, qui appellantibus non displicebat, at non appellato, cui non idem quod defendebat retinendi facultas præstabatur, sed aliud. Etsi vero æquale imo melius esset eo, de quo contendebatur tamen invito obtrudi non poterat. Nemo enim aliud pro alio accipere cogitur, (5) nec satisfactio pro solutione est, nisi volenti & approbanti. (6) Quod sequebamur in causa ubi ob occupatum pro muniendo loco alicujus fundum in recompensationem pascua & alia loca assignata erant, eique appellantes contradicebant, deinde vero Regium Regimen post appellationem interpositam jam desolatis munitionibus priorem locum aut ei parem reddere offerebat, *inter Jost Casper Kleneken & consortes contra Eilhard Klündern. Die 11. Maji Anno 1660.*

1. *l. ampliorem 37. ib. Bartol. Bald. Salycet. C. de Appel.*

2. *Vid. Scacc. in tr. de Appell. quæst. 14. numero 47. verb. extende.*

3. *Franch. in c. interpos. 70. §. ille denique num. 12. de appellat. Part. Papiens. in form. appellat. à sent. definit. Gloss. occasione num. 4.* Ubi invita altera parte appellanti renunciationem non licere, nec isti prosecutionem litis in secunda instantia impedire tradunt.

4. Renunciatio libera est, saltem in commodum appellati excipitur. *Auth de Butrio in d. c. interposita §. ille denique num. 2. de Appellat.* Ubi nihil interest, velle litem persequi, non permittenda malitia foret.

5. *l. 2. ff. de reb cred.*

6. *l. satisfactio ib. Bald. & Alex. ff. de solut.*

Digitized by Google

DECISIO XXXVIII.

Cum gravamen est successivum vel iteratum non currunt fatalia sed appellationi & prosecutioni semper locus est.

QUæ interponendæ & prosequendæ appellationi præfixa sunt fatalia, non excludunt appellantem quando successivum est gravamen (1) quamdiu super ejus justitia nondum est pronunciatum. (2) Toties enim de novo judex pronunciare & decernere intelligitur quoties illatum gravamen onerat. (3) Idem est ex eadem ratione quando gravamen aliquo decreto illatum alio deinde iteratur (4) quamdiu non intercessit causæ cognitio ut post illam pronunciatio lapsum fatalium non nocet, quin à posteriori iterum appellare & appellationem prosequi liceat, etsi à priori appellatio sit decreta. (5) *Sic decisum in causa der Pfandträger des Ambts* Wolgast, *contra die Regierung daselbsten. Die 10. September. Anno 1661.*

1. *Vid. Scaccia in tr. de Appellat. quæst. 12. num. 144. & seq.*

2. Per pronunciationem super gravamine fit res judicata nisi appellatum & appellationis legitima prosecutio facta sit. *Franch. in c. super & c. ex parte num. 9. X. de Appellat. Ruginell. de Appellat. §. 2. cap. 3. num. 176.*

3. Continuum gravamen continuum facit seu repræsentat decretum.

4. Ab ultimo seu renovato decreto fieri potest appellatio etsi à primo non sit appellatum modo prius rei judicatæ vires non habeat *Franch. in d. c. ex parte. 49. n. 5. X. de Appellat.*

5. A præceptis judicum sine causæ cognitione emanantibus appellandi facultas perpetua est, nec tempore astricta, quia in rem judicatam non transeunt. *Franch. in c. cessante memb. 6. & 10. X. de Appellat. Scaccia d. quæst. 12. n. 160.*

DECISIO XXXIX.

Appellationis prosequendæ fatalia non currunt quamdiu judex ipse vim decreti sui suspendit.

APpellationum prosecutioni præstitutum tempus suspenditur spes certa liberationis à gravamine sine processu appellatorio. (1) Sicuti illa est ex suspensione decreti quam facit judex à quo quando illa conjuncta est cum spe & exspectatione melioris decreti seu alterius remedii. (2) Desinit quippe necessitas persecutionis ut supervacuæ quamdiu alius causæ exitus ostenditur. Multo magis autem fatalia non current cum judice simul ideo fit suspenso quod de remedio liberandi cogitare & jure in causa statuere velit. *In eadem causa.*

1. *Exemplum ejus vid. ap. Scacc. de appellat. quæst. 12. num. 170.*

2. Suspensio decreti ab eo removet vim rei judicatæ.

DECISIO XL.

Legitimationis seu non factæ cessionis exceptio in priori instantia omissa aut non ritè opposita in secunda est admittenda.

EX alieno jure agens ante omnia ejus in se translationem seu cessionem docere, sicque personam suam ad agendum legitimare tenetur. Etsi autem exceptio legitimationis temporalis seu dilatoria est, regulariter ante litis contestationem opponenda, (1) cum tamen ità comparata est, ut judicium retrò reddat nullum, post litem contestatam admittitur, (2) etiam quando appellatum fuit. (3) Et cum nulla facta oppositione admitti debebat, multò magis sifacta ejus est mentio, etsi non cum ea quâ solet formâ, opponi. Cum & judex defectum legitimationis quem ex actis reperit per officium supplere debeat. (4) Talis verò, ex quo judicii nullitas oritur, est cum quis experitur ex jure alieno ut suo, sed sine cessione vel titulo ex quo accepit jus agendi. (5) Ideò cum quis obiter saltem in prima instantia mentionem injecisset non apparentis ejus qui allegabatur tituli eo verò prius non perquisito judex pro actore pronunciasset, reus ideò appellasset, visum est audiendum esse appellantem. *In causa Dieterici Sangershusen Curatoris, contra Dietericum Garlip à Platen. Die 5. Ianuarii Anno 1657.*

1. §. *præterea Instit. de Except. l. ità demum 13. C. de procurat.*

2. *Sic* distinguunt JCti circa exceptionem legitimationis an judicium reddat retrò nullum nec ne. Hæc non nisi ante litis contestationem, illa etiam post illam admittitur *vid. Vant. de Nullitat. tit. qualit. & quib. mod. sent null. num. 58.*

3. In causa appellationis exceptionem dilatoriam, quæ processum annullat, admittendam esse juri convenit, quæ nec in ipsa executione excluditur. *l. non idcirco 44. §. 1. ff. de Iudic. Bartol. in l. ità demum 13. num. 3.*

4. Ad judicis officium pertinet omni studio evitare nullitatis processus, & maturè requirere quæ ad illius substantiam pertinent, & queis sine cætera acta non subsistunt. *Vant. de Nullitat. in præfat. num. 24.*

5. Nemo ex alieno jure sine cessione utiliter agit. *l. fin. ib. Dd. C. de Hared. vendit.*

Juxta has decisiones in ea causa sic pronunciatum fuit.

Digitized by Google

In Sachen Ludolff Wolff von Sangershausen Curatoris Bürgermeister Heinrich Hintzens Appellanten wider Garlip Dieterich von Platen Appellaten in puncto debiti ex donatione cessi, werden die von Appellanten vorgebrachte gravamina, so viel die exceptionem legitimationis, solutionis & compensationis betreffen / deß Einwendens ungehindert abgenommen / Appellaten von dem Libell-Copia und ferner erkandt / daß Er zuforderst seine Personhn zu angestelter Foderung mittelst rechtmässiger Beybringung der donation zu legitimiren / darauff dann zugleich auff vorerwehnte übrige deß Appellanten exceptiones und derwegen in Libello begriffene gravamina zu antworten schuldig / Gestaltsam dann dazu proxima angesetzet wird / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 19. Januarii Anno 1657.

(Hoc est)

In Causa Ludolphi Wolffâ Sangershausen Curatoris Consules Henrici Hintzens Appellantis contra Dietericum Garlip â Platen Appellatum in puncto debiti ex donatione cessi, gravamina ab Appellante exhibita quatenus concernunt exoptionem legitimationis, solutionis & compensationis exceptionibus non obstantibus admittimus Appellato Libelli Copiam, & præterea decernimus quod ante omnia suam per coram ad institutam prætensionem mediante legali productione donationis legitimare & postea simul ad profatas alias appellantis exceptiones & propterea in Libello comprehensa gravamina respondere teneatur, prout eum in finem proximam juridicam præfigimus, idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ die 19. Ianuarii Anno 1657.

DECISIO XLI.

Causa licet separata, tamen ex eo quod sub appellationis instantia est dependens, à judice ad quem recipi debet.

CUm in Summo Tribunali versaretur inter emptorem & possessorem fundi de jure retractus conventionalis quæstio, qui conductor erat, conveniebatur à venditore ad solvendam mercedem annuam. Etsi vero ista ex contractu locationis descendens causa à priori retractum concernente plane erat separata, indeque videri posset istam ad peculiarem discussionem remittendam; (1) ideo judicis à quo velut competentis super ista recognitionem esse. Attamen penitius considerato, quod decisio hujus causæ dependebat ex ista quæ per appellationem devoluta erat; (2) Similiter quod ex actis apparebat judicem priorem in lite super retractu non satis justè pronunciasse, & imminere sententiæ informationem, indeque non poterat non conjici eum in causa consectaria secundum id quod pronunciaverat porro decreturum, (3) idque sine præjudicio & injuria cæterorum fieri vix posset, porro ea de causa suspectus judex futurus erat, placuit non remitti causam ad priorem judicem, sed retineri in hoc foro. (4) Suberat quippe ratione connexitatis & consequentiæ continentia aliqua causa, ex qua forum competens fieri constat. (5) Sic interlocutione judiciali declaratum *in causa priori inter Ioh. Scholvini liberorum curatores & Paul Otten, die 13. Ianuarii An. 1657.*

1. Non admitti solet tertius interveniens quando ejus jus separatum est à jure principalis sed requiritur novus processus & nova causæ cognitio. *Gail. 1. Observ. 20. num. 24.*

2. Inde oritur continentia & connexitas causæ, quæ coram eorem judice causam connexam terminari facit. *juxta ea quæ de ista plenius exponit Petr. Frid. Mind. inter. de Continent. caus. cap. 2. n. 2. seq.*

3. Pro evitando illo absurdo, ne cum eadem res ad duos judices venit, ut unus aliter quam alius judicet, de eadem re non iri ad diversos judices constitutum fuit, *uti Accurs. ad l. 1. de quib. red. ad. eund. judic. rationem ejus leges tradit.* Quando minus remissio fieri debet, ubi jam apparet aliam mentem judicis esse, ac quæ convenit causæ in superiori judicio disceptatæ.

4. Ubi coram suspecto judice litigare grave inde recusare licitum. *l. apertissimi 16. C. de Iudic.* Ita eo remittere partes absonum.

5. Facit consequentia causæ continentem *Petr. Frider. Mindan lib. 3. de Contin. caus. cap. 23. n. 2.* ex qua consequens causa ut continens apud eundem judicem retinetur. *l. nulli C. de Iudic.*

DECISIO XLII.

Allegato actorum defectu quomodo procedendum.

POst producta acta, admissum libellum, injunctâ appellato responsione, objectum fuit, acta esse manca & imperfecta designatis quibusdam defectibus. In quæstionem venit, utrum renovatio compulsorialium ad supplenda acta decernenda sit, ut fieri solet, cum editis actis illa tandem reperiuntur imperfecta, (1) an verò prius de eo inquirendum audità tam parte quàm judice? Est posterius visum processûs convenientius. (2) Nec amplius defectus ille præsumitur, sed quod abest, nunquàm interveniſſe aut portio illorum facta. (3) Inter est etiam & expedit partem potius audiri, quàm renovatione compulsorialium causam protrahere. Nec verò tantùm partem, sed & judicem super defectibus audiri congruum est. (4) *Hoc secuti sumus in causa Alexander Hartzen Wittwen, wvider Bartholomæus Weschen Wittwe, die 17. Ianuarii Anno 1657.*

Digitized by Google

1 Apud nos ea consuetudo est, ut statim postquam acta sub sigillo inferioris judicii producuntur, decernatur publicatio & utrique parti terminus ad inspectionem, & ipsi defectus deprehenditur, allegationem præfigitur. In quo si talis reperitur, & supplementum petitur, statim fit renovatio compulsorialium ad supplendum.

2. Postquam recepta est causa, & ad processum venit, nihil decernendum est, nisi auditâ alterâ parte.

3. *Gail. 1. Observ. 134. num. 15.*

4. Illius est defectibus respondere, & interest prava suspicione non onerari, quam alias ille juramento diluere opus habet: *Gail. dict. observ. 134. num. 17.*

Interlocutio talis fuit.

In Sachen Burgermeister Alexander Hartzen Witwen Appellantinnen, wider Bartholomæi Weschen Erben Appellaten / in puncto debiti, wir beyden an Seiten der Appellantinnen angezeigten Mängel der editten acten und deßwegen eingebrachten Schrifften Appellaten Copey zur Antwort und Erklärung darauff inwendig sechs Wochen einzubringen / dabeneben ein Rescriptum an das Pommerische Hoff-Gericht umb Nachricht der Bewandnuß der beschuldigten Mängel erkannt / worauff hernach ferner ergehet / was sich gebühret / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 19. Ianuarii Anno 1657.

(Hoc est)

In causa Consulis Alexandri Hartzen viduæ Appellantis contra Bartholomæi Weschen hæredes Appellatos in puncto debiti, Appellato Copiam ex parte Appellantis deductorum defectuum editorum actorum & propterea exhibitorum, ut desuper intra 6. Septimanas respondeat, ac se declaret, & præterea rescriptum ad judicium aulicum Pomeraniæ pro notitia insimulatorum defectuum decernimus, ex inde fiet quod juris. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 19. Ianuarii Anno 1657.

DECISIO XLIII.

Creditoris consensus in obligationem pignoris sui alii faciendam pignus planè perimit, si non aliud actum reperitur.

INter chirographarios se collocatum querebatur, cui pignus constitutum fuerat. Etsi enim precibus debitoris indulsisset, ut alii eandem rem pro pecunia, qua ad reparationem prædii oppignorati valdè egebat hypothecæ daret, tamen eo non putabat, pignus remissum planè aut ulterius, quàm ut iste sibi in pignore præferretur. Potuit quidem ea conditio dici, quæ & servanda fuisset, etiam si mens ea appareret, juxtà illam res decidenda esset. (1) At quando nihil tale allegabatur, nec apparebat, in sistendum fuit legibus magis fundatæ, (2) & rectiori inde etiam communiori JCtorum sententiæ, (3) in dubio consentientem, ut pignus suum alteri obligetur, non tantum præferentiam, sed etiam totum pignus remisisse. Etsi enim aliàs in dubio renunciatio non præsumitur. (4) Tamen secùs se res habet, ubi ipsi actui naturaliter ita inest, (5) vel ex illo consequitur, (6) eadem quippe ratio est oppignorationis, alii factæ atque alienationis, in quam consensus eandem vim habet. (7) Non admissa inde querela iniquitatis super ordine inter creditores, velut ob non attentam hypothecam constituto, die 17. Ianuarii Anno 1657.

1. *Secuti de ea specie scribitur in l. Creditor 12. §. si tecum ff. qui Pot in pign. facti quæstionem esse & quid inter eos actum consideran dum.*

2. *Proli è videas hoc deductum per Hart. Pistr. Illustr. quæst. 16 per tot. vol. 3.*

3. *Talem atsestatur Fulgos. in d. §. si tecum Negusant. de Pignor. 3. membr. 6. part. princip. num. 23. seq.*

4. *l. cum de in debito 25. ff de probat.*

5. Huic enim facientium voluntas semper intelligitur esse consona. *l. si vero ff. locat l. insulam ff. de præscript. verb.*

6. Actus omnis extenditur ad omne id, quod necessariò inde consequitur, *l. Iulianus ib. Dd. ff. de Condict. indeb.*

7. *l. 4. in pr. §. 1. l. si consensit. l. Titius ff. quib. mod. pign. vel hypoth.*

DECISIO XLIV.

A sententia vel decreto quod ad litem protelandā tendit appellandum, nec auditur simplex de protracta justitia querela.

CUm denegatur vel protrahitur justitia, jus est partibus de ista potestandi & conquerendi, judici autem superiori causam avocandi. (1) Nec saltem ante cœptam litem, sed eà pendente idem obtinet. (2) Verùm ita demum isti querelæ locus est, cum judex ad instantiam partis vel negat vel protrahit decreta. Secùs se res habet cum decernit vel pronunciat sententiam aliquam. Nec enim, etsi injustè id factum fuerit, denegat aut protrahit justitiam, Jus dicit etiam cum iniquè dicit. (3) Præsumptio verò est pro illius decretis & habentur pro justis, donec legitimis remediis impugnantur vel rescinduntur. (4) Et licet, vel tendunt ad protelandam litem sine appellatione rescindi nequeunt, cum jus alteri parti ex iis quæsitum sit, ubi vim rei judicatæ acceperint. (5) Quisquis igitur se inde læsum putat, appellatione opus habebit, nec audiendus ex simplici querela contra decretum quod sententiæ vicem habet. *Sic decretum ad preces Ioannis Molleri contra Daniel Maken die 10. Februarii Anno 1657.*

1. Ob

Digitized by Google

1. Ob denegatam vel protractam justitiam judex inferior privatur jurisdictione & causa devolvitur ad superiorem. *Gail. 1. Observ. 88. num. 1.*

2. Creditum olim ante cœptum judicium saltem denegata vel protracta justitia querelam simplicem locum habere, non verò cô jam cœptô, tunc iis qui se gravatos putant appellatione opus esse, *Gail. dict. Observ. 28. num. 2. ibid. Graven.* Sed cum inter dubia Cameralia id propositum fuit, à deputatis Visitatoribus in recessu deputationis Anno 1600. §. ob auch promotoriales, decisum tam nondum cœpta quàm pendente lite admittendam querelam & decernendos esse promotoriales.

3. *l. pen. ff. de Inst. & jur.*

4. *l. fin. C. ut lit. pendent. l. fin. C. sentent. rescind. non poss.*

5. Quæ facit ex nigro album, ex injusto justum, *ut JCti loquuntur.*

DECISIO XLV.

Exceptioni legitimationis in prima omissæ in secunda instantia locus adhuc est.

Est quidem exceptio legitimationis dilatoria, ideò ab initio litis ante litem contestatum opponenda, (1) attamen tunc neglecta non eo minus post illam admittenda, ubi sic comparata est, ut judicium retrò reddat nullum. (2) Multo magis ubi incidit in exceptionem non cõpetentis actionis, quæ peremptoria est, & etiam lite contestatâ auditur. Ideoque non tantùm in prima instantia ei locus est, sed etiam in secunda juxtà beneficium non deducta deducendi. Ex quo in secunda instantiâ non tantùm peremptoriæ exceptiones novæ & à prioribus diversæ, modò ad actionem elidendam faciunt, proponi possunt, (3) sed etiam dilatoriæ, quæ ità comparatæ sunt, ut in priori post litem contestatam oppositio fieri potuerit. (4) Quocirca cum nobili qui ob expectativam feudi, cum vacabit, quam à Principe habebat, contra viduam de evacuando experiebatur, opponeretur ab hac de istius in validitate indeque non competente jure, utut in priori instantia exceptio hæc omissa fuerat, audiri debuit, *in causa viduæ Hans Neuenkirchen contra Fratres die Küssovven die 11. Aprilis Anno 1657.*

1. *l. 3. in fin. ff. de Exception.*

2. *Zanger. in tract. de Except. part. 2. cap. 8. num. 103. & seq.*

3. *Vid. Hartm. Pist. part. 4. quæst. 23. numer. 33.*

4. *Iason. & Dd. in l. ità demum C. de Procur. Felin. in c. ad audientiam de Rescript.*

DECISIO XLVI.

Appellationis interponendæ fatale non incipit, nisi à die scientiæ, utut procuratorem appellans apud acta habuerit.

Sic quidem communis habet JCtorum sententia, fatale interponendæ appellationis decendium nempe quod alias non incipit nisi à die scientiæ diligentibus currere, (1) à die prolatæ sententiæ etiam ignoranti labi, cum procuratorem apud acta habet, (2) præterquam si procurator ille non solvendo fuerit, (3) quia tunc ipsi succurri æquum est. (4) At quando justa ratione per Ordinationem Judiciariam apud nos provisum est, ut procuratoris negligentia in lapsu fatalium domino nocere non debeat, sed ipsi integra esse jura, procuratorem saltem ob neglectum puniri, utique isti consequens, quod non attento an quis procuratorem habuerit nec ne, à die scientiæ demum decendiu currit. (5) Quod etiam observatum circa petitos processus, *in causa Otto Helmuth von Winterfeld contra Metten Schulten, die 28. April. Anno 1657.*

1. *c. concertationi de Appellat. in 6.*

2. *Gail. 1 Observ. 139. num. 8. seq. Fr. Vivius lib. 2. decis. 166.* Procurator enim tenetur aut intra decendium appellare, *l. urvitus C. de Procurat.* aut sententiam domino denunciare, *c. non injuste. ib. gloss. x. de Procurat.* Ejus verò negligentia nocere debet domino.

3. *Sic distinguitur hac in re an procurator solvendo sit, an non, Gail. d. Observ. 139. num. 9. Hieron. de Laurent. decis. Avenion. 9.*

4. Hæc ratio diversitatis est, quod si procurator solvendo est, ab ipso præstanda est negligentiæ reparatio & indemnitas: sin minus, domino restitutione in integrum succurrendum est. *Bald. in l. ab eo num 6. Quem. & quand. jud. Lancellot. de Attentat. part. 2. cap 14. lim. 50. num. 97.*

5. *Vid Ordinat. S. Trib. Regis part. 2. cap. 2. §. 3.*

DECISIO XLVII.

Appellatione à novo onere interposita contra magistratum decernenda est inhibitio.

Appellatum est ab onoris novi & insoliti impositione. Dubio carebat appellationem esse recipiendam, (1) At utrum inhibitio decernenda esset, magis dubitabatur. Erat enim res inter magistratum & cives, quibus contra illum inhibitio sicut alia mandata sine clausula non facile nec nisi valde considerate sunt decernenda. (2)

Digitized by Google

Etiam cum onera pro Republ. subditis injungunt, cavendum ne inhibitione aliqua nervus reipubl. incidatur vel impediatur, (3) in quorum exactione etiam pro magistratu præsumptio est. (4) Verum quia hoc non pertinet ad alia onera quam solita, & moderata, utique non potest impedire, ut cum querela proferetur de novis, insolitis & immoderatis non decernatur inhibitio. Hæc semper præsumuntur improba & iniqua, (5) ideo adversus ista locus est mandatis inhibitoriis & de abrogando, præsertim contra magistratum civitatum, quæ sunt sub Imperii Statibus, quibus non est perinde ut Principibus & civitatibus Imperialibus integrum collectas vel gabellas sine venia & indultu superiorum imponere (6) Superioris tunc etiam interest inhiberi, donec cognoscatur, an licite sibi illæ imponendi licentiam sumpserint, annon cum præjudicio territorii Domini. (7) Juxta hæc decretum *in causa der Kramer und Gewürtzhändler in Wismar, contra Senatum ibidem, die 11. Septembr. Anno 1657.*

1. Ordinarium veluti remedium, ad declinandum onera nova & insolita appellatio habetur. *Klock. in tract. de contribut. cap. 19. num. 110. seq. ubi tamen prolixius docet non solum esse necessarium, sed ea etiam neglecta supplicationis remedio locum esse.*

2. *Quod per recessum Imperii Ratisponensem An. 1594. in junctum fuit judiciis Imperii superioribus, vid. Gail. 1. Observ. 22. num. 4. & Observ. 1. num. 7.*

3. *l. 5. l. fin. C. quor. appell. non recip.*

4. *Roland. à Vall. consil. 1. num. 48. 90. & 94. vol. 2.*

5. *Schrader. de Feud. part. 10. sect. 5. num. 129.*

6. *Vid. Klock de Contrib. c. 19. num. 287. seq.*

7. *Quod latius comprobatum videas apud Klock. in dict. tract. c. 5. num. 102. & mult. seq. usque ad fin.* Tum ne inferiores sibi assumant jus collectandi vel tributa indicendi quod est de Regalibus; tum ne ad jura superioritatis tandem manum extendant, cum subditi exactionibus depauperentur.

DECISIO XLVIII.

Suspectus est judex ideo recte recusatur, & in superiori judicio causa recipitur, si partis unius jura tuetur contra alteram.

HOc quidem licet judici, ut cum altera partium de ipsius decretis querelam movet, pro tuitione justitiæ decretorum apud superiorem rationes alleget, & querelæ iniquitatem demonstret. At si ultra progreditur, & non tantum pro defensione decreti laborat, sed etiam alterius causam agit, alterius deprimit, magisque accusatoris vel advocati quam judicis partes sustinet, egreditur officium judicis, (1) quod cuique parti æquum esse debet & æquilibrium ita servare, ut ad unam non magis quam alteram propendeat. (2) Excessus facit ut justa sit judicis recusatio. Accurate ante dispiciendum discernendumque est, utrum decreti an personæ jura judex tractet. (3) Non argui potest personæ partes susceptas, quod intuitu melioris juris, quod decretum sequitur, ejus magis honorificat fit mentio quam alterius severior inculpatio; quando quidem causæ merita id sæpius postulant. Sed favor in personam eminens & ex hoc magis quam pro merito dicta vel scripta, (4) item extra acta & allegata partis pro ipsa favorabiliter adducta, (5) sicut & scommata & convicia in alterum probata argumenta sunt effectus ad recusationem sufficientia, (6) Uti talia considerata in causa quadam die 25. Sept. Anno 1657.

1. Advocati & judicis partes simul in eodem subjecto non congruunt. *l. fin. § fin. verb. advocationis suæ memor incorrupti judicis non potest nomen perferre. C. de Assessor. & Domest.*

2. *l. perspiciendum. 10. pr ff. de Pœn.*

3. Veritatem utut non semper amicam judicem sequi decet, *l. rem. non 14. in pr. C. de Iudic.* ne alienus sit à causæ qualitate, *l. 3. C. de Præscript. 30. annor.*

4. Talia valde indecora judicio taxantur *in l. fin. §. fin. C. de appellat.*

5. Actis tanquam vehiculo ad veritatem judex est allegatus, & quidquid illa transgreditur, non modo nullum est, sed etiam judicem facit iniquum & suspectum. *l. servi 23. §. 1. C. ad l. Iul. de Adult.*

6. Talia infensum animum arguunt, ideo judicem suspectum & recusabilem reddunt. *l. apertissimi C. de Iudic.*

DECISIO XLIX

Inhibitio aliquando decerni potest, antequam appellatio recipitur.

REgulariter non decernitur inhibitio antequam introducitur appellatio. (1) Attamen fieri potest, ut etiam ea tantum interposita decerni debeat, veluti ubi introducendi dilatio competit, (2) vel ex legali impedimento, vel ex Judiciali prorogatione? Imo quoties Judex ante introductionem attentat. (3) Quare quando post summi Tribunalis Regii solenniter peractam introductionem statim ad functiones juridicas deveniri non poterat, ideo dies duodecimus Septembris primæ Juridicæ, & tunc proponendis appellationibus dictus erat, interea verò Judex, à quo in causa procedere pergeret, existimatum est, ut ut appellatione nondum introductâ inhibitionem decernendam, aut si quid factum, ut attentatum revocandum esse, (4) non obsistente dilatione Juridicis actibus data. (5) Idque decretum quoddam præsignificatum, *in causa Obrist-Lieutenants Iohann von Lipfeld, contra den Land-Rath Hanns Heinrich von Broberg, die 10. Iulii Anno 1653.*

1. Non

Digitized by Google

1. Non est locus inhibitioni, nisi fundatâ jurisdictione & spectatâ appellatione non injustâ *Petr. Frid Mindan. lib. 2. de Mandat. c. 27. n. 2. & 6.* ideo demum post hæc expensa cum citatione decernitur. *Gail. 1. observ. 144. num. 1.*

2. Dilatione pendente Judicis officium quiescere debet, *l. sive pars C. de Dilat. significante de Appellat.* Nec quidquam innovari. *Franch. in d. c. significante num. 15.*

3. Appellatio ipsa per se suspendit Judicatum, ideo exinde quod secus fit, attentatum est, quod non modo revocari, sed & inhiberi potest. *Gail. d. Obs. 144. num. 2.*

4. Attentati meritum est, ante omnia revocari, *l. un. ff. nihil. innov. pend. appell.*

5. Dilatio suspendit processum & officium judicis saltem quoad actum & finem, cujus causa datur, ut & qua cum contra quem proficit. Non autem impedit, qua cum in cujus favorem data est, quo minus possit in Judicio quod opus proferre. *Franch. in dict. c. significante num. 20.* aut Judicem, quo minus faciat aliquid in hujus favorem aut istud quod tendit ad effectum dilationis, *vid. Lancellot. de Attentat. part. 2. cap. 7. num. 13. 15. & 16.*

DECISIO L.

In decernendis processibus appellatoriis observanda.

IN Camerâ Imperiali circa decernendos processus scrupulosa sollicitudo est à supplicantibus desideratur exacta observatio eorum, quæ aut lex Imperii constituit, aut stylus Cameræ recepit, in his vel in minimo deficere delicti instar, quod causâ cadi mereatur, haberi solet, ita ut neglectus efficiat negati processus. In quo an imitari consuetudinem illam deceat, inter primas operatum in collegio disjectiones fuit. Atquando constabant variæ de scrupulosâ illa & subtili observatione querelæ Ordinum Imperii atque aliorum, qui per istam sibi justa non evenisse indignantur, nec ignotum multos per suam simplicitatem aut imperitiam negligentiamve advocatorum aut alias sine culpâ sua ideo justis etiam cecidisse causis, quibus magis subveniendum, quam ut in subtilia retia incidentes periclitentur. (1) Rationi vero convenit, nec non legibus ad formulas ac syllabas jus haud esse adstrictum (2) Præstantius visum talia ultra quam legibus Regii Tribunalis formabuntur, non esse recipienda, sed ea solum inspicienda atque observanda, quæ ad utilitatem Judicii magis quam subtilitatem, (3) nec alia ac quæ ad essentiam appellationum pertinent: cætera post habenda esse. (4) Pro iis reputatum est sufficere, ideo tantum considerandum esse. Primo, ut fundata sit summi Tribunalis Regii Jurisdictio. (5) Quæ, qua appellationes, universalis est, (6) ideo semper certa & fundata, ubi ex communi jure aut ordinatione judiciaria exceptio seu limitatio non est manifesta. (7) Deinde ut appellatum sit legitimè intra tempus præfinitum, quod est decendium (8) non à die latæ sententiæ, sed acceptæ de ista scientiæ computandum. (9) Tertio, ut justo tempore introducta sit appellatio. (10) Pro quo visum fuit statui trimestre tempus veluti pro situ locorum, ex quibus appellatur sufficiens, observari autem interea semestre in Camera Imperiali suetum, donec ordinatio Judiciaria aliud constituens approbatur & publicatur. Quarto, ut interposita appellatio docvatur, seu viva voce interposita sit seu in scripto, quod continere debet nomen appellantis, appellati, Judicis à quo & ad quem & denique sententiam à qua appellatur. (11) Quinto, ut appellans gravatum se alleget, (12) non hoc vero tantum in genere, sed simul in quo gravatus sit, (13) & qua ex causa se gravatum ideo sententiam corrigendam esse putet: quod eget aliqua expositione, status causæ ut intelligi queat, an & in quo appellans gravatus sit. Atque hæc semper in decernendis processibus inspecta, examinata atque observata sunt amissis aut rejectis secundum hæc appellationibus.

1. Cavendum nedum nimiâ subtilitate utimur, ipsa subtilitas ad perniciem convertatur, *l. Sancimus 7. ad SC. Trebell.*

2. *l. 1. & tot. tit. C. de formul. & Imper. act. sublat.*

3. Est justi principis antiquæ jurisprudentiæ retia & difficiles nodos dissolvere & corrigere, *l. fin. §. 1. C. de legib. l. antiqua 23. C. ad SC. Vellejan.*

4. Supervacuis nemo onerandus, *l. sancimus 25. C. de Admin. tut.* sed ea omittenda, *l. jurisgentium 7. §. sed si frandandi 10. ff. de Pact.* abolenda, *l. un. §. illis 6. C. de lat. lib. toll.* aborenda, *l. fin. §. & has ejusdem C. de jur. deliber.*

5. Primum est de quo judex debet cognoscere, an sua sit jurisdictio, *l. 2. § sed si dubitetur l. si quis ex aliena ff. de judic.* & ut sciat se esse judicem *l. hæc autem, versic. constare &c. ff. ex quib. caus. in possess. eat.* Extra territorium seu extra Jurisdictionem jus dicenti vel vocanti impune non paretur, *l. fin. ff. de Jurisdict. l. in criminali 5. C. eod.*

6. Quia per jus commune appellandi facultas generalis est, *l. 1. ff. de appellat.* ideo etiam jus eas recipiendi superioribus Judicibus generale competit. *Rebuff. de Appellat. in præfat. num. 72.* Ex Instrumento Pacis in universale redditum est, quâ Regium Tribunal, *uti tenor fundationis in isto comprehensa ostendit.*

7. Judex circa appellationes in hæret regulæ seu universali legi, donec aut doceatur, aut alias appareat exceptio vel limitatio. *Franch. ad rubr. de Appellat. n. 19.* Istam vero non attendit nisi lege aut communi aut speciali introductam.

8. Jure veteri biduum in propriâ, triduum in causâ aliena præfixum erat appellationi interponendæ, *l. 1. §. biduo §. in propria ff. quand. appellandi sit l. eos sin autem C. de Appell.* jure novo decendium præstitutum est, *Auth. hodie C. de Appellat.* quod jus Canonicum sequitur. *C. anteriorum 2. quæst. 6. c. concertationi 7. de Appell.* Idem etiam receptum in Camera Imperiali,

Digitized by Google

Ord. Cam. part. 2. tit. 29. sic in Tribunali Regio retinere visum, etsi ejus per statutum aut consuetudinem mutandi facultas sit. *Franch in c. causan. 8. de Appellat. Rebuff. de Appellat. artic. 1. gloss. 1. num. 4. tom. 3.*

9. Tempus appellandi ab initio est utile, ideo non currit nisi scienti. *Gail. 1. Observ. 139. num. 7.*

10. De fatalibus introducendæ appellationis, *vid. Gail. 1. Observ. 140. per tot.*

11. *Vid. Scacc. in tract. de App. quæst 4. art. 6. n. 39.*

12. Gravámen est causa appellationis, *c. ad debitas de Appellat.* non gravatus non appellat, velut cessante causa, *Bald. in l. un num. 7. C. ut in un. ead. cauf. Cacheran. decis. 61. num 3.*

13. Ex jure communi quà expressionem causæ gravaminis, distinguitur inter appellationem à definitivâ sententia & ab interlocutoria, nec nisi in hac illa ad substantiam appellationis requiritur. *Specul. in tit. de Appell. §. qualiter autem n. 2. l. 2. Franch. in c. consuluit c. l. 2. n. 1 & seq.* quod etiam sequi videtur Ordinatio Cameræ Imperialis *part. 2. tit. 29. §.* Wo aber von andern. Etsi vero ad ipsius appellationis essentiam requirendum non sit, ut exprimantur speciatim gravamina, sed sine eo interposita valeat, ut tamen processus non decernantur nisi prolatis & intellectis à Judice gravaminibus, utile est & ratione convenit, quo maturè occurratur temeritati appellantium atque frivolis litigiis nec non remoris justitiæ, dum non ex necessitate atque usu, sed seu effugia quærendi vel adversarios vexandi causa, multi appellando effectum juris adversus se differre student. Visum inde optimum contra talia remedium, ut non decernantur processus nisi allegatis demonstratisque gravaminibus. Et cum postea appareret, non sufficere id ad amovendas appellantium fraudes, dum pro illis extrahendis sæpe quædam perperam narrarentur, licet speciosè & narratis standum esset, postea ordinatum fuit, ut appellantes libellum appellationis statim processuum obtinendorum causa offerrent, *vid. Ordin. Reg. Tribun. part. 2. tit. 3. in pr.*

DECISIO LI.

Instrumenta appellationum papyracea sufficiunt pro interpositione & introductione appellationis.

EX quo Constitutio Imp. Maximiliani I. A. 1612 Coloniæ edita requisivit, ut Notariorum instrumenta non in papyro, sed membrana scriberentur, exinde in Camera Imper. aliquando existimatum appellationum Instrumenta papyracea non esse recipienda. (1) Ideo sæpius rejectæ sunt appellationes quæ non in membranâ scriptæ introducerentur. (2) Præterquam vero quod Constitutio Imperii speciatim ad substantiam appellationis istud nullibi requirit, (3) durum valde est, ex tali omissa, unde juri nihil decedit, quemquam causa cadere: Inde ea subtilitas multis in Camera displicuit, qui adhibuerunt eam distinctionem, utrum loci ejus, unde appellatur, consuetudo id receperit nec ne, (4) nec aliter voluerunt rejectam appellationem quam si ex consuetudine Instrumenta essent in pergameno consignanda. (5) Verum nova inde litium occasio & causarum protractio pro convertenda & docenda ista consuetudine. Ineptum & inutile est de eo multum esse solicitum, quod nihil ad provocationem aut fidei substantiam facit. (6) Sufficit constare de fide negotii. In qua materia sit conscripta quid refert? Cum in prima Juridica multa Instrumenta appellationum proferrentur alia in membranâ, alia in papyro consignata & aliquis ex stylo Camera in dubium afferebat, conclusum fuit in Regio Tribunali, id discrimen non curandum nec introducendum. (7) Imo visum fuit pertinere cum ad expeditionem causarum citiorem, tum ad introductionis rectitudinem, ut plane usus instrumentorum abrogaretur, uti & postea factum, (8) de cujus ratione alibi scribitur. Sic observatum proinde semper.

1. *Vid.* Ordnung die Notarien zu Cölln auffgerichtet / *Item* Die Notarien sollen ꝛc.

2. *V. Mynsing. Observ. 80.*

3. Constitutio in genere loquitur de Instrumentis Notariorum. Verisimile est autem uti ratio ejus fuit, sentire tantum de iis, quorum perpetua & diuturna fides esse debet, aut quæ per manus hominum versatura, corrumpi possent.

4. *V. Gail. 1. Observ. 119. n. 3. Mindan. de Mandat. lib. 1. c. 7. num. 6.*

5. Consuetudini id tribuitur, ut possit efficere Instrumentum authenticum, quod alias non esset, *c. cum dilectus ib. gloss. de Frid. Instrum. Fr. Marci decis 369. num. 1.*

6. *Vid. Bartol. in l. 1. C. de Bon poss. sec. tab.*

7. Ejusmodi consuetudines communi juri sunt consentaneæ. *Specul. in tit. de Instrument. edit. §. restat. num. 38. & §. Instrumentum num. 21.*

8. *Vid.* Königliche *Tribun.* Ordnung *p. 2. c 3 in pr.*

DECISIO LII

Tertio appellante decernenda est inhibitio in casibus, ubi tertius executionem impedire potest.

TErtius pro suo interesse à sententia inter alios lata appellare potest, (1) at non semper inhibitionem impetrat, (2) sed ita demum quando executionem sua interventione impedire potest, (3) quem effectum hæc non semper habet. Tunc vero sistitur executio adeoque & decernenda est inhibitio, si appellans tenet res de quibus contenditur aut quæ in executionem veniunt, (4) aut ubi possessio illarum vacat & interest appellantis non pervenire ad aliquem litigantium, (5) aut ubi difficilior post executionem futura est executio, vel cum jus quoddam dominii vel quasi verisimiliter allegat, (6) quæ cum omnia à petentibus processus proferrentur, quia singula proficere potuissent, multo magis oportuit decernere

Digitized by Google

decernere inhibitionem, *in causa Margarethæ Platen & consortum contra Iohan Brummern die 14. Septemb. Anno 1653.*

1. *l. ab executione 4. §. alio condemnato ff. de Appellat. l. 1. ff. de Appellat. recip.*

2. Regulariter tertio appellante inhibitionem decernendam non esse tradunt JCti *per c. super eo 15. x. de offic. & potest. jud. de leg. Covarr. pract. quæst. 16. num. 1. Lancellot. de Attent. part. 2. c. 12. ampl. 43. num. 2.* At multas ea sententia habet exceptiones, de quibus post illos aliosque latè *Scaccia de Appellat. quæst. 17. l. 6. num. 47. & mult. seq.*

3. Est quippe ea appellatio interventionis species ejusque Jure & regulis censetur.

4. *Anton. de Butr. inc. veniens. num. 10. in fin. x. de rescrib. Roll. à Vall. consil. 3. num. 8. & seq. lib. 3.*

5. *Contard. in l. nu. lim. 1. n. 93. C. si de moment. possess.*

6. *Covarruv. d. quæst. 16. num. 4.*

DECISIO LIII.

Exceptiones desertæ vel non devolutæ appellationis ante edita acta non attenduntur, nisi quatenus sunt planè notoriæ.

FRequens est appellatis, postquam appellatum fuit, ut præveniant & animum judicis ad quem narrationem status causæ & allegatione causarum, quare appellatio admittenda non sit, præoccupent, quo eo in decernendis processibus sit difficilior. Pro eo fine etiam afferebantur exceptiones non devolutæ, nec non desertæ appellationis. Existimatum autem fuit legi quidem posse attendi non debere, nisi quatenus sine iis allegata ex narratis & documentis ab appellante prolatis sunt notoria. Nihil quippe alias proficere possunt ad rejiciendam appellationem, cujus per decretum rejectio speciem atque vim habet definitivæ sententiæ (1) nunquam sine nullitate atque injustitiâ ferendæ, nisi cognitâ prius causâ & visis prioris instantiæ actis. (2) Quocunque enim colore opponentur ab appellato, illuc tamen pertingere non debent, ut appellante non audito, vel causa non cognita, vel actis non inspectis ob solâ appellati supplicationem & allegationē fiat appellationis exclusio (3) Nec enim certus esse potest Judex ista sic se habere, ubi non vidit acta, vel non audivit partem. (4) In dubio appellationem admittere atque processus decernere tenetur. (5) Præstat hoc facere, quo appellatus nō lædatur, cui integræ semper sunt exceptiones cum ad processum res devenerit, ab appellante autem injuria avertitur, (6) qui etsi vel careret justâ appellandi causâ vel formâ, tamen de injuria merito quereretur, si ad allegatione adversæ partis non auditus à beneficio esset exclusus. (7) Injurius est etiam judex causa non cognita sic procedens. (8) Id solum attendendum erit ad exclusionem, quod apparet ex iis, quæ ab appellante proferuntur, si ea aut formam aut tempora appellationum non observata aut frivole appellatum apperte doceant. (9) Decernendi sunt itaque talibus non apparentibus processus, remittendæ exceptiones post edita acta & libellum. *Vti factū in causa eadem.*

1. Decretum denegans processus appellatorios vim definitivæ sententiæ habet. *Gail. 1. Observ. 31. n. 9.*

2. Sententia altera parte in audita late est ipso jure nulla, *l. prolatam C. de sentent. & Interloc.*

3. Decretum judicis causæ cognitionem requirit. *l. Magis puto §. non possum ff. de reb. eor. qui sub tut. l. nec quicquam §. ubi decretum ff. de offic. Proconf.*

4. Judex de facto & jure certus esse debet, antequam pronunciet. Alias conscientiæ atque officio suo non satisfacit.

5. In dubio semper recipienda est appellatio. *Gail. 1. Observ. 150. num. 10.*

6. Id præstat admittere per quod utrique parti in dubio consultum est & jus alicujus non læditur. *Gail. 1. Observ. 81. num. 11.*

7. Cicero: *Quidquid parte non audita altera statueris, æquum licet dixeris, iniquum est.*

8. Contra judicē sinæ causæ cognitione aut ad alterius partis allegationes sistatuentē semper est injuriæ præsumptio. *l. nam ita Divus 16. Gloss. ff. de adopt.*

9. Non vero ex allegatione adversæ partis, sed ex confessione appellantis de his statuitur.

DECISIO LIV.

Etiam non petitis aut exhibitis Apostolis ab inferiore judice recipitur appellatio illorumque necessitas partibus remittitur.

PEr jus tam civile, (1) quam canonicum, (2) introducta est post appellationem interpositam petitio & exhibitio apostolorum judicis à quo seu reverentialium seu refutatoriorum eaque tam necessaria facta fuit, (3) ut de substantia atq; formalibus appellationis reputetur, (4) ideo iis omissis appellatio deserta, (5) eique renunciatum esse credatur. (6) Quando autem sub initio introducti Tribunalis Regii appellationū aliquæ cum documento petitorum & impetratorum aut negatorum vel dilatorum Apostolorum proferrentur; Aliæ sine iis proponerentur, ea res causā dedit discursui quid sequi conveniret, an in hoc summo judicio necessitas Apostolorum introducenda esset nec ne? Existimatum & concluſum est, illā amplectendam non esse, sed appellationes sine istis recipiendas ad exemplum Cameræ Imperialis, ex cujus ordinatione, (7) atque consuetudine petitio aut exhibitio Apostolorū non est necessaria, sed arbitrio appellantium relicta. (8) Nec enim taliū utilitas aliqua apparet, ex quo sive dimissorios sive refutatorios apostolos judex decernit, tamē ad quem provocatur appellationē recipere potest, ejusque est super devolutione judicium. (9)

E con-

Digitized by Google

E contra istos petendi & impetrandi difficiles & molestæ sunt ambages, nec sine sumptu. (10) Præterea occasio multiplicis controversiæ ob ea quæ diversim incidunt, (11) queis sine usu causa principalis sæpe moram patitur. Sic observatum postea in omnibus causis nunquam quæsito vel attento an petiti vel impetrati sint apostoli.

1. l. eos 6. §. apostolas l. judicibus 24. C. de appell. tot. tit. ff. de libell. dimissor.

2. Cap. cordi. c. alteo de App. in 6. Cle. quamvise od.

3. Partem appellationis ideo JCti vocant. *Maranthain spec. part. 6. art. 2. princ. tit. de appell. n. 417.*

4. *Specul. tit de appellat. §. sequitur videre num. 22. Lancell. in tr. de attentat. part. 2. c. 12. lim. 5. n. 202.*

Unde dicunt sine iis appellationem esse nullam & invalidam. *Guid. Pap. in tract. de appellat. q. 4. n. 13.*

5. *Maranthadict. loc. num 416.*

6. *Franc. in C. ab eo num. 3 de appellat.*

7. *Vid. Ordinat. Cameral. part. 2. tit. 30.*

8. De hac praxi Cameræ Imperialis testantur *Gail. 1. observ. 36. num. 15. Mynsing. 4. observ. 36.*

9. Apostolorum negatio aut refutatoriorum datio non præjudicat aut impedimento est judici ad quem circa receptionem appellationis, *uti alibi scriptum.*

10. Eam rationem sublatæ in Galliâ Apostolorum petitionis refert *Rebuff. de appell. art. 10. gloss. un. no. 3.*

11. Quam multa & varia de Apostolis disputantur & causas involvunt ac remorentur, videre licet ex iis quæ prolixe de istis scribit *Scaccia in tr. de appellat. quæst. 13. per tot.*

DECISIO LV.

Appellationis gravamina judici à quo significare necessum non est, nec justa non deferendi causa est, quod instrumentum isti non exhibitum fuit.

ESt quidem moris judici à quo, appellationem intimare, quò in causa acquiescat, & non in præjudicium appellationis quidquam faciat, (1) ut nullo jure constitutum, ut causæ appellationis seu gravamina ipsi exhibeantur, (2) nec id ab ipso exigi potest, (3) nisi aut per statutum speciale, (4) aut ex consuetudine, (5) aut certis pactis (6) ita receptum reperitur. Multo minus appellatio alias legitima ideo post haberi & rejici, quod ipsi de gravaminibus non constat. (7) Hoc cum obtenderetur atque simul peteretur inposterum injungi partibus, ut instrumenta appellationum cum insertis gravaminibus offerrentur, existimatum est, appellantibus inique opponi, quod nullo jure sic constitutum, à Tribunali Regio autem non recte injungi, quod contra jus commune & consuetudinem statuere non est ejus potestatis. (8) Uti responsum fuit Consilio Status in Pomerania die 21. Sept. 1653. cum eo tamen postea conventum, ut cum processus decernuntur, inserrentur breviter narrata, in quibus continentur gravamina, sicut in Camera Imperiali servatur, & postea observatum fuit.

1. Ad suspendendam jurisdictionem judicis à quo intimatio appellationis habetur necessaria. *Franch in c. cum in Ecclesia 38. n. 52. &c. alt. num. x. 29. de Appellat. quæst 6. num. 32.*

2. Quæ schedula appellationis, cujus exhibitio intimationem facit, continere debet, habentur *in l. 1. §. fin. ff. de Appellat. & exponit Scaccia in d. tr. q. 4. n. 39. seq.* inter quæ non reperitur expressio gravaminum, ut nec ulla lege juris communis injungitur; imo per hoc nulla causæ expressio requiritur, *l. scio 3. §. fin. ib. Bartol. ff. de Appellat.* Sine illa non est ad substantiam appellationis aliquid requirendum.

3. Cessante jure cessat petitio requisiti, quod sine illo non licet effingere præsertim ad formam appellationis. *Novell. 18. cap. 2.*

4. Statuto, quod legis vice est, appellationibus formam dari alibi exposuimus.

5. Sic in Ducatu Bremensi observatum, ut exhibeatur instrumentum appellationis. In Pomerania secus est.

6. Transactione inter Pomeraniæ Ducem & Civitatem Stralsundensem An. 1615. inita quam Erbvertrag vulgo vocant, sic introductum.

7. Appellationum libertatem restringere non oportet, ubi jus deficit, *l. 1. ff. de Appellat. vid. Ordin. Cam. Imp. part. 2. tit. 28.*

8. Hoc. pertinet ad nomothesian, quæ judicis etiam summis ut talibus non competit, *l. fin. ib. Salyc. C. de LL.*

DECISIO LVI.

Circa appellationem extrajudicialem observanda.

PEr Imperii Romano-Germanici constitutiones non minus à gravamine extrajudiciali quam judiciali appellare permissum est, (1) nulla per illas facta juris communis correctione, (2) saltem declaratio addita est, concernens præcautionem confusionis primæ & secundæ instantiæ, ne quod ad illam pertinet, ad hanc per appellationem illa præterita derivetur, (3) Ideo imperii immediatis Statibus beneficium primæ instantiæ auferatur. Inde recepta est ea distinctio, utrum princeps gravavit appellantem tanquam ordinarius loci judex extrajudicialiter, sed ad instantiam partis, an tanquam pars in causa propriâ, (4) seu proprio motu, seu ad denunciationem officialium causam domini curantium. Quæ distinctio in Camera Imperiali in litibus inter dominos & subditos intercedentibus accuratè observatur. Sicut autem concernit favorem principum, (5) ut iis non præcludatur primæ instantiæ jus coram Austregis, (6) ita ei renunciari fierique potest, ut etiam in iis quæ concernunt illos, non ut judices, sed ut partem malint coram alio judicio quam Austregis cum subditis suis causas peragi & decidi. (7)

Quum

Digitized by Google

Quum modum ubique fere in Germaniâ per constitutiones, pacta, reversales & recessus provinciales peculiares in terris principum modi controversias finiendi præter istas complacuerunt. (8) In Pomerania per ordinationem Judiciariam constitutum est, ut si Duci contra subditos vel his contra Duces eorumque officiales sit actio, querela aut petitio coram Consiliariis Ducalibus & Provincialibus in ordinario Dicasterio causa ventiletur & dijudicetur, attamen liberum relictum sit subditis aliam viam præeligere. (9) Post eam viæ judiciariæ compositionem per Principem vel ejus Consiliarios non est sine dubio, an cum gravamen ut à parte extrajudicaliter illatum est, appellatio rejici & causa præcise ad illam viam remitti debeat? Accedit enim ex talibus decretis seu mandatis extra judicalibus, per quæ gravamen infertur subdito causa alia appellandi, tum & judicio superiori appellationem recipiendi, quod procedendo Princeps seu ejus Consiliarii respuerunt viam quæ in recessib9 Provincialibus ordinata est & elegerunt viã facti, ideoq; ut spretis austregis Cameræ Jurisdictio fundatur & appellationi etiã in gravamine ut à parte orto recipitur, (10) ita multo magis ubi Judicium conventum non observatur ab eo quod velut attentando illud violat simulq; gravat, appellationis receptionem necessariam facit. (11) In ea specie itaque putavimus recipiendam appellationem & exspectandum quid per Consiliarios reponetur. Siquidem illi causam principalem sic ut Ordinationi convenit, velint cognosci atque judicari, eo remittendam esse, (12) ut tamen quod nulliter factum in superiori judicio corrigatur. Si eo nomine nihil petent vel objicient in superiori foro, quod appellantes eligunt causam discutiendam. (13) Id autem desiderium justum non est, ut aut ipsorum arbitrio res relinquatur, aut ut ad Sac. Reg. Majestatem causa mittatur, aut juxta Imperii leges Austregis submittantur. Quorum primum tam juri communi, (14) & constitutionibus Imperii, (15) quam legi provinciali est contrarium. (16) Alterum à lege summi Tribunalis Regii fundamentali, (17) & privilegiis Germaniæ Incolarum alienum. (18) Tertium dignitari ac comodis Regiis non plane conveniens. (19) Postquam appellationes non amplius ad Cameram Imperialem, sed summum Tribunal, quod Sac. Regiæ Majestatis proprium est, interponuntur, consideratius in eo versandum est, expenso utrum cum subditi interpositâ appellatione causam quæ cum officialibus Regiis intercedit, discuti & judicari in isto Tribunali, adeoque Reg Majestatem, cujus nomine & vice judicatur judicem malunt, quam qui sunt in inferiori Dicasterio, rejicienda illa sit & ad hoc remittenda, antequam isti declarent quid eligant. Sic rediligenter considerata & ponderatis momentis existimatum est, & sæpius cum de eo quæstio incidit. *In causa Civitatis Stetinensis, contra Petrum Hanson quæstorem Regium. Die 21. Sept Anno 1653.*

1. Sine discrimine & restrictione appellationes concedit libertas & constitutio Imperii. *Ordn. Cam. part 2 tit. 25.*

2. Per jus commune licet appellare ab omni gravamine extra judiciali, c. *concertationi de appell. in 6 c. bonæ memoriæ x. eod. Bartol. in. l. fin. num. 4. & ff. de appell. recip. Wurmser. observ. pract. 9. tit. 24.*

3. Ita constituitur im Reichs Abschied zu Regenspurg/ Anno 1694. Wann aber ein gemeiner. Privilegiata quædam instantia per imperii Constitutiones concessa est Principibus quæ ipsis auferri non debet. *Mindan. l. 1. de Process. c. 16 num. 1. seq.*

4. *De hac vid. Gail. 1. observ. 120. n. 1. seq. Mynsi. 4. observ. 43.*

5. *Vid Cothm. resp. 32. n. 41. seq. vol. 1.*

6 Hinc pulchre demonstrat *Cot d resp 32 n. 50. seq.*

7. Ut alii juri, sic foro renunciari potest, *l. pen. C. de pact.*

8. De horum observantia disponit *Ordnat Camerapart. 2. tit. 6. §. fin.*

9. Vid. Die Pommerische Gerichts-Ordnung tit. Was vor Sachen an unserm Hof-Gericht anzunehmen. §. Wurden in Unseren Aemptern mit etlichen Benachbarten vom Adel oder in Stadten Irrungen fürfallen/ darum wir unsere Unterthanen/ oder sie uns und Unser Amptleute in Recht ziehen/ wollen Wir anfänglich etliche Commissarien deputiren/ denen der Gegentheil zuverordnen Macht haben soll/ welche die Sache hören/ die Gräntzen besichtigen/ und alle Irrungen/ so viel müglich/ zur Billichkeit gütlich vergleichen und hinlegen sollen. Entstünde die Güte/ so soll die Sache für Unseren zum Gericht verordneten Rathen (denen Wir in diesem Fall die Eyde/ damit sie uns verpflichtet/ in die Sachen und nicht weiter erlassen wollen) Gerichtlich biß zu endlichem Beschluß ausgeübet und nach Beschluß der Sachen/ durch die Gerichts-Räthe und die so von der Landschafft beschrieben oder von Unserm Gegentheil zu adjungiren gebeten (denen allen ihre Eyde und Pflichte sollen erlassen werden) auff die Zeit/ wann vermöge dieser Unser Ordnung Endurtheil zu eröffnen/ in denselben Sachen vor sich/ oder mit Rath der Rechtsgelährten/ was recht und billich geurtheilt und gesprochen worden.

10. Si modũ præscriptũ provinciæ dominus præcisè non observat subditi de justitia denegata conquerendi causam habent, & ob neglectum ordinatũ mediũ jure illo singulari velut ipsius ducis voluntate rejecto & abdicato processus ex jure comune decernuntur. *Ord. Cam. t. 26. p. 2. Cot. de resp. 32. n. 15. v. 1.*

11. In dubio recipitur appellatio extra judicalis & cognoscitur, ad quem speciem gravem referri & quomodo procedi debeat.

12. Eatenus remittitur ad Austregas causa principalis, ut omnia qua illam sint integra, nec præjudicum isti fiat, per ea, à quibus appellatur aut alias facta sunt, inde punctus iniquitatis, hoc est, materiæ & causæ remittitur ad ordinarium judicem; punctus mandati vel executivus retinetur & definitur; *vid. Mindan. de Processib. lib. 1. cap. 20. num. 4.*

Digitized by Google

13. Omissa primæ instantiæ privilegiatæ exceptio est quædam ejus renunciatio.

14. Nemo in propria causa judex esse, *l. un. C. nequis in prop. caus.*

15. Ex his id privilegium habent Principes, ut coram Austregis conveniantur. Quo non admisso non ipsi eorumque Consiliarii, qui gravant, judices sunt; sed ad Cameram Imperialem causa spectat.

16. Non potest per legem Provinciæ causa agi à parte Principis, nisi eo quem constituit modo; cujus observandam injungit *Cam. ord. part. 2. c. 6. §. fin.*

17. In eo causæ judicari debent sine evocatione.

18. Germanis jus de non evocando extra Germaniam competit per Capitul. Cæsareas confirmatum.

19. Pomeraniæ Duces exemplo aliorum Imperii Principum magno conatu contenderunt & impetrarunt tandem, ut civitatibus aliisque subditis suis non esset facultas pro libitu Austregas alios invocandi, ideo constituerunt seu convenerunt cum ipsis de modo, per quem jus acciperent & redderent. Quidquid ex eo dignitati atque commodis Principum accessit, quod non leve est, id in discrimen vocant, qui occasionem & causam alibi justa petendi præbent.

DECISIO LVII.

De Provocatione à Tribunali Regio ad S. Reg. Majestatem.

ACcidit in contentione super Jurisdictione Regii Tribunalis exortâ, cum non attentâ oppositione justi processus tramites observarentur, ab adversantibus provocari ad S. Regiam Majestatem, eo autem fine, ut progressus causæ sisteretur, sicut id expressim postulabatur. Meritò S. Reg Majestatis apud ministros sancta fuit veneratio, nec potuit non efficere, ut hæsitaretur, quid faciendum, dum ab unâ parte à quo ministeriorum in hoc judicio facultas dependeret, recolendum, ab alterâ verò qua lege Tribunal constitutum erat, spectandum fuit. Quando vero id mandatum Regium & in hoc debita ministrorum fides censeri debuit, quod hujus legis erat, utique non potuit non facile eò utrumque conciliari, ut hanc strictè servando nihil in Jus Majestatemque Regiam peccaretur. Hæc autem ita comparata est, ut ulteriori provocationi locus esse non deberet. (1) Præterea circà eam voluntas Regia sic declarata, ut suum in Germania summum ultimumque judicium in Tribunali collocatum vellet, si quis coram Tribunali suo se gravatum putaret, apud idem constitutis remediis uteretur. (2) Porro nec verosimile erat S. Reg. Majestatem tales provocationes contra legem Tribunalis sui fundamentalem recipere seque ejusmodi litibus oneratam (3) velle, (4) & subditos tantis incommodis affectos. (5) Ad hæc talis provocatio repugnabat regulis Tribunali præscriptis, nempe Juri communi, (6) Constitutionibus Imperii, (7) Juri civium Imperii Romani de non evocando; (8) ideo ad occasionem controversiæ cum Cæsare & Statibus aliquando excitandæ, nec non fovendæ litigantium protractionis & ambiguitatis proclivis erat. Ita placuit rationem facti & considerationem futuri humilimè proferendam esse, die 6. Octobr. Anno 1653.

1. Ita habet Pacis Instrumentum Cæsareo Suecicum, *art. 10 §. Deinde concedit verb. absque ulteriori provocatione administrent.*

2. Ordinatio Iudiciaria, quam processus Regulam *S. Reg. Majestas* Tribunali suo præscripsit, certa remedia gravatos se putantibus constituit, quibus uterentur, veluti Deductionem nullitatum, Implorationem pro restitutione in Integrum; Revisionem quæ ordinaria fecit litigantium auxilia, ut ad extraordinaria decurrere opus non sit, *arg. l. in causa 16. pr. ff. de Minorib.*

3. Ex hac ratione Imp. Theodosius & Valens appellationes ad se ultra fieri noluerunt, *l. Præcipimus 32. in pr. C. de appell.*

4. Et hoc inter rationes non faciendæ ultrà appellationis *in Novell. 50.* refertur, ne minus longinquas oras cum magno incommodo subditi adire cogantur.

5. Huic repugnat, ab uno ad eundem appellari A judicio nemo provocabit, quod est ad quod ultimo appellatur, *l. 1. ff. à quib. appell. non lic.*

6. Per hoc privilegia de non appellando cum effectum habent, ut omnem appellationem ulteriorem excludant. *A. Bullæ cit. 10. §§. 2. & 3.* Quo hic de Electorum privilegiis statuitur, pertinet ex rei & rationis similitudine ad cæteros Principes Imperii, quibus eadem contigerunt.

7. Est hoc civium Imperii Romano Germanici commune Ius, quod extra Germaniam ad extera Iudicia evocari non debent, quod iis ab antiquo competit, postea per *A. Bullam cap. 11. pr.* Electoralibus subditis confirmatum, generatim deinde in ordinationem Cameræ Imp. relatum, *vid. part. 2. tit. 1. verb.* Daß alle deß H. Reichs Vnmittelbare und Vnterthanen bey ihrem ordentlichen inländischen Gerichten gelassen werden. Pro conservatione illius juris Imperatores Capitulatione cavent, prout Carolus V. *in art. 15.* primum hoc expressit, secuti sunt cæteri omnes.

8. Summi hujus Regalis, quod per summi Tribunalis Ius Reges Regnumque Sueciæ obtinuerunt, vis & substantia exigit, hæc duo maximè per ejus ministeria evitari, ne Cæsari & Statibus neglectum vel excessum circa Iurisdictionem arguendi causam, & litigantibus per subterfugia nervum illius infringendi vel evadendi occasionem præbeant.

DECISIO LVIII.

In prima instantia ab actore non petita satisdatio in secunda peti nequit.

QUam super expensis & reconventione satisdationem ab actore exigi moris est, peten-

Digitized by Google

petenda est in primo termino ante litis contestationem, oppositâ exceptione satisdationis quæ dilatoria est. (1) Tunc omissa non modo non in eadem instantia, sed nec in alia seu secunda peti post, (2) præsertim si actor in priori vicerit. (3) Ita ejus petitio rejecta est *in causa Liberorum Vincentii Blüchern, contra Hans Blüchern, die 4. Octobr. Anno 1653.*

1. *Zanger. de Except. part. 2. cap. 21. numero 1. Coler. decis. 105. num. 11.*

2. Omissum in prima instantia, cum peti deberet, non potest iterari in secunda, sed ex omissione censetur abdicatum.

3. Sententia liberat à calumniæ præsumptione, sicut justitiæ veritatisque præsumptionem pro se semper habet, *l. Heren. §. 1. ff. de evict. Menoch. in A. I. Q. lib. 1. q. 90. num. 8.*

DECISIO LIX.

Juramentum calumniæ ab appellante non potest deferri appellato, nisi nova ex causa.

NOn minus in secunda instantia postquam appellatum Juramentum calumniæ ferri potest quam in prima, (1) sed appellato non aliter quam ex nova causa, (2) cum alias sententia pro ipso lata eundem ab omni præsumptione calumniæ, adeoque & à juramento liberet. Non repertâ novâ deferendi causa justa rejecta est ejus delatio. *In eadem causa.*

1. De eo inter JCtos disputatum quidem fuit, at veriori juxta & communiori sententia obtinuit in secunda instantia juramentum calumniæ posse deferri, *vid. Obrecht. tract. de Juram. Calumn. cap. 8. num. 11.*

2. Quoties accedit; ex quo calumnia indicatur aut metuitur, juramentum deferre licet, *l. qui bona 13. §. si quis stipulatus ff. de damn. infect. l. properan. 13. §. his omnibus C. de judic. cap. 2. de Juram. Calumn. in 6.*

DECISIO LX.

Ante edita acta judex ad quem abstinere debet mandatis & decretis causam ipsam concernentibus.

APpellantibus non infrequens est ut cum appellant, juxtam ad Judicem aut partem adversam mandata vel alia decreta rogent queis desideriis suis commoda aut adversariis molestias quærunt. Etiam appellatis sæpe placet recurrere ad superius Judicium postquam appellatum est, & quædam in sui gratiam vel adversarii odium rogare, At prudens Judex abstinebit ab ejusmodi decretis eousque donec acta edantur, & ex iis de causæ statu informetur. (1) Facile quippe continget, ut sine iis quid in alterius præjudicium statuant, atque inde causa fiat querelis, ac decretum immutare oporteat, ex quo utroque deinde liti remora, Judici non parum incommodi oritur. Evenit inde itidem ut processus perturbetur atque ex una lite plures fiant, dum non paretur, sed excipitur. Non est porro justum sine actis de causa istis comprehensa quidquam decernere. (2) Est contra sic decretum parti adversus quam procedit Jus nullitatem arguendi. (3) Nisi itaque sit aut ex attentatis ipso jure illicitis atque prohibitis, cujus causa mandandum, aut in mora periculum existat, ut maturandum sit prudenter non minus quam justè faciet judex, si usque ad editionem actorum differet quod petitur. Uti hoc cum multoties tum etiam in hac specie consideratum fuit, quando cum appellatione interposita mandatum de cista in qua erant literaria documenta, deponendâ rogabatur *in causa Theodori Garliep, contra Balthasar Horn & consortes, die 12. Octobr. Anno 1653.*

1. Ad prudentiam Judicis præprimis spectat antequam statuat omnia causæ momenta, probè & circumspectè expendere. Hoc facere non potest, nisi cognitâ causa, sed qui de hac certus erit sine actis ex quibus constar rerum fides.

2. Judicis appellationis officium est non judicare nisi visis actis prioris instantiæ, aliter facere est Judiciorum ordinem pervertere, *Bald. in l. 2. num. 5. C. de edend.* Sine iis æquum licet statuet; injustum tamen erit, quia non audita altera parte statuit, *Scacc. de Appellat. q. 20. num. 8.*

3. Non transportatis actis à Judice superiori decretum nullum habetur. *Gabriel. in Commun. conclus. lib. 2. tit. de Appell. concl. 5. in fin. Bartol. in l. n. 5. 5 C. de Edend.*

DECISIO LXI.

Adhæsio appellationis quomodo post decendium fit.

ADhærere appellationi ab alio interpositæ permissum, aut quando, quomodo, quo effectu non satis certum est. Non iisdē sententiis de hoc statuitur. Ubi multum post decendium adhæsio fiebat, an & quatenus attendi deberet, quæsitum fuit. Distinguere oportet diversum adhæsionis modum: aut hæc fit propter peculiare Jus adhærentis pro agenda sui ipsius causa principaliter, aut tantum pro adjuvando prosecutione appellantis accessoriè isti nempe assistendo. Illud fit aut speciali appellatione, aut ejus quæ ab alio interposita fuit appellationis prosecutione, (1) & in utraque hac specie opus est voluntatis intra decendiū declaratione, (2) secus autem se res habet cum accessoriè ad assistendum tantum adhæretur.

Digitized by Google

Tunc quippe adhæsio ut interventionis species in quavis parte litis locum habet, ideoque licet ultra decendium facta admittitur, (3) *uti admissa est vidua Gualteri Lindsan, contra admissam Michel Bolten, die 18. Octob. Anno 1653.*

1. Has differentias & illarum effectus prolixius expositos vide apud *Gail. d. Observ. 122. per tot.*

2. *Vid. Gail. d. Observ. 122. num. 1. 45.*

3. *Scaccia de Appellat. quæst. 12. num 75.* In hac specie etiam sine appellatione litem prosequi licet, *l. à sententia §. idem rescripsit ff. de Appellat. Gail. d. l. num. 1.*

DECISIO LXII.

Super Libello adhæsionis accessoriæ decretum differtur, donec appellationis prosecutio fit.

ADhærens seu appellando seu alienam appellationem prosequendo principaliter suum agens interesse potest litem peragere, etsi ipsemet appellans prior desistit, (1) nec ideo necesse est hujus prosecutionem exspectare, ubi adhærens vult prosequi. (2) At cum accessoriè assistendi causa adhæretur uti desistendo appellans excludit & finit simul adhæsionem. (3) Ita etiam donec hic appellationem prosequitur, adhærens non auditur sed ejus petitiones pro adhæsione usque ad prosecutionem differuntur, nisi aliquâ ratione interfit causam agi atque finiri, (4) uti decretum. *In eadem causa.*

1. *Salycet. in Auth. Hodie. quæst. 9. num. 4. C. de Appellat.*

2. Frustra exspectatur, cujus eventus nihil operatur.

3. Desinente principali desinit accessorium.

4. Propter interesse proprium adhærens consideratur ut Principalis litigans. *Gail 1. Observ. 122. n. 8. infin.*

DECISIO LXIII.

Appellatione in lite super parte seu jure rei ob præjudicium recepta contra possessorem non decernenda inhibitio, sed partis vel pertinentiæ avocatio relinquenda est integra.

POst appellationem in causa super homine rustico tanquam portione fundi, cum de ipso fundo coram inferiori judicio lis esset, quod hanc tanquam præjudicialem ut & majorem prius decidi oporteret, nec præjudiciũ principali causæ factum videretur, receptam, attamen eo saltem modo ut quiesceret causa vindicationis rustici, donec causa super fundo, cui ut glebæ ascriptus erat, terminaretur appellans petit inhibitionem, ne à Judice inferiore cogeretur interea vindicatum rusticum restituere. Visum autem fuit audiendum non esse, quod præjudicii avertendi causâ saltem esset recepta seu potius suspensa appellatio. (1) Interea autã rusticum tanquam fundi partem ab eo qui fundum tenet, quem ille sequitur, vindicari non prohibendum, (2) cum eo nomine, donec possidetur etiam ei, qui dominus negatur, vindicandi jus sit, tum ex præsumptione dominii, (3) tum ex Jure possessionis, (4) in qua pendente lite possessor defendendus est, (5) non tantum ratione ejus quod tenet, sed etiam accessorii. (6) Nec attentat qui possessorem tuetur. Sicut circa appellationem recipiendam providendum fuit, ne sententia in accessorio antecedat judiciũ causæ principalis, aut sine hac esset plenè decisa, ita etiam circa processus curandum, ne causæ principali & quod ex eo dependet, interea præjudicium fieret. (7) Valde grave futurum, si possessor cohiberetur possessione sua frui. Negata inde inhibitio *in causa Joachim Christoph Horns, contra Adam von Horn. Die 4. Nov. Anno 1653.*

1. Talis appellatio non majorem vim habet atque exceptio, per quam suspenditur, non definitur causa, donec terminatur præjudicium, *l. si quis 7. in pr. ff. de Pet hæred l. fundi 18. ff. de Except.*

2. Ut non causæ principali, ita nec ei qui illa pendente possidet præjudicandum, *l. 1. §. 1. ff. fam. ercisc.*

3. In causa principali cum de dominio quæritur, hujus plena probatio fieri debet, non sincidenter, tunc dominus interea habetur qui Possidet & fructus percipit, donec aliud super proprietate judicatur, *vid. Fabr. in Cod. lib. 3. tit. 23 defin. 18.*

4. Possessor pro domino habetur, donec contrarium probatur, *l. sive possidetis l. cum res C. de Probat.*

5. Lite pendente nemo commodo possessionis est privandus, *c. 1. ut lit. pend. l. sciendum §. pen. ff. qui satisd. cog.*

6. Accessorium sequitur causam sui principalis.

7. *Vid. Lancellot. de Attentat. part. 2. cap. 12. limit. 26.*

8. *l. fundum. 26. ff. de Except.*

9. *l. fin. C. de edena.*

DECISIO LXIV.

Relatio Judicis à quo narratis appellantis adversa in decernendis processibus non attendi, sed ad causæ cognitionem differri debet, etiam in causa fisci.

FRequens est post appellationes, ut non modo partes, sed etiam Judices à quibus provocatur ad superiora Judicia relationibus præveniant & causas allegent, cur vel non appellari possit, vel appellatio ut frivola recipi non debeat. In quibus sæpe fit, ut Judicis relatio & partium narrata non concordent. Visum est non immerito, si relata ad merita causæ pertineant, nondum

visis

Digitized by Google

visis actis non attendenda, sed usque ad causæ discussionem, ideo post acta edita differenda, horum editionem nihilominus injungendam esse, tum quia juxta narrata appellantis processus decerni debent, ideo que ista potissimum inspici; tum quia sine causæ cognitione gravamina, quæ alias videntur non injusta juste rejici nequeunt, tum quia ad nudam relationem Judicis à judicio aliquem repellere, est inauditum condemnare, (1) tũ quia Judex in causa sine actis nihil juste statuit, [2] tum quod Judici postquã pronunciavit, & sententia ejus impugnatur, fides non habetur; (3) quin potius suspectus est; (4) tum quia cum super relatis partem appellantem audire oporteat; (5) res super eo ad litigium cum judice necessario deveniet, (6) tum quod Judicis, cujus manus ligat appellatio, partes sunt post eam interpositam acquiescere & superioris judicii sententiam exspectare, (7) tum quia res inde fit dubia ideoque processus necessarii. Nec aliud dicendum in causis fiscalibus. Quarum etsi alias favor quidam est nunquam tamen talis, ut naturalis Judiciorum ordo intervertatur. (8) Quæ in cæteris similis est ratio, simile jus facit. Sic decretum est *in causa Advocati Fisci Ducatus Bremensis, contra Obrist L. Johan Lipsfeld, die 15. Novemb. Anno 1653.*

1. Nemo inaudita causa damnari aut gravari debet, si fiet, iniquum & injustum est, *l. prolatum C. de sent. & Interlocut. l. fin. C si per vim vel. al. mod.*

2. Judex astrictus est ad acta, nec sine iis vel iis non visis sine nullitate potest decernere, *l. illicitas 6 §. veritas ib. Bartol. & Dd. ff. de Offic. Præsid.*

3. Per appellationem suspenditur illa præsumptio, quæ alias pro judice est, *c. cum ad sedem ib. gloss. Fel. Abb. & Canon. x. de Restit. spoliat.*

4. Tum quia gravasse arguitur, tum quia se ingerit in id, quod non est officii sui, *arg. L quæ omnia 25 ff. de Procur.* tum quia veluti partes adversarii suscepit, jura partium agit, quo illud indecentius est.

5. Nec enim etiam ad Judicis relationem inauditus esse debet, qui litigat, *l. 1. tot. tit. C. de Relat.*

6. *Vid. de Scacc. Appellat. q. 4. n. 22.*

7. *Gail. 1. Observ. 81. num. 11.*

8. In causis Fiscalibus, quæ altiorem indaginem requirunt, & contradictione partis in dubiũ revocantur, juris ordine opus est, sicut in causis privatorum, *l. 3. ib. Ioh. de Plat. C. de Convenend. fisc. debit. Gail. 1. Observ. 20. in fin.*

DECISIO LXV.

Petitio appellati pro differendis processibus, donec judex à quo jubeatur de statu causæ referre non admittitur.

INterpositâ appellatione appellatus decretum super illa recipienda prævenire cupiens, causas allegabat, cur processus decerni non deberent, juxtam relationem de statu causæ à Judice priori exigi petebat. At cum ex narratis gravaminum relevantia apparebat, placuit non eo minus decernere, nec differre ob eam rem, aut pro exspectatione relationis, quæ nihil operari potest. (1) Cum nec adversæ partis allegatio, nec relatio Judicis à quo attendi, (2) sed juxta narrata processus decerni, (3) causæ merita autem ex actis dijudicari, ideo sine his præjudicia inferri non debent. Occurrunt quidem causæ, ex quibus à judice inferiori petitur de iis, quæ dubium faciunt ex actis relatio, sunt etiam per imperii leges casus, in quibus petere necessarium, (4) sed in dubio non est recedendum à processu, qui communiter observatur. (5) Quare cum talis nulla constaret, *rejecta est petitio Iohann von Sandeshausen, contra Senatum Civitatis Buxtehude, die 29. November Anno 1653.*

1. Frustra exspectatur, cujus eventus nihil operatur.

2. *De eo prolixius vid. Gail. 1. Observ. 31. num. 10. seq.*

3. *Gail. 1. Observ. 15. num. 5.*

4. De quibus vid. R. A. zu Regenspurg. Anno 1654. §. Benebens sollen Cammer-Richter & §. sequens. Ubi præscriptum illud de requirenda à magistratu facti informatione in quibusdam causis ostendit, in aliis, ubi simile per legem non exigitur, secus se rem habere.

5. Solito processus ordini judex stricte inhærere debet, nec se abillo, nisi gravissimis ex causis, dimoveri patietur.

DECISIO LXVI.

Advocati appellatio pro cliente sufficit, nec opus habet expressa ratihabitione intra decendium.

PRocuratorem seu ad negotia (1) seu ad lites pro principali appellare posse (2) hunc etiam debere constat, (3) etsi ad appellandum expressum mandatum non acceperit. (4) At quando occurrit, Advocatum causæ pro cliente appellasse, dubitatio suborta fuit utrum talis appellatio non demonstrato mandato admittenda esset? Quandoquidem juri convenit appellare quemque pro alio sine mandato non posse. (5) De quo receptam regulam sequi congruum videri posset, cum exceptio ejus circa Advocatum lex non faciat. (6) Præterea inter dubitandi causas fuit, non apparere de clientis intra decendium factâ ratificatione. (7) At iis non obstantibus conclusum est, Advocatorum non minus quam Procuratorum appellationes recipiendas esse, cum illos tanquam Patronos causarum sine alio mandato commoda clientum curare deceat, (8)

Digitized by Google

nec minus potestatis quam Patroni qua libertos habere censeantur. (9) Præterea quando negotiorum gestori, (10) imo etiam cuivis extraneo licet sine mandato alterius gratia, etiam in causa civili non minus appellare, (11) quam eum absentem defendere, (12) qui Advocato id derogabitur? cujus non modo debitum est pro defensione vigilare, sed etiam conscientiæ atque existimationis gratia interest. (13) Nec sicut in extraneo pro alio appellante requiritur intra decendium ratihabito, ita etiam quà advocatum desideratur, (14) qui officii atque debiti sui ratione plane extraneus haud existit. Nec opus est istam ratihabitionem expresse fieri sufficit de voluntate approbantis aliqualiter constare. (15) Uti ea aperta est, quando cliens ab Advocato institutam appellationem prosequitur. Admissa itaque est appellatio & idem postea semper observatum fuit.

1. Etiam huic jus appeliandi tribuitur. *Per. Greg. Tholos. in tract. de Appellat. lib 5. cap. 1. num. 13.*

2. *Specul. lib. 2. tit. de Appellat. §. 1. num. 1.*

3. *l. invitus 17. C. de Procur. l. 8. §. 8. ff. Mandat.* Ratio hæc traditur, quod appellatio intelligitur pars litis in prima instantia, *Castrens. in l. ab executione §. si Procurator. num. 3. ff. de Appellat.*

4. Ad appellationem generale mandatum sufficit. *Lancellot. de Attent. lib. 2. cap. 12. limit 50. numero 33 & 34.*

5. *Thol. san. dict. cap. 1. num. 8.*

6. Advocatos sine mandato in judicio quidquam proferentes nihil agere & puniendos esse prolixius docet *Carpzov. in Elector. resp. 5. num. 11. seq. l. 3.*

7. *Cap. non solent 30. ib. gloss. 2. q. 6. l. 1. ff. de Appell. recip. Specul. d. tit. de Appell. §. 1. num. 7.*

8 Patroni causarum audiunt Advocati & quibus inserviunt clientes. Quomodo itaque argumentum ducitur à Patronis & libertis ad Protectores & clientes, ita etiam ad Advocatos, qui istis assimilantur, *arg. l. 14. C. de Advoc. diversi. judic.*

9. Patronus pro liberto sine mandato appellat, *uti adversum alios tradit Scacc. de Appellat quæst. 5. n. 92. versio limita 11.*

10. *Franch. in c. Nicolao num. 17. de Appellat.*

11. *Ita communior habet sententia. Vid Ruginell. de Appellat. §. 2. cap. 1. num. 81. Scacc. de Appellat. quæst. 5. num. 43.*

12. Absentem defendere sine mandato cuivis licet, *l. 33. §. 2. ff. de Procur. l. 1. c. per vim vel al. mod.*

13. Appellare sine mandato licet ob quodvis interesse etiam generale illud, quod hominis hominem beneficio afficii interest. *Vid. Tholosan. dict. cap. 1. num. 6. 7.*

14. *Vid. Scacc. dict. quæst. 5. n. 43.* ubi in extraneo tantum requirit ratificationem intra decendium Ratio diversitatis est in in iis, quibus sine mandato agere licet.

15. Ratihabitio semper retrotrahitur & mandato æquiparatur, *l. fin. C. ad SC. Macedon.* nec tantum expresse sed tacite fit, non modo verbis, sed etiam factis, *l. si proponat §. 1. ff. de Inoffic. Testam. gloss. in l. 1. C. si maj. fact. alien. ras. non hab.*

DECISIO LXVII.

Non renunciat appellationi qui adit Judicem prioris instantiæ pro implorando auxilio adversus turbationes adversæ partis.

QUod vulgò ab JCtis traditur, cum appellans redit ad Judicem prioris instantiæ aliquid deducendo vel petendo circa causam, in qua appellatum fuit, cum tacite renunciare appellationi, (1) non indefinitè de quavis aditione Judicis à quo accipiendum est, sed de illâ quæ causam concernit, in qua fuit interposita appellatio; (2) & quidem pro eo circa istam agendo & petendo, quod erat Jurisdictionis superioris, ad quam devoluta fuit causa & in qua per appellationem judici à quo alias fuerunt ligatæ manus, (3) Quidquid extra hæc appellans agit aut petit coram inferiori judicio, non magis ad renunciationem appellationis porrigi potest, quem per appellationem iste actus judici inferiori præclusus aut prohibitus est. (4) Quocirca si appellans Judicem à quo adit, implorans auxilium adversus turbationes adversarii, etsi vel cognitionem super iis subierit, minime putatur renunciasse appellationi. (5) *Sic judicatum in causa Jost Behren, contra Burchard Behren, die 16. Decembr. Anno 1653.*

1. *Marianth. in Spec. part. 2. distinct. 2. prine. tit. de Appellat. num. 342. 424. Lancellot. de Attemp. part. 2. cap. 12. in præfat. num. 15. seq.*

2. Quod tamen non sufficit, cum pluribus modis variisque ex causis fieri possit, ut salva appellatione adeatur Judex à quo, *de quibus prolixe tractat Scaccia de Appellat. quæst. 17. lim. 2. num. 20. & mult. sequentib.*

3. Utrumque hoc requiritur, nec alterum sufficit. Nam si quæ sunt illius causæ, at non simul sunt Jurisdictionis superioris, privativè, sed simul licent Judici à quo, pendente appellatione ea rogata non continent renunciationem, ut si in iis, quæ favorem & faciliorem exitum appellationis spectant. *Maranth. d. l. num. 205. Lancellot d. cap. 12. limit. 4. num. 21. seq.* sicut & in cæteris omnibus, in quibus Judex à quo salva appellatione potest procedere, *Scaccia dict. quæst. 17. limit. 2. num. 67. qua singulatim idem ex quæst. 3. num. 20. mult. seq.*

4. Renunciatio enim facta intelligi non potest, quoties integra appellatione fit, quod petitur. Alia potius quam renunciationis mente petitum censetur.

5. Judex à quo pendente appellatione inhibendo providere potest, ne quis in sua possessione turbetur, *Lancellot. dict. c. 12. limit. 4. prine. num. 3.* similiter & attentatum cum suum, tum alterius revocare ideo hujus petitione non potest pars censeri appellationi renunciare, *vid. Scaccia dict. tract. quæst. 17. limit. 2. num. 53.*

DE-

Digitized by Google

DECISIO LXVIII.

Acta primæ instantiæ non consignata aut clausa edita non vitiant editionem.

MOre quidem servatur, ideo juri conveniens putatur (1) edi acta prioris instantiæ clausa & consignata; At non cum eo rigore id accipiendum vel usurpandum est, ut si aliter edentur, editio sit nulla aut illa non sint recipienda. (2) Consignationis ratio est, ut non sit in cujusquam potestate quid ex iis corrumpere aut auffere (3) A quo si alias editio vacua reperitur, non est improbanda, (4) partibus tantum injungendum ut revideant & si quid desiderent moneant. Repertis iis integris, quod omissum nihil remoratur processum. (5) Sicut ea admissa sunt *in causa Bürgermeister und Rath der Stadt Stettin, contra den Cammer-Rath Dan Schlegeln, die 19. Decembr. Anno 1653.*

1. *Ita Gail. lib. 1. Observ. 134. num. 1.*

2. Nullibi Leges aut JCti ad substantiam editionis eam consignationem requirunt *vid. Berlich. decis. 167. per tot.*

3. *Eam tradit Georg. à Rosebitz in proceff. part. 1. artic 39.*

4. Si quid in eo peccatur judicis non partium est, quibus illius negligentia nocere non debet *l. alteri ff. de R. I.*

5. Sufficit sortiri finem, quo obtento vitium in mediis in moralibus non valde curatur præsertim ad actum annullandum *l. pen. ff. mandat.*

DECISIO LIX.

De Appellationum solennibus & per hæc appellantibus ultra leges vel mores per iudicem à quo non onerandis.

AD coërcendam appellantium temeritatem atque malitiam plura remedia adhiberi solent; Inter ea etiam quædam appellationum, uti vocant, sollennia, veluti ut appellantes eorumque advocati juramentum malitiæ nec non cautionem de refundendis expensis præstent, aut certam pecuniæ summam deponant. Quæ ubi ex certa lege vel provinciæ generali, vel judicum inferiorum speciali seu privilegio, vel antiquâ consuetudine constituta & observata sunt; imposterum quoque strictè servari. (1) Nec nisi iis præstitis appellatio recipi debet. (2) Etsi enim ad appellationis substantiam non pertinent, ideo his coram judice inferiori omissis non minus illa subsistit & pro rectè introductâ habetur, tamen postea per judicem superiorem exigi & non prætermitti debent. (3) Ubi verò de iis non est lex generalis aut specialis, nec consuetudo, haud decet inferiorum judicem appellantibus invitis talia imponere, (4) quæ tendunt in præjudicium superioris judicii, (5) nec non superioritatis ejus, cujus illud existit, legem superiori jurisdictioni dicunt, (6) tollunt aut restringunt libertatem appellandi. Non enim permittendum est judici à quo ut appellantes oneret & appellationes arctet, nisi cum superiori assensu hoc fiet. (6) Quocircà cum in Ducatu Bremensi ejusmodi solennia, qui cum regimine Regio ibi erant, introducere vellent, & pro eo appellantes nisi iis præstitis coram Tribunali Regio non audiri cuperent desiderio non applaudere placuit, nisi priùs edocta lege & consuetudine, cum qui appellabant istam negarent & de innovatione conquerentur. Sic rescriptum est, die 15. Januarii Anno 1654.

1. *Ordini Cam. Imp. part. 2. tit. 29 §. fin.*

2. *Gail. 1. observ. 124. num. 1.*

3. *Vid. Gail. d. Obs. 124. num. 2. ib. Greven. Consil. 1. num. 3. & seq.*

4. Sic tum allegatus textus Ordinationis Cameræ *d. tit. 29. §. fin. verb.* mit sondern rechtmässigen Privilegien tum alii Imperii recessus loquuntur *Vid. Novissimum Ratisbonensem de Anno, 1654.* §. auch zum Sechsten. Indicant non nisi ex concessionibus Cæsareis ea solennia obtinere.

5. Jus devolutionis appellationum est de summis regalibus & superioritatis effectus *Rebuff in Constit. regn. tit. de Appellat. num. 6. Covarruv. Pract. quæst. c. 4. numero. 6. Gail. de Arrest. c. 7. num. 14.*

6. In reservata superioris nihil juris inferiorum est, iisque modum velle præscribere aut limites, potestatem horum excedit.

7. Inferioribus non est jus statuendi de appellationibus ad superiorem quoad illas prohibendas aut coarctandas *Gail 1. Observ. 135. num. 11. Mynss 1. Obs. 14. Ant. de Petr. de Iur. qua fit per princip. non tollend. c. 6. num. 88.*

DECISIO LXX.

Officialis Regius litem cujus autor fuit cum civitate appellante peragere tenetur.

QUæstor Regius ad preces suas à Consilio Regiminis mandatum adversus cives Sterinenses impetravit prohibitorium de non eundo nisi ad Regium molendinum, appellatione autem interposita citatus comparere recusavit sub obtentu, non suam sed Regiam seu Gubernamenti esse causam. Refert qualis hæc sit, utrum officialibus incumbat de ista actio & cura nec ne. In iis quæ ad officium non pertinent, non est ideo minister obligatus instantiæ, quod forte denunciaverit. (1) At si vel per instantiam & petitionem mandati semet obstrinxerit ad agendum, (2) vel per officii ratio-

Digitized by Google

rationem quod causæ est, agere, prosequi, aut respondere obnoxius erit, (3) appellationis contra illum prosecutio fieri potest, sive ad ipsius instantiam mandatum emanavit, sive ad denunciationem tantum, cum etiam ex hac Regius officialis judicio astringatur, ratione eorum, quæ ad munus illius spectant. (4) Nec finit necessitas officii desistere à lite nisi superior eam peragere velit, qui tamen idem forum sequi tenetur, (5) Visum itaque exceptionem officialis non posse admitti ubi causa officium concernit, suamque eam petendo mandatum fecerat. (6) *In causa Senatus Stetinensis contra Petrum Hanson. Die 3. Februarii Anno 1654.*

1. Alienis se immiscere culpa est *l. culpa ff. de Reg Jur.* veriumque inferi se litibus alienis pati *l. un. C. de his qui pot. sue.* illicita est usurpatio ex alienis actibus quidquam ad se transferentium *l. in provinciis 4. C. de Numerar. actuar.*

2. Extra judicalis appellatio est, quæ contra officialem à decreto ad ejus instantiam interponitur, adversus ipsum prosequenda. *Gail. 1. Observ. 120. num. 1.*

3. Propria cujusque causa intelligitur quæ est officii; Hoc obligat ad agendum *l. 1. C. de Admin. tut.* & ut quisque respiciat ad officium in quo est *l. 2. C. de in lit jur.*

4. *l. ab accusatione 6. §. pen. ad SC. Turpill. l. 1. C. de Cursos.*

4. *Vide de hoc. scripta à Cothmanno resp. 32. num. 24. seq. vol. 1.*

6. De hoc in Pomerania eo minus dubii esse potest, quod sic ordinatum, ut in iis causis, quæ ad præfecturam vel officium præfecti pertinent, civitatibus aliisque subditis contra eos de controversiis ad præfecturas pertinentibus experiri integrum sit *vid.* die Pommerische Gerichts-Ordnung tit. Was Sachen an Unser Hoff-Gericht anzunehmen: §. Werden in unsern Aemptern/ &c.

DECISIO LXXI.

Privilegium appellationem non tollit, inhibitionem saltem sistit, nec tamen sine causæ cognitione.

POst interpositam à mandato de non braxanda in certis villis cerevisiâ appellationem, decretosque processus, judex qui mandaverat appellationi obtemperare se non posse respondebat, obtendens & transmittens privilegium civitatis, ex quo in istis non aliam quam suis civibus coctam cerevisiam potandam asserebat: Id quidem isti privilegio conveniens videbatur, ut suspenderetur inhibitio, (1) nec pro attentato statim haberetur ac revocaretur quod fieret pro privilegio isto sustinendo. (2) Hoc enim videbatur legis vice esse, (3) ideo attentati vitium tollere. (4) At malè ex eo concluditur appellationi locum non esse, cum fieri posset, & allegatum esset, cur privilegio adversus appellantem locus non esset aut etiam si privilegium obtineret, tamen processus mandati esset incongruus & cum gravamine conjunctus. (5) Præterea etiam quoad inhibitionem suspendendam non sine causæ cognitione procedi debet, (6) quæ non pertinet ad judicem à quo, (7) sed est superioris judicii (8) Quocirca istis non attentis ex privilegio objectionibus placuit cursum appellatione relinquendum & appellantem super eo privilegio audiendum esse, (9) *in causa Domini Baronis Georgii Peyckel, contra civitatem Verdensem. Die 3. Febr. Anno 1654.*

1. Inhibitio decreta non pertinet ad ea quæ sunt legis ejusque executionem spectant, *Pital. Cambar. tract. Clausular. tit. de claus. pend. in limit. 1.*

2. Quæ circa attentata sunt altioris indagiais sinunt revocationem.

3. Privilegium est species legis, quæ vel est universalis vel singularis, §. *quod principi 6. ib. Dd. Inst. de N. G. & C.*

4. Non habetur pro attentato quod fit vel innovatur juris autoritate *Ruin. Consil. 66. numero 10. lib. 3.*

5. Ideo quod inhibito non tenet, appellatio non definit. Illa factum possessionis, hæc jus & litem concernit & sæpius illa non valet & causatur, ubi tamen hæc devolvitur.

6. Quæ cum partis præjudicio aliquo conjuncta causæ cognitionem requirunt *l. de unoquoq; 47. ff. de Re judic.*

7. Devoluta per appellationem causa ligantur majus judicis à quo, & jurisdictio ejus suspenditur *vid. Scacc. de Appellat. quæst. 3.*

8. Quæ appellationem concernunt sunt superioris judicii *l. ff. à quib. appell.*

9. Nihil in judicio de his, quorum alios refert, iis sis non auditis & non citatis fieri debet *l. unoquoque 47. ff. de jud.*

DECISIO LXXII.

In una causa appellatio interposita non prodest in alia etsi plane simili.

SI duplicem cum diversis quis litem in causa quidem non eadem, sed planè simili, haberet, appellatio à sententia in una, minimè proficiet in alia. (1) A singulis quippe sententiis appellare oportet. (2) Nec facit similitudo materiæ & causæ eandem litem & sententiam, ideo nec eandem appellationem. (3) Quare appellatio ab una sententia interposita, minime admissa est quà aliam, etsi ex iisdem rationibus utriusque sententiæ contracta erat impugnatio *in causa D. Francisci Conradi Friedelieben, contra Thomam Bernhagen. Die 3. Februarii Anno 1654.*

Digitized by Google

1. *Franch. in rub. x. de appellat. num. 5. & 6.*
2. *l. si qui separatim 10. ib. Dd. ff. de Appellat.*
3. Separatio condemnationis facit separatam appellationem *Petr. de Bellapertic. in d. l. si qui separatim num. 1.*

DECISIO LXXIII.

Actorum editio per relationem ad alterius litis acta non habenda integra.

NOn censentur acta edita integra, nisi omnibus integrè editis, quæcunque ad litem pertinent & semel pars actorum reddita fuerunt. (1) Quod fieri intelligitur, ubi quidquid actorum circa litem, quam devolvit appellatio, fuit, ad superius judicium transfertur. (2) Minimè verò si cum plures inter partes essent diversæ lites, & pro una lite alterius actis partes usæ fuissent, fieret illa per nudam relationem ad acta alterius litis. (3) Uti vero lites non debent confundi, ita nec acta confundenda sunt, sed cuique sua integra relinquenda. Confusio non modò multum molestiæ & difficultatis inducit, sed ipsum judicium confusum & intricatum reddit. Declarata est ideo editio aliter facta imperfecta, & injunctum appellanti, ut quicquid actorum præsentem litem concerneret, describi & edi curaret. *In causa Rittmeisters Oloff Segebaden, contra den Rath zu Demmin die 7. Martii Anno 1645.*

1. *Vant. in tract. de Nullit. rubr. à quo & quib. n. 20. & seq.* defectus in editis actis facit processus, quasi alio non audito, nullitatem *Cas. de Grassis decis. 57. num. 5.*
2. *Bald. in l. 2. num. 8. ibid. Bartol. num. 5. C. de Edenb.*
3. Quod vulgo dicimus, relatum esse in referente, pertinet ad potestatem referentis, non ad notitiam relati, quod nihilominus exhibendum est, ut noscatur.

DECISIO LXXIV.

Superiori judicio incumbit inspectio & cura, ne appellantes in inferiori per immoderatam taxam actorum graventur, eaque mandato de illa moderanda exeritur.

QUemadmodum judici inferiori non permittitur, ut appellandi licentiam tollat aut restringat, (1) sic nec concedendum, ut oneret & per immodicos sumptus difficilem reddat, (2) de quo conquerentes audiri æquum est. (3) Ideo judex superior, siquidem res adhuc integra, monitorio, ut moderato precio acta eduntur, monere. (4) Si de eo non convenit etiam non audito judice taxare. (5) Ubi vero jam immodicum exactum fuit, restitutionem iniqui injungere potest. (6) Ita in Camera Imperiali observatur & sequi placuit decreto mandato ad instantiam Dieterich Garlip, die 4. Aprilis Anno 1654.

1. *Ord. Cam. Imp. part. 2. tit. 28.* §. Und dieweil bißhero.
2. *Ord. Cam. d. part. 2. tit. 31.* §. Als sich auch die Partheyen.
3. Sic praxis habet ad querelam appellantium monitorium de servanda æquitate decernere, *Denais. in jur. Cameral. verb. Actorum æstimatio* §. 4.
4. *Vid. Denais. d. loc. & §. 5. ubi addit*, à moderatione facta, ne excipiente quidem contra eam judice inferiore Cameram Imperialem recedere.
5. *Denais. d. §. 5.*
5. Cameræ Imperialis Ordinatio requirit, ut judex inferior in calce Actorum mercedem discriptionis exprimat, quo judex superior inde intelligat, utrum etiam appellantes ornati sint, *vid. part. 2. tit. 31.* §. und nachdem. Refert. *Denais. d. l.* §. 2. in Camera Actorum singula folia binis ternisve cruciatis, sigillationem floreno uno taxari.

DECISIO LXXV.

Quomodo ad gravamina appellationis procedendum.

MUltum refert processum expedite dirigi, at pro directione dextrâ nihil magis necessarium recte incipi. (1) Quod cum præsertim in appellationum causis faciendum sit, quo superflua evitentur, nec per ea lis protrahatur, utique de eo deliberatum fuit, quomodo post interpositam appellationem feliciter progredi deceat, ut quam citissime finis obtineatur. Non autem unâ eâdemque specie hac in re per partes causa ad judicium defertur, & sententia petitur. Vel sine ullo libello proposito appellatio introducitur, tantum pro impetrandis processibus instrumento Notarii cum insertis gravaminibus oblato; vel, uti ordinatione provisum atque moris apud nos est, libellus & in iis gravamina articulata vel summariè exhibentur; In priori specie aut pars appellans statim super actis prioribus submittit, atque sententiam petit. (2) & non exspectato libello sine ullo ulteriori processu hæc super iisdem profertur confirmando vel corrigendo, quod per judicem à quo pronunciatum est: (3) vel ad libellandum terminum rogat, & tunc is conceditur, (4) atque quid libello exhibito petetur, exspectatur. In posteriori specie aut itidem simpliciter appellans ad acta priora submittit, uti non obstante libelli exhibitione fieri potest; (5) & tunc libellus tanquam pro impetrandis processibus saltem oblatus seponitur, atque super actis pronunciatur: (6) aut verò simul super libello, & tunc præter acta etiam ejus merita attenduntur, ideo super eo & comprehensis gravaminibus sententia dicitur. Refert autem qua processum atque pronunciatione utrum gravamina relevantia sint nec ne.

Digitized by Google

In illo casu primo discernitur, an omnia talia sunt, an nonnulla tantum. Si omnia, an omnis tenor libelli an ea pertineat, ad quædam eo non faciant. (7) In posteriori occurrentia fit separatio impertinentiarium, atque his rejectis illa retinentur. (8) Ita etiam ubi quædam relevant, quædam irrelevantia sunt, fit quoque per interlocutionem separatio, quo partes sciant, ad quæ respondere opus habeant. (9) Quod illa verò sive omnia sivé quædam, quæ reputantur relevantia, dispiciendum iterum est, an aliquid novi comprehendunt, an tantum id, quod est in actis prioribus. Super novis nihil pronunciandum, nisi auditâ alterâ parte. (10) Ideo datâ libelli copiâ super iis litis contestatio & responsio injungitur. (11) Vetera quod attinet, aut ea satis in priori instantia deducta probataque sunt, & non opus est ulteriori discussione, (12) sed judicis est ex officio super iis acta, ut conclusa accipere, & sententiam priorem vel confirmare vel reformare, (13) aut ulteriori probatione vel deductione egent, & ea ad hanc remittere oportet, (14) sine tamen ulteriori responsione, si jam ad ea in prima instantia responsum acta docent, (15) tantum quid deduci vel probari debet, exprimetur. (16) Quod si gravamina plane reperiuntur irrelevantia, iis statim rejectis prior sententia confirmatur. (17) Hæc semper sequi placuit, & non parum ad litigia finienda conducere repertum fuit. (18) Actum vero & consultatum super talibus die 14. Aprilis Anno 1654.

1. Initium potissima cujusque rei pars, ideo maximè curanda est, *l. pr. ff. de Orig. Jur.* ex primordio posterior formatur eventus, *l. 2. C. de Impon. lucr. descript.*

2. Hoc parti integrum est. *Fab. in Cod. lib. 6. tit. 26. defin. 15.* imo & consultum, *uti habet Gail. 1. Observ. 128. num. 4.*

3. Ex solis actis prioribus etiam corrigitur prior sententia *Fab. dict. defin. 15.*

4. Ita fuit praxis, quamdiu partibus per instrumenti oblationem processus appellationis extrahere liberum fuit. At postquam expeditius commodiusque visum, ut libellus appellationis ab initio exhiberetur, & illo mediante processus extraherentur, non facile decernuntur sine illo exhibito, nisi forte causa profertur vel apparet, cur secus fieri debeat, & tunc adhuc, quod hic dicitur, servatur, non tamen termino ad libellandum ultra quam usque dum eduntur vel publicantur acta extenso.

5. Libellus non impedit puram submissionem super actis prioribus. Habetur tunc perinde ac si oblatus non esset.

6. In tali pronunciatione nihil ultra, quam in actis pluribus est, admittitur vel attenditur. *Faber. in dict. defin. 15. num. 3. & 4.*

Impertinentia statim à lite per judicem rejicienda sunt, *uti pluribus explicatum. vid. à Rutger. Ruland. in tract. de Commissar. part. 3 lib. 1. cap. 4. per tot.*

8. Quæ non relevant, nunquam ad deductionem, vel probationem ulteriorem sunt admittenda, *l. ad probationem ib. gloss. & Bartol. C. de Probat.*

9. In his ea pronunciandi formula est, quod si libellus articulatus est, specifica mentio fit articulorum, qui relevantes vel pertinentes sint, ut ad eos appellatus respondeat, ex summario vero speciatim exprimatur, qui ad ulteriorem processum admissum & responsale esse debeat.

10. Secus si fieret, idem esset, atque si contra inauditum pronunciaretur, quo nullitas processus gravior nulla existit.

11. Formula in hac specie pronunciandi hæc est: Werden die gravamina ihm 1. 2. 3. ꝛc. Articul enthalten / zu fernerer Erörterung angenommen / Appellaten Copia Libelli erkannt / und proxima darauff zu antworten aufferleget.

12. Superflua ab appellationibus separanda & rejicienda sunt. *l. fin. C. quand provoc. non est nec.*

13. *Gail. 1. Observ. 128. num. 5.* Et in talibus est pronunciandi forma; Es werden die gravamina als übel flüssig nicht / sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen und erkannt / ꝛc.

14 Appellantium beneficium est non probata probandi non deducta deducendi, *per l. per hanc C. de Tempor. Appellat.*

15 Uti quod semel appellatum & interrogatum, non est iterum articulandum. *Bald. in l. amplissimum §. in refutatoriis C. de Appellat.* ita ad quod semel responsum, iterum responderi non debet. *Bald. ibid. num. 15.*

16 Pronunciandi tunc hæc frequentatur formula; Werden gravamina so weit zu weiterer Ausführung angenommen / daß wann Appellant dis oder jenes besser / dann noch geschehen / erweisen oder außführen könte und wolte / er darzu zu verstatten / und proxima mit demselben einzukommen schuldig sey.

17. Formula sententiæ tunc talis adhibetur; werden gravamina als unerheblich nicht / sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen / darauff erkannt daß der Appellation ohngehindert der Richter voriger Instantz Urtheil es zu lassen sey.

1°. Hæc postea in ordinationem Regii Tribunalis sequenti anno emendatum redacta sunt, & tanquam ex lege stylo que judicii nunc observantur, *ut videbis ex his quæ habet Ordinatio part. 2. tit. 2. 3. & 4.*

DECISIO LXXVI.

Inhibitio causis appellationum contra ea quæ ex contractu debentur, non decernitur.

IN lite super contractus jure & efficacia post interpositam à sententia, quæ pro illo lata erat, appellationem ambigebatur, utrum etiam inhibitio decernenda esset? Existimatum fuit, discernendum esse, utrum de eo contenditur, cujus aut appellans, aut neuter adhuc possessor sit: An de iis quæ appellans ex contractu jam adeptus est, ita ut de iis revocandis aut non turbandis quæstio supersit. In priori specie nihil causæ apparet, cur non ut aliàs in causis appellationum inhibitio decerni debeat, (1) quo pendente lite nihil innovetur. (2) Etsi enim

Digitized by Google

enim ex contractu parata sit executio, tamen haud aliter ei locus est, quam cum judex decernit. Decernere non debet sine causæ cognitione. Liquida ex eo res non censetur, dum de eo controvertitur. (3) In posteriori autem, si possessor turbetur aut fructu possessionis pendente lite privetur, inhibitio omittenda est. (4) Uti ea idcirco denegata *in causa Melchior Luthen contra Iohann Brummern die 18. April Anno 1654.*

1. Uti regulariter appellatio suspendit judicatum & jurisdictionem judicis, ita inhibitio ob eam fieri potest & decerni solet. *Gail. 1. Observ. 144. num 1.*

2. Generale est pendente lite nihil innovandum esse, *l. un. ff. nih. innov. pend. appell.* Cui insistendum, donec exceptio ex jure docetur.

3. Cum appellans allegat causam, cur contractus quem confitetur, non valeat, aut observari non debeat, non dicitur amplius ex eo res notoria vel liquida, sed allegatio illa notorium offuscat, facitque sisti ex appellatione quæ recipitur executionem. *Lancellot. de Attentat. part. 2. c. 12 limit. 9. n. 4.*

4. Per appellationem nemo fructu possessionis suæ privari, nec ipsa prohiberi debet, *c. 1. ut lit. pend.* ideo contra possessorem nulla inhibitio decerni. *Mandos. de Inhibit. q. 23.*

DECISIO LXXVII.

Amittenda est deductio & probatio in tertia instantia, quæ neglecta fuit in prima & secunda.

EST beneficium hoc appellantium vulgare, ut non deducta deducant, non prolata probent. (1) An utrum etiam ea, quæ quis sciens & consulo omisit in ulteriori instantia deducere & probare admittendus sit? non caret dubio, quod exortum est, tum appellans ipsemet narrabat dilatam à se probationem ob eum articulum, cum quo ista juxta Ordinationem judiciariam conjungenda & perficienda erat. Existimatum est discerni debere causam omissionis; utrum sit in negligentia sine fraude malovè proposito, an in malitia, ut protrahat litem & fatiget adversarium. Huic ut indulgeri non debet, (2) ita nec hoc tribui, ut appellatio proficiat maligno, (3) & judicium frustretur. (4) Ista autem sola excludere non debet illud beneficium. (5) Sine lege quippe talis pœna irroganda non est. Illa vero non modo non existit legibus generaliter sine distinctione loquentibus, sed potius per jura certa sic reperimus explicatum. (6) Quod vulgo dicitur; Appellationem gravamen quod quis sibi ingerit, rescindere non solere, [7] ad illud pertinet, cujus negligentia est causa unica: secus est, ubi factum judicis accedit. Deinde sic obtinet, si negligentiæ dicta est in ea pœna, quod negligens amplius audiri non debet. Qua non dictata talis severitas non arrogatur. (8) Quocirca non apparente malignitate, appellantem etsi videretur negligens, nihilominus cum non deducta deducere, non probata probare offert, admittere æquius existimatum est. *In causa Henrich Debels, contra Cordt Schlackowven Erben, die 2. Martii Anno 1654.*

1. *l. eos §. C. de Appellat. per hanc C. de Temporib. Appellat.*

2. *l. in fund. 38. ff. de rei vindic.*

3. Appellatio ad hoc inventa est, ut innocentiæ sit præsidium & gravaminis relevatio, non ut malitiæ sit patrocinium, *c. suggestum c. ad nostrum x. de Appellat.*

4. Sic communis & æquior JCtorum sententia habet, ut neglectus ex malitia excludat beneficium non deducta deducendi, & non probata probandi, *Cach. decis. Pedem. 14. num. 9. Bald. in d. l. per hanc num. 3. Anton de Butr. & Abbas in c. inter de re judic. Frid. de Sen. cons. 285. in fin.*

5. *Ita communiter JCti censent; Felin. in c. ad audientiam de rescript. Cacher un. d. decis. 14. Aretin. in rubr. Instit. de except. num. 34.*

6. *Is sensus est textus in l. per hanc C. de temp. appell.* non distinguentis, ut & *c. de exceptione x. de except.* ubi tamen refusio expensarum retardati processus irrogatur.

7. *Arg. l. sed etsi susceperit x. de Iudic. l. argentarius § eum autem de Edend.*

8. Communis est JCtorum doctrina, quod etsi judex terminum statuerit, intra quem aliquid proponere debeat, etiamsi de eo admonitus fuerit negligentem tamen in secunda instantiâ adhuc audiri. *Felin. in c. licet num. 15. x. de Probat. Cacheran. decis. 14. num. 8.*

DECISIO LXXVIII.

Inhibitio specialis sine causæ cognitione, multo minus nondum visis actis contra partem parti decerni nondebet.

POST interpositam appellationem inter processus appellatorios inhibitio generalis cum causa appellandi non reperitur frivola ad nuda partium narrata decernitur. (1) Specialis vero contra partem ut desistat, restituat, vel non faciat quidquam, non perinde decernenda est. (2) Regulariter ante introductam appellationem judex ab illa abstinere, nec nisi ex justa causa decernere debet. (3) Ubi verò decernendum putabit, eo haud progredietur sine prævia causæ cognigtione. Hæc requiritur, ut nisi ubi periculum in mora est, (4) citetur pars adversa, (5) audiatur, & examinatis causæ momentis statuatur. (6) Ad quod cum actorum diligens inspectio & consideratio necessaria sit, [7] utique antequam judex à quo ista ediderit, ad talem inhibitionem decurrendum minime esse sequitur, sed exspectandum, donec ista eduntur, aperiuntur & leguntur. (8) *Vti existimatum in causa Melchior Lücken, contra Iohann Brummern, die 16. Iunii Anno 1654.*

Digitized by Google

1 In recipienda appellatio ne statur nudis appellantium narratis.

2. *Fab. in Cod. lib. 8. tit. 10. defin. 17.*

3. *Bart in l. un. n. 17. ff. nih. innov. appell. pend.*

4. Regulariter in omni inhibitione tanquam re gravioris momenti decernenda est inhibitio. *Lancellot. in tr. de Attentat. part. 2. cap. 20. num. 119. seq.*

5. Ob periculum moræ receditur à regulis juris communis, *l. de Pupillo 5. §. si quis rivos 11. ff. de op. nov. nunc.*

6. Citatio regulariter in decernenda inhibitione necessaria est. *Covarruv. pract. quæst. 24. num. 3. Maranth. in spec. 3. part. 6. part. princ. q. 2. num. 196.*

7. *Jason. in l. si quis ff. de nov. nunc.*

8. Judex ad acta tanquâ Sacerdos ad Biblia alligatus est, nec extra illa sapere aut judicare debet. *Nevizan. cons. 23. n. 14.*

DECISIO LXXIX

Creditor anterior addictioni pignoris in solutum cum sciret non contradicens jus suum amittit, quatenus contradicere tenetur.

QUod dicitur consensu venditioni pignoris per creditorem præstito pignus remitti, (1) ad expressum pertinet. Tacitus non sufficit, nec sola scientia nocet creditori, (2) quin postea contra possessorem hypothecariâ agere possit. (3) Excepto tamen illo casu, quando creditor contradicere tenetur, ideoque hoc non facto pro consentiente habetur. (4) Sicut hoc evenit, quando publicè sub hasta seu actione, uti loquimur, per proclamata citatis creditoribus venditio fit, (5) aut aliàs citatio creditoris ad hoc fit, ut contradicat aut jure suo cadat. (6) Est ibi aut consentiendi, aut contradicendi necessitas: si neutrum expressim fit, sed silent creditores, etsi anteriores, postea pignus persequi nequeant, nisi ob ignorantiam in integrum restituuntur. (7) Similis venditioni est addictio judicis in solutum. Ideo etiam in hac sciente creditore factâ spectandum non tantum jus hujus, sed etiam debitum: (8) Siquidem addictio mediante proclamate nec reperto emptore fit, aut aliàs creditor contradicere debuit; ac silentio tranmisit, maxime ipsi præjudicabit atque excludet. (9) Quod statuendum ex circumstantiis & exactis addictionis. Ante quæ inspecta atque considerata non rejiciendus appellationis libellus, sed potius ad causæ cognitionem pleniorem admittendus, *in causa Jochim Schwartz Kopffen contra Frantz Krügers die 20. Jun. 1654.*

1. *l. sicut 8. §. si voluntate ff. quib. mod. pign. vel hypoth. l. 4. §. quæsitum ff. de dol. mal. except.*

2. *d. l. sicut 8. § non videtur 16. ff. quib. mod. pign.* ubi ratio ejus hæc exprimitur cum ea potius ratione id passus videri debeat, quod sciverit jus suum durare, *l. 2. C. de remiss. pig.*

3. Hic genuinus pignoris effectus est, durans quamdiu illud durat, *l. pignoris & ib. Dd. C. de Pignorib.*

4. Quando quis obligatus est ad contradicendum, si actus fieri aut subsistere non debet, ut & quando quis potuit contradicere, ac non contradixit, pro consentiente habetur tacitusque consensus tunc idem operatur quod expressus, *l. 1. 2. C de remiss. pign. l. si servus ff. de Donat. int. vir. & uxor. Latius exponit hoc Menoch de Præsumpt. lib. 6. præs. 99. num. 15. & mult. sequent.*

5. *l. si eo tempore 6. l. hypothecas 8. C. de Rem. pign.*

6. *Sic generaliter tradit. Fab. in C. lib 8. t. 12. def. 2. n. 1. priorem speciem pro exempto saltem tradit.* Ratio prædicta in hac specie cessat & contraria est, quod sciens pignus salvum non fore, & maturè non contradicere remittit.

7. *Hanc speciem excipit Fab. in C. lib. 8. t. def. 27.*

8. Æquiparat in iisdem his terminis. *Faber. d. def 27. in pr.* addictionem & venditionem

9. Eadem in hac specie est ratio.

DECISIO LXXX.

In secundâ instantiâ ad probandum admittendus est, etiam qui terminum probatorium à judice in primâ præfixum labi sivit.

BEneficium appellantibus concessum, ut in secundâ instantiâ non deducta deducere, non probare possint, (1) eo usque pertingit, ut licet in priori instantiâ probatione litiganti injuncta terminus probatorius præfixus, at per negligentiam partis elapsus sit; (2) imo licet expressè probandi via sit præclusa, (3) appellans tamen postquam intergravamina docuit, justa & relevantia esse, quæ probare intendit, audiendus sit; modo terminus ille non sit legalis seu à lege præscriptus: (4) cujus strictior observatio exigitur, ideoque inter hunc & illum à judice præfixum hoc interest, quod post hunc non auditur, nisi impedimentum justum allegans & docens: (5) illo verò elapso ex prædicto beneficio ad ulteriorem probationem appellans admittitur, etsi nihil impedimenti doceat vel alleget. (8) Ita pronunciatum. *In causa Baronis à Pœbus contra Ægidium ab Ostende die 26. Junii Anno 1654.*

1. *De quo vid. l. per hanc C. de Tempor. appell.*

2. *Sic communis habet Jctorum sententia Dd. in d. l. per hanc Felin. in c. licet causam n. 18. in fin. x. de Probat. Rot. Rom. decis. 340. in not quam in Germaniæ summo judicio recepta esse observavi.*

3. Ita in Pedemontano Consilio conclusum esse, ut cui ob contumaciam probandi via precluſa fuit, in appellationis instantia admitteretur, *refert Cacher ad decis. Pedemont 14.*

4. *Vid. Carpzov. in Jurisprud. Forens. part. 1. const. 21. defin. 1. ubi ex jure Saxonico ideo hoc servari docet, quod per illud terminus probatorius certus constitutus est* Ratio enim hinc certa, quod termini legales peremptorii sunt, *d. si quæ pœna 244. ff. de V. Signif.*

5. Propter impedimentum non labitur terminus legis, aut contra lapsum facilis restitutionis impetratio. *Bald. in l. diffamari §. in fin. Cod. de Ingen. man.*

6. Ita concors est sententia interpretum, *in d. l. per hanc.* Id convenit naturæ beneficii, si quod alias tale non esset, in jure communi ex causa idem obtineri posset.

DECISIO LXXXI.

Appellatio non suspendit, ideo nec attentatum facit in iis, quæ extra litem sunt, etsi eandem rem concernunt.

CUm appellatione interpositâ in causa super jure retractus de attentato querela moveretur, ob id quod Judex appellanti injunxit solvere creditori? Etsi vero ejusdem rei nomine solutio debebatur, non tamen ex eadem causa. (1) Ideo nec pro attentato haberi poterat, quod non in appellationem erat deductum, (2) nec concernebat easdem personas, (3) cessante etiam connexitate. (4) Etsi itaque recipiebantur ad ulteriorem deductionem gravamina, rejecta tamen fuit de attentatis querela, & causa diversa relicta suo foro. (5) *In causa Vidue & hæredum Petri Eickhofs contra Petro à Becken die 27. Julii Anno 1654.*

1. Appellatio non suspendit jurisdictionem, eadem quæ devolvitur causâ; minimè in separata, *l. fin. ib. Cyn. Bald. Salyc. & Dd. omnes C. quand. provoc. non est necess.*

2. *Socin. consil 45. num 5. vol. 1. Lancellot. de Attentat. part 2. cap. 12. limit. 2. num. 17.*

3. *Lancellot. dict. limit. 2. num 18.*

4. Connexitas articulorũ facit attentatum. *Scaccia. dict. limit 2 n. 25. & seq ubi qualis connexitas requiratur exponit.*

5. Appellationis judex cavere debet, ne manus suas extendat ultra causam ad se devolutam. In eo quod extra illam est inferioti judicio impeturbatam relinquere debet jurisdictionem, *uti monet Franch. in c. proposuit x. de Appellat.* Sic pronunciatum fuit in ea causa, die 3. Julii Anno 1654.

In Sachen Peter Eickshofs Wittwen und Erben Appellanten wider Peter von der Becken Wittwen und Kinder Vormünder Appellaten / wird die Appellatio der formalien halber richtig befunden / der materialien wegen deß Libell angenommen / davon Appellaten Copey erkannt / und proxime darauff Rechtlicher Gebühr nach zu antworten auffer leget; Die Klage aber in puncto attentatorum unbegründet und also beschaffen befunden / daß bey diesem Proceß Appellanten damit noch zur Zeit nicht zu hören / demnach die Sache deßwegen bey dem Gerichte / da sie anhängig / zu lassen sey / V. R. W.

Hoc

Digitized by Google

(Hoc est.)

In causa Petri Eickshofs viduæ & Hæredum Appellantium contra Petri à Becken viduam & liberorum tutores Appellatos, Appellationem ratione formalium & materialium recipimus Libelli copiam Appellato decernimus & ut in proximâ desuper debitè respondeat injungimus, petitum verò in puncto attentatorum non fundatum sed in eo statu quod Appellantes in hoc processu ratione attentatorum nondum audiendi propterea causa in Iudicio, ubi pendet, relinquenda sit idque de jure.

DECISIO LXXXII

Juramentum calumniæ præstare non tenetur appellatus, opponens super quibus in priori instantia prosè judicatum erat.

CEnsetur quidem juramentum calumniæ, quoties ab alterutra parte exigitur de substantia Judicii, adeo ut ejus exacti omissio processum vitiet, [1] nec interest an in prima aut secunda exigatur instantia, (2) attamen cum non deceat nomen DEI in vanum assumi, (3) exigi temerè haut debet, nec aliter ac quando necessarium. Ut usus ejus probabilis, sic abusus improbandus. Abutuntur verò qui temere deferunt, nempe sine causa vel ratione. (4) Quod non permittendum à Judice velut peccatum non leve; (5) Prohibendum quoque Judiciorum lege. Nec improbari poterit, quæ ordinat ut jusjurandum calumniæ non exigatur, nisi ubi apparet causa ob quam præsumptio malæ ac temeraria litis capi queat. (6) Cui coërcendæ repertum ex illo est remedium. (7) ideo non usurpandum, nisi ubi causa male præsumendi subesse videtur. (8) Nec potest non esse ex ejus promiscuo usu periculum & incommodum. Quando vero ex Ordinatione Regii Tribunalis ea quoque providentia fuit injuncta, ut & exigens causam allegaret, cur putaret exigendum calumniæ jusjurandum & qui judicio fungerentur, eam exactè examinarent, (9) ne supervacuis juramentis alterutra pars oneraretur, venit in quæstionem, an appellato ad petitionem appellantis deferendum sit juramentum? Et visum fuit distinguendum esse, an novis uteretur exceptionibus atque allegationibus ac queis in priori instantia victoriam obtinuit, an non aliis quam prioribus. Veteribus innixus præsumptionem juris ex sententia pro se habet, (10) nec calumniari creditur, cum victor fuerit, tum & quia necessario se defendit jam superior in causa. Qui verò nova opponit, eo magis quod prioribus non confideret, inde suspectus videtur, non immunis planè erit ex priori sententia à juramento. Quocirca si non alia causa ejus remittendi apparet, (11) exigitur & imponitur non obstante priore sententia. Quando vero in causa quæ agebatur non una, sed duplex pro appellato sententia stabat, in secunda instantia præter ea, quæ in priori satis deducta erant, nihil opponebat visum male juramentum exigi nec jure injungi, *in causa Vincentii Blüchers liberorum, contra Hanns Blüchern, die* 10 *Octobris Anno* 1654.

1. *l.* 2. §. *sed quia veremur ff. de jurejur. propter calumn. Gail.* 1. *Observ.* 84. *num.* 1.

2. Nam & in hoc præstari debet. *c.* 2. *de Iuram. Calumn. n.* 6

3. Non minus peccatur jurando, cum non est opus, quam ubi opus est, malè.

4 *Bald. in l. si post. num* 1. *C. de Evict. scribit*: Iuramentum calumniæ hodiè ne obulo quidem æstimari. Ea est temeritas litigantium, ut ex moro magis & lubitu, quam pro usu exigatur & præstetur. Eaque consuetudo comprobat dictum *Socini in c. cæterum num* 8. *C. de Iuram. calumn.* nostra ætate de calumnia magis committenda, quam evitanda jurate litigantes, quod tanta levitate præstetur, ut in contemptum abeat religio.

5. Lex enim per jurii occasionem devitare, & ubi periculum ejus est, prohibere debet. *l.* 2. *C. de Indict. vid. tollend. c. clericis* 2. *de Cohab. cleric.*

6. Consuetudo & Statutum plane prohibens juramentum calumniæ ob perversitatem morum habetur validum, *vid. Gail.* 1. *Observ.* 85. *num.* 4. *seq. & addit. num.* 8. *Principem rescripto suo juramentum calumniæ posse tollere, quia sit juris positivi, quanto magis permissum erit ejus usum ad rationabiles limites redigere.*

7. Ea vera ratio, ut fraudes evitentur, & ne veritas occultetur. *l.* 2. §. *sed quia veremur. C. de jurejur. propt. calumn.*

8. Faciles sunt nonnulli ad jurandum contemptu religionis: alii per quam timidi metu divini numis in usque ad superstitionem, ne quid hi vel illi aut consequerentur, aut perderent considerate judex agat. *l. quæ sub conditione* 8. *pr. ff. de Condit. Instit.*

9. *v. Ordinat. part.* 2. *tit.* 16.

10. Pro sententia præsumitur, quod juste ritèque sit lata. *c. in præsentia* 6. *x. de Renunc. c. bonæ* 23. *x. de Elect. l.* 2. *C. de offic civil jud.* Et licet sententia suspendit sententiam. *l.* 1. §. *ult ff. ad SC. Turpill.* non tamen tollit eam præsumptionem, *l. si instituta* 27. §. *de inofficioso* 2. *ib. Bald. num.* 1. *& seq. Paul. de Castr num.* 2 *ff. de in off. Testam.* Ex qua appellatus fundatam habet intentionem, adpellans velut præsumptionem contra se habens contrarium deducere tenetur. *l. hi qui ad civilia* 7. §. *cum igitur C. de Appellat.*

11. Multi sunt in quibus recusandi justa est causa, *quos vid. apud Socin in c. fin. num.* 49. *x. de jurejur. propt. calumn.* ad quos refer, cum causa probationem non deduerat, ubi res notoria, vel cum de jure quæstio est.

Bald. in l. 1 *num.* 1. *C. d. tit.*

DECISIO LXXXIII

Impossibilia Iudex injungens gravat, & quomodo ea reducenda sunt ad possibilia.

QUando per sententiam Judex viduæ injunxerat exhibitionem Inventarii & rationum, quas nec confecerat, nec post plurium annorum lapsum & per senii oblivionem amplius conficere poterat, impossibilitatis allegatio faciebat, ut admitteretur appellatio, (1) velut valdè gravatæ, non tantum quod injuncta erant nunquam præstanda, sed quod ex iis non præstitis grave præjudicium & incommodum immineabat, nempe juris retentionis & lucrorum nuptialium amissio. [2] Interest vero in talibus, utrum quod injungitur, semper impossibile fuit, ideò planè qui debuit, excusatur, (3) an verò cum fieri potuisset, ex post facto tale redditum sit. Et tunc refert, an hoc evenerit ejus qui præstare debuit, dolo, culpa seu negligentia; atque nihil proficit superveniens impossibilitas, (4) ultra quam ut exigi non debeat. (5) ejus verò quod interest petitio, 6. nec non juris pœna locum habet. (7) Ubi verò casu vel probabili ratione ad impossibilitatem pervenitur, nec hoc nocere debet, (8) sed à judice per æquipollentia (9) vel alia media id curari & injungi quod possibile est. (10) *In causa Balthasari à Kalden viduæ contra Paternos creditores die* 1. *Decembris Anno* 1654.

1. A præcepto Iudicis quod injungit, impossibilia provocatur ad superiorem, *Guid. Papæ de appellat. cap.* 7. cujus est relaxare necessitatem. *l. fin. C. de contrah. empt.*

2. Per Pomeraniæ Statuta atque consuetudines hæc est pœna viduarum inventarium non conficientium.

3. *l. impossibilis* 7. *ff. de V. O.* Impossibilium nulla est obligatio, *l. impossibilium ff. de R. I.*

4. Non excusat necessitas vel impossibilitas, in quam aliquis seipsum conjicit, *l.* 2. *§ pen. ff. si quis caut. judic. sist.* nec impeditus habetur qui semet impedit. *d. l.* 2. *?. fin.*

5. Inanis, ideo nulla est talis actio quoad id, quod fieri non potest, *l. nam. is* 6. *ff de dol. mal.* ideo redigenda ad quod assequi licet.

6. In locum ejus quod voluntate, facto vel culpa alicujus fieri nequit, succedit petitio interesse. *Cravett. consil.* 12. *num.* 3. *in fin. vol.* 1.

7. Impossibilitas in quam quis semetipsum conjicit, non excusat à pœna, *arg. l. si patronus* 3. *in pr. ff. si quid in fraud. patron. Bellamer. decis.* 72. *num.* 4.

8. Remitti-

Digitized by Google

8. Remittitur ejus rei necessitas, quam præstari non posse apparet. *l. in actione 19. §. de veste 4. ff. de Furt.*

9. Ita servatur in his quæ fieri nequeunt directo, ut per æquipollens possibili modo præstentur & perinde habeantur atque si præstita sint, *l. pen. ib. Bartol. & Dd. ff. Man. lat.*

10. Curandum est unumquodque possibili modo, *Novell. cap. 4. 1.* & expediendū à Judice, quatenus ab unoquoque quid effici possit. *l. continuus 137. ? cumita 2. ff. de Verb. Oblig.*

DECISIO LXXXIV.

Appellatio justo tempore interposita præsumitur, quamdiu aliud non probatur.

CUm non à die latæ sententiæ, uti oportet, appellatum esset, sed à die scientiæ intra decendium, uti hoc ignorantibus conceditur, nihil autem in Notarii documento allegaretur, unde colligi posset, non prius appellato cognitum fuisse sententiæ tenorem, dubitabatur, an nuda allegatio sufficeret? Concluſum fuit ex talibus narratis appellationem recipiendam esse, (1) quod eam justè interpositam, (2) ideoque & decendium rite servatum, (3) præterea non ante cognitum, quam dicitur scientiam fuisse præsumitur. (4) Ex qua præsumptione appellans admittitur, donec aliud non appareat vel docetur. *In causa Marvizt contra Braschen, die 8. Decembr. Anno. 1654.*

1. Est quidem appellantium debitum, ut non appellationem modo sed etiam justè interpositam ostendat. *l. is qui ad civilia C. de Appellat.* attamen ei satisfaciunt, si ita appellatum fuisse per Notarii instrumentum docent, nec apparet injustè quid factum esse.

2. In omni actu qui factus dicitur, rite & solenniter seu ut decet, omnia acta esse præsumitur. *l. sciendum 30. ff. de verb. Oblig. unde ita Dd. omnes colligunt.*

3. *Mascard. de Probat. conclus. 120. num. 1.*

4. Iuris est de ignorantia præsumptio, *l. versus ff. de Probat. l. præsumitur de R. I. in 6.*

DECISIO LXXXV.

Judex à quo etsi partium uni assistit in judicio, partis tamen loco non habetur, nec ad causam citandus est.

POst appellationem ab altera parte interpositam pro altera judex à quo scribebat, causam ejus strenuè agens & decretum suum defendere offerens! Causam id dedit dispiciendi, an ideo in processu contra judicem simul citatio decernenda & quatenus audiendus sit? Etsi vero Judex assistere volens parti pro qua judicavit audiendus est, (1) tamen citari non debet, nec partis instar haberi. (2) Voluntarius quippe tantum contradictor est, nec partis instar judicio se obstringit, (3) ideo cum vult, desistere potest, nec contra illum ut contumacem proceditur. (4) Quatenus assistit, audietur; ultra ejus ratio nulla habetur. Consideratum, hoc *in causa Typographorum Argentinensium, die 22. Decembr. Anno 1654.*

1. *Wurmser. lib. 1. Observ. Pract. tit. 1. Observ. 7. Barbatia Consil. 45. num. 13. vol. 2.*

2. *Klock. consil. 187. num. 203. vol. 3.*

3. *Felin. in c. dilectus ibid. Abb. num. 9. de Rescript.*

4. *Surd. decis. 26. num. 8.*

DECISIO LXXXVI.

Exceptio de Cessione in Potentiorem in secunda instantia rectè opponitur.

DIffert cessio pro minori precio adversarii vexandi causâ facta, (1) ab eâ quæ in potentiorem fit. (2) De illâ exceptio dilatoria est, & opponi debet statim post litem contestam, tunc non opposita remitti, & de novo judicio velut contrahi intelligitur. (3) Ideo omissa in prima instantia in secundâ non attenditur. (4) At quæ ex cessione in potentiorem nascitur peremptoriæ instar habetur, (5) ideò post litem contestatam quoque opponitur, (6) inde in secunda instantia admittitur & discutienda est. *Vtfactum in causa Nic. Demels contra Iohann Daniel Beckern, die 23. Ianuarii Anno 1655.*

1. *De qua habetur in l. per diversas 22. C. Mandat.*

2. *De qua vid. l. 1. & 2. C. n. lic. potent.*

3. *Vid. Fabr. in Cod. lib. 4. tit. 26. defin. 10. Guid. Papa decis. 569. num. 4.*

4. Hoc dilatoriarum exceptionum commune est, ut in primâ instantiâ non oppositæ habeantur remissæ, ideo in secundâ non attenduntur, *l. ita demum. 13. ib. Salyc. & Bald. C. de Procur. Zanger. in tr. de Except. part. 2. cap. 22. num. 5.*

5. *Berlich. decis. 33. num. 11. part. 1. ubi rationem differentiæ habet.*

6. *Bald. in l. 2. num. 3. C. ne lic. potent.*

DECISIO LXXXVII.

Etsi corrigitur sententia judicis à quo, ad illum tamen remittitur causa, quando ideo tantum appellatur, quod noluit esse judex.

QUod pro regula traditur, quoties judex superior corrigit sententiam judicis interlocutoriam, pronuncians male judicatum, bene appellatum, non remittendam esse causam ad judicem à quo, sed coram illo retinendam atque finiendam esse, (1) non pertinet ad hanc speciem, quando ideo appellatur, quod judex à quo non ulterius apud se procedendum esse interlocutus est, & ad aliud judicium causam remisit. (2) Quia vult appellans illum esse judicem, utique si esse debet, ad illum remissio

æqua

Digitized by Google

æqua est. (3) Cessat in hâc specie ratio, quare alias non fit remissio, nempe quod appellanti suspectus est qui semel gravavit. (4) Volenti eum habere judicem non est suspectus, (5) sed desideratus judex. Eò remittendo non infertur, sed reparatur gravamen. (6) Quem si superior judicare nolit, is non juxta petita pronunciaret & gravare videretur. (7) Accedit superius judicium non esse ex arresto competens, dum corrigitur sententia, sed prius tale pronunciari, remissione saltem ad extraneum judicem sublatâ, (8) *in causa Ioachim Reimers viduæ & consortis contra civitatem Stendalien sem die 24. Ianuarii Anno 1655.*

1. *c. ut debitus ib. gloss. & Abb. num 9. Decius n. 21. X. de Appellat. Cyn. in l. per hanc. num. 12. C. de Temporib. Appellat.*

2. *per c. significaverunt 21. de Exception. Franch. in d. c. ut debitus num. 46. de Appellat Scaccia de Appellat. quæst. 18. limit 47. membr. 3. num. 15.*

3. *Hanc rationē gloss. in d. c significaverunt, addit.*

4. Hæc ratio vulgo remissionis faciendæ traditur, *uti docet Scacc. d. memb. 3. num. 2.*

5. Volenti nulla fit injuria.

6. *Hac ratione sententiæ nostræ nititur Franch in d. cap. ut debitus sub num 46. de Appellat.*

7. Est quippe judex ad petita actoris, quæ libelli conclusio habet, astrictus, *l. fin. C. de Fideicomm. Libertat.*

8. Non enim ideo appellatum erat, quod judex à quo non deberet judicare, sed quod non remittere ad ordinariū loci judicem sub quo subditi erant rei. Ideo appellabatur, ut ille esset & manere judex.

Juxta has decisiones in Juridica die 24. Ian. Anno 1655. sic pronunciatum fuit;

In Sachen Joachim Reimers & consorten Appellanten / wider Bürgermeister und Rath der Stadt Stendel Appellaten werden gravamina, so viel die Erhebung der Zinsen gegen caution betrifft/ als unerheblich/ nicht angenommen / sondern es bey den 15. Sept. An. 1653. publicirten Urtheil so weit gelassen / im übrigen aber seyn die selbe überflüssig befunden/ Sache darauff gleicher gestalt vor beschlossen gehalten/ dannoch erkannt/ daß wegen der Verweisung der Sache an andere Gerichte übel gesprochen wohl appelliret/ und dieselbe bey dem Pommerischen Hof-Gerichte / auff den nach Buchstäblichen Einhalt der Obligation angelegten arrest billich verbleibet / und Appellat alda auff die Zusprache weiter hauptsächlich zu verfahren/ und Erkäntnuß zu erwarten schuldig / wie dann auß bewegen den Ursachen die Sache dahin in ordentlicher Außführung verwesen wird/ V. R. W. Publicatum den 24. Ian. An. 1655. (Hoc est)

In causa Ioachimi Reimers, & consortum appellantium, contra Consules & Senatum civitatis Stendel Appellatos gravamina quantum receptionem censuum erga cautionem concernunt, ut irrelevantia non recipimus, sed sententiæ 15. Septemb. Anno 1653. Publicatæ in tantum inhæremus, cætera verò sunt superflua inde causam similiter pro conclusâ accepta mus, & decernimus, quod propter remissionem causæ ad alia judicia malè judicatum, benè appellatum, & illa apud judicium aulicum Pomeraniæ ad arrestum juxtà litteralem tenorem Obligationis meritò relinqui, & appellatus ibidem ad actionem intentatam ulterius principaliter procedere, & cognitionem exspectare teneatur; pro ut ex moventibus causis causam eò ad ordinatam deductionem remittimus, idque de jure, Publicatum 24. Ianuarii Anno 1655.

DECISIO LXXXVIII.

Inhibitio in processu super constitutione Ducatus Bremensis von vvucherlichen Contracten quando decernenda non est.

ETsi appellatio in processibus super præfata constitutione admittitur, (1) non tamen in omni inhibitio decernenda est. Quomodo enim alias in executivis nisi irreparabile damnum imminet appellationi effectus tantum devolativus, non suspensivus tribuitur: (2) Sic idem observandum in iis casibus, quando juxta illam constitutionem proceditur, ubi regulas executivorum processum sequimur. Quod si itaque, apellatoria gravamina incongrue & injuste ex illa constitutione immissionem decerni allegant, appellatio recipitur, at nisi statim idem docetur, uti fieri potest & debet, exhibitione instrumenti, super quo decernitur, vel per documenta & argumenta quibus exceptio in continenti probari potest, inhibitio non est decernenda, (3) sed exspectandum, donec editis & inspectis actis de causæ statu & creditoris jure apparet. (4) Non recte objicitur ita appellationem fore inutilem, nec per aliam aliud obtineri, quam quod in foro cassandæ immissionis reus habiturus sit. Est manifesta diversitas. In hac reus exceptionem deducturus tenetur finem litis, & quidem ordinariæ atque prolixioris exspectare, donec ad possessionem revertetur, interim durante immissione possidente & fructus percipiente creditore. (5) At cum in secunda instantia causa cognoscitur, statim ex actis de jure immissionis non de causa ipsa, & quidem summariè cognoscitur. (6) Siquidem post appellationem injustè illa facta apparet, revocatur nec id usque dum exceptionis Jus plene discutitur, exspectatur. Sic de inhibitione decretum donec acta ederentur, *in causa Anthon Wersabe contra Iohan Perlin, die 6. Martii Anno 1655.*

1. *Quod vide prolixius expositum part. 1. decis. fin.*

2. *Sic habet communis Doctorum sententia, quæ in praxin venit, vid. Scacc. de Appellat. quæst. 17. limit. 10. num. 22.*

3. Quemadmodū in primâ instantiâ nisi exceptiones sunt in continenti liquidabiles, non sistitur executio, sed post eam ad processum ordinarium remittuntur, *Coler. dict. tract. part. 4. c. 1. n. 45. Rauchbar. part.*

Digitized by Google

part. 2. quæst. 25. num. 120. ita nec aliter in secundâ fieri debet. Quæ causam recipit in eo quo est stans, nec conditionem aut jura istius immutat; *l. item domum. 56. Bartol. C. de Procurat.*

4. Sic servatur in extrajudicialibus, *Gail. 1. Observ. 144. num. 8.* quorum specie censetur id quod tantum in executione versatur.

5. Ita habet praxis allegatæ constitutionis, quod si exceptio justa & statim liquida non opponitur, statim creditor immittitur, bonis fruitur, donec in foro cassandæ, uti vocant, aliud super exceptione, cujus discussi ad illud remittitur, pronunciatur.

6. In appellationis judicio de jure immissionis principaliter, incidenter tantum de jure creditur agitur.

DECISIO LXXXIX

Attentatum non est ignoratâ appellatione, ideo de eo conquerens notitiam probare debet.

QUoad effectum appellationis, devolutivum quidem intimatio appellationis non requiritur: (1) Qua suspensivum tamen & attentatorum revocationem necessaria est. (2) Nec enim hâc quidquam faciens, seu judex à quo seu pars, dum ignorat contemnere judicem intelligitur, (3) aut ei quidquam imputari potest. Agens itaque super attentato ubi judex aut pars dicit ignoratam appellationem, notitiam tanquam necessariam antecedens probare tenetur. (4) Sicut revocationem petenti fuit injunctum *in causa Everd von Ahnen Erben, contra Steffen von Ahnen Erben, die 17. Martii Anno 1655.*

1. *Franch. in c. bona num. 42. de Appellat.*

2. *Marath. in spec. part. 3. princip. quæst. 7. num. 391. Mynsing. 4. Observ. 44.*

3. Ignorantia excusat à delicto. *In terminis attentatorum sic tradit Scaccia in tr. de appel. ut. quæst. 6. num. 32. versic. confirmatur hæc opinio.*

4. Facti alieni ignorantia præsumitur *l. pen. ff. de jur. & fact. ignor.* ideo scientiam allegans tenetur probare.

DECISIO XC.

Pro attentato non est necessaria intimatio appellationis, sed qualis sufficit notitia.

ETsi præstet ad impediendum attentata, aut si fiunt, eò citius revocationem impetrandum appellationem judici aut parti intimari, (1) tamen non ideo quod intimatio omissa fuit, cessat de attentatis actio, sed ad hanc sufficit judici aut parti alias cognitam fuisse appellationem, (2) Quæ cognita ex eo obstringit ut nihil in contemptum superioris judicii aut incommodum appellatis fiat, (3) tam certus ultra certiorari non debet. (4) Quare non satis est ad excludendam implorationem super attentatis dicere non factâ intimationem, (5) sed non habitam appellationis notitiam & hâc negatâ implorans opus non habet intimationem probare, sed tantum notitiam. (6) *Sic judicatum in eadem causa.*

1. Vigilantes partes & Advocati solent maturè curare, ut intimetur appellatio, ut ab omni præjudicio & incommodo eò magis sint securi.

2. Qualitercunque cognita fuerit appellatio satis est ad hoc ut attentatum dicatur. *Lancellot. in tract. de attentat. part. 2. cap. 12. ampliat. 15. num. 30. & seq.*

3. Attentati vitium est in contemptu judicis, iste in notitia quali quali appellationis. *Franch. in c. ult. n. 42. X. de appellat.* Ex qua obligatur ad omittendam omnem appellatione interposita innovationem, *l. 1. ff. nihil in nov. appell. interpos.*

4. *l. 1. §. ff. de act. empt.*

5. Non requirit commune jus ad revocationem attentatorum intimationis necessitatem: *Franch. in c. ult. num. 41. & seq. de appellat.* Alias illa devolvitur & effectum habet appellatio, *Lancellot. de attentat part. 2. cap. 12. ampli. 15. pr. num. 12. & 21.*

6. Hæc non præsumitur non factâ intimatione, ideo probatione eget, *vid. decis. præced.*

DECISIO XCI.

In appellatione ob objectam reconventionem aut pro eâ cautionem recipiendam non spectatur quantitas, sed tantum reconveniendi causa.

DUbio caret ob rejectam reconventionem esse locum appellationi. (1) Similiter si petitio cautionis pro reconventione fuerit rejecta. (2) At id perinde nõ patuit, an si quantitas reconventionis non esset ea, ob quam alius appellare potest, appellatio sit rejicienda? Itum vero est in eam sententiam, etsi summa quæ in reconventionem veniet, non sit appellabilis, nihilominus si ultrà eam rei interest à conventione non excludi, appellationem esse admittendam, Quandoquidem non ita simpliciter ea quantitas, sed simul quod accedit damnum aliud, circa eam considerandum est. (3) Quale non modicum est, si quis à commodo reconventionis excluditur. (4) In hoc ipso majus potest esse incommodum, quàm in ipsâ lite. Est causa illa etiam appellabilis, quæ excludit à communibus beneficiis juris (5) Nec spectamus in eo quantitatem sed iniquitatem privationis. Hoc vero circa exclusionem reconventionis opus est, ut pro gravamine docendo allegetur causæ jus ut appareat fundata, (6) cum alias non reputari quis possit gravatus, ideo nec appellationis admissionem mereri. Quæ considerata sunt *in causa Obrist. Leut. Iohann Lixfelden contra Dieterich Osnabruggen Frau, die 20 Mart. Anno 1655.*

1. Non

Digitized by Google

1. Non leve gravamen est communis juris beneficio privari, quod est concessum in reconventione, *l. si idem cum* §. 1. *ff. jurisd. omn. jud. l. cum Papinianus* 14. *C. de Sent. & inter l. omn. jud.*

2. Cum reconventi futura sit elusoria nisi præstitâ cautione coram judice alias non competente se non sistendi, usus judiciorum hanc recepit & necessariam fecit.

3. *Gail.* 1. *Observ.* 123 *num.* 6.

4. *Imp. Novell.* 96. *cap.* 2. *in pr. dicit, risibile & miserandum quiddam hoc esse, unde immortalia litigia.*

5. *In terminis ita loquitur l.* 1. *C. rer. amot. in genere de privationibus juris ita loquitur Paul de Castr. in l.* 1. *ff. de* Appellat.

6. Non est admittenda reconventio, aut pro ea super cautione statuendum nisi justa ejus ratio apparet. *uti provisum specialim in Ordinat. Summi Tribun. part.* 2. *tit.* 13. §. 6.

DECISIO XCII.

A citatione ad locum non tutum, ut & propter causam injustam appellationi locus est.

A Citatione interpositę appellationis receptio dubitationem habuit, quod ab ista appellationi regulariter locus non est.(1) ideo si ab ea appelletur, accedere oportet rationem satis gravem, quæ istam mereatur, nempe gravamen interat. (2) Occurrebant autem ita ab appellante allegata, ob quæ recipiendam esse putabat eaque legitima & merito attendenda. Primum erat, quod citatus fuisset ad locum quem non tutum dicebat; (3) tum quia judicem valde offensum & iniquum sensisset, (4) tum quia arresto ut querebatur Injusto detentus inde abierat, ideo sine periculo maximo redire non poterat. (5) Alterum quod violati arresti causa citatus maximis contumeliis in citationis tenore se affectum querebatur, ideo cum esset vir in dignitate constitutus, Comes Palatinus, eques auratus se sine magno honoris & famæ præjudicio ad talẽ vocationem comparere non posse prætendebat. (6) Tertium fuit in exemptione ab eo judicio ad quod vocabatur. (7) Sufficientes visæ sunt causæ singulæ si narrata veritati consonarent, ut appellatio reciperetur; At processus decernere dilatum fuit, donec per scriptum exploraretur causæ status & citationis ratio, ne receptioni in tali causa quæ nisi in certis casibus appellabilis non esset, (criminalis enim ut & injustè violati arresti videbatur) justitiæ impedimentum & liti præjudicium inferretur. (8) *In causa Advocati Fisci Ducatus Bremensis, contra D. Daniel Miethofen. Die* 10. *Aprilis Anno* 1655.

1. *Bartol. in lib.* 2. *numero* 12. *ff. de appellat. recip.*

2. *Ruginell. in tract. de appellat.* §. 2. *cap.* 3. *num.* 184. *& seq.*

3. Ideo non tantum exceptio loci non tuti opponitur, *de qua plura vid. ap. Zanger de Except. part.* 2 *cap.* 2. sed etiam ad superiorem appellatur, *Bartol. in d. l.* 2. *num.* 12. *Guid. Pap. de Appellat. quæst.* 79. *num.* 52. ut ut exceptio illa opposita non fuerit. *c. ex parte* 47. *ib. Franch. numero* 18. *X. de Appellat.*

4. Inimicitia cum judice locum non tutum arguendi causa eo magis habenda, quod vel ea cum aliis ibidem existens ro eo habetur, *c. cum R. Canonibus ib. Dd. de offic. delegat. Tib. Decian. consil.* 18. *num.* 105. *vol.* 1.

5. Injuriam vel pœnam metuens causam habet locum ut non tutum arguendi, *Zanger. dict. cap* 5. *num.* 5. etiam si ex culpa vel merito suo locus non tutus factus sit, *Franch. in d. c. ex parte num.* 20. *in fin. & n.* 21. *de appellat.*

6. A citatione complectente aliquid injustum vel inhonestum appellationi locus relinquitur. *Innocent. in cap.* 2. *n.* 3. *de Dilat.*

7. Exemptio facit judicium incompetens, ideo citationem nullam, in ea vero cum citatur non citandus, appellatio locum habet. *Guid. Papæ dict. tract. quæst.* 49. *num.* 39. *Tholosan. in tr. de Appellat. lib.* 1. *cap.* 11 *num.* 2.

8. In causis regulariter non appellabilibus, ubi dubitatio suboritur de eo, quod facit appellabiles, non decurrendum est statim ad decretum processuum, sed prius rescripto mediante explorandæ sunt circumstantiæ, *uti Recessus Imperii Ratisbonensis de Anno* 1654. *hoc compendium præscribit.*

DECISIO XCIII.

Judicem decet accurate discernere & observare, an nondum lapsa sint fatalia, na post lapsum restitutione in integrum opus sit.

NOn tantum frequens Advocatorum error est, ut promiscuè restitutionem petant, seu appellationum lapsa sint fatalia seu non; sed etiam judicum, dum id discrimen non satis accurratè observant, in quo tamẽ non modò magna diversitas est, (1) sed etiam multum refert, quando nondum labentibus fatalibus semper integrum est appellationem prosequi, (2) & tantum opus causam quare lapsa non sint, allegare. (3) Restitutio autem prolixiorem & peculiarem processum ideo longiores moras requirit. In priori specie omnia illæsa habent. In posteriore post vulneratam causam remedium quæritur. (5) Etsi ideoque impetitè restitutio imploretur, attamen ubi non necessaria est, ea planè præterita veluti durantibus fatalibus recipienda est appellatio, *uti pronunciatum in causa Dieterich Garlieb, contra die Neukirchische Erben. Die* 15. *Maii Anno* 1655.

1. Multum refert & observare monemur *in l* 2. *C. in quib. caus. in integr.* an redintegratio admissæ cau-

Digitized by Google

sx dicitur, an integra causa servetur, cum nondum lapsa sunt fatalia, appellans ipso jure securus est, ideo non eget restitutione in integrum. At iis lapsis ob causam ad hanc demum devenitur.

2. Fatalia quibus sunt integra semper admittuntur tanquam tempore nondum exclusi. *l. fin. §. 1. C. de Tempor. appellat.*

3. Tempus quo fatalia continentur, continuum est, ideo lapsum præsumitur, nisi quod lapsum fuisse, docetur, *l. 1. ib. Bart. ff. quis ord. bon. poss.*

4. *l. omnes 3. ff. de integr. restit.*

5. Restitutio non servat integra, sed læsa reducit in priorem statum, *l. 1. Cod. de sent. pass. & restit.*

6. Præstat intacta jura servare quam post vulneratam causam remedium adhibere, *l. fin. C. in quib. caus. restit. in integrum.*

7. Sententia hæc publicabatur:

In Sachen Dieterich Garlieben Appellanten / contra die Gebrüdere der Owstine / sel. Neukirchen Erben / Appellaten in puncto debiti, wird das Sachen pro restitutione in integrum nicht angenommen / sonst aber auff sein Vorbringen erkannt / daß / im Fall implorant mittelst cörperlichen Eydes erhalten könte / er keine andere Mittel die acta abzulösen und die Sache fortzusetzen gehabt oder gewust / denn die arrestirte Gelder / alsdann der Prorogation fatalium halber ergehen solle / was sich gebühret.

(Hoc est)

In causâ Dietheri Garlieben appellantis contra fratres Owstine hæredes Neukirchen in puncto debiti cautam pro restitutione in integrum non recipimus, alias verò ad illius allegata decernimus, casu quo imploran s mediante corporali juramento obtinere potest, quod nulla alia media ad actorum redemptionem & causæ prosecutionem habuerit, vel sciverit, quam arrestatas pecunias, tunc ratione prorogationis fatalium fieri debere quod convenit.

DECISIO XCIV.

Destituto prosequendi mediis etsi non plane pauperi fatalia non currunt.

PAuperi appellationum fatalia non currunt, (1) velut per sumptuum necessariorum defectum prosequi non valenti. (2) Eadem ratio ejus, qui quidem juxta vulgarem definitionem pauper non est, ita ut nihil vel parum in bonis habeat, iis tamen mediis destituitur, quæ prosecutio requirit, dum ex facultatibus per temporum calamitates vel habentium injuriam necessitates cogere nequit. Eum Jurisprudentia pauperis loco habet, (3) & rationis similitudo quâ appellationis fatalia eodem jure potiri postulat. (4) Saltem requiritur, ut defectus necessitatum probetur, quod juramento fieri potest. (5) Hoc restitutionem in integrum ex isto petenti injunctum fuit *in causa Dieterici Garlieb, contra Hæredes Neukirchen, Die 15. Maij Anno 1655.*

1. *Vid. Gail. 1. observ. 142. num. 1. & seq.*

2. Non valenti agere non currunt tempora præfixa, *l. 1. & 2. C. de Annal. except.*

3. Pauperis variæ sunt definitiones & multi probandi modi, *de quib. Mascard. de Probat. concl. 1159 per tot. Menoch. de A. l. 4. l. 2. cas. 65. per tot.* Pro personarum & causarum qualitate diversimode censetur. Non potest autem non haberi pauper qui non sufficit ei rei quæ ab ipso exigitur.

4. Similis ratio simile jus facit.

5. Juramentum inter modos paupertatem probandi refertur, *Gail. 1. observ. 142. num. 6. in fin.*

DECISIO XCV.

Ob non factam in primo termino actorum productionem appellatio non fit deserta.

ARguebatur appellatio deserta, quod acta prioris instantiæ in primo termino non erant producta. Etsi vero id geri debuit, haud tamen statim, quia non factum, pœna desertionis irrogari, quando sic nulla lex constituit. (1) Jure communi introducendæ, prosequendæ & finiendæ appellationi annus, & si causa adsit, biennium præfinitur. (2) A quo etsi statutum vel ordinatio discesserit, & aliud ejus tempus statuerit, tamen non ob quodvis omissum, & quidem ob non exhibita statim acta fit deserta appellatio, nisi ea isti dicta sit pœna, sedsi plane nihil pro introducendâ appellatione intra terminum illum fit. (3) Ubi lex desertionem non irrogat, appellatio pro deserta in dubio non habenda. (4) *In causa der Eingesessenen des Landes Kehdingen, Freyburgischen Theils, contra die Eingesessenen desselben Landes Guz Fletischen Theils. Die 12. Junii Anno 1655.*

1. Est pœna desertionis pœna privationis juris cui non est locus nisi ubi lex constituit, *l. aliud fraud 131. §. 1. l. si qua pœna 244. ff. de V. S. Petr. Cabell. resolut. Crimen. cent. 1. caus. 1. per tot.*

2. *l. 2. Auth. Siqui appellat C. de Tempor. appellat.*

3. *Vid. Klock. cons. 88. num. 22. & seq. vol. 3. ubi in terminis ita consulit & probat.*

4. *Gail. 1. Observ. 81. num 11. Tiraquell. in tract. de mort. sui sit levif. art. 6. de clar. 6. num. 10. in fin.*

DECISIO XCVI.

Nisi evidens est appellationis desertio, pro hac non pronunciatur, nec aliter quam actis editis.

ESt quidem contra appellantem ob non introductam intra fatalia appellationem exceptioni desertionis locus, etiam antequam acta prioris instantiæ eduntur, (1) at non

Digitized by Google

non fit ob eam causæ ad judicem priorem remissio, nisi ubi desertam esse manifestè constat, (2) alias non deserta præsumitur (3) & in processu pergitur; (4) Quocirca non obstante, quod tam judex à quo quam appellatus dicebat desertam appellationem, ideo illeacta edere negabat, hic causam remitti petebat, cum non appareret desertio, sed de ea dubitatio suberat, arctiores compulsoriales decretæ sunt. Nec inter dubia licuit sine actis de desertione statuere, (5) ideo necessarium est ea prius requirere, & post illa recepta pronunciationem super desertione seponere. *Uti factum in causa Cluver, contra Cluver. Die 3. Julii Anno 1655.*

1. Per quam hoc impetratur, ut non exspectatâ editione actorum prioris instantiæ statim super istâ pronuncietur, & cum apparet causa, ad prius judicium redeat.

2. In dubio pro non derelictâ appellatione pronunciatur. *l. 1. ib. Castrens. & Iason. num. 17. ff. si quis caution. Vant. in tract. de nullitat. tit. Quib. mod. null. reper. num. 128.*

3. *Mascard. de Probat. conclus. 117. num. 1. & seq.*

4. Ad lites abbreviandas ac processus compendia pertinet, ut dum de exceptione non desertæ nec devolutæ appellationis agitur, non eo minus etiam cætera ad causam facienda in eventum si illa non rejicietur, agantur.

5. Sententia super desertione est definitiva. *vid. Gail. l. obser. 138. num. 3.* ideo sine causæ cognitione invalida & nulla *l. prolatam C. de Sentent. & interloc.* Hæc vero sine actis inepta.

6. Cui consequens, injunctam esse sub obtentu desertionis nondum liquidæ actorum editionem denegare aut remorari.

DECISIO XCVII.

Ad appellationis à Tribunali Regio exclusionem non sufficit ad Cameram in eo genere causarum non fuisse appellatum, si alias id appellabile est.

APpellationi interpositæ deferre judex inferior ideo negabat, quod nunquam in eo genere causarum (erat autem matrimonialis causa de qua agebatur) ad Cameram appellatum fuisset, quin imo recessibus provincialibus insertum, ut illuc non provocaretur. Non sufficiens hoc argumentum putabatur ad appellationem excludendam, ideo nec probabilis causa ad fundandum apostolos refutatorios. (1) Multum interest, utrum ideo non appellatum fuit, quod causa de jure communi vel speciali plane non sit appellabilis, an cum esset appellabilis, saltem ex causa cameram concernente illuc appellatio interponi non potuit. In hac specie, ubi de jure non appellatio prohibita vel exclusa est, sed ob judicii condicionem tantum illuc appellari nequit, ex hac mutata sit appellationi locus. Sub certo respectu impedita cum illo sublato fiunt libera. (2) Quare cum in matrimonialibus appellationes Camera non recipiat, ex religiosis principiis, quæ illa adhuc sequitur, hæc vero in summo Tribunali Regio cessent, (3) diversa ratio facit diversum jus, nec quod ista impedierunt, in hoc ubi ea longe alia sunt impeditum sinunt, quia iis non obstantibus jus in talibus causis dici potest, utique etiam debet. (4) Multo magis superioribus fas constituere, ut talibus appellationibus locus relinquatur. (5) Non attentis itaque refutatoriis ut nonfundatis recepta fuit appellatio, die 10. Julii Anno 1655.

1. Argumentum negativum circa appellationem à Camera ad Tribunal Regium non potest vim habere, ubi in Camera speciali aliqua ratione sit, ut appellationem non recipiat. Sicut fundata in pluribus non est jurisdictio, vel ob religionis in Germania statum, vel per Imperii formam, vel per statuum Imperii privilegiatas instantias. Ex quibus observantia juris specialis ad Tribunal Regium nihil pertinet, ideo ut æque ibidem non recipiatur, appellatio recipere non potest.

2. *l. 1. §. fin. ff. ubi pupill. educ. l. fidei commiss. 11. §. interdum 20. ff. de legat. 3.*

3. *De hac diversitate & inde diverso jure plura scripta sunt in decis. 365. part. 2.*

4. Sic lex summi Tribunalis fundamentalis habet universalem sine exceptione ejus jurisdictionem eamque necessariam faciens.

5. *Hoc factum per ordinationem part. 2. tit. 1. §. 15.*

DECISIO XCVIII.

Sententia transactionem interpretans appellabilis est.

ET si judex non facilè nec nisi magnis ex rationibus contra transactionem, quæ rei judicatæ instar habet, appellationem admittere debet, (1) minimè tamen illius autoritas eum sic obstringit, ubi ipsius sensus nondum certus sed res dubia est. (2) Et sententia interpretationem facit, quam appellatio impugnare & ipsi non congruam ostendere intendit. Sic enim etiamsi à re judicatâ non appelletur, tamen appellationi locus fit, ubi judex eam interpretatur & declarat. (3) Similiter à lege appellare prohibitum, non vero à sententia ejus interpretativâ. (4) Quando autem plura appellantes allegabant transactioni contraria & ex malâ interpretatione subsumpta, existimatum est sub obtentu transactionis minimè appellationem esse rejiciendam, *in causa Consulis & Consilii Civitatis Antiquæ Stetinensis, contra Consilium Regium & possessores adium exemptarum. Die 7. Septembris. Anno 1655.*

Digitized by Google

1. l. non minorem 20. C. de Transact.

2. Quod dubium est nondum adhuc esse intelligitur, ideoque nec in iis quæ dubium sensum habent rei potest poni fundamentum. *l. Titia ff. de leg. at. 1. l. Duo sunt ff. de Testam. Inst. l. cum ex pluribus ff. de Manumiss. Testam.*

3. *P. Greg. Tholosan. in tr. de Appell. lib. 2. cap 22. num. 2.*

4. *Rebuff. in l. quod jussit in præfat. num. 171. ff. de re judic. Ruginel. in tract. de Appellat. lib. 2. cap. 43. num. 507.*

DECISIO XCIX.

Appellabilis summa censenda est ex eo, quod primum in judicium fuit deductum.

CUm initio ultra trecentos imperiales à reis petitum esset, postea unus illorum suam partem obtulit, eâque solutâ reliquum tantum non erat quantum summam appellabilem facit. Inde exceptio non devolutæ appellationis opponebatur, rejecta vero est inspecto quod initio in judicium deductum erat. Uti hoc inspiciendum fuit. (1) *In causa des Canzlers Detlof Raventellowen, contra Friz Backen & consortes. Die 17. Octobris Anno 1655.*

1. Quo ad jurisdictionem fundandam non quantum debetur aut ad judicatum fuit sed quantũ ab initio petitur attenditur. *Mynsing. 5. Observat. 83. num. 3.*

DECISIO C.

Provisionale decretum sine omni causæ cognitione datum, ut & quatenus excedit provisionis limites appellatione suspenditur.

ESt quidem ea magistratuum atque judicum omnium potestas pendente lite interim per decreta vel sententias de necessitate providere & personis rebusque ut expedit consulere. (1) At non promiscuè nec ex mero arbitrio: (2) Primò oporret fieri ex necessaria atque justa causa ad præveniendam aliquam insignem iniquitatem vel incommoda graviora. (3) Deinde nec præcipitari debet decretum planè inaudito eo cujus maximè interest aut sine ulla causæ cognitione. (4) Habet enim incommodi atque præjudicii aliquid tale decretum, ut æquùm sit audiri ad quos ea res pertinet & causâ summariè cognita statui: (5) Tertiò intra illos terminos decretum consistere oportet, ut interim donec causa super qua contenditur definitiva sententia finietur provisum sit in iis, ubi prospicere æquum vel necessarium, de cætero omnia sint integra & in eventum litis parti alteri illæsa. Nihil verò provisionali sententia est ex principali causa definiendum, sed omnia litis de cætero partibus integra relinquenda sunt. (6) Ubi decretum hos limites excesserit non provisionalis sed definitiva erit prolocutio, ut non minus quam ab hoc appellare licitum sit. In præsenti quæ sub manibus erat specie, quod præferebatur decretum provisionale, eam quidem concernebat causam quæ tale meretur nempe collationem pro defensione publica, (7) adeoq; pro reipublic. usibus. (8) At nõ reperiebatur causa satis gravis cur fieret, cum magis pro exemptione multorum statueret, quàm ut per eos publicis usibus subsidia porrigerent. Pro hoc contra decretum appellantes publicam causam agendi contendebant, (9) deinde querela erat nihil causæ cognitionis processisse. Accedebat multiplex definitio earum controversiarũ, quæ nondum eventilatæ erant. Repertum inde, quod decreto inditum erat nomen providentiæ non remorari debere appellationis receptionem ubi excessus deprehendebatur, *ad Supplicationem Burgemeister und Rath der Stadt Alten Stetin, contra die Freyhäuser. Die 11. Octobris. Anno 1655.*

1. *in l. cum amplius §. quoties ff. de R. J.* Exempla ejus in jure Romano exstant plura. *vid. l. si non dedit ff. de Lib. alend. l. si institutæ §. de inofficioso ff. de Inoff. Testament. l. ait Prætor, §. in causa ff. de jur. deliber.*

2. Finem certum habet ea provisio, ideò & legem ex illo, qui causam requirit justam & necessariam. *Rebuff. in tract. de Sentent. Provision. in præfat. num 22.*

3. *d. l. ait prætor §. in causa ff. de jur. delib.*

4. Summaria, licet sufficit tamen aliqua necessaria est. *Rebuff. dict. tract. art. 1 glos. 6. in fin.*

5. *l. de unoquoque 47. ff. de Ré judic.*

6. Nam ideo dicitur provisionale remedium, quod ad tempus & donec res incerta est provideat, ideo & liti sine præjudicio esse debet.

7. *Rebuff. dict. tract. in præfat. n. 134.*

8. *Rebuff. dict. tract. in Præfat. n. 87. arg. l. fin. C. in quib. caus. restit. integr. l. 1. C. quand.*

9. *Rebuff. dict. Præfat. n. 135. per l. de pupillo §. si qua 2. ff. de Nov. oper. nunc.*

DECISIO CI.

Quod post appellationem pro intentione appellantis fit à judice à quo, nisi illo consentiente nihilominus pro attentato est.

CUm ideo appellatum esset quod adjudicatio non prævia æstimatione processerat, judex à quo ad hanc faciendam decrevit, nempe injungens ut debitor reditus bonorũ exprimeret, quo inde ad æstimationem justam procedi posset: appellans autem

Digitized by Google

autem super attentato querelam movit, quæsitum an recte? Dubitandi causa fuit, tum quod id factum erat ad faciliorem exitum appellationis, (1) tum quia tendebat decretum ad idem quod appellans intendebat, ideo in favorem ipsius: (2) tum quod cum appellatus id in quo appellans se gravatum putat impetraret, appellatio desinere ac superflua videatur. (3) Verum iis non attentis existimatum est, non eo minus factum tale judicis à quo pendente appellatione pro attentato habendum juxta generale axioma quod nihil innovandum sit. (4) Appellatio enim plane suspendit, imo extinguit jurisdictionem judicis à quo & manus illius ligat. (5) Ideo nihil circa causam ad aliud judicium jam devolutam potest, nisi in iis casibus, qui à regula ista sunt excepti. Inter quos non est ea, in qua versamur, species. (6) Non aliter in faciliorem exitum appellationis quidquam decernere integrum est, nisi ex consensu appellantis. (7) & appellationis judicio non perturbato nec assumptis his quæ causam ejusque cognitionem concernunt, ad superius judicium saltem pertinent in quibus nec pro appellante aut in istius favorem quidquam est innovandum. [8] Quandoquidem judici à quo nihil potestatis etiam in eo reliquum est. Etsi etiamsi valeat ex consensu appellati tollere gravamen ideo appellandi causam, haud tamen aliter de eo suum imposterum est judicium, quam si nondum causa ad superiorem est devoluta. (9) Postea in appellantis arbitrio est an velit ad ipsum redire (10) quod recusanti justa ratio adest, (11) Juxta hæc decretum, *in causa Niclaus Demels, contra Daniel Beckern. Die 26. Octob. Anno 1655.*

1. Attentata non putantur quæ tendunt in faciliorem exitum appellationis *Duen. in regul. 42. limit. 17. Lancel. de Attentat part. 2. c. 12. limit. 4. n. 1.*

2. Innovatio in favorem appellationis fama, pro attentato vulgo non habetur. *Maranth. in Specul. part. 6. princip. part. 3. q. 2. n. 181. Berol Consil. 116. num. 4. lib. 3*

3. Judex à quo pendente appellatione potest revocare gravamen ab ipsomet illarum. *Franc. in c. cum cessante n. 14. & n. 16. X. de Appellat.*

4. *juxta l. un. ff. nih. innov. deb.*

5. *l. 1. §. 4. ff. ad SC. Turpil.* suspenso iurisdictionis est causa attentatorum revocationis. *Lancellot. dict. c. 12 inprafat. n. 14.*

6. Sunt quidem plures causæ casusque in quibus attentata non habentur quæ post interpositam appellationem fiunt. *uti Duenas & Maranth. dict. locis & Lancellot. in d. c. 12. per multas limitationes explicat.* At inter istos nunquam ille relatus est ut postquam semel cœptum est coram superiori judice judicium inferior semet intromittere possit. Nam & *l. ubi 30. ff. de judiciis* in secunda instantia valet.

7. Sic limitata potestas judicis à quo circa tendentia ad faciliorem appellationis exitum *vid. Lancellot. dict. c. 12. limit. 4. n. 27.*

8. *Franc. in c. cum teneantur in pr. de Appellat.*

9. Contra appellationem nequidem pro appellante quidquam innovandum est. *Lancellot. dict. c. 12. limit. 16. n. 6.*

10. Etsi expresse renunciatum sit appellationi, attentatorum tamen revocationi locus est. *Lancellot. dict. c. 12. ampliat. 3. n. 1. & seq.*

11. Tum ex judicio jam alibi cœpto, tum quia cogi nequit ut redeat ad judicem à quo, tum quod semel gravans postea etiam gravare velle præsumitur.

DECISIO CII.

Appellatio post elapsum ejus introducendæ tempus non audito prius appellante potest declarari deserta.

SEu jure communi (1) seu ordinatione vel consuetudine judicii certum appellationi introducendæ tempus præfinitum sit, post ejus lapsum appellans non amplius audiendus est, (2) nisi contra ipsum petat restitutionem in integrum (3) aut ante istum de diligentia sua protestatus sit & docuerit, (4) alias adversæ parti jus aliquod quæsitum est idque ex lege notorium. (5) Ut vero tempus ipsum lege præfixum interpellat (6) sic alia interpellatione opus non est, sed quia contra legem peccat, sibi imputare debet, nec conqueri potest negligens. (7) Non opus itaque est citatione ad præstandum, quod pars debet ex jussu legis facere sed si omisit observare fatalia justa est declaratio desertionis cum remissione causæ ad judicem priorem, (8) cum nihil ex actis appareat, quæ negligentem excusare queat.

1. Ex hoc omnium spacium sed in diversis terminis reperitur indultum in *l. 2. C. de Tempor. & repar. appellat.*

2. *l. nemo 3. C. de temp. & repar. appellat.*

3. *v. Gail. 1. Observ. 134. per tot.*

4. Eam communem de diligentia protestandi practicam *refert. Gail. 1. Observ. 141. num. 9.*

5. Non dubius sed omnibus notus est dies fatalis. *d. l. 32. C. de Tempor & repar. appell.*

6. *l. magnam. 4 C. de Contrah. stip.*

7. Omnibus incumbit vigilans diligentia, quo provocationes eorum intra statuta tempora introducantur. *d. l. nemo 3. C. de Temp. & repar. app.*

8. *Talem Camera Imperialis Practicam refert Gail 1, Observ. 141. num. 8.*

DECISIO CIII.

Inhibitio sine appellatione facta judicem non impedit quin justitiam administrare pergat, nisi ubi ab ista appellatum fuit.

CUm appellatur & ideo inhibitio impetratur, judex à quo non minus quam pars ipsa ab omni ulteriori processu abstinere debet. Quod si non fecerit attentati &

Digitized by Google

pœnæ in processibus comprehensæ aut alterius arbitrariæ reus fit. At ubi sine prævia appellatione inhibitio processerat, non perinde inducitur ad desistendum obligatio, (1) ideo nec simpliciter attentatum est in eo, quod contra illam factum fuit. (2) Præsertim vero judex non prohibetur in ea causa, in qua inhibitio processit administrationem justitiæ continuare, (3) aut alia quæ justa sunt decernere. Maxime si appellavit ab inhibitione ad superiorem liberæ ipsi manus sunt. Ut enim judicis à quo manus appellatio ligat, (4) ita appellantis liberæ sunt. (5) Cui suspensa per appellationem inhibitione omnia sunt integra, ut ante illam fuerunt, nisi talis causa sit, ubi acquiescere etiam appellans debet (6) at cum non reperiretur casus inter talia nec desistendi ratio, denegatum est mandatum de non attentando *ad supplicationem Johan Künen, contra Senatum Anclamensem. Die 10. November Anno 1655.*

1. Inhibitio extra appellationem sine causæ cognitione regulariter est nulla & injusta *Lancellot. de Attentat. part. 2 cap. 20 num. 119 & 123*

2. Ubi inhibitio non est justa non facit attentata. *Lancellot. d. cap. 30. limit. 7. num. 1.*

3. Inhibitio non impedit ea quæ sunt juris sed tantum quæ facti seu de facto fiunt *per l. fin. ff. quod quisque jur. Oldrad. consil. 136.*

4. *l. 1. §. 2. ff. ad SC. Turpilian.*

5. Unde non attentat qui continuat *Lancellot. in dict. tract. part. 2. cap. 2. num. 1.*

6. Quod fit in omnibus causis atque casibus ubi appellatio habet tantum effectum devolutivum non suspensivum.

DECISIO CIV.

Cautio judicatum solvi in priori instantia præstita liberat à cautione ob appellationem præstanda.

INter solennia appellationum quæ cautio necessaria est, nec aliter exigenda vel imponenda erit quam si necessaria. (1) Quod cessat ubi ab eo qui appellat antea cautio judicatum solvi præstita est. (2) Illa quippe non modo idem sed multo amplius præstat, atque ea solennis post appellationem cautio. (3) Quocirca cum appellans se exactione alterius cautionis gravari querebatur, impetravit rescriptum pro illa remittenda *in causa Otto Volckmars, contra Adrian Velinx Erben. Die 10. Novemb. Anno 1655.*

1. *l. hac stipulatio §. divus ff. ut legat vel fidei commiss. serv. caus.*

2. Ubi cautum amplius cavere juste detrectatur *l. non cogendum 45. ff. de Procuratorib.*

3. Hæc cautio comprehendit omne quod in condemnationem venerit. *pr. inst. de satisdat. ib. Mynsing. & Schneidewin.*

DECISIO CV.

Appellanti super actis prioris instantiæ ad sententiam statim submittere integrum, qui hujus submissionis effectus, qui processus est?

POst impetratos processus & edita acta appellanti liberum est utrum ad illa statim submittere, an vero super libello & in eo comprehensis gravaminibus pronunciari velit (1) prius expeditius est & ad litem abbreviandam tendit. Post illam vero submissionem in judicando nihil ultra attenditur quam quod est in prioribus actis. (2) Etsi itaque appellans libellum appellationis pro impetrandis processibus, uti apud nos moris est obtulerit, istius nulla habetur ratio, sed ab actis tanquam illorum pars non facta removetur vel seponitur, ideo nec adversæ parti copia conceditur, (3) Quare in eo non levis differentia est, quam advocati atque procuratores raro observant, ideo his phrasibus promiscue utuntur, utrum super actis prioribus an super libello submittatur. (4) Illo facto quod iis convenit seu ex iis justum est tantum quæritur, & in pronuntiationem venit, priorem sententiam aut confirmando aut corrigendo. (5) Ubi vero super libello submittitur, tunc non tantum acta priora considerantur, prout gravamina quæ comprehendit relevantia sunt nec ne. (6) Hæc considerata & observata sunt *in causa Jochim Behren Söhne, contra Julius Paul von Schmazhagen. Die 7. Decembr. Anno 1655.*

1 Quocunq; modo ut velit & poterit appellanti permittendum appellationem persequi. *l. 3. §. ff. de appell.* Nec iniquius quam illum invitum velle astringere ut, diutius litiget aut ulteriora deducat. *l. un. C. ut nem. invit. ag.*

2. *Vid Gail. 1. Observ. 128. n. 4. & seq. ubi meo singularem cautelam pro appellantibus tradit.*

3. Quod ultra acta priora est, ubi tantum de pronunciationis jure vel injuria judicandum, extra litis acta habetur. *Fab. in Cod. l. 6. tit. 26. defin. 15.*

4. *Gail. d. Observ. 128. n. 5.*

5. *Faber. d. tit. 26. defin. 15.*

6. *De quo processu quædam in decisionibus anni interioris reperies.*

DECISIO CVI.

In secunda instantia novæ exceptiones proponi possunt, quæ in prima fuerunt omissæ.

CUm qui in prima instantia contra petitionem impensæ opposuerat exceptionem pacti conventi de non petendo, in secunda opponebat istam donandi animo factam,

Digitized by Google

factam, dubitatio exoriebatur, utrum nova hæc exceptio admittenda esset? Visum autem id convenire beneficio appellantibus concesso ut non deducta deducant, (1) ad quod pertinet allegatio alterius nondum propositæ exceptionis. (2) Sicut in prima instantia illa admittitur usque dum in causa concluditur, etsi statim post litis contestationem proposita non fuerit, (3) ita nec in secunda id prohibendum, cum appellatio causam reducat ad illum statum in quo lite jam contestata erat. (4) Saltem novæ excipiuntur, (5) nempe quæ ad actionem institutam plane non pertinent vel illam non infirmant, (6) cujusmodi non est illa de qua dictum. Cui etsi rei judicatæ exceptio, quia in judicium nondum venit, obstare non possit, (7) locus tamen est, quia actioni eidem obsistit, quæ magis quam sententiæ tenor respici debet. (8) *Uti judicatum in causa Margretâ Roden, contra Martin Bremern, die 7. Decemb. Anno 1655.*

1. *De quo vid. l. 20 qui §. 1. C. de Appellat. l. per hanc C. de Tempor. Appellat. c. fraternitatis X. de Testib. c. cum Iohannes X. d. Fid. instrum.*

2. *Bartol. Cyn. Bald. & alii in d. l. per hanc C. de Tempor. appellat.*

3. *l. 2. C. sentent. rescind. non poss. Gail. 1. Observ. 74. num. 13. Zanger. in tr. de Except. part. 3. c. 26. num. 52.*

4. *Decius in l. editâ n. 59. C. de Edend.*

5. Non enim potest judex appellationis de alio negocio cognoscere quam quod ad eum appellando fuit devolutum. *Bartol. in l. 1. C. si adverf. libert.*

6. *Quæ sint novæ illæ exceptiones in secunda instantia non admittendæ, late disputatur apud Hartm. Pistor. quæst. 23. n. 18. & mult. seq. part. 4. quo lectorem remitto.* Ex justa autē ratione respicit ille magis ad actionem quam ad sententiam & conjuncta definit, quæ ad illam pertinent: separatis quæ nihil illuc faciunt.

7. Ex hoc multi JCtorum exceptiones novas censent quibus res judicata obstat. *At male nec Hartman. Pistor. d. l. probat.*

8. *l. si rem § fin ff. de Pignor. l. si mater §. eundem ff. de excepr. rei judic. Bartol. in d. l. per hanc Latiss. vide apud Hartm. Pist dict. loc.*

DECISIO CVII.

Quæ gravamina in collectis justitiam appellationis fundant.

IN collectarum materia appellationi quidem locus est, at non facile, nec nisi ob gravamina valde relevantia. (1) Ex his autē censentur quæ in causa aliqua simul pro justificanda appellatione proferebantur, sed ut singula sufficere poterant. Primo inæqualitas, (2) dum unus pro altero semet prægravatum queritur, ut in collectis iniqua sic providentia matura corrigenda. (3) Deinde novitas (4) & recessus ab antiqua consuetudine, quæ in collectis tenaciter servanda, (5) & immutata iniquitatis speciem habet. Tertio transgressio æstimi pro taxatione collectarum confecti pro quo præsumptio rectitudinis est. (6) Donec in eo erratum aut ex circumstantiis quibus innititur aliquid mutatum reperitur. (7) Quarto non reperta ulla ratio ejus definitionis collectarum, quæ per priorem sententiam ita facta erat, ut duæ partes terræ quantitate & qualitate agrorum notorie & confessione litigantium inæquales æquas portiones onerum sustinerent. (8) Quæ inæqualitas iniquitatem arguebat. Ista ergo gravamina ad ulteriorem discussionem admissa sunt *in causa der Eingesessenen des Landes Kehdingen Freyburgischen Theils, wider die Eingesessene desselben Landes Buxtiehtischen Theils, die 14. Ianuarii Anno 1656.*

1. Concernunt aut attingunt de collectis controversiæ plerumque rem publicam & fiscum, ideo non indiscriminatim appellabiles sunt. *Vide de eò scripta in decisionum part. 2.*

2. Sicuti in oneribus publicis præprimis sectanda & servanda est æqualitas, ita inæqualitas magnum gravamen habet, quod sæpe seditionibus & turbis civilibus causam dedit. *Klock. de Contribut. cap. 17. n. 105.*

3. Cavendum ne unus præ alio inique gravetur, inde per æquato es constitui solent, qui ad querelas subditorum onera ad æqualitatem redigunt, *de quo vid. latius apud Klock. dict. cap. 17. n. 12. & seq.*

4. Cum in aliis tum in tributis suspecta atque odiosa est novitas *l. C. de Aur. Coronar.*

5. *l. litibus 20. §. hæc de reditibus 3. C. de Agricol. & censit. Cacheran. decis. 83. in fin. Graven. pract. concluf. 52. num. 18. part. 1.*

6. Pro æstimo semper præsumitur & publicam autoritatem habet. *Knichen. in Encyclopæd. cap. 10. num. 6. seq.*

7. Contra æstimum locus est probationi contrariæ reductioni & moderationi, ubi justa petendi ratio constat, etiam ad unius instantiam. *Klock. dict. cap. 17. num. 108. & seq.*

8. Divisiones & distributiones collectarum inæquales, ubi non apparet inæqualitatis justa ratio, retractari & ad æquum redigi debent *Wesenbec. consil. 103 num. 27.* nec sustinendæ sunt velut impiæ, iniquæ & irrationabiles, etsi super iis summi Principis confirmatio impetrata fuerit. *Wesenbec. dict. consil. 103. num. 28. & seq.* Quare sic pronunciatum est.

In Sachen der eingesessenen Hauptleute / von Adel und Erben deß Landes Kehding Freyburgischen Theils Appellanten / wider desselben Landes Eingesessene Bützflietischen Theils Appellaten / wird ex actis befunden / und vor Recht erkannt / daß deß in puncto non devolutæ appellationis beschehenen Einwendens ungehindert die Sache anhero erwachsen / und Appellanten mit den vorgebrachten Beschwerden zuhören. Demnach dann von eingebrachtem libello Appellaten Copia ertheilet / und proxima darauff litem zu contestiren / und sonst die Gebür zu verhandlen aufferleget wird / von Rechts wegen.

(Hoc est) In causa inhabitantium Capitaneorum nobilium & hæredum regionis Heding Fryburgiei districtus appellan-

tium

Digitized by Google

tum contra ejusdem Regionis inhabitantes Putfidici districtus appellatos ex actis decernimus; quod non attentis exceptionibus in puncto non devoluta appellationis causa huc devoluta & appellantes in exhibitis gravaminibus audiendi, indè producti libelli appellatis copiam damus & ut in proximâ desuper litem contestentur & aliàs quod convenit agant, injungimus idque de jure.

DECISIO CVIII.

Per peram ad probandum admissum in priori instantia, in secunda potest rejici.

CUm in prima instantia admissus erat emptor ad redhibitoria remedia suæque de vitio allegationis probationem, cum de jure ob plures rationes admitti non deberet; non impleta autem probatione condemnatus appellaverat, in quæstionem venit, utrum secunda instantia ad probationem ulteriorem admittendus eoque nomine appellatio recipienda esset? Creditum vero est, ut ut non deducta deducendi, non probata probandi beneficium appellationibus jure consentum sit; (1) id tamen non extendendum ulta ea quæ probari debent, & probata relevant. (2) Nec obstat, quod judex prioris instantiæ ut relevans quidquam admisit ejusque probationem fieri adversarius passus est. Hoc enim si perperam & nullo jure factum non astringit in secunda judicem, cum appellatio in hac reducat causam in eum statum, in quo tempore litis contestatæ fuit, (3) & in integrum facit judici superiori quid juxta causæ statum statuere velit in quo quæ processus sunt emendare potest. (4) Nec enim post appellationem tantum quæ pro appellante faciunt, attendere debet, sed etiam momenta causæ justasque exceptiones à parte appellati; cum appellationis beneficium utrique parti sit commune. (5) *in causa Davidis Rothen, contra Wendelinum Schildknecht. Die 19. Ianuarii Anno 1656.*

1. *ex l. per hanc C. de Tempor. appellat.*

2. Quod non relevat, probatum permitti non debet ad probandum. *l. fin. ib. Dd. ff. de Natalib. restituend.*

3. *Bartol. in l. ita demum C. de Procurat. Decius in l. edita n. 54. C. de Edend.*

4. *l. Æmilius 38. ff. de Minorib. l. eos qui 6. §. 1. C. de Appellat.* ubi rationem Impp. addunt: Cum votum gerentibus nobis aliud nihil in judiciis quam justitiam locum habere debere necessaria res forte transmissa non excludenda videatur.

5. *l. fin. pr. C. de Appellat.* ubi notabiliter additur, quod etsi appellatus absit & nihil alleget, tamen ex actis judex ejus partes adimplere debeat.

DECISIO CIX.

Sententia super foro competente lata appellabilis est.

ESt quidem judicis cujusque æstimandi potestas, an sua sit jurisdictio, (1) non tamen tam arbitraria, ut cum revera competit, suam non esse dicere possit. Nec enim judici judicium à se abdicare integrum existit, (2) intera sæpius cum incommodo gravi conjunctum ad alium judicem ire quam qui eligitur. Ideo non sine gravamine transit, si judex se incompetentem dixerit, (3) vel causam ad aliud forum remisit. Ob quod quin appellare liceat, dubitandum non est. (4) Etsi enim super competentia vel incompetentia judicis sententia sit interlocutoria, vim tamen definitivæ habet, & appellabilis habetur, (5) sicut existimatum, *in causa Balzar von Wolden, contra die Weilerische Erben, die 8. Februarii Anno 1659.*

1. *l. si qui ex 5. ff. de Iudic.*

2. Est hoc officio & debito Judicum contrarium, dum illud plane necessarium est, nec pro lubitu deponi potest. *l properandum 13. § fin. autem utraque 8. C. de Iudic.*

3. Non debet in alind judicium transferri, si cum captione id futurum alterutrius *l. pen. §. fin. ff. de Vacat. & excusat. mun.*

4. Ubi gravamen, ibi justa appellandi ratio est. *l. 1. ff. de Appellat.*

5. *Gail. 1. Observ. 130. num. 9. Mynsing. 3. Observ. 35.*

DECISIO CX.

Non existentibus actis prioris instantiæ, relatio ab ejus judice recipitur, & quatenus attenditur.

JUdex prioris instantiæ appellanti acta edere tenetur, (1) quæ si nulla fuerint conscripta, dum forte levatô velô sine scripto actum, relatio judicis transmitti solet, eaque recipitur quidem, sed fidem plenam non habet, (2) nisi prius ea communicata & audita utraque parte, qua in illam consentiente actorum instar est, altera impugnante non ultra attenditur, quam non repugnat iis, quæ postea in actis deducentur, in quibus fidem supplere valet, (4) ideò planè non reiicitur. *Sic judicatum in causa Bernd Kampen, contra die Gevvandschneider in Wismar. Die 27. Ianuarii Anno 1657.*

1. Ad hanc editionem mandato sine clausula compulsoria alia adigitur, *l. 2. C. de Edend. Mindan. lib. 2. C. Mandat. cap. 47. num. 2.*

2. Ad

Digitized by Google

2. Ad acta ut perfectam fidem faciant, duo hæc requiruntur, ut in judicio fiant, & deinde à publico tabellione aut actuario, *vid. Mindan. d. cap. 47. numer. 6.*

3. Consensus partium supplet actorum defectum.

4. Pro judice militat fidei præsumptio, & quod integre acta ediderit, creditur, donec contrarium probatur. *Gail. 1. Observ. 147. num. 15.*

DECISIO CXI.

Ob juramentum suppletorium sine semiplena probatione delatum provocatio justa est.

REgulam jurisprudentia posuit, quod actore non probante reus absolvi debet, (1) Exceptionem addidit ejus speciei, ut si non plenè probetur, sed saltem semiplena probatio juramento suppleatur. (2) Ut vero hoc supplementum non est in mero judicis arbitrio, (3) sed probationis semiplenæ, ità ad judicis officium pertinet, diligenter considerare & exactè ponderare, an & quando semiplenè probatum fuerit. (4) In quo defectu reperto regulæ potius standum, quam ad juramentum suppletorium decurratur. (5) Secus si fiet, gravamen non leve illatum existimandum, (6) ideò appellare licitum, (7) atque appellatio admittenda erit. *In causa Georgii Christophori Behren contra Ioannem Horstman die 24. Aprilis Anno 1656.*

1. *l. 21. pr. ff. de Probat. l. 2. C. eod.*

2. Hoc remedium *per Imp. in l. 1. C. de reb. Credit.* introductum est ob inopiam probationum.

3. *Donell. in Comment. lib. 24. cap. 11. Hillig. lit. D. non aliter quam causa cognita.*

4. Ita communis JCtorum sententia est, cui praxis ubique autoritatem dedit, quod non nisi ubi semiplenè probatum est, juramentum deferri debet. *Mynsing. cent. 1. Observ. 68. num. 6. Benst. in l. admonendi 31. num. 178. ff. de jurejurand. ibid. Iason. in repetit. num. 269.*

5. Ita admonet judicem Stiaticus *in Pract. lib. 2. cap. 13. num. 15.*

6. Invitus nemo tenetur soli adversarii conscientiæ semet se committere, & ad id adigi, est in causæ discrimen adduci, & à jure communi, quod ab actore vult probari, adduci.

7. Ob perperam injunctum hoc juramentum ipsi locum esse tradit *Alciat. in respons. 326. vol. 2.*

DECISIO CXII.

Quantum intersit adhærere appellationi & prosequi appellationem alienam.

NOn ut interpositæ ab alio appellationi licet adhærere tertio cujus interest, ità etiam vacat sine adhæsione alienam appellationem apprehendere & prosequi: Inter ista magna est differentia. Adhæsio facit appellationem propriam illius qui adhæret, (1) ideò etsi ille qui appellavit, à lite desistierit, adhærenti tamen integrum est eandem pro suo interesse ut suum prosequi, (2) etiamsi illud ab interesse appellantis alienum seu iftius nihil interst. (3) At sine adhæsione prævia postea alienam appellationem suscipere integrum non est, (4) præterquam si causa appellantis sit simul alterius, (5) & quoddam litis consortium. (6) Est enim & manet illa lis aliena, quam sine mandato alius agere non debet, & si dominus desistit, prosequi non potest: Minimè verò inde solùm propria vel communis lis dici potest, quod prosequi volentis similis est causa. Nec enim similitudo causæ sed communio litis ejusdem tantum facit consortium. (7) Ubi quod appellans agere cœpit, non fuit commune alteri, etsi ex simili ratione diversam tamen causam acturus, non potest eandem litem dicere. (8) Non, quia aliqui filii creditorum appellando oppugnarunt jura prioritatis paternorum creditorum, ubi illi non prosequuntur litem, idem obtendenti appellationem prosequi concederetur cum appellationi justo tempore nõ adhæsisset. (9) *Quæ considerata sunt ad supplicationem Secr. Christiani Gotho fridi Michaelis, contra aliquos creditorum Heinrich Rammins, die 20. Maji Anno 1656.*

1. *Franch. in c. tantum X. de Appellat.*

2. *Salycet. in Auth. hodie q. 9. n. 4. C. de Appellat. Scaccia de appellat. quæst. 12. num. 74.*

3. Tertius etiam ob proprium interesse appellare & appellationem prosequi potest etsi illud non sit idem cum principali litigante, *de quo fusius vid: ap. Covarruv. Pract. quæst. 15.*

4. *Scacc. dict. quæst. 12. num. 75.* ubi scribit, ad hunc effectum ut possit appellationem prosequi, necesse esse adhæsisse appellationi & intra decem dies eam ratam habuisse. *Idem sentit & scribit Graven. Pract. Observ. 12. consider. 2. num. 4. ubi improbat. Hartmanni contrarium sentientis opinionem. Eo modo etiam intelligendum, quod Gail. 2. Observ. 122. num. 1. habet.*

5. *Cujus exemplum in l. à sententia 5. §. idem rescripsit 2. ff. de appellat.* Qui textus ostendit per argumentum à contrario sensu, ubi non est eadem causa, secus se rem habere.

6. Consors litis, quia una eademque est, istius causa potest appellationem consortis ab eo derelictam, etsi non adhæserit, prosequi, *Scaccia dict. qu. 12. num. 77.*

7. Connexitas & Communio interesse in eadem causa facit consortium. *Petr. Frider. Mindan. lib. 3. de Continent. caus. cap. 4. num. 2.*

8. Ut eadem res sit, requiritur ut idem jus sit, eadem causa petendi, eadem conditio personarum, idem corpus. *l. cum quæritur 13. l. seq ff. de except. rei jud.*

Digitized by Google

9. Omninò hoc necessarium est ad adhæresionem, ut qui frui vult alienâ appellatione intra decendium, istam ratam habeat, & significet in judicio mentem suam, *Lancellot. part. 2. cap. 12 ampliat. 12. num. 7. seq.*

DECISIO CXIII.

A citatione quæ iniquum gravamen habet, appellationi locus est.

QUod dicitur, à Citatione non appellari, regulare quidem est, (1) at non sine exceptione. (2) Quemadmodum enim citatio sæpius potest aliquid iniquitatis & gravaminis habere, ita dubium non est, tunc ab illa quoque appellationem non injustè fieri & recipi. (3) Occurrebant talia in causa ubi appellabatur, tum quod citatus erat, qui se non esse citandum putabat, nulli actioni ob id quod in judicium deducebatur se obnoxium dicens, (4) tum quod personaliter, (5) cum commination e, si non appareret, realis citationis, (6) tum quod ex causa quæ multum præjudicii haberet, unde etiam injustam appellans arguebat. (7) Quando itaque hæc singula appellationi locum facere solent, utique dubitandum non fuit, talibus simul narratis eam recipiendam esse, *ad requisitionem Antonii Minschen contra Iohann Hesterwegen, die 15. Februari Anno 1656.*

1. *Bartol. in l. 2. num. 12. ff. de appellat. recipiend.*
2. *Vide plures exceptiones apud Scacciam in tr. de Appellat. quæst. 17. limit. 47. mem. 1. n. 7. & mult. seq.*
3. *Arg. l. 1. pr. ff. de Appellat.*
4. Citatum non citandum justè appellare ait *Guid. Papa in tract. de Appellat. quæst. 49. num. 39.*
5. Personalis citatio incommodi multum habet & libertatem per procuratorem comparendi, quæ alias litigantibus competit, adimit, ideo in causa civili regulariter non licet.
6. Ab hac appellatio admittitur, *Bald. in l. 2. C. de Epist. audient.*
7. Citatio quævis habens aliquid injustum, est appellabilis. *Scacc. dict. tract. quæst. 17. limit. 47. memb. 1. num. 15.*

DECISIO CXIV.

Appellationis desertio qua partem, non qua judicem de attentatis judicium finit.

DEserta appellatione perinde est atque si appellatum non fuisset, (1) ideo super ea pronunciatio finit, quidquid appellationi fuit connexum seu ex ea ortum. Nempe quà partem. Non quà Judicem. Nam sicut expressa renunciatio appellationis judici integrum linquit adhuc revocare & punire attentata, (2) sic nec tacita quæ inest desertioni, ab eo excludet. (2) Non est in potestate partis tollere jus seu quod interest judicis. (4) Etsi itaque ob desertionem appellantis desierit actio, quia tamen attentata concernebant insignem judicis superioris contemptum, (4) istius autoritatem vindicare non utile modo sed & necessarium est, (5) decretum fuit mandatum, quo advocato fisci prosecutio litis super iisdem injungebatur *in causa Iost Behren, contra Burchard Behren & Iacob Mormann, die 27. Iulii Anno 1656.*

1. *Lancellot. in tr. de Attentat. part. 3. cap. 17. num. 64.*
2. Taciti non est vis major quàm expressi.
3. Jus publicum pactis aut factis privatorum immutari nequit, *l. jus publicum 38, ff. de Pact.*
4. Autoritas judicii superioris post appellationem interpositam graviter violatur.
5. *l. un. ff. si quis jus dic. non obtemp.*

DECISIO CXV.

Iudex ex officio attentata revocat & punit.

NOn modo parte petente sed etiam illa aut non petente aut cum peteret desistente, transigente vel renunciante judex ex officio attentata revocat, vindicat & coercet. (1) Non minus enim imò magis judicem quam partem offendunt, (2) & autoritatem judicii violant, quam vindicare ad Reipubl. utilitatem, judicantis dignitatem sanctitatemque judiciorum pertinet, (3) Ut itaque in aliis ad Rempubl. pertinentibus judex etiam non interpellatus nobili officio utitur, (4) ita etiam in revocandis vel puniendis attentatis adhibet. (5) Quod fuit consideratum *in eadem causa.*

1. Quibus casibus attentata ad instantiam partis revocari nequeunt, judici eorum revocatio & coercitio integra est. *Lancellot. in tract. de Attent. part. 3. cap. 24. quæst. 1. num. 21.*
2. *Gail. 1. Observ. 176. num. 7.*
3. In revocandis attentatis majestatem prætoris vindicari asserit *Olrad. consil. 206. in pr.*
4. *Iason. in l. 1. §. hoc ita ff. de op. nov. nunc.*
5. *Lancellot. de Attentat. part. 3. cap. 27. num. 9. & seq. Gail. dict. observ. 149. num. 7. seq. ubi in Camera Imperiali sic observari testatur.*

DECISIO CXVI.

Fit remissio causæ ad judicem gravantem, cum appellans hoc expetit.

REgulariter non fit remissio causæ ad judicem à quo, ubi ejus sententia anterior corrigitur, (1) quod qui semel gravavit, semper gravare velle præsumitur; (2) attamen hoc cessat, ubi pars appellans eam remissionem causæ petit, (3) uti fit per appellationem

Digitized by Google

lationem à sententia super exceptione non competentis fori interpositam. (4) Volenti nulla fit injuria; (5) nec alteri parti quæ ab illo gravata nondum fuit, judicem potius faventem expertus est. *In causa senatus Griphiswaldensis contra Ioachim Edlingen die 28. Iulii Anno 1656.*

1. *c. uti debitor ib. Franch. num. 46. & 49. X. de appellat. Bald. in l. eos num. 1. C. eod.*

2. *Bald. in l. eos num. 1. per ill. text. C. eod.*

3. Tunc appellans nihil habet de quo conqueratur, cùm proprium revocatum est gravamen. *Franch in d. cent. ut debitor num 49. ibid. Panormit. num. 36.*

4. *Gloss. in c. significaverunt X. de Excep. Scacc. de Appellat. quæst 17. limit. 49. membr. 3. num. 15.* Ratio est, quia judex id pronuncians quod appellans petit, ei oppositum gravamen tollit. *Franch. d. c. ut debitor. n. 46.* Ex ita generaliter res se habet, quoties judex à quo pronunciat non esse procedendum & appellatur ut procedatur. Semper tunc causa ad judicem priorem remittitur, quia ità desideratur, *C. significaverunt in fin. ib. Canonista X de except.*

5. *l. 12. ff. de aq. & aq. pluv. arcend.*

Sic pronunciatum juxta hæc fuit;

In Sachen Bürgermeister und Raths der Stadt Greiffswalde Appellanten wider Joachim Edelingen Appellaten / in puncto diffamationis itzo fori competentis, werden die gravamina als überflußig nicht / sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen / darauß befunden und erkannt / daß vom Richter erster Instanz die diffamation-Klage nicht abzuweisen / sondern billich anzunehmen / und Appellanten aldar mit weiterm rechtlichen Suchen zu hören. Gestaltsam dann die Sache dahin auff Appellanten Suchen verwiesen wird von Rechtswegen.

Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 7. Julii Anno 1656.

(Hoc est)

In causa Consulum & senatus civitatis Greiffsvvald Appellantium contra Joachimum Edelingen Appellatum in puncto diffamationis modo fori competentis, gravamina ut superflua non recipimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus, & decernimus, à judice primæ instantiæ querelam diffamationis non fuisse reijciendam sed meritò recipiendã & Appellantem ibidem in ulteriori legali petito audiendum, prout causam eò ad Appellantis petitionem remittimus idque de jure. Publicatũ in summo Tribunali Wismariæ 7. Iulii Anno 1656.

DECISIO CXVII.

Intimatio appellationis nec non processuum facta executori non facit attentatum quà judicem at qua ipsum, ut attentatum coercetur.

QUo judex attentati posset argui & tanquam super attentato contra eum procedi, oportet ipsum habere appellationis scientiam, pro qua necessaria haberi & observari solet intimatio. (1) ipsimet autem fieri debet. Parti facta non sufficit, (2) sicut etiam, etsi executori. (3) Is si non attenta notificatione appellationis vel obtentorum processuum exequendo pertexerit, non contra judicem super attentatis proceditur, (4) ipsius tamen factum propter contemptum superioris judicis attentatum coercetur. Uti existimatum *in causa Heinrich von Gerstenberg, contra Heinrich Boisen Erben, die 8. Iulii Anno 1656.*

1. Intimatio quidem qua effectum devolutivum, quà suspensivum verò omnino necessaria est, *Lancellot. de Attentat. part. 2. cap. 12. num. 22.*

2. *Franch. in c. si justus num. 50. X. de Appellat. ubi scribit, etsi judex procedat ad instantiam partis processus valere.*

3. Nam nec hujus scientia nocet judici ignoranti, cui nihil imputari potest, in quo etiam dum ignorat, nullus contemptus est, *Beroſ. consil. 6. num. 4. lib. 3.*

4. Factum etiam Tertii post appellationem contemptus judicis est, & si quidem in præjudicium processus per appellationem suspensi innovat, attentat. *Lancellot. de Attentat. part. 1. cap. 3. num. 55. seq.*

DECISIO CXVIII.

Attentata notoria sine ulteriori processu judiciario statim revocantur.

CUm attentata sunt notoria, qualia habenda quæ ex actis constant judici, frustra desiderabitur peculiaris à conquerente libellus, (1) aut audientur invicem partes: (2) sed statim sine speciali processu revocatio fieri debet, cum ipso jure sunt illicita atque improba, (3) nec excusationem admittant magis, atque spolium cujus vice censentur. (4) Quare sicut spoliatum ante omnia restitui jubetur, sic attentata statim revocanda non prius aut audienda pars attentans; (5) aut pergendum in processu, antequam restitutio in priorem statum facta docetur. (6) Juxtà quæ pronunciatum. *In causa haeredum D. Ioannis Klapmeieren contra Detl. Schulten die 24. Septembr. Anno 1656.*

1. Acta faciunt notorium.

2. *Gail. 1. Observ. 146. num. 4.*

3. Per attentata magis ex contemptu læditur lex & judex quam pars, *c. cordi §. ult. X. de appellat. in 6.* ideò parte licet non petente judex revocare potest, *vid. Sig. Scacc. in tr. de Appellat. quæst. 17. limit. 47. membr. 1. numer. 173.* quare igitur non sine libello partis.

4. Frequens est argumentum apud JCtos à spolio ad attentata, & horum causa illo magis privilegiata habetur. *Oldrad. consil. 199. num. 1. seq.*

5. Non enim pertinent ad attentata, quæ altiorem requirunt indaginem. *Gail. 1. Observ. 146.*

6. *C. non solùm X. de Appellat. in 6. Clem. ut lit. pend.* Qui revocationem petit, potest quidem per-

Digitized by Google

gere in lite, at ut faciat ante revocationem invitus non cogi *Mynsing. cent. 1. Observ. 26.*

In Sachen D. Johann Klapmeyers und Eberhard Wegen Erben appellanten / wider Detloff Schulden zum Dauterich und dessen Curatorem Joh. Heinrich von Brobergen Appellatē in puncto attentatorum wird exactis durch die den 18 Nov. Anno 1650. an die Heurlinge der Güter quæstionis abgelassene Verordnung wie auch der Appellaten geklagte Anmassung attentirt zu seyn befunden. Demnach solches alles revocirt, auffgehoben / die gebetene mandata cassatoria & restitutoria, dann auch ferner erkannt / daß Appellanten in den Zustand / worinn Zeit der den 29. Junii bemeldten Jahres gesprochenen Urtel die Sachen und sie befunden biß zu deren Außtrag wiederum zu setzen und zu lassen. Was aber in bemeldtem Punct wider Jacob Ruschen vorgebracht / zu absonderlichem Suchen zu verweisen sey von Rechts-wegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 20. Octobris Anno 1656.

(Hoc est)

In causa D. Ioannes Klabmeyers & Eberhardi vvegen hæredum Appellantium contra Detloff Schulden in Dauterich & ejus Curatorem Ioannem Henricum à Brobergen Appellatum in puncto attentatorum apparet ex actis quod per mandatum 18. Novembris anno 1650. ad conductores bonorum quæstionis emanatum ut & Appellatorum allegatum conatum attentatum fuerit; inde illud omne revocamus, cassamus, petita mandata cassatoria & restitutoria & ulterius decernimus, quod appellantes in statum, in quo tempore sententiæ 19. Junii dicto Anno publicatæ causa & ipsi fuerunt, usque ad ejus decisionem restituendi & relinquendi sint, quod verò in dicto puncto contra Jacobum Ruschen profertur ad peculiare petitum remittendum, idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 20. Octobris Anno 1656.

DECISIO CXIX.

Desertio Appellationis instar criminis severè punienda & quomodo.

ABusus appellationis varius, nec frequentius, quam illam interponi, non tam quia opus, aut quia se quis injustè gravatum sentit, sed ut litem protrahat, nec justa citò facere necesse sit, cavillandi & frustrandi causa. (1) Unde evenit, ut appellantes postquam aliquamdiu moram justitiæ appellando fecerunt, deinde prosecutionem omittant. Quemadmodum autem non leve periculum est in fraudem adversarii, corruptelam judiciorum sic appellatione ubuti, (2) ita & crimen grave censetur desertio, quæ præterea cum contemptu judicis est conjuncta, (3) ideò pœnam meretur eamque infligi ad judicii sanctimoniam servandam fraudesque & moras repellendum publicè utile est. (4) Aut verò desertionis causa aliqua & talis apparet, unde non ex malitia appellationem interpositam deinde omissam esse colligi posset, aut verò nihil reperitur, quod desertionem ab ista suspicione purget. In priori specie aut elucet justa appellandi causa, ideò litis odio desertio facta intelligitur & impunis est; (5) aut de appellationis jure nihil apparet, sed tantùm non prosecutæ appellationis haud improbabilis ratio, tunc desertor tantùm adversæ parti in expensas condemnabitur. (6) Quod si verò nihil adest vel reperitur quod desertionem aliqua probabili ratione excuset, præter condemnationem in expensas pœna pecuniaria desertori irrogatur, (7) statuenda ex judicis arbitrio pro qualitate delicti quod est in desertione. Quod consideratum & factum *in causa Iacob von Rammin contra D. Raphuns Wittve, die 26. Septemb. Anno 1656. & postea semper observatum.*

1. *l tutor 41. ff. de Usur. l. ult. ff. de re jud.*

2. Abusum hunc vitare & castigare ad judicis officium pertinet, *l fin. C. quand. provoc. non est necess.*

3. *Fab. in Cod. lib. 7. tit. 27. defin. 5. num. 6. in not.*

4. *Fab. in Cod. dict. tit. 22. defin. 11.*

5. Potest etiam justa lis deseri, cujus desertio ut execratio litis laudanda potiùs quàm vituperanda *l. 4. §. 2. ff. de alien. jud. mut. caus.* ideò punienda non est.

6. Hæc ordinaria desertionis pœna est, ut desertor in expensas condemnetur, *vid. Fabr. in Cod. lib. 7. tit. 18. defin. 56. ubi hujus sententiæ rationes explicat.*

7. Deserere appellationem, quo simul judicis contemptum in se habens gravius crimen est, quam malè ac temerè appellare, ideò etiam gravi ut & præter impensas mulcta quadam meritò est plectendum. *Faber. in Cod. dict. lib. 7. tit. 27. defin. 1. num. 3. in not.*

Sententia hoc tenore est pronunciata;

In Sachen Jacob von Rammins Appellanten wider sel. Doct. Friderici Raphuns Wittwe und Erben Appellaten in puncto debiti nunc desertionis seynd die acta vor beschlossen gehalten / und erkannt / daß die von Appellanten bey diesem hohen Tribunal anhängig gemachte appellation vor desert zu halten. In massen sie dann vor desert gehalten / Appellant aber dem Gegentheil die bey dieser Appellationis Instanz auffgeloffene Unkosten nach rechtlicher Ermässigung zu entrichten / auch dem hohen Tribunal 25. Reichsthaler Strafe zu erlegen / condemniret und verurtheilet wird / von Rechtswegen.

Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 20. Octobris Anno 1656.

(Hoc est)

In causa Jacobi à Rammūnz Appellantis contra D. Friderici Rabhuns viduam & hæredes appellatos in puncto debiti modo desertionis acta pro concluſis habemus & decernimus quod ab Appellante in hoc summo tribunali introducta appellatio pro deserta habenda sit; prout eam pro deserta habemus

Digitized by Google

habemus, appellantem vero in expensas in hac instantiâ Appellationis causatas prævio judiciali moderamine parti adversæ restituendas ut & in pœnam 25. Imperialium huic summo Tribunali solvendorum condemnamus idque de jure Publicatum in summo Tribunali Wismariæ Anno 1656.

DECISIO CXX.

Fiscus de attentatis tenetur & damnatur, ubi contradictorem habet legitimum.

QUod fiscus appellatione interposita & intimata pecuniam quam suam asserebat, ex depositò abstulisset, super attentato querela mota fuit. In dubitationem venit, utrum isti contra fiscum locus esset. Faciebat istam privilegium fisci, quod ipsi tribuitur, ut pendente lite possit rem de qua contenditur, ad manus suas sumere & ponere, adeoque possessorem possessione sua privare. (1) Verum rèperiebatur in eo quo id habetur atque accipitur sensu, ad speciem de qua agitur non quadrare. Ità demum fiscus illo jure utitur, si cum quo res est, contradictor non legitimus sit, (2) qualem eum dicimus qui caret titulo. (3) Alias qui cum hoc rem tenet, ne quidem à fisco possessione dum lis durat, privari, (4) consequenter si fecerit, de vi & super attentatis querela conveniri & damnari poterit. (5) Titulum verò habet qui vendidit & ex venditione si pecuniam, de qua agitur, ut precium accepisse dicit. (6) Etsi enim rem non traditam id ò precium reddendum fiscus allegat, auferre tamen non potest antequam hoc constat. Judicatum juxta hæc *in causa Obrist Lieut. Iohann von Lipfeld, contra Fisci Advocatum, die 2. Octobris Anno 1656.*

1. *Lancellot. in tract. de Attentat. part. 2. cap. 4. declarat. 4. num. 34.*
2. Ità limitat & declarat jus fisci. *Guid. Pap. decis. 366. quem sequitur Lancellot. dict. declarat. 4. num. 35 seq.*
3. Ità cum JCti definiunt; *Sichard. in l. fin. num. 37. C. de Edict. Div. Adrian. tollend. ibid. Alberic. nnm. 13.*
4. *Peregrin. de Iur. Fisc. lib. 7. tit. 3 num. 10.*
5. *Lancellot. d l. num. 36.*
6. Qui precium habet rem tradidisse præsumitur, quia ante traditionem illud solvi non solet.

DECISIO CXXI.

Ex causa potest superior in causa nullitatis inhibere, etsi ea nondum ex actis notoria facta est.

ETsi in causa nullitatum non sistitur executio (1) nec decernitur inhibitio, (2) nisi illæ ex actis notoriæ sint, (3) tamen judici superiori fas est in eadem ad se delata rem omnem integram servare. (4) Idcò cum nisi hac ratione servata frustra deinde de nullitate judicaretur, aut admodum difficile foret executionem semel factam revocare, (5) licet utut acta nondum acceperit inhibendo præjudicium grave avertere. (6) Præsertim verò in iis casibus, ubi vel ex ipsa sententia patet nullitas, (7) vel lex sententiam nullam declarat, & attendi non vult, (8) isti locus erit; quia tunc lex manus judicis ligat non judex qui saltem legem in ea specie applicat. Etsi vero supersit etiam in his dubitatio, superior rescripto cavebit & monebit, ne executio fiat, sed ut suspendatur, donec visis actis de eo statuere licebit. *Vti factum in causa Iochim Matthias Thun, contra D. Stockmanns viduam die 9. Octobr. Anno 1656.*

1. Nullitas Regulariter non impedit executionem, *ut prolixè demonstrat Scaccia in tr. de Appellat. quæst. 19. remed. 1. conclus. 4. num. 1. & seq.*
2. *Gail. 1. Observ. 144. num. 6.*
3. *Gail. 1. Observ. 113. num 3. & seq.*
4. *Scacc. dict. q. 19. conclus. 4. num. 87.*
5. *Vid. Mynsing. resp. 2. num. 24. decad. 3.*
6. Præstat rem integram servare, quàm post vulneratam causam remedium quærere, *l. fin. C. in quib. caus. restit. in integr.*
7. *Mynsing. d. resp. 23. num. 24.*
8. *Cujusmodi species est ex l. si cum C. quand. provoc. non est nec. de qua in præsentiarum res erat.*

DECISIO CXXII.

Quæ judex à quo facit non ut judex, sed ut debitor & tertius, attentata non sunt, nec ità sunt vindicanda.

LIte super hæreditate per appellationem ad superius judicium devolutâ & pendente, præter generalem inhibitionem, quæ processibus indita; speciali præterea judici mandatum fuit, ne quod civitas hæreditati deberet, magistratus appellatis solveret. Is verò nihilominus acceptatâ cautione, quam istis præstabant, solvit, inde de attentato querela & super eo condemnatoria sententia processit. A qua appellatum cum esset, in controversiam venit, utrum id factum magistratus solventis pro attentato habendum atque ut super illo pronunciandum fuerit? Contrariis opinionibus de illo actū fuit. At rectior visa quæ eam rem attentati vitio & judicio alienam censuit. Nec enim sine discrimine quidquid pendente lite vel post appellationem fit à parte vel à judice attentatum est, sed quod tendit in præjudicium litis, (1) & quod fit à parte vel à judice. Si quid tertius interea fecerit pro eo minimè est, (2) ut ut specialis inhibitio

Digitized by Google

accesserit, [3] nisi una cum parte id fecerit tertius ex collusione in fraudem litis. (4) Quocirca etiam si ille qui judex causæ fuit, quidquam fecit, at non ut judex sed tamquam tertius, idem erit sentiendum. (5) In præsenti autem specie cum civitas debebat & magistratus ejus debitori, in cujus manibus erat obligationis instrumentum solvebat, (6) etsi judex fuerat, non tamen id faciebat ut judex judiciali quodam decreto, sed ut debitor, nec in fraudem litis aut contra litem sed in commodum civitatis, quô onere usurariô liberaretur, adeò præter litem. (7) Nullum inde præjudicium causæ aut partis adversæ. Nam pendente lite nihil ipsi solvi potuit, eâ finita si vincet, cuncta integra futura sunt. Nec enim qua ipsum liberatur aut desinit teneri civitas propter autoritatem inhibitionis quæ nihil aliud quàm arrestum fuit. (8) In eum casum etiam sibi cautione prospexit, non ut victor opus haberet caventes convenire, sed ut isti secura sint omnia. (9) Nec enim aliàs arrestato credito debitori prohibitum est solvere, modò prospectum sit arrestanti. (10) Inter hæc plurimum interest, utrum contra arrestum & quæ ejus loco est inhibitionem pecunia credita soluta, an pendente lite attentatum sit. Quod sit contra arrestum aliis legibus modisque vindicatur. *In causa Bürgermeister und Rath der Stadt Stralsundt, wvider Greyer Bütels Erben, die* 11. *Octobris Anno 1656.*

1. In hoc consistit forma & essentia attentati, ut sit factum liti contrarium in ejus præjudicium vergens. *Lancellot in tr. de Attentat. part. 2. cap. 4. declar. 1. num. 1. & seq.*

2. *Covarruv. pract. quæst. cap. 24. num. 4. Menoch. recup possess. 17. num. 44. Felin. C. super ea num. 3. de Offic. de legat.*

3. *Franc. inc. cum teneamur numer. 15. seq. de Appellat.*

4. *Lancellot. d. tract. part. 1. cap. 3. num. 45.*

5. Quoties in una eademque persona duo respectus concurrunt, illa duplicis personæ vicem habet, & quod in uitu unius non licet id ut alia habetur, conceditur. *l. tutorem ff. de his quib. ut ind. g. Pinell. n. l. 1. part. 2. num. 73. in met. C. de bon. matern.*

6. Hic quodammodo in possessione esse videtur, ideo potiora ejus sunt jura, *l. in pari ff. de R. I.*

7. Quod fit non contra litem vel appellationem, sed præter eam, pro attentato non est. *Corset. in singular. verb. Appellatio limit. 6. vers. adde etiam.*

8. Ubi cessat præjudicium partis desinit vitium attentati. *Lancellot. dict. tract. part. 2. cap. 4. limit. 20. num. 22. seq.*

9. Arrestum eam legem dicit debitori, ut non solvat, aut si solvit teneri, tamen non antea quam ut arrestanti victori iterum solvatur.

10. Quatenus hujus non interest, actio non datur. *l. 3. §. 11. ff. ad Exhibend.*

DECISIO CXXIII.

Tertius pro suo interesse appellans admittendus est, cum hoc tantum allegat, etsi nihil de eo probet.

TErtius interveniens aliàs in lite quæ inter alios agitur invitis partibus litigantibus non admittitur, nisi interesse suum alleget & simul doceat ad minimum summariè. (1) At quando à sententia inter alios lata appellat, ut ipsi fas est, (2) ad impetrandos processus appellatorios sufficit ipsum allegare, cur sua interfit appellari, [3] & simul in jure intentionem fundatam significare; ultra non requitur tunc ejus probatio, (4) sed ea differtur ad causæ discussionem, postquam acta edita & libellus oblatus est. (5) Nec enim aut sine actis aut nondum citato & audito adversario probatio decerni vel fieri potest. (6) *Sic decretum in causa Senatus Stetinensis contra Iohann. Scherenbergen, die 22. Octobris Anno 1656.*

1. *Vid. Gail. 1. Observ. 69. num. 2. & seq.*

2. *Tertius pro suo interesse appellare potest. Gail. 1. Observ. 70. num. 14.*

3. Hoc in appellatione Tertii semper necessarium est, nuncupatim allegetur causa, ob quam interfit Tertii ut appellet, *Gail. 1. Observ. 122. num. 5.*

4. Processus appellatorii ad nuda narrata appellantis decernuntur, nec ultra quid inspicitur quam an ista juri conveniunt. Veritas ad discussionem ulteriorem remittitur. *Vid. Gail. 1. Observ. 3. number 1.*

5. Processus ratio eam non patitur.

6. Citatio initium judicii est, ideo de quo judicium esse oportet, non potest discuti nisi facta citatione. Illa verò est prima pars processus appellatorii.

DECISIO CXXIV.

Appellatio in executivis quando effectum suspensivum non habet.

PEr Constitutionem Pomeraniæ indebitis liquidis processum executivum per appellationem non sisti, sed etsi appellatum tamen præstitâ cautione executionem impetrari, cautum fuit. (1) Frui cupiunt eâ providentiâ, quotquot ex instrumento vel chirographo debitoris petunt. Haud tamen sine discrimine intelligenda & exercenda est. Potest enim & ex talibus debitum fundari atque peti, haud tamen liquidum haberi. Ita demum isti locus erit, ubi debitum planè liquidum est. Ad hoc requiritur à parte creditoris non tantum chirographum debitoris, daß Schuldmanns Hand und Siegel / sed etiam

Digitized by Google

etiam ut inde deberi certum sit. (2) A parte verò debitoris, ut ipsi non adsit exceptio, quæ simul justa & liquida. (3) Etsi itaque actoris petitio fundata est in rei chirographo, si tamen hujus exceptio etiam statim docetur ex instrumento liquido, ut non decerni debet executio, (4) ita à decretâ justè appellabitur, (5) non attento quod contra instrumentum pro exceptione demonstrandâ prolatum actor replicat, si non replicat, statim vim fidemque instrumenti elidit. (6) Non admissa ideo petitio creditoris pro decernenda executione, quod chirographo liquido innitebatur, ubi reus executionem in solutum dationis acceptatæ in judiciali decreto fundabat, (7) etsi hoc à protocollo differre & fide attestatum judicis carere replicabitur. *In causâ Niclaus Dinnies Erben, contra Detloff von Svverin, die 28. Octobris Anno 1656.*

1. *Ita habetur in Recessu Provinciali, seu* dem Land Tags-Abschied zu Wolgast *de Anno 1614. cujus de isto hæc sunt verba*: Wofern auch in jetztbenannten Fällen der Schuldiger an das Käyserliche Cammer-Gericht zu appelliren sich unterstehen wurde / soll solche Appellation nur effectum devolutivum und nicht suspensivum haben / auch die Execution dadurch nicht auffgezogen werden; Jedoch daß der Kläger zuvor sufficientem & idoneam cautionem præstire: Daß nemlich so wenig wir als unsere Räthe deßfalls in Gefahr / Mühe und Arbeit gebracht / sondern dessen allen enthoben / auch Noht- und Schad-loß gehalten werden mögen:

2. *Quæ latius explicat Colerus in tract. de Proceſſ. Executiv. part. 3. cap. 1. per tot.*

3. In processibus executivis admittuntur etiam exceptiones quæ statim probantur, nec altioris indaginis sunt, *uti exponit Coler. dict. tract. part. 4. c. 1. ubide pluribus exceptionum speciebus hoc plenius docet.*

4. Exceptio quæ simul justa & liquida est, suspendit executionem, etsi statutum omnes exceptiones excluserit, *c. ex parte ib. Anton de Butrio num. 3. & Canonista X de offic. delegat. l. 1. §. denique §. & parte ib. Bartol. & Alberic. ff. quid vi aut clam.*

5. Et ille executionis excessus, qui appellabilis est, *l. ab executione 5. C. quor. appell. non recip.*

6. Ut reus excipiendo actoris vices suscipit, *l. 9. de Probat.* ita actor replicando rei vice est. *Hartm. Pistor. quæst. 23. num. 59. part. 4.* Quomodo itaque reo in excipiendo non proficit exceptio altiorem indaginem habens, ita nec actori ejusdem conditionis replica.

7. Sicut hoc paratam executionem meretur, ita etiam eam excludit.

DECISIO CXXV.

Acta non edi, sed transmitti, cum accessorius punctus appellationem concernit, æquum est.

REgulare est acta descripta edi. Certi casus tantum in Ordinatione Judiciaria excepti sunt. (1) Iis accensere æquum visum est, si appellatur ab articulo litis, qui non causam principaliter concernit, sed incidens atque accessorius est. (2) Nimis durum & onerosum est, tunc appellantem omnium actorum descriptionis sumptibus & morâ onerari, ubi vix una vel altera pagina articulum, de quo agitur, concernit. *Juxtà hæc decretum in causâ Otto von Eichstädten, contra Valentin von Eichstädten, die 14. Novembris Anno 1656.*

1. *De quib. vid. Ordin. S. Tribun. part. 2. tit.*

2. Quæ fuit ratio ad excipiendos quosdam casus, eadem reperitur in hac specie, ideò æquum istam ob rationis similitudinem istuc extendi.

DECISIO CXXVI.

Non præstitis justo tempore appellationum solennibus appellatio pronunciatur deserta.

QUemadmodum si intra constituta fatalia appellationis prosecutio retroductis processibus non inchoatur, deserta illa efficitur, ita etiam hoc fit, quando non legitimè fit prosecutio, (1) iis nempe non factis quæ ex lege præscriptâ requiruntur, è quorum numero est solennium, quæ aut ex privilegiis, aut ex ordinatione judiciaria ita sunt necessaria, ut intra certum tempus præstari debeant, omissio, (2) ob quam ex negligentiâ partis ortam appellatio deserta pronunciatur, (3) modo à parte adversa opponitur & petitur. (4) *In causa Iacob von Rammin, contra viduam D. Raphuns, die 19. Novembr. Anno 1656.*

1. Paria sunt non fieri & non fieri legitimè. *l. quoties ff. qui satisd. cogt*

2. Ex quo lex vel mos certa facit appellationum solennia, iisque certa præfigit tempora, censentur referre ad formam ideo facere necessitatis

3. *Ruding. 1. Pandect. Cameral. lib. 1. tit. 32. num. 14. versic. 11.*

4. Pars non opponendo remittere intelligitur. *Bartol. in l. 1. C. de Excep.*

DECISIO CXXVII.

Appellatione desertâ super iis ob quæ appellatur, nullitas simul deserta habetur.

DIversa quidem sunt remedia appellationis & nullitatis, ideoque uno remoto per statutum, privilegium aut pactum, non simul removetur & alterum. (1) At ita hoc procedit, si non per legem aut consuetudinem sic licent, ut alterutro tantum uti concessum sit, (2) ideoque unius electione & usu alterum excluditur. (3) Deinde etiam si

Digitized by Google

etiamsi utroque uti conceditur, quam si distincta remanent, (4) semel conjuncta & cumulata pro iisdem habentur. (5) Unde etiam fit, ut uno sublato alterum simul desinat. Appellatione abdicata vel deserta, nullitas deserta intelligitur. (6) Quare ubi in hac idem venit, quod per appellationem propositum fuerat, non amplius velut semel cum ista rejecta vel deserta admittitur. (7) *In causa Iacob von Rammins, contra viduam D. Raphuns, die 2. Decembr. Anno 1659.*

1. *Vid. Gail. 1. Observ. 135. per tot.*

2. *Sic per Pomeraniæ leges & mores servatur.*

3. In alternativis electio unius tollit aliud, *l. 10. fin. ff. de Iur. Dot.*

4. *Vid. Scace. in tract. de Appellat. quæst. 17. limit. 2. num. 125. & seq.*

5. Accessorium quod fit, sequitur conditionem rei principalis, cui cohæret, *l. 2. ff. de Pecul. leg.*

6. Ita de quæstione an nullitas censetur deserta, cum appellatio deseritur, JCti distinguunt; An nullitas stet principaliter, an accessoriè & adhærenter, nempè cum inest causa appellationi, & ejus causa simul fuit appellatum. De illa specie intelligendum, quod Gailius habet *d. Observ. 135. n. 4.* de hac vero aliter sentiendum, *uti declarat. Franch. in cap. interposita §. ille denique num. 5. & c dilecti n. 114. & seq. X. de appellat. Scacc. d. lim. 2. num 131.*

7. Cum eadem appellationis & nullitas est materia, hæc appellationi accessoria est, & ejus leges sequitur, *Bald. in l. tale pactum §. qui pronuntiavit num. 12. ff. de Pact. vid. Guid. Pap. in tr. de Appellat. quæst. 82. num. 54. tom. 5.*

DECISIO CXXVIII.

Inepta nec admittenda est contra sententiam sub & obreptionis exceptio vel querela.

QUando contra sententiam proferebatur sub- & obreptionis exceptio seu querela, visum fuit statim rejiciendam esse, (1) tum quia cum illa non nisi causa cognita feratur planè incongrua, & velut in adjecto contradictio sit, (2) tum quia illam lex aut mos non fecit legitimum sententiam impugnandi medium. (3) Quo sine in rem judicatam transit, nec vel Principis rescripto aut mandato rescindi potest. (4) Habet etiam injuriæ aliquid in judicem, ac si officio suo præcipuo, quod est in causæ cognitione defuerit, ut nisi magis ex imperitia quàm proposito eam querelam motam fuisse colligi potuisset, advocatus pœnam non levem meruisset. *In causa viduæ D. Steckmanns, contra Matthæus Thun, die 5. Decembris Anno 1656.*

1. Quæ planè inepta sunt, non admittit judex nisi ipse ineptus, sed si quis in judicio eas ineptias contra judicata agere velit, non auditur, *l. 1. C. quand. provoc. non est necess.* congruit hoc officio judicum, ut amputent lites, *l. properandum 13. pr. C. de Iudic.*

2. Tantùm ubi causâ non cognitâ decernitur, exceptioni sub-& obreptionis locus est, *l. etsi non cognita 4. C. si contra jus vel util. publ.*

3. Ad improbandas sententias non admittuntur alia quàm legibus moribusque approbata & recepta remedia. *l. 1. ff. de Appellat.*

4. *l. fin. C. Sentent. rescind. non poss.*

DECISIO CXIX.

Interventioni utut in prima instantia omissæ in secunda tamen locus est.

INterventioni opposita exceptio omissionis in primâ instantiâ nihil proficere potest postquam interventioni nullum tempus lex posuit; (1) nec eam instantia terminavit, (2) sed potius in quavis litis parte locum reliquit, imò etiam post sententiam. (3) Et quando tertio à sententia adversus alium lata appellare, & appellationi ab alio interpositæ adhærere permittitur; qui denegabitur interventio; cui etiam post sententiam in executione locus datur. (4) Unde rejecta statim est exceptio de instantia, ut quæ in jure locum non habet. *In causa Arnoldi ab Huden contra Landgravii Hassia satrapam in Lilienthal die 18. Decembr. Anno 1656.*

1. *Felin. in c. cum super. numer. 3. de sentent. & re judic. ubi ait in omni judicii parte locum esse intervention.*

2. *Gail. 1. Observ. 70. num. 4.*

4. *Gail. dict. Observ. 70. num. 15.*

4. In quo tamen interest utrum ad assistendum appellatur, an ad impediendum seu an pro jure tertii an pro suo. Tunc observandum circa interventionem in causa appellationis quod explicatur à *Petr Frider. Mindan. lib. 3. de Contin. Cons. cap. 9. num. 6.*

DECISIO CXXX.

Specialis inhibitio ob defectum potestatis in faciente & iniquitatem facti videntem pendente appellatione fieri debet.

QUod alias diximus, post introductam & receptam appellationem generalem tantum decerni inhibitionem non specialem, sed si contra illam quid fiat attentatorii querelæ locum esse, postquam causa cognita procedatur, & pronuncietur, id cum aliis modis limitetur, tam etiam aliter servatur, si aut is qui fecit pendente appellatione faciendi facultate plane caret, aut quod facit iniquum, nec tolerandum est, seu ob manifestam injuriam, seu ob scandalum seu ob detrimentum aliquod publicum. Ejusmodi quid accidere visum, quando post decretum Regimenti Provincialis, ut Professores

Digitized by Google

fessores pro defensione provinciæ collectas simul solverent, Senatus urbanus militari manu adhibita suisque apparitoribus juncta Professores pignoravit, seu pignoribus captis ad solutionem adigere sategit. Etsi enim vel debuissent collectas solvere, nec appellationi interpositæ locus esse potuisset, tamen non licuisset ipsis propria authoritate invadere ædes, eripere quædam mobilia, aut intus molestiis, & vexationibus militaribus Professores ad solvendum compellere, cum nihil imperii & jurisdictionis in istos in eorumque bona habeant, per jus Imperii commune exemptione iis concessa, quam etiam in talibus casibus, quando charitativum subsidium necessitate afferre opus fuit, servaram, & non à Senatu sed à Rectore exactam collectam referebant *in causa Professorum Gryphisvaldensium. Die 29. Martii Anno 1659.*

1. *Faber in C. lib. 1. tit. 10. defin. 18.*

2. Propriæ authoritatis exercitium in jure valde odiosum, & severe prohibitum est. *l. exstat. 13. ff. quod vivel met. caus. l. si quis in tantam 7. Cod. unde vi.*

3. Quo sine mera vis est quæ intentatur *l. 8. ff. ad L. Iul. de vi publ.*

4. *Iuxta Auth. Habita C. ne fil. pro patr.*

DECISIO CXXXI.

Non est decernenda in possessorio retinendæ inhibitio ad solam appellantis de possessione allegationem, si sententia aliud dicat.

QUod communiter credimus & observamus ut in interdictis retinendæ possessionis non decernatur inhibitio, (1) id sic obtinere putamus si appellatus sit in rei possessione vel detentione. (2) Secus est quando qui appellat possidet, (3) cum unumquemque pendente lite in possessione defendi, (4) nec sine plena causæ cognitione ex ista dejici oporteat. (5) Id verò sic accipiendum est, si constet ex actis aut doceatur, ab appellante rem cujus possessio controversa est detinere. Non enim nudis ejus narratis ad impetrandã inhibitionem credendum, sed prius inquirendum est, aut ex actis cognoscendum, an illa vera sint. Etsi enim alias in decernendis processibus ad narrata appellantium saltem respiciatur, tamen in eo casu ubi regulariter non decernitur inhibitio, illa ad nuda narrata non impetratur, nisi quod pro exceptione profertur, verisimiliter demonstretur; tum quod contra exceptionem præsumptio est; (6) tum quia inde ex inhibitione occasio gravioris rixæ & tumultus; (7) tum quia sententiæ judicis major debetur fides quam allegationi partis. (8) Et cum hæc inter se pugnant, non potest non esse res dubia. In dubio verò non est decernenda inhibitio, quoties in eo quod illa mandat, causa consistit principalis, eique per istam inferetur grave præjudicium. (9) Ex hac ratione cum decernerentur processus, veluti citatio & compulsoriales, inhibitionem omittendam esse conclusum fuit. (10) *Ad instantiam Hermanni Bolleman, contra Theodorum Reimer, die 21. Aprilis Anno 1657.*

1. *Gail. 1. Observ. 144. num. fin.*

2. *Petr. Frider. Mindan. de Mandat. lib. 2. v. 27. num. 2. sic declarat & explicat Ordinatio Summi Tribunalis part. 2. cap. 3. §. 15. verb.* Wann der *Appellant* in Besitz ist.

3. *Mindan. d. cap. 27. num. 8. in pr.*

4. Integer debet esse status appellantis pendente appellatione. *Franc. in c. cum teneamur num. 7. X. de Appellat.*

5. *Mandos. de Prohibit. quæst. 23. & 46.*

6. *l. ab ea ff. de Probat.*

7. Id judex omninò præcavere debet, ne partes ad graviora dissidia & arma deveniant, quod non potest non fieri, quando altera sententia, altera inhibitione facta contendit sibi servare possessionem.

8. Plenam quidem fidem sententia judicis à qua appellatur non meretur, aliquam tamen præsumptionem facit, quam elidere debet meliori fide qui contrà eam inhibitionem impetrare velit.

9. *Hoc prolixius exponit in terminis Gailius Observat. 145. per tot. part. 1.*

10. Præstat in talibus intacta & illæsa servare jura quam post vulneratam causam remedia quærere. Non potest appellans de non impetrata inhibitione conqueri, dum aut sibi imputare debet, quod statim non allegat & commonstrat se esse possessorem, tum si id alia ratione difficile, ut non maturet prosecutionem appellationis, ex qua post edita acta si appareat eum possessorem esse, aut si utriusque argumenta rem dubiam faciant, potest impetrare inhibitionem *Mindan. d. cap. 27. num. 8.*

DECISIO CXXXII.

Immunitatis possessio, jure ejus ut ut controversa, appellatione defenditur.

APpellabat qui se majoresque suos longissimo tempore quo bona aliqua à tributis immunes fuisse allegabat. Quæstio inde suborta est, de appellatione recipienda, præsertim verò inhibitione decernendâ, in qua eo cautiores esse oportet, quod causa Rempubl. quæ tributis sustentatur, concernebat. Ut verò commoda Reipubl. omni modo adjuvanda sunt, haud tamen ita ut istius causa cuiquam fiat injuria. Illa enim constituitur & amatur, ut quisq; sub ea jure fruatur. Existimabatur decernendum esse, utrũ ipsa possessio esset controversa, an vero jus tantum illius. Illa sub litigio versante vel magistratus seu judex in momentaneo

Digitized by Google

possessorio saltem pronunciavit & decrevit, atque exactionem pendente lite faciendam definiit, & non attenta appellatione illi standum erit; (1) vel in ordinario prolocutus est sententiam, & tunc observanda sunt, quæ aliàs de appellationibus in possessoriis remediis jurisprudentia & praxis fori recepit. (2) Nec enim apparet diversitatis ratio. Ubi verò possessio non est incerta, attamen justitia ejus controversa, utique non attento, quod qua appellantem hæc valde dubia existit, tamen defendendus est in possessione, (3) donec lis super jure ejus finiatur, nisi jus commune isti validè contrariatur. (4) Tunc hoc potius sequimur, quam ei contrariam possessionem, dum hanc per illud vitiosam & reprobam putamus, donec in lite ab illo exemptio docebitur. (5) Ubi cessat ea resistentia, ibi obtinet possessionis defensio. (6) Non eluebat autem ex iis, quæ pro extrahendis processibus narrabantur, unpe colligi posset immunitatem, cujus quasi possessio appellatione propugnabatur, jure communi esse adversam, sed potius fundabatur intentio in jure locali, (7) per quod ejusmodi possessiones nobilium, ut erant, de quibus controvertitur, à collectis immunes, servitiis tantum equestribus addictæ sunt. (8) Addebatur allegatione longa plusquam sexaginta annorum possessio. (9) Nec dubium esse poterat, si ita se haberent quæ narrabantur, eam possessionem defendendam esse utut titulus immunitatis alius præter consuetudinem (10) non allegaretur *in causa Otto Heinrich von Hulden, contra die Eingesessene in Hamelverden, Die 29. Iunii Anno 1655.*

1. *Ita ex Benitendi decis. 79. num. 1. scribit Klock. in tract. de Contribut. cap. 19. num. 129. si judex in momentaneo possessorio mandet possessionem exigendi collectas pendente lite continuari, appellationem non admitti. Vid. Scacc. de Appellat. quæst. 17. limit. 6. memb. 3. num. 30.*

2. Quæ videas latissime exposita apud Scacciam *in tract. de appellat. dict. quæst. 17. limit. 6. per totum.*

3. Ubi non diversa apparet ratio, sequimur regulas juris communis, *lib. 1. ib. Dd. ff. de Reg. Iur.*

4. In dubio possessoris melior semper est conditio. *l. 2. ff. uti possidet l. 2. Cod. de Condict ob turp. caus.* idque etiam obtinet in causa tributorum post appellationem, *l. abstinendum 4. verb. dummodo evidenti & convicti l. fin. Cod. quor. appell. non recip.*

5. Sic distinguitur circa eam quæstionem, an lite super exemptione pendente possessor immunitate defendendus sit? utrum ea jure communi nitatur, an illi repugnet? *Vid. Fulv. Pacian de Probat. lib. 2. cap. 20. num. 26. & seq. & num. 48. & seq.* Resistentia juris communis efficit, ut exemptionis quæstione pendente solvenda sit collecta, nisi titulus ejus exhibeatur, *Bossius in tit. de princip. num. 148. & num. 235. Victor. de Exempt. Conclus. 39. in fin.* Non tamen qualis qualis sed vehemens resistentia requiritur. *Vid. Covarruv. Pract. quæst. cap. 17. num. 6.*

6. *Menoch. cons. 307. num. 61.*

7. Statutum vel consuetudo cujusque loci juris communis ibi instar habet, *l. de quibus. 23. ff. de Legib.*

8. Ubi nobilitas personæ vel conditio bonorum inducit immunitatem à tributis, illum docere volens & summariam super ista cognitionem petens in possessione defendendus, nec ad petitorium nisi illa salva remittendus est, *Gutierrez. lib. 1. quæst. Canonic. 14. num. 104. seq. & 197. seq.*

9. Viginti annorum possessio immunitatis facit, ut allegans ab impositione defendatur, etsi alium titulum statim non doceat, *Vasq. tom. 3. lib. 1. de Success. §. 5. num. 24.*

10. Ex consuetudine acquiritur & defenditur immunitas, & pro hac conservanda illam adducere sufficit, *l. 1. C. de Erogat. milit. annon. Myns. resp. 1. num. 44. 48. seq. dec. ad.* 15. Sicut eandem cuique corroborat Recessus Imperii Anno 1542. §. Und wiewol in den ꝛc. *Verb.* Altem Gebrauch nach/ ꝛc. *& verb.* Doch ihnen an ihren alten Gebräuchen und Herkommen/ sonst in allen Wegen unschädlich und unabbruchig.

DECISIO CXXXIII.

Appellatio unius devolvit ad superius judicium quicquid ejus causæ est, etsi coram inferiori judicio altera pars alio remedio sententiam impugnet.

QUando altera partium à sententia ad superius judicium appellaverat, altera contra eandem restitutionem in integrum coram inferioti judicio juxta ejus ordinationem petierat, visum fuit ex appellatione totã causam ad judicium superius devolutam (1) huc etiã quod sub implorationepro restitutione in integrũ continebatur remittendũ vel avocandum esse, siquidem hujus esset quædam cum puncto appeliationis connexitas. (2) Ex hoc fit causa individua, faciens continentiam causæ non dividendam, (3) cujus etiam ille effectus est, ut licet diversi fori sint, qui quæ vel in judicium deveniunt, tamen ne divisio fiat ad unum commune aut quod potius est referuntur. (4) Idquod creditur esse superius quod ex continentia causæ ad se trahit quod alias est inferioris. (5) *Ita judicatum in causa Margarethæ von Horn, contra obrist. Leutenant von Horn.*

1. Individua fit causa ideo causæ continentia ratione appellationis *l. 1. l. 2. C. si un. ex plur. appella. de quo vid. plura ap. Petr. Frid. Mindan. l. 3. de Contin. caus. cap. 16. num. 1. seq.*

2. Ex appellatione continentia non aliter procedit quam si adest connexitas & una eademque causa defensionis *l. si quid separatim §. fin. ff. de Appellat. c. pen. X. eod.*

3. *l. nulli*

Digitized by Google

3. *l. nulli 10. C. de judic. tot tit. ff. de quib. reb ad eund jud.*

4. *l. 1. ff. de quib. reb. ad eund jud. l. omnes 5. C. arbur. tutel. Mynsing. resp. 87. num. 1.*

5. *Petr. Frid. Mindan. in d. tract cap. 4. num. 1. & seq. Mynsing. 1. observ. 4.*

DECISIO CXXXIV.

Ad solennia appellationum in secunda instantia adigi non debet appellans ubi statim pro ea pronunciatur.

QUod alias servari solet, ut ob omissa solennia, quæ statutum requirit, appellatio quidem sustineatur, sed in secunda instantia omissio restauretur & præstatio injungatur, (1) non admittitur, ubi statim ex actis prioris instantiæ judicandum pro appellante, ideoque gravamina superque iis processus superflua sunt. Inane esset ista exigere atque onerare appellantem ubi statim finitur lis, (2) Cessat tunc ratio exigendi. Nec enim aut appellantis malitia coercenda est, ubi causæ bonitas ex actis est notoria, nec cautione opus ubi nihil ipsi incumbit. (3) Quod itaque in secunda instantia post edita acta de non præstitis solennibus opponebatur plane posthabitum est, super ipsa lite pronunciatum. *In causa Viduæ Georg Behren, contra Viduam Baronis Hanss Wachtmeisters. Die 6. April Anno 1658.*

1. *De quo & super eo praxi Camerali vid. Gail. 1. Observ. 1. 4. n. 2. seq.*

2. Inania in judiciis non sunt admittenda, præsertim quatenus ad remoram litis tendunt.

3. Etsi solennia appellationum per leges vel mores reddita sunt necessaria, iis tamen minime abutendum, ubi plane non sunt necessaria.

DECISIO CXXXV.

Ante inhibitionem quæ suspendit effectum ordinationis vel statuti, summaria præmittenda cognitio, & quando post hanc illi locus est.

CUm à Statuto vel ordinatione magistratus provocatur ad superiorem vel querela nullitatis movetur, generatim quidem dici potest, jus inhibitionis seu suspensionem effectus vel executionis ex jure ordinatorum dependere. Quo apparente injuste fiet inhibitio, eo non elucescente ad illam devenitur in obscuro & dubio. (1) Congruum suspendi decretum & summariâ præmitti causæ cognitionem. (2) Per quam si aliqua injustitia aut noxa statuti deprehenditur recte fiet inhibitio, (3) donec plene ordinario judicio jus ordinationis eventilabitur. (4) Quando vero nihil iniquitatis statim eminet, audiendi quidem erant cives, at non impediendus in executione magistratus, tum ob præsumptionem justitiæ atque rationis, quæ pro eo tanquam viro bono militat; (5) tum ob debita reverentiæ atque obsequii quod generatim subditis incumbit, (6) tum ob debitam superiorum imperio autoritatem. (7) die 25. Maii Anno 1658.

1. Superior magistratus inferioris manus non modo non facile ligare, sed omni spe & favore ejus statuta promovere debet. *Laudens. in tr. de Princip. quæst. 67. num. 2.*

2. Est inhibitio executionis species & dejectio ex possessione vel quasi, ad quam sine causæ cognitione non descendendum. *l. 1. Cod. de Execut. rei judic.*

3. *l. ambitiosa 16. Bartol. ff. de Decret. ab ordin. fac.*

4. De statuti injustitia illiquida ordinario processu agendum esse dicit Alberic. *in tr. de statut. part. 3. gloss 7. n. 28.*

5. *l. 2. de Offic. Rect. provinc.*

6. *l. Episcopale 8. C. de Episc. audient.*

7. Quod illusorium & inane esse non debet. *l. fin. ff. ne quid in loc. publ.*

DECISIO CXXXVI.

Attentat pars, cum adit judicem inferiorem, super eo quod ad superius judicium pertinet.

OMnis actus qui post appellationem tendit in judicis superioris contemptum, attentatum est. (1) Talis est, cum pro eo quod coram judicio superiori petendum vel proferendum erat, aditur judex inferior, (2) maxime si appareat ideo fieri, quod nolit cum adversario causam coram isto agere. (3) Similis est quicunque appellantem gravat in ea re, quæ ad superiorem cognitionem pertinet, (4) præsertim ubi fit post receptam appellationem decretos atque insinuatos processus. Nam vel sola notitia appellationis ad eum honorem obligat, ut nihil post appellationem in præjudicium causæ fiat. (5) In quo non tam exitus spectatur, quam initium. Et jam quod effectum non habuit, attentati vitio & judicio fit obnoxium. (6) A quo non excusat judicem à quo noluisse deferre appellationi, atque apostoles refutatorios edidisse, postquam inhibitio jam processerat. Potius quippe post appellationem interpositam, multo magis post decretos processus, suspiciendum est superius judicium. (7) *Ita judicatum in causa Advocati Fisci, contra Burchart Behren. die 17. Iunii Anno 1659.*

1. *Vid. Lancell. in tr de Attentat. part. 2 cap. 13. in præfat.*

2. Hujus jurisdictio cessat, quia per appellationem suspensa & pene exstincta est. *l. 1. §. 2. ff. de SC. Turpilian.*

Digitized by Google

3. In hoc manifestus est contemptus.

4. *Lancellot. dict. tract. cap. 12. in præfat. num. 7. seq.*

5. Provocatio, ut est jus superioris, cujus in ea veneratio apud judicem partesque esse debet, tanquam ex rei conditione necessaria, ita nihil arbitrii iis relinquit, sed ex quo respectu ad observantiam devincit, alias futura inutilis aut securitati non apta.

6. *Vid. Fab. in cod. lib. 1. tit. 10. defin. 6.*

7. Id inter decisiones nostras alibi scriptum est, quod etsi judex refutatorios det apostolos tamen super devolutione superioris est cognitio, ejusque sententiam exspectare & sequi tenetur.

DECISIO CXXXVII.

Inhibitioni contra privilegium quando locus est.

CUm privilegium obtinuisse diceretur typographus, idque exercere intenderet, appellatione interposita Magistratus civitatis & alius typographus post cæteros processus jam obtentos inhibitionem rogabat. Quâ hanc interesse putavimus, utrum ab ipso privilegio appellatum esset (1) an cum id impugnatum esset à decreto quod usum ejus confirmaret. Appellatio ab ipso privilegio suspendit & dum lis pendet extinguit vim ejus; (2) ideo ne isto obtinens utatur, ideo contra usum inhibitio recte impetrabitur. (3) At cum post obtentum privilegium de ejus jure vel exercitio oritur quæstio, appellatio à sententia vel decreto non efficit, nequis lite pendente utatur, sed exercitium impetranti relinquitur. (4) Nisi quatenus vel plane nullum erit privilegium, nempe si noxium monopolium sapit, (5) vel si obtinuit eo in publicam privatam que injuriam abutitur. (6) Quod etsi obtendebatur, tamē non apparebat, nec dijudicari poterat, nisi exhibito prius privilegio; ideo ut exhiberetur decretum præcessit (7) *in causa Senatus Stetinensis & Michael Höpfnern, contra Georg Gözken. Die 13. Novemb. Anno 1655.*

1. Quemadmodum à statuto quod in unius vel paucorum & aliorum præjudicium & incommodum conditur appellatio licita est, perinde etiam à privilegio appellari posse non dubitamus.

2. *l. 1. §. 4. ad SC. Turpill.*

3. Pendente appellatione nihil innovari debet, generalis regula est *l. un. C. nihil innov. pend. appell.* qua in nulla lege exceptio appellationis à privilegio reperitur.

4. Privilegiatus dum disputatur de viribus privilegii, non prohibetur uti privilegio, nec privatur commodo possessionis. *Lancellol. in tr. de Attentat. part. 2. c. 17. num. 162.*

5. *l. un. C. de Monopol.*

6. *Lancellot. dict. tract. part. 2. cap. 4. in. præf. num. 483.* ubi scribit talem privilegii usurpationē pro attentato esse.

7. Super privilegio non est statuendum nisi eo inspecto, ideo ante omnia cum allegatur ejus probatio per scripturam, ideo inhibitio decernenda est. *Cot. man respons. 55. num. 61. vol. 2.*

DECISIO CXXXVIII.

Per petitam apud judicem à quo restitutionem in integrum, quando non censetur renunciatum appellationi.

MUlier condemnata ut hæres patris appellaverat, introducta autem appellatione & impetratis processibus, cum immixtio ex actibus à marito factis arguerētur, coram judice à quo restitutionem in integrum contra mariti facta rogavit, indē exceptio renunciationis appellationis postea ab appellato opposita est, & in quæstionem venit, utrum post eam petitam adhuc appellationi & super hæc ulteriori liti locus sit? Videri initio poterat, remittendam esse causam ad judicem inferiorem, quod tacite renunciatur appellationi comparendo in eadem causa coram judice à quo. (1) At considerato penitius, quod id in præsenti casu non fiat pro eodem fine, nec in eadem causa, nec contra eundem adversarium saltem, sed simul contra omnes mariti creditores, non ut absolvatur tantum ab actione instituta, sed ut declaretur non esse hæredem, & ab omnium mariti Creditorum petitionibus libera sit, (2) non potest ex diverso remedio & diversa causa inferri renuntiatio. (3) Qua restitutionem verò in integrum interest, an contra eandem sententiam in eadem causa petitur, (4) an verò contra alios actus & adversus alias personas. (5) Hoc cum deprehenderetur, non attenta fuit exceptio, sed in puncto relevantiæ gravaminum sententiam proferre placuit *in causa Vidua Cæsari Normans, contra Ernest Weiern, die 17. Martii Anno 1654.*

1. *Maranth. in spec. part. 6. act. 2. tit. de Appellat. num. 342. Rebuff. in tr. de Appellat. artic. 15. gloss. 1. n. 7.*

2. Cum diversa est causa aut diversus articulus super quo coram judice inferiori petitur auxilium, aut quod justum, non oritur ex comparitione Appellationis renunciatio. *Scacc. in tract. de Appellat. quæst. 17. limit. 2. num. 65. & 67.*

3. Renunciatio stricti juris est nec extenditur ad alia.

4. Coram eodem judice potest quidem cumulari aut ad eundem finem conjungi appellatio & restitutio in integrum, *l. 1. §. 4. ff quod legat. Odrat. cons.*

Digitized by Google

cons. 108. num. 5. Zas. singul. respons. lib. 1. c. 20. numero. 13. & 23. At non apud diversos simul utrumque remedium agitari. Nemo cogitur de eadem re & causa simul apud diversos judices litigare *l. 1. l. 2. ff. at ad. eund. jud.*

5. Diversæ causæ apud diversos judices agi possunt, & causæ atque personæ, etsi eadem quæstio sit, discriminant forum. *l. si cum uno 22. ff. de excep. rei jud.*

DECISIO CXXXIX.

Additionales articuli post fatalia introducendæ appellationis vel implorationis pro restitutione admittuntur.

POstquam fatalia introducendæ implorationis pro restitutione in integrum jam elapsa erant, implorans justo tempore propositæ addidit alios articulos, & quæsitum utrum post lapsum fatalium admitti deberent. Visum fuit decerni debere, utrum continerent nova & à prius propositis plane aliena, an verò cum his connexa seu conjuncta & dependentia. Illa admittere integrum non erit. (1) Hæc autem excludere iniquum, (2) cum non deducta deducere, non probata probare, etiam libellum usque ad litem contestatam emendare non illicitum erit; (3) Præsertim si quod in additionalibus continetur faciat ad demonstrandum aut probandum quod in libello habetur, ei locus non minus quam alii cuique deductioni seu probationi relinquendus est. (4) *Sic judicatum in causa N. Ferbern, contra Abraham von der weyden; Die 18. Jan. Anno 1661.*

1. Excludit terminus præfixus nova. *Muscatell. in prax. part. 5. gl. impertinentes n. 16. 17. Capyc. decis 81. num. 8.* nisi postea demum emergant. *Annon singul. 6. num. 2.*

2. *Gilman. decis. Camer al. 19. in pr.* Æquitatem hujus rei docet *Moller. lib. 1. semestr. cap. 36.*

3. *Muscatell. in d. gl. impertinentes num. 44.*

4. Hoc convenit ordinationi Cameræ Imperialis *part. 3. tit. 4.*

lem non competentis actionis exceptioni. Nec dubitatum fuit, si apparuisset manifeste ex actis, alia in appellationem esse deducta, quam dequibus in prima instantiâ fuit actum, statim rejiciendam esse. (3) Licet enim appellatis competit in appellationis instantia non deducta deducendi, non probata probandi beneficium, non tamen nisi quoad ea quæ ad causam uti in prima capta fuit pertinent. (4) Nec enim in secunda mutatio libelli integra est, (5) nedum perversio controversiæ status. Quæ nihil aliud est quam transitus ad alia. (6) Attamen cum non plane perspicuus ille esset, & libellus haberet plura ad priorem litem facientia, non statim propter aliqua incongrua super ista exceptione pronunciatum est, sed pro acceptatis litis contestatione atque responsionibus deposita est ejus deductio ad ulteriorem processum. *In causa Otto Heinrich von Hadelen, contra die Eingesessene des Kirchspiels Hamelverden. Die 17. Ianuarii Anno 1657.*

1. Sic in appellationis instantia frequenter fit, litem quidem contestari & responderi, at non nisi in eventum, si id fieri debet, præmitti autem exceptiones non devolutæ peremptæ vel non competentis appellationis.

2. Et hoc appellantibus non infrequens ad seducendum adversarium, deinde etiam judicem, libellum appellationis à verò controversiæ statu diversum formare, ut his perversis judicium à recto tramite divertat. Quod aliquando nec aparte nec à judice advertitur, considerati tamen & caveri expedit.

3. Hoc statim debetur ineptis & non admittendis.

4. Ita seipsum declarat *l. per hanc. c. de tem. appell.* ubi ait, beneficium pertinere tantum ad ea, quæ nova quidem sed ex propositis in priore instantia oriuntur vel conjuncta sunt. Unde patet diversa plane esse excepta, uti latius exponit *Hartm. Pistor. illustr. quæst. 23. num. 18. & seq. part. 4.*

5. Cum dilecti X. de Empt. & vendit. *Bartol. in d. l. per hanc num. 4. Bald. in l. edita. num. 105. c. de edend. Roman. cons. 381.*

6. *Decius in d. l edita. num 54. ibidem Alciad. & cagnol. num. 177. & seq.*

DECISIO CXXXX.

Exceptio perversi litis status in Appellationis instantia litis finitæ seu peremptoria est, & quomodo super illa procedendum.

CUm appellati responsionibus ad libellum præmitterent eam protestationem, de iis non nisi in eventū si respondere tenerentur factis (1) opponerent exceptionem perversi in appellationis instantia controversiæ status, (2) existimatum est, esse illam peremptoriam seu litis finitæ & simi-

DECISIO CXXXXI.

Proprii hominis Matrimonium sine domini consensu nullum est, & qualis is esse debet.

PRopriorum hominum, ut sunt in Pomerania Rustici & glebæ adscripti, matrimonium quidem est, (1) at non aliter validum, quam ex consensu dominorum. (2) Quorū contradictione sponsalia distrahuntur. Illum itaque re integra rustici petere tenentur, dominus vero impertiri non cogitur. (3) Etsi vero hunc iste impertitus fuerit;

Digitized by Google

rit, sic intelligitur ut salva ipsi sit servitutis causa, nisi ex circumstantiis aliud colligitur. (4) Quare cum appellans diceret sequidem permisisse ut fœmina nuberet, at sub illa cõditione, ut procum sibi subderet, & tanquam rusticus glebæ suæ adscriberetur, quia tale reservatum & vero simile & justum erat, audire visum fuit. *In causa Ioachim Sukoven, contra Ioachim Hartwviegen. Die 20. Martii Anno 1657.*

1. Æqui paratur quidem in aliis hoc hominum genus servis, nec à servili conditione multum abest non tamen ut servorum non est conjugium sed tantùm contubernium *l. 3. C. de incest. nupt.* ita illorum matrimonium contrahere.

2. Ita mos recepit & potestati convenit, quæ in illos competit. Maxime etiam dominorum interest, quomodo illi per nuptias jungantur, dum deinde præjudicii, damni & incommodi multum existere potest.

3. Nemo circa res suas quidquam cogitur facere invitus *l. fin. c. de contr. Empt.* quia rerum suarum moderator is atque arbiter est. *l. re mandata 21. c. Mandab.*

4. Nemo sua jactare præsumitur. *l. cum de indebito 25. pr. ff. de condict. indeb.*

TIT. LXIII.

DE TEMPORIBUS ET Reparationibus appellationum seu consultationum.

DECISIO I.

Ex non habita actorum copia ad justificandam appellationem necessaria, restitutio contra lapsum fatalium indulgeri adeoque & processus ea non obstante decerni debent.

JUdex à quo, cum appellasset à processibus quos judex superior decreverat, ideo quod in præjudicium privilegiorum devergerent, (1) sivit labi fatalia introducendi & post eorũ lapsum, quæ pro introductione necessaria attulit, excusans morã quod acta prioris instantiæ ob aliam causam connexam essent transmissa ad JCtorum extraneorum Collegium, isque defectus obstitisset confectioni Libelli ad justificationem necessarii. Indubie is habendus est pro causa justa impetrandi prorogationem fatalium, (2) ideo etiam restitutionem in integrum, (3) cum impedimentum fuerit faciendi quod incumbebat. (4) Haud vero opus visum hanc expressim indulgere, sed sufficiens si admittatur appellans, (5) modo constaret de impedimento. (6) Quod etsi verosimile, non tamen ex actis apparens, non statim admittendum est, sed prius super eo adversa pars audienda & exspectanda probatio, (7) modo revelatura sit, gravaminibus sic comparatis, ut relevent & admittidebeant. *Ita consideratum in causa Consulum & Senatus Stralsundensis Civitatis, contra Garlip Goßquin, die 7. Sept. Anno 1658.*

1. *Tertio pro interesse appellare licere sæpius scriptum.*

2. Quidquid impedit ut appellans non possit prosequi appellationem seu facere pro ista necessaria, justam causam præbet rogandi & impetrandi prorogationem fatalium. Ex eo enim per illum non stat cur non prosequatur. Non valenti agere non currunt fatalia. *l. 1. §. ne autem C. de Annal. proscript.*

3. Quæ non sinunt labi fatalia, post lapsum justam restitutionem petendi causam præbent. *Bald. in l. 2. C. de Temp. appellat.*

4. Sine actis non licet conficere libellum, qui pro introductione appellationis juxta ordinationem exhiberi debet.

5. Expeditius est ut judex omissa restitutione appellationem admittat, & circuitum evitet, *ut consulit. Gail. 1. Observ. 140. n. 6.*

6. Est enim opus probatione impedimenti & diligentiæ. *Gail. 1. Observ. 143. num. 2. & seq.* quæ præsupponit processum, in quo audiatur adversa pars & discutiatur causa at summarie. *v. Gail. d. Observ. 143. num. 7.*

7. Frustra & in epte super restitutione contra lapsum fatalium admittitur disputatio, si non appareat gravamina appellationis esse relevantia. Ad probandum enim non est admittendum, quod probatum nihil relevat.

DECISIO II.

Tempus decendii ad appellandum non currit declarationem sententiæ petentibus.

OB dubium sententiæ sensum declaratione petita at rejecta appellatum fuit abista dudum post decendium à tempore ejus latæ, saltim cum super declaratione decretum exiit. Non eo minus tamen appellatio cum gravamina non irrelevantia apparerent recepta fuit (1) quia appellari non potuit antequam appellans se gravatum sciret: scire autem non posset ubi sententiam non intellexit, (2) ex declaratione rejecta sensum verum accepit, modo tamen declarationem petendi probabilis ratio fuerit. (3) Inde ut alias impedito fatalia interponendi non currunt. (4) Ita nec iis, qui declarationem juste & congrue petunt, labi debere visum est: *In causa Claus Koppens, contra Conrad willers. Die 22. Maii Anno 1660.*

1. Sic observatum multis exemplis, ut quamdiu est incertus sententiæ sensus, proque eo explorando supplicatum, fatalia interponendæ appellationis labi non putetur, sed appellatio postea interposita recipiatur. Id tamen etiam pro cautione adhibitum scio, ut qui se gravatum putat vel protestetur, de ignorantia intellectus & interea non habendis fatalibus, vel eventualiter appellet, prosecutionem tamen interea differat, quod servari majoris cautelæ ergo suaderem ad evitandam eam, quæ ratione lapsorum fatalium incidere potest disputationem.

2 Non

Digitized by Google

2. Nondum scienti contra semet judicatum, non labuntur fatalia. *Petr. Greg. Tholos. in tr de appell. lib. 6. c. 6. n. 20.*

3. Discernendum sic quà lapsum fatalium justè nec ne petita fuerit declaratio. Siquidem sententia satis perspicua fuerit à nemine non ex verbis, aut ex actis, super quibus lata & ad quæ se refert, intelligenda, nihil ad remorandum processum aut fatalia sistendum proficere debet petitio frivola & inepta: qua aliqui abutuntur sed non fovendi.

4. Appellandi tempus ab initio utile est, quoad progressum continuum *Mynsing. cent. 2. observ. 2. in fin.*

DECISIO III.

In bello fatalia appellationum non currunt, cum ejus tempestates agentibus obstant.

QUod dicitur in bello dormire præscriptiones, (1) idem ad appellationum fatalia pertinet. (2) Verum sicut casus belli non sunt perpetui, suaque habent intervalla & laxamenta; (3) ita nec aliter sistunt lapsum fatalium, quam cum ei, quod faciendum, sunt impedimento. Ideo non satis est apparere de bello, sed oportet etiam judici constare illud esse causam immediatam non agendi, (4) id quod non tunc tantum fit, quando jus non dicitur, (5) sed etiam quando judicia vigent, at itinera sunt intuta. Ideoque aut ad ista perveniendi, aut cum Advocatis consulendi, aut alia necessaria efficiendi difficultas adest (6) quæ per protestationem (7) declarata excusat (8) à mora & facit sisti fatalium lapsum, uti Judicatum *in causa Augustin von der Lühen filii, contra die Behren. Die 9. Julii Anno 1660.*

1. *Abbas in cap. ex transmissa num 4. X. de præscript.*

2. Hæc præscriptionis species sunt *Bartol. in l. 3. C. de temp. appell.* ideo ab hac ad illa procedit, qua lapsum temporis argumentum.

3. *Natta Consil. 631. num. 56.*

4. *Vincent. Hondeda consil. 84. numero 28. lib. 1.*

5. Bellum præscriptionem non impedire cum jus dicitur scribit *Menoch. consil. 896. num. 32.*

6. *l. 2. ff. si quis caution judic sist.*

7. Protestatione de casu & diligentia opus esse tradit *Hondeda d. consil. 84. num. 28.*

8. Difficultas persequendi excusat à prosecutione appellationis, ut non dicatur ob eam non factam deserta *Gail. 1. observ. 142. num. 1. & 2.*

DECISIO IV.

Cum ex conventione vel lege certus modus determinatus est super devolutione appellationis, cum incidit dubium, arbitrium petendi, neutrum judicem tam à quo quam ad quem decet, de eo citra illud quidquam decernere.

EX transactione inter Illustriss. Principem & Civitatem ipsi subditam constitum erat, ut in certis casibus exceptis appellare à Senatus sententiis nõ liceret ideoque non attenta appellatione aut inhibitione progredi fas esset. De illa verò specie si nihilominus processus decreti aut casus dubius esset, additum, quod à Senatu acta ad Collegium JCtorum transmitti, decisio puncti devolutionis peti & exspectari, juxta istum procedi debeat. (1) Exoritur autem inter Dicasterium Provinciale & Senatum freques contentio, hoc negante casum esse appellabilem, illo affirmante, inde non modo inter partem appellantem & Senatum, sed & inter hunc & prædictum Dicasterium disputatio. Ita postquam Senatus pro defendenda sua sententia quædam attulit, alia ex adverso reponuntur, impeditur medium decisionis & eveniunt appellationes non raræ. De quo conquestus Senatus petiit generale decretum, quo amputaretur ista dimicatio & statueretur, quid ex ortâ tali contentione in posterum faciendum sit. Visum autem præstantius esse id quod in transactione continetur remedium decidendi exactè servati, (2) tum quod illius observantia juxta literam omnes lites facilè amputat, (3) tum quod æquum verba transactionis in id repertæ, ut finis litium talium esset, sequi, nec ab iis vel latum unguem decedere, (4) tum quod ea disputatio fieri non potest, ut non attingantur & hinc inde disputentur partium jura, quod nihil utroque judice indignius, (5) tum quia remoratur causas partium, quæ sub illis altercationibus & dilationibus noxiè laborant, & cum lites finiri & imminui debeant, prolongentur & multiplicentur. (6) Nec est ut judex ad quem putare possit, à se prius decidendum esse, utrum casus dubius sit. Fit quippe talis & is ipse talem facit potius, cum ex illa disputatione super devolutione moveri sinit. Oriuntur hinc diversæ opiniones, alter appellabilem credit, alter negat. Quod in contradictionẽ venit, in dubitationem incidit. Nec alia est decisio quam quæ ad illud arbitrium in conventione definitum defertur, quo decidendum quod circa devolutionem dubium est. Quod præferendum alterutrius contenden-

Digitized by Google

dentium opinioni, tum quia sic ex conventione placuit, tum quia sine præjudicio est. (7) Concluſum inde reſcribendum, ut imposterum litera transactionis observetur, ab illis diſputationibus abſtineatur, & ubi dubium incidit, transmiſſio juxta conventionem ſine cunctatione fiat, nec in eo adverſetur judex à quo, cujus eſt ex iſta exſpectare arbitrii tenorem. Sic reſcriptum eſt ad Dicaſterium Regium Gryphisvvaldenſe die 4. Februarii Anno 1657.

1. *Sic habet transactio quæ vocatur* der Stadt Stralſund Erb-Vertrag *cap. 15. § 2.* Da aber in obbenanten Fällen jemand zu appelliren ſich unterſtehen / und aber ex Inſtrumento Appellationis offenbahr ſeyn würde / daß der caſus inter exceptos gehörig / ſolle kein Proceſs erkant werden / und dafern etwa der caſus dubius oder der Appellant per ſub-j & obreptionem Proceſs erhalten / ſoll der Rath die acta und inſtrumentum Appellationis nebenſt dieſem Appellations Receſs an eine Juriſten-Facultät verſchicken / und darüber / ob der caſus appellabilis, oder nicht / ſich belehren laſſen / und die Belehrung ins Fürſtl. Hoff-Gerichte einſchicken / und im Fall die Belehrung ausweiſet / daß derſelbe caſus pro non appellabili zu halten / ſoll alsdann am Fürſtl. Hoff-Gerichte auch weiter nichts darin fürgenommen und erkant / ſondern bey des Raths Urtheil und Executiones gelaſſen werden / auch der Appellant die Unkoſten / ſo auff ſelbige Belehrung gangen / zuerſtatten ſchuldig ſeyn.

2. Cum illa transactio ideo inter Principem & civitatem inita ſit, ut eſſet norma dubiorũ quæ circa appellationes incidunt, eo magis ſtrictiusque circa ea ſervanda nec ab iis vel latum unguem recedendum eſt, *uti monet Caccial up. in tr. de Transact. quæſt. 11. Iaſon. in l. quamvis num. 1. Cod. de Transact.*

3. Nullus litium finis erit ſi à transactionibus facilè recedi permittitur. *l. fratris C. de Tranſact.*

4. *Ioh. Ludov. deciſ. Peruſin. 18. n. 48.*

5. Judex qui utrique parti usque ad ſententiam æquus eſſe debet, ab officio ſuo alienam rem facit, ſi cauſa nondum cognita unius jura magis amplectitur, inde ſuſpectum ſemet reddit.

6. *Contr. l' properandum 13. c. de Iudic.*

7. Juſtum quippe arbitrium ex ſententia juriſperitorum conventum eſt, pro quibus ut præſumendum eſt, quo nihil injuſti pronunciaturi ſint, ita nec cuiquam præjudicaturi.

DECISIO V.

Appellationis inſtantiam finit remiſſio ejus, per quod appellatus ſe gravatum putat & queritur.

APpellatio interponatur ob gravamen per ſententiam illatum. Illo & deſinente & ſublato deſinit appellatio. (1) Iſtud autem fit non tantum, ſi appellans ſententiæ obedienter ſemet ſubmittit, ſed etiam ſi appellatus juri, quod ipſi per ſententiam acquiritur, ſeu cauſæ ob quam appellatur, renunciat. (2) Ex quo fit, ut quod ad ipſum attinet, perinde ſit, ac ſi ſententia dicta non eſſet, ſeu eo loco res habetur, ac ſi in eo articulo, cujus cauſa appellatum fuit, pro appellante pronunciatum eſſet. (3) At non finit ſtatim inſtantiã ſecundam remiſſio ſeu renunciatio gravaminis, & efficit, ut judex appellationis cauſam ad judicem à quo remittat, ſed prius appellans audiri debet, cujus intereſſe poteſt, ne remittatur tanquam ſemel à judice gravatus. (4) Etſi enim gravamen tollitur, id tamen non deſinit, cur cauſa ad illum remitti non debeat. (5) *Juxta hæc decretum in cauſa viduæ Alexandri Harzen, contra Bartholomæum Weſſken, die 6. Martii Anno 1657.*

1. *c. ceſſante X. de Appellat. Scaccia de Appellat. quæſt 5. num. 94. in fin.*

2. Quod ipſum facere poſſe dubio caret, & quotidie fit.

3. *Hoc prolixius exposuit per ampliationes & limitationes pro more ſuo. Scaccia in tr. de Appellat. quæſt. 17. limit. 4. per tot.*

4. Renunciatio quidem cuique licet, qua ſuum jus & commodum, ſed non alterius partis præjudicium, *Papienſ. in Practic. In form. Appellat. à ſentent. definit. in gloſſ. occaſione cujusdam in fin. ſub num. 4* juxta regulam, quod nemo poteſt mutare conſilium in alterius injuriam. Inde nunquam tollit jus appellationis alteri quæſitum. *Bald. in l. ſi quis libellos. num. 1. C. de Appellat. Franch. in c. interpoſita & ille denique num. 12. de Appellat.*

5. Ita præſumptio, quod ſemel gravans imposterum gravare velit, durat, etſi gravamen tollitur, facitque ut ad judicem gravatum non ſit eundum.

DECISIO VI.

Deſertor appellationis damno litis & expenſarum coërcetur, etſi bonam cauſam habere deprehenditur.

CUm ſuper deſertione pronunciandum erat, qui ex actis referebat, non levem movebat dubitationem, dum ſecum certum eſſe diceret, quod ſi appellans appellationem proſecutus eſſet, in hac inſtantia ſententiæ correctionem adeoque victoriam contra appellatum obtinere potuiſſet. Duplex inde ſcrupulus tum de pronunciatione ſuper deſertione, quæ videbatur futura innocentis vel non debentis condemnatio; tum de expenſis litis. Sic vero exiſtimatum, eo non obſtante pronunciandum eſſe, quod appellatio deſerta & deſertor expenſas refundere deberet. Deſertor appellationis abdicat à ſe jus plane, ſi quod habet (1), nec conqueri poteſt, quod à judice ſuperiore ejus non habetur ratio, qui ipſemet ejus rationem non habet, ſed negligens non meretur auxilium. (2) Præterea inde evenit, ut ſententia contra ipſum pronunciata in rem judicatam jam tranſiit, quæ jus facit, etſi injuſte prolata ſit,

Digitized by Google

sit, (3) & excludit deinde omnem litem, (4) nec contra illam victus ullum jus habet. (5) Etsi enim appellaverit, attamen quia non prosequitur appellationem, perinde est atque si non appellasset. (6) Non obstat quod judex contra contumacem, ubi bonam causam fovet, sententiam dicere non debet, sed nihilominus pro ista, tantum hunc in expensas condemnare; (7) hoc enim obtinet tantum pro reo, minimè pro actore, (8) cujus instar appellans habet. (9) Deinde sic procedit si lis supereſt, ut judici sententiam dicere integrum sit. Quod secus post rem judicatam se habet, contra quam sententiæ non amplius locus, quin pronunciata nulla est. (10) Nec tantum non juvandus ultra desertor sed nec ab expensis ideo absolvendus, ubi non amplius an in priori temere litigaverit, inspicitur, sed an injuste circa appellationem versatus sit, cujus qua desertionem pœna ista est. (11) Juxta hæc decretum die 6. Julii Anno 1657.

1. Qui non appellat vel cum appellavit, desistit, ei non supereſt amplius jus sententiam improbandi, sed facit sibi necessitatem obsequendi *l. fin. C. ut lit. pend. l. fin C. sent. rescind. non poss.*

2. Negligentibus jura non sunt scripta, *l. si servus 25. ff. de Pign. act.* nec subveniunt, *l. 16. ff. ex quibus caus. maj.*

3. *l. pen ff. de Iust. & Iur.*

4. *l. 1. ff. de re jud.*

5. *l. & post rem. l. post rem ff. de transact.*

6. Paria sunt non appellare & appellationem interpositam non prosequi.

7. *l. properandum 13. §. fin autem reus 3. Cod. de Iudic.*

8. *Rationem diversitatis enucleatam vide apud Fabr. in C. lib. 7. tit. 18 defin. 56.*

9. *l. qui appellat. 29. ff. de Iudic.*

10. *l. 1. C. quand. provoc. non est necess.*

11. *Vid. Fabr. in dict. defin. 56. ubi alias ejus rationes affert.*

DECISIO VII.

Ob non reproductos in primo termino processus nec exhibitum documentum requisitionis actorum, desertionis pœna non statim decernenda est, & quomodo procedendum.

CUm appellatione interposita in primo termino nec processus reproducerentur, nec documentum requisitionis actorum ab appellante exhiberetur, rogabatur ab appellato, desertionis istius declaratio. Etsi vero ita juxta stylum Cameræ Imperialis fieri solet, (1) tamen quia ille & rigorosus nimis, (2) & à jure communi alienus, (3) nec tam facile ex quavis causa defensionis, quæ in appellatione est, beneficiū cuiquam auferendum aut pro derelicto habendum, (4) melius æquius que visum est, in eo amplius indulgere. Quare aliam de eo Ordinatio summi Tribunalis Regii providentiam habet, discernens, utrum appellans in primo termino plane emaneat, an vero compareat. Contra emanentem ut contumacem permittit desertionis accusationem & supra ea pronunciationem. (5) At non similiter contra comparentem, sed distinguit, utrum ille diligentiam suam & ex hac requisitionem actorum doceat, & tunc ad proximam juridicam reproductionis, & exhibitionis dilationem indulget; an vero vel nulla vel frivola sint, quæ allegat, & nec tunc vult properari ad declarationem desertionis, sed spacium aliquod ad facienda pro arbitrio tribui, tantum pœnam neglectus irrogari per condemnationem in expensas termini. (6) Quæ obtinent, si adversa pars seu appellatus comparens negligentiam seu contumaciam appellantis accusat. (7) Quo sine etsi nec hic comparet nec comparens quidquam allegat juxta superiora, judicis officio non declaratur appellatio deserta. (8) Juxta quæ semper decernitur.

1. *Vid Deputation-*Abschied zu Speyer *de Anno 1600. §.* Ob auch. *Denais in Iur. Cameral. cap. 125. §. 2.* statim ibi non edocta requisitione, appellatus absolvitur à citatione & damnatur in expensas, quod in effectu idem est atque si appellatio deserta fuerit pronunciata.

2. Ipsi Camerales eam observationem rigidam valde putarunt, *unde de ea emendanda, inter dubia Cameralia ab ipsis nempe in dub. 83. eorum qua Gilman. in Symphorem. habet, retulerunt.*

3. Jure communi quidem jubetur, ut judex à quo intra triginta dies à die quo appellatum fuit, non solum Appostolos concedat, sed etiam acta coram se gesta concedat: si id non faciet, mulctatur, *l. eos 6. §. super his verol. judicibus 24. l. Præcipium 32. §. in his autem C. de Appellat. Novell. 126.* At pœna amissionis litis seu causæ nulla lege est sancita, *uti demonstrat Klock. consil. 88. num. 22. seq.*

4. In dubio appellatio non habenda nec pronuncianda deserta, *Gail. 1. Observ. 134. num. 11. Tiraq in tr. le Mort saisit le vif part. 6. declarat. 6. n. 10 in fin.*

5. *Vid.* des Königl. *Tribunals-*Ordnung *part. 2. t. 2. §. 6. & 7.*

6. Ita praxis judicii nostri habet, quod cum appellantis in termino non comparentis contumacia ab adversa parte comparente accusatur, non statim pronunciatio fiat, sed ad proximam Juridicam differatur, inde adhuc causas non labentium fatalium vel excusationes proferre interea integrum manet, ut sæpius admissæ sunt.

7. *De qua diversitate sic se habent verba Ordinationis in d. §. 7.*

8. Ob contumaciam nihil decernitur per judicem, nisi prius accusatur per partem.

Digitized by Google

DECISIO VIII.

Cum per judicem à quo stetit, ut prosecutio appellationis non fieret, etsi protestatione non facta, non labuntur fatalia.

EXcusabat appellans moram prosecutionis ob non edita sibi à judice acta, incidente super descriptionis mercede inter appellantem & actuarios controversia eaque decisioni judicis submissa; Accusabant è contra appellati desertionem appellationis. Dubio carebat, impedimentum tale, quod ex cunctatione judicis à quo oritur, excusare, (1) at hoc saltem in dubitationem veniebat, utrum nulla de eo per appellantem protestatione facta, ad sistendum lapsum fatalium proficeret? De quo inter JCtos controversiam esse scimus. (2) Utut vero utilis sit ea protestatio, ideo non facile omittenda, (4) attamen omissam non nocere putavimus, (5) modo de impedimento alias constet, (5) Etsi enim protestatio jus protestantis conservat, tamen nec dat, nec omissa illa quod habetur, adimit. (6) Rejecta itaque de desertione accusatio. *In causa Georgii Barsenii, contra Capitulum Hamburgense, die 5. Sept. A. 1657.*

1. *Marches. in tr. de Commiss. part. 1. Commiss 7. pro rep. fatal. cap. 1. num. 16.* Ubi tamen distinguit inter qualitatem impedimenti, utrum tale sit, ut recursum ad superiorem non admittat, an nihilominus permittat.

2. *Diversas & contrarias de hoc opiniones earumque sectatores videas apud Scacc. de Appellat. quæst. 15. artic. 9. num. 186. & seq.*

3. Consilium hoc commune JCtorum est, ut appellantes tali protestatione sibi prospiciant.

4. *Late hoc confirmat Ripa de Teste tit. de Privileg. Indic. caus. in 3. partis 2. part. princ. num. 23. Bard. de Temp. util. part. 4. tit. 5. num. 3. quos sequitur Scaccia d. l. num 181. in fin.*

5. Impedimentum de quo constat, non eget protestatione. *Oddoin tr. de Restit. in integr. q. 28. art. 4. num. 25.*

6. *Albert. Brunus consil. 7. num. 18. seq.*

DECISIO IX.

Facultas extraordinarii remedii non facit judicio ordinario nondum existente labi introducendæ appellationis fatalia.

BElli atque ex eo Pomeraniæ status Judiciorumque sub illo conditio effecerat, ut appellationibus ab istis Regio nomine exercitis ad Cameram Imperialem locus non relinqueretur, sed ad Regimen s. consilium Status provocaretur, donec per pacem Osnabruggis compositam cessa fuit potior Pomeraniæ pars regibus Regnoque Sueciæ juxtimque privilegium de non appellando, cum jure constituendi summum Tribunal ad quod appellaretur. (1) Cum autem evenisset ad superius quodcunque judicium appellatum, at appellationem spe erigendi propediem summi Tribunalis Regii non introductam esse, tamen dum postea aliqua mora fiebat, interim fatalia introducendæ solita labi, de ista recipienda dubitatio mota est. Videbatur enim initio post lapsum fatalium audiendum non esse quia introductionem omisit: (2) maximè quia potuit ante illum coram consilio Status appellationem introducere (3) ideo non proficere mora, quæ Tribunalis introductione intercessit, cum ad aliud judicium superius recursus patuit. Currunt quippe etiam sub defectu unius judicii aut negligentia judicis, quando alia via appellanti consultum erit. (4) At re accuratius inspecta visum atque existimatum est, non obstare lapsum temporis ei qui post interpositam appellationem exspectavit introductionem superioris Judicii appellationibus addicti. (5) Ex quo enim per pacem Osnabruggis compositam Tribunal summum fundatum & adid appellationes remissæ sunt, desiit provisionale Judicium, interim ex necessitate admissum, omnibusque ad illud recurrendi licentia facta & jus quæsitum est, ex quo processit, ut imposterum nemo cogi debuerit ad Consilium status appellare aut ibidem appellationem prosequi. Cessante necessitate atque competente facultate adeundi ordinarium Tribunal, quod hujus introductio aliquandiu dilata fuit, nocere non potuit appellantibus (6) cum penes eos non steterit remotio impedimenti, sed perinde sit, atque si alias ex judicii defectu oritur, ut prosecutio non fiat. Nec iis objici potest facultas ad Consilium Status recurrendi, qui non debuerit ibidem amplius appellationes introducere, ex quo alia via erat concessa, (7) ratioque fuit, cur non introducerent, postquam ob causas non leves postulatum sæpius erat, ut jus aliò eoque ordinario modo discerneretur. (8) Eoque minus istius omissio imputari potuit, quod promissa erat summi Tribunalis erectio, ea præparabatur & spes erat citius futuram: (9) dilatio autem à superiore potestate proficiscebatur, (10) *sic existimatum in causa hæredum Everdt von Ahnen, contra hæredes Stephen von Ahnen, die 14. Sept. 1653.*

1. Cujus fundatio continetur in Instrumento Pacificationis Osnabrugensis *in artic. 19. §. Deinde concedit &c.*

2. Fatalia introducendæ appellationis præcise observari debent, iisque elapsis perinde est, ac si intra decendium non esset interposita. *c. sæpe vers. salvis de Appellat. l. præses C. eod. l. tempora C. de Tempor. appellat.* ideo non modo parte petente, sed ex officio à judice rejicitur post illa demum proposita. *Clem. sicut appellationem de appell. Myns. sing. 2. Observ. 50.*

Qui

Digitized by Google

3. Qui potest removere impedimentum, non dicitur impeditus. *Bald. in l. sed nec ad eos ff. quib. ex caus. major.* Qui facere potest ut possit, posse dicitur, *l. qui potest 135. ff. de Reg. jur.*

4. Removere potest impedimentum, cui licet recursus ad aliud judicium, ideò hoc omittenti tempus currere dicitur sine spe restitutionis in integrum, *vid. Scaccia de Appell. quæst. 15. artic. 6. n 156.*

5. *Ita scribit Marches. tract. de Commiss. part. 1. Commiss. 7. prorog. fatal. c. 1. num. 16.*

6. Versanti in re licita & exspectanti quod decet, non potest imputare mora. *Ioh. de Amit. consil. 18. n 14.*

7. Competente ordinario remedio desinit extraordinarium seu subsidiarium, *l. in causa 16. ff. de Minor.*

8. Non valenti agere non currunt fatalia, *l. 1. §. ne autem C. de Annal. Præscript. l. 1. ff. de diverf & tempor. præscr. Wurmser. tit. 6. Observ. 17.*

9. Cum per judicem stat, quo minus fiat appellationis prosecutio, non labuntur fatalia. *Auth. sed & his C. de Tempor. appellat. Gail. 1. Obs. 141. n. 14.*

10. Dilatio vel procrastinatio Judicii est prorogatio termini, *Gylm. Symphorem. t. 1. part. 2. tit. 17. vol 5.*

DECISIO X.

Apud Iudicem à quo post appellationem Actorum separatio, quatenus concernunt merita causæ, recte petitur & impetratur.

PEtebat appellans, ut quæ scripta post interpositam appellationem ab adversâ parte erant prolata & actis addita rejicerentur, tanquam actorum pars non facta; in sui autem præjudicium si admitterentur, tendentia. De quibus dispiciendum est, utrum concernunt, coram inferiori judicio interposita licet appellatione agenda, an alia ad causam quæ ad superius judicium devolvitur pertinentia. Illorum rejectio fieri non potest, quia pertinent ad docendum appellationis solennia de quibus Judici ad quem constare expedit. (1) Quoad hæc secus se res habet, tum quia judex à quo post appellationem recipere non debuit, (2) & cum contra feciffet receptio pro attentato est, quod cassare oportet, (3) tum quod nullius usus sunt, quia attendi in alterius præjudicium non debent, (4) tum quia si admittuntur, ad intricandum aut pervertendum Juris ordinem devergunt. (5) Nec enim admitti aut usum quemquam habere queunt, nisi super iis altera pars audiatur. (6) Quod in secunda instantia fieri sine implicatione processus non potest, alium longe ordinem præscriptum habente. Præstat autem rejectionem decernere, quam eam confusionem permittere, quæ nocitura est processui, causæ ac parti, (7) cum rejectio non noceat, dum partibus integrum manet in secundâ instantia justo ordine cuncta proferre. (8) Sic decretum *in causa Commissarii Caspari Kemphendorff contra viduam Hanns Hinrich Zeppers, die 8. Octob. An. 1653.*

1. Sunt plura quæ post appellationem interpositam coram Judice à quo locum habent, ut quæ concernunt solennium præstationem, editionem actorum, apostolos & similia, *quæ vide apud Scacc. in tr. de Appellat. quæst. 7. num 20. seq.*

2. Appellatio ligat manus Iudicis à quo, & super causa Iurisdictionem ad Iudicium superius transfert. *Franch. in rubr. de Appellat. num. 129.*

3. *l. 1. tot. tit. C. ut lit. pend. nih. innov.*

4. Ideo inutilia oportet resecare, *l. un. pr. C. de lat. l.*

5. Removenda sunt quæ ordinem Iudiciorum impediunt, obstacula, *l. pen. §. si autem 3. C. de reb. credit.*

6. Alias inaudito præjudicaretur, nec æqua lance lis trutinaretur *contra d. l. pen. §. sin autem.*

7. Sic procedendum ut Iudicium rectum ordinem possit accipere, *l. liberis 7. §. fin. C. de lib. caus.*

8. Iudiciorum legitimque solitus ordo semper observari debet, *l. præsenti 6. §. sed si hoc 4. C. de his qui ad Eccles. l. instrumenta 6. C. od exhib.* ideo quidquid contrarium nullum atque inutile habetur, *Vant. de Nullit. rubr. 1. num. 33. & seq.*

DECISIO XI.

Mulier contra lapsum fatalium ex causa ignorantiæ juris restituitur.

POst lapsum fatalium prosequendæ appellationis mulier querebatur, se ignorantiâ juris seu constituti ad prosequendum termini seductam justo tempore non egisse, ideoque ut ille sibi ignoranti non noceret, aut contra illum in integum restitueretur, petebat. Dubium quidem inter JCtos adhuc est, (1) utrum mulier de jure communi instar minoris in integrum restitui possit, & communius in negativam tenditur. (2) Attamen ita accipitur, ut qua restitutionem non similia sint minorum & mulierum jura, quia non par semper est illorum conditio. (3) In quo vero conveniunt, in eo mulier fruitur minorum juribus; sicut fit in iis, quæ non injuste ignorant mulieres, aut captum muliebrem superant, [4] qualia sunt etiam ea, quæ ex mero jure civili proficiscuntur, nec discunt aut tractant mulieres, in quibus ignorantia illarum excusata est (5) atque æquitas ob istam læsis restitutionem indulget. (6) Quæ cum in oblata specie evidens esset, non attento isto lapsu fatalium, admissa est ad prosecutionem appellationis mulier, etiam citra peculiarem super restitutione processum atque sententiam. (7) *In causa viduæ Ioachim Wulffen, contra Dieterich Hasenkrug, die 18. Novembr. 1653.*

1. *De quo vid. Cacheran. decis. 87. Rauchbar. part. 1. quæst. 32. num. 88. Wesenbec. consil. 17. num. 27.*

2. De jure communi mulier sine curatore extra judicium potest contrahere, & etiam in Judicio causam propriam agere. *l. quia 4. C. de Procurat. Wesenbec. in Paratit. l. ff. de Postuland. num. 4.*

Digitized by Google

3. Frequens est inter JCtos argumentum à minoribus ad mulieres. *Moller. ad Constit. Saxon. Elect. 15. n. 99 part. 2. Pantzman. part. 2. q. 5. n. 16. & n. 87.*

4. Ob simplicitatem & imperitiam mulieribus subvenitur, *l. 1. §. fin. ff. de Edend. l. 2. §. verba ff. de SC. Velleian.*

5. De damno certantibus mulieribus ob ignorantiam juris subveniri solet, non lucrum aptantibus, *l. quamvis 11. C. de jur. & fact. ignor.*

Muliebris sexus ex causa ignorantiæ restitutioni in integrum locum facit, *vid. Sfort. Odd. de restit. in integr. part. 1. q. 10.*

Sic ratio suadet & praxis observat; ut cum causa restitutionis patet; judex pro abbreviandâ lite processum decreto præveniat, & ad quod illa facienda est, decernat. *vid. Carpzov. in Resp. Electoral. lib. 2. Resp 95. num. 19. & seq. ubi pluribus laudat & confirmat hoc compendium.*

DECISIO XII.

Mensium computatio in appellationum fatalibus expeditior est, ideo servanda, quæ est vulgaris.

POstquam tres menses pro appellatione introducenda recepti fuerunt, evenit, ut de eorum computatione dubitaretur, sicubi ea in jure non esset eadem. (1) Ex quo discerni solent, naturalia & civilia, (2) Et ex his an lege præstituatur mensis, an per hominem. (3) Etsi vero cum lex civilis mensem nominat, vel præfigit triginta dies pro isto communiter haberi vult. (4) & eorum lapsum continuum à momento in momentum spectat & exigit, (5) unde foret à momento interpositæ appellationis usque ad diem, in quem nonagesima lux incideret, idemque ejus temporis momentum computatio facienda esset. At prævisum fuit, ob incertitudinem momentorum, & non semper ultimo die paratam præstationem eorum, quæ introductio poscit, nec non quæ in ultimis incidere possent impedimenta istam non adeo certam & expeditam, inde aliquando litibus novis occasionem, judici dispectionis, partibus etiam legalis computationis non semper peritis & vulgari intentis difficultatem fore. (6) Consultius reputatum, ea fatalia ita momentis non astringere, seu in difficilius examen conjicere, præsertim cum in mora modici temporis parum incommodi, (7) ideo & minus præjudicii sit. (8) Idcirco conclusum sic servare, quod ut in calendariis menses describuntur & sub iis dies numerantur, ita etiam circa appellationes reputari debent, (9) ut quo mensis die quisque appellavit, eodem post tertiam mensem fatale introductionis laberetur, non attento mensem interea lapsum uno alterove die ampliorem adeoque plures quam nonaginta dies lapsos esse, (10) uti sunt his dispares in Calendariis menses descripti, sic usibus humanis & captui hominum jura applicare æquius & judici in judicando expeditius est. (11) Nec discrepat aut à communi jure, quod appellationem favore olim non parum computationem ampliavit, (12) aut ab exemplis, aut à potestate judicum, quibus tum temporum juxta rationem arbitrium tum surrogationis facultas relinquitur; (13) die 1. Decembris Anno 1653.

1. *Hujus rei ambigua & intricata vide prolixius exposita à Rauchbar. illustr. quæst. 24. per tot. part. 2.*

2. In naturalibus computationem oportet sequi naturæ vim & ordinem, ut per quot dies illa effectus suos producit, tot etiam diebus mensis constet, aut solaris aut lunaris, *uti prolixius explicantur hæc per eos, qui de temporibus legitimi partus scribunt.*

3. Utriusque hoc discrimen est, quod legis vox juxta ejus rationem aut juris regulas atque consuetа, hominis autem vox juxta usum vulgarem intellectum habet, *c. 1. de Cleric. non resident. l. cui decem 11. ff. de Ædilit. Edict. l. cum qui probabilem C. de Episc. & Cleric.*

4. Ex jure civili regulariter mensi tribuuntur triginta dies integri. *l. ubi lex 101. ff de R. I. l. quod si lit. 31. §. si quid ita l. Ædiles 38. ff. de Ædilit. edict. junct. l. si venditor. 28 eod. Cujac. in tr. de diver. temp. præscript. cap. 10. Tiraquell. in l. si unquam in verb. susceperit num. 208. C. de Donat. Ruto. Kuland. de Commiss. part. 1. lib. 2. cap. 7. num. 8.* Et ita computat atque sequitur communis opinio, quam recepit Camera Imperialis, cujus *Ordinat. vid. part. 2. cap. 30. §.* Und solchen.

5. *Gail. 1. Observ. 140. num. 1. & 4.*

6. Nihil præstantius est in Judiciis, quam ut quomodo illa ad tollendas lites atque dubitationes sunt constituta, ita quidquid reus est pro istis amputandis omnique earum mora & sufflamine tollendo quam fieri potest, maximè ad celeritudinem redigi, *sicut prudenter de hoc admonet Parthenius Litigios. Vent. de Valentiis part. 2 cap. 2.*

7. *l. si debitori 22. ff. de Constit. pecun.*

8. *l. Scio 4. de ff. de restit. in integr.*

9. Morem & opinionem vulgi quantum licet sequi, ad faciliorem expeditionem pertinet, ideo consultus habetur, quam ab ea alienum quod est, *Bald. consil. 183. vol. 2.*

10. Mensi diem addidit vetus Jurisprudentia in appellationum fatalibus, *in l. 2. in pr. & §. 1. l. fin. C. de Temp. & repar. appell.* ne appellantes nimis arctarentur, ad quam legem reditus excusabilis est, quia ratione non caret.

11. Pro evitandis strictioris & momentanei termini incommodis favorabilius diem addi & mensem 31. dierum facere aliqui suaserunt. *Cagnol. in l. ubi le.. num. 2 de Reg. Iur. Bardus in tr. de temp. util & contin. cap. 2. num. 2.* Ideo alii triginta dies cum dimidio ejus faciunt. *Bartol. in l. cum bissextus ff. de V. S. Panorm. in c. licet num. 6. x. de supplend negl. prælat.* In foro Saxonico ideo terminis menstruis diem semper adjici scimus.

12 Judicis arbitrium in mensis alteriusque temporis definitione merito multum valet. *Panorm. in d. cap. licet num 6. ubi addit, rectius facere Judicem, si mensem potius ampliaverit, quam arctaverit.*

13. *Gail. dict. Observ. 140. num. 7.* Cum ex causa terminum prorogare possit judex, cur non possit die aliquo eundem augere, præsertim pro evitando graviori disceptationum incommodo.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XIII.

Non currunt termini seu fatalia copiam judicis vel judicii ordinarii non habentibus.

CUm ad Tribunal Regium ex eo tempore, quo per Pacificationem Osnabruggensem constitutum erat, plures appellassent, atque ad tempus introductionis varia impedimenta, quibus tum executio pacis, tum & formatio seu restauratio Status in Provinciis differebatur, intercessissent, evenit, multis terminos appellationum ut & dilationum fuisse lapsos, inde postea appellationem prosecuturis desertionis lapsique termini exceptiones opponi. Æquum autem visum fuit non attendi, (1) nec opus esse restitutionis in integrum imploratione. (2) Etsi vero interea provisionali quasi remedio à dicasteriis vel judiciis inferioribus ad Consilia status Regis seu collegium Regiminis appellare licitum solitumque fuerit. (3) Tamen non facientibus præjudicio non debet esse omissio, quando necessitas talis sancita non erat, (4) è contra subditis provinciarum de non appellando nisi ad summum Tribunal ex r. p. quæsitum nec auferendum erat beneficium. (5) Conclusum ideo ut non prosecutos esse alibi appellationem sine fraude & damno existeret die 15. Ianuarii Anno 1654.

1. *l. quid tamen 21. §. si arbiter 40. ff. de recep. arbitr. l. 1. §. dies & seq. quand. appell.*

2. *Faber. in Cod. lib. 3. tit. 9. defin. 2.*

3. Ne plane jure frui inter impedimenta ejus rei prohiberentur, qui indigebant, invalut usu magis quam lege, ut interea provocaretur ad eos qui Regimini præerant. Si tamen rem recte impexeris, ea provocatio pro revisionis beneficio potius erat, quam ut appellatorii Judicii formam haberet.

4. In his quæ meræ facultatis sunt non est quædam præscriptio *l. 1. C. de Annal. except.*

5. Provisionale remedium uti valentibus Consulit, jus autem auferre nemini debet. *arg. l.* quod favore *6. C. delegib.*

DECISIO XIV.

Ex non habita advocati sui copia prorogandi fatalia prosequendæ justa causa est.

DUbitatur, utrum petens prorogationem prosequendæ appellationis fatalium, quia advocati sui tam cito copiam habere non potuit, audiri debeat; quod ad illud non proficiat impedimentum, nisi sit indeclinabile, (1) quale ex advocati impedimento non existere posse, videbatur in loco, ubi advocati plures essent; (2) Verum cum non tantum id spectandum sit, an alium habere possit, qui causæ serviat, sed an etiam commodè & sine aliquo detrimento; (3) dum eo non caret mutatio, (4) nec tam facile alius informari, nec tam cito causæ momenta discere & expedire potest, existimatum fuit prorogationem potius indulgendam, quam ad mutationem advocati appellantem compellendum *in causa viduæ Ioachim Wulffen, contra Dieterich Hassenkrugern, die 12. April Anno 1654.*

1. *Scasc. de Appellat. quæst. 15. artic. 6. num. 136.* Non sufficit adesse impedimentum, sed necesse est removeri non posse. *Bald. in l. quibus ff. de Condit. & demonstr.* Posse dicitur, qui potest facere ut possit, *l. qui potest 174. de Reg. Iur.*

2. *Ant. Baver. in tract. de mora n. 14. seq. bon. 6.*

3. Paria sunt non esse, & esse incommode & difficulter: *l. Nepos 125. ff. de V.S.*

4. Ubi eligitur personæ industria, non habet locum substitutio alterius, *l. cujus bonis 9. ff. de Curat. furios.*

DECISIO XV.

Impedimentum quod valde difficilem facit actum, etsi non plane impossibilem, sufficit ad restitutionem in integrum.

QUod litigans una cum uxore ex morbo graviter decubuerat, pro impedimento ad impetrandam restitutionem in integrum allegabatur; at adversa pars non sufficere excipiebat, quod actus non ab ipso decumbente, sed ejus advocato, cujus fuit scripturam conficere, perficiendus erat. (1) Verum etsi non plane impossibile fuit, quod faciendum erat, intuitu ejus quod Advocati operâ fieri poterat, tamen quod ille hujus informatione, hæc deliberatione, cui morbus obsistit, egebat ob difficultatem magnam, (2) & debitam ægrotis commiserationem visum fuit, edocto morbo & inde enato impedimento restitutionem indulgendam esse. (3) *In causa Iochim Sukowen, contra hæredes Iochim Christoff von Horn, & consortes, die 23. Iunii Anno 1654.*

1. Ut allegatio impedimenti admittatur, necesse est, causas inexorabiles esse; & removeri nulla diligentiâ posse. *l. fin. C. de temp. & repar. app. l. qui comminatus ff. de re milit.*

2. Difficultas non juvat, cum de lucro tractatur, secus cum de damno evitando agitur, ideo excusat à mora & pœna, *l. uxori ff. de Usufr. legat. gloss. in l. 4. C de Usufruct.*

3. Valetudinis impedimentum justum habetur; *Mindan. de Mandat. lib. 2. c. 19. num. 2.*

Digitized by Google

DECISIO XVI.

Probatio impedimenti fit juramento, & quomodo.

NOn satis est pro impetranda restitutione in integrum allegare impedimentum, sed probare oportet. (1) Haud verò ad id requiruntur præcisè testimonia, sed sufficit per juramentum de illo doceri, (2) modo sit verisimile, & quædam ejus argumenta probabilia afferuntur. (3) Haud tamen proficit ad impetrandum factum vel casum, ut causam impedimenti allegare & docere, sed necesse est simul exprimere, probare & jurare, ex isto fuisse impeditum eum, cui facere incumbebat. (4) *Sic judicatum in eadem causa.*

1. Impedimentum regulariter non præsumitur, sed probari debet. *Mascard. de Probat. Conclus. 184. Hartman. Pistor. part. 1. q. 18.*

2. *Vid. Mynsing. 3. Observ. 92. Gail. 1. observ. 143. num. 4. ubi distinguunt.*

3. Hoc existimandum est, & statuendum pro judicis arbitrio, cui impedimenti dijudicatio relicta est. *Contard. in l. diffamari num. 116. seq.*

4. *Mynsing. respons. 77. num. 14.*

DECISIO XVII.

Prorogatio fatalium fieri potest ob consortum causa in diversis locis existentiam.

FAtalia introducendæ appellationis, quæ lege seu ordinatione Judiciaria constituta sunt, facile non sunt proroganda. (1) Nec tamen prorogatio cum petitur indiscrete est neganda, justa causa ubi illam meretur per æquitatem admittitur & indulgetur. (2) Quam tamen ita comparatam esse oportet, ut intra illa impossibile aut difficile fuerit prosecutionem justo tempore facere. (3) Quod etiam contingit, si consortes causæ plures sunt, at in eodem loco non commorantur, unus & alter peregrè aut tam longe abest, ut ad locum ubi cæteri vivunt venire impediatur. (4) Etsi enim ab initio litis ex consortio aliorum nemo actionem vel responsionem differre, sed quisque pro sua parte agere vel respondere debet, (5) tamen secus hoc se habet, ubi in Judicium causa communis ab omnibus simul deducta est, si illa imposterum agenda est (6) & licet consors pro consorte sine mandato litem prosequi possit, (7) haud tamen tenetur. (8) *In causa Harding Petersen, contra Erasmum Hagelschlacht & Consortes, die 10. Novembris Anno 1654.*

1. *Gail. 1. Observ. 111. num. 3.*

2. *Gail. d. l. num. 7. Mynsing. 3. Observ. 54.*

3. Fatalium temporum rigor quidam est, non relaxandus, nisi ex iis causis, quæ istum observare non sinunt, & diligentiam, quæ debetur, superant. *l. nemo 3. C. de tempor. appellat.*

4. *c. cum ex literis §. fin. ib. gloss. x. de in integr.*

5. *Iuxt. l. 1. C. de Consort. ejus lit.*

6. Uti cæptum est judicium, ita etiam finiri debet.

7. *l. fin. C. de Consort. ejus lit.*

8. *Salycet. in dict. l. fin. in fin.*

DECISIO XVIII.

Ob non reproductos in primo termino processus appellatio deserta non est.

COnvenit quidem Ordinationis, ut in primo termino processus, qui emanârunt, reproducantur; at non ob id omissum appellatio deserta est. Non simul ita Ordinatio sanxit, (1) nec promiscuè ob omnia quæ decent, omissa desertionis pœna obtinet, sed in talibus saltem ubi sancita est, (2) *In* iis quæ non continet Ordinatio, sequimur jus commune (3) & Cameræ Imperialis constitutionem, ex qua talis severitas non servatur. (4) Atque id secuti sumus in multis causis.

1. Pœna non irrogatur, ubi lex non sanxit, *l. aliud fraus 131. ff. d. V. S.*

2. Sine lege & in dubio pœna desertionis non irrogatur. *Gail. 1. Observ. 81.*

3. Per jus commune appellanti relinquitur integer annus ad appellationem introducendam, *in. tit. C. de Temp. Appell.* Post quem demum elapsum, si acta edita non sunt, appellatio deserta efficitur. *Vant. in tr. de Nullit. tit. à quo & quib. mod. poss. nul. prob. num. 21.*

4. *Gylman. Symphor. tom. 4. vot. 10. num. 2. & seq. Mynsing. 5. Observ. 98.*

DECISIO XIX.

Appellationis conditionata fatalia non currunt ante conditionem impletam.

REmittebat consilium Status causam, in quâ altera pars ad istud eo tempore, quo nondum summum Tribunal erectum erat, appellaverat, sed reperiebatur fatalia introducendæ appellationis dudum elapsa esse. Nec cum appellanti incumberet introductio appellationum judicio eo causam deferre dubium fuisset, eam desertam habendam esse, nisi appellationi conditio quædam adjecta fuisset. Apparebat enim ex actis, appellantem putasse, sibi alio modo consuli posse, illum proposuisse & rogasse in eventum tantum, si non imperaret, appellasse, quæ forma appellandi in judiciis non inconsueta est. (1) Ex ea conditione orta est hæc quæstio, utrum ante illam impletam currere incipiant fatalia? Placuit discernere, utrum

Digitized by Google

rum in potestate appellantis fuit, facere, quod est conditionis, & tunc pro impleta habetur, (2) ideo & deserta appellatio ejus, qui cum possit quod decet, non fecit. (3) An penes judicem steterit, vel extra appellantis potestatem fuit, & tunc non potest pro desertore haberi, (4) aut nisi conditione existente, vel quod existere nequit, apparente incipere lapsus fatalium, (5) aut impedito nocere, (6) juxta hæc decretum est *in causa viduæ Dubschlaff von Eichstedten, contra Iacobum Behren, Pastorem die 24. Aug. Anno 1655.*

1. *Fid. Scacc. in tract. de Appellat. quæst. 5. num. 105. & num. 109.*
2. *Iul. in l. qui potest 86. in pr. 4. ff. de Reg. Iur.*
3. *Fab. in C. lib. 7. tit. 26. defin. 11.*
4. Deserere non potest, quod quis habere non potest *d. l. qui potest. §. 1. ff. de Reg. Iur.*
5. *Scacc. de quæst. 5. num. 105.*
6. Impediens sine suo facto non labuntur fatalia *Gail. 1. Observ. 143. num. 1. seq.*

DECISIO XX.

Ut fatalia appellationis interponendæ currant, non sufficit sciri sententiam publicam, sed etiam tenorem ejus.

INitium fatalium interponendæ appellationis, quæ jure nostro decendium sunt, incipit ex quo scitur sententia. (1) Ad hoc vero satis non est sciri publicationem, sed requiritur etiam tenorem ejus notum esse, (2) cum sine eo constare non possit an necesse sit appellare; (3) divinari non debeat nec queat. (4) Tantum hoc imputandum erit, si personaliter citatus ad audiendam sententiam, publicatam fuisse scit, diu cunctatus est, ne tenorem rescisçat, suâ negligentiâ effecit; (5) quæ ipsi commodo alteri damno esse non debet. (6) Cujus cum nihil imputetur, non obstante confessione scientiæ publicationis, at non tenoris, ex ejus comperti momento decendium computavimus *in causa Hinrich Erich Brummers, contra Margretem Frisen die 18. Septembris Anno 1655.*

1. Est tempus decendii ad interponendam appellationem præfixi utile ab initio. *Gail. 1. Observ. 139. num. 7.* & currit tantum à tempore scientiæ *c. consuetationi de Appell. in 6.*
2. *Petr. Frid. Mindan. de proceff. lib. 1. c. 8. n. 2. Gail. d. Obs. 139. num. 7.* ubi scribit, ut tempus decendii currat duo esse necessaria, primo ut victus sciat sententiam esse prolatam. Deinde ut sciat in sui præjudicium latam.
3. Nisi enim sciens non habet gravamen, ideo nondum potest appellare, sine qua facultate non currit tempus *l. 1. §. dies 7. f. quand. appelland.*
4. *l. si fidejussor 29. §. si cum debitor 2. ff. mandat.*
5. *Capyc. decis. 139. Scaccia in tr. de Appellat. quæst. 12. num. 8. versic. primus casus*, ubi scribit, citato ad audiendam sententiam in certo termino ubi in eo publicata fuit statim currere fatalia.
6. *In terminis hoc applicat Sfort. Odd. in tr. de Restit. in integr. quæst. 69. art. 3.*

DECISIO XXI.

Ex remissione partis adversæ cessat fatalium rigor.

FAtalia causarum tempora etsi exacte servanda (1) sint, & non servata pariant tum adversæ parti exceptionem peremptoriam, (2) tum judici facultatem etiam non allegante parte appellationem litemque ex officio pro deserta habendi: (3) hæc tamen cessant quando adversa pars necessitatem istam remittit, (4) quod non tantum expresse fieri potest, sed etiam facto tali, quod dilationem tribuit. (5) Quocirca cum ipsamet dilationem præstandis solennibus indulsit, ideo præstituta tempora non servata sunt (6) id præjudicio esse non debet, quin etiam post hæc appellans audiatur. *Vti hoc attendimus in causa creditorum Dieterich Stattlenders contra ejusdem liberos Die 4. Decembr. Anno 1655.*

1. *l. 2. l. 5. C. de Tempor. appell.*
2. Ipso jure enim extinguitur appellatio deserta & resolvit causam ad judicem à quo *Clem. si appellationem de Appellat.*
3. *Gail. 1. Observ. 137. num. 1.*
4. Per pacta possunt remitti solennia *l. fin. §. fin. C. de Tempor. appellat. Gail. 1. Observ. 140. num. 8.*
5. *Auth. si tamen ib. Salyc. C. de Tempor. appellat.*
6. Dilationis concessio sicut omne factum quod fit temporis prorogatio vel indulgentia consensum habet, qui necessitatem remittit.

DECISIO XXII.

Fatalium prorogatio etiam post terminum petita admittenda est, cum iste pro non lapso habetur.

PRorogationem petendi tempus congruum est ante lapsum termini. (1) Post quem ut non amplius terminus est, ita prorogari nequit. (2) Quocirca qui sibi illum præjudicio nolit esse, eumque excusandi justam causam habet, implorationem restitutionis in integrum opus habet. (3) At lapsus ejus non tantum censendus est ex temporis, quod dictum, adventu, sed ex ejus qui observari debuit præstandi facultate. (4) Quæ si ipsi impossibilis fuerit, utique terminus non labitur, (5) ideo allegato tali impedimento, quod lapsum notorie impedit, non

Digitized by Google

non deneganda est prorogatio velut nondum lapsi, (6) nec ideo impetranti præjudicandum, quod non petiit restitutionem, quod facere in tali specie opus haud est, (6) ideo nec à judice requirendum, sed potius statim prorogatio decernenda est. (8) Uti decreta ob manifestum ex belli turbis impedimentum, (9) *in causa der Donatarien in Verden, contra Hanns Badehopp, die 4. Sept. A. 1657.*

1. *Gail. 1. Observ. 92. num. 22. seq Coler. de Process. Executiv. part. 2. c. 2. num. 34.*

2. Ejus quod non est nulla prorogatio, *l. cum stipulatus jam mihi ff. de V. O. Et c. significantibus X. de offic. Deleg.*

3. *Gail. 1. Observ. 143. num. 1. seq.* diversa sunt remedia prorogatio & restitutio in integrum. Illa ante lapsum, hæc post lapsum petitur: Utraque autem non aliter quam ex ista causa impetratur.

4. Dies impedimenti non computatur in termino, *uti ait Bald. in l. quibus diebus per ill. text. ff. de condit. & demonstrat.*

5. *Gail. 1. Observ. 142. n.* 1. Impossibilium quippe nulla est obligatio. *l. impossibilium ff. de Reg. Jur.*

6. Paria sunt, terminum nondum esse præfixum, & eum qui præfixus est, nondum currere. Ideo non opus est, uti alias cum labitur, sed excusatio adest, restitutione.

7. *Gail. 1. Observ 142. num. 2. in fin.*

8. Præstat intacta servare jura, quam post vulneratam causam remedium quærere. *l. fin. C. in quib. caus. restit. in integr. non necess.* Et alias si notorium impedimentum est, vitat judex restitutionum ambages, & quod per hanc impetrandum statim potius indulget, *uti alibi demonstravimus.*

9. In bello dormire præscriptiones vulgare dictum est, ideo nec currunt fatalia.

DECISIO XXIII.

Revocatio attentatorum non ultrà progreditur quàm ut causam reponat in statum, in quo appellationis tempore fuit.

POst interpositam appellationem judex appellato, seu qui ejus partibus adhærebat, pecuniam depositam tradidit. Eô tanquam attentatô postea revocatô, (1) non aliud fuit injungendum, quam ut in eum statum seu in depositum pecunia reponatur. (2) Minimè verò indulgendum appellantis precibus, ut ipsi pecunia numeretur. (3) Hoc ab attentato alienum est, & utrum ex judiciali depositio illa reddenda sit, ad aliam disceptationem pertinet, quo etiam remitti debet. (4) Saltem rescribi visum, extra tamen attentati causam, si non esset retinendi alia causa, ut sub istius obtentu retentio ultrà non fieret. *In causa Obrist Lieutenant Iohann von Lipfeld contra Advocatum Fisci Ducatus Bremensis, die 26. Iunii Anno 1657.*

1. Appellatione interposita nihil innovandum, sed si quid innovatum, revocatur. *l. un. ff. nihil innov. pend. appellat.*

2. Revocatio attentati est in pristinum statum, unde per illud excidit, restitutio, *Lancellot. de Attentat. part. 3. c. 26. num. 27. seq.*

3. Restitutio ultra pristinum statum non progreditur, sed reponit quod sublatum. *l. 2. §. restituas 43 ff. ne quid in loc. publ.*

4. De quo non est lis pendens, id ad istem attentati non pertinet. *l. 1. ib. gloss. C. ut tit. pendent. nihil innov.*

TIT. LXIV.

QUANDO PROVOCARE non est necesse.

DECISIO I.

Sententia manifestè erronea nulla est, & licet non appellatum fuerit, non attenditur.

PER sententiam viduæ ejusque liberis adjudicatum erat lucrum dotis consuetudinarium, quod est ses quia iterum dotis, cum in pactis dotalibus aliter de eo dispositum esset, & quidem ut alterum tantum ad vitam uxori cederet, ex mortua ad heredum rediret. Apparebat in eo error judicis. Quando vero ab ista appellatum non fuerat, in dubitationem veniebat, utrum aliter judicari vel aliud observari posset, quod contra rem judicatam judicari non deberet, judicatum nullum esset. (1) Uti itaque eas vires assequi nollet, eum appellare, sine eo sententiam rescindi non oporteret. (2) Eo vero non attento conclusum fuit locum esse alii pronunciationi, etiamsi appellatum non sit, quia ob errorem nulla esset sententia & talis à qua provocare non est necesse, sed quæ sine appellatione corrigitur. (3) Ut verò id ita demum obtinere putatur, si error ex actis statim deprehenditur & conspicuus est, (4) vel si consistit in facto notorio, (5) ita dubitandum non fuit in ea quæ sub manibus fuit specie id rectè applicari, ubi non tantum aliud quam sententia comprehendebatur ex instrumento pactorum dotalium atque ab his à judice aberratum apparuit, (6) sed etiam ipse judex quando lucrum consuetudinarium juxta tenorem pactorũ præstandum esse, sententiæ addidit, alia mente fuisse, in recordatione aut scientia tenoris se erasse satis indicavit. *In causa Raphael Erichsen Erichsen contra des Land Rahtgerdt Behrendie 16. Ianuarii Anno 1658.*

1. *l. 1. C. quand. provoc. non necess.*

2. *l. fin. C. ut lit. pendent. l. 2. C. sentent. rescind. non poss.*

Digitized by Google

3. *Ita de sententia per errorem lata decidituri n l. 1. §. 1. ff. quæ sent sin appellat.* Cui minime obstat *l. 1 C. de Error. Calcul.* quæ loquitur non de ea specie ubi in sententia erratum, sed ubi super errore calculi, de quo actum fuit pronuncietur. *Pacius lib. 7. cvarr. & pav. quæst. 73.*

4. *Sebast. Medices in tr. de Casib. Fortuit. part. 1. quæst. 2. n. 24.*

5. *Moller. 4. Semestr. 1. n. 14 seq.*

6. *Tiraquell. in l. Connubial. Gloss. 7. n. 184. Schurff. cent. 1. consil. 93. & cent. 3. consil. 6.*

7. Quando Judex refert se ad acta vel instrumenta, & ex iis de contrario constat, error est manifestus, & sententiæ nullitas extra dubium. *Matth. de Afflict. decis. 39. n. 6. Grammat. decis. 59.*

DECISIO II.

Judex suam ipsemet sententiam circa appellationem corrigit, ubi notorie nulla vel iniqua est.

NOn auditus est, qui nullitatem sententiæ arguebat, quod judex eam, quam ante dixerat, deinde correxerat, quia prior mulliter inique & erroneè à decepto dicta fuerat. Etsi enim judicē semel seu bene seu malè officio functo postea sententiam mutare non posse dicitur, (1) ideo nec revocare nec corrigere (2) & sententia contra sententiā non valet (3) Haud tamē illud eo porrigendum est, si judex suo errore vel partium circumductione inductus fuerit, ad pronunciandum sententiam plane nullam & iniquam. Quæ ut nomen sententiæ non mereatur, nec vim & effectum habet, ita sententia contra illam prolata non recte dicitur esse contra sententiam. (4) Ideò etiam judex quando dixit tanquam si nullam anteà dixisset, non impeditur aliam rectiorem agnito errore vel iniquitatis sensu proferre. (5) Addictum officium justitiæ ipsius minime per sententiam injustam exspirat aut impedit, quin ad justa quod pronunciatum redigatur (6) Quæ recte applicantur tali speciei, ubi judex postdictam sententiam reperit, se non pronunciasse super integris actis. sed abfuisse, in quo potissimum momenti erat, fundatum illam super eo quod secus haberet (7) Post quod repertum sententiam tanquā super falsa causa latam mutare integrum est. (8) Quando ab emendatione prioris sententiæ appellabatur, nihil autem gravaminis profertur quam quod judex à priori sententia discesserat, haud allegata ratio, cur juste discedere non deberet, frustra appellatum est. (9) Die 27. Junii, Anno 1658.

1. *l. jude. 55 ff. de re jud.*

2. *Ita tam de ordinario quam de delegato judice sentit Gravat. ad Vestr. Practic. lib. 3. cap. 10. numero 10.*

3. *l. 1. Cod. quand. provoc. non est necess. c. inter Monasterium de Re judic.*

3. *l. si expressim. ff. de Appellat. l. 4. §. condemnatum ff. de Re Iudic. Parlador. rer. judic. lib. 2. cap. 12. part. 1. §. 1 num. 11. in fin.*

5. Illud dicterium sententiam contra sententiam non valere, ono obtinet ubi prior est plane injusta & nullitatis vitio laborat. *Contard. in l. un. limit. 9. num. 49. C. si sub moment. possess. Cephal. consil. 317. num. 58. lib. 3.* Talis sententia aperte nulla & injusta nunquam transit in rem judicatam. *Pancirol. consil. 63. num. 46. & consil. 147. num. 12. & seq. Cels. Hugo cons. 47. num. 25. & consil. 87. num. 4.*

6. Per sententiam, quæ nulla, non exspirat officium & jurisdictio judicis & *quod. in d. l. judex. 55.* scriptum sic accipiendum, si non erroneè & nulliter pronunciatum fuerit. *gloss. in c. ut proponis C. quom. & quemadm. jud. Gail. 1. Observat. 127. num. 5. seq. Mynsing. 5. Observ. 62. num. 6.*

7. Et pertinet illa opinio, per sententiam mercenarium judicis officium quod actioni inservit exspirare, haud ita nobile quò expeditur adhuc nullitatis vel iniquitatis emendatio. *Mynsing. in Rubr. Inst de Offic. Iud.*

8. Ipso jure nulla est sententia, quæ lata est super falsis præsuppositis, vel falsa causa. *Marant. Spec. part. 6. tit. de sentent. num. 118. Magon. decis. 87. numero 3.* vel ex actis erroneis *Fr. Curtius cons. 170. num. 7.*

9. Sine gravamine non admittitur appellatio.

DECISIO III.

Revocatio gravaminis quando faciat cessare appellationem.

APpellatione per institores die Cramer interposita à delatione muneris in templo stipem pro pauperibus colligendi, & quidem ad eum modum, quo illo funguntur opifices & qui secundi ordinis civium sunt, Senatus civitatis remisit impositionem & declaravit inposterum istam functionem, non eo modo amplius injungi debere, inde editionem actorū denegabat, velut sublato gravamine ideo cessante appellatione. (1) Appellantes autem è contra, istam fieri urgebant & prætendebant remissione istius functionis semet à gravamine penitus non esse liberatos, sed supereſſe causam, quare appellationem persequerentur. Non ideo tantum se appellasse, ut ista functionis specie non onerarentur, sed ne quicquam eorum inposterum injungeretur, quæ secundi ordinis essent, iisque tantum obnoxii esse vellent, quæ primi existerent propria. Verum ea in re considerandum quid ad illam causam pertinet, in qua appellatum fuit. Quicquid hujus est, idipsū sine gravamine illi cujus gratia provocatur, relinqui debet (2) quo gravamen sublatū dicatur, eo fine ut appellatio & ex ea processy cessare debeat. Quo in aliquo eorum quæ in

Digitized by Google

lite sunt durante utique supereſt ratio & facultas appellationem prosequendi. (3) Viceversa, si id quod in lite fuit gravamen, penitus desinit quo ad causam, quam ista comprehendit, etsi idem in aliis similibus supersit, tamen ideo appellationem prosequi non licet. (4) Quæ nihil amplius ad superius judicium transfert, quam fuit in inferiore. (5) Etsi itaque ejusdem causæ plures sint articuli, imo etsi connexi ex eodem fonte descendunt, attamen si qua litem sunt separati, & aliquis eorum in hunc simul non devenit, ad illum non pertinet appellatio ejusque processus. (6) Quod ita omnino obtinet, si de specie aliqua lis est, at ejusdem generis plures inter se autem distinctæ, etsi harum omnium eadem ratio, tamen de una sola lis cœpta, cæteras non in eundem trahit. (7) Quomodo, siquis de ea appellationem interpositam deseret, non ideo à cæteris exclusus erit, ita vicissim cū illius gravamen judex tollit, non quà cæteros tollere opus habet. Quod eo magis ita tenendum, si vel ea ratio, ob quam appellatum in cæteris non est vel apparet similis (8) uti in præsentiarum ob possessionem allegatam & exemplis demonstratam appellatio recepta fuerat, vel sit an eadem sit dubitandum (9) multo potius, si diversa quædam colligitur. Inter quas circumstantias sufficere visum est tolli gravamen quoad speciem, quæ in lite versatur, appellationem extinctam declarari. De cætero, si qua alia munera exemptio prætendetur ad aliam litem & processum remitti, sicut ex ista consideratione factum *in causa der Krämer in Wismar wvider Burgermeister und Rath daselbst. Die 8. Ianuarii Anno 1660.*

1. Sublato gravamine, velut cessante causa, cessat appellatio. *c. Cessante X. de Appellat. Tiraquell. in tr. cessante causa n. 4.* ideo judex cum illud revocat facit, ut super hoc processus desinat, *Scacc. in tr de Appellat. quæst. 5. num. 117.*

2. Non potest dici cessare appellationis causa, ubi aliquid ex ea reliquum est. Reliquiæ causæ faciunt ut causa non cesset *l. 2. ſuſſ. Rer. Amotar. l. unius 18. §. ſervus 6. ff. de quæſtion. Eberhard. in Top. legal. in loc. à ceſſat. Rationis.*

3. *l. generaliter 52. C. de Epiſcop. & Cleric.*

4. Appellatio se non extendit ad diversa ab illa quæ agitur causa. *Lancellot. in tr. de attentat. part. 2. cap. 12. limit. 2. n. 1. ſeq.* ubi porro *n. 19. ſeq.* addit appellatione tali non suspendi jurisdictionem quoad ea, quæ non sunt in appellatione deducta, ideo nec quoad hæc attentari, aut quæ fiunt ut attentata, revocari.

5. Ultra causam & ejus connexa, non fit suspensio jurisdictionis per appellationem. *Franch. in c. præterea n. 2. n. 1. & c. propoſuit. not. 1. de appellat. Lancellot. de attent. p. 2. c. 12. lim. 2. num. 12. 13.*

6. *Scaccia de Appellat quæſt. 17. limit. 21. n. 30. & 31. ubi in fine* ait, separata in hoc proposito dici quæ separabilia & possunt dividi, licet sint connexa.

7. Genus quidem & de eo lis omnes comprehendit species, at non vice versa, species non complectitur genus, vid. quæ scripsit *Eberhard. in Top. in loc. agen. ad ſpec.* sæpe in specie aliud, quod non est in genere *c. omnis 12. X. de pœnitent. & Remiſſion. 6. nec capta de conceſſi prebend. in 6.*

8. Ex rationis diversitate diversa lis censetur.

9. In dubio quæ simul in judicium non veniunt diversa reputantur, etsi non inter se, tamen respectu diversæ litis. *Fulv. Pacian. de probat. lib. 1 c. 26. n. 40. & 94.*

Super hac causa ita pronunciatum fuit.

In Sachen der Kramer Compagnie zu Wißmar Appellanten wider Bürgermeister und Rath daselbsten Appellaten / in puncto deß Umbgehens mit dem Klingbeutel in St. Marien Kirche an der untersten Seiten wird / was bey der Appellation gesucht / durch Appellaten Erklärung / wann darauff hinfurters die Appellanten mit dem beklagten Umbgehen verschonet bleiben / gehoben / und demnach die Appellation weiter zu prosequiren nicht nöthig befunden / demnach gebetenes Mandatum nicht erkant / sondern was im übrigen die Bedienung der Aempter betrifft zu ändern nach gestalten Sachen gelassen. Von Rechts wegen.

(Hoc est)

In causa Societatis Mercatorum Wismariæ appellantium contra Consules & Senatum ibidem appellatos in puncto circuitionis cum loculo Eleemosinario in Ecclesia Sanctæ Mariæ in inferiori parte, id quod in appellatione quæsitum per appellatorum declarationem, si desuper post hac appellantibus in allegata circuitione parceretur, tollitur & inde prosecutio appellationis necessaria non est, propterea petitum mandatum non decernimus, sed quod de cætero officiorum deservitionem concernit, mutationem rebus sic stantibus relinquimus idque de jure.

DECISIO IV.

Mandatum executoriale sine previâ ſententiâ vim rei judicatæ non habet nec appellatione eget.

CUm immissione contra debitorem in prædium ejus decretâ intervenisset liberi prioris matrimonii, qui ob dotem aliaque bona illata à matre, judex quoque illam semel admisisset, (1) at quod in probandis iis moræ adeoque contumaciæ arguerentur, tandem sepositâ interventione, sine tamen prævia sententiâ executoriale mandatum contra debitorem renovasset, quæsitum fuit, an non interpositâ, aut cum interposita fuisset, omissa prosecutione appellationis intervenientes nihilominus admittendi sint ad liquidandum credita. Et licet videri posset decretum judicis pro judicato esse; tamen re rectius considerata non sufficiunt renovatæ contra debitorem executoriales ad excludendos intervenientes; cum prius super jure interventionis sententia pronuncianda,

Digitized by Google

cianda, & ad hanc audiendam ipsi citandi fuerint. (2) Quo sine mandatum immissionē interminans pro executiōe est quoad intervenientes sine prævia sententia injusta: (3) nec ipsū sententiæ loco esse aut vires rei judicatæ assequi potest. (4) Etsi igitur vel plane non appellatum, vel appellatio deserta sit, non impediet id quod nullum est quin adhuc intervenientes audiantur. (5) *Sic judicatum in causa liberorum Wedige Behren, contra Arend Mollendorph. Die 3. Ianuarii Anno 1657.*

1. Ut aliorum creditorum, qui potiora jura in bonis debitorum se habere putant, ad hæc conservanda remedium est ex interventione, quâ impediunt, ne se posterior debitoris bona percipiat. *Petr. Frid. Mindan lib. 3. de Contin. cauf. cap. 9. num. 9.* ita etiam illâ uxores ratione dotium ut & liberi prioris matrimonii uti solent & possunt.

2. Interveniens ex obtentu potioris cujusdam juris impedit & sistit inter alios sententiam & executionem, donec de eo jure legitime cognoscitur. *Bartol. in l sæpe num. 2. ff. de re judic.*

3. *l. 1. C. de Exec. rei judic.*

4. *Sic in terminis decisum reperies in l. judex. 5. C. Comminat. Epistol. Programm.*

5. Quod nullum est, nullum operatur effectum. Post tres conformes etiam sententias sed nullas interventioni locus est. *Mindan. dict. cap. 9. n. 9.*

DECISIO V.

Quomodo querela nullitatis aut enormis iniquitatis sine appellatione utendum.

SIngulare beneficium est, quod Ordinatione summi Tribunalis Regii indultum est illis, qui notoria nullitate aut iniquitate semel gravatos ex ipsis actis docere confidunt, ut non opus habeant appellationum ambagibus & solennibus uti, sed recta statim adire possint judicium superius, & corā eo propositis gravatorialibus medelam implorare & impetrare. (1) Verū omninò providendū est ne quisquam isto abutatur, aut iis in casibus utatur, quando appellare necesse est. (2) Observandi sunt exactè termini, quos lex judicii isti providentiæ circum dedit. Primo tantum indulget, ob nullitatem aut enormem iniquitatem gravatis. Ob quamvis itaque injustitiam locus ei non est, sed illa per appellationum processus corrigenda est. (3) Cui extra terminos legis nihil derogatum est. Deinde non omnis nullitas, sed quæ merita causæ afficit, ideò ipsam iniquè læsit, circa hoc remedium attendenda est. (4) Tertiò ut allegatio gravaminum cum verosimilitudine sit conjuncta. Pro qua animo judicantium insinuanda specificè exprimere oportet tum jus, in quo implorantis causa fundatur, tum è contra nullitas vel iniquitas, per quam violatur, ita ut inde appareat contra jus nulliter vel iniquè decretum vel judicatum esse. (5) Quartò ut nullis aliis probationibus implorans innitatur quam actis, quæ notorium faciunt, ideo ex iis statim in libello imploratio nullitatem vel iniquitatem repræsentet & judex superior æstimare possit. (6) Quintò ut simul ad judicem libellum mitti & actorum transmissionem decerni petat, (7) Quibus tandem addendum, uti petitionem non diu differat, sed antequam judex ad ulteriora procedit. (8) Ut hæc sunt à parte implorantis observanda, ita à judice statim ex narratis examinandum, an si ex actis ita constabunt, nullitas & iniquitas enormis juxtim & notoria futura sit. (9) Inde sine mora copiam ad judicem inferiorem transmittat, (10) eique allegationem contrariam integram relinquat. (11) Porro acta in origine transmitti jubeat. Cum advenerint, sine mora gravamina cum actis conferat, iisque expensis non audita prius altera parte super qualitate vel nullitatis vel iniquitatis statuat. (12) Siquidem veram & juxta superiora qualificatam repererit, justa decernat. (13) Si ejus vanitas constabit; statim acta remittat. Hæc ita considerata observata semper sunt.

1. *De quo disponit Ordinatio part. 2. tit. 1. §. 16.* Cujus non is sensus est, ut illo remedio tantum in causis non appellabilibus locus sit, sed quod in aliis ubi cætera paria erunt, appellatione velut magis sumptuoso prolixo & difficiliori remedio uti opus non sit.

2. Hoc foret appellationum usum tollere aut perturbare quod in mentem circa eam constitutionem non venit, excepta unicâ specie, quæ in allegato §. habetur, integrum est jus qua provocationes, & siquis iis non usus est, transit sententia in rem judicatam, nec supplicationi aut rescripto locus est. *l. fin. C. ut lit. pend. l. fin. C. sent. resc. non poss.* quibus legibus non derogatur.

3. *l. 1. pr. ff. de Appellat.*

4. Reliquæ nullitates quæ merita causæ non afficiunt, in superiori judicio planè non attenduntur, *uti sæpius inter decisiones nostras habetur.*

5. *Iuxta verb. dict. §.* Daß es einiger Massen bescheiniget und glaublich gemachet. Nec enim ut circa appellationes in hac querela meris narratis standum sed ex actis simul causa querendi ostendenda est.

6. Observa formulam libelli in hoc remedio.

7. Requiritur ergò ut saltem super actis se fundet conquerens, & judex cognoscat & pronuncier.

8. Non alium processum Ordinatio vult ad libitum. Ideo isti libellus & petitio accommodanda. Quæ si aliter sonant, fit rejectio ut ineptæ petitionis.

9. Absurdum & iniquum foret, quod pro amputandis processuum ambagibus & tollendis litium moribus, ubi iis non est opus, repertum & receptum, velle finere, ut devergat aut pervertatur ad cunctationes & à suo fine recedere permittatur. Ita hactenus per nos observatum ut intra tempus introducendæ nullitatis in Ordinatione præfixum, quod est sex septimanarum, querelam proferre opus sit.

Digitized by Google

10. Circa omnes processus, præsertim verò cum de fundanda jurisdictione agitur, diligenter attendendum est, an juxta Ordinationem narrata & petita sunt qualificata. *Reusn. lib. 1. Observ. 33.*

11. Visum fuit integrum relinquere judici, utrum ad narrata quidquam reponendū habeat, tum quia existimationem cujus ea res tangit; tum quia ad informationem superioris spectat scire quid ad talem pronunciationem moverit. Nihil verò superior attendat nisi quod actis congruum, quibus judicis officium est alligatum *l. fin. Cod. de fideicom. libertat.*

12. Quando super actis solum pronunciandum velut satis audita utraque parte, ultra alterutrum audire opus non est. Querela gravati nihil est quam submissio superactis, postquam ulterius processus non est necessarius. *Gail. 1. Observ. 128. num. 4.*

DECISIO VI.

Contra notoriam consuetudinem lata sententia nulla est, & sine provocatione à judice corrigitur.

QUia consuetudo legis vicem habet, (1) Nec minus quam scripta lex in judicio attendenda; si quid contra eam notoriam pronunciatum fuerit, (2) ipso jure nullum est nec eget rescissione per provocationem. (3) Cui consequens est, ut judex meritò non attendat eam sententiam, quin potius statim nullam declarare, (4) & quod consuetudini convenit surrogari, imo & pars illud in aliam litem deducere possit. (5) Ex quo igitur per Pomeraniæ indubitatos mores invaluit, separari ipso jure antecessoris & successoris debita, utut intra quinquennium separatio petita non sit, illaque anteferri his in bonis à primo relictis etsi per extraneos JCtos aliter pronunciatum nec appellatum sit, attamen à judice id non attendi aut servari justum est. Sic visum *in causa Viduæ Ioachim Petersen, contra Adamum ab Horn. Die 2. Aprilis Anno 1657.*

1. *l. de quib. 32. ff. de legib. §. ex non scripto. Inst. de jur nat. gent. & civil.*

2. Interest an notoria sit consuetudo an dubia. Quando enim de illa disputatur, quod pronunciatum non potest contra jus dici, etsi contra id quod consuetum allegatur, quia nisi recepta & certa jus non est.

3. Sententia contra juris manifesti formam lata nullas vires habet, ideo provocationis auxilium necessarium non est *l. 2. Cod. quand. provoc. non est necess.*

4. *l. si expressim. 19. ff. de Appellat.*

5. Ita fieri moris atque rationis est, ut si ignorantia juris seu legum seu consuetudinum, qui concipiunt sententiam aberrent, Judex non attento quod ita scriptum, quod certi & indubitati juris est, substituat.

DECISIO VII.

A mandato vel decreto judicis plane injusto non opus est appellatione, sed ejus cassatio in superiori judicio per contrarium mandatum impetratur.

INcidebat, ut mandatum judicis manifestæ injustitiæ argueretur perita ejus cassatione. Dubitabatur, an recte? Initio videbatur, appellatione opus fuisse, quasi sine ista causa non devoluta, nec jurisdictio fundata esset. Verum quando etiam ea competens est in causis mandatorum, cum vel sine clausula, ad exemplum Cameræ Imperialis, (1) utique sepositio illo dubio hoc saltem consideratum fuit, utrum narrata complecterentur speciem, in qua mandari posset, & non dubitatum, decerni posse mandatum sine clausula ad revocandum decreta magistratuum & judicum, quibus continentur injusta plane & prohibita. (2) Verum de eo nondum satis constabat, utrum quod decretum tale esset, ideo placuit prius communicata supplicationis copia mandate cum clausula. (3) Die 13. Septembr. Anno 1657.

1. *Vid.* die *Trib.* Ordnung *part. 2. tit. 6. §. 7.*

2. *Ita habet Ruig. Ruland. in tr. de Commissar. part. 4. lib. 9. cap. 14. num. 20.* In Camera talis mandati inhibitorii & cassatorii sine clausula exemplum videas apud *Gylman. in Symphorem. supplic. tom. 2. part. 3. tit. 8. supplic. 7.*

3. Pro judice & magistratu justitiæ militat præsumptio, ideo contra illum sine clausula mandata non facile, nisi ob notoriam injustitiam, decernuntur. Alias tantum cum clausula, *uti sapius inter nostra factum & monitum.*

DECISIO VIII.

Sententia ex vitio neglecti compromissi nulla, in rem judicatam nunquam transit, nec appellatione eget, nisi postquam à judice confirmatur.

QUod communis JCtorum sententia statuit, intra triginta annos deductioni nullitatum contra sententiam locum esse (1) etsi aliquibus in locis immutatum sit constituto aut recepto, ut à sententia nulla intra decennium peræquè ut ab injustâ appelletur, tamen ad eum casum potrigi nequit, ubi nullitas oritur ex defectu jurisdictionis, (2) ideoque nec tunc si contra tenorem compromissi judicatum sit. (3) Est ea sententia ita nulla, ut nunquam convalescat, nisi à Competente judice confirmata sit. (4) Aquâ tamen confirmatione appellare licet. (5) Etsi enim à confirmatoria sententiâ alias appellari non solet, de ea tamen acci-

Digitized by Google

accipiendum, quæ confirmat istam, quæ non ipso jure erat nulla. (6) *In causâ Henrici Koppens Hæredum, contra Cessionarium Henrici Haverechten. Die 27. Septemb. An. 1653.*

1. De qua testatur *Gail. 1. observ. 127. n. 8.*

2. Sententia ipso jure non subsistit lata ab iis sive arbitris sive judicibus, quibus non est judicandi data facultas, *l. 1. C. de Pedan. Iud.* de hoc declarationem *v. in Recess. Imp. de Anno 1654.* §. Indem auch nunmehr.

3. *l. arbiter 50. ff. de recept arbitr.* Non potest quidquam statuere arbiter, nisi de qua re compromissum est, *l. non distinguimus 32. §. de offic. 15. ff. dict. tit.*

4. Hic veluti judex reductionis est, & quod ab arbitro erratum redintegrat. *Gail. 1. obs. 149. n. 1. & seq.*

5. *Vid. Gail. dict. obs. 149. n. 4* ubi hac ratione, quod appellatio tanquam generale remedium, ubi non reperitur prohibita aut exclusa, semper ideo etiam à judice reductionis permissa sit.

6. Quando prima sententia est nulla, secunda proprie non est confirmatoria, quia quod nullum non confirmatur, sed instar primæ habet, ideo non prima sed secunda tantum consideratur. *Gail. 1. observ. 127. num. 3.*

DECISIO IX.

Supplicatio super notoria injustitia sine appellatione devolvit causam ad superius Tribunal & de processu super eadem.

QUi curatorem litis se saltem fuisse dicebat, querebatur semet executione, sed ob debita aliena affligi, & quidem condemnatione sui non factâ sed fœminæ cujus lites curabat; petebat tolli decretum ut plane injustum, (1) haud vero appellatione interposita vel introducta, si narrata vera essent, injustitia decreti dubio caruit: at de devolutione causæ ubi appellatū non erat, dubitabatur. Conclusum vero fuit, recipiendam esse eam supplicationem ob injustitiæ notoreitatem, non minus quam recipi solet querela nullitatis etiam post decendium citra appellationis viam, (2) cum nullitas & injustitia evidens æquiparentur. (3) Præterea sic Juri convenit, ut contra sententias & decreta quæ in rem judicatam non transeunt, semper supersit locus querelæ super injustitiâ. (4) Cujusmodi etiam habetur quæ manifestam continet iniquitatem. (5) Contra quam locus supplicationi etiam ubi appellare non licet. (6) Nec enim aut per officium & conscientiam superioris, (7) aut per Justitiæ rationem aut per Reipubl. conditionem (8) fieri potest, ut deseratur justa petitio injuste læsi, aut cum breviori viâ ipsi consuli possit ad prolixiorem & in ea ad sumptus atque molestias graviores astringatur. Etsi vero placuit supplicantem audiri, tamen vitium fuit, non statim aut decretum judicis causandum, aut inhibitionem decernendam, (9) aut partem adversam prius audiendam, sed tantum ad Judicem cum comunicatione supplicationis rescribendum, ut si juxta narrata res se haberet, injusta emendaret, nec contra notoria jura supplicantem gravaretur, aut si aliter de eo comparatum, referret. (10) Ex eo demum de ulteriori processu decerneretur. *Ad supplicationem D. Conrad Franz Friedlieben, contra viduam Iohann Papken. Die 10. Novembris Anno 1653.*

1. Alium pro alio actioni & executioni subjici juri contrariatur, *l. 1. tot. tit. C. ne pat. profil.* Et cum sententia licet contra tutorem dictâ, haud tamen in bona ejus sed pupilli tantum executio fieri debeat, *l. 2. ff. de Admin. tut. l. tutor. 7. quand. ex fact. tut.* quando minus contra curatorem litis facienda est.

2. In superioribus firmata & recepta jam est in summo Tribunali hæc sententia.

3. *Scacc. de Appellat. quæst. 17. limit. 19. n. 5.*

4 *Scacc. intr. eod quæst. 12. num. 81.*

5. *Conard. in l. un. limit. 9. num. 41. C. si de mort. poss.*

6. *l. un. C de Sent. Præf. Prætor. Scacc. dict. tract. quæst. 17. limit. 1. num. 62.*

7. Superior semper attendere & curare debet, ne cuiquam sub juris specie fiat injuria.

8. *d. l. un. verb. nec enim publicè prodest legum adminicula singulis denegari.*

9. Supplicationi regulariter non inest vis suspendendi executionem. *Afflict. decis. 2. l. num. 2. Castrens. in l. si quis numero 3. C. de Precib. Imp. offer.*

10. Supplicatio est querela de iniquitate Judicis, quem ideo audire oportet, antequam quid de ipsa statuatur.

DECISIO X.

Sententia contra statuta vel consuetudinem notoriam lata sine appellatione potest rescindi.

MAlè incusatur judex, quod ad solam instantiam partis sententiam, ex consilio JCtorum peregrinorū contra constitutionem & consuetudinem provincialem latam statim correxit atque mutavit. (1) Contra statuta & mores ipso jure nulla est, nec in rem judicatam transit, (2) ideo appellatione non eget, (3) sed sine illâ ab eodem judice corrigi potest, etiam tunc si appellatio fuerit interposita. (4) *In causâ Ioachim Suckouven, contra Ernst Lepels Wittben Erben. Die 5. Iulii Anno 1654.*

1. Ita sæpius factum scio, quod cum contra jura & mores provinciæ sententia aliunde petita sonuit, judex errorem manifestum emendavit, nec id quod certum appellatione vel aliis mediis in longum litem trahi sivit, potestas ejus hæc juri communi convenit, *l. si expressim. 19. pr. ff. de Appellat.*

Digitized by Google

2. *Vantius in tit. de Nullit. sentent. ex defect. Process. n. 124. in fin.*

3. *d. l. si expressim. 19. ff. de Appellat.* Non devolvit ea appellatio causam quæ nulla sic est, sed ex errore tantum recipitur, *d. l. 2. C. quand. provoc. non est necess.*

DECISIO XI.

Notoria sententia injustitia sine appellatione causam ad superius judicium devolvit.

MOvebatur decretis processibus quæstio circa querelam super manifestâ injustâ injustitia adversus judicem inferiorem, an cum vel non appellatum, vel causa alias non appellabilis esset, recipi deberet? Dubium movebat quod non videbatur sine legitima appellatione fundata jurisdictio nec devoluta causa; veruntamen quomodo sine hac nullitas devolvit causam ad superiorē,(1)ita etiam quæ huic comparatur iniquitas vel injustitia, (2) quam gravatus ex actis statim manifestam reddere offert (3) eundem effectum habet, & judicem æquum non potest non movere, ut conquerentem de istâ audiat, (4) ideo ab inferiore acta avocet, legat & super iis de querela statuat. (5) Cujus est ex officio injustè gravatis, ubi gravaminis iniquitas est manifesta, succurrere: (6) Die 2. Martii Anno 1656.

1. Appellationis est suspendere inferius judicium & devolvere causam ad superiorem. *l. 1. §. fin. ff. ad SC. Turpill.* qua sine inferioris non turbanda est jurisdictio. *Bald. in l. 3. C. de Iudic.*

2. Nullitatis querelæ inesse tacitam appellationem, ideo sine hac expressâ devolvere causam Communis JCtorum sententia est, *Bartol & Dd. in l. si expressim ff. de Appellat.* in foro dudum recepta.

3. *Cavalcan. decis. 28. numero 51.* utraque idem meretur & operatur. *Nizol. allegat. 15. num. 1. & 31. seq.*

4. Notorietas injustitiæ seu iniquitatis in tali querelâ fundanda est in actis, quæ notorium inducunt.

5. Judex superior circa appellationem de justitiâ vel injustitiâ causæ principalis cognoscere & sententiam injustam reformare potest ad querelam super iniquitate, cum ex actis est notoria. *Bart. in l. numero 16. ff. quand. provoc. non est. necess. Gail. 1. observ. 127. num. 1. Hondeda. consil. 19. numero 33. vol. 1.*

6. *Bald. in l. 1. numero 19. C. quomod. & quand. jud. Covarr. pract. quæst. 9. numero. 4. lib. 1.* Ejus facultas & modus procedendi postea certam definitionem accepit *in Ordinatione Tribunalis part. 2. cap. 1. §.*

TIT. LXV.

QUORUM APPELLATIONES non recipiuntur.

DECISIO I.

Inscriptio in libro publico quando non obstat impugnationi actus inscripti nec appellationi.

QUando appellabatur in causa donationem concernente; quæ libro publico inscripta erat, in dubitationem venit, utrum ea causa sit appellabilis? Movebat autoritas libri publici, quam statutum illi tribuit, excludens impugnationem post annum & diem. (1) Qua non admissa nec à decreto recipienda est appellatio, uti peculiari civitatis recessu quem Appellation. Recess. vocant, cautum, in istius modi libris fundata non esse appellabilia. Haud vero hoc extendendū est ad eos casus, in quibus impugnatio licita & admittenda est. Ubi quippe actus inscriptos impugnare licitum, ibi appellare non potest esse prohibitum. (2) At non desunt casus, ubi statutum non excludit impugnationem, ex quibus etiam hi sunt, quando inscriptio non est legitime facta, seu non præsentibus & petentibus iis, qui adesse necessario debebant; seu non cum iis solennibus quæ statutum requirit. (3) Similiter si actus ipso jure prohibitus est, quem liber publicus non legitimat. (4) Similiter si de jure nullus, quem inscriptio non convalidat. (5) Quocirca quia donatio inscripta caret iis solennibus, quæ in jure ad substantiam requiruntur, non supplentur inscriptione. Præterea cum actus sua natura revocabilis est, cujus generis donatio mortis causa habetur, revocatio per inscriptionem excluditur, ideo ex ea causa impugnatio cessat. *Juxta hæc decretum in causa Anna Selken, contra Hanß Holsten. Die 11. Ianuarii Anno 1658.*

1. Jure Lubecensi id remedium firmandi atque contra lites præservandi actus humanos repertum & receptum est, *de quo in Commentario ad Ius Lubec. lib. 4. tit. de Fide Instrument. artic. 1. fusius scriptum reperies.*

2. Appellationum Jure gentium introductum beneficium eam libertatem habet, ut cui litigare integrum, ei provocare, ubi gravatur, non sit præclusum. Nec enim appellationes cuiquam sine lege sunt prohibendæ. *Paul. de Castr. in l. 1. ff. de Appellat.*

3. Paria sunt aliquid non esse factum aut inutiliter *l. quoties 6. ff. qui satis d. cog.*

4. Libri publici virtus in eo est, ut actus confirmentur, non ut legitimentur. Ideo confirmatio ejus quod injustum est nihil valet, *c. 1. & seq. de Confirmat. util.* Præsupponit enim aliquid confirmandum esse justum.

5. Ut

Digitized by Google

5. Ut non entis nullæ sunt qualitates, ita etiam actus nullius non est confirmatio. Quæ non est sine confirmatione alicujus operationis *vid. Gail. 2. Observ. 1.*

DECISIO II.

A decreto judicis, per quod debitori indulgetur ex causa solvendi dilatio, appellatio non est recipienda.

EST quidem à lege tempus judicati præstandi; at idem sic comparatum, ut judici ex causa prorogare liceat (1) præsertim ob solvendi difficultatem. (2) Quod ubi factum, non est locus appellationi, si causa non injusta ex decreto judiciali apparet. (3) Non admittitur illa in his, quæ relicta sunt judicis arbitrio, si hoc præjudicium definitivum secum non habeat. (4) vel cum ex hoc definiti manifesta non est iniquitas. (5) Ex qua ratione processus appellationis negati sunt *Tutoribus liberorum Levin Peters-dorffen, contra D. Franc. Conrad Fridelieben. Die 23. Martii Anno 1658.*

1. *de quo vid. l. fin. C. de Usur. rei judic.*
2. *l. 4. §. si quis ff. de Iudic.*
3. Veluti ob inopiam condemnati vel nimis magnam quantitatem solvendam. *Coler. de Proceff. Executiv. part. 3. c. 6. n. 12. seq.*
4. Cum hac distinctione deciditur quæstio, An in arbitrariis appellationi locus sit *Scacc. de Appellat. quæst. 17. limit. 49. membr. 1. num. 176. in fin.*
5. Arbitrium non est appellabile nisi ex magna eaque evidenti iniquitate. *l. fin. C. de recept. arbitr.*

DECISIO III.

Post tres conformes sententias admittitur appellatio si illarum injustitia aut nullitas manifesta est.

CUm de appellationis devolutione quærebatur existentibus tribus conformibus sententiis, existimatum est, has devolutionem non impedire istam, tum quia ob rejectam plane rei exceptionem, quæ sufficiebat ad elisionem intentionis actoris injustæ erant notoriè, (1) tum quod altera earum sine legitima causæ cognitione lata ita apertè nulla, (2) adeoque non aliter atque si non lata fuisset non attendenda (3) erat. *In causa Iohann Barfels, contra Franz Zimmerman. Die 30. Martii Anno 1658.*

1. Tertio provocari potest cum injustitia priorum sententiarum ex actis est notoria *vid. Scaccia de Appellat. q. 17. limit. 1. num. 62.*
2. Nullitas est maxima, cum omittitur causæ cognitio & sine ista decreta nunquã sortiuntur vires rei judicatæ, *l. 1. tot. tit. C. lit. Comnin. Epist.*
3. Nulla quæ est sententia pro tali non habetur, ideo non venit in numerum trium sententiarum adeoque facit locum appellationi. *vid. Scacc. dict. quæst. 17. tom. 1. num. 55.*

DECISIO IV.

Summa appellabilis non æstimanda est ex rei pretio sed ex eo quod interest in lite superiorem esse.

CUm ageretur de opere novo demoliendo, non attenta est adjectio illud taxatum viginti saltẽ Joachimicis, adeoque causam non esse ratione summæ appellabilem, quia non solum pretium rei spectandum, sed quanti referat ædificatum habere, (1) quod usus gratia longe superare potest pretium. (2) De quo minus dubitare oportebat, quod non superficies saltem, sed cum illa fundi proprietas in quæstionem vocabatur, ejusque disceptatio in lite simulerat. (3) *In eadem causa.*

1. Tantum abest quantum interest. *l. si commissa 13. pr. ff. rem rat. haber ideo id in æstimationem rei venit l. ait Lex. 21. §. fin. ff ad Leg. Aquil.*
2. Quod interest, sæpe multum excedit pretium rei. *l. 1. pr. ff. de Act Empt.*
3. Circa taxationem seu dijudicationem summæ appellabilis non id tantum spectandum, quod principaliter in litem venit, sed quod ex ea simul decedit vel accedit. *Uti hoc ordinationi convenit pari. 2. t. 1. §. 9.*

DECISIO V.

Non est ex intentione actoris utut probata condemnandus reus, cum probatione suæ exceptionis illam potest elidere.

QUi novum opus nunciaverat, quidquid pro intentione sua ut ædificatum destrueretur adduxit, probaverat; (1) at nunciatus opposuit exceptionem dominii in fundo, cui inædificatum erat sic comparatum, ut diluere posset quidquid objectum, cum in suo cuique ædificare liceat etsi noceatur vicino. (2) Malè autem videbatur condemnatus reus ad demolitionem ex sola probatione actoris, cum exceptio integra esset eaque peremptoria, quam in quavis parte litis objicere fas est, multo magis ab initio oppositam probare, cui nihil obstat probatio actoris, (3) dum post eam exceptio non eo minus locum invenire debeat. (4) *In causa Iohan Barfels, contra Franz Zimmerman. Die 30. Martii Anno 1658.*

1. Actoris est intentionem suam ante omnia probare. Hoc non probante reus etsi alias nihil præstet absolvitur *l. 2. ff. de probat.*

2. *l. pra-*

Digitized by Google

2. *l. præscriptionem 8. C. Except.*

3. Exceptio enim est actionis exclusio. *l. 1. ff. eod.* nec refert an probata illa sit nec ne.

4. *l. siquidem 9. C. eod.*

Juxta hoc ita pronunciatum fuit.

In Sachen Jochim Barfelsen Appellanten / wider Frantz Zimmermannen Appellaten / in puncto demoliendi operis wird die Appellatio alß anhero erwachsen und der formalien halber beständig / die gravamina aber überflüssig befunden / dennoch die acta ex officio vor beschlossen angenommen und erkandt / daß vom Richter voriger Instantz noch zur Zeit übel gesprochen / wol appelliret / und der Appellante annoch zum Beweißthum seiner Exception, daß nemblich der Platz darauff er gebauet ihm zugehöre / und er also auff dem Seinigen gebauet / zu verstatten. Inmassen er dazu hiemit verstattet / und zwischen diß und negstem den Beweiß zu führen ihm aufferleget wird / von Rechts wegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 26. April Anno 1658.

(Hoc est)

In causa Jochim Barfelsen Appellanten, contra Franz Zimmerman Appellatum, in puncto demoliendi operis appellationem huc devolutam, & ratione formalium sibi constantem, gravamina verò superflua deprehendimus, attamen acta ex officio pro concluſis accepramus, & decernimus, quod à judice prioris instantiæ adhuc malè judicatum, bene appellatum, & Appellantem ad probationem suæ exceptionis, quod Spacium, cui inædificatum, ad ipsum pertineat, & proinde in suo ædificarit admittendum, prout hoc ipso admittimus, & inter hanc & proximam juridicam probationem ipsi injungimus de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ. Anno 1658.

DECISIO VI.

In causis quæ innituntur inscriptis libro publico admittitur appellatio quatenus eadem licet impugnare.

Est ex statutis vel moribus multis in locis receptum pro autoritate & robore actus & contractus hominum, inseri libris publicis & inscripta velut actis publicis insinuata esse firma nec impugnanda. (1) Unde etiam paratam executionem habent. (2) Cum ex Jure Lubecensi; (3) in Civitate Wismariensi idem observaretur, at contra creditum libro publico inscriptum prioritatis disputatio exurgeret, factaque pro isto pronunciatione appellaretur, dubitatum est, utrum in tali causa appellatio admittenda esset, quia ut inscripta impugnari non debent, sic ne, appellationi à sententia ejus confirmatura locum esse videretur. (4) At sicut ratio hæc tantum concernit speciem, ubi non est contra libri publici tenorem disputationi locus, ita si quo casu vel aliqua ex causa licita est impugnatio, secus dicendum erit, (5) Uti & dictum fuit ubi intra annum & diem, (6) ex rationibus juri consonis rescindi aut deleri petitum, quod inscriptum erat. (7) *In causa Iochim Zabeln, contra Wilhelm Humborg, die 4. Maii Anno 1658.*

1. Libri publici, quibus inseruntur in fidem & robur negotia humana, actorum publicorum vicem & vim habent, *sicut exposui in Comment. ad Jus Lubecens. lib. 5. tit. 6. artic. 1. num. 1. & seq.*

2. Habet iste liber publicus instar actorum publicorum, ex quibus parata semper est executio, *ut docet Petr. Frider. Mindan. de Mandat. lib. 2. cap. 66. num. 1. seq.*

3. Jus Lubecense *artic. 1. tit. 9. lib. 1.* sic constituit. Wird etwas in des Raths Obristen Stadtbuch geschrieben / und solches würde Jahr und Tag nicht angefochten / so kan darauff künfftig niemand einige Zurede thun.

4. Appellatio est species impugnationis *l. 1. ff. de appellat.* nec admittitur regulariter adversus ea quæ paratam habent executionem.

5. *De his vide à me scripta ad d. artic. 1. n. 31. & seq.*

6. Hunc terminum impugnandis actibus libro publico insinuatis Jus Lubecense *in dict. artic. 1.* præscripsit.

DECISIO VII.

Solennia appellationis instituendæ aut introducendæ per æquipollens non præstantur, sed ob ea præcise non servata judex inferior juste non defert appellationi.

Cum in statuto vel conventione certus modus appellandi atque appellationi præscriptus fuit, velut si cautum, ut appellans judici à quo exhibeat intra certum tempus instrumentum appellationis ut & formulas, se ad præstandum juramentum sistat, juxta cautionem offerat ejusque certa forma, veluti ut fiat coram Tribunali vel Senatu sedente vor sitzendem Rath / ubi aliquid ex iis neglectum est, non tenetur judex inferior deferre appellationi. (1) Pro forma enim ista juris lege vel contractu recepta, (2) qua neglecta nulla est appellatio, (3) cujus formalia præcise sunt observanda. Ego magis si interfuit judicii inferioris talia non omitti. Nec sufficit, quod de forma est, per æquipollens adimpleri, (4) ut si loco instrumenti cui gravamina sint inserta, supplicatio ea continens cum nudo documento exhibeatur. (5) *In causa Senatus Stralsundensis, contra Paulum Erhorn. Die 10. Sept. Anno 1658.*

1. Paria sunt non esse appellatum & non eo quo oportet modo, seu non legitime, *l. quoties 6. ff. qui satisd. cog.*

2. Forma cujusque rei ut dat esse, ita exactissime & ad unguem servanda est, *l. cum hi 9. supra cit. ff. de Transact. l. certa forma C. de Iur. Fisc.*

3. Omissio formæ in minimo totum vitiat. *Gail. 2. Observ. 2. n. 6.*

4. Forma per æquipollens non potest adimpleri. *Gail. 2. Observ. 19. n. 15. seq.*

5. In

Digitized by Google

5. In hoc detractum esset non parum formæ præscriptæ, ad quam instrumentum legaliter confectum statutum requirit. Formæ autem quæ individuum quid est, *Bald. in l. certi §. quoniam ff. de reb. cred.* nihil vel minimum detrahi potest. *Bald. in l. ult C. de suis & Legat. hared.*

DECISIO VIII.

Statutum & observantiam judicii inferioris sequi oportet circa formalia appellandi.

CUm ex statuto seu conventione in loco inferioris judicii alia forma appellandi erat introducta, instrumentum solenne cui inserta erant gravamina offerri oportebat, in superiori autem illud observabatur, nempe libellum simplicem cum nudo appellationis documento præbere satis erat, non potest judex superior ex moribus sui Tribunalis à judice inferiori exigere, ut sepositis statuti solennibus nihilominus deferat appellationi. Pertinet enim hoc ad ordinaria processus. (1) Circa quæ differentia in iis, quæ post introductionem causæ fieri debent, superioris judicii statuta vel consuetudines sequi oportet, (2) in cæteris vero quæ ad modum appellandi faciunt ea quæ sunt inferioris judicii. (3) *In eadem causa.*

1. Statutum de appellatione est ordinatorium processus. *Abb. inc. in Ecclesia num. 25. de Constit.*

2. In iis quæ sunt de suo processu judex superior debet sequi statuta sui loci. *Vid Scacc. de Appellat. 1. part 1. q. 17. num. 13.*

3. Quæ concernunt appellationis formam ut & qualitatem, ideo & quæstionem an & quomodo admittenda sit, ordinatoria sunt, ideo judicii inferioris & ex ejus statutis censenda. *Vid. Scacc. dict. q. 17. num. 2. seq.*

DECISIO IX.

In processu inquisitorio juràsse testes & examinatos esse non citato aut interrogatoria dante reo, justa non est appellandi causa.

FRequens est advocatorum querela & exceptio contra inquisitionem, non auditum nec citatum esse reum ad examen testium, juràsse & testificatos hos esse, non datis interrogatoriis. At incongrua & injusta. Nec enim id fieri processui inquisitorio convenit, cui malè opponuntur, quæ in ordinario s. accusatorio observari solent. In hoc quippe accusator quicunque sit, seu fisci procurator seu alius, tenetur servare ordinè agendi consuetum. (1) In illo vero judex ex officio pro cognoscenda veritate famæ aut denunciationis super delicto inquirit, (2) primo generatim de corpore delicti & autore, & si per istâ hujus reperti eminent indicia, de eo qui reus argui possit. (3) Ubi ista sic comparata sunt, ut certam personam onerent, tunc demum adversus eum proceditur; antea facta non tam adillam quam ad informandum judicem spectant, qui per generalem inquisitionem informatus deinde illum quem indicia reumostendant inculpat, ideo adversus illum articulos super crimine & inquisitoriis actis extrahit, quos inquisitionales vocamus & super iis inquisitum respondere jubet. (4) Si confitetur res acta est. Si neget tunc oportet inquisitum convinci, ad quod probatione opus est. Quæ duplici modo fieri potest, vel dum judex acta & attestationes, quibus reus oneratur, edit & communicat, contra quæ inquisiti est se defendere, quod fieri solet propositis defensionalibus articulis ad diluendum indicia, vel dum super indicionalibus testes vult examinari. (5) Ubi priori modo judex utitur, malè accusatus & ideo à reo appellatur, quod jurarunt & examinati sunt testes se non citato, nec interrogatoriis exactis, cum examen illud ad solam eam inquisitionem pertineat, quis inculpari debeat, & quando nondum constat, an contra quem inquiritur, inculpandus sit. (6) Postquam fieri potest, judicem reperire inquisitionem aut deponendam aut contra eum qui suspectus aut diffamatus fuit non prosequendam esse. Ubi autem reperta per inquisitionem indicia aliquem onerant, tum demum judicis est super indicionalibus inculpatum audire, responsiones istius poscere, inquisiti verò se contra ista defendere & purgare. (7) Nec defensioni quidquam decedit, quod antea non sunt data interrogatoria, quod non vidit jurare testes. Nam quæ per ista exquirenda in defensionales redigi queunt, super quibus iidem testes iterum mediante novo juramento audiantur. (8) Quando vero post responsiones judex ad probandum negata testes vult examinari, tunc id fieri debet citato ad id reo, & iis denuo jurantibus. At minime necesse est interrogatoria rei poscere aut admittere, sed deinde ad defensionales rei pertinent quæ putat interroganda esse. (9) Rejecta ideo appellatio, quæ nihil gravaminis proferebat nisi quod talia facta non erant. *In causa Martini Vnraves contra Senatum Vismariensem die 14. Septembr. Anno 1658.*

1. Processus accusatorius est ordinarius & in illo ordo observandus est, quin in causis civilibus observatur, circa litis contestationem, exceptiones, probationes, &c. l. 2. *l. 2. C. de Custod. Reor. l. qui accusare C. de Edend. Wesenb. in Paratitl. ff. de Accusat. num. 12.*

2. Processus inquisitorius est summarius celerisque expeditionis, ideo ordinem aliàs præscriptum non observat, sed quam potest fieri brevissime ad indaginem veritatis tendit: *Zanger de Except. part. 1. cap. 1. num. 60. & in tr. de Quæstion. in proœm. numer 4.*

Digitized by Google

3. Ita duplex est inquisitio, alia generalis alia specialis. Illa generatim versatur circa quæstionem, an crimen sit commissum & à quo. Hæc in indagatione, an certa persona ejus sit rea. Utriusque propria prolixe explicat Carpzovius *in Practic. Criminal. part. 3. quæst. 108. per tot.* Ut vero ista non confundantur à judice & recte observentur ab Advocatis multum refert, quia non rectè distincta multis litibus occasionem præbent.

4. Ita nempe, ut nihil probationis amplius requiratur. Attamen deductio innocentiæ reo confitenti integra manet. *Vid. Carpzov. in dict. Pract. quæst. 115., num. 30.*

5. Sunt qui in scriptis suis judicem ad talem processum arctatum volunt, ut post responsionem rei testes; utut tantum in generali inquisitione examinatos, iterum super articulis examinet citato reo ad videndum jurari. Sed praxis fori huic adversatur, ex qua liberum judici an hoc facere velit, an verò potius acta inquisitionalia loco probationis repetere & communicare. Sæpius ita fit. Nec est ratio quæ obsistat aut repetitionem testium super articulis arguat. Non præscripta est ulla lege ea necessitas. Potius penes judicem est, quomodo probatione defungi velit, quid expeditius putet. Nec interest rei sic fieri, cui omnia circa defensionem suam integra sunt, & ut reputantur super iis quæ dubia facit petendi non adempta facultas. Qui contrarium sentiunt id saltem intuentur quod frequentius fit. Practicæ ignari in eam opinionem devenerunt. Duo vero hæc necessaria sunt, ut judex supersedere possit alii examini, & ut tantum illo, quod circa generalem inquisitionem factum fuit. Primo si jurati testes deposuerint, quos alias deinde jurare & juratos in speciali inquisitione deponere necesse est. *Carpzov. in Practic. part. 3. q. 114. num. 67. seq.* Secundo si super iisdem articulis ad quos reus respondit, examinati sint, non tantum summariè. *Cujus rationem vid. apud Brunnem. de Inquisit. proceff. cap 8. memb. 2. num. 48. seq.*

6. In ea inquisitione generali citatio rei ad videndum jurari non requiritur, sed sine illa fit examen. *Brunneman. de Proceff. Inquisit. cap. 8. memb. 2. num. 35. & 36.*

7. In processu inquisitorio non sunt confundendæ partes judicis & rei. Ille tantum ad ea intendit quæ ad onerandum reum pertinent. Hujus vero est ista diluere, ideo nullo non tempore pro defensione sua admittitur ad ea, quæ ad elevandam fidem testium pertinent. Triplici modo ipsi defensione sua uti liberum est, *quem annotavit Carpzov. d. tr. quæst. 115. num. 69.*

8. *Vid. Brunneman. dict. cap. 8. membr. 2. n. 35.*

9. *Ita statuit Carpzov. in dict. Pract. quæst. 114. num. 21.*

DECISIO X.

A juramento Legali non valet appellatio.

CUm juramentum diffessionis hæredi & quidem eo ut solet modo injunctum erat, appellationi locum non esse visum fuit, quia illud juramentum legale est in judiciis circa recognitiones scripturarum receptum (1) A legalibus autem juramentis non magis quam à lege ipsa appellatio admittitur. (2) Siquid in decreto per quod jurare injungitur gravaminis est, hoc oritur non à judice sed à lege. (3) Sic ex aliis etiam rationibus de quibus alias vidimus, *placuit in causa fratrum Garlib. & Iohan Jusquini à Gasen cum Senatus Stralsundensis nollet deferre appellationi ad Dicasterium Pomeraniæ. Die 25. Oct. Anno 1658.*

1. Legibus judiciorum, & ubi istæ deficiunt moribus tamen, ubique receptum est, ut recognitio scripturarum aut diffessio fiat mediante juramento.

1. A legis executione non valet appellatio *l. fin. §. item si ex perpetuo ff. de Appellat. recip. l. si quis pœna ff. de V. S.*

3. Contra hujus damnum non est remedio locus singulis lex enim licet dura & servanda. *l. perspexit. 12. ff. qui & à quib. manumiss.*

DECISIO XI.

In causa decimarum appellatio quando admittitur.

JCtorum multorum religiosa ea fuit sententia in causa decimarum appellationem non admitti, (1) ideo quod illa esset pia, (2) & decimæ sunt tributa animæ. (3) At non aliter tradita atque recepta, quam si sententia pro solvendis decimis lata est atque hæ ad Ecclesiæ sustentationem pertinent, (4) ut & quatenus hunc pium usum impedit provocatio. (5) Alias secus se res habet, veluti cessante causa prohibitæ appellationis. Idcirco ubi non modo non illi, qui solvere debuerunt, provocarunt, verum qui exigebat; sed etiam decimæ à sacris usibus ad profanos per nuperam secularisationem bonorum conversæ erant, dubium nullum superfuit, cur non reciperetur, (6) præsertim ubi de appellatione ab excessu res erat, (7) Consideratum hoc est *in causa Præfecti Domini Comitis Königsmarcks contra debitores Decimarum in Borstel und Mittel-Kirchspiel. Die 2. Novembr. Anno 1658.*

1. *Sic communiter traditur per cap. tua 26. X. de Decim Specul. in tit. de Appellat. §. in quib. num. 5. Maranth. in Spec. part. 6. act. 2. limit. 15. Greg. Tholos. de appell. lib. cap. 9. num. 2.*

2. Causa decimarum ad pias causas refertur. *Tiraquell. de privil. pia caus. 153.* in quibus appellationi locum non esse creditur. *Scacc. de Appellat. quæst. 17. limit. 8.*

3. *C. decima 16. quæst. 1.*

4. De ea specie omnes illi loquuntur, qui causam de decimis non appellabilem esse sentiunt, & ea ratio astringit, quæ non pertinet ad eam speciem, ubi contra decimarum debitum ejusque lucrum finem sententia dicitur. *vid. Tholosan & speculat. dict. loc.*

5. Ideo appellatio non admittitur, donec decimæ sunt solutæ, deinde vero causæ prosecutio locum habet. Hoc est quod dicitur appellationem in decimarum

Digitized by Google

decimarum causa habere effectum devolutivum non suspensivum. *Rebuff. in tract. de Decim. quæst. ult. num. 21.*

6. Mutata rerum conditio mutat qualitatem & effectum juris.

7. Cum ab excessu collectoris decimarum appellatur, provocatio admittitur. *Dec. in c. nov. 43. n. 10. de appellat.*

DECISIO XII.

Decretum remedii possessorii exclusum est appellabile.

CUm de jure percipiendi decimas ideo fructus, ex quibus illæ præstandæ erant à solo separandi controversia erat, sub periculo moræ justa fuit providentia, ut præstita cautione, qui hactenus perceperunt porro fructus separarent & tenerent, donec causa principalis terminaretur, nec locus potuit esse appellationi ab interlocutoria, quæ in lite principali definitiva sententia poterat reparari, (1) uti nec in causa momentaneæ possessionis. (2) At quando postea alio decreto prius confirmatum fuit, sed præterita plane ordinarii possessorii reservatione, (3) additum quod in petitorio supplicanti jura deberent esse salva, appellandi justa fuit causa, dum sine causæ cognitione ex eo ordinarium possessorium erat ademptum & præclusum, (4) inde simul ereptum possessionis commodum, (6) pro quo servando tam licet appellatio, (6) quam ingens gravamen est, cum qui possessionem obtendit & deducere cupit, ad petitorium remittere. *(7) In eadem causa.*

1. In contentione de separatione fructuum potior est qui hactenus separavit, quàm qui possessoris loco habetur. Ne aut ipsi jus inde quæratur novum, aut alteri præjudicium fiat, cautio de restituendo adhibetur.

2. *Gail. 1. Observ. 125. num. 1.*

3. *l. 1. C. si de moment. possess.*

4. Stylo judiciorum sententiis super momentaneo seu summarissimo possessorio addi solet reservatio possessorii ordinarii.

5. Nihil refert an cui per sententiam possessio penitus sit adempta an remedium possessorium.

6 *Quum magnum & multiplex hoc sit collegit Carpzov. l. 1. respons. Electoral. 1. num. 4. & seq.*

7. In possessoriis judiciis appellationi locus est, ubi quis possessione, in qua est, sine legitima causæ cognitione vel sine causa privatur. *Contard. in l. un. limit. 3. C. si de moment. caus.*

DECISIO XIII.

A decreto confirmatorio appellationi locus est, quatenus novum gravamen infert.

QUod vulgo dicitur & pro regula usurpatur, à sententia prioris, quæ in rem judicatam jam ivit, confirmatoria non appellari, obtinet quatenus in hac nihil aliud continetur atque in priori sententia, quæ vires rei judicatæ nacta est, reperitur. (1) Si quid ultra habet & ubi novum gravamen infert, sicuti non potest dici confirmatoria, (2) Ita locus est appellationi. (3) *In eadem causa.*

1. Ratio appellationem excludens est ex re judicata, à qua recedi nullo modo debet, *l. 1. Cod. de re judic.*

2. Confirmatio nihil novi tribuit. *Gail. 2. observ. 1. num. 13.* Quatenus quidquam novi inest sententiæ, non est confirmatoria sed nova & alia sententia.

3. Ratio in confirmatoriis appellationem excludens hic cessat & alia est. Imo vero nova qua id, quod in sententia non existit.

DECISIO XIV.

Causa immunitatis à vectigalibus appellabilis est.

SUnt quidem vectigalia publica jura & reditus principum, quorum gratia parata est executio. (1) Quomodo reipubl. interest prompte præstari atque exigi sine mora, ita litium ambagibus & remoris subiici & involvi non oportet. Nec tamen & fas est per ea tolli vel lædi aliorum jura, aut onerari qui sunt immunes seu ex jure communi seu ex privilegio. (2) Quibus ideo denegari non debet, ut exemptionem aut libertatem suam legitimis remediis defendant. A quibus non exempta sunt vectigalia, (3) quæ non aliter quam quatenus justa privilegiis & singularibus juribus fruuntur. Cum appellatio ad superius judicium defensionis medium seu species sit, non denegari potest immunitatem verisimiliter ex privilegiis aut longa consuetudine allegantibus. (4) Male objicitur, vectigalium causas ad judicia non pertinere, quod etsi de illarum exactione juxta formam solitam recte dicitur; minime tamen eo pertinet, ut qui de injuria exactionis ob immunitatem justam atque verosimilem queruntur, in judicio, ad quod pertinet de injusta exactione controversia & cognitio, (5) non admitti debeant, (6) Est itaque discernendū, utrum de vectigalibus res liquida sit, an vero circa ea oritur disputatio, quæ non nisi legitimo juris tramite definienda est. (7) In qua audiendus quoque est qui contra vectigalia exemptionem non sine ratione prætendit & si res dubia reperitur. (8) Ut talium in Camera Imperiali observantiam praxis quotidiana testatur, quam in summo Tribunali Regio sequendam esse existimavimus. *In causa Senatus Verdensis contra Publicanum ibidem. Die 2. Novembr. Anno 1658.*

Digitized by Google

1. Per communem consuetudinem Imperii adeo hæc attributa est vectigalibus, ut etiam publicani propria autoritate exigere, recusantes compellere, defraudantes coercere valeant. *Sixtin. de Regalib. lib. 2. cap. 6. num. 173. Modest. Pistor. consil. 48. num. 18. vol. 2. Hartman. Pract. observ. lib. 2. tit. 48. n. 14.*

2. Jus vectigalium non tollit privilegia & immunitates, ideo exercendum est his salvis & non turbatis. *Vid. Klock. in discurs. de vectigal. conclus. 44. docet.*

3. Legitimis remediis etiam in causis vectigalia concernentibus utendum esse, quæque illa sint, docet *Klock. in d. disc. concl. 91. & seq.*

4. Inter illorum scripta, qui processus, decreta & judicata Cameralia collegerunt & tradiderunt multa exempla causarum in Camera Imperiali de vectigalibus agitatarum & specialia etiam appellationum reperiuntur. In Germania extra omne dubium est causam vectigalium esse appellabilem.

5. *Vid. Klock. d. disc. concl. 92.*

6. Nulla non modo lege reperitur à judiciis & appellationibus excepta vectigalium causa, ut sine illa non attenta gravaminis acerbitate & petitionis æquitate conquerentes rejici debeant, sed quæ habentur. *in tit. ff. de Public. & Commiss.* ostendunt judicis esse, de iis, cum in controversiam veniunt, cognoscere.

7. *Sic discernitur in Colleg. Argent. orat. Meieri lib. 39. tit. 4. thes. 18. in addit.*

8. Etiam in dubio contra vectigalia judicandum esse traditur. *Surd. decis. 305. num. 44. Pancirol. consil. 23. num. 19. Klock. consil. 29. num. 967. vol. 1.*

DECISIO XV.

Appellatio à privilegio admittitur.

REgimen Regium cum privilegio quodam ab urbanis oneribus Cæmentarium exemisset, Senatus Civitatis appellabat, atque de iniquitate concessionis per plures rationes querebatur. Prima quæstio exurgebat de appellationis devolutione, seu fundatâ jurisdictione. Incidebat quippe dubitatio, an à privilegio appellandum, quod legis species est, (1) à qua non appellatur. (2) Et quidem si, ut ea voce utimur, de jure singulari, quod supremus princeps concedit, quæstio esset, de privilegio non magis ab isto appellatio locum habere posset, quam ab ipso principe appellatur. (3) At hic oriebatur de concessione, quæ privilegii instar ideo & nomen capiebat, quærerat Regiminis Regii à quo appellatur. Et creditum est, sicut ab aliis ejus decretis, ita etiam à tali privilegio appellationem recipiendam esse. (4) Quandoquidem sine discrimine omnia magistratuum decreta, sive in judicio sive extra illud edita, si gravamen aliquod inferunt, appellabilia reddita sunt, ne subditi & cives in ullo aliquo gravamine, cujus aliàs difficilis reparatio est, auxilio careant. (5) Ideo etiam in Imperio Romano Germanico sic generaliter constitutum est, ut ab omni extrajudiciali gravamine provocationi ad Summa Judicia locus sit, tantum ut in provocatione & foro quædam differentia sit. (6) Malè ageretur cum subditis si in eo remedium contra gravamina superiorum ordinarium præclusum foret; Et per indulta singularia aliis sibi contra alios jus quærere & privilegio jus auferre nec queri liceret, Judicis superioris officium non adeo restringendum est, quin decreta omnia noxia rescindere possit. (7) Noluit hoc beneficium jurisprudentia ademptum super eos qui superiorem recognoscunt statutum in aliorum æmulationem vel in injuriam conditur. (8) Quâ itaque ratione potuit negari, ubi per jus singulare seu privilegium, quod ex se odiosum est, quis semet gravatum queritur & ostendere vult. Cujus argumenta cum proferrentur non levia *receptae est appellatio Consulis & Senatus Stetinensis contra Hans Friederich. Die 14. Decembris Anno 1658.*

1. §. *sed & quod Principi 6. Inst. de Jur. Nat. Gentium & Civ.*

2. *l. fin. §. & si ex perpetos ff. de Appell. recip. l. si quæ pœna ff. de V. S.*

3. De eo JCtus *in l. 1. § 1. ff. à quib. appell.* ait, Ratum esse manere quod à Principe appellare fas non sit, cum sic is ipse provocabatur.

4. *l. 1. §. solent ff. quand. appell. lic. l. ambitiosa. ff. de Decret. ab ord. fac.*

5. *l. 1. pr. ff. de Appellat.*

6. Sic provisum per legem Imperii im Reichs Abscheid zu Regenspurg de anno 1594. §. Nun aber von gemeiner.

7. *l. qui se gravatos C. de Censib.*

8. *l. 1. in fin. ff. de except. dat. Bartol. in l. fin. num. 3 ff. de Appel. recip.*

DECISIO XVI.

Quando privilegium justam provocandi causam præbet.

APpellans Senatus à Privilegio seu concessione immunitatis gravaminum loco non levia producebat argumenta, quæ admissionem appellationis mereri videbantur. (1) Primo enim allegabat, quomodo inde jus civitatis, cui in omnes cives suos ita jus certum exigendi onera, uti omnium communis obligatio est, valde læditur. (2) Imò sibi jus suum, quoad impositionem & exacti onem munerum fruitur, aufert, (3) Secundo quod potestatem Regiminis, exemptio ab oneribus urbanis quà cives suos excedit, utpote cui non vacat, sic quemquam eorum civico debito contra jus civitatis eximere. (4) Tertiò, quod utilitati publicæ contrarium est, civem, qui oneribus sufferendis par esset, eximere, (5) ideo inde

Digitized by Google

inde id ipsum nullum habendum & revocandum. (6) Quarto, quod hoc redundat in aliorum civium injuriam atque onus, qui cum aliàs satis gravibus oneribus obnoxii sint, tamen & illius partem una sufferre debeant. (7) Et quidem Quinto tanto iniquius quantominus apparet ratio privilegio eximendi (8) hominem, qui civilibus commodis fruitur, victum in urbe quærit, eumque sufficientem habet. (9) Præsertim sexto eo sub flagrante bello ubi onera in immensum pene excreverant, iniquior dicebatur exemptio. (10) Ex quibus omnibus tandem etiam hoc apparebat, si ita se haberent, induci multa specialia, (11) & quæ præjudicium non leve civitati facerent. (12) Ideo digna videbantur, ut non statim rejicerentur, sed an sic comparata sunt decretis processibus, inquirerentur. *In eadem causa.*

1. Privilegii concessio seu jus singulare unius civis præ cæteris multum habet incommodi & occasionis ad civium inter se dissidia, reipubl. turbationem, legum atque munerum confusionem, animorum perplexitatem, nervi publici incisionem, unde omnium Politicorum sanum est consilium ut princeps privilegia & ab oneribus exemptionem raro, considerate nec nisi gravi ex causâ indulgeat. *de quo vid. Klock. in tract. de Contribut. cap. 16. sect. 1. num. 2. seq.*

2. Concedenda sunt privilegia sine alterius injuriâ, nec valida, quatenus in hanc redundant. *l. Imperatores ff. de servit. Rustic. Prad. l. 1. §. meritò si quis à Principe ff. Nequid in loc. publ.*

3. Absolutæ & summæ potestatis est per privilegia & exemptiones alterius juri quæsito derogare, quod non venit in generali mandato, nec vicariæ potestati competit. *uti de gratiosis ab illâ exemptis JCtorum communis habet sententia, de qua vid. Buxtorff. ad Aur. Bull. conclus. 73. ubi plures in hanc sententiam allegati.*

4. *l. vacantis C. de Decurion. Barbos. in l. 1. part. 7. num. 57. ff. Solut. matrim.*

5. Privilegium quatenus in detrimentum reipubl. aliquod redundat, etsi concessum revocandum est. *Georg de Cabedo decis. 19. num. 7. seq. part. 2. Franc. Marc. decis. 529. num. 8.* quanto magis, ut non incipiat nocere, ab initio cavendum.

6. Suum quisque onus non alterius portare debet. *l. 1. C. ut null ex vican.* ideo non aliter valet privilegium immunitatis, quam ut inde alius non gravetur vel ejus onus augeatur. Quare ubi Princeps immunitatem tribuit, ita demum ei effectus relinquitur, ut concedenti solvendum decedat, non ut alios oneret *uti prolixius docet Klock. dict. cap. 16. sect. 1. num. 23. & mult. seq.*

7. Privilegium sine ratione indultum publicæ prodigalitatis species est; ideo & irritum.

8. Ii, qui opibus valent adducendi potius sunt ut onera sustineant, quam ut iis eximantur.

9. Immunitatis privilegia utut largissimè concessa in bello quiescere debent. *Tapia in l. fin. part. 2. cap. 9. num. 43. ff. de Constit. Princip. Menoch. consil. 137 num. 9.* quanto minus cum civium aliorum onere incipere.

10. Privilegia JCti invalida faciunt, quæ continent multa specialia & à jure communi exorbitantia. *Afflict. decis. 299. num. 27. Carter. de Prim. gen. l. 2. quæst. 6. num. 5.*

11. Privilegium quatenus in præjudicium alterius devergit vires amittit. *Gravet. consil. 966. n. 4.*

DECISIO XVII.

A sententia in summarissimo possessorio appellatur, quatenus facit præjudicium ordinario possessorio.

COmmunis est JCtorum sententia legibus consona, (1) per usum fori recepta (2) & in Camera Imperiali observata, (3) quod à sententia in summarissimo possessorio latâ non licet appellare, cujus ratio est, quod saltem ad tempus de possessionis statu provisionaliter pronunciatur, salvo cum petitorio, tum & ordinario possessorio, in quibus judiciis tam facilis est in causa bona impetranda reformatio, quam per provocationem: (4) Hæc ipsa autem ratio admonet, ut si per sententiam supermomentaneo judex ulterius progreditur, & excludit ordinarium possessorium, admittenda sit appellatio, velut in gravamine ratione possessionis irreparabili. Nec tam à summarissimo possessorio, quam ab exclusione ordinarii appellatur, (5) in quo gravato appellare licet. (6) Et cum in hoc appellationi locus sit, si causa cognitâ pronuncietur, quanto minus rejicienda est, ubi judex summarissimi terminos egreditur & in alio possessorio non tractata nec expensa super eo causa sententiam ferat, & parti grave & non reparabile præjudicium inferat. (7) Quocirca cum judex, coram quo in isto tantum actum erat, pronunciatione sua possessionem penitus reo præclusisset, saltem petitorio reservato devoluta habita est appellatio, & super eo discrimine possessorii pronunciatum est *in causa Herman Bolman die 3. Januarii Anno 1659.*

1. *l. un. C. si de moment. possess. app.*

2. *Vid. in eam rem plures testes apud Rauchbar. part. 2. q. 6.*

3. *Vid. Gail. 1. Observ. 7. num. 7.*

4. Ea ratio ab Impp. *in d. l. un.* innuitur.

5. Cessat ratio non admissæ alias appellationis; ubi plane quis excluditur possessione, cujus tamen ingens commodum est, ideo cum ista non est alio judicio reparabilis, appellare licet. *Greven. lib. 1 concluf. 7. consid. 2. num. 5. & 8.*

6. Quatenus exceditur summarissimum & præjudicium proprietati vel possessioni ultra illud infertur, causa habetur appellabilis. *Carpzov. respons. Elector. 14. per tot. part. 1.*

7. Possessoriis in judiciis appellationi hodie ex fori usu communi in Germaniâ locus est. *Gail. 1. Observ. 147. Rauchb. dict. quæst. 6.*

Digitized by Google

DECISIO XVIII.

A Mandato sine clausula quando non est admittenda appellatio.

APpellatione à mandato sine clausula interposita in dubium venit, utrum admitti deberet? & visum distingui debere, utrum id decretum sit in casibus quando sic mandare licet, an extra eosdem. (1) Quod si quando sine clausula mandare non licet, injuste mandatum processerit, locus erit appellationi, propter non leve gravamen seu præjudicium, (2) dum talis à judice reputatus est casus, in quo à mandato sine clausula, quod est executum enim refert quomodo procedatur, quod ad tale mandatum non omnes exceptiones opponere licet, sed aliquas tantum, cæteræ reijciantur post paritionem, id quod in aliis procedendi modis secus est. (3) At cum ille reperitur casus, in quo ejusmodi mandato locus esse solet, non perinde est locus appellationi, quia nullum infertur gravamen, quandoquidem opposita exceptione sub & obreptionis, vel alterius cujusdam in causis mandatorum admissibilis, licet suspendere effectum mandati & causam deducere, (4) siquidem nihil interest eam potius in superiore quam inferiore judicio proponi, veluti quod judex suspectus sit. Non enim in arbitrio alicujus esse debet in superiore an inferiori judicio exceptionem proponere velit, sed quisquis ordinem judiciorum atque instantiarum servare tenetur, nec superior judex patietur illum interverti sine gravi causa. (6) Præsertim vero non admittat, ut causa quædam devolvatur ad se, nisi ubi est provocationis justa causa & gravamen apparens. (7) Cum itaque quis appellasset à mandato ædificationis inhibitorio post factam at spretam operis novi nunciationem, uti referebatur, pro gravamine autem afferret sub & obreptionis exceptionem, allegato nunquam illam sibi innotuisse, per tectum jam fuisse ædificium, antequam resciret contradictionem, rejecta est appellatio, quia integrum fuit mandati vim exceptione admissibili coram judice mandante oppositâ elidere, (8) ideo super vacuum ea de causa appellare. *Ita judicatum in causa Iodoci Protten contra Judicio Achim appertinentes Nobiles die 24. Januarii Anno 1659.*

1. Causæ mandatorum sunt summarissimæ & celerrimæ expeditionis esse debent, ideo circa eas quovis modo amputari processus prolixitas.

2. Per ordinationem Cameræ Imperialis *part. 2. tit. 23.* certi saltem sunt casus, in quibus à mandato sine clausula inchoatur processus. Ideo expressi, quod extra illos hic locum non habet. Unde Judicem exacte circumstantias examinare decet, utrum alicui congruant. *Vid. Petr. Frider. Mindan. de Mandat. lib. 2. cap. 11. per tot.*

3. Ab omni gravamine locus est appellationi l. *1. ff. de Appellat.*

4. *De quo vid. Petr. Frid. Mindan. dict. tractat. lib. 2. cap. 15. num. 1. & seq.*

5. Quæ cæteras exceptiones, quæ in causis mandatorum non admittuntur; etsi excludentur, nihil gravaminis est, quia jure non habent nisi facta paritione locum. *Vid. Gail. 1. Observ 14.*

6. Id quod in Ordinatione Cameræ Imperialis *part. 2. cap. 1.* provisum, sequitur illa quæ Regio Tribunali præscripta est *part. 2. cap. 1. §. 6.*

7. Sine hoc non admittenda est appellatio. *Bartol. in d. l. 1. de Appellat.*

8. Quomodo contra mandata in causa novi operis nunciationis talibus locus sit. *vid. Mindan. dict. lib. 2. cap. 30. & seq.* Quarum oppositionem omisisse apud judicem mandantem, & facere velle apud alium negligentiæ est, quæ non meretur auxilium *l. 16. ff. ex quib. caus. major.*

Sic itaque pronunciatum fuit.

In Sachen deß Ober-Inspectoris Jodoci Protens Appellanten wider die Guts-Herren der Dorffschafften Achim Appellaten / in puncto novi operis nunciationis und deßwegen ergangenen mandaten / wird die Sache an das Königl. Tribunal noch zur Zeit erwachsen zu seyn nicht / sondern so viel befunden / daß Appellante die vorgebrachte exceptionen zuvorderst bey dem Justitz Collegio zu Stade einzuführen / und rechtlichen Spruchs zu erwarten schuldig / woselbst die Sache noch zur Zeit gelassen / Appellante dahin damit verwiesen / und in die dem Gegentheile durch die appellation verursachte Kosten mittelst gerichtlicher Ermässigung verdammet wird. Von Rechtewegen.

(Hoc est)

In causa superinspectoris Jodoci Protens appellantis contra dominos bonorum Pagi Achim appellatos in puncto novi operis nunciationis & propterea emanatorum mandatorum causam ad Regium Tribunal adhucdum devolutam esse non sed intantum apparet, quod appellans allegatam exceptionem prius in Stadensi Collegio Justitiæ introducere & judiciale decretum expectare debeat, ubi causam adhucdum relinquimus, appellatum eo remittimus & in expensas per hanc appellationem parti adversæ causatas salvo judiciali moderamine condemnamus, idque de jure.

DECISIO XIX.

In causis matrimonialibus ad Regium Tribunal appellari convenit.

AN in controversiis super causis matrimonialibus appellatio ad summum Tribunal Regium pertineat, ideo præcipuè dubitatio mota fuit, quod de iis quatenus de ipso matrimonio quæstio est, ad Cameram Imperialem appellari non solitum (1) quia hujus non sit de istis jurisdictio, (2) sed si vel incidenter in aliam causam marimonialis ita incidit, ut præjudicium faciat, ad aliud competens forum remittitur; (3) idcirco huic quod isti adæquatum vel subrogatum

Digitized by Google

gatum est Judicium, amplius non sit tribuendum. (4) Verum in illo exemplo Cameræ nihil repertum est, cur appellationi in hoc summo Tribunali locus non esset, ubi magna & manifesta diversitatis ratio apparet. Quando enim eo tempore, quo Camera Imperialis primum instituta est, nempe imperante Maximiliano I. Anno 1496. omnia Germaniæ erant sub Papatu, ideo in illa opinione, quam Canonicum Jus stabilivit, matrimonium esse sacramentum, ideo de eo causas spirituales & sacramentales, (5) nec fori secularis sed ecclesiastici, (6) ut in nullis spiritualibus Cameræ seculare Judicium lege sua fuit fundatum, (7) ita nec in matrimonialibus quatenus talibus. Etsi vero magna Germaniæ pars per reformationem religionis in aliam sententiam transiit, (8) & Jurisdictio Ecclesiastica quâ Status Evangelicos etiam in causis matrimonialibus suspensa fuit, (9) Camera tamen in eo quo fuit statu, subsistit, nec de ejus jurisdictione quidquam mutatum est, ideo primævas suas leges sequitur, ita tamen ut non ultrà quam spirituale habetur, quod in quæstionem venit, manus abstineat, (10) nec possit velitque iis Statibus circa ea quæ suæ religionis & ex hac potestatis sunt, præjudicium facere, (11 nec etiam justa roganti-bus denegare debeat. Ex suspensa verò qua illos jurisdictione hoc proficiscitur, ut ad jus vetus redeatur, ideoque de matrimonialibus sic statui & judicari debeat, ut ante Ecclesiastici Ordinis arrogãtiam circa eam juris morisque fuit, (12) Quando itaque tunc de matrimoniis in foro seculari Jus petitum dictumque fuit, (13) consequens est etiam inter Evangelicos hodie in eo idem dicendum. (14) Unde rectiori sententia asseritur, si inter Status Evangelicæ Religioni addictos orietur de matrimonialibus causis controversia, suspensa Jurisdictione Ecclesiastica Judicem esse, qui aliâs de ipsorum causis cognoscit, (15) quocirca vel ad Austregas, (16) vel ubi illæ cessant aut locum vimque habere nequeunt, ad Cæsarem in aula vel Camera iri posse (17) ab illis etiam ad istam in Judiciis his provocari posse. (18) Quod non recipiuntur appellationes ex errore isto seu more, non ex jure vel ratione proficiscitur. (19) In terris vero Statuum Evangelicorum est ex horum potestate post suspensam Ecclesiasticam Jurisdictionem statuere, ubi matrimoniales causæ agendæ, quò appellandum sit. (20) Ubi nihil expressim constitutum vel consuetum reperitur, si Camera jus magis quam antiquum morem sequi vellet, receptionem appellationis recusare non deberet: (21) Postquam autem S. Regia Majestas Regnumque Sueciæ Jus summum Tribunal in Germania pro appellationis instantia constituendi per Pacificationem Osnabruggensem acquisivit; ei consectarium visum est, ut in isto jam constituto causæ matrimoniales reciperentur. Primo ex universali istius jurisdictione in omnibus causis *sine* ulla exceptione fundata, (22) à qua sine publica autoritate matrimoniales causas excipere, nec literæ nec rationi convenit. Secundo ex vi suspensionis jurisdictionis, quæ qua causas Ecclesiasticas, adeoque & matrimoniales, rem omnem reducit in eum statum, in quo fuit, antequam hæ inter spirituales referrentur. Ut itaque tunc in istis ad Cæsarem appellare licitum fuit, (23) ita etiam nunc apud summum Tribunal prohibitum esse non debet. Tertiò ex vera conditione causarum matrimonialium; per quam non sunt amplius meræ Ecclesiasticæ Jurisdictionis, sed seculares; (24) Ideo qua appellationes diversitatem non desiderant, nec merentur. Quartò ex præjudicio, quod per aliam sententiam imminet. Exemptio enim causarum matrimonialium ab hoc Judicio nihil aliud est, quam reditus quidam ad errorem Pontificium & suspensæ Jurisdictioni limitationem, utpote quæ non habet aliud præsuppositum quam istas esse spirituales, quod ad nimiam Ecclesiasticæ Jurisdictionis extensionem eoque tandem deverget, ut Clerici etiam inter Evangelicos potestatem Principum nimium restringant. (25) Quintò ex defectu omnis rationis ad eximendum validæ. (26) Postquam causa veteris exemptionis à Camera inter Evangelicos sublata est, opinio nempe, esse illas causas spirituales, deficit ratio olim exclusivâ, nec supereſt magis, cut exemptio ab appellatione statuatur, quam ut vetus error recipiatur. (27) Sexto Regium arbitrium circa hanc rem respicientibus nefas fuit, antequam interdiceretur ea jurisdictio, illam dubiam facere, & negaedo processus velut negare. (28) Tandem per exempla eorum, quibus ex privilegio de non appellando summa jurisdictio est, movemur, non minoris potestatis facere supremum Tribunal Regium, cujus angustiora quædam jura alias observamus. Non itaque abstinuimus à decreto in causa matrimoniali, cujus meminit decis *51. t. 13. l. 3. in causa Ioan. Bunsovven contra Lucam vvendt die 1. Decemb. An. 1654.*

4 *Gail. 1. Observ. 112. num. 17.* ubi scribit, scire oportet causas matrimoniales ad Cameram non pertinere, & meminiin causa quadam matrimoniali ad Cameram appellatum; sed rejectum fuisse.

2. *Vide Petr. Fridericum Mindanum de Processib. lib. 1. cap. 10. num. 1. & seq.* ubi tamen distinctione quadam inter ea quæ ipsius matrimonii sunt, & quæ circa vel extra illud accidunt, explicat quod alii proferunt discernendo inter quæstionem juris & facti. *Vid. Reink. de Regim. Eccles. lib. 3. class. 1. cap. 10. n. 20.*

3. *Meische-*

Digitized by Google

3. *Meischner. decis. 20. in fin. vol. 3. Reink. cap. 10. num. 25.* ubi ex allegato judicato de Anno 1615. modum talis remissionis refert, his verbis: **Wollen und mögen ermeldte Kläger an gebührenden Orten / der vor der beklagten Partheyen in actis angezogenen Exception sich wie recht / entschütten / daß solches gehöret werde / und ferner darauff ergehen soll / was recht ist / wie dann dieser Punct dahin verwiesen / und die Haupt Sach biß zu Erörterung desselben an diesem Käyserl. Kammer-Gericht eingestellt.**

4. Ita quidem circa summum Tribunal Regium versamus, ut quam fieri potest proxime ab exemplo Cameræ Imperialis recedamus. Atita si etiam quæ hæc habet, congruunt, nec diversitatis ratio reperitur, inter decisiones prioris partis demonstratum fuit.

5. *Iuxta c. gandemus de Divort. c. fin. de Condit. apposit. c. omne 27. q. 2. Hæc est juris Canonici & omnium Canonistarum sententia.*

6. Ecclesiasticæ causæ coram Ecclesiastico non vero Seculari tractari, ventilari, judicari debent, *c. 1. de consang. & affin. c causam de offic. de l. c. 2. de Iud. Specul. in tit. de Compet. judic. in pr.*

7. *Gail. 1. Observ. 38. ubi hoc distinctione explicat.*

8. Repurgata Religione inter errores Pontificios olim relatum in Ecclesiis Evangelicorum abrogatum est, matrimonium esse rem spiritualem & sacramentum; ideo ex eo causa de eo non amplius credita est spiritualis vel ecclesiastica.

9. Suspensio hæc facta fuit per pacem religionis, *vid.* R. A. zu Augspurg *Anno* 1555. §. **Damit auch Obberührte beyderseits** &c. & licet deinde Romano-Catholici matrimoniales causas voluerint exceptas, *uti Dillingenses Icti in Compos. Pacis fusius demonstrare laborarunt*, tamen inter tractatus Pacis rejecta fuit illorum sententia, & *in cap. 5. §. 16.* declaratum ideo & adjectum est, totam Jurisdictionem Ecclesiasticam cum omnibus suis speciebus suspensam esse debere.

10. Multæ sunt causæ circa matrimonia, de quibus Camera Imperialis sibi judicium sumit, veluti quando non de jure ejus sed de facto, utrum initum fuerit, quæstio existit. *Meischner. dict. decis. 20. numer 81. & seq.* quando in possessorio vel quasi circa matrimonium contenditur. *Mauser. in tr. de Matrim.* quando de nullitate processus agitur. *Autor. decis. Cameral. in verb. Matrimonium.* ubi Camera tanquam brachium seculare in istiusmodi causa imploratur. *Gail. 1. Observ. 115 numer 3. Alias species refert Mindan. dict. cap. 10. num. 4. ubi videas.*

11. Cameræ per pacem Religionis ipsiusmet tutela concredita est, ideo Protestantes in iis quæ illa lanxit, defendere & conservare tenetur; *v. Reink. dict. cap. 10. num. 29.*

12. Hoc vulgatum est axioma, quod ex suspensa jurisdictione fruitur, ex quo rediviva potestas & jus omnium eorum, quæ ante Pontificiam Jurisdictionem habuit, Ecclesiæ & Reipubl. asseritur.

13. Ea quæ in jure civili de matrimoniis eorumque causis statuuntur, hoc abunde evincunt.

14. *Petr. Frider. Mindan. dict. cap. 10. num. 1.*

15. Gravis est & ardua, quia etiam non ea quæ decet, principia ad illam afferuntur, sed ex alienis contenditur, intricata est disputatio. In lite Statuum Imperii Protestantium super causis matrimonialibus quis Judex competens sit? De qua cum JCti Germaniæ tam variè & dubiè scribunt, aliquos illa occupavit sententia, nullum esse, ideo insufficientem Imperii Jurisdictionem arguunt. Perperam habent Judicem, si modo habere vellent. Ipsa Jurisdictio quæ sub Papatu competens fuit suspensa, indicat illas causas esse ejus jurisdictionis, quæ alias est in causis suis aliis. Pontificiam enim in se suspensam voluerunt non Imperii jurisdictionem sublatam. Quæ universalis qua omnes causas fundata est, quæ non fuerunt exemptæ. Quia sub Papatu ab Imperio exemptio causarum ex errore religioso fuit improbata ideo suspensa, utique Imperio quà eas quæ secularis Jurisdictionis fuerunt, voluerunt aut velle debuerunt restituam: Ut itaque qua illos, qui Pontificiam Jurisdictionem suspensam voluerunt, non est ratio Imperialem recusandi, ita nec apud illos, penes quos ejus administratio existit, aliqua auxilium judiciale negandi. Quorum tam conscientiæ, quam juri Imperii adversatur jus non dicere, quod alibi impetrari nequit.

16. Statibus immediatis primæ instantiæ jus coram Austregis datum est in omnibus causis generaliter. *Ordin. Camer. Imper. part. 2. tit. 4. verb.* **Warumb oder was Ursach deß wären.** *non exceptæ sunt causæ matrimoniales, etti eo tempore Ordinatio composita fuit, quando jam suspensa erat Jurisdictio Ecclesiastica.* Quando Pontificem aliosque Ecclesiasticos protestantes Iudices habere noluerunt, utique eos voluerunt, quos alia haberent. Non sine ratione Austregarum judicium in istis causis astruunt. *Zigler. in Comm. Conclus. §. Austrega concl. 2. num. 1. Mindan. dict. cap. 10. num. 40.* quibus eàtenus secure quis calculum dabit, quatenus alias inter eos Austregis locus erit.

17. *Vultej. in l. 1. C. ubi Sen. vel Clariss. Mindan. d. cap. 10. num. 2.* ubi ita scribit, *quod immediate Imperii subjecti, qui privilegiatam Austregarum instantiam non habent, coram Imperiali Camera Consistorio conveniri possit; Iaque longè efficaciore ratiocinatione, & eo magis, quod omnibus modis reverendum Camerale Iudicium non modo secularium, sed simul ecclesiasticorum quoque Principum, Ordinum, atque Statuum vices agat, suppleat & repræsentet. Vide etiam non seculares tantum, sed Ecclesiasticos quoque suos ibi surrogatos & Vicarios omnibus virtutum, scientiarum, Iurisprudentiæ cum primis generibus, Illustres, Nobiles, Clarosque, & Excellentes habent. Surrogatus autem in officio vel collegio loco alterius utitur jure illius, in cujus locum surrogatur, quemadmodum etiam Status atque Ordines Imperii tales in suum locum substituere & surrogare videntur, qui sunt æqualis conditionis in moribus, scientiâ & peritia.*

18. *Mindan. dict. cap. 10. num. 3.*

19. *Petr. Denaisius in assert. Iurisdict. Camer. p. m. 38.* scribit, *Causas matrimoniales non alia ratione Cameræ esse interdictas, quam quod ipse Imperator & Ordines eas olim à sua quoque potestate tanquam Ecclesiasticas abdicarunt.* Nos addimus hodie ideo rejici, quod Cæsar & Assessorum plurimi Pontificia dogmata sequuntur, & juxta ea piaculum existimant ad Pontificia reservata manus extendere, quod tamen salva conscientia apud eos possent, quos ab iisdem liberarunt.

20. *Hanc potestatem statuendi approbat & indulget Pax Religionis v. d.* R. A. zu Augspurg *de Anno 1553. §.* **Damit auch Obberührte** &c.

21. *Iuxta eaquæ scribit P. Frid. Mindan. dict. cap. 10. num. 3.*

22. Habet

Digitized by Google

22. Habet summum Tribunal ex lege sua fundamentali hanc conditionem in Pacis Instrumento *cap. 10. adhæc concedit*, ut justitia & jus unicuique administretur.

23. Olim ante incrementa Papalis arrogantiæ etiam sub Christianis Imperatoribus nulla fuit Ecclesiasticorum Jurisdictio, sed tantum audientia Episcopalis, quæ à Jurisdictione differt plurimum, *vid. Cujac. in Patil. C. de Epis. audient.* quæ consistebat in causæ aliqua cognitione, & post eam sententia, quæ arbitrii instar erat. Ab ea vero ad magistratum secularem, ad Imperatorem nempe vel alium inferiorem, sub quo erant clerici, appellabatur, *l. cum Clericus 25. l. omnes 31. C. de Episc. audient. Novell. 3. §. pen. Novell. 4. §. ult. Novell. 86. §. ult. Novell. 123 §. si quis autem litigantium.*

24. *Petr. Frider. Mindan. dict. cap. 10. n. 1. in fin.* sic scribens: *Etsi causæ matrimoniales quantum ad institutionem & mysterium Ecclesiæ, sunt spirituales: tamen quantum ad formam & substantiam matrimonii, ut pote quæ in consensu & contractu perpetuæ cohabitationis consistit, sunt seculares, vide Hotoman. consil. 108. n. 2. Unde non absurdum est, si & politicus magistratus jura leges & Canones de matrimonio contrahendo vel dissolvendo cognitionem sibi sumat, præcipuè in terris Pontificem non recognoscentibus. Non ideo quod pii Magistratus etiam Evangelici ad istam cognitionem assumunt Theologos, inde aut Ecclesiastica fiunt aut judicium de iis Ecclesiasticum, sed est & manet civile. Illud pertinet non ad qualitatem judicii, sed ad meliorem administrationem Justitiæ in his, ubi occurrent aliqua ex sacris eloquiis dijudicata. Ita disserit Pet. Heigius in consil. 51 n. 375 inter Consil. Klocke vol. 1.* Porro causarum matrimonialium cognitio antiquitus solius fuit secularis Jurisdictionis, ut indicant leges civiles, & per vim tantum eam ad se transtulerunt Episcopi & Pontifices in occidentalibus Ecclesiis. Quapropter non potest talis cognitio, ut Episcopali Jurisdictioni annexa à quoquam usurpari: Quia autem presbyterii Ecclesiastici est inter alia curare, ut piè & religiosè matrimonia in Ecclesia celebrentur, ideò rectè in reformatis Ecclesiis causarum matrimonialium cognitio per Ecclesiasticum presbyterium & Christianum Politicumque Magistrum simul expediri solet. *Lutherus* im Bedencken von Handlung *in Religions-Sachen subtit.* von Ehe Sachen. *Philipp. in lib. sing. de Episc. jurisdict. Zanch. de oper. sex dier. l. 4. c. 3. th. 2 pag. 745. Augustin de civ. Dei. c. 12 n. 4.*

25. Non frustra questus est Christianus Politicus *Furberi cap. 10.* libertati Evangelicæ confessionis atque salutiferæ Ecclesiæ gubernationi exinde obsistere, quod Theologi & Cleri nimium multa ex dogmatibus Pontificiis retinent, & Ecclesiasticæ Jurisdictionis fecerunt, quæ illius minimè sunt, ex quo evenit, quod Ecclesiasticis inter Evangelicos defectibus mederi nec ipsi valeant, nec magistratui juvant.

26. Cessante ratione & jus ipsum cessare rationis argumentum est, *c. cessante x. de Appellat.*

27. Error jus quidem facit, *l. 3. ff. de offic. Prætor.* at quamdiu communiter erratur. Sed quomodo eo detecto errare velle improbum, ita cognitus injuriâ facit.

28. Per abdicatum Papatum resumtamque Evangelii lucem redit Magistratibus Politicis potestas in Ecclesiastica, sub obtentu potestatis circa religiosa clero tantum competentis olim adempta, Ea etiam Statibus Imperii pace religionis corroborata, R. A. zu Augspurg *de Anno 1555.* §. Dagegen sollen die Stände ꝛc. ne jurisdictio ecclesiastica isti obesset, hæc suspensa est, *in dict. R. A. §.* Damit auch obberührte Rediviæ sub Evangelicis Imperii partibus jus est ordinandi & constituendi quæ ad sacra spectant. Cui etiam hoc consequens est, ut in causis Ecclesiasticis in terris Imperii Statuum ad hos provocatio & quidem ad ea judicia fiat quæ illi summa voluerunt.

29. *Ex his quæ scribit præsertim quæ de praxi circa appellationes in causis matrimonialibus memorat Carpzovius dict. quæst. 240. num. 29. part. 3. apparet in Saxonia ad supremum appellationum judicium de istis appellari.*

DECISIO XX.

Quæ appellationem multum circa ædificationem refert, utrum de servitute an de ædificio quæritur, & circa hoc an de structura, an de demolitione.

CUm statuto cautum esset in causis ædificationem concernentibus in Bau Sachen appellationem non esse recipiendam, existimatum est, hoc minimè pertinere ad illam litem, in qua non tam de ædificando, quam de servitute agebatur. Etsi enim hæc ut banum prædium concernebat, et ejus quod ædificatum erat, demolitio intendebatur, attamen quia principaliter an servitus deberetur in disceptatione erat, (1) eò statutum illud non porrigendum fuit. (2) Quod nec ad eam speciem pertinere putavimus, ubi non de ædificando, sed saltem de demoliendo agebatur. (3) *In causa Martin. Schepels, contra Christoph Bockhauser. Die 12. Junii Anno 1655.*

1. Causæ servitutum sunt appellabiles ex communi regulâ, quando ab illa non reperiuntur exceptæ.

2. Statutum appellationem excludens odiosum & singulare, Stricte interpretandum, nec extra literam extendendum est, *Lancell. in tr. de Attentat. part. 2. cap. 12. ampliat. 5.*

3. Cessat in his ratio quæ appellationem excludit, ex publico usu sumpta, ne ruinis urbs deformetur. *l. 2. C. de Ædif. privat.*

DECISIO XXI.

Quæ arresta pro licitis habenda sunt, ut ob ea denegata vel prohibita appellantes audiendi sint.

OB improbatum arrestum appellatione interposita inspiciendum fuit, qua ex causa illud approbaretur. Quando enim arresta regulariter sunt prohibita, (1) Per illorum prohibitionem se gravatum putans ideo appellans non debet audiri, nisi cum docet, ex justa causa & in tali causa illud impositum fuisse in quo licet. (2) Quæ vero talia sint, expressum est in constitutione Imperii, quæ meminit causarum aliquot, ex quibus imponere permittitur, & imposita non sunt referenda inter illicita. (3) Ex quibus appellantes referebant duas, contractum nempe confessatum, & consuetudinem; Ideo processus appellatorios

mereri videbantur *in causa Burgermeister und Rath der Stadt Greiffswald, contra Julius Paul von Schmazhagen Erben. Die 21 Ianuar. Anno 1659.*

1. *Schurff. consil. 15. num. 1. seq. cent. 3. Mynsing. resp. 66. num. 14.*

2. Arrestum sine justa causa non est justum. *Gail. 1. observ. 11. num. 30.*

3. Notabilis est regula censuræ arrestorum, quæ habetur in recessu Imperii Ratisponensi de Anno 1594. §. Und so viel die ungleiche verb. licito de jure permissa arresta, welche ratione contractus confessati, rei judicatæ, conventionis, pacti, transactionis, consuetudinis, privilegii, auch gewöhnlicher hergebrachter Nachsteuer / Abzug rechtmässig erlangten Zoll halber sich zutragen möchten.

DECISIO XXII.

Ab inquisitione ipsa non admittitur appellatio, sed tantum ob nullitates, quas judex in processu appellatorio commisit.

NE delicta maneant impunita aut vindicta scelerum quæ ad reipubl. salutem utilitatemque pertinet nimis differatur vel difficilis reddatur, antiqua Germaniæ consuetudo exclusit in criminalibus appellandi licentiam. (1) Et licet deinde aliqualiter admissa fuit, tamen valde restricte, quod sequitur ordinatio summi Tribunalis regii, (2) cui convenit, ut considerate versemur in recipiendis istius modi appellationibus, ne fini prædicto obsint. Præsertim vero cum illuc tendunt, ne de crimine vel criminosis inquiratur, haud facile admittendæ sunt. (3) Si enim inquisitiones per istas declinare licebit, nunquam, aut valde raro ad scelerum pœnas devenietur, sed officium judicis in principiis suis suffocabitur vel delassabitur. (4) Integrum quidem est inquisitis declinatorias opponere exceptiones, queis evitetur inquisitionis præjudicium, (5) at illas opponere oportet coram judice ad inquisitionem procedente, non vero statim appellatione officiū ejus suspendere. Haud enim inquisitio ipsa gravamen habet, (6) Sed denegatio justæ defensionis, quæ non potest facta dici, priusquam exceptiones allegatæ atque inique rejectæ fuerint. (7) De quo prolata exactè ponderanda sunt, ut neū innocens damnetur, nec tamen & nocens justitiam tergiversationibus suis eludat. Quod facile accidet, si per appellationem inquisitio sistetur. 8) His consideratis, rejecta est quæ de inquisitione saltem, nō de posthabitis justis exceptionibus querelam movebat *ad supplicationem Marten Unruhen. Die 22, Ianuarii Anno 1659.*

1. *De qua vide quæ habet Ordinat. Camer. Imperial. part. 2. tit. 28. §. item* nach dem auch.

2. *Vid Ordin. part. 2. tit. 1. §. 14.*

3. Quod revera erit tollere vel enervare judicis officium, cui non modo permissum, sed incumbit etiam inquisitio, si cui aliquid in eo negligens crimine non levi seipsum obstringat. *Heig. illustr. quæst. 39. num. 24. part. 1. Paris de Puteo tr. de Syndicat. in verb. negligentia c. 1. num. 8. & seq.*

4. Hoc permittere repugnat iis juris regulis, quæ volunt hac in re judicem etiam non requisitum officio suo fungi, quod pro utilitate publica sic singulariter constitutum, quo minus delicta relinquantur impunita. *Follor. in Pract. Crimin. Canon. in verb. aut in quisitione num. 20. seq. Iohan. Baptist. Asin. in tract. de execut. §. 3 cap. 16. 53. 254. & seq.*

5. *Vid. Carpz. in Pract. Criminal. part. 3. quæst. 115. num. 23.*

6. Est ex consuetudine remedium ordinarium & necessarium *Clarus in Pract. §. ult. quæst. 3. num. 6. Farinac. Pract. Crimin. quæst. 1. num. 10.*

7. Ubi nondum est illatum gravamen nec appellari potest. Unica appellationis causa est gravamen *Franc. in c. 1. num. 6. de Appellat.*

8. Etsi appellatio ut defensionis species favorabilis, tamen nunquam admittenda ut serviat injustitiæ & criminalibus.

DECISIO XXIII.

Mandata demolitoria quando juste decernuntur, & quando ab iis rectè appellatur.

ADversus novum opus demolitoria seu restitutoria mandata, eaque sine clausula decerni usitatum est, at non aliter decernenda sunt, quàm primò si facta sit novi operis nunciatio, quam impetrans allegare & docere debet. (1) Deinde ut post illam fuerit ædificatum. (2) Sicut enim opus novum ob quod fit nunciatio dicitur, non quod factum jam est, licet recentissimum, sed quod futurum, (3) ità nunciatio non quod factum tolli efficit, sed quod futurum impedit. (4) ideòque si spretâ nunciatione ædificetur, id tantùm demoliri jubet prætor, haud quod factum, cujus causâ aliis actionibus experiri oportet. (5) His non observatis dubium haud est, cum contra quem incongruè demolitorium decernitur, ut iniquè gravatum justè appellare. *Quomodò processus decreti sunt ad instantiam Iodoci Proten, Præfecti Dn. Comitis Königsmarck, contra Otto Klivern & consortes. Die 17. Februarii Anno 1657.*

1. *Gail. 1. Observ. 16. n° 13. seq. ubi de praxi Cameræ Imperialis testatur.*

2. Propter nunciationem contemptam decernuntur mandata, ideò factam præsupponunt Nec fieri potest ut sic mandetur, ubi non præcedit inhibitio.

3. *Petr. Frider. Mindan. lib. 2. de Mandat. cap. 3. num. 2.*

4. Propter nunciationem non est destruendum aliud, quam quod constat ædificatum post eam. *Vid Christinæ ad tit. C. de Nunc. nov. oper. decis. 148. num. 6. ubi sic praxi observari testatur.*

5. Cum

Digitized by Google

3. Cum quid novi operis factum est, non habet locum novi operis nunciatio, quæ ad futurum spectat, sed experiendum est interdicto quod vi aut clàm *Gail. d. Observ. 16. num. 16. Mindan. d. cap. 3. num. 2.*

DECISIO XXIV

Nullitatis vel iniquitatis querela quando admittitur in causa non appellabili.

IN recessu super modo appellandi à judicio civitatis Wismarienſis ad ſummum Tribunal inter alia convenit, ut ſumma non exiſtente appellabili, quæ eſt ducentorum Imperialium, iis qui ſe gravatos putant liceat remediis implorationis, deductionis nullitatum uti, poſt talia vero ſemel adhibita ulteriori provocationi locus eſſe non debeat, niſi ob notoriam nullitatem vel iniquitatem. (1) Literæ Receſſus convenit tria adeſſe, ut cauſa devoluta atque jurisdictio ſuperioris judicii fundata ſit. (2) Primo ut ex narratis nullitas vel iniquitas ſententiæ colligi poſſit, & ſi ita res ſe habet, ſententia per jura nulla atque iniqua habenda ſit. Secundo ut nullitas vel iniquitas ſit notoria, ad quod nuda narrata non ſufficiunt, ſed facti quædam evidentia requiritur, quæ ex actis ante oculos ponenda. (3) Tertio ut ad judicium ſuperius provocetur & quidem eo modo, ut alias appellari ſolet. (4) Nec enim ſine appellatione cauſa devolvitur, niſi in caſibus exceptis. Cum hæc requiſita non concurrunt, non admittitur deductio nullitatum. *Vti decretum ſuper ea quam intulit Wolter Blocken, contra Hanß Wittenborgen. Die 15. Febr. Anno 1659.*

1. Receſſus iſtius Anno 1653. conventi & à S. Regia Maj. ſtate confirmati verba ſic habent.

2. Cauſa proceſſus impetrandi pro fundanda jurisdictione neceſſariò eſt exponenda & quidem præcipuè, ut judex intelligere queat illam eſſe fundatam. Alias in cauſis non appellabilibus non recipit appellationem, ut alias regularem, *uti loquitur de ſeſe decis. 26. num. 4.*

3. Acta notorium inducunt.

4. Huic videtur contraria diſpoſitio Ordinationis S. Trib. Regii *part. 1. tit. 1. §. pen.* ex qua ſine ſpeciali appellatione ob enormem iniquitatem vel nullitatem notoriam ad ſolam querelam decerni proceſſus ſtatuitur. Quod etiam ſic obſervamus. At quia ſpeciali receſſu qua Civitatem Wiſmarienſem ita conventum & diſpoſitum placuit id potius ſequi quod in ſpecie continetur. Per ſpeciem quippe generi derogatur *l. in toto. ff. de Reg. Iur.* & ubi ſpeciali providentia quid ordinatum intelligitur à generali exceptum *l. antiquitas 14. Cod. de Uſu fruct.*

DECISIO XXV.

Appellatio admittitur in cauſis in criminalibus pœnam corporis afflictivam non inferentibus.

PEr jus commune Juſtinianeum appellatio non minus in cauſis criminalibus quã civilibus locum habet. (1) At recentiori Imperii Romano-Germanici conſuetudine primum, (2) deinde etiam ex publica conſtitutione appellationes in criminalibus prohibitæ ſunt. (3) At vero indefinite ordinatio Cameræ Imperialis eam prohibitionem tantum refert ad crimina quæ pœnam corporis afflictivam merentur. (4) Ex quo firmiter colligitur, in aliis cauſis criminalibus, nempe quæ ſunt de criminibus aliam leviorem pœnam merentibus (5) ſecus ſe rem habere. Nec enim ultra à veteri jure communi recedendum eſt, quam id reperitur correctum. (6) Neque correctio in una ſpecie extendenda eſt ad aliam, (7) præſertim in materia ubi fit prohibitio ejus quod alias humanum & favore dignum eſt, ſicut de appellatione tanquam defenſionis ſpecie juſte cenſemus. (8) Sicut itaque in Camera Imperiali in talibus appellationes recipi referunt, qui praxin ejusdem norunt, & cum illa reſtrictione conſtitutionem Imperii recipiunt; (9) Ita etiam non dubitavimus, idem in recipienda appellatione ſequi, cum qui uſurariæ pravitatis reus condemnatus erat appellaverat. *In cauſa Henrici Matthiæ, contra Advocatum Fiſci in Pomerania. Die 15. Sept. Anno 1659.*

1. *l. non tantum ff de Appellat. l. addictos l. ſi quis Cod. eod. l. 2. C. ſi pend. appell. mors interv.*

2. *De qua conſuetudine teſtatur Gail. 1. Obſerv. 1. num 2. Mynſing. cent. 4 Obſerv. 41*

3. R. A. zu Augſpurg Anno 1531. §. Item als jetzetzliche Zeit Cammergerichts Ordnung *part. 2. tit. 28. §.* Item nach dem auch.

4. *Vid. d. §.* Item nach dem auch verb. daß hinfürters in peinlichen Sachen / die Leibes Straffe auff ihn tragen / am Käyſerl. Cammer Gericht keine Appellation angenommen / ſondern bey obgeregtem Gebrauch gelaſſen werden.

5. *Quod prolixius docet & explicat Peter Frider. Mindan. lib. 1. de proceſſib. cap. 9. num. 8. & ſeq.*

6. *l. an. §. fin. C. de rei uxor. act.*

7. Correctiones ſunt odioſæ & ſtricti intellectus & in conſtitutionibus etiam Imperialibus, quæ novæ ſunt & juris communis correctoriæ, extenſio non admittitur, *uti in his ipſis terminis docet Cothman. reſp. 14. num. 12. 13. vol. 1.*

8. Leges appellationem prohibentes aut reſtringentes ſtrictè accipi debent.

9. *De ea obſervantia docet Petr. Frider. Mindan. in alleg. loc. Mynſing. 3. Obſerv. 43. 4. Obſerv. 41.*

Digitized by Google

DECISIO XXVI.

Reconventione in appellationis instantia locus non est de iis, quæ non pertinent ad causam appellationis; etsi ex ea deinde descendunt.

QUæ est JCtorũ de reconventione in appellationis instantia controversa disputatio, generatim nec affirmative nec negative decidi potest, sed pro causæ & circumstantiarum diversitate super illa statuendũ est. Nec sine discrimine isti locus, nec nunquam admittitur. Species nobis occurrebat talis, quod in secunda instantia restituere condemnatus, cum sub obtentu impensarum veluti illiquidarum retinere, aut exceptione aliqua tueri se non posset, ideo peculiari actione opus haberet, in eadem instantia reconventionem moliretur, inde quærebatur, utrum admitti deberet? Existimatum vero est, eum ad judicem priorem cum actione tali remittendũ, ideo reconventionem in appellatio judicio non admittendã esse, quod hoc caput litis non pertinet ad causam quæ per appellationem in superius judicium deducta fuerat. (1) Inde qua illam jurisdictio superior non fundata. (2) Etsi vero de illa agi non potuit; antequam super articulo restitutionis fundi res decisa erat, tamen post decisionem non ideo in idem judicium deducenda est, sed tanquam plane separata sequitur suũ forum, eo magis quod altera causa per sententiam finita est, ideo reconventione in eodem judicio eo minus locus sit. (3) Servare quippe decet circa actiones instantiarũ ordinẽ, nec facile in recipienda in superiori causa, quæ in inferiore instituenda est, nec devoluta reperitur ad superiorem. (4) In hoc consistit norma recipiendæ in superiore reconventionis, si causa quæ in hanc venit, vel cum appellatione devolvitur, vel ita connexa est, ut continentia causæ dividi non debeat. (5) Quorum neutrum in præsenti specie reperiebatur, ubi de impendiis actio nihil cum causa habeat commune. (6) *In causa Paul Otten, contra Schalvini Kinder, die 22. Febr. Anno 1659.*

1. *Peter. Frider. Mindan. libr. 3. de Contin. caus. cap. 5. num. 5.* ubi ait, nihil in secundam posse transire instantiam, quod in prima non fuit.

2. Quâ reconventionem, ut ei locus sit, desiderantur præprimis ut coram judice sit causæ forum competens, seu fundata jurisdictio. Eatenus admittitur reconventio quatenus judex per modum conventionis de causa cognoscere queat. *Specul. lib. 2. part. 1. tit. de Reconvent. §. nunc dicemus num. 9. Zanger. de Except. part. 2. cap. 1. num. 378. seq.*

3. Reconventioni non est locus, nisi ante & statim post litis contestationem, deinde ulterius non admittitur. *Zanger. dict. cap. 1. num. 383. Thoming. dec. 16. num. 4. seq. Faber. in Cod. lib. 3. tit. 1. defin. 25.* nedum post sententiam. Per quam finitum est judicium appellationis.

4. Reconventio ex se non est modus retinendi instantias, sed sequitur tantum instantiam cum causa, cui connexa jam est.

5. *De quo modo vid Petr. Frid. Mindan. in d. cap. 6. num. 5. seq.*

6. *Mindan. d. loc. num. 16. in med.*

DECISIO XXVII.

Rediens ad judicem à quo pro revocatione gravaminis propter quod appellatum, tanquam appellationi renuncians in superiori instantia ultra non est audiendus.

APpellans libellum supplicem pro fatalium introducendæ appellationis prorogatione porrigens allegabat, se coram inferiori judicio adhuc revocationem gravaminis petitam sperare, simul causam ibi resuscitatam per decreta inferioris judicis docebat, tantum ne interea, si forte contraria experiretur, fatalia laberentur, intendebat, Apparebat indulgentiã prorogationis habituram aliquid præjudicii, (1) dum ea indicaretur adhuc appellationis prosecutioni fore locum (2) de quo tamen ex reditu ad judicem priorem oriebatur dubitatio, quia ille tacitam in se habet appellationis renunciationem. (3) Quâ facta non erat ea recipienda, (4) ideo nec fatalia introductionis proroganda. (5) Movit hæc consideratio, ut diligentius expenderetur, utrum ille actus, qui coram inferiore judice factus est, vim renunciationis haberet. (6) Quandoquidem non omni hoc tribuendum, nec quævis gravaminis causa in inferiore judicio petitio renunciationis loco est. Etsi itaque, ubi hæc certa, appellationis quidquam non recipiendum; (7) ita ubi contrarium apparet, isti nihil obsistit. (8) Siquidem de eo res dubia fuerit, non rejicienda, tantum periculo partis erit admittenda. (9) In specie autem illa, quæ observabatur, per ipsã partis narrationem & adjectam copiam decreti apparebat non esse dubium amplius sed satis manifestum ad judicem priorem sic itum esse, ut renunciatum haberi deberet; quandoquidem non ideo tantum ut amplius gravaminis inferretur, aut quod illatum revocaretur seu sisteretur, ut aliquid non ut judex sed ut bonus vir faceret, ille implorabatus fuerat, (10) seu ut de eo denuo cognosceret atque statueret, (11) id quod jurisdictionem ejusque exercitium præsupponit ideo illam suspensam non vult, sed exercitam (12) In qua specie ut renunciatio appellationis est manifesta, ita etiam consequens, recipi non debere, & pro ea proroganda nihil decerni. (13) *Sicuti rejecta ideo fuit petitio in causa viduæ des Statthalters Philipp Horns, contra aliquos creditorum, Die 1. Martii Anno 1659.*

1. Caute

Digitized by Google

1. Cautus semper in decernendo debet esse Judex & circumspectus, ne etiam per obliquum præjudicet alteri partium.

2. Notoriè causa non existente appellabili vel appellatione non recipienda, prorogatio fatalium decerni non debet. *l. 2. Cod. de temp. appell.*

3. *Franch. in tr. cum teneamur n. 4. X. de Appellat. Maranth. in Specul. part. 8. part. 2. princip. limit 29. n. 34. Lancellot. in tr. de Appellat. part. 1. cap. 12. in præfat. n 15. & seq.*

4. *Ll. in pr. ff. de Appellat. Guid. Pap. de Appellat. quæst. 118. n. 5.*

5. Abdicata appellatio nullum amplius effectum habet. *Ruginell in tr. de Appellat. § 2. cap. 3. n. 79.*

6. De hoc res propter varias circumstantias, quæ hujus sententiæ limitationes pariunt, non semper liquida est, *uti satis videre est ex his quæ scribit. prolix. vir Scaccia de Appellation quæst. 17. limit. 1. num. 12. & mult. seq. Lancellot. dict. cap. 12. in præfat. num. 15. & seq.*

7 Tacita renunciatio eundem effectum habet quem expressa. *Maranth. in Specul. part. 6. act. 2. princip. num. 371.* ideo uti ob hanc factam cum dicitur, non recipitur appellatio, ita etiam ob illam excluditur. *Rebuff. in tr. de Appellat. artic. 15. gloss. 1 num. 2. tom. 3.*

8 Cum coram inferiore Judice quid fieri potest salvâ appellatione, ei renunciatum non creditur, ideo nihilominus admittitur. *Decius. cap. solicitudinem n. 13. X. de Appellat.*

9. In dubio admittitur appellatio tantum, si quod ex eo præjudicium metuitur, adjici solet clausula, fieri periculo partis, seu salvis alterius partis exceptionibus.

10. Rediens ad judicem pro removendo gravamine non habet quidquam renunciationis. *Lancellot. de Attent. part. 2. c. 12. ampl. 2. n. 11.*

11. Tendit comparatio pro gravaminis revocatione impetranda ad eundem finem ad quem collimat appellatio, ideo huic contraria, vel derogatoria non est, *Gabriel. commun. conclus. lib. 2. tit. de Appellat. conclus 2. limit. 3. n. 14.*

12. Ita pro concordia & compositione impetranda frequens est judicem à quo adiri & illuc facienda rogari sine præjudicio appellationis. *Gabriel. d. conclus. 2 limit. 6. num. 20.*

13. Actus contrarii jurisdictionis suspensioni sunt appellationis renunciatorii, quod contrariantur invicem & incompatibiles sunt, *Achil. de Graff. decis. 245. n. 1. & 2.*

DECISIO XXVIII.

Nondum recipienda est appellatio, quamdiu à judice à quo decreti exspectatur emendatio, prorogatio tamen fatalium petenti decernenda.

CUm ad alicujus instantiam & narrata à collegio Regiminis injuncta esset fundi derelictio, velut per mortem defuncti extincto jure habendi, ab eo vero decreto appellatum, juxta autem exceptiones sub- & obreptionis coram præfato collegio oppositæ essent, ac responsum differretur, interea lapsus fatalium metueretur, inde fieret petitio aut ista prorogandi, aut appellationem recipiendi. Visum est neutro adhuc opus fore, quia tale mandatum sine causæ cognitione ad unius partis instantiam emanans vim rei judicatæ non habet, (1) & per comparitionem atque allegationem exceptionum, etsi alias sine clausula sit, in simplicem citationem resolvitur. (2) Et quandoquidem per istam res ad causæ cognitionem coram inferiori judice devenit, & correctio decreti impetrari potest, non opus est provocatione, (3) quæ remedium est non plane qua judicem favorabile, (4) ideo non usurpandum, nisi cum de judice ut gravante conquerendi causa, nec aliter jussa ab eo consequendi occasio est, (5) quæ deficit, quamdiu ab eodem sperari potest emenda io. (6) Quotiescunque ille ipse judex, qui aliquid jussit vetuitque, contrario imperio tollere idipsum potest, non est admittenda appellatio. (7) Cui consequens videtur nec fatalia esse proroganda, cum iis non sit opus, ubi appellationi non est locus. (8) Etsi vero, cum de hoc certa res est, etiam illa petitio ut superflua rejicienda foret, (9) attamen si dubium sit annon se aliter res habeat, atque præjudicii aliquid decreto insit, aut illuc à judice vel parte trahi queat, tutius erit fatalium prorogationem indulgere, quâ causâ nondum perspecta præjudicium inferre. (10) *Vti visum ad supplicationem Hæredum Dn. Ioh. Hasseni, contra Dn. Petrum Appelman Generalem Inspectorem bonorum Regiorum in Pomerania. Die 12. Iulii Anno 1659.*

1. *Ll. & seq. C. commun. Episc.*

2. Quod de mandatis inter decisiones nostras aliquoties expositum alibi videas.

3. Non audiendum esse appellantem, qui ab eodem judice qui pronunciavit correctionem judicati impetrare potest, decidit & docet. *Ant. Fab. in cod. lib. 7. tit. 15. defin. 8.*

4. Acculat quippe eum injuriæ. *l. 1. ff. de Appellat. l. præfecti 17. ff. de Minor.*

5. Non abutendum appellatione ad litem supervacuam, sed ad judicis à quo officium pertinet providere ne recipiatur, ubi ista non est opus. *l. 1. Cod. de Appell. recip. Bartol. in l. 1. ff. de Appellat.*

6. Id evenit in omnibus interlocutionibus *l. quod jussit 14. ff. de re jud.* ut & in mandatis ad unius partis narrata & petita decretis quæ corrigi possunt, sine ulteriori processu.

7. Quid opus est cautela, ubi alio auxilio legibus introducto subvenitur. *l. un. §. Taceat. 5. C. de rei uxo actions.*

8. Omitti supervacua jurisprudentia amat *l. jurisgentium 7. §. sed si fraudandi 10. ff. de Pact.*

9. Consulendum est ubi si aliter fieret inventa esset ratio nocendi. *l. 1. §. sed etsi 5. ff. de Carbon. Edict.*

10. Abundans cautela non nocet.

Digitized by Google

DECISIO XXIX.

In causa cloacam & aquæ ductum concernente recipienda est appellatio, cum non de his ut talibus, sed de contractu circa ea quæstio est.

TRansactione inter Principem & civitatem inita circa modum appellationum convenerat, non recipi istas, cum concerneret cloacas & aquæ ductus, (1) At ex contextu & ratione apparet, ob periculum, quo in iis est ex mora, & irreparabili damno multoque incommodo, quod infert litium dilatio, sic placuisse, ne talium necessariorũ confectio, reparatio aut conservatio impediretur, cui consequens est, cessante ratione non esse locum exclusioni appellationis, (2) quæ cum statuto vel contractu continetur, stricte intelligenda est, (3) ne cuiquam pereat defensio, cujus species est appellatio. (4) Præsertim vero ex ista transactione non exclusa est appellatio, quando quæstio est de venditione ædium, & an sub illa comprehendatur cloaca & aquæductus. (5) Quia non de his ut talibus controvertitur, sed ut sub venditione comprehenduntur, magisq; jus & effectus venditionis, quam illorum ratio in litem venit. *Ex ea consideratione admissa est appellatio & decreti sunt processus ad petitionem Hinrich Bonsack, contra Iürgen Schwanenbecken wittwen. Die 12. Iulii Anno 1653.*

1. *Vid.* der Stadt Wißmar *appellation. recess.*
2. *c. cessante X. de Appellation.*
3. Nisi enim expresse reperitur appellatio prohibita, sicut & alias in dubio est admittenda, *Bartol. in l. un. ff. nihil nov. appell.*
4. *l. 1 ff. de Appellat.*
5. Hæc ut multum inter se differunt, ita in odiosa materia contra favorem appellationum non sunt confundenda, aut à separatis argumentum sumendum, quod alias vitiosum est. *l. fin. ff. de Calumn.* nedum in materia, ubi stricta est interpretatio.

DECISIO .

Causa expensarum litis est appellabilis.

PEtens hæreditatem, etsi alias in lite quà causam principalem obtinuisset, appellabat tamen propter omissam expensarum condemnationem. Existimatum est causam esse appellabilem. (1) At de eo aliquid dubitationis subortum an summa sit appellabilis, quando non putabatur, illas ad quantitatem ducentorum Joachimicorum ascendere. At sic tantũ credebatur, certum non erat, forte & alius ascendere posset, in dubio non rejicenda erat. (2) Contingit etiam, ut in lite interfit condemnari in expensas adversarium non tantum propter damnum, sed etiam quo bonæ causæ fiducia & opinio publica fiat, & adversarii temeritas litigandi manifestetur. (3) *In causa Ioachimi Petersen, contra Obrist Lieutenant Adam von Horn. Die 2. December. Anno 1659.*

1. *Ant. Gemma decis. 64. Ruginell. de Appellat. §. 2. cap. 3. num. 390.*
2. In dubio admittenda est appellatio. *l. 1. ib. Bartol. ff. de Appellat.*
3. Propter hanc fit in sumptus litis condemnatio. *l. cum quem. 79. ff. de judic.*

DECISIO I.

Exceptio frivolæ & non devolutæ appellationis opposita ad impediendam editionem actorum præterquam si quam manifesta sit, nisi iis editis, non est admittenda.

POst decretos processus atque insinuationem compulsorialium pars pro impediendа actorum editione in judicio inferiori scriptum exceptiones frivolæ & non devolutæ appellationis continens exhibuit, atque effecit, ut judex isto transmisso instat refutatoriorum editionem actorum recusaret. Siquidem injustitia & temeritas appellationis inde manifesta, vel jus & veritas exceptionum citra controversiam fuisset, utique proficere potuisset, ut ulteriora denegarentur, (1) velut in ea specie ubi judex refutatorios bene fundatos misit, cui minime decreti processus impedimento sunt. (2) At quando judici superiori de eo res plane certa non est, vel aliqua dubitatio solvitur, non nisi ex actis instantiæ ptioris diluenda, utique non debet in re tanti momenti, ubi à defensione cujus appellatio species est quis excludetur, sine actis quidquam statui. (3) Remittenda itaque est illarum exceptionum oppositio & consideratio ad processum & seponenda post acta edita. Uti factum *in causa Burgermeister und Rath der alten Stadt Stettin, contra den Advocatum Fisci in Pomerania. Die 11 October Anno 1659.*

1. Sicut judex primæ instantiæ manifeste frivolæ appellationi deferre non tenetur, sic superior recipere non debet, nec sine mortali peccato potest *juxta deducta à Cothman. respons. 38. numer. 59. & seq. vol. 1.*
2. Etsi judex appellationem initio recipit, attamen si deinde frivolam, frustratoriam & iniquam repetit, ulteriorem processum non permittit sed judicem inferiorem procedere finit. *Natta cons. 606. num. 3.*
3. Exceptio frivolæ & non devolutæ appellationis in dubio non est sine causæ cognitione rejicienda. Hæc vero nisi ex actis inspectis fieri nequit.

Pro-

Digitized by Google

Pronunciatio sic facta est.

In Sachen Burgermeister und Rath der Stadt Alten Stettin Appellanten wider Georg Götzken itzo die Königl. Regierung in Pomarern und in dero Namen dieß Advocati Fisci Appellaten/ in puncto des Buchdruckens auch darüber ertheilten Privilegii und Verbotes wird befunden und erkant/ daß der vorgebrachten verschiedener Exceptionen ungehindert es bey den erkanten Appellations Processen sein Bewenden habe/ demnach die Königl. Regierung die Acta erster Instantz zu ediren schuldig/ und deßwegen die vorige Compulsoriales zu renoviren seyn/alsdann hernach in puncto relevantiæ gravaminum und dabey zugleich auff die exceptiones non devolutæ & frivolæ appellationis, die dahin zuvor beweisen/ ergehet was Recht ist. Es gebühret aber Appellanten der Ordnung gemäß die Appellation und Caution vor Edition der Acten abzustatten. Von Rechts wegen.

(Hoc est) In causa Consulum & Senatus civitatis veteris Stetini appellantium, contra Georgiũ Gözken, modo Regium Regimen & in ejus nomine Advocatum Fisci Appellatum, in puncto impressionis librorum, & desuper dati privilegii, & prohibitionis, decernimus, non attentis diversis exceptionibus, insistendum esse decretis Appellationis processibus, inde Regio Regimini incumbit, acta primæ instantiæ edere, in quem finem priores compulsoriales renovandæ sunt, inde in puncto relevantiæ gravaminum, & simul ratione exceptionum non devolutæ & frivolæ appellationis fiet quod juris. Incumbit verò appellantibus, vigore ordinationis appellationem & cautionem ante editionem actorum præstare. Idque de jure.

DECISIO XXXII.

Appellatio in causa, quæ non directe piam causam concernit, admittitur.

QUod à quibusdam traditur, à sententia in pijs causis lata appellationem non admitti, (1) præterquam quod adhuc controversum, (2) nec ubique receptum est, (3) nec etiam in illa specie recipi potest, ubi injuria alteri sub ejus obtentu infertur, (4) porrigi non potest ultra eas causas, quæ directo & principaliter pietatẽ continent. Non si tantum incidenter aut per consequentiam attingunt. (5) In quibus quidem pietatis ratio habetur, at non eo pertingit, ut suetus justitiæ cursus impediatur, (6) *Quod consideratum in causa Bartold Hinzen & Consortum, contra Burgermeister Heinrich Hinzen & Consoires. Die 1. Nov. Anno 1659.*

1. *Ita sentit Bartol. in l. malâ ff. de alim. & Cibar. Legat.*

2. Sunt plures qui contrarium sentiunt. *vid Franch in rubr. tit. de Appellat. num. 2.* Et illud ut dubium cogitandum relinquit *Tiraquell. in Privileg. pia caus. 253.*

3. In Camera Imp. receptas esse appellationes in pijs causis, ex exemplis observari.

4. Pietas non est ad cujusquam injuriam porrigenda. *l. illud quod 19. ib. gloss. & Dd. Cod. de SS Eccles.*

5. In jure non quod in consequentiam venit sed quod principaliter agimus, consideramus. *l. 1. ff. de autor tut.*

6. Etiam insigne pietatis opus est, injuriam passis justitiæ administratione subvenire.

DECISIO XXXIII.

Summa appellabilis an ex tenore sententiæ, an tantum ex vera litis materia censenda sit.

OCcurrebat ut cum litigaretur de decimis pronunciatio sonaret de fundo, ex quo istæ deberentur, secundum istas autem sententia non erat appellabilis, quod summa minor est quantitate appellationi apta. (1) Quoad hunc autẽ ipsis locus esse potuit. Visum est inspiciendum esse in quod sonat sententia à qua appellatur. (2) Cum alterum illud non comprehendat etsi forsan in mente pronunciantium fuit. (3) Et quia correctione ejus opus, quæ à judice à quo non tam facile speratur vel impetratur, appellatio ex obtentu summæ, quæ in lite fuit, præcludi non debet: Quando autem quà id quod dictum est, sententia non valuit, quæ id quod non pronunciatum, non est sententia, non potest non esse integrum, ut de hoc alia sententia feratur. (4) Ideo processus appellatorii decernuntur. *In causa Ludolff von Sangershausen & consort, contra Viduam Otto Heinrich von Brobergen. Die 17. Martii Anno 1660.*

1. Ante omnia considerandum est cum processus petuntur, an causa quantitatis vel qualitatis ratione sit appellabilis.

2. *l. ab executore 4. §. 1. ff. de Appell.*

3. Nemo dixit quod non suâ voce exposuit *l. Labeo 7. §. fin. ff. de supell. legat.*

4. Judex qui semel vel pluris vel minoris condemnavit, amplius corrigere suam sententiam nequit, semel enim seu male seu bene suo officio functus *l. judex. 55. de Re judic.*

DECISIO XXXIV.

Nullitas & evidens iniquitas sententiæ seu decreti devolvit appellationem etsi aliàs prohibitam.

MOvebat circa petitionem processuum dubitationem, quod summa appellabilis non erat, prout fuit sub lite: At ea re jecta existimatum fuit cum nullitatem (1) tum evidentem iniquitatem sententiæ efficere, (3) ut cum aliàs appellari non possit, tamen appellatio recipiatur, ne alicui manifeste inferatur injuria, (4) *In eadem causa.*

1. *Scaccia de Appellat. quæst. 17. limit. 19. num. 4.*

2. Respectu notoriæ iniquitatis appellatio nunquam intelligitur prohibita. *Johan. Baptist. Pontan. tract. de spol. lib. 4. cap. 5. num. 50.*

3. Ap-

Digitized by Google

3. Appellatio inventa est in præsidium innocentiæ & injustitiæ opposita *l. 1. ff. de Appellat.* ideo nunquam rejicienda ubi apparet injuria. *Bart. in d. l. 1.* contra quam auxilium nunquam censetur excluſum. *Cravett. consil. 3. n. 18.* contra eam Judex etiam ex officio suo succurrere debet *Contard. in l. un. lim. 9. n. 11. seq. C. si de mom. cauſ.*

DECISIO XXXV.

Ab executione quæ ſine ſententia fit aut hanc excedit appellatio admittitur.

ETſi non ab executione, tamē ab exceſſu ejus appellatio recipitur. (1) Exceſſus autem ille appellationis non minus juſta cauſa quam gravamen magnum infert, quando aut executio fit antequam ſuper lite pronunciatur. (2) aut ultra tenorem ſententiæ progreditur. (3) Ideo non fuit admiſſa non devolutæ appellationis exceptio *in cauſa Ludolff Wolff von Sangershauſen, contra Marcum Bremern. Die 16. Maii Anno 1660.*

1. *l. ab executione 5. C. quor. appell. non recip.*
2. *l. 1. C. de execut. rei jud.*
3. *Salycet. in l. 1. C. quib. res. jud. non noc.*

DECISIO XXXVI.

Appellatio non devolvit aliam ac de qua in prima inſtantia actum eſt cauſam, ex aliis vero cauſis ac ibi allegatis recte inſtruitur.

EXceptio aliarum atque in prima inſtantia prolatæ ſunt allegationum nihil proficit, & male fundatur in ea regula, quod aliam appellatio non devolvit cauſam ac de qua in priori inſtantia actum fuit. Multum enim hæc duo differunt, an alia ſit, an eadem lis ſed ex aliis cauſis ſeu argumentis inſtructa & fundata. (1) Per appellationem alia in ſecunda inſtantia non poteſt agi lis, quam quæ in priori inſtantia coram priori judice agitata fuit. (2) At minime prohibitum longe alia argumenta & petendi cauſas afferre, quam ibi allegatæ fuerint, (1) adeo, ut licet diverſæ & pene contrariæ ſint iis, ex quibus in priori judicio actum exceptum ve fuit, tamen admittantur. (4) Hoc enim convenit beneficio non deducta deducendi non probata probandi, quod appellantibus per jus commune indultum eſt, veluti quod non tantum pertinet ad eadem quæ antea ſunt oppoſita, ſed etiam ad alia, quæ ad eandem cauſam aliqua ratione faciunt, (5) Rejecta itaque fuit non devolutæ appellationis exceptio, quæ incongruè cauſam appellationis in aliam, ubi cauſæ appellandi tantum aliæ erant objiciebat. *In eadem cauſa.*

1. Hæc omnino diſcernenda ſunt *Petr. Frid. Mindan. de contin. cauſ. lib. 3. cap. 11. n. 16. in fin. ubi ita ſcribit. Diligentiſſime notandum eatenus cum cumulationem in puncto appellationis permitti, quatenus ſaltem tendit ad probationem & victoriam ejus quod in prima inſtantia propoſitum fuit. Secus ſi cumulatio iſta tendit ad victoriam alterius rei vel cauſæ in prima inſtantia non deducta.*

2. Judex ex appellatione non aliam habet jurisdictionem quam circa cauſam quæ ad ipſum devolvitur. Haud vero illa devolvit, niſi quæ in prima inſtantia ſunt acta. *Marth. de Afflict. deciſ. Neapol. 155. numero 3. Menoch. de retin. poſſ. remed. 5. queſt. 15. num. 94. ubi addit ne quidem ſi in priori inſtantia de petitorio actum ſit, in ſecunda ſuper poſſeſſorio & viceverſa judicari.*

3. *Ita conſtituit textus in l. ſcio §. fin. ff. de appellat.*

4. Exemplum notabile habet *Petr. Frid. Mind. d. c. 11. num 13 ſeq.* de eo qui in priori inſtantia velut de pignore egerat, in ſecunda ex cauſa Dominii petit.

5. *l. per hanc 4. verb.* licentia pateat in exercendis conſultationibus tam appellatori quam adverſæ parti novis etiam aſſertionibus utendi vel exceptionibus, quæ non ad novum capitulum pertinent, ſed ex illis oriuntur, &c. & porro, quin etſi allegationes & probationes monſtrentur quæ in prima inſtantia defuerint & illæ quoque admittendæ *C. de temp. appell.*

DECISIO XXXVII.

A ſententia ſuper idoneitate fidejuſſoris appellare licet, ſed appellatio niſi ea ſimul demonſtrata non recipitur.

IDoneus an ſit fidejuſſor ad arbitrium judicis pertinet. (1) Ab eo iniquo appellare non minus atque ab alia ſententia licet. (2) At non eſt admittenda appellatio, niſi ſtatim per juſtas rationes doceatur arbitrii iniquitas & recepti fidē juſſoris inidoneitas. (3) Qua non apparente ſtandum eſt arbitrio judiciali, (4) pro quo præſumptio, (5) & contra quod non facile reprobatio recipienda eſt, quod ea res pertinet tum ad judicis authoritatem, tum ad aliquam oblati fidejuſſoris ignominiā. (6) Cujus cauſa judex ſuperior quæſtionem de illo non facile admittet, niſi repertis gravibus reiiciendi cauſis, queis ſine negabitur potius proceſſus. *Ita factum ad ſupplicationem Ioh. Thanecken contra Sigiſmund. Kolern. Die 18. September Anno 1660.*

1. Olim non ipſe judex de eo arbitrabatur, ſed per arbitrum ad id datum examinabat & declarabat idoneitatem. *l. ſi vero §. 1. l. 9. ſeq. ff. qui ſatisdare cogunt. l. 2 C. de uſur.* Hodiè à judice ea inquiſitio & approbatio fieri ſolet. Sicut in camera ita etiam ſervatur *vid. Barth. in ſentent. ſelect. de Anno 1530. die 14. Ian. lit. C. & Anno 1531. die 13. Sept. lit. F. Anno 1539. die 7 Maji lit. B.*

2. *l. arbitrio ff. qui ſatisd. cog. l. ult. ff. à quib. appell. non lic.*

3. Sententia de probando fidejuſſore eſt tantum interlocutoria, à qua non appellatur niſi ob evidentia gravamina.

4. Arbitrio judicis cautio ejusque modus committitur. *Weſenbec. in Paratit. ff. qui ſatisd. cog.*

Zang.

Digitized by Google

Zang. de Except. part. 2. c. 21. num 45. Frustra, si indiscriminatim appellare permittitur. Regulariter etiam ab arbitrio non appellatur, nisi ob enormem læsionem *l. fin. ib. Dd. C. de Recept. arbitr.*

5. *l. si. ab arbitrio 10. pr. ff. qui satisd. cog.*

6. Non levis est injuria ut inidoneum rejici *l. si vero 5. §. 1. ff. eod.*

DECISIO XXXVIII.

A privilegio propter sub-& obreptionem appellatio non recipitur.

APpellans à privilegio quod per sub& obreptionem impetratum esse dicit à judice superiore ultra audiendus non est, quam quod ad concedentem, cum ejus est jurisdictio, pro allegandis ibidem istius causis & exspectanda sententia remittitur. Est quippe illa appellatio ab extrajudiciali gravamine seu extrajudicialis quæ est ad causam, idcirco ad illud judicium provocatio, (1) ubi sub & obreptionis exceptio ordinarie opponitur, quod est ejus qui concedit. (2) Nec appellans ante illam rejectam justum gravamẽ habebat, (3) cum adhuc proponere & justam sententiam impetrare possit. (4) Nisi itaque alia causa cui cognitio super ista exceptione concedentis esse non debebat (5) appellatio supervacua erit. *sic decretum ad supplicationem collegii Brassatorum in Wolgast, contra den Ambtmann Iochim Knochen, die 8. Ian. Anno 1661.*

1. *l. cum sit cum Romana §. si vero ibi gloss. de app. Gail. 1. observ. 120. num. 4.*

2. Concessionibus licet opponere sub- & obreptionis exceptionem coram concedente.

3. Sine gravamine non admittitur appellatio.

4. Appellatio non admittitur appellatio.

5. Veluti si suspectus sit judex vel jam gravavit.

DECISIO XXXIX.

In causa salarium concernente appellatio quomodo admittitur.

SEntentia quæ lata est in favorem petentis mercedem seu salarium ob hujus pietatem (1) habetur inappellabilis (2) maxime si cui debetur pauper sit, qualis quisquis pro mercede servit, præsumitur. (3) At non aliter hoc accipiendũ, quam si non ex gravamine illato apparet injustam esse sententiam & gravem appellandi causam, (4) ne favor iste ad injustitiam & iniquitatem devergat. (5) Dein tantum accipitur idipsum de appellationis effectu suspensivo, (6) ne interim qui servit egere & officium deserere cogatur. Ita putavimus admittendam appellationem, at non decernendam inhibitionem *in causa Baron Schlangenfeld, contra Pastorem Ecclesiæ in Neuenwalde M. Rostock, die 30. Ian. Anno 1661.*

1. Juxta legem divinam, Non morabitur opus mercionarii tui apud te usque ad manc. Ex qua salarii causa habetur pia *Scacc. de judic. cap. 5. num. 61.*

2. *Ruginell. in tr. de Appellat. §. 2. cap. 3. 280.*

3. *Bencaſ. in tr. de Paupert. & ejus privileg. quæst. 6. num. 1. tom. 18.*

4. Hæc communis est exceptio omnium casuum & causarum in quibus non appellatur nisi manifesta sit iniquitas. Quam etiam recepit Ordinatio summi Tribunalis *part. 2. tit. 1.*

5. Pauperis causa nemini faciendа injuria.

6. *Rebuff. in tr. de Sentent. Provis. artic. 3. gloss. 7. num. 1. & seq.*

DECISIO XXXX.

In causa precarii inhibitio non decernitur.

CUm appellans precarium obtenderet, adeoque se possessorem justum remque precario habitam juste revocatam, secus vero pronunciatum esset, admissa quidem est appellatio at non decreta fuit inhibitio. Etsi enim contra eum qui precarium repetit, non est defendendus, qui habuit, (1) haud tamen id aliter obtinet, quam sit tam de precario quam restituendi necessitate constat. (2) Secus seres habet, uti vel illud controversum est vel utrum recte repetitum sic restituive debeat, non apparet, tunc idem obtinet ac si controversa sit possessio, (3) circa quam inhibitio non decernitur *in eadem causa.*

1. Qui precario possidet adversus omnes præter eum quem rogavit defenditur *l. qui precario 17. ff. de Precar.*

2. Non proficit quod adhuc dubium est.

3. *l. & habet §. pen. ff. de Precar.*

DECISIO XXXXI.

Ab edicto generali appellatio singulorum non recipitur.

EDictum generale legis vel statuti vicem habet, (1) à quo appellandi licentia singulis non est. (2) Eaque etiam supervacua si non impugnatur statutum, sed tantum ab eo exemptio seu ejus quoad se iniquitas obtenditur. (3) Hanc non per appellationem sed excipiendo aut deducendo apud edicentem proferre oportet & semper licet: (4) cum rejicitur talis allegatio, appellare licebit. (5) Antea vero gravatum nemo se dicere potest, ideo nec appellare. (6) *Sic decretum ad supplicationem des Königlichen Regierungs-Raths Nic. Hopken, die 30. Ian. An. 1661.*

1. §. *quod Principi 6. Inst. de jur. Nat. Gent. & civ.*

2. *Bartol. in l. ult. num. 3. ff. de Appellat. Bald. in l.*

Digitized by Google

quisquis 6. num. 2. C. quæ appell. non recip. Petr. Gregor. Tolosſ. in tr. de Appellat. lib. 2. cap. 22. num. 1. & 3. tum quod illud licet durum tamen ſervandum *l. proſpexit 12. §. 1. ff. qui & à quib. man.* tum quod pro ea quæ legibus debetur conſtantia atque autoritate ſingulis impugnandi facultatem relinquere reipubl. pernitioſum eſt, tum quod ea eſt poteſtas ſuperior de qua diſputare non licet. *l. ſacrilegii 3. C. ad L. Iul. Pecul.*

3. Exceptio non impugnat regulam nec ei contraria eſt ſed præter illam & lege non tollitur *l. 1. ib. Dd. ff. de R. I.*

4. Iniquitas ſtatuti nunquam tranſit in rem judicatam ſed ſemper per integrum eſt illam allegare *Franch. in cap. conſuluit num. 5. X. de Appellat.*

5. Licet non à ſtatuto ipſo, tamen ab ejus interpretatione injuſta vel incongrua, *Ruginell. de Appellat. §. 2. cap. 3 num. 507.* aut ejus applicatione per ſententiam appellare integrum eſt *Ruginell. dict. cap. 3, numer 889.*

6. Ceſſante gravamine injuſta eſt appellatio ut & ſuperflua *Bald. in l. un. num. 7. C. ne lic. in un. ead.*

DECISIO XXXXII.

Metuens gravari appellans nondum audiendus eſt, ſed remittendus eſt ad judicem à quo.

GRavamen eſt appellationis unica cauſa (1) & nondum gravatus fruſtra appellat. (2) Ideo non admittitur appellatio ſi quis nondum gravamen aliquod præſens allegat, (3) ſed tantum quod metuit ſe gravari. (4) Exſpectare itaque debet donec illud inferatur niſi futurum ſit irreparabile. (5) In quâ tamen ſpecie non tam appellatio quam alia neceſſaria remedia adhibenda, iis verò rejectis demum appellandum erit. Quamdiu adhuc adverſus id quod metuitur remedium apud inferiorem judicem ſupereſt, ſuperior appellationem non recipit, (6) ſed appellantem ad illum pro allegatione juris ſui remittit. (7) *Vti factum ad ſupplicationem ejus dem.*

1. *c. ut debitus X. de Appellat.*
2. *l. 1. ff. eod.*
3. *Franc. in c. dilecto 63. num. 3. X. eod.*
4. Hoc eſt quod dicitur à futuro gravamine non appellari. *vid. Scacciam de Appellat. quæſt. 5 art 2. num. 101. & ſeq.*
5. A gravamine futuro irreparabili appellationem licere tradit. *Franc. in d. cap. at debitus quæſt. 2. numer 9.*
6. Appellatio non recipitur quamdiu apud judicem inferiorem ejus de quo queritur ſupereſt reparatio *Corne conſil. 80. num. 3. lib. 1.*
7. *Geminian. in c. 1. §. quod ſi Appellator num. 4. X. de Appellat' in 6.*

DECISIO XXXXIII.

A mandato executivo ſententiam excedente appellatio recipitur.

SIcut ab executione non appellatur [1] ita nec à mandato executivo quod ad illam præparandam emanat (2) ſed ita ſi non hoc excedit rem judicatam. (3) Ab exceſſu ſeu ſi ultra id quod judicatum fuit progreditur executió, appellatio non injuſta eſt nec rejicitur. Ut fit cum aliud venit in executionem, quam fuit in ſententia. *De quo ſic judicatum in cauſa D. Joh. am Ende, contra Joh. Ludolph Schönbeck, die 19. April Anno 1661.*

1. *l. ab executione 5. C. quor. appell. non recip.*
2. *Scaccia de Appellat. quæſt. 17. limit. 10. num. 10.*
3. Rei judicatæ autoritas ratio eſt appellationem excludens.
4. *d. l. ab executione 5. ib gloſſ. & Dd.*

DECISIO XXXXIV.

Contumacia ab appellatione non excludit, ſi non ob eam juſte proceditur.

ITa quidem, eſt quod contumax non appellat aut appellans non auditur, (1) ac ita ſi etiam contra contumaciam juſtus obſervatur proceſſus, eoque mediante condemnatur. In quo exceſſus aut defectus appellationi locum facit. (2) Nec enim etiam contumaci injuria aut non juſta irroganda, vel alia quam leges irrogant inique paſſis juſta remedia denenda ſunt. Ita judicatum *in eadem cauſa.*

1. *l. properandum §. ſin autem reus C. de judic. l. 1. C. quor. appell. non recip.*
2. Quæ non ex intrinſeca natura judicii veniunt in iis contumaci licita eſt appellatio. *Scacc. in tr. de appellat. quæſt. 17. limit. 3. num 19.*

DECISIO XXXXV.

Caſus in quibus appellationi in ſummariſſimo poſſeſſorio locus eſt.

REgula eſt cum momentaneo judicio de poſſeſſione actum fuit non appellari: At ſicut ſano ſenſu hoc intelligendum, ita etiam dextre practicandum, ne ſub poſſeſſorii ſummariſſimi obtentu injuria cuiquam fiat. (1) Ceſſat merito, ſi judicii illud genus magis obtenditur in rubrica litis atque actorum, quam ut revera ſubſit, dum genus actionis ab Advocatis vel judice pervertitur, nec vere de momentanea poſſeſſione actum aut agendum, (2) veluti ſi de recuperanda poſſeſſione experiens illud obtendit.

Nec

Digitized by Google

Nec proficiet ad excludendam actionem utramque partem aberrasse & litem eo nomine insigniviſſe, dum veritatem magis, quam errorem judex ſpectare & ſequi debeat. Deinde & tunc procedit, quando unice momentanea poſſeſſio in litem & ſententiam venit, non ſi ſimul & aliud quidpiam, de quo cauſa eſt appellabilis. (3) Tertio ob nullitates proceſſus easque notorias in momentaneo poſſeſſorio locus eſt provocationi, (4) veluti, ſi judex vel non legitime citaverit & audierit alteram partem, vel ab una tantum non ab altera parte teſtes examinavit, vel ſi præcipitanter nimis progreſſus eſt, vel denique, ſi extra acta pronunciavit. (5) Quocirca ſi in hoc contingat, per quod ei, contra quem pronunciatur aliud, & quidem irreparabile gravamen infertur. *Quæ reperta & conſiderata in cauſa der Kirchſpiels Vervvädten zu Oderquard contra Frantz Otto von Dannenberg die 22. Martii An 1662.*

1. Quod advocati inter artificia ſua magni faciunt, ut ſciant eligere actionis genus citius atque expeditius peragendum, ideo ad id, quod eo conducere videtur facti circumſtantias detorquere ſatagunt, id maxime ratione ſummariſſimi poſſeſſorii contendunt, ideo illo ſæpiſſime abutuntur, ut judices & adverſarios ſeducant pro cliente eo facilius obtineant.

2. Non debet de litis cauſa cenſeri & ſtatui ex nominatione, ſed ex veritate.

3. Si ſummariſſimo poſſeſſorio annexum aliquid eſt ex cauſa proprietatis, vel alia cauſa appellabili locus eſt appellationi *Bart. in l. un. in 3. oppoſit. C. ſi de moment. poſſ. Cacher deciſ. 25 num. 10.*

4. In quibus cauſis appellatio interdicitur, de nullitate tamen proceſſus queri integrum, ideoque provocando facere licet.

5. Momentanei poſſeſſorii quidem celer proceſſus eſt, unde & ſummariſſimum audit *l. 1. verb. ſine ulla cunctatione C. ſi per vim vel alio mod. Gail. 1. obſerv. 7. num. 5.* at non præceps eſſe debet, ut omittat ea, quæ jure naturali ad quodvis judicium ſunt neceſſaria. Deinde talis eſſe debet, ut judex de poſſeſſione informari poſſit, & quidem non ab una, ſed etiam ab altera parte.

DECISIO XXXXVI.

Aliquot ſpecies in quibus attentatorum revocationi non eſt locus.

REgula quidem juris eſt, poſt appellationem interpoſitam nihil eſſe innovandum (1) & intentata ante omnia eſſe revocanda & inhibenda: (2) At plures iſta habet exceptiones, in quibus ſi facta fuerit revocatio appellationi ad ſuperiorem locus erit. (3) Quæ cum eſſet ideo interpoſita, quod attentata caſſata juxtimque pœna inhibitioni inſerta irrogata eſſet, cum id fieri non deberet putaretur, gravamina idcirco prolata exegerunt eam diſcuſſionem, an ſubeſſent quæ à regula exceptionem facerent: Et quidem ex iis hæc proceſſum mereri videbantur, primò quod diceretur appellationem non eſſe devolutam nec recipiendam, (4) dum contra rem judicatam interpoſita eſſet, (5) ab eo ſaltem decreto quod pro confirmatione & executione ſententiæ, quæ vires rei judicatæ acceperat, proceſſit (6) à quo appellationi locus non eſt, ideo nec attentatis. Quemadmodum judex nihil peccat judicata exequendo, imo non exſequens injuſtè agit, ita exſequenti minimè per inhibitionem reſiſtendum, ideoque nec quod factum revocandum vel caſtigandum eſt. Deinde licet in cauſa aliqua appellationi locus ſit, tamen ubi illa nonniſi effectum devolutivum habet ſuſpenſivo caret, ideo inhibitio non decernitur, aut injuſtè non ſit attentatorum revocatio: Cujus generis illa eſt, quando inter magiſtratum civitatis & civem de iis quæ ad ſtatum publicum vel ſtatuta eorumque obſervantiam pertinent, res eſt, ut & ſi cives ab ea obedientia, quam Magiſtratui debent ſemet eximere nituntur. Tertiò occurrebat, quod appellatione cives abutebantur ad clypeum contumaciæ, & hanc cum contemtu magiſtratus excerebant, eam, quam reverentiam iſti debebant, planè præfracto auſu negantes. In quo ex appellatione & inhibitione aliquid opis atque prætextus obtinere tã iniquum quam noxium eſt. Quartò ſcandali publici erat civibus in id proficere appellationem, ut quæ Magiſtratus pro tuenda officii autoritate fecerat attentata haberentur, cum in talibus facta iſtius liceant, etiam dum ſuper appellatione lis pendet. Quintò judex à quo ſeu Magiſtratus non detulerat appellationi ſed Apoſtolos refutatorios dederat. Etſi verò poſt hos nihilominus acquieſcere nec attentare debeat: tamen attentatorum revocatio multo magis pœnæ irrogatio fieri non debet niſi cum cauſæ cognitione, & quidem iſtius quæ in appellationem venit. Accedebat his ſextò quod appellatio videbatur frivola. Ideo enim provocatum erat, quod Senatus civitatis, quando ſtatuta ſua tueri & ſecundum hæc agere intendebat, cives ideo, quod propria ejus cauſa iſta eſſet, ut ſuſpectum argueret, ideo jurisdictionem competere negabat. In quo ipſos audire & ab iſta eximere exemplo non minus pernicioſum quam valde injuſtum erat, quandoquidem in talibus Senatus non ſuam ſed publicam cauſam agit, & judicis munere in cauſis civitatis contra cives fungi poteſt. Quando autem refractarios in prohibitione ejus caſtigat, quo ex iſtius beneficio fruebantur, nihil injuriæ intulit, qui debita obedientia atque reverentia id evitare potuerunt atque debuerunt. Quæ

Digitized by Google

considerata moverunt, ut quam favorabilis aliàs & citæ expeditionis sit attentatorum causa, (7) tamen appellantes audirentur *in causa civitatis Senatus Verdensis contra das Cramer-Ambt daselbst die 2. Sep. An. 1662.*

1. *l. 1. pr. ff. nihil innov. appell. interpos.*
2. *c. non solum de appell. in 6. ibi omnes Canonistæ.*
3. Etiam in causa attentatorum appellationi locum esse in decis. seq. traditur.
4. Cum appellatio non recipitur omni caret effectu, nec potest facere attentata.
5. *l. 1. C. quand. provoc. non est necess.*
6. Decretum tendens ad confirmationem vel executionem sententiæ non est appellabile.
7. *Lancell. in tr. de attentat. part. 3. c. 30. num. 2. seq.* ibi nullum remedium quam attentatorum favorabilius esse dicit, magisque privilegiatum quam spolium.

DECISIO XXXXVII.

In causa attentatorum appellationi locus est.

POst introductam appellationem quæ concernebat causam attentatorum initio in dubitationem venit utrum recipienda esset, quâfaciebat disputatio juris consultorum an causa attentatorũ sit appellabilis? Quicquid vero de hoc diversis sententiis disputatur (1) nos secuti sumus id, quod veteris juri consonum putarunt; & comunius receptum reperimus, ut si quis in causa attentatorum se gravatum doceat, appellans audiendus sit. Non est persona vel causa ab appellandi beneficio sine jure seu lege certa excludenda. (2) Non fecit jus potestatem JCtis sua opinione illud præcludendi. Nec existit lex quæ istam causam fecerit inappellabilem. (3) quin potius contrarium ex jure recte colligimus: (4) Haud etiam ratio adest cur ita fieri debeat. Quod attentata celerem revocationem desiderant, & in iis proceditur sine lite, statim sine ordine iudiciario, ex officio judicis, non est impedimento appellationi aliter quam ubi omnia sic comparata fuerint, ut *sic* procedi debeat. (5) At vero ubi in eo judex terminos justitiæ transgredietur, & nimia celeritate gravaverit, ideo non excludetur defensio (6) Hanc relinquere præstat, quam generali thematiinhærendo occasionem injuriæ atque oppressionis sinere. Cum in illa causa etiam is qui se attentasse negat aut factum excusat in prima instantia non obstante revocationis celeritate audiri debeat, (7) quidni gravatus ad provocationem permittitur? (8) Præsertim cum magni præjudicii sit in ea causa damnari, saltem id curandum ut summarius & celer sit processus non vero ut nullus. (9) Hæc considerata sunt *in eadem causa.*

1. De his vide quæ prolixius congessit. *Lancelot in tr. de attent. part. 5. cap. 28. n. 43. & mult. seq.*

2. Semper appellatio tanquam commune omnium ex gentium jure naturali beneficium permissa est ubi non reperitur expresse prohibita. *Gloss. in l. qui restituere ff de rei vind. Franch. in rubr. de appell. col. 4.* inde ab eo qui appellatum exclusum cupit exceptio probanda *Gratt. Consil. 163. num. 12. lib. 2.* tali probatione non facta in dubio est recipienda *Lancellot. de Prætor. §. 2. de offic. prætor. in caus. civil. de sentent numer 6. & 7.*

3. Abutuntur JCtorum aliqui pro stabilienda contraria sententia textu in *cap. an sit x. de appellat.* qui tantum hoc ordinat, quod cum mandatur revocari attentatum non statim allegari, sed coram judice eadem exceptio proponi debeat: id quod & nos sentimus & sequimur. Haud vero eo pertinet ut si post exceptiones oppositas judex in ea causa pronunciet vel si exceptiones rejiciat appellare non sit integrum.

4. Satis manifestus textus est in *c. significantibus, x. de nov. oper. nunc.* qui male detorquetur ad interlocutoriam in casu attentatorum latam: Etlicet de tali textus loqueretur, tamen argumentum ita recte duceremus, quod si ab interlocutoria appellare permitteretur, multo magis à definitiva.

5. Ubi certo respectu appellare non licet, extra illum manet beneficiilicentia.

6. Hæc in ulla causa alicui auferri nequit ulla lege civili, cum sit juris naturalis. *Iason. in l. ut vim instit. de just. & jur.*

7. Etli attentata statim & ante omnia sint revocanda, attamen si negantur, juris ordine servato est procedendum. *Lancellot. d. tr. part. 3. cap. 31. num. 1 seq.*

9. Quicquid argumentorum in contrarium appellationi causa attentatorum opponitur, hac distinctione inter appellationem ipsam & ejus processum diluitur: Hunc conservant, illam non tollunt.

DECISIO XXXXVIII.

De appellatione in causis decimarum.

QUod jure canonico provisum, ut in causis decimarum non appelletur, (1) ad eas pertinet, quæ sacris seu divinis usibus præstantur, (2) sicut hæc ratio ejus redditur, quod decimæ sunt tributa animarum sacris Ministeriis ac religiosi cultus sustentationi dicata, sine ejus pernicie & impedimento non differenda: (3) Ideo postquam decimæ non amplius sacris serviunt, sed in privatum usum conversæ, seu privati patrimonii & seculares esse cœperunt, causam de iis appellabilem esse dubio caret (4) tantum eo casu si fisco vel reipubl. debentur, quia tributorum vice sunt & de his qua appellationes constituta circa illas observanda erunt. (5) *Sic concluſũ in causa der Zehendpflichtigen des Alten Landes im Kônigreich Eheſten contra den Gräfflichen Konigmarchſcken inſpectorem die 23. Sept. Anno 1602.*

1. *c. tua nobis 26. in fin. x. de decimis.*
2. Ad hanc speciem semetipsum restringit *d. c. tua nobis verb. Eccles. & Cleric. tua diœceſios exhibere tenentur.*

3. Speculat

Digitized by Google

3. *Speculat. in tit. de appellat. §. 2. numer 5.*

4. Religio causam legi vel consuetudini præbens cum cessat facit cessare suum privilegium vid. *Rebuff. in tr. de appell. art. 7. Gloss. 1. numer 14. tom. 3.*

5. Quod est argumentum à tributis ad decimas *de quo post Baldum vide Lanfranc. de orian in c. quoniam x. de probat.* obtinet ubi publicis aut sacris aut profanis usibus præstantur, alias ex rationis diversitate secus est.

DECISIO XXXXIX.

In causis Cambii appellationes facile non sunt recipiendæ, nec receptæ alium quam devolutivum effectum habent.

QUi favor est causarum mercaturam concernentium etiam in judiciorum processu, ut is celer atque expeditus, [1] ad Cambia speciatim extenditur. (2) Nam uti maxima commerciorum atque necessitatum vitæ humanæ compendia sunt eorumque usu sine magno periculo modicis impensis humani generis utilitate multũ proficitur, (3) ita favorem insignem merentur, & ex eo multa singularia à jure communi exorbitantia obtinuerunt: (4) Ex quibus etiam est, quod literæ cambii effectum rei judicatæ, (5) nec non paratam executionem habent, (6) tam contra scribentem cum non solvitur ab acceptante, quam contra acceptantem, (7) inde non admittitur in causis cambii exceptio, nisi incontinenti liquida, (8) nec contra sententiam pro vigore cambii latam appellatio admittitur, (9) aut si ex probabilibus quibusdam rationibus admittenda est, effectum tamen suspensivum non habet. (10) *In causa Claus Riemers contra Iacob Schadelock die 23. Decembr. 1662.*

1. Causæ mercatorum sunt summariæ & sine processu ordinario peraguntur. *Strach. de Mercatur. in tit. quomod. in caus. mercat procedatur. numer 1. & 4.*

2. *Iohann. Azor. Instit. Moral. part. 3. lib. 10. de camb. cap. 3. q. 1.*

3. *Scacc. in tr. de Cambiis 6. per tot. Lupus in tr. de usur. comm. 3. §. 2. num. 14. Calder. consil. 11. ubi scribit, sine cambiis omnia mercaturæ officia fore inania & destructa.*

4. *Crot. cons. 190. num. 1. vol. 2.*

5. *Gars. de Mastril. d. decis. 9. in fin. part. 1.*

6. *Rota Genuens. decis. 2. & 3. Honded. consil. 29. num. 7. vol. 2. Beroi consil. 32 num. 12. lib. 3.*

7. *Garsch. Mastril. de decis. 9. num. 3. & 9.*

8. *Raphael. de Turr. in disputat. de Camb. q. 16. n. 79. & seq. Honded. d. cons. 29. num. 7.*

9. *Nicol. de Passer. de Script. privat. lib. 3. q. 6. numer. 5. Ioh. Bapt. Caxat. de Camb. Col. 1. in fin. c. de literis.*

10. De hoc exiit in imperio Rom. Germanico peculiaris Constitutio im R. A. zu Regenspurg de Anno 1654. §. Als auch bey den Handels-Städten in Wechsel-Sachen zu Meß-Zeiten und sonsten casus vorfallen / da nicht allein nach Kauffmanns Gebrauch / sondern nach aller Rechtsgelehrten Meynung die parata executio stracks Platz haben solle / und innerhalb 24. Stunden oder etlich wenig Tagen zu geschehen pfleget: So lassen wir es auch / damit die creditores nicht offters auß blosser Widersetzlichkeit der Schuldiger / nicht allein um die Schuld selbsten / sondern auch um allen credit, Ehr und Nahrung gebracht werden / darbey dergestalt verbleiben / daß in solchen Wechsel-Fällen dem Richter erster instanz unbenommen seyn solle / ohngehindert einiger appellation oder provocation, nach der Sachen Befind- und Ermässigung / entweder mit oder ohne caution der Glaubigen die execution zu vollenziehen / und die debitores zur Schuldigkeit anzuhalten.

DECISIO L.

Supplicatio pro declaranda sententia non excludit appellationem.

E Diversis remediis quæ tendunt ad impugnandam sententiam unum electum vel usurpatum excludit cætera. (1) Ideò ubi per supplicationem petitur sententiæ correctio, postea appellare non licebit, (2) nisi ex statuto vel consuetudine alio post aliud uti permittitur. At si quis non pro corrigenda sed declaranda sententia supplicaverit, ei appellatio adhuc libera est, tum quia per illam supplicationem non satisfieret gravato: (3) tum quia utrumque remedium non ad eundem tendit finem: (4) tum quod appellationi non potuerit esse locus, antequam ex præviâ declaratione constet, an tam adversa sit sententia ut ista opus sit. (5) *Ità visum in causa Dieterici Sangershausen Curatoris contra Dieterich Garlip von Platen die (5) Ianuarii Anno 1657.*

1. Juxtà illud quod vulgò dicitur, viam quam semel elegisti ambula *l. si mulier 21. §. fin. ff. quod met. caus. c. exhibita de Iudic.* Electio unius remedii excludit processum ad aliud. *l. quod in hærede 9. §. eligere ff. de Tribut. action. l. cum filius 76. §. variis ff. de leg. 2. l. nemo 43. §. quoties ff. de Reg. Iur.*

2. Illa remedia quæ sententiis reparandis reperta vel recepta sunt alternativè competunt, ideò electo uno perit jus utendi altero.

3. Electio pertimit ad alia recursum, ubi electum remedium est idoneum, ut per illud satisfieri possit. Secùs verò est ubi electum non satisfacit. *Coler. de Process. Executiv. part. 3. cap. 5. numer 45.*

4. In tali specie non est electio ad idem tendentium, sed usus diversorum pro diversis.

5. Donec sententiæ intellectus non est certus sed ex declaratione petendus, non currunt fatalia remediis impugnativis.

Digitized by Google

DECISIO LI.

Adhærens appellationi tertius non prohibetur eam prosequi, etsi desistit primum appellans.

UT appellationi ab alio interpositæ licet adhærere, modo intra dicendum id fiat, ita tertius adhærens non secus ac si principalis sit appellans prosequi potest. (1) Qui per adhæsionem non alterius sed suam causam agit, nec ut idem sed ut alius appellans habetur. (2) Quocirca licet qui prior provocavit appellationem deserit, vel ei renunciat vel transigit, alter tamen adhærens ex isto non amittit jus prosequendi, seu non tenetur decedere à lite. (3) Cui consequens ut roganti processus appellatorios decernere oporteat. (4) *Quod & factum in causa Senatus Stetinensis, die 4. Februarii Anno* 1657.

1. *Vid. Gail. 1. Observ. 122. num. 4. & 5.*

2. *Specul. in tit. de Appellat. §. 1. quis possit, numer 12. lib. 2.*

3. *Franch. in c. una. num. 3. de Appellat.*

4. *Vid. post alios allegatos Scacciam in tr. de Appellat. quæst. 17. limit. 2. num. 96.*

DECISIO LII.

Appellatio pro interventione in superiori judicio non est recipienda, antequam interveniens gravatus est, etsi recusandi causas habeat.

A Decretâ immissione pro creditorum aliquo appellabat tertius, sed nihil gravaminis habebat ex quo judicis decretum injustum argueret, sed tantum jus aliquod suum potius allegabat. Existimabatur hoc non pertinere ad appellationem, quia gravatus non erat, (1) sed ad interventionem per quam prærogativa juris defendenda est, (2) quæque in ipsa executione locum habet & ad illam impediendam valet. (3) Ista verò in judicio ubi causa agitur proponenda, (4) nondum autem ad superius devolvenda est, non existente ratione ob quam hujus jurisdictio fundata esse posset. (5) Allegabatur quidem judicem priorem esse suspectum, at non alia ex ratione, quam quia aliàs sibi præjudicium non leve intulisset, id quod ad recusationem non sufficit. (6) Et licet recusandi causa non injusta adfuisset, ubi interventio accedit, non pro illa quæ agitata fuit causa ad assistendum alteri litigantium, sed ad excludendum utrumque, post quam res non amplius est in eo statu ut recusationi locus dari posset, non attento illo (7) placuit appellantem ad forum ubi causa versatur remittere, (8) ut interventionei bi prius proposita judicis istius decretum exspectet, à quo gravatus satis maturè appellandi occasio superesset. *Ad supplicationem Liberorum Wedige Behren contra Iustum von Kammins Tochter, die 7. Februarii Anno* 1657.

1. Gravamen est unica appellationis causa & fine isto hæc nulla *l. 1. ib. Bartol. ff de Appellat.*

2. Hoc remedio prospectum est tertio qui putat inter alios acta in suum præjudicium vergere, ut illud avertat.

3. *Gail. 1. Observ. 70. num. 15. seq.*

4. Interventionis forum competens est judicium in quo causa prima agitur. *Petr. Frid. Mindan. lib. 3. de contin. caus. cap. 8. num. 11.*

5. Potest quidem etiam tertius appellare, *Gail. dict. Observ. 70. num 14.* adeo ut etiam post trinam sententiam ejus appellatio admittatur, *Gail. 1. Observ. 72. num. 3.* At non prius, quam gravatus fuerit, id quod non fit, nisi interventio non admissa vel circa eum decretum quod injustum reputatur.

6. Ad recusationem non sufficit gravamen in alia causa illarum & eo nomine interposita appellatio. *Wesenbec. in l. apertissimi num. 17. C. de Iudic.*

7. Tertium intervenientem etiam post litem contestatam judicem recusare posse communis habet Doctorum sententia *quam exponit Gail. 1. Observ. 71. numer. 7. seq.* At limitanda in eo interveniente, qui in lite pro utroque vel alterutro litigante excludenda intervenit, qui necesse habet in illo foro proponere nec potest recusare, quem necessario sequitur, *uti de ea specie tradit Umm. disput. ad Process. direct. 11. conclus. 4. numer 12.*

8. Non potuit aliter fieri sine avocatione causæ, cui locus in tali specie non est.

DECISIO LIII.

Ob angustiam termini locus est appellationi & quomodo.

JUdicis decretum quo terminus præfigitur nimis angustus appellabile est, (1) & recipienda appellatio modò appellans alleget causam probabilem, quare nimis coarctetur, (2) tum etiam ostendat, sibi apud judicem à quo prorogationis impetrandæ spem non esse. (3) Prius aderat in natratis, cum appellans verisimiliter diceret dispersos per plura loca testes non tam brevi spatio examinari posse. (4) Posterius verò inde colligebatur quod terminus peremptorius dicebatur. *Iuxtà hæc decretum in causâ des Oberſten Iochim von Radeken contra Annen Mandelkowen, die* 10. *Februarii Anno* 1657.

1. *Panorm. in c. 1. de Dilat. Bald. in l. 2. C. de Episc. Audient.*

2. Ut sine causa non obtinetur prorogatio, sic quoque non admittenda appellatio, quia inde non injustè intelligitur.

3. Quod

Digitized by Google

3. Quod sententiâ non obstante obtineri potest apud judicem à quo, de eo non admittenda appellatio.

4. Terminus probatorius ità statui debet, ut in eo copia potest haberi testium, & examen facilè peragi. *Kot. Roman. decis. 218. in novissi. lib. 1.*

DECISIO LIV.

A juramenti delatione appellans ob allegationem metus perjurii audiendus est.

INter gravamina appellationis quod delatum necessarium juramentum personæ, quæ ne pejeraret metus erat, proferebatur. Attendenda meritò ea objectio, ut removendi à juramentis qui verosimiliter pejeraturi sunt. (1) Peccati in conscientiam suam judex, (2) & in partem injurius est, qui tales admittit. (3) Haud verò sufficit nuda ejus allegatio aut qualis conjectura, sed oportet causas easque non leves ejus metus proferre, unde judex colligat pejurii certitudinem. (4) Qualis ex sexu sola non sufficiens est, (5) nisi alia in fœmina occurrunt & objiciuntur, quæ valdè suspectam fidem illius facient. (6) *In eadem causa.*

1. *Vid. Setzer. in tract. de Iurejurand. lib. 1. cap. 2. num. 35.*

2. Homicidii reum Ctorum multi faciunt eum judicem, qui verisimiliter pejeraturo juramentum defert. *Borcholt. in tr. de Iurejur. c. 6. num. 12.*

3. Qui jurat fit judex causæ, quo officio fungi non debet, nisi verax & justus.

4. Ubi judex non scire potest pejeraturum, sed tantùm conjicere, ad juramentum admittet salvâ conscientiâ, *Thomas lib. 22. quæst. 98. art. 4. Covarruv. in c. quamvis part. 1. relect. §. 6 num. 3. de Pact. in 6.*

5. Mulierum etsi fragile judicium & consilii inopia, tamen non ideo à juramentis arcentur. *Setzerdict. tract. cap. 12. num. 1, seq. lib. 1.*

6. In dubio homo præsumitur bonus memorque salutis æternæ ideò non pejeraturus. *l. fin. ab Bartol. & Dd. C. ad L. Iul. repetund.*

DECISIO LV.

Non attentat qui libertate naturali uti pergit.

AMissi appellationis beneficii reus arguebatur qui appellans à prohibitione pannicidii ab hoc non desistebat quasi attentasset. (1) Sed incongruè quamdiu non apparet, quod sub lite versabatur, an justè esset prohibitum. Sicut enim non attentat, qui possessionem, in qua fuit, continuat, (2) ita nec pro attentato habendum, quod fit ex libertate commerciorum naturali, (3) cujus possessio cujus vis est, donec probatur justè sublata, (4) id quod ad litem principalem pertinens eo referri, nec cum præjudicio aliquo interea appellans onerari, nedum ejus quod cœpit ante litem actus consecutivos & accessorios coercere licuit. (5) Meritò itaque rejecta est illa exceptio. *In causa Berendt Campen contra die Gewandschneider in Wismar die 14. Februarii Anno 1657.*

1. Attentati pœna est amissio beneficii appellationis *c. an sit X. de Appellat. ib. Franch num. 7.*

2. Actus facti in continuationem possessionis non sunt attentata *uti latè demonstrat Lancellot. in tract. de Attentat. part. 2. cap. 4. limit. 1. per tot.*

3. *l. ex hoc jure 5. ff. de Iustit. & jur.*

4. In iis quæ libertatis vel facultatis naturalis sunt utimur hâc regulâ; facere posse qui non prohibentur, *l. cum Prator 12. ib. Bartol. ff. de Iudic.*

5. Actus consecutivi priorum sicut & accessorii non sunt attentata. *Lancelot. dict. tract. cap. 4. limit. 5.*

DECISIO LVI.

Separationi bonorum consequens est separatio discussionis instantiarum.

APpellans in eo se gravatum putabat, quod cum contra successorem una cum aliis creditoribus egisset, ratione bonorum quæ ad illum à suo debitore devenerant, ad processum concursus & discussionis remissus fuerat, qui quidem eundem, tamen alia bona concernebant. Audiendum illum esse visum fuit, quod separationi bonorum conveniens erat separata discussio, (1) & super ea processus quem super diversis confundere non oportet. (2) Eoque minus hoc congruum erat, cum separatim ille cœperat & hactenus actus erat. (3) *In causa Iulius Paul von Schmaltzhagen contra Bernhard Tessin die 20. Februarii Anno 1657.*

1. *l. 1. §. 1. verb. ut separatim quantum cujusque creditoribus præstetur ff. de separat.*

2. *l. si creditores 5. pr. ff. eod.*

3. Ex origine posterior formatur eventus *l. 2. C. de juspon. lucrat descript.* ideo uti cœptum semel judicium, ità porrò peragi debet.

DECISIO LVII.

Restitutio in integrum contra sententiam in prima instantia frustrà petita, in secunda post appellationem iterata non est admittenda.

QUod per jurisprudentiam Justinianeam constitutum est, ne restitutio in integrum sæpius petatur (1) non tantum in eadem instantia sed etiam in alia obtinet. (2)

Ideo

Digitized by Google

Ideo si post illam petitam & rejectam appellatum fuerit, contra confirmationem prioris sententiæ non habet locum ulterior restitutionis imploratio, (3) nisi ex votis defensionibus illa proponeretur. (4) Quibus nullis repertis implorantis petitio non admissa fuit *in causa Laurentz Gieselbrechten contra Viduam Dulbiers die 20. Februarii Ann. 1657.*

1. *tot. tit. C. si sæp. in integr. restit.*

2. Generaliter prohibita est implorationis iteratio; ideò sic & observandum.

3. *l. 1. C. dict. tit.*

4. *l. fin. C. eod.*

DECISIO LVIII.

Qui se fundat in consuetudine, etsi ea contraria sit juri communi, appellans admittendus est ad processum.

NOn aliter admittimus appellantes quam si narrata ad quod intenditur, de jure sufficiunt & concludunt. (1) Etsi autem communi juri sint contraria, tamen cum se referunt ad consuetudinem, inque eâ jus appellationis fundatur, non eo minus audiri debet allegans, cum maxima sit vis consuetudinis, vicemque legis habeat. (2) Nec, quod aliud ex ea receptum est, quam communi jure constitutum habetur, obsistit, cum huic deroget, [3] potiorque recentioris consuetudinis quam antiquæ legis ratio sit. (4) Ita existimatum. *In causa Marci Brand contra Christophorum Meyer die 19. Februarii Anno 1657.*

1. Circa decernendos processus statur quidem nudis partis narratis, hic tamen exigitur, ut ita sint comparata, quod sufficiant ad impetrandam sententiæ correctionem. Quæ enim non concludunt nec relevant, judex admittere non tenetur, cum sint inania.

2. Habetur pro jure civitatis communi, *l. omnes populi ib. Dd. ff. de Iustit. & Iur. l. diuturna 33. de Legib.* nec minus quam leges judices sequi tenentur, si non in Syndicatu teneri velint. *Auth. jubemus C. de Iudic. Gail. 2. Observ. 32. numer 2.* Quando ipsi jurant se juxta leges judicaturos, simul in consuetudines jurant. *Gail. 1. Observ. 36. numer 14.*

3. *l. 3. §. Divus ff. de Sepulchr. viol.* Leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogantur. *l. de quibus 32. ff. de Legib. 2.*

4. Legem aut rationem non vincit consuetudo, quamdiu lex vivit, seu nondum abrogata est. Plus enim valet sancitum eo quod usu sit, *l. 2. C. quæ sit long. consuet.* At quando plane ex usu recedit, & contraria invaluerunt, magis consuetum quam olim constitutum attenditur. *Wesenbec Heig. & alii in §. jus non scriptum. Inst. de Iur. Natur. Gent. & Civ.*

DECISIO LIX

A citatione, etsi continet præjudicium, appellatio non admittitur, si exceptione id tolli aut averti potest.

COmmunis est sententia rationi maxime congrua à citatione non appellari. (1) Nec enim vim sententiæ habet, aut vires rei judicatæ assequitur, sed quidquid exceptionum contra eam citato competit, in termino opponi, sicque judicium declinari, aut modificari potest, imo & debet, cum judicis sit tum de sua jurisdictione, (2) tum & de exemptione, privilegio & exceptione partis cognoscere. (3) Nec poterit immutare juris rationem quodvis præjudicium, quod forte continet citatio. (4) Intererit enim, an hoc ita comparatum sit, ut opponendo exceptiones vel allegando jura sua citatus possit à judice citante ejus emendationem petere & impetrare, an verò ab isto emendatio sperari aut obtineri, aut verò sine periculo peti non possit, adeoque gravamen inferat irreparabile, aut quod sine magno incommodo reparari nequit. Hujusmodi cum ostenditur, appellans admittetur meritò. (5) At in priori specie admittenda non est appellatio, sed ille remittendus ad judicem citantem, ut ibi alleget sua jura opponens exceptiones & exspectet sententiam. (6) Quod si judex recusat ipsum audire, aut rejicit exceptiones, tunc demum appellandi jus est. (7) *Ita existimatum ad Supplicationem pro processibus Baronis Georg à Sperling, contra Præsidem Electoralem Brandeburgicum Evvald à Kleist, die 13. Martii Anno 1657.*

1. *Bald. ad l. 2. C. de Episcop. audient. Bartol. ad l. 2. num. 12. ff. de recip. appell.*

2. *l. 1. 2. l. 5. ff. de Iudic.*

3. *l. si quis ex aliena ff. de judic. l. 2. ff. si quis in jus voc. non ter.*

4. Quando enim citatio eo tendit, ut audiatur citatus, gravamen habere nequit aliud, nisi quod superiis quæ ista continet, quibus sibi præjudicatum putat, non est auditus; comparatio & allegatio tollit gravamen.

5. Gravamen cujus non alia aut difficilis nisi appelletur, est reparatio, locum facit appellationi. *l. 1. ff. de Appellat.*

6. Quod gravamen tolli potest comparente & excipiente reo, ab illo non appellatur, *l. 1. §. quæsitum ff. de Appellat.*

7. Ante sententiam super jure partis frustra appellatur, *l. ante C. quor. appell. non recip. l. 2. C. de Episcop. audient.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO LX.

A statuto quod manifestè iniquum, aut conoitur in alicujus præjudicium, appellatio permissa est.

CUm ad instantiam Pannicidarum **Gewandt-Schneider** qui vendunt pannos Senatus statuisset, ut nemo mercimonii genus impositerum exerceret, nisi qui per sexennium apud peritos servisset & didicisset, sub illo obtentu aliquis ab isto excluderetur, ideo appellasset, in dubium venit, an appellatio recipienda esset, quia generalis ex pot est præjudicare privato? (1) ideo ab illa sicut & à statuto quod legis vicem habet appellare non licet. (2) At cum non obscurè apparet ejus statuti iniquitas juxta etiam magis in invidiam appellantis quam pro bono publico conditum esse, placuit non rejici appellationem. Habet enim hæc etiam à statuto locum cum statutum gravat rempubl. (3) aut aliques particulares. (4) Aut si tendit contra certas personas, (5) sive id fiat expressè sive in consequentiam & tacitè, dummodo in veritate ex odio erga illas proficiscatur iisque gravamen inferat. (6) His ut exceptio doli competit ex fraude quæ lege tegitur, (7) inde & jus contradicendi est; (8) ita etiam provocatio læsis concedenda præsertim ubi ratio ejus talis non apparet, quæ mereatur in præjudicium vel incommodum, quod personæ infertur. *In causa Bernardi Kamper, contra die Gewand Schneider Wismarie. Die 8. April Anno 1657.*

1. *Bartol. in l. Antiochensium. ff. de reb. Author. jud. possid.*

2. *l. si qua pœna ff de V. S. l. fin. ib. Bartol. num. 3. ff. de appellat. recip. Matth. de Afflict. decis. 321. num. 16.*

3. *l. ambitiosa. ff. de Decret. ab Ordin. fac.* eoque nomine cuivis actio, ideo & provocatio est, *tot. tit. ff. d. Popular. action.* Ea enim quæ noxia sunt officio etiam superioris judici sunt rescindenda. *l. qui se gravatos, C. de Censib.*

4. *l. 1. §. solet ff quand. appell. lic.*

5. *l. si privatus ff. qui & a quib man. l. si. constat. ff. de Appellat. recip. l. toties. in fin. ff. de Pollicitat.*

9. *Bartol. in d. l. fin. num. 3 ff. de Appellat. recip.* ubi ait; etsi statutum prima facie & ex sono sit generale, tamen in veritate contra unam personam factum facere locum appellationi.

7. *l. 1 ff. de dot. except.*

8. *Cynus ad. l. 11. quæst. 3. qua sit long. consuet.* ubi ait; cum is, qui ex tali statuto læditur, contradicit, si non nocere.

DECISIO LXI.

De Appellatione contumac. 5.

JUdex enim qui restitutionem in integrum imploraverat ideò restituit, quod contrà quem rogabatur contumax fuerat. Appellatione verò ab illa sententia interposità circa fundatæ jurisdictionis & devolutionis articulum prima occurrit quæstio, utrum appellationi locus contrà regulam, quod contumax non appellat & appellans non auditur. (1) Verum consideratis causæ circumstantis, non reperta sunt eà quæ necessaria sunt, ut contumacia excludat appellationem. Haud enim ad hanc exclusionem quævis sufficit contumacia, sed vera tantum, minimè autem illa quæ tantum est præsumpta. (2) Quocirca ut excludatur appellatio, oportet contumacem fuisse citatum personaliter, aut certum omnino esse, quod citatio ad notitiam illius pervenerit. (3) Deinde tribus edictis vel uno peremptorio. (4) Præterea non venisse planè citatum in judicium, (5) nec per se, nec per alium. (6) Quod si verò per alium ad litem venerit, non satis est ad illum beneficio isto privandum, quod & ipse contumax fuit. (7) Etsi enim procurator vel advocatus emansit vel facienda non fecit, ideo velut ob contumaciam sententia pronunciata fuit appellatio non exclusa erit. (8) Quando itaque non deprehendebatur seu reum citatum, aut citationem ad ipsumet pervenisse, è contra vèro constabat, Advocatum ejus nomine in judicium venisse, ipsius verò negligentia quædam hujus apparebat, (9) utique iniquum visum appellationem idcirco rejicere cujus causæ satis graves reperiebantur. *In causa Caspar Schulten, contra Iobst Behren. Die 10. April Anno 1657.*

1. *Quæ traditur in l. ex consensu. 23. §. fin. ff. de Appellat. l. 1. C. quor. Appell. non recip. l. properandum 13. §. cum autem C. de Indic. c. ei qui §. sunt etiam 2. q. 6. c. de illicita 24. q. 3.*

2. *P. Greg. Tholosan. de Appellat. l. 5. cap. 4. num. 6. Scacc. de Appellat. quæst. 17. limit 3. n. 1.*

3. *l. 1. & post edictum §. fin. ff. de re judic. l. Divus Anton. l. inter minores 8. ff. de rest. in integr. Mascer. in pract. tit. de Contumac. §. 2. Cyn. in l. properandum. quæst. 9. de Indic.*

4. *Maranth. in spec. part. 6. act. 2. Princip. verb. & quandoque appellandi, n. 285.*

5. Id quod circa appellationem speciatim requiritur *in d. l. ex consensu 23. §. fin. ff. de Appellat.*

6. Distinguunt JCti circa quæstionem de non admittenda ob contumaciam appellatione, inter eam, quæ est in non veniendo & quæ est in non faciendo quod injungitur, illam si vera est plectum appellationis privatione, non hanc. *vid Tholosan. dict. cap. 1. num. 7. seq. per l. creditor. §. jussus. l. fin. ff. de Appellat.*

Digitized by Google

7. Non est contumax qui per alium comparet. Quia paria sunt ipse quid faciat an per alium *l. 1. ff. de Procurat.*

8. *Scaccia dict limit 3. num. 9. ubi post plures allegatos hanc rationem addit, quod a voluntate & mandato principalis alienum est, ut possit ex alterius delicto puniri.*

9. Ità nocet contumacia procuratoris domino, si ipsemet scivit & neglexit. *Guid. Pap. in tract. de Appellat. quæst. 87. n. 56.*

DECISIO LXII.

Delegatio, non promotoriales, etsi cum præscripto processus efficiunt, ut causa per appellationem præterito medio devolvatur ad superiorem.

INter eos casus quorum plurimi ab JCtis traduntur (1) in quibus omisso medio appellatur ad superiorem, ille etiam refertur, si ex delegatione superioris judicat qui post illum sub alio adhuc est judice, seu qui illi non est immediatus. Nam tunc non ad immediatum fit appellatio sed illo præterito ad superiorem delegantem. (2) Nec enim in his quæ ex delegatione dependent alterius est jurisdictio, nec verè rem considerando talis est medius judex. (3) Id verò minimè porrigendū est ad eam speciem, cum per promotoriales superior judicio inferiori commendavit causam, & injunxit rectum processus ordinem. Etsi enim vel per mandatum judiciale præscriptum sit, quomodo procedi oporteat, id tamen pro delegatione non est sed saltem instar excitationis ad faciendam justitiam. Ex qua non devolvitur causa, nisi spretis promotorialibus denegetur aut protrahatur justitia quo casu avocari solet causa. Si iis obtemperetur non interrumpitur jurisdictio inferioris, sed eo loco omnia sunt, ac si citra illas judex officio suo functus esset, cui non datur aliqua jurisdictio sed quam habet exercere jubetur. (4) Sicut itaque promotoriales non sunt causa & modus devolvendi causam ad summum judicium, ita nec eum effectum habere possunt, ut contra communem juris regulam, liceat præterire judicem immediatum. (5) Meritò itaque denegati sunt processus ei, qui ex illo obtentu à Senatu Civitatis omisso Dicasterio Provinciali ad Summum Tribunal provocaverat, & remissus est appellans ad illud velut judicium immediatum. (6) *Vti decretum ad supplicationem pro processibus Iohannis Cunen, contra Senatum Anclamensem. Die 25. April Anno 1657.*

1. *Vid. Felin. in c. super §. porro. num. 14. X. de Offic. & potest. jud de leg. Pet. Gregor. Tholos. in tr. de Appellat. lib. 4. c. 3. per tot.*

2. Appellatio fit à judice delegato ad delegantem. *l. 1. l. fin. ff. quis & à quo appell. l. Præcipimus 32. §. hæc si appellatio C. de Appell.*

3. Non entis itaque nulla sunt qualitates *l. 1. ff. de Hæred. & action. vend.*

4. Hæc poscit appellationes gradatim fieri. *l. Imperatores ff. de Appellat.*

5. Vitandæ sunt quam maximè jurisdictionum confusiones *l. Nemo C. de Iurisd. omn. jud.*

6. Superior ad quem omisso medio fit provocatio præterquam in casibus exceptis remittere debet causam ad judicem medium *d. l. Imperatores ff. de Appellat. Novell. 17. c. 3.*

DECISIO LXIII.

Cum à judice medio altera pars ad superiorem appellavit, sed appellationem non prosequitur, alterius omisso medio ad illum appellatio non est recipienda.

CUm ex provocatione unius partis à judice immediato causa ad superius judicium devolvitur, dubio quidem caret ab eo, quod judex inferior intera decrevisset aut pronunciasset super his quæ ad illam spectarent, omisso judice immediato posse provocari ad idem superius judicium, tum ob connexitatem, ne continentia causæ dividatur, (1) tùm quod immediatus, postquam ab illo jam provocatum, judicare amplius non posset. (2) At ita demum id procedet si causa devoluta sit & lis adhuc pendet. Secus se res habet, quando aut denegati sint processus, (3) aut deserta appellatio, (4) aut rei renunciatum. (5) Per talia revivisci jurisdictio judicis inferioris & quæ causa est, ut priori casu prætereatur, quia ad ipsum appellari non possit, cessat in hoc posteriori. In quo integra seu redintegrata ejus jurisdictio præteriri non debet. Quando itaque Senatus provocaverat, à Decreto Dicasterii, sed appellatio derelicta ab eo, quo cum ipsi res est, non ad superius Tribunal, sed ad Dicasterium provocare, ideo cum secus appellasset, illuc remitti debuit. *Ita visum in eadem causa.*

1. *l. nulli 10. C. de Indic. l. omnes C. Arbitr. tut.* quæ ratio etiam circa appellationes obtinet. *Vid. Gail. 1. Observ. 32. per tot.*

2. Ligatæ enim sunt judici à quo manus & suspensa jurisdictio. *l. 1. §. fin. ad SC. Turpil.*

3. Ex hac denegatione rejecta appellatio rem in eum statum deducit, atque si non sit interposita. Paria sunt non appellare & appellationem à judice superiori non admitti.

4. Non appellare & appellationem deserere perinde est. *l. fin. C. Temp. appell.*

5. Ad renunciata non datur regressus. *l. quæritur 14. §. si venditor. 19. ff. de Ædilit. Edict.*

DE-

Digitized by Google

DECISIO LXIV.

Appellationis ad superiorem judicem fieri potest apud inferiorem prosecutio.

CUm ad superius Tribunal provocatum esset, apparebat non rectè id factum, quod medium judicium erat præteritum. (1) Existimabatur tamen non simpliciter rejiciendam esse appellationem, (2) sed appellantem esse ad judicium medium decreto remittendum, utut ad hoc nulla facta esset provocatio, quandoquidem ad superius si appellatur non eo minus valet & in inferiori prosequi licet, nec error ea in re nocet. *Sic factum in eadem causa.*

1. Appellatio gradatim non per saltum facienda est. *l. 1. ff. quis & aquo appell.*

2. Ita fieri solet, ubi planè inutiliter appellatur vel incepta omnino est appellatio.

3. *De quo sic statuit ICtus in l. 1. §. si quis in appellatione 3. ff. de Appellat.*

DECISIO LXV.

Conductor ex pacto retrahens, quas interim lite pendente debuit mercedes, imputat in pretium ejusque usuras.

PEndente quidem lite super retractu conventionali, quem instituit conductor, medium mercedem solvere tenetur, (1) at si postea in lite superior est & rem sibi locatam alteri venditam retrahit, solutam mercedem locator non habet ut præcipuam, seo imputat in pretium ejusque usuras. (2) Siquidem retractus per sententiam obtentus retrotrahitur ad tempus litis cœptæ & tunc retraxisse intelligitur, quando cœpit ex retractu agere, (3) inde succedit in locum emptoris, à quo retrahit & ejus jure potitur, nec ultrà nec ad aliud tenetur atque ad quod ille obligatus fuit. (4) Non est ut conqueratur locator, qui eo tempore quo alteri vendidit discessit à contractu locationis. (5) idque accipit quod vendendo desideravit. In quo cum lucrum quæsierit, præstare putans si venderet, quam si locationi insisteret, aliud præterea lucrum desiderare nequit, & quidem cum duplici alterius incommodo, qui non potest teneri ut conductor & emptor, ideo nec obnoxius esse simul mercedi & pretio, ad quod tenetur ex eo tempore ubi venditio celebrata est. Quando itaque præstare debet omne quod pro eo debet emptor, à quo retrotrahitur, utique etiam eo frui quod idem habiturus. (6) Nihil facit quod pretium pendente lite in certis terminis solutum fuit sine usuris, id verò venditor emptori restituere debet cum usuris, indeque in damno futurus, si non illarum vice recepturus mercedem. Præterquam quod venditori conscio illius pacti tamen vendenti non debebantur usuræ, etsi deberentur, fieret id ex culpa contra pactum vendentis; quod damnum unus quisque sibi non alteri imputare debet. *Sic judicatum in causa Viduæ Daniel Süssen, contra Fratres Bartholomæos. Die 24. Aprilis Anno 1657.*

1. Pendente enim lite nihil innovandum *l. 1 & tot. tit. C. ut lit. pendent.* nec quisquam sibi causam possessionis mutare potest antequam in lite superior sit. *l. 3. §. 13. ff. de acquir. possess.*

2. *Tiraquell. de retract. lignag. §. 12. gloss. 1. n. 1.*

3. *Wesenbec. consil. 73. num. 76. vol. 2. Reinking. de Iur. retract. quæst. 6. num. 29.*

4. Discedens à contractu nihil ex illo petere potest. *l. si quis major 41. C. de Transact.*

5. Succedit retrahens in locum emptoris, inde ex ejus conditione censetur, & tam præstare quam percipere debet quod ejus fuit. *Matth. de Afflict. in tit. de Iur. Protimis. §. Accedamus num. 17.*

6. *l. damnum. l. culpæ ff. de Reg. jur.*

DECISIO LXVI.

Appellatione unius licet rejecta tamen deinde alterius adhæsio admittitur.

APpellatio unius litigantium cum rejecta jam esset, ob gravamina non reperta justa, altera pars eadem appellatione uti cupiens, gravamina quoque sua proferebat, etsi opinata ista admissum iri non appellaverat. Dubitatum inde fuit, an si ejus allegationes admitti mererentur, non attentâ appellationis quà adversam partem rejectione audienda esset, & quomodo? Existimatum est utut ab hac separatim appellatum non esset, tamen ob alterius appellationem eo loco habendum juxtà regulam, quod appellatio commune utrique parti beneficium est, (1) unde sicut unam partiũ appellare sufficit, ita etiam alteri velut adhærendo sua gravamina proferre & prosequi, non deducta deducere, non probata probare integrum est, (2) etiam invitâ parte appellante. (3) Nihil ultrà requiritur quàm ut ab appellante introducta sit appellatio. (4) Non refert autem si post introductionem rejicitur. Injustitia enim appellationis ab una parte non debet nocere ei qui justius appellatione usurus sit. Nam quem admodùm si appellans renunciet deinde appellationi, hoc non obest alteri parti in jure per istam sibi quæsito (5) quod ex ipsamet oritur, sed ei nihilominus prosecutio licet, (6) ita nec ubi judex rejecit, ab ipso beneficium semel quæsitum admittendum erit. (7) Ità verò tunc progrediendum, ut velut si & ipsa pars adversa appellasset, pro-

Digitized by Google

cessus decernantur. *Vti decreti sunt in causa Martin Tancken, contra Gôdert Roterdam. Die 8. Maii Anno 1657.*

1. *l. ampliorem C. de Appellat. 14. num. 47. verb. Extende.* Appellans non sibi tantùm, sed & alteri simul appellat. *Mindan. de Continent. caus. cap. 16. num. 8. in fin.*

2. *l. per hanc C. de Temp. appellat. Mynsing. Observ. 21. num. 2.*

3. *Scaccia dict. quæst. 14. num. 47.*

4. Cum ea limitatione intelligitur illa sententia ut interductio facta fuerit. *vid. Gail. 1. Observ. 122. num. 4.*

5. *Bartol. in l. si quis libellos nu. 1. C. de Appellat. Scaccia dict. tract. quæst. 17. limit. 2. n. 75.*

6. Quisque appellans non sibi tantùm sed & alteri appellat, tantùm beneficii apprehensione opus est, *juxta scriptà Mindano dict. loc.*

7. Ex eadem ratione idem jus oritur

DECISIO LXVII.

Omissa appellationis prioris rejectione appellatio non obstat illius prosecutioni.

QUando appellatione interpositâ non attentâ judex iterato mandaverat, appellatum verò ab ista rejectione non erat, incidebat quæstio, utrum inde impedita sit appellationis prioris devolutio an verò nihilominus recipienda? Dubitationem movit quod plurimi necessarium credunt, ut à rejectione appelletur. (1) At nos existimavimus, consultius quidem id esse, ne judex à quo ad ulteriora procedat, at verò non adeò de necessitate ut omissum privet appellationis beneficio. (2) Quæ semel interposita suspendit jurisdictionem judicis & omnia in pristino statu conservat. (3) Ità verò suspensa nulla amplius potestas est ultra procedendi, nedum super appellationis devolutione judicandi, quod judicium est superioris judicii. (4) Quocirca etsi vel apostolos refutatorios appellanti det, tamen iis non attentis judex ad quem appellationem recipere potest & debet, si ex probabilibus rationibus appellantem gravatum reperit. (5) Quocirca supervacua planè erit secunda appellatio ei, cui ex prima consultum erit. Et quando sic in Camera etiam servatur, (6) utique & eò minus dubitationis superfuit idem sequi. *In causa Georgii Barsenii, contra Decanum Capituli Hamburgensis D. Laurent. Langerman. Die 11. Maii Anno 1657.*

1. *Pro communi opinione id venditat Fr. Vivius comm. opin. 400. quam sequitur Mynsing. cent. 3. Observ. 49.*

2. *De quo vid disputat. Cujac. decis. 34. num. 6. &c.*

3. *l. appellatione C. de Appellat. l. ff. nihil minor. appell.*

4. *Vti sæpius inter decisiones nostras admonitum reperies.*

5. Etiam hoc inter decisa nostra plus quàm semel monitum & sic observatum reperies.

6. *Tum in genere ità de quæstione nostra qua appellationem à definitiva sententia ita censet Klock. d. consil. 18. num. 28. seq. vol. 2. tum postea sub num. 32. de Praxi Camerali. testatur.*

DECISIO LXVIII.

Appellatione à collectis interposita ab his quibus jure communi immunitas generalis competit, inhibitio etiam decernitur.

COntra fiscum in causis tributorum appellatio non facilè nec sine gravi causa recipitur, (1) nedum inhibitio decernitur, ne reipubl. necessitates impediantur aut differantur. (2) Et licet ex privilegio obtendatur immunitas, nisi per illius exhibitionem statim docetur eam justam & bene fundatam ad personam, collectæ genus & causam, de qua controversia nascitur, pertinere, non tolet per illam sisti aut prohiberi executio. (3) Ita appellatio tantum devolutivum non autem suspensivum effectum meretur. Secus verò est, cum immunitas generalis ex communi jure competit, (4) qualis est Ecclesiarum & Clericorum. In illa sic immunes pendente lite defendendi sunt, qui in ejus possessione hactenus fuerunt, quod illorum exemptio fundata est qua omnes onerum species. (5) Ita conclusum *in causa Capitularium Ecclesiæ Collegiatæ Veteris Stetini, contra Senatum ibidem. Die 27. Maii Anno 1657.*

1. *l. abstinendum. 4. l. fin. Cod. quor. appellat. non recip.*

2. *Gylman. in Symphorem. tom. 4. part. 1. vol. 30. num. 267.* in delite pendente super collectis & ab ea immunitate nihilominus fit executio. *Klock. in tr. de Contribut. cap. 8. num. 9.*

3. *Diaz. Florenz. de Mena quæst. forens. 21. n. 248.*

4. Eatenus saltem locum non habet appellatio in causis munerum publicorum, quatenus à quibus exiguntur publicè debitores esse constat, *uti declarat d. l. fin. C. quor. appell. non recip.* Ubi debitorem aliquem non esse manifestum est, imo ubi tantum non constat debitorem, appellatione defenditur gravatus. *l. pen. C. dict. tit.* sicut alias ordinaria via tunc agendum non executivè, *uti latius exponit Klock. dict. cap. 18. num. 27. in fin.*

5. Sicut non facilè concedenda immunitas, ita ubi semel legitimè impetrata tanquam aliud quoddam jus comune tutela superiorum sustinenda, ut ne quisquam contra eam gravetur, *uti scribit Maccabrun. consil. 16. n. 3. seq. part. 1.*

DE-

Digitized by Google

DECISIO LXIX.

A sententia quæ conditionem prioris sententiæ purificat appellatio non recipitur si ob illa non est appellatum.

CUm sententia eo tenore erat prolata, ut nisi intra duos menses ratione de fructibus redditâ residuum debiti constaret, fundus ex tunc prout ex nunc & ex nunc prout ex tunc restitui deberet, nec appellatum erat, post lapsum termini per sententiam injuncta restitutione appellabatur. Existimatum verò est posteriorem sententiam non esse appellabilem, illamque appellationem minime recipiendam esse, quia ista tantum erat prioris confirmatoria, (1) nec ex ista restitutionis necessitas facta, sed tantum, cum ex hac illata, declarata fuerat; (2) tum quia posterior continet executionem tantum prioris; (3) tum quia posterior jam dicta est ubi publicata fuit prior; (4) Tum quia licet hæc conditionalis erat, tamen ex die publicationis est censenda, & postquam conditio existit pro pura habetur & perinde est atque si illo tempore purè prolata esset; (5) præsertim etiam virtute istius clausulæ. Ex nunc prout ex tunc. (6) Unde perinde est atq; si tempore publicationis pura fuit. Cui consequens ut tunc appellare necesse sit, postea verò, cum in rem judicatam, transit tempore existentis conditionis, appellare nimis serum nec admittendum sit. (7) Prior gravamen intulit, non posterior. In illud ex non interposita appellatione consensus posteriori obsistit. Eoque magis ita statuendum est, quod non obtemperando priori ob contumaciam posterior accessit. (8) Die 27. Maii Anno 1657.

1. A sententia confirmatoria, quia non est alia sed tantum prioris reiteratio, non appelletur.

2. Si quod gravamen subest hoc non est posterioris sententiæ, sed prioris. Tunc quisque læditur cum sententia dicitur. *Gail. 2. de Pac. Publ. Observ. 4. num. 15.*

3. Sicut ab executione non appellatur *l. ab executione 5. C. Quor. appell. non recip.* ita nec à sententia quæ executionem prioris habet. *Corn. consil. 71. n. 5. vol. 1.*

4 Quando judex sententiam sub conditione profert statim incipit currere tempus appellationis, ideo observandum *per text. in l. 1. §. viduum. ff. quand. appell. sit ubi Bartol. rationem istam explicat scribens*; quod sententia quamvis sub temporis vel conditionis adjectione prolata fuit, tamen partem statim gravat, ideo & statim intra decendium per appellationem suspendenda sit, nisi id fiat, illa in rem judicatam transeat.

5. Conditio ad tempus publicatæ sententiæ retrotrahitur. *Hippol. Riminald. consil. 23 num. 38. seq. & consil. 99. num. 11. vol. 1.* & perinde habetur atque si tempore publicationis purè lata fuerit. *Marian. Socin. consil 106. num. 28. part. 1.* atque ex hoc tempore effectum sortitur. *Socin Iun. consil. 41. num. 6. vol. 3.*

6. Hujus clausulæ is effectus est, ut actum ex tempore quo sit purum efficiat, etsi conditio adjecta sit. *Bald. in c. un. n. 16. seq. de Milit. Vasall. Specul. in tit. de Dilat. §. 1. versic. sed quid.*

7. *Observantiam talem testatur Gail. dict. Observ. 4. num. 45. seq.*

8) Contumax appellationis beneficio non gaudet. *l. ex consensu 3. fin. ff. de Appell. l. fin. C. quor. appell. non recip.*

DECISIO LXX.

A decreto judicis causam immaturè pro concluſa acceptantis appellatione locus est.

LIcet quidem judici, cum partes liten diu protrahunt, nec concludere volunt, ex officio acta pro concluſis acceptare & declarare. (1) At non promiſcuè nec ex mero arbitrio, ſed tantum ſi vel manifeſta ſit contumacia concludere debentis, ſed ſine ratione non volentis; (2) vel ſi omnis ad probandum deducendumque ex ordinatione judiciaria conceſſus terminus elapſus ſit; (3) vel nihil probandum reſtet; (4) vel probationibus renunciatum ſit. (5) Ubi nihil tale adeſt, judex minimè ad excludendam partem properare debet. Multo minus ubi cauſam allegat, cur ultrà auditi debeat, ſi ante concluſionem acta & inſtrumenta ab adverſariis prius edi deſiderat. (6) Juſta illà petitione rejecta & concluſione acceptata, non tantum reſtitutio in integrum peti poteſt, (7) ſed etiam velut ob inſigne gravamen, quo cauſa tota proditur & perditur, appellari. (8) Sicut ex ea cauſa recepta fuit appellatio *in cauſa des Königl. Regierungs-Raths Niclaus von Hopken vvider Obriſt. Lieutenant Lipfelden, Die 12. Junii Anno 1657.*

1. *Jaſon. in l. admonendi in 1. lect. num. 25. ff. de Iurejurand. Mynſing. 3. Obſerv. 17. Guid. Papa quæſt. 87.*

2. *Gail. 1. Obſerv. 107. num. 2. per Auth. jubemus C. de Iudic. Obſervato tamen præſcripto Novell. 115. c. 2. vid. Ummium de Proceſſ. Iudic. diſp. 19. theſ. 3.*

3. *Graven. Obſerv. 107. num. 17. lib. 1. Aſin. in Praxi §. 23. cap. 4.* quod tamen ita intelligendum ſi nec ratio ſit cur vel prorogatio vel reſtitutio indulgeri debeat.

4. *Aſin. dict. §. 23. cap. 2. inpr. Bald. conſil. 358. vol. 4.*

5. *Muſcatell. in Prax. Civil. part. 7. gloſſ. de jure num. 5.*

6. Quando ob probationes vel inſtrumenta poſtea reperta vel adhuc edenda concluſionem reſcindere & talia admittere debet. *Gail. d. Obſerv. 107. n. 10.* quanto magis rem integram donec fiat ſervare. *arg. l. fin. C. in quib. caus. reſtit. in integr.*

7. Quo remedio in tali præjudicio partes ad tollendam concluſionem uti ſolent & poſſent. *Sfort. Odd. in tr. de Reſtitut. in integr. part. 2. quæſt. 65. art. 12. num. 81.*

Digitized by Google

8. Ubi infertur gravamen ibi locus est appellationi *l. 1. pr. ff. de Appellat.*

DECISIO LXXI.

Sententia quæ ulteriorem deductionem reservat, sed ita ut interea possessionem neget, non merè interlocutoria sed definitiva & appellabilis.

PRo exceptione appellationis non devolutæ opponebatur tenor sententiæ, quæ jus appellantis ad ulteriorem deductionem sepositit; daß ihm besser sein Recht auszuführen fürbehalten à qua tanquam nuda interlocutoria appellationi locum esse non putabatur. (1) Et si in eo constituisset sententia consensissemus. At quando ita id factum ut interea pignorandi possessio negaretur, haud ita censeri potuit, sed visa potius est definitiva quæ possessionem interea tollebat, (2) & si vel aliter se habuisset, ex eo tamen appellabilis reddita quod multum attingebat ex causa principali eique non leve præjudicium inferebat. (3) Sicut judicatum *in causa der Kramer zu Stade, contra Hinrich Vicken. Did 20. Iunii Anno 1657.*

1. Ab hac regulariter non appellatur, *at prolixè explicat Scaccia in tr. de Appellat. quæst. 17. limit 47. memb. 1. per tot.*

2. Sententia super possessorio ita lata, ut non nisi petitorium reservet, de jure Canonico, quod hac in re sequimur, appellabilis est. *Contard. in l. un. lim. 3. num. 1. seq. C de moment poss. Lancellot in tr. de Attentat. part. 2. cap. 12. lim. 25. n. 18.*

3. Interlocutoria aliquid ex causa principali definiens appellabilis est. *Rebuff. de Sentent & execut. artic. 10. gloss. 1. num. 4. tom. 1. Contard. in l. un. limit. 3. num. 7.* Ratio est quod definitivæ vim habet à cujusmodi interlocutoria semper admittitur appellatio. *Asin. in Prax. Iudic. §. 31. cap. 18. limit. 2.*

DECISIO LXXII.

Non mulctæ quantitas sed causæ ob quam irrogatur præjudicium circa censuram summæ appellabilis attenditur.

REjecta est pro non devolutæ appellationis exceptione allegatio, suminam non esse appellabilem, ubi excipiens id tantum obtendebat ex quantitate mulctæ. Etsi enim tunc huic locus esse poterit, ubi ideo appellatur. (1) Secus tamen est, ubi non ipsa mulcta sed res ob quam illa irrogatur in controversia est, eaque seu quod circa illam infertur præjudicium sub quæstione versatur. (2) Uti fiebat cum appellatio interposita fuerat, quia ob pignorationem mulcta infligebatur. Gravamen quippe in eo erat quod hæc collegio interdicta, ideo an leviter graviterque pars mulctata fuerit, non respicitur, sed quod ab iis qui contra leges collegii egerant, mulctam & pignora capiendi facultas negatur. (3) Quod consideratum *in eadem causa.*

1. A mulctæ irrogatione aliàs etiam appellari potest, ubi illa non à lege sed arbitrio judicis dicitur, *l. aliud. 131. ff. de V.S.*

2. Circa quantitatis appellabilis definitionem inspiciendum est non saltem quod est in voce sententiæ, sed præprimis quanti interest appellantis, non fuisse sic pronunciatum, seu in quantum iste gravatus fuerit, *uti hac norma præscribitur in Ordinat. Summ. Tribun. part. 2. cap. 1. §. 9.*

3. Pro ea jurisdictione quæ collegiis concessa est *l. fin. C. de Iurisdict.* etiam mulctæ & pignorationis jus iis quoddam circa ea quæ jurisdictionis suæ sunt competit *Vulte. & alii in d. l. fin. Sichard. ib. n. 1. Matth. Stephan. de Iurisdict. lib. 2. part. 2. cap. 8. n. 12. seq.* Et consuetudo antiqua in civitatibus illam facultatem dudum confirmavit; cum ea distinctione tamen, ut mulctam indicere non autem nisi apparitoribus publicis venia magistratus adhibitis exequi liceat.

DECISIO LXXIII.

A denegatione citationis ex L. Diffamari quando appellationi locus est.

EXtra dubium est appellari posse à denegatione citationis ex L. Diffamari seu rejectione petiti pro eadem, cum non leve gravamen sit, ad legitima remedia præsertim pro defensione honoris, ex quibus est ex ista lege condictio, non admitti. At non ad nudam allegationem rejectionis illa est recipienda, (1) quia judici à quo ejus justa ratio esse potest; dum requisita juris ad illam obtinendam deficiunt. Quocirca pro obtinendis processibus necessarium est verisimiliter allegare, primo diffamationem esse ejus qualitatis, ut istud remedium comperat. (3) Deinde quod summaria ejus probatio facta fuerit, (4) quia sine ad illam non descendendum. Quando talis in narratis nihil habebatur sed simpliciter denegatio citationis arguebatur, *negati sunt processus ad supplicationem Iohan & Iochim Ratken, contra Marcus Burmeistern Rathsverwandten. Die 19. Iunii Anno 1657.*

1. Ut appellatio recipiatur oportet allegari gravamen, quod audiri mereatur *l. 1. ff. de Appellat.*

2. Judex non aliter recipit ex L. Diffamari implorationem, quam cum adsunt quæ prærequirit Sine quibus ista est inepta, ideo non admittenda.

3. Est quidem ex d l. Diffamari generale remedium, seu diffamatio civilem seu criminalem causam concernat *Gail. 1. Observ. 9 num. 2.* hoc tamen circa id considerandum, ut talis existat, ut implorare judicis officium diffamati interest. Aliàs nec isti locus est. *Bertazol. respons. 34. num. 17. vol. 7.*

4. De diffamatione constare debet, antequam ob illam citatio decernitur, *Gail. 1. Observ. 10. n. 7.*

Digitized by Google DE-

DECISIO LXXIV.

Honoris titulus non denegandus litiganti ab adversario.

INter gravamina appellationis arguebatur judex velut suspectus & in alteram partem nimis proclivis, quod decreto addidisset ab appellantibus honoris titulum, qui Senatori debebatur adversario tribuendum esse. Verum nihil in hoc injungebatur quod non justum atque decorum. Debitus est honor iste à cive Senatori, cujus velut in magistratu constituti persona venerabilis ipsi esse debet. (1) Non tollit exorta lis officium, nec dat probri licentiam, (2) nec apud Christianum hominem eum rancorem excitare debet ut alteri injuriam inferat, (3) qualis est negare debitum honorem aut non tribuere honoris titulum. (4) *Inter eosdem.*

1. Qui parentis loco venerandus est. *l. 2. C. ub. Senat. vel Clariss.* Ideo ejus persona sancta & honesta civi esse debet. *l. 7. ff. de Obseq. parent. & patron. præst.*

2. In lite abstinendum à probris, injuria & maledicendi temeritate. *l. quisquis 6. §. 1. Cod. de postuland.*

3. Litigia Christianis non aliter congrua ad jus quæritur sine injuriâ & contumelia, quæ istis non conveniunt.

4. Inter injurias has non immerito numeratur, tum quia non jure fit. *l. 1. pr. ff. de Injur.* tum quia est honoris detractio, ideò contumelia *Bartol. in l. non solum 11. ff. eod.* Quod tamen cum ea distinctione accipiendum quæ habetur *in l. injuriarum 13. §. si quis de honoribus 4. ff. eod.*

DECISIO LXXV.

Quando attentata ab appellatione excludunt vel pro renunciatione ejus habentur.

PEr attentata appellantem à prosecutione appellationis excludi, vetus dictum est, cujus duplex ratio, altera quod pœnam illa mereantur; (1) altera quod pro renunciatione appellationis sunt. (2) Ast non aliter procedit quam si de attentatis in continenti apparet, (3) Uti seu quâ factum seu quâ jus de iis existit dubitatio, non eò minus appellans ad prosecutionem admittitur, super attentatis autem pro eorum qualitate juris ordine proceditur. (4) Id quod etiam non attenta admissi appellandi juris exceptione ità secuti sumus *in causa Bürgermeister und Rath der Stadt Verden, contra Franz Panningen. Die 26. Iunii Anno 1657.*

1. Refertur inter attentatorum pœnas exclusio ab appellandi beneficio. *Rispa in l. naturaliter §. nihil commune num. 159. ibid. Coras. num. 102. ff. de Acquir. poss.*

2. *Mynsing. 2. Observ. 50. Menoch. Recup. possess. remed. 17. num. 39.*

3. Ità restringit eam sententiam textus *in c. an sit X. de Appellat. & exponit ibidem Franch. & Lancellot. in tr. de Attentat. part. 3. cap. 31. num. 249. & num. 259.*

4. Sic habet processus, ut causa attentatorum altioris indaginis, ad separatam discussionem remittatur.

Sententiæ super his tenor ità se habet.

In Sachen Bürgermeister und Raths der alten Stadt Verden Appellanten wider Franz Panningen Appellaten in puncto der freyen Kühe-Weyde / wird die Appellation der Formalien halber beständig und anhero erwachsen zu seyn befunden / demnach Appellat deßwegen beschehenen Einwendens ungehindert sich einzulassen schuldig / wie dan auch Litis contestatio und Responliones jedoch mit Abthuung der Anhänge angenommen / und Appellaten was vom Gegentheil geläugnet proxima rechtlich beyzubringen und außzuführen gebühret / von Rechts wegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar / den 6. Julii Anno 1657.

(Hoc est.)

In causa Consulum & Senatus Veteris civitatis Verden appellantium contra Franciscum Panningen appellatum in puncto liberi pascui, appellationem ratione formalium justificatam & huc devolutam recipimus, inde appellato non attentis exceptionibus incumbit se ingerere, prout etiam litis contestationem & responsiones attamen resectis appendicibus acceptamus & appellato quod à parte adversa negatur ut in proximâ debitè doceat & deducat injungimus idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 6. Jullii Anno 1657.

DECISIO LXXVI.

Non devolvit causam appellatio à sententia, quæ possessorem donec de jure possessionis cognoscitur, defendit.

CUm creditor, cui prædium debitor cum constituto possessorio pignori dederat, possessionem occupasset; at vidua hujus sibi in eodem ob dotem aliaque illata jus retentionis assereret, aliaque obtenderet, ideo retinens de turbatione quereretur, & judex inferior huic retentionis jus per sententiam tribueret, addita contra adversarium omnis turbationis prohibitione, appellationem à creditore interpositam causam non devolvisse pronunciabatur, attento quod de momentanea tantum possessione res erat, ideo appellationi non locus. (1) Nihil illa sententia habet, nisi ut quæ in retentione rei erat mulier, in eadem imperturbata maneret, donec inter utramque partem causa plenius discuteretur. (2) Cujus rei nul-

Digitized by Google

lum

lum præjudicium est, dum appellanti integrum manet, tam possessionis remediis quam petitoriis de jure non tantum crediti, sed etiam possessionis imposterum experiri, (3) eoque jure frui quod obtendit, tum ex remissione pignoris quam mulier fecit; (4) tum ex constituto possessorio; (5) quod licet possessionem tam naturalem quam civilem transfert, (6) tamen non tribuit tale jus, ut qui possidet & constituit se alterius nomine possidere nõ audiendus nec interea in possessione relinquendus sit, (7) *in causa Dieterich Garlip contra Daniel Horns Wittwe und ihre Cessionarien die Neuwenkirchische Erben die 1. Octobris Anno 1657.*

1. *l. un. C. si de moment. poss. fuer. appell.*

2. In hoc momentaneum illud possessionis consistit, quod efficit, ut appellationi locus non relinquatur, quia sic pro ea lata sententia non definit quidquam litis, sed ordinat processum & servat quæstionem principalem integram *Contard. in d. l un. in rat. decid. 5.*

3 Spectat tale decretem judicis sicut etiam ipsum remedium ad possessionem non perpetuam sed temporariam *l. 1. §. fin. ff. de aq. quotid. & æstiv.* eoque respectu momentanea dicitur. *gloss. in l fin. C. qui legit. person. stand. in jud.* & quod pro eo est remedium summarissimum aliis *interim Covarruv. in pr. quæst. c. 17. numer 1.*

4. Exisso locus est interdicto Salviano *l. 1. tot. ff. de Salv. interdict.*

5. *Iuxt. l. ult. C. de acquir. vel amitt. possess.* ex qua condictio constitutario competit.

6. *Quod latius exponit Tiraquell. in tr. de Constit. possessor. part. 1.*

7. Potest enim & ille qui alieno nomine tenet, tamen justam retinendi causam habere, ut statim restituere opus non habeat.

DECISIO LXXVII.

Ab immissione à primo decreto appellatio non admittitur.

A Decreto immissionis appellatione interposita ex actis apparuit saltem ex primo decreto illam processisse & quidem pro securitate crediti impetrantis, à quo genere immissionis non appellatur. (1) quia nudæ interlocutoriæ instar habet. (2) Si quid gravaminis infert hoc facile per demonstrationem melioris juris reparatur, jus partis non absorbet. (3) Quod contra illam objiciebatur & pro appellationis jure fundando proferebatur, consistebat tum in allegato potiore jure crediti; tum in anteriori possessione. Præterquam autem quod possessio non apparebat aut nulla aut vitiosa foret, (4) nihil demptum immissione cum crediti prærogativam si quæ competit, non eo minus prosequi licet. (5) Id vero non appellando sed interveniendo fieri debuit & adhuc fieri potest, ut appellatione minime opus sit, (6) quocirca pro devoluta habere non oporteat. *In eadem causa.*

1. *Scaccia de appellat. quæst. 17. memb. 4. n. 124.*

2. *Ripa in l. 1. num. 5 ff. de damn. infect.*

3. *Ita ait Bartol. in l. si finita §. sed si forte num. 7. ff. de damn. infect. & in l. 2. numer 18. ff. de appell recip.*

4. *Scacc. de num. 124.* unde longe minoris præjudicii censetur quam momentanea possessio *Ripa in d. l. 1. numer 5. ff. de damn. infect.*

5. Ex crediti prærogativa est contra alium creditorem actio & condictio *de qua ead. plenius apud Rauchbar. part. 2. quæst. 9. per tot.*

6. Quoties id quod in causa appellationis deducitur vel intenditur apud judicem à quo, decreto non obstante, reparari & obtineri potest, non est recipienda appellatio sed appellans ad judicem à quo remittendus.

DECISIO LXXVIII.

Ob non reservatam in condemnatione actionis injuriarum existimationem appellatio justa & necessaria est.

QUisquis existimaverit actioni injuriarum & ex ista condemnationi ita infamiam adhærere, ut ab ista sit inseparabilis, ille quoque putabit reservationem existimationis in ea factam nihil operari, tanquã protestationi contrarium, (1) ideo etiam ob omissam reservationem appellationẽ frustraneam & ineptam fore. At postquam non ex actione sola, sed ex condemnatione saltem injuria infamat, (2) id quoque extra controversiam positum fuit, judici facultatem superesse, in sententia integritatem famæ etiam condemnato reservare. (3) Accessit porro & alia JCtorum eaque rationabilis sententia, non tantum posse id judicem facere, sed etiam ubi justa remittendæ infamiæ causa adest, debere. (4) Huic consequens si cum ex ratione id judex facere deberet, at omisit, inde justa appellandi causa sit. (5) Eo magis quod etiam necessaria. Nam nisi hoc remedio condemnatus pudorem honorem que suum conservare nequit, futurus sine adjecta ea clausula infamis. (6) Ut vero grave existimationis damnum est, atque adversus illud auxilium laboranti negari non debet, nisi infamiam manifeste meretur; ita ejus appellatio, si ratio conservandi famã probabilis adducitur, etsi ob injurias cõdemnatio alias justa sit, recipienda erit. *Uti hoc consideratum & observatum in causa Thomas à Gerstenberg contra Henricum Solterum die 6. Oct. An. 1657.*

1. *Hæc reperitur sententia Zasii in l. acta §. de amplianda ff. de rejudic.*

2. *l. 1. pr. ff. de his qui not. infam.*

3. *Blare. in l. Diffamari in princ. numer 3.* Quod consuetudine sic invaluit, & quotidiana observantia

Digitized by Google

vantia in forō obtinet, dum quotidie reſervationes illæ bonorum per judices in ſententiis fiunt. *vid. Gail. 1. Obſerv. 65. num. 5.* Nec intereſt amplius ſuperior an inferior judex ſit, *ſicuti aliqui diſtinguunt. Blarer. in dict. princ. num. 3.*

4. *Blarer. d. num. 4. in fin. Weſenbec. in Paratitl. ff. his qui not. infam.*

5. Eſt iniqua pœna ubi meritum ſuperat, ideo appellationi locum facit.

6. Condemnationi in cauſa injuriarum conſectaria eſt infamia. *de l. 1. ff. de his qui not. infam.*

DECISIO LXXIX.

A Sententia ſuper juramento neceſſario lata appellatio recipitur.

CUm reorum hæredes de communi, quod petebatur, inſtrumento nihil ſibi conſtare, nec inter literaria, quæ tenebant, documenta eſſe, aut ſe conſcios fuiſſe juraſſent, ideo ab actione abſoluti fuiſſent, appellatum eſt ab actoribus. Controverſiâ non caret, an cum non ab impoſitione juramenti (1) ſed à ſententia ſuper iſto prolata appellaſſent, appellatio admitti deberet? Vulgo diſtinguitur inter juramentum Voluntarium, Judiciale ac Neceſſarium. In prioribus duabus ſpeciebus neque poſt præſtationem, neque poſt ſententiam locum eſſe appellationi certo jure deciſum (2) ratioque ejus manifeſta eſt, tum ex voluntate deferentium, (3) tum ex præcluſione ejus (4) quod in ſecunda inſtantiâ faciendum; tum quia illa vim rei judicatæ obtinent, (5) à quibus non eſt ultra provocatio. Juramenti autem neceſſarii diverſa eſt ratio. Poſt illud ut locus eſt ulteriori probationi, (6) ita etiam appellationi. (7) Nec enim ſententia ſuper juramento ſuppletorio aliter in rem judicatam tranſit, quam quousque non poteſt per alias probationes ſupervenientes contrarium oſtendi. (8) Quibus emergentibus retractatur ſententia nulla. (9) Nec eget reſtitutione in integrum, (10) aut appellatione, cum ſine iis remediis cauſa ex integro juxta probationes ſupervenientes tractetur. (11) Ideo & appellatio ut ſupervacua non admittenda, ſed appellans ad judicem priorem remittendus erit, niſi allegetur cauſa cur prior judex adiri non debeat, aut ſententia ſimul contineat, in quo ulterius appellans ſit gravatus, (12) quod in eo conſiſtit, ſi abſolutio jurantis ſic facta erit, ut excluſa videatur probandi facultas, aut metuitur à judice præjudicium, ſicut inerat ſententiæ, in qua jurantes non tantum ab exhibitione inſtrumenti, ſed etiam ab actione abſoluti erant. (13) Id quod iſto multo latius patet, ideoque amplius judicatum erat quam juratum. Ex quâ unione etiam in aliis juramenti ſpeciebus aliàs appellationem excludentibus iſti locus fit, (17) *In cauſa hæredum Everdi von Ahnen contra hæredes Steffen von Ahnen die 14. Septembr. An. 1653.*

1. Licet appellare ab impoſitione juramenti etiam voluntarii & judicialis. *vid. Scacc. de Appellat. quæſt. 17. limit. 34. num. 5.* Imò etiam à præſtatione, *vid. Fab. in Cod. lib. 7. tit. 29. defin. 9. Mynſing. 1. Obſerv. 39.* ubi de praxi & obſervantia Cameræ Imperialis teſtatur.

2. *Per text. expreſſ. in l. generaliter 12. ſed juramento 1. §. ſive autem 3. C. de reb. credit.*

3. Ea ratio redditur *in d. l. generaliter 12. §. 1. quis enim ferendus eſt ad appellationis veniens auxilium in his, quæ ipſe facienda procuravit.* Et porro in *d. §. 3. Nimis crudele eſt parti, quæ hoc detulit propter hoc ipſum, quod judex ejus petitionem ſecutus eſt, ſupereſſe provocationem*

4. Non enim admittitur probatio contra id, quod ita juratum. Quod partes in ejusmodi juramento transegiſſe videantur. *l. admonendi 31. ff. de jurejurand. l. 56.*

5. *l. 2. ff. de jurejurand. l. 1. ff. quar. rer. act. non det. l. poſt. rem 56. de re judic.*

6. *d. l. admonendi 31. ff. de jurejur. Weſenbec. in Paratit. ibid. num. 11.*

7. Sic ſenſit communis JCtorum ſententia, *vid. Petr. Greg. Tholoſ. in tract. de Appell. l. 2. c. 13. n. 3. Scacc. d. tract. quæſt. 17. limit. 34. num 7. Mynſing. 2. Obſerv. 14.* ubi de obſervantia Camerali teſtatur.

8. *Felin. in c. dilecti num. 4. X. de Appellat.*

9. *l. 2. C. ſi ex falſ. Inſtrum. l. 14. C. de tranſact.*

10. *Beuſt. ad d. l. admonendi in 110. Bald. in l. ſub ſpecie num. 2. C. de reb. jud.*

11. Ipſo jure enim retractatio fit. *Berlich. part. 1. practic. concluſ. 53. num. 82.*

12. *d. leg. admonendi 31.* ubi cauſam ex integro agere jubetur.

13. Non eſt appellationi locus, niſi ex eo gravamine, quod in prima inſtantia ipſo jure conſiſtit.

14. Sententia amplius continens quam juratum fuit, eſt ipſo jure nulla, *c. fin. ib. Panorm. X. de jurejurand.* & ob nullitatem locum habet appellatio.

DECISIO LXXX.

Impedimentum, facta licet de eo nulla proteſtatione, ſiſtit curſum fatalium, & non attentâ de deſertione pronunciatione recipienda eſt appellatio.

CUm per non factam introductionem ſummi Tribunalis Regii penes appellantem non ſtabat, cur appellationem non proſequeretur, fuit injuſta judicis velut illâ deſertaulterior pronūciatio. Notoriū quippe erat impedimentū, per quod ab introducenda appellatione detinebatur. Nec poteſt obeſſe omiſſa proteſtatio, quā ab appellantibus interponi moris eſt. [1] Quoties impedimentum non eſt notorium, aut de eo quædam poteſt eſſe dubitatio aut negligentiæ objectio metuitur, utile eſt proteſtatione diligentiam & ejus obicem declarari. (2) At adeo non neceſſarium ut omiſſa iſta fatalia impeditis labantur. Ex ſe quippe impedimentum ſiſtit curſum fataliū quæ agere aut

Digitized by Google

prosequi non valenti haud currunt. (3) Ideo ipso jure tutis nocere nequit omissa protestatio. (4) Discernunt quidem JCti quâ impedimentum, an ex facto judicis an aliunde proficiscatur, & in isto majorem necessitatem protestationis faciunt. (5) At sic demum hæc locum habent, ubi judicem negligentiæ appellans accusat, & ex ista prorogationem petit, quam arguere & probare difficulter alias poterit, nisi factâ interpellatione atque protestatione. (6) Secus seres habet, ubi notorium est etiam à parte judicis impedimentum, nec protestando quidquam proficitur. (7) Quando itaque notorius fuit judici is defectus, malè velut contra desertionem appellationis pronunciatum & ultra condemnatione processum est, & cum ejus injustitia esset notoria, non fuit opus remittere appellantem ad imploratione pro restitutione in integrum, sed velut illa nulla aut notoriè injusta admissa est appellatio, (8) *in causa Hæredum Ioach. Schvvartzkopff, contra Hæredes Francisci Krügers, die 15. Sept. Anno 1653.*

1. Creditur vulgo opus esse protestatione ei, qui impeditus appellationem prosequi non potest. *Scacc. de Appell. quæst. 12. num. 268.*

2. Protestatio declarat protestantis mentem & jus ejus conservat, *l. fin. C. de Usur. pupillar.*

3. Non valenti agere nulla currit præscriptio, *l. 1. §. ne autem C. de Annul. Præscript.*

4. Protestatio, nisi in lege pro solennitate requisita ad substantiam actus non facit, ideo omissa jus non tollit, sicut adhibita non tribuit.

5 *Vid. quæ prolixius de hoc disputat & tradit Scaccia in tract. de Appell. quæst. 15. art. 9. num. 181. seq.*

6. Haud tamen præcise in hoc casu necessaria est, si alia impedimenti adsit probatio. Abundantem cautelam vocat *Gailius 1. Observ. 141. num. 10.*

7. *Vid. Scacc. d. quæst. 15. art. 9. num 182. Ripa in tract. de Pest. tit. de Priv. jud. num. 26.* Generatim verum est quod in notorio impedimento supervacua est protestatio. *Sfort. Odd. in tr. de Rest. inintegr. quæst. 28. art. 4. num. 25.*

8. Hoc pro vitando circuitu suadet *Gail. 1. obs. 140. num. 6.*

DECISIO LXXXI.

Ab immissione sine prævia sententia aut instrumento paratam executionem habente decreta admittitur appellatio.

QUod dicitur ab executione appellationem non valere nec recipi, (1) obtinet, si executio est prævia alicujus aut rei judicatæ aut instrumenti paratam executionem habentis: (2) Secus se res habet, quando super debito actum & opposita exceptione non dicta fuit sententia, sed ea rejecta statim decreta immissio, (3) cum tamen ex tali instrumento non satis appareret appellantes esse debitores & justa causa allegaretur, cur ab appellante non deberetur nec per executionem adhuc dum extorqueri deberet. (4) In iis n. quorum non est parata executio, vel ubi exceptio etiam in executivis admittitur, gravamen ad appellationem sufficiens est, ab executione inchoari processum, (5) quod fieri intelligitur, ubi non auditis justis exceptionibus proceditur ad executionem, antequam sententia pronunciatur. (6) Quando itaque narrata indicabant ab appellante oppositam fuisse exceptionem tum novationis, tum faciendæ prius liquidationis, (7) & antequam juxta juris ordinem processus finiretur decretam immissionem, à sententiâ hoc inferente appellatio admissa est, *in eadem causa.*

1. *L. ab executione 5. C. quor. appell. non rec.*

2. Res liquida est unicum objectum executionis *Mindan. lib. 2. de Mandat. cap. 59. num. 1.* nec ea justa nisi ex aliquo eorum modorum, queis certa & liquida sunt debita, constet.

3. *Distinctionem hanc vide apud Scaccium de Appellat. quæst. 17. limit. 10. num. 6.*

4. Dubium Instrumenti facit suspendi ejus executionem & prius id discuti. Pervertitur ante hanc certitudinem ordo executionis, à cujus perversitate locus est appellationi, *l. à Divo. 15. §. in venditione ff. de re jud. Scacc. de limit. 10. num. 23.*

5 *Ex Rom. consil. 41. num. 1. Scacc. dict. limit. 10. num. 19. 6.* Plurimæ sunt exceptiones, quas in executivis processibus admittimus, *uti eas exponit Col. de Proc. Exec. p. 4. c. 1. per tot.* quæ inanes futuræ sunt, si in arbitrio judicis esset rejicere, nec licirum à rejectione provocare.

7. Utraq; hæc exceptio admittitur contra instrumentum executivum. *vid. Col. dict. c. 1. n. 78. & 112.*

DECISIO LXXXII.

Tertius ex instrumento paratam executionem habente condemnatus potest appellare.

SIcut ab executione sententiæ appellare non licet, (1) ita nec in processu executivo super instrumento paratam executionem habente appellationi locus est, (2) cum sententiæ hoc æquiparetur ejusque tenor loco rei judicatæ sit. At ita demum obtinet, si convenitur in illo instrumento nominatus. Vis enim instrumenti est ex confessione. (3) Quisque saltem ex suâ obstringitur, alium non obligat. (4) Sicut itaque executivè non potest agi contra tertium non nominatum in instrumento, (5) ita huic per talem processum gravato remanet beneficium appellationis. (6) Manifestus quippe excessus est executionis, ubi fit contra eum, qui ex instrumento non tenetur juxta ejus tenorem. (7) Intra limites quippe instrumenti consistere debet decretum & executio judicis. (8) Sic existimatum in eadem causa.

1. *l. 5. C. quor. appell. non recip.*

2. *Vid. Carpz. in jurispr. forens p. 1. const. 20. def. 13.*

3. *l. cum de indebito 25. §. ult. ff. de Probat. l. plures 19. C. de fid. instr.*

4. *l. si unus 27. §. 4. ib. Iason. ff. de Pact.*

5. Adversus

Digitized by Google

5. Adversus tertium in instrumento non nominatum seu successorem singularem executive non agitur, *Coler. de Process. Executiv. part. 2. c. 3. num. 433. seq. Bart. in l. creditores num. 18. 22. Salic. num. 9. C. de Pignor.*

6. Causa excludendi appellationem est, cum confessio, quæ in instrumento continetur, contra quam illa locum non habet, *l. 2. C. quor. Appell. non recip.* tum executionis rigor, quod suspendi non debet. Qua cessante, cessat jus ex ista ortum.

7. Denegari debet contra non nominatum executio sine cognitione. *Felin. in c. cum super num. 15. x. de Appellat.*

8. Quod instrumentum non cantat, nos non cantemus. *Bald. in l. ad probationem n. 1. C. de Probat.*

DECISIO LXXXIII.

A Sententia remedium impugnativum contra secundam priori conformem sententiam usurpatum rejiciente locus est appellationi.

QUod in jure constitutum est, ut in eâdem causâ ter provocare non liceat, (1) sic accipiendum est, si tres sententiæ plane sint conformes. (2) Deinde si cum causæ super quâ pronunciatio facta fuit, plena cognitione processit. (3) Conformitas sententiæ requirit idem ejus objectum, eandem materiam, & qualitatem, (4) quæ non subest, si duæ priores causam principalem definiunt. Cum autem adversus ultimam petita esset actorum revisio, tertia legitimum remedium rejicit. (5) Ad denegationis iniquitatem demonstrandam licet provocare, (6) nec objicere tertiò provocatum esse, cum aliud in quæstionem veniat, nec tertia sententia sit super causâ principali, dum negata fuit revisio. (7) Alia quippe ex ratione id fieri potuit, quam solo intuitu meritorum causæ. (8) Quæ cum nec satis expensa fuisse narraret appellans & gravamina non irrelevantia viderentur, eo magis putatum est recipi juste appellationem, *In causa viduæ Petri Eckhovven contra Petrum à Becken die 15. Septembr. Anno 1653.*

1. *l. un. C. ne lic. in un. ead.*

2. Conformitas sententiarum requiritur ad excludendam appellationem, *d. l. un. ib. gloss. Bart. Cyn. & Dd. omnes.*

3. Alias enim nulla est sententia, cujus non habetur ratio. Inde exclusa licet appellatione nullitatis querela locum habet. *Scacc. de Appell. quæst. 17. lim. 1. num. 55.*

4. Ad conformitatem requiritur identitas causæ, rei, qualitatis, personarum. *Rugnell. in tract. de Appellat. §. 12 gloss. 1. num. 10. Rota divers. decis. 100. num. 3. & seqq. part 1.*

5. Ita in simili Dd. tradunt duabus sententiis latis super causa principali tertia super desertione non dici sententias conformes. *Covarruv. pract. quæst. 25. num. 5. Cravet. consil. 182.*

6. A denegatis Processibus appellatoriis provocationi locus est.

7. Rationabile non est idem dici, cum non sunt diversi casus consentanei, *l. un. §. illud etiam 3. C. de Latin. libert. tollend.*

8. Diversa petitionis seu defensionis causa diversam facit causam, quæ in judicio agitur, *l. & an eadem 14. pr. ff. de Except. rei judicat.*

DECISIO LXXXIV

A provisionali sententia ut tali non appellatur; secus ubi terminos justos excessisse arguitur, & qui isti sunt.

COmmuni opinione asseritur, à sententia provisionali non appellari, (1) sed appellatione licet interpositâ tam judicem à quo ad executionem juste progredi, (2) quam superiorem processus non decernere. At sic ea obtinet, si ea mente & tenore à judice profertur, ut interim provideat, donec causa plenè cognoscitur, (3) & intra eos terminos consistitur, in quibus provisionaliter condemnare licet, (4) nempe primò, ut à parte ejus pro quo pronunciatur, res sit plane liquida. (5) Deinde ut causa sit talis, quæ paratam executionem mereatur, nec diu differri debeat. (6) Tertio ut à parte rei tales non proferantur exceptiones, quæ executionem suspendunt, & prius discuti debent. (7) Quarto ut per satisdationem ei, qui ex provisionali sententia solvit in eum casum, quando postea ex lite superior evaserit, satis prospectum sit, (8) nempe jut indemnis plane servari queat. Quinto ut sic providere necesse sit, seu æquitas singularis exigat. (9) Horum aliquo deficiente locus supereſt appellationi, etiam à provisionali sententia. (10) Nec enim judex ista abuti debet ad alicujus injuriam, nec gravatus remedio justo destitui. Occasio alias præberetur magnis injuriis, si promiscue iniquitas medela esset justo remedio, præsertim in ejusdem abusu, excluso. Cum contigisset casus, in quo intra annos locationis locator sub obtentu inopiæ & ob hanc pro solvendo ære alieno necessariæ venditionis resignationem contractus oblatâ cautione fecerat, atque judex hac admissa conductorem non attento contractus tenore re locata discedere jusserat, male existimabatur appellationi à tali sententia velut provisionali locum non esse, ubi non modo sententia provisionis nec mentionem nec temporalem quandam providentiam faciebat, sed in perpetuum terminabat, qua resignationem tanquam juste factam eam, quæ movebatur, litem (11) contractui repugnabat, (12) & inter gravamina narrabantur, tum quæ jus resignandi illiquidum faciebant, (13) tum quæ justas rei exceptiones indicabant, tum quæ magnum incommodum, nec minorem iniquitatem

Digitized by Google

quitatem cautione non corrigendam inferebant. (4) *Admissa itaque appellatio & decreti sunt processus in causa Oloff Segebaden, contra Senatum Civitatis Demminensis, die 15. Septembris Anno 1653.*

1. *Rebuff in tr. de sentent. Provision in Præfat. n. 16. Scacc. de appellat. quæst. 17. limit. 7. num. 3.*

2. *Rebuff. de sentent. Execut. artic. ult. gl. 1. num. 12. in fin. cas. 6. tom. 1.*

3. Provisionalis sententia à definitivâ differt, ex mente & fine judicantis. Quæ si non apparet, sed simpliciter sententia profertur, pro tali non habetur, nec appellationem excludit, *Petr. Rebuff. de sentent. provis. artic. 3. gloss 10. num. 2.*

4. In causa alias non appellabili excessus judicis locum facit appellationi, *l. ab. executione 5. C. quor. appell. non recip.*

5. Semper debet esse liquidum id quod deducitur in condemnationem provisionalem, aut in continenti liquidabile, *vid. Fabr. in Cod. lib. 7. tit. 15. defin. 4. num. 3. in gloss.*

6. A jure communi, quod sententiam, & executionem ante causæ plenam discussionem regulariter vetat, *l. fin. C. de compens. l. 1. C. de Exec. rei jud.* exorbitat provisionalis condemnatio, ideo locum non habet nisi in causis valde favorabilibus & manifestis. *Bab. in Cod. dict. tit. 15. def. 2. Rebuff. dict. pract. in præfat. per tot.* ubi causas refert & monet, ne eas judex temere excedat.

7. In executivis etiam locus est appellationi, à rejectione exceptionum talium, quæ in executione admitti debent, præsertim si concernunt executionis excessum, *l. ab executione 5. C. quor. appell. non recip.*

8 Requiritur in provisionali sententia cautio. Sed huic non locus, nisi in damno reparabili.

9. Non promiscue providet judex, sed ex justa demum causa & ex singulari æquitate; *vid.* Rebuff. *in dict. præfat. num. 142.*

10. *Fab. in Cod. d tit. 15. defin. 2. num. 1. seq.*

11. Requiritur in sententiâ provisionali exprimi, quod per modum provisionis sic ordinatum sit, alias definitiva potius habetur. *Rebuff. in dict. præfat. num. 141.*

12 Quando super rescissione contractus agitur, non fit provisionalis condemnatio contra contractum, sed pro isto pronunciatur, quamdiu manifeste non apparet illum non valere aut desiisse. *Rebuff. dict. præfat. num. 132.*

13. Quamdiu non liquet judici de jure petentis, non debet progredi ad fiduciariam condemnationem. *Fab. in cod. dict. tit. 15. defin. 21.*

14. Præsumptio bona pro reo, damni difficilis reparatio, magnum præjudicium, justæ sunt causæ differendi provisionalem condemnationem. *Faber in Cod. d. tit. 15. defin. 10.*

DECISIO LXXXV.

In causa spolii admittitur appellatio, gravamine ex narratis apparente.

CUm de rustico ejusque liberis & bonis restituendis ex causa spolii agebatur atque ad restitutionem condemnatio, processisset dubium incidebat, utrum appellationi locus esset, quâ reum (1) qui de spolio conventus succubuit. Et quod de appellatione in momentanea possessione constitutum est, (2) negativam persuasisset, nisi consideratum esset, primo eam appellationem jure civili non admissam jure canonico approbari, & permitti, hujusque providentiam ut æquiorem in foris Christiani orbis plerumque receptam esse. Deinde etiam illa juris civilis constitutio multis modis limitatur atque plures existunt casus in quibus isti, etiam ubi civili jure utimur, locus sit. (3) Inter quos æqua ratio, communis sententia & praxis fori censet & ponit, si sententia sit evidenter injusta, (5) si causa justa profertur, ex qua appellans se iniquegravatum docere queat; (6) Si processus sit inordinatus, (7) si dubium sit, an de spolio actum fuerit nec ne, & an recte actum fuerit, (8) si sententiæ latæ in possessorio difficilis existit in petitorio reparatio, (9) quæ omnia cum continentur in libello supplici pro impetrandis processibus, hos decerni placuit, & licet de inhibitione majus dubium suboriretur, tamen pro facti narrati circumstantiis non denegata est. (10) *Sic in causa Oloff Segebaden contra Senatum Demminensem existimatum die 27. Sept. Anno 1653*

1. Actori spoliato licere appellare creditur. *M. Ant. Cadius in tract. de moment. poss. num. 418. tom. 3. part. 2.*

2. *Vid. l. un. C. si de moment possess.*

3. *Vide quæ proximè allegantur & disputantur à Scaccia d. appellat. q. 17. limit. 6. memb. 7. n. 1. seqq.*

4. Eos expositos lege apud *Scacc. dict. memb. 3. per tot. Contard. in l. un. in limitat. 9. C. si de moment. possess.*

5. *Lancellot. in tr. de Attentat. part. 2. cap. 12. limit. 25. num. 15. Contard. in d. l. un. limit. 9. num. 2.* generalis rejiciens appellationem non pertinet ad evidentem iniquitatem. *Gravett. Consil. 3. num. 18.*

6. *Vid. Scacciam dict. quæst. 17. limit. 6. memb. 7. num.* 103

7. *Contard. d. l. un. limit. 18. num. 1. seq.*

8. In notoriis tantum non licet appellare, secus est, ubi causa dubia fuerit seu ob facti obscuritatem, seu ob juris dubietatem, seu ob excusationis rationem, *vid Scacc. dict. memb. 7. numer 5. & seq.*

9. Ea exceptio continetur *in d. l. un. C. si de moment. possess.* In ea cessat ratio prohibitæ appellationis, quod hâc non sit opus, quia reparari possit incommodum in petitorio.

10. Ex jure Canonico appellatio in causa spolii habet effectum non modo devolutivum, sed etiam suspensivum. *Covarruv. pract. quæst. cap. 23. numer 8. Contard. in d. l. un. limit. 3. num. 2.* Ex civili autem non nisi devolutivum, *ut ex l. un. C. si de moment. possess. appellat.* at sic hujus fit explicatio, ut in quibus casibus ex singulari ratione appellatur, inhibitio fieri debeat, *ut docet qua omnes exceptiones istat Scaccia dict. memb. 7. per tot.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO LXXXVI.

A Mandato sine clausula in casibus quando decerni non debet justa ad superius judicium adeoque recipienda est appellatio.

CUm provocasset adversus quem emanaverat mandatum sine clausula, (1) in dubitationem venit, utrum admitti deberet statim ab ipso mandato appellatio, cum per exceptionem sub-& obreptionis, quæ adversus ejusmodi mandata admittitur pars de facti veritate, suo jure, adversarii injuriâ & judicis iniquitate conqueti & causam ad ordinarium processum deducere posset. (2) Cum in simplicem citationem mandata per oppositam istam exceptionem resolvantur. (3) At considerato in contrarium quomodo processus mandatorum alias longe abest ab ordinaria judiciorum telâ, (4) quam non perverti litigantium maximè interest, (5) quomodo non omnes in isto exceptiones admittentur, (6) non potest non multum gravaminis ex eo immutato accidere, ideo nec omnino rejici ex ea causa appellatio, sed discernere oportet, utrum mandatum sine clausulâ processit in tali casu, in quo id ad narrata decernere justum, an vero injuste decretum reperitur. (7) In priori specie obtinebit quod pro dubitandi ratione supra dicitur. Nam si vera sunt narrata parere aut declarationem pœnæ expectare opus est, si falsa, per exceptionem tolli potest vis mandati, nec opus est ad superiorem judicem provocare, ideo velut deficiente gravamine rejicienda erit appellatio, nisi appareat subesse quod excipiendo emendari non possit. (8) Satis maturè appellabitur, si exceptione non attenta judex ulterius procedet. (9) At cum in casibus, in quibus non decerni debet mandatum tale, nihilominus decretum fuit, justa appellandi causa est, quia judex injuste mandando jam gravavit, & imposterum gravaturus præsumitur, ut difficile futurum sit, ab illo emendatione potiri. (10) Quod si casus in quo mandatum processit dubius atque an mandati potuit, in ambiguo sit, præstat admittere appellationem quam partem conjicere in periculum. (11) *Sic visum cum à mandato sine clausula appellaret Wedige Behr, contra tutores liberorum Balthasar Obelitz, die 17. Septemb. Anno 1653.*

1. Causas mandatorum esse appellabiles docet *Mindan, lib. 2. de Proceſſ. cap. 17. numer* 11.

2. Omnia rescripta & mandata Principum intelliguntur legaliter & cum justitia, salvo jure tertii, admittuntque exceptionem sub-& obreptionis, *l. nec avus 4. C. de Emancip. l. ex facto ff. de vulg. & pupill. subst. Gail. 3. Observ. 14.*

3. *Gail. 1. de Pac. public. cap. 5. num. 26.*

4. Plane brevis, celer & summarius est in causis mandatorum sine clausula, executionem paratam habet *Gail. 1. observ. 15. num. 1. seq.*

5. *l. ib. gloss. C. quom. & quand. jud.*

6. Solam sub-& obreptionis exceptionem admitti putatur *Gail. 1. Observ. 14.* quod confirmat paucis aliis adjectis Recessus Imperii Ratisbonensis *de Anno 1658.* Dann auch zum dritten. Merita causæ præterea in judicium deducere non licet *Mindan. lib. 2. de Mandat. c. 15. num. 4.*

7. Regulariter à mandatis sine clausula quæ executionis species sunt, inchoandus non est processus. Certi tamen sunt casus, in quibus valent, quorum quatuor exprimit *Ordin. Camera Imperialis part. 2. tit. 23. Gailius* ad septem capita ea redigit, *lib. 1. de Pac. Publ. cap. 5. numer* 10.

8. Quia tantum certi casus sunt, in quibus sine clausula mandare licet, extra eos injusta censentur mandata. Sicut & regulariter de iis censetur, quod nulla aut injusta sunt. *Gail. Observ. 13. num. 2.*

9. Non prius gravatur quis mandato, antequam vim sortitur.

10. Judex in uno gravans in alio non præsumitur æquior. *Corv. Conſ. 9. numer 8. vol. 3*

11. Tum quia regulariter ab executione non inchoandus est processus *l. 1. l. fin. C de Execut. reijud.* Ideo in dubio mandatum ante causæ cognitionem emanans, censetur exorbitans, præceps, inconsideratum. *Mindan. 2. de Mandat. cap.* 10. *n.* 1. tum quia ubi de eo dubium, recipienda est appellatio, *arg. l. fin. C. in quib. caus. restit. in integr. l. 1. ff. de appellat.*

DECISIO LXXXVII.

Jussus superioris appellationem à decreto, quod ex isto processit, non impedit.

CUm per Commissarios Regios formando Statui Deputatos Collegio Justitiæ injunctum esset in processu inter partes hactenus agitato quiescere & actorem à limine Judicii repellere, post interpositam à Judicis decreto actionem rejiciente appellationem prima fuit inspectio an recipienda esset? Dubitandi causa fuit, quod à Commissariis Regiis appellari non posse videbatur. At præterquam quod ea res non satis plana erat, huc non quadrabat, dum appellatio non ab illorum, sed judicis inferioris sententiâ interponebatur, (1) quæ etiam tunc locum habet, cum ex principis supremi rescripto judicavit. (2) Nec enim jussus illorum magis quam hoc potuit immutare juris rationem atque tollere appellationem. [3] Quia non omnia rescripta nec jussus à judicantibus attendenda sunt, præsertim si juri repugnent aut per falsa narrata sub & obreptiti è impetrata. (4) Utique Judex sequendo peccare poterit, cujus errorem appellando corrigere non

Digitized by Google

prohibet seu impedit jussus Commissariorum. Est vel ex eo solo appellandi probabilis ratio, quod Judex temere secutus arguitur, quod sequi non oportuit, modo causa non sequendi justa allegetur. Quo circa visum, nisi alia ex meritis causæ obstitissent, cur non decernerentur processus jussum Commissariorum impedire non potuisse. *In causa Dieterici Gebencontra locum tenentem Danielem Aresen die 19. Septemb. An. 1653.*

1. Qua devolutionem attenditur à quo provocatur, non cujus ex jussu sufficit ab illo appellari posse. *Franc. in c. intimasti 68. num. 5. seq. X. de Appellat.*

2. *Per text. express. in l. 1. §. ff. de Appellat. vid. Scacc. de Appellat. q. 16. limit. 1. n. 138. & 147. seq.*

3. Appellatio jurisgentium naturalis atque defensionis species est, quæ non potest tolli, ne quidem per summum principem. *Bald. & Dd. in l. 1. ff. de Appellat.* Constitutio Imperii *in Ordin. Cam. part. 2. tit. 28. §. 1.* improbat & invalidat mandata, quibus illa prohibetur.

4. Sic laudabili principum providentia constitutum est, *l. 2. l. fin. C. si quis contr. jus vel ut publ.*

5. Appellatio ad corrigendum iniquitatem aut imperitiam inventa est. *l. 1. pr. ff. de Appellat.*

DECISIO LXXXVIII.

In causa reddendarum rationum cum dubia est administratio, ut & qua illud quod ex redditis residuum dicitur, admittitur appellatio.

Inter causas non appellabiles refertur rationum redditio, (1) at ita demum si qui administrator fuit ad rationes reddendas obnoxius est; secus ubi ipsa administratio, adeoque an quis rationes reddere teneatur in dubio est. (2) Nec enim in eâ quæstione, utrum quis administraverit, vel an rationes reddere teneatur, præclusa est appellandi licentia, si causæ proferuntur justæ, quæ ab hoc eximunt. (3) Perinde cum post discussas rationes residuum aliquod injungitur ei, qui non administravit, imo etsi vel administrator ad id condemnetur, sicut & alias appellationi locus est. (4) *Ioist Behren, die 21. Septembr. Anno 1653.*

1. *Maranth. d. Ord. Indic. part. 6. tit. de Appellat. n. 197. Scaccia de Appellat. q. 17. limit. 29.*

2. Sic discernit *Munoz. ab Escobar. de Ratioc. in c. 4. num. 5. verb.* Si appelletur ab interlocutoriâ de reddendo rationem judex remota appellatione procedere potest absque metu attentati, dummodo constiterit administrasse.

3. *Vid. Gutierrez. Pract. quæst. 37.*

4. *l. si qui separatim 10. §. sed cum 2. ff. de Appellat. l. cum post 26. C. eod. Vid. Munoz. ab Escobar. dict. cap. 33. num. 13. seq.*

DECISIO LXXX.

Processus nisi per originale documentum edocta appellatione non sunt decernendi, haud tamen ideo habenda hæc pro deserta.

Cum non modo ex consuetudine sic obtineat, sed etiam rationi conveniat, ut appellatio non recipiatur, antequam satis docetur, (1) si quis non originale instrumentum, sed copiam hujus saltem in judicio exhibeat. (2) Processus impetrare non debet, sed ex eo defectu petitio suspendi, (3) haud tamen plane rejici. Si postea originale documentum exhibebitur, etsi post lapsum fatalium appellatio recipitur, (4) cum alias ita omnia comparata sunt, ut isti locus relinquendus sit. Quocirca cautè decernendum & decretum concipiendum est, ut negando, ob defectum originalis processus appellationi præjudicium non fiat, sicut observatum (5) *ad supplicationem pro extrahendis processibus Ioist Behren, contra parentis creditores, die 21. Septembris Anno 1653.*

1. Paria sunt non esse & legitimè non apparere, *l. in lege 77. de contrah. empt.*

2. Exemplis non fit fides.

3. Instrumentum appellationis non in copia, sed in originali exhibendum est, *Petr. Frid. Mindan. lib. 1. de Process. c. 7. num 6.* ubi tamen addit, semel se tantum meminisse ad solam copiam, cum cætera requisita adessent, decretos esse processus periculo partis. Forte periculum in morâ fuit, ob quod recediturà communibus regulis.

4. Deserit appellationem qui *nihil pro* ejus introductione facit, non qui facit, aut insufficienter aut ineptè per errorem; Hic meretur correctionem, non vero exclusionem, aut amissionem appellationis, *sicut per exemplum tradit Scaccia in tract. de Appell. quæst. 15. num. 51.*

5. Tenor decreti in hac causa fuit talis, in Mangel deß Original Instrumenti appellationis werden gebetene Proceß nicht erkannt.

DECISIO XC.

A decreta commissione ad perpetuam rei memoriam quando appellare licet.

Appellationem à decreto commissionis ad perpetuam memoriam non esse admittendam videri potuit, tum quia esset à decreto quod simplicis interlocutoriæ vim habet, (1) & hoc ita comparatum, ut nihil per id inferri posset, quod non per sententiam in definitiva esset reparabile, (2) tum quod nihil gravaminis per se inferret, (3) tum quando

quando quis postea uti vellet dictis testium, locus superesset adhuc quæ ad rem faciunt allegandi, tum excipiendi de examinis vitiis, de personis & dictis testium, etiam de non congruis causæ. Et si ea omnia sic se habuissent res careret dubio, verum cum ab Appellante allegantur legitimæ causæ, cur non sit progrediendum ad examen, cur etiam hoc sibi noxium & causæ præjudiciale, secus se res habet. (4) Existente tunc justo gravamine quod per decretum infertur, nec tam citò reparari potest, locus est appellationi. (5) Quale circa id examen admissum habendum est, si lis super ea causa in superiori judicio nempe Camera Imperiali sit pendens, & in ejus præjudicium fuerit decretum, (6) si petitio sit captiosa & intenta non ut quis veritati atque fidei rerum consulat, sed ut exploret sensus hominum & indelitis materiam atque occasionem quærat: (7) Si non sint observata quæ pro impetrando examine necessaria: (8) Si supervacua, dum agere statim licet, & insidiosè per id adversario struuntur nòcitura. (9) Quæ cum allegabantur subesse intentioni actoris, ideo emendatione digna videbantur, *processus decreti sunt ad petitionem Philip Christoff von der Lancken, contra Iochim Bohlen die 19. Sept. Anno 1653.*

1. A simplici interlocutoriâ quæ vim definitivæ non habet, appellatio per jus civile non admittitur, *l. aperissimi 14. C. de Iudic. l. ante sentent. 7. C. de Appellat. c. 1. x. eod. in 6.* Jus hoc civile sequimur in terris Imperii. *Vid. Gail. 1. observ. 130. per tot.*

2. Cujus est in sententia definitiva reparatio, id non admittit ab interlocutoria sententia appellationem, *l. ante sententiam C. quor. appellat. non recip. ib. gloss. & Dd.*

3. Ubi deficit gravamen, deficit jus appellationis quæ nunquam sine gravamine fieri aut admitti debet. Et cum per jus Civile & Canonicum alias valeat & recipiatur appellatio, etiam causa gravaminis non expressâ, sed ad litis deductionem reservatâ, tamen in appellatione ab interlocutoria expressione ejus opus est, *c. ut debitis c. cum causam x. de Appellat. Hartman. Hart. Pract Observat. tit. 19. Observ. 16. num. 2. Gail. dict observ. 130. num. 1.*

4. *Vid. Mynsing. cent 3. Observ 29.*

5. Gravamen est causa appellandi. Ubi illud adest, appellatio admittitur tanquam auxilium contra iniqua, *l. fin C. de Appellat.* Et ubi alias appellare non licet, ex justa causa tamen illa recipitur: Uti docet *Scacc. de Appellat q. 17. limit. 47. memb. 1. num. 82.* Ubi addit etiam de jure Civili ab interlocutoria simplici ob justam causam appellationi locum esse.

6. Ad superius judicium, ubi causa pendet, pertinet examen testium ad perpetuam rei memoriam. *Vid. Rutg Ruland. in tract. de Commissar. part. 2. tit. 1. cap. 2. num. 2. seq.*

7. Actor certus de veritate ad judicium venire & testibus ad illam revelandam uti, non vero ab iis explorare debet, de quibus postea acturus sit; Ubi aliud intenditur, non debet petitis indulgere judex; sed si impetraverit quidquam supplicans ista statim inhibitione decreta prohibere. *Uti ratione & Camera præjudicio exponit Rutger. Ruland. dict. lib. 1. cap 16. num. 3.*

8. Quæ petenda sunt ex ordinatione cujusque loci Judiciariâ nec non usu fori.

9. Qui agere potuit diu intra annum & non egit, interim tamen beneficio extraordinario frui cupit, fraudis præsumptione oneratur. *Gail. 1. Observ. 92. num. 6.*

DECISIO XCI.

Inhibitio appellanti ob decretam commissionem ad perpetuam rei memoriam non decernitur, nec decreta attendi solet.

APpellatione licet admissâ, quæ à decreto commissionis ad perpetuam rei memoriam interposita erat, haud tamen præter citationem & compulsoriales inhibitio decernenda est, tum quia ab interlocutoria simplici tantum appellatum erat, (1) tum quod talem inhibitionem judex attendere non solet, sed nihilominus examen testium curare, (2) ne veritas intercidat. (3) Haud tamen est inutilis appellatio, non enim examinis alias usus est, quam emendatis iis, in quibus appellans semet gravatum ostendit. *In eadem causa.*

1. *Vid. Rutg. Ruland. de Commissar. part. 2, lib. 1. cap. 16. num. 10. in fin.* Inhibitio in appellatione à simplici interlocutoria non decernitur. *Gail. 1. observ. 144. num. 4.*

2. Non attentâ appellatione solent judices testes examinare, ubi periculum est, ne veritas & fides intercidant, *uti id cum certa ratione exponit Ant. Fab. in Cod. lib. 1. tit. 10. defin 13. num. 3. & 4.*

3. Omnimodo evitandum est, ne supprimatur veritas. *l. ult. §. si vero quis C. de Episcop. Audient. l. fin §. licentia C. de jur. delib.* cujus curam gerere debet judex, quo probatio salva sit. *l. curent. 22. ff. de Probat.*

DECISIO XCII.

Commissione pendente superior judex super iis cognoscit, quæ illa non attenta inferior fecit.

AD commissionem Sac. Regiæ Majestatis remissa causa ad judicialem cognitionem trahi non debet, quamdiu super illa coram Commissariis tractatur, veluti lite apud eos pendente. (1) Ideoque congruum, si quid à partium aliqua de ista rogatur, illuc remittere. (2) Verum si illo posthabito alius quisquam judex sibi sumit ejus causæ aliquod arbitrium, & de ista statuit superior judex, ad quem provocatur, pendente etiam commissione appellati-

Digitized by Google

appellationem juste recipit, & super ea quod justum decernit, nisi Judex à quo desistat & quod statuit, suspendat, (3) quo ipso erit suspensum jus appellationis. (4) Nec enim superior judex tam assumit & dijudicat causam, quæ sub commissione Regiâ continetur, quam judicium de facto alterius judicis sibi arrogantis quod ad illam spectat, & gravamen alii inferentis exercet. Istud commissioni Regiæ non est præjudicio aut contrarium, (5) quin potius auxilium præbet, ut præjudicium ab alio non patiatur, aut quid attentetur. (6) In quo alius judex injuste attentat, incongruè cum fecit, provocationi Commissionem Regiam opponit, quam non observavit. (7) Qui cum velit illam parti opponere, simul supersedere, & ad istam quod causæ est, referre debet. Alias injuria inferretur alteri parti quæ cogeretur gravamen & præjudicium sustinere, remedio autem justo & usitato carere, (8) pro quo avertendo necessarium fuit querelam recipere, (9) de quo ita rescribi placuit, *in causa senatus Stetinensis contra consilium status die 21. Septemb. Anno 1653.*

1. Curante Commissione suspensa est jurisdictio judicis ordinarii, *vid. Carpzov. respons. Electoral. 51. num. 13. & seq. lib. 2.* ubi tamen distinguit, utrum illa ante litem, an hac jam pendente decreta sit.

2. Ubi cœptum est judicium, ibi finiri debet, *l. ubi 30. ff. de Iudic.*

3. Commissio facit litem pendentem qua causam quæ ad illam pertinet, non qua injuriam alterius, de qua non eo minus agere licet, nec commissio manus indiversis ligat, sicut in iis non est actus pro attentato. *Lancellot. de Attentat part. 2. cap. 12. lim. 2. num. 1. & 5.*

4. Judex ordinarius tenetur quiescere in his, quæ Commissioni superiori submissa sunt, *l. judicium 58. ff. de Iudic.*

5. Commissio quæ alias strictissimi juris est, *c. cum dilecta 22. x. de rescript.* non adimit aut parti remedium aut superiori judici potestatem contra judicem inferiorem, ubi gravamen infert alias competentem. Nec enim ultra intentionem committentis operatur, *l. si aliquam 28. ff. de acquir. possess.* Nec potest extendi ad ea, quæ sunt præter vel secundum naturam ejus, sicut lis pendens non solet facere cessare, quæ sunt præter vel secundum naturam judicii, *vid. Lancellot. in tr. de Attentat. part. 2. c. 4. limit. 11 per tot.*

6. Lite coram superiori pendente judex quivis id potest, quod ad avertendum præjudicium & repellendum attentatum facit, quia non est litis pendentiæ contrarium. *Lancell. d. tract. part. 2. cap. 12. limit. 4.*

7. Contraveniens actui ex eo non potest juvari, nec auxilium ex jure contra quod committit, impetrare, *l. auxilium 37. §. 1. ff. de Minorib.*

8. Ab appellatione nemo excludendus cum contra iniquitatem judicantium vel imperitiam istâ opus est, *l. 1. pr. ib. Bartol. & Dd. ff. de Appellat.*

9. Quod necessarium est propter incommoda alias oritura, non sistitur aut impeditur per litem alibi pendentem, *vid. Lancellot. d. tr. part. 2. cap. 4. limit. 8. per tot.*

DECISIO XCIII.

A decreto contra civem civitati ob interesse appellare licet; illo licet obsequente.

PRohibito ad aliud molendinum ire cive appellavit Senatus tanquam magistratus; quod sua interesse diceret, ne ea libertas civium imminueretur & patiendo id præjudicium, superiori jus prohibendi, ipsis inposterum eam servitutem patiendi necessitas accederet. Admissa fuit ea appellatio, quia domino & magistratui licet appellare, quando subdito vel civi gravamen infertur, quoties domini seu civitatis interest id non inferri. (1) Vel ubi officio magistratus incumbit curare, ne per exemplum adversus unum præjudicium civitati vel omnibus contra jura libertatemque suam fiat. (2) Ex eo quippe propria ipsius causa sit, & licet ille contra quē decretum processit, obsequi velit, non eo minus tamen solius magistratus seu Senatus appellatio admittitur, sicuti fas est tertio appellare aut appellationem pro suo interesse prosequi, etsi contra quem pronunciatur, acquieverit vel appellare nolit. (3) Privatam quidem causam subditi vel civis superior appellando agere nequit ipso invito vel non mandante (4) Publicam autem, qualis est si gravamen quidem immediatè civem, præjudicium vero civitatem feriet, agere licet, etiamsi secus ille, cujus initio damnum fuit, velit. Pluribus ex eodem læsis singulis etiam consorte desistente vel dissentiente actio & appellatio libera est, (5) *In causa senatus Stetinensis contra Petrum quæstorem Regium.*

1. *Vid. Scacc. de Appell. q. 5. num. 56. seq. Gail. 1. observ. 125. num. 6. seq.*

2. Est officii magistratuum, ut jura & libertates civium conserventur, inque eo propriam agunt causam.

3. *Lancell. de Attent. part. 2. c. 12. ampl. 14. n. 8. seq. Scacc. de Appell. q. 17. limit. 6. memb. 4. numer 44. seq.*

4. *Vid. Gail. d. observ. 125. num. 1.*

5. *Tot. tit. C. si un. ex plur.*

DECISIO XCIV.

Ob futurum gravamen an & quando appellatio admittitur.

IN quæstione de admittenda appellatione ob gravamen futurum præprimis inspiciendum est, quale sit, quod isti causam dat, an in nudo metu consistat, an jam aliquid injusti habeat, ex quo graviora sunt metuenda?

Quod

Digitized by Google

Quod nihil injuriæ adhuc dum intulit, sed saltem metuitur, non potest locum facere appellationi, ubi nullum adhuc est gravamen; (1) saltem iis remediis uti licebit quæ pro eo metu parata sunt. Ubi vero non est nudus metus, sed aliquid injusti jam sentitur, refert utrum ejus perpetuum certumque sit gravamen, an temporale incertum & ex eventu dependens. Quoad hoc interest, an si eveniet per appellationem ejus facilis sit reparatio & non appellatur, (2) quamdiu gravamen in pendenti est, (3) an si evenerit ista difficilis nec sine incommodo futura sit. (4) In qua specie ad avertendum præjudicium utilis & necessaria est. (5) Cum futurum ex eo quod factũ vel decretũ certũ est, quia tam in præsenti gravamen est, quam quod imminet pro præsenti habetur, appellationem admitti oportet, (6) cujus exemplum exstat, cum suspectum est judicium, ideo quod potior ejus pars seu pletique assessorum suspecti sunt. Qui si non abstinuerint a decernendo rectè appellatur, (7) etsi decretum eorum non sit per se injustum In eo quod decreverunt, injustè factum continetur, & ob id quod ex eo timetur atque imminet gravamen, dum à suspecto Judice quidquam justi exspectari nequit, appellatio interponitur & recipitur, (8) sicuti in tali casu recepta fuit *in causa Philip Guzlaff Rotermund, contra Ægidium von der Osten. Die 21. Sept. Anno* 1653.

1. *Franch. in c. ut debitus q. 2. n. 9. de Appellat.* ubi hanc communem esse ait, non gravatus non appellat, *Bald. in l. un. n. 7. C. ne in iter. ead. caus.* gravamen est causa appellationis, *c. ut deb. 59. x. de Appell.* qua cessante cessat appellatio, *c. cum cessante 60. x. eod.* cum appellantis non amplius interest quo fine non appellatur, *l. 1 ff. de Appell. recip.*

2. Gravamen per sententiam definitivam vel aliam reparabilé non facit locum appellationi, sicut nec id quod dependet ex sententia, quæ exspectari debet. *Franch. in d. cap. ut debitus q. 2. n. 9.*

3. Quamdiu in suspenso est jus causæ, perinde habetur ac si sit citra omne præjudicium, *l. si quis 9. §. fil. 2. ff. de lib & posth. l. Status 48. §. 1. ff. de Iur. Fisc.*

4. Ob difficultatem reparationis indefinitiva admittitur appellatio *Maranth in Spec. part. 6. act. 2. princ. tit. de appellat. num* 312.

5. Melius est intacta jura servare, quam post vulneratam causam remedium quærere, *l. fin. C. in quib. caus. restit. in integr.*

6. Gravamen futurum ex præsenti originem habens in appellationem ob hoc venit, quod facit eo gravius, *vid. Scacc. de appellat. q. 5. n. 113.*

7. Ante recusationem factam non est locus appellationi, ubi saltem ex recusatione oritur necessitas abstinendi. *Franch. inc. nov. not. 3. x. de appell.* Quando autem per legem etiam non monitis abstinendum est, omne eorum decretum tanquam injustum appellabile est.

8. Valde grave est coram suspecto judice litigare, *l. apertissimi 16. ib. Dd. C. de Iudic.*

DECISIO XCV.

Ubi sublato gravamine tolli potest omnis suspicio, causa remittitur ad judicium, à quo illud ortum est.

QUando malè decernitur, bene appellatur, causa non solet remitti ad Judicem à quo, (1) quem adversa sententia fecit suspectum & isti præsumptioni obnoxium, quod semel gravans ulterius gravare intelligitur. (2) Ubi autem hæc ratio cessat & non tantum gravamen, sed etiã suspicio in judicio inferiori desinit, remissio sine dubio fieri potest. (3) Imo & debet, cum per appellationem non sit ulterius suspensa & impedita inferioris jurisdictio, quam id fieri necessarium est. In reliquis manet atque impediri non debet. (4) Ita si gravamem oritur ex suspicione, huæ est adversus judicem ut suspectum, ideoq; appellatum sit, quoties ea tolli potest aut remotione eorum ex collegio, quos suspicionis causæ attingunt, aut adjunctione aliorum, (5) aut præscriptione modi qui extra suspecta processum locat, (6) rectius fit remissio quam totius causæ principalis in superiori instantia retentio. (7) Ita cum decreta actorum transmissione ad Collegium JCtorum appellaretur, quod decretum factum esset à plerisque suspectis & metueretur circa istam periculum, haud retenta est causa, sed remissa ad Judicium inferius, cum rescripto ut non adhibitis, imo insciis qui suspecti arguerentur, (8) transmissio dirigeretur ab uno Assessore non suspecto nec recusato, (9) fieretque prævio juramento Protonotarii & tabellarii de revelando nemini loco modoque illius. *In eadem causa.*

1. *c. ut debitus 59. in fin. ib. gloss. & Dd. x. de appell. Bartol. in l. ejus qui 3. n 10 ff. de appell. recip.*

2. *Franch in c. acceptam. 33. x. de appell.*

3. *Vid. Scaccia in tr. de appell. q. 17. sect. 47 membr. 3. n. 14. Dec. in c. ut deb. n. 21. seq. x. de app. ubi addit rationem, quod cessante causa suspic. cesset ejus effectus.*

4. Ultra causam & ejus connexa non fit suspensio jurisdictionis per appellationem. *Franch. in c. præterea not. 2. n. 1. & c. propos. not. 1. de appell.* In alio quam quo appellatum articulo integra est jurisdictio & potestas. *Lanc. de Attent. part. 2. c. 12. lim. 2. n. 13. seq.*

5. Remotio suspicionis & mutatio personæ judicis facit locũ causæ remissioni. *Scacc. d. memb 3. n. 14.*

6. *l. apertiss. 16. Auth. si vero contigerit. C. de Iudic.*

7. Nam & appellatio remittitur, ut fiat recusatio. *Scacc. d. tr. q 5. n. 12.* Qui modus est tollendi gravaminis, & justa causa remittendi causam, velut illo cessante res redeat ad priorẽ statũ *Scacc. d. q. 5. n. 14.*

8. Quoties non collegium, sed quidam ex eo arguuntur suspecti, & hi abstinent ab illo, causa non est avocanda.

9. Transmissio est actus qui non requirit totum Collegium, sed ab uno dirigi potest, imo à solo actuario plerumque fieri solet.

 Digitized by Google DE-

DECISIO XCVI.

Processus in prosecutione appellationis solitus non requiritur, sed causa cum præscripto ejus, quod decet remittenda est, quando statim res manifesta est, aut sine præjudicio cujusquam de eo statui potest.

PRocessum judiciorum pro exquirenda veritate & discutiendis curatius causarum momentis usus reperit & recepit, cujus ordinem sequi oportet, quia sic præscriptum. (1) Præscribitur autem, quia ad veritatem expeditum atque necessarium, ubi ejus nullus usus aut nulla necessitas, à ratione & officio judicis alienum foret, ad illius inanes ambages & impendia partes detrudere. (2) Ideo quoties veritas & jus statim sine processus ambagibus haberi & definiri potest, expedit maturè statui, quod justum, nec oportet observare alias in obscuris & intricatis solita. (3) Quocirca licet ordinariè citatio & compulsoriales interpositâ appellatione decerni, postea acta edi, iis lectis relevantia gravaminum expendi & dijudicari solent, (4) tamen hæc omnia omitti posse existimavimus, ubi talium nulla erat necessitas, nullus usus, sed illicò ad narrata sine cujusquam præjudicio decidi & præscribi potuit, quod justum atque rationabile, (5) Cum ideo appellatum erat, quod in Dicasterio essent, qui per ordinationem Judiciariam à causa abstinere debebant, tamen decretum transmissionis actorum fecissent, & circa hanc ab iis periculum metueretur, quia & notorietas & ratio appellationem justificabant, & quod conveniebat sine cujusquam præjudicio definiri poterat, nec ad hoc actis opus erat, nec placuit non decretis solitis processibus illicò decerni quod congruum, (7) deque eo, ut observetur, ad eos Dicasterii Assessores, qui non erunt suspecti, rescribi. *In eadem causa.*

1. Judiciorum more & ordine solito experiri oportet, *l. si acta 14. C. de Pact. l. Instrumenta 6. C. ad Exhib.* Alias nullitas processus oritur.

2. Supervacua omittere oportet, *l. juris gent. 7. §. sed si fraud. 10 ff. de Pact.* multo magis si onerosa & difficilia.

3. Cujus introducti usus non est in rebus experimentum, resecandum est, *l. 4. pr. C. de Lat. lib. toll.* nec permittendum aliquem immorari inanibus, *l. quisquis 15. C. de rescind. vendit.*

4. Hic processus in ordinatione judiciariâ præscriptus & alias observari solitus est.

5. Lites ulterius quam par est, non extendere judicialis potestatis est, *l. properandum 13. §. 1. C. de Iudic.* sicut officii est omni possibili modo abbreviare & imminuere, *l. quidam 21. ff. de reb. credit.*

6. In notoriis non observatur ordo processus judiciarius *in ambiguis consuetus. c. pervenit x. de Testib. c. consueta x. de appell.*

7. *Superflua tolli & omitti rationi convenit. l. sive generalis 61. pr. ff. de jur. dot.*

DECISIO XCVII.

Quantitas appellabilis circa speciem non ex eo, quanti vendi potest, sed ex usu censenda, & quomodo circa hominem rusticum id fiat.

IN ea lite quæ super vindicatione juvenis rustici, eines **Baurknechts** agitabatur, postquam appellatum erat, in quæstionem venit; an appellatio ratione quantitatis devolveret causam, cum summa appellabilis esset constituta ducentorum Imperialium (1) & auditum nunquam sit, tanti vendi nudum hominem & talem, cui nihil præter nudum corpus esset, quo serviet; quin potius minoris sæpè venditum aut dimissum fuisse constaret. Nec considerari quantia ator forte æstimet, sed quanti valeat. (2) Verum pluribus visum est, non spectandum in tali specie, quod semel vel iterum placuit rustici precium, sed usum & quanti hic sit æstimandus. (3) Multum interest inter res quæ venales habentur, ideo ex fori consuetudine commune certumque precium habent, (4) & quæ nec venum exponuntur, nec uno eodemque precio semper venduntur, in quibus magna etiam diversitas ex qualitate, utilitate, affectione, aliisque circumstantiis deprehenditur. (5) In his rei æstimatio facienda est ex usu, seu in quantum re frui liceat. (6) Nec dubitandum est, posse usum servi seu rustici talis, de quo controversia erat, multum excedere ordinarium reditum ejus pecuniæ, quæ ex summa appellabili haberi poterit, ut rationabili ratione quis malit hominem retinere, quam pro eo precium accipere, (7) quod non potest idem tantum præstare, quod homo proprius, qui longe majorem utilitatem præstat. (8) In quo non tantum annua servitia, quæ tamen justa æstimatione excedunt usuram ducentorum Imperialium, sed ejus commoditas & necessitas, porro & occasio glebæ adscriptis ad alia utendi, & cum omni posteritate fruendi considerandæ sunt. Inde itum est in eam sententiam, appellationem esse recipiendam *in causa Iochim Christoff von Horn, contra Adam von Horn. Die 22. Sept. Anno 1653.*

1. *Vid. Ord. Iudic. part. 2. cap. 2. §. 6.*

2. Pretia rerum non ex affectione nec ex utilitate singulorum, sed communiter funguntur; *l. pretia 63 pr. ff. ad L. Falcid.*

3. Justa precia non ex præteritâ emptione, sed ex præsenti æstimatione constituenda sunt, sicut diligenti cura & usu rerum precia ampliantur; ita si negligentius habita sunt, imminui necesse est *l. non intelligitur 3. §. Divus 5. ff. de Iur. fisci.*

4. Hæc

Digitized by Google

4. Hæc precia nemo statuit, quæ venalia exponuntur, *l. nemo 9. C. de Iudæ & Cœlic.* secus est in aliis, ubi Judex definit.

5. Nonnullam precio varietatem loca & tempora afferunt, *l. prec. 63. ff. ad L. Falc.* nihil ex talibus formali precio æstimari potest, *l. in leg §. 1. ff. dict. tit.*

6. Rei qualitates & reditûm quantitas in æstimatione consideranda. *l. si quos 16. C. de rescind. empt.* Pro fructuum modo res precium invenit, *l. pen. pr. ff. de reb. eor. qui sub. tut.*

7. Non ideo minus quis jure suo frui debet, quod animo potius quam computatione aliorum suum æstimat, *l. libertus. 36. ff. de bon. libert.*

8. Precium hominis non ex re, sed ex usu percipitur, *l. venditor 21. ff. de hæred. vend.*

9. Magni æstimari potest mancipium, quod non precio, sed affectu sit æstimandum, *l. libert. 36. ff. de bon libert.*

10. Omnia commoda quæ precioſiorem servum faciunt, accedent ad æstimationem ejus, *inde 23. §. in ſumma 6. ff. ad L. Aquil.*

DECISIO XCVIII.

Ob cœpta pro debito multo majora, quam ad illud exigendum opus erit, bona, appellatio non admittitur; ſecus ubi diſtrahentur aut adjudicabuntur.

PRo exiguo etiam credito magni precii pignora diſtrahi aut adjudicari incommodum & gravamen non leve est ſimul iniquum (1) ob quod appellatio admittitur. (2) Secus erit ſi pignori capiuntur bona multò majora, quam debetur, quo magis creditori cautũ ſit, atque citius & expeditius ſatisfiat. (3) Nihil frequentius est, quam ita fieri, nec in eo, quid injuſtum nec incommodum, ſi debitor ſolvet. Ad quem eo maturius ad ſolutionem adigendum pignoris capio fit. (4) Eoque minus iniqua est, quo magis ſini ſuo apta atque expedita. (5) Negati inde ſunt proceſſus appellatorii, ubi præcipua gravaminis loco querela erat de immoderata immiſſione pro pignore. *In cauſa Nicolai Knuſten, contra Henricum Dickhoffs & conſortes. Die 20. Sept. Anno 1653.*

1. *l. 2 C. de Pignorib.*

2. Exceſſus executionis in hoc conſiſtit, à quo juſte appellatur, *ut in terminis tradit Bartol. in l. à Divo Pio 15. §. in venditione ff. de re judic.*

3. *Vid. Fab. in Cod. l. 8. tit. 12. defin. 2.*

4. Potest quippe pro ſecuritate atque faciliori exactione crediti immiſſio fieri in universa bona.

5. *l. a Divo 15. §. 2. ff. de re jud.*

DECISIO XCIX.

Ob perverſum proceſſus ordinem juſta eſt appellatio: etiam ſi cauſa alias non ſit appellabilis.

VTi leges præſcribunt certum judiciorum & in his procedendi ordinem, certa quædam actori, reo, judici tribuunt volunt que iſtũ exactè obſervari, (1) id quoque partium interest, ut quarum jura & facta ſecundum iſtum deducenda ſunt, ita judex non debet ordinẽ perrumpere aut pervertere. (2) Quod ſi fecerit injuſte nulliterque procedit, & proceſſus non modo nullitatis vitio laborat, (3) ſed etiam maximum gravamen partibus infertur, (4) quibus ideo appellandi facultas relinquenda est, (5) licet cauſa alias non ſit appellabilis. (6) Etſi hanc celeriter remotâ provocatione expediri æquum, aut utile ſit, tamen non præcipitanter ac confusè, ſed ordine agere oportet. Cum itaque inter gravamina proferretur, inſtituta hæreditatis petitione objectaque alimentorum defuncto præſtitorum deductione, deque his orta controverſia, quod duplicis litis erat, in unam à judice cum præjudicio eſſet confuſum, (7) ex actore reum, & ex reo actorem factum, & nominatum, (8) probationem exceptionis à reo alias faciendam actori injunctam, (9) onus probandi in negantem derivatum, (10) & quæ ſimilia erant, concluſum fuit ſepoſitis de cauſæ qualitate rationibus appellationem alias excludentibus, in dubio proceſſus decernendos eſſe. (11) *In cauſa Claus Severin & conſortum, contra Hanns Klüſſendorff, Die 22. Sept. Anno 1653.*

1. Judiciorum legumque ſolitus ordo ſervetur, *l. præſenti 6. §. ſed ſi hoc 4. C. de his qui ad Eccleſ. confug.* & more judiciorum experiri, *l. ſi Pacta 14. C. de Pact. l. inſtrumenta 6. ad ex hib.* & actiones competentes ſolito more per judicem exerceri oportet, *l. 1. C. de Servitut.*

2. *l. pen. §. ſi autem ff. de reb. cred. l. in univerſis 11. C. quitut. dar.*

3. Vitia proceſſus cauſant nullitatem, *vid. de iis tract. Vantii de Nullitat. per tot.*

4. Notoria injuſtitia & nullitas æquiparantur, nec illa unquam atque in hac cenſetur major. *Contard. in l. un. limit. 7. num. 13. C. ſi de mort. poſſeſſ.*

5. Hoc controverſum inter JCtos, an à nullitate appellatio locum habeat, communiori tamen ſententiâ creditur, ut de hac teſtatur *Brederod. in tr. de Appellat. part. 1. tit. 12* uſu dudum approbata.

6. *Vid. Scacc. de Appellat. quæſt. 17. limit. 19. n. 4.*

6. Ad judiciorum ordinem pertinet non confundi diſcernenda, *l. liberis 7. §. fin. C. de lib. cauſ.*

8. Singulis ſua jura ſervanda ſunt integra, ut lis æquâ lance decurrat, *l. pen. §. fin. autem 3. ff. de reb. cred.*

8. Qui excipit, probare debet quod excipitur, *l. ſi pactum 9. ff. de Probat.* in exceptionibus reus actoris partibus fungitur, ideo intentionem ſuam adimplere debet, *l. in exceptionibus 19. ff. eod.*

10. Et incumbit probatio non qui negat, ſed qui dicit, *l. 2. ff. de Probat.*

11. Nullitates notoriæ erunt, quæ referebantur non ſine veroſimilitudine.

DECISIO C.

Ob quas nullitates proceſſus inferioris judicii recipienda eſt appellatio in ſuperiori.

OB nullitates proceſſus appellari dubio caret, at non omnes in ſuperiori Judicio conſiderantur, ſed diſcrimen hoc obſer-

Digitized by Google

vari debet utrum saltem figuram solennitatemque meram processus concernunt, meritis partium & causæ non præjudicant, an præter ista ad hæc pertinent, & ob ea omissa aut non ritè adhibita meritis causæ aliquid detrimenti atque præjudicii generatur. Quæ sunt prioris generis in superiori judicio minimè curantur. (1) ideo inter gravamina appellationum prolata ad impetrandos processus nihil faciunt. (2) Iisque solis existentibus seu prolatis hi non decernuntur. (3) At cum quæ posterioris generis sunt, narrantur, appellatio recipitur. Quæ talia sint judicum arbitrio relinquendum est, nec definiri potest, nisi expensis causæ statum partiumque meritis, simul ad ista oppositis, quæ ex processu neglecta dicuntur, quantum partibus noceant, deductioni deceat, aut quo minus ea congruè fieret efficiat, quod judici inter gravamina ob oculos poni appellantis valdè interest, & ad diligentiam Advocatorum pertinet. Hujus conditionis ea censentur, quæ fiunt contra requisita processus judiciarii ex jure gentium naturali, quæ sic comparata sunt, ut nunquam nisi in plane notoriis abesse debeant. Si quæ etiam alia jus positivum requirit, pro meritis causæ, similis necessitatis sunt. Inter hæc reputata sunt pleraque ab appellante pro decernendis processibus allegata, quæ ad merita causæ multum ponderis adhibita attulissent, sic ut neglecta multum tam causæ cognitioni ademerunt, quam causam dubiam reliquerunt, nempe quod sententia super aliis prolata ac de quibus citatio facta fuerat. (4) Quod processit ad ea, quæ incidenter per discursum ab iis, qui aliis de causis convenerant, prolata, nondum hinc inde plene adductis, quæ ad causam pertinebant. (5) Quod præcipitanter sententia publicata. (6) Quod super iis quæ in actis non continentur. (7) Quod ante conclusionem in causa pronunciatum est. (8) Quod juramenti delatio rejecta aut prætenta. (9) Quod sine probatione processit sententia. (10) Quod quæ satis ex actis elucebant, desuper habita erant. Quæ singula sic comparata fuerunt, ut appellationem mereri existimatum sit *in causa D. Henningi Gerdessen, contra Hieronimum Reisern. Die 22. Sept. Anno 1653.*

1. Sic in ordinatione Cameræ imperialis, *part. 3. tit. 34.* provisum ex qua consuetudo introducta, ut ubi de meritis causæ constat, vitiâ processus non curentur, *vid. Gail 1. Observ. 75. num. 1. seq.*

2. Quod ad Justitiam causæ nihil relevat, frustra in jurgium admittitur, *l. fin. C. de Sent. & interloc.*

3. Mynsing. *cent 4. observ. 6.*

4. Citatio requiritur ad causam de qua agitur, ad alia respondere non tenetur citatus, nec litem suscipere Mynsing. *6. observ. num. 9.*

5. Plena causæ cognitio requiritur & sine ea sententia in justa atque nulla est. *l. prolatum 4. l. de sentent. & interloc.*

6. Præcipitantia est noverca justitiæ.

7. Sententia actis non conformis nulla & facta est, *l fin. C. de fideic. libert.*

8 Conclusio quidem de substantia processus non est, ideo omitti potest sine nullitate, sed ita, si satis auditæ sunt partes, & dilationē satis habuerunt ad proferenda necessaria. *Gail. observ. 107. n. 1. seq.*

9. Juramentum maximum expediendarum litium remedium *l. 1. ff. de jure jur. delatum præstari, non rejici debet. l. non erit 5. q. eod.*

10. Probationum facultas non est angustanda *l. quoniam 21. C. de haret & Manich nec ante eas injuria inferenda l. fin. pr. C. ubi senat. vel Clarif.*

DECISIO CI.

Appellans dispensatione judicis superioris admitti potest ad aliud impugnandi remedium in judicio inferiori, eoque remitti.

QUi ob nullitates processus appellaverat, indicabat, si ita judici placeret, se malle ad judicem à quo redire, ibique mediante transmissione actorum ad Collegium JCtorum sententiam exspectare. Nec rationes deerant, cur ita fieri vellet, tum quod si breviori processu causa ad finem perduci poterat, tum quod minoribus impendiis, tum quod videri voluit, causam appellando non protrahere, sed adeò de justitia intentionis securus esse, ut Judici eidem causam submittere velit. Ideo audiendum esse visum fuit. Quod alias ex variis remediis uno electo ad aliud deducere non esse permissum, vulgata sententia habet. (1) Hic obesse nequit, ubi non de facultate partis quæstio est, ad quam tantum ista pertinet, (2) sed de jure atque potestate Judicis superioris, cui non est negatum inter partes litigantes, id quod ad litem finiendam commodius atque expeditius est ordinare. (3) Inde etiam eum agendi modum viamque præscribere, per quam citius ad finem causa producitur, (4) ut & minori sumptu. Si quæ partis intentio illuc tendet, juvanda est magis, quam impedienda. Præsertim ubi adversæ partis non interest in superiori, an inferiori instantiâ super eo quod controversum pronuncietur. Multo magis si ad ejus emolumentum pertinet causam remitti, veluti si aut breviori sumptu & molestiâ obtinebit justa aut gravato appellationis beneficium supererit. *Sic existimatum in eadem causa.*

1. *Vid. Gravett, consil. 678. n. 2. ubi plura allegat.*

2. *Florenz. Diaz. de Mena pract. quæst. 5. n. 60. seq.*

3. *Surd. decis. 120. num 7. seq.*

4. Quod judex litigantibus utilissimum factoque magis accommodatum reperit remedium, ad id litem redi gere potest. *Gail. 1. Observ. 61. n. 10. & seq.*

DE-

Digitized by Google

DECISIO CII.

Judex superior non recipit appellationem de Jurisdictione inferioris adhuc dubia, non attento exceptionem fori non competentis in prima instantia fuisse omissam.

APpellatio à sententia in ordinario possessorio lata interponebatur, & pro impetrandis processibus narrata simul continebant, non fuisse inferioris judicis super illa causa jurisdictionem comperentem, tum quod concernebat quæstionem, cujus decisio non ad judicium pertinere videbatur, sed Commissariis Regiis submissa erat, (1) quia ad hoc jam delata ideo prævenitum erat. (2) Quæ ad causæ merita spectabant, gravamina eâ specie apparebant ut processus solitos mererentur. At post diligentem circumstantiarum discussionem placuit jurisdictione judicis, à quo existente dubia nondum hoc decerni, (3) sed prius ejusdem potestatem investigari. Quod si enim judicium, à quo provocatum fuit, planè est incompetens, ratione defectus Jurisdictionis super illa causa, vel quia ex conditione sua non esset ejus judicis, vel authoritate superiori ad Commissarios Regios translata, ideo judicio adempta, frustrà forsan de causæ meritis solliciti, Nec causa egere appellatione: Nullum quippe est quidquid deficiente Jurisdictione actum & pronunciatum, (4) ideo nec opus provocatione. (5) Malè de Jurisdictione & competentia Judicii inter partes litigium admittetur, ubi non ipsarum est Jurisdictionem aliorum contendere, sed judicis ejus statum & jura noscere, aut sine illarum litigio scrutari. (6) Nec idcirco id serium, (7) aut omittendum, quod coram inferiori judicio exceptione fori incompetentis non opposita videtur prorogatio facta, & in judicium reus consensisse, (8) cum quæ inde oritur renunciatio exceptionis, ad eos judices eaque judicia tantum pertineat, quorum est de causa illa Jurisdictio quæ ubi nulla nec prorogari potest. (9) In qua specie versantes è re duximus ante omnia per literas à Dominis Commissariis Regiis explorare, utrum quæ proposita erat quæstio suæ potestatis sit & quidem privativè, nec non an cognitio de ea suscepta ideo prævention aliud Judicium exclusum sit, & donec de eo certi simus ulteriora decreta suspendere. *In causa Præfecti Monasterii Lilienthal, contra Detlaum von der Hulden, Die 23. Sept. Anno 1653.*

1. Superior jurisdictio facit cessare, & silere inferiorem, *l. Judicium 58. ff. de Iudic. l. 5. C. de offic. Rect. Provinc.* Commissarius principis in causa sibi comissa major est quocumque ordinario, ideo quod principis personam sustinet, & ejus vice fungitur, *c. sane quia x. d. offic. delegat. c pastoralis § præterea x. de offic. ordin. Tulem. de Benign. Observ. Cameral. Pentecost. 8. observ. 1. num. 21.*

2. Præventio impedit jurisdictionem aliam *Gail. 1. Observ. 29. num. 6.* ubi enim cœptum est judicium, ibi finiri debet, *l. ubi 30. ff. de Iudic.*

3. Judicem oportet esse cautum in decernendis processibus, ante omnia vero explorare, circumspicere & æstimare, utrum sua sit de ea causa jurisdictio, *l. 2. ff. si quis in jus voc. l. si quis 5. ff. de Iudic.*

4. Nullitas ex defectu jurisdictionis sententiam ipso jure reddit nullam, *l. 1. §. hac autem ff. quod quisque jur. l. 1. C. de Pedan. Iudic.* nec judicatum aliquod ejus est, qui juris dicendi potestate caruit, *l. 1. fin. ff. ad SC. Tertyl.*

5. *l. 1. l. 2. C. quand provoc. non est necess.* Nihil enim agitur, *l. 1. C. si a non comp. jud.*

6. Judicum officium est jurisdictionis ordinem & modum diligenter observare, qui sine publico præjudicio violari aut negligi nequit.

7. Nullitas jurisdictionis semper opponi potest, & semper attendi debet etiam post tres conformes sententias. *Mynsing. 6. Observ. 4. Gail. 1. Obs. 42. num. 12.*

8. *l. 2 ff. de Iudic.*

9. *l. 3. C. de Iurisd. ib. & gloss. Dd.* Quod non est, haud potest prorogari.

DECISIO CIII.

Non est recipienda appellatio omisso medio ad supremum Tribunal interposita, nisi exponitur justa recipiendi causa.

A Sententiis atque decretis Senatus Civitatis Stadensis olim non est appellatum nisi ad Cameram Imperialem, hodie vero ad Judicium provinciale, seu ut vocant Curiale Hoffgericht / provocari debet. Quando vero illo præterito ad summum Tribunal Regium interposita appellatio proferebatur, conjici quidem potuit, ideo factum quod medium Judicium nondum erat introductum. Quando vero constabat, in Recessibus Ducatus contineri quamprimum esse introducendum, ex illa conjectura non fuit recepta. (1) Præsertim quando nec causa præteriti medii judicii allegabatur, nec impedimentum cur non fieret introductio, (2) Præterea exploratum haud erat, quid hanc remoraretur, an non propediem futura sit. (3) Visum itaque non recipiendam esse appellationem, de qua generatim constitutum est, quod gradatim fieri debeat. (4) Cui regulæ insistendum est, ut evitetur tum jurisdictionum confusio, (5) tum processus nullitas. (6) Etsi & ista patitur suas exceptiones, nec dubitandum est præteriri judicem medium, qui non est; (7) tamen judex superior non

Digitized by Google potest

Potest attendere exceptionem, quæ non allegatur. (8) Nec enim ipsius est supplere exceptiones partium, quæ in facto consistunt, (9) maximè ubi certus non est de eo casu, in quo exceptio illa locum reperit. (10) Imputet sibi pars appellans ubi non allegat quod referri ad judicem, scire sua refert. ((1) Judex non peccat qui regulam Juris sequitur. (12) *Prout ideo denegati sunt processus Iohann von Lipfeld, die 24. Septemb. Anno 1653.*

1. Ita in Recessu inter Commissarios Regios & Civitatem conventio inita reperitur.

2. Judicis non est divinare aut suis conjecturis judicare, *l. fin. C de contrab. empt.*

3. Quod non allegat pars, non attendit judex.

4. *l. Imperatoris 21. ff. de appellat.*

5. Omnino cavendum judici, ne jurisdictiones confundat, *l. nemo ib. gloss. C. de Iurisd. omn. jud. Gail. 1. observ. 119, n. 2.*

6. Appellatio ad superiorem omisso medio interposita, est ipso jure nulla, & processus insequens ex neglectu vitiatur, *vid. Scacc. de appell. q. 7. num. 16.*

7. Ejus quod nondum est, nulla habetur ratio *l. 1. ff. hared. & act. vend.*

8. Judicis est secundum acta & allegata judicare, *l. 6. §. 2. ff. de Off. Præsid.*

9. *l. un. sb. Gothofr. & Sich. C. ut quæ desc. advoc. part.*

10. Judex non judicet nisi de iis, quæ certa sunt. Incerta aut dubia ulteriori deductioni seponat, *l. ex quo 12. pr. C. de Ædif. privat.*

11. Suam sibi quisque negligentiam imputet, *l. pup. 24. ff. qua in fraud. cred.* & qui omittit, quod proficeret, de se tantum queratur, *l. argent. 10. § fin. ff. de Edend.*

12. Regulis juris judex insistit, donec exceptio docetur, *l. 1. ib. gl. & D. ff. de Reg. Iur.*

DECISIO CIV.

Appellatio interposita alterius nomine mandato licet non adhibito recipienda est.

QUod in Camerâ Imperiali servatur, ut cum non ipse qui in lite est nec procurator ejus appellavit, sed alius mandati exhibitio fieri debeat, alias processus negentur, id in summo Tribunali Regio non sequi æquius visum, quod cum appellatio sit defensionis species: (1) Cuilibet permittendum sit à sententia quæ gravamen infert, alterius nomine & gratiâ provocare, etiam sine mandato. (2) Nam uti extra judicium alienum negotium gerere integrum est atque ad utilitatem generis humani pertinet id concedere: (3) Ita perinde etiam quoad ea quæ in judicio aguntur nō improbandum est, quod pro absentis defensione & ad causam ejus integram illæsamque servandam pertinet. (4) Quæ itaque ab advocato. (5) Vel amico. (6) Vel ut negotiorum gestore interposita erat appellatio, (7) nullo requisito aut mandato aut cautione de rato admissa fuit. (8) *In causa Iochim Christoff Horns, contra Iochim Sukouven, & consortes. Die 26. Septembris Anno 1653.*

1. *l. fin. C. de appellat.*

2. Quilibet alienum negotium gerens, utut mandato careat, appellare potest, *c. non solent 21. q. 6. Speculat. tit. de appellat. §. 1. n. 1.*

3. *l. 1. ff. de negot. gest.*

4. Publicè utile est absentes à quibuscunque defendi, & ubi quis damnari potest, quemvis verba pro eo facientem & innocentiam excusantem audiri æquum est & ordinarium admittere, *l. servum 33 §. publice 2. ff. de Procur.*

5. Advocatum muneris ratio ad provocandum ubi clientis interest, adducit.

6. Amicus sine mandato appellat, amici causâ, *vid. Scacc. de appellat. q. 5. n. 67.*

7. Huic eadem potestas appellandi competit. *Scacc. d. q. 5. n. 29.*

8. Cautionem de rato, qua interpositam appellationem exigere in judico inferiori posset esse utile; aliquando etiam necessarium; at minimè in superiori. ubi cum introducitur ab eo, cujus causa est, fit ratihabitio, si alias qua introductionem observantur quæ justa sunt, qua illos qui causam alienam agunt.

DECISIO CV.

Ultima allegatio in lite reorum est, & à sententia illam præveniente juste appellatur.

INter gravamina prolatum, quod judex nondum satis auditis reis pronunciaverat, præsertim quod ad allegata ultimò ab actore, antequam isti respondissent, judicasset, ad appellationem admittendam vel solum sufficiens existimatum est, tum quia nisi partibus satis auditis causaque plene cognita sententia ferri non debet, (1) Tum quia reorum est in lite respondere, nec antequam ad allegata actoris respondet, auditus dici poterit, (2) Ideo inauditus condemnatur, (3) Tum quod in eo potissima pars defensionis reorum consistit, ut opposita ab actore decenter refutet, quo non admisso indefensus erit, (4) Tum quod naturali & æquissimo stylo curiæ, quam communis ratio suggerit & approbat, sic convenit, ut ultima litis sint reorum actionem repellentium. (5) *In causa viduæ Hermanni Sandbecken, contra Cancellarium Henricum Besselin. Die 27. Septemb. 1653.*

1. *l. 1. ff. de re jud. l. 4. C. de sent. jud.*

2. *l. in jure 11. ff. de interrog. in jur. fac.*

3. Nulla gravior nullitas est quam in condemnatione inauditi. *Bald. in rubr. ff. de in jus vocand.*

4. In

Digitized by Google

4 In judiciis cavendum, ne quis se indefensum queri possit, inque eo à judice non tantum parte rogante sed etiam ex officio prospiciendum. *Reusn. consil. 17. n. 23. vol. 3.*

5. Actionibus juris ordine responderi debet, *l. quisquis 27. C. de Episc. & Cler.*

DECISIO CVI.

Mandata inhibitoria de non prosequenda lite regulariter injusta sunt, & quomodo appellatione ab iis interposita procedendum.

LIte inter aliquos super jure congrui pendente reus impetraverat mandatum ad judicem quo mandabatur, ut supersederet in causa, nec partes ultrà audiret, & quidem sub obtentu juris Regii, à quo actores appellaverunt. Duplici ratione injustum videbatur mandatum, tum respectu impetrantis cui pendente lite apud superiorem supplicare, ac quod lite adversatur impetrare non licuit, (1) Tum respectu prohibitionis rei alias licitæ, dum nemini judicia præclusa, sed causam suã agere integrum esse debet: (2) Ideo contra eos qui litẽ prosequi impediunt aut prohibent tanquam ob factum omni jure illicitum, mandata sine clausula decerni solent. (3) Dubium itaque non erat, processus appellatorios esse decernendos. Id vero dubitationem movebat, quod cum etiam casus contingere possent, ut inhibitioni litis locus non injuste fieret, veluti si causa sit justa, ob quam ad transigendũ cogere licet, (4) vel malitia litigantis planè notoria, (5) annon præcavendum, ne, quod magistratus prohibitione evitare voluit, per appellationem foveatur & inique litigantibus fræna cum scandalo aut incommodo aliorum nimis laxentur. (6) Et visum in eâ re sic versari decere, ut per mandatum de non admittenda ulterius lite alteri non noceatur, alteri verò nec lis maligna & manifestè iniqua obtrudatur, (7) quod ita fieri potuit, si injungetur judici transmissio actorum iisque visis atque expensis omnium de appellatione statuatur. (8) *Sicut decretum in causa Senatus Stetinensis, contra Danielem Schlegeln. Die 27. Sept. A. 1653.*

1. *l. 2. l. 3. C. ut pend. lit. vel post provoc.* In præjudicium judicis inferioris ac partis aliter, quam per appellationem ad superiorem querela referri non debet. *Covarr. pract. quæst. 9. num. 1. & seq. Zanger. de Except. part. 2. c. 1. n 128.*

2. Si quis se petitionem habere putet, judicio vel actionibus experiri potest, *l. extat 13. ff. quod met. caus.* Judiciorũ vigor jurisque publici tutela in medio omnibus constituta est, *l. nullus 14. C. de Judæis & Calicol* nec ordinariam inferioris judicis jurisdictionem turbare decet. *Felin. in c. ut nostrorum x. de Appellat. Gail. 1. Obs. 41. n. 5.* Quod etiam prohibitum reperitur, *in Ordin. Cam. Imp. part. 2. c. 35.*

3. *l. 1 & tot. tit. ff. ne quis eum qui in jus voc. Petr. Frider. Mindan. lib. 2. de mandat. c. 29. n. 1.*

4. *de iis vid. Gail. lib. 1. de Pec. Publ. c. 5.*

5. Malitiis non est indulgendum, *l in fundo 38 ff. de rei vindic.* Cedat ab actionci nstituta improbus litigator & tristitia judicum et cum severâ interminatione occurrat, & à judicio longissimè repellat, *ut habent verba Imp. in l. 2. §. quod si actor. C. de jurej. propt. calumn.*

6. Extraordinario remedio licet coërcere litigantium temeritatem, *l. fin ff. de fort.*

7. Mediè rem curare optimum est, *l. si servus 14. ff. de pignor action.*

8 Remedium securè de appellatione statuendi optimum, acta requirere iisque visis decernere.

DECISIO CVII.

Appellatio per compromissum licet abdicata, quatenus processus isti contraveniens est, admittitur.

MUlta est inter JCtos de appellationibus ab arbitrorum laudis disputatio, (1) non tamen pertinens ad arbitros, qui non ex compromisso seu conventione partium, sed autoritate judiciali seu ex jurisdictione arbitrantur. (2) Ideoque nec ad eam compromissi speciem, quando coram judice ex compromisso agitur, (3) nec hic tam constituitur ut arbirer, quam quod dum ut judex causam cognoscit saltem pro abbreviandâ lite per conventionem modus processui dictus est. A tali itaque judice juxta compromissum judicante appellari potest, (4) nisi sit appellationi renunciatum. Hoc vero licet facto non aliter tamen ex pacto appellandi via præclusa erit, quam si compromisso convenienter actum & sententia eo quo placuit modo pronunciata sit, (5) Ea mente compromittens se illi submittit & appellationi renunciat, ut in cæteris conventa servantur, quibus neglectis non obnoxius est dictæ sententiæ, (6) nec amissioni beneficii cujus renunciatio alias stricti juris est, non extendenda extra illum respectum sub quo facta fuit, (7) quando itaque compromissi ea lex fuit, ut postquam in causâ conc usum à Collegio mercatorum peteretur sententia, hæc vero petita fuit ab JCtorum Collegio & quidem isto quod expresse recusatum erat, (8) non potuit non renunciatione illa minimè attentâ appellatio præsertim allegatis gravaminibus non levibus admitti. *Vti existimatum in causa Henrici Kippens hæredum, contra cessionarios Henrici Haverechten. Die 27. Sept. Anno 1654.*

1. Regulariter à sententia arbitri ex compromisso aditi appellari non posse sæpe rescriptum est, *l. 1. C. de recept. arbit. l. non dissing. 32. §. cum quidam 14 ff eod.*

2. *l arbit. 9 ff. qui satisd. cogn. l. fin. C. de Jud.*

3. Refert enim, an arbiter judicet ex pacto, an ut judex vi suæ jurisdictionis, etsi juxta compromissum, quod non immutat illius rationem.

4. In hoc cessat ratio, *d. l. 1. C de res. arbitr.* Hic quippe non arbitratur, sed judicat. Ex compromis-

Digitized by Google

ſo non ſit judex, ſed ille adſtringitur tantum pacto Compromiſſum non tribuit arbitrium, ſed format proceſſum.

5. Nulla plane eſt ſententia ultra modum compromiſſo comprehenſum dicta, *l. 1. C. de recept. arbit.*

6. *l. non diſting. 32. §. fin. ff. de recept. arbit. l. arbit. 50. ff. eod.*

7. Quod ſub conditione vel certo reſpectu, qui iſtius vicem habet, fit, eo ceſſante non conſiſtit. *Bart. in l. 1. ff. de reſcind. vendit.*

8. In compromiſſis arbitrium perſonæ addictum perſonam non egreditur, *l. in comprom. 45. ff. de recept. arbitr.*

DECISIO CVIII.

Duobus modis renunciatur remediis ſententiæ impugnativis, & quis ſingulorum diverſus effectus ſit.

IN compromiſſo vel aliàs cum appellationi aliisque remediis impugnativis renunciatur, multum refert, quâ formulâ id fiat. Vel enim planè abdicatur appellatio, ſeu renunciatio reſpicit ad ſententiam ejusque vim, ut ex voluntate partium ſententia qualiscunque ſit, corroboretur, & iſti ſtari & obtemperari debeat, vel refertur ad executionem tantum, quod non attentâ appellatione rejectisque aliis remediis pronunciatum exequi oporteat. In priori ſpecie firma manet ſententia nec impugnationi ulli locus relinquitur. (1) Niſi notoriè nulla ſit, ut vieres rei judicatæ nunquam aſſumere poſſit. (2) In poſteriori verò integra eſt facultas remediis impugnativis utendi. (3) Saltem effectum ſuſpenſivum non habent. Huic tantum, non remediis ipſis renunciatum creditur. Nec enim præſumitur renunciatio, aut intelligitur alia quam ex manifeſtis verbis apparet. (4) Eſt enim facta ſtricti juris, ſtrictiſſimè accipienda (5) præſertim quoad ea beneficia quæ defenſionem ſpectant atque favorabilia ſunt. (6) *In eadem cauſa.*

1. Appellationem excludit facta renunciatio, non tantum expreſſa, ſed & tacita, *prout late declarat Scaccia in tr. de appell. q. 17. limit. 2. per tot.*

2. Fruſtra vereris ſententiam quæ nulla juris ratione ſubnixa eſt, *l. 2. C. de Pœn.* circa appellationem infirmatur quæ nullius momenti eſt, *l. 1. §. 1. ff de Fer. & Dilat.*

3. Non enim illa abdicata ſunt, ſed tantumuon obſiſtentibus iis executio permiſſa. Verba renunciationum præciſe ſequi decet.

4. *l. ſi quando 35. §. & generaliter verb ſpecialiter C. de inoff. Teſtam.*

5. *l. jubemus 26. C. ad SC. Velle jan.*

6. Pro his capitur ea interpretatio ut ſalva ſint. *Bald. conſil. 213. vol. 4.*

DECISIO CIX.

In cauſa Fiſci appellationi locus eſt, cum debitum dubium eſt. vel ſi ex jure privati Fiſcus agit.

IN Fiſci cauſis non admitti appellationes juris ſententia eſt, (1) at pertinens ad ea debita, quæ Fiſci ſunt propria, eaq; certa ſecus ſe res habet, ubi non improbabilis dubitandi ratio eſt circa dubium fiſcale an debeatur. (2) Tunc in dubio admitti appellationem æquum eſt, ſicut contra Fiſcum pronunciari melius. (3) Idem tenendum, ubi non de aliquo peculiari ſeu proprio fiſci debito agitur, quale eſt tributum vectigal &c. (4) Sed de tali quod ex contractu naſcitur, (5) vel ubi in jus privatum fiſcus ſuccedit. (6) Multo magis, ubi ex jure alterius privati experitur, conveniens nempe debitorem debitoris. *In cauſa Ioanis Lixfeld contra Advocatum Fiſci. Die 27. Septemb. Anno 1653.*

1. *l. abſtinendum 4. l. ult. C. quor. appellat. non recip.*

2. *Angel. Aretin. in l. ſciendum 6. num. 4. ff. de Appellat. recip. Scacc. de Appellat. q. 17. limit. 17. num. 7.*

3. In dubiis quæſtionibus contra fiſcum reſpondetur, *non puto 10. ff. de jur. Fiſc.*

4. Quoad talia debita quibus publica neceſſitas ſubeſt, favor fiſci ſemper potior habetur, *l. 1. l. fin. C. ne fiſc. vel Reſpubl.*

6. Ubi in privatorum jus ſuccelloit fiſcus privatorum jure quoque utitur, *l. fiſcus 6. pr ff. de jur. fiſc. l. in facto 60. §. 1. de condit. & demonſtrat.*

DECISIO CX.

A ſententiæ declaratione appellatio locum habet, etſi, quæ declaratur vires rei Iudicatæ acceperit.

SEntentia quidem vires rei judicatæ nullâ ejus factâ legitimâ impugnatione (1) conſequitur, attamen ſi ad dubium illius intellectum, dum alium atque alium ſenſum utraque pars obtendit, in novam litem incidit, ut nondum certa eſt, ita illo effectu non potitur. (2) Ideo à controverſi intellectus deciſione per declarationem facta appellatio non eſt excluſa, (3) nec ſub obtentu rei judicatæ rejicienda, quandoquidem alia eſt controverſia, quæ de ſenſu ſententiæ oritur, per hanc non deciſa, ſed alia eaque declaratoria ſententia primum definienda. (4) Ex quo antea quod non expreſſum pro judicato fuit. (5) Nec etiam ab initio appellari potuit, nec

opus

Digitized by Google

opus fuit, dum quisque sententiam in suas partes intellexit; ubi vero per declaratoriam apparuit, cui adversatur, tunc demum gravamen sentit, & verè tunc sententia esse incipit, cum certum intellectum accipit. (6) Quia antea non apparet, de quo an sit verè sententia. (7) In qua specie non attendenda est rei judicatæ adeoque non recipiendæ appellationis exceptio, sed decernendi sunt nihilominus processus. *Vti factum in causâ viduæ D. Raphuns, contra Balthasarum Sachtleben, die 27. Septembr. Anno 1653.*

1. *l. fin. C. sent. resc. non poss. l. 1. C. re jud.*

2. Sententia sine certa condemnatione est nulla, *l. in sententiis 69. § pen ff. de judic.*

3. Exemplum cape *ex l. fin. C. de Sent. quæ sin. cert. quant.* ubi antequam quod est sententiæ, liquidum fit, carere judicati authoritate dicitur. Postea, si qui judicabat certam sententiam protulerit, provocari potest.

4. Cessat rei judicatæ exceptio, ubi aliud in judicium venit, *l. 14. seq. ff. de Except. rei jud.*

5. Sententia tantum transit in rem judicatam quoad expressa, non quoad alia quæ expressim in sententia non continentur. *Scacc. in Tract. de Appellat. quæst. 17. limit. 6. memb. 9. numer* 11.

6. Res judicata est, quæ finem controversium pronunciatione judicis accipit, *l. 1. ff. de re judic.*

7. Paria sunt non esse & non apparere, *l. in lege 77. ff. de contrah. empt.*

DECISIO CXI.

Ob infirma jurisdictionis inferioris non avocatio causæ, sed auxilium fieri, nec aliter appellatio admitti debet.

POst inhibitionem à medio judice decretam, at per inferiorem spretam, cum ab hujus decreto ad superius Tribunal appellatum esset, visum est appellationem non admittendam esse, præsertim ut causa ad hoc penitus devolveretur, (1) sed tantum imbecillitatem medii, ob quam interposita erat appellatio, adjuvandam esse, (2) quo coram hoc appellans jure suo frui & potiri posset; Nec enim instantias perturbare aut pervertere, sed exacte observare oportet. (3) nec aliter, quam ubi juris consecutio impossibilis seu non speranda est media judicia præteriri permittendum. (4) Quocirca antequam ad subsidiarium atque extraordinarium remedium devenitur, prius omni modo tentandum, ut ordinaria via servetur. In tali specie placuit non recipere appellationem & huic congruos processus, sed mandatum ad judicem primum decernere, ut inhibitioni immediati Judicis obtemperet, atque hujus jurisdictionem rescripto contra contemptum excitare. *Sicut ita decretum in causa Obrist Leut. Iohann von Lipfeld, contra Iohann Prageman & Consortes, die 1. Octobr. Anno 1653.*

1. Appellatio gradatim fieri debet, & quidem non omisso medio, *l. Imperatores 21. ff. de Appellat.*

2. Judex Judici manus porrigere debet ad Jurisdictionem cujusque conservandam & adjuvandam, *Rebuff. in tr. de Lit. Req. isf. in pr. num. 11.* Jurisdictio per Jurisdictionem adjuvanda est, 2 *C. de his qui latron. c. administratore 23. q. 5.*

3. Jurisdictiones confundi quam noxium tam minime ferendum, *l. nemo ibi gloss. C. de Iurisdict. Guid. Papa decis. 436.*

4. *Vid. Scacc. de Appellat. quæst. 7.*

5. Ordinaria via ubi locum habet ad extraordinariam non decurritur, *l. in causa 16. ff. de Minorib.*

DECISIO CXII.

Non auditur appellans pro exceptione fori, nisi eandem prius coram judice à quo allegaverit.

LOcum quidem habet appellatio ob rejectam fori exceptionem, at non ob mandata judicis, ideo tantum, quod incompetens dicitur. Illa quippe exceptio, quando non Jurisdictionis substantia, (1) sed tantum competentia in dubium vocatur, pertinet ad primum Judicium, in quo alleganda & deducenda, superque istâ sententia expectanda est. (2) Alias non potest appellans dicere, se qua illam exceptionem à Judice esse gravatum, cum coram ipso nondum opposuit. (3) *In causa locum tenentis Ioannis à Lipfeld contra Ioannem Prageman, & consules die 1. Octobris Anno 1653.*

1. Quando contra substantiam Jurisdictionis excipitur & in quæstionem venit, an aliqua sit ejus qui citavit, Jurisdictio, superioris Judicis est cognitio. *Zang de Except. part. 1. cap. 1. num. 446.*

2. Judicis est de Jurisdictione sua cognoscere, an competens sit nec ne, ideo etiam coram incompetente demonstrandum eum talem quivis comparere debet, ne judicii authoritatem contemnere videatur, *l. si quis ex aliena ff. de Iudic. l. 1. ib. Iason. ff. si quis in jus vocat. Gail. 1. observ. 34.*

3. Sine gravamine non admittitur appellatio, *l. 1. ib. gl. ff. de appellat.*

DECISIOI CXIII.

Non observata dilatione quam judex indulserat, præmaturè decretum nullum est & appellabile.

JUdex ad respondendum reo dilationem dedit, at non observavit, ad instantiam actoris ipsi non attentâ durante impedimenti causa injungens, ut sub pœna confessi intrà quatuordecim dies respondeat. Ejusmodi decretum injustum esse, & ab eo appellationem interpositam admittendam visum fuit. (1) Nam cum appellari queat à

Digitized by Google

dilatione breviori quam expedit aut necessaria est, (2) quanto magis licebit ab ea, quæ coarctata est, (3) præsertim cum nulla ejus ratio appareret: è contra vero causa ob quam semel indulta erat, nempe arrestum corporale, per quod literaria documenta conquirere reus impediebatur, duraret, & illius etiam post lapsum prorogatio justa foret, (4) *In causa Obrist Leut. Iohann von Lipfeld, contra Heinrich Viend, die 4. Octobris Anno 1653.*

1. Decretum contrarium alteri ex quo parti Jus quæsitum est injustum, quia contraria judex mandare aut decernere non debet, *l. si C. quand. provoc. non est necess.*

2. *Vid. Scacc. de Appel. q. 17. memb. 1. numer 26. Bart. in l. 2. numer 24. ff. de Appell.*

3. Paria sunt auferre alicui defensionem & nimis coarctare, angustia termini facit locum appellationi *Rota decis. 36. numer 3.*

4. Cum justa apparet causa seu impedimentum inevitabile, judex addandum dilationes non debet esse difficilis, sed in dubio semper concedere, *vide Rutg. Rulan. in tract. de Commiss. part. 1. lib. 2. cap. 7. num. 21.*

DECISIO CXIV.

Apostoli refutatorii causam non habentes expressam non attenduntur.

JUdici quidem, cum appellationi non deferendum esse putat, Apostolos refutatorios dare integrum est, (1) at simul causam eorum exprimere oportet, (2) quo judex ad quem videat, cur appellatio non admittenda sit. (3) Qui alias in dubio semper appellationem admittit; (4) Ideo & eosdem sine causa datos merito non attendit. (5) *In causa locum tenentis Ioannis à Lipfeld contra Henricum Viend die 4. Octobris Anno 1653.*

1. *Maranth. in spec. part. 6. art. 2. princ. Rub. quando appellatur num. 225.*

2. *Cap. 1. de Appellat. in 6.* ex quo textu JCti requirunt causam ad refutatoriorum substantiam. *Contard. in l. un. quæst. 1. num. 61. Cod. si de moment. possess.*

3. Ejus est de eo cognoscere & statuere, utrum appellatio admittenda sit nec ne, *ut in alia causa decisum reperitur.*

4. *l. 1. lib. gloss. & Dd. ff. de Appellat.*

5. Paria sunt, utrum judex à quo Apostolos refutatorios non dederit, an ineptè & contra legem seu stylum Curiæ

DECISIO CXV.

Hæres in ipsa executione & adversus illam cum exceptione beneficii Inventarii audiendus est; ob eam rejectam juste appellat.

AB executione quidem non appellatur, (1) at cum circa illam non attenditur exceptio quæ in ipsa executione locum habet, justa est ab ejusdem rejectione appellatio. (2) Talis habetur omnis illa quæ tendit non ad tollendum vel corrigendum Judicatum, sed minuendam condemnationem aut moderandam executionem. (3) Cujus species est exceptio beneficii Inventarii (4) quam hæres, qui eo mediante hæreditatem adiit, contra executionem indefinitè seu in solidum decretam opponit, ne ista fiat ultra vires hæreditarias. (5) Quando autem eadem rejecta fuit, & reus appellavit, existimatum est injustè factum. (6) *Sic decretum ad instantiam Dn. Comitis Erich Stenbocken, contra hæredes Ioh. Walschleben, die 5. Octobr. Anno 1653.*

1 *l. ab executione 5. C. quor. appell. non recip.*

2. Limitat *d. l. 5. C. quor. appell. non recip.* regulam nisi executor modum judicationis excedat. Ex quo JCti uno ore concludunt. Ersi non ab executione, ab excessu tamen executionis appellari. Talis autem sit, cum id quod Jura circa executiones constituunt, negligitur. Eo itaque oppositè rejecto non potest non justa esse appellatio. Inde quando judex non admittit executionem, cui locus est contra rei judicatæ executionem, ad eam impediendam appellari potest, *uti post plures allegatos tenet Scaccia de Appellat. quæst. 17. limit. 10. num 34. seq.*

3. *l. 1. ib. Dd. C. de Iur. & fact. ignor. l. Nesen. 41. ff. de re judic. l. fidejussor. 31. l. si fidejussores. 41. §. fin. ib. Bart. ff. de fidejuss. l. ex diverse 17. §. fin. ff. solut. matr.*

4. Id confirmat prolixius *Zang. de Except. part. 3. cap. 26. numer 102. seq.* Qui enim se ad solutionem pro viribus hæreditatis offerens non impugnat judicatum, sed ei uti justum satisfacere paratus est, ultra adversus se executionem fieri deprecatur, *juxt. l. fin. §. 1. C. de Iur. deliber.*

5. Hoc convenit Inventarii beneficio, ut hæres non teneatur, nec executio contra ipsum fiat ultra hæreditatis vires, *d. l. fin. §. 1. C. de Iur. deliber.*

6. Iudex exceptionem legitimam præsertim causa non cognita rejiciens gravamen infert, quod appellationi causam facit. *Contard. in l. un. limit. 19. n. 6. C. si de moment. possess.*

DECISIO CXVI.

Iuramentum quando & quomodo excludit appellationem.

MAgna quidem juramenti reverentia (1) præsertim apud Judicem custodia sollicita esse & caveri debet, ne per juriis locus & occasio

& occasio detur, ut non perinde illud efficere possit, ne jurans justis exceptionibus seu defensionibus utatur & audiatur (2) Quantum ad appellationem (3) attinet, interest, utrum actus seu contractus, de quo agitur, tantum sit juratus, an simul appellationi cum juramento renunciatum. (4) Ubi tantum contractui Juramentum accessit sine juratâ renunciatione. (5) id dum nihil de eo continet non magis excludere istum potest, quam alias defensiones. Nec enim juramentum ex se paratam habet executionem, aut tollit exceptiones, super quibus non fuit juratum. (6) Quando autem præterea Juramento abdicata fuit appellatio, ad quod specialis renunciatio necessaria est, tunc appellans merito non admittitur, (7) quamdiu à Juramento relaxationem ad effectum appellandi non impetrat. (8) Quod si vero istam rogitet, audiendus erit prævia tamen summaria causæ cognitione. *In causa inter Iulium Paula Schmalltz Hagen & fratres Kassovios die 7. Octobris Anno 1653.*

1. Juramentum non alterat vel auget obligationem, *Decius in l. cum super 5. de offic. deleg.* sed sequitur naturam actus cui accedit; ex hoc regulatur, *6. pervenit de jurejur.* ideo ejusdem jura conditiones & modos *Bartol. in l. societatem § arbitratorem ff. pro soc.* nec ultra ea constat, ideo quibus auxiliis evadi potest debitum ex contractu, per eadem liberamur juramento.

2. Appellatio est defensionis species, ideo valde favorabilis.

3. *Vid Coler. de Proceff. Executiv. part. 3. c. 2 n. 14.*

4. Dicterium quidem vulgatum est, juramentum vim renunciationis habere. *vid. Gail. 2. Observ. 27. n. 22.* at qua ob rigorem vinculi & necessitatem observantiæ ita dicitur, non quâ extensionem sensus aut exclusionem justi. Est enim stricti juris, *c. pen. ibi Canonistæ de Iurejur.* nec ultra voluntatem atque dicta obstringit aut jus tollit. *l. fin. C. de non num. pec. l. non omnes ff. de reb. credit. Repa. in l. 1. § si quis ita num. 28. ff. de verb. oblig.*

5. Renunciatio simplex appellationem excludit, *l. 1. in pr. ff. à quib. App. non lic.* multo magis jurata.

6. Etsi appellationi fuerit renunciatum, tamen pluribus ex causis fit, ut renunciatio vel non teneat, justis adversus eam competentibus exceptionibus, vel per restitutionem in integrum aliisque legitimis remediis rescindatur aut cassetur. Ubi ea renunciationem non attendendi ratio subest, illa non obstante locus est appellationi, ejusque prosecutioni, & sufficit causam non obstantis vel non attendendæ renunciationis allegare, cum hæc sine juramento facta fuit. At quando hoc accessit, etsi appellatio tenet, judex tamenne perjurio locus relinquatur, non audit, nisi prius obstaculum removeat. *Tilem. de Benign. Observ. Camer. 15 cent. 3.*

7. Quemadmodum post actionis juratam renunciationem opus est juramenti relaxatione ad effectum agendi, *de quo ejusque ratione prolixius tractat Gail. 1. Obs. 22. & seq.* ita etiam hoc ex simili ratione opus est contra Juramentum de non appellando. *Tilem. de Benign. Pract. Observ. 87. in fin. Ruding. Pandect. Cam. lib. 1. tit. 24. numer 1. in fin.*

8. *Gail. 1. Observ. 23. num. 1. & seq.* Quem processum requirit relaxatio juramenti ad effectum agendi, eundem postulat quæ fit ad effectum appellandi. Est hujus eadem ratio.

DECISIO CXVII.

Causa collectarum non plane est inappellabilis.

VEnit in quæstionem, utrum causa collectas & tributa concernens appellatione interposita coram Tribunali Regio sit recipienda? De quo dubium movit, quod constitutum est, (1) Abstinendum prorsus esse ab appellatione, quoties fiscalis calculi satisfactio postulatur, aut tributoriæ functionis solenne munus exposcitur. Unde aliquorum opinio struxit eam generalem sententiam, causam contributionum plane esse inappellabilem, (2) utpote cum impositio aut exactio non sit Judiciale quid, sed actus Imperii & juris Regalis. At qui inspexerit rectius, quæ de appellatione in iis sunt scripta vel sancita, reperiet, quomodo illa non simpliciter prohibita, sed in certis terminis atque speciebus saltem est exclusa: à quibus ipsis argumentum præbetur, universaliter non esse prohibitum in causis tributorum inique gravatos appellare. (3) Quid opus fuisset in iis speciatim quid constituere, ubi generali definitione omni prohibenda esset appellatio; tam civili (5) quam Canonico jure, (6) aliud approbatum reperitur. Sentit ita communis JCtorum Schola. (7) Usus quoque in Imperio Romano-Germanico observat, uti notare licet ex infinitis causis, quæ in puncto contributionum in Camera Imperiali agitatæ sunt & hodienum versantur (8) Æquitas quoque suadet ita indefinite non excludi in eo puncto gravatos ab universali sua jura defendendi remedio. [9] quod naturalis juris est, (10) & nemini sine gravi causa adimendum, multo minus sine lege expressâ. (11) Qualis de contributionibus in universum nulla est. Quæ in contrarium facere videntur, ad certas species pertinent, & non generales sed speciales sunt, quarum ratio respiciens saltem necessitatem publicam & ne huic sustentationis media decedant, ipsamet arguit extra eam non esse vetitum in collectarum causis ad superius Tribunal appellare. (12) Quocirca injustè cæco velut impetu rejicietur sine discrimine omnis appellatio, ubi ea tantum non admittenda est quæ reperietur prohibita. Quocirca cum causa affertur collectam concernens, quâ appellationem interpositâ examinandũ prius est, utrum in ea appellationi locus esse possit; non statuendũ simpliciter, quod tali examini concedi non de-

Digitized by Google

debeat. (13) Uti hoc reputatum fuit *in causa Incolarum terræ Kedingen in parte Friburgensi contra Incolas ejusdem in parte Blutzfliezensi die 6. Octobr. Anno 1653.*

1. l. abstinendum 4. l. fin. C. quor. appellat. non recip.

2. Specul. in tit. de Appell. §. in quibus caus. non appell. num. 4. & 5. Rebuff. in tr. de Appell. art. 7. gl. 2. num. 14. Aretin in l. sciendum num. 4. ff. de Appell. recip.

3. Exceptio enim confirmat regulam in casibus non exceptis.

4. Specialis de una specie provisio in dubio est argumentum alterius in genere juris, *l. 1. l. ex eo 18 ff. de Testib.*

5. l. quoniam 18. de Appellat. hoc textu Appellatio tantum quia deserta est, ultra non admittitur: inde extra eum casum licitam esse manifeste indicatur.

6. c. quoties fiscalis 2 q. 6.

7 Vid. Ruginell. de Appellat. §. 2. c. 93. n. 94. seq. Petr. Gregor. Tholos. de Appellat. lib. 2. c. 6. num. 1. & alios, qui in sequenti definitione allegabuntur.

8. Evolvas libros qui continent Decisiones & Observationes Camerales, & innumeras reperies causas fiscales, & speciatim contributionum ventilatas & decisas in Camera Imperiali.

9. Hoc velut commune asylum paratum est omnibus gravatis in quibusvis causis tam majoribus quam minoribus, *l. 1. pr. ff. de Appell. l. & in majoribus 20. C. eod.*

10. Est enim species defensionis quæ est juris naturalis, subditis quoque contra exactiones superiorum graves & duras non adimenda. *Gail. 1. Observ. 17. numer 1. & 3.*

11. Regula est quod in omnibus causis appellare permittitur, in quibus non est prohibitum, *l. 1. §. quæsitum ff. de Appellat.*

12. *In d. l. abstinendum 4. C. quor. appell non recip.* appellatio prohibitur, cum poscitur in tributi munus solenne hoc est ordinarium, de cujus debito constat, vel ubi fiscale aliud debitum est certum, seu ut verba sonant, evidens & convictum. Unde colligitur, extra ordinem poscitur, aut illiquidum prætenditur, non esse exclusam appellationem. Ita etiam *d. l. fin. C. eod.* de debitis fiscalibus liquidis seu cum debitores aperte manifesteque convicti sunt loquitur. Quare ubi jus fisci debitum aliud sentiemus, *vide sic distinguentem Petr. Gregor. Tholos. in tr. de appellat. lib. 2. cap. 9. num. 1.*

13. Sunt enim plures casus, ubi appellationi in causis tributorum locus est. De quibus speciali definitione mox videbimus.

DECISIO CXVIII.

Quando in causis contributionum appellatio est recipienda.

CAusa contributionum aut acta est in Judicio inferiori ordinario juris processu, aut verò extra judicium decernitur à quo appellatur. Ubi in judicium semel illa causa deducitur, sequitur judiciarium ordinem, & quemadmodum in aliis Judiciariis causis appellationi locus relinquitur, ita non præclusus est ideo, quod de contributione agitur. (1) Eo ipso quod in Judicium venit, controversia de causis collectarum tam appellabilis fit, quam est Judiciaria, tum Judicii conditione, (2) tum agentium voluntate, (3) tum superiorum permissu. (4) Cæterum quando de iis extra Judicium agitur. Primo sequimur, quod de extra judicialibus appellationibus alias observatur. Deinde materiam litis discernimus. (5) Appellatur vel ab impositione vel ab exactione. Illa fit aut à lege & est inappellabilis, (6) vel ab imperante, & ab impositione hac munerum appellationi locus est, (7) at non indiscriminatim. Quod imponitur vel solitum vel insolitum est. Illius debitum vel certum est vel dubium. Ejus quod ex lege, consuetudine, conventione aliove titulo extra controversiam debetur, impositio appellationem non admittit. Cum debitum est dubium, vel quia jus collectandi non appareret, vel quia causa collectæ in ambiguo, vel quia iniqua seu inæqualis est impositio, appellare & ad Judicium provocare licet. (8) Quod si est insolitum quod imponitur, liquidem rationem habet manifestam, quia seu necessarium seu publice utile, cessat provocandi jus, (9) secus ubi justâ ratione caret, & ad onerandos & affligendos subditos tendit. (10) Ob gravamen immodicum ad superiorem juste provocatur. (11) Exactio impositæ collectæ intenditur aut contra eum qui obnoxius est muneribus civilibus seu ex bonis onere affectis; ut ab eo qui per jus commune, privilegium seu consuetudinem, immunitatem & exceptionem personæ & bonorum habet. Et hinc licentia superest semet per appellationem defendendi, (12) si quidem possessione vel quasi illius existet. (13) Ubi in eam non devenerit isto beneficio qua usum istius non juvatur. (14) sed opus habet prius immunitatem legitimis modis ostendere; nec nisi statim per diplomata, aut alia instrumenta id facere possit, auditur. [15] Aliæ allegationes post executionem differuntur aut appellatio suspensivo effectu caret. (16) Personæ immunes seu quæ obnoxiæ sunt oneribus vel negant debitum Reipubl. vel queruntur de duritie & iniquitate exactionis. In illa specie aut est manifestum nihil deberi seu injuste exigi & appellantes meritò audiuntur; (17) aut de eo dubium est & tunc vel controvertitur Reipubl. debitum & non licet provocando id differre, sed oportet solvere, postea de non jure exactionis contra se dicere; (18) vel non est de debito disputatio, sed à qua persona aut ex quibus bonis solvi debet, & quatenus sine detrimẽto aut defraudatione

Digitized by Google

dationes publicalis movetur, audiuntur appellantes. (19) In posteriori specie aut res est de injuria exactorum nimio rigore & acerbitate subditos vexantium, aut de inæqualitate aut prægravatione, aut de asperitate modi executionis si pœna nimis gravis morosis indicitur, aut de enormi & insolito quodam onere alio circa exactionem irrogato & in his sive res sit cum fisco & Republ. sive cum aliis appellare (20) licet & recipienda est appellatio, ita tamen quatenus id quod Reipubl. debetur, non remoratur, seu civitas inde nihil detrimenti capit, (21) sicut & generatim quando in causa tributorum gravamen & appellatio non eo pertingit, ut fisco quid decedat, appellatio semper admittenda est, cum ita Reipubl. sit consulendum, ut & non injusta irrogentur. Quare ubi utrique fisco debita & privato jus simul servari poterint, iniquum foret alterum posthabere. Cui consequens & simile est, quod si non adversus fiscum, principem vel Rempubl. sed contra tertium quendam circa collectas res & quæstio existit, appellationi locus fiat. (22) Ideo cum inter incolas ejusdem regionis controversia erat non de debito Regi aut Reipubl. detrahendo, sed æqualitate collectarum introducendâ, interea solveretur tota portio debita, saltem qui se nimis ultra ratam onerari querebantur per æquitationem fieri rogarent, provocatio admissa fuit non minus quam quod ea lis antea ad Collegium Justitiæ Ducatus Bremensis ad discussionem Judiciariam remissa erat. *In eadem causa.*

1. Ut quisque viam eligit, ambulare debet, *l. quod in hærede §. 1. ff. de Trib. act.*

2. Appellatio generale & commune remedium atque defensionis species est, idcò in quibus causis, quæ judicio tractantur, non reperitur prohibita vel exclusa, est admissa, *l. 1. §. 1. ibi gl. & Dd. ff. de Appell.*

3. Est pars judicii ut provocare liceat, cum illud non est summum.

4. Superiorum indultu causa alias non appellabilis potest fieri appellabilis. *Reb. ff. de Appellat. in præfat. num. 67.* Quæ regia manu expediri possunt, semel in Judicium voluntate superiorum deducta Judiciario ordini censentur submissa.

5. *l. his qui C. de Appellat. l. pen. C. quand. appell. non est necess.*

6. Sicuti alias à lege non appellari, sic nec ab impositione quam lex constituit, *uti docet. Klock. de Contributione cap. 18. num. 6 & seq.*

7. *l. abstinendum 7. verb. solenne l. fin. verb. qui aperte manifesteq; convicti sunt C. quorũ appellat. non recip.*

8. Hoc confirmatum in conclusione præcedenti & convenit vulgari sententiæ, quod non aliter quam si liquida est causa & quantitas collectarum executivo qua illas processui locus est. Alias defensio admittitur & juris ordine atque cum cognitione proceditur, *l. prohibitum l. defensionis C. de Jur. Fisc. l. quoniam 3 verb. rationalis noster ordinem juris sequatur C. de Conven. fisc. debit.*

9. *d. l. fin. verb. publicarum necessitatum & privati erarii utilitas non differatur C. q. appell. non recip.*

10. Quod ultra solitum pro tributo exigitur, recte legitimis remediis impugnatur, nec lite pendente extorqueri debet, sed consisti intra terminos consuetos, *l. 1. verb pristinam professionem agnoscant. C. de Agr. & Censit. Alph. de Azevedo in Constit. Hispan. lib. 6. tit. 14.* Non est dubium decreta super his esse appellabilia, cum mandata inhibitoria & prohibitoria contra nova & insolita onera rogari & impetrari soleant & debeant, *vide Klock de Contrib cap. 19. num. 285. & seq.*

11. Sævitiæ species est immoderata tributorum exactio, quæ sanguinem subditorum, ut ille alter est in facultatibus ipsorum, exhaurit. *Gail. 1. obs. 17. Mindan. de Mandat. lib. cap. 13. n 8. & seq.*

12. Provocatio ad superiorem est inter ordinaria remedia defendendi immunitatem atque exemptiones, *vide Klock. de Contrib. d. cap. 19. num. 310.* adeo ut & necessaria censeatur atque ommittens sibi valde præjudicet. *Angel. in l. 1. §. si quis tutor. ff. quand. appell. Cothman. cons. 11. num. 178. vol. 1. Thomat. in tr. de Collect. §. 1. num. 12. & §. retenta numer 33.* De quibus incidens dubitatio efficit, ut executive non procedatur adversus eos, qui an debitores sunt non constat, sed Fisco incumbit ordinaria juris via procedere. *Gail. 1. obs. 20. n 4. & 8. Cacheran. decis. 86. per tot. Cothman. resp. 11. n 190. vol. 1.*

13. Sic distinguit Constitutio Imperii R. A. zu Augspurg. *Anno 1548. §.* Wann auch die außgezogene. *Klock. de Contrib. cap. 18. num. 11. seq.*

14. *l. 4. C. de Conven. fisc. debit. Fab. in C. lib. 9. tit. 29. def. 18. in fin.* Ex causa collectarum processus est executivus. *Coth. cons. 18. numer 187. & seq. vol. 1. Gail. 1. observ. 20. num. 5. Coler. de Process. Executiv. part. 1. cap. 2. num. 170 & cap. 4. num. 2.* nec ob eab aliter quam summariè levato velo procedere convenit, *l. missi 7. C. de Exact. Trib. Novell. 17. cap. 6. Cothman. cons. 11. num. 1. & 19.* ideo non attenditur allegatio exemptionis vel immunitatis nisi statim probata. Fiscus enim fundatam ubique intentionem habet, *1. observ. 21. num. 24. Peregrin. de Jur. Fisc. lib. 1. tit. 2. num. 41. & seq.*

15. Probatio quæ in continenti fit, sistit executionem etiam in quovis processu executivo paratissimam *Coler. de Proc execut. part. 1. c. 1. n. 216. & alibi.*

16. Hoc est commune processuum executivorum, quod exceptiones altioris indaginis aut non plane manifestæ rejiciuntur post executionem. *Coler. d. tract. part. 3. cap. 1 num. 4. & seq.* In specie sic quà contributiones obtinet, ut appellatione non attentâ etiam lite pendente sine metu attentatorum debitor ad solutionem istarum adigatur, *Cacheran. decis. 86. num. 4. Bald. consil. 138. num. 5. lib. 1.* Convenit hoc Imperii Constitutionibus, R. A. zu Augspurg. Anno 1548. §. Wo aber R. A. de Anno 1576 Wo aber.

17. In manifesta injuria quisque audiendus appellans, cum & sine appellatione juvandus sit. Et hoc etiam in causa collectarũ procedit ob notoriã injustitiam. *Florez. diaz. de Menad. q. practic. 21. n. 246.*

18. Appellatio in collectarum causa non profuit personis oneribus obnoxiis, *Gutierrez. in tr. de Gabell. quæst. 171. per tot. Ruginell. de Appell. §. 2. cap. 3. num. 95. & seq & num. 131.*

19. *Vid. Gutierrez. d. loc.*

20. *l. cum post. 26. C. de Appellat. l. pen. C. quor. appell. non recip l. fin. C. de discuss.* ex quibus textibus discitur, quomodo injuriæ ministrorum circa contributiones locum faciunt appellationi. Boni

Digitized by Google

Principis est subjectos contra exactorum asperitatem & duritiem facile audire & clementer juvare, *vid. Klock. de Contrib. cap. 18. num. 265. seq. ubi docet quam magno cum periculo illius & publico damno id negligitur.* Contra manifestam exactorum malitiam conquerentes & provocantes audiendi sunt, *Floretz. Diatz. de Monad. quæst. 21. num. 246.*

21. Reipubl. potior est ratio, cujus interest & hoc jus est, ut tributa devote & sine imminutione & secundum definita tempora fisco inferantur. *Novell. 8. c. 10. & Nov. 16. cap. 2.* Quare non aliter appellatio recipitur, quam ut lite pendente nihilominus solvatur. *Gylman. im Symphorem. tom. 4. part. l. 1. vot. 3. num. 267.*

22. Cessante in hac specie ratione alias prohibitæ circa collectas provocationis; ipsa cessat & insistitur juri communi, nec jus singulare in consequentiam trahitur aut extenditur.

DECISIO CXVIIII.

Appellatio militis etsi solennibus destituta recipitur.

CUm miles nec coram Judice à quo vivâ voce, nec coram notario, (1) sed saltem in supplici libello ad Regium Tribunal delato provocasset allegatis causis ob quas se sententiâ gravatum putabat, recepta est appellatio, non attento quod consueta alias formalia appellationum non essent observata. (2) Profectum erat hoc ex juris ignorantia, quæ militibus non nocet. (3) Unde nec obesse debet si quid ex iis neglectum fuit, quod ex subtilitate juris ortum habet; (4) Quibus aliàs is modus eaque forma processus relaxatur qua alii in foro experiuntur. (5) Inde etiam summarie ad militis querelam procedendum atque per rescriptum communicationem actorum ab inferiore judice tantum petendam non solitos processus decernendos aliaque solennia adhibenda esse visum fuit. (6) *In causa Petr. Olossion contra Henrich Steffen, die 8. Octobr. Anno 1653.*

1. Hæ sunt vulgares appellandi formæ.

2. Ex his non observatis appellatio alias solet esse nulla & injusta, ideo non devolvitur ad superius judicium.

3. *l. 1. ib. Iason. C. de Iur. & facti. ignor.* milites quippe arma magis quam jura scire præsumuntur, *l. fin. pr. C. de Iur. deliber.*

4. Imperitia juris & simplicitas in militibus causa est plurium privilegiorum *l. 1. ff. de milit. testam. l. quanquam C. eod. ib. Iason. num. 3.*

5. Summarie & levato velo in causis militum proceditur.

6. Ad solennitates juris gentium saltem, non eas quæ juris civilis sunt, milites adstringuntur. *Gail. 1. Observ. 118. num. 17.*

DECISIO CXX.

Appellatio alias quantitatis vel qualitatis ratione non admittenda ob nullitatem recipitur, & simul devolvit illam qua merita causa.

OCcurrunt inter appellationes introductas sæpius, in quibus nec summa nec causa appellabilis est, attamen in processu nulliter actum nulliterque pronunciatum inter gravamina refertur. Quæstio inde orta est utrum cum alias appellatio non esset recipienda, ob nullitates tamen processus nihilominus decernendi & istarum gratia etiam de meritis causæ in hoc superiori judicio agendum & judicandum sit. De eo inter JCtos convenit remota & exclusa licet appellatione tamen de nullitate querelam non esse remotam. (1) Ideo multis casibus in quibus appellare non licet nullitates tamen deducere & ob eas sententiæ reformationem impetrare integrum est, (2) Nec modo querelam nullitatis instituere, sed etiam ob hanc appellare licet, (3) ideo quæ alias non admittitur appellatio ob nullitates tamen interposita subsistit. (4) saltem interesse putatur, utrum nullitas proponitur incidenter an principaliter, (5) Incidenter illâ propositâ cum appellatio locum non habet, locum invenire non potest, (6) velut accessoria hujus, ideo cum hæc velut principalis cessat non subsistens. (7) Principaliter tamen de ea querelam facere adhuc integrum est. (8) Cum autem principaliter proponitur, durat de illa querela & meretur processus, etsi appellatio alias non sit recipienda. (9) Haud verò tunc modo principaliter proponi dicetur, cum expressè ob nullitatem appellatur, & appellans dicit se ob illam provocare, sed etiam ubi simpliciter interposita appellatione gravamina nullitates processus concernunt. (10) Ex iis mens proferentis satis patet, quod de nullitatibus principaliter queritur, ideo etiam ad has appellationem suam pertingere velit; Postquã ob nullitates devoluta est appellatio, deinde de ipsa causa ejusque meritis in judicio tractandi locus est, quando quidem causa nullitatis etiam devolvit causam principalem. (11) Secundũ hæc aliquoties decretum fuit.

1. Diversa est causa querelæ, & diversa sunt remedia appellationis & nullitatis, ideo unius remedii remotio non tollit alterum, *vid. Gail. 1. Observ. 135. num. 4.* De hac querendi locus supersit, etsi appellationem vel sustulerit statutum, *Gail. d. Observ. 135. numer fin.* vel privilegium superioris vel renunciatio partis aut pactum, *Guid. Papa singul. 634.* vel desertio appellantis, *Mynsing. 3. Obs. 77.*

2. Sic praxis fori servat in causis & casibus, quando appellari nequit, tamen de nullitate querelam admitti, uti in matrimonialibus & Criminalibus Cameræ Imperialis ea observantia constat, *vide de hoc plura apud Reding. in Pandect. Camer. al. lib. 1. s. 33.*

3 Nihil

Digitized by Google

3. Nihil in foris Germaniæ frequentius quam per appellationem nullitatum querelam introduci, *de quo vid. Ordin. Cam. Imp part. 3. tit. 24. Ruding. in Pandect. Camer. tit. 21. num. 3.* ubi rationem addit, quare expediat appellationi nullitatis querelam conjungi. Imo ob solam nullitatem appellatur, etsi alias causa non sit appellabilis. *vid. Scacc. de Appellat. quæst. 19. numer 4.*

4. Deserta vel remota licet appellatione tamen ratione nullitatis citatio decernitur & impetratur, *vid. Mynsing. 5. Observ. 91. numer 6.*

5. Ita discernit Cameræ ordinatio, *dict. tit. 24. part. 3.* & de hoc discrimine plura vide apud *Covarruv. pract. quæst. cap. 24. numer 7. Vant. de Nullit. tit. quot & quib. med. numer* 10.

6. *Vid. Coverruv. dict. quæst. 24. numer 8. versic. quod si deserta.* Incidenter instituta nullitas tantum cum causa principali est peragenda. *Mynsing. 4. Observ. 91. numer.* 8.

7. Quando res principalis corruit, non potest subsistere ex ea tantum subsistens accessorium, *l. 2. ff. de Pecul. Legat.*

8. Post rejectam vel desertam appellationem, in quam incidenter venit nullitas, hujus causa appellationem prosequi non licet; attamen superest potestas querelam super ea principaliter proponendi, *vid. Covarruv. pract. quæst. 24. numer 7. & seq.*

9. Quia non tantum de injustitia, sed etiam nullitate appellatum est, simul ubique non minus hujus quam istius ratio erit habenda. *Covarruv. dict. quæst. 24. numer 8. in fin. ubi vide hos casus exacte distinguentem.*

10. Quoties causa appellationis devolvit nullitatem, uti fit, quoties ob hanc simul provocatur; appellatio subsistit: & ratio istius habetur, etsi nulla expressa sit facta mentio. *Mynsing. dict. observ. 91. n. 7 in fin cent. 5.* Error est ille multorum carens omni ratione, quod nullitatis non sit habenda ratio, aut de ea principaliter appellatum non habeatur, si non formaliter ita dictum sit. Sufficit per appellationem eam proponi, quo satis dicitur, quid appellans velit. Unde rectius *Ruding. in Pandect. Camer. al. sub. tit. 21. part. 1.* scribit; Observa, nullitatem in causa appellationis incidenter venire, licet de ea nihil dicatur & Judicem ex officio eam attendere debere. Idem in Camera Imperiali servari plurimis exemplis compertum habeo.

11. *De hoc vide Gail. 1. Observ. 127. num. 1. & seq. Scacciam de Appellat. quæst. 17. limit. 19. num. 8. & seq.*

DECISIO CXXI.

Iudex inferior judicium dare recusando facit locum mandato de dicendo jus; non receptioni causæ in superiori Iudicio.

CUm post narrata, quomodo postquam inter confusa priorum temporum causam quandam militari processu dirimendam sibi sumpserat, qui militiæ præerat & querelâ ad S. Reg. Majestatem delatâ, Gubernatori Regio mandatum erat decenti Jurisdictione Juris copiam spoliato præbere, Dicasterium Regium tamen Judicium super ea causa recipere & exercere recusaret, quod antea se præteritum & causam à se inceptam semel avocatam, processu perturbatum diceret, coram Regio Tribunali pro Justitiâ administranda causaque ibidem peragenda supplicaret, processus non decernere, sed causam ad Dicasterium provinciale remittere placuit, quod ordo judiciorum, quem servare oportet, ita poscit, (1) nec partium cuiquam instantiam auferre aut mutare convenit. (2) Non est in arbitrio Judicum, quibus officium jus omnibus dicendi incumbit, causas quasdam ad se pertinentes pro libitu rejicere, (3) aut ad superius aliud ve judicium remittere. (4) Nec superiorem Judicem decet statim, quod alterius judicii est recipere, (5) sed ubi denegatur vel protrahitur justitia per promotoriales justorum præstationem demandare. (6) Quare non recepta causa ad inferius judicium de administranda Justitiâ tantum mandatum decretum est *ad instantiam Everd Keteln, contra Georg Keßeln, die 19. Octobris Anno 1653.*

1. Solitum Judiciorum ordinem servare decet, *l. præsenti 6. §. sed si hoc 4. C. de his qui ad Eccles.*

1. *l. un. C. qui pro sua jurisd.* Jurisdictionis formam mutare cuiquam permissum haud est, *l. testandi 13. C. de Testam.*

3. *l. 2. C. de off. Civil. Iudic.* Quisque in provincia secundum leges in impertienda Jurisdictione suas partes exhibebit, *l. 2. C. si. adv. rem Iudic.*

4. *l. 1. tot. tit. C. de Relat.*

5. Species ea est avocationis causæ, quæ regulariter superiori non licet. *Bald. in l. 1. C. quomod. & quand. jud. Covarruv. lib. 1 pract. quæst. 9. num. 4.*

6. Ordinarium hoc remedium contra denegationem aut protractionem Justitiæ prospiciendi est, quod non negligendum & ad extraordinariam viam recurrendum, *l. in causa 16. pr. ff. de Minorib.*

DECISIO CXXII.

Depositio pecuniæ hereditariæ sine causæ cognitione possessori non injungenda est, ab injuncta recte appellatur.

DEpositio pecuniæ, de qua controvertitur, sequestrationis species est, (1) Ideoque & executionis (2) à qua initium processus non est faciendum. (3) Præterea cum & ipsa regulariter sit prohibita, (4) in decernendo caute judex versabitur. Præprimis verò sine aliqua causæ cognitione ad illã non procedet, (5) nisi periculum in mora esse dicebitur. (6) Nec vero & ab hoc antea ad illam deveniendum quam si alio remedio non possit esse parti & judicio prospectum; (7) ut fieri potest vel possidentis satisdatione (8) vel si pecunia penes alium est, mandato de

Digitized by Google

ista non tam impugnata, quam aliâ de non solvendo vel reddendo donec causa cognoscetur, (9) secus si fiet, sicut processus injustitiæ speciem non caret, ita appellationi locus relinquendus est. (10) *Uti & factum ad preces Ottonis Kolkmar contra privignos, die 20. Octobris Anno 1653.*

1. Sequestratio est depositum. *l. apud 5. §. 1. ff. depositi.* Est quippe positio rei controversæ penes alium qui sequester inde audit. *Curt. de Sequestr. q. 1. num. 10.*

2. *Curt. d. Tract. q. 22. num. 75. Schurff. consil. 19. cent. 1.*

3. *l. 1. C. de Execut. rei Judic.*

4. *l. un. C. de prohib. sequestr. pecun.*

5. *Fab. in Cod. lib. 4. tit. 3. defin. 6. in pr.* Non est à sequestratione exordiendus processus. *Coler. de Process. Executiv. part. 1. cap. 2. num. 108.*

6. Ob hoc uti alias receditur à juris communis regulis, ita etiam quo sequestrationem, ita ut parte non citata decernatur, *Bartol. l. interesse 39. ff. de acquir. possess.*

7. Est odiosum & plane extraordinarium remedium; *Dd. in d. l. un. C. de Prohib. sequestr.* nec nisi ex summa necessitate, atque ubi alio ordinario consultum esse nequit, æquum. *Cothman. respon. 35. num. 189. vol. 3.*

8. Satis datio quia securum reddit Judicium, *l. 1. ff. qui satisd.* præstita sic excludit sequestrationem, ne fiat, quomodo cum facta est, relaxat & tollit. *l. litibus 20. ibid. Bartol. C. de Agric. & censit. Curt. in tr. de sequest. num. 67.* Facilius non decernitur quam relaxatur.

9. Minus injuriæ atque incommodi habet tale mandatum quam sequestratio, sicut facilius tollitur, ideo præferendum rigidiori. Præstat levissimum ac minimum sequi.

10. *Faber in Cod. lib. 4. tit. 3. defin. 2. n. 3.* Non leve gravamen est possessionis ususque libertatem alicui auferre aut restringere, *l. fin. C. de contrah. empt.* Ita ut decreta sequestratione possessor pro defendenda possessione ad appellationem confugiat. *post Alciat. resp. 389. num. 6. & 7. & Angel. consil. 107. n. 3. consulit Cothman. resp. 35. in fin. vol. 3.*

DECISIO CXXIII.

De *alimentis præteritis ut & de debito ob ea præstita, causa appellabilis est.*

COntinetur in Recessu quodam olim inter Illustriss. Megapoleos Duces & Civitatem Vismariensem conscripto, postea approbato & confirmato appellationi locum cum de alimentis agitur, non relinquendum esse. (1) Ex quo cum Senatus tum Appellatus contendebat, ubi causa concernebat ob illa aliquando præstita debitum, eandē rejiciendā fuisse, ideo etiam denegabatur editio Actorum. Sed etsi initio videri potuisset, hanc causam cōprehendi sub exceptione; tamen re accuratius consideratâ non repertum, quomodo quod aut privilegio aut jure communi de alimentis constitutum reperitur, ad hunc casum porrigi possit, (2) ubi in Judicium non venit alimentorum petitio; sed debiti ob illa præstita prætensi, quod ab istis longe differt. In quo etiam ratio cessat, quare circa ista appellatio non recipitur, quod nempe victus indigentia dilationem non patitur, (3) qualis non est amplius, ubi victum jam habuit, (4) qui alii debuit, ejusque causa creditum repetitur, non ex officio judicis sed jure actionis. Cum ita alimenta repetuntur; juxta communem JCtorum sententiam locus est appellationi. (5) Faciebat ad hanc sententiam plurimum, quod favor alimentorum appellationem excludens pertinet saltem ad præsentia & futura, non ad præterita alimenta, ideoque de his causa appellabilis est. (6) *Ita conclusum ad interventionem Senatus Vismariensis in causa Claus Severin & Consortum, contra Hanns Klussendorff, die 29. Oct. Anno 1653.*

1. Quod desumptum est ex jure Communi, cui idem convenit, *arg. l. fin. ff. de Appellat. recip. Rebuff. in tr. de Appellat. artic. 7. gloss. 2. num. 19. tom. 3.*

2. Uti appellatio est defensionis species, ideo favorabilis, *l. 1. ib. gl. & Dd. ff. de Appell.* ita ejus prohibitio & exclusio est valde odiosa, magisque restringenda quam amplianda, *c. odia d. R. I. in 6.*

3. Cessante causa cessat lex & statutum.

4. *Hanc reddit gloss. in c. qua fraude ibid. Abbas n. 11. x. de Appellat.*

5. *Lancellot. de Attentat. part. 3. cap. 27. n. 63. & seq. Cacheran. decis. 25. num. 10. Vit. de Camban. in tract. clausul. in verb An jure alimentorum sub n. 10.* Ratio patet, quia in illa lite alimenta non versantur ut talia, sed ut objectum petitionis seu ut causa debiti.

6. Distinguitur ita qua appellationem inter alimenta præterita, præsentia & futura, *vid. Scaccian in tr. de Appellat. quæst. 17. limit. 7. numer 14.*

DECISIO CXXIV.

Causa concernens ædificia quando appellabilis censenda.

QUemadmodum in aliis causis ubi periculum est in morâ ob quod recedi solet à communibus juris regulis, appellatio non admittitur, aut non habet effectum suspensivum; ita & ubi de ædificiis reparandis aut conservandis agitur, celeris requiritur executio, ideo non admittitur appellatio. (1) Pertinet etiam ad decus urbium, ædificia non derelinquendi, (2) ne iis dirutis ut fieri solet, publicus deformetur aspectus. (3) Quod cum non tantum juri communi conveniat, sed etiam inter jura singularia Civitatis Vismariensis provisum esset, ne in causis ædificiorum in Bausachen / appellatio reciperetur, talis autem casus inciderit, in quo pendente super divisione hæreditatis lite alteri hæredum ex communibus impendiis permittebatur ædium ruinosarum reparatio, interposita appellatione & per

hanc

Digitized by Google

hanc ista non tam impugnata, quam alia commodiori via nempe divisionis bonorum, per quam omnis lis tolleretur, demonstrata in quæstionem venit, utrum recipi posset appellatio? & licet initio negativa specie juris non carere videretur; Attamen statu controversiæ accuratius considerato existimatum est, superius allegata huc minimè pertinere, tum quod non tam in controversia sit, an reparandæ sint ruinosæ ædes, sed per quos & quomodo, (5) tum quod manifesta esset iniquitas decreti, (6) ut eum non negaretur appellantem esse cohæredem, saltem de hæreditario debito esset controversia, tamen appellato soli illo excluso concederetur ædificationis arbitrium. (7) Recepta itaque appellatio. *In eadem causa.*

1. *Vid. Lancellot. in tr. de Attentat. part. 2 cap. 12 limit. 43. num. 1. Asin in Prax. Jud. §. 32 c. 2. n. 7.*

2. *l. Prætor. 20. §. hoc. interdictum. 11. ff. de Op. Nov. Nunciat.*

3. *l. 2. C. de ædif privat.*

4. *Ex. Rebuff. de Sentent Provision. in præfat. n. 10. tom. 1. Scaccia in tr. de Appellat. q. 17. limit. 38 num. 5.* scribit, non posse appellari, ubi mandatur, ut ædificia fatciantur, pendente lite super hæreditate vel re sequestratâ, ne refectiones necessariæ impediantur.

5. In hac specie cessat ratio prohibitionis.

6. Etiam in casu non appellabili recipitur appellatio ob manifestam nullitatem aut injustitiam. *Scacc. de tract. q. 17. limit. 19. n. 3. & seq.*

7. Quando non de hæreditate sed ejus divisione, atque ita familiæ erciscundæ controversia oritur, quæ circa hæreditatem seu communia ejus bona sunt agenda, non unius tantum hæredis sunt, sed omnium communia, *l. plane 4. ib. Bartol. ff. Fam. ercisc.*

DECISIO CXXV.

A sententia pro libertate lata appellatio admittitur.

MAgnus quidem libertatis favor est, (1) at non tantus, ut cum de ea lis est communia legum beneficia cessare debeant. (2) Nec cum pro ea fertur sententia ab appellatione, qui impugnat, excludendus est. (3) Per naturale gentium jus commune hujus est remedium, locum habens in omnibus causis in quibus non reperitur prohibita aut remota, (4) Quando itaque nulla lex excepit causam libertatis, itaque in ea admittenda est, (5) eo magis, quod quamdiu de hac litigatur, dubia est atque judicio determinanda. (6) *In causa Freyherrn zu Putbus, vvider Ægid. von der Osten. Die 1. Novemb. Anno 1653.*

1. Multa contra rigorem pro libertate recepta sunt, *l. generaliter 24. §. si quis 10. ff. de Fideicomm. libert.*

2. Quia de statu hominis speciatim de libertate Jurisprudentia permittit & constituit Judicia, utique etiam in his concessu libera relinquit, quatenus lege non exclusit.

3. A sententia pro libertate lata appellari posse in terminis tradit *Franch in rubr. de Appellat. n. 20.*

4. Regulariter permissa est appellatio ab omni sententia, *l. 1. ff. de Appellat.*

5. Appellatio censetur permissa omni casu, ubi non reperitur lege expressim prohibita. *Franch. in d. rubr. num. 18. Rebuff. in tr. de Appell. in præfat. n. 71. tom. 3.*

6. In dubiis semper appellationi deferendum est, *Rebuff. in tr. de Sent. Execut. artic. 7. gloss. 1. n. 3. tom. 1.*

DECISIO CXXVI.

Supplicationes ad impediendum justitiæ cursum aut executionem superior admittere non debet.

NIhil frequentius, quam, ubi ad extrema juris deventum, nec appellare amplius integrum est, condemnatos supplicationibus contendere, ut Justitiæ cursus sistatur & contra se pronunciata differant, aut avertant. At non facile tales supplicationes etiam à summo Principe admitti debent. (1) Sicut enim cuivis gravato per legitima remedia licet impugnare decreta & sententias eaque Jurisprudentia pro eo fine recipit, ita extra ea contra decreta & sententias aliquid impugnationibus aut remoris moliri fas non erit. (2) Ideo nec postea supplicationi locus relinquendus est, (3) præsertim contra rem judicatam, (4) quam superior potius promovere debet. Nec modo rejici sed etiam supplicans puniri potest. (5) *Ad supplicationem Johannis Hein. Die 2. Nov. Anno 1653.*

1. *l. 1. tot tit. C. ut lit. pend. Rebuff. in tract de supplic. artic. 1. gloss. 15.* Ut justitia & quies tam publica quam privata nititur autoritate rerũ judicatarũ, ita qui summus ejus custos est per conscientiam, officium, dignitatem & Reipubl. salutem non permittit vim istarum suspendere.

2. Qui licitam provocationem omiserit, perpetuo silere debet, nec impudens petere per supplicationem auxilium, *l. fin. C. d. tit.*

3. *l. fin. C. quom. & quand. jud. l. 1. C. de his quæ per met. jud.* Appellatione non interposita aut non prosecutâ ad supplicationem amplius recurrere non licet magis quam ad aliam appellationem. *Scacc. in tr. de Appellat. quæst. 19. remed. 3. num. 11.* Regula JCtorum ita habet. In quibus casibus non licet appellare, in iis nec permissum supplicare. *Jason. in auth. quæ supplicatio num. 6. C. de Precib. Imp offer.*

4. *l. fin. C. sentent. rescind. non poss.*

5. Gravi pœna afficitur contra rem judicatam Supplicans, cum non appellasset. *l. fin. C. ut lit. pendent. l. fin. C. sent. rescind non poss.*

Digitized by Google

DECISIO CXXVII.

Etsi statutum in Criminalibus Appellationem excludit, ei tamen locus est, ubi actum civiliter, at criminaliter sit condemnatio.

NEgabatur actorum editio sub obtentu causæ criminalis, quæ non modò per communem Germaniæ consuetudinem sed & per speciale civitatis privilegium non appellabilis dicebatur. (1) Visum fuit sic demum id obtinere, si actum esse criminaliter, (2) secus se habere, si civiliter esset actum ad pœnam actori solvendam. (3) Postea autem Judex uti fieri aliquando solet & ex ratione licet criminaliter ad pœnam carceris condemnaverit, ideoque causa non ex actoris intentione aut actionis qualitate, sed Judicis condemnatione fit criminalis inter eas circumstantias, certum est causam in judicium fuisse deductam civilem. Cum itaque origo, (4) tum verus status litis inspici debet. (5) In ea enim quæstione, causa an sit civilis an criminalis non condemnatio sed actio inspicienda est. Ubi hæc discrepant & aliter condemnatio fit, quam fuit actum, appellationi locus fit, vel ob hoc ipsum quod agendi genus immutatum nulliter que sic pronunciatum videbitur. (6) Ideo cum pro gravamine hoc proferetur non attenta exceptione velut non devolutæ appellationis renovatæ sunt compulsoriales; *In causa militis cujusdam, contra Heinrich Steffens. Die 3. Novembris Anno 1653.*

1. Ita habet der Stadt Wißmar Appellations-Recess quem S. Reg. Maj. confirmavit.

2. Loquitur tantum de criminalibus causis statutum, nec ad alias ratio pertinet, *c. cessante x. de Appellat.*

3. Civilis causa cum agitur ad pœnam parti applicandam, *gloss. & Bartol. in l. 2. ff. de Sepulchr. violat. Rosbach. in Process. Crimin. l. 4. cap 4. num. 7.*

4. Origo cujusque actionis respici debet, *l. Pomponius 15. ff. de neg. & gest.*

5. Conversio causæ ejusque status minimè est in judicantium libera potestate, sed quale cœptum est judicium, tale semper est observandum, ut intra suos tramites lis quæque decurrat, nisi urgens ratio aliud poscet.

6. Debet sententia conformis esse libello, alias est nulla, *l. fin. ib. gloss. C. de Fideic. libertat. Jason. in §. curare num. 27. seq. Instit. de act.*

DECISIO CXXVIII.

De appellatione à suspensione ab officio ejusque effectu.

CUm Senator ab officio Senatorio usque dum ab incusato delicto se purgaret, suspensus indulgentiam eorum, quæ officium gerentibus in laborum solatium competebant, per decreta Judicii inferioris impetrasset, inde Senatus appellaret, dubitatio suborta est de jure & effectu appellationis à suspensione ab officio. Quam scimus quidem recipi, (1) at causam vel executionem non suspendere, (2) tum quia sententia super eâ executionem continet, (3) tum quia res ipsa hanc rationem habet, quæ appellationes excludit. Vel enim ad vitandum scandalum, vel ad correctionem interdicti suspensio lite super crimine atque ejus accusatione seu inquisitione pendente fieri solet. (4) Tam autem quæ scandalo sunt, (5) quam quæ ad correctionem tendunt, inappellabilia reputantur. (6) Et quidem si de ipsâ suspensione res esset, id strictè sequeremur. At eum non eo tendit suspensio, sed pœna est, seu post istam irrogatam de ejus effectu queritur, seu extensio istius ultrà justa in judicium venit, secus se res habet. (7) Nam cum correctionis modum corrector transierit, est etiam ab ea appellationi locus. (8) Sicut ab executionis excessu istam admittimus, (9) cessat in hoc ratio exclusionis ab appellatione. Similiter nec pertinet ea sententia ad alia præter officium. (10) Et cum ipsi suspenso tunc provocare atque de injuria conqueri liceat, eo minus ab illo prohibendus erit, cui cum in suspenso res est, dum sibi eripi, illi tribui ac relinqui queritur, quod ut suspenso non potest competere, si adimendi rationes non leves profert. Ad hunc non pertinent prætactæ rationes, nec ei ullibi appellare interdictum. (11) *In causa Senatus Verdensis, contra Franz Pfanning. Die 8. Novembris Anno 1653.*

1. Nullibi Civili aut Canonico jure ab officio vel beneficio suspensis appellatio penitus interdicta reperitur, ideo non statuenda est sine lege ejus exclusio, cum fieri possit & sæpe factum sit, ut per suspicionem officiales graviter lædantur, ideo qui de appellationibus à suspensione loquuntur, omnes de suspensivo effectu verba faciunt, *vid. Scacc. de Appellat. quæst. 3. num. 63. & seq.*

2. Suspensus appellans interea manet suspensus, *c. præstantis 53. §. unum. de Appellat. Scacc. de quæst. 3. num. 77. Maranth. in Spec. part. 6. distinct. 2. num. 351. Lancellot. de Attentat. part. 2. c. 12. in præf. num. 104.*

3. *Specul. in tit. de Appellat. §. in quibus numero 16. Scacc. de Appellation. quæstion. 17. limitat. 22. numero 1.*

4. Suspensionis, quæ est censura, qua interdicitur muneris exercitium, *Clar. in Pract. §. fin. q. 15. num. 1.* causa duplex à Canonistis traditur, Scandalum & correctio. *Abb. in cap. 1. de Excommun.* Inde medicinalis dicitur. Ut autem alterutrius gratia fiat, infamia vel gravis suspicio præcedere debet, *c. inter sollicitudinis x. de Purgat. Tiq. Decian. resp. 8. num. 58. seq. vol. 1.*

5. *Specul.*

Digitized by Google

5. *Specul. in d. § in quibus num. 20.*

6. *Rebuff. in tr. de Appellat. artic. 7. gloss. 2. num. 24. tom. 3. Ruginell. de Appellat. §. 2. cap. 3. num. 46.*

7. Quoties suspensio irrogatur non ut correctio seu medicina, sed ut criminis pœna, est ab illa appellationi locus & effectus idem qui aliis appellationibus, ideo pendente ista suspenditur. *Scaccia dict. tract. quæst. 3. num 78.*

8. *Greg Tholos. in tr de Appellat. lib. 2. cap. 20. numer. 333. Franch. in c. de priore num. 2. x. de Appellat.*

9. *l. ab executione 5. C. quor. appell. non rec.*

10. Etsi suspensionem non suspendat appellatio qua ipsum officium; qua alia tamen extra illud competentiâ, & isti non connexa vel extrinseca effectus sententiæ suspenditur. *Franch. in c. adhuc. 37. num. 3. x. c. de Appellat. Scacc. d. tr. quæst. 3. n. 67.*

11. Appellationi in dubio semper locus relinquitur; *l. 1. §. fin. de Appellat.*

DECISIO CXXIX.

Ab uno plurium decretorum appellatum esse sufficit, ut omnium vis suspendatur.

CUm per plura mandata Judicum injunctum esset ut supplicantem muneris compendiis solitis frui sinerent, eorumque pleraque pœnalia essent, sed non ab omnibus verum uno & altero saltem appellatum reperiretur, an id sufficeret, in quæstionem venit atque conclusum est; si vel ab uno tantum appellatio interposita reperiretur, tamen cæterorum omnium vim suspendi. Vel enim à quibus non appellatum his a quibus provocatio interceßit, sunt anteriora, sive posteriora. Si quidem priora, sic essent comparata ut pro sententia justa ideo re judicatâ haberentur, deinde à subsequutis appellari non proficeret. (1) Attamen si rescripta, mandata, comminationes sunt sine causæ cognitione ad nudam supplicantis instantiam emanantia, uti rei Judicatæ auctoritatem non assequuntur, ita nec nocebunt aut posteriori appellationi obstabunt. (2) Ab illis appellandi facultas semper integra est, cum & sine appellatione nihil obesset, quin contra ista jus suum deducere liceat. Quod attinet appellationem, subsecuta non obsunt, quia post istam pro attentatis habentur. (3) Ideo ut cassanda, ita & invalida. *In eadem causa.*

1. Ubi sententia aut quod ejus loco est, vires judicat. accepit, quod pro illo vel confirmando vel exequendo discernitur, non est appellabile. A Confirmatoris non appellatur.

2. *l. tot. tit. C. Comminat. Epist. programmat.*

3. *l. un. ff. nih. innov. appell. interpos.* Incumbit Judici à quo post appellationem interpositam acquiescere. Quæ secus facta pro attentatis ideo nulla; invalida & revocanda sunt. *l. 1. C. ut lit. pendent.*

DECISIO CXXX.

Appellatio à Gubernatore Regio ad Regium Tribunal recipitur.

QUod à quibusdam traditur à Regum vel Principum gubernatoribus seu locum tenentibus ad Senatum vel Collegium justitiæ dicatum licet summum non appellari, (1) sed tantum ad Regem & Principem à quo constituti sunt, controversiam fecit Regio Tribunali, utrum appellatio à decretis Gubernatoris & Regimenti Regii in Germaniæ Provinciis ab isto recipienda sit? Eo quod generaliter dici solet non attento, (2) existimatum est, ex constitutione speciali (3) cum gubernationis Provinciæ, tum Tribunalis Regii de eo statuendum esse. (4) Prædicta sententia non obtinet, ubi supremo judicio etiam in eo judicandi facultas concessa fuit, quæ à Gubernatoribus decernuntur. (5) Manifestum autem est ex factâ surrogatione Regii Tribunalis in locum eorum appellationum, quæ ad Cameram Imperialem devolvuntur, illi quà Regias Provincias idem juris, potestatis, dignitatis & Jurisdictionis concessum esse, quod huic competit. (6) Ideo sicut ab ipsis Principibus Imperii ad Cameram provocationes fiunt atque recipiuntur, ita in Regio Tribunali sine imminutione Regiæ Jurisdictionis aliud non potest concedi. Sacra Regia Majestas ratione ditionum Germanicarum Status Imperii & Dux Provinciarum est, succedit in jura antecessorum, & cum juxtà Pacis leges jura Provincialium legitimè quæsita, aut longo usu obtenta, confirmare debuit, ideo quod olim Ducum tempore ratione appellationum ad Cameram suetum in suo Tribunali conservat, nec quæ ad Jurisdictionem spectant, seu appellabilia sunt, suo Regno, sed Regio Tribunali submissa & à se non alibi, quam in hoc dijudicari voluit, necessario consequitur, alio à Gubernatoribus provocari non posse. Et quando circa ejusdem fundationē sic cautū, ut in eo sine ulla alia provocatione & avocatione jus dicatur, (7) apertè constat, non quam ad Regē foras, sed ad Regium Tribunal ōnis appellatio tendere debeat. Quod & juri de non evocando Germanis civibus competenti convenit. *Sic deliberatum & conclusum in appellatione quadam Creditorum der von Gräben, contra Campi-Mareschallum Dn Arfuid Wittenberg. Die 22. Nov. Anno 1653.*

1. *Fab. in Cod. lib. 7. tit. 26. defin. 34. num. 3.*

2. *Vid. Franch. in c. dilecti num. 41. x de appellat.*

3 Nulla tam firma est regula, quæ non patitur exceptionem, *l. 1. ff. de R. I.*

4 Species derogat generi, *l. in toto 80. ff. de R. I.*

Digitized by Google

5. In his quæ ad Jurisdictionem pertinent, præprimis considerandum atque observandum est, quod lex constituit, vel nos introduxit, *l. 1. ib. Jason. ff. de Offic. ejus cui mand. est. jurisd. l. 3. C. de Iurisdict.*

6. Juxta dicterium, surrogata & adæquata ejusdem naturæ atque effectus esse, cujus fuit, cui succedunt, per vulgaria.

7. Ita habent verba Instrumenti Pacificationis Osnabruggensis circa Privilegium de non appellando.

DECISIO CXXXI.

In causis ad concursum Creditorum pertinentibus appellatio locum habet.

APpellatio velut beneficium commune gentium jure permissum (1) nemini neganda, (2) nisi expresso jure ex rationabili causa sit prohibita. (3) Ubi non reperitur ejus prohibitio, subsumitur permissio (4) adeoque in dubio isti deferendum est. (5) Quando igitur nullus reperitur juris communis textus, nec lex provincialis, quæ in causis ad concursum creditorũ pertinentibus prohibet aut restringit appellandi licentiam, haud præcludenda est iis, qui se gravatos putant. (6) Nec enim minus sub illo occurrere potest appellationis permittendæ causa, quam in aliis causis, quæ in judicium deducuntur. Quando sub eo plures simul personæ earumque credita & jura versantur, fieri quidem potest, ut plus incommodi aliis inferat appellatio, cum aliorum exactiones interim ob unius vel alterius impugnationem (7) suspenduntur, attamen ideo ut illis prospiciatur, alii non sunt relinquendi sub onere atque gravamine, (8) sed potius providendum utrique parti, (9) admissâ melius quam exclusa appellatione, (10) & quidem non ita difficulter fieri potest, & (11) aliquibus mediis in ordinatione Judiciaria summi Tribunalis Regii prospectum est, (11) Non metuendum quoque, ne admissis appellationibus subruatur rebus creditis fides & vis sua, cum non saltem circa istas spectandum sit, an cuique debeatur, sed & quo jure quaque adversos alios sua similiter petentes prærogativa, (13) vel erga debitorem æquitate. (14) Nec saltem unius vel alterius creditoris, pro quo decernitur & sententia profertur, habenda est ratio, sed omnium, ut nemini non justa fiunt, (15) Frustra obtenditur, haud fore aliquos præprimis exteros ad credendum incolis terrarum, in quibus appellatio admittitur, pecunias promptos, inde iis decessura inopiæ auxilia, cũ multo magis hac præclusa quisque dubitabit cum iis contrahere, adversus quos sibi justitiæ viam non plene apertam aut impeditam videbit. (16) Ex judiciorum enim vigore vis constat creditis & quidquid isti demitur, id ipsum his decedit. Nec enim soli debitores appellationum sunt indigi, sed & creditores, præsertim ad hos earum usus eo citius pertinere potest, quo semper debitoribus pinguior est favor & indigenis eum quærendi promptior occasio. Quod exempla nulla appellationis ad Cameram Imperialem in causa concursus creditorum reperiantur, erroneum est. Constat de quibusdam. Etsi vel non essent, non sufficit ad istam imposterum excludendam. Cum sub prioribus seculis per pacem cuncta floruerint, ad paupertatem redactorum numerus paucior fuerit, inde excitati concursus quædam velut contumelia, & pudor, qui fecit rara ejus excitati exempla, ideo sub iis forte non contigit, ut opus fuerit ad superius Tribunal provocare. Hoc ævo autem, quo post bellorum clades omnes fere ad paupertatem, inde multi ad cessionem bonorum adiguntur, frequentiores ii processus sunt & causa, cur adversus gravamina plenius prospiciatur, auxilium adversus judicum decreta implorantibus. Recipi in Camera Imperiali istas appellationes notum & extra dubium est. Idcirco quod per Constitutionem Imperii Instrumento Pacis isti surrogatum & adæquatum est Tribunal, non potest non, si finis ejus obtineri debeat, sine discrimine causarum, quæ ad illam devolvuntur, judicium de iisdem suscipere. Interest quoque summi Tribunalis Regii, ut non imminuatur aut coarctetur ejus jurisdictio, inde gravatis ad extraordinaria forte etiam longe deteriora remedia decurrendi occasio aut irritamentum accedat. Sic ad Sacræ Regiæ Majestatis jussum de aperienda mente juribus & rationibus instructâ circa appellationes in causis concursis creditorum, cum quidam iis obsisterent nomine Collegii humilimè responsum est. Die 22. Novembr. Anno 1653.

1. Juris naturalis esse appellationem Cti communiter sentiunt, nempe quia species defensionis est, adversus judicum injuriam atque imperitiam. *Franck. in rubr. de appellat. num. 24.*

2. *l. 1. ff. de Appellat.*

3. Prohiberi potest per leges & statuta appellatio in certis casibus *tot. tit. ff. & cod. quand. non appell.* at nonnisi ex certa & rationabili causa, ideo Statuta appellationem prohibentia sunt odiosa & stricti juris, velut defensioni naturali contraria. *Covarruv. quæst. Pract. 23. num. 5. Gard. Pax. in tr. de Appellat. num 9.*

4. *Lancellot. de Attentat. part. 2. cap. 12. ampl. 5. num. 8.* Est enim favorabilis & ad plenam justitiæ administrationem spectans.

5. *Specul. lib. 2. tit. de Appellat. §. nunc dicamus num. 2. & 8.*

6. Sine lege nemo privandus est legis beneficio, *l. aliud est fraus sb. gloss. & Dd. ff. de V. S.*

7. Hæc

Digitized by Google

7. Hæc est gravamen illatum à judice per injuriam aut imperitiam, *d. l. 1. ff. de Appell.* Quando autem convenit justitiæ unicuique gravato succurrere, aut ad minimum qui se gravatum putat audiri, non potest non sub concursu admitti appellatio, cujus exclusio est denegatio justitiæ. *Flam. Cartar. in tr. de Execut. sentent. capt. bann. cap. 1. n. 99. & seq.*

8. Non est succurendum uni cum alterius incommodo, nec unum altare detegendum ut tegatur alterum, *l. non debet. 9 5. ff. de R. I.*

9. Justitia amat æqualitatem, *Novell. 2. cap. 5.* ideo exæquandum partibus auxilium singulorum, *l. pen. C. de Postul.*

10. Dempta uni appellatio alterâ saltem partem juvat, alteram onerat, Justitia autè quæ appellationē amat, suum cuique tribuit, *pr. Inst. de Iustit. & Iur.*

11. Aut omnes creditores aut aliquos saltem concernit appellatio. Ubi omnes attingit, æquum est illos jura sua deducere contra eos, qui impugnant, nec ægre ferre quod proceditur juste, & admittitur appellatio tanquam legitimū remedium cujus usu non peccatur, *l. Gracchus. 4. C. ad l. Iul. de adult.* Si quosdā saltem, ad eos, quorum causa agitur, non spectat ratio illa. Quod cæteros attinet, ii illi, qui item in secunda instantia prosequuntur, magis privilegiati sunt, non suspenditur illorum jura appellatio, sed paratum habebunt auxilium, *juxta ea quæ habet in simili Ant. Fab. in Cod. lib. 6. tit. 11. defin. 4.* Si pars aut posterioris loci succurrere poterit judex separando quod ad alios pertinet, & iis reliquum tribuendo acceptâ si opus cautione, *vid. Fabr. act. tit. 11. defin. 30.* Aliis quoque modis providentia Judicis prospiciet.

12. Valde ad maturandum processum in causa concursus creditorum refert, quod *part. 2. tit. 3. §. 7.* disponitur, ut & quod ista inter summarias causas, *tit. 5.* referatur, & celeri processu ibidem præscripto terminari jubetur.

13. Pulchra de talibus verba sunt Tryphonini, *l. bona fides 31. §. 1. ff. depositi.* Totius rei æquitatem ex omnibus personis, quæ negotio isto continentur, spectare convenit, & probo hanc esse justitiam, quæ suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur à personæ ullius justiori petitione.

14. *Novell. 4. cap. 2. Novell. 135. c. 1.*

15. In omnibus æquabilitas servetur, *l. pen. C. Commun. divid.* præsertim inter creditores sub concursu unus cæteris melioris conditionis esse non debet, *l. pupillus 24 ff. quæ in fraud. credit.*

16. Quo in unaquaque terra Justitia colitur sanctius frequentiusque, eo vigent commercia lætius, quibus nullum impedimentum gravius, quam ex impedito judiciorum cursu.

DECISIO CXXXII.

Remissa causæ cognitio ad competens forum tollit appellationem extra judicialem.

CUm à decreta & peracta per Regium Gubernatorem immissione provocatum & summi Tribunalis de recipienda appellatione decretum processerat, ille remisit causam, quæ circa immissionem in controversiam incidebat ad Dicasterium Pomeraniæ, tanquam forum competens mentemque suam coram Tribunali exposuit. Ratum id habendum & appellationē ex eo cessare existimatum est, quia posterius decretum continebat revocationem gravaminis, quod præcipue causam appellationi dederat, (1) remque remissio causæ ad competens forum in eum statum reduxerat, in quo esse debuit, & ante immissionem fuit. (2) Ideo cessante gravamine non opus est amplius solicitū esse de appellatione, (3) sed causa judiciali discussioni in foro competente relinquitur, eo magis quod extra judicialis appellationis alius finis non est, quam ut ibi causa discutiatur. (4) *Sic visum in causa Philip Christoffā Lancken, contra Iochim Transchæum à Roteneck. Die 29. Nov. A. 1653.*

1. Revocatio gravaminis tollit appellationem, *Scacc. de Appellat. quæst. 5. num 117.*

2. *Franch. in c. cum cessante. x. de Appellat.*

3. Cessante enim gravamine cessat appellatio, *c. cum cessante 6. x. de Appell.* quia sine gravamine non appellatur. *Bald. in l. un. num. 7. C. ne lic. in un. ead.* Nec interest, an ab initio nulla fuerit appellandi causa, an quæ fuit, desiit. *Tiraquell. in c. causa cessante num. 14.*

4. Appellatio extrajudicialis est tantum provocatio ad causam, ideo cum in ordinario foro discutienda suscipitur, finis ejus obtinetur. *Gail. 1. Observ. 120. num. 4.*

DECISIO CXXXIII.

Statutum inferiorum de non appellando, nisi à superiore confirmatum non valet, nec attenditur.

OFferebatur Tribunali Regio extractum conceptus Ordinationis Judiciariæ, qui continebat magnum numerum causarum à quibus appellari non deberet, cum postulatione, ut circa processus decernendos attenderetur: Quando autem apparebat excludi à facultate appellandi causas plures alias jure communi appellabiles, merito hæsitatum est, quatenus desiderium admitteretur. Re diligenter trutinata conclusum fuit, nihil iis attentis sequendum esse jus commune, donec legitime autoritate superioris & assensu eorum quorum interest, de eo constitueretur, tum quia inferiorum non esset facultatem appellandi statuto adimere, (1) tum quia statutum excludens appellationes jure invalidum est, (2) tum quia non attendi Constitutioni Imperii, (3) ut ex Praxi Camerali convenit, (4) tum quia legi summi Tribunalis Regii, quæ est in Pacis Osnabruggensis Instrumento foret contrarium, (5) tum quia cum maximo superioris atque Jurisdictionis Regiæ præjudicio atque coarctatione foret conjunctum, (6) tum non sine ejus periculo atque deminutione. (7) Responderi itaque placuit, recipi tale non posse, antequam à S. Regia Majest. injunctum fuerit die 29. No. A. 1653.

1. Appellatio jus superioris est, in quod nulla est potestas inferioribus.

Digitized by Google

2. *Angel. in lib. 1. sum. 2. ff. à quib. appell. Gail. 1. Obs. 135. num fin.*

3. Ita de eo in Ordinatione Cameræ Imperialis part. 2. tit. 28. §. 1. provisum verb. Und dieweil bißhero etliche Stände ihre Unterthanen mit Eides-Pflicht dahin gezwungen / von ihren Urtheln nicht zu appelliren / und so die Partheyen darüber appellirt, dieselben als meineydig zu straffen unterstanden / welches aber nicht allein den Rechten zuwider / sondern auch dem Kayserl. Cammer-Gericht / und desselben Jurisdiction, zum höchsten abbrüchig. So wollen / ordnen und setzen Wir / daß hinfüro keiner gezwungen werden soll / sich deß appellirens zu enthalten / oder von gethaner Appellation abzustehen / und so solches beschehe / daß alsdann solche Verpflichtung an ihr selbst unbündig seyn / und daß die Partheyen / so sich beschwert befinden / zu appelliren / und ihre appellation zu prosequiren nicht destoweniger / ohne einige Verletzung ihrer Ehren / Fug und Macht haben sollen.

4. In Camera, non obstantibus statutis, appellationes recipi, testatur *Gailius dict. Observ. 134. n. fin.*

5. Cum ea lege privilegium de non appellando & jus summi Tribunalis concessum est, ut ibi unicuique secundum Imperii Constitutiones & Statuta cujusque loci jus diceretur, cui non convenit juris potiundi facultatem restringi aut excludi.

6. Tendunt Statuta appellationem excludentia in præjudicium superioritatis, cujus jus præ cæteris eminens est extrema provocatio, *l. 1. pr. ff. a quib. ap.*

7. Metuendum est, ne si arctior redderetur coram summo Tribunali Jurisdictio, inde occasio fiat recurrendi ad Cæsarea Tribunalia, cujus obtentus ex prohibitione appellandi facile contingeret, cautius itaque in ea re versari oportuit.

DECISIO CXXXIV.

A sententia ad rescriptum Principis lata appellare permittitur.

PRocessibus appellatoriis decretis Judex à quo deferre dubitabat, quod ex rescripto Principis à se decretum diceret, idque inappellabile putaret. Et si autem si ab hoc ipso appellaretur, non admittenda est appellatio, (1) nec necessaria fuisset, cum rescripta rei judicatæ vim non habeant, & per ista gravatis super sit aliud, & quidem velut ordinarium remedium, nempe sub & obreptionis exceptio. (2) At quando super isto rescripto Judex tulit sententiam vel decrevit, appellandi facultas conceditur. (3) Est quippe longe alia ratio ejus, quod Judex super isto rescripto, ut Judex decernit, & quod super mãdato quod ex se ipsõ Princeps mittit, ut minister exequitur. Non uti ab hoc appellare non licet, (4) ita ab illo appellatio præcluſa est. In mandato quippe respicitur solius Principis persona, Judex tantum executor est; nec aut à Principe si superiorem non habet, nec ab executore appellatur. (5) At cum ex rescripto judicatur, respicitur proximè Judicium & Judicis persona, (6) cujus est secundum acta & probata ex jure judicare, ideo potissimum spectatur, quid ille judicaverit, non quid Princeps rescripsit, dum hoc obsequii parem necessitatem non habet, sed Judici non integrum modo, sed etiam necessarium ad falsa narrata impetratum, aut juri & causæ non congruum non attendere. (7) *In causa creditorum Georg von der Graben, contra den Herrn Feld Marschall Graff Wittenberg, Die 1. Decembr. Anno 1653.*

1. *Salycet. in l. 2. num. 6. C. de Appellat. Franch. in c. intimasti 68. num. 5. x. de Appellat.*

2. *c. super Isteris n. de rescript. Petr. Frider. Mindan. lib. 1. de Processs. Execut. cap. 15. & l. 2. de mandat. cap. 15. num. 2.*

3. *Per text. in l. 1. §. 1. ff. de Appellat.*

4. A mandato Principis quod proprio motu & ex certa scientia emanat, sic ab eo quod juxta illud fit appellari nequit, *Rugnell. in tr. de Appellat. §. 2. cap. 2. num. 24.*

5. *l. 1. pr ff. à quib. app. non lic.*

6. *Scaccia de Appellat. quæst. 17. limit 11. n. 1.*

7. *l. pen. C. de Prec. Imp. offer. l. 1. tot. tit. C. de diverſ. rescrip.*

DECISIO CXXXV.

Relatio inferioris ad superiorem in superiori Judicio non suspendit litem atque processum.

QUod dicitur, relationem ad superiorem instar appellationis habere, & quemadmodum appellatione pendente nihil innovandum est, ita factâ relatione ulteriorem suspendi, donec is responderit, processum (1) non aliter accipiendum est, quam qua illum Judicem qui relationem fecit. (2) Qua partes autem non aliter, quam si relationi acquieſcunt. (3) Quod si etiam ante relationem ad superius Judicium alterutra provocaverit, non amplius est penes inferiorem Judicem, quod ad causam pertinet, (4) sed superioris Judicii de istâ Judicium. Ipsi jam manus ligatæ sunt. Nec isti incumbit aliqua necessitas relationem & responsum exspectandi, sed ad instantiam partium nihilominus juste quod convenit, decernet, (6) etiam si sic causa à Principe inferiori sit commissa, ut tanquam Commissarius non judicare, sed referre debeat. (7) Corrigit autem Judex tunc excessum saltem, cætera finit suspensa usque Regium rescriptum subsequitur. Quia non prius rata sunt quæ fecit Judex inferior, quam facta relatione sunt approbata, parti gravamen illarum reparare integrum est, ideo facere, cur appellatione opus non sit. Quocirca occurrente tali specie, etsi pars appellans coram superiori Judicio causam uti vellet, visum est processus differre donec responsum Regium insequeretur, facta autem provocatio & quod post eam actum significaretur. *In eadem causa.*

1. *Lancel. in tr. de Attentat. part. 2. cap. 8. n. 1. & seq.*

2. Referen-

Digitized by Google

2. Referendo ad superiorem suum Judex Jurisdictionem suam ipsemet suspendit, *c. licet de offic. deleg. eamque interea requiescere facit Ruin. consil. 72. num. 7. lit. 4.*

3. *l. 1. C. de Relat.*

4. Devolvit appellatio omnem causam & Jurisdictionem cum omnibus accessoriis & pertinentiis, *Franch. inc ut debitis n. 4. x. de Appell.*

5. *Lancellot. d. tr. part. 2. cap. 12. in præfat. num. 109.*

6. Vigore tum fundationis Tribunalis, tum constitutionis Regiæ ut suo marte sine ullo impedimento cursus Justitiæ procedat: *De quo provisum est in Ordinat. tum in proœm. tum in part 3. cap. fin.*

7. Excessus Commissionis Regiæ dum judicat & decernit, qui tantum audire, cognoscere & referre debuit, facit locum appellationi ob gravamen, quod in illo est. *l. 1. §. 2. ib. Bartol. ff. de Appellat.*

DECISIO CXXXVI.

De appellatione à Commissario Regio ad Tribunal Regium interposita admittenda.

DE quo alias in Camera Imperiali ambiguè consultatum, & per JCtos varie disputatum fuit, an à Commissariis Cæsareis ex aula Cæsarea von Hoff auß Deputatis ad Cameram appellari possit? idem in disceptationem incidit, quando à S. Reg. Majestate causa quædam Regio Gubernatori aliisque ministris commissa erat, & ab illorum decretis ad Tribunal summum provocabatur. Post maturam super eâ re deliberationem visum fuit causas Commissariis delegatas exactius discernendas esse. Aliæ quippe sic comparatæ esse possunt, ut ad Jurisdictionem Tribunalis non pertineant: Aliæ vero ad hanc spectent. Quoad illas non recipienda est ibi appellatio, cum non fundata est jurisdictio. (1) Ubi vero causa delegata ex jurisdictionis Tribunali attributæ, inspiciendus est ante omnia tenor commissionis, (2) ideo prius cum appellatur, requirendus. Aut facta fuit commissio saltem ad certum quendam actum, eumque extrajudicialem, aut ad causam. Si quidem actus solus demandatus est ejus executio non admittit appellationem, (3) sed qui ad istam deveniri nolit, maturè allegabit coram superiore causas, cur delegatio, vel quod sub ea comprehenditur, fieri non debeat, ideo petet dilationem executionis, donec rationes, cur sic procedi non debet, demonstret. (4) Cui petitioni, nisi frivola & nulli rationi innixa sit, locum relinqui æquum est. (5) Quod si id denegetur, potest appellari, non ut causa in superiori Judicio tractetur, sed tantum pro dilatione congruâ, qui se gravatum putat, & verisimilibus argumentis indicat, fruatur ad proferendum apud superiorem causas, cur sic fieri non debeat. (6) Alius quoque casus, in quo appelletur, accidere potest, si Commissarii egrediuntur fines mandati, (7) in qua specie non habentur ut Commissarii, sed res defertur ad judiciariam dijudicationem. (8) Ubi vero causæ ad judicialem processum pertinentis quædam cognitio vel tractatio delegatur, post decretum, ex quo quis se gravatum sentit, locus erit appellationi gravatis, (9) & quidem ad Tribunal Regium. Hoc enim solum in terris Germaniæ Regi Regnoque Sueciæ subditis, quà appellationes vices Regias sustinet, per Instrumentum Pacis ordinariam Jurisdictionem accepit, nomine atque authoritate Regiâ judicat, & perinde est, si ad S. Reg. Majestatem appellatur. Hujus est cognitio ac sententia illa, quæ ab isto proficiscitur, nec aliud est, ac si Rex ipse judicasset. (10) Deinde appellationibus in Germaniâ extra illud Tribunal locus non est, cui ita summa Jurisdictio astringitur, ut nec provocationi, nec advocationi alii locus sit. Præterea Tribunali idem jus competit, quod in Camera Imperiali servatur, cui qua terras in Germania adæquatum fuit. Inista autem appellationes à Commissariis recipi non infrequens est. (11) Et cum sic fiat, ubi Cæsar & Camera concurrentem habent Jurisdictionem, quando magis idem fieri potest, imo debet, ubi solius Tribunalis tanquam summi Consistorii Regii summa in terris illis est jurisdictio nec alio quam ad illud fieri solet provocatio. (12) Aut itaque permittenda est à Commissariis Regiis ad Tribunal in Germaniâ appellatio, aut plane ab illa excluſi erunt provinciales aliive sic gravati, cum extra Germaniam ad curiam Regiam non appelletur. Non refragatur, quod vulgo dicitur, à delegato appellari ad delegantem. (13) Ita enim id accipitur, ut fiat appellatio ad Judicium delegantis appellationibus recipiendis destinatum. (14) At S. Reg. Majestas, quæ jurisdictionis supremæ sunt in suis Provinciis & ditionibus Germanicis summo Tribunali astrinxit, nec ea foras avocare voluit. Etsi itaque integrum ex commissione speciali causas quasdam delegare, non tamen creditur delegasse cum exclusione provocationis solitæ atque ordinariæ. (15) *Sic existimatum & inde appellatio recepta fuit in causa Consiliarii Regii Joachimi Transæi à Roseneck, contra Creditores immissos in Brock, Die 19. Decemb. Anno 1653.*

1. Primum in omni appellatione, ut in causâ per simplicem querelam ad Tribunal delata esse debet, ut inspiciatur, utrum fundata sit Jurisdictio.

Qua

Digitized by Google

Qua sine non est recipienda causa, nec decernendi processus. In hac specie, ubi Camera cum Cæsare concurrentem jurisdictionem non habet, nec à Cæsaris delegato seu Commissario ad Cameram appellari *Graven. lib. 1. Pract. Observ. 121.* ut id pro exceptione tradit *Reinking. in tr. de Regim. Secul. lib. 2. class. 2. cap. 15. num. 77. in fin.*

2. Ut commissio est regula potestatis quâ Commissarium, ita norma judicii, qua vim commissionis & licentiam provocationis.

3. *Fab. in Cod. lib. 7. tit. 26. defin. 30.* Ratio est, quod talis Commissarius habetur pro executore, à quo appellari non solet, *Scacc. de Appellat. quæst. 17. limit. 11. num. 1.*

4. Ordinarium remedium commissionum earumque effectus deprecandi est, ut apud superiorem seu committentem causæ quare non allegentur.

5. *l. & si non 4. C. si contra jus vel util.*

6. *Abbas & Franch. in c. adhæc. x. de Appellat.* Cum non est gravamen seu causa appellandi in Commissione, sed in Commissarii facto iniquo, appellationi ab eo locus est, etsi non appelletur à committente, *Nicell. in tr. de Concord. gloss. caus. 6. num. 15.*

7. *Fab. d. tit. 26. defin. 36. num. 5.* Excessus causæ quæ excludit appellationem, facit ei locum tanquam cessante ratione ejus alias interdictæ, *l. ab executione 5. C. quor. appell. non rec. c. novit. 43. x. de Appellat.*

8. *Gregor. Tholosan. de Appellat. lib. 2. cap. 11. num. 2.*

9. Extra controversiam est à Commissariis etiam Cæsaris & Regum superiorem non recognoscentium appellari, *Scacc. de Appellat. quæst 16. num. 17.* sed ad quod judicium appelletur, in quæstionem aliquando venit, *ut i apparet per ea, quæ prolixius explicat Scaccia dict. tr. quæst. 8. artic. 2. num. 14. & seqq.*

10. Quod Tribunal vel auditorium Principis judicat, Principis sententia est, *Bartol. & Salycet. in l. in offerendis C de Appellat.*

11. De hoc vide prolixius scripta *à Meischner. decis. Cameral. 4. num. 14. & seq. tom. 4. Autore Præjudic. Cameral. verb. Appellare quibus & à quibus §. à Commissariis Cæsareis Reinking. de Regim. Secular. l. 2. class. 2. cap. 24. num. 76. seq.* ubi rationes & exempla plura leges, in quibus à Commissariis Cæsareis in Camera receptæ sunt appellationes. Et licet *Gailius 1. Observ. 121.* initio ad aliam sententiam inclinare videatur, postea tamen de ista observantia testatur, aitque perinde esse ad Cæsarem, an ad Cameram appelletur, cum & ab illo ad hanc tales appellationes remitti soleant.

12. In Imperio duplex summum est Judicium: aliud in Camera, aliud in aula Imperatoriâ: utriusque concurrens est Jurisdictio, ideo locus præventioni. At in Regiis terris unum saltem summum Tribunal est, quo solum provocatur. Exillis aliud est totius Imperii, aliud Imperatoris, inde oritur de ea quæstione disputatio, quid Cameræ liceat quando Cæsaris Jurisdictio in aula præventione fuit occupata. At in hoc & præter hoc non est alterius, quam Regis Jurisdictio, eaque universalis complectens omnes causas judiciales sine exceptione.

13. *l. præcipimus §. hæc si appellatio c. de Appellat. l. 1. ff. quis & à quo c. super quæstione x. de offic. delegat.* Maximè si delegatus sit à Principe, *Fachin. l. 1. controv. cap. 78.*

14. Quando Princeps ordinavit Judicium quoddam appellationum velut ordinarium, ad illud appellatur etiam ab ipsiusmet delegatis atque Commissariis. *Scaccia in tr. de Appellat. quæst. 8. artic. 2. num. 49.* Ita in Francia, à Regiis delegatis appellatur ad Curias supremas seu Parlamenta, *Rebuff. in tr. de Appellat. in pr. numero 33. tom. 3.* in Regno Neapolitano à Regio Delegato ad magnam Curiam Vicariæ. *Freccia de subfeud. lib. 2. act. 33. num. 8.*

15. Delegationes causarum in dubio accipiuntur juxta Stylum Curiæ, ne ejus beneficiis partes priventur. *Specul. in tr. de Appellat. §. nunc tractemus numero 5. Frecc. tract. de sub feud. lib. 2. act. 13.*

DECISIO CXXXVII.

Cum causa per superiorem committitur alicui Iudici ut Ordinario, ab hoc appellatur ad Iudicium, ad quod alias appellari solet.

REfert circa commissionem superioris, quomodo fiat ei, qui aliàs Judex causæ est, an ut Commissario mero, an ut ordinario judici. Ut huic factâ causæ delegatione nihil mutatum censetur ex ordinariâ Jurisdictione, (1) ita nec tunc ad delegantem, sed velut ab ordinario ad judicium appellationis ordinarium appellatur. (2) Judici autem ordinario facta delegatio semper intelligitur facta ut ordinario. (3) *In eadem causa.*

1. *Innocent. in c. Romana in pr. de Appellat. in 6.*

2. *Castrens. in l. qui procuratorem num. 8. & 9. ff. de Procurat. Scacc. in tr. de Appellat. quæst. 3. artic. 2. num. 51.*

3. Superior committens judici quod ad ordinariam ejus cognitionem vel executionem spectat, magis id facere censetur ad excitandam vel promovendam jurisdictionem, quam ad mutandam aut novam formandam.

DECISIO CXXXVIII.

Ob non expressam in documento horam, in qua appellatum sit, non rejicitur appellatio.

QUia decendium intra quod appellandum est, currit de momento in momentum (1) expedit atque consultius est nō diem modo, sed etiam horam in quâ appellatur, à notario consignari. (2) At quando ea expressio non reperitur in Instrumento appellationis, non ideo hæc repudianda erit. (3) Inutilis est siquidem ex memorato die notorium sit, nondum elapsum esse decendium. Ubi vero decimo die interposita fuerit

Digitized by Google

fuerit appellatio, inde dubium oritur an decendium elapsum fuerit nec ne. Dum non apparet lapsus, justum tempus observatum fuisse præsumitur (4) donec ab adversâ parte ostendetur. (5) Ut enim beneficio appellationis quis privetur convincendus est neglexisse, quod opottet; alias in dubio ea capitur interpretatio & præsumptio, quo appellatio integra servetur. (6) *Quod consideratum in causa Viduæ D. Rabhuns contra Balzar Sachtleben die 19. Decembr. Anno 1653.*

1. *Vid. Gail. 1. Observ. 139. num. 5.*

2. *Vid. Mindan. de process. lib. 1. cap. 7. num. 1.*

3. Non reperitur ex lege ad substantiam appellationis requisita ex expressio, ideo ex illa non restringendum est favorabile beneficium.

4. Præsumitur actus quisque justè atque decenter factus *Bartol. in l. gerit. n. 21. ff. de Acquir. hared.*

5. Lapsus nunquam præsumitur sed probari debet, eoque non probato aperte intra decendium appellatum statuitur *Scac. de Appell. quæst. 12. n. 52.*

6. *Rebuff. de Appell. in præfat. num. 75.*

DECISIO CXXXIX.

In Processu executivo super Constitutione Ducatus Bremensis von den Wucherlichen Contracten an appellationi locus sit.

SUb principis Tribunalis Regii orta est ad interpellationem quorundam circa decretos processus quæstio de appellationibus in causis, in quibus juxta Constitutionem Ducatus Bremensis **von den Wucherlichen Contracten** procedendum est, quæ Anno 1580. ex conventione singulari Archiepiscopi Bremensis & ordinum Archiepiscopatus edita, quando ex Instrumento vel Chirographo debitoris constat de debito, solutio statim demandari & exceptione licet oppositâ tamen incontinenti liquidâ non redditâ, creditor in bona debitoris immitti, exceptiones quæ altioris indaginis sunt, ad forum cassandæ seu ad ordinarium processum remitti debent. Non erant leves quæ opponebantur pro non devolvenda in talibus appellatione rationes. Allegabatur primo constitutionis illius rigor immissionem statim faciendam exigens. (1) Deinde intentio ab conservandam rerum creditarum fidem spectans, quæ sine celeris & non impeditæ executionis metu integra non manet; (2) Tertiò inanem fore constitutionem si decreta impugnandi occasio atque media superforent. (3) Quarto quod in processibus executivis, quales sunt, qui ex illa constitutione oriuntur, alias locum non habet appellatio. (4) Quinto quod in talibus appellare plane inutile foret. Aut enim exceptio vel causa ob quam quis se gravatum putat liquida est, aut vero altioris indaginis? In ista specie frustra appellatur, quia ante immissionem in primn instantiâ admittitur & auditur. In hac deest gravamen, cum non autem juxta constitutionis tenorem, sed etiam per commune jus talia post executionem rejiciantur. (5) Verum tamen, quam speciosè hæc ab iis, qui omnem in istis causis appellationem præclusam atq; rejectam volebant prolata sunt, quibus incumbebat fundamentalem Regii Judicii legem, ut in eo Jus & Justitia unicuique administretur, (6) exactis sequi, tanti fieri non potuerunt, ut quod gravissimum durissimumque appellatio & juris servandi medium generatim præcluderetur. (7) Si ita in thesi, ad quam objecta pertinebant, de eo differendum esset, an quando recte & juste secundum illam constitutionem proceditur, appellationi locus sit; facilis foret consensus nec ulla disputatio. (8) quod si etiam tam litigantes quam Judex superior de immotâ & immutabili juris & æqui juxta eam constitutionem observantia securi ne inferiores Judicis labi & errare possent, frustra essemus solliciti. At cum & circa talia, quo processus celerior, eo magis citior lapsus, abusus casus & quæ alia unde à juris tramite deviatur, occurrere, & etjam sapientissimus falli justusque vel septies, in die cadere posset, non video, qua ratione iis qui inde lædi queunt appellationis facultas adimetur. (9) Primo hoc fieri nequit per rationem defensionis (10 quæ nullo statuto cuiquam indefinite adimi potest, (11) ideo nec appellatio, quæ istius species existit. (12) Secundo tendit in maximum superioris Judicis præjudicium, ut in aliqua specie injuriam ab inferiori passis præclusa sit justi copia. (13) Tertio ubi in juriæ potest esse locus, multo magis ibi facilè, locus quoque debet esse appellationi. [14] At nullibi magis isti patet occasio, quam executivis processibus. Quarto non negandum est appellationis beneficium, nisi quibus lex expressa abstulit. (5) Nulla autem reperitur, quæ illud in causis, in quibus juxta prædictam constitutionem proceditur, excludit. (16) In ipsa constitutione de eo ne verbum quidem continetur nec sine expressis verbis eam odiosam exclusionem inferre licet. (17) Quinto per præterita exempla jam edocti sumus, ad Judicium provinciale & ad Cameram Imperialem fuisse in talibus causis provocatum atque appellationes admissas. (8) Sexto præsentibus exemplis statim demonstrari potuit, unus & alter ejus constitutionis abusus, cui appellationem negando jus tribuere nec injusta passum conquerentem justo modo juvare nec Justitiæ nec reipubl. utilitati nec Judicium conscientiæ conveniet. (19) Septimo per commune jus post rem judica-

Digitized by Google

tam ab executionis excessu appellationi locus relinquitur, etsi ab ipsa executione non appelletur. (20) Multo magis verò, cum super Instrumentis executivè proceditur, si legitimus ordo non servatur appellari fas est. (21) Quid enim si aut non satis liquidum est creditum aut contra eum, qui non est debitor vel in Instrumento non comprehensus immissio decernitur, vel si res in quam fieri debet isti non est de jure obnoxia, vel exceptio justa atque liquida rejicitur. Quis non putabit ita vel similiter gravatos audiendos esse. (22) Quæ in contrarium moventur argumenta, hoc tantum inferunt, ut ubi juste proceditur appellatione celerem processum atque executionem differre fas non sit. Minime vero ne plane appellans audiatur, ubi si inique gravatum per justas rationes allegat & ex actis statim docere promptus est, ideo non tam litem quærit quam lucem Juri ex istis offert. (23) Constitutio quidem vult fidem sanctè servari, at non injusta cuiquam irrogari vel passum remediis legitimis privari. Fides servanda, sed nisi salva Justitia non est exigenda. (24 Non fit inanis constitutio quia injuste exerceri impeditur, quæ aliter valere non debuit, quam quatenus justa est ac juste exercetur. (25) Male præsupponitur sic admitti provocationem, ut Jus sistatur in executivis. Nam ita demum ei locus relinquendus est, ubi executivè procedi non debet. (26) In hoc vero constitutio prædicta proficit, ut circa decernendos processus ex acte observetur, Primo ut non facilè nec præpropere sed considerate appellatio admittatur. (27) Deinde ut nonnisi ob gravamina illa, quæ processum executivum injustum faciunt (28) & statim levato velo ex actis aliisque documentis revelanda sunt; (29) Tertio ut appellationis Instantia summario processu terminetur, nec quidquam ultrà, quam contra petitionem immissionis ex ea ad hunc remorandum admitti potest, attendatur, (30) Tandem frivola appellatio severius castigetur. (31) Uti hæc observanda esse duximus, & cum ista circumspectione appellationes in executivis admisimus atque earum processum dirigere operam dedimus. (32)

Statutum executionem paratam tribuens & omnem exceptionem excludens intelligitur removere appellationem *Bartol. in l. omnes populi ff. de Justit & jur.*

2. Nervus rerum creditarum est rigor Justitiæ.

3. Omnis Occasio litigandi præscindenda est, cum litigiis obviare studetur. Frustra de hoc est sollicitudo, ubi illa non prævenitur *l. aquissimum 12. ff. de Usufruct.* in his ideo, quæ celeritatem desiderant & sine dilatione expedienda sunt non admittitur appellatio *l. fin ff. de appell. recip. Maranth. in Spec. part. 6, act. 2, numer 330.*

4. *l. ab executione ib. Bald. & Salye. C. quor. appell. non recip. Scaccia de Appellat. quæst. 17. limit. 9. num. 1.* maximè ubi ex vi statuti datur parata executio. *Coler. de Process. executiv. part. 4. c. 2. num. 18. seq.*

5. *Ita colligit Coler. de Process. executiv. part. 4. cap. 2. num. 36. in fin.*

6. Lex fundamentalis S. Tribunalis Regii Jurisdictionem universalem effecit & ita attribuit, ut nullam exceptionem admittat; Ubicunque igitur seu in quacunque causa contra injuriam justitia est administrandi, in ea fundata non modo est Jurisdictio, sed etiam reperto gravamine exercenda.

7. Præstat aliquando cum injuste appellatur ad examen causæ & pro juris certitudine tempus dari, quam in aliquâ specie contra Reipubl. utilitatem & cum multorum periculo appellationem excludere *Heig. Illustr. quæst. 10. numer 6.*

8. Super notorio appellatio non suspendit executionem *Maranth. de Ord. Judic. part. 6. tit. de Appellat. num. 175.*

9. Per plura Judicia causas ideo decurrere utile atque necessarium visum est, quo multorum judiciis ventilata veritas clarius aperiatur & quod à pluribus quæritur facilius inveniatur *c. de quibus distinct. 20. c. prudentiam de Off. deleg. Tessaur. decis. 246. numer 4.*

10. Contra iniquitatem & imperitiam ex appellatione necessarium remedium est; *l. 1. ff. de Appellat.* Ii ipsi qui in processu executivo appellationem excludunt, loquuntur de ea specie quando debitum ex producto instrumento coram Judice liquidum & notorium exstat, & de præsenti nihil juris in contrarium apparet, *ut habent verba Colerii dict. cap. 2. num. 31.* unde à contrario sequitur, ubi non ita liquida sunt omnia, ubi aliquid juris in contrarium allegari potest (quo casu & non aliter appellationis facultatē concedimus) isti locum esse.

11. *Jason. l. ut vim n. 17. ib. Dd. omnes ff. de Just. & Jur.*

12. *Johan. de Immol. c. significavit num. 8. & 207. x. de Appellat.*

13. Ultima provocatio est Jus superioritatis & quidem præcipuum, in quod inferior sibi potestatem eam sumere non debet, ut ejus facultatem prohibeat, *sicut hoc prohibet & factum non attendi vult Ordinatio Camera Imp. part. 2. cap. 28.*

14. Quisquis injuste gravatus est appellare permittendus *c. omnis 3. quæst. 6. c. ut debitus x. de Appell.*

15. Ubi nulla lex prohibet, appellatio non habenda est excluſa *Rebuff. de Appellat. in præfat. num. 72. Lancellot. de Attentat. part. 2. cap. 12. ampl. 5. num. 8. Franch. in c. de Priore num. 1. seq. de Appellat.*

16. Prohibitio appellationis & processus executivus à jure communi exorbitant, ideo in dubio contra illam præsumitur & admittitur *Scacc. in tr. de Appell. quæst. 17. lim. 9. numer 18.*

17 Causæ, quæ sunt ex statuto celeris expeditionis atque summariæ, appellationem permittunt quā non prohibet *Scaccia de Appellat. quæst. 17. num. 7.*

18. Consuetudo appellandi legis vim habet, ideo sequi magis quam de ea abroganda cogitare oportet *l. de quibus 32. l. seq. ff. de Legib.*

19. Per hanc rationem JCti tenent, quod quando in appellatione exprimitur justa causa seu gravamen tale, quod salva justitia negligi nequit, ab executione istā rectè fieri & admittendā esse *post Roman. consil. 41. Jub n. 1. Scacc. d. tract. quæst. 17. lim. 10. n. 19.*

20. *l. ab executione 5. C. Quor. appell. non recip.*

21. Itaque

Digitized by Google

21. Æquiparantur quidem rebus Judicatis instrumenta ex statuto vel consuetudine paratam executionem habentia, attamen facilius contra hæc quam adversus ista admittitur exceptio & appellatio, *uti videre licet ex his quæ scribit Scacc. d. q. 17. limit. 10. numer 14. & seq.*

22. Expende omnes rationes eorum, qui contrarium sentiunt, *quas videbis apud Colerum & Carpzovium dictis locis* & reperies, pr. supponere quod omnia sunt liquida, confessata, certa & ita comparata, ut nihil juxta statutum vel conventionem superest quod executionem remoretur. Et nos in hac specie appellationem excluſam & non admissam volumus. In illa autem specie, ubi aliquid deest ex istis, quæ pro executivo processu necessaria sunt, aut ubi huic locum vel ejus limites servatos esse negatur, atque in ordinarium convertitur (nam non minus actoris quam rei ut appelleturinteresse potest:) saltem illam admittendam esse existimavimus & concluſimus; *Quod nobiscum sentit Scaccia in tr. de Appell. quæst. 17. limit. 9. quem sequimur.* Is pro regula ibidem tradit, in executivis seu cum ex instrumento paratam executionem habente agitur, appellationi locum non esse, *uti thesin hanc habet in numer 1. & seq.* Atlimitat deinde plurimis modis, præsertim verò has duas species, de quibus nostra hic est sententia excipit, primò si reus justam exceptionem habuit quam Judex rejecit: Deinde quando justa causa appellandi est, *uti hac habet dict. limit. 9. numer 61. & 62.* tantummodo idem tamen tradit, quod nos hic sentimus.

23. Quod ex se non est malum, sed ex abusu fit tale, propter hunc non est prohibendum, sed tantum ne quis abutatur cavendum. Ejus generis est appellatio, ideoque ututin executivis iste accidet, non tamen ideo ubi & horum abusus est prohiberi fas *uti de ea argumentatur Scaccia de Appellat. quæst. 17. in pr. numer. 3.*

24. *l. bona fides. 12. §. 1. ff. depoſit.*

25. Non tantum justa facere decet, sed etiam justa justè.

26. In executivis appellari propriè non dicitur ubi vel executivus Processus esse non debuit, vel alius quam ille adhibetur, cùm ex illo decerni debuit. Sic de omnibus causis non appellabilibus JCti sentiunt ut quoties excedunturtermini, intra quos illæ sunt non appellabiles tunc appellabiles fiunt *uti Scaccia d. tract. quæst. 17. in pr. num. 64. & per omnes sequentes limitationes docet.*

27. In executivis appellatio citius præsumitur frivola *Carpzov. in Iurisprud. Forens. part. 1. Constit. 20. defin. 13.*

28. Observatis iis quæ processum executivum faciunt deficit gravamen, ideo cessat appellatio *Bald. in l. un. numer 7. C. quand. in un. ead. cauſ.*

29. Quæ altioris indaginis sunt non pertinent ad executivum Processum sed ad ordinarium rejicienda sunt *Coler. dict. tract. part. 4. cap. 2. num. 28. ubi de Practica testatur.*

30. Summariæ causæ tam in secunda quam in prima levato velo & summarie expedienda sunt *uti etiam provisum in Ordinat. Sum. Tribun. part. 2. tit. 5. ubi inter eos refertur executio instrumentorum.*

31. Quam fœdum, turpe atque perfidum est contra liquida credita disputare fideinque litibus velle eludere, tam severè à Judice castigari civilis societatis interest.

32. Quando Ordinatio Tribunalis Regii deinde conscripta fuit inter causas summarias appellabiles *dict. part. 2. tit. 5. enumeratæ sunt hæ de quibus hic agitur. num. 33. §. verb. causa Executionum tam sententiarum quam instrumentorum & conventionum.*

DECISIO CXXXX.

Appellatio à Commissario seu delegato facienda est ad delegantem, nec recipienda à judice appellationum, nisi simul doceatur exceptio.

COmmunis & legitima est sententia à Commissario seu delegato appellandum esse ad committentem seu delegantem seu hic sit princeps seu alius ordinarius judex. (1) Nec refert utrum delegatio ab hoc sponte seu per Jus officii facta sit, an jussu superioris. (2) Habet quidem ea sententia exceptiones aliquas: (3) At insistendum isti, donec casum de quo agitur exceptū esse docetur; (4) ne temerè & præcipitanter jurisdictionum ordo turbetur. (5) Haut pro eâ satis est, aliquos seu potiores ordinis vel collegii à quo processit commissio, simul esse commissarios, ideo ad illud commissionem fore inanem, expectandâ ibi non aliâ, quam quâ quis ab iis se gravatum putat, sententiâ; Utrumne cognitâ porrò causa aliter illud judicabit, incertum adhuc est, nec antequam gravamen infertur appellandum. [6] Rejecta itaque quæ interposita (7) *à Iochim Eddeling contra Universitatem Gryphiswaldensem appellatio die 20. Ianuarii Anno 1654.*

1. Gail. 1. Observ. 12. numer 2. Guid. Pap. in tr. de Appellat. q. 32. numer 31. tom. 5. Specul. in tit. de Appellat. §. nunc tractemus num. 5.

2. l. ult. ff. quis & à quo appell. Ang. Aretin. in l. §. si quis ita numer 4. ff. de Appellat.

3. De quib. vid. Scacc. in tr. de Appellat. q. 8. artic. 2. num. 48. & seq.

4. l. 1. ib. gloss. & Dd. ff. de R. I. l. ab ea 5. ff. de Probat.

5. Ordo cum alibi tum & circa appellationes exacte servandus est *l. Imperatores 21. ff. de appellat.*

6. Appellatio non obtinet ubi nullum adhuc est sed ex eventu tantum metuitur gravamen *Franch. c. debitus 59. quæst. 2. num. 9. de appellat. Bald. in l. pen. C. quor. appell. non recip.*

7. *Iuxta d. l. Imperatores 41. de Appellat.*

DECISIO CXXXXI

Ab abdicatione officii non appellatur nisi ob aliam isti accedentem injuriam.

OFficium quidem ad beneplacitum licet concessum perpetuum reputatur, (1) revocabile tamen est, & ei qui contulit abdicare licitum. (2) Nec enim ex officio,

Digitized by Google

quod non ex lege aliquâ, (3) sed voluntate constituentis ex beneplacito seu electione defertur, officialis tale jus accipit, ut invito domino retinere queat: (4) Ut ipsi eum placet resignare seu renunciare integrum est, (5) ita etiam domino abdicare. Abdicatus itaque frustrâ ideo solùm quod abdicari nolit appellat. (6) Saltem si abdicantis quædam injuria accesserit, vel in contumeliam vel in iniquum damnum vel in pœnam officialis facta fuerit eo edocto audietur. (8) *Sic existimatum in eadem causa.*

1. *Cacheran Decis. Pedem 144. num. 13. Fr. Marc. Decis. 794. num. 3. part. 1 & decis. 19. num. 3 part. 2. Boer. decis. 149. num. 19.*

2. *Petr. Anton. de Petra de Potest. Princip. & jur. quas non toll. cap. 26. num. 35. Menoch. de A. I. Q. lib. 1. q. 55. num. 4.*

3. Ubi lex vel consuetudo munia fecit perpetua non est locus revocationi nisi ex gravi & justa causa *Carol. Tapia. in repet. L. fin. part. 2. cap. 9. num. 73. seq. ff. de Constit. Princip.*

4. *Bald. in l. rescripta n. 12. C. de Precib. Imp. offer.*

5. *l. si mandantis 22. §. fin. ll. seq ff. mandat.*

6. Caret gravamine cui deest invito superiori retinendi jus.

7. Etsi revocabile est officium, tamen revocatio fieri non debet nisi juste & sine injuriâ abdicati *Cavallos in Com. opin. quæst. 425.*

8. Ideo factâ renunciatione quod in officio delinquitur, prius audiri debet officialis cum suis defensionibus per remedia juris ordinaria, *Post Cavall. d. l. Ant. de Petra dict. tr. cap. 20. numer 4.*

DECISIO CXXXXII.

Prohibitio litis etsi ex se injustè facta, si tamen est litis injustæ haud revocanda est.

SUb processu judiciario inter magistratum civitatis & officialem Regium super retractu domus quæ à jurisdictione urbana erat exempta mandatum à Regimine ad dicasterium emanavit, ut supersederetur in illa lite, si secundum juris regulas & judiciorum ordinem hoc examinandum esset, vix subsisteret. (1) At cum ipsa lis est reproba & ab illo mandato appellantis intentio plane injusta, eaque injustitia notoria, non cassandum est mandatum sed rejicienda appellatio. (2) Etsi enim ratione prohibitionis gravaminis quidquam subesse videtur, (3) cum tamen id tantum processus nullitatem concernebat, non causæ merita, ideo haud attendi oportuit: (4) præsertim in superiori judicio, ubi non secundum subtilitatem processus sed juxta merita judicandum est. (5) Et cum notoriè injustam actionem ut & manifestè frivolam atque inutilem seu nihil profuturam appellationem statim sine ullo alio processu repellere æquum & utile sit, illi non superest conquerendi causa qui repellitur, etsi inordinate; nec superiori judici ratio est cur admittat, quem audiendum non esse statim prævider. (6) Benefacit potius, si quemquam se inanibus sumptibus & curis macerare non sinit. (7) Sic visum *In causa senatus stetinensis contra consiliarium Cameræ Danielem Schlegeln die 27. Ianuarii Anno 1654.*

1. Judiciorum vigor jurisque publici tutela unicuique in publico constituta est 1. *nullus 14. C. de Iude & Cœlicol.* à quibus quemquam excludere aut prohibere non licet *l. 1. tot. tit ff. ne quis eum qui in jus voc.* Quod si quis prohibeat prosequi litem in judicio, facti planè illiciti reus habetur & contra eum mandatum sine clausula prohibitorium decernitur *Petr. Frid. Mindan. de Mandat. lib. 2. c. 19 num. 1.*

2. Caret enim tali gravamine quod appellationi locum facit, quo sine isti non est locus relinquendus. *l. 1. ff. de appellat.* Illud unica appellationis causa est, quæ illo cessante cessare debet.

3. Ejusmodi prohibitio imperantium non est modus terminandi litem sed pronunciatio judicis *l. 1. ff. de re judic.*

4. Nullitas quæ tantum committitur propter ordinem processus omissum de rigore juris inducta, ubi meritis personarum vel causarum non nocet aut præjudicat, parvi fit à judice, nec omissa aut facta, quæ ista non concernunt, vitium processus tale ut cassari vel revocari debeat, inferunt *Gail. 1. Observ. 42. num. 4. & 5.*

5. *Vid. Gail. 1. Observ. 75. num. 5.*

6. *Neuzan. consil. 27. numer 3.*

7. His obviari ad judicis officium pertinet *l. quidam 21. ff. de reb. cred. c. finem litibus x. de Dol & contum.*

DECISIO CXXXXIII.

Publicationem attestatorum appellatio suspendit.

PUblicatio attestatorum magni præjudicii est, quia præcludit viam testimoniis, (1) ideo cum interest hanc nondum fieri, qui impeditam vult allegatis justis non publicandi rationibus (2) audiendus (3) cum non auditur appellatio concedenda est. (4) Utrum vero etiam inhibitio decernenda sit, ambigebatur, quod illa appellatio saltem erat ab interlocutoria, (5) & gravamen in eadem instantia reparabile, cum si præcipitanter facta fuerit, non præjudicet nec impediat, (6) quin si opus & æquum est, tum priores testes recipi tum & alios admitti. (7) At quando non regulariter nec nisi certis ex causis & difficulter post didicita attestata examen novum impetratur & admittitur, magisque expedit causam servare integram quam post vulneratam remedium quærere, (8) præstat recipere ex allegatione justæ causæ appellationem, & decreta inhibitione jura partis illæsa relinquere, præsertim ubi reparatio postea difficilis est (9) In qua specie non secus ac quando impossibilis remedio

Digitized by Google

medio locus est, (10) *Sicut decretum ad supplicationem pro processibus Augustini Puchnern contra Iacob Tellinen, die 15. Februarii Anno 1654.*

1 Facta publicatione non admittitur ultra testium productio & examen *Auth. Ut qui semel C. de Probat. c. fraternitatis c. ex tenore x. de testib.*

2. Non impetratur dilatio publicationis nisi indicatis judicii causis, quare hanc facere non debeat *Rutg. Ruland. in tr. de Commissar. part. 1. lib. 6. c. 1. in 7.*

3. Ita audiri debet supplicans ut causæ non faciendæ publicationis examinentur & interlocutione super iis pronuncietur. *Rutger Ruland. dict. cap. 1. num. 9. & seq.*

4. *Vid. Rutg. Ruland. de Commissar. part. 1. cap. 5. per tot.*

5. Cum ab interlocutoria appellatur, inhibitio non decernitur. *Gail. 1. Observ. 144. num. 4.*

6. *Bald. in Auth. Ut qui semel num. 2. C. de Probat.*

7. Sunt plures causæ ex quibus cum iidem testes recipi tum & novi post publicata attestata produci queunt *de quib. plura ap. Gail. 1. Observ. 105.*

8. *Vid. Rutg. Ruland. in tr. lib. 6 cap. 2. per tot.*

9. *l. fin. C. in quib. caus. rest. in integr.*

10. In juris quæstionibus juxta humanarum rerum conditionem, maximè hoc spectandum ut illi jura attemperare oporteat, quod valde difficile impossibile aquiparetur, & tamen in illud incidant negotia quam ut hæc injungantur præcaveri æquum existimatur: *Nevizan. in Sylv. Nuptial. cap. 23. numer 72.*

DECISIO CXLIV.

Protestatio quoad futura appellationis vim habet.

POst citationem ad videndum attestata publicari facta publicatione, & tunc demum appellatione interposita in dubium veniebat, utrum recipienda sit? quasi cum à citatione non appellatum erat per silentium approbatio facta, (1) & decretum publicandi vires rei judicatæ assecutum esset. (2) Nec sine ratione rejicienda fuisset appellatio, si appellans planè acquievisset, nihilque oppositio publicationem fieri sivisset. (3) At cum narraret, protestationem citationi à se oppositam (4) utique perinde est, atque si statim à decreto publicationis & citatione appellasset. (5) Nam in iis quæ nondum inferunt gravamen, sed tantum minantur, non opus est appellatione, sed sufficit protestatio quæ jus protestantis salvum conservat, (6) & mentem illius contra præsumptionem patientiæ satis declarat. (7) At rejecta per factum ipsum protestatione seu tacitè seu expressè fiat, appellatione opus est, eaque facta admittitur *In eadem causa.*

2. Tacens in præjudicialibus pro consentiente habetur *c. qui tacet x. de R. I*

3. Omissa appellatione pronunciatum fit judicatum *l. fin. C. sent. rescind. non poss.* Citatio talis loco sententiæ interlocutoriæ est *Gramm. decis. Lusitan 265. numer 3.*

3. *Arg. l. qui patitur 18. ff. mandat.*

4. Ita moris est publicationis decretis opponi protestationem eamque proficuam esse ait *Rutg. Ruland de Commissar. part. 1. lib. 6. cap. 1. num. 8.*

5. Protestatio loco appellationis est quoad declarandum dissensum & conservandum jus protestantis *Ioh. Dilect. de art. testand. tit. 1. cap. Wesenbec. Consil. 43. numer. 155.*

6. *l. 4. § si in venditione ib. Bartol. ff qnib. mod. pign. vel hypoth.*

7. *Arg. l. 1. §. si filius ff. mandat.*

DECISIO CXLV.

Pro conservanda possessione à judice à quo petita & impetrata non continent renunciationem appellationis.

COmparendo coram judice à quo appellatur ab appellante renunciatum creditur appellationi (1): at non aliter quam si non alia mente id factum apparet. Potest pluribus ex causis fieri ut ad judicem alia ratione alioque animo recurrere opus sit. (2) Uti accidit in iis quæ pro auxilio, ne quis in possessione turbetur, postulantur, (3) sicut etiam in aliis casibus omnibus, in quibus judex à quo non obstante appellatione potest procedere. (4) Sicuti illum decet prospicere, ne quis pendente lite in possessione turbetur. (5) Magis alia ex causa id factum quam pro renunciatione præsumitur. *Sic decretum in causa Iost Behren, contra Burchard Behren, die 23. Martii Anno 1654.*

1 *Franch. in c. cum teneamur 4. num. 4. de appell. Rebuff. de Appellat. artic. 15. glos. 1. numer. tom 2.*

2. Non potest ultra mentem & finem actus operari.

Franch. in d. c. cum teneamur not. 2. num. 3. Gabriel. comm. conclus. lib. 2. tit. de Appellat. concl. 2. limit. 13. num. 29. seq.

4. *Scacc. in tr. de Appellat. quæst. 17. lim. 2 num. 67.*

5. *Lancellot. de Attentat. part. 2. cap. 12. limit. 17. numer 1.*

DECISIO CXLVI.

Summa appellabilis ex eo quod petitur, quatenus dubium est, censetur.

AD fundandam jurisdictionem summa appellabilis statui debet non ex veritate debiti vel sententia primæ instantiæ, sed ex petitione libelli. (1) At non

Digitized by Google

simpliciter hoc ita accipiendum est, ut sine discrimine petitum inspiciatur, sed ut illud, quod ex eo dubium est, & sub litem venit, ut appellans per sententiam se gravatum dicere possit. (2) Nec enim ultra gravamen valet appellatio. (3) Ideo si quidquam petitum fuerit, de quo nihil controversiæ exstitit, immixtum tantum actioni ad augendam litis quantitatem velut in fraudem legis tendens non attenditur. (4) De hoc ex ipsa sententia quatenus decidit, quod in litem ut controversum venit, perquirendum erit: (5) quæ materiæ litis index exstitit, atque cum, an petitum liti adæquatum sit, in dubium incidit, considerari debet. (6) *Vti factum, & ex eo rejecta provocatio in causa David Macken, contra den Obrist Ioan. von Volckmann, die 4. Aprilis Anno 1654.*

1. *Gail. 1. Observ. 123. numer 5. Mynsing. cent. 5. Observ. 38. numer 3 per text. in l. cum quadam 19. ff. de Iurisdict.* Idem constituere videtur Recessus Deputatorum zu Speyr *Anno 1600.* §. Wiewol nun auch. *verb.* Da die Sag unter dreyhundert Reichs-Gulden Haupt-Gelt es wäre.

2. Liquidi in lite non habetur magis ratio, quam de eo lis est.

3. Causa appellationis est gravamen, nec ultra hoc illa extenditur, *c. ut debitus x. de Appellat.*

4 Nihil eorum admitti ratumque esse debet, quæ in fraudem tendunt, *l. quidam 29. §. 1. ff. ad SC. Vellejan l. 1. pr. ff. si quid in fraud. patron.*

5. Litis æstimatio ex ipsa sententia est decernenda, *l. in offerendis 37. C de Appellat.*

6. Sic conciliari potest, quod contrariis sententiis de norma dijudicandi summam appellabilem traditur; nec opus est decurrere ad eam opinionem, quam leges apud *Graven. Pract. Observ. 123. consid. 1. numer* 10. per Imperii novam constitutionem abrogatam esse, *d. l. in offerendis 37.* Libellus enim habet materiam litis, at sententia declarat. Ideo ille qua summam litis sic inspicitur, uti hæc indicat, quod est ex petito controversum.

1. *Sic scribunt & de Practica Camera Imperialis testantur Gail. 1. Observ. 28. numer 2. Mynsing. Observ. 82. cent. 3.*

2. *Vid. Deputations-*Abschied *Anno 1600.* §. Ob auch *Promotoriales, verb.* Sachen coram judicio inferiori anhängig gemachet/ darinn lis contestirt/ oder auch definitive concludiret. Nec aliud Cameræ Imperialis Ordinatio continet, sed etiam potius exprimit *part. 2 tit. 8* §. Nachdem die Sache anhängig *vid Petr. Frid. Mindan. de Mandat lib. 2. cap. 53. numer 5.* Saltem cum de eo exoriebatur dubitatio Recessus Deputatorum pro illa dimovenda eam declaravit, unde male hac istam sententiam, adeò etiam Ordinationem Cameralem correctam esse statuunt.

3. Cui convenit, quod in ordinatione S. Tribunalis Regii *part. 2. cap. 1.* præscriptum non distinguens ante an post litem contestatam denegatio vel protractio fiat.

4. Contra sententiam quæ vires rei judicatæ adepta est, nullum rescriptum valet, *l. fin. C. sent. rescind. non poss.* imo improbum habetur, *l. 1. & tot. tit. C. ut lit. pend. vel post prov.*

5. Nihil refert an protractio vel negatio justitiæ fiat silendo, an injustè decernendo. Effectus in his spectatur & corrigitur. Atque sic in Camera Imperiali servari ex ejus præjudiciis deprehendi atque scriptis licet decretis repulsa facta sit, promotoriales dari.

DECISIO CXXXXVII.

Cœpto jam judicio ob protractam justitiam quomodo procedendum.

QUod ab aliquibus traditur, causam denegatæ vel protractæ justitiæ ad superius judicium non devolvi, sed cœptum jam sit judicium, & in processu postea fiat denegatio vel protractio; sed causam tunc per viam appellationis ad illum deferendam esse, (1) Imperii constitutioni non omninò convenit. (2) In quam ne impingat illa sententia discernendum est, utrum judex inferior ad instantiam partis nihil decernit, vel quia recusat, vel quia silentio & surdis quasi auribus transmittit, an verò decreto quodam at dilatorio, & at procrastinatio-

DECISIO CXLVIII.

A sententia statum hominis concernente, etsi de summa non appellabili, appellatio admittenda est.

COndemnatus ut hæres purè, etsi ad levem, seu minimam quantitatem, non appellabilem appellans audiendus est, (1) Propter magnum præjudicium, ex quo non tantum, in quod condemnatur, solvere tenetur, sed omnibus creditoribus aliisque oneribus & incommodis hæreditatis obnoxius fit. Concernit quippe ea sententia non tantum rem, de qua agitur, sed etiam statum hominis, (2) super quo prolata generale jus & præjudicium facit, quoad omnes active & passive.

(3) *Ita*

Digitized by Google

(3) *Ita conclusum in causa Iochim Oldenbergen, contra Melchior von der Lieth, die 23. Maij Anno 1654.*

1. Hæredis, quia active & passive succedit in jura defuncti, onerosum & cum magno præjudicio conjunctum nomen est, *in pr. & §. 1. Instit. de hared. qual. & diff. §. 1. Instit. quib. man. non lic.*

2. *Fab. in C. lib. 7. tit. 25 defin. 1.* quia facit ut persona sit, & habeatur perpetuo talis.

3. *l. ex ea causa 9. ib. Bart. ff. de Postul. l. de ætate 43. ff. de Minorib.* Persona enim individua est, *l. ult. C. de Sent. Pass.*

DECISIO CXLIX.

A termino nimis brevi appellatio interposita recipitur.

EST quidem judicis arbitrio relicta termini actibus judicialibus præfigendi definitio, (1) sed non absolutè, (2) juxta circumstantias illam debet, (3) ita vero ut parti ad id, quod in judicio facere satis temporis supperat. (4) In quo judex nimis rigidus, injustus est & suspectus. Defensionem quippe assumit, qui coactat ex strictiori, quam quo id, quod incumbit, fieri possit, termino gravatus meritò appellat atque audiendus est. (5) De gravamine autem statuendum est per comparationem temporis atque faciendi, (6) Nec tantum spectandum an fieri possit, sed etiam an commodè. (7) Octidui spatium liquidationi ac probationi tum incommodum fuit creditum quam nec legale. (8) Recepta ob illam termini angustiam appellatio quædam. *In causa Nicolai Demels contra Ioannem Danielem Beckern die 26. Martii Anno 1684.*

1. *l. 1. C. de dilat.*

2. Judex in terminis est dilationibus adstrictus ad rationem & æquitatem. *Rutg. Ruland. de Commiss. part 1. lib. 2. cap 11 numer 11.*

3 Pro conditione causæ vel personæ vel temporis ordinem edictorum, vel compendium judex modificare debet, *l. nonnunquam ff. de Iudic.*

4 Congruus semper terminus esse debet, qui ex illo conjicitur, *Gail. 1. observ. 53. numer 19.*

5. *Vinc. de Nullitat. in tit. de Null. ex defectu citat. numer 66. seq. Blarer. ad l. diffamari cap. 6. numer 160. per l. cum Titia ff. de Accusat.*

6. *Vide quæ de hoc scribit Rutger. Ruland. de Commissar. part. 1. lib. 2. cap. 11. num. 2. & seq.*

7. *l. nepos 125. ff. de verb. signif.*

8. De jure civili terminus ad minimum debet esse decem dierum, *l. peremptorium l. seq. ff. de Iudic. Guid. Papa decis. 429.*

DECISIO CL.

Excessus executionis ultra debitum non gravans debitorem non revocatur, nec appellabilis est.

ET si ab excessu executionis appellari posse constitutum est; (1) At non ab alio hoc accipiendum, quam qui ultra debitum gravat, debitorem seu incommodum infert. (2) Quod si contra leges seu formam statuti, aut stylum curiæ executio facta seu decreta sit, siquidem nihil incommodi inde alius sentit, nec ultra aufertur vel irrogatur, quam ut debito satisfiat, (3) vel si irrogatum solutione evadi potest, non revocatur executio, (4) ideo nec ob talem excessum appellatio admittitur. Quare quatenus quæ interposita erat, innoxium excessum, etsi illegitimum concernebat, admissa non est, (5) *inter eosdem.*

1. *l. ab executione 5. C. quor. appell. non recip.*

2. Sine gravamine non appellatur, *v. ut debitus de Appellat.*

3. *Fab. in C. lib. 7. tit. 20. defin. 26. inpr.*

4. Debitori non offerenti debitum imputari potest magis, cur executionem non antevertat, quam creditor, cur formam statuti seu mores loci non observaverit. Si solveret, nullus querelæ locus esset. *Fab. in Cod. lib. 8. tit. 16. defin. 4. sub num. 5.*

5. Ubi merita constant, inordinatus processus toleratur, *l. fin. §. ff. quod met. causa l. 11 §. 1. ff. quæ sentent. sin. appellat.*

DECISIO CLI.

Ex patientia facti sententiæ congruæ non existit appellationis renunciatio.

EXceptionem renunciationis appellationis opponebat appellatus, ideoque causam ad judicem remitti petebat, illam fundans in patientia pastus pecoris in communi prato, quem sententia à qua appellatum fuit, concesserat. Videbatur enim in hoc ipso factum sententiæ, unde appellationis renunciatio colligi potest; (1) Sicut etenim ex quovis actu sententiæ conformi & appellationi contrario. (2) Verum tamen etsi hæc in iis, quæ facti sunt, seu in actibus, ita obtinebunt, modo aliam significationem, quam recessus ab appellatione haberi requeunt; secus tamen omnino est in patientia, (3) quando appellans aliquamdiu patitur id, quod sententia injungit, etsi antea in possessione appellatus non fuerit, quandoquidem per patientiam appellationi non renunciatur. (4) *Rejecta fuit hæc exceptio in causa Senatus Verdensis contra Franz. Pfaning; die 26. Maij Anno 1654.*

1. *Maranth. in spec. part. 6. act. 2. num. 231.*

2. *Ruginell. in tr. de Appellat. §. 2. cap. 1. numero 91. & seq.*

Digitized by Google

3. Discrimen in hoc est inter actus, qui consistunt & sonant in facere, & qui in pati sonant, *quod notant Franch. in c. sollicitudinem. quæst. 6. num. 10. lin. 2. x. de Appellat. Aufrer. ad decis. Capell. 194. sub n. 4. fallent.* 11. *Gabriel Commun. conclus. lib 1. tit. de Appellat. Conclus. 2. limit. 9. numer 23.* qui rationem diversitatis reddunt, quod ex patientia non ita manifestus sit consensus atque ex factis, quæ mentem apertius declarant.

4. *Ita etiam sentit & docet Scaccia in tr. de Appell. quæst. 17. limit. 2. num. 36. versic. confirmatur secundo & num. 56.*

DECISIO CLII.

Delegatio causæ cum clausula, ut sententia statim executioni mandetur non excludit appellationem, nisi de tali mente delegantis apparet.

CLausulæ rescripti seu delegationis, ut judex de causa cognoscat, eâque cognitâ pronunciet, pronunciatum statim executioni mandet, multi eam vim tribuunt, quod excludit appellandi facultatem. (1) At sine ratione, quatenus non constat de delegantis mente. (2) Hæc apparens istam vim tali formulæ impertitur. Alias longe aliter sentiendum; Nec enim aut verba directo id important, (3) nec interpretationis legibus convenit, cum ista sic facienda sit, ut quam minimum à jure communi recedat; (4) nec beneficium aut jus suum alteri demat. (5) Haud etiam præsumitur, principem ubi potest voluisse alicui demere juris remedium seu defensionem, cujus appellatio species est, maximè cum sine justâ atque probabili ratione nemini auferre debeat. (6) Sic quippe Principum dicta & rescripta accipere convenit, ut neminem lædant, aut jure suo privent. (7) Unde in dubio sic facienda eorum, quæ à Principe proficiscuntur interpretatio, ut appellatio non censeatur exclusa, (8) nec solitus præsertim juris Gentium congruus judiciorum ordo excludatur. (9) Eo minus autem talis clausula in illum sensum est extendenda, si vel Princeps non debuit, aliqua clausulâ constringere appellandi licentiam, (10) vel id beneficium cuiquam auferri non potuit, (11) vel denique si talis causa est, aut aliquæ circumstantiæ, ubi etiam cum expresse facta est exclusio appellationis, effectum salvâ justitiâ habere non valet: (12) Uti in plurimis casibus appellationem aut simile ei remedium planè removere non licet, aut remotum haberi non oportet. (13) Non itaque movit rescripti Regii talis formula ut appellationem, quæ aliâs justa & per gravamina plura causata, rejiceremus *in causa des Konigl. Commissarii Caspar von Kempendorff, wvider den Konigl. Medicum Iohann Georg von Weissenfels, die 19. Iunii Anno 1654.*

1. *Contard. in l. un. in notab. num. 20. C. si. de moment. possess. Rugin. de Appellat §. 1. gloss. 2. num. 2.*

2. Potest causa à summo Principe sic delegari remotâ appellatione, *de quo vid. plura in decis. sequenti.*

3. Executionem ordinans non excludit appellationem, sed sic ordinare intelligitur, uti de jure fieri debet, *l. 2. §. merito l. si quis à Principe ff. ne quid in loc. public.* Sic accipiuntur verba rescriptorum, ut juri conveniunt, & juxta hoc fieri debet: quod licet non expressum iis in esse creditur, *vid. Menoch. de Præsumpt. lib. 2. præs. 9. num. 1. & seq*

4. *Iason. in Auth. quas actiones C. de SS. Eccles.* juri communi attemperenda est omnis interpretatio, *l. 3. §. hac. verba ib. Bartol. ff. de Neg. gest. l. 2. C. de Noxal. action.*

5. Quicquid in rescriptis principium est, intellectum habet salvo jure tertii. *Alciat. de Præsumpt. regul. 3. præs. 1. numer 2.* & ut cuiquam injuria non fiat. *Decius consil. 11. num. 4.*

6. *l. 1. ib. Bartol. & Dd. ff. de Appellat.*

7. Ne inde injuriarum occasio sit, unde jura oriri debent, *l. nec avus 4. C. de Emancipat.*

8. Ea mens talis clausulæ intelligitur, tanquam juri conveniens, quod justitia citum debet consequi effectum; non ut cum gravamen apparet, conquerens non audiatur, aut defensio ejus excludatur: *Scaccia de Appellat. quæst. 16. limit. 1. num. 99.* Etsi Princeps mandet, ut nisi paretur, statim executio fiat, tamen appellatio reservata intelligitur & admittenda est. *Menoch. dict. Præsumpt. 9. num. 7.*

9. Quæ naturalis Gentium juris sunt, inter quæ appellatio, ut defensionis species refertur, Princeps quavis exclusione in dubio non censetur voluisse remota. *Menoch. de Præsumpt. lib. 2. cap. 10. num. 10. seq.*

10. Princeps conventione aliqua sua aut lege & privilegio ad appellationem audiendam obstrictus non debet sine gravissima causa contra officium & obligationē remotâ appellatione causam judici delegare. *Scaccia in dict. tract. de Appellat. quæst. 16.*

11. Principes qui superiorem recognoscunt, causas cum clausula remota appellatione delegare non possunt, *l 1. §. interdum ff. à quib appell. non lic. Lancellot. de Attentat. part. 2. cap. 12. limit. 8. num. 15. & seq.* Et in specie Principibus Imperii id non vacare, *ex Ord. Cam. Imp. part. 2. tit. 28.* constat. Quod tamen non perinde ad eos, quibus est de non appellando privilegium, seu Jus summi Tribunalis, pertinet, *uti alibi notavimus.*

12. Taciti & dubii non major vis esse potest, quam expressi & perspicui, *l. cum quid ff. de reb. cred. l. qui ad certum ff. Locat.*

13. *De quo vid. in decis. sequenti.*

DECISIO CLIII.

Clausula remota appellatione non semper appellationem excludit, aut in quibus casibus, ut non admittatur, non efficit.

REgulariter quidem clausulæ remotâ appellatione, quæ delegationibus & commissionibus additur, (1) ea vis tribuitur, quod appellationem excludit, seu ut non admitta-

Digitized by Google

admittatur, efficit, (2) haud tamen in discriminatim, nec ita ut superiori judicio manus liget, (3) quin illa non obstante appellationem recipere possit. (4) Nec enim adversus ipsumet delegantem, aut judicium ipsius vice judicans clausula operatur, ut etiam ipsi lex ea dicta sit. (5) Multo quoque infirmior est ea per rescriptum seu commissionem Principis appellationis exclusio, quam quæ fit per legem & statutum. Hæc generaliter fieri potest, & facta facultatem appellandi adimit: Illa verò non item. (6) Relinquens quippe hanc potestatem tantum efficit, ut judex à quo impune non admittat, & sine attentati vitio atque injuriâ exequatur. (7) Judici superiori jus remanet appellationem recipiendi, ubi vel judicis dolus & lata culpa subest: (8) vel gravamen est notorium: (9) vel appellans in continenti illud vult probare: (10) vel rationabilis atque verosimilis appellandi causa allegatur: (11) vel in jure speciatim concessa reperitur appellatio. (12) *In eadem causa.*

1. Posse causam cum clausula remota appellatione committi seu delegari JCtus *in l. 1. §. pen. ff. à quib. appell. non lic.* tradit.

2. Effectum illius clausulæ hunc tradunt & explicant JCti, *vid. Marant. in Specul. part. 6. act. 2. limit 2. num 2. Rebuff. in tr. de Appellat. artic. 7. gl. 2. num 16. per c. Pastoralis x. de Appell.*

3. Judicem à quo tantum concernit ea clausula eique tria hæc tribuit, in quibus ejus effectus consistit; (1) ut non teneatur appellationi deferre, sed statim cum possit exequi; (2) ut non puniatur non deferens appellationi; (3) ut factum post appellationem non revocetur, tanquam attentatum, sed aliis remediis, per viam nempe querelæ aut nullitatis hoc corrigatur, *vid. Panormitan. in c. Pastoralis num. 9 & 10. de Appellat.*

4. Sicut superior non abdicat à se tali clausula jurisdictionem, ita non præcludit gravatis ad se provocationem. Huic non eo minus recipere, licet jure potestatis superioris, sed & tenetur ex debito justitiæ, *uti pulchrè declarat Scaccia in tr. de Appellat. quæst. 16. num. 98.*

5. Non præsumitur delegans sibi legem dicere velle, *l. 1. C. de LL.* imo nec debuit talem, qua nollet audire gravatum, *Franch. in d. c. pastoralis numero 6.*

6. *Vid Ruginell. in tr. de Appell. §. 6. gloss. 2. n. 6.*

7. Clausulam hanc parti non auferre provocandi facultatem, tantum judici dare non deferendi licentiam scribit *Speculator d. tit. §. 2. num. 32. Mynsing. 1 Obs. 3.*

8. *Scaccia dict. tract. quæst. 87. limit. 6. memb. 7. num. 76.*

9. *c. ex conquestione ib. gloss. de restit. spoliat. Lancellot. in tr. de Attentat. lib. 2. cap. 12. lim. 8. num. 24.*

10. *Contard. in l. un. lim. 12. num. 2. seq. C. finit. mement. possess.*

11. *Specul. in Appell. §. in quibus num. 28.*

12. *Franch. in d. c. Pastoralis n. 1. & 3. Contard. d. l. un. quæst. 16. in fin. num. 10.* Hæ limitationes omnes nituntur ea ratione, quod qui committit, cum illa clausula justitiæ celerem expeditionem intendit. Ideo pro ea tantum, non ut injuria cuiquam fiat illam annectere, in judice seu delegato optimam fiduciam collocare. In quo si aberrat, aut fallitur, & judex secus procedit, nec menti nec potestati convenit, ut effectum excludendæ defensionis habeat. *vid. Petr. Gregor. Tholos. in tr. de Appell lib. 2. tit. 20. num. 7.* Inde ea communis JCtorum sententia, clausulam istam tollere tantum appellationes frivolas. *Specul. in d. §. quibus num. 15. Rebuff. dict. artic. 7. gloss. 2. num. 26. Lancellot. d. part. 2. cap. 12. lim. 8. n. 40.*

DECISIO CLIV.

De appellatione in causis criminalibus recipienda.

PEr jus civile Romanum appellationes in criminalibus perinde ut in civilibus causis fuisse permissas multæ leges docent; (1) tantum aliquas species delictorum, (2) ut & eos casus quando delicta sunt notoria aut alias ex confessione reorum certa excepterunt. (3) Per consuetudines autem multarum terrarum aliud posterioribus seculis invaluit, (4) & ex eo communis error exortus est, quasi appellationes in istis plane interdictæ sint; quod tamen ultra non est admittendum quam consuetudinem quæque provincia recipit & exercet. (5) Germania eandem secuta est nolens admittiad pœnas differendas appellationis beneficium. (6) Quando Camera Imperialis constituta atque ad illam à Curiis inferioribus appellari cœptum, approbata & retenta est per Imperii leges illa consuetudo de non appellando in causis criminalibus. (7) Declarata tamen in Ordinatione Cameræ, (8) & sic usui attemperata, ut non indiscriminatim ad omnes causas criminales pertineat, sed eas tantum, in quibus pœna corporis afflictiva irrogatur. (9) Deinde ut reis defensio sua sit integra, aut si quidquam ex ea demitur ad superiorem provocatio salva. Quam expresse reservat in his speciebus, primo si contra non citatum nec auditum proceditur: secundo si nullitas quædam in processu committitur: tertio si quid contra eam naturali rationi atque æquitati contrarium agitur vel pronunciatur, (10) Determinatur porro processus in Camera observandi modus, & quidem qui se gravatum putat, per modum querelæ nullitatis principaliter processus petere debet; ad quam petitionem Cameræ est an contra eum qui nullitatis arguitur, jurisdictio fundata sit, hoc est, an immediate Cameræ subjectus sit dispicere, eo reperto citationem decernere & contra injuriam auxilium præbere, porro de causa cognoscere, si eâ

Digitized by Google

cognitâ inique vel nulliter quidquam factum vel pronunciatum apparet, causam principalem non secum retinere & decidere, sed statim ad Judicem Ordinarium remittere, & quidem cum præscripto, quomodo legitime & sine nullitate procedi & pronunciari debet. (11) Sequitur hunc tenorem, additis tamen quibusdam processus compendiis, (12) Ordinatio summi Tribunalis Regii. (13) Secuti sumus idipsum cum talis species obveniret *in causa Benign.e Volckens, contra Senatum Golnovienſem. Die 9. Auguſti Anno* 1654.

1. *l. 1. l. litigatoribus 14. l. & in majoribus 20. l. addictos 29. C. de Appellat. l. addictos 7. C. de Epiſc. Audient. l. 2. C. ſi pend. appell. mors interven. ſic habet communis ICtorum ſententia, pro qua multos allegatos vide apud Rauchbar. quæſt. 8. num. 8.*

2. Atrociorum criminum reis, quos statim è medio tolli Reipubl. interest veluti famosis latronibus, seditiosis, adulteratoribus monetarum, *l. constitutiones 17. ff. de appellat. l. ſi quis filio 6. §. quod tamen 7. ff. de injuſt. rupt. & irrit. l. 1. pr. C. de Rapt. Virgin. l. quoniam. 6. C. ad L. Iul. de Vi. Publ.* appellationis facultas adempta. Quibus annumerant reos læsæ Majestatis. *Gigas de Crim. læſ. Majeſtat. lib. 3. Reg. 3. quæſt. 13.*

3. *l. 2. C. quor. appell. non recip. 6. Romana §. ſin autem de Appellat. in 6.*

4. Totum fere orbem Christianum eam consuetudinem recepisse scribit *Cavarruv. Pract. quæſt. 23. num. 5.*

5. Tantum habet consuetudo de potentiâ, quantum habet ex usu. *Baldin l. fin. n. 9. C. commun. utri. iuſque Indic.*

6. De antiqua hac Germaniæ consuetudine post ea quæ habent leges Imperii vide *Mynſing. 2. obſerv. 98. Gail. 1. obſerv. n. 77.*

7. R. A. zu Augspurg *Anno 1530.* §. Als jetzt etliche.

8. Kammer-Gerichts Ordnung *part. 2. cap. 28. §. pen.*

9. *Verba dict. §. pen.* tantum mentionem faciunt der peinlichen Sachen/ die Leibsstrafe auff sich tragen.

10. Has tres species Cameræ Ordinatio, *in dict. §. pen.* facit appellabiles in verb. sein unerfordert und unerhöret/ und also nichtiglich oder sonst wider die natürliche Vernunfft und Billigkeit wider ihn procediret, gehandelt und geurtheilet/ ex quibus verbis hoc nota, non pertinere appellandi licentiam non tantum ad processus nullitatem vel iniquitatem, ut aliqui existimant, sed etiam ad sententiæ injustitiam, ubi injustam & iniquam pœnam dictatam esse demonstrari potest. Expresse enim sonat non tantum de processu sed & de sententia vom urtheilen quæ naturali rationi & æquitati repugnat.

11. Ita habent verba *d. §. pen.* So fern dann der Richter der Handlung sich die Parthey obberührter massen beklagt/ dem Kammer-Gericht ohne Mittel unterworffen/ alsdann soll der ansuchenden Parthey solcher Nichtigkeit halben Ladung erkannt/ und darauff rechtliche Hülff mitgetheilet/ und so sich in außführung der Sachen befünde/ daß obberührter massen nichtiglich gehandelt und geurtheilet/ alsdann die Hauptsache wieder an die ordentliche Obrigkeit förmlich und rechtmässig darin zu handeln/ zu procediren und zuurtheilen remittiret werden; Non frustra monet *Gyman. in deciſ. Camera'.* 37. advocatos & judices, ut bene ad hunc processum advertant in quo eorum lapsum frequentem evenire constet.

12. *Vid* deß Königl. *Tribunals* Ordnung *part. 2. c.* §. 14. So viel nun zum Fünfften die Criminal und Peinliche Sachen anlanget/ so weit in denselben nach allgemeiner deß Teutschen Reichs Gewohnheit auß erheblichen vernünfftigen Ursachen die Appellationes nicht zulässig gehalten werden/ so sollen auch dieselbe bey unserm Appellation-Gericht nicht angenommen/ sondern der jetztberegten Gewohnheit gemäß verfahren werden/ gleichwol als die Observanz am Käyserl. Kammer-Gericht außweiset/ daß auch in dergleichen Criminal-Sachen die Provocationes, wann super nullitate processus geklaget/ angenommen werden/ wollen Wir/ daß wann ein oder ander Theil sich beklagte/ gantz nulliter und widerrechtlich/ und zwar also/ daß sein unerfordert und ungehört/ oder auch sonst wider die natürliche Vernunfft und Billichkeit oder offenbahre Rechte darinn verfahren/ und solches mittels Anführung in Rechten begründeter und zulässiger Ursachē alsofort für Augen stellet/ oder auß den actis in continenti zu bescheinigen/ anerbietens wäre/ Unser Ober-Gericht alsdann die Appellation annehme/ die Acta unverzüglich avocire, solche mit den gravaminibus conferire, und da die geklagte nullitäten sich befunden/ dem Judici à quo mittels Zuruckſendung der Acten anzeige/ worinen nulliter procediret und zugleich anbefehle/ darinn Rechtlicher Ordnung nach zuverfahren; Es erscheine dann auß den actis bey dem Judice à quo dergleichen Passionen oder auch sonst bewegende Ursachen/ warumb bey ihm sine nullitate & iniquitate Processus die Sache nicht zulassen/ so stehet/ wenn er auff beschehene Erinnerung die Beschwerde nicht abstellen würde/ Unserm Ober-Gericht frey dieselbige bey sich zubehalten und den Proceſs zu vollführen/ auſſer deme sollen die überschickte Acten also fort zurück gesandt und dem processs in erster Instanz der Lauff gelassen werden.

13. Additum primò, ut contra jura manifesta tota sententia sit appellabilis: Secundo, ut appellans nullitatem, iniquitatem, injustitiam processus ex rationibus legalibus statim doceat, aut ex actis in continenti docere offerat, nempe quia prolixius processum contra utilitatem Reipubl. differre noxium. Tertio, ut acta superius Judicium ab inferiore sine alio processu vel mandato rectà avocet. Quarto, ut Judici à quo nullitates (quâ voce iniquitatem & injustitiam hic comprehendimus) & in quo commissæ sunt, indicet. Quinto, quod si Judex à quo suspectus sit vel de jure judicare non possit, in superiori Judicio legitime audiatur & pronunciatione causa terminetur; Quæ omnia ad causam citius terminandam pertinent.

DE-

Digitized by Google

DECISIO CLV.

An post appellationem in causâ criminali decernenda sit inhibitio.

ROgabantur ab appellante in causâ criminali non tantum citatio & compulsoriales, sed etiam inhibitio. Itum est de eo in consilium & dubitatum inuitio valdè, an propitia jurisprudentia & consuetudine Germaniæ id fieri possit. Faciebat illam tum litera Ordinationis criminalis citationis saltem mentionem facientis, (1) tum stylus Cameræ vulgaris, in criminalibus opposita nullitatis querela citationem solum ad docendum justo processu actum decernens: (2) tum nulla de ea in ulla Imperii lege mentio: (3) tum denique quod in causa nullitatum, ob quas saltem in criminalibus provocatio admittitur, alias inhibitio locum non habet. (4) At licet regulariter inhibitioni in criminalibus locus non esset, antequam ex actis de nullitate processus vel iniquitate pronunciatu apparet, (5) attamen causa accedere potest, ut ratio & necessitas Judicium superius ad illam decernendã promovere valeat. Nam ut in nullitatum quæstionibus accidere possunt causæ, ut inhibitio decernatur: (6) ita quoque idipsum fiet in criminalibus. Quod si occurrit, inhibitionem decernere non est Ordinationi Cameræ contrarium sed potius conveniens dum pro re nata in criminalibus causis auxilium pollicetur & à Judice præberi vult. (7) Existimatum vero est, inhibitionem esse decernendam, ubi vel injustitia processus seu pronunciati est manifesta & in narratis sic repræsentata, ut Judici de ea dubium non supersit: (8) vel inquisito accusatove nisi inhibitio fiet, irreparabile gravamen damnumve imminet. (9) Quod utrumque in præsenti causa adesse videbatur, quando ea in processu omissa dicebantur quæ ad defensionem summe necessaria, (10) & præterea tortura erat per sententiam irrogata. (11) Quocirca inter has circumstantias inhibitionem decernere placuit *in eadem causa*.

1. Kammer-Gerichts-Ordnung *part. 2. tit. 28. §. pen. verb.* soll der anruffenden Parthey solcher Nichtigkeit halber Ladung erkannt werden.

2. *Mynsing. 4 Observ. 41.*

3. Sine leg. expressa contra aliquam consuetudinem quid fieri incongruum videtur.

4. *Gail. 1. Observ. 144. num. 6.*

5. Secus quidem existimat *Cothmannus in resp. 7. num. 127. & mult. seq. ubi per plures rationes id tuetur, & ad contraria respondet*, attamen opinio communis & Praxis Cameræ Imperialis dudum aliud receperunt, quibus amplius quam JCti cujusdam autoritati tribuendum est.

9. *Gail. d. Observ. 144. n. 7. seq.*

7. Kammer-Gerichts-Ordnung / *d. §. pen.* Mentionem expressam facit citationis non inhibitionis, quod illa semper, hæc regulariter non decernitur, at cum ea opus, non modo non excludit, sed potius Judici potestatem & arbitrium relinquit, quando addit sie processus decernendos esse, ut auxilium legitimum præbeatur, und darauff Rechtliche Hülffe mitgetheilet / quæ verba ad inhibitionem non inepte *Cothmannus d. resp. num. 155.* refert & nos ita accipimus, quod Judex citationem & auxilium quo appellans indiget impertiri debet.

8. *Perc. Rontana §. si autem ib gloss. x. de Appellat. in 6. Panorm. in c. Pastoralis num. 16. eod.* ubi scribit à sententia in inquisitione contrà hæreticos lata non tantum appellationem, sed etiam inhibitionem cognitâ processus injustitiâ indulgendam. Ita in omnibus causis, ubi regulariter inhibitio non decernitur, ob intellectam injustitiam tamen illa locum invenit. *Felin. in c. ad abolendum num. 3. de Hæretic.*

9. *Ad* hanc speciem pertinet, quod rationabiliter tradit *Cothman. d. resp. num. 173 & seq.*

10. Judex omnino processum sistere debet post sententiam, etiam in ipso die faciendæ executionis, si reus habeat, quod ad defensionem proferre velit. *Carpzov. in Pract. Crimin. part. 3. quæst. 139. n. 37. & 40. & Jurisprud. Forens. part. 1. constit. 20. defin. 20. num. 6.*

11. Tortura damnum irreparabile infert. *Mcnoch. A. l. Q. lib. 1. q. 84. num. 2. Zasius consil. 19. num. 32 lib. 1.*

DECISIO CLVI.

Ob non servatas in citando messium ferias exceptione, non appellatione opus habet citatus.

CUm quis à citatione ad publicationem sententiæ ideo appellabat, quod terminus præfixus incidebat in ferias messium; existimatum est appellationem ideo nondum recipiendam esse, quod exceptionem feriarum coram judice inferiori proponere oporteret, (1) quod sine gravamen nullum adhuc erat. Siquidem illam attenderet, frustra foret de eo in superiori judicio agere: si non attentâ ista vel rejectâ exceptione ad publicationem sententiæ proceditur, tunc ipso jure nullus erit actus. (2) & adhuc locus erit appellationi. (3) Quocirca non recipi ideo appellationem, sed causam ad Judicem à quo remittere placuit; *In causa Iohann Sibrand von Secheln, contra den Königl. Præsidenten Alexander von Ersken. Die 8. Augusti Anno 1654.*

1. *Zanger. de Except. part. 2. cap. 7. num. 1. & seq.* quæ in omni parte judici opponi potest. *Vanius in tit. de Nullit. ex defect. Iurisd. Ordinar. n. 130.*

2. Non stringit aut vires habet citatio in feriis, sed nulla est, ideo citatus comparere non tenetur. *Iason in l. 1. §. nunciatio num. 8. ff. de nov. op. nunciat.*

3. Ob metum gravaminis incertum non recipitur appellatio, sed eventus exspectatur.

Digitized by Google

DECISIO CLVII.

Ob nullitatem processus facilè corrigibilem non opus est decernere appellatorios processus; sed præstat per rescriptum emendationem tentare.

QUando ob nullitates processus appellatur, discernendum est, quales sint: an causæ quadam cognitione egeant, seu altioris indaginis sint, an verò statim remedium iis paratum esse queat. Quomodo vero ob istas appellatione interposita solitus ordo in decernendis processibus observandus est; (1) ita in his non est prolixius ea via tendenda, sed solum per rescriptum Judici à quo significandum, quæ nullitates incusantur & quomodo si ita habebunt, emendandæ sint & injungendum juxta, ut emendatio fiat. (2) aut si judex hoc nolit, acta transmittat. (3) Quæ brevior via ubi ad finem ducit præeligenda, nec ad prolixior ē decurrendum. (4) Id tantum juxtim præcavendum, ne si judex non attenderit, non decretos esse processus noceat, quod reservatoriâ clausula fieri potest. (5) Uti ea annexa *in eadem causa.*

1. Qua processum in hac specie nihil interest, utrum ob nullitates, an ob injustitiam sententiæ appellatur. *Scacc. de Appellat. quæst. 17. lim. 17. num. 1. & seq.*

2. Congruum hoc medium est, partibus commodum, Judici non dedecorum, ideo eo magis amplectendum, ne fiat per plura quod fieri potest per pauciora.

3. *Ita processus definitus est in Ordin. Summ. Trib. part. 2. tit. 1. §. 16.*

4. Breviorem viam pro terminanda lite eligere ad Judicis conscientiam & officium pertinet, *l. cum quidam 21. ff. de reb. cred.*

5. Decreti tenor is fuit;

In Sachen Johann Sigebrand von Sechelen Supplicanten an einem / contra Præsident Alexander Erßkens Beklagten am andern Theil / werden die gesuchte Proceß noch zur Zeit nicht / sondern allein ein Rescript an die Cantzeley zu Stade erkannt / dadurch die vorgebrachte gravamina zu vermelden und anzufügen / daß zu Verhütung der beschuldigten nullitäten die publication biß nach den Ernd-ferien verschoben / auch Supplicant bey der publication der Urtheil zwar anzeige / was er an der inrotulation desiderire, verstattet / und solches so weit Rechtens beobachtet werde; Inmaßen dann im Fall hernach befunden / Supplicant wäre doch beschweret / ihm deßwegen die Anführung so weit Rechtens vorbehalten bliebe.

(Hoc est)

In causa Ioannis Sigebrand à Sechelen supplicantis ex una contra Præsidentē Alexandrum Erskens supplicatum ex altera partibus, petitos Processus nondum sed solum Reseriptum ad Cancellariam in Stade decernimus, in quo allegatorum gravaminum mentio facienda & annectendum quod ad evitationem insimulatarum nullitatum publicatio usque post ferias messium differenda & supplicanti in publicatione sententiæ quidem allegatio, quid circa inrotulationem desideret, indulgenda & id in quantum juris observandum, prout eo casu quo appareret supplicantem nihilominus gravatum esse, ipsi propterea deductionem in quantum juris reservamus.

DECISIO CLVIII.

A rejecta litis alibi pendentis exceptione appellatio admittitur.

INter ea quæ appellandi causam faciebant appellans proponebat opposita à se litis alibi pendentis exceptione judicem non super ista sed in causa principali pronunciasse seque injustè post præventam jurisdictionem ad aliud forum trahi. At prius non rectè dicebatur. Etsi enim sententia expressis verbis de exceptione ista nihil continebat, tamen ex processu ad ulteriora & definitione articuli ad causam principalem pertinentis manifestè patet rejectam, (1) ideo perindè esse ac si super eo pronunciatum fuit. (2) At sub illo duo gravamina appellationem fundabant; Primò quod legitima illa exceptio erat rejecta, cum ubi cœptum fuerat, judicium ibi finiri, (3) & præventio attendi deberet. (4) Secundo quod super causa principali, lite nondum contestata, nec auditis reæ exceptionibus pronunciatum erat. (5) Ad quas allegandas & deducendas prius admittit debuit. (6) *In causa Henrici Schaden, contra Fridericum Schaden.*

1. Processus judicis ad ulteriora est rejectio exceptionis oppositæ, *l. si autem 8. §. si quicunque ib. gloss. ff. de Neg. gest. l. quod in diem §. si rationem ff. de Compensat.* In specie cum fori non competentis exceptione objecta judex in causa pronunciat vel ulterius procedit se competentem declarat, *Coler. de proceß. Executiv. part. 4. c. 1. n. 58.*

2. Sententia etsi justa ratione meritorum, tamen taciam rejectionem exceptionis declinatoriæ vel temporalis continens gravamen habet & appellabilis fit. *Franch. in c. omnium num. 6 de Appellat.*

3. *l. ubi 30. ff. de Iudic.*

4. Præventio præoccupat judicium & ejus facit quandam prærogativam, *Gail. 1. Observ. 29.* inde declinationem fori operatur. *Felin. in c. exceptione n. 14. x. de For compet.*

5. A litis contestatione judicium incipit, *l. is qui se obtulit ff. de Rei vindic.* & tanquam basis & lapis ejus angularis omitti non debet. *Gail. 1. obs. 75. per tot.* ubi nullitatem ex illa omissa explicat.

6. Hoc est contra non citatum & inauditum sententiam ferre, quo nullitas major non est. *Cothman. resp. 33. n. 69. vol. 4.*

DE-

Digitized by Google

DECISIO CLIX.

Interlocutoria probationem injungens appellabilis est.

AB interlocutoriâ etsi regula iter appellatio non est admittenda, interplures tamen exceptiones regulæ, etiam ea species eximenda est, quando probatio injungitur aut ei qui probare non debet; (1) aut ejus, quod vel non proficit; (2) vel præjudicium causæ facit dum statum ejus pervertit; (3) Inest quippe talibus aut onus quoddam supervacuum, nec tamen leve, (4) aut quod difficultatem judicio ingerit. (5) aut si interlocutoria præjudicium faciet in definitiva: (6) multo magis si cum vires rei judicatæ consequetur, irreparabile damnum infert. (7) Ideo recepta fuit appellatio *in causa Andreas Mandelslowen, contra Eberhard von der Decken. Die 5 Sept. A. 1654.*

1. Probationis grave onus & periculum est, ideo isto relevari magnum commodum *l. 2. C. de Probat.* habetur.

2. Irrelevantia ad probandum admitti non debent, *l. neque natales 10. C. de Prob. l. fin. C. unde. Legit.*

3. Damnum litis habet injusta probandi injunctio, si illud ad probandum non admittitur, in quo status rei consistit, vel aliud & ab eo diversum. Ideo admissio vel non admissio articulorum magni præjudicii habetur & cũ super ista pronunciatur, appellatur. *Scace. de App q. 17. lim. 47. memb. 1. n. 137. & seq.*

4. Supervacuis oneratus ad evadendum onus recte appellat, ut imperitiam judicis corrigat, *l. 1. ff. de Appell.* & à se gravamen, quod est in onere, avertat, ubi gravamen aliquod justa est appellatio.

5. Interlocutoria ingerens difficultatem circa decisionem est appellabilis. *Scaccia d. memb. 1. n. 215.*

6. *Fab. in C. lib. 7. tit. 27. defin. 3.*

7. Quando gravamen quod per interlocutoriam infertur, non potest reparari per definitivam (uti est quod probationem injungit non probandi dum in eo status causæ ponitur) appellari potest. *Scaccia d. tract. memb. 1. n. 84.*

DECISIO CLX.

Statutum vel transactio de non admittenda in causis criminalibus appellatione ad delicta tantum pertinet, ob quæ pœna corporis afflictiva decernitur, nisi aliud ex litera apparet.

ETsi statutum vel conventionem appellationem in causis criminalibus excludentem juxta leges Imperii & Ordinationem Cameræ Imperialis interpetrari, ideo in dubio saltem de criminibus, ob quæ corporis pœna irrogatur, accipere conveniet, secus tamen est, ubi verba ejus aliud indicant uti transactio cũ Civitate Stralsundensi inita in aliud sonabat. (3) Ex cujus literâ Senatus ejus Civitatis nolebat deferre appellationi in causâ injuriarum, ubi multa pecuniaria irrogabatur, (4) ideo à decreto Dicasterii Pomeraniæ, per quem recepta fuerat, velut Recessui isti contrario appellabat. Solitos itaque processus impetravit Die 19. Septembr, Anno 1654.

1. Statutum ex jure communi interpretandum atque observandum. *Gail. 1. Obs. 50. n. 8. Cothman. resp. 5. num. 60. vol. 1.* Maxime ubi de publico præjudicio agitur & Juris publici innovatio inducitur. *Gail. 2. Obs. 35.*

2. Cammer-Gerichts Ordnung / *part. 2. tit 28. §. fin. verb.* Peinliche Sachen / die Leibes-Straffe auff sich tragen.

3. Der Stralsundische Erb vertrag / *artic. 5. §. 2. verb* in Peinlichen und *Criminal*-Sachen und Fällen. Sie tragen Leibes-Straffe auff sich oder nicht.

4. Hoc sapiebat criminalem actionem, quæ est cum pœna, fisco applicatur.

DECISIO CLXI.

In executivis ob compensationis executionem appellatio non admittitur, nisi per sententiam Judicis ista fuit rejecta.

APpellantis præcipua allegatio erat de competente sibi compensatione, sed ut processus obtineret, minime sufficit. Necessarium juxta fuit docere ejus exclusione se gravatum fuisse. (1) Vel enim in prima instantia non opposuit compensationem, vel opposuit. Oppositione non facta nihil est, quod de Judice queri potest, qui ultra proposita non judicat. (2) Ut vero appellet, quo in secunda instantia deducat, (3) opus minime est, imo nec cum opus præsertim in executivis proficiet. Si enim liquidum est creditum quod in compensationem offertur, quid eget oppositio appellatione, quæ in ipsa executione fieri potest? (4) Si illiquidum non faciet compensationem. (5) Eget illa tunc reconventione. (6) Cui nec in appellationis instantia post sententiam locus erit. (7) Nec proficiet præsertim in executivis. (8) Quod si vero opposita est, at illa posthabita judicatum fuit, tunc vel hoc fit ea tantum non attenta minime vero illa penitus rejecta, vel simul illa reprobata. In priori specie quia non est exclusa, non est appellatione opus, nam etiam adhuc in executione isti locus est. (9) Quod si vero rejecta fuerit, appellationi locus esse debet, quomodo tunc illa opus erit, quia alias rei judicatæ exceptio obstabit. (10) Non vero rejectam sed posthabitam putamus, si nihil de illa in sententia dictum fuerit. (11) Hæc consideravimus & secuti sumus *in causa viduæ D. Grassen, contra Iulium Steffen. Die 20. Sept. Anno 1654.*

1. Sine gravamine non valet nec admittitur appellatio, *c. dilectus x. de Appellat.*

2. *l. fin. C. de Fideicom. libert. ib. gloss. & Dd.*

3. Iuxta beneficium non deducta deducendi, ex *l. per hanc C. de Tempor. Appellat.*

4. *l. 2. ib. gloss. & Dd. C. de Compensat.*

Digitized by Google

5. Ea non est nisi liquidi cum liquido, *l. fin. pr. C. eod.*

6. Ita exceptiones quæ non statim liquidæ sunt, reconventioni reservantur, *l. 1. C. de Execut. rei jud. l. fin. C. de Ordin. Cognit. Coler. de Process. executiv. part. 4. c. 2. num. 24.*

7. *Fab in Cod. lib. 4. tit. 23. defin. 15.*

8. In his non admittuntur exceptiones nisi in continenti liquidabiles, *vid. Coler. de Process. Executiv part. 4. cap. 1. per tot.*

9. Si rationem compensationis judex non habuerit, salva manet petitio, quia non obstat rei judicatæ exceptio, *uti habent verba in l. quod in diem §. si rationem ff. de compensat.* Multo magis exceptio si modo statim liquida sit, in quo defectus movet judicem sine dubio, ut non attenderet, quin in executione suppleri potest, ubi liquidum creditum demonstrabitur. A quo rejecto adhuc appellandi via superest, sicut ei in executivis locum esse alibi demonstravimus. *Pluribus hæc exposita vide apud Carpzov. respons. Electoral. 5. per tot. lib 2.*

10. *d. l. Quod in diem 7. §. 1.* Cum magno præjudicio ea rejectio conjuncta est, *vid. Carpzov. resp. Elect. 4. per tot. vol. 1.*

11. *Vid. Fabr. in Cod. lib. 4. tit. 23. defin. 5. ubi Judicem de formulis his recte servandis instruit.*

DECISIO CLXII.

Aliqua processus inquisitorii quà defensionem necessaria, ob quæ appellatio inquisiti cum ea omissa sunt, recipitur, exponuntur.

CUm inquisita appellasset, quod in processu inquisitorio defensione potiri non posset, postulata est à Judice inferiore actorum transmissio, quo iis inspectis de veritate querelæ cognosceretur. Illis acceptis atque perlectis apparuit quædam negata aut præterita esse, quibus defensio reorum eget; (1) ideo inquisitæ succurrere, (2) atque tum jam perperam decreta corrigere, tum omissa reparare naturali rationi atque æquitati conveniens visum est. (3) Primò repertum est ex dictis testium præterea, quæ in prioribus articulis continebantur, nova quædam indicia adversus inquisitum eminuisse, sed non in novos articulos inquisitionales redacta, nec super iis reum examinatum & auditum, ultra vero in processu perrectum & de torquendâ reâ pronunciatũ esse. Quod perinde est, ac si contra non auditum id fieret. (4) Non potest aut debet Judex super indiciis contra reum quidquam statuere, nisi prius audiet & defensionem ipsi permittet. (5) Haud quidem Judici interdictum factâ à se interogatione & à reo responsione novis factis & circumstantiis se offerentibus alios articulos & positiones formare, attamen etiam super iisdem reum interrogare & defensionem ei permittere debet. (6) Secundo conquerebatur rea non editam sibi actorum inquisitionalium copiam, necessariam tamen si defensioni locus esse deberet. Etsi vero quamdiu consistitur in terminis inquisitionis generalis, quæ fit pro explorando delicti corpore & delinquentis personâ, talis actorum atque indiciorum communicatio regulariter fieri non solet, (7) ubi tamen post eam ad specialem devenitur & certa persona inquisitione speciali rea fit, postquam ad articulos inquisitionales respondit, sicut ad defensionem admittitur, ita copia actorum specialis istius inquisitionis pro ista carere non debet. (8) Tertio querela nullitatis comprehendebatur, super articulis inquisitionalibus nolle admitti interrogatoria, quæ tamen ad indaginem veritatis summè habentur necessaria, ideo defensionis non postrema pars existunt. (9) Quarta erat, de non exacto super interrogatoriis testium juramento, cujus repetitio pro defensione justâ erat. (10) Quinto de non permissis defensionalibus & reprobatoriis, cum tamen per hæc consideret cum innocentiam suam, tum falsitatẽ testium demonstrare, sicut multa allegabat & per testium summaria, extrajudicialia tamen dicta, verosimilia faciebat. Quorum admissionem Judicem etiam non rogatum facere debere officio ejus convenit, non attento quod ad finem processus deveniisse videretur. Hæc ipsa sufficientia putabantur, ut sententia de tortura infligenda suspenderetur & prius ad defensionem inquisitæ pertinentia admitterentur. *Sicuti conclusum ad libellum Benignæ Volckers, contra Senatũ Golnovienſem. die 3 Oct. A. 1654.*

1. Etsi appellatio ex consuetudine Germaniæ reis denegatur, attamen non defensio, quæ juris naturalis est atque tolli non debet nec potest, quin potius à Judice æquo adjuvari, *ut pulchre ostendit pientissimus ICtus Cothmanus resp. 7. num 79. seq.*

2. Judex non modo à parte rogatus, sed etiam ex officio promovere debet, quod ad rei defensionem pertinet. *Gail. 1. de Pac. Publ. cap. 18. num. 3. Zanger. de Quæst. & Tort. cap. 3. num. 41*

3. *Quare hoc juxta ordinationem Camera Imp. part. 2. tit. 28. §. pen audiendum & admittendum est.*

4. Hoc primum specialis inquisitionis est, ut ex indiciis certi formentur articuli, clari, circumstantiales, & pertinentes, super iis interrogetur & respondeat inquisitus, *prout hunc processum latius exponit post alios Carpzov. in pract. Crimin. part. 3. quæst. 113 num 32. & mult seq.*

5. Indicia, queis rei onerantur, diluere defensionis præcipua pars est, ideo ante omnia notitiam istorum habere decet, quando eo processus devenit, ut defendere oporteat.

6. *Vid Carpzov. in pract. Crimin. part. 3. quæst. 113. num. 43.*

7. Regulariter dico: Potest fieri ut inquisitus ad declinandam inquisitionem, quam contra se fieri intelligit, exceptionem declinatoriam proponat, purgationem adversus indicia offerat, ideo communicationem in illa specie mereatur, *de qua vid. Carpzov. d part. 3. quæst. 115. num. 24. & seq.*

8. Est

Digitized by Google

8. Est quidem de hac communicatione actorum inquisitionalium inter JCtos disputatio, eo magis mira, quod quomodo sine ea defensio solide & commode fieri queat, non apparet. Vicit tamen dudum sententia, quæ eam concedit ut justior æquior, imo necessaria, *de qua plura congessit Cothmannus respons. 7. num. 61. & mult. seq. vol.* 1.

9. Non tantum in civilibus, sed etiam in criminalibus, nec tantum cum ordinario processu ad accusationem, sed etiam cùm summariè in inquisitione proceditur, interrogatoria inquisitorum admitti debere æquum & juri communi conveniens esse probat *Carpzov. in d. Practic. Criminal. part. 3. q. 114. n. 18. & seq.* In foro Saxonico aliud receptum esse addit. Aliud nos autem ubi juris communis & Constitutionis Carolinæ Criminalis potior ratio est, interrogatoriorum & super his examinis licentiam semper faciendam, & non sine nullitate omittendam esse putamus.

10. Ea repetitio testium est pars defensionis non postrema, ideo non omittenda, *per ea quæ habet Hartman. Pistor. part. 1. quæst. 43. num. 12. & seq.* Et non refert, an juraverint super articulis nec ne. Et jurati super iisdem interrogatoriis examinandi iterum jurare debent. *Carpzov. d. tract. part. 3. quæst. 115. n. 83.*

DECISIO CLXIII.

De processu ob appellationem in causa criminali observando.

UBi prima in criminali causa appellatio ad summum Tribunal Regium deferebatur, è re videbatur consideratè statuere & efficere, quod tunc observatores habiturũ imposterum pro exemplo futurum erat. Quæ in Ordinatione de isto conscripta erant, quia ex ea varia in disceptationem inciderunt, certum usum nondum habebant, cum aliis velut in suspenso hærentia. Scivimus Cameræ Stylum, ex quo appellatione tali interposita saltem solet decerni, ad eum à quo provocatur, mandatum de legitimè & ordinatè procedendo cum citatione ad comparendum & docendum contra ea, quæ nullitatis arguuntur, justè ac ordine factum esse. (1) Ea verò res prolixiorem tractum habere videtur, dum in termino comparens vel acta primum exhibere, vel iis etiam non editis exceptiones atque oppositiones proferre solet, ex quo novus processus exoritur. Brevius atque expeditius est citationem non modo decernere, sed etiam acta ut statim per Judicem inferiorem transmittantur, seu in termino exhibeantur poscere & injungere, atque ita sine ambagibus in ipso non modo appellati oppositiones, sed etiam utrinque veritatem rei ex actis haurire atque intelligere posse. Quocirca lites diminuendi, præveniendi & brevitatis studio non secuti sumus Cameralem processus formam, (2) sed citiorem & expeditiorem viam amplexi sumus. (3) Postquam juxta eam Judex à quo acta transmisit, simul nulla exceptione aut oppositione addita judicio facta submisit, perlecta ea sunt, cum iis quæ pro nullitate processus & sententiæ appellans in libello protulit collata, inde diligenter examinata. Repertis itaque quibusdam corrigendis & aliter formandis, de iis statim sine ullamora pronunciatum est, & quidem ita ut causa remitteretur cum actis ad Judicem à quo. (4) Ut pote cum præter nullitatem in processu quæ per errorem vel imperitiam judicum aut aliena culpa multoties contingit, nihil suspicionis esset, ob quam inferior recusari, superior ideo causam secum retinere posset, (5) Illi tamen forma emendati, & ad justitiæ rationem compositi processus præscriberetur. (6) *Ita factum in eadem causa*

1. *Hunc processum Cameralem ex multis exemplis didici eoque pertinet, quod habet Mynsing. 4. Obs. 41.*

2. Etsi summum Tribunal Regium in locum Cameræ qua Regias Provincias surrogatum fuit, non tamen processui istius per omnia adstrictum, sed ut in illo multa emendatione egent, ita in hoc emendandi potestas relicta efficit, ut ubi melius citiusque justitia administrari potest, illius exemplum non obsit, *de quo in parte* 1. *Decisionum quadam annotata reperies.*

3. Boni Judicis in eo officium præstatur, *juxta l. quidem 21. ff. de reb. credit.*

4. In Criminalibus appellatio causam non ultra devolvit, quam ut emendetur nullitas; de cætero Judicis inferioris jurisdictio manet integra.

5. Hæc exceptio ejus est, quod jam scriptum Uti in inquisitione Judicem recusare licet, ita ad eum causam post appellationem remittere non licet. *Cothman. resp. 7 n. 162. seq.*

6. Sic factitatur, sed post longiorem processum in Camera, cujus exemplum in hoc sequimur.

7. Pro exemplo & ratione facti placuit sententiam addere, quæ hanc decisionem declarat;

Auff Benigna Volckers/ Marten Fischers Eheweib wider Bürgermeister und Rath der Stadt Golnow vorgebrachte deductionem nullitatum belauffend/ die wider Sie vorgenommene inquisition in puncto veneficii wird nach Beleuchtigung der eingelangten Acten vor Recht erkannt/ daß zwar nach einhalt der den 26 Junii lauffenden Jahrs publicirten Urtheil aus den novis indiciis neue Articul zu fassen/ und inquisita darauff zur responsion anzuhalten/ darauff aber erkanter massen noch zur Zeit nicht/ sondern also erstlich zuverfahren/ daß derselben zuvorhero nach geschehener Antwort copia articulorum ertheilet/ zu Einbringung so wol der interrogatorien/ als auch defensionalien verstattet/ die Zeugen nochmalen eydlich darüber abgehöret/ facta publicatione inquisita zu Außführung der Unschuld zugelassen/ und hernach der peinlichen Frage halber und sonst was Recht erkannt werde. Von Rechts wegen.

(Hocest.)

Ad Benignæ Volckers, Martin Fischers uxoris contra Consules & Senatum civitatis Golnovv exhibitã deductionem nullitatum concernentium inquisitionem contra eam in puncto veneficii institutam, post perlustra-

Digitized by Google

lustrationem actorum decernimus quod quidē vigore sententiæ 26. Junii currentis anni publicatæ ex novis indiciis novi articuli formandi, & inquisita ut desuper respondeat adstringenda desuper vero decreto modo nondū sed ita prius procedendum, ut ipsi prius post factam responsionem copia articulorū detur, exhibitio tam interrogatoriorum quam defensionaliū indulgeatur testes denuo desuper jurato audiantur, facta publicatione inquisita ad deductionem innocentiæ admittatur, inde ratione tortuæ & alias fiet quod juris. Idque de jure.

DECISIO CLXIV.

In executione præter sententiam admittenda, nisi à judice inferiori rejecta ad eundem appellatione interposita sunt remittenda.

APpellatione ideo interposita, quod distractionem bonorum debitoris judex decrevisset, ille verò id Recessui Imperii & in eo constituto moderamini exactionis contrarium diceret, seque ad hujus beneficia admitti peteret, at non reperto, idem coram judice inferiori propositum rogatum & justa oblata esse, defuit causa appellandi, quia nullum illatum erat gravamen. Etsi enim tali coram inferiori judice factâ at rejectâ petitione causa fuisset conquerendi, & velut ab excessu executionis appellandi; (1) Tamen ubi nec dum debitor ad ea beneficia se admitti rogavit, nec judex ullo decreto illū excluſit, caret plane gravamine quod appellationem mereretur, (2) ideò & hæc supervacua nec admittenda est. (3) Deinde etiam si vel in ipso actu executionis res versaretur, tamen non obstante de distrahendis bonis decreto vel sententia, ad ea quæ vice satisfactionis sunt, admitti posset. (4) Porro & sine appellatione à judice inferiore idem non attenta sententia impetrabit. Quocirca visum non decernere processus appellatorios, sed remittere hoc ad judicem, (5) rescripto vero hunc compellare, ut appellantem legitimis mediis frui sinat, ne ulterius ea de causa appellare opus habeat. Ita breviori juxtim atque ordinaria via consequetur ille facilius citiusque, de quo per appellationem diutius contendendum erat, nec creditoribus ex mora incommodum erit. *In causa Ludolphi Zesterflietē, contra creditores. Die 20. Oct. A. 1654.*

1. *juxta l. ab executione 5. C. quor. appell. non recip.*

2. Gravamen est appellationis causa, ubi illud deficit, huic non est locus. *l. 1. ib. Dd. ff. de Appell.*

3. Injuria ex supervacua appellatione Judici fieri non debet. *l. fin. C. quand. provoc. non est necess.*

4. Quæcunque non sunt contra sed præter sententiam, seu quæ hanc non impugnant, sed moderantur executionem, coram eodem judice in ipso momento executionis locum habent. *l. Nesennius § ult. ff. de re judic. l. si fullo ib. Bartol. Salycet. ff. de condict. sin. caus. Boër. decis. 43. n. 5.*

5. In iis casibus ubi provocare non est necesse, non auditur appellans, sed causa ad priùs judicium remittitur. *l. 1. tot. tit. C. quand. prov. non est necess.*

6. Sic medicè rem curare præstat. *l. si servus 25. ff. de Pignor. action.*

DECISIO CLXV.

Recusationi suspecti Judicis post litem contestatam quando causæ ejus tunc exoriuntur vel innotescunt, locus est, & quomodo de ea cognitio ad superius judicium devolvitur.

APpellationis interpositæ præcipuum gravamen erat ex suspicione contra judicium, quæ ex iniquitate decretorum accedente conjectura favoris in adversarium arguebatur. Duplex suboriebatur dubitatio, altera, an recusationi in eo statu causæ, quando quod litis contestatæ loco est factum, locus esse posset? (1) Altera, quod per appellationem ad superius judicium deferebantur, quæ coram Judice priori proponenda, ab arbitris examinanda & dijudicanda erant, (2) Conclusum verò fuit, quando causa suspicionis adeoque recusationis demum post litis contestationem aut quod ejus loco habetur, emersérunt, ipsam recusationem perinde fieri posse. (3) Et licet regulariter discussio causarum ad arbitros pertinet, tamen etiam appellationi locus fieri potest, si vel opposita recusationis apud inferiorem exceptione ea non attenta in judicando pergetur, (4) vel cum suspicio exiniqua sententia arguitur, ita ut tam ipsa quam Judex impugnetur, illa ob iniquitatem, hoc ob suspicionem. (5) Eo minus verò dubitandum fuit de appellationis admissione, postquam hodie ob ambages quas arbitrorum datio & coram iis processus postulat, brevior via appellationis in causis recusationum ex consuetudine recepta est. (6) *Ita existimatum & decretum in causa Obrist-Leutenants Iohann von Lipfelden, contra den Regierungs-Rath Nicolaum von Höpken. Die 26. Octob. Anno 1654.*

1. Recusatio suspecti judicis inter exceptiones dilatorias refertur, ideo ante litem contestatam in primordio litis proponenda est. *Zanger. de Except. lib. 2. cap. 4. num. 1. & seq.*

2. *juxta l. apertissimi & Auth. Si vero contigerit. C. de Iudic. Gail. 1. Observ. 33. num. 15. seq.*

3. Habet prior sententia de proponenda ante litis contestationem exceptione suspecti judicis eam limitationem, si tunc causa exstitit vel nota fuit. Quod si post eam demum oritur vel etsi existit, ignorata est, potest etiam deinde usque, imo & post conclusionem in causa opponi, *c. insinuante x. de offic. deleg. Iason. in l. apertissimi. num. 18. ibid. Cyn. n. 1. C. de Iudic. Fulv. Pacian. lib. 2. de Probat. cap. 45. num. 15. & n. 87.*

4. Depo-

Digitized by Google

4. Deponit post recusationis exceptionem Judex officium in illa causa, nec ultrà rogredi debet aut sine nullitate potest, *l. 1. C. si quae. prad. potest. Coler. de Process. Executiv. part. 4. cap. 1. num. 52. Vant. in tract. de Nullit. tit. de Null. ex defect. num. 140.* & causa devolvitur ad superiorem, *Zang. de Except. dict. cap. 4. numer 24.*

5. *Arg. l. 1. §. interdum. 4. ff. à quib. appell. non lic. Gail. 1. Observ. 33. numer 4. & 5.*

6. Ut forum consuetudine quaeritur, *c. cum contingat. de For. compet.* sic dubitandum non est in per suspicionis causis recte per consuetudinem tribui judici superiori. *Gail. 1. Observ. 33. num. 15 in fin.* Per plura exempla constat superiora Judicia appellationem in causa recusationis recepisse & super iis judicasse.

DECISIO CLXVI.

Appellationi obstat facta solutio qua solutum, non qua adhuc non ex priori sed alio decreto solvendum.

INterpolita appellatione ab ea, quae se debere negabat, actor supplicando pro illa non recipienda opponebat, sibi nomine istius a litis curatore aliquoties usuras debiti post decreta executorialia solutas esse, ab eadem eas porro exigi. Etsi vero quod solutas usuras spectat appellationi locus esse non poterat, quia res amplius integra non erat, (1) tamen adhuc solvendarum ratione illa nihilominus admittenda est, ut ut pro eodem debito. (2) Non enim solutae his praejudicium faciunt, utpote ab iis diversae. (3) Nec facit in contrarium, quod eadem appellandi causa, idem gravamen est. Ubi hoc continuum est appellationi semper locus, etsi aliquando anterius neglectum. (4) Fieri in talibus potest, ut qua aliqua decretum vim rei judicatae habeat, in caeteris verò appellandi facultas sit reliqua. (5) *In causa viduae Obrist Ilenfelden, contra Christoff Altvvich Elixen, die 10. Novembris Anno 1654.*

1. Sera & inutilis ibi est appellatio, ubi per negligentiam res non amplius integra est, *arg. l. quod si minor 24. §. Scaevola ff. de Minorib. Faber in Cod. lib. 7. tit. 26 defin. 19.*

2. Intellige tamen haec de ea specie, quando nondum super debito judicatum aut rea condemnata est, sed tantum, ut in liquidis fit; per mandata solutio usurarum jubetur, deinde executoriales decernuntur. Secus erit, ubi condemnatio ad debitum per sententiam processit, nec appellatum fuit, *l. 1. l. fin. C. sentent. rescind. non poss. l. 3. l. fin. C. de re jud.*

3. Quoties sunt in singulos annos praestationes diversae, tot res quoque habentur diversae, *l. scire debemus 29. ff. de V. O.*

4. *Scaccia in tr. de Appellat. quaest. 12. num. 144.*

5. Res judicata stricti juris est, nec nocet ultrà rem, quae in ea nominatim continetur, *l. cum quaeritur 12. ll. seqq. ff. de Except. rei jud.*

DECISIO CLXVII.

Appellatus in puncto appellationis renunciatae coram inferiori judicio non statim, sed prius appellans audiendus, & quando in vito hoc in causa non progrediendum est.

CUm appellatione ab interlocutoria interposita appellatus oblato libello supplice articulo litis super quo appellatum fuerat, renunciat, & in causa ulteriorem processum petit, haut statim audiendus, & adversae parti quod consequitur, injungendum est, sed communicata prius petitionis copia explorandum, an etiam consentiet appellans: (1) quo invito non potest indistincte ea renunciatio fieri. Causa quippe, cur possit appellans nolle sic procedi, sed prius à judice ad quem judicari adest, cum appellantis interest discuti & pronunciatione judicis superioris causam finiri: (2) vel cum articulus ille non concernit solius appellati favorem, sed simul etiam appellantis; (3) aut cum praejudicium aliquod appellanti inde existet. (4) Talia vero demonstrare appellanti integrum esse debet. Si nihil apparet, inferior judex post illam renunciationem & petitionem appellati (5) potest ad ulteriora procedere, nec debet pati, ut sine causa evidenti appellans, cui contigit, cur appellavit, remoto gravamine ideo appellandi causa extincta tergiversetur. (6) Quod ita die 14. Novembris Anno 1655. & deinde aliquoties observatum fuit.

1. Regulariter quidem appellatus, etiam invito appellante, articulo super quo appellatum atque ita appellationi renunciare potest, *per c. 1. post hoc de Appellat. in 6. ib. Franch. numer 9. Blarer. ad L. diffamari cap. 10. num. 32. Scacc. de Appellat. quaest. 17 lim. 47. membr. 3. numer 9. seq. Gail. 1. Observ. 136 ubi rationem & praxin Camerae exponit.* Attamen evenire casus possunt in quibus secus se res habet. Ne itaque aut diversae parti praecipitanter praejudicetur; aut litigantes in prolixam litem praecipitentur, praestat re integra eos audire, *arg. l. fin. C. in quib. caus. rest. in integr. non necess.*

2. *Rationem & exemplum vid. ap. Fab. in Cod. lib. 7. tit. 26. defin. 26.* suo juri non alterius renunciare licet.

3 *Aegidius decis. 7. 9. & 18. sub. rubr. de Appellat. Gail. dict. Observ. 136. numer 2.* ubi expresse se fundat in solo favore appellati, ideo cum non ille sed alterius etiam sub est, secus erit.

4. *Vid. Klock in Consil. 187. num. 13. seq. vol. 1. ubi rationem, exemplum & praxin Camerae refert.*

5. Expressa renunciatio & petitio appellati necessaria est ad ulteriorem progressum, *Scaccia dict. quaest. 17. limit. 47. memb. 3. num. 9. Vinc. de Franch. decis. 526. in fin.*

6. Hoc à Judice admitti non debet. *Gail. dict. Observ. 136. num. 3. in fin.*

Digitized by Google

DECISIO CLXVIII.

Post renunciationem appellati, nisi consentiente appellante ad priorem judicem causa remittenda non est, sed in superiori judicio ulterius proceditur.

SIcuti cum appellans appellationi ab interloeutoria seu potius articulo super quo pronunciatum erat, renunciat, & causam principalem in judicio superiori tractari petit, id obtinere non potest, (1) nisi consentiente utraque parte. [2] sic etiam cum appellatus isti articulo super quo appellatum fuit renunciavit, non debet causa ad priorem judicem remitti, nisi sic & velit pars appellans. Nam etsi cum appellati renunciatio accedit causam principalem impositerum tractare oportet. (3) Id tamen fieri non debet coram judice inferiore, cujus jurisdictionem suspendit appellatio, sed coram judicio superiori, ad quod causa devoluta est. (4) Desinit quidem appellatio, qua punctum sub ea controversum ex abdicatione ejus, pro quo judicatum fuit, haud tamen extinguitur, qua effectum devolutionis & suspensionis, (5) postquam renunciatio non causam & jurisdictionem finit, sed unum articulum, & quidem eo modo atque si à judice superiori pronunciatum esset, (6) nec tenetur pars semel gravata redire ad judicem gravãtem, (7) nec potest judex judicare sine remissione. (8) Ita aliquoties in talibus casibus renunciationis appellatorum servatum est, ut retinetur in judicio appellatorio causa.

1. *Vid. Mynsing. Observ. 79. cent. 3.*

2. Sunt existimantes, ne quidem prorogatione partium post interpositam & introductam appellationem fieri posse, ut de causa in inferiori judicio cognoscatur, *quos allegat Mynsing. dict. Observ. 79.* at nec textu ullo nec ratione constat hæc sententia, nec apparet, cur non utrique parti liceat abdicata appellatione redire ad judicem, cujus tantum suspensa non penitus extincta erat jurisdictio, cum litigantibus liceat & transigere & pacisci & jurisdictionem prorogare.

3. Appellatus etiam appellante invito, cum ejus aliter non interest, omisso appellationis puncto in causa procedere potest, *c. 1. § hoc de Appellat. in 6. ib. Franch. numer 8. de quo superius plura scripta sunt.*

4. *Gail. 1. Observ. 136. numer. 2.*

5. Qua hunc appellanti jus quæsitum est, quod appellati renunciatione non potest auferri, sed vocatus ad inferiorem litis coram superiore pendentis exceptione declinabit, sicut id fecit appellando, *c. si à Iudice de Appell. in 6.*

6. Ratio cur invito appellante ulterius post abdicationem progredi licet, hæc est, quod ob confessionem injuriæ, qua partem eo loco res tunc est, ac si pronunciaretur, male judicatum, nec tunc potest fieri causæ ad priorem Judicem remissio. *Gail. 1, Observ. 131. numer 1.*

7. Judex qui semel gravavit, semper gravare velle præsumitur, *l. eos ib. Bald. num. 3. C. de Appellat.*

8. Judex à quo Jurisdictionem à se abdicat, *c. cum Appellationibus 4. de Appellat. in 6.* nec recipit, postquàm causa ad superius judicium devoluta est, nisi remissam. *Gail. dict. Observ. 131. num. 3.*

DECISIO CLXIX.

In possessorio etiam summarissimo nullitatis querela admittitur, executionem non suspendit.

POst sententiam in summariissimo possessorio latam proposita de nullitate querela dubitationem faciebat, an admitti deberet? Conclusum fuit, non rejiciendam, (1) sed ut alias super ea juris morisque est causas ex quibus arguitur, prius considerandas & procedentum, (2) executionem tamen non suspendendam esse. (3) *Ita decretum ad petitionem Lassanensium contra den Obrist Alexander von Weissenstein, die 14. Novembris Anno 1654.*

1. Dubitationem faciebat, regulariter exclusa in possessoris appellatio. At quia non ita reperitur prohibita nullitatis querela, diversum juris remedium, ad ejus exclusionem argumentum inde non sufficiens visum, *arg. l. Divus ff. de Test. milit. c. inter cæteros x. de sentent. & de judic.* sicut & communis invaluit sententia, appellatione remota nullitatem non censeri sublatam, *utiid juri, rationi & Praxi Cumerali convenire docet. Gail. 1. Observ. 135. per tot.*

2. *l. un. C. si de moment. in possess. ib. Dd. Gail. d. Observ. 135. n. 5. in specie possessorio prius dicta applicat.*

3. Regulariter nullitatis querela non suspendit executionem, nisi evidens & notoria sit, *Gail. d. Observ. 135. num. 7.* multo minus id faciet in summariissimo possessorio, quod celerrimæ expeditionis esse debet.

DECISIO CLXXX.

Contumacia excludit restitutionis in integrum imploratione.

POstquam ob contumaciam appellantium acta pro conclusis erant acceptata, deinde super iis pronunciatum, contra sententiam proferebatur imploratio restitutionis in integrum allegatis aliquot rationibus, quare implorans putabat se adhuc audiendum, interea sententiam suspendendam, postea & corrigendam esse. Verum quando contumacia ex actis est notoria, existimatũ ad illud beneficiũ implorantes non esse admittendos, quod majoribus non tribuitur nisi ex causa approbata (1) & singulari æquitate (2) quo utraq; deficit in cõtumacib; qui non juvari sed puniri merentur, (3) tanquàm qui in dolo esse videntur, (4) inde ope

contra

Digitized by Google

contra judicata indigni. (5) Præterea si læduntur sua culpa sibi istam attraxerunt, (6) inde frustra de ista queruntur & restitutionem postulant. (7) *Sic decretum in causa Dieterich Stadtlanders Creditoren vvider dessen Kinder. Die 22. Septembris Anno 1657.*

1. *l. 1. §. fin. ff. ex quib. caus. maj.*

2. Ubi cessat æquitas non datur in integrum restitutio. *Tib Decian. consil. 54. num. 36. vol. 4.*

3. Delinquentibus Prætor non subvenit. *l. sed etsi 26. §. & adjicitur ff. de Minorib.*

4. In dolo esse præsumitur, qui non obtemperat judicis præscriptis vel decretis. *l. non potest ff. de Reg. Iur. Menoch. l. 5. præsumpt. 3. num. 86. Pacian. de Probat. l. 2 c. 66. num. 178.*

5. *l. properandum* 11. *§. fin. autem reus C. de Iudic. l. 1. C. quor. appell. non recip.* Ex quibus textibus apparet appellationem contumacis non admitti, cui similis est in integrum restitutio.

6. Damnum quod quis sua culpa sentit, intelligitur non sentire, *l. damnum ff. de Reg. Iur.*

7. Hæc non datur nisi ex ex alieno facto læsis. *l. fin. ib. Bartol. C. de Restit. in integr. Cravet. 685. numer 17.*

DECISIO CLXXI.

Judice acta ad informationem de appellationis jure transmittere recusante processus decernere æquum est.

QUod in ordinatione summi Tribunalis cautum est provisum, si, an gravamina solitos processus appellationis mereantur, dubium sit, ii non statim decernantur, sed à judice inferiori transmissio actorum originalium petatur, iisque demum inspectis de eo statuatur, (1) aliquando impetrare non licuit negata talium transmissione. Inde vero quæsitum quid decernendum utrum actori & pœnali mandato judex compellendus, an vero processus appellatorii decernendi sint? Posterius placuit. Ita enim præmemorata providentia accipienda, si judex inferior actorum copiam fecerit. Ubi ille hanc detrectat seu negans seu diu differens, reditur ad id quod jure communi convenit, ut in dubio processus ad narrata decernantur. (2) Quod providè pro abbreviandis litibus & evitandis constitutum eum effectum sortiri minimè debet, ut appellans vel planè non audiatur, (3) vel lis obtemperationem judicis inferioris diu protelatur. Eo magis tunc ad processus decernendos properandum, quod judex fugiendo lucem se suaque suspecta reddit. (4) *Ita factum in causa Anton von Wersabe contra David Herlin, die 19. Ianuarii Anno 1655.*

1. *Vid. Ord. Summ. Tribun. part. 2. tit. 3 §. 7.*

2. In dubio appellationes recipiuntur.

3. Judicis inferioris oppositio sine causæ cognitione non attenditur, sed facit ut appellans eo magis audiatur. *Gail. 1. Observ. 31. num. 10. & seq.*

4. Hæc argumentatio ex doctrina Christi Joh. 3. *Qui justa facit, amat lucem, qui injusta, tenebras,* non inepte infertur ad judices, qui nimis præfractè appellationum processibus reluctantur. Quos superius judicium cum rationem appellationis conspicit, suspectos non potest non habere. Qui enim semel gravavit, semper gravare velle præsumitur, *Gail. 1. Observ. 131. num. 2.*

DECISIO CLXXII.

Juramentum judiciale non excludit appellationem & probationem in eadem causa, nisi quoad id quod juratum.

OPposita non devolutæ appellationis exceptione juramentum judiciale ab appellantibus in prima instantia delatum allegabatur, velut nec appellationem, (1) nec contrariam probationem admittens. (2) At non ultra exceptio illa obtinere potuit, quam quatenus juramentum delatum, atque juratum fuit. (3) Qui detulit illud reo super eo an habeat secum instrumentum, quod intentio probanda est. Postquam juratur, se illud non habere, nec de eo quidquam scire, non excluditur ab ulteriori probatione, exstitisse instrumentum, seu id quod per illud probandum fuit, nihilominus verum esse. (4) Diversa quippe hæc sunt, nec de illo juramentum ad hoc de quo non juratum fuit, porrigitur. (5) Ideo judex qui ex tali juramento non attenta alterius probationis oblatione reum absolvit, gravavit & gravatus appellare non prohibendus est. Sic judicatum fuit. *In causa Hæredum Eberhardi ab Ahnen contra hæredes Stephani ab Ahnen die 18. Ianuarii Anno 1655.*

1. A sententia definitiva super juramento judiciali lata non admittitur appellatio, *l. generaliter* 13. *§. sed juramento* 1. *§. sive autem 3. C. de reb. cred.* Habet enim juramentum vim rei judicatæ, *l. 2. ff. de jurejur. l. 1. ff. quar. rer. act.*

2. *Rauchbar. part. 2. quæst. 2. numer 32.* Qui deferendo adversarium judicem suum constituit, ei jus dicto etiam acquiescere tenetur. *l. 1. C. de reb. Cred. l admonendi 31. l. si non fuerit 37. ff. de jurej.*

3. Juramentum stricti juris est, & stricte interpretandum, ne jurans in periculum perjurii incurrat, *c. pen. X. de Iurejurand. c. Clerici de V. S. Fridi de Senis Consil. 210. in med.*

4. Juramentum non operatur ultrà id atque id quod delatum fuit; *Gail. 1. Observ. 22. numer 6. & Observ. 97. num. 13.* nec extenditur ultra mentem deferentis & jurantis. *Hieron. Magon. decis. Floren 67. num. 25.* Tantum ligat quantum appareret de horum consensu, non alterius, *c. quemadmodum c. ad nostram X. de Iurejur. Tib. Decian. consil. 242. num. 2. & seq.*

Digitized by Google

5. Contra naturam juramenti est, ut ultra intentionem jurantis in aliis operetur, *Cavarruv. in c. quamvis part. 1. §. 5. num. 1. & 2. de Pact.* nec porrigitur ad ea, quæ incidenter in causa deducuntur. *Bartol. in l. fin. C. Titia ff. de Liber. Legat.*

Sententia super his ita pronunciata est;

In Sachen Everd von Ahnen Erben Appellanten und Klägern / Eins / entgegen und wider Steffen von Ahnen Erben Appellaten und Beklagten andern Theils / in puncto attentatorum & exceptionis non devolutæ vel non recipiendæ appellationis läst mans nochmahlen bey dem am 20. April An. 1654. publicirtem Bescheide allerdings bewenden / gestalt dann auch demselben zufolge die übergebene exceptiones als unförmlich nicht anzunehmen / sondern appellati ad libellum proxima singulariter singulis zu respondiren schuldig / und bleibet es ingleichem der attentaten halber bey der den 27. Novembris Anno 1646. in rem judicatam ergangenen Urtheil und darinn bestätigtem arrest biß so lang die bey diesem Königl. Tribunal eingeführte Appellation erörtert und außgeführet. Als aber Appellanten sich beschwerrt / ob hätten Appellati die nomina & obligationes pendente appellatione de facto unter sich getheilet / und ex adverso angezogen solches dahero geschehen / daß die fürgenommene Appellation, der Gebühr nicht intimiret, als wird von dem eingekommenen Gegenbericht dem Appellanten Copey erkannt / innerhalb 6 Wochen darauff zu handlen aufferleget: Immittels ist ex officio die Sache auß dazu bewegenden Ursachen als unter nahen Anverwandten zur güttlichen Behör und Hinlegung veranlasset / und der 13. Monats Tag Martii diß Jahrs darzu bestimmet / alsdann die Parten beyderseits und zwar in gnugsamer Vollmacht der heimgelassenen Sache Verwandten zu früher Tageszeit bey diesem hohen Tribunal zu erscheinen / und daß die Gute unter ihnen vorgenommen werde ohne præjudiz eines jedweden Rechtens zu erwarten gehalten seyn sollen. V. R. W. Publicatum den 22. Januarii Anno 1655.

(Hoc est)

In causa Everdi ab Ahnen hæredum appellantium & actorum ex unâ contra Stephani ab Ahnen hæredes appellatos & reos ex alterâ partibus, in puncto attentatorum & exceptionis non devolutæ vel non recipiendæ appellationis decreto 10. Aprilis Anno 1654. publicato iterato & simpliciter inhæremus, prout etiam ea propter exhibitas exceptiones tanquam informes non recipimus, sed appellatis ut ad libellum, in proxima singulariter singulis respondeant injungimus, similiter etiam ratione attentatorum sententiæ 27. Novembris Anno 1646. Publicatæ & rejudicatæ vires adeptæ & in ea confirmato arresto insistimus tam diu donec appellatio in hoc regio Tribunali introducta ad finem pervenerit. Cum vero appellantes conquerantur quod appellati nomina & obligationes pendente appellatione de facto inter se partiti fuerint, & id prout ex adverso allegatur, ideo factum, quod interposita appellatio debite non fuerit intimata, hinc hujus allegati copiam ut intra sex septimanas desuperagat decernimus. Interea ex officio & causis eo moventibus tanquam inter proximè conjunctos amicabilem compositionem causæ proponimus & in eum finem 13. diem Mensis Martii hujus anni præfigimus ut hac utraque pars & quidem cum sufficiente mandato non comparentium tempore matutino in hoc regio Tribunali compareat, & concordia inter illas salvo cujusvis jure tentetur. Idque de jure. Publicatum 22. Januarii Anno 1655.

DECISIO CLXXIII.

Extensio immissionis in alterius injuriam, ultra id quo opus est, facta, locum facit appellationi ab executione.

REgula executionem sententiæ non recipere appellationem, limitatur quatenus excessum. (1) Cujus etiam hæc species, si vel ad immissionem pro executione factam amplius trahitur, (2) quam judicis immissiones sonant, (3) vel in tertii injuriam extenduntur ad plures res, quam pro debito, cujus causa fit executio, necesse est. (4) Quare ubi conquerebatur appellans creditorem patris in bona ejus immissum & tantum habentem unde satisfieri potest, in alia immissionem porrectam voluisse & impetrasse, merito auditus est. *In causa Liberorum Claus Paulsdorffen, contra Daniel Schmollen, die 8. Febr. Anno 1655.*

1. *l. ab executione 5. C. quor. appellat. non recip.*

2. Quicquid amplius habet affectus executionis quam sententiæ, aut instrumentum sub quo illa fit, excessus est, & locum facit appellationi, *Scacc. in pr. de appellat. quæst. 17. limit. 10. num. 30.*

3. Sicut sententia ita etiam hæ strictæ juris sunt, & ultra literam non extendendæ.

4. Excessus executionis iste & quidem appellabilis est, ubi immissio fit in rem magnam, cum modica sufficeret. *Gloss. in d. l. ab executione ibid. Salycet. num 5. Contard. in l. un. limit. 19. num. 21. C. si de moment: possess.*

DECISIO CLXXIV.

In causa non appellabili appellatur ob incidentia, quæ sunt appellabilia.

PLures sunt causæ, quas Jurisprudentia fecit non appellabiles: (1) at eatenus sunt tales,

Digitized by Google

tales, quatenus in iis terminis consistunt, in quibus ob eas appellationem non recipi vult lex vel consuetudo, (2) de quo non tantum ex verbis legum, sed etiam ex ratione statuendum. (1) Oportet itaque consideratius examinare, ubi quidquam talis causæ obvenit, tum in quibus terminis lex vel mos appellationem excludit, tum causæ circumstantias, an iisdem sint congruæ. Quæ in causis non appellabilibus incidunt, ubi ex se non sunt inappellabilia, non ideo quod causa principalis aliter comparata fuerit, à judicio repelluntur, sed eatenus recipienda sunt, quatenus per legem vel consuetudinem ab appellandi facultate non sunt remota (4) *In eadem causa.*

1. *De quib. tot. tit de Appellat. recip. & tot. tit. C. quor. app. non recip. & ICti plura congesserunt.*

2. Prohibitio ejus quod alias jure communi licitum, stricti juris habetur, nec ultra terminos ejus extenditur, *l. cum Prator ib. Bald. ff. de Iud.*

3. *l. nominis 6. §. 1. ff. de V. S.*

4. Ita quidem dictum JCtorum habet articulum incidentem regulari secundum causam principalem, *Scacc. de Appellat quæst. 19. conclus. 6. num.* 19. ac intelligendum de iis, quæ huic accedunt vel eandem ab ista conditionem sortiuntur: Secus se habet in plane separatis, quæ habent ex sua naturali conditione regulam, nec ideo quod in aliam causam incidunt, dum ex ea decisionem non habent, mutantur. Separatorum separata ratio est, *l. fin. ff. de Calumn.*

DECISIO CLXXV.

Executio immodica appellabilis & retractanda est, sed non in totum, nec ordinario processu.

EXcessus executionis appellabilis est, (1) & sine dubio talis, ubi pro executione ampliora multò capiuntur quam debentur, (2) cui etiam propria autoritate resisti potest. (2) At non opus est ad retractionem ejus ordinario appellationum processu, sed per mandatum velut in re illicita emendatio fieri potest. (4) cum statim injungitur executor, ut excessum corrigat, atque quod supra debitum abstulit, restituat vel refundat. (5) Non in totum retractatur injuriosa executio, sed qua excessum saltem vel injuriam, (6) juxta regulam, quod utile per inutile non vitiatur. (7) *Tale mandatum fuit decretum Thomæ Gerstenberg, die 6. Martii Anno 1655.*

1. *l. ab executione 5. C. quor. appell. non rec.*

2. *Gloss. in d. l. abe. ecutione verb. excedat. Contard. in d. l. un. num. 19. 21. C. si de moment. poss*

3. *Rebuff. in tract. d sentent. execut. ar. 10. 7. gloss. 14. sub num. 4.*

4. Ordo judiciorum alias consuetus non modo à judice ubi manifesta causæ ratio eam non exigit, omitti potest. *c. ad nostram 3. X. de jurejur. Panorm. in c. vestrum. num. 18. de Cohabit. Cleric.* sed etiam pro brevitatis studio, quod eum decet, debet. Valet enim etiam in judiciis regula, quod fieri potest per pauca, non faciendum per plura.

5. In talibus appellatio devolvit & suspendit. Judex uti congruum causæ reperit, disponit & decernit.

6. In judicio appellationis judex non corriget sententiam prioris judicis ultra gravamen, de cætero illa subsistit. *Franch. in c. fin. de Appellat.*

7. *c. utile de R. I. in 6.*

DECISIO CLXXVI.

Causa licet inter easdem personas & de eadem re, at non super eodem aut connexo actionis articulo, per appellationem non devolvitur.

SUspendit appellatio jurisdictionem inferioris judicis, at in ea causa in qua appellatum fuit. (1) Alia etsi sit inter easdem personas, de eadem re, etsi etiam unâ actione vel in libello eodem cumulata fuerit, si non ex eodem capite vel jure, simul non devolvitur, (2) nisi quatenus est connexa alteri. (3) Ideo in ea judici ulterius procedere permissum, & si vel defertur simul ad judicium superius, ad illum remittitur. (4) Quæ alias capitur præsumptio, quod judex semel gravans porro gravaturus sit, non extenditur ultra illam causam à quâ facta fuit appellatio. (5) In alia ut deest gravamen, ita etiam cessat præsumptio. (6) Ita cum in inferiori judicio in causa quæ concernebat depositam ratione domus pecuniam appellatum esset, quæ ob deteriorationem & onera istiusmet unà cum ista mota erat ad prius judicium remissa est *in causa Frieder. Sitmanns, contra Dieterich Massoven, die 9. Martii Anno 1655.*

1. Ultra causam in qua appellatur seu in separatâ per appellationem non fit jurisdictionis suspensio. *Scaccia de Appellat. quæst. 3. num. 40.*

2. Alia enim causa est, *l. 11. ff. de Except. rei jud.*

3. Connexitas facit simul devolvi quod connexum est, *Lancellot. de attentat. part. 2. cap. 12. lim. 2. n. 25. & 26.* connexa reputantur unum. *Franch. in c. si duobus num. 5. X. de appellat.* Quæ ratione appellationis talia censeantur, *exponit Scaccia de appellat. quæst. 47. membr. 2. num. 10. seq.*

4. Ea remissio non arbitraria sed necessaria est ob causam non devolutam.

5. *l. eos ib. Bald. C. de Appellat.*

6. *Ant. de Butr. in c. super eo numer 1. seq. X. de Appellat.*

Digitized by Google

DECISIO CLXXVII.

Duæ in utramque partem accipiendæ sententiæ mentem judex superior ab inferiore petere debet, antequam processus decernit.

QUando sic concepta erant mandati à quo appellabatur verba, ut accipi possent tum de nudâ rei vindicandæ exhibitione, tum de ejus exhibitæ in loco judicii relictione seu depositione, & in priori intellectu appellationi ob defectum gravaminis locus non fuisset; ex posteriori autem appellandi justa causa appareret, existimatum est, processus non esse aut negandos aut decernendos, sed prius mentem judicis explorandam. (1) Ad partium partes spectat dubiæ sententiæ declarationem petere, antequam ad appellationem progrediuntur. (2) Ejus mente nondum perspicuâ seu ita ambiguâ, ut cum & sine gravamine accipi possit, primum hoc litigantium est, ut certa ejus mens constet. At ubi partibus hoc negligitur, facere potest, cujus est quæ desunt partibus in his quæ ad jus pertinent supplere, processus nisi necessarios non decernere (3) ubi sine iis litis finis obtineri potest viam breviorem tendere. (4) Eo magis quod judex appellationem non admittit nisi ubi gravamen deprehendit, (5) quod non reperit ubi sine eo intelligi posse sententiam videt. (6) Præstat multum certitudinem exquirere. Pro quo rescriptum ad judicem fuit, decretum de explicando eo quem habuit mandati sui sensu. *In causa viduæ Christophori Wincken contra hæredes Henrici Spallen die 20. Martii Anno 1655.*

1. Non opus est appellatione, quamdiu dubius est sententiæ intellectus, & an quis gravatus sit incertum. Ad majorem tantum cautelam pertinet mos ille, ut cum dubia sententia est, partes appellent, quò sibi omnia jura integra servent; appellationem autem non prosequantur aut introducant, nisi vera ejus mente per explicationem aut implorationem officii judicis explorata. Post quam intellectam deinde prosecutio non tantum satis matura est, sed etiam ipsa appellatio.

2. *l. un. C. ut quæ desc. advoc.*

3. Appellatio defensionis species est, *l. 1. ff. de appell.* ideo nisi ubi necessaria nondum admittitur. Gravamen quod metuitur seu conjicitur, sed certum nondum est, ad illam non sufficit. *Franch. inc. ut debitus num 9. X. de appellat.*

4. Judicis est lites omnimodo & præcavere & citò finire, *l. cum quidam 21. ff. de reb. credit.*

5. Gravamen est unica causa appellandi, quo sine appellatio est nulla nec recipienda. *Bald. in l. un. num. 7. C. ne lic. in un. ead. caus.*

6. Paria sunt non esse & nondum apparere, *l. in lege 77. ib. gloss. ff. de contrab. empt.*

DECISIO CLXXVIII.

In causis politicæ ordinationis in Policey-Sachen / *an & quando appellationi locus sit.*

CONtroversia movebatur processibus decretis, quod causa diceretur concernere politicã ordinationem, es wäre eine Policey-Sache / quam non appellabilem putabant. Veruntamen pro axiomate illud simpliciter admitti non potest, nec enim aut jus commune tales causas excepit, aut exclusionem praxis recepit aut observat. Quemadmodum bona politia non est exlex, sic nec planè à judiciis aliena. Quando enim ex legibus certam accepit formam, istæ que non tantum negociis civilibus regulam, sed & jus tribuunt civibus aut omnibus aut quibusdam, ita quoque iis ubi juri politiæ contraria irrogantur vel sub obtentu politiæ jus alicui suum demitur vel impeditur, non oportet defensionem deesse. Ut itaque pro hac ad inferiora sæpe itur judicia, & in his de jure circa legum politicarum appellationem aut transgressionem contenditur & pronunciatur, ita non obsistendum, ut læsis, quia jure suo ex politiæ ordine non potiuntur, desit ex appellatione remedium. (1) Ubi quis injustè potest gravari & sæpius gravatus ibi recursum ad superius judicium non oportet esse præclusum. (2) Exposuit hoc satis recens Imperii constitutio, (3) quam circa has appellationes considerare & sequi convenit. In ista minime appellatio interdicitur, sed expresse permittitur, tantum processui circa istam modus dicitur ut abusus evitentur. Circa quem primo distinguitur inter causas politiam concernentes, an certo ex ordinationibus Statuum imperii circa Politiam, collegia, opificia definitæ sunt, (4) an vero nondum acceperunt certam constitutionem. De his dum nihil dicit vel definit, apertum est juri morique veteri & communi, qua appellationes, relinqui. (5) De iis autem quæ prioris generis sunt, quatuor addit, quæ continent declarationem notabilem. Loquitur enim de bonis ordinationibus Politicis gu-ter Policey-Ordnungen. A statutis ut ut Politiam concernentibus irrationabilibus, injustis vel aliter improbis & noxiis appellationi locus est, (6) nédum in causis, ubi talia statuta desunt & ex magistratuũ arbitrio quædam iniquius irrogabantur. (7) Inde loquitur de ordinationibus non modo constitutis sed etiam receptis, eingeführten. Ideo quæ non in usu sunt, ad hanc legẽ non pertinent. (8) Porro de his quæ per leges in universũ ins gemein ordinantur, sonat. Ubi non civitati lex dicitur, sed adversus unũ vel

alterum

Digitized by Google

alterum quidquam ſtatuitur, ex eo gravatis manet appellandi libertas. (9) Addit tandem de iis quæſtatus Imperii ſic ordinavit. Quod trahendum non eſt ad aliarum civitatum ſeu communitatum ordinationes, (10) de quibus uti ad ſtatus, qui jus territoriale habent, ſic porro ab his ad Cameram aut ipſorummet Tribunalia ſuperiora provocatio eſt niſi aliis legibus vel conventionibus publicis reperitur excluſa. Deus appellationibus quæ cauſas ibi nominatas concernunt, ſecundo additur quod circa eas ante omnia à judice expendi debent, utrum quod ex iis magiſtratus cujusque vel ſtatus publici interſit. Siquidem id nullum deprehenditur ſed mera cauſa privata, etſi juxta ordinationes iſtas agitur, non eſt ejus cauſæ alia quam privatarum litium ratio. [11] In eo vero quod ad Rempubl. pertinet, tertio hoc monetur, ne judex inhibitionem facile decernat. Ubi animadvertendum non plane in ejusmodi cauſis inhibitionem prohiberi ſed tantum providentiam exigi, ut non ſine ratione fiat inconſideratè & promiſcuè. (12) Cui convenit abſtinendum ab inhibitione ſi non ſit cauſa quæ urgeat. (13) Tandem in certo quodam genere cauſarum appellationem plane non recipiendam ſed ad magiſtratum cujusque loci remittendas illas eſſe conſtituit, nempe quæ contrariantur Ordinationibus & legibus loci receptis non irrationabilibus. (14) Id vero cum ſine aliqua cauſæ conſideratione fieri non queat, nec debeat, oportet pro explorandis ejus circumſtantiis appellantes audire & gravamina circumſpectius examinare, ſic ſuperiis ſtatuere. Hæc ſi obſervata fuerint ſatisfit omnibus dubitationibus, quæ contra appellationes in cauſis politicis in Policey-Sachen / moventur. Exiſtis apparet, quod iſtæ ut tales ſeu quatenus ordinationibus non comprehenduntur, & juxta eas exercentur, vel non ſunt appellabiles, vel ſi appellantes audiuntur, tamen ſine ordinario appellationum proceſſu expediuntur. Tantum ſi vel extra iſtas quædam accidant, vel ſub iſtarum ſiniſtrâ applicatione aliquis gravatur, vel ubi res dubia eſt, multo magis ſi contra illas quidquam iniquum vel inſolitum irrogatur, appellationi locus fit. Propriè loquendo cauſa non eſt politica ſed juridica, ubi non tam de uſibus publicis quam de jure ſingulorum quæſtio eſt. Quocirca nec obſiſtit, quod præcipuè reprehenditur, magiſtratui circa regimen provinciæ vel civitatis ex appellationibus impedimenta injici & publicas curas turbari: Nam eatenus ut conſulant Reipubl. juxta ordinationes politicas, vel commoda publica, in judicia non vocantur, ſed tantum ut injuriam intuliſſe arguuntur. Deinde non facile decreta inhibitione integrum eſt magiſtratibus ſua cura defungi. Attamen & nemini impeditum eſſe oportet, jus ſuum publicis curis imperturbatis proſequi. Id quod conſideratũ eſt die 21. April. An. 1655.

1. Appellandi beneficium tam in majoribus quam in minoribus cauſis indultum atque licitum eſt, *l. & in majoribus 20. C. de Appellat.* nec publicæ ab eo ſunt exceptæ, *uti indicant textus in l. 4. l. 7. l. 11. l. 18. l. 22. l. 26. C. eod.*

2. *l. 1. ff de Appellat.*

3. Im Reichs Abſchied zu Regenſpurg *de Anno 1654.* § Wie nun ſolches von den cauſis &c.

4. Ad quas reſpiciunt & ſic exponunt hæc verba ejus; Sachen die den bey einem Stand ins gemein eingeführter guter Policey / Zunfft und Handwercks-Ordnungen anhangen.

5. *Iuxt. l. præcipimus 32. §. fin. C. de Appellat.*

6. Appellatur cum à ſtatutis iniquis, *Covarruv. in c. poſſeſſor. part. 2. §. 4. num. 7. Ruginell. in tr. de Appellat. §. 2. cap. 3. numer 889.* tum à ſententiâ ex vigore ejus latâ. *Ruginell. ibid. Bredered. in tr. de Appellat. part. 1. p. 522.*

7. A magiſtratuũ decretis iniquis appellationi locus eſt, *d. l. 1. de Appell* cujus ratio ad eadẽ pertinet.

8. Paria ſunt, non eſſe legem & non eſſe receptam vel non in uſu. Si magiſtratus dixerit eſſe in uſu, pars negaverit appellans auditur, *Ruginell. d. part. 2. § 2. numer 891.*

9. *Bartol in l. ult. numer 3. ff. de Appellat. recip.*

10. Quæ in conſtitutionibus Imperii habentur ſingularia ſeu à jure communi exorbitantia, cum ſtatuum ſaltem mentionem faciunt, ad inferiores communitates non pertinent.

11. *l. ex illo 13. C. de appellat.*

12. Hoc ſignificat verbum nicht leichtlich erkennen / quod eſt non ſine cauſa & circumſpectione.

13. Praxin Cameralem hujus per exempla talem accepi, quod inhibitio nunquam decernitur, niſi ubi appellans rationem allegat & veroſimilem reddit, cur pendente proceſſu ſit acquieſcendum.

14. Quasita deſcribit Conſtitutio. Dafern ſolche Sache wider ſelbigen Orts hergebrachte vernunfftige und den Reichs-Conſtitutionen nicht ungemäſſe Handwercks- und andere hergebrachte rechtmäſſige Ordnung läuffet / zu Abſchneidung deß in denen Reichs-Conſtitutionen ſo hoch verbottenen Aufftreibens und Scheltung der Meiſter und Geſellen und andere Ungelegenheiten ab und an deß Orts Obrigkeit / als die ohne das den Gewalt haben / dergleichen Statuta nach Gelegenheit der Läuffte und Zeiten zu widerruffen und zu andern verwieſen.

DECISIO CLXXIX.

In cauſis reparationis aggerum Teich-Sachen *appellationi locus, ubi lis iſtam non remoratur.*

QUando de reparatione aggerum & pro hâc præſtandis quæſtio eſt, appellationi locus non datur, (1) propter periculum quod in mora eſt. (2) At ſic demum ubi & quatenus lis ſeu appellatio iſti impedimento vel remoræ erit. Siquidẽ tale nihil per iſtam infertur, appellatio ubi gravamen apparet,

Digitized by Google

apparet, minimè rejicienda est. (3) Ideo etsi non suspensivum, tamen devolutivum effectum sortitur. (4) Et etiam in præsenti specie non necessarium, siquidem post illam jam peractam de præteritis ejus sumptibus controvertitur. (5) Quando itaque post ruinam sic autoritate superiori constitutum erat, ut communi totius vicinæ terræ ejusque incolarum ope aggeres reficerentur, sumptus vero ab iis ad quos illud onus pertineret, refunderentur, (6) & qui post reparationem de horum parte convenie-bantur, se isti non obnoxios dicerent, condemnati appellarent, post reperta gravamina non levia non tantum citationem & compulsoriales sed etiam inhibitionem decernere placuit in causa dreyer Dorff-schafften in Osterstade / *contra* sieben Dorffschafften daselbst / *die 24. April. Anno 1655.*

1. Hoc in consuetudinem transiit in iis locis, ubi ex aggeribus possessiones & utilitates agrorum redduntur à periculis aquarum securæ, ut causæ aggerum non habeantur appellabiles. Quod etiam Cameram Imperialem ita sequi ex negatis in tali causâ processibus observavi.

2. In quibus causis in morâ periculum est, appellatio non recipitur. *Lancellot. in tr. de Attentat. part. 2. cap. 12. limitat. 43. numer 1. Contard. in l. un. in 4. rat. decid. numer 4. & in 4. rat. decid. num. 1. C. si de moment. possess.*

3. Ratio, quæ est ex periculo moræ, ubi cessat, ibi quoque cessat in illo solùm fundata appellationis exclusio. Hæc enim ut odiosa & rigorosa nimis non fit nisi ex certa ratione & intra ejus limites.

4. Sic intelligendum est, quod de appellationis exclusione dicimus, ita enim etiam accipitur in quo illud fundatur, quod in his quæ cum moræ periculo conjuncta sunt, appellatio non habet locum, nempe quâ effectum suspensivum seu ad executionem retardandum. Non vero ut appellans plane non audiatur. *Ruginell. in tr. de Appellat. §. 2, cap. 3. numer 628.*

Præteritorum non habetur similis ratio, ut in iis deficit non appellandi causa, exemplo præteritorum alimentorum, *Lancellot. dict. cap. 12. limit. 24. numer 8.*

6. Hic inter discrimina perruptorum aggerum ac citam reparationem procedendi modus ordinarius est, ubi certò non constat, cujus onus illud sit. Nunc ubi hoc manifestum est quis debeat, ille compellitur nec alius pro alio tenetur.

DECISIO CLXXX.

Imperii Princeps cui jus summi Tribunalis est causas quasdam reddere valet non appellabiles & quomodo.

QUod vulgo dicitur, committere causas remotâ appellatione seu judicem dare à quo non appelletur in Germania esse tantum Imperatoris, (1) non autem inferiorum principum, qui imperatorem agnoscunt superiorem, (2) haud perinde pertinet ad eos, qui etsi feuda Imperii ab Imperatore recognoscunt, tamen per privilegia de non appellando à jurisdictione Cæsaris eatenus, ut ad ipsum non appelletur, exemptionem aut jus summi Tribunalis nacti sunt, sic ut non appellatur ab illorum judiciis, nisi ad illos ipsos (3) JCtis simul jus est modum dicendi appellationibus & per illud licentia aliquando ratione quarundam causarum vel casuum has præcludendi, (4) modo hoc fiat non indiscretè, sed primo ex ratione justâ atque probabili; (5) Deinde ut non contra legem vel conditionem, cum qua privilegium seu jus summi judicii est impetratum: (6) Tertio ut non tollatur gravatis omne remedium gravamina exponendi atque emendandi. (7) Tandem ut nec quidquam fiat contra subditorum jura, tum communia tum specialia seu privilegia & antiquas consuetudines. (8) Non possunt hæc negligi sine summo periculo supremi atque egregii Regalis, quod habent Principes. (9) Ideo quando de causis non appellabilibus quidquam statui debet, accurato observanda sunt. De quo sic consultatum die 30. Maji Anno *1655.*

1 *Per text. in l. §. fin. ff. à quib. appell. non lic.*

2. Sic de his communis habet sententia, *uti eam vocat Lancellot. de attentat. part. 2. cap. 12. limit. 8. numer 25. & seq.* Ratio est aperta. Quod appellatio est signum superioritatis seu summæ jurisdictionis, cui ab inferioribus aliquid demi aut præjudicari non debet. *Bart. in d. l. 1. §. interdum numer 2. ff. à quib. non appell.* In Imperio Romano-Germanico præterea idem convenit voluntati Principum, qui semet isti subdiderunt, quando Imper. summam in se jurisdictionem tribuerunt, sibi jura territorialia reservarunt, tantum exceptâ appellatione, ex quo fit, ut quidquid aut statuunt secus aut aliter à subditis jurare sinunt, in judiciis Imperialibus non attendatur, *vid. Camer. Imp. part. 2. tit. 28. in pr. & §. 1.*

3. Ita privilegiatos aut exemptione vel singulari eminentiâ munitos Principes causas posse committere tradit *Scaccia de Appellat. quæst. 16. limit. 1. num. 114.* Cessat in his ratio superius dictæ prohibitionis, cum provocationis ultimæ superioritas sit penes illos, qui tali prærogativâ gaudent.

4. Est hæc facultas annexa ordinationi judiciariæ, cujus ea pars est.

5. Non aliter Principis etiam superioris potestas tollendi appellationem justa est, quam quatenus rationabilis. Nec enim potest ea tollere, quæ sunt juris naturalis & gentium, quale est defensio & cujus species est appellatio, *Clem. pastoralis de Re judic. l. eas ff. de cap. dimin.*

6. Lex dicta concessioni servanda est. Et qui cum ea lege accepit, ut vel sine exceptione unicuique in supremo suo judicio jus dicat, vel ut juxta Constitutiones Imperii, non potest prohibere aut excludere appellationes, quàm quatenus jure licet aut per Constitutiones Imperii.

7. Defensio

Digitized by Google

7. Defensio plane non potest tolli sublatâ licet appellatione. *Vid. Petr. Gregor. Tholosan. de Appellat. lib. 2. cap. 20. num. 12.*

8. Qualiscunque potestas Principum sit, eam tamen conditionem habet, ut servet jura & consuetudines subditis.

9. Ex non servatâ conditione impendet, non servari vicissim à superiore juris concessi prærogativam, & præclusa gravatis via ordinaria aperit viam extraordinariis remediis, imo etiam recursui ad superiorem.

DECISIO CLXXXI.

De causis seu casibus non appellabilibus.

UTilis juxta & proba juxtimque laudabilis sollicitudo est imperantium, ut nec appellationum facultas gravatis præclusa, nec etiam apud litigantes abusus liber aut impunis sit. (1) Ejus pars reputatur in definitione cautarũ atque casuum non appellabilũ. Convenit inter omnes esse tales aliquos, seu Reipubl. causâ, ne ejus utilitas atque decus per provocationum moras impediatur, vel pro utilitate hominum communi, vel materiæ quæ in lite est odio, aut ejus adversus quem litigatur præcellenti favore. (2) At de his definitionem ad certas regulas redigere difficile imo pene impossibile, nec non periculosum erit. (3) Quascunque enim causas respexeris, quas non appellabiles putas, in iis reperies multa incidere, quæ appellationem admittunt, nec propitiâ justitiâ excludere sinunt; (4) Vicissim inter appellabiles, quot circumstantiæ faciunt, ut appellari ni locus esse non debeat. (5) Ex quo non potest non fieri, ut si in legem certam ista redigere velis, prout eam in omnes casus concipere impossibile est, [6] sæpius pernitiose erretur. (7) & dum legis verba sequimur, multis ob circumstantiarum varietatem inique noceatur. (8) Quanto porro jurgiorum & contentionum occasio non inter partes modo, sed etiam judices, quantæ litium remoræ futuræ sunt, si ex legis litera solum de eo statuendum erit? Judex à quo literam nudam semper sequetur, ideo nunquam appellationi deferet, aut acta edet, ubi illa putabit contraria? [9] Judex ad quem expensis circumstantiis, quæ sæpius judicem inferiorem latent, ubi ratio legis aut exceptio appellationem permitti exiget, ipso licet reluctante recipiet. (10) De devolutâ appellatione inde graviores & longiores rixæ futuræ, quam si integer & non impeditus ei sit cursus. (11) Hæ & aliæ difficultates repertæ cum de constituendis certis casibus consultaretur, effecerunt ut putaretur, multò præstantius prudentis & conscientiosi judicis circumspectæ considerationi atquæ causæ cognitioni relinquendos esse. (12) Cujus officium est circa illas causas sequi, quod jussis communis est; (13) juxtim verò in lite quavis dispicere, utrum causam vel casum ab eo excipere æquum sit, & an exceptiones, quas leges habent, semet isti applicari sinunt. (14) Quemadmodum ille per conscientiam & fidem non admittet appellationem, ubi salvâ justitia admitti non debet, deque eo cui committitur jurisdictio superior præsumendum, quod sit vir bonus, prudens, considera tus, justitiæ deditus: (15) ita nec ei demendum, ut pro qualitate causæ ac circumstantiarum diversitate de eo statuat. Regula præscripta nunquam efficiet, ut non eam per factorum varietates posthabere opus sit. Officium tamen non sinet, ut à justo recedat, licet à regula recedere opus habeat. Eodem die.

1. *Iuxta l. 1. ff. de Appellat.*

2. In legibus quibus utimur plures casus reperiuntur ab appellationibus excepti. *de quibus cum alibi, tum sub tit. ff. de Appellat. recipiend. & tit C. quor. appellat. non recip. tot. tit. C. quand. provoc. non est necess. agitur. Ii ex qui de appellationum materiâ commentantur, uti plurimum de istâ integri tractatus sunt plures annotant, ad quas lectorem remitto.*

3. Huc rectè applicamus, quod habet juris Regula, omnis definitio in jure civili est periculosa, parum est enim, ut non subverti possit; *l. omnis 202. ff. de R. I.*

4. Consulas ea quæ *Scaccia in tr. de Appellation. quæst. 17. per totum* habet, ubi plures limitationes appellandi facultatis in enumeratis causis reperies, ad circa omnes tam multas ampliationes, exceptiones, restrictiones, declarationes, ut quod in regula est, per has ferè absorbeatur aut perturbetur. Quod cum per generales istas sententias fiat, quanto magis eveniet inter variantes factorum circumstantias.

4. Non causa sed gravamen appellationem desiderat. Ideo ubi hoc est audire oportet appellantem, etsi causa non sit appellabilis, & si illud deficit, appellationi locus non est. *Vid. Scacc. d. tract. quæst. 5. artic. 2. num. 94. seq.*

6. Non possunt omnes articuli aut legibus aut ab JCtis singulatim comprehendi. *l. non possunt 12. ff. de Legib.*

7. *l. si servum 91. §. sequitur 3. ff. de verb. obligat.*

8. Hoc est illud quod JCtus vocat, jus civile calumniari. *l. pen. ff. ad. Exhib.*

9. *Contra l. A. proconsulibus 19. C. de Appellat.*

10. Est ejus in dubio omnem recipere & examinare appellationem antequam rejiciat; *l. 1. ff. de appell. recip.*

11. Experimur hoc sæpissimè per exceptiones non devolutæ appellationis, quod per multos annos de iis disputatur, ut si interea appellatione admissa de causa ageretur & ipsa cognosceretur, citius hæc multò ad finem deveniret.

12. *Iuxta ea quæ in talibus necessaria putant & suadent JCti in l. & ideo de his 11. cum duab. ll. sequentib. ff. de Legib.*

Digitized by Google

13. Ex hoc generale in gentium jure fundatum jus est, quod in omnibus tam majoribus quam minoribus causis appellatio locum habet, *l. & in majorib. 20. C. de appellat.*

14. Leges quam generales sunt, in appellatione sunt sub judicis recta & legali interpretatione atque arbitrio, *d. l. non possunt 13. ff. de Legib.*

15. Hanc præsumptionem jurisprudentia de illo constituit. *Vid. Alciat. de Præsumpt. reg. 3. cap. 5. num. 62. seq.* ut vero sustinere possit electione superiorum curandum. De quibus autem fiduciam talem habent ejus etiam deinde virtute quæ sunt judicii contendere debent.

DECISIO CLXXXII.

Tertius pro interesse alterius ex hujus voluntate & ex suo contra illam appellans audiendus est.

CUm appellasset in causa pupillum vel minorem tutores habentem concernente ejus frater non tutor, movebatur ipsi legitimationis quæstio: at opponebat iste cum voluntatem tutorum, tum suum interesse. Ex illa appellationem ejusque prosecutionem sustineri certum erat, cum alius pro alio ut negotiorum gest orrecte appellet. (1) Maxime vero id fratri & proximo agnato concedendum fuit, (2) creditumque est, etsi tutores non consenserint, imo si contradixerint, pro fratre pupillo fratrem si rationes defensionis susceptæ proferret audiendum esse. (3) Præterquam autem quod fratris causa agebatur suum quoque interesse appellans obtendebat. (4) Etsi vero illud non aliud erat, quam quod pater ipsius argueretur vi & clam sumsisse sibi in alieno licentiam ponendi canales, tamen aliquid causæ suberat, ut manes paternos ab injuriæ insimulatione purgaret. (5) Nam etiam ubi humanitatis causa interest, succurrere in talibus æquum habetur. (6) *Iuxta hæc auditus est appellans in causa Martin Schepels, contra Christoff Bockhausen, die 3. Iulii Anno 1655.*

1. *Scacc. in tr. de Appellat. quæst. 5. num. 41.*

2. Frater pro fratre, *Ruginell. in tr. de Appell. §. 2. c. 1. n. 16.* & conjunctus pro conjuncto etiam sine mandato appellat. *Gail. 1. Observ. 133. n. 1. & 2.*

3. Etsi in negociis pupillaribus voluntatem tutoris spectari convenit, *l. si ad pupillum 11. ff. de auctorit. tut.* nec Prætor ad consentiendum cogit, *l. si tutor. 17. ff. eod.* attamen si qua in re propinqui videant commoda illorum periclitari, integrum est, etiam cum tutorem habent ipsis prospicere. *l. 3. §. cum duæ 5. ff. de Carbonian. Edict.*

4. Appellare licet cuique cujus interest sententiam non esse latam. *l. à sententia 5. ff. de Appellat. & Relat. Ruginell. dict. tract. §. 2. c. 1. num. 26.*

5. Non pro vero saltem certoque interesse, sed propter quale quale tertii appellatur alterius causa. *l. non tantum 6. ff. de appell. gloss. in c. cum super X. de Sentent. & re jud.* Quicquid præjudicii aliquid facit, appellandi facultatem aperit. *Tiraquell. in tr. res int. al. act. limit. 19. Contard. in l. un. limit. 23. num. 19. si de mom. possess.*

6. *Scacc. de Ord. Iudic. c. 11. num. 216.*

DECISIO CLXXXIII.

In concursu creditorum interposita appellatio in uno articulo quæ ad alium separatum pertinent non devolvit, nec in eo judicis à quo manus ligat.

COncursus creditorum est involucrum multarum litium, quæ sub eo exoriuntur de diversis causis & articulis, quorum alii liquidationem, alii rationes de bonis atque alia concernunt. Quod si fiet in uno à judice pronunciari & decerni, ab eo vero appellari, dubium exortum fuit, quatenus super reliquis fieret devolutio, & an istis appellatio manus judicis liget, seu an ista totum concursum seu quidquid est ad superius judicium transferat. Interest utrum judex à quo cum actis quidquid concursus est ad superiorem remittat, ut facere potest, (1) & hoc si velit (2) de cæteris omnibus justa statuet: utrum vero simpliciter appellationi defert, & tunc distinguendum est inter ea quæ planè separata sunt & quæ connexa. Hæc simul devolvuntur; (3) Illa vero judici à quo non obstante alibi lite pendente integra sunt. (4) Sic quod per appellationem inter unum alterumve creditorem quædam circa liquidationem aut prioritatem aut præteritam administrationem & super hac rationes controversæ sunt, non est adempta judici inferiori potestas in commune creditorum commodum bonis constituendi curatorem, ab eo rationes exigendi, super rationibus post discussionem judicandi, quæ ad conservationem bonorū pertinent dispo nendi. (5) Siquidem ista à causa devoluta non dependent, nec præjudicium faciunt. (6) *Uti existimatum fuit in causa Iost Behren, contra Obrist-Lieut. Burchard Behren, die 6. Iulii Anno 1655.*

1. Haud integrum est judici inferiori causam suæ jurisdictionis ad superius judicium remittere, nisi justa causa adsit. Talis vero adesse intelligitur, si aut à superiore præjudicium metuit, aut ne ipse faciat, cavere cupit.

Judicis superioris de hoc est cognitio & arbitrium. Nam ad eum totus punctus devolutionis pertinet.

3. Continentia causæ dividi non debet. *l. nulli. C. de Iudic.*

4. *Vid. Lancellot. in tract. de Attentat. part. 2. c. 4. limit. 2. num. 1. & seq.* appellatio non devolvit jurisdictionem quoad ea, quæ non sunt in appellationem deducta. *Lancellot. dict. tract. part. 2. cap. 12. limit. 2. num. 17.*

5. In

Digitized by Google

5. In aliorum commodum licita est judici inferiori sine attentati vitio dispositio. *Lancellot. dict. part. 2. cap. declarat. 4.*

6. Ubiin litis aut partis præjudicium non tendunt dispositiones valent non obstante lite. *Lancellot. dict. part. 2. cap. 4. declarat. 5.*

DECISIO CLXXXIV.

Nullitas ex non facta, die præfixo, sententia publicatione, non sufficit ad recipiendum appellationem, nisi accedente ex isto orto incommodo.

QUemadmodum ad audiendam sententiam dies dici, & ad illum citatio decerni solet, (1) ita etiam in eodem per judicem sententia publicari debet. (2) Quod omissum efficit quidem sententiam alio die publicatam haberi nullam, (3) haud vero semper & ex ea sola causa appellatio recipiatur, nisi simul allegetur incommodum aliquod parti appellanti inde ortum, idque nec leve nec aliter quam per appellationem vel deductionem nullitatis corrigendum. (4) Non enim in superiori judicio attenditur nullitas, aut processus meretur, nisi quæ simul circa merita causæ gravamen infert. (5) Etsi judex suo die sententiam non publicans contra leges judicii peccat, & de emendatione moneri monetur; ut tamen ipsa sententia alias nec injusta nec iniqua ideo impugnetur, permittendum non est. (9) Quod multo magis transmittendum, si ita consuetudine etsi prava invaluit. (7) Quomodo de ea compertum fuit, non sua die quæ dicta, & ad quam partes citatæ sunt, sententias pronunciari. Quibus consideratis cum alia gravamina appellationem justificare non valerent, negati sunt processus, de querela tamen judicium inferius certius reddere, & ejusmodi querelas imposterum præcavere non inutile visum. (8) Die 12. Julii Anno 1655.

1. Jus commune hanc citationem fecit necessariam, *l. eaqua 7. ibid. Bartol. num. 1. Cod quom. & quand. jud. Gail. 1. Observ. 109. num. 1.*

2. Non minus judicem à se præfixum terminum observare decet, quam partem, eam negligens non potest non de officii neglectu inculpari: Non frustra Alexand. *in l. fin. ff. de Dilat.* admonet judices, ut non modo à supervacuis dilationibus abstineant, & litigantes in terminis præfixis adesse efficiant; sed etiam ipsi nihil faciant; unde termini circumducantur.

3. *l. cum to die vb. Bartol. & Castrens. C. quand. provoc. non est necess.* Ratio est, quod actus alio die quam ad quem pars citatur factus non potest dici factus citatâ parte, quia ad eum non citata est. *l. ult. §. fin. ib. Bartol. ff. quod vi aut clam. Franc. Decius dec. 154. num. 2.*

4. Sine gravamine non recipitur appellatio, *c. dilectus X. de Appell.* Hoc verò non est sine incommodo aliquo considerabili.

5. *Gail. 1. Observ. 75. num. 6.*

6. Non solus error vel excessus judicis locum facit appellationi, sed damnum, quod pars ex isto sentit vel meruit. Iste indemnis etsi improbus non trahendus est ad moras litis, per ea quæ *Gail. habet dict. Observ. 75. num. 7.*

7. Per consuetudinem sicut per legem fieri potest, ut non fiat ad audiendam sententiam citatio. *Gail. 1. Observ. 109. num. 3.* & ut alio die pronunciatio fiat.

8. *Ex præscripto Ordinationis in part. 2. tit. 1. § fin.*

DECISIO CLXXXV.

Contra transactionem non recipienda est appellatio, nisi justa ab ista desistendi causa manifestasit.

QUamvis justa ratio esse potest, cur à transactione recedatur, (1) ideo ob eam etiam contra transactionem disputare & ubi pronuntiationem ut ut pro transactione factâ se quis gravatum putat, appellare fas sit, (2) tamen non aliter id permittendum quam si causa cur transactis non stetur justa & verosimilis sit. (3) De quo cum ex narratis statim non apparet appellationem admittere non convenit. (4) Nunquam erit litium finis, si à transactionibus bona fide interpositis cœperit facile decedi. (5) Non minorem transactionem quam rerum judicatarum autoritatem esse rectâ ratione placuit. (6) Quomodo itaque contraillas non recipitur appellatio: (7) Ita nec contra transactionem quam non rescindit indebiti allegatio. (8) Accurata circumspectione in eo versari debet judex. (9) Rejecta est ideo appellatio, cum non reperiretur justa transactionem impugnandi ratio, *in causa tutorum Daniel Loffs hæredum contra Georg Zisemern, die 14. Septembr. Anno 1655.*

1. *l. in summa 65. §. 1. ff. de Condict. Indeb.*

2. Quando litigare non injustum gravatis appellare non est interdictum. *l. 1. ff. de appellat.*

3. Transactiones, si non alio juri cognito modo eas vacillare contigerit, vires suas obtinent *l. fin. C. de Transact.*

4. In dubio standum est transactioni, cum post eam agere prohibitum sit. *l. post decisionem 13. C. de Furt.* judicis officio incumbit, omni modo curare & efficere ut transactis stetur, *l. causas 16. C. de Transact.*

5. *l. fratris 10. C. eod.*

6. *l. non minorem 20. C. dict. tit.*

7. *l. 2. C. quor. appell. non recip.*

8. *l. si non transactionis 6. C. de Iur. & fact. ignor.*

9. *l. Præterea C. de Transact.*

DECISIO CLXXXVI.

Appellatio in causis ædificiorum exclusa admittitur tamen cum novum & insolitum opus exstruitur.

NOn infrequens est statuto aut consuetudine tolli appellandi licentiã cum de ædificandi jure controvertitur, quod reipub. interest de ædificiis celerem esse cognitionem ne nimis deformentur urbes. (1) Nec à jure communi id alienum quod appellationes vult rejici ubi in mora periculũ est, [2] ut evenit plerumque in illis causis quæ structuram ædium concernunt (3) At sicut ratio concernit saltem reparationem & conservationem veterum ædificiorum, ita quod ex statuto vel consuetudine jus habeatur minime ulterius porrigendum est) nec pertinet ad nova opera quæ antea in illo loco non fuerunt exstructa. Præterquam quod novitas suspecta & odiosa est, ideo non juvatur, sed ne nocumentum inferat perquirenda est; quia vicinorum interest in antiqua forma servari ædes, ne sibi novis molitionibus noceatur, non potest nisi illis auditis permitti novum opus. Cui conveniens, ut si ex permissione inferioris judicis se gravatos putent & verisimilibus argumentis gravamen doceant appellantes audiantur. (4) Uti circa decernendos processus existimatum in causa Petri Rosen & consortum contra Christoff ab Essen die 26. Octob. Anno 1655.

1. Ad decus urbium spectat ædificium non deseri qui. *l. Prator ait. §. hoc interdictum ff. de op. nov.* imo & reipub. interest urbem ruinis non deformari. *l. 2. §. si quis l. fin. ff. ne quid in loc. publ.*

2. *V. Lancellot. in tr. de Attentat. part. 2. c. 12. limit. 43. num. 12.*

3. Cum de sarciendis ædificiis quæstio est non admittitur appellatio. *Petr. Rebuff. in tr. de sentent. Provision. in parfat. num 127.*

4. Habet enim locum novi operis nunciatio, cujus causa de jure communi appellabilis est. *V. Petr. Frid. Mindan. de Mandat. l. 2. c. 31. num. 6.* Nec colligenda ex statuto prohibitio nisi expressim facta sit.

DECISIO CLXXXVII.

Apostolos refutatorios quomodo oporteat esse comparatos.

QUod judici à quo post appellationem interpositam integrum est, ut datis Apostolis refutatoriis appellationi non deferat, haud relictum est mero illorum arbitrio sed oportet fieri cum allegatione rationis (1) Nec omnis ad illud sufficit, sed primo saltem talis, quæ causam facit non appellabilem, (2) Nam non partis sed suæ jurisdictionis gratia isti dantur, ideo quod hujus est concernere. (3) de cætero ab iis quæ ad partes spectant judex abstinere debet. (4) Secundo necesse est ut causa sit manifesta. (5) In dubio enim standum est appellationi à judice inferiore & recipiendæ à superiore. (6) *In causa der Kramer zu Stade contra Hinrich Vicken die 6. Novembr. Anno 1655.*

ORDO.

1. Non attenduntur refutatorii qui non habent expressam causam quare appellationi non deferendum sit. *Cassador. ad Cur. quæst. 1. num. 61. C. si de remoment. possess.*

2. Judici à quo est omni appellationi deferre & cursum relinquere, præterquam si non est de jure appellabilis. *l. 2. ff. de Appellat. Scacia de Appellat. quæst. 17. num. 1.* Ideo qui defert non vult quin imo talem causam ex justa ratione ostendere debet, cum alias regulæ stetur, donec exceptio constat *ut is in terminis habet Specul. tit. de Appellat. §. in quibus in pr.*

3. In his quæ non concernunt jurisdictionem judicis post appellationem ejus suspensa abstinere debet.

4. Est hoc frequens at non admittendum quod judices à quo pro impedienda appellationis devolutione non tantum quæ ad vim suæ jurisdictionis pertinent, sed etiam quæ partium jura concernunt in refutatoriis obtendant & hæc disputent. Quod judicem superiorem non tantum pro ista non recipienda nihil, sed potius eo movere debet ut minus credat ei qui se suspectum per talia aliena reddit, eo magis acta edi requirat & ex iis decernet.

5. *Petr. Gregor. Tholosan. in tract. de appellat. lib. 6. cap. 2. num. 7.*

6. *Scaccia dict. quæst. 1. num. 60.*

DECISIO CLXXXVIII.

Testamenti aperura per appellationem non suspenditur.

TEstamenta uti servari publicè expedit etiam publicari. Nec hos impedit ulla contradictio nisi quæ testamentum nullum aut ex eo locum successioni non esse statim ostendit, de quo summaria & celeris cognitio est, postquam si à judice publicatio decernitur, non est ab eo ultra locus appellationi (1) aut si interponitur non suspendit vel differt publicationem. (2) *Vti existimatum in causa Frantz Sparen contra Michael Gras Die 23. Nov. Anno 1655.*

1. *l. quisquis. C. quor. appell. non recip. l. ult. ff. de appell. recip.*

2. *Maranth. de Ordin. Judic. cap. 6. num. 172.* In genere tam de omnibus causis quæ celerem executionem poscunt JCi sentiunt & tradit *Specul. in tit. de Appellat. §. in quib. vers. 3. & Jason. ad l. 1. ff. de Ferus.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO CLXXXIX.

Et si alias à judicio certis causis dimittendis appellari non debet, ob abusum tamen jurisdictionis appellatum locus fit.

DUbitabatur utrum à Consistorio ad Summum Tribunal appellationi locus esset, accedebat casus ubi illud excesserat jurisdictionem suam cautis Ecclesiasticis astrictam, manum ad secularem negocium & seculares personas porrigens, ubi non esse ejus jurisdictionem non sine ratione putabatur. Etsi itaque illud ultimæ sententiæ præsuppositum concederetur, tamen in tali specie obtinere non posset, cessabat quippe ratio ob quam appellationem non admittere solent nimirum ob causarum ecclesiasticarum à foro seculari exclusionem ut & ab appellandi facultate singularem exemptionem, (1) quæ ut istarum est, ita ad seculária porrigi non debet. (2) Secus cum sit evidens est a abusus jurisdictionis (3) qui causam facit appellabilem, cum alias non possit. (4) Privilegiatus egrediens privilegii fines privilegio non fruitur, (5) sed extra illos jure communi utitur. (6) Juxta hæc decretum die 27. Novemb 1655.

1. Cessante causa exemptionis & ipsa cessat, & redditur ad jus commune.

2. Judex Ecclesiasticus manus cohibere debet à cautis secularibus *Panorm. rubr. de For. compet. numer.* 2.

3. Is permittendus non est, *l. un. §. fin. C. de Latin. lib. toliend.* sed privatione potestatis coercendus. §. *fin. just. de his qui sunt sui vel alien.*

4. Insignites hoc reperitur in Gallia introductum & observatum ut quoties extenditur ultra limites suos Ecclesiastica jurisdictio à sententiis Ecclesiasticorum appelletur tanquam ab abusu *de quo vid scripta prolixius Rebuff. in tom. 3. comment. in constit. Reg. tit. de appellationes comm. def. Abus. Petr. Gregor. Tholosan. de appellat. lib. 4. cap. 6. per tot.* Et eadem vero ratione idem apud nos curnon & justum habetur.

5. Limitata privilegii causa limitatum producit effectum. *l. in limitatis ff. de Acquir. Rer. dom.*

6. *Alberic. in l. fin. ff. de Constit. Princip.*

DECISIO CXC.

Causa non appellabilis ob notorietatem gravaminis fit appellabilis.

ETsi privilegio vel statuto certa causarum genera ab appellandi facultate sunt exempta, tamen earum privilegium minime est extendendum ad eum casum, ubi de injustitia decreti, à quo appellatur vel de appellantis gravamine notorie constat. (1) Nec enim eo statutum vel privilegium extendi debet (2) cum nec mens nec potestas concedentium illuc pertingat. (3) Quocirca allegato tali gravamine quod juri contrariatur, juxtimque ex inspectione actorum id fore statim manifestum, placuit non attento statuti vel privilegii tenore appellationem admittere & (4) ita quidem ut posceretur pro intelligenda ea notorietate actorum communicatio. (5) Die 6. Decembr. Anno 1656.

1. *Rusn. consil. tot. in fin. vol. 5. Marsil. in l. 1. num. 158. C. de Rapt. Virgin.*

2. *Roland. a Vall. consil. 29. num. 37. vol. 1.*

3. Non debet ignorantia in deesse occasio, unde jura proficisci debent *l. manumissor. C. unde vi.*

4. Statutum non posse tollere remedia legitima ubi de iniquitate vel nullitate ex actis notorie constat, rationabilis est JCtorum sententia, *Bald. in l. 1. ib. Salycet. C. ne lic. provoc.*

5. Non statim in tali specie ubi alias appellare non permittitur credendum narratis de notoria injustitia sed prius explorandum ex actis quæ notorium faciunt an ita se habeant. *l. 1. C. quand. provoc. non est necc.*

DECISIO CXCI.

Si actio aut condemnatio famosi non est, ex obitu ejus infamiæ vel injuriæ minus quantitas non fit appellabilis.

ETsi minima res sit quæ in litem venit, attamen ob damna famæ quæ accedunt, causa fit appellabilis (1) Tanquam in his quæ magni momenti sunt, dum fama inter humana nihil est pretiosius. (2) Ita vero hoc saltem obtinebit, si vel actio famosa est, vel sententia infamiam irrogat. Cum actum alia quam famosa actione appelians se circa famam gravatum queri nequit. (3) Etsi enim injuriæ quid si ti accesserit, hoc non pertinet ad eandem, sed post eandem separata actione vindicandum est, (4) si sic comparatum ut injuriarum agi possit. Ita cum quis ex rei vindicatione ob rem alienam conventus atque damnatus allegaret, quod restitutio injuncti futurum quoddam præsupponere ideo sibi infamis videretur, circa appellationem hoc attendi non debere visum fuit; quod rei vindicatio aut ex ea condemnatio quidquam infamiæ non haberet, (5) si quid esset, extra illam existeret, vel in opinione magis quam veritate, consisteret. (6) *Ita judicatum in causa Dieterich Garlip, contra Balthzar Horn, die 19. Jan 1656.*

1. Ita in judiciis servatur. Sequimur in hoc Cameræ Imperialis consuetudinem.

2. Fama & vita pari passu ambulant, *l. justa 9. pr. ff. de manum. vind.* & honestis gravior famæ quam vitæ clades est.

3. *l. cessat 36. ff. de Oblig. & Actionib.*

4. *l. si quidem 9. C. de injur.*

4. Pertinet ad eam ex rationis similitudine quod habetur *in dict. l. cessat. 36. de O. & A.*

6. Non

Digitized by Google

6. Non sufficit opinari, sed revera subesse oportet *l. 1 pr. ff. pro donat. opinio facere nihil facit l. pen. de Usu pro hered.* Juxta hæc pronunciatum; In Sachen Dieterich Garlippen Imploranten wider Balthar Horn Imploraten / wird es deß Vorbringens ungehindert bey dem den 10. Julii Anno 1655. gegebenen decreto gelassen / jedoch mit der Erklärung / daß Imploranten Rechten und action, sover den beschuldigten Injurien halber zu haben vermeynet / hiedurch so wenig etwas benommen seyn solle / als noch zur Zeit nicht befunden / daß deß Hof-Gerichts Erkäntnüß weiter denn in puncto rei vindicationis in welchem die Sache nicht appellabel, sich erstrecke / von Rechtswegen.

(Hoc est)

In causa Dietheri Garlippen Implorantis contra Baltzarum Horn Imploratum, non attentis, allegatis decreto 10. Julii Anno 1655. lato inhæremus; attamen cum hac declaratione, quod implorantis juri & actioni quam ratione insimulatarum injuriarū habere se existimat, per hoc tam parum præjudicatum esse debeat, quam ad huc dum non apparet, quod judicii aulici cognitio ulterius quam in puncto rei vindicationis, in quo causa non appellabilis, se extendat. Idque de jure.

DECISIO CXCII.

Ubi in priori instantia ejus ob quod appellatur, medela facilis, non recipitur appellatio.

OB decretam secundo creditori immissionem in fundum anteriori creditori obnoxium appellatio interposita non fuit admissa, tum quia in eo nihil injusti decretum; (1) tum quia appellans nondum fuit gravatus; (2) quando ipsi etiam post adjudicationem jus suum anterius exercere & possessionem hypothecariâ auferre integrum: (3) tum etiam quod ex interventione, cui in ipsa executione locus, facile apud priorem judicem remedium est, (4) quo utendi ac gravamen prævertendi facultas efficit, ut appellatio non sit admittenda, (5) decreto tamen appellans ad prius forum remittendus sit. (6) *Vti factum ad supplicationem Heredum Iohann Berckhanen contra Desseff Molteken, die 14. April. Anno 1656.*

1. Secundo creditori prius venienti adjudicatio fieri potest, saltem illæsum servatur jus prioris, *l. creditor 12. in pr. ff. qui pot. in pign.*

2. Ubi deficit gravamen, cessat appellatio, *l. 3. ff. de Appellat. id enim hujus causa est.*

3. *Vid. dict. l. creditor in pr. qui pot. in pign.*

4. Tertio pro suo interesse ad impediendum executionem jus interveniendi patet. *Vid. Gail. 1. Observ. 70. num. 14.*

5. Non audiendus est, si ab eodem judice qui pronunciavit judicati correctionem impetrare potest *Ant. Fab. in C. lib. 7. t. 15. defin. 8.* Sunt appellationes remedia justa, ubi necessaria, nec adhibendæ nisi ubi opus, quod etsi tunc favorabiles sunt ut defensionis species, tamen odiosæ sunt aliqualiter judicis intuitu quem arguunt. *l. præfat. 17. ff. de Minorib. l. 2. ff. de Appellat.*

6. Ad judicis superioris partes pertinet non recipere appellationem nisi cum necessaria. *l. 1. in. in. C. quando prov. non est necess.* Ideo causam illuc ubi peragenda remittere. Id quod in Camera Imp. sæpius fit. At illa iis defungitur tantum processus denegando, sicut ita simpliciter decerneret solet. Nos vero ut appellans mentem decreti suoque usus discat, nec opinione sua circumveniatur, id explicatius decreto inferendum esse putavimus.

DECISIO CXCIII.

De his quæ futuro judicio committuntur, appellationi locus nondum est.

DEcretæ actorum ad JCtorum Collegium transmissioni additum erat, ab eo de injuriis, quæ actor Judici intulerat, earumque pœna simul statuendum esse. Es soll der Urtheilsfasser zugleich wegen der injurien / so dem Richter durch die anzügliche Schrifften zugefügt / und was dadurch verschuldet / urtheilen. Ab ea clausula cum appellaretur, visum est recipi non debere, quando gravaminis adhuc nihil haberet, (1) de qua judicatum nondum erat, sed adhuc judicandum. (2) Nihil gravaminis habet talis remissio ad ulteriorem cognitionem. (3) Per quam demum expendendum & judicandum erit, utrum & qualis sit injuria. Minimè hinc illata est, ut arguebatur, necessitas pro injuria habendi atque ita coercendi. (4) De quo integrum est ipsius arbitrium. Potuit ipse judex de ista statuere, (5) abnuens eò minùs culpandus est, si judicio peritiorum submisit. (6) Quid vero de eo statuet judex, futurum & incertum est, ideo appellationem nondum meretur, (7) sed exspectandum donec pronunciatio fiet. (8) *Ita decretum in causa Dieterich Bremern, contra den Regierungs-Rath Niclaus von Hopken, die 19. Aprilis Anno 1656.*

1. Non gravatus non appellat. *Franch. & Alexand. in c. ut debitus X. de Appellat.*

2. A futuro gravamine appellationi locus nondum est, *ut prolixe explicat Scacc. in tr. de appellat. quæst. 1. num. 101. & multis seq.*

3. Nihil habet præjudicii ad judicem non suspectum iri, à quo justa omnia ut à bono viro exspectanda sunt. Metus ab eo nullus nisi justi, qui non tantū non attenditur, *l. 2. §. 1. ff. quæmet. caus.* sed nec ad appellationem sufficit, *Scacc. in dict. quæst. 5. num. 2.*

4. Non

Digitized by Google

4. Non quidquid judicis potestati permittitur, submittitur juris necessitati *l. non quidquid 40. ff. de Judic.*

5. *Juxta ea quæ tradit Gail. 1. Observ. 39.*

6. Cum ratione fit, ut cum judici à partibus sunt conjecta convicia, ne per exacerbationem & affectuum incontinentiam injusta dixisse videantur, acta ad JCtos peregrinos pro concipienda sententia transmittant, illis vero injuriarum æstimationem simul committant. In mores ideo abiit decreto transmissionem addere, ut judex justa de iis pronunciare velit.

7. Quod futuri adhuc temporis, non pertinet ad judicium, *l. 1. §. fin. ff. de Usur.*

8. *Ita in simili loquitur Scaccia dict. quæst. 5. n. 107.*

DECISIO XCIV.

Ab arresto interposita appellatio post ejus relaxationem non est recipienda.

REjiciebatur appellatio ab arresto interposita, non quod ab eo appellare illicitum esset, (1) sed quia jam relaxatum fuerat. Ideo gravamen, quod per illud illatum appellans querebatur, sublatum & appellatio existincta. (2) Etsi enim (ut querebatur appellans, haud tamen per circumstantias reperiebatur) arrestum aliquid injuriæ habuisset, minimè id appellatione sed actione injuriarum vel aliis remediis fuit vindicandum: (3) Appellatione enim relaxatio tantum quæri & accipi potuit. (4) *In causa Ioannis à Lipfelden locum tenentis die 23. Iunii 1656.*

1. Praxis quotidiana est ab arrestis appellari & appellationem recipi *quo effectu alibi scriptum est.*

2. Non est appellatio sine gravamine, ideo hoc sublato etiam illa desinit accessat, *Scaccia de Appellat. quæst. 5. num. 17. Tiraquell. in cap. Cessante num. 41.*

3. Legitimis & cuique causæ appositis remediis oportet experiri. Paria sunt non agere & non rectè agere.

4. Appellatio non egreditur gravamen; hoc tantum cum justa est, corrigit, ultra vires non porrigit. *Bartol. in l. 1. num. 3. C. si adverss. libert.* Ideò si aliud quam in prima instantia in sententiam vel decretum venit, judex non attendit, sed quod ultra hoc est, ut impertinens ad suum forum remittit. *Scacc. dict. tract. quæst. 11. num. 17.*

DECISIO CXCV.

Appellatio à sententia quæ mercedis solutionem conductori injungit, quando non est recipienda.

INter eos casus, quando non est recipienda appellatio in jure communi, ille quidem non refertur, quando conductor ad solvendum mercedem condemnatur: attamen æquum est in tali istam non promiscuè recipi. Et quidem est de eo vel lege, statuto, (1) pactove (2) quicquam provisum, & hoc præprimis sequimur: vel res relicta est juris communis providentiæ; Et tunc aut exceptio legitima opposita est mercedis petitioni, qualis est in remissione pensionum ob sterilitatem belli similisve calamitatis, vel nihil tale venit in disputationem. Ubi exceptio vel oppositio in jure non est fundata, minimè audiendus est appellans. (3) At legitima opposita allegatione inspiciendum primò, an sit talis quæ per sententiam planè rejecta fuerit; an vero illa salva in ipsa executione, & post eam integra futura sit. In priori specie considerandum, an statim ex actis constat & male rejecta est à judice, tunc audiendus est appellans. (4) Ubi verò altioris indaginis est, tunc quidem admittetur appellatio, sed non aliter, quam quà effectum devolutivum, minimè vero quà suspensivum; (5) tum quod liquidum per objectionem illiquidi differri non debet; (6) tum quia mercedis pro rebus locatis solutio valdè favorabilis, è contra retentio odiosa est: (7) tum quia celerem expeditionem hoc genus causarum meretur: (8) tum quia ob mercedem processui executivo locus: (9) tum quia per alium modum satisdatione in casum victoriæ appellanti cautum esse potest, atque ita illi consulendum, interim debita merces non deneganda. (10) In altera specie, ubi non rejecta fuit ea oppositio, sententia est provisionalis potius quam definitiva, (11) ideo non appellatur. (12) Nec enim gravamen habetur, quod alia via facilè potest reparari. Hoc fuit consideratum *in causa Senatus Stralsundensis, contra Thomas Quinnes, die 28. Iulii anno* 1656.

1. Siquidem contractus cum Principe, qui vim legis habet, vel statutum à superiori approbatum appellationem excluserit, judex recipere non debet, *tot. tit. ff. & C. de Appellat. non recip.*

2. Pactis abdicatur appellatio, ideo deinde à judice non admittitur, *l. fin. §. fin. C. de Tempor. & reparat. appell.* Cammer-Gerichts-Ordnung *part. 2. tit. 28.*

3. Frivola est appellatio, cum nulli juri innitiatur appellantes contraria appellatio, eaque judice non est recipienda, *uti prolixè docet Cothmann. resp. 38. num 61. & mult. seq. vol. 1.*

4. Ubi justum appellantis apparet gravamen, ibi ne cuiquam fiat injuria, recipienda est appellatio.

5. *De hoc quadam prolixius exposui* in einem Bedencken über die Fragen zwischen dem Grund-Herren und *Pensionarien / quæst. 6. num. 577. & seq.*

6. *l. Statu liber 5. pr. ff. de statu liber.* Et in specie in controversia inter locatorem & conductorem, cum istius petitio ex contractu liquida, hujus in facto dubia est, ita procedendum esse monet, *Faber in Cod. lib. 4. tit. 41. defin. 4.*

7. *Bartol*

Digitized by Google

7. *Bartol. in l. ex conductionum. ff. Locat.*

8. Etiam propria authoritate conductorem non solventem expelli posse jure provisum, *l. quaro 54. §. 1. ib. gloss. Bartol. & Salycet ff. Locat.*

8. In quibus causis executivè proceditur, appellationem non habere effectum suspensivum, *in part. 1. Decisionum* expositum fuit.

10. In talibus sita prospici solet, ut nec differatur diu liquida petitio, nec tamen excludatur justa exceptio, *Costal. in l. in rebus 18. §. possunt ff. commod Schrader. de Feud. part. 2. part. 9 pr. sect. 2. num. 31. Neguzant. de Pignorib. part. 5. memb. 4. num. 10.*

11. *Ita statuit Faber in Cod. dict. defin. 4.*

12. *Scaccia de Appellat. quæst. 17. limit. 7. num. 3. seq. & limit. 6. memb. 2 sub num. 14.*

DECISIO CXCVI.

Appellatio aut & nullitatis querela frivola statim licet rejecta punitur tamen, ubi adversario non parùm nocuit.

QUæ frivolæ atque malitiosæ appellationis, ut & querelæ nullitatis pœna ex statuto vel judicis officio dictari solet, (1) regulariter quidem ob interpositam solam appellationem & propositam tantum querelam, non autem prosecutam locum non habet, ideò rejectio ejus, quæ sine alio processu fit, sine pœna fieri solet & debet. (2) Excipienda est tamen illa species, ubi adhibita ista remedia multum incommodi adversario intulerant, dum quæsita tantùm est justitiæ remora & per istam damna sensit, cujus valdè interfuit justa citius fieri. (3) Simile est, quando circa eam interpositionem multæ & longæ moræ & dilationes quæsitæ fuerunt, nullo alio fine, quàm ut executio diu differretur. (4) *Sic judicatum contra Iacob von Rammin, in causa D. Raphuns Wittwe, die 12. Iulii Anno 1656.*

1. Præter condemnationem in expensas, quæ regulariter frivolæ litis pœna est, solet malignè appellanti vel querulanti exordinaria dictari pœna. Id quod Ordinatione summi Tribunalis itidem cautum.

2. *Ita per plures rationes tradit, & judicatum refert Carpzov. decis. 50. per tot. part. 1.*

3. Est ob hæc incommoda eadem ratio prosecutæ frivolæ appellationis & cum protractione noxia interpositæ, ac saltem introductæ. Ideò simile jus dictandum. Non debet impunis esse in judiciis malitia quandocunque reperta.

4. Inter ea quæ in litigiis maximè improba, ideò à judice bono coercenda sunt, nihil est, quod æquius punitur quàm remora processus, multò magis post illum executionis.

DECISIO CXCVII.

Inhibitio limitanda & restringenda est ad ea, quæ sub lite in secunda instantia remanent, ideo separanda sunt abista, quæ non amplius controversa.

DEbitor à sententia judicis, quod supra alterum tantum condemnatur & amplius quàm statuto provinciali moratorio oportebat solvere jussus erat, provocavit, ex quo pars altera debiti in litem veniebat, reliquum extra controversiam erat. Quando autem quæ de altero tanto proferebantur, gravamina merebantur admitti, ut in jure atque moribus fundata, haud vero totam causam concernebant, sed saltem partem debiti, non sine ratione placuit non indefinitè decerni, sed ad controversiam restringi appellatorios processus, præsertim inhibitionem, liberasque non modo manus in eo quod in lite non erat judici relinquendas, sed etiam declarandum expressè adhoc inhibitionem non pertinere. Etsi enim appellatio suspendit vim sententiæ ligatque judicis à quo manus, id tamen non ultra facit quam cujus causa appellatum. (1) Sicut enim aliàs liquidum ab illiquido separandum nec permittendum, ut ob illiquidum suspendatur executio liquidi, (2) ita etiam in appellationibus per inhibitionem non est prohibenda aut impedienda. (3) Tendunt enim ista ad iniquitatis emendationem, non ad justi remoram. Et licet alicui videri potuit non ideo opus esse limitatè inhibitionem facere, cum etiam sine restrictione ista judici à quo circa id, de quo non appellatum, manus liberæ sint & exequi non prohibitum. (4) Præstantius tamen ad avertendum dubium & litem, quæ obtentu appellationis parti movere possit hac declarare, (5) atque ista obstaculum omne statim amputare. (6) *Sic conclusum ad preces Otto Eichstedten contra Valentin Eichstedten, die 9. Septembris Anno 1656.*

1. *Lancellot. de attentat. part. 2. cap. 12. lim. 1. num. 17.*

2. *l. Statu liber 5. pr. ff. de Statulib.*

3. Inhibitio non debet extendi ad alium articulum litis, quam in quo appellatur & qui per appellationem ad judicem superiorem devolvitur. *Franch. in c. super eo num. 5. de Appellat.*

4. Sic quidem communior rectiorque habet JCtorum sententia, plures tamen aliter sentire & de eo controversiam superesse apparet ex iis quæ scribit *Scaccia in tr. de appellat. quæst. 17. limit. 47. memb. 2. num. 27. Lancellot. de Attentat. dict. cap. 12. num. 36. seq.*

5. Quis non putabit judicem superiorem prudenter & utiliter facere, juxtim & officio suo condigne, si id quod controversum statim amputat & judicem à quo certum reddit, quid securè possit.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO CXCVIII.

Ob exercitam jurisdictionem incompetentem non recipienda est appellatio, nisi prius facta & rejecta est intervention.

A Decreto Regiminis Regii, per quod Senatus pro inhibitione jurisdictionis in causa infanticidii ab ancilla olim militis in urbe jam habitantis commissi supplicans ad judicium militare remissus erat, appellatione interposita stetit quidem sententia militaris fori non esse eam causam sed judicii urbani. At appellationem nondum admittendam esse juxtim existimabatur. Nondum enim erat appellans Senatus per Decretum Regiminis gravatus. (1) Etsi enim militaris judex inquisitionem cœperat, inhibitionem petitam Regimen negaverat, tamen inde nec illi jurisdictio confirmata nec huic negata, tantum si Senatui justa de isto querela esset, ad judicem illum remissus fuerat. (2) Coram hoc oportuit urbanum Magistratum pro suo interesse intervenire. (3) Hujus verò fuit de sua jurisdictione & an competens judex sit cognoscere. (4) Illud negligens sibi imputare debet, non de hoc queri, qui legitima contradictione non interruptam jurisdictionem suam contineat. (5) Quando itaque coram hoc oportuit interveniendo allegationes facere, & quid faciet exspectare, nihil injusti fecit, qui allegationem fori non competentis ad judicium cœptum per decretum remisit, eo magis quod ille nec super jurisdictione illa competens fuit. *Ad instantiam senatus stetinensis die 19. Septembr. 1656.*

1. Gravamen est causa & fundamentum appellationis. Non gravatus non appellat, *uti sæpius inter Decisiones nostras allegatur.*

2. Remissio causæ ad judicem non aufert fori non competentis exceptionem.

3. Is modus jurisdictionem defendendi est, cum alii incongruè ad forum sium causam trahitur interventione doceatur incompetens jurisdictio, & sua ob oculos ponatur. Si quidem attenditur illa & causa remittitur, non opus est appellatione: si verò rejicitur, tunc demum hæc congrua & necessaria est, *juxta ea quæ habet Gail. 1. Observ. 126.*

4. *l. si quis ex aliena 5. ff. de Iudic.*

5. *l. C. de Iurisdict.*

6. *Gloss. & Bartol. in dict. l. si quis ex aliena.*

DECISIO CXCIX.

Exceptio transactionis, & rei judicatæ non obstat appellationi, quæ est super quanto & calculo ex istis debiti.

QUando de debito judicatum & conventum fuerat, si id ipsum quod judicato & transactione continebatur, in litem revocaretur, ex istis exceptio appellationem non devolvi efficere poterat. (1) At sicut nihil controversiæ adversus ista se movere appellans obtestabatur, solummodo in litem venerat, quantum juxta judicatum & transactionem deberetur, de eo calculus non ritè ductus argueretur, non potuit appellatio istis exceptionibus tanquam punctum non controversum non concernentibus excludere. (2) Agebatur etiam inter alias personas, quibus cum transactum fuerat. (3) Erat lis non cum ipsismet, sed cum fidejussore, qui mandati actione experiebatur ad repetendum solutum, cui opponebatur ex transactione ità solvi non debuisse. (4) Rejecta ideo non devolutæ appellationis exceptio *in causa Philip Gutzlaff Rottermundes contra Ægidium von der Osten, die 8. Octobris Anno 1656.*

1. Utraque hæc litis finitæ est exceptio tam transactionis, *Decius in l. fratris num. 10. C. de Transact.* quam rei judicatæ, *l. ff. de re jud. c. 1. de Lit conteſt. in 6.* litis ingressum impedit similemque vim habet *l. non minorem 20. C. de Transact.*

2. Cum alia causa venit in judicium aliave disputatur quæstio, ac de quâ transactum vel judicatum, nec judicati, *l. de eadem 5. l. si quis cum 7. §. & generaliter 4. ff de Except. rei jud.* nec transactionis exceptio obstat. *l. si ita quis 135. §. fin ff. de Verb. Obligat.* Similiter nec diversa res locum isti facit. *l. cum queritur 12. seq. ff. de Except. rei jud. l. qui cum tutoribus §. transactio ff. de Transact. l. 3. C. eod.*

3. *l. 1. l. 2. C. res int. al. act.*

4. Diversum actionis genus excludit transactionis exceptionem, etsi de eadem re sit, modo idem petatur quod transactione remissum. *Donell. & Castrens. in d. l. si ita quis 4.*

DECISIO CC.

Transmissionis actorum petitæ ac omissæ causa non recipienda à sententia sine ea pronunciata appellatio, ubi aliàs nihil gravaminis appareat.

REcipitur à negata actorum ad Collegium JCtorum transmissione appellatio, (1) at non perinde à sententia, sine ea per judicem jam pronunciata. (2) Si enim aliàs ea justa aut quod contra eam profertur, gravamen plane nullius momenti nec in jure fundatum fuerit, non recipienda est appellatio sine gravamine, (3) aut tali quod processum tantum concernit, non causæ merita hisque nihil præjudicii infert. (4) Multò minus verò, ubi nihil gravaminis aut quod transmissionem fieri interfuit allegatur. *Ita decretum in causa Nicolaus Demelii, contra Obrist-Leutenant Iohann Lipfeld, die 18. Octobris Anno 1656.*

1. *Uti hoc ita observatum juxta decisionem part. 1.*

Digitized by Google

2. Post hanc re non amplius integrâ non æquè finit in altero casu solitum remedium.

3. Gravamen est appellationis unica casu. Non gravatus non appellat, nec appellans audiendus est. *Scaccia de Appellat. quæst. num. 95. seq.*

4. In superiori instantia non attenduntur nullitates quæ non afficiunt causæ merita, sed quod circa hæc factum subsistit illis non attentis, *ut sæpè monuimus.*

DECISIO CCI.

In casibus ubi locus non est appellationi, rectè repudiatur petita revisio.

REvisio actorum ultimo loco concessa litigantibus imitatur appellationem, (1) idcirco ubi ex causæ natura per jus commune aut statutum locum non habet appellatio, ibi nec admittitur revisio, (2) ad quam nisi mediante appellatione deveniri non potest. (3) Pro regulâ itaque justè assumitur, quoties judex inferior potest non deferre appellationi ad superiorem, seu dare Apostolos refutatorios, eodm à superiori rectè negari revisionem. (4) Quando itaque ad istam non admittitur, quia ob manifestam contumaciam condemnatus est, aut ob desertionem appellationis jure excidit, sic nec admittendus est ad revisionem. (5) *Sicut judicatum in causa Israel Erdmanns, contra Michael Malchins creditores, die 31. Octobr. Anno 1650.*

1. Succedit in locum illius, ideo & naturam ejus imitatur. *vid. Heig. quæst. 10. num. 64. part. 1.*

Quando per excellentiam judicis non est locus appellationi, succedit revisio. At ubi per jus commune vel statutum ex natura aut qualitate causæ non admittitur appellatio, ibi excluditur quoque revisio, *quod late exponit Scaccia de Appellat. quæst. 19. remed. 3. num. 1. & seq.*

3. Ubi media non admittuntur, censentur prohibita aut exclusa extrema.

4. In surrogato idem jus est, quod est in eo, cujus loco surrogatur.

5. Ita hoc remedium contumaci, ut & desertori appellationis non permittendum, in terminis concludit *Scaccia dict. remed. 3. num. 11. & 12.*

DECISIO CCII.

Ex obtentu famæ periculi ob rem minimam non est locus appellationi; si actio non est famosa.

QUæ alias ob rem minimam non admittitur appellatio, (1) potest locum invenire, ubi isti accedit, quod causam quæ est de re levi magni precii facit, (2) veluti ubi fama appellantis ex lite & sententia periclitatur. (3) At ita demum, si quæ intentata est actio, famosa fuerit. (4) Siquidem alio actum fuerit, non eò trahenda est condemnatio, ut infamiam irroget, quæ etiam alias non sequitur ex sententia, nisi cum judicium est famosum, aut causa subest quæ infamat. (5) Quocirca quod ille, qui de porco restituendo rei vindicatione vel condictione conventus & condemnatus appellans diceret, inde se furti tacite fuisse incusatum, & de restituendo damnatum ejus suspectum fore, minimè sufficiens visum ut admitteretur appellatio, (6) quando ex tali actione non irrogatur infamia. (7) *In causa Dieterich Garlip, contra Baltzar Horn, die 10. Iulii Anno 1655.*

1. *Vid. Scacc. in tr. de Appell. quæst. 17. limit. 40 num. 1. & seq.*

2. Permittendum non est, ut ex re minima causæ majori fiat præjudicium. *l. l. scio 4. ff. de restit. in integr.* Quod si exoritur, non spectatur res minima, sed quod ex ea rei majori præjudicium consequitur. *l. rei majoris 21. ff de Except.*

3. Fama nihil preciosius, quæ & vitæ æquiparatur. *l. justa 9. ff. de manum. vindict.*

4. *l. 2. ib. gloss. & Dd. C. ex quib. caus. infam.*

5. Non judicium aut supplicium infamat, sed causa propter quam id pati meruit, si ea fuit quæ infamiam irrogat. *l. Ictus 22. ff. de his qui not. infam.*

6. Non sufficit ad infamiam, ut quis furti arguatur, sed condemnatio necessaria est, *l. 2. C. ex quib. causis infam. irrog.* Extra genus actionis est ea collectio vel consequentia, quæ non attenditur. *l. quidergo 13. §. quantum 6. ff. eod.*

7. Cessat ignominia in condictionibus, etsi ex famosa causa descendunt. *l. cessat 36. ff. de Oblig. & act.*

DECISIO CCIII.

Appellationi non obstat statutum, cum hujus nullitas vel iniquitas arguitur.

QUod dicitur Statutum generale excludere appellationem, (1) ad eam speciem porrigi non potest, cum statutum dicitur nullum, (2) aut in observantiam non devenerit. (3) Similiter si ex rationibus quibusdam iniquitatis arguitur, & non sine causa legitimâ dubitatur, an justum & validum sit? (4) Tunc non modo à sententia super tali statuto lata, sed etiam ab ipso statuto licita est appellatio, (5) nec ullo tempore excluditur. (6) Etiam in ea specie admittitur, si statutum tendit ad tollendum libertatem veterem, & quod omnium commune jus fuit. (7) *In causa Bernardi Campen contra die gevvandschneider Wismaria die 2. Decemb. Anno 1656.*

1. *Bartol. in l. ult. num. 3. ff. de Appellat. recip. Bald. in l. quisquis num. 2. C. quor. appell. non recip. Tholosan. in tract. de Appellat. lib. 2. cap. 22. num. 1. & 3.*

2. *Covarruv. in c. possessor. part. 2. §. 4. num. 7.*

3. Obser-

Digitized by Google

3. Observantia statuti anima & vita est, quæ si negatur locus est appellationi à decreto quod illam præsupponit. *Ruginell. in tr. de Ap. §. 2. cap. 3. n. 891.*

4. *Ruginell. de cap. 3. num. 889.*

5. *Covarruv. dict. c. possessor. part. 2. §. 4. num. 7 Tholosand. cap. 42.*

6. Iniquitas statuti nunquam transit in rem judicatam, nec excludit unquam petitionem retractationis. *Franch. in cap. consuluit. 29. ill. 3. n. 5. de Appell.*

7. *Covarruv. in loc jam. citat.*

DECISIO CCIV.

Appellatio in his quæ publico libro civitatis dem Statbuch inscripta sunt quando admittitur.

Appellationi interpositæ intercedebat senatus civitatis Exceptione ejus non devolutæ opposita, ideo editionem actorum recusans, quoniam de illo actu res erat, qui libro civitatis inscriptus perpetuam & irrevocabilem firmitatem habere & retinere debebat; (1) in quibus litibus, non appellandum esse peculiari recessu inter Principem & civitatem inito per S. Reg. Majestatem confirmato juxtim provisum fuerat. (2) At existimatum fuit, hoc pertinere ad illas quæstiones, quæ sunt de validitate, solennitate & forma actuum, & ubi de his dubitatio vel disputatio movetur. Haud extendendum ad illas, quæ de intellectu atque interpretatione inscriptorum aut aliis circumstantiis istis tamen salvis moventur, (3) de quibus exorta contentione ut judicialis est processus & decisio ita non est excludenda appellatio. (4) Deinde creditum est robur quod ex inscriptione in librum publicum actui accedit, ita accipiendum esse, sicut convenit actus naturæ. (5) Quare si ideo quod donatio mortis causa, quæ naturaliter revocabilis est, revocata fuit, at sententia revocationem improbavit, appellatum fuerit, appellans audiendus est, quia nihil contra librum publicum disputabat, actum inscriptum non impugnabat, sed juxta ejus naturam omnia servari postulabat. (6) Tertio etiam ita istam providentiam accepimus, si legitimè inscriptio facta fuerit, in quo manifestus defectus facit, ut pro inscripto non habeatur, (7) ideo impugnatio integra nec appellatio prohibita. (8) Hinc evehit ibidem circa donationem mortis causa, quam ideo quod libro publico inscripta fuit, non magis servari convenit, cum substantialia requisita deficiunt, quod ipsa donatrix eam non fecit coram Senatu seu actis, sed alius tantum scripturam exhibuit? (9) de cujus mandato dubitatur: ut & quod nec donatarius, cum fieret, affuit. (10) Rejecta est intercessio per decretum die (5) Februarii Anno 1618.

1. *Juxta providentiam Juris Lubecensis artic. 1. tit. 6. lit. 5.*

2. Sic de eo habet litera Recessus peculiaris.

3. *Talia sub statuto non comprehendi scriptum videas in Comment. ad dict. artic. 1. num. 36.*

4. Odiosa est appellationis exclusio, ideo si statuto continetur, stricte nec ultra literam & speciem expressam extendenda. *Bartol. in l. 1. ff. de Appellat.*

5. Naturam actus non mutat inscriptio, sed facit valere, ut naturaliter valere potest.

6. Hic appellans manifesto jure nitebatur, per quod donationē mortis causa utut solenniter confectam revocare semper integrum, & naturæ ejus, dum instar ultimæ voluntatis habet, conveniens est. *l. ita donatus 27. ff de Mort. caus. Donat. l. fin. C. eod.*

7. Pariā sunt non fieri & non rite seu legitimè factum esse. *l. quoties 6. ff. qui jurisd. cog.*

8. Ita à dicta dispositione Juris Lubecensis exceptos esse actus multos demonstravi *in Comment. ad dict. artic. 1. num. 33. seq.*

9. Cum actus apud acta fieri debet, necessaria est facientis præsentia, alias non valet.

10. *l. Inter 38. ff. de mort. caus. donat. Clarus in §. Donatio quæst.*

DECISIO CCV.

Resignatio debiti die Loßkündigung *ex pacto non est necessaria, cum debitor non observat pactum.*

Quod in rerum creditarum promissionibus frequens est, ut Resignatio crediti eine Loßkündigung determinetur, daß ein halb oder viertel Jahr zuvor die Loßkündigung geschehe / non eam hujus necessitatem infert, ut sine discrimine præcedere debeat, servata sint pacta necne, sed eam tacitam conditionem habet, si observentur cætera quæ sunt promissa & debita. (1) ex non observantia debiti sub usuris contracti, veluti si non solvantur quotannis justo tempore usuræ promissæ, desinit ea necessitas & jus agendi oritur. (2) Similiter etiam si per mutatam debitoris conditionem atque facultatum statum in periculo sit creditor, nec omissa matura exactione inanis fiat actio. (3) Ubi & quæ justa experiendi causa alia erit non potest excipi nondum esse definito tempore resignatum. Inde ob hujus omissionē quia causa apparuit, appellationi haud relinquendus erat locus. *Uti decretum ad preces Nicolai Kunsten contra Hinrich Dickhoffe & consortes die 20. Sept. An. 1653.*

1. Hæc conditio inest omnibus pactis si & altera pars impleverit. Verisimile est ita conveniſſe, si & alter ut oportet egerit. *l. quæro 54. §. ff. locat.*

2. Si de perfidia prioris positum aliquid dici, danda est, actio *l. 3. §. si tamen 13. ff. de lib. hom. exhib.*

3. Si debitor bonis labitur vel de fuga suspectus est, vel metus est perituri debiti, non modo, ut caveatur, sed etsi cautum non sit, ut solvatur. *vid. Cothmann resp. 18. num. 147. seq. Hæc faciunt scripta ad jus Lubecens. lib. 3. tit. 1. artic. 8. num. 15. seq. & tit. 5. artic. 6. l. 3.*

Digitized by Google

TIT. LXVI.

SI PENDENTE APPELlatione mors interv enerit.

DECISIO I.

Notorium impedimentum non efficit quominus appellatio deserta fiat, si animus non prosequendi aliunde colligitur.

QUando inter bellorum turbas frequens erat in judicio vel de non labendis fatalibus, protestatio vel labentium prorogatio, accedebat, ut post interpositam appellationem nec protestatione facta, nec prorogatione petita effluxis aliquot juridicarum terminis adversa pars obnon intra tempus Ordinationis prosecutam appellationem super desertione pronunciari instantes flagitaret. Nota ex bello in Ducatu Bremensi lites prosequendi impedimenta, quibus sæpe tum tribuebatur dilatio, dubitationem movebant, quod notoria etiam non allegata judex attendere deberet, (1) nec in notorio impedimento protestatione opus esset. (2) At consideratio vice versa quod etsi belli calamitates in eo loco non erant incognitæ, tamen id certum non erat & illas appellanti fuisse impedimento; (3) Deinde quod cum per procuratorem, quem in judicio habebat, moram prosequendi excusare potuisset, tamen non fecisset, nec unum sed plures juridicas tacendo præbuisset; nec tamen difficile erat nedum impossibile impedimentum allegare, protestari aut prorogationem petere, (4) atque ita argumenta adessent, nolle appellantem prosecutione defungi, (5) concluſum est non eo minus illum desertorem habendum & pronunciandum esse. *In causa der Schulten contra Benedict und Dieterich Bremer, die 20. Ianuarii Anno 1658.*

1. Non egent allegatione notoria *Felin. in cap. cum ordinem. num. 11. de Rescript.* sed si Judici de iis cor stat, proprio motu attendere debet *Curt. Junior. tit. 1. sixtus §. pactus. num. 106 ff. de Pact.*

2. *Fruchius in 2. ex ratione num. 1. de Appellat. Marantha in Specul. part. 6. act. 2. princip. num. 230.* Idque potissimum obtinet impedimento ex casu fortuito orto *Sf. Odd. in tr. de Restit. integr. quæst. 28. artic. 2. num. 7.*

3. Non sufficit ad sistendum lapsum fatalium, ut publice casus universalis effligat, sed ut etiam appellantem impediat, constare debet. Ipsi enim impedito tantum non labuntur fatalia.

4. Impedimentum quod superabile est non proficit. *Sf. Odd. dict. quæst. 28. artic. 4. sub num. 25.*

5. Quando ex probabilibus indiciis atque conjecturis dubitatur, animum impediti fuisse etiam non obstante impedimento, non prosequi, sine protestatione præcisè in dubio necessaria tempus labitur & appellatio sit deserta. *Sf. Odd. tr. quæst. 28. artic. 1. sub. numer. 4. Scaccia in tr. de Appellat. quæst. 15. num. 184.*

In hac causa sic pronunciatum.

In Sachen Ortgies und dessen Gebrüder der Schulten / auch Herman Schulten Seel. Kinder zum Holtenklincken appellanten / wider Benedict und Dieterich die Bremer Appellaten / wird die Appellatio desert befunden und erkläret / auch Appellanten in die verursachete Kosten dem Gegentheil condemniret, Von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar / den 25. Jan. Anno 1658.

(Hoc est)

In causa Origtes & ejus fratrum Schulten ac Hermanni Schulten liberorum ad Holtenklincken appellantium contra Benedictum & Dietherum Bremer appellatos, appellationem desertam declaramus ac appellantes in expensarum causatarum refusionem parti adversæ condemnamus. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 25. Januarii Anno 1658.

DECISIO II.

Non sufficit impedimentum ad prorogationem fatalium, nisi accedit ejus removendi diligentia.

OB impedimentum, per quod non licet prosequi appellationem, impetrari solet à judice fatalium prorogatio. At non sufficit ejus allegatio aut demonstratio sed oportet simul docere in eo removendo diligentiam, (1) præsertim quando illud ita comparatum ut removeri possit. (2) Nec enim id vere pro impedimento haberur, cum est evitabile vel mobile per factum appellantium. Est enim quod inevitabile saltem justa prorogandi causa (3) Quando autem incumbit appellantibus omne possibile studium pro observandis fatalibus, utique debet nihil nõ facere ad amoliendũ impedimentum, (4) idque pro obtinenda prorogatione simul demonstrandum cum labuntur. (5) Quod cum per decretum injunctum, non tamen factum esset, eo minus prorogatio decernenda, sed appellatio post lapsum termini pro deserta habenda fuit, *uti conclusum in causa Decani Laurentii Langermans, contra Georg. Barsenium die 13. Mart. An. 1658.*

1. Eo pertinet consueta partium vel procuratorum de non labendis fatalibus protestatio cum allegatione suæ diligentiæ, Eaque non una sed pluribus vicibus necessaria. *Gail 1. Observ. 141. num 9. 11. 12.* Ejusmodi impedimentum velut affectatum non proficit, quod facile potest removeri. Eo quisquam impeditus non habetur. *l. qui potest 135. ff. de Reg. Iur Bald. in l. sed nec ad eos ff. Ex quib. caus. major.*

3. *Scacc. de Appellat. quæst. 15. num. 34.*

4. Non agens agenda pro amovendo impedimento dicitur volens pati, ideo non excusatur *l. quibus ib. Bald. ff. de Condit. & Demonstrat.*

5. Duo

Digitized by Google

5. Duo hæc pro impetranda fatalium prorogatione non tantum allegare sed etiam probare oportet, impedimentum nempe & hoc removendi studium. Nec satis illud probare, nisi etiam hoc doceatur. *de Puteo in decis. 327. num. 4. lib. 2. Gail. 1. Observ. 143. num. 3.*

DECISIO III.

Impedimentum non excusat diutius quam durat.

PEr rescriptum commendabatur judici à quo appellans, ut gratia fieret præstationis juramenti personalis ob senium, itinerum difficultatem & sub bello intuta. Recusabat autem iste locum relinquere commendationi & ex illo differebatur causâ, intercedebat autem mutatio rationum, quæ ad illam commovebant, quod pace composita & ingruente vere cessarent, nec senium obesse poterat ei qui ulteriora itinera fecisset. Fretus autem fortè rescripto appellans nihil fecit aut docuit pertinens ad prosecutionem appellationis, interim lapsis fatalibus & postea urgente appellato ut deserta pronunciaretur appellatio, quæsitum an huic locus sit. Præterquam quod istis durantibus nihil diligentiæ edoctum fuit, aut apparuit, existimatum est non proficere posse ulterius ex impedimento indultum, ubi jam cessaret & satis temporis ad justa præstandum haberet. (1) Cujus effectus non posset non desinere cum sua causa. (2) Quando itaque post hujus finem labi cæperunt fatalia & post lapsum jus alteri quæsitum auferri nequit, (3) non potuit non deserta pronunciari. *In eadem causa.*

1. *Decius in c. ex ratione num. 58. de Appellat. Oldrad. Consil. 60. num. 3.*

2. Cessante impedimento desinit ejus effectus. Ideo non sufficit impedimenti probatio nisi etiam probetur post illud remotum non fuisse in mora *Gail. 1. Observ. 143. num. 2.*

3. Ex lapsu fatalium sententia vires rei judicatæ nanciscitur, inde jus plenum quæritur alteri parti, quod non potest eidem demi, nisi restitutione in integrum impetrata. *Bart. in l. Præses C. de Appellat.*

DECISIO IV.

Mors appellantis meretur fatalium prorogationem, sed non ultra tempora hæreditatis additionem præstituta, nisi alio accedente impedimento.

APpellantis viduæ & proximi consanguinei nomine prorogatio fatalium rogata atque impetrata erat, quod iste mox post appellationem interpositam vitâ discesserat. (1) Elapsô verò termino prorogationis iterum pro illa fiebat instantia, at post tempora quæ hæredum immixtioni vel additioni sunt præstituta. (2) Haud tunc ultra sola mors sufficit ad differendas petitiones creditorum vel aliorum, quibus justa actio est. (3) Sicuti non accesserint alia impedimenta quæ prorogationem merentur, (4) utique appellatio pro deserta habenda & pronunciandum est, causam judicis prioris ulteriori processui relinquendam esse. *Vti factum in causa Baron von, und in Kniphausen, contra Evvervvin von Stetten, die 25. Maij An. 1655.*

1. Post mortem aliquamdiu quiescunt actiones, donec hæres deliberat, vel inventarium conficit, *l. fin. §. donec autem in C. de jur. delib.* in illo intervallo nec judicati executio fieri potest, *Bart. in d. §. donec num. 1. & 2. Chassan. in consuet. Burgund. rub. 8. des successions §. 13. verb. femmes num. 12.* Ideo ut lapsus fatalis appellationi præfixus non currit hæreditati jacenti, ita nec hæredi, cui quatuor mensium adhuc indulgetur spacium à tempore additionis. *l. fin. C. si pend. appell. mors interven.*

2. *De quib. vid. in d. l. fin. §. fin. autem dubius 2. C. de Iur. delib. Coler. de Process. Executiv. part. 2. cap. 3. num. 393. & seq.*

3. Præfixo per leges hæredibus ad prosequendam appellationem certo tempore consequens, ut post illud appellans sit exclusus. Termini legales sunt peremptorii.

4. Ex accessu aliorum impedimentorum locus fit æquitati prorogationis.

DECISIO V.

Hæres actoris sine nova citatione litem prosequitur: hæres rei autem, quod ad reassumendum non est citatus, appellandi causam non habet, quamdiu res integra est.

MOrtuô tam actore quam reo, cum illius hæres litem à defuncto cœptam prosequeretur, hujus verò hæredes per decretum litem reassumere jussi erant; ab his ad superius judicium provocabatur; duplici ex causa. Primò, quod ab actoris hærede nondum rogata aut impetrata erat ad videndum resumi litem citatio. Secundò, quod ad reassumendam litem ipsi ut hæredes rei non erant citati. At perperam. Utrumque non sic habitum est necessarium, ut sine eo processus nullus sit. Primum jus commune non requirit, (1) sed ex eo hæres tanquam una cum defuncto persona litem eandem agere intelligitur. (2) Nisi ita speciatim alicubi judicio ordinario requiritur, non est opus ad videndum ab actoris hærede resumi citationem. Secundum verò est quidem judicialis consuetudinis, cui per Constitutionem Imperii non ultra derogatum est, quam cum quis Procuratorem pro se & hæredibus in judicio constituit. [3] At non tantæ necessitatis illa res unquam facta est, ut etiam tunc, cum citandi nihil interest, ob omissam citationem decretum sit

Digitized by Google

nullum ; (4) Veluti si nihil actum sit, ex quo incommodum hæredes sentient, multò minus si per decretum injuncta est reassumptio. (5) Æquipollet hoc citationi. Etsi non eandem formulam, eundem tamen finem & effectum habet. (6) Sufficit innotescere hæredibus, in quo statu causa sit, & quod adversa pars reassumi petit, judex injungit. (7) Quod omittitur, in modo situm est, qui potius ad subtilitatem & ordinem processus, quam ad causæ necessitatem pertinet, ideò circa appellationem non attenditur. (8) Quæ ideò non omissa fuit. *In causa Christiani Petri Tadèn contra viduam & hæredes Henrici Heind die 24. Aprilis Anno 1656.*

1. Sine legiloqui erubescimus, *Novell. 18. cap. 2.* ita multo magis in actione quædam requirere abstinemus. Ex ista quippe agendum, *l. 2. §. nunc videamus ff. de Orig. Jur.*

2. Transit lis à defuncto cœpta in hæredem, sine alio facto, per solam successionem, seu JCti phrasis habet, instantia in hæredem transmittitur ipso jure activè & passivè, *l. si operarum 29. ff. de Oper. libert. l. Lucius 78. §. pen. ff. ad C. Trebellian. l hares 19. ff. de Judic. l. si. cum 13. ff. de Fidejussor.*

3. Non ex lege sed ex consuetudine cœpit, ut hæredes ad litem reassumendam citentur, *Gail. 1. Observ. 109. num. 6. seq.*

4. *De quo vid.* R. A. zu Regenspurg *de An. 1654.* §. Damit auch zum vierten ꝛc.

5. Non est de formâ & substantia judicii ea ad reassumendam litem citatio, quam prorsus abrogari ex usu judiciorum fore monet, *Gail. 1. Observ. 109. num. 7.*

6. Ex æquipollentibus quid fiat, non refert, *l. pen. ff. Mandat.* sufficit obtineri finem.

7. Citatio supervacua est, ubi alia ratione scitur & injungitur, quo opus est, nec tunc omissa vitiat processum : *Uti per plures species exponunt Tiraq. in tit. Resinter alios act. Maranth. in Pract. tit. de Citat. num. 3 seq. Anton. Gabriel. comm. conclus. 130. Asin. in Prax. §. 7. C. 5.*

8. Huc facit sæpius monitum, in superiori judicio non attendi nullitates, quæ non obstant causæ meritis, ideo ob omissa talia, quæ ad hæc nihil faciunt, appellationes non admitti, ne lites frustra protrahantur.

DECISIO VI.

Allegatio mortis quæ finit causam, sistit processum judicii.

QUando pendente lite allegatur mors alterius litigantium, aut sub lite est quod per mortem desinet, veluti cum agitur de jure personali aut de de debito quod mors finit, quale est ex vinculo connubiali: aut verò materia litis perpetua est ad hæredes transiens. In priori specie allegata mors alteruttius litigantium sistit eatenus processum, ut non amplius prior causa agatur, (1) sed allegatæ mortis exceptio peremptoria admittatur injuncta probatione eique præfigendo terminum. (2) Altero verò casu non sistitur nec retardatur processus judiciarius. Etsi enim jure communi mandatum finitur morte mandatarii, (3) ideoque exspirat potestas procuratoris, attamen haud prius id ob hoc allegari potest, nisi probata si mul morte principalis, (4) quam si adversa pars negaverit, pergendum in lite. Ordinatione autem judiciaria summi Tribunalis Regiâ expresse provisum, ut mandata morte non desinant, nec tela judicii per hanc abrumpatur aut retardetur. Sic consideratum *in causa Rittmeisters Broberger, contra uxorem, die 24. Octobris Anno 1656.*

1. Id enim exstinctâ per mortem causa inane ac superfluum est, cui immorari non decet, *l. quisquis 15. C. de rescind. Vendit.* & licet adhuc mors dubia sit, præstat tamen quod præjudicium causæ faciat prius discutere, quam interea supervacuè litigare.

2. Quando post litem contestatam incidit, quod perimit litem & parit exceptionem peremptoriam, id præterimo contra solitum ordinem judiciorum admittitur. *C. insinuante 25. X. de Offic. de ligat. Cart. Jun. in l. 2. §. 1. num. 19. ff de Judic. Felin. in C. Pastoralis num. 17. de excep.*

3. *l. inter causas 26. pr. ff. Mandat.*

4. Mors non præsumitur, sed eam allegans probare debet, *Menoch. de Præsumpt. lib. 2. præs. 83 num. 6.*

TIT. LXVIII.

SI UNUS EX PLURIBUS Appellaverit.

DECISIO I.

Appellatio unius consortis proficit cum alteri, qui appellavit, at deseruit.

VNius appellationem in communi causa prodesse etiam alteri certo juste constitutum est, (1) id vero non tantum obtinebit quà eos, qui plane non appellaverunt, sed etiam iis proficit, qui appellarunt, (2) & appellationem justo tempore prosecuti non sunt, inde desertæ istius appellationis Rei facti. (3) Manet quippe etiam post eam separatam appellationem jus intervenienti pro interesse suo, quod tacita illa per desertionem appellationis abdicatione non amittitur. (4) Superest etiam jus continentiæ causæ ex individuo jure actionis (5) per quam unius victoria alteri etiam nihil agenti conducit, (6) multo magis, ubi jus suum cum isto prosequitur. (7) Etsi itaque utroque consorte appellante videri posset alterius appellationem justo tempore non introductam non recipiendam esse, tamen supervacuum visum de eo ulterius sollicitum esse,

(8) cum

Digitized by Google

(8) cum nihil ipsi sit obfuturum. (9) *In causa Ludolff à Sangerhausen, contra viduam Otto Heinrich Brobergen, die 27. Febr. An. 1660.*

1. l. 1. & 2. C. si un. ex plur. consort. Appellat.

2. l. si qui separatim §. fin. ff. de appell. c. pen. X. eod.

3. Unius appellationem alteri non proficere, qui & ipse appellavit atque succubuit, aliqui putant *vid. Felin. in cap. cum super ibi Panorm num. 4. & 10. X. de sent. & re judic.* At contrarium videtur *Mindano lib. 3. de contin. caus. cap. 16. num. 3.* & quidem veriori sententia, dum ex universis beneficiis unius abdicatio aut omissio non removeat aliud, nec electione unius exclusum sit alterum, si ex diverso jure oritur. Desertio tollit saltem propriam appellationem, non excludit usum alterius. Cum vel ideò illa deserta esse queat, quod ob hujus fructum supervacua sit. Loquuntur etiam, qui contra sentiunt de eo, qui succumbit non de eo, qui tantum deserit.

4. Vid. Mindan. dict cap. 16. num. 9. ubi pulchre hoc jus interventionis exponit.

5. Idem negotium eadem causa defensionis facit, ut individua sit causa appellationis *d. c. pen. de Appellat.*

6. d. l. si qui separatim §. fin. de Appellat. l. 2. C si un. ex plur. consort.

7. Etsi enim appellans consors deserat appellationem vel transigat, alteri non appellanti, aut non introducenti justo tempore remanet ea integra. *Panorm. in d. c. pen. num. 5. Speculat de Appellat. §. 1. num. 12.*

8. Supervacuum est examen de eo quod in lite nihil prodest aut nocet *l. 2. ff. de hared. & act. vend.*

9. Cujus exemplum *vide apud Mindan. d. cap. 16. num. 1. in fine*

DECISIO II.

Post appellationem unius creditoris in concursu plurium non est decernenda inhibitio, nisi visis actis & causa prius cognita.

POst appellationem à sententia prioritatis inter plures creditores latâ ab uno interpositam, circa decernendos processus dubitatio de inhibitione exorta est. Et cum regulariter in causis appellationum decernatur, (1) nulloque expresso jure reperiebatur excepta causa prioritatis creditorum, videbatur non esse denegandam. (2) E contra vero apparebat inhibitionis ingens tum incommodum, si non appellante omnium cæterorum creditorum causæ quiescere, interim ipsi suo carere deberent; (3) tum iniquitas, si propter unius provocationem tot alii creditores, inter hos aliquando pupilli, viduæ, Ecclesiæ, Scholæ, pauperes aliiq; valde privilegiati non habituri sint, unde se sustentent. (4) Fit sæpius, ut ea appellatio non omnes simul, sed aliquos & vix unum atque alterum concernat; fiet injuste, cæteros, cum quibus nulla lis est, cogi exspectare alienæ à se litis eventum. (5) Patiuntur etiam non rarò personarum & bonorum circumstantiæ, ut motâ licet inter aliquos lite, aliis tamen commodè satisfiat, & litigantibus præjudicium aut detrimentum non inferatur. Extra quos non proficit his, nec nocet alii inhibitio. (6) Providentia judicis de eo aliis commoda, aliis non noxia ordinabit. Ex cautione erit quoque remedium. Quæ omnia, dum inhibitio non promittet, sed cohibebit aut difficiliora reddet, promiscuè & inconsideratè decernenda non est, præsertim quæ aliis etiam, qui in lite non sunt, aut quorum credita non oppugnantur, nocitura sit. Ne in ea re peccaretur, placuit eam nõ decerni nisi visis prius actis, perspectoque quid ex re sit: Interim relicto eo judici arbitrio, ut prospicere creditoribus possit & velit, modo fiat sine causæ præjudicio aut tali, quod facile sit reparabile. *Sic existimatum & observatum in causa Cunonis von Kalden, contra creditores Erich Berglasen, die 22. Sept. Anno 1653.*

1. In concursu creditorum & à sententia prioritatis esse appellationi locum, ratio & usus, ut infra demonstrabitur, comprobat.

2. Generalis regula, pendente appellatione nihil innovandum esse, *tot. tit. ff. Nihil. innov. pend. appell.* generale facit jus inhibitionis. *Mindan. de Mandat. lib. 2. c 26 num. 2.*

3. Regulam sequimur, donec de exceptione constat. *l. 1. lib. & Dd. ff. de R. I.*

4. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, *l. non debet 75. ff. de Reg. Jur.* nec factum unius cæteris damnosum fieri, *l. hæredes 25. ff. de pign. act.*

5. Si consulendum uni, non periclitentur alii *l. 25. ff. de pign. act.*

6. Juri non convenit, ut in concursu plurium creditorum unius & alterius contradictio aliis obsit, sed quod pluribus placet aut expedit, id sequimur, *l. juris gentium 7. §. fin. leg. seqq. ff. de Pact. l. fin. C. qui bon. ced.*

7. Quod aliis proficit, aliis non nocet, admittendum, non admittere iniquæ invidiæ est, *l. 2. §. 3. & seq. ff. de aq. & aq. pluv. arcend.*

8. Inhibitio ultra certum & nominatum objectum non extenditur, nec aliis personis ac quæ in lite sunt, nocere debet. *Mindan. d. cap. 26. num. 4*

DECISIO III.

Appellans pro se tantum, communi consortum nomine sine ipsorum mandato appellationem recte prosequitur.

UNus fratrum appellaverat, postea autem processus appellatorios suo, fratris & sororum nomine petebat, dubium incidebat, utrum cum nec cæteri appellassent, nec ipsorum nomine appellatum esset, petita fieri possent, concluſum autem est, nihil obesse cur non fieret, quia omnes in prima instantialitis consortes fuerunt, quorum

unius

Digitized by Google

unius appellatio aliis proficit (1) & perinde est uno appellante, ac si omnes appellassent, quando causa ipsorum communis eademque erit. (2) Nec potest remorari defectus mandati, ubi etiamsi vel unus causam peragit, cæteris etiam non agentibus proficeret. (3) *Sic decretum in causa liberorum Sigfried Dechovven, contra ejusdem creditores, die 25. Sept. Anno 1653.*

1. l. 1 & 2. C. si un. ex plur. appell. l. 1. C. de div. rescr.

2. Gail. 1. observ. 126. num. 3. Scacc. de appell. q. 5. num. 58.

3. In eodem negotio eademque causâ uno ex consortibus appellante & obtinente; alii simili jure & justâ victoriâ fruuntur, etsi non adhæserint appellationi, *c. una sententia 72: ib. Ant. de Butr. Franch. & alii x. de. appell. Scaccia de tr. q. 12. n. 77.*

DECISIO IV.

Appellatione contra aliquos creditorum interposita citandi sunt omnes creditores.

QUando à sententiâ super liquidatione & prioritate creditorum interpositâ liberi materna bona repetentes appellârunt, ea que res non omnes, sed aliquos tantum anteriores creditores concernebat, non erat una de eo sententia, utrum omnes creditores ad prosecutionem appellationis, an eos saltem, quorum jura in disputationem venichant, citare oporteret. Videbatur enim contra quos non erat appellatum, non esse in judicium trahendos, cum nec id ab appellante petitū esset. At eō minimè attento decreta sunt ad omnes proclamata, queis citabantur, tum quia id requirebat continentia causæ quæ dividi non debet, (1) tum quia interest creditorum omnium scire quid inter alios agatur, cum facile quid in illorum præjudicium devergere possit, (2) tum denique quod illos scire oportet, causam communem imposterum versari sub alio judicio, ibique petenda esse, quæ ad se pertinent, (3) tum quia tutius est ita fieri quam omittendo in periculum præjudicii causam conjicere. (4) Sic visum in eadem causa.

1. *l. quoties 8. C. de Iud. l. 1. & seq. C. de Ord. Iud.*

2. Citari oportet omnes quos causa aliquo modo contingit, *l. de unoquoque 47. pr. ff. de re jud.*

3. Certiorari debet de eo, quod agitur per debitorem, cujus interest scire quod actum, *l. si fidejussor 29. §. si cum 2. §. hoc idem 3. ff. Mandat.*

4. In dubio prævalere debet, quod est tutius, *l. §. quæsitum 9. ff. quod Legat.*

DECISIO V.

Non impedienda unius consortum appellationis prosecutio, quod alter justa non præstat & quomodo ob hujus contumaciam procedendum.

QUando plures concernebat lis eadem, & omnium nomine interposita tuetat appellatio, aliqui vero illorum ad præstanda hujus solennia se stiterant, unus emanserat, donec autem ille simili præstatione defungeretur Judex acta edere recusabat, querela super eo ad Tribunal delata mandatum de edendo acta non obstante unius consortum contumacia petitum fuit. Existimatum autem est petitioni deferendum, quod uti inter plures consortes uni vel alteri sine cæteris litem cœptam prosequi licet, (1) ita etiam non impediendum id circa appellationem, præsertim ubi ille legi obtemperavit. (2) Iniquum foret ob alterius consortum contumaciam vel negligentiam alteri litem fieri difficiliorem atque tardiorem. (3) Quomodo cuique integrum est sine consorte res suas agere, (4) ita etiam sine quibus id fieri nequit permittenda sunt. (5) Alia ratione coerceri potest consortis contumacia cum justa præstare renuit, ut nempe si constanter negligentiæ inhæret, careat appellationis beneficio atque fructu. (6) Aut si pœnitet, non admittatur, antequam justis satisfacit. (7) *Ita decretum in causa der Kussovven, contra Iacob Vieregen Creditoren, die 3. Novembris Anno 1654.*

1. *l. 1. C. de Consort. ejud. lit.*

2. *l. un. C. si un. ex plurib.*

3. Alterius consortū inertia vel collusione non est corrumpendum jus alterius, *l. si pariter ff. de lib caus. l. non idcirco ff. de Iudic.*

5. *Arg. l. 2. ff. de Iurisdict.*

6. Justo hoc fit, ut qui in leges peccat, legum non fruatur beneficio, at juxta æquum, ut ea pœna suos tantum teneat autores, nec ultra hos innocentem premat vel gravet, *l. si quis suo §. legis C. de Inoff. Testam. l. Sancimus C. de Pœn.*

7. Ita observamus aliās, ut ad prosecutionem appellationis non admittatur, nisi qui solennia præstat.

TIT. LXIX.

SI DE MOMENTANEA possessione fuerit appellatum:

DECISIO Unica.

Super possessorio pendente lite non decernitur mandatum manutenentiæ, etsi judex ex actis videat partis merita.

POst appellationem interpositam appellatus pro quo in possessorio per Judicem prioris instantiæ pronunciatum fuerat,

in

Digitized by Google

in possessione se defendi & mandatum manutenentiæ atque inhibitionem petebat. Apparebat ex actis ipsũ in possessione fuisse, atque ab adversario turbatum & dejectũ; Annon vero id jure factum esset, nondum elucebat, sed controvertebatur. Etsi verò videri posset eum ex possessione mandatum tale mereri, (1) non attento, quod jus possidendi controversum esset; (2) tamen ex adverso considerato litis statu, rectius agi putabatur, si ante sententiam à tali abstineretur, ista verò præmitteretur, (3) ne turbato processus ordine lis imposterum difficilior redderetur: quandoquidem nondum constabat, an etiam talis possessor esset, qui turbari non debuit, atque defendendus sit. (4) *In causa Satrapæ à Lilienthal, contra Detloff ab Hade. Die 14. Novemb. Anno 1654.*

1. Possessor quivis in possessione est defendendus, eo ipso quod possidet, potior est. *l. fin. ff. ut ac quir. poss.*

2. Possessio magis facti quam juris est. *l. denique 19. ff. ex quib. caus. maj. si ver. exec. ff. de acquir. poss.*

3. *Faber. in Cod. lib. 8. tit. 4. defin. 1. num. 9.*

4. Injusto possessori non succurritur. *l. 1. §. ult. ff. uti possid.*

TIT. LXX.

NE LICEAT IN UNA EADEMQUE CAUSA TERTIO PROVOCARE VEL POST DUAS SENTENTIAS JUDICUM, QUAS DEFINITIO PRÆFECTORUM ROBORAVERIT EAS RETRACTARE.

DECISIO I.

Post tres conformes sententias non est relinquendus locus remediis, quibus alias sententiam impugnare conceditur.

QUando singulari clementia Regia in supremo appellationum judicio litigantibus, qui se gravatos putant, tria remedia sunt concessa, quorum electio ipsis vacat, (1) in quæstionem venit, utrum post tres conformes sententias hic locus fieri debeat. Existimatum est, non secus atque ut tertio provocare non licet, (2) ita nec revisionem petere, (3) nec restitutionem in integrum implorare, nec nullitates deducere licere. (4) Veluti quæ remedia provocationis ulterioris instar habent, non admittenda, nisi ubi provocare integrum. (5) Est ea post tres conformes sententias excludendi eadem ratio, quæ in tertia provocatione, tum ob præsumptionem quæ pro istis est, (6) tum ut litium tandem finis sit. (7) *In causa Clüver, contra Clüver. Die 1. Sept. Anno 1659.*

1. *Uti de his videri potest in Ordinat. Summ. Tribun. Reg. part. 3. cap. 4. & seq.*

2. *Quod constitutum ita in l. un. C. ne lic. in un. ead. caus.*

3. Idem *in a. Cl. l. un.* continetur, quæ loquitur de supplicatione, cujus vice est revisio. *De qua etiam idem asseritur, vid. Bender. in tract. de Revision. conclus. 10. num. 31. seq.*

4. Hæc remedia ob revisionum difficultatem indulta non possunt in aliis casibus obtinere, quam cum revisioni locus est. Est quoque rationabile, ut ad eadem *dict. l. un.* pertineat. *Vid. de hoc scripta à Gamm decis. 10. Castrens. in l. fin. C. quib. ex caus. restit. in integr. Mastrel. decis. 154.*

5. Surrogatum non potest melioris esse conditionis, quam in cujus locum succedit, *per vulgata.*

6. Quam magnam esse ait *Paris. consil. 109. numero 17. seq. lib. 4. Odd. de restitut. in integr. quæst. 43. num 61.*

4. *Ex hoc etiam ista remedia ex clusa vulg. Cassiod. in decis. tit. de restit. in integr. decis. 1. num. 3.*

DECISIO II.

Quæ sententiæ habendæ conformes.

QUando non omnes in eadem lite sententiæ consonant, tamen ad eundem finem sæpius tendunt; dubitatio super eo aliquando incidit utrum sint conformes; Convenit in eo non ad verba solum respicere, sed ad mentem atque effectum. (1) Cui consona sententia, etsi vocabulis multum discrepans, conformis planè habenda est. (2) Sufficit easdem personas & res subesse per justam interpretationem. Conformitas enim censenda est magis ex fine & effectu quam ex verbis. (3) Ista autem quæ eam faciunt, consideranda sunt non secundum singula quæ tenor sententiarum habet, (4) sed quæ negotium principale concernunt, (5) & quidem substantiam & qualitatem istius definiunt. (6) Quo modo id fiat, & finis liti imponatur, nihil refert, dummodo sententiæ, etsi diversimodè, ad eundem effectum tendant; (7) nec tamen & novum aliquod gravamen ultima inferat, quod ex priori non est ortum. (8) Ex eo supereſt provocandi vel mediis utendi potestas. *Quod consideratum in eadem causa.*

1. *Covarruv. Pract. quæst. cap. 25. num. 6. Cravett. consil. 183. num 1. seq. per l. sententiam C. de Pœn. cui nihil obstat. de verb. signiff.*

2. *Ant. Gabr. Comm. Conclus. tit. de re judic. conclus. 2. num. 34. Cravett. cons. 214. num. 2.*

3. *Menoch. de Arbitr. Judic. Quæst. cas. 47. numer 6.*

4. Nam & in his aliquando judices extravagantur.

5. *Covarruv. dict. cap. 25. sub. num. 5. Cravett. consil. 185. num. 2. Ant. Gabriel. dict. tract. tit. de Execut. Rei Judic. conclus. 1. num. 5.*

6. Ex sententiæ dicuntur conformes, quæ in qualitate & substantia conveniunt. *Roncheall. in l. ex duob. 2. num. 4. ff. de duobus reis. Menoch. consil. 309. num. 116.*

Digitized by Google

7. Nam conformes sunt sententiæ, quæ finem litis imponunt, etsi una illarum causam principalem decidat, alia prolata sit super desertione. *Gail. 1. Observ. 38. num. 2. Thesaur. decis. Pedem. 122 n. 11.* vel saltem liberatoria sit ab observatione judicii *Thesaur. num° 9. Borgn. Cavalc. part. 1. tit. de judic. decis. 7. num. 8.*

8. Præcipuum circa sententiarum quæ non idem sonant conformitatem considerandum est, an quid novi gravaminis ex ultima oriatur. Quo reperto non habetur conformis. *Cravett. consil. 183. num. 4. Covarruv dict. cap. 25. num. 3. & seq. Menoch. Consil. 509. num. 17.*

DECISIO III.

Etsi non tertio, post tertiam tamen sententiam sine provocatione latam licet appellare.

QUod constitutum est, ut siquis in lite iterum provocaverit tertiò in eadem lite super iisdem capitulis provocatione uti non possit, (1) secundum verba accipiendum est de tertia provocatione, non de tribus conformibus sententiis, (2) sicut Cameræ Imperialis usus eam constitutionē declaravit, dum post tres conformes sententias appellationem admittit; (3) quandoquidem quæ ab eodem Judice in eadem causâ duæ vel tres feruntur sententiæ, uti fieri potest, si Judex post latam sententiam coram se remedia revisionis, leuterationis, restitutionis in integrum, deductionis nullitatum, supplicationis & similia litigantibus indulget, pro unâ habentur veluti ab eodem Judice latæ. (4) Opus est sic statuere ad avertendam fraudem quæ superiori judicio partibusque facilè fieri posset, si in inferioris potestate esset, per diversas coram se instantias seu diversa remedia excludere appellationes ad superiorem. (5) Secuti itaque Cameræ observantiam admisimus appellationem, cum gravamina speciem non levem haberent, non attento ter conformiter judicatum fuisse. (6) *In causa liberorum Hanns Burmeisters, contra Senatum Demminensem. Die 21. Septembr. Anno 1653.*

1. *l. un. C. ne lic. in un. ead. caus.*

2. Communis quidem contraria est sententia, *uti docet Scaccia in tr. de Appell. q. 17. lim. 1. n. 2. seq.* at erronea verbis & menti legis non consona, quibus potius inhærere quam alienam interpretationem sequi oportet.

3. *Gail. 1. observ. 72. n. 3. Mynsi. cent. 1. observ. 15.*

4. Diversæ sententiæ ex diversis instantiis, hæc ex diversis judicibus censentur, *uti ex rub. & l. un. C. d. tit. manifeste apparet.*

5. Improbantur omnes cautelæ atque modi, quibus per superiores coarctatur appellationis facultas, quæ non est adimenda, *uti provisum in ord. Cam. part. 2. t. 28. §.* Und dieweil bißhero &c. ubi Cameræ reservatur cognitio de eo quod tendit ad præclusionem appellationis.

6. Sic & in appellationum judicio Dresdensi servari testatur *Carpz. resp. Elector. 101. lib. 3.*

TIT. LXXI.

QUI BONIS CEDERE non possunt.

DECISIO I.

Vxor vivente etiam marito sed bonis cedente retinens bona mariti, creditoribus ad rationes tenetur.

COntigerat maritum bonis cedere, uxorem tamen in ipsis ob dotem illatam aliaque sibi ex istis debita jure retentionis mansisse eaque de causa maritum cum ipsa in iisdem substitisse, quæstio deinde circa rationes de administratione reddendas oriebatur, utrum à marito, an ab uxore poscendæ vel præstandæ essent? Conclusum uxoris esse id onus. Ipsa enim sibi retinuit bona mariti ex suo jure, cum alias creditoribus cedi debuissent, quare quod incumbit omnibus rerum alienarum detentoribus, ut rationes reddant non poterit recusare. (1) Constat mortuo marito, dum retentionis jure utitur, eam, dum retinet, ad rationes teneri. (2) Similis est ratio, ut idem quâ repetitionem & retentionem jus cum maritus vivus ad inopiam vergit & bonis cedere cogitur. (3) Nihil facit hic vita mariti ejusque cum uxore in bonis commoratio. Nulla quippe ejus post cessionem amplius habetur ratio, sed instar mortui est. (4) Sicut jurisprudentia casum mortis & cessionis bonorum comparat. (5) Tanto magis vero incumbit uxori exactior rationum redditio, quod curatorem bonorum, qui administraret non admisit. *In concursu creditorum, contra Ulrich Buckowen. Die 26. Martii Anno 1659.*

1. Connectuntur retentio, administratio & rationum redditio, & qui priori frui cupiunt illi annexum onus reformidare non debeant *l. un. §. ne autem 9. de Caduc. tollend.*

2. *Coler de Processib. Executiv. part. 1. cap. 2. num. 225. 232.*

3. *l. si constante 24. ibid. Iason. Barbos. Duaren. ff. solut. matrim.*

4. *l. is qui 4. §. 1. ibid. Gloss. ff. qui bon. ced.*

5. *Rauchbar. quæst. 33. num. 34. part. 1.*

DE-

Digitized by Google

DECISIO II.

Vxori, dum retentionis jure bona mariti tenet & administrat quantum pro alimentis debeatur.

Postquam per Constitutionem Imperii Anno 1654. Ratisbonæ publicatam, quomodo in causis debitorum observandum sit decisum, stante tali lege non est amplius meri arbitrii quidquam in iis causis ordinare, sed absque dubio etiam in suæ Regiæ Majestatis, nostri Clementissimi Regis ac Domini, regionibus eò meritò reflectendum est. Hinc illuc præsuppositum, quod apud aliquos animadvertitur, quasi ex placito ei contraveniri posset, non omninò firmum-quia 1. in pace Osnabrugensi in §. de indagando conventum, quod publica Imperii constitutione huic rei remedium dari debeat. 2. illud à sua Regia Majestate, veluti principali contrahente, simul placitum §. promotum. 3. in Ratisbonensi Diæta in nomine suæ Regiæ Majestatis per ablegatum approbatum 4. Omnia ibidem ad Cameræ Imperialis, & Consilii aulici Cæsarei acceptas deliberationes maturè discussa & concluса. 5. in naturali æquitate & rationibus considerationibus ita fundata, ut meliorari nequeant. 6. inde ex lege communi omnibus Sacri Romani Imperii subditis jus quæsitum, quod ipsis ram facile auferri nequit, neque causari, quod contra id, quod in publica eaque communi constitutione fundatum, cuique gravamen inferatur. 7. causæ in communi conventæ moderationis suæ Regiæ Majestatis subditos non minus, imò multò magis quàm alios modo concernant, quas ipsi præ aliis adhuc in magnis gravaminibus ratione conscriptionis militum & deribitoriorum experiuntur. 8. si etiam quidquam dissimile quam in aliis, maximè vicinis locis, ubi dicta constitutio est in observantia, statueretur, orirentur siniſtri discursus & commercia, quæ æqualitatem desiderant, turbarentur; maximè 9. Si quidquam lenius, quàm constitutio præscribit, placeret, externi, qui in has terras pecuniam mutuò dederunt, per hoc læderentur, & conquerendi causam acciperet, & deterrerentur, suis mediis post hac succurrere, præterea 10. Obligationes in his terris non cambiarent, sed tractarent, quasi moneta in dissimili valore esset. Si verò 11. Quidquam duri debitoribus imponeretur, illis, qui extra has provincias sua debita habent, non bene consultum esset, si ibidem tantum non possent recipere. Similiter 12. & interni simùl fidejussissent, contra illos instituеretur actio, ubi plus & citius quidquam

Digitized by Google

haberi posset. Et si 13. internus pro externo debitore, vel cum externis confidejussoribus fidejussisset, apud illum non posset iterum suum adipisci. Quod si verò 14. ad evitationem talium inconvenientiarum jus retorsionis adhiberi vellet, nihil inde lucri caperetur, quam quod vicinitas inquietaretur, aliis oculi aperirentur, & ansa daretur, in remedia contra inquirendi, tandem mutua commercia sisterentur, & fides exterius collabasceret, tandem & Imperii constitutio in consequentiam exempli penitùs cessaret, & id his terris imputaretur. Quamvis autem 15. in sæpedicta Imperii constitutione contineatur, illud etiam observari debere, quòd Electores, Principes, & status in suis territoriis in hoc puncto ulterius statuere vellent, id tamen non indefinitè intelligendum, sed cum hac notabili restrictione, si juxta tenorem sequentium regularum talis ordinatio fieret, qua significaretur, quomodo permissum, ut ita constitutio observantiam requirat. Extra hoc etiam annexum, quòd contra id nullum moratorium validum esse debeat, neque etiam adhiberi deberet ad causandas dictas & adhuc plures inconvenientias, quibus ex- & interni gravari possent. Sicut nunc hæ considerationes movent, quod Imperii constitutioni, & ibi contentis regulis insistendum, solum eo moderandum & dirigendum, ut secundum cujusque regionis & incolarum conditionem regula generalis bene applicetur, & in æquam convenientem observantiam deducatur. Principaliter attendi debet, in quo Dominorum statuum Pomeraniæ Conceptus à dicta constitutione discrepent, & an ab ea ita recedi possit. Et pro Secundo, an de cætero, quod praxin constitutionis, & quod ad illius facilitationem convenit, concernit, aliqua ratio dubitandi suboriatur.

Primò in dicto conceptu nulla est facta differentia inter debitores, quæ verò in Constitutione continetur, ac etiam ratio beneficii exposcit, & inter istos valde inæquales sine iniquitate aliqua & detrimento cùm commerciorum, tum fidei, tolli non poterit. Et hoc ut paucis tangatur, debitores vel omninò non sunt solvendo, sed plene obærati, ut ultra posse in ære alieno succumbant, vel adhuc tantum in bonis habent, ut plenam solutionem ex iis facere possint, vel etiam, quamvis in bonis forte tantum habeant, quousque æs alienum excurrit, attamen ratione ruinæ & excursus centuum ad media solutionis pervenire non possunt. Qui sunt primæ conditionis, illis tam parum aliquod indultum concedendum, quàm ipsis utile ac proficuum est, sed sicut durante mora plus consumpturi quàm acquisituri, ita creditorum conditionem deteriorem reddituri sunt, illud autem sub hoc beneficio iniquum, itaque in tali statu inopiæ maturandum, ut vel per in solutum dationem, aut cessionem bonorum creditores ad sua, quantum facultates pertingunt, perveniant: ubi conducit, ut cessiones bonorum & concursus creditorum in meliorem formam & praxin redigantur, quam huc usque observantia ostendit; Illud verò principaliter foret observandum, ne secundum sententiam prioritatis aliquot pauci tantùm solvantur, reliqui verò nihil accipiant, fidejussores constringantur, & ad inopias redigantur, ac extra spem consecutoræ alicujus solutionis relinquantur, inde per unum debitorem multi, qui pro eo fidejusserunt, vel aliâs obligati sunt, ad extrema redigerentur, & sic finis constitutionis Imperii non attingeretur, sepositò rigore juris: In accumulatis concursibus æquum remedium excogitandum, ut creditoribus conjunctim in aliquo adjuvaretur, quò posset conducere, ut census vel omninò non vel non in totum cum Capitali prioritatem haberent; & salvo meliori, sentiremus, si in priori sententia illis, qui à constitutione Imperii excipiuntur, si aliâs de jure privilegiati sunt, medictas vel tertia pars censuum usque ad alterum tantum computaretur, reliquis quarta pars in suo ordine adjudicaretur, de quo nemo conqueri posset, quia in terris Saxonicis, & ubi jus Saxonicum viget, ante solutionem capitalis nulli census, & juxta jus Lubecense solum unius anni decernuntur, in aliis locis, uti auditur, etiam moderatio adhibetur, & hoc exemplum propter summam æquitatem bene sequelam habere posset. Debitores verò, qui earum sunt facultatum, ut parum debeant, multa tamen bona possideant, ut solutionem facere possint, prout Imperii constitutio tales à beneficio excludit, eos etiam ratio non concernit, ac sine peccato & injuria privilegia inopiæ cum damno creditorum iis non competunt, ita ad ejus usum non sunt admittendi, nisi forte de illis annis, quibus ratione belli bonis frui non potuerunt, census detrahi & retineri possint, nisi in commercio, vel alias de pecuniis mutuò datis utilitatem habuisset. Quod reliquos concernit, eò tantum spectat Imperii constitutio & moratorium, ne ad extrema præcipitentur. Quia verò omnes, qui in his terris habitarunt, causa constitutionis, scilicet incommoditas bellica simul tetigit, & hinc difficultas solvendi facile præsumenda, ac propterea omnes sub hac posteriori classe contenti & beneficii capaces censeri debent, usque dum manifestum fiat, aliquem ita facultatibus pollere, ut beneficio non indigeat, sed eo solùm ad suorum creditorum detrimenta sine necessitate utatur. Quod cuilibet creditori indicandum, & meritò permittendum, & casu quo is talia argumenta proferret, ex quibus facultates probabiliter docerentur, ut juramentum deferat, non denegandum, utpote quod in jure, cùm quæritur, pauper an dives quis sit, permissum, ac ad evitandam fraudem, servandum commerciorum vigorem, necessarium; manet tamen in judicis arbitrio, cujus valoris vel fidei talia argumenta æstimanda sint. Inter horum numerum æstimari possent, quando aliquis notoriè magna prædia, & pauca debita haberet. 2. Interea temporis, quo sæpedicto beneficio uti vellet, alia insignia prædia compararet. 3. Cum suis excessivum fastum, luxum & abundantiam ostenderet. 4. Liberos suos in parata pecunia excessivè dotaret. 5. Magnum commercium exerceret. & c

Pro

Digitized by Google

Pro Secundo eſt differentia ratione termini ad quem, cùm ſtatus Pomeraniæ adhuc ad duos annos diutius, quàm conſtitutio Imperii, moratorium qua ſortem extendat, ſi poſtea termini uſque ad hunc annum, qui in dicta conſtitutione continetur, diſponerentur, ut hæc mora per extenſionem termini compenſaretur, poſſet adhuc concedi, alias verò inconvenientia, quæ externis per longiorem dilationem, quàm apud ipſos obſervatur, cauſaretur, ad uſum juris retorſionis anſam dare poſſet, optimum eſt, ut, quantum poſſibile eſt, cum vicinis paritas conſervetur, & concordia ineatur.

Tertiò diſcrepant in terminis, quibus Capitale poſt moratorium ſolvendum, ideò poſſet conceptui inhæreri, ſi is ſub diverſitate debitorum tam facilè in praxim redigi poſſet, præſertim cùm multis in defectu facultatum multò difficilius futurum eſſet mille comparare, quàm alteri tria vel quatuor. Quomodocunque beneficium ducente illa ratione facultatibus applicetur, nihilominus in multiplici diverſitate id indefinite non bene accipi, ſed forte melius ita poni poſſet, ut in proximis quinque annis debitori annuatim non plus quàm quintam partem ſolvere incumbat, attamen quatenus non excedat 1000. Florenos, quo caſu non plus quàm tantum ſolvendum, poſt quinque annos verò reſiduum.

Quarto, quod cenſus, qui in conſtitutione Imperii ad quartam partem moderati, hinc ad medietatem ſint poſiti; hîc primò erit quæſtio, utrum, poſtquam reſtantes cenſus uſque ad iſtam partem per conſtitutionem Imperii, ut verba ſonant, generaliter caſſati & aboliti, per quam debitores ſinguli contra creditores jus quæſitum conſecuti ſunt, reſiduum de jure exigi, & ſpeciali lege reſtitui poſſit: Secundò, ſi in provinciis vicinis ſimile quid non introduceretur, abſque magno diſpendio commerciorum & aliis convenientiis hoc conſtanter obſervari poſſit.

Pro Quinto, quod in tribus primis annis de cenſibus nihil ſolvi debeat, videtur non parum iniquum & inſolitum, quòd non tantùm capitalia ſuſpendi, & cenſus pro parte aboleri, poſt tantum ad duos, veterem ſcilicet & novum redigi, ſed præterea de pauculo adhuc ſolvendo in tribus annis creditori nihil pendi debeat, quæ ſunt quatuor ſingularia, à communi jure valdè exorbitantia, quorum cumulus ſingulorum æquitatem facit odioſam, invidioſâ imò omnem perimit: tacendo quod pigri homines erunt, qui non admoniti etiam ad ſolutionem intempore non ſtatim cogitabunt, & tunc per accumulationem etiam in plures difficultates pervenient, quàm quod tempore belli duplex cenſus ſolvi debuerit, hinc melius, ut ei vel etiam conſtitutioni Imperii inſiſteretur.

Pro Sexto, quod qua præteritas uſuras apud 6. pro cento, quando pacti ſunt, relinquendum, ubi non apparet ratio, quare in futuris præſumptivè quietis temporibus cenſus diminut, & in præterito calamitoſo ſtatu auctiùs ſolvi debeant, ubi nemo pecuniæ tantam utilitatem habere potuit, unde regula uſurarum ſumitur; quando etiam extra provinciam ab aliis non niſi 5. pro cento haberi poſſunt, non eſſet conſultum iis, qui ibi ſua erigere, & in hanc provinciam transportare intendunt: tacendo, quòd per conſtitutionem Imperii veterum cenſus non fuerint altiores, eorum exaltatio certo reſpectu in bonis pacificis temporibus tantùm permiſſa, quod uſus exaltavit per novam abolitum, & debitores jus quæſitum conſecuti ſint.

Pro Septimo. *Quod in cap. 1. ex cap. 8.* aliqui creditores inde finitè à moratorio excepti, quod in conſtitutione Imperii mediante juris arbitrio factum, quod etiam propter multiplicem diverſitatem non extra conſiderationem habendum, cùm omnes creditores non omnibus indigeant, ac omnes creditores non omne, quamvis extrema tententur, ſolvere poſſint, propterea meritò ei inhæretur cum addenda hac norma, quod judex mediante prævio decreto ſummariè creditoris neceſſitatem examinare, & ei juxta debitoris facultates conſulere, certum determinare, & deſuper executionem impertiri debeat.

Quantum prætorea concernit, quod ad manutenentiam conſtitutionis Imperii in ſtatuum deliberatione continetur §. 5. iſtis etiam reliqui omnes ſunt adjungendi, qui in fraudem creditorum agere convincentur, uti omnes ii ſunt, qui beneficio gaudere volunt, non ut bona in meliorem ſtatum ponant, & inde facilius creditoribus ſatisfaciant, ſed ut tempus lucrentur, & in bonis permaneant. in quorum numero etiam computandi, qui juxta tenorem conſtitutionis omnes & ſingulos terminos non exactè obſervant.

Ad *cap. 1. §. 6.* A quibus ſeparandæ forent renunciationes, quæ in obligationibus ante bellum extraditis continentur, cum eadē ratio obligationis & renuntiationis ſit. 2. Quæ quidem poſtea factæ, ſed quando poſtea debitores ruina & damnum tetigit, ut ipſis ſolutio impoſſibilis, ipſi etiam ſalva renunciatione uſum & finem beneficii obtinere non poſſent, aliâs etiam contrariaretur ei, quod in §. 2. d. c. 1. continetur.

§. 7. Propter identitatem rationis illud extendi debet ad eos, qui omnino facultatibus deficiunt, ut præſtare non poſſint, quod conſtitutio requirit, ideò bonis cedere, vel concurſum excitare debent.

In jure protimiſeos agnatis circa diſtractionem bonorum ſervando nulla differentia eſt facienda inter feuda & allodialia ſi ſunt avita & patrimonialia. Eadem enim eſt adminiſtrationis ratio in utrisque. Pro Secundo æqualitas, quæ hic conſideratur, non ſpectat tantùm ad caſum adjudicationis, ſed etiam ad caſum diſtractionis, ut ſi proximus conſanguineus paratus eſt dare, quod alius offert, ille in certo attamen brevi tempore admittatur. Quia vero in iſtis defectuoſis pecuniâ temporibus non facile ad parata media deveniri poteſt, & hoc reſervatum fruſtraneum eſſe poſſet, ſi proximis conſanguines pro obtinendo fine Conſtitutionis, non ſubveniretur, apparet quod propitio jure in hoc ordo poni poſſit, & quidem in hac differentia, quod quando conſanguineus vel agnatus, cui jus protimiſeos competit, eo tempore, quo poſſeſſor bonis cedere, vel aliâs concurſum creditorum excitare intendit, ſe exhibet, & ad ſolutionem juxta Imperii conſtitutionem, vel alio modo, prout adhuc diſponi poſſet, offert, is in-

Digitized by Google

dulto constitutionis Imperii aut Provincialis frui possit; exinde non aliter, quàm in positis terminis, creditorem, qui per sententiam prioritatis vel judicialem dispositionem ipsi assignatur, solvere debeat: Si verò tunc se non sisteret, sed in concursu ad extrema devenire sineret, tunc moratorii statuti non amplius capax esset, sed solùm ad jus retractus admitteretur, si id, quod extraneus offert, vel quod ei æquivalet, dare intendit, nisi aliud inter ipsum & creditorem convenretur.

§. 9. Juxta constitutionem Imperii non simpliciter ad realitatem executionis reflectitur, sed an illius ultimum, nempe solutio, sequatur, hinc solùm factâ adjudicatione beneficium cessat, non verò an executio facta esset. Nam quamdiu illa non est dicto modo effectui data, debitor quamvis etiam bonis cessisset, contraire & beneficio uti potest, & si mediante illo creditoribus satisfacere vult, audiendus est. Hic etiam differentia fieri, debet inter ea, quæ intenduntur ad securitatem, & ea, quæ tendunt ad solutionem ex bonis debitoris in præsenti redigendam. Dicta remedia, videlicet immissiones & assecurationes non suspendúntur, cætera verò quiescunt, quamdiu debitor se constitutioni conformat.

§. 11. Hoc etiam indefinitè practicari nequit, præcipuè quando debitor ex nomine media præcisè sumere debet, ut aliis creditoribus similiter satisfiat, nam tunc inter ipsos disparitas esset, uni solveretur, alter præteriretur, sæpe etiam, quia aliqui creditores optima nomina eligunt, cæteris nihil tam boni restaret.

§. 12. Hîc considerandum est. 1. annon ad facilitationem corporis debiti creditor obligandus, nomen aliquod absque singulari difficultate, & faciliùs quàm à debitore suum consequi posset; similiter, si nomen bonum esset, & cedens ad evictionem in tales terminos prout in constitutione continetur, inhærere, & ejus securitatem dare vellet. 2. an, quando debitor allodialia vel feudalia bona haberet, creditoribus indulgendum, ut ante excussionem allodialium feudalia optent, quæ tantùm in subsidium obligata sunt, & non prius tentandum, ut per optionem ex allodialibus media solutionis desumerentur 3. annon hæc generaliter concessa optio ad magnam iniquitatem excurreret, præcipuè quando debitor præcisè sedem nobilem vel curiam habitationis, vel etiam illud optaret, per quod cæterorum bonorum & pertinentium fruitio tolleretur, vel impediretur, propterea vel per declarationem inconvenientiis præveniendum, vel arbitrio judicis relinquendum. Exceptionibus circa primum caput allegatis casus hic meritò adjungitur, quando debitori per hæreditates, felix commercium, servitia, vel aliis modis media accrescerent, ut bene solvere posset, & moratorio non indigeret, apparet etiam, quod aliud temperamentum ponendum iis, qui sunt ultimi familiæ, & eorum feuda aperturæ obnoxia, ut tales tempore vitæ suæ cum creditoribus juxta facultates conveniant. In consideratione prædictorum optima videtur, qua debitores apud constitutionem Imperii, per tractatum pacis propositam, matura deliberatione & consilio factam, & à Regia legatione Ratisbonæ in sua Regiæ Majestatis nomine publicè approbatam, relinquantur, apud eos, qui per eandem jus quæsitum habent, querelis & gravaminibus, apud exteros verò juri retorsionis, quod semper magis excrescit, sa nulla detur. Creditoribus per hoc tantum damni non evenit, quàm si debitoribus plus injungretur, quàm facultates patiuntur; ut ad extrema eundum; exinde illi sub concursu creditorum aliquot annis litigarent, nihil in capitali & censibus acciperent, ex suis mediis sumptus impenderent, bona in decrementum caderent, eandem nihilominus solutio non ita bene sequeretur, quàm si communi constitutione contenti fuissent.

Verùm sicut in hoc debitoribus beneficium accidit, ita econtrà eò reflectendum est, ne creditores sub illorum beneficio nimis graventur, & supra id, quòd tot census remittere, particularem solutionem etiam in terminis ad longos annos acceptare teneantur, ulterius longa sumptuosa litigia, dilationes & circumductiones lædantur, propterea ubi cum effectu constitutio practicabilis, necessarium est & æquum: ut primò ad terminos in capitali & censibus, qui in constitutione præfixi, sit paratissima executio, & casu quo prætextus non esset liquidus, & simul relevans, nulla exceptio ad suspensionem executionis attendatur, sed solùm post factam executionem ad deductionem reservetur & remittatur.

Pro Secundo, ut casu quo debitor terminos tribus vicibus immediatè subsequentibus non observaret, is postea beneficii non amplius capax sit, sed si media solutionis haberet, executio in solidum extendatur, vel si talia præstò non essent, tanquam incapax solvendi æstimetur, & contra illum tanquam contra fraudatorem procedatur.

Pro Tertio, ut creditores, quos debitor eo tempore habet, quo hoc beneficio uti vult, in ipsius bonis tacitam hypothecam cum privilegio ante illos, quibuscum in futurum contracturus est, ex constitutione adipiscantur, & sic si ex post facto ad concursum perveniretur, præferentiam habeant, nisi posteriores pecunias ad meliorem bonorum constitutionem vel ad communem creditorum causam, vel ad solutionem unius ex prioribus mutuò darent, alias priores periclitarentur, quia posteriores magis forent providi, quàm in prioribus temporibus observabatur.

Pro Quarto, ut quia debitor, qui beneficio utitur, adhuc satis solvendo esse æstimatur, nulla interventio uxorum aliquo capite admittatur, sed ea non attentâ executio demandetur, vel etiam debitor tanquam non solvendo habitus & ut bonis cedat astringatur, quia per admissionem talium interventionum ex constitutione merum fieret ludibrium, & creditores etiam ad particularem solutionem nunquam pervenirent.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XII.

In constituendo curatore bonorum, si non convenit, Iudex majorem aut creditorum consensum aut utilitatem sequitur.

IUdicis est constituere curatorem bonorum, at in eo sequi voluntatem & assensum creditorum, (1) si inter hos non convenit, id præferendum est, quod major pars statuit. Ubi vero dubitatio est, quæ pars pro majore habenda sit, tunc præferendum, quod creditoribus omnibus utilius. (2) Utrumque neglectum querebantur creditores aliqui, ideo appellabant. *Audiri itaque merebantur in concursu creditorum Iacob Behren, die 2. Septembris Anno 1656.*

1. *l. 2. pr. ff. de Curat. bon. dand.*

2. *d. l. 2. pr. verb. majoris partis.* Ità circa ea quæ ad concursum pertinent, juri convenit, *l. jurisgentium 7. §. fin. ff. de Pact. l. fin. C. qui bon. ced. poss.*

3. Non semper constat quæ pars major sit, quando non ex numero sed aliis ex circumstantiis id censendum est, *l. majorem 8. l. seq. ff. de Pact.*

4. *d. l. majorem 8. eod.*

DECISIO XIII.

Cessio coram libro publico non est neganda vel suspendenda ob interventionem alterius, ubi nihil interest, nec illa nocet.

EX moribus civitatum notum est, quod eum alienationes ædium aliarumque rerum immobilium fiunt, cessio solennis coram Senatu fit & libro publico inscribitur, quam vulgo die Verlassung vocamus, postquam dominium demum quæritur. Nihil autem frequentius quam petitioni ejusmodi inscriptionis intercedi ab his, qui in re vel ad rem jus habent, quod salvum sibi servari intendunt. (1) Is vero processus in talibus servatur, quod Senatus urbium, coram quo petitur cessio, facta contradictione causam ejus examinat, de illa summariè inquirit & cognoscit. Utillam reperit fundatam nec ne, ita deinde an inscriptio facienda sit nec ne, decernit: Hoc verò præprimis inspiciendum est, primò, utrum contradicenti jus ad rem sit, ob quod alteri acquisitionem juste prohibeat. (2) Deinde etiam, utrum intersit contradicentis inscriptionem non fieri prius, sine hoc minime sufficit. (3) Observatum hoc est in tali specie, ubi creditores parentis liberis cessionem publicam & inscriptionem ædium ab avo denotatarum petentibus, quod istius hæredes essent, ideo & ipsorum bona ad concursum creditorum corpusque bonorum pertinerent, contradixerunt, & istam fieri prohibuerunt. Etsi enim probata immixtione sine inventarii beneficio etiam ex bonis aliunde quæsitis creditoribus à filio satisfaciendum, ideo non ut parentis sed ut filii creditores sunt, (4) tamen quamdiu de eo controversia fuit, non admittenda inscriptionis prohibitio, quod nihil creditorum interest. Etiamsi enim facta fuit inscriptio, tamen nihilominus ubi simplices hæredes fuisse convincuntur & propria bona æri alieno patris obnoxia fiunt, & post finem litis creditoribus cedent. Ut pro securitate possessionis etiam fieri magis interesse videatur. Inde non obstante contradictione injunctum Judicio inferiori, ut cessionem & inscriptionem salva de cætero creditorum petitione fieri curent, *ad petitionem liberorum Dieterich Statlanders contra creditores paternos.*

1. Ideo publicè coram confessu Senatus apertis januis & intrandi cuilibet facta licentia inscriptiones fiunt, ut cuilibet rescisendi & impugnandi sit copia.

2. Contradictio non justificata per causam nihil operatur, ideo non attenditur. *l. si cum dotem 22. §. nec non illud 6. ib. Bald. Gothofr. ff. Solut. Matrimon.*

3 Non competit alicui actio, nisi ubi interest agi. *l. in hac 3. §. si mecum seq. ff. ad exhibend.*

4. Ex quasi contractu qui inter creditores Defuncti & hæredes ejus intercedit. §. *1. Instit. de Oblig. ex quas. contr.*

TIT. LXXII.

DE BONIS AUTHORITATE Iudicis possidendis seu vendundis & de separationibus bonorum.

DECISIO I.

Possessio & perceptio fructuum præterita non excludit ab immissione, nisi certa & ita comparata, ut inde solutum certo concludi possit.

POssessio quidem rei & perceptio fructuum ex immissione pro credito, solutionis exceptionem fundat valde gravi præsumptione, (1) ut postquam à possessione discessum, iterum creditoris hæres vel cessionarius immitti non debuerit, nisi liquidatio crediti præcesserit: (2) attamen non aliter, quam si creditor vere antea immissus reperitur & in perceptione fuerit, idq; statim ex cõfessione vel aliis indubitatis argumẽtis constat. (3) Deinde si & tanto tẽpore talis possessio duraverit, ut interea creditor ex fructibus

Digitized by Google

ctibus suo potiri potuerit. (4) Siquidem negatur possessio & perceptio, nec in continenti probatur, nihil ex eo proficiet solutionis exceptio. Etsi vero illa in continenti probata fuerit, attamen non docetur tanti temporis, quo æquos credito reditus habere licuit, tunc immissio non erit deneganda, liquidatione tunc post illam reponenda. (5) *Uti judicatum in causâ Otto Cluvern, contra Benedict Bremern, die* 11. *Ianuarii Anno* 1658.

1. *Vid. Menoch de Præsumpt. lib.* 3. *præs.* 135. *num.* 11. *&* 12.

2. Sicut ab initio solutionis exceptio, si statim probatur, impedit immissionem, ita cum facta fuit, post ejus verisimilia argumenta multo magis non sinit fieri reiterationem.

3. Executivum processum, ut est super liquidis debitis, nihil impedit vel sistit, nisi quod statim liquidum est. Quæ altioris indaginis sunt remittuntur ad processum ordinarium. *Coler. de Process. Executiv. part.* 1. *cap.* 10. *num.* 242. *&* 252.

4. Oritur solutionis probatio ex præsumptione, quæ non aliter vim habet, quam si in quo fundatur seu ex quo desumitur, verum & extra controversiam sit. Alias cessante præsumptionis argumento & ipsa cessat. *Cravett. cons.* 342. *n.* 7.

5. Diuturnitas perceptionis fructuum ex re debitoris causa est de solutione præsumptionis *Menoch. dict. præsumpt.* 135. *n.* 12.

DECISIO II.

In profugi bona tanquam latitantis quando facienda immissio creditoris nec ne.

CUm à creditore conventus profugiebat, extra domicilii locum vagabatur, rogabatur immissio in bona, possessio & distractio. (1) At negata, quod non adessent ad hanc necessaria, Nec enim aliter fit in bona absentis, nisi primo latitet; hoc est, ita se subducat, ut potestatem sui non faciat, seu qui eum convenit ejus copiam non habet. (2) Secundo, ut ideo discesserit foras, vel se occultaverit, ut contra se actio non moveatur. (3) Tertio, ut fraudandi causa fuga vel latitio fiat. (4) Quarto, ut fraus intendatur contra creditores, (5) & quidem eum, qui agere vult, at rei copiam non habet. (6) Quinto, ut prius fiat denunciatio, (7) & quidem ac domum testato, adhibitis testibus. (8) Quorum neutrum occurrebat in eo qui cum hoste conspirasse incusatus pro evitando graviore incommodo secesserat, ideo contra talem rogata immissio non decreta est *ad supplicationem Obrist Lieutenant Iohann von Lipfelt, die* 20. *Ianuarii Anno* 1658.

1. *Nempe ex edicto Prætor in l.* 2. *pr. l. Fulcinius* 7. *§.* 1. *ff. Quib. ex caus. in possess. eat.*

2. *d. l.* 2. *§.* 1. *ff. eod.*

3. *l. eum qui* 36. *ff. de Reb: aut. Iud possid.* Quo circa alia ex causa absens multo magis qui hostium vel violentiæ se abscondit latitare non dicitur. *d. l. Fulcinius.* 7. *§. quid sit autem* 4. *ff. Quib. ex caus. in possess. eat.*

4. *d l. eum qui* 36 *ff. de Reb. auth. Iud.* Latitatio animum & affectum latitantis desiderat. *d. l. Fulcinius* 7. *§. adeo autem ff quib. ex caus. in possess.*

5. *d. l. Fulcinus* 7. *§. sed is qui fraudationis eod.*

6. *In ead. l. Fulcinius §. quid si adversus* 7. *ubi ita exponitur & restringitur.*

7. Quæ in jure detestatio dicitur quia fit absenti de eo, quod coràm significandum erat. *l.* 4. *§. Prætor. ff. de damn. infect. l. subsignatum* 39. *ff. de verb. Signif.*

8. *c.* 1. *&* 2. *de For. Compet. in* 6.

DECISIO III.

Immissionis effectus post illam non est suspendendus ex tempore ad solvendum præstituto.

COnquerebatur appellans, etsi judex à quo non decrevisset modo immissionem sed & illa jam facta esset, tamen effectum ejus, nempe fructuum perceptionem, cum rogaret, sibi denegatum & debitori præfixum terminum intra quem solvendi arbitrium, post illam demum si non solveretur vim ista haberet. Nec deerat conquerendi ratio. Primo enim juri contrarium est, immissionem ex secundo decreto, qualis ista fuit & ex consuetudine Pomeraniæ esse debuit sine fructuum perceptione esse, (1) adeoque inanem fore cum in id proficere debet executio, ut creditor suo potiatur, alias instar campanæ sine pistillo futura. (2) Deinde ordini judiciorum repugnabat, quod ante executionem fieri solet, post illam jam factam cunctanter admittere aut iterare. (3) Nec causa erat indulgendi, postquam ante decretam vicissim & ante executam immissionem satis temporis indultum fuerat, intra illa non facta ulterior dilatio justa non videretur. (4) Iniqua etiam quod cum non levi incommodo creditricis conjuncta, cum illi imponeretur sumptuosa & difficillima durantibus motibus bellicis decreti insinuatio, metuendum etiam ne ex innovatione hac aliquid præjudicii aut nova lis oriretur. (5) Considerato præter hæc, quod creditrici competebat jus retentionis in iis bonis unde dejecta, ideo statim restituenda erat, adversæ autem parti jus nullum amplius cum ex bello ortum perillud desierat, eo æquius erat, illam audiri, ut frueretur sine mora jure cum immissionis tum retentionis. (6) Ut autem debitoribus reluendi spacium manet, ita hoc saltem relinqui visum fuit. *In causa viduæ Georg Behren contra viduam Baronis Hans Wachtmeisters die* 6. *Aprilis Anno* 1658.

1 Effectus

Digitized by Google

1. Effectus immissionis ex secundo decreto est fructuum velut ex pignore, quod tribuit perceptio eorumque in creditum imputatio. *l. in venditione §. 1. ff. de reb. auth. jud. possid. Wesenbec. in Paratitl. d. tit. num 2. & 3.*

2. Executio tanquam ultimum juris non debet esse inanis, ne alias omnia quæ antecedunt reddantur inania atque eluforia. *l. 2. C. de Exec. rei jud.*

3. Ordo jurisdictionis non est præposterandus sed exacte observandus. *l. 2. C. de Iurisd.* quo sine nullitas processus nascitur.

4. Est quidem judici quoddam dilationum arbitrium circa executionem *l. 2 ff de Re Iud.* sed non post eam, quando victori jus plenius quæsitum est iterum non auferendum nec impediendum. Nec etiam ante eam, nisi ex rationabili causa, quæ judicem ad indulgentiam urgeat. *Color. de Proceſſ. execut. part. 3. c. 6. num. 8. seq.*

5. Quod circa executiones quam maxime cavendum *l. si se non 4. §. ait Prator. 3. ff. de Re Iudic.*

6. Per executionem præstandum, ut victrix pars judicati emolumentum habeat *l. 2. C. de Execut. rei jud.* & res diu protracta tandem ad effectum perducatur. *l. 3. C. eod.*

DECISIO IV.

Immissio creditoris in bona debitoris nihil mutat ex jure & conditione conductoris.

APpellabatur à decreto judicis ad instantiam creditoris, prohibentis exportationem & venditionem frumenti colono, qui prædium conduxerat, in quod creditor ille debitoris immissus fuerat. Siquidem ipse debitor fundum coluisset & tenuisset, nihil gravaminis interdictum habuisset. (1) At postquam fructus non sunt ipsius, sed coloni, pro iis pensionem seu mercedem solventis, non caret iniquitate, cum ipsi propter debita locatoris nihil damni & incommodi inferri debuerit, (2) Immissio quippe in bona debitoris quæ alii locata sunt, nihil immutat ex jure & utilitate coloni, cum etiam immissus locationi debitoris stare cogatur, (3) nec ultra huic teneatur ac ad mercedem quam locatori debuit, (4) De qua si iste securus esse potest, ultra prohibitionibus quæ perceptionem & utilitatem onerant vel impediunt, gravari haud debet. (5) Obtinuit itaque appellans processus, quo non impediretur in his quæ per contractum conveniebant. *In causa Ernst Weiers vvider den Hoffgerichts-Rath Mattheus Liebherren die 1. Februarii Anno 1659.*

1. Qua debitorem effectus immissionis ex secundo decreto est, ut fructus cedant immisso, ideo demuntur debitori, itaque prohibetur eos, donec solvit, percipere.

2. Juxta regulam juris quod alteri per alterũ iniqua conditio inferri non debet. *l. non debet ff. de Reg. Iur.*

3. *Bartol. in l. in venditione §. 1. notabil. 2. ff. de Bon. auctor. jud. possid. Tiraquell. de Retract. convent. §. 3. gloss. 1. num. 15.*

4. *Moller. 4. Semestr. 14.*

5. Succedit creditor in locum debitoris locantis nec melioris conditionis esse potestautor, *l. cum hæres 11. ff. de diverſ. & temporal. præscript. l. 1. l. 2. C. si adverſ. credit.* qui facere tenetur ut colonus re conducta fruatur. *l. ex conducto §. 1 ff. locat.*

DECISIO V.

Immissio post excitatum concursum facta, nihil juris vel prioritatis tribuit, quod sine ea habitum saltem attenditur.

IMmissio creditoris in bona debitoris pignus prætorium (1) vel judiciale tribuit, (2) sed ita si fit antequam concursus creditorum excitatur. Post illum bona creditorum fiunt communia, nec contra debitorem ad unius vel alterius creditoris instantiam fieri debet immissio vel executio. (3) Facta nihil proficit ad jus quoddam in re vel prioritatem in ordine contra alios creditores obtinendam, sed perinde est ac si facta non esset. (4) Si quid vero juris alias ex privilegio vel pignore ratione crediti habet creditor hoc fruitur. *In concursu Creditorum Claus Horns contra Vlrich Buckovven die 26. Martii 1659.*

1. *l. 1. C. de Prator. pign.*

2. *Tot. tit. C. si ex cauſ. judic. pign.*

3. *l. quod autem 6. §. sciendum 7. ff. quæ in fraud. credit.*

4. Paria sunt non fieri & non rectè factum esse, *l. quoties 6. ff. qui satisd. cog.*

DECISIO VI.

Immissio ex causa judicati fit in ædes, quas debitor condemnatus ex causa pignoris tenet, etsi alterius sit.

QUando creditor ex causa crediti in ædes immissus fuerat ejusque creditor contra ipsum egerat, & mandatum de solvendo executivum impetraverat, nunc executionem urgebat, nec tamen erat, in quid fieret, nisi creditum istud, cujus causa immissio processerat, in consultationem veniebat, quomodo ista erat facienda? Ita communiter fieri solet quod debitori debitoris mandatur ne solvat suo creditori, sed tantum ei cui condemnatus erat, (1) id quod expeditur mandato tum arrestatorio, (2) tum de solvendo secundo creditori. (3) At in præsenti specie ultra procedi posse & debere putabatur, ubi debitor condemnatus debitoris bona ex causa pignoris judicialis jam possidebat, nec nudus debitor erat. Quicquid enim juris iste habet, id contingere potest creditori ejus, qui in omne ejus jus succedit. (4) Ideo sicut ille à debitore suo possessionem & fructum obtinuit, ita in eandem

Digitized by Google

dem immissio ejus nomine non potest esse injusta præsertim ubi etiam necessaria. Postquam enim debitor immissus erat, non satis prospectum creditori esse potuit per nudum mandatum ad istius debitorem, qui ædes illas vel creditori suo relinquere, ideo hasclam alienare, vel aliud agere in præjudicium ejus potuisset, vel cum creditore colludere & uterque diu solutionem in alterius noxam differre. Melius itaque visum nec injustum, immissionem in ædes, in quas immissus erat debitor decernere, & facultatem dare victori ea faciendi quæ jure poterit debitor, (5) in quo nihil injuriæ infertur debitoris debitori, quatenus illa immissio tantum fit in jus, quod hujus creditor obtinuit, nec conditio hujus exinde deterior redditur. (6) Hoc tantum non licet, (7) de cætero fas nomen debitoris qualecunque sit cum omni jure suo ex causa judicati pignori capere atque exigere. (8) Quod consideratum & observatum circa executionem *in causa Peter Boyen contra Niclaus Eikhoff die 11. Maij Anno 1660.*

1. Ita fit executio, cum nomen debitoris pignori capitur *l. 2. C. quando fiscus vel privatus debeat.*

2. Tale sequestratorium plerumque procedit ad eum finem quo inter ea donec solutio facienda, nempe intra tempora judicati, deterior reddatur creditoris conditio, dum forte solverit debitoris debitor, quod eo remedio avertendum: *Fab. in C. lib. 41. tit. 10. def. 7. num. 1. seq.*

3. Hoc obligat debitorem debitoris ad solutionem & solventem reddit securum.

4. Hoc executioni, quæ fit in nomen debitoris, conveniens & consequens est.

5. Sub ea conditione eoque modo fieri potest & non aliter immissio vel pignoris capio *l. verb. quatenus tamen ipse debet Cod. quæ res pign.*

6. Ita demum valet executio in nomen debitoris, si debitoris debitor ex ea executione non læditur. *Fab. in C. d. t. 10. defin. 6.*

7. *l. 3. C. quando. fisc. vel priv.* Non potest creditor plus juris habere ex persona debitoris sui quam ipse debitor idemque Creditor obtinuit. *Arg. l. nemo plus 53. ff. de R. I.*

8. *d. l. 2. ibid. Gloss. & Dd. Cod. quando Fiscus vel priv.*

DECISIO VII.

Immissio pro sorte & usuris diversimode fit, quando assignantur certa bona.

IMmissio ex secundo decreto vel fit in omnia debitoris bona, vel saltem in quædam. Et hoc aut ab initio, aut cum generatim in omnia facta fuit, deinde per assignationem certorum restringitur, sicuti sæpius fit, quod creditor immissus petit sibi hæc assignari, quo separatæ illius à cæteris creditoribus rationes sint, (1) Hoc ubi fit, non ut immissione indefinite facta, alia non est ratio usurarum ac sortis dum pro iis æqualiter bona detinentur, (2) sed pro sorte assignatur certa eaque tanta pars, unde quotannis currentes usuræ juxta consuetum æstimandi modum seu solitam proventuum rationem haberi queunt; (3) pro præteritis autem usuris, non quanta illarum summa est, cum non lucrentur ex iis usuras annuas, dum usurarum usuræ ne quidem ex causa judicari capiuntur, (4) sed ut ex assignato unius anni usura redigi queat, præsertim cum ex constitutione provinciali non debetur hoc tempore amplius, quam vetus & currens unius anni usura. (5) *Ita decretum in causa viduæ Georg Behren. Die 18. Maij Anno 1658.*

1. Ita frequenter fit, ut creditores immissi pro evitanda difficultate administrationis rationum sibi petant tantum assignari ex bonis, quod suo credito sufficiat, & hoc audito debitore mediante taxatione decernitur. Ex quo velut antichresis constituitur tamdiu durans, donec vel reluitio fit vel ad adjudicationem seu distractionem devenitur.

2. Habentur bona in quibus creditor immittitur propignore & fructus ejus imputantur in creditum, tam sortem quam usuras. *l. solutum §. si sortem 3. ff. de Pignor. act. l. 1. l. 2. C. eod.*

3. Horum habenda est circa æstimationem & assignationem ratio. *l. si quos 16. Cod. de Rescind. vendit.*

4. *l. ut nullo 28. C. de Usur.*

5. Divisit Imperii recentior Constitutio usuras in certorum annorum pensiones, hac in re nisi statuto vel consuetudine provinciali aliud introductum, observanda.

DECISIO VIII.

Iudex plures esse creditores sciens, at de eorum jure ignarus, uni præ altero immissionem vel adjudicationem non tribuet, sed de omnium jure prius cognoscet.

POst longam super jure retractus litem finitam tandem accedebat quæstio, cui pecunia solvenda esset, existentibus pluribus, quibus à venditore debeatur, eo vero juxtim manifesto omnibus simul satisfieri non posse. Etsi vero unus & alter maxime instabat, nec eorum vigilantia culpari poterat, (1) judex etiam si nesciviſſet alios præterea creditores instare ipsis ut magis vigilantibus jus dicere & præbere debuisset. (1) Postquam vero illi cognitum, præter urgentes creditores alios adesse, utut nondum perinde instarent, æquum visum est judicem etiam illorum rationem habere eatenus, ut occasionem præbeat qua cum cæteris audiantur, interae petitā immissionem differat.

Con-

Digitized by Google

Concurrentibus pluribus & tot creditoribus, quibus omnibus solutio fieri nequit, perinde est ac si jam possessa essent bona (3) vel in eo statu, ut possideri debeant. (4) Tunc paria fiunt omnium jura. Nec gratificationi amplius locus est. (5) Quocirca congruum fuit ante immissionem aliquorum citare aut commissarios à quibus citentur deputare, sic audire & ita demum de immissione & adjudicatione statuere, ne deinde hæc ipsa in litem atque sic ex lite lis oriatur. *Sic ordinatum inter creditores Balthazar Sachtleben Senioris die 20. Octobr. Anno 1661.*

1. Creditori ad suum consequendum sibi vigilare licet *summa 22. §. sed etsi quis ff. de pecul.* etiam si qui à debitore pecuniam accipit, cum non amplius solvendo esse scit. *l. qui autem 6. §. sciendum 7. ff. quæ in fraud. credit.*

2. *l. qui autem 6. §. apud Tabernam 6. eod.* vigilantibus jura scripta sunt *l. pupillus ff. dict. tit.*

3. Post bona possessa non amplius est locus petitioni vel receptioni unius *d. l. qui autem §. sciendum* ubi dicitur ex eo paria omnium fieri creditorum jura cui consequens ab uno vel altero præoccupari alterius non posse *l. procuratoris 5. §. fin. l. seq. ff. de tribut. action.*

4. In tali specie non capit immissus præcipuum, sed unius immissio proficit etiam cæteris creditoribus *l. creditoribus 14. §. 1. ff. de reb. aut. jud. possid.*

5. *l. si non expedierit 6 §. pupillus cum §. seq. ff. dict. tit. l. pupillus 24. ff. quæ in fraud. credit.*

DECISIO IX.

An & quando immissus creditor post amissam possessionem à debitore fructus cum re juste petit & impetrat.

IMmissus in bona creditoris debitor ut ex fructibus sortem & usuras reciperet, eorum possessione exciderat, inde à debitore ad quem res vacua reversa erat una cum re fructus perceptos atque percipiendos repetebat, is exceptionem liberationis ex perceptis ab ipso per longum tempus fructibus opponebat, probationem offerebat, replicabat creditor, se super exceptione respondere non teneri, antequam fieret restitutio atque pro se jam sententiam obtinuerat. Ille verò appellatione interposita argumenta liberationis plura adducebat, rationes à creditore & super iis instrumenta edi exigebat. Quæsitum hinc fuit, utrum debitori de judicis isto decreto justa querendi causa esset? Siquidem creditor contra debitorem ut spoliatum expertus esset de restituendo, justitia sententiæ caruisset omni dubio juxta regulam, quod spoliatus ante omnia restituendus sit (1) nec nisi restitutione facta spoliator audiendus. (2) At nihil ex narratis apparebat, unde aut spolium commissum (5) aut de eo à creditore dictum actumve appareret? sed tantum defensionem possessionis à Prætore juxta interdictum eo nomine datum petiisse videbatur (4) si jus commune solum in illo admittitur exceptio liberationis. (5) Eoque magis in præsenti casu admittenda videbatur, quod in libello plures rationes allegabantur, ex quibus valde verosimilis ista erat. (6) At ex constitutione ducatus Bremensis von wucherlichen Contracten exurgebat maxima dubitatio. Quemadmodum etiam ex illa judex statim creditorē, cujus creditum liquidum est, in bona debitoris immittit, non attenta exceptione quæ altioris indaginis est, sed eam ad ordinarium forum & processum seponit, ita etiam videtur immissione semel facta ubi amittitur possessio statim juxta illam esse restituendam. Id quod judex prioris instantiæ videbatur attendisse: verum putavimus in eo discernendum esse, utrum factæ liberationis saltem argumenta proferuntur, quæ probationem nullam faciunt, an talia ex quibus judici liberatio ita fit verosimilis, ut non aliter credere possit quam debitum jam esse exsolutum. Præsertim verò ubi liberationem allegans tantum fidei pro se facit ut onus probandi contrarium rejiciatur in adversarium, sicuti evenit ex præsumptione juris aut pluribus ejusmodi conjecturis, quæ istis æquiparantur, & à probandi onere liberant. Siquidem enim allegans liberationem probare non tenetur, sed ab eo liberatur, perinde est atque si jam probasset, & habetur probata, dum ab adversario contrarii non sit probatio. Sicut itaque præsumptio juris efficit, ut ab initio executivè non procedatur, sed exceptio quæ istam initur attendatur, ita etiam post immissionem jam factam, at possessionem amissam similis ejusdem ratio habenda erit. Quando autem ab appellante allegabatur pro liberationis præsumptione inducenda possessio prædii sui per plures annos fructuumque ex iis perceptio, deinde post illam habitam diuturnum silentium, existebat inde argumentum factæ liberationis. Inde si ex actis talia deprehendentur, creditum non ita faciendam condemnationem, sed appellantem prius ad rationes esse adigendum. Processus ideoque appellans meteri putabatur *in causa Otto Cluvers contra Benedict. Bremern die 3. Junii Anno 1662.*

1. *c. in literis c. conquerente de Restit. spoliat. l. 1. §. 1. ff. de vi & vi. arm.*

2. *Gail. 2 observ. 76. num. 5.*

3. Hoc ut delictum non præsumitur.

4. *Jun. tal. l. 1. & tit. ff. ne vis fiat ei qui in poss.*

5. Interdictum: Ne vis fiat ei qui in possessionem missus fuit ob creditū, non datur ei cui justa obstat exceptio *l. 1. §. hac verba vers. proinde ff. dict. tit. in terminis. Menoch. retin possess. remed. 1. num. 35.*

Digitized by Google

Ratio est quod obligatus non dicitur amplius cui justa exceptio competit *l. vel obligatis ff. de lib. causâ l. Fulcinius* §. *idem ait ff. quib. ex caus. in possess.* ideo nec debitum superesse putetur. *Bald. d. l. Fulcinius* § *cum hoc num. 6. Rom. consil. 454. num. 9. ubi eam rationem his applicat.*

6. Verosimile instar veri habet & judicem movet ut quamdiu alia veritas non appareat illud sequatur *Eberhard in Top. legal. in loc. à verosimil. Cacheran. Consil. 12. num. 60.*

DECISIO X.

Immisso creditori, non quia adinopiam devergit, ideo bonis cedit, statim ademta collectio & perceptio fructuum, multo minus reddenda debitori.

APpellabat creditor in bona debitoris juxta constitutionem Ducatus Bremensis immissus, quod ad instantiam debitoris ipsi ademta fuerat, qua hactenus usus erat, fructuum collectio & perceptio, cujus prætextus sumebatur ex ipsius inopia inde suborta bonorum cessione. Siquidem istius creditores talem prohibitionem seu sequestrationem custodiæ causa rogassent, rationis quidquam haberet, quod ex cessione bonorum debitoris in hac jura desinunt & in illos transeunt (1) cum pleno jure administrationis. (2) At quando nihil instantiæ ab iis factum, tantum debitor, cujus bona erant, impetrasset, ab ista appellationem recipiendam esse visum fuit. (3) Est quippe ea prohibitio privatio vel ademtio possessionis ejusque commodi, quæ sine causa ejusque cognitione fieri non debet. (4) Etsi vel sequestrationem eam interpretari velis nec ista licita erit, quatenus commodum illud aufert, (5) ubi ejus non est justa ratio, simul etiam inevitabilis necessitas, quæ duo ad sequestrationem requiruntur. (6) Causa hic apparet nulla; Paupertas minime sufficit, ut cuiquam quæ habet auferantur, nisi quatenus ad satisfaciendum creditoribus ita fit. Dum creditores nondum petunt sibi cedi eam bonorum partem, frustra petit hoc debitor. Ipsorum causa impetrare nequit dum sine mandato agit: Sui quoque causa deest ratio. Etsi enim jam se suaque bona liberata esse dicit, haud tamen proficit, dum ex bonis factam solutionem nondum docet. Etsi quidem in eum casum si sua creditor recepisset cum securum esse convenit, attamen haud ideo alter seu creditor est spoliandus possessione & fructibus, seu ad sequestrationem ipsius rei properandum est, sed aliis remediis prospectum esse potest debitori, appositio custode & justo illo cavere, & donec illud fiet fructus perceptos vel illorum pretium in publico loco deponere. *Auditus ideo appellans David Herlin contra Anthonium von Wersabe die 2. Sept. Anno 1662.*

1. Hic est cessionis bonorum effectus.

2. *l. 2. & tot. tit. ff. de Curat. bon. dand.*

3. Contra talem prohibitionem & sequestrationem injustam remedium est ab appellatione. *Fab. in C. lib. 4. tit. 3. def. 2. num. 3. seq.*

4. §. *commodum Inst. de interdict. l. pen. ff. depos.*

5. *l. un. C. de prohib. sequestr. pecun.*

6. Sequestratio est remedium plane extraordinarium, odiosum & subsidiarium uti *Salycet. in d. l. un. vocat.* cui locus esse nequit nisi ex causa eaque urgente & aliud ordinarium remedium non habente *l. auxilium 37. ff. de minor.*

DECISIO XI.

Ob partem pretii non solutam in totam rem venditam immitti quidem potest venditor, at non distrahi nec adjudicari quamdiu quanta restet illiquidum est.

PRetium ex venditione debitum qui totum se non accepisse dicebat se in rem venditam tanquam hypothecam immitti petierat & cum apochâ vel alio modo solutio facta statim non doceretur impetraverat. (1) Nihil ex eo injuriæ illatum est emtori, cui incumbit solutionis probatio. (2) Qua non facta solutum non præsumitur. Nec quicquam obstare poterat quod non vilis pretii pars etiam actore confitente soluta fuerat. Nam pro residua parte pretii tota res jure pignoris reperi & retineri potest. (3) Nihil iniquitatis id habet quod totam rem & partem pretii ita venditor accipit (4) ubi hoc contingit ex non impleto per alterum contractu (5) & per ipsummet stet cur retinere nequit (6) qui etiam oblato integro pretio retinere potuit, nunc recipere potest. [7] Ad distractionem etiam vel adjudicationem deveniri ponet pro parte residua accipienda (8) modo certū sit quantum adhuc debeatur. Dum de eo contenditur immissio quidem non differtur & manebit in possessione venditor immissus, fructus etiam percipiet computandos velut ex pignore in hoc quod debetur (9) at quiescere debet adjudicatio vel distractio, & prius super liquidatione inter partes causa finiri. Eo intuitu in ejusmodi lite inhibitio post interpositam appellationem non injuste denegatur *in factum in causa Heinrich Steven contra Iohan Kopken die 22. Octobris Anno 1622.*

1. Juxta

Digitized by Google

1. Juxta constitutionem Ducatus Bremensis von den wucherlichen Contracten cui etiam in hac specie locum esse creditum fuit quando fides de precio habita nihil differt ab aliis creditis.

2. Solutio facti est & ab allegante probanda.

3. Pignoris obligatio individua est, ideo pro quavis parte crediti etiam minima vindicatur atque retinetur donec solvitur *l. quamdiu 6. C. de distract. pignor. l. 2. C. debit. vendit. pign. impedire.*

4. Pretium & rem simul retinere bonæ fidei contrarium est *l. ex empto 11. §. quia autem l. bona fides ff. de action. empt.* at si fit sine bona fide non si oritur ex mala alterius fide.

5. Justa est retentio rei venditæ etiam soluto precio, quamdiu deest à parte emptoris præstandum.

6. Quod per alium stat ut non reddatur pro reddito vel præstito habetur.

7. Qui potest facere ut possit, posse videtur *l. qui potest 174. de R. I.*

8. *vid. Fabr. in C. lib. 4. tit. 33. def. 8.*

9. *l. 1. l. seq. C. de pignoratit. act.*

DECISIO XII.

Creditor immissus imputat in creditum fructus non tantum perceptos sed etiam percipiendos. At secundum præsentem rei conditionem.

IMmissus ex causa judicati in bona debitoris creditor in his pignus consequitur, (1) & tenet donec legitime fit aut distractio aut adjudicatio. Ea immissio vim secundi decreti habet, & ex illa ad creditorem immissum transit jus percipiendi fructus (2) quos ille primo in usuras, quod istorum has excedit in sortem imputare tenetur. (3) Existit vero frequens inter creditorem & debitorem cum rationes redduntur, ut ad illas teneatur creditor de quantitate fructuum, hoc plerumque quo eo citius liberetur ac rebus suis repotiatur, majores perceptos obtendente. Atque ita ex jure sentimus, creditorem teneri credito imputare fructus non tantum perceptos, sed etiam percipiendos. Sic quippe pignore frui debet ut bonus paterfamilias frui potest vel solet, ideo & eis fructus in solutum acceptos ferre quos percipere illi possibile fuit. Quod tamen censendum est pro præsenti rei statu, nec ultra imputandum quam pro eo ex pignore habere diligenti patrifamilias possibile erit. (4) Et si itaque annis anterioribus debitor vel quivis alius majores percepit fructus, haud tamen ut illos creditor sibi imputare sinat juste exigit, si res non est in pristino statu, in quo tot frugum ferax fuit, aut si permutationes temporum acciderunt, quæ fructuum quantitate eam non permittunt: Sicuti post bellorum calamitates fundis diu incultis & colonis depauperatis tantum frugum ac sub pace inter omnia quieta & felicia percipi solitum nulla diligentia obtineri potest. (5) Deinde percipiendi possibilitas in eo quo res reperiuntur statu statuenda est non juxta id quod quovis modo extorqueri, sed quod peti & percipi potest juste congruè & civili usu, sicuti id sæpius in judicando observavimus.

1. *l. un. C. si ex caus. jud. pign.*

2. *l. prætor. 9. in pr. ff. de reb. aut. possid.*

3. *Vid. decis. 320. num. 5. part. 3.*

4. Ad impossibilia nemo tenetur.

5. Ut pretia rerum ita & fructuum præstatio variat.

DECISIO XIII.

Semel ob creditum immisso debetur restitutio rei & fructuum etiam percipiendorum, nisi statim doceatur exceptio liberationis.

CReditori immisso in bona debitoris ex causa crediti debetur defensio possessionis, (1) nec tantum quamdiu illam tenet, sed etiam cum amisit, ut restituatur (2) tum res possessa tum etiam omnes fructus (3) percepti & percipiendi. (4) Etsi enim debitor ejusve hæredes obtenderint creditori ex anteriori prædii vel bonorum possessione fructuumque perceptione esse satisfactum circa interdictum ne vis fiat ei qui in possess. per jus commune audienda est ea exceptio & ad illius probationem admittendus debitor: (5) Attamen ista non juvatur ubi agitur de restituendo semel possesso (6) nec non cum parata est creditori exsecutio, per statutum vel consuetudinem tum exceptiones altioris indaginis tuitionem possessionis, quæ etiam est in restitutione fructuum non remorantur, (8) Accessit in hac causa consideratio constitutionis Ducatus Bremensis, ex qua in liquidis paratissima exsecutio eam circa restitutionem adhibenda (8) ubi liberationis exceptio ex possessione priori colligi nequit, veluti si nondum apparet quanti temporis & an eo quo res detenta per bellorum calamitates fructus percipi potuerunt. (9) eatenus itaque confirmata est prior sententia quæ allegationem liberationis ex perceptione excluſit, *in causa Otto Cluvers contra Benedict. Bremern die 28. Octobris Anno 1662.*

1. De quo prætor immissis speciali interdicto cavit in *d. l. 1. pr. & toto tit. ff. nè vis fiat ei qui in poss.* Quod etsi verbotenus saltem de iis loquitur qui ex primo decreto missi sunt, tamen per rationis similitudinem ad creditores ex secundo decreto vel in hypothecam suam missos pertinet. *Menoch. retin. poss. remed. 1. num. 34.* Inde mandata sine clausulâ

Digitized by Google

ex eadem causa decernuntur. *vid. Petr. Fr. Mind. de mandat. lib. 2. c. 57. num. 3.* ubi addit quare in camera illud negatur.

2. Non tantum prohibitorium est interdictum prætoris, sed etiam restitutorium *l. 1. §. 2. l. 3. §. 2. ff. eod.* ex quo immissus possessionem si penes alium sine causa est, recipit *Meji C. I. A. ad d. tit. th. 8.*

3. Restitutio non fit nisi etiam restitutis fructibus l. videamus 38. §. in Faviana ff de usur. *l. in condemnatione 175. §. 1. ff. de R. I. l. 73 ff de V. S.*

4. Id ad omnes pertinet qui scientes tenent quod ad alium pertinere sciunt *l. sed etsi 25. §. sed. & fructus ff. de petit. hared.*

5. Executionem liquidi non suspendit illiquidam *l. statu liber. ff. de statu liber 5.*

6. Restitutio amissi sine mora fieri debet, nec defensio possessionis semel acceptæ indiget longo processu.

7. Ita habet qua istud interdictum JCtorum sententia, in executivis seu missione quæ ex instrumento paratam executionem habenti fit non attendi exceptionem, nec sinit per illam facta vitietur. Post *Afflict. decis. 178. num. 8. Menoch. d. remed. 1. num 30.*

8. Quemadmodum illa constitutio von wucherlichen Contracten prospicit rebus creditis ut paratissima executione suum quisque consequatur nec differatur longa litium tela, ita non tantum in illa impetranda, sed etiam conservanda finem suum servari vult. Quo circa non tantum ut cito accipiatur immissio, sed etiam ut retineatur curandum est. Retentioni non minus imo magis favetur quam petitioni *l. si servum 91. §. sequens 3. in fin. ff. de V. O. l. non debet 41. §. 1. ff. de R. I.*

9. Causa non restituendi antequam rationes discutientur uti justa est, quod tantum fructuum perceptum esse verosimile sit atque creditum fuit, ita injuste negatur restitutio, nisi de eo nihil apparet vel res valde dubia & altioris indaginis sit: id quod præsertim in executivis perinde est atque si non est *l. in lege ibi Gloss. & Bart. ff. de contrah. empt.*

DECISIO XIV.

Cum restitutionem rei fructuumque creditor immissus ex edicto prætoris aut can. retintegranda petit, non remoratur probatio liberationis, hæc tamen non excludenda est donec ista facta fuerit.

SPoliatus quidem adeo ante omnia est restituendus, ut ne quidem audiatur spoliator nisi restitutione prius facta: Attamen ubi extra vitium spolii debetur & petitur restitutio, non similiter allegationes & exceptiones rei rejiciuntur post restitutionem, sed ita utrumque curatur, ut fiat sine mora restitutio, attamen etiam admittatur exceptio ejusque probatio. (1) Siquidem ergo ex edicto prætoris ne vis fiat ei qui in possess. vel ex can. redintegranda de restit. spoliat. restitutio amissæ possessionis atque fructuum petitur, & restitutionis apparet æquitas, eadem recte injungitur, at post illam factum non recte allegatio & probatio rejicitur. Invicem ista semet compatiuntur, nec quod ex odio & in pœnam spolii introductum est ad alia remedia & in specie ubi spolii vitium abest, nec in retinente delicti quicquam adest applicandum. (2) In eadem causa.

1. Justitia ita suum cuique tribuit, ut non distrahatur ab ullius justiore petitione.

2. Odia sunt restringenda *cap. odia de R. I. in 6* nec metus pœna ultra commissum extendi debet.

DECISIO XV.

In contentione creditoris immissi & debitoris an ex fructibus bonorum jam perceptum sit creditum, quæ partes sunt judicis pro servando justo.

ACcidit debitorem in cujus bona creditor ut ex fructibus creditum redigeret immissus fuerat, ex obtentu tum per multos annos habitæ perceptionis, inde factæ liberationis, tum paupertatis debitoris superflua recuperandi spem adimente impetrasse, ut in posterum creditori perceptio adimeretur, & debitoris ministro concederetur: Appellatione vero interposita inde suspensa vi decreti creditorem administrationem retinuisse, postea autem debitorem de suo periculo conquestum securitatis remedium poscere. Statim à probatione perceptionis fructuum vel sequestratione initium facere est ab executione exordii, cui nisi causa cognita & deprehensa possessionis in justitia locus non est. (1) Exploranda prius veritas & quidem ex rationibus. Ex vel sunt jam discussæ, adeo ad liquidum demonstrandum aptæ, & prout reperiuntur sic statuendum est, vel adhuc sunt discutiendæ: Et tunc breve spacium determinandum, & nisi magnum in mora periculum sit, quid interea pateſcet exspectandum. (2) Quod si interea quid adhuc debeatur, vel an nihil reliquum eluceſcit, manifestum est immissum creditorem statim jubendum esse ex bonis discedere. Ubi vero adhuc res dubia manet, est judicis dispicere, quid verosimile sit, collatis nimirum rationibus & reditibus fundi vel prædii communiter percipiendis, habita tamen simul ratione onerum & impensarum. (3) Ut si per probabilia argumenta non aliter colligere poterit, quam omne creditum ex perceptis fructibus esse redactum, jubeatur in posterum relinquere istorum perceptionem debitori, præstita tamen cautione, ut si postea residuum debiti reperietur, illud

Digitized by Google

illud statim solvatur, aut in possessionem creditor redire permittatur. Ubi autem verosimilius erit adhuc ex credito non solutum restare, non dejiciendus est ex possessione, nec administratione destituendus creditor, sed ista penes illum relicta saltem providendum, ut debitor de eo quod ultra creditum percepisse probabitur securus sit, quod itidem cautione expediendum est: (4) Quam si præstare ille vel nolit vel nō possit, pro remedio placuit relicta possessione & administratione custodem ponere & permittere, ut debitor inspectione administrationis & collectionis utatur, fructus autem vel eorum pretium in judicio, vel ubi alias placuerit vel partibus vel judici deponatur, quod observatum *in causa Anthon von Wersabe contra David Herlin die 4. Novembr. An. 1662.*

1. *l. un. C. de prohib. sequestr.*

2. Ante discussionem rationum certo constare non potest, utrum immisso creditori ex fructibus perceptis integre sit satisfactum, ideo hæc præcedere debet antequam possessione privetur creditor.

3. Fructus non intelliguntur nisi deductis impensis.

4. Hæc ordinarium remedium est per quod arrestum tollitur.

DECISIO XVI.

Depositio instrumentorum facienda in judicio, cum multorum ea diligenter custodiri, nec apud unum illorum existere interest.

APud quem communia instrumenta existere & deponi debeant, siquidem omnium jura paria sunt, relictum est consensui eorum, quorum sunt ut de eo conveniant & cum discordant, majores partis voluntati. (1) Ubi vero ex hac definiri non potest, per prætorem de eo statuendum. (2) Ubi vero non eadem nec paria sunt omnium qua instrumenta jura, tunc vel apertum est cujus existunt potiora & apud eum relinqui debent, (3) cautione tamen ab eo præstanda, quod cum res exegerit, exhibere velit; (4) vel de eo res dubia aut obscura vel controversa est, multo magis ubi singuli in solidum ea sibi asserunt, tunc vel sorte res dirimenda est, vel tertius quisquam ut communis amicus consensu seu suffragio eligendus, apud quem deponantur, vel depositio fieri debet in æde sacra (5) seu in loco judicii. (6) Ad hoc remedium descendimus, quando de literariis instrumentis, quæ uxoris erant, sed apud maritum fuerunt, contendebant; ipsa sibi restitui volens, mater mariti ex filii jure dotem amissam obtendens, ideo retinere cupiens: Fiscus pœnam ob desertionis & incestus accusationem exigens. Singulorum interesse reperto, non aliud visum remedium ista depositione, tanquam in tali contentione solita melius, ubi omnium intererat apud unum contendentium non esse, & tamen ibi esse, ubi exhibitio & copia esset parata (7) *In causa Fisci contra matrem & viduam die Broberginnen die 24. Sept, Anno 1657.*

1. *l. cum plures 15. ff. de reb. autor. jud. possid.*

2. Cui præscripta est de hac regula *in l. fin. ff. de Fid. Instrum.* determinans quem alterum alteri, ubi jura alias paria sunt, præferri congruum sit.

3. *l. catera 4. §. fin. l. si qua sunt cautiones 6. verb. judex curare debet, ut apud eum maneant qui majore ex parte hæres sit. ff. Famil. erciſc.*

4. Quam conditionem adjicit jam allegatus textus.

5. Triplicem hunc modum de depositione instrumentorum communium contentionem dirimendi præscripsit JCtus *in d. l. si qua sunt cautiones 6. Famil erciſc.* Quorum priores duæ ex voluntate & consensu deponentium existunt: Ubi ad illum deveniri nequit, tertius à judice assumitur. *d. l. catera. 4. §. fin. eod.*

6. Olim in æde sacra depositiones fieri solebant *uti post textus jam allegatos apparet ex l. 1. §. 36. ff. Depos. l. acceptum 19. C. de Usur.* At hodie in usu id esse desiit, & ædis sacræ loco mos introduxit, ut fiant in loco judicii.

7. In illo remedio, quo omnibus circa instrumenta interessatis succurrendum est, hoc præcipue spectandum & cavendum est, *uti monetur in d. l. cum plures 15. ff. de Reb. aut. jud. possid. d. l. si qua cautiones pr. ff. Famil. erciſc.*

DECISIO XVII.

Proximis agnatis absentis, de cujus vita & morte res certa non est, debetur cura & administratio bonorum, at non sine sufficiente cautione nec juratoria sufficit.

QUamdiu nondum certò constat de alicujus morte, successio in bona ejus non admittitur, (1) sed succedere volens obitum probare (2) debet, & interea bonis absentis curator à magistratu dandus est, qui donec redeat aut mortuum esse doceatur, administret. (3) Et quidem ante cæteros iis deferenda est, qui ad successionem mortuo absēte proximi hæredes futuri, sunt (4) at ita, si ad administrationem idonei sunt & juxtim idoneam cautionem de frugali administratione & restituendis bonis, cum fructibus illo reverso præstent, sine quâ admittendi haud sunt. (5) Nec sufficit juratoria, etsi fidejussoribus & pignoribus illi cavere non

Digitized by Google

non queant. Nec enim illa habetur pro idonea in iis speciebus, ubi cautio necessaria est, (6) aut finis aliter atque ex bonis obtineri nequit. (7) Interest in ea specie magistratui, ne aliam quam fidejussoriam aut pignoratitiâ admittat. (8) Nec quod rejecit, injuriæ argui potest, (9) aut appellatio admitti debet. *Sicut rejecta fuit supplicationem Iodoci Butsteden, die 7. Martii Anno 1654.*

1. *l. si ejus 34. ff. ad SC. Trebell. l. 18. ff. de reb. dub.*
2. *Fab. in Cod. lib. 4. tit. 14 defin. 2.*
3. *Bartol. in l. 2. ff. de Curat. bon. dand.*
4. *l. 2. ff. de Curat. bon. dand. l. 7. §: plane ff. ex quib. caus. in poss. eatur. Fab. in Cod. lib. 3. tit. 25. defin. 5. num. 4.*
5. *Fab. in Cod. lib. 2. tit. 36. defin 8.*
6. *l. filius fam. §. iidem Principes ff. de legat. l. Ias. in l 1. num. 22. ff. qui satisd. cog. Cothman. resp. 18. num. 488. vol. 1.*
7. *Pek de Iur. sistend. c. 45. num. 8. seq.*
8. Nisi satis cautum sit absenti tenetur in subsidium. *Fab. d. l. 2. tit. 36. defin. 18. Munoz. ab Escob. tr. de Ratioc. c. 6. num. 39.*
9. Datur curator bonis absentis judicis arbitrio. *Bartol. in l. 2. ff. de Curat. bon. dand. Dec. Consil. 575. num. 1.* de quo nisi demonstrata sua sufficientia pro quantitate justa non est querela.

DECISIO XVIII.

Immissio non reddenda creditori qui fructus percepit antequam rationes reddit.

IN executivis quidem exceptio solutionis vel liberationis non admittitur, nisi in continenti veritas ejus docetur, ideo istâ statim non manifestâ immissionem ex constitutione Ducatus Bremensis creditori liquidum debiti instrumentum pro se habent, multo magis semel immisso post amissam possessionem reddendam esse videri potuit, (1) præsertim ei, qui cum ex contractu possessionem atque fructuum perceptionem habuerat, ab illa sub spe consequendæ solutionis decesserat. (2) Verum quando reus ex perceptis diu fructibus solutum jam dicebat, idque demonstratione fructuum percipiendorum imo procul dubio perceptorum verosimile faciebat, liquidationem desiderabat, & ut cito fieret instabat, eam autem creditor refugiebat, existimatum juri magis convenire ut non juxta petita statim iteraretur immissio aut non cassaretur ejus à judice priori facta suspensio, (3) sed prius injungeretur liquidatio; (4) quandoquidem necessaria illa est & creditori, qui fructus percepit, incumbens. (5) Eo magis quod ex argumentis non levibus existebat ex eo quod percipi potuit receptæ solutionis præsumptio, atque quod plenior probatio non per reum sed per actorem stabat, (6) quem iterum immitti dum liquidationem perceptorum facere nollet cum ad illam teneretur iniquum erat. (7) Sic judicatum *in causa Eilardi Brumen contra Gothardum à Lith die 8. Octobr. Anno 1655.*

1. Quemadmodum juxta istam constitutionem creditor statim immittitur, ita immissus contra omnes turbationes præsertim debitoris defenditur & si possessione cadit, tanquam spoliatus aut defectus restituitur. *l. 1. ff. ne vis fiat ei qui in poss. Coler. de Proc. Executiv. in præfat. num. 30.*
2. Hic possessionem animo retinuit & defenditur magis quàm restituitur. *l. clam. possidere 6. ff. de acquir. poss.*
3. Ut solutionis exceptio ab initio impedit paratam executionem *Coler. dict. tract. part. 4. c. 1. num. 120. & seq.* ità factum suspendit.
4. Justa est de hac exceptio dum eam debet creditor *justa l. quæro §. inter ff. Locat.*
5. Creditor immissus tenetur ad rationes de perceptis fructibus quos imputat in creditum.
6. Cum per adversarium stat ut faciendum non fiat facti instar habetur. *l. 24. ff. de condit. & demonstrat.*
7. Non est in mora debitor, ubi non facit quod debet creditor, *l. si per emptorem 51. ff. de Act. Empt.* ex eo est exceptio non præstiti præstandi. *l. Iulianus 13. §. offerri ff. eod.* quæ etiam paratam executionem remoratur. *Coler. de tract. cap 3. num. 98. seq. part. 4.*

DECISIO XIX.

Separationis jus quod ipso jure competit manet post commixta bona, præsertim in immobilibus & cæteris bonis oppignorantis.

JUs separationis quod intra quinquennium petere per jus civile oportet (1) non ultrà locum habet, quàm bona defuncti & hæredis non sunt permixta. (2) Ex commixtione seu confusis definit. (3) Aliud verò nos observamus circa illam separationem quam consuetudo apud nos introduxit, cujus virtute creditores aviti seu defuncti præferuntur perpetuò, etiam nullâ separatione petitâ, creditoribus hæredis. (4) Nec refert utrum permixta sint bona an separatim habita, dummodo constet quæ & quanta à defuncto ad hæredem pervenerint. Est inde anterior persecutio adversus bona quanta unquam defuncti fuisse demonstrari potest, quod in immobilibus facilius dignoscitur. (5) Quod ad mobilia attinet, etsi difficilius de iis scitur, an defuncti fuerint nec ne, ubi tamen probatur ad quam usque summam ex iis hæredes lucratus sit, est in iis quoque creditorum defuncti proto præxia. (6) Nec tantum si hypothecæ nexu affecta fuerint hoc obtinet, (7) sed & perinde in cæteris. Imò licet tantùm in genere manifestum fiat quantum bonorum à defuncto acceptum, etsi omne id ab hærede consumptum, immutatum,

Digitized by Google

mutatum, alienatum erit, jure separationes quod præferentiam moribus nostris tribuit defuncti creditis in prima ordine est obnoxium. (8) Nec possunt de eo conqueri creditores hæredis, quorum conditionem adeundo deteriorem reddere licuit. (9) *In causa viduæ Balthasaris à Kalden contra creditores paternos die 10. Octobr. Anno 1655.*

1. *De quo vid tot. tit. ff. & C. de separat.*
2. *l. 1. §. præterea 12. ff. d. tit.*
3. De hac in superioribus diximus quomodo in Pomerania receptum, ut semper paterni & aviti creditores in bonis paternis & avitis præferantur.
4. Separatio hæc consuetudinaria nihil aliud est quam in concursu creditorum prælatio.
5. Horum cum bonis hæredis confusio rarius ità fit, ut separari nequeant; quare in iis separationi semper locus etiam per jus civile *vid. d. l. 1. §. præterea 12. ubi quod de confusis bonis dicitur sic declaratur*
6. Ratio juris separationis quod ex consuetudine apud nos obtinet, est in æquitate, ut prius creditoribus defuncti satisfiat antequam hæres & ejus creditores aliquid inde potiantur, ad hanc speciem pertinet.
7. In his perpetua separatio est, etsi hæc intra quinquennium non sit petita. *vid. Fabr. in C. lib. 7. tit. 32. defin. 15. num. fin. in not.*
8. Ità praxi quotidiana hodie servatur, quam ex plurimis præjudicatis didici & in Summo Tribunali sequimur, ut per sententiam prioritatis non fiat separatio bonorum sed tantum creditorum, & duplex illorum ordo statuatur. In primo sint creditores defuncti omnes. Non tamen eô sensu, ut indistinctim iis ante creditores hæredis satisfiat, sed tantum pro quantitate & modo hæreditatis. Hoc rationi juris separationis convenit. Si de ea non constet sufficere creditur, quia semper solvendo præsumitur quæ hæredem habuit.
9. *l. 1. § ex contrario ff. de Separation.*

Sic pronunciatum fuit.

In Appellation Sachen Everd von Ahnen vor sich und im Nahmen seiner Schwiegermutter Baitzar von Caldens hinterlassenen Wittwen Appellanten an einem Niclaus Tessins Appellaten am andern / und Arend von Caldens Intervenienten am dritten Theile / ist deß non devolutæ appellationis beschehenen Vorbringens ungehindert die Sache angenommen / und auß den Actis befunden / daß es zwar bey dem 3. Maij Anno 1652. publicirten Urtheil deß Inventari oder Eydlichen designation halber nicht unbillig verbleibe / dieselbe aber dahin zu erklären sey / daß die Wittwe zur offerirten delignation dessen was sie sich erinnern möchte / von ihrem Ehemann hinterlassen und zu ihren Handen gekommen / zu verstatten / und wann sie vermittelst Eydes darauff erhalten würde / daß die Nachlassung deß Inventarii nicht auß böser gefährlicher Meynung / sondern denen in actis vorgewandten Ursachen geschehen / sie wissentlich nichts vorbey gehe / und da ihr ein mehrers zufallen würde / jederzeit eröffnen / auch wann die Creditoren oder Lehensfolger ein mehrers erweißlich machen könten (wie ihnen dann solches bevor bleibet) ihnen auch gerecht werden wolle / sie von weiterm Zumuthen und beschehenem Suchen frey sey / dabey dann was ohn ihr Verursachen abgekommen zu seyn / beschleunigt würde / allein zu specificiren / weiter aber nicht zu beantworten habe; wegen der geforderten Rechnung wird verordnet / wann Intervenient seinem Erbiethen nach den Anno 1633. den 10. Maij zwischen der Wittwen und Kinder Vormündern auffgerichteten Vertrag in originali proxima wird vorbringen / so ist die Wittwe denselben alsdann zu recognosciren / und da sie vermittelst Eydes solchen nicht diffuiren könte / nach dessen Einhalt die Rechnung abzulegen / oder auch zu Rechtbeständige Ursachen / warumb sie darzu unverbunden / vorzubringen schuldig / darauff ergehet alsdann ferner was sich gebühret. Die der Paraphernalien auch prioritat halber von Appellanten vorgebrachte gravamina seynd als unerheblich nicht / sondern darüber acta ex officio vor beschlossen angenommen / und erkannt / daß vom Richter erster Instanz wohl gesprochen übel appellirt / und es dabey zu lassen. Demnach Niclaus Tessin auß Zacharias von Kalden hinterlassenen Lehnen vor der Wittwe jedoch vor der Hand nur auff das Capital und den vierdten Theil der Zinsen nach Einhalt jüngster Reichs Constitution zu bezahlen / das übrige aber annoch außzusetzen / und Appellaten wie auch andern Creditoren über das jenige so appellant im 65 und folgenden Articulen biß zum 83. exclusivè, den der Lehensfolger und Intervenient in der den 10. Maij lauffenden Jahres eingebrachten Schrifft gesuchet [wie dann denselben deßwegen Copia ertheilet wird] zu antworten / und da sie vermeyneten Ursachen zu haben / warumb sie zu der gebetener remission nicht gehalten / dieselbe vorzubringen / gebühret / so erfolget darauff was recht ist / von Rechtswegen.

(Hoc est)

In causa appellationis Everdi ab Ahnen pro se & in nomine socrus Balthasari à Caldens viduæ appellantis ex una, Nicolai Tessins appellati ex altera & Arendi à Caldens intervenientis ex tertia partibus, non attentis exceptionibus non devolutæ appellationis causam recipimus & apparet ex actis, quod quidem sententiæ 3. Maij Anno 1652. ratione inventarii vel juratæ Designationis publicatæ non immerito inhæreatur, illa verò eò declaranda sit quod vidua ad oblatam designationem ejus quod ipsa reminisci posset à marito relictum esse & ad ipsius manus venisse admittenda & quod si mediante juramento obtineret quod intermissio inventarii non ex mala & periculosâ opinione ex causis in actis allegatis facta, quod scienter nihilomittat & casu quo ipsi plus in memoriam veniret quod fideliter manifestare, ut & si creditores vel feudi successores plus probare possent, prout illud ipsis reservatur ipsis illud exhiberi velit, tunc illa ab ulteriori impetitione libera sit, ubi simul quod citra ejus culpam aliò devenisse doceri posset solum specificare, desuper verò ulterius nihil respondere teneatur, ratione petitarum rationum decernimus, si interveniens juxta offertum suum transactionem Anno 1633. 10. Maij initam

Digitized by Google

in originali in proximâ producat, viduæ incumbit tunc eandem recognoscere, & si mediante juramento illam differi non posset, juxta tenorē rationes præstare vel relevantes in jure causas, quare eò non sit obligata proferre, ex inde fiet quod convenit. Gravamina ratione Paraphernalium & prioritatis tanquam irrelevantia non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus, decernimus, à judice primæ instantiæ bene judicatū male appellatum & proinde ei inhærendum. Inde incumbit Nicolao Tessin ex Zachariæ à Kalden relictis feudis prævidua attamē solum ad capitale & quartam censuum vigore novissimæ constitut. Imperii solvere, residuum vero in suspenso relinquere, & appellato ut & aliis creditoribus ad illud quod appellans in 65. & sequentibus articulis usque ad 83. exclusivè ac successor feudi & interveniens in scripto 10. Maij currentis anni exhibito petiverunt (prout ipsi propterea copiam damus) respondere & quatenus existimarent habere causas quare ad petitam remissionem non obligarentur, easdem proferre, desuper sequetur quod juris idque de jure.

DECISIO XX.

Pluribus creditoribus in eadem bona immissis quibus relinquenda est fructuum perceptio.

QUando per Constitutionem Ducatus Bremensis von wucherlichen Contracten uno creditore immisso in eadem bona etiam alii immittebantur, contigit postea de perceptione fructuum litem esse ortam. Siquidem ea immissio saltem prætorium pignus faceret, omnium par jus esset, donec prioritatis punctus inter alios decideretur. (1) At amplius quid illa immissio tribuit, possessionem & fructuum perceptionem conferens. (2) Ex eo prioris immissi jus potius est, etsi non sit prior creditor, (3) donec vel creditoris bona discutientur, vel super prærogativâ crediti fit decisio. (4) Quæ aliquando facilior breviorque, aliquando tardior, prout ex actis de eo constat, vel altioris indaginis res est. Siquidem de eo contentio existit, quis prior in possessionem atque perceptionem qua illam rem de quâ agitur, venerit, ea possessorii quæstio prius est determinanda, (5) minime vero ad narrata utrius partis uni vel alteri, ut ista decedat sine causæ cognitione prævia demandandum est. (6) Relinquendus itaque & defendendus in possessione qui ultimo in ea reperitur. (7) Si & hoc dubium vel pendente istâ lite uterque in ista retinendus est, (8) vel fructus ab alio colligendi & servandi erunt, donec de eo dubitatio finem habebit. (9) A mandato quod secus sit, tanquam quod cum magno præjudicio conjunctum est, (10) non frivolè appellatur. *Sic ad ejusmodi narrata processus decrevimus ad supplicationem Otto Cluvers, contra Hermann Gohausen Wittwe, die 18. Martii Anno 1656.*

1. Juxta juris civilis de pignore Prætorio regulam. *l. cum unus ff. de reb. author. Iud possid. l. 15. cus §. si plures §. qui prior: ff. ut in possess. Legat.*

2. Immissionem illam propriè non esse prætorium pignus, sed medium creditorem ad pecuniæ creditæ receptionem reducendi, ideo ex fine suo longe amplius alibi exposuimus, & ex praxi constat.

3. *Vid. Fabr. in Cod. lib. 8. tit. 12. defin. 1.*

4. Fit quidem ex constitutione Bremensi non aliter immissio, quam salvo jure tertii, ut etiam clausula hæc expressim solet inseri, attamen antequam jus tertii potius apparet & declaratur in possessione prius immissus defenditur. Prævalet tamdiu jure qui prævenit tempore. *l. si decreto ff. qui pot. in pign. videplura apud Cothmann. resp. 37. n. 7. vol. 3.*

5. *l. 3. C. de Interdict. l. Ordinarii C. de Rei Vindic.*

6. Nisi cognitâ causâ nemo possessione est destituendus. *l. meminerint C. unde. vi. l. 1. l. ult. si per vim vel al. mod.*

7. Possessio ultima si non manifestè injusta spectatur atque dum litigatur, defenditur. *Menoch. remed recup. possess. 8. num. 24. & seq.*

8. Ita aliquando in dubio decretum, ut duo creditores immissi tanquam pares donec priotitatis decisio fieret. *l. quod autem 6. §. sciendum 7. ff. quæ in fraud. cred.* conjunctim administrarent & perciperent.

9. Ubi de communi administratione non convenit, remedium inde sumitur, ut curator constituatur. Sine omnium præjudicio is administret, colligat, asservet, donec judex cui præstari debet, statuat. *tot. tit. ff. de Curat. bon. dand.*

10. Propter magna possessionis commoda magni ponderis & præjudicii est possessionis causa. *Cacheran. decis. 25. num. 4.*

DECISIO XXI.

Immissio in res debitoris ex iisque fructuum perceptio non excludit ab actione fidejussorem, tantum huic ob percepta solutionis & compensationis exceptio est.

APpellabat se ex fidejussione condemnatum pro alio conquerens, postquam creditor non tantum actionem contra reum moverat, sed etiam in bona istius immissus fructus per liberationem prætendens. At certo jure constat electione vel rei vel confidejussoris non liberari fidejussorem, (1) & ita quidem ut aliquo istorum convento pœnitere & alium iterum convenire liceat. Non excludit ab hoc immissio. Nam etsi creditor ex hac pignus in bonis debitoris habet, idque tenet, tamen contra debitorem non modo sed etiam fidejussores patet iterum personali actioni via (2)

non

Digitized by Google

non attento quod fructus pignoris jam receperit. (3) Nec excussionis exceptio obstat, si eâ alias fidejussor uti nequit, veluti cum isti renunciatum est. (4) Tantum fidejussori licebit uti exceptione solutionis vel compensationis ex eo, quod creditor ex bonis debitoris immissus fuit, percepit. (5) Hoc quippe in usuras primum & cum hæ expletæ fuerint in sortem imputare opus habet. (6) Verum ob has exceptiones non opus erat appellationem recipere, cum nondum rejectæ fuerunt, & in ipsa executione locum habebunt. (7) Rejecta ideò appellatio & exceptiones remissæ sunt ad prius judicium *in causa Ludolff von Zesterflieten, contra das Thum Capitul zu Verden und dessen Cessionarium Niclaus Demeln, die 2. Septembr. Anno 1656.*

1. *Ita post alios textus plenè decidit & explicatur in l. fin. C. de Fidejussorib.*

2. Ut inter reum & fidejussores quem convenire velit, ità etiam inter pignus & fidejussorem est electio, an illud actione in rem persequi, an hunc personali actione convenire velit, *l. inter eos ff. §. creditor ff. de Fidejussorib.*

3. Electio creditori competens nunquam perit, nisi cum plenè satisfactum fuerit, *uti declarat d. l. fin. C. de Fidejussorib.*

4. Fidejussori regulariter competit exceptio Ordinis atque excussionis *ex Novell. cap 41.* eaque frui eò magis permittendus est, ubi semel elegit creditor debitorem principalem vel ejus res, cum etiam aliàs ipsi proficiet. Iude sistitur electio, donec fit excussio. At habet illud legis beneficium exceptiones plures, *de quib. vid. Hering. in tr. de Fidejussorib. cap. 27. part. 1. num. 186. seq.*

5. *l. utrum 4. ff. de Compensat.*

6. *l. 1. C. de Pign. action.*

7. Exceptiones quæ non sententiam impugnant, sed executionis moderamen intendunt, per illam non intelliguntur rejectæ, sed potius reservatæ, ideò in ipsa rectè opponuntur.

TIT. LXXIII.

DE *PRIVILEGIIS FISCI*

DECISIO *Unica.*

Fiscus qua collectas & datias in debitoris, non perinde in Collectoris seu Administratoris bonis prærogativa contra creditores hujus gaudet.

EXecutione decreta intervenit Fiscus reliqua prætendens contra collectorem acciſiæ & datiarum & pro iis hypothecam, non modo in bonis ejus, sed etiam jus prælationis contra creditores ejus nominatim liberos ex vitrici bonis assignatam portionem den Außspruch exigentes prætendit. Etsi verò collectæ acciſiæ, aliæque datiæ tãquã onera publica, ex illa sponsione, qua cives se suaque omnia Reipubl. devinciunt, quaque nulla prior aut antiquior obligatio existit, nexum in bonis præcipuum habent, inde ante omnia credita privilegiata sunt, (1) id tamen privilegium similiter ad alia fisci debita non pertinet, ideoque nec ad debitum collectorum seu exactorum ex administratione. (2) In quorum bonis jus civile Romanum eandem prærogativam non constituit, sed tantum tacitam hypothecam. (3) Nec aliud privilegium potest, quoad istos istorumque bona fiscus prætendere, quam quod alias ex contractibus habet, (4) haud permissa in aliorum præsertim alias privilegiatorum creditorum præjudicium extensione juris singularis. (5) Aliud quidem ex jure Lubecensi servatur. (6) At eò Fiscus Principis non utitur, cum non ipsi, sed Civitati id tantum conditum sit, nec de jure Principis, sed civitatis in bonis suorum debitorum disponat. (7) *Hoc consideratum in causa Hinrich Dabels, contra Cordt Schlackowen Erben, die 18. Augusti Anno 1656.*

1. Hæc anteferuntur omnibus creditoribus, etiam anteriorem hypothecam habentibus, *l. 1. C. si propt. pensit. Publ. l. satis notum 4. C. in quib. caus. pign. vel hypoth.*

2. Non est lex quæ idem tribuat, nec sine lege illud inducere oportet.

3. Quæ tacitam hypothecam Fisci in bonis Administratorum & illam quam habet idem ex contractibus, non reperitur in jure discrimen quoddam constitutum.

4. Debitum quod ex administratione exactorum restat, descendit ex contractu cum his, dum illa demandatur. In contractibus autem præter tacitam hypothecam quæ fisco datur, *l. si pignus 8. ff. qui pot. in pign. l. si fundum 4. C. eod. l. quod quis 34. ff. de reb. aut Iud. possid. l. 2. C. de Iur. Fis.* hoc unicum & non aliud privilegium datum reperitur, quod ex anteriori generali hypotheca non habet creditor prius jus contra fiscum, nisi in bonis acquisitis, antequam cum hoc contractum fuerit. Quoad cætera post quæsita fiscus potior est. *l. si quis mihi 28. ff. de Iur. Fisc. Neguzant. in tract. de Pignor. part. 5. membr. 1. num. 11. & 36.*

5. Jus singulare non producendum ad consequentias.

6. Ex hoc civitati generaliter omnium creditorum causa jus prælationis ante omnes est *per artic. 12. tit. 1. lib. 3. uti expositum ideſt à me in Commentario ibidem.*

7. Princeps superior non eo magis potest uti privilegio civitatis, quia ipsi concessit, sed jure communi utitur in causis fiscalibus.

Digitized by Google

TIT. LXXIV.

DE PRIVILEGIO DOTIS

DECISIO I.

Uxor in bonis mariti obærati jura retentionis subsistens ad rationes non tenetur, nisi administrat aut fructus percipit.

UXor pro securitate eorum quæ ex bonis mariti obærati debentur, gaudet jure retentionis seu ille vivit seu mortuus sit. (1) Siquidem tunc aut bona administrat aut fructus quosdam ex istis percipit, tenetur ad rationes hæredibus, aut cum illi adire recusant creditoribus mariti. (2) At ex perceptione fructuum quorundam saltem quoad istos, ut imputet in sortem aut si hæc superent, refundat. Alias verò si neutrum horum fiet, non tenetur rationem reddere aut imputationem fructuum pati. (3) Marito ad inopiam vergente bonisque cedente aut post mortem ejus non existente hærede vel separatur tantum ex mariti bonis, quantum ad securitatem & satisfactionem istius pertinet, (4) & quo ad hoc loco creditoris est & jure pignoris fruitur, ideo ad ea obligatur, queis obnoxius est pignoratitius creditor pignus tenens, aut talis non fit separatio seu assignatio certorum bonorum, sed omnia manent in divisa & creditorum communia. Et his vel constituitur curator, vel sine hoc relinquuntur, & hoc fit aut marito vivo aut *post obitum* ejus. Vivente marito uxor jure familiaritatis cum eo in bonis manet, & licet Oeconomicam rem administret, facit tantum ratione debiti conjugalis, non administrationis. (5) Est eâ de causâ saltem contra maritum non contra uxorem ad rationem reddendam actio. (6) Siquidem vita functus est maritus, viduæ, si jure retentionis uti cupit, simul incumbit conficere inventarium, custodire bona & bona fide administrare, donec alia eorum cura ordinatur. (7) Cui consequens est, rationum redditio debitum commune omnium illorum qui res alienas administrant. (8) Ex quo autem seu vivo, seu mortuo marito curator bonorum constituitur, hujus est administrandi & quæ ad communia bona spectant, curandi munus. (9) Etsi vero ea constitutio non tollit jus retentionis uxori competens, (10) sed ei relinquitur integrum manere in domo mariti pro eo, quod sua interest, inspicere & observare, suæ securitati providere, alimenta etiam seu horum loco usuras & fructus dotis illatæ vel alterius debiti petere, (11) attamen non manet obnoxia rationibus, nisi quatenus ei ex administratione relictum aut ex hac acceptum est. (12) Quo fine illi rationes injungere aut ob non redditas fructus percipiendos imputare injustum visum, ideo eo nomine appellanti processus decernere justum. *Ad petitionem Iost Behren, contra Creditores Iacob Behren, die 11. Octobr. Anno 1653.*

1. Non solum pro dote & paraphernalibus, sed etiam pro lucris dotis aliisque ex mariti bonis competentibus uxori id jus quod retentionis vocant, competit, ut donec ipsi satisfiet in possessione bonorum mariti remaneat. *Neguzant. de Pignorib. part. 3. princ. mem. 4. num. 5. Mynsing. cent. 6. observ. 45.*

2. *Vid Carpzov. in Iurisprud. Foresn. part. 2. constit. 25. defin. 14.*

3. Administratione vel perceptione tanquam causa rationum reddendarum cessante, cessat ad hoc obligatio. Quæ non est ex nudo jure retentionis.

4. Jus quod mulieri competit, non eo pertingit, ut sub ejus obtentu possit omnia mariti obærati bona detinere, donec de dote aliisque plene satisfiet, sed saltem ut de iis secura sit, interim alimenta seu fructus dotis habeat. *Rauchbar. quæst. 33. num. 37. seq. part. 1.* Ideo aut quantum ad hæc satis est petere opus aut creditores illi tantum offerendi jus habent, quo recepto de reliquis decedere tenetur. *Gail. 2. Observ. 92. n. 12. seq. Hartm. Pistor. Pract. Observ. 109. num. 12. seq.*

5. Vivente marito mulier quasi communem usum & possessionem omnium bonorum habet saltem jure familiaritatis, *l. qui jure 18. ff. de acquir. poss.*

6. Mulier non fit obnoxia ex eo quod debet, aut peccat maritus, *l. 2. tot. tit. C. ne ux. pro marit.*

7. Vidua jure retentionis uti cupiens aut tenetur curatorem petere, qui bona administret aut ipsamet administrare, ut diligentem matrem familias decet. Illud omittendo se immiscet bonis ejus, *vid. Coler. de Process. Executiv. part. 1. cap. 2. num. 225. Rauchbar. part. 1. q. 35.*

8. Incumbit mulieri ea curæ petitio, & si omittitur officio judicis, præsertim ubi dubia est illius fides aut diligentia constitui solet. *Coler. d. tract. part. 1. cap. 2. num. 225.*

9. *l. 2. ff. de negoc. gest.*

10. Jure provisum est & moribus observatur, ut cum quis sine hærede decedit, bonis detur curator, qui administret & curet bona defuncti, satisfiat creditoribus, *l. 1. tot. tit. ff. de Curat. bon.*

11. Concursus creditorum aut curatoris constitutio non tollit jus retentionis, & quod ei consequens est. Quod si in omnibus bonis creditores sinere nolint, alio remedio egent, *quod exponit Gail. 2. Observ. 92.*

12. Non est obnoxia vidua rationibus, nisi quatenus administrat, aut percipit. Deficit causa istas petendi, ubi nihil tale reperitur.

DECISIO II.

Dotalitium an dotis instar jure prælationis gaudet ante mariti creditores.

COmmunis est JCtorum sententia, Dotalitium frui jure dotis, ideoque ejus causâ

Digitized by Google

causâ uxori competere in bonis mariti pignus, (1) ut & eandem prærogativam, quæ dotibus tribuitur. Verum sicuti Dotalitium non eodem modo & eodem cum effectu constituitur, ita nec idem circa hoc jus manet. Aliquando & communius constituitur in compensationem dotis, sic ut vice dotis accipiatur, eam vero absorbeat seu ejus petitionem tollat. (2) Aliquando una cum dote obtinet, sic ut non tantum dotalitium debeatur, sed & cum eo dos. (3) In priori specie obtinet præfata dotalitii prærogativa, (4) dum succedit in locum dotis ejusque jure fruitur. (5) In posteriori autem secus est, ubi cessat illa ratio successionis in locum dotis, atque præter dotem ut merum lucrum petitur atque accipitur & instar donationis propter nuptias habat. (6) Ratio differentiæ manifesta est. In priori enim dotalitium oneroſus titulus est nec deterioris conditionis esse debet quam dos, (7) cum alias contra legum providentiam mulier de hac periclitaretur. (8) At in posteriori ex lucrativo titulo exigitur, qui per rationem æquitatis evidentem post omnes alios creditores est. (9) Ut nec magis præferri possit, quam donatio propter nuptias. (10) *Sive* igitur ex conventione præter dotis restitutionem promittitur dotalitium, sine lege constituitur, non est petitioni locus, antequam satisfit omnibus mariti creditoribus, (12) nisi aliter lege cautum sit, vel quæ vicem ejus obtinet consuetudine ita introductum. (13) Quando in hac fundavit narrata appellans, audita est, ut impetraret processus, queis alias juvari, non debuit, si ex jure communi res decidenda esset. *In eadem causa.*

1. *Vid. Rauchbar. part. 1. q. 3. num. 17. Wesenbec. consil. 10. num. 27. Carpzov. in Iurispr. Forens. part. 1. constit. 28. def. 93.*

2. Hic modus constituendi ordinarius est, ideo sic constitutum dotalitium proprie sic vocatur, ejusque proprium id esse dicitur, ut vidua ratione dotis certis bonis ad vitam fruatur. *Hartman. Pistor. q. 4. in pr. lib. 1.*

3. Hic modus exorbitat à proprietate dotalitii, magisque proprie donatio propter nuptias dicitur.

4. De ea specie loquuntur JCti allegati, *uti plenius explicat Carpzov. defin. 93.*

5. Surrogatum sapit, sequiturque naturam ejus in cujus locum surrogatur, *c. Ecclesia x. ut lit. pendent.*

6. Faciunt JCti dotalitium speciem donationis ante nuptias, *Bocer. in tr. de Donat. cap. 11. num. 2.* talis est juxta hunc secundum modum non juxta primum, ubi titulus oneroſus est, quia pro dote constituitur.

7. Dotalitium sequi commoda & jura dotium phrasis JCtorum & praxis fori est, *vid. Gœden. cons. 99.*

8. Dotes mulieribus esse salvas Reipubl. interest, *l. 1. ff. Solut. Matrim.*

9. Satis absurdum creditoribus jus suum persequentibus legitimum auxilium denegari, his qui de lucro certant paratas leges accommodare, *l. fin. § fin. vero creditores 5. C. de Iur. delib.*

10. Jure civili pro donatione propter nuptias constituta est quidem mulieribus tacita hypotheca, *l. assiduis 12. § hoc autem 2. C. qui pot. in Pignor.* jure autem prælationis non ita gaudent ut pro dote. *Schneidewin. in §. fuerat num. 36. 60. & seqq. Inst. de Action.*

11. Pactis debitoris petitio creditorum mutari non debet, *l. 25. C. de Pact.*

12. Non præsumitur legem voluisse creditoribus jus suum auferre propter alienum lucrum.

13. Quando lex & consuetudo est domina omnium, *l. 2. ff. de leg.* potest juri aliorum præferre lucra. Quomodo in Pomerania per Privilegia nobilium & longo usu invaluit ea lucri dotis prærogativa doti adæquata. Quæ æquitate id fiat, jam non examino. Nullam subesse plurimis visum.

DECISIO III.

Contra creditores mariti interventio mulieris non est admittenda, nisi de dote periclitantis.

Sicut prospiciendum mulieri, ne per inopiam mariti dote fraudetur, (1) ita etiam cavendum, ne illarum interventione justæ creditorum petitiones impediantur. (2) Interest autem, ubi illa fit, utrum res in quam hi immitti se petunt, sit specialiter oppignorata nec ne. Pro speciali pignore conservando interventio admittitur, etsi maritus ad inopiam non devergit, (3) dummodo tamen illud utrique non sufficiet. (4) Quod expendendum judici antequam admittet. Ubi deest specialis hypotheca, spectanda est mariti ad inopiam devergentia. Qua sine mulier ad impediendam creditorum exactionem non est admittenda. Utroque casu periculum est spectandum, nec sine eo interventioni indulgendum. Ideo dilata ejus admissio, donec æstimatio hypothecæ fieret. *In causa uxoris Nic. Demels, contra Daniel Beckern, die 18. Novembr Anno 1656.*

1. Reipubl. interest curare, ut uxoribus dotes salvæ sint. *l. 2. ff. de Iur. Dot. l. 1. ff. Solut. matrimon.*

2. Ita cuique suum tribuatur, ne quid detrahatur justiori aliorum petitioni. *l. bona fides 31. ff. depoſit.*

3. Pignus pro dote mulieri datum ei omninò conservandum est. *l. 1. C. de Privileg. dot.*

4. Si Pignus tam creditori quam mulieri sufficit, in id quidem valebit interventio, ut pignus non adjudicetur illi, nisi & huic satisfactum sit. At minimè ut creditorem penitus excludat, donec sibi solvit. Quod enim qua alios creditores usurpandum est jus offerendi, & ut anterior non teneatur alteri cedere quidquam ex pignore, nisi solutum sit creditum, *juxt. l. quamvis 6. C. de distract. pignor. l. 2. C. debit. vend. pign.* & quod pignus individuum est, *l. rem hereditariam 61. ff. de Ediction.* hoc in uxore secus se habet. Ratio diversitatis manifesta est. Alteri creditori statim debetur solutio, atque in ejus

Digitized by Google

potestate est istam exigere, nec nisi eâ accepta de pignore quidquam posteriori cedere. At mulier constante matrimonio dotem repetere nequit, tantum hoc ei debetur, ut de dote secura sit. Et pro hoc nihil juris amplius habet, quam ad id quod securitati sufficit.

TIT. LXXV.

DE REVOCANDIS IIS, qua in fraudem creditorum alienata sunt.

DECISIO I.

Debita contracta ab eo, qui successores feudales ex se descendentes non habet, feudo in aliorum fraudem imposita præsumuntur.

IN dubio debita pro quibus feudum cum consensu domini & agnatorum obligatur, si mentio fiet versionis in utilitatem feudi, etsi generaliter, præsumuntur feudalia, (1) ideo talia non esse successor feudalis probare debet. (2) Excipitur autem in ea species ubi contraria aliqua fraudis præsumptio non levis existit, (3) qualis semper in eo casu, quando Vasallus non filios vel descendentes successores feudales, sed hæredes habet si conjunctiores agnatis ad quos feudum pervenit. (4) In quo contra æs alienum feudo impositum male præsumitur, uti frequentissime ea in re fraus usurpatur. (5) Inde si constat, bona defuncto tanta fuisse ut sine onere isto potuerit necessitatibus consuli, non aliter creditur quam fraude quadam actum. (6) *In causa Dieterich Garlip contra Baltzar Horn & consortes die 25. Junii Anno 1659.*

1. Vera creduntur quæ instrumentis debitorum cum publica fide conscriis iis quorum interest inseruntur, ideo talia esse militat præsumptio *l. scripturas 11. C. qui potior in pignor.*

2. Alteram partem à probatione relevat ea præsumptio. *l. 16. C. de Probat.*

3. Præsumptio præsumptione tollitur *l. fin. ff. quod met. caus.*

4. His quisque magis favere, melius cupere & benefacere velle præsumitur.

5. Hoc ævo explorata sunt plura exempla eorum moliminum pro onerandis feudis quo hæredes evadant opulenti, eaque non immerito causant, ut curiosius inquiratur, non bene præsumatur.

6. Feuda supervacuis aut non valde necessariis debitis onerare non licet. Tenetur tantum in subsidium, uti sæpius scriptum.

Sententiæ tenor.

In Sachen Dieterich Garliepen Appellanten wider Baltzar Hornen & Consorten / als Magnus Horn Lehensfolgern Appellaten in puncto reluitionis einiger verpfändeter Lehenstücke / wird die gesuchte production und recognition deß Urkundes noch zur Zeit als überflüssig nicht / sondern ferner auff den Schluß der Acten erkandt / daß von Appellaten, was ihnen zu beweisen auffertegt / sie auch angenommen / wie zu Rechte genugsam nicht erwiesen / die Lade zusambt den Brieffen wiederumb herbey zu schaffen / oder im widrigen Appellante, der reluition halber auff die Zuspruch / massen solche angestellet / biß so lange solches nicht geschicht / sich einzulassen nicht schuldig / sie kondten und wolten dann / wie rechtmässig beybringen / daß Magnus Horn ohne Fürstlichen und Vätterlichen Consens auch ohne Noth und allein in præjudicium der Agnaten und Lehens-folger die Hösse quæstionis verpfändet / das Geld auff Zinse gethan / und in seinen Nutzen verwand / oder auch sonst in specie die designirte documenta Appellanten zu seinem Schutz nichts dienlich wären. So ergienge wann Gegentheil darüber gehöret / was Recht ist / es gebühret aber alsdann solches in gewisse deutliche Articul zu verfassen und außzuführen / die Unkosten bißhero auffgewandt / werden außbewegenden Ursachen compensirt. Von Rechtswegen.

(Hoc est)

In causa Dietheri Garliepen appellantis contra Balthasarum Hornen & Consortes ut Magnum Horn Feudi successorem appellatum in puncto reluitionis aliquarũ hypothecarum partium feudi, petitam productionem & recognitionem documenti adhuc dum tanquam superfluam non sed ulterius ad conclusionem actorum decernimus, ab appellatis id quod ipsis ut probent injunctũ est & etiam susceperunt prout de jure sufficienter non esse doctum, inde ipsis cistam una cum literariis documentis iterum exhibere, vel in contrarium eventum appellantem ratione reluitionis ad actionem prout instituta quam diu id non fit se ingerere non teneri, nisi possent & vellent debite probare quod Magnus Horn absque principis & parentis consensu, etiam absque necessitate, & solum in præjudicium agnatorum & feudi successorum prædia quæstionis oppignorarit, pecuniam ad census exposuerit, & in suam utilitatem verterit, vel etiam alias in specie hæc designata documenta appellanti ad suam defensionem non conducant, inde fieret, si pars adversa desuper audita, quod juris, convenit vero tunc illud certis expressis articulis includere & deducere, Expensæ huc usque causatæ ex moventibus causis inter eas compensantur, idque de jure.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO II.

Per donationem acceptæ contra creditorum actiones secura sunt, si non in fraudem donata, unde de hoc consendum & quamdiu revocationi locus est.

INter appellationis gravamina & hoc proferebatur, creditori injuste immissionem in ea quæ dudum ante mortem debitor liberis quibusdam suis donaverat, quorumque possessionem transtulerat quam isti palam habuerunt decretam esse. Siquidem donata adhuc peterentur, creditoribus posthabenda essent. (1) At postquam tradita fuerunt non est istis in ea jus aut actio quædam (2) nisi fuerint pignori obnoxia, (3) aut in fraudem creditorum alienata, (4) de quo circa donationem ex conventis quidem statui solet nec opus esse probatione. (5) Attamen circa illud spectandum est tempus donationis non mortis. (6) Deinde etsi tempore isto donatorem non solvendo amplius exstitisse apparet, tamen etiam considerandum quantum tempus ab isto effluxerit cum revocationi non nisi intra annum utilem locus sit. (7) Quam ante omnia fieri necesse est antequam creditores in bona donata immittentur. (8) *In causa Cluver contra Cluver die 11. Octobr. Anno 1659.*

1. *l. fin. §. si creditores 5. C. de jure deliber.*
2. Ex donatione transit rerum dominium §. 1. *Instit. de Donat.*
3. Res transit cum suo onere & in possessorem pignoris rei persecutoria actione agitur *l pignoris 18. C. de Pignorib.*
4. Revocantur hæc Pauliana actione *l. 1. & tot. tit. ff. quæ in fraud. cred.*
5. *l. quod autem 6. §. simili 11. ff. eod.*
6. *Bartol. ad d. l. §. simili num. 5.*
7. *l. ait. Prator. 10. pr. ff. dict. tit.*
8. *Faber. in C. lib. 7. tit. 35. defin. 1.*

DECISIO III.

In dotem filiæ obærati debitoris data quomodo revocationi sunt obnoxia.

CUm quæ maritus filiæ debitoris dotis promissæ gratia possidebat judex volebat, vel quia in fraudem alienata erant, vel quia forte hypotheca, (quod tamen pars adversa negabat) cum cæteris debitoris bonis æstimare & distrahi, ab eo decreto appellatum esset, ea causa dependebat ab hac quæstione, quatenus pro dote data essent revocabilia. Vel ea antea creditori alii data sunt pignori, vel nemini obligata: Illa actione hypothecaria revocantur, (1) quæ competit creditori hypothecario sine intuitu fraudis non tamen, nisi illo agente, deinde audito possessore sub ejus obtentu fit revocatio. (3) Nec tamen & hæc à judice in concursu creditorum exequente fieri potest reductione ad cætera bona communia seu corpus bonorum, (4) sed tantum immissione in ista creditoris pignus habentis. Quando nexum pignoris in istis non habet alius, vel bona illa de quibus agitur data sunt in dotem, vel pro dote dudum promissa in solutum. Illud vel factum est sine fraude dantis, ut factum intelligitur eo tempore, quo dotans adhuc solvendo est, & irrevocabilis est daro, (5) etsi postea debitor non solvendo factus fuerit. (6) vel ut fraudator dedit (7) & tunc vel eo nomine res est cum marito, qui dotem uxoris nomine accepit, vel cum fœmina cui pater aliusve dedit. Ab illo non fit revocatio, nisi fraude participe (8) tanquam ex oneroso titulo accipiente. A fœmina autem sive sciverit sive ignoraverit in quantum locupletior facta fuerit restituere tenetur, tanquam ex lucrativo titulo accipiens. (9) Ubi dos antea promissa fuit deinde vero exigenti eam marito, vel mulieri res in solutum data fuerit non fit revocatio, quia debitum solutum est, (10) nisi bona debitoris jam possessa vel proxime possidenda fuerint. (11) Hæc considerata sunt *in causa Fratrum der Doringer & Melchior Lieth contra Fratres von der Docken die 6. Maij An. 1662.*

1. *l. 2. verb. quibus pignora in dotem data non dentur C. de revocand. his quæ in fraud. credit.*
2. *Fab. in C. lib. 7. tit. fin. defin. 1. num. 5. in not.*
3. Avocatio possessionis fieri debet per actionem hypothecariam, quæ in rem est *l. pign. 12. C. de pign.*
4. Creditores cæteri Chirographarii nisi fraudem docent & legitimè revocant non habent jus agendi contra tertium possessorem *Fab. in C. d. def. 1.*
5. Ubi deest fraus cessat revocatoria actio cujus ratio est in fraude *l. 1. ff. quæ in fraud. credit.* quare revocaturus bonis debitoris non sufficientibus fraude dotem datam probare debet *l. 2. C. de revoc. his quæ in fraud.*
6. Fraus tempore contractus spectatur, si tunc non fraudantur creditores etsi postea eveniat, ut suo potiri nequeant non fit revocatio.
7. In fraudem creditorum dos constituenda non est *l. ait prætor 10. §. sunt autem 14. ff. quæ in fraud. credit.*
8. *l. fin. §. 1. ff. d. tit.*
9. Ita distinxit Paulus *in d. l. fin. §. 1. ff. eod.* rationem diversitatis petas ex *l. quod autem 6. §. hoc est dictum 8. §. simili 11. eod.*
10. *Vide d. l. quod autem 6. §. sciendum 7. eod.* Non fraudat qui suum recipit, quia vigilat sibi & vigilantibus jura scripta sunt *l. pupillus 24. ff. eod.*
11. *d. l. quod autem §. sciendum d. l. 2. C. de revoc. quæ in fraud. cred.*

DECISIO IV.

Excussionis exceptio seu revocatoriæ, seu hypothecariæ locus sit, impedit distractionem rei possessæ usque dum illa facta fuerit.

EXceptio faciendæ prius bonorum debitoris excussionis, donec ad rem in alium translatam

Digitized by Google

translatam perveniatur locum habet sive agatur actione Pauliana seu revocatoria, ob alienationem in fraudem creditorum factam (1) seu hypothecaria adversus rem oppignoratam. (2) Per quam cum id obtineatur, ut possessori non eripiatur res possessa, nec alius in eam immittatur, nisi excussis prius bonis debitoris, & apparente inde actori satisfieri non posse, (3) utique multo minus æquum est discussione nondum facta bona illa à tertio justo titulo accepta æstimari & distrahi *in eadem causa*.

1. *l. 1. verb. bonis ejus excussis C. de revocandis quæ in fraud. credit.*

2. *Auth. hoc si debitor C. de pignor. Novell. 4. c. 2.*

3. Est quippe ea acceptio ordinis, uti JCti vocant.

DECISIO V.

Oblatio bonorum in solutum à debitore generatim facta sistit executiones communem facit creditorum causam.

SI debitor uni & alteri creditorum suorum ex bonis suis in solutum quædam & inde electionem offert, non impediuntur cæteri creditores jura sua contra debitorem persequi. Secus vero est ubi debitor omnibus creditoribus simul satisfactionem ex bonis suis per datione in solutum effert, & hoc modo ære alieno exsolvi cupit & intendit. Ex eo uni vel alteri creditorum licere non debet oblationis tractatu pendente executiones vel immissiones in bona debitorum impetrare. Fecit has sistendi medium Imperii constitutio, (1) & ex quo ad illam ut omnibus communem debitor progreditur, excitatur creditorum concursus, (2) isque facit horum jura paria, (3) & sistit processus singulares. (4) Quorum inhibitionem contra creditorem decernere, juxtim tamen debitori maturationem & consummationem oblationis injungere æquum visum est. *In causa Wedige Behren contra Ægidium von der Osten, die 10. Ianuarii Anno 1657.*

1. Quando hæc *in Recessu Ratisponensi de Anno 1654. §. Obiit nun die Capitalia* : obæratis debitoribus concessit, ut ab ære alieno semet in solutum datione liberare possint, non tamen uni, sed omnibus semel ea oblatio bonorum fieri potest. Uti hic modus in usum venit, ita practicatur quod debitor solet citatis omnibus creditoribus suis bona sua in solutum offerre, ut inde eligant, ex quibus sibi satisfactum velint, reliquum sibi retineat.

2. In concursu citatis omnibus creditoribus oblatio & datio in solutum peragi solet. Similiter & cessione bonorum facta; à qua ista tamen multum differt, dum debitor per illam non bonis cedit, quod fit ad saccum & peram usque, sed cedit tantum bona quæ creditores eligunt.

3. *Iuxta l. quod autem 6. §. sciendum 7. ff. quæ in fraud. credit.*

4. Concursus tanquam communis litis pendentiæ effectus est; ut nihil eo durante innovetur *l. 1. C. ut lit. pendent.*

DECISIO VI.

Adjudicatio concursu adhuc pendente uni creditorum facta nulla est, & quatenus in illorum præjudicium vergit, cassanda.

VIgilantibus quidem jura scripta sunt, (1) ideò adversus illos qui suum receperunt, nec velut ob fraudem alienatorum revocatio, (2) nec etiam indebiti condictio locum habet. (3) At non ultra, quam si bona debitoris nondum sunt possessa, seu quamdiu concursus creditorum nondum est excitatus. Ex hoc omnia bona creditorum fiunt communia, & omnium par est conditio (4) Inde unius vel alterius immissio non nocet cæteris nedum potiora jura habentibus. (5) Proficit autem cæteris omnibus qui ejusdem tituli vel conditionis sunt. (6) Cui consequens quod creditores in tributum vocantur, & quidquid debitoris fuit, communicandum est: (7) Si id recusent, ab iis qui acceperant, avocandum. (8) Nec tantum si debitor uni alterive gratificatus sit, ea obtinent, sed etiam si ab eo creditor extorserit. (9) Quocirca nec durante concursu adjudicatio facta valebit, (10) quia ea non obstante quod adjudicatum revocetur & ipsa cassetur, quæ pendente lite facta attentati vitio laborat. (11) *Sic judicatum in causa Obrist Lieut. Iohann von Lipfeld, contra Iohann Heinrich von Brobergen, die 17. Aprilis Anno 1656.*

1. *l. pupillus 24. ff. quæ in fraud cred.*

2. *d. l. pupillus 24. l. quod autem 6. §. sciendū ff. eod. t.*

2. Nulla est ab eo qui suum recipit, condictio, *l. repetitio 44. ff. de condict. indeb. l. pure 5. §. si cum 5. ff. de dol. mal. & met. except.*

4. *d. l. quod autem §. sciendum 7.*

5. *l. diversus 8. l. seq. C. qui pot. in pign.*

6. *l. cum unus 12. ff. de bon. author. jud. possid. l. cum apud 10. l. ult. C. eod: l. & cui 5. l. si plures 2. ff. ut in poss. Legat.*

7. *Arg. l. verum 64. §. si cum tres ff. pro Soc.*

8. *l. procuratores 5. §. fin. cum l. seq. ff. de Tribut. action. l. fin. §. etsi præfatam § sin vero C. de Iur. delib.*

9. *d. l. quod autem §. sciendum 6. d. l. procurator 5. §. fin. l. Prator. 9. §. his verbis 3. l. creditore 14. ff. de bon. aut jud. poss.*

10. *d. l. pupillus ib. Bartol. & D. ff. quæ in fraud. cred.* Similis censetur hæc adjudicatio post concursum executioni quæ fit vacante hæreditate, quæ nulla & illegitima est, *Iason. in l. 1. num. 1. ib. Bald. num. 2. C. de Iudic.*

11. Concursus cœptus facit communem litis pendentiam, *juxta d. l. quod autem 6. §. sciendum 7. ff. quæ in fraud. cred.* ideo quidquid sub eo fit, attentati instar est, *l. 1. tot. tit C. ut lit. pendent.*

Digitized by Google

LIBER OCTAVUS.

TITULUS PRIMUS.

DE INTERDICTIS.

DECISIO I.

Creditor pro rebus oppignoratis utitur remediis possessoriis.

DE actionum reservatione in sententia, cum ea circumspectè fieri debeat, ne applicetur ei cui jus agendi planè non est, aut omissa quidquam actori deroget, (1) dum à remedio c. redintegranda absolvebatur, qui non spoliaverat nec tenebat, in dubium veniebat, an contra eum penes quem res erat, illius reservatio in decreto exprimenda sit? Faciebat dubium, quod illô utebatur creditor, cujus possessio & jus circa remedia possessoria non caret disputatione. (2) Postquam autem magis legali, (3) nec non communiori sententia placet atque in praxi servatur, (4) ut creditor rei oppignoratæ possessor habeatur, (5) atque ad usum actionum atque beneficiorum quibus possessores gaudent admittatur, (6) concluſum est eam reservationem adjiciendam, ne actori quasi excluſo à legitimis remediis præjudicium illatum videatur. *In causa Regii Marschalli Nicolai Christophori Ritzouven contra Præsidentem Andream Guldenclauen die* 10. *Febr. Anno* 1657.

1. Siquidem apertum est nihil actionis competere, ejus quod non est reversatio ut inanis meritò omittitur. Cum de ea constat, simpliciter fit & remissio ad suum subjectum fieri solet. Ubi incertum vel dubium est non omittitur, sed clausula so weit Rechtens/ adjicitur. Sic causa praxis servat.

2. Sunt plures legum textus in quibus possessio pignoris negatur creditori & tribuitur debitori *l. sciendum. §. creditor ff. qui satisd. cog.*

3. *Per text. in l. cum & sortis* 35. §. *pignus l. si pignus* 37. *l. debitor* 40. §. *soluta ff. de Pignor. act. l. non solum §. si rem pignori ff. de Noxal. act. l. per servum. ff. de Acquir. rer. dom. l.* 1 §. *per servum l. qui pignoris ff. de acquir. possess. l. quæcunque* 13. §. *interdum ff. de Publican. ubi pignoratitia possessiones vocantur justa.*

4. *Neguzant. de Pignor. part.* 3. *membr.* 1. *num.* 29. *Aph. de Azeved. ad Constit. Reg. Hispan. lib.* 4. *tit.* 15. *l.* 4. *num.* 3.

5. Per subtilem rationem creditor possessor non erit, attamen pro utilitate humanorum negociorum & usu fori non potest non pro illo haberi. Atque inde scribit Rosenthal. *de Feud. cap.* 10. *concluſ.* 31. *n.* 3. Effectualiter quidem possessionem esse debitoris, actualiter vero & realiter creditoris.

6. *Cujac. 9. Obser.* 33. *Menoch. recup. possess. remed. 9. n.* 198. *& seq. & remed. retinend.* 8. *n.* 129. *Pacin. consil.* 147. *per tot. ubi ad contraria respondet.*

DECISIO. II.

Mandatum restitutorium denegandum immisso à judice priori, cujus possessio nondum certa, quieta nec sine contradictione fuit.

ETsi juxta interdictum Prætoris, Ne vis fiat ei qui in possessionem missus est, turbatus defendendus & dejecto mandatum sine clausula restitutorium decerni soleat & debeat, (1) haud tamen aliter hoc consequetur, quam si ex missione Prætoris missus possessionem vere nactus est. (2) Non, si tantum in decreto ea res constitit, ne effectum habuit. (3) Deinde si ipse Prætor id decretum suum firmum ratumque habeat, nec deinde causa plenius cognita ab eo desistat. (4) Tertio si quietam possessionem immissus fuerit nactus. (5) Lite mota & deinde adversario in possessione manente, non nisi causa cognita adversus eum qui in possessione mansit, inhibitio aut restirutio decernenda est, (6) cum sine ea alium possidentem dejicere injustum sit. (7) Tandem nec impetrari poterit tale mandatum, quamdiu exceptio aliqua non injusta objicitur, de qua primum audita adversa parte judicium esse debet. (8) Sic judicatum. *In causa Vidua Frid. Bremers & Consortum Contra Johan von Borsteln die* 26. *Februarii Anno* 1656.

1. *l. 1. & tot. tit. ff. Ne vis fiat ei qui Petr. Frid. Mindan. de mandat. lib.* 2. *cap.* 57. *num.* 3.

2. Verba edicti cum effectu semper accipienda sunt. *l.* 1. *pr. ff. quod quisque jur.*

3. Missus vere non habetur, qui, dum mitti debuit, admissus non est.

4. Superioris auxilium non habet locum, ubi is ipse qui misit, decretum amplius non habet ratum. *Mindan. d. cap.* 57. *num.* 3. *in fin.*

5. Possessio non acquiritur adversario contradicente. *Cravet. consil.* 400. *num.* 8. sola verbalis contradictio conservat alteri possessionem, & efficit ab alio non acquiri. *Anchoran. c. sine possessione de R. I. in* 6.

Digitized by Google

6. Judex ita inhibere non potest ut quisquam sua possessione destituatur vel ea uti prohibeatur. *l.c.* 2. §. *fin. de Restit. Spoliat. Gail.* 1. *Observ.* 145. *num.* 1. *& seq.*

7. Possessor quilibet etiam injustus non potest expelli à possessione, nisi citatione & causæ cognitione prævia. *l. exstat. ff. quod met. caus. Menoch. consil.* 448. *num.* 15. ne quidem à judice. *Valasc. decis* 191. *num.* 3.

8. *d. l.* 1. §. *Hæc verba* 5. *in fin. ff. Ne vis fiat. Mindan. d. num.* 3. *in fin.*

DECISIO III.

Pendente concursu creditor possidens defendendus aliis vero possessio nisi ubi fit jurium & bonorum discussio auditis cæteris non concedenda est.

VIdua quæ jure retentionis usa, eo vero non abdicato cum debitore de creditis suis pacta erat post excitatum ad hoc concursum adeoque factam bonorum cessionem restituenda erat retentio, ideo bonorum possessio (1) quæ sub conditione solutionis ad debitorem translata hac cessante ad ipsam redire debuit. (2) Cum autem alii creditores tanquam privilegiati olim imissi aut alias hypothecam habentes pendente concursu per provisionalem adjudicationem idem rogarent, non obtinuerunt, (3) sed ipsorum petitiones ad sententiam super liquidatione & prioritatis remissæ atque ita sepositæ fuerunt. (4) Ratio quippe diversitatis est inter eos qui sub initiis concursus possessionem vel retentionem habuerunt, seu ipsimet tenuerint, seu ipsorum petitiones ad sententiam super liquidatione, & prioritatis remissæ atque ita sepositæ fuerunt. (5) Ratio diversitatis est inter eos qui sub initiis concursus possessionem vel retentionem habuerunt seu ipsimet tenuerint, seu ipsorum nomine aut sub conditione, cum non solvitur restituens debitor id quod idem est & inter eos qui non possident. illos enim uti possident vel tenent, sic pendente discussionis instantia possidere vel tenere convenit. (6) Hos vero immittere nisi auditis omnibus his quorum interest non decuit. (7) Sed tantum curare, ut inter creditores causa communis celeri sententia terminetur. (8) *Ita Judicatum in causa intervenientium creditorum Valentin von Richsteden contra viduam Jochim Richsteden die* 8. *Januari Anno* 1661.

1. Non debuit debitor creditoris sui conditionem cedendo ex bonis quod ipsi reddere deteriorem.

2. Desinente conditione desinit & in pristinum statum redit sub ea conventum.

3. Pendente concursus instantia non debet fieri adjudicatio talis. *Vid. Fab. in c. l.* 7. *tit.* 32. *def.* 10

4. Pendente concursu creditorum ut communi lite, nihil innovandum est. *l.* 1. *c. ut pend. lit.*

5. Perinde est an quis ipse an ejus nomine alius possideat l. quod meo 18. *ff. de acquir. poss. ff.*

6. *l.* 1. *ff. uti poss. ff.*

7. *l.* de unoquoque 47. *ff. de re jud. l.* 39. *ff. de dol. mal.*

8. Ad judicis officium præcipue pertinet curare ut lites cito terminentur. l. cum quidem 21 ff. de reb. cred. cui non convenit quod intricat magis & auget lites, uti hoc proficiscitur ex particularibus adjudicationibus.

TIT. II.

QUORUM BONORUM.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. III.

QUORUM LEGATORUM.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. IV.

UNDE VI.

DECISIO. I.

Ex can. redintegranda, non est, nisi contra eum qui rem detinet, actio, non contra eum qui possidere desierit.

PInguius aliis recuperandæ possessionis remediis habetur, quod in *c.* redintegranda. 3. *q.* 1. traditum est, ideò frequentior ejus usus. Duo verò ad hunc necessariò constare aut probari debent, antiquior actoris possessio & nova rei conventio. (1) Quorum alterum si deficit, inepta est ex isto remedio actio. Quando itaque ex actis notorium vel confessatum est, eum qui convenitur rem non tenere seu possidere, sed ante litem motam ad alium transtulisse, qui suo nomine ut propriam tenet, contra illum non est admittenda actio. (2) Adeò si vel is qui vendidit, datâ opera seu dolo possidere desiisset, tamen non adversus illum sed detentorem dicto remedio agitur. (3) In possessoriis quidem etiam ille habetur pro possessore, ideoque & ad restituendum condemnatur, quatenus non reddenda possessio in condemnationem simpliciter venit, sed id quod interest. (4) Quando autem ipsius rei restitutio facienda est, restituendi facultas

Digitized by Google

cultas ſpectatur, præſentis poſſeſſionis ratio habetur, (5) ideò qui actu non amplius tenet & reſtituere non poteſt, ineptè convenitur, & à reſtituendi neceſsitate abſolvitur. (6) Multò magis ubi ille nunquam tenuit. Sic judicatum *in Cauſa regii Mareſchalli Claus Chriſtoff Lutzouven contra Præſidentem Andream Guldenclauen die* 10. *Febr. Anno* 1657.

1. *Vid. Menoch. recup. poſſeſſ. remed.* 15. *n.* 383.

2. Tranſit condictio ex dict. cap. redintegranda, adverſus ſucceſſorem non modo univerſalem, ſed etiam ſingularem, *quod latius expoſitum videas apud Menoch. dict. remed.* 15. *num.* 67. *& mult. ſeq.*

3. In eo qui convenitur ex c. redintegranda reſtituendi facultas neceſſaria eſt, ideo non aliter actioni locus, ac quando ea eſt ex poſſeſſione *Covarruv. in c. poſſeſſor in* 2. *part. relect.* §. 1. *num.* 4. *de Reg. Jur. in* 6.

4. *l.* 1. *ff. quor. bon. l.* 1. §. *hoc conſequens* 35 §. *ſeq. ff. und. vi. Menoch. adipiſc. poſſ. remed.* 1. *n.* 63. *ſeq.* ubi ad duplicem finem agi dicit contra dolo poſſidentem, ut recuperet reſtituendi facultatem, & ut æſtimationem ſeu id quod intereſt præſtet.

5. Sine hoc remedium illud qua ipſam reſtitutionem rei inutile eſt.

6. *Vid. Menoch. & Cavarruv. dd. locis.*

DECISIO II.

Hæredi eſt de recuperanda poſſeſſione Defuncto ablata ex can. redintegranda actio.

AN cum defunctus poſſeſſione dejectus erat, poſt ejus mortem hæres remediis recuperandæ poſſeſſionis recte utitur? diſputatur. Etſi vero ex eo dubitatio exſurgit, quod poſſeſſio Defuncti in hæredem non continuatur, (1) ſed nova apprehenſione ad eam obtinendam opus eſt, (2) ideo quam hæres nunquam habuit, de ea recuperanda ineptè acturus videatur. (3) Attamen quia actio ſeu remedium non poſſeſſionem ſed tantum jus ad eam requirit, (4) & licet non ipſammet, tamen jus recuperandi ad illam quod defunctus habuit ad hæredem tranſiit, (5) inde non minus quam defunctus iis ex hujus perſona utitur (6) & ipſi æquè contra adverſarium citario decernenda, & actio permittenda eſt. (7) *Quod conſideratum eſt in cauſa Hæredis des Landvogts Eccard von Uſedom contra Berend Vulfrathen, die* 4. *Julii Anno* 1657.

1. *l. cum hæredes in pr. vid. Bartol. & Dd. ff. de acquir. poſſeſſ.*

2. *Hanc communem Caterum ſententiam eſſe per multas allegationes docuit Menoch.* 4. *adipiſc. remed. num.* 82. *Roſenthal. de Feud. cap.* 7. *concluſ.* 7. *in d. Wurmſer. Obſerv. practic.* 44. *obſ.* 2. *eamque in Camera Imperiali receptam tradit Gail.* 2. *Obſerv.* 162. *n.* 12. *Mynging.* 3. *Obſerv.* 38.

3. *Ita ſentit Cavalcan. deciſ.* 23. *n.* 65. *part.* 1.

4. Actio eſt jus perſequendi in judicio quod debetur, *pr. Inſtit. de Action.* & qua iſtam in poſſeſſoriis ſucceſſio eſt hæredis, *per text. in l. cum miles ff. quib. ex cauſ. maj. l. nunquam* §. *vacuum l. captum ff. de Uſucap.*

5. Hæres ſuccedit in omne jus Defuncti, *l. hæredem ff. de Reg. Jur.* tanquam una cum ipſo perſona, *l. hæredes ff. de Uſucap. Nov.* 48. *in pr.*

6. Ita inter poſſeſſionem ipſam & jus ea potiundi & quod licet iſta non tranſeat, hoc tamen hæres ex perſona defuncti fruatur, recte diſtinguunt, *Roland à Vall. conſil.* 32. *num.* 4. *ſeq. vol.* 4. *Steph. Gratian deciſ.* 193. *num.* 1. *& 2. deciſ.* 211. *num.* 1. *Berol. Conſil.* 61. *num.* 12. *vol.* 2. Contraria ſententia cum his argumentis nihil aliud infert, quam hæredes ex ſua perſona de poſſeſſione quam non habuit, remediis recuperandæ non experiri.

7. *Expreſſo textu hæc quæſtio deciſa reperitur in l.* 1. §. *interdictum* 27 *ff. und. vi.* quæ minime ad hæredes referri poteſt, cum jam poſſederint, quia tunc non ut hæredes agunt ſed ut poſſeſſores.

DECISIO III.

Amiſſione crediti violentus invaſor puniendus eſt, ubi aliud uſu non obſervatur.

QUando oppoſitâ exceptione amiſſi crediti ob violentam invaſionem rei hypothecatæ non attenta immiſſio decreta, ſed appellatum fuit, veniebat in dubium, an recipienda eſſet appellatio, poſtquam plerique JCtorum tradunt rigorem iſtarum legum quibus violentus invaſor plectitur amiſſione crediti, juxta *l. extat ff. quod met. cauſ. l. ſi quis in tantam C. unde vi.* orbis Chriſtiani uſu & praxi antiquarum eſſe, nec in judiciis ultra obſervari. (1) Tradunt quoque multi ſublatum eſſe jure Canonico. (2) Verum quando nec reperitur textus juris canonici qui eam ſanctionem tollit, (3) Nec etſi talis eſſet, certum foret quod iſti hac in re potius quam juri Civili ſtandum eſſet, (4) Præſtat inſiſtere perſpicuè conſtitutis, maximè cum in pœnalibus jus civile ſequi ſoleamus. Si moribus id correctum dicitur, probanda prius eſt conſuetudo juris correctoria quę facti eſt, ideo non præſumitur. (5) Ubi non conſtat de correctione vel abrogatione per ſtatutum vel conſuetudinem, ſequi oportet legem, donec iſtius probatio fiet. Quando itaque non conſtabat in Ducatu Bremenſi ex uſu receſsiſſe illam legem, idque indagine opus habebat, prò ea viſum neceſſarium appellationem recipere & appellantem juri communi innixum audire, *in cauſa Nicolai von der Decken, contra Arend Lackeman, die* 27. *Sept. Anno* 1653.

1. *Ita ſentiunt Cov. var. reſol. lib.* 3. *c.* 16. *n.* 7. *Bonif. de Fam. §. poſſeſſ.* 9. *n.* 46. *Sarm. lib.* 2. *ſel. Interpr. c.* 13. *n.* 7. *Carpz. in Jurispr. Forenſ. part.* 2. *conſt.* 36. *def.* 11. *n.* 7.

2. *Ita retulit Bald. in Proem. feud. Zoann. in tr. de differ. jur. Covil. & Cam. n.* 63.

3. Sine lege loqui erubeſcimus. *Nov.* 18. *c.* 2.

Digitized by Google

4. In terris imperii jus commune Cæsareum potius sequimur, præterquam in causis ecclesiæ atque animæ, *Gail. 2. observ. 36.*

5. *Gail 1. observ. 31. n. 14.*

6. *l. præcipimus 32. §. fin. C. de appell.*

DECISIO IV.

Contra magistratum prædii domino non est decernendum mandatum de non turbando ob jurisdictionis exercitium, sed saltem ex interdicto retinendæ possessionis citatio.

POssessor prædii suburbani contra magistratum civitatis, quod ex villicis suis quendam in jus vocaverat, mandatum de non turbando ex obtentu jurisdictionis, ideo primæ instantiæ sibi competentis rogabat: (1) at non impetrabat. Primò nondum manifestè constabat de ejus jurisdictione in illo prædio, in quo tamen fundamentum petitionis & ratio mandati consistere debebat. (2) Additum quidem erat documentum cessæ sibi à venditore jurisdictionis; sed an etiam ea isti competierat magis, an unquam exercuerat, æque incertum. (3) Deinde præsumptio terræ domino ut homini privato & civitatis incolæ seu civi contrariebatur. (4) Etsi enim fieri potest & sæpius fit, ut cives in prædiis suburbanis jurisdictione potiantur, tamen ita demum fit, si legitimè quæsitam docere possunt. In dubio non censentur acquisivisse, sed civitatis illam in suo territorio seu districtu integrame esse. (5) Tertiò quod si vel Jurisdictio ipsi competeret, tamen nec hoc manifestum, an privativè quæsita sit, quod etiam non præsumitur. (6) Ubi de eo non apparet, cumulativè tantum, ideo & superiori magistratui simul ejus exercitium non ademptum vel abdicatum nec præclusum esse creditur. (7) Cujus quâ territorium vel districtum fundata est circa jurisdictionem in omnes ei obnoxios intentio. (8) Nec tamen penitus rejicienda fuit supplicantis petitio, sed quia jurisdictionis causa etiam subditis contra magistratum seu superiorem competit interdictum retinendæ possessionis, (9) nec quidquam apparebat quod ei obsisteret, placuit citationem velut actione instituta decerni: *Ita conclusum ad libellum supplicem Andreæ Luders, contra Senatum Vismarien sem, die 25. Septembr. Anno 1654.*

1. Ordo Jurisdictionum omnino servandus est, *l. 2. C. de jurisdict.*

2. Mandatorum processus tantum in liquidis & bene fundatis obtinet; illiquida & controversa ad ordinarium processum remittuntur. *Mindan. de Process. lib. 2. de Mandat. cap. 5.*

3. In possessoriis non sufficit allegatio tituli, sed oportet de actu possessorio constare, *Ant. de Petra in tr. de Fideicomm. q. 12. num. 153.*

4. Quemadmodum terræ dominique Jurisdictionem fundatam intentionem habent adversus omnes qui sunt de territorio, ita qui iis subsunt privati, cum obtendunt probare opus habent & juris præsumptio iis contrariatur. *Cothman. respons. 47. n. 124. vol. 3. Surd. consil. 286. num. 9.*

5. Territorii potius quam illorum qui sunt sub territorio Jurisdictio propria creditur. *Anton. de Petr. in tr. de Jur. quæsit. per princip. non tollend. cap. 18. num. 35.*

6. *Panorm. c. Pastoralis num. 6. x. de Offic. Ordin. Menoch lib. 2. præs. 18. Mynsing. 6. Obs. 99. ubi addit Assessoris in Camera eam præsumptionem sequi.*

7. Prævento locum habet competente pluribus eadem Jurisdictione, eaque ex sola citatione oritur, *Mynsing. resp. 4. num. 21.*

8. *Capyc. decis. 27. n. 31. & seq. Surd. consil. 323. num. 37. & seq.*

9. Inter JCtos quidem de eo quæstio nec eadem sententia fuit, utrum inter dominum & subditum de Jurisdictione contendentes interdicto retinendæ locus esse possit, *ubi apparet ex his quæ disputat & explicat Hartm. Pistor. Illustr. quæst. 19. vol. 4.* Vicit tamen ea sententia affirmativa, ut verior, ideo in praxi recepta, *quam idem ille sequitur, ut & Menoch remed. 3. retent. poss. q. 15. num. 122. Carpzov. in Jurisprud. forens. part. 2. const. 7. defin. 12.* Nec tantum domino contra subditum, sed etiam subdito contra dominum id remedium conceditur. *Hartm. Pistor. d. q. 19 num. 16.*

DECISIO V.

Mandatum de restituendo sine clausula non decernitur, nisi ubi de possessione spoliati & improbitate spolii constat.

ETiam pro restitutione spoliatorum mandatum sine clausulâ decernitur: (1) Verum non promiscuè nec indiscriminatim, sed duo hæc requiruntur: primo, ut spolium fiat improbo & inexcusabili modo, per vim nempe aut simili flagitio. (2) Deinde, ut qui se spoliatum dicit, tempore spoliationis possederit, & quidem verè non simulatè. (3) Eaque oportet verosimiliter allegari, & è narratis concludi posse. Ubi de iis non constat, minime decernendum est mandatum restitutorium, sed ordinariâ juris viâ & legitimis remediis experiri decet, (4) quæ cum mandati processu in hac re confundere non decet. (5) Quando itaque non modo de iis requisitis non apparebat, sed etiam in narratis erant, quæ alia indicabant, ad minimum vero altiorem indaginem poscebant, *denegatum est mandatum in causa Melchior Lutken, contra Johann Brunmern, die 24. Augusti An. 1655.*

1. *Id quod prolixius confirmat Petr. Frider. Mindan. de Process. lib. 2. de Mandat. cap. 56. num. 2. & seq.*

2. Alias non incidit in ea facta ob quæ mandatis sine clausula locus est, *juxt. Ordin. Cam. Imper. part. 2. tit. 21.*

3. *Fab. in C. lib. 8. tit. 3. def. 5.*

4. Interdictum unde vi, *tot. tit. ff. & Cumul. Vit. condictio seu possessorium, ut eam. redintegranda de Restit. Spoliat.* paratosum spoliatis ut ordinaria remedia.

5. Ita circa eam quæstionem, an & quando pro restitutione spoliatorum mandati processus obtinet, distinguit & declarat *P. Frid. Mindan. dict. cap. 56. num. 3. & seq.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO VI.

Exceptio ſpolii excludit etiam ab actione ſingularem ſpoliantis ſucceſſorem.

SPoliatus adeò ante omnia reſtituendus eſt (1) ut donec res reſtituatur potiori reſpondere non teneatur, (2) ſed exceptione ſpolii petentem excludat. (3) Nec ei tantum locus eſt contra ipſum ſpoliatorem, ſed etiam eum qui ab hoc cauſam habet. (4) Cum enim contra eum de ſpolio actio ſit, (5) multò magis proficere ei debet exceptio. (6) Nec relevat titulus vel bona fides accipientes, (7) nam iſtis potius hac in re conſideratur odium ſpoliationis (8) tum æquitas reſtitutionis, (9) tum præſeindenda occaſio defraudationis. (10) Quare eos qui rejecta illa exceptione condemnati erant appellantes auditi juſtum viſum, tantum quod non obſervaſſent appellationem introducendi fatale, proceſſus nondum decerni potuerunt *in cauſa Haredum Joh. Juſquini, contra Balduin Bucher, die* 8. *Febr. Anno* 1656.

1. *l. ſi quis ad ſe C. ad Jul. de Vi.*
2. *cum dilectus c. fin. de Ord. Cognit.*
3. Quæ etſi ratione temporis quo proponitur, dilatoria eſt, tamen qua effectum eſt litis finitæ, ingreſſum lites, donec reſtituitur, impediens. *Ant. Gabriel. lib. 5. Comm. concluſ. tit. de Reſtit. ſpoliat. concluſ. 3. n. 29.*
4. Quod dicitur contra tertium non eſſe exceptioni locum, id accipiendum cum hac declaratione, niſi ad eũ aliquid ex ſpolio pervenit. *Kling. in d. c. dilectus num. 5 Menoch. recup. poſſ. remed. 50. & mult. ſeq.* quod de eo qui cauſam à ſpoliante habet rectè dicitur, ideo is de ſpolio convenitur & exceptione repellitur. *Menoch. dict. loc.*
5. *Vid. Faber in Cod. lib. 8. tit. 3. defin. 26.*
6. *l. 1. §. pen. ff. de ſuperficieb.*
7. Contra bona fide & titulo poſſidentem à ſpoliante actioni & exceptioni de ſpolio locus eſt, *vid. Gail. 2. Obſerv. 75. num. 10.*
8. Propter hoc nulla auditur dominii vel alia allegatio. *Faber. in Cod. d. tit. 3. defin. 15. num 6.*
9. Hæc valde privilegiata & ſuper omnia alia juta eſt, quæ excludit, ut ſpoliati ejuſque ſucceſſor per ullam exceptionem aut reconventionem aut conventionem ſe tueri non queat. *Bartol. in d. l. ſi quis ad ſe fundum. Menoch. remed. 1. recup. num. 21. §. Schurff. conſil. 58. num. 1. cent. 1.*
10. Alias in arbitrio & poteſtate ſpoliatoris eſſet alienando reſtitutionem impedire & cauſam ſpoliati deteriorem reddere, quod permittendum non eſt. *contr. l. 1 ff. de alien. jud. mut.*

DECISIO VII.

Spoliatus ante reſtitutionem non modo non de eâdem, ſed nec de aliâ re in judicio reſpondere tenetur, modo aliquid connexitatis habet.

QUod in odium ſpolii & adjumentum ſpoliati ſic receptum eſt, ut ſpoliatus non teneatur petitioni reſpondere, niſi reſtitutione factâ, nõ modo pertinet ad eandem rem quæ oblata fuit, ſed etiam ad aliam de qua ad judicem itur, (1) modo aliqua ſit cauſæ connexitas. (2) In eô autem intereſt inter ipſum ſpoliantem & qui cauſam ab illo habet. (3) Ad illum tantum iſta ſententia pertinet; Ad hunc non aliter quam ſi alia res quæ petitur vel de iſta cauſa etiam ab autore profecta ſit vel dependet. (4) Cum itaque è duobus ruſticis alter vi abductus eſſet, alter judicio vindicaretur, hic non attenta ſpolii exceptione reſtitui juberetur, non temere appellari exiſtimatum eſt. *In eadem cauſa.*

1. *Cap. dilectus ib. Panormit. de Ordin. Cognit. Zanger. de Exception. part. 2. cap. 18. num. 5.*
2. In illis rebus quæ ſeparatam rationem habent, regula de ſpoliato ante omnia reſtituendo non ita præcisè & exactè obſervatur, ſed benignior interpretatio admittitur. *Uti poſt Menoch. remed. 21. cap. 1. queſt. 38. num. 413. ſcribit Cothmann. reſp. 67. num. 50. ſeq.*
3. Succeſſor ſingularis ut teneatur de ſpolio, fit ex vitio autoris, & quod ex illo ad ipſum aliquando devenit. Alias enim non tenetur. *Zanger. dict. part cap. 18. num. 9.* Ideo ubi deficit cauſa, deficit etiam cauſatum.
4. Qua utrumque ruſticum eadem cauſa petendi fuit, & qui agit à ſpoliante actor titulum cauſamque agendi habuit, ideo etiam exceptionem inde pati æquum fuit. *l. an vitium 5. ff. de diverſ. & temp. præſcript.*

DECISIO VIII.

Prohibitio ingreſſus in alterius fundum & ex eo avectionis lignorum, contra emptorem de injuria & vi actionem non parit, ubi juſta cauſa caret, nec prohibentis intereſt.

COndemnatio velut de injuria & vi facta erat ob prohibitionem ingreſſus in fundum & contra eam factam avectionem lignorum emptorum. (1) Præterquam autem quod illa negabatur, nec de illa exactis conſtabat, ideò deficiebat planè fundamentum intentionis, etſi vel facta fuiſſet, tamen non potuit ea condemnatio fieri aliter, quàm ſi primò illa cauſam juſtam habuiſſet. Sine cauſa enim facta prohibitio ingreſſus, (2) multò magis ſi injurioſa & iniqua, ſaltem ad iniquum alterius incommodum intenta (3) eum affectuum capere nequit, (4) ut injuriarum vel vis reum faciat ſuo jure utentem, qui nemini facit injuriam. Quin potius ejus prohibitionis nomine ipſi injuria fit, & injuriarum actio cõpetit. Deinde ſi illi actioni loc' eſt, ubi prohibentis intereſt aliquem fundum ſuum non ingredi, ſeu ſi damnum aliquod inde ſentit. (5) Quo ſine alteri prohiberi vel negare, ubi fieri ipſi prodeſt, ſibi nil nocet naturali æquitati contrariũ eſt. (6) Accedebat quod vẽditor ſemel ingredi & tollere permiſerat, (7) nempe quando arbores tradidit ſeu cẽdi conceſſit. (8) Abſolvi itaque ab inſtantia reum juri conveniens exiſtimabatur; ſi verò actor ab agendo deſiſtere nollet ad or-

Digitized by Google

dinarium judicium remitteré, ità ut articulet & probet ea, quæ ad actionis id genus requirebantur. *In causa Joannis Kleppers contra August. Fridericum à Plessen die 26. Julii An. 1656.*

1. Invitis dominis in fundum alienum ingredi fas non est. *l. Divus pius 16. ff. de serv. Rustic. Prad.* Prohibitus qui id facit, conveniri potest tum injuriarum actione, *l. injuriarum 13. § fin. ff. de injur.* tum de vi, quia vi facit, qui contra quam prohibetur fecerit, *l 1. §. Quid sit vi 5. ff. quod vi aut clam.*

2. Accedens justa causa, contra prohibitionem faciens, vim non committit, *l. 1. §. item Labeo 9. ff. quod vi aut clam.* nec injuriam. Quia hanc non facit, qui jure suo utitur.

3. Haud malitiis cuiquam etiam circà sua est indulgendum, *l. in fundo 38. ff. de Rei vind.* quisque jure suo citra alterius injuriam uti debet.

4. Venditor prohibens id quod alteri vendidit atque tradidit è suo fundo tollere vel in eo percipere injuriarum tenetur, *l. qui pendentem 25. ff. de act. empt.*

5. *l. fin. § si Sterem 3. ff. quod vi aut clam.*

6. Quod sibi non nocet, alteri prodest, negare improbum est, *l. 2. §. item varus 5. ff. de aq. & aq. pluv. arc.*

7. Permissio præcedens potior habetur prohibitione sequente, *d. l. 1. §. item Labeo 9. ff. quod vi aut clam.*

8. In suo fundo quid vendens tradensque simul auferendi potestatem ideò ingrediendi licentiam facit, nec sine injuria prohibere potest, *d. l. qui pendentem 25. ib. Bartol. & Dd.*

Sic pronunciatum fuit super his in ea causa;

In Sachen Hanns Kleppers & Consortum appellanten wider August Friedrich von Plessen Appellaten, in puncto prætensæ vis illatæ, weiden die gravamina als überflüssig nicht, sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen, befunden und erkannt, Daß so viel die restitution und Straffe betrifft, vom Richter erster Instanz den 28. Junii Anno 1655. noch zur Zeit übel gesprochen, wol appelliret, und appellanten darzu erkanter massen nicht verbunden, sondern dafern appellat Gegentheils Zuspruchs zu erlassen nicht gemeynet, die angezogene prohibition wie auch sein deßwegen, daß dagegen von ihm gehandelt wäre, habendes interesse besser dann geschehen, zu specificiren, und zuerweisen schuldig sey. So ergehet darauff was recht ist, von Rechtswegen.

Public. im hohen Tribunal zu Wißmar, den 7. Julii Anno 1656.

(Hoc est.) In causa Joannis Kleppers & consortum appellantium contra Augustum Fridericum à Plessen appellatum in puncto prætensa vis illatæ gravamina ut superflua non recipimus sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus, quod, quantum concernit restitutionem & mulctam è judice primæ instantiæ 8. Junii Anno 1655. adhuc dum malo judicatum bene appellatum & appellantes eò decreto modo non obligati, sed quatenus appellatus ab actione desistere nolit, allegatam prohibitionem ut & suum propterea quod contra ab ipso actum esset, putativum interesse, meliùs quam hucusq; specificare & docere teneatur, quo facto ulterius fiet quod juris. idq; de jure. Public. in summo Tribunali Wismariæ 7. Jul. An. 1656.

DECISIO IX.

Creditor possessionem, etsi sibi in fundo oppignorato reservavit, ut & cujus illa ex constituto est, invito eo qui in possessione est, propria autoritate occupare non debet.

EXceptione crediti propter invasionem seu occupationē propria autoritate factam amissi opposita, at per sententiam inferioris judicis rejecta appellans fundatam in lege, (1) intentionē habeat; at per aliquot circumstantias quæ ex actis prioris instantiæ apparebant, utrum in eo qui sub judicio erat casu locum reperiret, (2) dubitationem faciebant. Præcipuè verò, quod creditor qui non soluto sibi debito possessionem ingressus erat, fundo oppignorati, sibi in cessione possessori facta in casum nō soluti debiti expresè reservaverat, (3) cui videbatur consectarium, ut si velleiterri non servata sibi fide occupare posset, tanquam ex pacto quo licentia ista dari potest. (4) Veruntamen cum generalem propriæ & privatæ autoritatis usurpationem ejusq; causam respicimus, (5) quam etiam creditori, (6) ut ut per conventionem à debitore facultas data fuerit, illa est interdicta, tum etiam ad eum non minus legis pœnam, nempe crediti amissionem pertinere consequens est. Publicam enim quietem, (7) & judiciorum vigorem concernit ea Constitutio, (8) contra quam pactis vel reservationibus quidquam concedere aut sibi sumere non est in potestate cujusquam. Reservatio possessionis nihil proficit ultrà quam ut reservans statim à judice immissionem impetrare debeat, non ut propria vi occupare. (9) Minus adhuc est in tali quā in constituto. Per quod, licet qui in possessione est nomine creditoris sed constitutarii possidet, civilem & naturalem possessionem habere creditur, tamē ipso invito possessionē apprehendere non potest. (10) Tanto magis verò invasio improba est, quando à creditore fit invito debitore & quidem tunc cum nullam justam ejus causam habet: (11) ubi de debitoris mora vel culpa cōqueri nequit, seu in eo statu res non est, ut solvi debeat, (12) isto exceptionem quandā non illegitimam habente seu liquidationem priùs necessariā desiderante. (13) Quæ contrà hęc creditori proficere putarentur, obscura adhuc erant, ut ad convellendum appellantis fundatam intentionem sufficerent, quare gravaminibus admissis ea ad ulteriorem discussionem remittere melius videbatur. *Uti occurrit in causa Nicolai von der Decken, contra Arend Lütkemann, die 27. Julii Anno 1656.*

Digitized by Google

1. *l. si quis in tantam C. unde. vi.*

2. *Sunt plurimi casus in quibus lex ista non obtinet, quos vide expositos plenius à Menochio recup. possess. remed. 9 per tot.*

3. Talia reservata in traditionibus rerum sunt frequentia, queis sibi cautum volunt creditores, ut si promissis non satisfiat, ex re cautio sit, *juxta l. plus cautionis 25. ff. de R. I.*

4. *l. 3. C. de Pignor.* per quem textum JCti reservata & pacta de ingrediendo, cum fides non servatur, possessionem ut licita approbant.

5. Generalis plane est Constitutio, *d. l. si quis in tantam* quæ ut extat in Codice Theodosiano adjectam habent hanc clausulam. *Hoc quidem etiam in privatis negotiis servandum generali Lege sancimus.*

6. Ad creditorem pertinere eam sanctionem post allegatos tenet & demonstrat *Menoch. dict. remed. 9. num. 204.* probant textus *in l. pignoris 11. C. de Pignor. act. l. dotis 9. C. solut. matrim.*

7. Excipiunt plerique JCtorum à lege præfata creditorem, cui ex pacto licentia ingrediendi data est, *quos allegat & sequi videtur Menoch. d. remed. 9. num. 208. per d. l. 3. C. de Pignorib.* At hic ipse textus ostendit, quod isti pacto vim aliam non tribuit, quam ut ex eo cita sine judiciario processu sit pignoris executio, sed additur quod præsidiali authoritate adversus invitum fieri debeat, *quod explicatur in d. l. pignoris 11. C. de Pignor. action.* quæ indicat creditori fas non esse ingredi, nisi vel ex conventione seu ex voluntate debitoris, vel ubi is reluctatur aut non consentit, judicis authoritate. Atque sic communiter illam legem intelligimus atque observamus. *Prolixius expositum hoc vid. apud Coler. Process. Executiv. part. 1. cap. 5.* Huic convenit, quod pro declaratione secus qui sentire videntur, addunt, vi non facere qui ex pacto possessionem pignorum ingrediuntur, nisi resistit debitor. *Vid. Menoch. d. l. num. 208.*

8. *Uti monet l. non est singulis 176. verb. ne occasio sit majoris tumultus ff. de R. J.*

9. *l. nullus 10. C. de Jud. & Cœlic.*

10. Prædo est, qui nanciscitur possessionem invito domino, *l. si ex stipulatione 5. ff. de acquir. Possess.*

11. *De quo vid. Fabr. in Cod. lib. 7. tit. 7. defin. 18.*

12. Ubi debitor justam contradicendi causam haber, occupans ex constituto vel pacto vim facere dicitur. *ut ait Faber dict. defin. 18. num. 4.*

13. Frustra quæritur de jure possessoris, ubi removetur jus petitoris, *l. Paul. 12. §. 1. ff. quib. mod. pign. vel hyp.*

14. In illiquidis executivus processus judiciarius cessat; multo magis à propriæ authoritatis exercitio abstinendum est.

DECISIO X.

Miles invasor rei alienæ ex obtentu crediti non est impunis.

IGnorantia juris quidem militibus ad excusationem sæpè proficit, (1) sed tantum in iis quæ merè juris civilis sunt. (2) Non vero in his quæ naturali jure improba sunt, (3) è quibus est invasio vel alienæ ut ut sibi oppignoratæ. (4) Unde ab ejus injuria & pœna non excusat error vel juris imperitia. (5) Non eo minus itaque ut alii incurrant pœnam invasionis violentæ, nec sub obtentu militiæ excusandi sunt. (6) Multo minus autem ubi non amplius actu militant sed militia missi vitam civilem degunt. (7) Non proficit his juris ignorantia, ubi peritiores consulendi copiam habent nec negligere debent. (8) Præsertim in tali causa quam in judicio per Advocatum egerunt, cujus opera ut in lite utuntur, sic etiam consilium in talibus petere debent. (9) Nisi itaque aliunde factum excusari posset, quod post communicatam libelli appellatorii copiam exspectandum, vitæ conditio nihil facere potest. *Consideratum hoc in eadem causa.*

1. *l. regula 9. §. 1. ff. de Jur. & facti ignor. Rationem ponit Imp. in l. fin. pr. C. de Jur. delib.*

2. Ita excusationem militaris imperitiæ *JCti limitant, VVesenbec. in Paratit. ff. de Jur. & fact. ignor.*

3. *l. venia C. de in jus voc. Paris. cons. 149. n. 20. l. 4.*

4. *l. 1. §. fin. verb. quod lege naturali prohibitum est admittere. ff. de Furt.*

5. *§. ult. vers. sed nedum talia. Inst. de vi bon. rapt.*

6. *Ita communem JCtorum opinionem tradit & sequitur Menoch. & recup. poss. remed. 9. num 17. & seq.* ubi non tantum rei alienæ sed etiam suæ propriæ, quæ apud alium est invasores, *ex l. si quis in tant. C. unde vi.* castigandos esse statuit & plures citat idem sentientes. Ratio verò vel sola hæc sufficit, quod quò ad vim inferendam propensiores sunt milites, eo magis coercere deceat.

7. Amplius indulgetur militi in castris versanti & inter militaria occupato quam postquam missus est. Huic non proficit juris Civilis ignorantia, nec excusat neglectus, *l. si certa rura 17. §. fin. ff. de Testam. milit.*

8. *l. Regula 9. §. sed juris 3. ff. de Jur. & fact. Ignor.*

9. Neglectus accedens imperitiæ non excusat ignorantiam, ubi alios consulendo scientia haberi potest, *l. in bonorum 10. ff. de bon. poss.*

DECISIO XI.

Clam facta invasio, modo invito domino facta, ex L. si quis in tantam C. unde vi coercetur.

PRæcipuam dubitandi causam adversus exceptionem amissi ob invasionem crediti faciebat, quod nulla vis manifesta erat, (1) sed ex actis apparebat sine armis aut tumultu, imo sine illa violentia absente debitore, præsente Notario & testibus creditorem fundum sibi oppignoratum ingressum fuisse, nihil violentè postea attentasse, nec eos qui in fundo erant ejecisse. At tamenquando hæc non modo inscio sed & invito, imo si præsens fuisset relu-

Digitized by Google

reluctaturo debitore facta sunt, à vi omni non absunt, (2) nec excusationem habent per clandestinitatem; sicut nec hæc ab amissionis pœna. (3) *In eadem causa.*

1. *l. si quis in tantam C. und. vi. nominatim de violenta invasione loquitur, ideò in ea tantùm praxis ejus constitutionis qualificatur.*

2. Vi factum dicitur, quod fit contra voluntatem & animum, etsi sine armis, *l. clam possidere §. fin. ff. de acquir. Poss. Bartol. in l. sequitur §. si fundum ff. de Usucap.*

3. *Ità tradit & sentit Menoch. recup. possess. 9. numer. 264.*

DECISIO XII.

Non sola pœnitentia sed accedens remissio partis læsæ liberat à pœna amissionis ob vim.

INter dubitandi rationes quæ in quæstione de admittenda ob rejectam amissi crediti exceptionem appellatione occurrebant, etiam hæc occurrit, quod ex occupata possessione deinde occupans decesserit, eamque adversario à se vacuam reliquit non exspectata super facto sententia. (1) Veruntamen post factum sera, quæ pœnæ remissionem est pœnitentia, nec ad hanc proficit, nisi adversarii remissio accedit: (2) quæ non tantum expressè fit, sed etiam tacitè, quando ille ereptam sibi possessionem recipit, (3) nec de privationis pœna quidquam reservat aut protestatur. (4) At non apparebat quidquam de eo ex actis. Verosimile autem non erat, remissam voluisse eum, qui mox petente creditum occupatore exceptionem per istam amissi crediti objecit. *In eadem causa.*

1. Sic per JCtos communi sententia existimatur, per occupationem rei alienæ ut ut oppignoratæ non ipso jure incurri amissionis pœnam sed saltem per sententiam. *Tiraquell. in l. si unquam verb. revertatur num. 152. & 187. C. de revoc. donat. Ripa in c. sæpe num. 99. X. de restit. spoliat.*

2. *Ità explicat Menoch. recup poss. remed. 9. num. 150. & seq.*

3. Recuperatio præsertim non diu post factam occupationem purgare videtur vim & remittere injuriam *Menoch. d. remed. 9. n. 161. ubi tamen hoc declarat.*

4. Protestatio vel reservatio quidem facit non præsumi remissionem, sed integram relinquit & conservat actionem. *Bartol. in l. 4 n. 5. ibid. Jason. n. 114. C. de Jur. Emphyt.*

5. Exceptio opposita tum declarat animum de non facta remissione: tum exercet de vi jus competens atque pœnam. Quæ etsi ipso jure non incurritur, tamen non remittitur, ut ut non per modum actionis petitur. Nam per exceptionem idem vacat.

Super hac pronunciatum fuit;

In Sachen Niclaus von der Decken Appellanten/ wider Arend Lütkemann Appellaten / in puncto liquidationis itzo prætendirter eigenthätlicher invasionen / werden die gravamina zu fernerer Außführung angenommen/ und soll Appellat proxima darauff zu antworten schuldig seyn von Rechtswegen. Public. im hohen Tribunal zu Wißmar den 7. Julii Anno 1656.

(Hoc est.) In causa Nicolai à Decken appellantis contra Arendum Lutkeman appellatum in puncto liquidationis modo prætensarum violentarum invasionum, gravamina adulteriorem deductionem admittimus & appellato ut in proximâ desuper respondeat injungimus. idque de jure. Public. in Summo Tribunali Wismariæ 7. Jul. Anno 1656.

DECISIO XIII.

Oppignoratio pro conservanda libertate rei suæ per mandatum sine clausula juste non coercetur.

POst pignorationem pecudum, quas quis in aliena pascua egerat, mandatum de restituendo impetratum; etsi verò à pignorante causæ pignorationis pro hac approbanda allegarentur iteratum, inde appellatum erat. Quærebatur an rectè, quandoquidem per Imperii legem contra pignorationes talia mandata decerni comprobatum, (1) nec tantum in superioribus Germaniæ judiciis, sed etiam in inferioribus ita procedi solitum. (2) At ante omnia circa hanc causam primò accuratè observandi sunt termini Constitutionis Imperii, juxta quam mandata decernuntur. (3) Inter quos est, ut adsit à parte pignorati possessio; (4) à parte pignorantis novi juris usurpatio; (5) in ipsa pignoratione autem rei alienæ ejusque tertiæ atque innocentis apprehensio: (6) Quorum nihil in eo qui proferebatur, casu deprehensum fuit. Nec enim pignorati aut possessores fundi vel agri, in quem pecora sua immittebant, vel in possessione vel quasi juris pascendi erant. Pignorantes verò non novum quoddam jus, quod antea non habuerant, quærere intendebant, sed libertatem prædii sui contra ausum vicinorum defendebant. Id quod per pignorationes fieri solet, & ex communi Germaniæ consuetudine ita practicatur. (7) Pignorando quoque hic non fuerunt apprehensæ res aliæ quam fontes, pecora nempe, per quorum pastum querebatur aut obtendebatur servitus. (8) *Decreti itaque sunt pleni processus in causa Thomæ Gerstenbergen & consortum, contra die Dorffschafft Ottvvesen, die 28. Junii Anno* 1656.

1. Illa ante hanc sæpius condita tandem Ordinationi Cameræ Imp. inserta est, *tit. 22. part. 2.*

2. Uti Constitutione Imperii, composita est lex de

de Pignorationibus, de ils quidem tantum sonat, qui immediate Imperio sunt subjecti, quia pignorationum processum in Camera definite voluit, eodemque requisita istius usu recurare in superioribus judiciis observetur, ut narrerat & reperiatur immediata subjectio. *Vid. Petr. Frid. Mindan. lib. 1 de Proceff. cap. 34. n. 1. & seq.* At non minus apud inferiores eam servandi ratio & usus est. Ideo etsi contra mediate Imperio subjectos in Camera non decernuntur processus, impetrantur tamen in judicis inferioribus.

3. *De his requisitis & istarum exacta observantia vid. Gail. in tr. de Pignorat. cap. 3. num. 4. seq. Mindan. dict. cap. 34 & seq. ubi latius exponuntur.*

4. Lex & processus de pignorationibus ad interdictum retinendæ possessionis pertinet, *Gail. dict. cap. 5. num. 2.* in quo à parte actoris necessaria est possessio. *l. 1. §. hoc interdictum ff. Uti possid.*

5. *Vid. Mindan. dict. cap. 35. num. 9.*

6. *Gail. dict. Observ. 3. num. 10. Mindan. dict. lib. 1. cap. 36. num. seq.*

7. *De pignorationum jam recepto usu & modo vide scripta in decis. 34. part. 1.*

8. Nihil frequentius hodie est, quam pecora aliena in nostro reperta pignorari, non tantum ob damna quorum reparatio pignoratione obtineatur, sed etiam pro avertendo præjudicio & impediendis servitutum injuriis, quæ ferè sæpè fiunt, tempore verò si patientia accesserit, invalescunt.

DECISIO XIV.

De crimine Pensionarii seu Conductoris qui ex prædio illata vi vel clam abstulit, antequam de mercede satisfecit.

SEntentia in mercedem condemnans simul conductori injungebat, ut satisfaceret locatori de ablatis vi & clam invectis violataque jurisdictione ipsius, *solle ihm wegen der mit Gewvalt und heimlich entführten Viehe und Fahrnus, dadurch* violirter Jurisdiction *gerecht wverden und* satisfaction *geben.* A qua clausula appellatione simul interposita, judex à quo deferre recusavit, quod illa ad judicium criminale exspectaret, in quo isti juxta leges suas locus non esset. Existimatum est non aberrari hanc per opinionem. Duplex quippe crimen non leve concurrebat, ad cujus vindictam clausula p. rædicta tendebat. Primò abducta ea, quæ pignori expresse vel tacitè supposita fuerant, incidebant in crimen furti, quod committit creditor ut dominus, qui pignus suppositum creditori invito aufert. (1) Et licet id furti genus tantum privati criminis sit, atque aliorum instar lege publica non vindicatur, (2) punibile tamen est & criminali actione vindicatur. (3) Deinde accedebat, quod prædii dominus aut qui hujus vice erant, pecora illa arresto affecissent, & quidem vi jurisdictionis, quæ istorum in prædio erat, unde violati arresti, ideo etiam jurisdictionis crimen admissum, quod inter non levia propter arrestorum autoritatem refertur, (4) Merchanmalis, ut qui committat, de iis satisfaceret, aut verò justa pateretur, ideò minimè ad appellans audiretur. *In causa Senatus Stralsundensis contra Thomam Guinnes die 28. Julii Anno 1656.*

1. *l. item si quis 16. §. fin. l. in actione 19. §. fin. ff. de Furt.*

2. Per Juris prudentiam Justinianeam, furti crimen privatum delictum est & privati judicii. *pr. Inst. de Oblig. quæ ex delict. l. 1. cod. tit. ff. de Privat. delict. l. 1. tot. tit. ff. de Privat. delict.* Nec ex eo quidquam hodie mutatum est, præterquam in iis furtorum speciebus, quæ publicum crimen legibus vel moribus recentioribus facta fuerunt. Quas extra insistimus juri civili veteri.

3. *l. fin ff. de Furt.*

4. Violatio arresti coercetur pœnâ violatæ jurisdictionis, cujus crimen propter sanctam ex gentium jure judiciorum autoritatem grave reputatum, *ut ostendi in tract de Arrest cap. 24. num. 1. & seq.*

5. Appellatio minimè convertenda est in præsidium malitiæ aut impedimentum justæ vindictæ, *l. 1. ff. de Appellat.*

DECISIO XV.

De modo restitutionis rerum pignoratarum.

POst mandatum ex causa pignorationis de restituendo impetratum & insinuatum, oblatam etiam restitutionem, at non factam, quæstio incidit, quomodo hæc fieri debeat, ut mandato paritum esse dicatur? Et existimatum est, primo pignoratos equos ad illum ipsum locum ex quo abducti fuerant reducendos esse, (1) nec sufficere intimatum pignoratis à pignoratore, ut veniant & recipiant se reddere paratum esse. Hoc vero præterea necessarium, ut pignorator alteri parti juxtim significet, diem & horam quando ad illum locum reducere velit, quo recipere possit, nec sufficere ut reducat tantum, nihil de eo significato parti. Deinde facienda est restitutio impensa restituentis, (2) sine onere alterius partis. Tertio fit nulla præstita cautione, (3) vel refusione sumptuum si equos vel alia pecora quis interea pavit aut illud impendit. (4) Quarto res restituenda est in sua bonitate. (5) Quinto plene atque integre cum omni sua utilitate. (6) Quod si aliqua rerum restituendarum perierit vel deterior facta fuerit vel alias absit, quod habiturus esset alter pignoratione non facta, ejus pretium refunditur, & in restitutionem venit. (7) Unde pignorato integrum est etiam restitutione rei specificè injuncta ob casum accedentem pretium petere. (8) Quod æstimatione facta statuet judex. (9) Illa considerata sunt in decreto pro facienda restitutione in causa *Bürgemeister und Rath der Stadt Greiffswaldt, contra Iochim Eddeling, Die 12. Februarii. Anno 1658.*

1. *Petr. Frider. Mindan. in tr. de Proceff. lib. 2. cap. 18. n. 18. in fin.*

Digitized by Google

2. M. A. de Anno 1566. §. als auch im 3ten und 4ten ~~articul. verb.~~ ohn Entgeltniß.

3. *Mindan. d. c. 36. n. 18. in fin.* Omnes enim exceptiones & oppositiones pertinent ad processum citationis. In processu mandati nullæ admittuntur, sed ad alterum rejiciuntur, tantum est parendum. *Gail. in tract. de Pignoration. c. 3. n. 3. & seq.*

4. Imputet sibi qui onus in se pignorationem transtulit.

5. *l. proinde ff. ad L. Aquil.* Non censetur reddita quæ deterior reddita est. *l. 3. §. si reddita ff. Commod. l. 1. §. si res deposita §. 1. ff. depos.*

6. *Vid. de hoc plenius Gailium in tract. de Pignoration. Observ. 17. per tot.*

7. *Mynsing. cent. 3. Observ. 21.*

8. *Mindan. d. tract. c. 36. n. 14. & seq.*

9. Quomodo hoc fieri oporteat latius explicat *Gail. dict. tract. Observ. 18. per tot.*

DECISIO XVI.

In causis mandatorum de restituendo pignorata, non merita causæ sed jura processus spectantur.

CUm de pignoratis bonis restituendis mandatum sine clausula emanaverat, (1) opposita sunt pro cassando illo, quæ ad causam principalem pertinebant. Quæ si quidem ita fuissent comparata, ut in justitiam pignorati & jus pignorationis statim fecissent notorium, per modum exceptionis sub & obreptionis valuissent ad cassationem impetrandam. (2) At cum altioris essent indagitis, & alio processu judiciario discutienda, non potuerunt attendi, (3) præsertim cum mandatum non ad merita causæ, sed ad ordinem proceſſ spectabat, ideo decretum quod ab executione contra inauditum & indefensum, negantem factum, ut referebatur, non legitime convictum processus erat inchoatus. In quo considerandum saltem fuit quod processus rationem concernebat. Nec alias in causis mandatorum merita causæ principalis attenduntur, nisi hæc ipsa concernant, sed ista seponitur post paritionem. *In causa Harding Petersen contra Senatum civitatis Wismarensis die 8. octob. Anno 1658.*

1. Adversus pignorationes, quarum justa aliqua ratio non constat, processus mãdati consuetus est.

2. Mandatis sine clausula opposita sub & obreptionis exceptio admittitur, etsi omnes aliæ exceptiones sunt exclusæ. *vid. Gail. 1. Observ. 14. per tot.*

3. *Gail. de Pignorat. Observ. 21. n. 1. & seq.*

DECISIO XVII.

Successor ex c. sæpe ex. de restit. spoliat. conventus non potest nominando autorem se à lite eximere.

UTi conventus non ex alieno sed proprio vitio & facto non potest autorem laudando semet à judicio eximere. (1) ita nec ille qui remedio d. c. sæpe convenitur dum proprii peccati reus agitur, (2) illud intendens auditur, aut nominatione litem retardare permittitur. (3) *In causa Mandschalli Regis Nicolai Christophori Lutzow contra Bernardum Wulffrathen die 18. octob. Anno 1658.*

1. *Dd. in l. 1. C. ub. in rem. act.*

2. Ex hoc oritur & fundatur illud remedium, ut habent verba textus *in cap. sæpe contingit. x. de Restitut. Spoliat.* ideo cessante peccato idipsum cessat. *Ripa in d. cap. n. 40.*

3. *Sic in terminis tradit Mevoch. recup. possess. remed. 16 n. 65.*

DECISIO XVIII.

Circa restitutionem rerum pignoratarum supervacua est reservatio vel declaratio de non præjudicando.

PRotestatio quæ facta erat circa restitutionem rerum pignoratarum ex mandato peracta de non præjudicando dominio vel possessione, supervacua est, cum etiam sine ea, quidquid juris in petitorio vel possessorio circa pignorationes juxta imperii constitutionem, qui duplex est mandati & citationis (1) In illo nihil ultra agitur, quam ut per pignorationem ablata statim sine mora & exceptione plene & integre restituatur. (2) Eo tendit mandatum, quod pro pace publica servanda decerni, & cui sine ulla exceptione obtemperari legis providentia injungit. Præter illud vero citatio decernitur ad causas pignorationis reddendum atque approbandum Postquam integrum manet pignorationis justitiam deducere, eidemque non obest restitutio, ut illa edocta pignora reddi debeant. Multo magis itaque superflua & inutilis petitio restituentium de facienda per judicem reservatione juris vel declaratione integra debere esse de cætero omnia. (3) Sicut de illa nihil decernere sed in processu pergere placuit. (4) *in causa Burgermeister und Rath zu Greiffswald contra die Universität daselbst die 13. Febr. Anno 1659.*

1. *Vid. de hoc plenius apud Gail. in tract. de Pignorat. cap. 13. num. 1. & seq.*

2. In hoc altero judicio possessioni satis consultum, cum verè sit retinendæ possessionis. *Gail. d. tr. cap. 1. num. fin.*

3. Fruſtra petitur à judice quod ipso jure competit. *l. un. C. de Thesaur.*

4. Versantibus in causa mandati nihil ultra curare convenit, quam ut restitutio fiat. Cætera ad judicium citationis pertinent, nec in judicio mandati attenduntur *Gail. dict. observ. 13. num. 3. & 4. ubi rationem ejus addit.* Quod si quid in eo pro altera parte cavendum judex duxerit, alteri non modo sed & processui præjudicabit *Frideric. Mindan. de Process. lib. 2. cap. 36. num. 18.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XIX.

Ex causa spolii non mandatur restitutio quamdiu illa dubia est, & quomodo circa colonum ea talis habetur.

QUod de facienda ante omnia spoliatorum restitutione jure civili & canonico cautum est, ita demum observatur, si spolium vera commissum est, ad quod requiritur à parte dejecti certa possessio, (1) & à parte dejicientis improba dejectio: (2) ubi vero ambiguum adhuc, an qui restitutionem quærit possideat, (3) multo magis ubi apertum eum non possidere, (4) similiter ubi vero similiter allegatur, eum, qui dejectionis arguitur, non dejecisse, sed quidquid ex possessione alteri competere possit, adhuc reliquisse, citra hoc jure suo usurus, (5) abstinendum est à mandato de restituendo sine clausula, & mediante causæ cognitione de facto ejusque circumstantiis prius inquirendum statuendumque est. (6) Id quod observandum duximus in tali specie, ubi post finitum locationis contractum locator fundum suum ingressus fuerat; (7) quo illum ut suum coleret, non ut conductorem ejiceret, quem ex jure quodam retentionis, quod ob impendia sibi arrogabat, ibi remanere sinebat, tantum ei quæ agri ad culturam pertinebant relinquere nolebat, (8) In ea specie possessio locatoris apparebat, (9) perinde autem non erat certa possessio coloni, & quidem talis, quæ defendi deberet, (10) cum post finitum contractum jus ejus quod antea ex eo habebat desiisset. (11) Etsi vero contra occupantem ipsi ex justa & probabili causa retentionis facultas esse posset, (12) tamen non aliter quam si de illa constaret. (13) Utut vero adesset tamen non nisi retentionem pro impendiis haberet, minime faciebat, ut locator fundum suum ingredi, & observare non posset. (14) Quæ duo diversa quidem, at inter se non pugnant, sed bene consistunt. (15) Denegatum idcirco mandatum & pro causæ cognitione decretum *factum ad supplicationem Johann Müller contra Obrist Brunellen Wittwe. die 12. Aprilis Anno 1659.*

1. Qui de spolio queritur, ante omnia de possessione probare debet. *Cod. consultationibus de Offic. delegat.*

2. *l. & tot. tit. ff. de vi & vi armat.*

3. *Faber in Cod. lib. 8. tit. 3. defin. 5.*

4. *Bald. in l. pen. C. ß à non compet. fuid.*

5. Separata hæc plane sunt in causa spolii non miscenda.

6. Resoluta seu finita causa præcedentis detentionis ex causa prætensæ spoliationis non statim fit restitutio *l. 3. §. pen. ff. de vi & vi armat. Menoch. recup. poss. remed. 1. n. 74.*

7. Cujus præterea valde specious erat, & juri congruus, dum jure suo utebatur, alium suo non privabat, inter quas circumstantias non adeo rigorose procedendum, ut statim irrogetur restitutio *Cothman. respons. 67. n. 55. vol. 2.*

8. Jus retentionis securitatem præstare debet detinenti, non impedire ipsi innoxia domini jura. Eo illud extendere est illo iniquè abuti.

9. Locator enim etiam post locationem possidet, ejus nomine colonus in possessione esse intelligitur. *l. si quis ante 10. l. si colonus 51. ff. de Acquir. poss. l. 2. Cod. de Præscript. 30. vel 40. an.* cujus virtute ipsi licet post finitum contractum rem suam ingredi.

10. Colono vera non est possessio, ideo inter dicto unde vi non experitur nec restituitur. *l. 2. l. cum fundum 18. ff. de vi & vi armat.*

11. Quo casu ex nullo obtentu ne quidem dominii vel proprietatis licet restitutionem rei locatæ negare vel differre *l. si quis 25. l. necessi 32. Cod. de Locat.*

12. *l. colonus 12. ff. de vi & vi armat.*

13. Nisi is, qui restituere tenatur, ideo ex eo, ut spoliatus restitutionem non impetrat. *Gabriel. Communn. conclus. lib. 5. tit. de restit. poliat. conclus. 1. num. 101.* de justa retinendi causa doceat non auditur. *Bartol. in d.l. colonus.*

14. Quoad ea, quæ separatam rationem habent, non observatur de spoliato statim restituendo regula. *Menoch. recup. poss. remed. 1. num. 413. Cothman. resp. 67. n. 50. vol. 2.*

15. Potest jus retentionis colono esse integrum, locatori tamen ingressus & cultura fundi sui sine spolio alterius liber.

DECISIO XX.

Veniens in fundum, ut homo adjudicatus sibi tradatur, ubi autem dominum fundi non reperit, ex eo illum ad dominum ubi est abducit, quo eo potiatur, jus quæsitum non amittit.

VIctori non permissum est propria autoritate exequi, quod sibi adjudicatum fuit invadere vel auferre, (1) nisi judex ipsi hoc permiserit, (2) alias incidet in pœnam privationis juris sui, (3) aliasque à legibus sic exequentibus dictatas. Accidit ut, cui ex vindicatione per longam litem finita homo proprius cum liberis adjudicatus erat, veniret cum famulis in fundum condemnati, & cum in agro ad aratrum deprehendit, secum in ædes possessoris deduceret, ab illo petiturus, ut ex judicato sibi istum cum rebus suis traderet, ubi vero illum ibi non deprehendit, sed in urbe ubi domicilium habebat commorari audiit, eo adducto secum rustico equitaret, & ibidem traditionem exigeret. Inde possessor exceptionem ex autoritate propria & vi exceptionem privationis executioni opponebat. Quæstio inde, an hæc esset admittenda? Verumtamen eo, ut factum juris amissionem mereretur, rem nondum devenisse, per narrata constitit. Defuit quippe vis omnis, (4) factum ita comparatum est,

Digitized by Google

ut excusari possit. Ingressus enim victor in fundum sine vi, repertum rusticum non invitum ab aratro abduxit, tantum ut in ædes prædii secum iret sollicitavit. Inde ejactum ut ad urbem proficisceretur non apparet, eo abductum à possessore sibi tradi petiit, non abstulit. Isti jubenti ut ad aratrum rediret, non restitit, adductu dimisit, jus deinde prosecutus est, atque executionem petiit. (5) Præstitisset quidem victorem à talibus abstinuisse, atque à judice executionis media petiisse. At quando non factum, ut in iis culpandi quædam sunt, taliaque non reperiuntur, ut privationi pœna ob ista irrogari, aut rusticus contra sententiam detineri possit, nedum ut hæc ideo corrigi debeat. (6) Posthabita itaque ista allegatione, quæ per imprecationem pro restitutione in integrum fiebat in sententia prior pertitum, hoc saltem additum fuit, ut si eo nomine quædam actiones reo essent illis experiretur. (7) *In causa Balthasar Horn contra Jochim Knochen die 6. Julii Anno* 1659.

1. *l. non est singulis* 176. *ff. de Reg. Iur.*

2. Ex tali permissu id fieri potest. *l.* 9 *Cod. Solut. matrim. Gothofr. ad l.* 6. *§.* 2. *de Re judic. ibid. Duaren.*

3. *l. si quis in tantum* 8. *C. unde vil. exstat ff. quod met. caus.*

4. Vis est causa sola pœnæ *Dd. omnes ad d. l. si quis in tantum.*

5. Etiam qui contra *d. l. si quis in tantam* invasit aut abduxit, pœnitentia potest evadere ejus pœnam. *Deque vid. Menoch. recup. possess. remed.* 9. *n.* 10. *seq.*

6. Hoc fieri nequit, nisi ex causis per quas quis suo jure privatur. Qualis inter hujus litis circumstantias non reperitur.

7. Ita fieri solet & debet, præsertim cum res in executione versatur, ut hac non suspensa partes ad ordinarium processum alium super illiquidis remittantur.

DECISIO XXI.

Spoliatus etiam contra Ecclesiam statim restituendus est.

CUm sub obtentu crediti fundum Ecclesiæ tenens conquerebatur, à Pastore istius sibi fructus esse ereptos, tanquam ex solo Ecclesiæ perceptos, ideo mandatum de restituendo petebat, non obstante aut Ecclesiæ dominio aut favore, id decretum fuit, (1) quia nec dominium etsi notorium restitutionem spoliati, cujus quidam titulus est suspendit, (2) nec Ecclesia privilegium quoddam contra illum accepit, (3) ideo communi jure qua istam utitur. (4) *In causa Vidua Hermanni Kirchen contra pastorem in Baggendorff Christophorum Bavicen die* 16. *Augusti* 1659.

1. Generali jure constitutum est quod spoliatus ante omnia statim restituendus est. *l. si quis ad fundum C. ad l. Jul. de vi. l. si quis etiam C. de Agric. & Cens.* eoque jure etiam prædonem frui traditur, *sicut explicat Menoch. remed. recup. possess. num.* 309. *& seq.*

2. Prolixa est de eo disputatio, *quam vid. ap. Menoch. dict. remed.* 1. *num.* 161. *& mult. seq.* Ex traditis ab ipso apparet discrimen approbari, an dominium ex confessione vel aliis statim appareat, an probatione ulteriori egeat, in priori specie subdistinguitur, an constet de non jure possidentis, an vero jus aliquod possidendi contra dominum obtenditur, veluti ex credito & pignoris jure. Et tantum in illa non in hac specie dominium restitutionem impedit.

3. Sunt qui favore Ecclesiæ cujus nomine factum fuit spolium, putant admitti dominii exceptionem et nullo certo jure. Ideo contrariam sententiam veriorem atque communiorem esse ostendit *Menoch. de Retin. possess. remed.* 1. *num.* 245. *seq.* distinguens inter restitutionem rei spoliatæ & spolii: ab hac ob factam prælati libera est Ecclesia non ab illa.

4. Ecclesia cum non potest ostendere ex jure communi aut singulari privilegium, utitur jure communi. *Vid. dicta. præcedente sub num.* fin.

DECISIO XXII.

Non contra primo spoliatum, sicut contra alium tertium injuste tenentem remedium recuperandæ possessionis competit, aut mandatum de restituendo decernitur.

ADversus extraneos possessores quidem vitiosa possessio prodesse solet, (1) ideo etiam qui vi possidebat ubi ab alio dejicitur interdicto utitur. (2) Non autem similiter contra eum, qui ab ultimo violento aut injusto possessore spoliatus, seu dejectus est. In pari quippe utriusque vitio potior est causa possessoris (3) & præsens possessio præteritâ anterior. Quocirca non modo ex sua improbitate, qui injuste accepit, actionem habere non debet, (4) sed etiam repellitur exceptione doli, dum petit quod statim restituere debet. (5) Visum inde mandatum de restituendo non juste impetrasse, qui primo reum ex possessione sua injustè dejecerat seu deturbaverat, ideo ab eo appellantem audiendum esse. Sic existimatum *in causa der Eingesessenen des Fleckens Freyberg contra Augustinum Gohem.*

1. *l. fin. ff. de acquir. vel amitt. poss.*

2. *l.* 1. *§. qui à me* 20 *ff. de vi & vi armat.*

3. In pari causa semper melior conditio possessoris. Eo ipso enim quod possidet aliis potior est *l.* 2. *ff. uti possidetis.*

4. Ex sua improbitate nemo lucrum habere debet.

5. Dolo non caret, qui petit id quod alii mox est restituturus.

DECISIO XXIII.

Non dejicit vi, qui ad priorem statum rem reducit, modo statim fiat & quandiu factum intelligitur.

QUi in præjudicium Ecclesiæ occupatum & mutatum subsellium in priorem formam

Digitized by Google

formam statumque reduxit de spolio male convenitur, nec restituere recte mandatur, dum pro defendendo vel conservando Ecclesiæ iure atque usu fecit, (1) Haud enim qui vim vi repellit aut cum semet suave tuetur, ablata recuperat, utut vi faciat; obnoxius est interdicto unde vi, quia non tam eripit quam in pristinam conditionem revertitur, (2) modo confestim & non ex intervallo faciat. (3) Quod non ex solius temporis momento, (4) sed ex facultate spoliati accipiendum est, & sit cum primum spoliato vacat per vires aut occasionem rem suam ereptam recuperare (5) modo interea non sit depositus recuperandi animo. (6) Sic existimatum *in eadem causa.*

1. Suas res non minus quam personam vi tueri atque conservare licet *l. 1. §. vim vi 27. ff. unde vi. l. Cod. eod.*

2. *l. qui possessionem 17. ff. d. tit.*

3. Non solum resistere permissum ne quis dejiciatur, sed & si dejectus fuerit eundem dejicere non ex intervallo sed incontinenti *ut habent verba l. 3. §. 9. ff. d. tit.*

4. Dejecto præjudicium ex transmissi temporis injuria generari non potest *l. ultro 4. Cod. de acquir. possess.*

5. *l. clam. 6. § fin. ib. gloss. & Dd ff. d. tit.* Sic communis habet JCtorum explicatio quam praxis quotidiana servat.

6. *Ad hanc speciem pertinet l. etsi nolit 7. ff. de acq poss. l. 1. §. idem Labeo 29. ff. unde vi.*

DECISIO XXIV.

Cum utrinque de spolio agitur restitutio, fieri debet juxta priorem statum.

POst occupatum Ecclesiæ subsellium & mutatum, à Provisoribus sublatũ utrinque de spolio querela erat, alter qui occupaverat & mutaverat se dejectum, cæteri illud vi occupatum querebantur. In tali vero specie incongrue decretum, ut hi, quod sustulerant, prius restituerent, deinde alter occupatum & mutatum in pristinam faciem reduceret, cum circa restitutionem origo possessionis spectari, (1) & ut primus rei status fuit, sic reformari deceat, vitati autem circuitus ille inutilis, & superfluus tantum inanes sumptus irrogans. (2) Rectius mandatum id cassare, & qui primi spolii reus ad restituendum damnare oportuit. Sicut judicatum in eadem causa.

1. *l. clam. Cod. ff. de acquir poss.*

2. Quod superfluum est judex attendere non debet.

DECISIO XXV.

Contra singularem successorem quando ex c. sæpe x. de restit. spoliat. actio justa est.

QUi superiorum jussu in possessionem ejecto possessore immissus erat, convenie-batur actione ex cap. sæpe contingit x. de restit. spoliat. implorato contra judicis pro restitutione officio nobili. Etsi v. inepta erat actio ubi reus non erat singularis successor spoliantis, sed ipse pro eo habendus; (1) tamen cum prolixe in actis disputabatur, an isti remedio adversus ipsum ut singularem successorem locus esset, causam præbuit examinandi ea quæ hinc inde proferebantur, in illo potissimum occupata, an reus pro vitioso successore sit habendus? (2) Ad hoc requiritur scientia (3) non tantum rei alienæ, sed etiam antecedentis possessionis vitiosæ, ex spolio seu violenta occupatione exortæ, (4) & quidem eo tempore, quo successor singularis possessionem nanciscitur. (5) Ista autem non præsumitur, sed probari debet. Ex eo autem existit & constat, si quis in possessione fuit, & ejicitur, de vi & injuria protestatur, (6) suum jus ipsi significat, & de non occupanda possessione ut vitiosa admonet, (7) vel si scitur super possessione controverti, nec cum causæ cognitione possessorem desici, (8.) vel si notorium est, violenter & viafacti procedi. (9) Hæc considerata sunt *in causa des Königl. Hof-Marschallen Claus Christoph Lützovven, contra Berend Wulffraden, die 9. Januarii Anno* 1661.

1. Qui immediate dejecto possessore ab eo qui vim commisit possessionem vacantem nactus est, etsi vim ipsemet alicui non commiserit, tenetur interdicto unde vi tanquam dejiciens *l. sequitur 5. § in me vi 22. ff. de usucap. Menoch. recup. possess. remed. 1. num. 53.*

2. *In cap. sæpe contingit. x. de restit. spoliat.* duo hæc conjunctim requiruntur, vitium nempe occupationis & successionis, ideo non competit, nisi etiam successor in peccato sit, sicut prolixius explicant Canonistæ.

3. Non datur contra ignorantem rem esse alienam & vitiose occupatam *Ripa in d. cap. sæpe n. 40. Bald. in cons. 321. ubi addit rationem, quod cap. se fundet in peccato, quod absit ab ignominia.*

4. *Ità tradit Ripa d. l. num. 42.*

5. *Coras. in l. naturaliter §. nihil part. 1. num. 129. ff. de acq. possess.* Possessionis quippe justitia & injustitia à principio suo consideratur *l. un. in fin. C. de usucap. transform.* & non ratio retinendæ, sed adipiscendæ origo spectatur. *l. clam possidere 6. ff. de acqu poss.* ideo superveniens mala fides non nocet, *l. cum quis ff. de public. in rem act.*

6. Protestatio ut jus protestantis conservat, ita alii declarat animum & jus ejus.

7. Interpellatio verbalis constituit in mala fide, quia facit scientiam.

8. Lite pendente facta dejectione successor singularis etsi bona fide acceperit, restituere tenetur *Menoch. recup. poss. remed. 17. num. 27.*

9. Notoria spoliatio non præsumitur incognita *Ripa d. l. num. 43. Coras. d. l.*

DECISIO XXVI.

Singularis successor etsi justo titulo bona fide possidens judicis officio ad restituendum spoliato possessionem compellendus est.

PEr subtilem rationem jure civili constituitur de vi ut spoliatorem interdicto

non teneri quia à spoliante possessionem nactus est. (1) nisi hic statim in actu spolii vacantem possessionem apprehenderit. (2) Quando autem ex alienatione præclusa videbantur spoliatis jura & beneficia ipsis pro recuperanda statim possessione indulta, inde & occasio fraudis nasci posset, jus canonicum (3) etiam adversus tertium singularem possessorem remedium tribuit, sed ita si violentæ possessionis sui autoris conscius & in peccato fuerit. (4) Verum multis visum est in eo non consulti debere sed etiam cum alius possessor violentiæ nec conscius nec reus fuerit, etsi lege sic non cautum, tamen ob æquitatem manifestam, judicis officio restitutionem injungendam esse. (5) Quocunque enim titulo aut qua fide ab eo qui vi dejecit, successor acceperit, contra eum qui vim passus est possessionem retineri non debere æquum, ideo officio judicis curandum esse videbatur, (6) tum quia dejectio violenta vitio reali rem affecit, idque transit ad quemvis possessorem, (7) tum quia ex persona successoris non debet deterior reddi conditio spoliati, (8) tum quia salva conscientia quod alienum & injustè ademptum rescisci retinere nequit, (9) tum quia successor cum ea conditione rem accipit, qua habuit autor, nec plus juris sibi arrogare valet, (10) tum quia alia remedia possessoria & quidem restitutoria contra singularem successorem conceduntur. (11) tum quod antiquior possessio potior esse debet, (12) tum quod ex alienatione dejectoris suo possessorem peterem privari valde iniquum sit. (13) Non quod de vi interdictum contra singularem successorem non datur, inde aliud remedium, præsertim judicis officium æquitati additum excluditur, per quod non aliter cujusquam possessio defenditur quam quatenus nihil detrahitur juri potioni. (14) *Sic conclusum in eadem causa.*

1. *l. cum à tut. ff. de vi & vi arm.*
2. *l. sequitur 4. §. si cum vi 32. ff. de usucap.*
3. *cap. sæpe contingit. & de restit. spoliat.*
4. Sic verba d. cap. sæpe indicant & interpretes communiter sententia exponunt *vid. Menoch. recup. poss. remed. 16. num. 10. seq.*
5. Ubi alia remedia possessoria vel non competunt, vel dubia sunt, restitui tamen æquum ex judicis officio auxilium suppetit & præbetur. *L. Apud. ff. de donat. Menoch. recup. possess. remed. 17. num. 1.*
6. Ubi æquitas manifesta, ibi judicis officium impetratur *l. plane ff. de petit. hared. c. 1. de offic. judic. Dec. in l. sine est ritum num. 4. seq. ff. de reb. cred.*
7. *l. Pompon. 13. §. 1. ff. de acq. poss.*
8. Alienatio tantum sit cum sua causa.
9. Mala fides consistit in scientia rei vel juris alieni, nec quod tacetur, salva conscientia retinetur.
10. *l. Gajus 23. ff. de manumiss. arg. l. nemo plus ff. de R. I.*
11. *Menoch. remedio cum, de restitut. spoliat. 3. quæst.*
1. *prolixe docet Menoch. recup. possess. rem. 15. num. 67. & mult. seq. Faber in C. lib. 8. tit. 3. def. 1. num. 8.* ubi addit nihil interesse an contra spoliatorem agatur an contra eum qui à spoliatore causam habet, sive mediatam sive immediatam.
2. Antiquiore probata possessione recentior vitiosa & clandestina intelligitur *c. licet, de probat. &* ex eo solo exsurgit possessionis spoliatio *Menoch. d. rem. 15. num. 384.*
3. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri *l. non debet ff. d. R. I.*
4. *l. bona fides 31. §. 1. ff. depos.*

DECISIO XXVII.

Vi compulsiva quis dejectus censetur, & quibus remediis fruitur.

Sic constitutum est, vi compulsiva dejectum interdicto unde vi non gaudere, (1) sed ex edicto Prætoris de eo quod vi metusve causa &c. restitutionem in integrum petere. (2) Haud vero ex eo recte colligitur, illum ab aliis remediis possessoriis cum magis profutura sunt esse exclusum, in specie remedio Cap. sæpe X. de restit. spoliat. adversus successorem singularem non juvari. (3) Haud enim à diversis ea illatio valet. Alia ratio est ejus remedii quod odiosum, & aliorum quæ favorabiliora habentur. Etiam cum discrimen est quâ ista inter vim compulsivam & expulsivam, cavendū est ut cujusq; propria definitio fiat, (4) nec putemus pro dejecto & expulso indiscriminatim non haberi, cui metus injicitur. Sed ille tantum talis est, qui metuens vim tradit; ideoque aliquid voluntatis ipsius est. (5) At ubi non solum metus incutitur, sed etiam vis adhibetur & ex ea possessione impulsus discedit, nulla sua voluntate tradens, sed quia exire jubetur, illi non compulsiva tantum, sed expulsiva vis illata, ideoque expulsus seu spoliatus dicitur. (6) *in eadē causa.*

1. *l. si rerum ff. de vi & vi arm.* sua quippe voluntate dejectus, & tradere magis quam spoliari videtur *Menoch. remed. recup. 1. num. 103.*
2. *l. metum 9. pr. in fin. ff. quod vi met.*
3. Huic etiam ex vi compulsiva locum esse sicque communius rectiusque statui tradit *Menoch. remed. recup. 16. num. 67.*
4. *De quo vid. Menoch. in prælud. recuper. remed. 19. seq.*
5. *Harpr. ad §. 6. instit. de interd. num. 19. Mej. C. I. Actis. de vi & vi arm. th. 7. num. 2.*
6. *l. 1. §. 3. ff. de vi & vi armat. Menoch. in prælud. rem. recup. poss. num. 39. seq.*

DECISIO XXVIII.

Non judicis nec principis autoritas à restitutione, in condemnatione tamen expensarum & fructuum relevat.

Non juvat de spolio conventum qua restitutionem, quod ipsemet spoliatum non dejecit, sed judex vel Princeps. Etiam à judice spoliatus ante omnia restituendus est. (1) Nec Princeps velle aut potest aut debet, ut sua auspicatæ injustus possessor de-

fendatur, nisi justo suo possessio auferatur. (4) Ideo legibus laudabiliter cautum, ut etiam à Principe nedum ab alio judice illegitimè factum attendatur, sed non eo minus jus spoliato dictari. (3) & restitutio in continenti seu ante omnia fieri debet. (4) Attamen quantum ad fructuum & expensarum rationem superioris autoritas aliquod levamen afferre potest. In hac quippe condemnatione refert, utrum ad instantiam parti Princeps vel judex alium dejecit & plane idem est atque si ipse dejecisset, (5) & tanquam malæ fidei possessor tenetur ad fructus omnes atque expensas. (6) Aut postquam ille dejecit ex donatione aliove titulo rem adeptus est & quantum ad restitutionem pro dejectore ideo obnoxius est, (7) non quantum ad pœnam, (8) ideo dum fruitur ea opinione à superiori legitimè esse factum, (9) ut & quia ex alieno delicto reus fieri non debet, (10) à fructibus & sumptibus quatenus in illos condemnatio pœnalis est, (11) absolvi debet. Sic *judicatum in eadem causa.*

1. *vid. plene Gail. 1. observ. 76. per tot.*

2. *l. ex facto ff. de vulg. & pup. subst. l. nec avus 4. C. de emanc. lib.*

3. *l. memineris. l. auctoritate C. unde vi l. fin. C. spor vim.*

4. *Afflict. decis. 361. num. 35. Jason. cons. 38. in fin. lib. 3.*

5. In talibus factū judicis habetur pro facto partis *l. si ob causam C. de evict. l. si. ping. ff. famil. ercisc.*

6. Hæc est pœna possessorum malæ fidei.

7. *l. sequitur 4. §. si tu me vi 22. ff. de usucap.*

8. Autoritas judicis vel magistratus excusatâ pœna *l. ait Prætor §. permittitur ff. de minor. l. §. quis id §. dolo ff. de juris d. Gail. d. observ. 76. num. 6.*

9. Opinio justi etsi erronea excusat & à malæ fidei pœnis liberat tanquam inter bonam & malam fidem media *l. ex animo l. de fructib. ff. de donat. int. vir. & uxor. Bartol. in l. sed etsi num. 6. ff. de petit. hared.*

10. Pœna suos debet tenere autores. *l. 22. C. de pœn.*

11. Pœna male litigantium est in expensas condemnatio.

DECISIO XXIX.

Causa non cognita dejectus intelligitur qui inordinate processu ejicitur.

CUm judex vel superior cum causæ cognitione dejicit quem possessione, non agitur de spolio, (1) sed qui se gravatum putat, appellatione opus habet. (2) Haud vero pro cognitione causæ sufficit citari possessorem, & causam possessionis ab illo exigi, (3) sed necesse est cur desistere vel dejici debeat proponi, super eo audiri, defensiones ejus admitti & ordinate procedi. (4) Quæ si facta non fuerint, non eo minus, quod citatio & exactio tituli possessionis accedat, nisi & auditus sit possessor, violenta & sine causæ cognitione facta est dejectio, ideo pro spolio habenda. (5) *In eadem causa.*

1. Quod dicitur à judice vel superiore spoliatum ante omnia restituendum esse pertinet ad eum qui extra judicialiter dejicit tanquam privatus. Ita *Alberic. Salii Dd. in l. fin. C. si per vim. vel. vi. Ac* cum sub specie judicii fit dejectio non restituitur ante omnia ob eam, quæ profitto militat, præsumptionem *vid. Menoch. remed. recup. pos. 8. remed. 3. 2. Menoch. d. num. 2. usq. 7.*

2. Citatio quidem prima pars causæ cognitionis est, sed hæc ista non absolvitur.

4. Hæc requisita & partes substantiales causæ cognitionis sunt, quæ tanquam ex jure naturali profecta nec à summo Principe omitti queunt. *Crav. de antiq. temp. 1. part. pr. in pr. num. 50.*

3. Sic circa dejectionem Principis vel judicis distinguitur, utrum citato & audito possessore fiat nec ne. Uti illa in specie pro illo præsumitur, ita non fit restitutio nisi integre discussa causa. In hac vero spolium habetur & restitutionem facim fieri oporter, sicut pluribus docet *Menoch. dict. remed 8. num. 65. seq.*

DECISIO XXX.

Ad fructus perceptos non percipiendos tenetur, qui vi non dejecit, sed à dejiciente sine mala fide accepit.

EX interdicto unde vi venit restitutio fructūm. (1) non tantum perceptorum, sed etiam percipiendorum. (2) At ex illo tenentur qui ipsimet vi dejecerunt, (3) Qui ab his acceperunt, ad restitutionem rei quidem, non perinde ad fructus tenentur, sed quà illos refert, an mala fide acceperint, nec ne. Malæ fidei possessorum hoc debitum est. (4) Quicquid autem à mala fide purgat, vel ejus accipientem argui non finit id etiam à condemnatione in fructus percipiendos liberat. (5) Ad quod proficit factum Principis, (6) opinio justitiæ utut erronea, (7) probabilis litigandi causa, (8) exceptio quædam justi speciem habens. Sic *judicatum in eadem causa.*

1. *l. 1. §. ex die quo ff. de vi & vi armat. l. videamus 38. §. in interdict. ff. de usur.*

2. *Fab. in C. lib. 8. tit. 3. def. 1. in fin.*

3. *l. cum à te. 7. ff. de vi & vi armat.*

4. *l. sed etsi 25. §. sed & fructus ff. de hared. petit.*

5. Qui non sunt in mala fide nec in mora non tenentur ultra quam facti fuerint locupletiores.

6. Hoc quidem non in totum excusat, à fructuum tamen percipiendorum restitutione liberat *l. 6. C. unde vi.*

7. Quælibet causa etiam facta à dolo & malâ fide excusat.

8. *l. 3. C. unde vi.*

DECISIO XXXI.

Exceptio contrarii spolii non nocet creditori pignus occupanti.

OPpositæ exceptioni contrarii spolii (1) creditori qui de recuperanda possessione contendebat (2) obsistebat pignus quod in fundo habebat, (3) præsertim cum sine

Digitized by Google

vitio (1) libera possessionem acceptus esse. (4) Nec interest utrum ipse debitor acceperit, an qui ab ipso causam habet. (5) Sicut enim cum onere rem accipit, (6) inde ex re ad restitutionem obligatus est, ita tactum debitoris omnino ratum habere tenetur, (7) nec nisi soluto credito pignus repetere potest. (8) Multo minus autem exceptioni isti locus esse potest, quando reus convenitus non est spoliatus ab actore, (9) sed is possessionem ab eo nactus qui ab autore rei acceperat. (10) Etsi enim vel hunc actor spoliasset tamen exceptione illa alter contra istum uti non posset. (11) *Quod consideratum est inter eosdem.*

1. Hæc competit spoliato contra priorem spoliatorem, cui ut prædoni res ante omnia non restituitur. *Menoch. remed. poss. rem. 1. num. 150.*

2. Creditori & Creditoris Creditori recuperandæ possessionis remedia competunt. *Fab. in C. lib. 8. tit. 3. def. 27.*

3. Ex pignore jus retentionis nascitur. *l. 1. pr. ff. de pignor.*

4. *vid. Fab. in C. d. tit. 3. def. 32.*

5. Nemo plus juris in alium transferre potest quam ipse habet. *l. nemo ff. de R. I.*

6. Res transit cum suo onere.

7. *Fab. d. def. 32. num. 13.*

8. *Tot. tit. ff. & C. de pignor. act.*

9. *l. si te bonis C. dicer. dilib. Afflict. dec. 19. n. 1.*

10. Prædo etiam restituendus est contra spoliatorem, cum non ab hoc sed alio possessionem abstulit. Unde proinde docet *Menoch. d. rem. 1. num. 109. seq.*

11. Exceptio de jure tertii non proficit.

DECISIO XXXII.

Pro restitutione spoliati à judice facta arctanda sunt quando in causa spolii appellare licet, aut appellatio semel recepta fuit.

QUod regula habet spoliatum ante omnia esse restituendum non excusat factum judicis prioris, si appellatione interposita non attenta pro restitutione spoliati processit, quin attentati vitio laboret, ideoque statim revocetur. Etsi enim regulariter in causis spolii, qua spoliatorem appellatio locum non habet, (1) attamen res ea plures patitur exceptiones, multique casus sunt in quibus etiam spoliatori appellare permissum est. (2) Quorum consideratio pertinet ad judicem ad quem seu superiorem, (3) qui si talem deprehenderit, ideo inhibitionem semel decreverit, ut non sine justa ratione decretum esse præsumitur, ita judex à quo obtemperare, idcirco acquiescere debuit (4) Præsertim vero, cum multæ causæ sunt ob quas spoliatus ante omnia non sit restituendus, ubi talis deprehenditur appellatio non modo justa & recipienda, sed quicquid ante causæ cognitionem fuit attentatum, ideo non attento vel odio spoliatoris vel favore spoliati, tanquam in contemtum superioris jurisdictionis procedens revocandum & cassandum. *Inter causa den Kerchspiels Verwandten in Oder quad contractu Frans Dannenberg die 21. Febr. An. 1662.*

1. *Gloss. & Salyet. ibi momentaria C. unde vi.*

2. *Hos latius expositos vide bis ap. Surd. de appell. q. 17. lim. 6. memb. 7. per tot. quo lectorem cupidum remitto.*

3. Quæstio an appellatio devoluta sit ad judicem, ad quem non ad judicem à quo pertinet, ut alibi inter nostras decisiones demonstratum reperimus. Maxime autem ubi est recursus ad judicem à quo superiori judicio sententiæ expectare & interim acquiescere. *Gutier. in l. unic. lim. 27. n. 1. & seqq. C. si de momento possess. ubi in terminis de summarissimo possessorio loquitur. vid. etiam Surd. cons. 163. n. 6. lib. 2.*

4. *Vide Laudens. lib. 11. de attentatis part. 2. c. 12. lim. 15. per tot. & communiter hinc obtinere asserunt Mascar. de ap. Thesaur. dec. 58. &c.*

DECISIO XXXIII.

De quibusdam casibus in quibus dejectus non est ante omnia restituendus.

EST quidem juris regula spoliatum ante omnia esse restituendum, nec spoliatore cum aliqua exceptione audiendum, nisi integre facta restitutione. (1) Attamen multas patitur exceptiones, quarum in casu proposito, ubi de jure & vi appellationis nec non attentatis revocandis agebatur aliquæ occurrebant; Ex quibus putabatur non statim ad restitutoria decreta eorumque executionem decurrendum, sed prius causam plenius discutiendam atq; cognoscendam esse. Primo enim, qui ut spoliatus seu dejectus restitui cupiebat arguebatur prius vim fecisse, dum pro arcenda aqua aggeres olim positos destruxerat, nec semel, sed aliquoties. Inde ne aquæ incrementa damna ultra inferrent, fossa per vim expleta fuerat, in qua specie contraria spolii (2) seu prioris vis exceptio locum habet & discutienda est eo usque restitutio differenda. (3) Secundo itaq; cum causam facto illi, quod pro spoliatione seu dejectione habebat aggeren maligna destructione dedisset eoq; injusto, ut non poterat non videri (4) nō habendus ille fuit pro spoliato, (5) ideo non tam celeri restitutione juvandus, nisi etiam alteri de eo quod æquum satisfieret. Tertio accedebat inde causa facti istius quod arguebatur specioſa, quæ ostendere videbatur non defuisse fossam explenti jus, ubi aliter indemnitati prospicere non licuit. (6) Tribuitur hoc causæ coloratæ & probabili, ut ne quidem in restitutionis vel redintegrationis quæstione adeo severe atque rigide sed benignius procedatur eique multum condonetur. (7) Indequarto eminebat id, quod spolii arguebatur, defensionis loco fuisse, quæ contra vim atque injuriam licita & impunis est. (8) Quinto faciebat quod altera pars prius fecerat facti cessare causam tum citæ in spolio seu post vim restitutionis (9) quæ est in odio spoliatoris (10) quod in præsenti specie plures circumstantiæ

Digitized by Google

stantiæ removebant. Sexto non tantum illi, qui spoliasse dicuntur in lite sunt, sed etiam alii ejusdem districtus homines pro interesse suo appellant & petitæ restitutioni reluctantur, quibus ut spolii imputatio non potest objici, ita nec qua eos, si interesse docent ita fieri non debere restitutio prius fieri antequam audiuntur & jura ipsorum discutiuntur. (11) Septimo movebit quoque non injuste quod nondum apparebat, quomodo restitutio pristinæ faciei facienda esset, dum observandum erat, ut incommodum, quod ex defluxu aquæ vicini sentiebant averteretur, ideo fossa si reparanda fieret ea lege & modo ut etiam aggeres commodo loco & in ea forma, quæ aquæ arcendæ servirent iterum struerentur. Quibus adhuc incertis & non satis definitis, definiendis tamen, non sine circumspectione incertitudo facit, ut non sit ad restitutionem damni properandum. (12) Octavo ideo magis restitutionem remorari debuit, quod alias grave atq; difficulter reparabile damnum inde oriturum non tantum iis qui spoliatores dicebantur, sed aliis omnibus vicinis etiam innocentibus. (13) Nono accessit judicis mandatum & permissio, ex qua qui accusantur fossam expleverunt. Etsi vero etiam judex injuste procedens spoliare dicitur nec ejus jussus à spolio excusat, (14) attamen ad processus rigorem molliendum multum facit. (15) Cum etiam decimo magna & gravis causa restitutionem ablatorum impedire soleat (16) ejusque æstimatio judicis arbitrio relicta sit, utiq; non poterat non in præsenti specie intuitu præfatarum circumstantiarum reperiri quod moveat judicem, ut ad minimum causam summarie discutiat antequam exequatur, præsertim ubi in actore est cur non mereatur tam citam restitutionem impetrare, in reo per quod potest juste recusare, in re ipsa quod prius decet determinare, qua causam quæ punctum restitutionis valde dubium efficiunt. Atque hæc omnia in supremo principis consistorio eo magis admittenda sunt, quod ibi potest restitutio differri & prius proprietatis vel similis causa cognosci. (17) *In eadem causa.*

1. *L. si quis ad se C. ad L. Jul. de vi publ. c. congruente x. de restit. spoliat.*

2. *c. frequens x. de Restit. spoliat. Affli. decis. 19. num 5.*

3. *l. si quis 7. §. bellissime l. fin. §. 2. ff. quod vi aut clam. Fab. in Cod. lib. 8. tit. 3. defin. 20. n. 3.*

4. *Juxta l. 2. §. item cursus §. in fin. ff. de aq. & aq. pluv. arc.* Quisque enim in suo fundo arcendæ aquæ causa aut facere aut pati debet aggeres fieri, ne aqua noxia affluat *l. 1. pr. C. eod. tit. ff. eod.*

5. *Mynsing. cent. 3. observ. 85.*

6. Ubi actor allegat spoliandi causam ideo non esse ante omnia restitutio. *Faber in Cod. lib. 8. tit. 3. def. 28.*

7. *Post Menochium recup. remed. 1. q. 8. n. 340. ita scribit Cothm. respons. 67. n. 55 vol. 2.*

8. *l. 1. C. unde vi.*

9. Ubi causa impellens & efficiens cessat jus super ea constitutum cessare in his ipsis terminis tradit *Cothm. dict. resp. 7. num 10.*

10. *Gloss. & canonista in c. redintegranda x. de restit. spoliat.*

11. Tertius pro suo interesse impedire potest ut restitutio non fiat nisi ipso prius audito & jure illius discussio. *Vid. Gail. 1. observ. 72. num. 7. Mynsing. cent. 2. observ. 1. Menoch. recup. poss. remed. 1. num. 372.*

12. Per ea quæ scribit *Cothm. d. resp. 67. n. 29.*

13. Eo casu quo si spoliatus ante omnia restituti jubetur irreparabile damnum oriturum est non decernitur restitutio sed prius discutitur causa *c. literas x. de Restit. Spoliat. Menoch. d. remed. 1. num 308.*

14. *Vide Gail. 2. observ. 76. per tot.*

15. Uti latius exponit *Cothm. d. resp. 67. n. 58. seq.*

16. *Alciat. resp. 450. n. 26.*

17. *Alciat. resp. 56. n. 7. Surd. cons. 166. num. 8. vol. 2.* Hoc JCti generatim apud omnes judices qui sola facti veritate inspecta judicant obtinere dicunt, ut ante omnia restitutio non fiat, sed causa negandi prius discutiatur. *Cacheran. decis. 1. n. 28. Berolz. 23. num. 48. 9. Joseph. Ludovic. decis. 17. n. 22.*

TIT. V.

SI PER VIM VEL ALIO MODO absentis possessio turbata sit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. VI.

UTI POSSIDETIS.

DECISIO I.

Quando de facto possessionis constat, saltem an juste possidetur, quæstio est, judex veluti in momentanea possessione tuetur pendente lite qualiter possidentem.

EI qui de retinenda possessione contendebat, reus, qui & appellans, vitia detentionis opponebat, ideo injustum detentatorem & justè dejectum dicebat. Sic verò comparata erat illa causa, ut in possessorio non tantum de facto sed simul de jure quærendum esset, (1) propter exceptiones quæ objiciebantur de mutato rei statu, exstincto adversarii jure & similibus. Quando verò hæc altioris erant indaginis, instanter ab actore petebatur, ut in

Digitized by Google

possessione defenderetur, non attentâ quæ de exceptionibus rei supererat controversia. Existimatum est quando constabat tempore exortæ controversiæ actorem possedisse, an verò possessio finita aut justè turbata esset, nondum apparebat, procedendum esse tanquam in momentaneo possessorio ejusque commodum interea actori adjudicandum, (2) quod in eo magis factum quam jus spectaretur, (3) & cum factum apertum juris quæstio seponenda effet. (4) Præterea pro possessore juris præsumptio militat, ut durante lite non vitiosè sed justè possidere credendus sit, (5) donec postea aliud docebitur. Erat porrò valdè iniquum è possessione eum dejici, cujus ista manifesta erat ob controversiam, quæ de jure possessionis movetur, (6) Saltem in eo circumspectum esse decet, ut non excedat pronunciatio terminos momentanei possessorii & ut ordinarium reservetur & integrum relinquatur. (7) Ita pronunciatum *in causa des Landgrafflichen Hessischen Amptmanns zum Lichtenthal contra Detloff von der Huden. Die* 10. *April. Anno* 1657.

1. Observandum probè est existere plures species, in quibus idem possessorio non est judicium de mero facto, sed simul etiam aliqualiter de jure, quod dicant JCti inter mixtam proprietatis causam habere. Quales sunt omnes illæ, ubi non satis est possidere, sed etiam non injustè possidere pro victoria necesse est. Ideo in his non sufficit ad obtinendum solum seu nudum factum, sed requiritur præterea etiam titulus vel justitia habendi, quia sine ea teneri nequeunt vel non debent.

2. *Ita docet Faber in Cod. lib. 8. tit. 4. defin.* 1. *num.* 5. *& seq.*

3. *l. denique.* 19. *ff. ex quib. caus. major.*

4. Facilius possessio, quæ habetur defenditur quam acquiritur.

5. *In terminis ita Faber d. defin.* 1.

6. Ob litem ab alio motam nemo possessione sua decedere cogitur, nisi post cognitam causam pronunciatur. *l.* 1. *ib. Bald. C. si eum per vim.*

7. In momentaneo solum factum detentionis spectatur. Quod ultra hoc est, ad ordinarium possessorium pertinet, cum illo minimè confundendum.

DECISIO II.

Jure retentionis nemo nisi cognita causa destituendus est.

QUemadmodum contra possessorem ab executione processus est illicitus, (1) & nemo sine causæ cognitione possessione privandus, (2) ita nec sine ea retentione aliquis destituendus est. (3) Etsi enim à possessione in quibusdam differt retentionis jus, (4) in plerisque tamen instar ejus habet, & in retentione existens æque ac possessor defendendus est, (5) donec legitimo processu mediante compertum jure retentionis aliquem carere vel abuti. (6) Exceptio itaque ex retentionis jure admittenda atque eventilanda prius est, antequam ad ejectionem descenditur. (7) Qui ab hac initium fieri queritur, appellans meritò auditur. *In causa Ludwig Pretzmanns contra Simon Rosenberg die* 13. *Decemb. Anno* 1653.

1. *l.* 1. *C. de Exec. rei jud.*

2. *l.* 1. *l. ult. C. si per vim & alio. e. conquerente, &. de Restit. spoliat.*

3. Detentor in retinendo, donec de jure retentionis cognoscitur, plus juris habet, quam petitor in petendo. *Sebastian. Medic. in tr. de Conserv. Possess. verb. aut in conservando gloss.* 1. *part.* 2. *num.* 18.

4. Ex jure retentionis competunt remedia possessoria, *Rosenthal. de Feud. cap.* 7. *concluf.* 34. *de Feud.*

5. Ita ad retentionem quomodò ad possessionem auferendam legitimus requiritur processus, qualem causæ conditio exigit, *l. si memineris C. unde vi.*

6. Retentio justam facit exceptionem in Judicio audiendam, *Carpzov. in Respons. Elect. 3. num.* 19. *in fin. lib.* 4.

DECISIO III.

Inhibitio in possessorio retinendæ non decernitur quatenus lis concernit possessionis præjudicium; Extra hoc verò in iis quæ ultrà injustè fiunt, locum habet.

IN remediis retinendæ possessionis, ubi quæritur, quis possidere debeat nec ne, seu cum possessio dubia est, siquidem in ordinario possessorio pronunciatum fuerit, sicut etiam fit, quoties in summario actum, sed ordinarium postea excluditur, & tanquam in hoc sententia sonat, (1) appellationi quidem locus est, (2) at non inhibitioni, (3) quia prohibendus nemo est, uti in possessione sua appellatione pendente nec præjudicium fieri liti principali adhuc pendenti, sicut fieret per inhibitionem quæ in effectu vim definitivæ haberet. (4) Quomodo autem hæc ratio concernit ipsam possessionem, non quæ circa eam, citra tamen ejus præjudicium fiunt, ita non ultra proferenda est ista sententia, (5) sed inhibitio justa atque congrua est, præsertim si necessaria, cum injusta quædam aut justa inordinate fiunt aut decernuntur. (6) Quando itaque sententia, à quâ appellatur, non modo pronunciationem super possessione controversâ continet, sed etiam reum pœnâ plectit, ut possessionis turbatorem & simul ab hoc articulo provocatum fuerit, etsi non ratione possessorii ut talis, tamen ratione accessionis pœnalis aut similis, cum ex gravami-

bus

bus non injusta provocatio apparet, inhibitio decernitur. (7) Quomodo cum super litigiosâ jurisdictionis criminalis possessione vel quasi pronunciatum erat, eum non modo abstinere debere ab ejus exercitio, sed & ministrum, quia quod illius erat, fecerat, carcere & mulctâ plectendum, quoad pœnam inhibitio justa visa fuit. *In causa Helmuth Otto von VVinterfeld, contra Advocatum Fisci in Ducatu Bremensi, die 20. Septembris Anno 1653.*

1. Circa appellationem non spectatur quomodo actum, sed quomodo pronunciatum sit, quia non ex isto, sed ex hoc gravamen oritur. Ideo, quando judex, postquam in momentaneo actum, pronunciat velut in ordinario recte appellatur, quia quoad hoc est definitiva sententia, quæ illud excludit.

2. Sic communis habet sententia in Camera Imperiali observata. *Gail. 1. Observ. 7. n. 7.* ordinatione summi Tribunalis recepta, *part. 2. cap. 1.*

3. *Gail. 1. Obs. 144. n. 10. Mind. l. 2. de Mand. c. 27. n. 7.*

4. *Vid. Gail. 1. Observ. 145. n. 2.*

5. Ultra rationem legis non extenditur sensus; cessante legis ratione cessat lex, præsertim in iis, quæ à jure communi exceptionem introducunt, *l. quod contra rat. gloss. & Bartol. ff. de Legib.*

6. In iis quæ injusta sunt aut inordinata, etiam cum alias in possessoriis locum non habet, appellatio effectum suspensivum habet. *Scaccia de appellat. q. 17. limit. 6. memb. 7. n. 103. & 113.*

7. *Sic limitat Guid. Papa decis. 33. Lancellot. de Attentat. part. 2. cap. 20. in præfat. q. 4. num. 158.*

DECISIO IV.

Mandata sine clausula de non turbando, ubi possessio controversa est, non decernuntur nisi ob atrocem rixam.

ROgabatur mandatum sine clausula ob turbatam Jurisdictionis quasi possessionem, verum ex narratis apparebat non esse supplicantis possess. satis certam, sed eos qui turbasse arguebantur ipsam & possidendi Jus negare, ideo non decretum fuit mandatum. (1) Etsi enim per Constitutionem Imp. cum litigiosa est possessio vel quia dubia vel quia controversa, (2) ad partis petitionem vel ex officio judicis decerni debet mandatum sine clausula inhibitorium, ut abstineatur turbatione vel donec de ea appareat, sequestretur, (3) ejusque constitutionis inter alios etiam, quam Imperii Status, observatio sit, (4) tamen non aliter fit, quam ubi metus armorum subest & hæc severiori providentiâ antevenire opus erit. (5) Alias nulla talis fit inhibitio, sed causa remittitur ad investigationem possessionis, & si ea difficilis atque altioris plenioris que processus indiga, ea ad ordinarium possessorium reservata, ad celerem cognitionem quis pendente lite possidere debeat. (6) Eo quo sine usitatum est possessorium summarissimum seu momentaneum, in quo nullo juris ordine servato sine longo litis sufflamine sola facti veritate probabiliter inspecta inquiritur, quis proxime ante litem in possessione fuerit. (7) Ad hoc remedium ordinarium, ubi sine vi & turbis locum habere potest, remittendæ sunt partes; quando quis possidere debeat non constat. (8) In quo minus præjudicii est quam in mandato sine clausula, (9) minimè decernendo nisi in facto plano illicito, ut non est præsupponendum. (10) *Sic decretum ad Supplicationem Helmuth Otto von VVinterfeld, contra die Graffendes Alden Landes, Anno 1653.*

1. Potest aliquando mandato contra turbationem locus esse, at non semper; Regular tercum clausula tantum mandatur. *Gail. 1. Observ. 78. num. 6.*

2. His duobus modis litigiosa dicitur possessio, Dubia dicitur, quando cui probabiliter ascribi debet incertum & ignoratur. Controversa, cum uterque possidere contendit. *Petr. Frider. Mindan. in lib. 1. de Processib. cap. 44. n. 1. & 8.*

3. *Vid. Ordin. Cam. part. 2. tit. 21. Gail. 1. observ. 5. num. 1. & seq.*

4. Constitutio super litigiosa possessione sonat saltem de Statibus Imperii, *uti exponit ejus rationem Petr. Frider. Mindan. lib. 1. de Process. cap. 43. num. 4.* nempe quatenus posthabita prima instantia coram Austregis in Camera conveniri queunt. Ac utilitatis & usus ejus ad omnes alios pertinet juri communi convenit & in eo fundatur, *sicut docet Gail. 2. observ. 5. num. 2.* ita etiam in aliis recte observatur. *Gail. d. observ. 5. num. 6.*

5. In eo finis est illius processus & principia requisitum, cujus expresse dicta Constitutio meminit, *& exponit Mindan. d. lib. 1. cap. 45. per tot.*

6. *Exponit hoc proxime Gail. 1. observ. 7. n. 5.*

7. *l. 1. C. si per vim vel al. mod. de quo latius vid. Covarruv. pract. q. 17. per tot.*

8. Extraordinariis remediis nemo juvandus, ubi ordinaris locus esse potest, *l. in causa 16. princ. ff. de Minorib.*

9. Quicquid in momentaneo decernitur, momentaneum est & reparabile, neutri parti in ordinario possessorio aut petitorio præjudiciale. *Gail. d. observ. 7. num. 6.*

10. *Vid. Ordin. Camer. part. 2. tit. 23. Gail. 1. observ. 13. num. 3.*

DECISIO V.

Interdictum agriculturæ fundi possessori factum quando injustum est.

QUemadmodum pendente lite nemo possessione sua dejiciendus est, (1) ita nec prohibendus re, quam possidet, frui, (2) eamve excolere & fructiferam reddere. (3) Pertinet hoc ad innovationem legibus, dum lis pendet interdictam. (4) Antequam autem lis incipit, quâ talem prohibitionem discernenda est possessoris qualitas. Is vel plane caret definendi ti-

Digitized by Google

tulo jureve retentionis, vel istum habet. Ille prædonis instar est, ideo in possessione vel fructuum perceptione non defenditur, (5) sed adversus eum à mandato de non ultrà agrum colendo, si ita petitoris interest, rectè accipitur. (6) At quando possessor titulum seu jus retinendi habet, similiter non prohibetur, sed de jure ejus prius dispiciendum atque judicandum est. Non attento quod titulus controversus est, nec statim docetur. Admittendus quippe prius est ad illum docendum antequam prohibitione veluti dejicitur. (7) Ideo qui se non auditum queritur, appellans merito de eo est audiendus. *In causa Ludovvig Pretzmanns, contra Simon Simonsen Rosenberg, die 22. Junii Anno* 1654.

1. *l. un. C. ubi pet. vim vel al. mod.*

2. *Gail. l. observ. 144. in fin. & observ. 145. per tot.* Cui relinquenda res, ei etiam non adimenda fructuum perceptio tanquam possessionis consequens. *Menoch. recup. possess. remed. 6. num. 8.* ex possessione sequitur fructuum perceptio, *l. 3. § e contrario ib. gloss. ff. de acquir. possess. Bartol. in l. si fur. in pr. ff. de Usufruct.*

3. Hoc cum utriusque tam petitoris quam possessoris commodo conjunctum est. Nihil cuiquam nocet ea impensa, quam impendens sine incommodo rei detrahet, aut precio non iniquo relinquet, *l. in fundo 38 ff. de rei vindic.*

4. *L. 1. C. ne lit. pend.*

5. Prædo quippe hic est, qui interrogatus, cur possideat non responsurus sit, quam quia possideat, causam possessionis nullam scit reddere, *l. pro herede 11. § à. 8. seq. ff. de petit. hered.* Talem adeo prætor non restituit, ubi talem esse ipsi constat, *uti hoc latiùs probat & explicat Menoch. recup. possess. remed. 1. n. 113. & mult. seq.*

6. Quando notorium est possessorem jus nullum habere, tunc citatione nulla opus est, sed à mandato seu inhibitione incipitur. *Menoch. adipisc. possess. remed. 4. num.* 450. Ubi enim nulla competit defensio, ibi supervacua est citatio vel causæ cognitio. *Felin. in c. 1. n. 25. de Jurejur.*

7. Perinde est fundo ejicere, & perceptione fructuum privare. Retentio est ipsa perceptio, *l. deducta 58. § accepits ff. ad SC. Trebell. l. cum pater 7. in pr. ff. de Legat. 2. Fab. in Cod. lib. 2. tit. 30. defin. 2. num. 2.*

DECISIO VI.

Hæredes viduæ ex fundo, in quo jus retentionis competit, dejicientibus mandato sine clausula injungenda est restitutio non attenta super attentatis lite.

CUm contra hæredem viduæ eique competens jus retentionis pronunciatum, at appellatum erat, hoc vero non attento dejectio insequebatur, iste super attentato querelam protulit, at hoc statim non probato nec petitione apta prolata ad processum solitum citato reo res remissa est; (1) Quanto autem postea decreta jam citatione ad respondendum hæc non tantum ex vitio attentati sed etiam ob spolium atque violentam turbationem seu potius dejectionem mandatum rogavit, in dubitationem venit, utrum decerni posset, quamdiu lis super attentato penderet? Qua actionem super attentato mandari ante causæ cognitionem & sententiam nihil posse constabat. At de mandato velut ob spolium suboriebatur dubitatio, (2) quam movebat, quod appellans eam viam attentatorum super dejectione quærendi semel elegisset, (3) quod super hac actionis specie lis pendens esset, sub qua innovatio fieri non deberet. (4) quod nec dum plene de dejectione ejusque modo constat. (5) His tamen non obsistentibus placuit decernere mandatum sine clausula contra dejicientem, quia petebatur jam ex alia causa quam attentati, nempe ob dejectionem seu spolium contra jus retentionis illatum. In quo tuta data erat appellantis petitio. Non tantum viduæ sed etiam hæredi ejus in bonis defuncti jus retentionis competit, (6) ejusque nomine defectis velut spoliatis restitutio ante omnia debetur. (7) In qua specie mandata sine clausula decerni æquum est. (8) Nec potest impedimento esse super attentato actio, magis ex errore advocati quam voluntate supplicantis instituta. (9) Ex pluribus enim remediis non ex eodem titulo nec pro eodem fine & effectu competentibus electio unius non excludit alia. (10) Licet plura diversa adhibere ut eo plenius citiusque indigentibus consulatur. (11) Et cum plane diversa sint remedia actio super attentato & supplicatio pro mandato sine clausula, lis super uno pendens alteri non obsistit, (12) Ideoque quod causa attentati nondum plene cognita fuit, non potest efficere, ut mandatum sine clausula ob spolium non decernatur, quod non eget causæ cognitione prævia, sed impetratur super narratis ita comparatis ut cadant in eas species super quibus ita mandatur. (13) Sic existimatum *in causa Jost Behren, contra Burchard Behren die 14. Februarii Anno* 1654.

1. Interest utrum attentatum statim doceatur an vero altioris indaginis est ac ulteriori processu egeat. Illius statim fit revocatio. Hoc vero remittitur ad judicium peculiare, *vid. Fabr. in Cod. lib. 1. tit. 10. def. 1.*

2. Processui semel cæpto cursus suus integer & non interruptus sinendus, neque licet supplicare & mandata impetrare super eo quod sub lite est *l. 2. & tot. tit. C. ne lit. pend.*

3. Viam quam semel elegisti ambula, unus dictum

dum est, legibus receptum etiam qua actiones. Eligens actionem sciat sibi regressum ad aliam futuram *l. quod in herede* 9. §. 1 *ff. de Tribus. actl. l. cujus* 9. *ff. de Curat. furios.*

14. Lite pendente nihil debet innovari *tot. tit. C. ne lit. pendent.*

15. Ante causæ cognitionem sententia ferri non debet, sed ista eget quævis causa, etiam summaria & celeris expeditionis, ad quam opus citatione, indagatione facti & sententia, *uti qua attentati causam: tradit Lancellot. in tr. de Attentat. part. 3. cap. 25. num. 33. seq.*

16. Carocc. *Decis. 21. num. 10. Mynsing. cent. 6. Observ. 82. num. 2.*

17. Restitutionem hanc incontinenti, velut spoliatis, viduæ & hæredibus deberi *tradunt Hartm. Pistor. Observ. Pract.* 97. *num. 3. & seq. Coler. de Process. executiv. part. 1. cap. 2. num. 222.*

18. Spoliationem comprehendi sub iis casibus, in quibus per Ordinationem Cameræ Imperialis *part. 2. C. 21.* mandata sine clausula decernuntur, ex ratione creditur, ex Praxi judiciaria sic servatur *vid. Petr. Fridr. Mindan. lib. 2. de Mandat. cap. 56. num. 2.*

19. Error Advocati parti nocere non debet *l. 2. C. de error. Advoc.*

20. *l. ancilla* 12. *C. de Furt. l. Neratius* 11. §. *fin. ff. de Servi. corrupt.*

21. Hoc patet ex iis quæ de cumulationibus actionum JCti prolixius tradunt *quæ videas in elegans & utile compendium redacta à Petr. Frider. Mindano lib. 3. de contin. caus. cap.* 10. Et præsertim usus diversarum actionum vel remediorum licet, ubi unum plenius atque expeditius est altero, *uti exempla reperis in l. unde quæritur* 7. *ff. commod. l. qui servum* 34. *in fin. ff. de oblig. & action. l. nunquam* 20. *ff. de Privat. delict.*

22. Litis pendentiæ exceptio eandem causam & eandem actionem adesse requirit. *Zang. de Except. part. 1. cap. 1. num.* 10.

23. *Mindan. lib. 2. de mandat. cap.* 10. *num.* 8.

DECISIO VII.

In summariissimo possessorio junior possessio attenditur, si non sit controversa.

POssessionem vel quasi juris pascendi appellans per plures testes satis docuit, at ex attestatis simul aliquot pignorationes, eæque recentiores apparebant. Inde dubitatio, cum hæ pignorantium juniorem possessionem docere videbantur, utrum nō pro hac pronunciandum esset? (1) Verum recte considerato, quod illæ pignorationes injuriæ ac violentiæ arguebantur, id eo controversæ erant, non potuerunt ad possessorium fundandum sufficere, (2) sed utroque juniorem possessionem obtendente pro eo pronunciari debet, qui juxta & antiquiorem demonstrat: (3) Cui accedit, dum aliud non est manifestum vel extra controversiam, præsumptio junioris (4) & injuria adversarii. (5) Sic pronunciatum *in causa Obrist Alexander von Wassenstein, contra Oppidum Lassan, die 13. Febr. Anno* 1655.

1. In summariissimo possessorio recentior & junior possessio prævalet, *Plotus de subst. foroalib. §. 3. num. 28. & num. 30.*

2. Ita demum junior possessio in possessorio proficit, si & contradictor illam fatetur, & in antiquiori possessione se tantum fundat. Si negat alius, ubi de juniore res controversa est, pro nulla habetur. *Barbac. consil. 25. num. 1. & seq. vol. 2. Nevizan. consil. 80. num. 8.* Paria sunt non esse & non apparere. Non apparet autem quod actus est controversum, *l. in lege 77. ff. de contrab. empt.*

3. *Sic in termino concludit Corbmann. resp. 20. num. 65. seq. vol. 2.*

4. Illa possessor hodie possidere creditur, de nec aliud apparet, *l. sive possidetis ib. Bartol. C. de Probat.*

5. Probata possessione antiquiori junior præsumitur vitiosa & injuriosa, *c. liter X. de Probat. Mevech. retin. poss. remed. 3. num. 755.*

DECISIO VIII.

Possessio autoris proficit in momentaneo possessorio successori.

TEstimonia pro indagine possessionis circa pascendi jus præsentis summariè collecta, tantum de autoris possessione sonare, nihil obest. Habentur autor & successor in possessorio etiam summariissimo (1) pro una persona, & illius possessio huic prodest. (2) Minus de eo dubitandum est, ubi de aliquo jure vel servitute prædii nempe jure pascendi, (3) contenditur. Nam possessio prædii simul quasi possessionem ejus juris [illegible] & docet. (4) Quod consideratum *in eadem causa.*

1. *Ita quoad hoc tradit Nevizan. Consil. 80. n. 40.*

2. *l. Pomponius §. præterea ib. Dd. ff. de acquir. poss.*

3. Jus pascendi est jus prædii. *l. 1. §. 1. & 3. pr. l. 4. ff. de Servo. rust. prad.*

4. Possessio prædii continet possessionem juris, *l. 1. §. 1. ff. de [illegible].*

DECISIO IX.

Pignoratio possessionem non facit, nec probat, nisi pignorans acquiescens.

FActæ aliquoties pignorationes pecorū in agro, ubi de jure pascendi controverebatur, in momentaneo possessorio dubitationem faciebant, utrumve ex iis probata sit recentior possessio, cum ista soleat esse argumentum possessionis à parte

Digitized by Google

pignorantis, (1) veluti pro defendenda possessione fieri solita, ideo etiam coepram alterius possessionem interrumpit. (2) At quia hæc ita demum obtinent, primo, si certum sit pignorationem fieri pro conservanda sua & prohibenda alterius possessione. (3) Deinde si pignoratus acquieſcit, (4) non potuit in præsenti specie ex eo possessio juniori concludi, ubi testium dicta constanter non indicant causam pignorationis, & juxta deponunt non attenta pignoratione iterum in loco controversa pastum esse pecus, & actorem restitisse pignorationi, (5) deque ea controversiam fuisse obortam & adhuc durare. (6) *In eadem causa.*

1. *l. pupillus* §. *territorium ff. de V. S. Cravett. consil.* 400. *num.* 27. *Hondeda. Consil.* 17. *num.* 44. *vol.* 1.

2. *Cotar. de Process. Executiv. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 89. *seq.*

3. *Vid. in simili specie Cothmann. consil.* 20. *num.* 38. *& seq. vol.* 1.

4. Prohibens non acquirit possessionem prohibendo, nisi prohibitioni paruum fuit. *Afflict. decis.* 265 *num.* 11. Ideo violenta pignorum captio non est pro actu possessorio. *Flamin. de Rubeic. Consil.* 34 *num.* 27. *& seq. vol.* 2.

5. Ex spreta pignoratione & continuata possessione, decidit vis & effectus eidem. *Cothmann. d. resp.* 20. *num.* 33.

6. In summarissimo possessorio tantum spectantur quæ certa fide constant. Cætera quæ adhuc dubia & altioris indaginis sunt, ad ordinarium processum transmittuntur, ibi plenius probanda. *Gail* 1. *Observ.* 8. *num.* 1. *Mynsing. Cappt. decis.* 55. *num.* 7.

DECISIO X.

Sententia in summarissimo possessorio non tollis facta, nisi pendente lite sine retractata sicri.

FInis momentanei possessorii est determinare, quis in lite actoris vel rei partes sustinere, seu pro possessore haberi debeat. (1) Quo definito quidquid ultra contra vertum est ad ordinarium possessorium vel petitorium remittitur, neve præjudicium fieri oportet. (2) Ideo nullum factorum, de quibus controversia existit, fit cassatio, aut pignorum injungi solet restitutio, sed ea ad ulterius judicium remittitur. Quod tamen accipe de lite pendente litem. Hæc pendente attentata non eo minus revocantur in momentaneo quam in alio, ideo cassantur & restitutio injungitur, (3) *ex factum sapit sinendo a causa.*

1. *Bartol. in l. de pupillo* §. *sperneretur num.* 10. *ff. de nov. op. nunc.*

2. *Contard. in l. nam num.* 162. *C. si de momentan. poss.* ubi monet in praxi hoc provide a judice observandum, ne ultra pronunciatio vel provisionale decretum procedat, quam ne pendente lite in futurum omnia sint quieta, de cætero sine cujusquam præjudicio.

3. Generalis legis sententia, ne lite pendente nihil innovetur, *l.* 1. *& 2. C. ne lis. pendent.* Ceu attentata revocentur, nullibi in momentaneo limitata reperitur. Eadem in eo ratio, idem jus postulat: ideo non edocta ex lege exceptione, regula insistendum, *l.* 1. *ff. de Reg. Jur.*

DECISIO XI.

In re aliena exercitio juris pendente lite abstinere debet, nisi edocta possessione.

VEnationis jure allegato, sed controverso, at in momentaneo post indaginem ejus quasi possessione non reperta, non permittendus est hanc prætendens pendente lite istam exercere, cum exattestatis aut aliis documentis nihil de ea constat, sed uti quælibet res præsumitur libera, (1) ita & usque ad probationem servitutis in alieno, (2) qualis est venatio, (3) donec aliud in ordinario judicio docetur, servanda. Regula quippe seu præsumptio illa etiam in summariissimo obtinet. (4) *Ita judicatum inter eosdem.*

1. *l. usufruct. ff. si usufruct. pet. Livre communi ff. de Servit. prad. urban.*

2. Servitus non extraordinario remedio sed ordinariis remediis assetenda est, *l.* 1. *& vat. sit ff. si serv. vindic.*

3. Per JCtos venatio inter servitutes reales refertur. *Gail.* 2. *Observ.* 66. *num.* 1.

4. *Covarruv. pract. quæst.* 17. *num.* 6. ubi declarat procedere, nisi probetur in summario possessio, cui cedit ea præsumptio.

DECISIO XII.

Interventionis Tertii in momentaneo possessorio effectus & processus.

INterventioni in possessorio locum esse dubio caret. At non perinde quis ejus processus sit effectus. Cum de eo quæstio incidit, visum fuit discernendum esse, ex quo capite procederet, an ex eodem, quo agitur, an ex alio. Ubi aliud venit in litem, aliud in interventionem, veluti si cum super possessorio agitur, ex petitorio intervenitur, hoc suspendere aut impedire nequit, quo minus pronuncietur. (1) Cum idem utriusque objectum est, si quidem mature intra terminos litigantibus præfixos interventio procedit, licet tam intervenienti quam litiganti jura deducere & utriusque par habetur ratio. (2) At postquam jam peracta est pene causa, interventio non pronuncietur, (3) quod celeris expeditionis esse debet, & ma-

Digitized by Google

turè inter litigantes definiendum est, ne illi ad arma deveniant & quo lis certum statum capiat. (4) Si quid in eo ab interveniente neglectum est sibi imputare debet. (5) Nec habet ea res præjudicii quidquam quà tertium, cui extra hanc litem jura sua sunt integra. Sicut etiam illa reservare decet. *Uti factum ad interventionem Joachim Knochen in prædicta causa.*

1. Tertius non potest intervenire & impedire executionem possessorii, *Jason. in l. à Divo Pio §. si super rebus, num. 19. ff. de re judic.*

2. Intervenientis cum principali eadem persona intelligitur, *Paris. consil. 73. num. 16. seq. vol. 4.*

3. Interveniens in eo statu causam assumere debet, in quo reperit, & si in eo non amplius est ut possit ultra differri, non impedit processum & sententiam. *Gail. 1. Observ. 71. num. 1. & num. 12.*

4. Ante omnia prospiciendum, ut constituatur possessor vel ob hoc ipsum ut sciatur, quis partibus actoris fungi debeat, *l. qui destinavit 24. ff. de rei vindic. l. si priusquam 15 ff. de op. nov. nunc.*

5. Tertius pro suo interesse intervenire volens iisdem terminis utatur, quibus pars litigans. *Natta consil. 457. num. 1.*

Juxta præcedentes Decisiones ita pronunciatum fuit;

In Sachen des Obristen Alexanders von Weissenstein Appellanten / wider Burgermeister und Rath zu Lassahn Appellaten / wird in puncto momentanei possessorii auß darüber eingebrachter Kundschafft so viel befunden / diß Appellant in ordinario possessorio vel petitorio ein anders zu Recht außgeführet / wie dann allen Theilen dabey ihre Zuständnisse so weit Rechtens vorbehalten seyn / auff den also benannten Streit-Acker bey der gemeinen Weide seines Viehes und Scharffrichte solche zugleich mit Appellaten zu gebrauchen / unberuhiget von den Appellaten zu lassen / diese auch deroselben zu Nachtheil den Acker umbzupflügen nicht im Gebrauch seyn / demnach Dessen sowol auch der Pfandungen noch zur Zeit sich zu enthalten schuldig / darauff ferner das Mandatum de restituendo & non amplius attentando hiermit erkannt ist. Weil aber der Inspector des Wolgästischen Amts sich interveniendo bey verrichteter Commission angegeben, bleiben bemeldtem Ampte alle Jura bevor / inmassen dann hiemit erkläret wird / daß durch dessen Streit und jetzo gegebenen Bescheid / zwischen vorbemeldten Parten demselben nichts benommen oder præjudiciret / vielmehr alle Nothdurfft reserviret seyn soll / wie dann ihnen dieselbe vorzubringen erlaubet / und zur Nachricht die auffgenommene Kundschafft Copeylich ertheilet wird / das übrige an den Streit-Acker von Appellanten prætendiret angehend / als dessen derselbe im Gebrauch zu seyn / auß der Kundschafft noch nicht befunden worden / beyde Theile vine das andere zuspruch zu erlassen nicht gemeynet / damit zu dessen Außführung ad ordinarium possessorium verwiesen / von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Colonelli Alexandri à Weissenstein appellantis contra Consules & Senatum in Lassan appellatos, in puncto momentanei possessorii & desuper relatarum probationum apparet, usque dum in ordinario possessorio vel petitorio aliud de jure deduxerit, prout utrique parti jus suum quantum juris reservatur quod in ita denominato agro litigii pascuo communi simul cum appellatis uti possit & ab iis inquietari non debeat, hi etiam in ejus præjudicium agrum aratro scindere non possint, hinc tam ab eo quam à pignorationibus adhuc dum abstinere debeant; desuper ulterius mandatum de restituendo & non amplius attentando hisce decernimus. Quia vero Inspector satrapiæ Wolgastensis apud Commissionem interveniendo se stitit, dictæ satrapiæ omnia jura reservantur, prout hisce declaramus quod per hanc controversiam & modo emanatum decretum inter prædictas partes illi nihil ademptum vel præjudicatum potiùs omnia necessaria reservata esse debeant, prout ei necessaria proferre indulgemus & suscepto probationis copiam damus, quod reliquum concernit quod in agro litigii appellans prætendit utpote in usu eundem esse & probationibus non reperitur, si neutra pars ab actione desistere nolit, eas pro meliori deductione ad ordinarium possessorium remittimus. *Idque de jure.*

DECISIO XIII.

Possessio defuncti mariti proficit etiam viduæ ut non minus quam ipse in illa defendi debeat pendente lite.

CUm vidua pendente lite se in possessione defendi petit, sufficit allegare & probare aut alias constare maritum antea in possessione vel quasi fuisse. (1) Accessio fit ex possessione antecessoris, (2) & continuatio ejus habetur in persona repræsentante prioris personam. (3) Cujusmodi sine dubio est vidua quæ imago mariti est, & quamdiu in viduitate subsistit, tanquam ipso vivo omnibus ejus juribus fruitur. (4) Sic judicatum *in causa viduæ Simon Fischers, contra der Brauer Compagnie zu Wolgast, die 13. May An. 1655.*

1. Maritus & uxor unius personæ vicem habent, *v. admonere 37. quæst. 2.*

2. Ubi quis accessione ex persona antecessoris fruitur, eadem habetur possessio. *l. Pompon. 33. §. 1. & seq. ff. de acquir. possess.*

3. Ex persona mutata an mutetur possessio? distinguitur, utrum quæ succedit, plane diversa sit, ut priorem possessorem non possit repræsentare, an juris fictione vel per naturam sit inter illos repræsentatio. Hac existente eadem possessio est, idem possessor habetur. *Lancellot. in tract. de attentat. part. 2. cap. 4. limit. 6. num. 24. & seq.* Repræsentans igitur in surrogata continuare intelligitur, ita & defendi debet, *uti prolixius explicat Lancellot. dict. limit. 1. num. 17. & seq.*

4. Hoc etiam in possessione ita obtinet, quam post fata mariti retinet, uti eo vivo cum ipso habuit, *Voltel. resp. Marpurg. 31. num. 17. vol. 4.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XIV.

Post momentaneum possessorium turbans adversarium mandato non modo ad desistendum, sed etiam ad cavendum de non turbando amplius compellitur.

QUando jure receptum est, ut victus ordinario retinendæ possessionis remedio teneatur, & condemnatur ad cautionem de non amplius turbando victori præstandam, (1) id utrum in momentaneo quoque mandari debeat, dubitatum fuit, quod illud non definit finaliter possessionis causam, sed tantum pendente lite providet, ut quis actoris vel rei loco sit, constet. In hoc victus si turbare pergat, non modo pœnalibus mandatis cohiberi; (2) sed etiam ad cautionem istam adigi posse, ratio existit, (3) quia id injuriâ suâ meretur turbans & pro securitate turbati exigit æquitas, similisque ratio, quæ est in ordinario possessorio, id post momentaneum pendente lite suadens. (4) *Sic conclusum in causa Obrist Alexander von VVeissenstein, contra Incolas Oppidi Lassan, die 1. Junii Anno 1655.*

1. *Bart. in l. 1. §. interdictum num. 10. ff. uti possidet. Rebuff. tom. 3. tit. de Maner. possess. artic. 1. glos. 1. num. 16.*

2. *Borgvin. Cavalcan. decis. 69. num. 41.* unde sententiam super eo interlocutoriam putamus non definitivam, *Gail. 1. Observ. 7. num 6. Ranchbar. illustr. quæst. 6. num. 72. part. 2.*

3. Ad officium judicis hoc pertinet, *l. si cujus 13. §. sed si inter 3. ff. de Usufruct.*

4. Præstanda est cautio, ubi vel instans est periculum vel metus periculi, quo sit de possessione securitas *Pruckman. cons. 6 num. 60. seq. vol. 1.*

5. Subest hic eadem ratio cautionis, quæ est in alio possessorio, & uti ex ordinario possessio in perpetuum, sic in momentaneo, donec in illo vel in petitorio lis pendet, defendenda atque assecuranda est. In quo arbitrio judicis, quatenus opus, cautio decernitur, uti ea alias isti arbitraria est, *Menoch. de A. I. Q. lib. 2. cas. 141. Pruckman. d. consil. 6. num. 65.*

DECISIO XV.

Possessor immunitatis quando contra magistratum defendendus est.

EX obligatione omnium, qui in civitate sunt, universali quoad onera & munera civitatis magistratus intentio fundata est adversus omnes, qui sub illa degunt & bona possident; (1) adeò ut licet aliqui ista aliquandiu non dependerint, tamen subire debeant & impositio injuria careat, (2) nisi possessio immunitatis fuerit longissimi temporis, (3) vel si brevioris titulata ut possessor causam ejus allegare possit, qua eam mereatur. (4) Haud verò possessori, ne interea defendatur, nocet de titulo litem moveri. (5) Possessio facit interea præsumptionem pro possessore titulato. (6) Præsertim si intellectus concessionis ex qua obtenditur, in dubium vocatur, observantia videtur declarationem pro isto facere. (7) Accedit quod pendente lite nihil innovari, (8) nec quisquam extra judicialiter aut sine causæ cognitione de possessione dejici debet. (9) Etsi itaque mandatum sine clausula pro defendenda immunitate negatum, pro defendendo tamen possessore donec causa cognita super illa statuitur, *decretum est Obrist Leutenant Johann von Lipsfeld, vvider Burgermeister und Rath der Stadt Stade., die 27. Julii Anno 1656.*

1. Hic nexus descendit ex prima intentione eorum qui in societatem civilem coierunt, quæ legem velut fundamentalem constituit, ut *civis* quisque corpore, sanguine, bonis sustineat societatis incolumitatem. Ex qua fundata est Reipubl. & imperantium ad exactionem munerum contra omnes intentio.

2. Ex injuria non solvisse vel errore non exactum præsumitur potius quam immunitas. *Randens. consil. 262. num. 18. & seq.*

3. Hoc præscribitur collectis quæriturque immunitas, etsi titulus non constat, *vid Klock. de Contrib. cap. 16. num. 27. seq. num. 34. seq.*

4. Immunitatis titulum docens tempore brevi ori præscribit.

5. Justificatio tituli pertinet ad Judicium petitorium seu proprietatis, *l. 2. C. quor. bon. Cland. rel. quotid. cap. 5. num. 18. Natta consil. 121. num. 4. & 5.* Ideo illuc remittitur & interea possessor defenditur.

6. Titulus efficit pro possessore præsumptionem optimam & excludit contrarios actus. *Bald. in l. un. num. 10. C. ut possid.*

7. *l. si interpretatione 37. ff. de Legib.*

& *l. 1. ff. nihil. innov.*

9. Hoc etiam in causis munerum & collectarum procedit, *Klock. de Contrib. cap. 19 num. 603. seqq.*

Hoc tenore;

In Sachen Obrist Leuten. Johann von Lipfelden Supplicanten / wider Burgermeister und Rath zu Stade Supplicaten / in puncto immunitatis, ist der Bescheid / daß gleichwol Supplicant in possessione immunitatis gewesen / auch zu dero fruirung verschiedene Mandata auß der Cantzley zu Stade abgelassen / sich gebühret / pendente lite nichts dagegen zu innoviren noch ihn zu turbiren / ihme bey 100. Rthl. Straffe aufferleget seyn solle / alsfort die einquartierte Soldaten abzunehmen / ferner unberuhiget zu lassen / auch proxima zu erscheinen / und paritionem zu docirē: Mit Verwarnung / daß sonsten in die Straffe sie völlig sollen erkannt und auff Anhalten ferner ernste Verordnung würde gemachet werden. Decretum im hohen Tribunal zu Wismar den 26. Julii Anno 1656.

(Hoc est.) In causa Colonelli Locumtenen-

tenentis Joannis à Lipsfelden supplicantis contra Consules & Senatum in Stade supplicatum in puncto immunitatis decernitur, quod, quia supplicans in possessione immunitatis fuit ac pro ejus fruitione diversa mandata. Ex Cancellariâ Stadensi emanârunt, docuerit pendente lite nihil contra innovare, nec illum turbare, Hinc illi sub pœna 200. *Thaler.* injungitur militem in hospitatos revocare, ulterius non inquietare, ac in proxima comparere & partitionem docere, cum commination, quod alias in pœnam plenariè incidisse decernendum & ad implorationem ulterior seria ordinatio emanatura sit. *Decretum in summo Tribunali Wismariæ. 26. Julii Anno 1656.*

DECISIO XVI.

Per mandata non est defendendus in possessione, qui non allegat titulum, cum sine titulo possidere nequit, aut cum ostendere opus habet, sed recusat.

EST quidem unusquisque in possessione sua per juris & judicis auxilium defendendus (1) contra omnes turbationes; & regulariter sufficit constare de possessione, etsi qualis sit justa aut injusta, non appareat, (2) ideò & qui titulum possessionis nullum allegat interdicto, uti possideris, gaudet; (3) id tamen ad possessionem earum rerum non spectat, quæ sine titulo possideri non possunt; (4) Cujusmodi sunt, quæ debentur superiori, aut ex juribus illius assumuntur. (5) Similiter etiam non defenditur mandatis possessio sine demonstratione tituli, cujus titulum qui tenet vel obtendit possessionem, vel quasi docere obstrictus est. (6) Recusando enim allegationem ac demonstrationem tituli meretur, ut judex ipsi neget defensionem. (7) Cum & recusantis pœna sit, ubi ex superioris beneficio obtinetur possessio, ejus amissio. (8) Visum itaque ex justâ ratione, cum Judex à petentibus mandata de non turbando titulum exigeret, nec prius ista decernere vellet, frustra appellari, de eo quod justè fieret. Negati inde processus appellatorii *in causa possessorum prædii Lütkevitz, contra Quæstorem Regium. Die 4. Novembris Anno 1656.*

1. *l. 1. ff. uti possid.*
2. Qualiscunque possessor hoc ipso quod possidet, plus juris habet, quam qui non possidet, *l. 2. ff. eod.*
3. *§. retinenda Instit. de Interdict.*
4. *Menoch. retin. possess. remed. num. 289.*
5. *Fab. in d. §. retinenda num. 4. Menoch. d. l. num. 590.*
6. Cum effectu accipiendum est, quod dicitur *in multis casibus* possessionem non proficere, nisi titulatam, ut & quod in aliquibus aliunde tituli necessaria est.
7. Qui non facit quæ debet, non impetrat quæ petit, *l. 2. C. de precib. Imp. offer.*
8. Cum vasallus recusat domino edere titulum possessionis suæ, expelli potest, *Matth. de Afflict. in t. un. §. illud num. 30. de Prohib. feud. alien. per Frid.*

DECISIO XVII.

Casus aliqui referuntur, in quibus necesse est titulum possessionis suæ docere.

CErti juris est, regulariter neminem cogi edere titulum suæ possessionis; (1) at plures habet exceptiones. Inter quas & hæ species referendæ sunt, cum quis in re alienâ jus prætendit; (2) cum possidenti adversatur juris præsumptio: (3) cum quis rem alienam possidet, quam sine voluntate domini possidere non potest: (4) Quando sine titulo quod tenetur, acquiri aut præscribi non potest: (5) Quando res est de jure aliquo superioris Regio seu Ducali seu quando contra Principem jus obtenditur; (6) Si exemptio à debito alias consueto allegatur. (7) Ex quibus cum singulis titulus allegari & doceri debeat, eo minus se gravatos queri possunt, à quibus cum omnia talia concurrent, exacta est tituli exhibitio. Sic judicatum *in eadem causa.*

1. *l. cogi. 11. C. de Pet. hared.*
2. *l. altius 8. l. si tibi 18. C. de Servit. & aq. §. pen. Instit. de Servit.* Cujus enim res est, is habet jus prohibendi, ne se invito fiat quidquam in re suâ, sine jure ritè quæsito. Inde prohibens turbare prius non dicitur, quam alter jus docet. Vicissim injurius est, qui prohibente domino fundum alienum ingreditur, *l. injuriarum 13. §. fin. ff. de Injur.*
3. *l. sive possidetis C. de Probat. c. cum contingat de Decim.*
4. *c. contra morem. distinct. 100.*
5. *Gloss. in l. 2. C. de Jur. emphyt.*
6. *Menoch. remed. retin. possess. 3. num. 590.*
7. Exemptio non præsumitur, nec quis in ea solum allegata, sed non edocta defenditur, *Quetta consil. 32. num. 6. Alberic. in l. fin. num. 27. ff. de Constit. Princip.*

DECISIO XVIII.

Manutenentiæ mandatum denegatur post appellationem interpositam immissia.

POssessor quidem quisque in possessione sua qualicunque donec lis pendet, defenditur, (1) receptô manutenentiæ mandato impetrando, etsi præter possessionem quidquam requiritur: (2) At ille, qui

Digitized by Google

post appellationem in possessionem venit, etsi judicis jussu, minimè defenditur, (3) nec defectus restituitur, (4) quod ex attentato possessionem adeptus est, ideò notorii atque violenti spoliatoris instar habetur, quem non tuetur justitia. (5) *In causa haredum Heinrich Spallen, contra Niclaus Demzin, die 14. Novembris Anno 1656.*

1. *l. 1. §. fin. l. 2. ff. uti possid.*
2. *Rota Romana decis. 395. lib. 1. in novis.*
3. Ità in terminis de mandato manutenentiæ attentanti non decernendo decisum, & prolixius probatum est à *Lancellot, in tract. de Attentat. part. 3. cap. 31. num. 195. ubi inter pœnas attentatorum hoc refert.*
4. Ob contemptum judicii superioris & perturbationem ordinis judiciarii attentati grave crimen est, & attentans ut spoliator violentus invasor habetur atque valdè odiosus est, *vid. quæ de his colligit & tradit Lancellot. in dict. tract. in præfat. num. 42. & 142.*
5. Improbo possessio nullum habet juris adminiculum aut effectum, *l. improba C. de acquir. Poss. Decius consil. 466. num. 17.* ideò vitio suo possessor, modò injustitia ejus notoria sit, pendente lite non defenditur. *Lancellot. dict. tr. part. 2. cap. 4. declarat. 4. num. 52.*

DECISIO XIX.

Viduâ, cujus bona liberis fuerunt communia, ad secunda vota transeunte, in lite inter vitricum & liberos prioris matrimonii qui pro possessoribus habendi sunt.

CUm mater liberorum ex priori matrimonio ad secunda vota transiisset, & lis inter illos atque vitricum, ut fieri vulgare est, de bonis cum matre communibus incidisset, istis hæreditaria nomina exigentibus & pecuniam accipientibus, hic super attentato querelam movet. Pronunciatio etiam pro hoc ejusque hæredibus facta est revocatâ exactione, quam liberi fecerunt, decretâ simul pecuniarum hæreditariarum sequestratione. Appellatione verò interpositâ existimatum fuit, inspici debere quis in hac specie possessoris vices obtinet; siquidem ille pendente lite defendendus est, (1) nec possessionem continuans attentat, (2) aut qui ex possessione aut pro ea fiunt actus pro attentatis habeantur, (3) sive possessio illa civilis, sive naturalis sit. (4) Ità verò ex jure Lubecensi, quo in loco ubi lis cœperat, istô utebantur, res se habet, quod quando pater liberorum decedit, vidua quamdiu ad alium totum non progreditur, in bonis communibus manet, eorum usumfructum habet, alienare verò non potest, sed suo & liberorum nomine ut communia tenet, suis de alimentis & aliis necessitatibus providere tenetur, (5) inde & communis omnium possessio est. (6) Quando verò ad secunda vota tendit, tunc tenetur aut liberos à bonis communibus datâ seu assignatâ certâ portione, quam *Auszspruch* vocant, separare, (7) aut cum iis omnia bona communia dividere. (8) Si neutrum factum fuerit, liberis remanet integra hæreditas paterna, & vidua lucrum statutarium amittit. (9) Etsi verò ista bona paterna secum retinet, haud tamen liberis possessio, quæ ipsorum in communibus fuit, intervertitur sed conservatur, adeò ut licet in bonis illis corpore non amplius consistunt, vel et manibus tenent, tamen pro possessoribus habeantur. (10) Nec vitricus, qui tantùm familiaritatis causa cum uxore in ædibus hæreditariis degit, pro possessore est, (11) nec amplius quidquam in iis sibi arrogare potest, quàm uxori competit, cujus gratiâ & nomine in bona venit. (12) Et cum illius jus factâ separatione vel divisione per secundas nuptias in prioris mariti & paternis liberorum bonis desinit, vitrici quoque nullum esse potest. (13) Eò minus ubi evenit, ut uxorem suam deserit, nec in ædibus communibus cum ista amplius commoratur. (14) Non repertum itaque est, justè liberis potuisse exactionem debitorum hæreditariorum prohiberi, aut exactorum restitutionem injungi, ubi illi solùm hæredes sunt, & possessores hæreditatis habentur. (15) Vitricus verò possessionem obtendere nequit. Sic existimatum *in causa Liberorum Petri Splitten, contra Greyer Batelden ejusque hæredes, die 5. Decembr. Anno 1656.*

1. *c. 1. X. Ut lit. pendent.*
2. *Vide hoc plenius expositum apud Lancellot. de Attentat. part. 2. cap. 4. limit. 1. num. 2. & seq.*
3. *Lancellot. dict. tract. part. 2. cap. 12. limit. 40.* Actus qui fiunt, quando concernunt aliqua ratione possessionem, potius continuativi, quam de novo facti habentur. *Cravett. consil. 223. num. 3.*
4. Cujus est ante litem possessio civilis, ei fas illâ pendente deprehendere naturalem. *Lancellot. dict. tract. cap. 4. limit. 5. num. 2.*
5. *Vid. Juris Lubec. artic 8. tit. 2. lib. 2. & ibi de his plenius in Commentario scripta.*
6. Communio quæ est ex jure statutario inter parentes & liberos, facit ut liberi vivis parentibus non tantùm domini habeantur, *juxt. l. in suis 11. ff. de Lib. & posthum.* sed etiam quasi possessores ex illo voto & animo quem parentes quà liberos habent, *juxt. l. cum ratio 7. pr. ff. de Bon. damnat.* Inde ex Statutis Lubecensibus etiam possessio liberorum post mortem parentum præsupponitur. Mater vidua cum bona mariti tenet, jure familiaritatis & communionis, & ita non suo tantum, sed simul communium liberor-

Digitized by Google

liberorum nomine habet. *Cothman. consil. 96. num. 28. seq. vol. 2.* Inde retentio illa viduæ facit ejus possessionem non aliam, ac quæ est administratoris atque usufructuarii, eamque aliter usurpare non licet, quam liberis suo dominio & possessione per omnia salvis & non interversis. *Cothman. dict. consil. 96. n. 29. Menoch. de A. & Q. lib. 2. cas. 160. num. 16. Jason. consil. 6. num. 1. vol. 1.*

7. *Vid. artic. 33. tit. 2. lib. 2. in Jur. Lubecens.*

8. *De hac ejusdem artic. 2. & 3. tit. 2. lib. 2.*

9. Juri Lubecensi hoc conveniens existimatur, ut ad secunda vota transiens conjunx, nec statuto satisfaciens, statuti lucro etiam careat, *quod probatur ex artic. 28. dict. tit. 2. vide ibidem in Comment. scripta.*

10. Paria sunt, an actu quisquam possideat, an *in jure* pro possessore habeatur. Similiter ubi quis ipse non tenet corpore, alius verò ipsius causa habet, manet possessor, & si hic interverterit, non eo minus pro tali censetur, & remediis possessoriis utitur, *l. fin. ib. Dd. omnes C. de acquir. Poss.*

11. *l. qui jure 41. ff. de acquir. Possess.*

12. Pessimi exempli & iniquum valde foret, hoc indulgere vitrico, ut possessor habeatur bonorum, quæ antecessor liberis in hæreditatem reliquit, & ut contra hos ex ista contendere valeat, his ideò quia corpore non tenent à possessione exclusis.

13. Propter quod quisque jus habet, sine eo jure careat. *Alciat. in l. certi § fin. ff. de credit.*

14. Desertor domus communis deserit possessionem communium, quæ domum das gemeine Erbe oder Eigenthum / uti vocamus, sequuntur.

15. Hæredibus licet possessionem bonorum Defuncti absque vitio attentati pendente lite apprehendere, *uti explicat Lancellot. dict. tract. part. 2. c. 4. limit. 1. num. 18. seq.* ideò etiam bona hæreditaria exigere atque recuperare, *Lancellot. ib. n. 32.* & agere contra debitores hæreditarios. *Lancellot. d. cap. 4. limit. 26. num. 1.*

DECISIO XX.

Maritus desertor conjugis non est quoad bona ejusdem nedum liberorum ejus in possessione defendendus.

ATtentati querela à parte mariti, quod privigni nomina hæreditaria exegissent, videbatur planè incongrua, quando ipse uxorem suam deseruerat, secum verò plura ex domo ad ipsam liberosque pertinentia abstulerat. Etsi enim inter ipsum & liberos de bonis sui in conjugio antecessoris horum patris lis cœperat, præterquam tamen quod pluribus ex causis ea injusta nec ad attentata faciendum apta erat, etiam ideò non potuit de his queri, quod non suo nomine & jure, sed uxoris causa illa cum liberis cœperat, atque in eo cardine versabatur, quid ex hæreditate matri liberisque competeret, quomodo divisio fieri deberet. Magis verò tanquam curator uxoris, quam suo nomine litigabat. (1) Quando verò uxorem deseruit, jus agendi qua ipsum desiit. (2) Deinde domum deserens, possessionem quoque deseruit. (3) Jus porrò omne ipsi decedit, quando ex bonis uxoris deserræ nihil suum dicere vel sperare potest. (4) *Inter eosdem.*

1. Quoties maritus agit causam uxoris principaliter, etsi consequenter ex commodo, quod ex fructibus habet etiam suum, tamen in ea non tam mariti quam uxoris ratio habetur, & causa non ex illius sed hujus persona & jure censetur.

2. Cura uxoris ex desertione cessat.

3. Familiaritatis jure est maritus tantum in domo, quæ antecessoris fuit, nec verè possidet, *l. qui jure 41. ff. de acquir. possess.* Ubi verò domo decedit, desinit jus domesticum.

4. Ex desertione amittit conjunx omnia lucra ex bonis conjugis ut indignus, *l. indignum 3. ff. de his quæ ut indign. Novell. 22. cap. 15. §. 2. Novell. 17. cap. 8. §. volente. Heig. quæst. 33. num. 41. part. 2. Modestin. Pistor. quæst. 90. num. 1. seq. part. 2.*

DECISIO XXI.

Referuntur aliquot casus, in quibus de attentatis querela non admittitur.

EX iis quæ libellus appellationis habet, plura reperiebantur, quare putabatur in causa attentatorum appellatos ob exactionem à creditoribus hæreditariis, dum ipsi ut liberi patres hæredes erant, condemnari non potuisse. Et primò quidem quod eorum facta, quæ in querelam deducebantur, decretis & mandatis judicialibus erant congrua, ideo autore prætore non modò cœpta, sed etiam judicato comprobata. (1) Deinde quod à parte appellantis lis planè erat malitiosa, (2) dum vitricus bona omnia ab antecessore suo patre liberorum relicta detinebat, cum tamen his istorum pars nullâ ratione negari poterat, (3) de altera verò dimidia, cur à vitrico retineri non poterat, rationes plures, æque non leves allegabantur, appellatio non possit non censeri frivola. (4) Porrò, ut refusio acceptorum à creditoribus injungeretur, nulla apparebat ratio, ubi pendente lite appellanti nihil decedebat; per præstitas autem cautiones in eventum litis securus erat. (5) Accedebat æquitas & favor tum dotis, (6) tum alimentorum, (7) quibus liberos pendente lite carere non oportebat. Et cum illa suppeditari soleant ex bonis, de quibus controvertitur, quantò minus adimi debent sumpta ex propriis bonis nondum tantò per liberos accepto, ac indubitatam dimidiam partem facit. *In eadem causa.*

Digitized by Google

1. Contra judicata nihil valet appellatio, *l. 1. C. quæ sent. sin. prover.* ideò attentata non facit.

2. Lis calumniosa & improba non inducit vitium litigiosi, *Mandos. Sup. Regul. de subrog. collitig. quæst. 11. num. 6.* nec facit attentatum. *Menoch. consil. 79. num. 27.*

3. Non ultra appellatio valet & attentata pacit, quàm quatenus causa est sub lite. In iis quæ exista sunt liquida & extra controversiam quod sit, non est pro attentato. *Lancellot. de Attentat. part. 2. cap. 4. limit. 28. num. 1. seq.*

4. Cum appellatio ex legitimis rationibus judicari potest frivola, non fit attentatorum revocatio, *uti inter Decisiones nostras sæpius scriptum.*

5. Actus qui nihil incommodi aut præjudicii habet, ut attentatum non revocetur, *Lancellot. dict. cap. 4. declarat. 1. num. 1. seq.*

6. *Arg. l. fin. verb. exceptis C. de Litigios. gloss. in fine divisionum ib. Bald. C. de Jur. dot.*

7. *Lancellot. dict. tract. cap. 4. limit. 11. num. 50. seqq.*

DECISIO XXII.

Oneris præstatio est argumentum tam possessionis quàm juris quà commodi.

QUando pro licentia certa cædendi & avehendi ligna ex sylva, annuatim singula prædia singulæque villæ insulæ, aliquot modios avenæ, quæ ideò *der Wahlhaber* vocabatur, præstabant, & aliquibus locis de commodo isto controversia movebatur, appellatione interpositâ in quæstionem veniebat, utrum pendente lite à quibus avena ista dependebatur, in possessione cædendi per mandata sint defendendi? Et existimabatur, quod oneris illius continuata præstatio non tantum æquam faceret commodi pro isto debiti perceptionem, (1) sed etiam argumentum esset possessionis, quæ continuatur onus illud continuò sustinendo, (2) etsi aliquot annis avectio ligni omissa fuerit. Retinetur quippe per illud hujus possessio, quia non alio quàm eo animo solvitur. (3) Decretum ideò est mandatum de non turbando *ad petitionem Provisorum deß Gottshauses zu S. Annen in Stralsund, die 5. Decembris Anno* 1656.

1. Quod æquius quàm qui onus sustinet, ei etiam cedere commodum pro illo præstandum, *l. 1. §. sic autem C. de Caduc. tollend.*

2. Oneris præstatio est conservatio juris. Cui nihil derogat ejus non usus, qui meræ facultatis est, ideò omissus non nocet, *l. viam 2. ff. de via publ.*

3. Possessio solo retinetur animo, *l. 4. §. sed & ff. 7. l. etiam 6. §. 1. l. si is qui 27. ff. de acquir. poss.* Animum autem declarant facta quæ indicant noluisse, quem desinere, possideri, etsi ipse usus vel actus cessaverit.

DECISIO XXIII.

Professores Academiarum in immunitate à realibus oneribus, etiam qua bona sub urbana jurisdictione sita, defendendi sunt, donec non competere deceditur.

PRovocabant Professores Academiæ Gryphisvvaldensis à decreto, per quod subdebantur hospitationi & collectæ militari ratione ædium, quas in urbe incolebant, urbanæ jurisdictioni olim subditarum. Post examen rationum quibus immunitatem suam confirmabant, visum est, non posse non eos audiri. Primò enim illa nititur juris communis beneficio, per quod habent privilegium exemptionis ab oneribus non modo personalibus & mixtis, sed etiam à realibus. (1) Deinde allegabantur privilegia ab Imperatore & Papa tempore fundationis concessa, queis datum frui iis beneficiis, favoribus & privilegiis, queis aliæ Academiæ utuntur, quibus ubique eam immunitatem servari per exempla præteritorum temporum constat. (2) Tertio eo tempore quo erecta fuit, inter Senatum Academicum & Urbanum authoritate Ducali inita & corroborata transactio, quam unionem vocant, istis adstipulatur, quando Senatus tot ædes ex urbanis ad inhabitandum cum jure & beneficiis, queis Academici fruuntur, concessit, quod opus iis erit, cui consequens, ut quas inhabitant jure ipsorum utantur. (3) Quarto privilegia acquirentium & inquilinorum eximunt ædes à contributionibus, quoties illæ oneraturæ sunt inhabitantes. (4) Quinto inveterata possessio, quæ privilegii loco est, & vim habet, (5) adducta est, tam verosimili allegatione nunquam hactenus præstitorum onerum talium, ut non ex ea sine plena causæ cognitione illos dejici fas fuerit. (6) Sexto accedebant rescripta Principum Pomeraniæ, Domini Ernesti Ludovici Anno 1579. & Domini Philippi Julii Anno 1623. queis in possessione immunitatis defensi fuerunt, inhibitione addita, à qua urbanus Senatus quidem appellasset, sed appellationem decenter non essetprosecutus, (7) Septimo confessiones ejusdem recitatæ sunt, immunitatem talem concedentes. (8) Octavo necessitas immunitatis adstruitur, tum ex non superstite alia occasione ædes habendi, quas inhabitent, (9) eaque à Senatu, ut ajebant, erepta cum tempore reformationis ædes Canonicorum & Ecclesiæ, in quibus habitare possent, ad se traxissent, tum ex inani alias sua immunitate & libertate nulla futu-

Digitized by Google

futura, nisi ædes proprias haberent. (10) Nonò æquitatem obtenderunt, tum quod immunitas pars salarii esset, aliàs modici & victui non sufficientis, cujus supplementum ex beneficiis antiquitas pia præstare voluit, (11) tum quod nihil lucri, quæstus aut commodi ex rebus civicis haberent, ex quo onera pensarentur, (12) tum quod onera omne salarium consumptura essent; (13) tum quod conservatores essent earum ædium per immunitatem suam, quæ ab aliis fortè possessæ cum multis cæteris ob onerum duritatem per habitatores derelictis vacuæ futuræ essent. Tandem & defectum imperii & jurisdictionis appellantes objecerunt, quod sine ea non sit jus definiendi atque exigendi collectas. (14) Quæ vel singula sufficerent ad decernendos plenos processus, nedum ubi conjunctim allegabantur, queis nihil derogat situs illarum ædium sub jurisdictione urbana. Nam quamdiu membra Academica ista incolunt, illorum conditionem & exemptionem sequuntur. (15) Ita decreti sunt die 29. Martii Anno 1659.

1. Plurimi in juris corpore textus sunt, quibus immunitas scholarium, sua in publicis Regiisque scholis docentium constituitur & confirmatur. *l. 3. §. munus. 14. l. cui muneris 12. l. honor. 14. §. viarum 2. l. fin. patrimoniorum 18 §. pen ff. de muner. & honorib. l. 3. Cod. de munerib. paterni. l. Maximarum 12. Cod. de Excusat. mun. l. Archiatros 8. Cod. de Metat. l. fin. Cod. de professor. & Med.* omnium maxime perspicuus & aperte immunitatem istorum definiens est. in *l. Medicos 6. Cod. de professor. & Medic.* qui ab omni functione, ab omnibus muneribus civilibus & publicis eximit. Unde & à nemine non sic accipitur, quod generaliter indefinitam Academicorum immunitatem stabiliat. Ipse tenor istius refutat limitationem ab aliquibus adjici solitam, dum intelligunt de iis tantum qui Romæ docent. Expressè quippe textus aliarum civitatum locorumque ubi docent meminit. Explicatur idem in *l. eos in pr. ff. de vacat. mun.* Applicatur inepte. Quas Academias Imperatoria authoritas fundavit vel confirmavit, Regiarum Scholarum, quæ Romæ aut Constantinopoli fuerunt, juribus utuntur.

2. Totus orbis Christianus Ecclesiis & Scholis eam immunitatem servat, ut qui iis serviunt, oneribus civilibus non fiant obnoxii. Unde non immeritò quis dixerit istam esse gentium juris.

3. Concessio ædium ad inhabitandum continet concessionem usus eorum jurium, quo ex jure communi vel speciali inhabitantes gaudent. Nec enim quod favore horum introductum vel conventum est, id diminutionem juris competentis, nedum in privationem detorqueri debet. *l. quod favore 6. C. de Legib.*

4. *Ita de bonis, quæ ad Clericos deveniunt vide scripta apud Klock. de Contribut. cap. 12. num. 8. & seq. ex quibus patet hujus ratio.*

5. *l. 1. §. fin. ff. de aq. & aq. pluv. arc.*

6. *l. 2. C. si per vim vel al. mod.*

7. Pœna sunt hæc, non appellare & appellationem decenter non prosequi. *l. 2. ibi Bald. & Dd. C. de Temp. appell.*

8. Hoc non est argumentum firmius. *l. un. C. de Confess.*

9. Quibus competit immunitas, iis etiam permittendum, ut habeant in quo immunitate fruantur, quæ alias futura est inanis *arg. l. 2. de just. divisdict.*

10. Beneficia ita sunt accipienda, ne sint inania & inepta. *l. Titian. 34. §. 1 ff. de Legat. 2.*

11. Ita immunitas, velut ex oneroso titulo comperens, multo plenior atque favorabilior est.

12. Qui non fruuntur commodis civilibus etiam oneribus civilibus non sunt gravandi *arg. l. quamvis 75. ff. de jur. dot.*

13. Sine salario aut præmio servire non tenentur. *l. 1. §. 2. seq. ff. de var. & extraord. cognit.*

14. *Knichen de jur. territ. cap. 3. num. 310. & seq. Gail. 2. Observ. 52. Mart. de jurisdict. part. 1. inp. 45. num. 5.*

15. *Cothman. resp. Academ. 27. num. 76. Klock. de Contribut. cap. 151. num. 17. & seq.* ubi post plurimos allegatos late eam Academicorum immunitatem, quâ bona sua patrimonialia defendit, transitus rerum munium ad personam immunem mutat propter hujus privilegia, ne sint inania, conditionem rerum. *Mart. dict. tract. de Jurisdict. part. 4. cent. 1. cas. 11. num. 28. seq. Surd. consil. 262. num. 31. Thesaur. decis. Pedemont. 234. ubi in supremis Tribunalibus sic sapius judicatum refert.*

DECISIO XXIV.

Creditori pignus tenenti etiam contra Dominum, utut ecclesiam interdictum uti possidetis competit.

CReditori cui pignus traditum est, ut & qui ab hoc causam habet, & in possessionem venit, interdicto uti possidetis possessionem suam tueri licet, (1) nec modo contra alium, sed etiam contra dominum rei ex isto defenditur, non obstante domini exceptione. (2) Etsi vero Ecclesiæ dominium sit, non est ex ejus favore alia ratio, nec in possessoriis utitur jure singulari. (3) Ideo possessor ab Ecclesia ejusve nomine sub obtentu dominii turbatus à decreto in Ecclesiæ favorem emanente appellans non eo minus quam alias quisquam audiendus. *In causâ Herman Kinichen VVitwe contra Pastorem in Baggendorff Christoff Barsen die 16. August. Anno 1659.*

1. *Neguzant. de Pignorib. part. 3. memb. 1. num. 31.* Creditor enim possidet. *l. qui pignoris ff. de acquir. possess.*

2. Potest quidem dominii exceptio opponi interdicto uti possidetis. *Vid. Menoch. retin. poss. ff. remedy. num. 692.* at ita, si simul de non jure possessoris constat, cujus cum possessio non est integra, cui jus quod obtendit dubium sit, defendi-

Digitized by Google

tur, donec hoc discutitur. *arg. l. naturaliter* 12. §. *nihil. ff. de Acquir. Possess.*

3. In possessoriis Ecclesiæ nullum jus singulare est; Nec enim ei in præjudicium vel incommodum aliorum privilegia sine lege vel indultu expresso Principis tribuenda sunt. In dubio utitur jure communi. *c.* 1. *de Alien. Feud. c. pervenit* 5. *de Constit. Vaq.* 1. *controv. jur. num.* 31. Non est tantus Ecclesiarum favor, ut pro ea aliis fieri debeat injuria aut jus suum adimi.

DECISIO XXV.

Seminis & fundi dominium in possessorio contra possessorem circa fructus spoliatori non proficit.

QUemadmodum fundum fructus sequuntur qua dominium, (1) ita etiam qua possessionem; (2) nec immutatur hoc jus ex proprietate aliena seminis, (3) si quis suum semen serit in terra quam alius possidet, hic, non ille fructus percipere, ideo etiam cum erepti sunt, spoliato restitui debent, donec possessionis causa fuerit terminata. (4) Nam & licet serens dominus fundi vel ejus vice sit, haud tamen dominium aut possessori qua perceptionem fructuum nocet, aut alteri proficit & jus præbet fructus ad se arripiendi. (5) *In causa viduæ Hermanni Kinichen contra Pastorem in Baggendorff Christophorum Barsen die* 16. *Augusti Anno* 1659.

1. *l. qui scit* 25. *pr.* §. 1 *ff. de Usur. & fruct.*

2. Possessor fundi defenditur in perceptione fructuum, quæ possessionis pars habetur, donec restituere damnatus erit.

3. Fructus non jure seminis, sed jure soli percipiuntur, *d. l. qui scit* 25. *pr. ff. de Usur.* ideo in fructibus magis corporis jus ex quo percipiuntur, quam seminis ex quo nascuntur, inspicitur *d. l. qui scit* 25. §. 1.

4. Spoliatus restituitur non tantum qua fundum, sed qua fructus qui accessorii, perinde ut res in continenti restituendi sunt. *l. videamus* 38. §. *in Faviana* 4 *ff. de Usur. Menoch. remed. retin. possess.* 1. *num.* 412. *& seq.*

5. Nihil commune habet proprietas cum possessione. *l. naturaliter* 12. §. 1. *ff. de acquir. possess.*

DECISIO XXVI.

Mutatio generis modique re decimis obnoxia fruendi non mutat decimarum jus atque possessionem, sed ad mutata res transfert.

IN lite quæ super decimis, præsertim in possessorio, agitata erat, post appellationem interpositam non modo inter gravamina erat, quod decimæ non tantum ut olim solutæ fuerant ex frumento, sed etiam ex arborum fructibus & pascuis exigerentur, sed etiam novitas illa pro inhibitione impetranda, quæ alias in possessorio præsertim retinendæ non facile decernitur exaggerabatur. Situm vero erat de ea re judicium in illa dispectione, utrum quæ exigebantur ex arboribus & fructibus decimæ novæ & insolitæ censendæ sint. Id quod non videbatur in illa specie ubi qui ex fundo decimas frumenti debebat istius portionem aliquam in hortos & arbusta aliam in pascua convertit, atque inde causam præbet, & ut fructuum, qui ex his locis, quorum usus mutatus erat, percipiantur decimæ, utut istis specie diversim existentibus exigerentur. Sunt istæ onus fundorum reale, (1) & ubi debentur ex fundis, quicunque horum fructus est istis sit obnoxius: (2) Etsi hujus species mutatur debitum tamen idem est. (3) Ob decimarum debitum domino fundi quidem non est interdictum atque impeditum ad meliorem aliamque frugem istam deducere, (4) non tamen & licitum ea mutatione alterius conditionem reddere deteriorem. (5) Quod si tentaverit, ut interversor alienæ possessionis censebitur minimeque inde à debito liber fiet. Quare quicquid per alium fruendi modum fit, non alio jure nec ut diversum censetur, quam quod antea fuit. (6) Eadem etiam possessio (7) nihilque mutatum, tantum aliud pro eodem surrogatum intelligitur atque reputatur. (8) Quocirca exigenti ex mutatione à debitore facta ex aliis quam ante præstari solutis fructibus decimas non modo non inhibendum, sed potius ut possessor defendendus est. *In causa der Zehendpflichtigen des alten Landes im Königreich Ehesten contra den Gräflichen Königmarckischen Inspectorem die* 23. *Sept. Anno* 1662.

1. *Fr. Marc. decis. Delphin. part.* 1. *decis.* 345. *n.* 5. *& 6. Panorm. in c. cum homines* 7. *n.* 6. *x. de decimis.*

2. Debentur decimæ, cum indefinitum illarum est debitum nec conventione vel alia lege quidquam exceptum aut restrictum tam de pascuis *c. commissum verb. pascuis x. de decimis ibi Dd. Monet. in tr. de decim. c.* 14. *num.* 4. quam de fructibus arborum. *Rebuff. de decim. q.* 8. *num.* 5. quam hortorum *Rebuff. ibid. n.* 7. *&* 8. *Monet. d. tr. c.* 4. *n.* 11. imo ex omnibus fructibus fundi qui est obnoxius. *c. nuncios x. de decimis Barbos. in tr. de dec. c.* 8. *num.* 3. *seq.*

3. *Per text. in c. commissum extra de decimis* mutata culturæ qualitas non mutat substantiam decimarum & licet de una specie, nempe de frumento tantum conventum fuerit, tamen ubi illud non seritur nec crescit amplius, sed alia species successit, eadem tamen est decima nec diverso jure censenda *Monet. d. tr. c.* 4. *n.* 79. *Vatasc. consult.* 58. *num.* 14. *Anthon. de Gamm. decis. Lust.* 244. *n.* 5. *ubi ita in senatu constitutum fuisse testatur.*

4. Do-

Digitized by Google

4. Decima non mutat jus & effectum dominii, cui liberum de rebus suis arbitrium consequens, est *l. in re mandata* 21. *C. mandat.*

5. *Arg. l sed si* 6. §. *proprietatis* 6. *et* §. *ult. ff. de usufruct. l. certe* 13. *pr. ff. de serv. rust. prad. ibi Gloss. & Bart.*

6. Præter supra sub *num.* 3. allegatos *vid. Pestinum in tr. de manuten. observ.* 73. *num.* 15. Mutatio qualitatis loci non mutat debitam decimarum. *Abbas in d. c. commissum n.* 2. sicut nec mutatio fructuum. *Paris cons.* 73. *n.* 19. *vol.* 4.

7. Possessio in una specie fructuum quæ procedit ab una radice nempe à jure decimandi prodest & censetur obtineri & continuari quoad alios fructus omnes & quascunque illorum species *Covarr. lib.* 2. *var. resol. c.* 17. *n.* 13. Inde non eo minus præscribit jus decimandi qui diversos fructus decimavit intra præscriptionum tempora quam qui eosdem semper accepit *Bald. in tr. de præscr.* 2. *part. pr. q.* 1. *n.* 7.

8. Surrogationis natura facit hanc legem ut surrogatum eodem jure & loco sit quo fuit in cujus locum succedit.

DECISIO XXVII.

In momentaneo possessorio interveniens quomodo audiendus sit.

ETsi interventio tertii in summarissimo non admittitur ad impediendam sententiam ejusque executionem, nisi possessio intervenientis apparet, tamen plane rejici non debet, sed integrum ipsi relinqui, ut possit de suo jure vel possessione postea experiri. (1) Nec vero sic pronunciandum ut id fiat in ordinario possessorio, quomodo ad illud in momentaneo victus remittitur, sed reservanda jura in momentaneo, quæ nisi audito auferri non debent. (2) Et cum interfit certum esse, quis actor quisve reus in aliis judiciis super possessione vel dominio esse debeat, (3) nec diu litem quam tertius intendit super eo differri expedit, relicta in eo in quo reperitur inter alios causa statu, qua intervenientem faciendis terminum modumque simul præscribere. (4) Sicut factum *in eadem ad interventionem inspectoris Joachimi Knochen in causa Colonelli Alexandri à Weissenstein contra Civitatem Lassensem die* 24. *Octobr. Anno* 1659.

1. Sententia inter alios lata alii nocere non debet *text. in, C. int. al. all. vel jud.*

2. Non est quisquam inaudita causa possessione privandus *l.* 2. *ff. uti possid.*

3. *L. si priusquam* 15. *ff. de Op. nov. nunc.*

4. Judicis ea providentia est utilis & æqua, ut fine longis ambagibus & moris judicia terminentur *l. quidam ff. d. reb. credit.*

DECISIO XXVIII.

Constitutio imperii de Pignorationibus & litigiosa possessione, non tantum inter immediate imperio subjectos, sed & quà mediates locum habeat.

SAlubertimæ Imperii Romano-Germanoci constitutiones sunt de Pignorationibus & litigiosa possessione paci custodiendæ atque juris ordini muniendo aptæ. (1) Sunt qui eas non putant inter alios quam Imperio immediate subjectos obtinere, moti textu constitutionum, quæ illorum saltem mentionem faciunt, ex quo inter requisita istius JCti referunt, ut talis sit illorum adversus quos petuntur processus, qualitas. (2) At cum in ordinatione Cameræ Imperialis inter casus, in quibus ejus in prima instantia fundata est jurisdictio, referentur illæ constitutiones, nec super iis processus adversus alios quam immediatos imperii subditos ibidem decernendi essent quod Camerale judicium ejusque jurisdictionem id requisitum additum atque necessarium est, minime vero ea mens constitutionis est, ut inter alios coram aliis judiciis ex iis jus dici non deberet, (3) Discernenda in iis, quæ judicii locum & materiam concernunt. Ista saltem Cameræ Imperiali conveniunt, hæc latius porriguntur, sicut circa pignorationes & de possessione controversias, quà alios & alibi eadem ratio similis providentiæ salutaris, necessitas & utilitas, ita constitutionum optimarum eadem ubique, qua mediatos subditos observantia. Imitantur merito inferiora territoria leges universales, capitis & ordinum Imperii tam deliberato prudenti consilio constitutas & salutares. Quas, quà processum in Camera, haut vero ulterius ad immediatos restringunt. Ratio illarum quoque ad mediatos inter easdem circumstantias quadrat, ideo nec aliter, ubi omnia alia sunt similia procedi convenit. Cujus exemplum etiam aliæ imperii constitutiones præbent, nempe de pace publica, de arrestis, de L. Diffamar. &c. quarum, etsi saltem quà processum Cameralem, de immediatis disponunt, in judiciis Statuum observantia est. (4) Ex quibus apparet, ne quicquam argui ex defectu ejus requisiti, quod de immediatis est, sententiam, quæ inter mediate subjectos adhibet remedium illarum constitutionum & cum in priori instantia aliud esset pronunciatum, illuc rem reduxit. Sicut existimatum & judicatum *in causa Civitatis Gryphisvaldensis die* 10. *April. Anno* 1660.

1. Quæ utraque antea per Imperatorem cum ordinum consensu multoties sanita demum renovata

novata & interpolata, in ordinationem Cameræ Imperialis relata sub tit. 2. part. 11. §. 22.

a. *De qua vid. apud Petr. Frid. Mindan. de processib. lib. 1. cap. 34. num. 2. Mejer. ad Ludov. add. Jul. de vi priv. tb. 8. num. 1.*

3. Superiorum judiciorum leges etiam inferiora recte observant; Intelliguntur enim non tantum immediatis Imperii subditis scriptæ sed etiam mediatis.

4. Juxta maximam *Schurzfleisch. consil. 10. num. 22. seq.* ubi scribit eandem Statibus Imperii (a) ab his faciendum, ut quemadmodum tantum posse velint in suo territorio quantum Imperator potest in imperio, ita etiam in isto servata debeant, quod cum suo consensu in hoc ordinatum, cum ex diversitate regionum Imperii & territoriorum multa oriuntur incommoda, quæ existimationem observantiæ possent devitari.

DECISIO XXIX.

Requisita constitutionis de possessione litigiosa & quomodo observanda.

PEr implorationem pro restitutione in integrum, impugnata sententia, quæ partes ad processum super constitutione de possessione litigiosa (1) remisit variam inquisitionem, venerunt, quæ obsistere isti videbantur, at talia, quæ ex recte intellectis requisitis illius legis facile decidenda sunt, Sepositio, quod alias ratione jurisdictionis seu judicii exigitur, ut immediati imperii cives sint, contra quos ex ea processus decernantur, ut apud nos non observari supra demonstratum. Requirit illa constitutio primo, ut litigiosa sit possessio (2) & quidem ita, ut pars utraque contendat se possidere, ideo possessioni velit incumbere, (3) in quo non est necesse ut idem ipsum quod unus intendit etiam alter verbaliter dicat, sed si contraria circa possessionem prætendunt perinde habetur, veluti si unus ob collectam controversam juris pignorandi quasi possessionem sibi arroget, alius neget & immunitatem ejusque quasi possessionem obtendit, non eo minus constitutioni & ex ea processui præscripto locus est, ac si uterque jus pignorandi sibi adserat, quod necessarium ex ista male & sine textu adscitur. (4) Secundo requiritur ut utrinque possessionis indicia verosimilia sint. (5) Non sufficit prætendi possessionem, sed etiam oportet id fieri ex causa rationabili & verosimili. Alias ubi alterius possessio ex tali apparet, alterius vero nullum habet indicium, ille defenditur contra turbationem. (6) Tertio adesse debet metus cujusdam scandali. Hoc aliqui restringunt ad arma, ideo ultra nihil quam armorum metum admittunt. At nimis sic restringitur salutaris lex contra verba & mentem. Quibus convenit quoties aliquod singulare scandalum ex facto oritur. Sic definiendam esse possessorii controversiam. (7) quale est in turbatione jurisdictionis alienæ, aut arrogatione potestatis in illos qui notorie jurisdictioni non subsunt, aut violente attentatis pignorationibus adversus illos; quos alias jus commune fecit contra talia sanctos & immunes, sicut sub ils habemus facti processus & pignorationes Magistratus urbani contra Cives Academicos jurisdictioni istius minime obnoxios. (8) Quibus ita expensis malo impugnari, decretum reparatum fuit. *In eadem causa.*

1. Quæ continetur in ordinatione Cameræ Imperialis *part. 2. tit. 22.*

2. Litigiosa est possessio quæ vel dubia est vel controversa. Illud ad jus seu titulum retinendi, hoc ad factum possessionis pertinet uti exponit *Petr. Frid. Mindan. lib. 1. de proceff. cap. 47. num. fin.*

3. Ita habent verba constitutionis ob hinfüro Zweene oder mehr irrig und streitig würden umb Einhabung oder possession eines Guts oder Gerechtigkeit / also daß sich ein jeglicher für einen Besitzer deß bestreitigten Guts oder Gerechtigkeit halte. *vid. Gail. 1. obs. 5. num. 5.*

4. Respicit dicta constitutio circa possessionem adversitatis daß um streitigen Possession und gewehr halber Span- und Widerwertigkeiten entstehen. Ratio ejus quæ est in Conservatione pacis *Gail. 1. observ. 5. num. 1.* huic speciei congruit. Est etiam similis species nec quicquam diversitatis si uterque dicat se jus quasi possidere ac si alteronus & pro eo pignorationis usum, alter exemptionis quasi possessionem obtendit, & dum ille vult exercere, hic restitit atque sic pax publica turbatur. Generalis est constitutio pro omni litigiosa possessione *Petr. Frid. Mindan. dict. cap. 44. num. 7.* Locum habens ubi interdicto retinendæ possessionis experiri consuetum *Gail. 1. observ. 5. num. 8.* quod in tali specie solitum nemo negat.

5. verb. constit. und das redliche Anzeig hätt.

6. *vid. Gail. d. observ. 5. num. 5.*

7. Hoc in dict. constit. sub principio obstenditur per verba und zu Zeiten Auffruhr und Widerwertigkeiten quæ latiora sunt ut saltem ad armatam vim extendi debeant. Deinde in pr. fit mentio der thätlichen Handlung Auffruhr Wehren angreiffen / quotum aliquod locum facit processui, porro cum specialis provisio fiat in d. constit. §. fin. ubi metus armorum subest apparet etiam extra illum in aliis violentiis & ob alia scandala remedium ex d. constitut. peti. Inde *Gail. d. observ. 5. num. 1.* tres diversas species in illa constitutione comprehendi ait, & licet addat illum maxime in causa §. fin. obtinere tamen non negat in aliis casibus ob metum scandali futuri sic procedi uti exponit *in d. observ. 5. num. 8.*

8. Ex *Auth. Habita C. ne fil. pro Patre.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XXX.

Possessor quivis defenditur etiam contra Ecclesiam, donec de non jure possessoris constat.

CUm possessio certa est, possessor defendi debet (1) nec dejici sine causæ cognitione. (2) In hac autem spectandum est, utrum qui contra possessorem experitur jus in re vel ad rem habeat, an nullum. (3) In illa specie aut manifestum est non jus detinentis, & ei, cujus jus apparet, statim restituere seu possessione cedere debet (4) nec ultra defenditur, aut injuria ejus non est aperta, sed titulum vel causam possidendi allegat: Et quod statim hanc non nocet, non ejiciendus est, (5) sed compellendus ad possessionis justitiam demonstrandam, interea vero donec res dubia est defenditur (6) etiam contra Ecclesiam cui ea in re jus singulare concessum non reperitur, (7) ideo cum quis ejus fundum per aliquot annos possedisset & crediti jus allegasset, pronunciatum est turbari non deberi, donec hæc causa discutietur *in causa Herman Kiniken VVitwen, contra Christoff Barssen Pastorn in Balggendorff, die* 30. *Junii Anno* 1660.

1. *l.1 ff. ne vis fiat ei.*

2. *l.1. C. si per vim. cap. conquerente X. de restit. spoliat.*

3. Plane vitiosus & injustus possessor pro possessore non habetur.

4. Jure gentium condici possunt res ab eo qui non ex justa causa possidet *l. rerum* 28 *ff. rer. amot.*

5. Titulus putativus, coloratus & dubius facit ad tuitionem possessionis *Bald. in l. Celsus num. 6. ff. de usucap. Cart. jun. consil. 168. n. 19. & seq.*

6. In dubio melior est possidentis quam petentis causa *l. sive autem 9. duobus 4 ff. de Publ. in rem act.*

7. Ecclesiæ quidem magnus favor est, quem multæ leges Romani juris ostendunt, at non tantus, ut ob illam suum jus alteri contra jus naturale, cui & ipsa subest, auferatur. Nec enim illa cum alicujus injuria & damno debet ditescere. Deinde Ecclesiæ causa à jure communi exorbitantia sine lege vel consuetudine, quæ exemptionem faciat certam, non sunt statuenda.

DECISIO XXXI.

Nemo sub cautione tenetur cedere possessione.

CUm possessio erat certa, jus ejus vero dubium visum fuit injuste decretum quod possessor à domino cautionem recipere atque possessione, quam habuit, ante decisam litem cedere deberet. (1) Nam possessionis commodum sine causæ cognitione auferri juri non convenit. (2) Nec æquum, lite pendente deteriorem cujusquam causam reddere, (3) præsertim cum possessor crediti atque pignoris jus, adeoque jus in re obtenderet. Cautio quidem alias pro re esse dicitur, at non pro possessione, (4) de qua nemo ideo decedere cogitur, quod aliter istam præstare velit. Ideo revocata est ea pronunciatio & lis reducta ad examen causæ possidendi *in eadem causa.*

1. Satius est possessionem retinere quam amissam repetere *l. ne quis* 21. *ff. de R. V.*

2. *l. un. C. si per vim. vel al. Gloss. & Dd.*

3. Plus cautionis est in re quam in persona *l. 25 ff. de R. J.*

4. Pertinet illa regula ad eas species, ubi rem non habenti securitas habendi, cum in jure superior erit, præstatur. At minime ut habens rem dimittat cum habet; Plus cautionis in re est quam in persona *l. prim ff. de R. J.*

DECISIO XXXII.

De processu contra eum qui rem alienam detinet servando.

PRo possessore satis esse solet quod possidet, (1) ideo in possessione defendi donec actor jus suum impleat. (2) At in ea specie hoc obtinet, quando jus petitoris non est certum: secus est cum de hujus dominio apparet, (3) præsertim si ex propria possessoris confessione illud indubium est. (4) Tunc aut statim possessor, domino rem suam restituere, aut jus possidendi adversus dominium alteri docere debet. (5) Quemadmodum possessor, usque dum de alterius meliori jure docetur, defenditur, ita æquum est, cum dominum quem ollis apparet, ei statim restitui, aut justam adversus eundem detinendi causam probari. (6) Non longo autem processu ea res protrahenda, sed statim possessori injungendum est, ut titulum possidendi alleget & doceat. (7) Et si quidem se creditorem rem que pignori nexam dicat, causam & quantitatem crediti una cum pignoris jure demonstrare convenit, (8) inde judicis est terminum intra quem hoc peragitur, præfigere. (9) Quod observatum *in eadem causa.*

1. Qualiscunque possessor hoc ipso quod possessor est plus juris habet, quam ille qui non possidet *l. 2. ff. uti poss.*

2. Res alienas possidens etsi nullam justam causam tenendi habeat, nisi suam intentionem implenti restituere non cogitur *l. fin. C. de R. V.*

3. Absurdum est plus juris habere eos qui possessionem duntaxat quam qui dominium adepti sunt *l. qui usumfruct. 3. ff. si usufr. pet.*

4. Notorium dominium facit cessare interdictum uti possidetis & defensionem possessionis *Menoch. remed. retin. poss. 3. num. 673 & 692.*

5. Contra dominum possessor non auditur nisi cum causa possidendi *Adsist. in c. 1. n. 85. de cons. invest.*

6. Etsi res sit aliena, tamen si justa detinendi causa est contra dominum detentor & possessor, donec de illa lis peragitur, defendendus est *l. pen. ff. de impens. in rem dot. fact.*

Digitized by Google

7. Possessor ad editionem tituli tenetur quando non rem suam, sed tantum jus in aliena re petendit *arg. l. altius 8. l. si cibi 18. C. de servit. Gail. 8. observ. 69. num. 7.*

8. Crediti & pignoris probatio fieri debet à creditore cum in illo se fundat *arg. l. 2. ff. de probat.*

9. Officium judicis pro abbreviandis litibus litigantes intra certos terminos constringere *l. 1. C. de dilat.*

DECISIO XXXIII.

Interdicto uti possidetis agentibus quæ & quomodo probanda sunt.

ALiquibus de possessione contendentibus processus prioris instantiæ valde confusus reperiebatur, mox hic mox illi mandata de non turbando aut restituendo rogaverant & impetraverant, ut vero de possessione res certa esset, nihil certi decretum erat, tantum videbatur præsuppositum unum potius possidere debere, cujus tamen possessionis non reperiebatur argumentum probabile nedum probatio. Id itaque post appellationem interpositam primum esse debebat, ut judicium possessorium ad rectum ordinem redigeretur. Sit cum illud esset retinendæ possessionis id decreto vel sententia injungendum fuit, ut qui prius ad judicium provocaverat, idcirco actoris loco erat, (1) probaret tam possessionem à sua parte, (2) tum turbationem ab altera (3) Nec vero sufficere videbatur illud qualiter qualiter per actus quosdam allegatos & hoc per usum adversariorum dum frutices ex loco controverso cædebant & avehebant pecora sua in eo pascebant facere, (4) Sed oportebat actorem docere possessorios actus fuisse quietos & turbatorios injustos. (5) Nec enim actus illi qui jam controversi sunt seu controversiæ causam dederunt, ad possessionem ostendendam sufficiunt, similiter nec turbationes habendi actus qui pro possessione defendenda vel jure suo conservando ab altera parte fiunt. (6) Idque eo magis cum ex actis colligi potest reos potius justiusque possedisse nec destituratione ex qua excusate facerent quę arguuntur. (7) Sic *pronunciatum in causa Jobst Jaspar Kleinecken & consortum contra Elerd Clander die 26. April. Anno 1661.*

1. *Menoch. remed. 1. ret. poss. n. 94.*
2. *Bartol. in l. 1. §. ult. n. 16. ff. uti possid.*
3. *gloss. in l. si duo §. 2. ff. uti possid. Faber. in §. retinendæ n. 22. inst. de interdict. Schneid. ad d. §. Inst. de interd. num. 44.*
4. *Menoch. remed. 3. retin. poss. n. 652.*
5. *Mascard. de probat. concl. 1397. n. 4. seq.*
6. Quod quis pro defensione rei vel causæ suæ facit jure fecisse intelligitur.
7. *Menoch. de remed. 3. retin. poss. n. 823. seq.*

DECISIO XXXIV.

Quamdiu incertum est quis possideat pro nulli partium tuitoria sunt decernenda, sed decreta donec lis finitur suspendenda.

INter contendentes de possessione unus mandatum manutenentiæ petitale impetraverat à quo, quibus fundo abstinere mandatum appellaverant. Nihil vero ex actis reperiebatur, quod à parte impetrantis possessionem sit fundaret, ut contra adversarios defendi deberet. Ne quidem legitime inter eos cœptum erat judicium. Quare non modo recepta est absque interposita appellatio, sed etiam cum super relevantia gravaminum ita pronunciaretur, ut processus ad rectum ordinem redigeretur, suspensum illud fuit, quod pendente super possessione lite ante definitivam sententiam nihil decerni, nec uni præ alteri attribui, (1) nedum in ea tanquam possessor defendi debeat. (2) Valet quippe etiam in possessoriis, quod pendente lite nihil innovari, sed quævis in suo statu, in quo ante finitam litem fuerunt, relinqui debeant, nisi forte partes & arma & res ad tumultum deveniret, tunc enim id præcavendum, (3) si id moram patitur momentaneæ possessionis indagatio, (4) aut ubi hoc non permittitur, sequestratio decernitur. (5) Extra illum casum omnia utrique parti qualia ante cœptam litem fuerant sunt integra relinquenda, cui cum adversum erat mandatum tuitorium alterum statim à possessione dejiciens suspensum, *atque sic pronunciatum fuit in eadem causa.*

1. *Fab. in C. l. 8. tit. 4. def. 1. n. 9.*
2. Hoc cum sumtno præjudicio conjunctum & sententia præmissa causæ cognitione sine qua neminî possessio abjudicanda est.
3. Ita convenit officio judicis *l. equissimum 15. ff. de usufruct.*
4. Ad hanc speciem pertinet momentaneum possessorium. Contard. in *l. un. in prof. num. 3. seq. C. si de moment. sent.*
5. *Faber d. def. 1. in fin.*

DECISIO XXXV.

Pendente lite super jure collegarum non sunt ii qui impugnant ab actibus collegii excludendi.

QUando in disputationem venit, utrum in collegium ab aliquibus recepti à cæteris qui receptionem impugnabant ad actus collegiales admittendi sint, refert, utrū illi in possessionem vel quasi juris collegialis pervenerint, nec ne. Quemadmodū jus receptionis suspēdiestatim facta impugnatio, (1) ita eos admitti nō sinit, semel autem

Digitized by Google

autem admissos aut in possessionem aliquam progressos sola lis deturbare nequit, sed in ista defenduntur, donec causa fuerit finita. (2) Quocirca ii pro collegis interea habentur & ad utramque partem cohortatio fieri debet quo collegialiter, concorditer & amice invicem agant. Uti factum *in causa Bartholdi Hintzen & consortum contra consulem Henricum Hintzen & consortes die 20. Septemb. Anno 1661.*

1. Ex eo quod ab alio impugnatur jus alicui quæri non potest.
2. Qui semel quiete possidere cœpit, ob litem moram possessione privandus non est.

DECISIO XXXVI.

Non innovat nec attentat, qui cum pro decimis antea pecuniam diu accepisset eas in natura vel speciebus lite pendente exigit, nisi causa sit qui mutandi arbitrium excludit aut de ipsa mutatione controversia exorta fuit.

INhibitionem contra eum petitam, qui cum antea diu pro decimis certam pecuniam accepisset, cœpta jam lite in natura seu speciebus exegit, non decernere justius visum fuit. Etsi enim pendente lite nihil innovandum, & si quid innovetur pro attentato habendum, revocandum, cassandum, inhibendum est attamen id porrigendum minime est illa quæ possessori virtute suæ possessionis licent. (1) Nam ut sub obtentu litis pendentis ea nemini auferenda atque impedienda est, nec pro attentato habendum quod ex potestate juris à possessore fit, ita etiam ubi fas est, pro pecunia decimarum loco hactenus accepta ex ipsis fructibus istas sumere, adeoque accipiendi modum mutare, ea immutatio est saltem prioris juris continuatio non innovatio. Qualitas percipiendi mutata non mutat decimas ipsas aut jus percipiendi. (2) Tantum ubi aliud conventum vel consuetum est vel ubi lis pendens de eo erit an mutaverat, excluſa erit ea potestas, ideo innovatio attentatumque reputabitur. *In causa der Zehenpflichtigen des alten Landes in Königreich Ehesten contra den graflichen Königmarckschen inspectoren die 23. Septemb. Anno* 1662.

1. Nemini facit injuriam qui suo jure utitur, nec potest commodum possessionis possessori per judicis decretum auferri.
2. *C. commissum tibi Panorm. n. 2. x. de decim. Carpzov. vur resol. lib. 1. cap. 17. n. 13.*

DECISIO XXXVII.

Inhibitio usus rei pendente lite sine causa cognitione contra possessorem injusta & nulla est.

NEmo ideo possessione vel usu rei decedere cogitur, quod alter ipsi controversiam movet, (1) nec judex prohibere potest, ne quis impostorum utatur, (2) sed ut cuiquam interdicatur usus vel possessio, opus est plenâ causæ cognitione, quâ sine nemo istâ est privandus. Secus si fiet, processus ab executione inchoatur, (3) seu inauditi fit condemnatio & processus judiciarii perversio, per quam qui possidet, in eo contra jura mundi actoris partes suscipere cogitur. (4) Unde dubitandum non est inhibitionem talem, quæ ob actionem vel querelam alterius impedit usum, quem quis antea habuit, esse injustam & nullam, quamdiu nondum plene discussa est super possessione controversia. Decreta igitur maximum continet gravamen, (5) quod meretur recipi appellationem, & lite super hac pendente appellantem relinqui in possessione (6) vel quasi. Sic decretum *in causa vvedige Behr contra tutores liberorum Balthasaris Obelitz die* 15. *Septemb. An.* 1653.

1. Nemo privandus est commodo possessionis pendente lite, §. *Commodum Instit. de Interdict. l. moveor. 4. C. si serv. export.*
2. *C. conquerente x. de restit. spoliat. l. 1. l. ult. C. si per vim vel alio l. meminerint. C. unde vi.* Etiam ubi justa auferendæ possessionis causa subest, attamen nonnisi cognito bene negotio, hinc inde auditis partibus ad privationem procedendum est. *Panorm. c. 2. num. 8. x. de dol. & contum.*
3. *Contra l. fin. C. de Execut. rei jud.*
4. Actore non probante obtinet possessor, inde onus probandi transfertur in adversarium, *l. 2. l. 4. l. 20. ff. de Probat. l. 2. l. 15. l. seq. C. eod.*
5. Inhibitio sine causæ cognitione extra casus, in quibus locum habent mandata sine clausula, nullius momenti & statim revocanda est. *Mandos. de Inhib. quæst. 25.*
6. Aufert enim possessionem, cujus magna sunt commoda, ut beatum dicamus possidentem.

DECISIO XXXVIII.

Restitutio ultra improbe facta non extenditur, cætera, quæ ante ista habuit, spoliati integra relinquenda sunt.

OB subsellium templi occupatum, mutatum & sublatum ad restitutionem damnandus, haud ultra etiam eo privandus quod non facta occupatione habiturus erat. Nec enim ultra improbum factū porrigitur restitutio. (1) Multo minus jus alteri auffert. (2) Tam itaq; quod illi auror

Digitized by Google

usu obtinuit, quam quod Jura universitatis cuique parochiali in communi templi subsellio integram servandum gl. sicut servata est hæc cautela *in causa der eingesessenen des Fleckens Freyberg contra Augustinum Goben.*

1. Pœna non debet egredi delictum *l. 6. ff. de his quæ ut indignis.*

2. *Jus alteri quæsitum sine suo facto ei auferendum non est.*

DECISIO XXXIX.

Pro decimis longissimo tempore pecuniam certam ex locatione quotannis accipiens non prohibetur easdem in fructibus postea exigere.

QUando per longissimum tempus decimæ non sunt exactæ ex ipsis fructibus seu in natura uti loquimur sed pro iis annuatim soluta & accepta certa pecunia, etsi ea multo inferior ipsorum fructuum pretio, (1) non licet postea modum exigendi mutare, & vicissim fructus ipsos exigere *den Zehenden selbst sodern*, (2) quod consuetudinem inveteratam circa decimas sequi decet, (3) & pro annua illa pecunia decimas venditas fuisse verosimile sit. Ut vero ex præsumptione saltem hoc statuimus, ita cum aliis habendi titulus apparet, vel etiam abest cur abdicatam facultatem ad ipsas decimas redeundi præclusam putare liceat, tunc non est præclusa potestas decimas in natura sumendi: (4) Quod evenit in ea specie quando pecunia ex locatione conductione decimarum solvitur, seu ubi recipitur ut merces, non ut pretium. (5) Quare cum inter Dominos & debitores decimarum res ab antiquo ita stetisset, ut quovis decennio vel septennio renovandus esset contractus, vel reconducendæ decimæ, etsi ea renovatio ultra centum annos pro eo pretio sic facta fuit, tamen Dominus cum renovandi casus vel tempus rediit ad istam ita non tenetur ut necessario mercedem recipiat sed ipsas decimas ex fructibus detrahendi jure fruitur, nisi ex conventione vel alia lege jus & necessitatem relocandi quæsitam docere possit, ad quam nullum tempus solum sufficit (6) in eadem causa.

1. Valet ea consuetudo ut longe minores decimæ solvantur quam revera debentur, *c. in aliquibus ibi Panorm. x. de decim. Rebuff. de decim. q. 15. n. 46. Vasquez part. 1. lib. 2. c. 89. num. 8.* qui testantur eam esse communem consuetudinem & rationem.

2. *Vid. Pingiz. consil. 3. per tot. cons. Argent. 32. vol. 2.*

3. *Cum sint 18. c. in aliquibus 32. in fin x. de decim. Fachin. in consil. 20. Christin. decis. Belg. 106. & 256. vol. 1.*

4. Ipsum quippe debitum est decimarum; quod pecunia pro iis sumitur ex accidenti fit, ubi factum id alio animo quam vendendi præsumtio capi potest manet jus vetus.

5. Ex locationis titulo etsi ea fuit longissimi temporis jus perpetuum non quæritur nec præscribitur *l. 2. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*

6. Iis quæ meræ facultatis sunt nullo tempore præscribitur. *l. Proculus ff. ibi Dd. de damn. infect.*

TIT. VII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. VIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. IX.

DE PRECARIO ET SALVIANO interdicto.

DECISIO UNICA.

Exceptio precarii in summarissimo possessorio non attenditur.

IN ordinario quidem possessorio exceptio precarii excludit agentem, (1) non similiter in summarissimo, in quo etiam defenditur, qui precario tenet, donec jure aliud obtentum. (2) In hoc enim consideratur qualis qualis possessio, (3) ideoque ut etiam qui precario tenet, pro possessore aliqualiter habetur, (4) ita obtinet, donec de precario legitime actum sit. *In causa der Kirchspiels Angehörigen in Oderquart, contra Frantz Otto Dannenberges, die 19. Decembr. An. 1662.*

1. *l. 1. §. perpetuo 5. ff. uti possid. l. sed etsi 7. ff. de precario.*

2. *l. sed si vi 14. ff. de vi & vi armat.*

3. Qualiscunque possessor hoc ipso quod possidet, potior est eo qui non possidet, *l. 2. ff. uti possid.*

4. *l. in rebus 4. in pr. d. fin. pr. ff. de precario.*

TIT. X.

DE ÆDIFICIIS PRIVATIS.

DECISIO I.

Magistratus juste civem cogit, ut desolata in urbe vel readificet vel readificaturo vendat.

INter curas magistratuum in urbibus non postrema est providere, ne destructioni-

bus

Digitized by Google

bus ædificiorum publicus adspectus, deformetur,(1) & impellere cives, quo ædes suas neglectim non habeant. Ideo jus ipsis est compellere cives ut desolata reædificent. (2) Nec enim arbitrii civium ædes suas post ruinas convertere in hortum aliumve usum,sed ex magistratuum permissu id pendet. (3) Quibus ubi visum fuit necessariam esse reædificationem, potest aut sub privatione loci ad istam adigere, aut si per inopiam non liceat ad venditionem in eos quibus media suppetunt & ædificare volunt,compellere. Cujus justa ratio est, cum aut ex neglectu structuræ publicus adspectus deformis est, aut vicinis grave incommodum aut civitati dedecus & detrimentum. *Ex qualibus comprobatum fuit decretum Senatus VViſmarienſis, contra Gottfried Braun, defendendo loco vacuo, quo ædes ſteterant verſus plateam urbis majorem & venaliorem die 13. Jun. An.* 1660.

1. *l.2.de Ædif. priv.*
2. *Bart.in d.l.2. Carpan. in ſtat. Mediolanenſ. part 5.cap.210.*
3. *l. an tutorum C.de ædif. privat.*

DECISIO II.

Cauſæ ædificiorum in feriis meſſium audiuntur & tractantur.

ETſi in feriis meſſium conquieſcere debet judiciarius proceſſus,utut inter eos resit,qui iſtis non occupantur, (1) adverſu citationes aliaque decreta competente feiarum exceptione, (2) tamen ut ab hoc jure aliæ cauſæ ſummariæ, (3) & quæ celerem expeditionem requirunt, (4) excipiuntur, nec ſilent diebus feriatis; ita & quæ concernunt ædificia, præſertim quibus illa impediuntur & cum contra iſta petitur permiſſio in feriis,juſte aguntur & admittuntur, tum quod de iis ſummaria eſt cauſa; (5) tum quod celerem expeditionem deſiderant; (6) tum quod reipubl. quandam partem attingunt. (7) His itaque non obſtantibus admiſſa fuit querela de iniqua prohibitione veteres ædes reparandi decretique ſunt proceſſus *in cauſa Nicol. Suren contra Vidnam Adolphi à Meden. Die 3. Junii Anno* 1658.

1. *VVeſenbec. in Paratit l.ad tit. ff. de Fer. n.7. Zanger. de Except part.2.c.7.n.13.*
2. *Jaſ. in l.1.§.nunciatio.num.8.ff.de Nov. oper. nunc.*
3. *Clem.ſape 2.de Verb.Signif.*
4. *l.ſed etſi 28.§ 3.ff.de Judic.l.1.ff de damn.infect.*
5. *Mindan.de Mandat.part.2. cap.30.n.1.*
6. *De quo ſcripſi quædam in Comment. ad Jus Lubec.l.3.tit.14.§.fin.*
7. Publice utile eſt ædificiorum cauſam non negligi. *l.1.l.2.C. de Ædific.privat.*

DECISIO III.

Cui area ex ſtatuto ad ædificandum cedenda eſt,non debet precium, etſi ab eo qui habet empta fuerit inædificato autem præſtandum.

STatuto cum proviſum,ut in urbe in areis deſolatis cuivis ædificare integrum ſit, & earum dominus aut ipſe ædes inædificare aut alteri inædificationi cedere debeat, certum eſt, id non dato precio aliquo fieri. At non perinde, an & ſi alius aream emit & alteri cedere opus habet, quo ille precium ſolvit,recuperare debeat: concluſum autem eſt, nec hoc precium reddendum eſſe. Quia enim qui talem aream emit juxta ſtatutum non aliter habere debet, quam ut ædes ſuper ea conſtruat,qui hoc facere tenuit meretur conditione lege præſcripta non ſervata amittere, ſi alius illud debitum præſtare velit. (1) Nec poteſt conqueri,qui quod debet, omittit. (2) Alter autem injuriæ non argui,qui publico jure nititur, & civitati benefacit. (3) Alia ratio eſt ejus quod jam inædificatum. Hoc ut ſtatuto non comprehenditur,ſic nec ex eo ſumi poteſt. (4) Ratio etiam iſtius alia eſt nec non alia utilitas. (5) *Ita concluſum in cauſa Gottfried Braun, contra N. Köppen, die 24. Septembris Anno* 1660.

1. Ubi eadem ratio ibi eadem conſtitutio locum habere debet.
2. Damnum quod quis ſua culpa ſentit ſentire non videtur.
3. Quilibet enim naturaliter Reip.in qua degit commoda quærere obſtrictus eſt, idque dum facit nemini injuriam inferre dici poteſt.
4. Statuta ſtricte ſunt accipienda nec ultra caſum de quo loquuntur extendenda *Goddeus conſil. Marp.62.n.162.p.1.Schrad.conſil.3.n.83.p.1.*
5. Hæc diverſum jus facit per jura not.

TIT. XI.

DE OPERIS NOVI NUNTIATIONE.

DECISIO I.

Ob opus jam factum quidem non eſt locus novi operis nunciationi, attamen cum injuſte ædificatum deſtruere recte jubetur.

ETſi novi operis nunciatio,& quæ ex illa actiones oriuntur, ceſſat ob jam ædificata,(1) non tamen ideo conſiſtere debent, quæ injuſte fuerunt exſtructa; (2) nec eo minus licet mandare ædificanti ut diruat. (3) Alia ſiltem remedia contra hoc ædificium

Digitized by Google

cium usurpanda sunt; nam aliud qua demolitionem censendum. (4) Id generale est, ut injuste ædificata destruantur, (5) ideo mandata decernuntur, seu opus novum fuerit nunciatum nec ne. Nec ubi manifesta est ædificantis iujustitia, admittenda est appellatio. (6) Sicut rejecta fuit, cum appellaretur à mandato de demoliendo *contra Joh. Lixfeld, ad instantiam vicinorum impetrato, die 23. Sept. Anno* 1653.

1. Remedium novi operis nunciationis, adversus futura opera inductum est, non adversus præterita, *l. 1. §. 1. ff. de Op. nov. nunc.*

2. Contra jus ædificata statim tolli debent, *l. fin. ff. ne quid in loc. publ.*

3. Restitutorii interdicti loco mandata impetrantur, per quod jubentur restituere, *l. 1. §. 1. ff. quod vi aut clam.*

4. Ita discernitur *in d. l. 1. §. 1. ff. de op. nov. nunc.*

5. *d. l. fin. ff. ne quid in loc. publ.*

6. Ædificiorum causa summaria est, nec facile per appellationem suspendenda. Multo minus ubi appellantis injuria manifesta est, cum illa malitiæ tegumentum esse non debeat, *l. 1. ff. de Appellat.*

DECISIO II.

Injusta & prohibenda est ædificatio ex platea spacium ultra solitam formam ædificio occupantis.

CUm ad publicum aspectum pertinet, (1) tum etiam ad jus vicinorum, ne quis latius ædificet, quam juxta solitum ordinem antiquitus definitum; (2) præsertim si quis aliquid publicæ plateæ occupare nititur, (3) quæ inter res universitatis numeratur, nec in ea fieri à quoquam potest, quod usum communem tollat aut impediat. (4) Talia inordinata molientis injustam planè esse ædificationem, cum ex ratione tum ex usu vulgari constat; ideo justum est contra eum mandatum de demoliendo sine clausula, eôque spreto non injusta demolitio. *In eadem causa.*

1. Ne publicus aspectus deformetur, *l. 2. C. de ædif. privat.*

2. *l. an in totum 3. C. dict. tit.* Qui facere aliquid contra commodum vicinorum vellet, sciat se statum & formam priorum ædificiorum observare debere, *l. qui luminibus 11. in pr. ff. de servit. urb. prad.*

3. Ita expresse constitutum *in l. ex quo 12. §. nulli autem 2. C. de ædif. priv.*

4. §. *Universitatis ibi. Schneidewin. & Dd. Instit. de rer. divis.*

DECISIO III.

Appellatio in causa nunciationis novi operis recipitur: at cum offertur cautio, ædificatio permittitur, nisi injuria ædificantis planè notoria sit.

IN causa novi operis nunciationis appellatio permittitur, (1) sive appellet is, cui nunciatur, sive nuncians. Illo appellante aut sententia cautione rejectâ nunciationis vim confirmavit, & desistendum est omninò à structura, donec finita appellationis causâ de jure ædificationis constet, nec antea præstitâ de demoliendo cautione ædificare permittitur. (2) Aut nondum oblata cautione simpliciter de jure nunciationis vel ædificii pronunciavit, & appellatione pendente ad satisdationem admitti potest. (3) Quando autem appellat, qui nunciat, ædificandi permissio fieri debet, cum à nunciato offertur cautio de demoliendo in casum succumbentiæ. (4) Sententia pro eo pronunciata facit præterea præsumptionem injuriæ nunciationis & juris ædificandi; (5) Et cum, licet de hoc res dubia sit, cautio admitti soleat, (6) multò magis, si jam ex dubitatione multum abstulit sententia, & quæ pro hoc militat juris præsumptio. Nisi itaque notoria vel incontinenti edocta sit ejus injustitia, (7) non est audiendus cautionem recipere recusans, eâque spreta impedire pergens. Nec quia hæc à judice priori admissa fuit, recipienda et appellatio, sed quoad causam ipsam tantum permissione ædificandi ob illam relicta. Uti factum *in causa hæredum Eberhardi Fischers, contra Hanns Crabben die 2. Junii Anno* 1654.

1. *Mindan. lib. 2. de Mandat. cap. 31. num. 7.*

2. Contra sententiam pendente appellatione nihil innovandum est, *l. 1. tot. tit. ff. nihil, innovappell.* Nec aliud constitutum reperitur in casu ædificiorum, ubi jam rejecta fuit satisdatio, cum justam rationem judicem habuisse præsumitur.

3. *Ita sentit & concludit Fab. in Cod. lib. 8. tit. defin. 1.* Satisdatio, semper offerri potest, ne nullo tempore excluditur. *l. Prætor ait 50. §. fin. ff. de Op. nov. nunciat.*

4. Eam admittendi necessitatem sanxit Prætor, ita ut si non admittitur, interdictum contra insolentem nunciatorem dederit, qui non contentus indemnitate, quam per cautionem consequitur, ædificantem impedit, *d. l. Prætor. ait 20. deinde ait, quo nomine tenetur ad interesse l. de Pupillo 5. §. fin. eod.*

5. *De hac præsumptione vid. Menoch. de Præsumpt. lib. 2. cap. 67.*

6. Ratio quare non sit de eo multum dubitandum, sed semper admittenda satisdatio habetur, *in d. l. Prætor ait 20. §. nec quisquam 11. d. tit.*

7. Ubi jus nunciantis & injuria ædificantis patent, non fit remissio nunciationis, *l. 1. pr. ff. d. tit.* Cui non obstat quod habetur, *in d. l. Prætor ait §. nec quicquam verb. nihil interest jure quis ædificet vel non jure*, spectat illa lex ad casum, quando res dubia est, & ejus eventum proque eo securitatem, ut si deinde pateseet injuste ædificatum esse, nihil interfit; si autem initum, injustitia sustinet & moratur.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO IV.

Ut oblatâ licet satisdatione ædificare non permissum sit, quid à nunciante præstandum sit.

POst nunciatum novum opus satisdationem de demoliendo in casum succumbentiæ offerri ac si remissionem nunciationis impetrari usitatum est & æquum. (1) Sæpius autem à nunciante non acceptatur ea cautio, sed ultra resistitur nunciatio, atque ut nec à judice ejus licentia fiat, contenditur, qui tamen nunciantem cum suis allegationibus statim repellere non debet, cum jure sic admissum sit, ut ædificationis injuriam & damna demonstraturus prius audiatur, interim duret nunciationis effectus, nec ob cautionis oblationem remissio fiat. (2) Sic verò demum ab ædificando post cautionem oblatam nunciatus cessare debet, primo si intra tempus præstitutum nuncians docere velit de suæ nunciationis jure & adversarii injustitia (3) quod ex jure communi Justinianeo trimestre est, (4) per jus Lubecense quatuordecim dierum. (5) Deinde si & intrà hoc spacium docere possit, nec quæ est causæ ambiguitas ac prolixioris processus necessitas latius tempus exigit, (6) ideo quòd legitimum frustra exspectetur. (7) Tertio opus est, ut nuncians non solum petat sibi tempus illud indulgeri, nec tantum offerat sui juris demonstrationem, sed etiam quam primum potest, eam præstet, ad illam necessaria proponat & petat, (8) ne po jus morâm facere & adversario nocere, quàm jus persequi velle videatur. (9) Quarto pro impetrando eo requiritur allegatio ejus causæ, quæ demonstrata aut deducta ædificandi facultatem adversario demit. (10) Quinto impedientis necessaria est cautio de refundendo per nunciationem, si injusta erit, illato damno. (11) Sextò à parte nunciati oportet non adesse causam, quæ aut ipso jure enervet nunciationem, (12) aut eam remitti justè postulet; (13) veluti cum grave & irreparabile incommodum nunciato imminebit, si ab opere desistit; (14) aut cum aliqua necessitas structuram exigit, (15) aut in mora periculum existit, (16) quæ omnia à judice diligenter expendenda sunt, antequam nuncianti indulgeat impedire ædificationem, quam nunciatus si succumbet demoliri oblatâ cautione promittit. (17) Ad quam permittendam judex eo proclivior esse debet, quo minus præjudicii atque incommodi inde nuncianti, (18) gravius autem nunciatio cum impeditur imminet, (19) In dubio præstat permittere ut ædificetur, quam ut impediatur aut differatur. (20) Quare cum ab admissa per judicem inferiorem satisdatione nuncians appellat, admitti non debet appellatio, nisi prædicta omnia constent. *Sic factum in eadem causa.*

1. Hoc remedio utrique parti cautum est, nuncianti, ut sit extra periculum tum injuriosæ nunciationis, tum & injustæ structuræ sine ejus sumptibus postea demoliendæ: nunciatio ut non impediatur, *vid. Petr. Frid. Mindan. de Mandat. lib. 2. cap. 31. num. 6.*

2. Sic communis habet JCtor. sententia in Camera Imperiali recepta, ut satisdatio oblata non statim acceptetur, si nuncians probare velit, jus ædificandi non esse, *per l. un. C. de Op. nov. nunc. Moller. 1. Semestr. c. 44. Tessaur. dec. 204. n. 4. Mindan. d. c. 31. n. 8.*

3. Ut alias ipsi nunciatio non admittitur nisi cum causa, ita multo minus cautionis rejectio sine illa fieri non debet.

4. *l. un. C. de Op. nov. nunc.*

5. *Artic. fin. tit. fin. lib. 3. ubi hæc facientia in Commentario meo annotata reperies.*

6. Quæ altioris indaginis ideo prolixioris litis sunt, quam ut intra tempus legibus præfinitum terminari queant, non sufficiunt ad temora ædificiorum. *Bald. & Dd. in d. l. un. C. d. tit.*

7. Frustra exspectatur, cujus eventus nil operatur.

8. Procedit tunc demum jus cautionem oblatam rejiciendi, quando nuncians dicere potest, hodie constat, hodie agitur, *c. pen. & ult. x. de Op. nov. nunc. Bartol. in l. Prætor ait § si quis p. 209. ff. d. tit.*

9. Non aliter ad judicium provocans à mora excusatur, quam si justè, hoc est justis ex causis fecit, *l. si quis solutioni 24. ff. de Usur.*

10. Ad probandum non admittitur, nisi quod relevat, multo minus ad prohibendum quod alias licet.

11. Ad indemnitatem nunciati causa necessaria & æqua est, *arg. l. 5. & 6. ff. de Petit. hæredit. Fab. in Cod. lib. 8. tit. 5. Defin. 1. num. 4.*

12. Sunt causæ, quando juste spernitur nunciatio, ideo ipso jure remittitur, *de quibus vid. Petr. Frider. Mindan. d. cap 31. num. 2. 3. 4.*

13. Ubi necessaria vel justa est remissio, cautio non requiritur, multo magis ubi offertur, ea ex justa causa fieri debet.

14. *Plot. de in lit. jurand. §. 3 num. 53.*

15. Necessitas legem non habet excepta ab omni lege. Multo melius est omitti novi operis nunciationem, quam impediri operis necessarii urgentem exstructionem, *l. sciendum 5. §. Prætor 12. ff. de Nov. op. nunc.*

16. *l. 1. §. si quis 13. ff. de Cloac.*

17. Judicis arbitrio multum hac in re relictum est, ideo pro religione sua de eo statuit *Tessaur. dec. 204. num. fin.*

18. Nihil quicquam interest jure quis ædificet an non jure, cum sit secutus is qui opus novum nunciavit cui satisdatum est, *ut habent verba JCti in l. Prætor. ait 20. §. nec quicquam 11. ff. de Nov. op. nunc.*

19. *Fab. in C. d. tit. 5. defin. 1. num. 6.*

20. Ad

20. Ad Reipubl. decus pertinet ædificia non impediri, quibus civitas ornatur, *L. Prator. 20. §. hoc interdictum 20. ff. de Nov. op. nunc.* semper favendum ædificiis & eorum curæ, *l. fin. ff. ne quid in loc. publ.*

DECISIO V.

Contra reficientem vetus ædificium, nisi ubi vetus forma mutatur, operis novi nunciationis locus non est.

ÆDificandi prohibitionem factam incusabat supplicans, quod sibi non opus novum extruenti, sed vetus tantum reficienti injuriâ interdicta esset structuræ continuatio, ideo mandatum de non impediendo rogabat, siquidem res ita uti narrabatur se haberet, prohibitio injusta ideo cassanda esset; Reficienti enim vetus ædificium opus novum nunciari non potest; (1) dum novum opus non facit qui vetus reparat, (2) ideoque nec contra illum adhiberi, quæ novi operis causa constituta vel consueta sunt remedia. Ad cassationem vero prohibitionis statim progrediendum non fuit, sed prius explorandum, utrum mera fieret refectio, quæ est corrupti in pristinum statum reductio, (3) in qua necesse est servari veterem formam modumque, (4) à qua si recesserit, refectio fit in veteri aut circa vetus etiam novum opus, (5) nec injustè eadem adhibentur remedia. (6) Potest etiam circa vetus quod plane collapsum & funditus eversum est, postquam per aliquot annos ita steterit, circa reparationem contingere, ut renuntiationi locus fiat. (7) Ideo cautè agendum, ne mandatis turbentur ædificiorum causæ; præstat in talibus rescripto omisso prius à magistratu loci informationem super narratis & ædificii modo exigere, quam statim inter dubia mandatum decernere. Die 24. April. Anno 1655.

1. *L. 1. §. si quis ædificium, ib. Zas. ff. de Nov. op. nunc.*

2. *Lancellot. in tr. de Attentat. part. 2. cap. 4. limit. 1. num. 39. Coras. in l. 1. num. 10 ff. de Nov. oper. nunc.*

3. *l. 1. §. deficit. ff. de via publ.*

4. *Mandos. de Inhibit. cap. 119. num. 5.*

5. Mutatio formæ in veteri ædificio facit novum, *Anton. de Amat. decis. 64. num. 38. & 43.*

6. *Sic discernunt JCti; Schrader. de Feud. part. 2. c. 3. num. 44. Affict. decis. 392. num. 11.*

7. *Boer. decis. 44. num. 3. Surd. consil. 122. num. 9.*

DECISIO VI.

Judex male remittit novi operis nunciationem ante præstitam ab ædificante, audito prius nunciante, satisdationem.

ESt quidem judici ad instantiam ejus cui novum opus nunciatur permissa, si offertur satisdatio de demoliendo quod injuste ædificatum reperietur, nunciationis remissio sed non nisi causa cognita (1). Et licet non adeo difficilis esse debeat judex ad hanc remissionem oblata cautione, cum sic utrique parti consultum sit, (2) nuncianti quidem, dum securus fit factum in ejus præjudicium vel damnum non substituturum ultra quem in dubio est ædificantis iniquitas: ejus cui nunciatur, ne interim pendente lite sub obtentu incerto ædificare prohibeatur, tamen & caute ad eam procedere debet (3) ne interea nuncianti causa difficilior fiat & post eam peractam certus sit de demoliendo quod ex cautionis qualitate dependet. Ut vero eam bene solideque interponi nuncientis multum refert, ita necesse erit super ea prius illum audiri, (4) multo magis quia in ejus optione est, an cautionem recipere an statim seu intra trium mensium spacium ædificationis iniquitatem facere manifestam velit. (5) Non procedet igitur justo juris ordine judex si non audito prius reo satisdationem acceptat & ulteriorem exstruendi licentiam facit. (6) Multo minus si post hanc factam super cautione demum disceptari velit. *In causa petri Rosen & Consortum contra Christoff ab essen die 26. Octob. Anno 1655.*

1. *Petr. Frider. Mindan. l. 2. de Mandat. cap. 31. num. 6.*

2. *Ita putat Gailius. 1. Observ. 16. n. 17.*

3. *v. Mindan. d. c. 31. n. 7.*

4. Nihil enim de hoc temere oportet constituere. *Fab. in Cod. l. 8. tit. 5. def. 3. n. 3.*

5. *l. de unoquoque 47. ff. de Re Judic.*

6. *v. l. un. C. de nov. op. nunc. c. fin. n. eod.* Quod in Camera Imperiali observari testatur *Gail. d. Observ. 16 n. 17.*

7. Cautionem quamvis idoneam invito & jus ædificandi non habere ædificantem probare volenti ante lapsum 3. mensium obtrudere velle judicis esse ignorantis leges vel malitiose circumvenientis dicit Mindan. *dict. c. 31. n. 8. in fin.*

DECISIO VII.

Novi operis nunciationem injuste per satisdationis admissionem remittit judex ubi apparet ex actis ædificationis iniquitas.

PLacuit jurisprudentiæ ad structuras ædium promovendas nunciationem novi operis remitti per oblatam in casum succumbentiæ satisdationem (1) seu offeratur nunciatori extra judicium (2) seu in judicio, & quamvis si is recipere recuset permittitur ædificandi facultas, tamen id accipiendum, quando dubium est jure an injuria ædificetur, (3) nec ædificatum

grave

Digitized by Google

grave atque intolerabile incommodum vicino inferet. Ubi vel exnarratis constare potest judici vel statim à nunciatore demonstrari quod adversarius molitur esse iniquum, legibus & moribus civitatis aut officiis bonæ vicinitatis contrarium, non est audiendus cautionem offerens; (4) sed oblatione non attenta inhibitionem decernet, (5) quia vel constat vel facile constare potest jus ædificandi non esse, magisque audiendus qui injuriam moliminis statim docere quam sub cautione illam continuare velit. Perinde etsi dubium quoddam subsit ædificare liceat nec ne, ubi grave & intolerandum incommodum vicino ex structura imminet, seu quia ex opere ruinam patientur illius ædes, vel quod inquieta & turbulenta molitur, vel quia periculum ignis & incendii subsit, non est sub cautione concedendum opus. (6) Quocirca cum à decreto judicis talia permittente appellatum esset allegaro tum quod contra statutum civitatis fieret structura, tum quod talia incommoda & pericula minarentur, decernendos esse processus appellationis juri æquitatique conveniens *visum in præfata causa.*

1. *l. de pupillo 5. §. si is cui 17. ff. de N. O. N.*

2. *Gail. 1. Observ. 16. n. 18. in fin.*

3. Loquitur dispositio *tum. C. de Nov. Op. Nunc.* circa permissionem sub satisdatione ædificationis de casu dubio seu quando ut verba habent fuerit aliquod ad decisionem ambiguitatis impedimentum.

4. Recte nunciantibus consulitur *d. l. tum. C. de Nov. Op. nunc.*

5. *De hoc processu vid. plura apud Mindan. de Mandat. lib. 2. cap. 31. num. 8 ubi sequendum ait cautionem & decernendam inhibitionem si nuncians desinere sua & injuria alterius statim docere velit.*

6. *v. Fab. in Cod. lib. 8. tit. 6. def. 3.*

DECISIO VIII.

Cum de ædificio per statuta prohibito lis est, etiam dubia litem adhuc causa, ædificatio sub cautione non est permittenda.

QUod post novi operis nunciationem intra quatuordecim dies non edocta ejus justitia permittitur, ut illa non attenta ædificare permittatur, nunciato modo satisdatio præstetur, (1) id minimè porrigendum est ad ea ædificiorum genera, quæ alicubi habere invitis vicinis non licet. (2) Ratio differentiæ satis manifesta est, quod horum structura lege vel statuto prohibita nunquam est permissa, ideo sub cautione non concedenda: At non similis est prohibitio, ubi tantum ob injuriam vel ænnulationem nunciatio fit, si non statim ita docetur. In quæstionem vero veniebat, utrumne cum dubium est, an quod inculpatur ædificium ex genere prohibitorum sit, sed de eo res altioris indaginis, cautionem admittere, & inhibitione cassanda structuram permittere oporteat? An consideratis circumstantiis existimatum, minimè hoc à nunciato obtinendum, sed prius de eo, an quod impeditum voluit nuncians, sit ejus generis, ut ædificari non deberet, partes audiendas & deinde pronunciandum esse, tum quia ea species minimè pertinet ad jus vel statutum, quod præstita satisdatione ædificationem indulget, (3) tum quod ex alio statuto in contrarium fundata est intentio cautionem recipere negantium, (4) tum quod per argumenta verisimilia inter prohibita esse hanc speciem indicabatur: (5) tum quod eorum quæ lege vetita sunt, sub cautione licentiam facere, indecorum est: (6) tum quia interea grave nunciantium, dum incommodè nova & insolita patientur, damnum & periculum erit; (7) tum quod omnia integra relinquere præstat, (8) & utriquo partium utilius existit. (9) Quibus ex rationibus recessum est à judicis prioris decreto, inhibitio, à cujus relatione appellatum, relicta & causæ cognitio præmissa atque ita pronunciatum fuit. *In causa Peter Rosen & consortum, contra Christoff. von Essen, die 28. Junii An. 1656.*

1. *Ubi habetur in artic. fin. tit. 12. lib. 3. ubi in Comment. plenius expositum id est.*

2. *De quibus agitur in artic. 12. dict. tit. 12. lib. 3.*

3. Est differentia inter ea quæ habentur *in 12. artic. dict. tit. 12.* & quæ sunt *in artic. fin. ejusdem.* Nam uti *in novissima editione Commentarii in addit. ad dict. artic. fin.* ostendi. Hic articulus non pertinet ad ea quæ statuto sunt prohibita, & nunquam permittenda, ideo etsi tempus elapsum, etsi cautio offerretur, illicita tamen judex non permittit.

4. Non tantum species quæ nominatim *in art. 12. tit. 12. lib. 3.* recensentur, sunt haberi prohibitæ, sed etiam quæ sunt similes dergleichen in quibus eadem est ratio. Ideo ubi indicatur eadem prohibitionis ratio, daß sie gesährlich und unlieblich (*quid hic vocibus indicetur, expositum est in Commentario ibidem*) ibi excluditur permissionis potestas.

5. Non est sub cautione permittenda ædificandi facultas, ubi judex ædificii injustitiam deprehendere potest, quæ etiam aliàs ad casus valdè dubios saltem pertinet, *Mindan. lib. 2. de Mandat. cap. 38. num. 18.*

6. Ad illicita vel prohibita nunquam porrigitur cautio, *arg. l. jus publicum 38. ff. de Pact.*

7. In tali specie etiam extra legis prohibitionem sub satisdatione non conceditur novi operis constructio, *Fab. in Cod. lib. 8. tit. 6. defin. 3. Flering. in tract. de Fidejussor. cap. 15. num. 104.*

8. Præstat ita integram relinquere, quam post vulneratam causam remedium quærere, *l. fin. C. in quib. caus. restit. in integr.*

9. Judicem hoc sequi decet, quod utrique parti magis est proficuum, *gloss. in l. 2. §. item Area ff. de Aq. & aq. pluv. arcend.* Id verò ut abstineatur, magis proficiet, tam nuncianti, ne interea incom-

Digitized by Google

incommoda structuræ semiat, tum nunciato, ne deinde post iniquam litem non sumptus modos hujus sed ædificationis perdat.:

Sententiæ tenor his fuit

In Sachen Peter Rosen & consorten Appellanten/ wider Christoff von Essen appellaten in puncto einer Oel-Mühlen/ist die Appellation hier formalien halber beständig/ und dadurch die Sache anhero erwachsen/ die gravamina aber als überflüssig nicht/sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen/und darauß befunden/daß gestaltem Vorbringen und Suchen gemäß/ vor fernerer Erkäntniß zuforderst die geklagte Beschwerden der Mühlen quæstionis und insonderheit dabey/ob dadurch eingeführtes Handgewerck dem appellanten unleidlich und gefährlich anzusehen/zu erkundigen/ und davon die Nachricht ad acta zu bringen nöthig/demnach ex officio commissio zu Besichtig und Erforschung deß Werckes/ insonderheit Anmerckung der in actis angezogenen Beschwerlichkeiten erkannt / und dem Appellanten solche inwendig vierzehen Tagen zu extrahiren/auch so viel an ihnen zu befördern auferleget wird. Darauff ergehet hernach was recht ist/von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar/den 7. Julii Anno 1656.

(Hoc est.) In causa Petri Rosen & consortum appellantium contra Christophorum ab Essen appellatum in puncto alicujus molendini olearii, appellationem ratione formalium justificatam & propterea causam huc devolutam, gravamina vero ut superflua non recipimus sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & apparet ex iis, quod juxta allegata & petita ante ulteriorem cognitionem prius gravamina molendini quæstionis & præsertim an per id introductum opus appellanti insupportabile & periculosum appareat investigandum & notitia actis inferenda inde ex officio commissio ad inspectionem & investigationem operis præcipue animadversionem in actis allegatorum gravaminum decernendo, & ab appellente intraquatuordecim dies extrahenda & quantum in ipsis maturanda, inde fiet postea quod juris, idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ, 7. Julii Anno 1656.

DECISIO IX.

Lapsus termini in novi operis nunciatione pertinet tantum ad actionem non ad causæ cognitionem.

EST tum jure communi tempus trium mensium, 1) tum statuto Lubecensi (2) quatuordecim dierum præfixum his qui nunciant novum opus, aut inhibitionem impetrant, ad actionem instituendam jusq; nunciationis deducendum. Post quod elapsum non facta ea deductione præstita de demoliendo satisdatione ædificare interum est. (3) Opponebatur ex eo nunciantiexceptio & impetrabatur inhibitionis cessatio. (4) A qua cum appellaretur, præterquam quod alia longe species apparebat, ac ad quam pertineret ea juris dispositio, (5) etiam statutaria illa præscriptio opponi non poterat, ubi impetrantes una cum petitione statim causas nunciationis allegaverant easque in statuti verbis fundabant. Superfluum tunc fuit aliam præterea actionem instituere, & jus nunciationis deducere, pertinuit ad judicem statim de iis cognoscere. (6) Quod in eo moratus est judex vel omisit vel perperam egit, hoc parti nocere non debet. (7) Cum pars fecerit, quod incumbit, satisfactum est legi seu statuto requirenti tantum, ut pars intrà præfixum spacium jus deducat. Huic termin° dict° est qua nunciantem, non verò & judici qua causæ cognitionē. *In eadē causa.*

1. *l. un. C. de op. nov. nunc.*
2. *Vide Jus Lubecense artic. fin. tit. 12. lib. 3.*
3. Remittitur post tempus elapsum pro satisdatione inhibitio, *dict. l. un. ib gloss. & Dd.*
4. Est ex eo tempore exceptio præscriptionis, quæ finit actionem.
5. *Uti demonstratur in decisione precedente.*
6. Ubi statim deducitur jus denunciantis, ita ut judici de eo constare possit, jam factum est, quod in lege vel statuto exigitur, & superfluum ad ulteriora nunciantem adstringere velle.
7. Quando factum judicis impedit vel moram causat processui, parti non currunt nec labuntur tempora fatalia, *Panorm in C. ex ratione num. 6. de Appellat. Sfort. Odd. de Restit. in integr. quæst. 71. artic. 1. num. 5. seq.*

DECISIO X.

Ædificia per jus vetita non sunt permittenda sub cautione de demoliendo.

QUòd in jure provisum, ut si intra præstitutū temp° novum op° nuncians ei° injuriam non deduxerit, nunciatò præstita satisdatione de demoliendo in casum succumbentiæ ædificium permittendum sit, id pertinet saltem ad eam speciē quando jus ædificandi dubium est. (1) Minime ubi certum, ita ut cæptum ædificari non posse. (2) Certum autem est, cum lege vetitum id de quo contenditur ædificandi genus. (3) Ideo quomodo legum transgressio sub cautione aliqua nunquam erit licita, ita nec permittendum contra illam sub satisdatione ædificari. (4) *In causa Petri Rosen & consortum contra Christoff ab Essen. Die 17. April. Anno 1658.*

1. *l. un. C. de Nov. op. nunciat.*
2. *Petr. Frid. Mindan. in tr. de Mandat. lib. 2. cap. 31. num. 8.*
3. *l. 2. ff. de Jur. & fact. Ignor.*
4. *Vid. Fabr. in Cod. lib. 8. tit. 6. defin. 3. Hering. de Fidejussor. c. 15. n. 104. scripsi de eo quadam in Comment. ad Jus Lubec. lib. 3. tit. 12. artic. 15. in addit. 1.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO II.

Molendinum olearium an & quando inter ea, quæ sine vicinorum consensu non sunt habenda, numeretur.

CUm jure Lubecensi quædam non permittantur nisi consentientibus vicinis, veluti in quibus novus focus *eine neue Feuerstädte* in alio loco contra pristinum morem instituitur, vel cum opificium intenditur, quod cum onere atque incommodo non levi atque intolerando conjunctum est, (1) in quæstionem veniebat, utrum ejus conditionis habendum molendinum, quo oleum exprimitur & apparatur *eine Olie-Mühle*. Et cum vicini nollent ex obtentu illius juris concedere exstructionem; deque eo post nunciatum novum opus actum esset, visum fuit ejus generis id censendum, Jus Lubecense exprimit generaliter, quæ invitis vicinis non habenda nempe periculosa & intolerabilia *gefährliche unleidtliche Händvvercker*. (2) Alterutrum adesse sufficiet. (3) Adduntur huic regulæ exempla; Ista autem repetiuntur in hoc opere, tum quia cum illo focus ignisq; habendus ubi nunquam ante hac fuit; (4) tum quia usus ejus cum magno tumultu & screatu conjunctus qui inquietabit vicinos; (5) tum quia ex illo commotio & concussio parietum vicinorum (6) Et licet iis periculum non esset novis aut bene munitis vel emendatis, ut existimabant artifices, tamen dum tales non erant, & si essent semper remanere non possent, magisque vetustate fragilibus quam recens structis consulendum erat, attendendum non fuit. Quod ex fœtore & graveolentia addebatur tanti non fiebat, cum nec tantum erat ut exsperabatur. (7) Et quando ea gravamina partim Jure Lubecensi in gratiã vicinorum erant prohibita, partim prohibitis paria, existimatum, non permittendum, ut vicinis invitis tale quid obtrudatur. *In eadem causa.*

1. Cujus varias species recensitas & generalem prohibitionem additam legas *in artic. 12. tit. 12. lib. 3. ubi in Commentario plenius exponitur ratio & usus.*

2. Duo requisita hæc statutum continet, secundum quæ examinanda sunt ædificia in quæstione, an inter prohibita sunt habenda. Alterum si periculi aliquid præ cæteris secum habent: Alterum si multum incommodi talis, quod tolerandum non sit, inferent.

3. Ratio prohibitionis adest ubi alterutrum imminet, ideo totum in hoc statutum impletur.

4. Novi foci *neue Feuerstädte* etiam alio articulo dicti Juris Lubecensis speciatim interdicuntur. *artic. 13. eod. tit.*

5. Inquietudo causa prohibendi est in *d. artic. 12.* ubi docet mentio der Kupfferschläger / Börtiers / Krüger quorum opificia, ubi non fuerunt, ex illa ratione sunt exclusa.

6. Hoc periculi juxta & inquietis plenum est.

7. Alias ubi adest circa prohibitionem attenditur uti apparet ex mentione der Fischmelcher / Talligschmeltzer / Seiffensieder.

DECISIO XII.

Exstructum contra prohibitionem quando demoliendum.

POst novi operis nunciationem, præsertim si judicialis prohibitio accesserit, ædificatum demoliri oportere vulgati juris est. (1) Quod tamen non ita rigide ac indefinite accipiendum, ut totum ædificium destruamus, sed saltem quatenus contra nunciationem atque ita post eam ædificatum nocet vicino ejusque causa nunciatio acta fuit. (2) Quare si non id quod ædificatum ex se nocet, sed saltem usus ejus, non magis decet, quam necesse est progredi ad demolitionem, sed remissione ædificationi facta saltem prohibito usus molesti & noxii fieri debet. (3) Deque eo debetur remissio, quia non tenet cessante causa nunciatio. (4) Eo magis si superest post nunciationem nunciato actio ad deducendum jus ædificandi. (5) Ista enim non tollit id jus, sed saltem, antequam de eo constet, quod vicinum cum præjudicio aut injuria vicini conjunctum interdicit. (6) Quapropter ad æqui judicis partes pertinet sic medicinæ curare, ut nec nuncianti noceatur, & quatenus non nocetur, nunciato grave damnum non inferatur. (7) præcipue si id quod factum aut intenditur, sic comparatum est, ut molestiæ aut nocumenta, quorum causa nunciatio fit, salvo opere emendari possint & cui nocendo se offert nunciatus, non etiam agendus ad demolitionem ipsi damnosam cum alteri aliter prospici potest. Malitiæ siquidem foret vicino id non indulgere quod sibi innoxium. (8) Majoris enim gravi ipsius incommodo exigere destructionem operis non nocituri. (9) In qua specie visum fuit, sic pronunciandum esse, ut nunciatus teneatur desistere ab operis usu, donec ordinaria via jus habendi & sic utendi doceat, aut quæ incommoda operis arguuntur emendet, & in eum statum deducat, ut vicinis non sit justa quærendi aut nunciandi ratio. *In eadem causa.*

1. *L. 1. in pr. l. 5. §. si quis forte 1. Prætor ff. de Op. Nov. nunciat. Pet. Frid. Mindan. de Mandat. lib. 3. cap. 31. num. 1.*

2. Hactenus enim nunciatio tantum tenet quatenus injuria ædificatur. Etsi enim lege sic cautum est, ut sive jure sive injuria ædificetur nunciatio teneat, *l. 1. in pr. ff. eod. tit.* ideo etiam ædificatum destruatur. *l. Prætor ait 20 pr. & §. 3. ff. eod.* Attamen ita hoc obtinet, si judici nondum constet de jure vel injuria, ideo dubitatio quædam superest, ubi ipsi certum, jure factum quod ædificatum cessat vis nunciationis *l. 1. §. quod si quis 18. ff. eod.* sicut

sicut & ubi jus nunciandi deficit, *d.l.* 15. §. *nunciatum.* 17. *eod.* vel si debetur nunciationis remissio. *l.* 2. §. 1. *ff. de Remission.*

3. Cessat in ea specie finis nunciationis, qui est in jure conservando, non damno arcendo. *d.l.* 1. §. *nunciato* 6. *eod.*

4. *l.* 1. §. 1. *ff. de Remission.*

5. Lite pendente super nunciatione nihil est innovandum. *l.* 1. *C. ut lit. pendent.*

6. Judicis æqui est, in dubio hanc viam sequi in qua nemini nocetur, utrique consultum esse poterit.

7. *Cont. l.* 2. §. *Item Varus ff. de Aq. & Aq. pluv. arc.*

8. *Contr. l. in fundo* 38. *ff. de Rei Vindic.*

9. Nunciatio non tenet ultra quam quatenus est jus prohibendi, ne se invito fiat. *d.l.* 1. §. 1. *ff. de Remiss.* Hoc autem deficit contra eum qui in alieno facit, nisi quatenus alteri nocet. Alias quisque rei suæ arbiter atque moderator est. *l. in re mandata. C. Mandat.*

Sic pronunciatum est.

In Sachen Petri Rosen & consortum nunciianten und Appellanten wider Christoff von Essen Nunciaten und Appellaten in puncto nunciationis novi operis wegen angerichteter Oel-Mühle wird erkandt, daß von Richter anderer Instantz den 27. Septembr. Anno 1655. übel gesprochen/ wol appelliret/ die Appellation von Richter dritter Instantz unfüglich abgeschlagen/ hier billich angenommen/ hierauff jetzt gemelte Urthel und Bescheid so viel die remissionem nunciationis & inhibitionis angehet/ zu ändern/ und es bey denen den 27. Augusti und 4. Septembr. gemeldtem Nahmens von den Bauherren ergangenen inhibitionen der offerirten caution ungeachtet zu lassen/ Inmassen dann die remissio auffgehoben/ die inhibitio confirmiret, und es dabey gelassen wird/ biß Appellate entweder/ daß der geklagten Beschwerden wegen der neuen Feurstädte unleidlicher Gethöns Beunruhigung und Erschütterung der Nachbaren Gebäude ungehindert er das Werck also/ wie eingerichtet/ wider der Nachbaren Willen zu haben und zu gebrauchen befügt/ ordentlich zu Rechte außführe/ oder auch also/ daß die gemelte Beschwerden cessiren anstelle/ von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 26. April. Anno 1658.

(Hoc est.) In causa Petri Rason & consortum nunciantium & appellantium contra Christophorum ab Essen nunciatum & appellatum in puncto nunciationis novi operis propter instructum molendinum olearium decernimus quod à judice secundæ instantiæ 27. Septembris Anno 1655. male judicatum bene appellatum, appellatio à judice tertiæ instantiæ injuste denegata, hic rectè recepta inde dicta sententia & decretum quantum remissionem nunciationis & inhibitionis concernit reformanda & inhibitionibus 27. August. & 5. Septemb. dicto anno ab inspectoribus ædificiorum emanatis non obstante oblatâ cautione inhærendum, prout remissionem cassamus, inhibitionem confirmamus & ei inhæremus, donec appellatus quod non obtentis allegatis gravaminibus ratione ignis, intolerabilis fumi, inquietudinis & commotionis vicinarum ædium opus ita uti dire contra vicinorum voluntatem habendi & utendi jus habeat prout juris ordinatè deducat, vel etiam ita aut communia gravamina cessent dirigat, idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ. 26. Aprilis. Anno 1658.

DECISIO XIII.

Contra prohibentem ædificare juxta modum antiquum mandatum de permittendo & non turbando sine clausula decernitur.

CUm quis ædificat juxta antiquum modum à Vicino autem prohibitus, facta quasi novi operis nunciatione parere atq; desistere non tenetur, quatenus contra formam præteritam nihil fit, quia nunciationi locus non sit. (1) Quando vero magistratus interdictum prohibitorium accedebat; atque cum ab hoc appellatum, juxta vero permissio ædificandi rogata erat, in dubium venit, an etiam præter solitam inhibitionem, quæ inseritur processibus appellatoriis, mandatum permissorium sine clausula decerni deberet. In quo dubitationem faciebat, tum quod tempus trimestre ad causam deducendam nuncianti indultum nondum erat dilapsum, (2) tum quod supplicans nullam de demoliendo in casum succumbentiæ cautionem offerebat; (3) At visum tandem his minime obstantibus haud exspectandum tempus sed decernendum quod petebatur, tum quia in ea res versabatur specie, ubi nunciatio novi operis incongrue fiebat, (4) nec locum aut vim obtinere poterat; (5) tum quia id petebatur permitti, quod omni jure erat licitum nec negandum; (6) tum quia juxta narrata prohibitio fiebat contra jus & rationem adeoque mandato sine clausula locus erat. (7) Ubi autem sic mandare licet, non opus est iis solennibus aut ambagibus. (8) Eoque minus ambigendum fuit, quod narrata plane erant verisimilia, eorumque fides fiebat dictis testium utut non juratis tamen pro summaria cognitione aliqualiter attendendis. (9) Accedit periculum esse in mora atque dilationem operis magno cum incommodo atque periculo esse conjunctam. (10) Decretum inde mandatum de non turbando aut impediendo, quin supplicans juxta antiquum modum domum suam reparet.

Digitized by Google

ret. *In causa Nicolai Suren contra viduam Adolphi a Meden die 3. Junii Anno 1658.*

1. Novum opus id tantum habetur quod antea non fuit, non si quis reficiat, renovet, emendet, ideo in his nunciationi non est locus, *l. 1. §. si quis 13. ff de Nov. op. nunciat.*

2. Nunciantiindultum est spacium triennii ad deducendam nunciationis causam, interea tenetur acquiescere nunciatus, nec admittitur ad ædificandum, etsi vel cautionem de demoliendo præstet, *vid. l. nov. C. de nov. op. nunc. Mindan. de Mandat. lib. 2. cap. 31. num. 8. ubi eam communem Eorum sententiam esse ait.*

3. Observatur ita in foro, si jus nunciantis dubium est, aut periculum in mora sit, præstita cautione remitti nunciationem, *l. stipulatio §. 2. ff. d. tit.*

4. Non enim novum opus sed reparatio veteris intenditur, quæ non potest impediri nunciatione *l. 1. §. si quis 13. ib. gloss. & Dd.*

5. Non habente locum causa non potest consequi aut considerari effectus.

6. In licitis valet regula. Quod permissa esse debeant quæ legibus non reperiuntur prohibita *l. 12. ff. de Jud.*

7. *Ex præscripto Ordinationis Camera Imperialis part. 2. tit. 29.*

8. Causa mandatorum summaria celerisque expeditionis est, ideo non adstricta ordini judiciorum solenni.

9. Summaria ut vocamus & non jurata attestata sufficiunt, ubi non decidituir causa, sed tantum informatio quædam judicis necessaria est. *Nellus de Tesib. c. 17. n. 5.*

10. Ob periculum in mora receditur à juris regulis, etiam in causis ædificiorum, *l. de pupillo §. præterea 12. ff. de Nov. op. nunciat.*

DECISIO XIV.

Novum opus censendum non ex vitio recentiori, sed statu pristino ædificii, qualis esse debet.

IN præacta specie occurrebat quod superiori ædificii parte juxta formam recentiorem spectata, cum intus inclinasset, ut restauratio jam fiebat, alius ejus situs videretur longeque propius ad vicini ædes quam antea accederet, ut à perpendiculo ad fundum ducto inferior pars ultra palmæ latitudinem esset intus quoque dimovenda, adeo coarctandum ædificium. At si quę fundo adhærebat trabs quam ibi vulgo *Legede* nominant, nos *Seule* vocamus cui cætera superstruebantur inspiceretur, inde ad superiora ducto perpendiculo latius hæc extendenda erant. Quod quia novum videbatur, novi operis nunciatio facta & prohibitio magistratus iterum atque iterum accesserat, quærebatur an id opus novum esset? Quod licet initiò videri poterat, quod finis & facies superioris ædificii aliquo modo extensione ad vicini parietem mutaretur, tamen veritate considerata minimè pro eo haberi potuit, considerato, tum quod non esset ea veteris facici mutatio sed cù ab illâ ligna superiora recessissent ejus restauratio; (1) tum quod non facies sed vitium ædificii fuisset, quod hactenus erat, idque non spectandum, (2) ne dum ad illud duraret, vicino irrogandum; (3) tum quod magis ex fundamento facto ejusque jure de ædificii justitia censendum, quam de superstructis, præsertim si eorum inclinatio & ab isto discessus apparet aut verosimilis est. (4) Et licet ab adverso allegetur ligna fundamentalia à loco discessisse *seu aggressa gen*, quia tamen id non probatum, non attenditur, nec ædificatio ideo prohibenda fuit, ubi veteris major quam novi operis est præsumptio; imo utcunque fuerit non esse novum sed vetus quod intenditur elucet. *In eadem causa.*

1. Veteris operis reparatio seu in pristinam formam restitutio non est novum opus. *l. 1. §. si quis 13. ff. de Op. nov. nunciat.*

2. Id considerandum sequendumque non ut quidque est sed ut esse debet. *l. sed licet 12. ff. de Offic. Præsid.*

3. Ex calamitate vicini nemo sibi luctum & jus quærere debet.

4. Ex fundamento norma est de superstructis certior, quæ istud sequuntur.

DECISIO XV.

In causa nunciationis novi operis commissio ad ocularem inspectionem ante litem contestatam atque prosecutionem appellationis decernitur.

QUod pro regula traditur judicem non decernere inspectionem ocularem nisi postquam lis contestata est, (1) exceptionem habet in causa novi operis nunciationis, ubi de structura ædificii non impedienda agitur, (2) Quæ causa ut ad rempubli. & civitatum decus pertinet, (3) & plerumque moram non patitur, (4) ideo festinanda, quomodo in aliis non sequitur ordinem processus solitum, (5) ita etiam in hoc singulare habet, ut lite licet non contestata ad ocularem inspectionem judex progrediatur. Idque etiam admittere visum appellatione interposita, ut licet libellus ejusq; gravamina super relevantia in examen nondum venerint, tamen pro ista commissio decerneretur, (6) eo magis quod de appellationis jure in illo puncto quæda etiam ex ista desumenda erant. *In causa Claus Suren contra Johan von der Meden Wittwe. Die 3. Septembr. Anno 1658.*

1. *Rueg. Ruland. in tr. de Commissar. part. 2. l. 3. c. 3. n. 1.* Cujus ratio quod illa commissio ad probatoria pertinet, quæ regulariter lite contestata demum locũ habent. *c. 1. & seq. x. Ut lit. non contestet.*

2. *Illam exceptionem tradit & explicat Rueg. Ruland. dict. c. 3. n. 4.*

Digitized by Google

de Ædific. priv.

4. In his ideo recedetur a communibus juris regulis. *l. de pupillo* 5. *præterea* 12. *ff. de N. O. N.*

5. Plura singularia in causa ædificiorum & nunciationis novi operis recepta sunt, *ut exposui in eleganter adiuvat. fin. tit. cap. lib. 3 Jur. Lubecens.*

6. Judici ad quem inter grum est appellationem interposita, utut nondum legitime introducta lis, prosecutæ ordinate, tum quæ ad expeditionem processum pertinent tum quæ necessitas causæ interea requirit aut quæ expediunt.

DECISIO XVI.

Cautione recepta non permovenda ædificatio, ubi penes ædificantem stat, quod justæ non fiunt.

QUod jure receptum, ut facta novi operis nunciatione, si causa ultioris indaginis sit, & cito terminari non possit, (1) præstita satisdatione de demoliendo permittatur ædificationis continuatio; cessat in ea specie, quando non per nunciantem sed per ædificantem stat, quo minus statim vel jus appareat (2) vel non fiat, ex quo ædificium habendi & exstruendi sine cautione licentia existere possit. (3) Iniquum est, ut ex sua negligentia quis commodum sentiat. Per quem stat, quo minus justa fiant, sibi imputare debet, non interim in alterius damnum, periculum vel præjudicium jure frui. Quocirca cum contra sententiam deductio nullitatis proferretur ob non admissam cautionem & sub illa permissam ædificationē, præterquam quod res erat de eo ædificii genere, quod inter prohibita referendum erat, (4) dum & nulla quærendi justa causa reperiebatur in eo per quem stabat, ut doceret & faceret, quo ædificatum haberet, rejecta est petitio, *in causa Christoff von Essen, contra Peter Rosen die 12. Jan. Anno 65.*

1. Nempe intra trimestre spatium jure communi *l. un. C. Op. nov. nunc.* Jure Lubecensi quatuordecim dierum *artic. fin. tit. fin. lib. 3.*

2. Vigilantibus non negligentibus jura scripta sunt *l. 24. ff. qua in fraud. credit.*

3. Puta sum statim appareat nunciationem rejici non debere, an per nunciatum fiet, quo minus id fiat *l. de pupillo 5. §. si ig. cui 17. l. prætor. 20. §. ff. de Nov. op. Nunc.*

4. Id alibi inter nostra decisa tradimus, quod ea ædificiorum genera, quæ aliquo in loco non sunt licita, sed per statutum prohibita, ne quidem sub cautione admittantur. Rationem *vid. Fabr. in Cod. lib. 8. t. sit. 3. defin. 3.*

In hac causa ita pronunciatum.

In Sachen Christoff von Essen Deducenten wider Peter Rosen & Consort. Deducaten in puncto nunciationis novi operis werden angeführte causa nullitatis als unerheblich nicht / sondern darauff die Sache vorbeschlossen ex officio gehalten / und der Verbringens wegen hindert bey den 26. Aprilis publicirten Urtheil gelassen. Von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Christophori ab Essen deducentis contra Petrum Rosen & Consort. deductos in puncto nunciationis novi operis, allegatas causas nullitatis ut irrelevantes non recipimus, sed causam ex officio pro conclusa accepimus & non attentis prolatis sententiæ 28. Aprilis publicatæ inhæremus? idque de jure.

DECISIO XVII.

Ædificatio non debet prohiberi ante quam formam sequenti.

DE modo ædificandi lite suborta, & prohibitione facta post interpositam appellationem visum fuit, illam cassandam esse, ubi prohibitus veterem formam observare obtulit, seu eo modo & loco ut antea ædificatum fuerat, ædes renovare intendit. Fundatam quippe talis habet intentionem, (1) nec injuriæ quidquam præsumi potest in eo qui renovat, non innovat. (2) Iniquissimum erit, postquam diu sic steterat ædificium, cum reparatur velle litem movere & prohibere, adeoque turbare, ac litigii mora differre structuram, (3) quam maturari, nec difficilem reddi publice interest. (4) Quo circa existimatum non attenta lite quæ movebatur, eo modo permittendam esse ædificationem, & contradicentem ad ordinarium processum, qui istam non impediat, si acquiescere nolit, remittendum esse. (5) *In causa Nic. Surer contra viduam Cons. Johann von der Meden die 4. Octobr. Anno 1659.*

1. Vetus ædificiorum forma servanda est *l. quod luminibus 11. l. cujus 24. ff. de Servit. Urban. prædior. l. ex quo 12. §. 1. Cod. de Ædific. Privat.* adeo ut si consuetudo circa eam communi juri contraria sit, tamen prævaleat. *Capoll. de Servit. Urbanor. cap. 6. in med. Surd. decis. 168. num. 7.*

2. Multum interest inter ædificare & reparare seu reficere. Quod reficitur novum non est, nec continetur sub prohibitione novorum. *Chassan. in consuet. Burgund. rubr. 13. §. 9. verb. du nouveau Carpan. in statut. Mediolanens. part. 2. cap. 341. num. 11.*

3. *Gothman respons. 93 n. 115. vol. 2.*

4. Ad decus urbium spectat, ædificia urbium juxta veterem justumque modum reparari & conservari. *l. gemina ff. ad Exhib. l. fin. ff. ne quid in loc. public.*

5. *l. Prætor. ait. §. hoc interdictum ff. de oper. nov. nunciat.*

DECI-

DECISIO XVIII.

Argumenta veteris formæ ædificii.

OFferenti ædificationem juxta veterem modum & morem movebatur quæstio, vocato in dubium, an forma ea antiqua fuerit, quam reus præfigurabat & sequi volebat? Erant autem duæ vicinæ ædes, de quibus incidebat ista dubitatio, ruinosæ & inclinantes, ideo in superioribus partibus ex antiquo loco progressæ & exorbitantes. Circa quas non fuit inspiciendum, quomodo erant ex suo vitio & vetustate comparatæ, sed ut olim fuerunt, aut esse debuerunt, (1) quod considerandum est præprimis ex fundamentis ædium: (2) Ut hæc jacta reperiuntur, ita censentur fuisse superstructa, qualiter illi congrua sunt. Quam huic cætera accommoda esse oportet, tam etiam facta præsumuntur. (3) Quando desuperficie quæstio est, ejus est ex fundamento habenda ratio. Et ita superstructa & superstruenda comparata esse decet, quomodo recta linea secundum stateram æqualiter surgunt in altum. Quidquid inæquale aut non rectum est, uti ædificari solet, aut loco congruit, injustum, & non verosimile habetur. (4) In ea utique ambiguitate juri atque rationi convenientius existimatum fuit, ut fundamento antiquitus jacto apteturædificium, atque ex eo in altum recta mensura erigatur. *Ita pronunciatum in eadem causa.*

1. *l. ex quo 12, §. 1, C. de Ædific. privat.*

2. Fundamenta ædium sunt argumenta longitudinis & latitudinis. Pro iis ædificatum habendum, dum iis superstructum innititur.

3. Præsumptio de eo semper capitur quod esse debet & solet *Cephal. consil. 187. numer. 13. vol 3.*

4. Hæc norma censendi de ædificiis usitata recte servatur.

Pronunciatio in hac causa talis fuit.

In Sachen Claus Sühren Appellanten wieder Johan von der Meeden Witwen Appellatinnen in puncto eines streitigen Gebäudes/werden gravamina als überflüssig nicht/ sondern acta vorbeschlossen angenommen/ darauff wie auch was mittelst deß eingezogenen Augenscheins referiret befunden und erkant/ daß von Richter erster instantz so viel die Hemmung Appellanten Baue betrifft übel verabschiedet/ wohl Appelliret/ solches zu ändern und zu erkennen sey/ daß Appellant die neue Legde an den alten rechten Ort nach Maßgebung deß Fundaments/ und wie darauff die Baute in gerader Linie in der Lengde und Höhe zurichten/ legen zu lassen befugt und daran nicht zu behindern/ demnach dann die Zimmerleute/ wie sie es gewesen zu seyn befunden/ und nach ihr beregter Maasse seyn soll/ fertig zu hauen/ anzuweisen seyn/ hingegen aber Appellatinne mit wieder Aufrichtung deß außgewichenen Gebäudes dem Bescheide gemäß zu verfahren schuldig/ und deßwegen mandatum an sie erkant/ wann auch Appellante wegen der geklagten Schaden und interesse die Appellatinne Zuspruchs nicht erlassen wolte/ würde er auff gebührendes Vorbringen damit fürters gehöret. Von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Nicolai Suhren appellantis contra Joannis à Meeden viduam appellatam in puncto litigiosi ædificii, gravamina ut superflua non recipimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus inde ex eo quod mediante oculari inspectione apparet decernimus, à judice primæ instantiæ quantum concernit inhibitionem appellantis ædificationem male decretum, bene appellatum hinc reformandum & decernendum esse quod appellans novam positionem in veteri recto loco juxta regulam fundamenti & quomodo desuper ædificium in linea rectâ ad longitudinem & altitudinem erigendum faciendi jus habeat, & in eo non impediendus, inde frabri lignarii, ut prout fuisse reperiunt, & juxta dictam mensuram ædificium perficiant admonendi, contra appellata in erectione ædificii excedentis decreto conformiter ut procedat adstringenda, propterea mandatum ad ipsam decernimus, quod si etiam appellans ratione allegati damni & interesse contra appellatam ab actione desistere nollet, ad convenientem propositionem ulterius audietur, idque de jure.

DECISIO XIX.

Nunciatio novi operis in præjudicium Ecclesiæ possessorem non facit ædificantem.

ETsi alias nunciatione novi operis possessorem adversarium facimus, (1) tamen id non procedit quâ res sacras, seu quæ in his fiunt in quibus jus possidendi nullum creditur, & si quid factum statim tolli per legem jubetur. (2) Proficiscitur etiam quod dubitationem facit ex apicibus aut subtilitate juris, ideo propter pietatem & favorem sacrorum non attenditur, sed quid Ecclesiæ commodum, spectatur. Acceßit imperite factum à Provisoribus, quorum in eo culpa Ecclesiæ nocere seu præjudicare non debet. (3) Sic existimatum. *In causa Incolarum oppidi Freiberg contra Augustinum Groben.*

1. *l. 1. §. in operis l. de pupillo 5. §. meminisse 10 ff. de oper. nov. nunciat.*

2. *l. 1. pr. ff. ne quid in loc. sacr.*

3. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

Digitized by Google

TIT. XII.

DE OPERIBUS PUBLICIS.

DECISIO I.

Reparatio aggerum ad cujus onus spectat.

CUm tota vicinitas ob periculum & impendentem ex ruinâ calamitatem aggeres vi aquæ destructos jussu superiorum reparasset, eaque lex dicta esset quod ea res nemini præjudicio esse, sed sumptuũ refusio iis, quibus onus hoc incumberet, fieri deberet, (1) orta est controversia à quibus impendia essent refundenda? De eo verò statuendum est ex debito reparationis, quorum hæc onus est. Ab his ubi est sustinendum, ita etiam impensa iis qui istorum negotium gesserunt refundenda. (2) Circa ipsum verò debitum inspiciendum est primò, quid in eo loco ubi fieri debet reparatio, inter accolas consuetum & ab antiquo observatum. (3) Ubi ejus loci observantia non constat, Regionis mores pro lege servare convenit. (4) Cum per hos non est certa definitio, jus commune sequimur, ex quo est refectio illius, cujus est fundus, in quo sunt aggeres & cujus idem sunt, (5) nisi cum docetur ab initio aggeres illos in alieno fundo communis vicinorum utilitatis causa ab his vel communibus horum sumptibus (6) vel etiam ob aliquam particularem alicujus utilitatem esse exstructos, (7) atque ita jure quodam servitutis in alieno fundo haberi. (8) Cum verò nihil tale appareret, putavimus insistendum esse juris regulæ, (9) & impendia ab his tantum repetenda, quorum est fundus atque ipse agger. (10) Id verò præcipue iniquum, quod iis qui nihil aggerum circa aggerem haberent, onus ideò imponeretur, quia ex ruinâ ejus multum incommodi sensissent, quod nec jus aliis tribuit, (11) nec incommodo satis damnificatos afficere debet, (12) nec aliorum esse debet quam cujus res est. (13) *Juxta hæc pronunciatum in causa der drey Dorffschafften in Osterstade, contra die drey Dorffschafften daselbst, die 17. Aprilis An.* 1656.

1. Sic dum circa aggeres conservandos vel reparandos, ubi dilatio periculum habet, statuere &c. omnibus vicinis, quorum reparari interest, ubi aut non constat qui debent, aut hi isti non sufficiunt, injungere moris est.

2. Impensa est onus illius cui id, in quod impenditur, incumbit.

3. *Per l. 1. & 2. ff. de Negoc. gest.*

4. Vetustas circa aggeres vim legis habet, *l. 1. §. fin. de aq. & aq. pluv. arcend.*

5. *l. de quibus 32. ff. de Legib.*

6. *l. 2. §. Item Varus 5. ff. de aq. pluv. arcend.* ubi hæc legimus. *Si manu factum fit aggere, etiamsi memoria ejus non exstat agi posse, ut reponatur l. un. §. constat. ff. de Rivis & flum. &c.*

7. Reparatio est illorum qui construxerunt. Ex hoc onus refectionis suum commune fecerunt.

8. *l. 1. §. fin. ff. de aq. pluv. arcend.* ex quo textu colligitur, istius quasi servitutis hoc singulare esse, ut cui debetur, reficiat; cum alias hoc sit onus servitutem debentium, *l. cum debitor ff. de servit. Urban. Prad.*

9. *L. 1. ff. de R. I.*

10. Rei onera rem ipsam sequuntur, *l. 2. C. finium vel reliq.*

11. Ex aliena calamitate nemo acquirere debet *l. itaque 28 ff. de Dol. mal.*

12. Non debet duplici incommodo quis onerari & collationis, & quod res deteriores factæ sunt, *l. navis 4. § 2 ff. ad L. Rhod. de jact.*

13. Res non perit nisi suo domino, *l. quæ fortuito C. de Pign. act.*

DECISIO II.

Pro refectione fontium ad collectas obnoxii sunt Clerici atque Professores Academiarum, quamdiu exceptionem non docent.

QUæ est Cleriorum & qui his assimilantur Scholarium immunitas eo per jus commune non porrigitur, ut hi à viarum, pontium, fontium, fossarum & similium in commune utilium operum impendiis & horum causa impositis collectis sint exempti (1) Obstringit eos communis utilitas & usus, ut dum commodis istarum rerum fruuntur etiam onera necessaria subeant. (2) Quæ est horum æquitas non sinit iniquitati denegantium indulgere. (3) Nec potest per istam æquitatem esse exemptio nisi per assensum eorum qui alterius causa onerantur. (4) Fundata inde civitatis intentio, quæ ejusmodi collectam à Clericis & Professoribus Academiæ petit. Quæ à mandato, quod isti adversari videbatur appellans audiri & processus impetrare meruit. *Uti existimatum & decretum in causa Civitatis Gryphiswaldensis contra Academiam ibidem. Die 3. April. Anno* 1658.

1. *Vid. l. ad institutionem 7. C. de SS. Eccles. l. ult. C. de quib. muner. nem. lic. se excus.* Putant aliqui eas leges per *Auth. item nulla communitas C. de Episc. & Cleric.* esse abrogatas: ac male, præter textum, sine ratione, imo contra rationem *V. Petr. Mathon. de Petra de potestat. Prælat. q. 15. num. 31.* Communis ita habet JCtorum sententia ut ea per prolixas allegationes docet Klock. *in tract. de Contribut. cap. 12. num. 224. seq.*

2. Quoties subest communis utilitas tam Ecclesiasticorum quam Laicorum æquale omnium onus & nullius exemptio esse debet *Surd. consil. 301. n. 3. & consil. 490. n. 2. Wesenbec. consil. 42. num. 3. Tib. Decian. resp. 14. num. 12. lib. 1. ubi civiles & Canonici Juris interpretes unanimiter hoc sentire scribit.*

3. Juris

Digitized by Google

3. Juris naturalis id est. *l. secundum naturam* 10. *ff. de R. J. l.* 1. *ff. de Justit. act.* Non est ferendus qui lucrum appetit sed onus ei annexum ferre recusat. *l. nul.* §. 5. *C. de Cadue. tollend.*

4. Abusus privilegii & exemptionis Clericorum est, cum illuc extenditur, ut sui causa alios onerent & utilitatem cum aliorum gravamine captent. *Pet. Frid. Mindan. in tr. de Interdict. tit.* 4. *num.* 45. *& seqq.*

DECISIO III.

Clerici, quatenus oneribus publicis obnoxii, non gaudent fori privilegio, sed patiuntur executionem à laicis.

ONus refectionis viarum iis incumbens per quorum prædia & agros istæ tendunt, non minus clericis quam laicis incumbit, (1) nisi speciatim exemptionem docebunt: (2) Idcirco etiam obnoxii sunt iis exequendi modis quos usus recipit. (3) Siquidem monitos at negligentes pignoribus captis coerceri consuetudo est, (4) quois ea de re jurisdictio aut executio competit, non minus possessores clericos quam laicos pignorare queunt. (5) Nec enim privilegia clericorum ulterius se extendunt, quam in quibus sunt privilegiati, nec gaudent in talibus, quæ tanquam laici sustinent & possident, fori beneficio. (6) Uti fuit judicatum *in causa Benedicti Bremers contra Samuelem Schermerum die* 5. *Octobr. Anno* 1659.

1. *l. ad instructionem* 7. *C. de SS. Eccles. l. ult. C. de quib. munerib. nem. lic.*

2. Exemptio ab oneribus non præsumitur sed docenda est. Nec tantum ab iis qui ordinariè munera sustinent, sed etiam ab his qui alias exempti sunt, sed non in ea, de qua agitur specie.

3. Qua onera patrimonialia, seu quæ rebus adhærent antequam ad clericos deveniunt nihil mutatur ex translatione, ideo inter hos & laicos differentia non est. *Klock. in tr. de contribut. cap.* 12. *numer.* 74. *& 87. ubi ille videas.*

4. Ordinarius hic exequendi modus etiam circa tributa suetus.

5. Ad onera quæ personis clericorum incumbunt pro rebus, veluti si ipsis tributa & collectæ indicuntur compellendi sunt per Ecclesiasticum & ordinarium sui judicem, nec laicus se intromittere debet. *Auth. item nulla. Auth. statuimus C. de SS. Eccles. c. non minus c. pervenit ibi Canonistæ omnes X. de immunit. Eccles. Ant. de Petra, in tr. de Potestat. Princip. cap.* 4. *tit. de validitate statutorum.* 34. *Surd. consil.* 301. *num.* 35. nisi ubi Ecclesiasticus magistratus cessat, nec ad justa Clericos adigere velit. *Cacheran. decis.* 68. *num.* 22. *seq. Matth. de Afflict. decis.* 85. *num.* 2. *Florez. Diaz de Mena. forens. quæst.* 21, *num.* 225. At ubi res onera sustinere debent eaque mere realia sunt, etsi ad clericos devenerint, tamen nisi specialis talium exemptio ex privilegio vel consuetudine reperitur secularium est cognitio & executio *Ant. de Petra. dict. c.* 4. *num.* 38. *Stephan. Aufrer. in tr. de Potestat. Secular. in Ecclesiast. regul. fallent.* 17.

6. *Menoch. remed. recup.* 15. *num.* 216. *seq. Gail. l. Observ.* 37. *Scacc. de judic. cansar. civil. cap.* 11. *n.* 53. 78. 92. *seq.*

Juxta hæc pronunciatum.

In Sachen Benedicti Bremers & Consortum Appellanten wider Ern Samuel Schermerum Appellaten in puncto der Pfandung wegen nicht reparirten Weges / werden gravamina als überflüssig nicht / sondern acta ex officio für beschlossen angenommen und erkannt / daß vom Richter erster Instantz noch zur Zeit übel mandiret / das mandatum zu suspendiren und Appellac die Freyheit und exemption von der reparation deßweges quæstionis und deßwegen ergangene und beschuldigte Pfandung besser denn geschehen beyzubringen schuldig. So ergienge darauff hernach ferner was recht ist. Von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Benedicti Bremers & Consortum appellantium contra Ern. Samuel Schermerum appellatum in puncto pignorationis propter non reparatam viam, gravamina ut superflua non recipimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus quod à judice primæ instantiæ adhucdum male mandatum, mandatum suspendendum & appellatus ut libertatem & exemptionem à reparatione viæ quæstionis & propterea factam & insimulatam pignorationem melius quam hucusque doceat adstringendus sit. Inde ulterius fiet quod juris. *Idque de jure.*

DECISIO IV.

Ad prohibendam structuram aggeris non sufficit damnum, quod vicinus inde metuit nedum amissio commodi, sed animus nocendi præprimis spectatur.

AD impediendam permissionem exstruendi aggeris per appellationem interpositam proferebatur loco gravaminis exoriturum ex prohibito defluxu aquarum vicinis incommodum agrosque ipsorum siccriores minusque fertiles fore. Primo intuitu videbatur damnum inde imminere, ideo ea allegatio speciem habere. At re penitius inspecta non tam in eo damnum erat, quam ademptio vel præclusio commodi & lucri, cujus nomine non datur actio (1) & speciatim nec ea, quæ est de aqua pluvia arcenda. (2) Utut vero ea res, quæ facta damni aliquid inferret, tamen ob id solum non fit prohibitio rei cuilibet in suo libere & licite, quod ex eo incommodum alteri oriatur. Damnum quippe dare non intelligitur, qui re & jure suo utitur, (3) quod & ita facere licet, si alteri quoddam inde orietur. Non

Digitized by Google

existimatur operis mei vitio datum in ea re in qua jure meo usus sum, (4) tantum hoc in vitio & prohibitum est, ut nocendi animo structura aggeris vel alia suscipiatur: (5) qui in dubio non præsumitur in eo qui in suo facit licitum, (6) multo minus ubi finis non improbus apparet usque aliquid necessitatis habet, uti subest quando pro agro muniendo, colendo, vel fructuum percipiendorum causa aggeres struuntur. (7) Nec de eo fuit ulterius dubitatio, ubi de ea ipsa specie, de qua agebatur, legibus ita decisa reperiebatur. (8) Concluſum itaque non esse recipiendam appellationem, ubi animus nocendi non allegabatur, damnum autem allegatum non tanti momenti, ut de eo agi posset. *In causa Jacob Brumavver contra General-Wachtmeister Caspar von Pothausen & Consortes die 19. Junii Anno 1660.*

1. Multum circa actionem interest, utrum damnum quis faciat, an lucro uti prohibeat *l. Proculus 26. ff. de damn. infect. l. cum eo 9. ff. de serv. urb. prad. l. altius 8. C. de serv. & aqua.* non ut quis alteri non nocere per jus naturæ prohibetur, ita & jubetur alteri prodesse cum suo incommodo pro alienis commodis suas invenire difficultates nemo cogitur. *l. si quando in pr. C. de in off. Test.*

2. Uti per exemplum venarum in suo fundo incisarum, ut aqua inde ad vicinum non defluat, exponit JCtus in *l. si in meo 21. ff. de aqu. & aqu. pluv. arcend.*

3. *l. nemo 151. l. factum 155. ff. de R. I.*

4. *l. fluminum 24. §. fin. ff. de damn. infect.*

5. Hoc inter requisita actionis de qua pluvia arcenda numeratur *l. 1. §. de eo opere §. denique Marcell. ff. de aqu. pluv. arcend.* Non an nocitum sit, sed an ex mente facientis noceatur spectandum. *Capell. de S. R. P. c. 5. num. 3.*

6. *d. l. fluminum §. fin. ibi Gloss & Dd. de damn. infect. Alcinat. de præsumpt. Reg. 3. præs. 23.*

7. Pro hoc fine licet aggeres struere, aquam arcere, aliaque facere etsi alteri sint incommoda *l. 1. §. de eo 3. §. in summa 15. l. apud Trebat. 3. ff. de aqu. pluv. arcend.*

8. *In l. 2. §. 1. idem Labeo ff. d. tit.* definitur, quod si vicinus flumen vel torrentem averterit, etsi eo modo factum, ut vicino noceatur cum eo aquæ pluviæ arcendæ actione agi non posse. Simile habetur in *l. 1. §. sunt autem ff. ne quid in flum. publ.* ex quibus JCti hanc sententiam struunt, licere in suo aggere facere ne aqua in suum agrum influat etiam vicino hanc auferat *Cæpell. de S. R. P. tit. de aggerib. cap. 37. num. 5. Petr. Frid. Mind. de Mandat. lib. 2. c. 38. n. 5. Oldendorp. de act. class. 6. action. 21. num. 6.* cui si verba mera spectes, obstare videtur quod habetur in *l. 1. §. Neratius ff. de aqua pluv. arcend.* de specie aquæ ex palude exundantis & in agrum refluere solitæ per opus manufactum exclusæ, facientis locum actioni de aqua arcenda, si aqua exinde repulsa vicinis noceat. At ex mente congruit. Sonat quippe de ea specie, ubi contra loci naturam seu naturalem servitutem aqua ut fluere solebat, repellebatur cum alterius incommodo. Ex ista jus in consuetudine antiqua servandi facit ut aliud non liceat, sicut exponit *Accurs. in d. §. Nerat.* Aggeres contra aquas facere prohibetur, quas quis ex lege antiqua consuetudine aut pacto recipere tenetur *l. 1. §. fin. l. 2. pr. §. fin. l. Labeo 19. l. quod Principis 23. ff. de aqu. pluv. arcend. l. altius C. de serv. & aqua l. fin. C. de præscr. long. temp.* Et si vel similis utriusque species esset uti aliis visum, tamen facilis conciliatio foret *ex l. 2. §. idem Labeo ff. eodem*, ut acciperetur ita, si nocendi animo factum, quomodo ex hoc discernit JCtus licitum & illicitum.

TIT. XIII.

DE RATIOCINIIS OPERUM PUBLICORUM & DE PATRIBUS CIVITATUM.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XIV.

DE PIGNORIBUS.

DECISIO I.

Tertius possessor non liberatur ab actione hypothecaria oblatione ex bonis possessis quantum solutioni sufficit.

A Decreto, per quod tertio feudi possessori optio relicta erat, viduæ hypothecariæ agenti solvere aut tantum bonorum atque solutioni sufficit tradere, appellatione interposita, existimatum est ita decerni non debuisse. Primo enim repugnabat fini actionis hypothecariæ, quæ ad hoc intenditur, ut hypotheca à possessore avocetur & in illam creditor qui agit, immittatur donec creditum integrum solvitur, (1) Deinde contrariatur juri pignoris, quod individuum est, (2) inde quidquid sub pignore comprehendit creditori in solidum obligatur, (3) & non integro debito soluto quælibet res in solutum tenetur & vindicatur, (4) non tantum à debitore sed etiam à tertio possessore. (5) A cujus jure tertio alienum quoque est, ut is in solutum dare possit creditori, quod velit. Nec enim ei id beneficium competit; quod debitoribus quando pecuniam non habent, indultum est. (6) Ideo quarto juri debiti contrarium, ut invito creditori aliud pro alio in solutum detur. (7) Et licet quinto ejusmodi casus sit, ut datione rerum in solutum liberari possit debitor attamen nec

Digitized by Google

per tantum ejus est electio, quam dare velit; sed hæc est creditoris quam recipere velit. (8) Qui potest quidem constituta sibi generali hypotheca ex rebus quas velit eligere & hypothecaria prosequi. (9) At vero ut aliquibus contentus sit, easque soles aut persequatur aut capiat, minime obtrudendum est, sed cum in omnes immitti velit audiendus, dum ex individuo pignoris nexu in omnes æquale jus habet. (10) Quæ moverunt, ut non injuste appellasse crederetur, ideo audita *vidua Obristen Georg Bahren Wittiber des Herrn Reichs-Raths Baron Hanns Wachtmeisters. Witwer die 9. Sept. Anno 1657.*

1. *Vid. Odofredus, in Cauſſ. Alimen. ubi. in additio. Hypothecar. n. 7. ſeq.*
2. *l. rem hæreditariam 65. ff. de Eviction.*
3. *l. 1. C. ſi res alt. pign. erodat.*
4. *l. quamdiu C. de Diſtract. Pignor. l. ſi rem §. omnis ff. de Pignor. act. cujus rationem expoſitam vide apud Negutant. de Pignor. part. 8. membr. 1. n. 50.*
5. *l. Moſchus ib. Bartol. ff. de Jur. Fiſc.*
6. *in Novell. 4. c. 3.*
7. *l. 2. § 1. ff. de Reb. credit.*
8. *Vid. dict. Novell. 4. c. 3.*
9. *Negutant. de Pignor. part. 8. membr. 2. n. 4.*
10. *Vid. Fab. in Cod. l. 8. tit. 6. defin. 39.*

DECISIO II.

Impoſito licet arreſto ex arreſtatis tamen bonis alimenta & litis impendia neceſſaria ſunt porrigenda.

CUm lite pendente debitoris bona eſſent arreſtata nec illi aut alimenta neceſſaria aut litis ſumptus adeſſent, decretum eſt ad hominis miſerabilis petitionem ex bonis arreſtatis tantum atque pro utraque neceſſitate opus præberi debere. Quando enim ea bona unde victus habendus vel parandus eſt arreſto detineri fas non habetur, (1) ſequitur arreſta intelligenda eſſe ſalvis alimentis, ideoque quantum ad hæc ſatis detrahendum (2) quæ etiam adverſa pars ſubminiſtrare indigenti tenetur ubi de alimentis agitur. (3) Qualis lis erat, ubi de arreſto ſuper iis ſine quibus victus haberi non poterat contendebatur. Similis ratio eſt ejus qui litis ſumptibus eget. Quos cum poſſeſſor bonorum de quibus litigatur præſtare cogatur, (4) utique multo magis pati debet ut ex arreſtatis propriis bonis tantundem porrigatur. (5) *In cauſſa Johann Bracken contra Johann Stöbelowv hæredes, die 22. Septembr. Anno 1655.*

1. *Coler. de Alimens. lib. 1. cap. 19. num. 26. Mollor. ad Conſtit. Saxon. 29. num. 23. part. 2.*
2. *arg. l. a Divo 15. § de conditione ff. de re judic.*
3. *Poſt Joſeph. Ludov. diſc. 20. de arbitr. Piſtor. part. 1. quæſt. 20. num. 5.*
4. *l. ſi inſtituta § de inofficioſo ff. de inoffic. teſtam. l. 2. C. de Carbon. Edict. l. fin. C. de Ord. Cognit. de quarum legum intellectu prolixius vide apud Covarruv. quæſt. pract. cap. 6. Hartm. Piſtor. dict. quæſt. 20. num. 1. & ſeq.*
5. De ſuo potius quam de alieno quisque alendus eſt.

DECISIO III.

Non ſolùm debiti veritas & ſolutionis æquitas ad arreſtum ſufficit ſed requiritur ut ea ſine omiſſo ordinario proceſſu illud exigens.

PEtebatur arreſtatio mercedis ex ædium conductione ſolvendæ pro debito pro quo ædes iſtæ erant oppignoratæ. Etſi verò debitum ex inſtrumento oppignorationis erat liquidum, præterea æquum ex hypotheca ejusque fructibus ſatisfieri creditori, inde etiam non injuſtè arguebatur iniquitas debitoris fructus ædium, qui ſunt in mercede, annuatim percipientis nec debiti ſortem vel uſuras ſolventis, haud tamen ad arreſtum impetrandum id ſufficit. In quo non tantùm an debeatur, ſed etiam an per illud exigi debet conſiderandum. (1) Quod remedium planè extraordinarium, (2) odioſum atque executionis ſpecies eſt, (3) nec ab eo proceſſum incipere juſtum, (4) niſi ubi poſthabitis ordinariis juris remediis ad illud decurrere neceſſarium atque licitum. (5) Quisque enim ordinariam juris viam tendere debet, nec ab ea niſi ex gravi cauſa ad extraordinaria deflectere licet. (6) Quare cum illa ſimul non allegaretur negatum eſt arreſtum & ſupplicans in competenti foro agere juſſus *ad ſupplicationem hæredum Jacobi Beckmans contra Annam Krägen die 6. Octobr. Anno 1655.*

1. Arreſta regulariter ſunt prohibita. *Schurff. conſil. 15. num. 1. ſeq. cent. 3. Mynſing. reſp. 66. num. 14. deciſ. 7.* ideò non ſunt juſta niſi ex acceſſione cauſæ ſpecialis, quæ juſtificat. *Gail. de Arreſt. imper. cap. 11. num. 3. De cauſis arreſtorum juſtificis ſcripſi inter. de Arreſt. cap. 6. per tot.*
2. *Mynſing. dict. reſp. 66. num. 15.*
3. *Gail. dict. tract. cap. 1. num. 10.*
4. *Arg. l. 1. & 2. C. de Execut. rei judic. Coler. de Proceſſ. Executiv. cap. 7. num. 1.*
5. Non niſi in ſubſidium & ubi juris copia ordinaria via, facilè capi nequit ad arreſta deveniendum eſt. *Mynſing. dict. reſponſ. 66. num. 13.*
6. *l. ſtatuliberum 37. ff. de Minorib.*

Digitized by Google

DECISIO IV.

Annuos reditus super cereis villis vel agris constitutos etiam ex præterito tempore debet novus possessor, nisi exigenti mora vel culpa potest imputari.

ONera realia tanquam rei affixa & cohærentia cum rebus transeunt ad quosvis possessores. (1) Nec tantum ita ut in futurum debeantur; sed etiam si quæ tempore præterito debita ac non præstita fuerint, novo successori incumbunt. (2) Cum itaque talis reditus qui ex villis vel agris quorannis præstari solent; *jährliche Rente, Pächte oder Hebungen*, onera realia sunt, (3) & in eo tributis similia, (4) utique etiam ab illo, qui ad quem villa vel ager translit, imposterum debentur; (5) nec ei excussionis exceptio competeret. (6) Tantum obstabit vel mora in exigendo, vel culpa si cum debuit, exactionem justo tempore non fecit. (7) *Uti factum ad supplicationem des Pastorn zu Bukow vvider die Pölische Beambten die 12. Decembr. Anno* 1656.

1. Juxtà regulam; Res transit cum suo onere, *l. si debitores* 12. C. *de Distract. Pignorum.*

2. *l. cujus* 13. *in pr. l. stichus* 20. §. *item* 2 *ff. de Aliment. Legat. Valasc. de jur. Emphyt. quæst.* 52. *num.* 14. *Covarruv. lib.* 3. *Var. resolut. cap.* 7. *num.* 7.

3. Siquidem rebus ipsis impositæ sunt, talem speciem assumant. Sunt enim realia, quæ à rebus, non à personis debentur, *l. fin.* §. *ff. de Muneribus.*

4. De his ita constitutum, ut præterita etiam debeantur à successore, *l.* 2. C. *de Annu. l.* 2. *l. fin. C. de Cens. vel Reliq.*

5. *Salvet. in l.* 1. §. *fin. C. sine cens. vel reliq. Carpzov. in respons. Electr.* 98. *per tot. lib.* 3. *Petrasan. de Redit. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 3. Ratio manifesta est ex jure hypothecæ, ut & quasi cujusdam servitutis, quæ possessorem sequitur.

6. *Roderic. de reb Eccles. non alien. rubr.* 16. *n.* 66. *Valasc. dict. tract. quæst.* 33. *num.* 4. *Azeved. ad Constitut. Hispan. lib.* 5. *in L.* 1. *num.* 8. *& seq.*

7. Cum per petitorem stetit, quo minus ab anterioribus pensiones solutæ fuerint, ut si potuisset exigere, & non exegit, frustrà possessorem compellat. *Surd. decis.* 32. *num.* 9. *Rocaric. de Ann. Redit. lib.* 2 *quæst.* 22. *num.* 42.

DECISIO V.

Pignoris jus impedit alienationem proprii hominis & tribuit revocationem, nisi sine ea satisfactum sit creditori.

QUando quis villam aliquam rusticam creditori oppignorat, simul etiam rusticum seu proprium hominem qui in villa ista habitat tanquam glebæ ascriptum oppignorat. (1) Ubi fundus villam, & rusticum pignus afficit. (2) Ideoque dubium non est, actione pignoris actione cum rusticum vindicari posse, quem debitor in illa villa relinquere debuit. Cujus debitum ex bona fide est, fundum pignoratitium in aliqua rustici alienatione non facere deteriorem. (3) Etsi enim dominus jus integrum ipsi maneat, (4) ex pignoris tamen nexu restrictum quod efficiat, ne quam debitor in detrimentum pignoris aliquid faciens ad ipsum efficaciter teneatur, (5) quam qui rem pignoratam ex alienatione injusta accepit per locutoriis in rem actioni obnoxius sit. (6) Sic decisum *in causa Joachim Bohren Schwe. contra Jalium Paul von Schmatzhagen, die* 12. *Januarii Anno* 1656.

1. Est enim rusticus portio & accessio glebæ *l. olim servus* C. *de Agric. & censit. Scherar. in l. hac edictali* §. *hoc illud num.* 3. *& 4. C. de secund. nupt.* eidem quasi membrum affixus. *l. cum sancimus* 23. C. *de Agric. & censit.*

2. In quavis obligatione & alienatione sequitur fundum rusticus, nisi fuerit expresse exceptus *l. executores* 6. *verb. servos aratores.* C. *Quæ res pign. oblig.* Quemadmodum illa in genere de omnibus reliquis rei oppignoratæ pertinentiis statuitur.

3. Creditor pignoris conditionem creditori non potest ulla ratione facere deteriorem; si fecerit, eo nomine actio est *l. debitorem* c. *de Pignorib.*

4. Pignus non est modus transferendi vel mutandi dominii *l.* 35. §. 1. *ff. d. Pignor. action. l. rescriptum* 12. *pr. ff. de Distract. pign.*

5. *l. si in pignore* 14 *ff. de fidejussor.*

6. Transit res quæque cum suo onere, ideo actio in rem ex pignore sequitur possessorem. *l. pignori* 16. *Dd. C. de Pignorib.*

DECISIO VI.

Vis hypothecæ in villa rustica constitutæ qua rusticos.

CUm quis alteri in villa rustica *in einem Bauerhofe* hypothecam constituisset & istius tunc incola fuisset homo proprius eique plures liberi, deinde vero per belforum tempestates rusticus mortuus, liberi ad alia loca abiissent, aliquis vero eorum à debitoris filius revocatis non ad villam hypothecatam, quæ bello devastata erat, sed aliam rediisset, quæsitum fuit, utrum vis ejus hypothecæ ea quoque sit, ut actionem contra liberos rustici vel eorum nomine pareret? Visum fuit hypothecam primitus constituram non tantum agros & domum, sed cum villa rusticum, ut glebæ ascriptum & portionem ejus comprehendere. (1) Deinde existimatum est, non tantum illum qui tunc

vixit

vixit hominem proprium ibi habitantem ista comprehendi, sed etiam liberos ejus. (2) Attamen juxta creditum, non ultra quam ut eorum quisquam post casus parentis villæ portio & colonus sit. (3) Inde etiam hoc debitum debitoris ut efficiat, quo decedente per sortem vel alium casum villico rustico alius in ejus locum surrogetur. (4) Isto facto non est quod creditor ultra exigat. (5) Omisso vero eo superest creditori liberorum quemquam villæ idoneum persequendi non tantum contra debitorem, sed etiam contra tertium possessorem. (6) Ei tamen exceptio competit ex modo alienationis. Ideoque ut hanc licitam & sine fraude factam ostendere potest, ita ex legitima acquisitione aut excussionis exceptione defendendus est. (7) *In eadem causa.*

1. *Per l. executoris verb. servos arantes C. quæ res pign. oblig.*

2. Liberi rustici sequuntur conditionem parentum & sua nativitate veluti glebæ ascripti habentur. *l. Originarios C. de Agricol. & censit.*

3. Est quidem ex moribus locorum, ubi rustici sunt proprii homines, hoc non in usu ut non parentes tantum, sed etiam liberi pro glebæ ascriptis habeantur, *uti sæpius inter decisiones nostras annotatum reperies*, attamen simul etiam hoc juris & moris, quod dominis fundorum eos alienandi manumittendi ab una villa ad aliam transferendi jus sit. Nec hoc adimitur ultra per oppignorationem bonorum, quam ne villa der Hof cujus ille est, videtur colono. Qui ubi in villa manet de liberis statuendi arbitrium superest. Non enim verisimile est, aliter quam quatenus villa colono eget liberos in pignus venisse, ideo nec comprehendantur *arg. l. 1. C. quæ res pign. oblig.*

4. Sic per consuetudinem Pomeraniæ res se habet, quod qui villam & ibi rusticum einen besetzten Hof habet, illius sunt rustici qui pro tempore ibi est & omnes liberi. At simul potestas ejus manet ex dominii directi utilisve jure rusticum ejusve liberos ad alium usum transferendi vel alienandi, quamdiu aliorum in jure quæsito non impeditur. Impediturantem, quando alii in eo pignus constitutum est. Ex hoc debitum oppignorantis est, ut semper villam in eo quo fuit statu conservet, hoc est, daß er den Hof also wie er ist/ besetzet lasse und erhalte. Quando hoc præstat, non est adempta facultas liberos ejus rustici ad alios usus transferendi vel alienandi mag mit den Baurkindern machen was er will. Huic per mores nostros non resistit pignus.

5. Surrogatum in pignoris locum sit pignus *l. grege 13 per l. fidejussor. 26. §. fin. ff. de Pignorib.*

6. *Per text. express. in d. l. fidejussor. 26. §. fin. ubi mancipia ex pignoratis nata vindicantur à creditore cum ipso fundo oppignorato.*

7. Siquidem eo tempore quo fundus colonum habet rustici liberos dominus ad alios fundos transtulerit vel aliter alienaverit, postea illo colono mortuo non est repetitio liberorum, qui juste alienari potuerunt, non attento quod villa à colono vacua est, *secus de talibus speciebus immobilium mobilibus.*

DECISIO VII.

Postquam creditori ex fundo satisfactum non superest adversus ejus successores, ulteri rusticum actio.

UT creditori ex rebus hypothecatis satisfiat electionem habet, nec non persecutionem totius rei cum omnibus accessionibus, etsi multo pluris valeat quam debetur. Ast postquam elegit ex quo satisfieret, & hoc ipsi per judicem adjudicatum vel assignatum fuit, non est jus alia persequendi. (1) Ita quando cui villa una cum proprio homine ejus villico oppignorata erat, ab initio facultas fuit non tantum ipsam villam sed etiam proprium ejus hominem tanquam glebæ ascriptum ut portionem ejus nec non liberos ex ipso natos persequendi. (2) At si passus est in fundo solo sibi crediti quantitatem addici, non supereat de rustico actio ei cui satisfactum est. (3) Nec potest conqueri de inutilitate fundi sine rustico, postquam semel ita in solutum acceptavit contentus solo agro. (4) Qui æstimatus à villico vacuus, quia pro credito sufficiens putatur, non relinquit locum rustici in æstimationem & adjudicationem non venientis vindicationi. (5) Itaque cum reus allegaret ex solo agro jam esse satisfactum creditori rusticum vindicanti ad probandum id tanquam relevans admissus est. *In eadem causa.*

1. Qui semel judiciali addictione accepit pignus etsi non sufficiens, ultra quid petere non potest, sed de reliquo transegisse videtur, *uti habent verba l. à Divo 17. §. si pignore ff. de re judicat. Hering. de fide jussor. cap. 20. §. 13. num. 25.* ubi rationem tradit, quod ea addictio vel datio in solutum venditionis instar habet. *l. prædium C. de evict. à qua non est discessus.*

2. *l. fide jussor. 26. §. fin ff. de Pignorib.*

3. *l. creditoribus 5. C. de serv. pign. dat. manum.*

4. Satisfactio pro solutione est *l. satisfactio 52. ff. de Solut.* & satisfactum ei intelligitur, cujus desiderium impletur. *l. 5. §. satis acceptio ff. de V. O.*

5. Recipiens in solutum res debitoris aliquas ea mente, ut sibi inde satisfiat, liberat debitorem, nec si infra debiti quantitatem est, earum precium reliqui petitio locum habet. *l. ex pluribus ib. gloss. ff. de solut. Caroc. de Excuss. bon. 1. quæst. princ. num. 12.* nec etiam querela de læsione *Hering. dict. tract. cap. 20. §. 21. num. 7. seq.*

In Sachen sel. Jochim Behren Sohne in specie Adam Detloff Behren Appellanten und Beklagten eins / entgegen und wider Julium Paul Schmatzhagen / Appellaten und Klägern andern Theils / in puncto vindicationis eines Bauren Jochim Zerner genannt / bleibt es bey der von Richter erster Instantz / den 5. Septembr. Anno 1654. publicirten Urtheil billich / es sey dann daß Appellanten / wie man in actis vorgegeben / beybringen können / daß Appellat dasjenige / was ihme

Digitized by Google

thme zu recht zusammen mag / in seiner hypothec so wie sie jetziger gemachtem zuet noch fähig worden / alsdann ergehet deßfalls ferner / was sich zu Recht gebühret / von Rechts wegen.

(Hoc est.) In causâ Joachimi Behren liberorum in specie Adam Detloff Behren appellantium & eorum ex unâ contra Julium Paulum *Schmeerbagen* appellatum & actorem ex altera partibus in puncto vindicationis alicujus agricolæ Joachimi Zermer dicti, sententiæ à judice primæ instantiæ 5. Septembris Anno 1654. publicatæ inhæremus, nisi appellantes prout in actis obligatur docere possent, quod appellatus illud, quod ipsi de jure competere potest in sua hypotheca sicut modo est jure factam taxationem capax factus; exinde ulterius fiet quod juris. *Idque de jure.*

DECISIO VIII.

Hypotheca anterior licet privatâ testibus probanda præfertur publicæ.

PUblicæ hypothecæ, quam acta publica continent, prærogativa in creditorum concursu constat. Ei autem æquiparatur quæ constituitur scriptura privata atribus testibus subscriptâ. (1) De ea autem quæ continetur scriptura privatâ, testibus verò non subscripta per istos tamen cum præsentes fuerint probandâ dubitari potest, cum verba legis faciant mentionem subscriptionis. (2) At quia ratio eadem est, (3) seu subscripserint testes, seu aliàs probent, rectius concluditur si quis hypothecam sibi privatim constitutam per testes probare velit, audiendum & probantem publicæ hypothecæ tempore posteriori anteferendum esse, (4) quod deterioris ille conditionis esse haud debeat ac qui instrumento publico docere queat, (5) nisi ex statuto vel consuetudine publicæ hypothecæ jus idque cæteris validius datum sit ei tantùm quæ apud acta contrahitur. Juxtà hæc judicatum & allegatio per testes probandæ hypothecæ admissa est *in causa Abraham Herlin & consortum contra Wilhelm de Manna, die 7. Aprilis Anno 1657.*

1. *l. scripturas* 11. C. *qui pot. in pign.*

2. *d.l. scripturas* 11. *verb. nisi forte probata aut integra opinionis trium vel amplius virorum subscriptiones iisdem idiochiris continentur.*

3. Ideò quippe prærogativa data est hypothecæ cujus fides publica est, ante illam quæ sola privatâ scriptura nititur, quod hæc contra tertium nihil probat. *l. rationes* 6. C. *de Probat. Auth. si quis vult. C. qui pot. in pign.* fraudibus obnoxia est, quarum suspitionem publica excludit *d. l. scripturas* 11. Quæ cessat ubi veritas oppignorationis testibus probari potest.

4. *Vid. Gail. 2. Observ. 24. num. 10.*

5. Par qua fidem & autoritatem vis & jus est instrumenti & testium *l. 1. ff. de Fid. Instrum.* ideo illi concessum his negari non debet.

6. *Exemplum ejus refert Gail. de Observ. 24. n. 10. vers. de Vicina Austriæ*, simile jus obtinet civitatibus quæ Jure Lubecensi utuntur, *sicut in commentario expressi.*

DECISIO IX.

Injustum est obtentum evictionis arrestum, etiam sine nedum oblatâ cautione relaxandum.

QUod quis impetraverat arrestum seu quod eidem par est, interdictum de non solvendo venditori pensiones & reditus ad colonos prædii, quod evictio metuebatur, injustum planè existimatum est, quia ejus nomine nihil debetur, nisi revera lis ab alio jam moveatur, (1) adeo ut nec interpellatio extrajudicialis vel jactatio alicujus sufficiat. (2) Apparebat potius ex circumstantiis calumnia ejus, qui impetraverat, & quod vexandi adversarii causâ non ex necessitate rogaverat. (3) Est non aliter pro evictione arrestum vel interdictum fructuum, quam ubi à venditore revere necessarium. (4) At minimè id necesse nisi vel in limine contractus immineret evictio. (5) Vel periculum postea accedit, adversus quod cautum esse oportet, nec aliter nisi satisdatione cautum est. (6) Ubi debitor evictionis dives & bene possessionatus est, cautione non eget. (7) Ut verò etiam sine eâ arrestum tunc illicitum, ideo relaxandum, ita multo magis quando cautio offert. *In causâ Johann Rebloffs contra Nicolaum Demelm die 26. Aprilis Anno 1656.*

1. *l. si post perfectam ib. Dd. C. de Evictio. l. habitationum § fin. ff. de Pericul. & comm. rei vendit.*

2. Aliud est agere, aliud agere velle, *l. amplius ff. Rem. rat. habit.*

3. Etiam iis casibus, ubi super evictione cautio præstanda est, ea non injungenda est, ubi non nisi per calumniam exigitur. *Vid. Heig. part. 1. quæst. 36. n. 14.*

4. Necessitas satisdationis est regula justitiæ arresti pro evictione.

5. *d. l. si post perfectam ib. Dd. C. de Evict.*

6. *Molin. ad Consuet. Parisiens. tit. §. 22. num. 56.*

7. Ab eo qui dives & bene possessionatus est, evictionis nomine cautionem non exigi, communis opinio est, *Affict. decis. 171. in fin. Menoch. de A. J. Q. lib. 2. cas. 224. Surdus decis. 295. num. 3. seq. & decis. 381. num. 5. seq.*

DECISIO X.

Tertius possessor hypothecaria conventus extra possessione jam dejectus ad liquidationem allegata solutionis admittendus est.

ESt quidem juri consonum, quod ex jure tertii agere non licet, (1) nec de jure tertii

Digitized by Google

tertii excipere; (2) at pertinet ad jus tertii quod alium nihil refert, vel qua alium sinit integrum tertii jus. At verò si ad alium sic spectat, ut vel ex eo jus certum & ad agendum efficax habeat, aut præter illud jus tertii peculiare quoddam alteri competat, ex quo etiam contra tertium justa est petitio licet ex eo experiri. Similiter ubi jus tertii excludit vel tollit omninò Jus agentis, de eo justa est exceptio. (3) Quare cui velut creditori fundus insolutum datus est, contra alium creditorem quamdiu possidet, exceptione solutionis creditori communi factæ justè utitur, (4) ideò ob eam rejectam appellandi causam habet. (5) Si autem possessione cecidit, quia jure offerendi gaudet & ex eo actionem habet, (6) ea ratione ipsi facultas est allegandi solutionem & ex ea liberationem; (7) Ut etiam sciat, quantum ipsi solvendum vel offerendum sit, utroque ergò casu seu possidet seu non, convenit jus exigendi liquidationem. (8) Quæ ex hac ratione admissa est *in causa hæredum D. Klapmeyern contra Detloff Schulten, die 24. Septembris Anno* 1656.

1. Ex quo enata est exceptio, quoad te liberas ædes habeo, *l. loci corpus §. 4. c. competit 7. ibi gloss. ff. si servit. vind.*

2. *l. si donationis 9. §. 1. de Condict. caus. dat. l. si socer. 44. §. 1. ff. solut. Matrim.*

3. Jus tertii exclusivum juris agentis vel in totum vel pro parte à quovis allegari potest & allegatum prodest, *uti latè id explicat Zanger de Except. part. 3. cap. 26. num. 735. seqq.*

4. *In terminis ita concludit & judicatum ait Anton. Faber in Cod. lib. 8. tit. 6. defin. 18.*

5. Rectè provocat, cui adimitur aut negatur exceptio legitima, quæ defensio est, nemini auferenda.

6. Creditor secundus contra alium qui à debitore accepit rem non legitimè distractam, jus offerendi & ex eo vindicandi habet, *l. 1. C. si antiq. cred. pign.*

7. Solutionis exceptio peremptoria est.

8. Quod non amplius debetur, id nec offerre tenetur, ut itaque quid offerendum constet, examinandum facta liquidatione quid restet.

DECISIO XI.

Tertius pro suo interesse ad excludendum agentem vel defendentem interveniens in omnibus litis articulis cum effectu, ut sine eo nihil inter litigantes in causa fiat, & ut plenè audiatur, admittendus est.

CUm inter debitorem & primum creditorem causa agitur, secundi maximè interest syncerè & sine collusione cuncta agi. (1) Nec dubium licere secundo pro suo interesse intervenire, cum si possidet rem, in quam primus creditor immissionem ex potiori jure intendit ad defendendam possessionem, tum ad excludendam planè agentis intentionem. (2) Et sive aliud debitor sive solutionis exceptionem objiciet tertio, fas est ad evitandam omnem collusionem inspicere, quæ tractantur, atque ut pro interesse admittatur & audiatur desiderare. (3) Si itaque debitor indebitum vel solutum obtendit, ut tertii possessoris sive secundi creditoris maximè interest circa probationes seu liquidationes rectè, dextrè & circumspectè procedi, non potest sine injuria aut excludi ab iis actibus qui suscipiuntur liquidationis causa, aut sic saltem admitti, ut videat vel audiat fieri simul, non autem quæ illuc spectare videntur, proferat. (4) Sicut istius magis ferè quam debitoris interest, exactè & syncerè talia expediri, (5) ità & non minus admitti atque audiri debet. Ut non sine ratione existimatum sit malè secundo creditori præsentiam in liquidationis actu permissam cum tali restrictione, ut videat tantùm fieri, ultra non audiatur. (6) *In eadem causa.*

1. Id enim secundus tantùm habiturus est, quod deducto potiore credito supereſt, *l. 20. ff. de Solut.*

2. *Gail. 1. Observ. 70. num. 19.* adeò ut etiam invitis atque nolentibus his qui principaliter causam agunt, interventio locum habeat & admitti debeat. *l. si per lusorio ff. de appell. l. principaliter C. de Lib. caus.*

3. Ut necessaria sic probabilis interventio est, quoties inter litigantes suboritur collusionis suspicio. *l. si suspecta ff. de inoffic. testam. l. ab executore §. alio ff. de Appellat. Auth. Nunc si hæres C. de litigios.* Collusio debitoris haud debet nocere tertio possessori. *l. 1. §. si possessor d. 5. §. si hæres l. si per lusorio 14. ff. de Appellat.*

4. Propria causa ejus est, ex quo lucrum speratur, aut damnum metuit. *l. si procuratorio §. sed si alius ff. quo ad appellandi.*

5. Quidquid jure permittitur, cum effectu permissum intelligitur, nempe ut finis actus obtineatur omni melori modo.

6. Debitor, cui nihil ex re, de qua agitur, permansurum est, quod non capit prior creditor deventurum ad priorem, minus sollicitus præsumitur.

In hac causa ita pronunciatum fuit;

In Sachen D. Johann Klapmeyers und Everdt Wegen Erben appellanten wider Detloff Schulten zum Dauterich und dessen Curatorem ad litem Johann Heinrich von Brobergen appellaten in puncto liquidationis werden die gravamina als überflüssig nicht angenommen / sondern auß den acten erster Instantz so viel befunden und erkannt / daß appellanten mit ihrer gegen deß appellaten Foderung wider derselben Autoren Ortgies und Detloff Schulten vorgebracht entgegen gesetzten Abrechnung billich zu hören / und zur liquidation zu verstatten. Demnach dann appellate zuforderst Procuratorem ad acta zu constituiren auff dero den 12. Augusti Anno 1656. also genannten exception-Schrifft und elisivam liquida-

Digitized by Google

quidationem singulariter singulis zu antworten schuldig. Gestaltsam demselben proxima mit der Antwort einzukommen aufferleget wird. Von Rechtswegen.

Publicatum im hohen Tribunal zu Wißwarden 20. Octobr. Anno 1656.

(Hoc est.) In causa D. Joannis Clapmeyers & Everdi *VVegen* hæredum appellantium contra Detloff Schulten in Dauterich & ejusdam curatorem ad litem Joannem Henricum à Brobergen appellatũ in puncto liquidationis, gravamina ut superflua non recipimus sed ex actis primæ instantiæ decernimus quod appellantes in sua contra appellati prætensionem contra ejusdem authores Ortgies & Detloffs Schulten propositum econtra positas rationes merito audiendi & liquidatio indulgenda, Inde appellato incumbit inprimis procuratorem ad acta constituere ad exceptiones 12. Aug. 1650. exhibitas & elisivam liquidationem singulariter singulis respondere, prout proximam ut responsiones exhibeat præfigimus. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 20. Octobr. Anno 1650.

DECISIO XII.

Possessori ex generali hypotheca convento non competit qua cæteros possessores rerum sub illa comprehensarum divisionis exceptio.

DOnatarius ob debitum Capituli dissoluti hypothecaria actione conventus exceptionem divisionis opponebat, quod bona ejus generaliter creditori oppignorata, penes plures ex Regia donatione essent, intendens ut pro rata accepti donationis tantum condemnaretur. Illegitima visa est in hac specie illa exceptio. Non enim quomodo cum plures personali actione pro eodem debito obligati sunt, divisionis exceptione gaudent, (1) ita & cum res plures pro eodem credito oppignorantur, eodem jure utimur. Differentia est inter personale & in rem & reale debitum. (2) Quæ in rem ex hypotheca obligatio est indivisibilis existit, (3) ideo divisionis & excussionis exceptioni non locus. (4) Nihil mutat ex hoc jure quod S. Regia Majestas debita Capituli voluit esse communia & ab omnibus donatariis collatis pro rata per singulos portionibus exsolvenda; Ex eo quidem inter ipsos invicem ad conferendum actio erit, non vero contra creditorem hypothecaria agentem exceptio. (5) Ex hujus jure nihil per Regiam Donationem mutatum est, nec mutari potuit. *In causa Henrici von Gerstenbergen contra Heinrich Boysen Erben die* 30. *Junii Anno* 1657.

1. Sicut ea fruuntur fidejussores ex beneficio D. Adriani, *l. non recte* 3. *C. de fidejussor.* & duo rei debendi, *ex Novella* 99 *c.* 1.

2. *Uti annotat Fab. in Cod. l.* 8 *tit.* 6. *defin.* 2.

3. *l. rem hereditariam* 65 *ff. de Evict. l. in executione* 85. §. *ult. ff. de V. O.*

4. *Exemplum de coheredibus habet & exponit Fab. in C. dict. tit.* 61. *defin.* 5. A quibus hic argumentum recte ducimus. Nam si reali actioni hypothecaria conventio hæredi non competit, quo cohæredes, multo minus ei locus erit contra condonatarios. *Et in terminis idem habet in dict. tit.* 6. *defin.* 40.

5. His non præjudicant cum aliis acta, *l.* 1. *tot. tit. C. res int. al. act.*

DECISIO XIII.

Ius detractionis pro ejus exercitio fundat arrestum & jus retentionis.

APpellantes pro impetrandis processibus allegabant sibi injuste injunctam ejus pecuniæ solutionem; quam pro decima, quæ civitati ex jure detractionis ipsi competente asserebatur, retinebant. Existimata est non injusta illa allegatio, quando per constitutiones imperii pro tali detractione arrestandi licentia facta seu approbata fuit, (1) multo magis jus retentionis pro eo licebit, veluti quod instar defensionis atque exceptionis habet, atque competit his, quibus justa est actio. (2) Nec potest obsistere controversia quæ juri detractionis ex conditione personarum vel rerum movetur, ubi certa est civitatis potestas decimandi; (3) Saltem in dubium vocatur, utrum in eo qui occurrit casu locus esse queat, de quo sic agendum est, ut finita lite omnia civitati sint integra, quæ à jure competente ob litem ab alio motam decedere non cogitur. (4) Juxta quæ decretum *in causa Burgermeister und Rath der Stadt Greiffswvald contra Jacobi Schmiedes Erben die* 22. *Januarii Anno* 1659.

1. R. A. zu Regenspurg *de Anno* 1594. §. und so viel die ungleiche *verb.* gewohnlicher hergebracht Nachsteuer.

2. *l. quod si* 17. *ff. de Petit. hared. l. si non sortem* 26. §. *si centum* 4. *ff. de Condict. indeb.*

3. Ubi jure publico retentionem quis habet, actio denegatur. *l. quod bona* 15. §. 1. *ff. ad L. Falcid.*

4. *l. fin. C. de rei vindic.*

DECISIO XIV.

Arresti petitio, cum apparet injusta, etsi oblata à petente cautione sufficientissima, tamen rejicienda est.

ARresta non levis præjudicii atque incommodi sunt, tum ad famam arrestatorum mutilandam, tum ad incommoda perso-

Digitized by Google

personarum & rerum super quibus demittur libertas. (1) Quare à judice extra illos casus, in quibus per leges necessaria facta sunt, cautè imponenda & cum ideo multa requirantur, quæ circa impositionem observanda, non nisi ex iis existentibus ad hanc properandum. (2) Unde non tantum partibus, sed etiam judicibus malè & imperitis periculum imminet. (3) Quod ut illi judices avertant, solent sibi prospicere injuncta petenti cautione in eventum, si injustè arrestum petitum injunctumque fuisse apparuerit de præstando judice & judicio indemni. (4) Cæterum ubi talem cautionem oblatam non minus circumspectè circa arresta judex versari debet. (5) Non enim ideo, quod post consultum, alium debet in quæ impositione vexare & incommodo afficere, cujus interest, non affligi potius quam post damna remedium quærere. (6) Erroneum est quod quidam sibi imaginantur, præstita cautione à judice arresta non denegandæ esse, seu ab eo non examinandas causæ, ob quam petuntur, circumstantias. (7) Ad illam speciem pertinet cautionis præstatio, ubi dubium est, an arrestum locum habet, (8) minimè verò, ut judex cæco impetu personas vel res aliorum indebitè detineat, modò ipse ex cautione securus sit. (9) Est hoc alienum à judicantium officio, qui non debent nisi omnibus exactè perpensis de jure & justo statuere. (10) Incumbit iis arresta injusta, si seducti decreverint statim, ubi iniquitas apparet revocare, (11) multo minus debet sub clypeo cautionis imponere, ubi providere potuit, & debuit esse injusta nec substituta. (12) Contrariatur judiciorum rationi in quibus non nisi quod juri convenit debet statui, (13) Repugnat justitiæ, injuriam ex quacunque ratione alicui inferre. (14) Nec cautio potest injustum reddere justum aut mutare justitiæ rationem. (15) Isti tribuere ut quis injustum consequatur, alii injuria fiat nihil aliud est, quam malitiis indulgere, (16) & calumniis nocentissimis licentiam dare. Haud convenit injusta petere, (17) si fiet, officium judicis est iniquas petitiones statim repellere, (18) non iis fomentum vel auxilium præbere. (19) Non attenta itaque cautionis oblatione, rejecta est arresti petitio, ubi ab initio injustum videbatur, die 22. Februar. Anno 1659.

1. *Quod imposui in tract. de Arrestis cap. 4. num. 5. seq.*

2. *Vide de hoc probè attendendum monitum Gailii in tract. de Arrest. imper. cap. 1. num. 11.*

3. Ob injustum arrestum non tantum impetrans, sed judex imponens injuriarum actione convenitur. *Gail. dict. tract. cap. 14. num. 1.*

4. De ea cautionem petendi & præstandi consuetudine plura annotavi *in dict. tract. de Arrestis cap. 13. num. 5. seq.*

5. Cautio non spectat ad justitiam arresti nec eam facit, sed tantum ad securitatem, ubi impetrans perperam narravit atque petit. *Coler. de Process. Execut. part. 2. cap. 2. num. 126.*

6. *l. 1. Cod. quand. lic. unus. sin. judic.* Aliquando quidem non refert jure an injuriâ quid fiat, ubi satis cautum. *l. Prætor. 20. §. nec quicquam 11. ff. de N. O. N.* sed ad illam speciem hoc pertinet, ubi ex cautione omnia accipienti integra sunt; quod de arrestis dici nequit, quæ magnum incommodum inferunt, ut nullum interstitium potius non imponi quam tolli.

7. Cautio non liberat judicem ab officii necessitate.

8. *Juncta l. ex facto 35. §. 1. ff. de Hared. instit.*

9. Sicuti cautio indebitum non potest facere debitum, *l. pater 7. §. pen. ff. de don. prælog.* sic nec efficere, ut actio vel arrestum sit justum ubi ei de jure non est locus.

10. Perspiciendum judici ubi, ne quid nimis detrimentosius aut remissius statuatur, quam causa deposcit, sed perpensis judicio, prout quæque res postulat, statuendum *l. perspiciendum 11. præt. ff. de Pœnit.*

11. *Gail de Arrest. cap 3. num. 5. Peck. de jur. sist. cap. 45. num. 21.* ubi tradunt, etiam parte absente & inscia, imo & reluctante, dissolutionem arresti statim fieri.

12. Frustra datur quod injustum *l. sicut 26. ff. de Testament. tutel.* supervacuum enim & inane est si injustè fit *l. fin. Cod. de hared.*

13. In judicio audiri minimè debent ad iniquitates venientes. *l. si quæ 11. Cod. de reb. cred.*

14. *l. cum quis 10. Cod. de Natural. lib.*

15. *l. quia 6. ff. de suspect. tutor.*

16. *Contra l. in fund. 38. ff. de rei vindic.*

17. Calumnlantium dolis & machinationibus, ne æquis & bonis viris periculum struatur, prospiciendum. *l. ex quo 12. §. & hoc quidem 7. Cod. de Ædif. privat.*

18. Juri contraria postulare non oportet *l. nec damnosa 3. Cod. de Precib. Imper. offer.*

19 *l. si si legib. 5. C. si contr. jus vel. util. public. l. 2. Cod. si adv. vendit. pignor. l. inutilib 12. Cod. de Rei vindic.*

DECISIO XV.

De Privilegio, quod pecuniam ad rei venditionem credens habet ejusque effectu & usu.

APpellanti intentionem suam inter alia fundanti super privilegio personali, quod credens pecuniam ad rem emendam habet, ex adversa parte plura opponebantur, quæ rationem dubitandi non levem faciebant, cur ille hoc privilegio uti non poterat. Et quidem primo, quod circa mutuum non reperiebatur dictum ad emptionem creditam esse pecuniam, quod ad illud privilegium aliqui necessarium faciunt. (1) Secundo quia res empta non amplius exstaret, nec emptio duraret,

Digitized by Google

sed venditor ab emptione recesserat, inde perinde esset, atque si venditio facta non esset. (2) Et licet tertiò venditor ad interesse condemnatus pecuniam debebat, tamen hæc in locum rei non succederet. (3) Quarto quod contra tertium possessorem rei emptæ vel quæ ejus loco succedit ex privilegio personali nihil juris superest; (4) cujus loco is, cui pecunia in solutionem cesserat, esse videbatur. (5) Non levia hæc videbantur. Tanti verò momenti hæc reperta fuere, ut non appellanti concederetur usus privilegii, omodo suam fuisse eam pecuniam, ex qua merces comparata erat, constaret, de qua adhuc disputabatur. Primo nulla lex expressè hoc requirit, ut in conventione expressis verbis dicatur pecuniam ad emptionem mercium credi, sed sufficit id actu fieri. (6) Creditum ad finem illum ex se tribuit privilegium. Quando itaque appellans, qui institor seu factor fuit debitoris, dum negotia ejus gessit, pecuniam de qua lis erat ex suo marsupio nomine debitoris, ejus tamen voluntate, impendit, nihil impedit cum privilegio isto frui. (7) Secundum quoque nihil obstat. Non enim ex isto credito quæritur jus in re vel ad rem, sed tantum personale privilegium; (8) ex quo non in rem sed in personam agitur, ideo etiam re emptâ exstinctâ in id proficit, ut ex bonis debitoris creditori statim post hypothecarios ante chirographarios satisfiat. (9) Unde tertio nihil facit, quod illæ merces non manserint venditæ, sed venditor deinde pecuniam reddere debuit; quia nihil refert res exstet nec ne, (10) quinimo inde potius aliquod jus in pecunia sua adhuc exstante creditor habitus est. (11) Quarto pecunia à venditore reddenda apud ipsius hæredes adhuc erat, qui ex sententia emptori reddere debebant. Etsi vero hujus hæredes illam cesserant alii, cum quo nulla lis erat, nondum tamen litis facta fuit. (12) Nuda cessio charticea non tribuit dominium, nec transfert possessionem pecuniæ, sed solutio, (13) quam prævenit arrestum ab appellante impetratum. (14) Mansit itaque pecunia in ea conditione atque si cessa non esset, ideo etiam privilegii prædicti usus. Uti judicarum *in causa Philippi Adelhelmen contra hæredes Henrici Haverechstem die 9. April. Anno 1699.*

1. *Ex l. procuratoris §. plane ff. de Tribut. act.* quem textum JCti cum aliis legibus circa quæstionem de privilegio ad emendum crediti conciliant, ut distinguant utrum pecunia expresse credita sit, ad emendum annona, sed tantum à creditore ad id impensa fuerit. (1)

2. Paria sunt venditionem non contrahi & eandem non consummari, sed ab illa recedi. Contra quam à quo recedituur perinde habetur, ac si non esset initus. *l. 1. l. 2. Cod. quand. ab empt. reced.*

3. Juxta regulam vulgatam, in singularibus judiciis pretium non succedere in locum rei & vicissim *l. item si verberatum §. 1. ff. de rei vind. l. si servus 91. in fin. ff. de verb. oblig. l. quæ via §. ult. ff. de Furt.*

4. Privilegium hoc personale actioni personali tantum inhæret, nec non ad res extorquendi *Rebuff. in tract. de resignat. in favor. part. 3. quæst. 15. n. 16. seqq. part. 3.*

5. Postquam pecunia ab alio accepta & in alium translata est, non amplius manet debitoris, nec cujus ea fuit pecunia in eum juris aliquid superest *l. nam post fin. 13. §. 1. ff. de reb. credit.*

6. Non requiritur ulla lex expressa in conventionem, sed omnis, quæ de hac re loquitur, tantum requirit, credi ad illum finem *l. si veneri. 24. §. 1. l. qui in navem 26. ff. de reb. auct. jud. possid.* Nec est *in d. l. procuratoris §. plane ff. de Trib. act.* ea non venientis in tributum pecuniæ ratio, quod conventio expressa non processit, sed quod ad rem emendam illa non credita cum simpliciter mutuo accepta fuit, per illam res tantum comparata erat. Ex quo non est privilegium aliquod mutuanti, quia non fuit mutuum datum in illum finem.

7. Quâ actionem ex mutuo, *ideo & quâ* privilegium exigendi nihil refert utrum tibi credam & tradam ad emendam pecuniam, an venditori tuo nomine voluntateque tua eandem pro mercibus emptis solvam. Perinde inter me & te mutuum contractum est. *l. certi 9. §. si nummos meos 8. ff. de reb. credit.*

8. Privilegium exigendi, quod lex certis creditis adjicit, nisi hypotheca accesserit, tantum inhæret actioni personali. *l. nos Cod. qui pot. in pign. Zulius in l. privilegia ff. de reb. auct. jud. possid.* unde eorum privilegia ista personalia seu personæ dicuntur.

9. Hic est effectus personalis privilegii.

10. Privilegium, uti jam scripsimus, oritur ex credito, cui illud lex addidit. Inde nec rem sequitur, nec spectat.

11. Solet in tali specie etiam rei vindicationi locus esse, uti supra vidimus.

12. Non nudis pactis & cessionibus, sed traditionibus atque usucapionibus demum transferuntur rerum dominia. *l. traditionibus 20. Cod. de pact.* Quarum loco in incorporalibus est cessio.

13. *l. 3. C. de Novat.*

14. Arrestum servat rem integram, nec sinit quidquam mutationis fieri.

DECISIO XVI.

Arrestum honorum majoris securitatis causa impetratum non exstinguit jus retentionis.

PRo amoliendo retentionis jure inter alia etiam proferebatur, quod qui illud obtendebat conductor, fecerat ob prætensiones suas bona locatoris arrestari, indeque colligebatur, quod qui aliam securitatis viam elegerat, ultra locatoris fundum

Digitized by Google

dum eadem ex causa detinere non posset; eo minus quod per arrestum non levis injuria arrestato illata putaretur. Sed utut ob hanc, si ita se haberet, locatori integra futura est actio, ut de injustis arrestis injuriarum agi juris morisque est, tamen id per arrestum jure obtinere nequit, ut jus retinendi omissum vel amissum habeatur. (1) Neque enim jure prohibitum est pluribus cavendi modis securitatem suam quærere, nec abundans etiam cautela quæsita nocet. (2) Etsi itaque jam cautum sit, tamen si creditor putet sibi non satis cautum esse, integrum manet justis remediis uti. (3) Non excludit in talibus electio, nec adstringit ad hoc quod semel eligitur. (4) Qui idoneos fidejussores vel pignora habet, non eo minus potest impetrare missionem in bona (5) cui arrestum assimilare solet *ad supplicationem viduæ Colonelli Brunellen die* 13. *April. Anno* 1659.

1. Arrestum in hac specie tendit ad majorem securitatem, non ad eam quæ jam habetur abdicandam.

2. Juxt. *l. abundans ibi Dec. ff. de R. I.*

3. Pluribus modis cautum esse nostra interest *l. 3. §. fin. ff. de tibert. legat.*

4. In his electio non excludit *l. hæres §. quod si stipulater ff. de Fidejussor. vid Coler. de Process. Executiv. part. 1. c. 8. num. 30. & seq.*

5. *Hering. in tract. de Fidejussor. cap. 20. §. 35. num. 1. seq.*

DECISIO XVII.

Creditori generalem hypothecam habenti, utut electâ una re, aliam vindicare & persequi integrum est.

POstquam inter creditores super prioritate decisum, & quibusdam solutio ex certis bonis addicta erat, horum aliqui generalem hypothecam habentes istis non contenti, quod alii ex credito petierunt & ipsis jam adjudicatum erat, hypothecaria actione persequi intenderunt, arrestum rogantes. Dubium suboriebatur, utrum hoc concedi deberet, quod electione videretur creditoribus jam satisfactum, nec post eam variare & alia persequi integrum, re autem diligentius consideratâ visum est in hoc electionem, quamdiu nondum subsecuta est aut adjudicatio, (1) aut in solutum datio vel acceptio, (2) non obstare, quin liceat relictâ una re ex aliis hypothecaria actione creditum prosequi. (3) Iis quippe, quibus constituta est generalis omnium bonorum hypotheca, ex hac jus competit omnia persequendi, ut ut ex aliquibus satisfieri possit, idque jus pignoris transit per omnes res, (4) atque sua natura individuum est, (5) ut non attendatur an ex quibusdam suum quis consequi possit, sed tantum unde velit. (6) Nec obest ei missio in possessionem aliquorum pignorum, (7) utpote quæ non liberat possessorem, sed tantum distractio, (8) & quidem ita, si ex hac redactum universo dissolvendo par & idoneum erit. (9) Quo non reperto tali, permittendus est creditor variare, & ex aliis sibi oppignoratis, uti commodius videbitur, creditum redigere. (10) Sicuti decretum juxta hoc die 16. Aprilis Anno 1659.

1. Post adjudicationem certæ rei non est amplius contra alios possessores integra actio Serviana. *Capyc. decis. 35. & 36.*

2. Hæc pro solutione est. *l. si non sortem 26. §. si centum ff. de Condict. indeb.*

3. *l. 2. ff. qui pot. in pign.*

4. Inde hypotheca servituti comparatur, quæ sit in toto corpore, tanquam anima in toto animali, uti habet phrasis JCtorum. *Bartol. in l. stipulationes 3. oppos. ff. de V. O.*

5. *l. rem hereditariam ff. de Evict.*

6. *l. quærebatur ff. qui pot. in pign.*

7. *Vid. Fabr. in Cod. lib. 8. tit. 6. num. 2.*

8. *tot. tit. ff & C. de distract. pignor.*

9. *l. 2. C debit. vendit. pign. imp. non poss.*

10. Pertinet hoc ad executiva, in quibus variare integrum, & electio unius non excludit aliud, uti ex *Coler. de Process. Executiv.* alibi demonstratum.

DECISIO XVIII.

Ex pacto inter fratres inito creditores non potiuntur hypotheca, etsi illi sibi invicem de ea sua securitatis gratia caverunt.

CUm pactum divisionis bonorum & æris alieni inter fratres initium, eique simul adjectum erat, quod singuli suas partes solvere, cæterosque indemnes servare vellent, constituta invicem hypotheca in eum casum, si creditoribus ab aliquo non satisfieret, inde actio adversus cæterorum aliquem exurgeret, ubi qua fratrum unum obæratum res ad concursum creditorum devenerat & horum aliqui sub designatione pacto addita comprehensi, illo ad prioritatem obtinendam frui vellent, alii reniterentur, visum est, creditores ex pacto inter fratres inito hypothecam non obtinuisse, (1) tum quod ut pacto alii non quæri potest obligatio vel actio, (2) ita nec hypotheca, (3) tum quod nec de indemnitate cautio aliis proficere potest sibi non prospicientibus. *In causa viduæ Henrici Christophori Schweriz contra Creditores Socios & Mariti die* 22. *Junii Anno* 1659.

1. Ad hypothecam acquirendam præcipue requiritur, ut constituta sit ei, qui ex ea securitatem crediti quærit.

Digitized by Google

2. *l stipulatio* 38. §. *alteri* 17. *ff. de V. O.*

3. *l. solutum* 11. §. *per libertum* 6. *ff. de Pignor. action.*

4. Actus agentium non operantur ultra illorum intentionem. *l. non omnes* 19. *pr. ff. de Reb. Credit.*

Juxta hæc ita pronunciatum.

In Sachen Christoph Heinrich von Schwerins Witwen Appellantinnen wider Anthonii Crassowen und Claus von Schwerins Witwen Creditoren und Legatarien Appellaten/ in puncto prioritatis an dem Pfandschilling auff Purenitz hafftend in specie die in der designation sub dato Lövitz am Tage Pauli Bekehrung Anno 1625. gemeldete Creditoren betreffend / wird befunden und erkandt / daß von Richter erster Instantz den 22. Jan. Anno 1656. übel gesprochen/ wol appelliret/ die Urthel zu ändern / und zu erkennen sey/ daß itzgedachte designirte Creditoren ihre Forderungen an dem Gute Putenitz in qualitate also / daß sie deßwegen allerdings den Vorzug für deß liquidati Witwe haben können / wie zu rechte gnugsam nicht erwiesen / sondern wann diese ihre prætendirte Pöste gebührend beybringen würde/ anderer Gestalt der Erstigkeit halber/ was Recht ergehe. Demnach zuforderst / die Witwe mit ihrer liquidation zu vernehmen/ und solche in 6. Wochen sub pœna præcluſi einzubringen schuldig / wann alsdann Creditores darüber gehöret / ergehet darauff nach Gestalt dero Bewandtniß ferner was Recht ist. Von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Christophori Henrici à Schwverins viduæ appellantis contra Anthonii Crassovven & Nicolai à Schvverins viduarum creditores & legatarios appellatos in puncto prioritatis capitalis in Putenitz assecurati in specie quod concernit creditores in designatione sub dato Lôvitz die conversionis S. Pauli Anno 1625. nominatos decernimus --à judice primæ instantiæ 22. Jan. Anno 1656. male judicatum, bene appellatum, & sententiam esse reformandā quod modo dicti designati creditores suas prætensiones in prædiū Putenitz in qualitate, ita propterea omnino prioritatem præ liquidati viduâ habere possint prout juris sufficienter non docuerint, sed quando illi suas prætensas summas debite docuerint, alio modo prioritatis ratione fiet quod juris: Inde inprimis vidua in sua liquidatione audienda & ut illam in 6. Septimanis sub pœna præcluſi exhibeat adstringenda. Postquam ergo creditores desuper auditi erant, fiet ulterius juxta exigentiam causæ quod juris. *Idque de jure.*

DECISIO XIX.

Descriptio ædium in libro publico pro hypotheca constituenda, non est facienda inscio debitore nec invito, nisi ob contumaciam.

QUerebatur supplicans à Senatu Civitatis clam se libro publico inscriptum esse, quod ædes suæ hypothecæ nexu pro quodam debito, de quo tamen ipsa necdum confessa nec convicta esset, obstrictæ essent & petebat eam scripturam cassari nec non Senatui ut deleretur mandari. Non potuit, si ita se res haberet, factum probabile reputari: Etsi enim ita lege moribusque, receptum pro majori hypothecæ firmitate ac obtinendo crediti privilegio pignorum (1) constitutionem aut fieri coram Senatu aut libro publice inscribi, attamen non fieri id potest nec debet, præterquam debitore sciente & id ipsum faciente seu petente, (2) sine ipsius scitu & voluntate id facere juri atque rationi contrarium est, (3) nisi ubi ipsemet id facere promisit aut alia ratione debet, (4) tunc quidem ita servatur, ut invito vel reluctante ipso inscriptio creditoris gratia, & ad ejus petitionem fiat, sed non aliter, nisi ut prius demandetur præstatio ejus, quod debetur, deinde ob contumaciam inscriptio injungatur, citato tamen ipso ad videndum fieri. (5) quo præcedente perinde est, atque si illo petente facta fuisset. (6) Quorum si nihil factum fuerit, non potest non pro illicito haberi decretum, ideoque non tantum prohiberi, sed etiam Senatui injungi, ut aboleat aut compareat ad vindum cassari seu allegandum causas cur hoc fieri non debeat. *Ad supplicat. Barthol. Schvvartzkopffs VVitvve die* 13. *Martii Anno* 1660.

1. Adhiberi solet ea inscriptio, ut hypothecæ ex ista sint publicæ, inde præ aliis omnibus pignoribus prærogativam habeant juxta *l. scripturas* 11. C. *Quipot. inpign.* Inde juxta horum locorum consuetudinem multum ponderis accedit ex inscriptione.

2. Sic consuetudo habet, ut non fiat inscriptio in librum publicum negotiorum privatorum nisi ad petitionem præsentis utriusque partis.

3. *Per l. de unoquoque* 47. *ff. de re judic.*

4. Ex præcedente quodam debito jus dicitur in vitum *l.* 83. §. 1. *ff. de verb. obligat.*

5. Hic ordo judiciarius est, qui contra absentem seu reluctantem adhiberi solet. Ex quo in tali specie nihil omissum est nec omitti potest, cum juris naturalis sit.

6. Contumax habetur pro præsente *l.* 13. §. 2. C. *de judic. Menoch.* 1. *de A. l. Q. cas.* 36. *num.* 9.

DECISIO XX.

Circa arresta contra exteros observanda.

QUod à quoquam prudenter monitum arresta tremebunda judicum manu seu accurata diligentia esse decernenda, (1) id præprimis observandum, quando contra exteros aliorum Principum & Civitatum subditos, seu qui sunt extra Imperium Romanum istorum impositio petitur. Etsi enim negandum non est, posse

ex

Digitized by Google

ex justis causis etiam ipsos ipsorumque bona arrestari, (2) attamen caute id ipsum fieri debet, ne inde causa cum exteris ad controversias & turbas deveniatur, quæ imperium vel rem publicam turbare possint. (3) Sicut enim post distincta certis finibus territoria, inde divisas jurisdictiones gentium jus redditum fuit, ut quisque in suo foro in jus vocetur & ibi jus dicatur, (4) ita non facile nec nisi cum manifeste fundatæ jurisdictionis ratio subest terrarum domini permittunt contra suos alibi quam coram se suisque judiciis jus peti & dici. Ubi secus fit nihil certius metuendum, quam ut exteri suam jurisdictionem integram conservare & subditos defendere satagant, inde cum iis in contentiones & litigia publica deveniatur. Hoc quomodo per imperii legem, quæ ordinatione Cameræ Imperialis comprehenditur evitatum voluerunt Imperator atque Imperii ordines, (5) ita exemplum præbet imitandi in judicio quod in locum Cameræ surrogatum est. Ratio eadem est. Quemadmodum enim per Imperii constitutionem hoc intenditur, ne Cæsar & Imperium litibus & contentioni cum exteris implicetur, & causæ privatorum publicam cum exteris controversiam faciant. Ita non minus sollicitè agendum, ne S. R. Majestas ejusque Provinciæ, imo & Regna cum exteris Regibus & Statibus incidant in litem, aut summum Tribunal aliquid præjudicii patiatur. Melius ad privatorum instantiam arresta, ex quibus talia metuenda, negare quam periclitari. (6) Si autem ratio decernendi adfertur, præstabit securiusque erit prius de circumstantiis ad superiores referre, (7) *uti consideratum circa petitionem Jochim Greken, contra heredes Obrist Jordans in Belgio habitantes die 19. Junii Anno* 1660.

1. *Nevizan. Cons. 63. num. 17.*

2. Quod usus modernus quotidianis exemplis adeoque recentiori observantia probatum docet. Nam arresta hodie fere vicem ordinarii remedii in casu, ubi alias contra peregrinos difficilis est juris consecutio, acceperunt.

3. Omnis occasio controversiarum publicarum diligenter cavenda, ex quibus non tam facile emergitur quam immergitur res publica. Nec enim quando validiores in illas incidunt, dum quisque non tantum juris sed & honoris sui in eo rationem habet, aliter fieri potest, quam ut processus sit turbidus, exitus difficillimus. Unde præstat non incidere sed initio potius cedere quam postea nolle, nec tam facile posse à lite discedere.

4. *l. 3. ib. Dd. C. de jurisdict.*

5. *vid. ordinat. Camer. Imper. part. 3. tit. 47. §. fin. & tit. 48. §. fin.* ubi duplex contra ista per Imp. & Ordines cautela est constituta. In priori, ut non decernantur in Camera contra illos, qui imperio non subsunt processus præsertim executivi der Cammer-Richter und Beysitzer über die so dem Reich nicht unterworffen und in desselben Grentze nicht sitzen hinfürder kein Proceß ohne der Käyserlichen Majestät oder in ihr Liebde und Käyserlichen Majestät Abwesens uns unser als Römischen Königes Bewilligung außgehen lassen sollen. In hoc ut si extero cum cive Imperii res sit non nisi cautione præstita litigare permittatur. Weiter, so jemand ausserhalb deß Reichs einen dem Reich unterworffen vor dem Käyserlichen Cammer-Gerichte verklagen wolte / sol der Beklagte dem Kläger gnugsam caution zu thun anhalten / wie die Rechte das zulassen / damit in solchen Fällen ausserhalb deß Reichs execution zu thun ohne Noth sey.

6. *Juxta consilium l. fin. C. in quib. caus. in integr. restit.*

7. Ex præscripto constitutionis Imperii Cameræ Imp. ordinationi prudenter inserto.

DECISIO XXI.

Salarii arrestum regulariter improbum.

SAlaria juris prudentia alimentorum loco reputat, (1) ideo valde favorabilia effecit. Quando itaque ad victum alicujus pertinentia arrestis detineri non vult, (2) ita nec salaria, (3) nisi quando præter ista non est in bonis debitoris unde creditoribus satis fieri potest. (4) Est quoque ea non arrestandi alia ratio, quo arresta illorum etiam in aliorum incommodum vergent, nempe quibus operæ pro iis præstare debent, dum has negligunt plerumque aut non pari diligentia ement quibus solamen laboris decedit. (5) Non sine gravamine credita est appellatio, quæ & ideo interponebatur quod arrestatio facta erat, eo magis, quod nec liquidum erat adhuc creditum, imo nec an actio competeret, nec ab arresto qui sufficiens erat si deberet periculum. Recepta itaque *in causa D. Johannam Ende contra Johan. Ludolff von Schönbeken die 9. Julii Anno* 1660.

1. *Coler. de process. Executiv. part. 2. cap. 3. num. 182.*

2. *Coler. de Aliment. lib. 1. cap. 13. num. 20.*

3. *Carpzov. in Jurispr. Forens. part. 1. const. 29. defin. 32.*

4. Sic limitant jam dictam sententiam JCti & executionibus etiam salaria in subsidium subjiciunt aliis bonis non existentibus, præter *Carpzov. alleg. loc. Coler. d. tract. part. 2. cap. 3. num. 148. Kirg. Pingizer. quæst. 88. num. 22.* ita tamen accipiendum ut servienti salvum sit unde vivat, qui vita destitutus ultra servire non posset.

5. Ex ea causa domini qui salarium præbent intervenire solent, & non concedere ejusmodi arresta quod non fieri sua interest.

Digitized by Google

DECISIO XXII.

Arreſtum nihil tollit aut impedit, præterquam quod proſecuritate, cujus cauſa imponitur, neceſſe eſt.

ARreſta plerumque imponuntur, ut impetrantibus ſecura ſint quorum gratia fiunt, (1) ultra autem non debet porrigi iſtorum effectus. (2) Inde nec prohiberi, quod ſalvo jure & inviolata ſecuritate arreſtantis fieri poteſt. Sicut arreſtato manet rei poſſeſſio, dominium, fructus, ita & circa hæc integra ſunt omnia, quæ non repugnant fini arreſti. (3) Iniquum valde foret, ob ſolum arreſtum ſecuritatis cauſa impetratum auferre dominis omnem circa res ſuas facultatem atque licentiam. (4) Quare cum creditum alicujus, quod ex fundo ſolvendum erat, arreſto obnoxium factum fuerat, male impedietur creditor, à poſſeſſore fundi rationes exigere & diſcutere, eaque quæ ad certitudinem crediti faciebant curare. (5) Nihil quippe incommodi aut præjudicii ineſt actui, ex quo non fit deterior arreſti conditio. (6) Iniquè vero ex cauſa arreſti, cum ſuper eo res nondum deciſa eſſet adminiſtratio rerum ſuarum interdiceretur, (7) quatenus nihil periculi aut damni ex eo eſſet arreſtantis, cui nihil amplius adhuc juris eſt, quam ubi colluſio noxi arguitur vel meruitur, curare ne per iſtum ſibi incommodetur. (8) Decreta itaque fuit arreſto non obſiſtente licentia rationum ſuper fundo debitoris *in cauſa Gutzlaff Zepelin & Jochim Johann Bibovven contra Joachim Henrich VValſsleben & conſortes, die* 21. *May Anno* 1659.

1. Hic arreſtorum præcipuus finis eſt.

2. Finis eſt regula effectus, qui talis eſſe debet, ut cauſæ finali congruit. *l.* 4. *itemque ib. gloſſ. ff. de alien. jud. mut. cauſ. l. ſi quis ſit* 17. §. *item apud ff. de Ædil. Edict.*

3. Inducta ad unum finem non debent contrarium operari. *l. legata* 19. *ff. de legat.* 1. *ibid. Bartol.*

4. In quo jurisprudentia multum injuriæ reputat. *l. fin.* C. *d. Contrab. Empt.*

5. Extra finem talia ſunt, ideo non comprehenſa ſub finito *Hieron. Magon. deciſ. Lucenſ.* 5. *num.* 7. & 8.

6. Male alteri infligitur, quod ipſi tantum nocet, alii non prodeſt, in qua malitia petentis eſt, cui non indulgendum, *l. in fundo* 38. *ff. de Rei vindicat.*

7. Arreſtum non eſt ex ſe modus amittendi adminiſtrationem rerum, niſi quatenus iſti finis arreſti obſiſtit.

8. Ex arreſto eſt actio contra omneid quod in præjudicium iſtius tendit. *Vivius deciſ.* 213. *num.* 3.

DECISIO XXIII.

Qua tertium circa excuſſionem refert, ut creditor an ut dominus rem oppignoratam teneat.

QUæ tertio poſſeſſori contra creditorem hypothecaria rem poſſeſſam ut pignus perſequentem excuſſionis exceptio competit, (1) multis ex cauſis ceſſat & limitatur. Eſt quoque ex titulo ejus qui poſſidet ſeu modo poſſidendi diſcrimen. Multum quippe refert, utrum is qui tenet tanquam creditor, an tanquam Dominus poſſideat. (2) Creditoris poſſeſſio non proficit ad excuſſionis exceptionem contra anteriorem creditorem. (3) Quia ille non ſuo ſed alieno, nempe debitoris nomine poſſidere intelligitur; (4) Ut autem proprio nomine poſſideat, ad iſtud beneficium requiritur. Fieri autem poteſt ut res utroque modo ab aliquo haberi videatur diverſo tamen reſpectu. (5) Sicut accidit exemplum in legatariis quibus creditum pro quo pignus ſuppoſitum fuit legatum erat, poſtea pro illius ſolutione per immiſſionem judicialem res oppignorata ceſſerat; Pignus quidem hoc quamdiu non fuit adjudicatum tenebant alieno nempe debitoris nomine, at ipſum creditum ut legatum ſuum ceperant & perſequebantur. Quia autem in hypothecariam actionem non tam veniebat res oppignorata ab alio, quæ nondum facta erat defuncti, ſed ſaltem creditum, & actio hujus tantum habita ratione, quia ex legato captum ut ſuum legatarii receperant, excuſſionis exceptioni qua ipſum creditum locus erit. Quomodo admiſſa eſt *in cauſa aliquot creditorum hypothecariorum Claus Horns contra Jochim Hans Bibovven & Chriſtoff Zepelin, die* 25. *Januar. An.* 1661.

1. *Novell.* 4. *cap.* 1. *& 2. Auth. hoc ita C. de pign.*

2. *Alberic. ad d. Auth. Hoc ita.*

3. Generalis hypotheca jus tribuit ad omnia bona debitoris & qua hæc qua hypothecariam actionem eligendi facultatem *l. creditoris ff. de Pignorib.* Præterea etiam ex tempore jus prioritatis, ex quo prior tempore, prior jure ſine diſcrimine utrum poſterior poſſidet nec ne *l. ſi prior* §. *fin. ff. qui pot. in pignorib.* id quod novo jure unde excuſſionis beneficium oritur, qua creditorem non reperitur ſublatum, ideo ſine lege non eſt immutandum.

4. Creditor non ſuo ſed debitoris nomine pignus poſſidet *l. qui pignoris ff. de acquir. poſſeſſ. l. pignori ff. de uſucap.* imaginem debitoris obtinet *l. cum notiſſimi* §. *ſed cum illud* C. *de Præſcript.* tanquam ejus procurator *l. ſi pignori ff. famil. erciſc.*

5. Diverſus reſpectus facit rem non eandem ſed diverſam cenſeri.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XXIV.

Arrestum non est decernendum nisi debitum cujus gratia petitur verisimiliter fit edactum & quando.

ARrestum velut executionis species cum spectet est decernendum, (1) ideo non aliter quam si causa, ob quam petitur, judici verosimiliter constet. (2) Quare oportet illud ante impositionem aliqualiter verificari seu exhibito instrumento obligationis, seu aliis documentis. (3) Siquidem mercator ob inveres credras, pro quibus nihil Chirographi datur, arrestum petit, librum rationum in origine exhibere tenetur, quo ex illo verisimilitudinem judex hauriat. (4) *Ita decretum ad petitionem Franz Maasen contra Majer Kosenklinzen die 18. Aprilis Anno 1662.*

1. *Gail. in tr. de arrest. imp. c. 1. n. 11. non obstet his verbis, periti judicet non debere praecipitare arresta sua & properare ad undas petitionem admittendam illa ministrorum decernere.*

2. *Peck. de jur. sist. c. 16. num. 41.*

3. *Vide quaestiones in tr. de arrest. c. 10. n. 32. seq.*

4. *Vide ibi seqq. in d. tr. c. 10. num. 46.*

DECISIO XXV.

Arresto adhaerenti non obligatur cui alterius causa arrestum fuit interpositum.

CUm non attento quod ab initio arrestum pro minori summa impositum, deinde tantum de majori actum erat, totius solutio ei, penes quem arrestata pecunia fuerat, imponebatur. (1) restitutio in integrum implorabatur, atque implorans demonstrare nitebatur, non eidem qui arrestum primo impetraverat omnia demde petita debita esse sed socrum aliorum creditorum nomine arresto ejusque prosecutioni adhaesisse, arrestum vero nunquam rogasse vel impetrasse: In quaestionem hinc venit, an ea allegatio ad beneficium restitutum proficere posset, ideoque admittenda esset? (2) Cum alias indefinitum de non solvendo mandatum non ad primam tantum petitionem sed ad omnia quae ab impetrante in litem deducebantur pertineret. (3) Res vero ista ab hac quaestione pependit: An arrestum ad unius instantiam impositum obliget eum cui indicitur etiam alii adhaerenti & sua simul ita persequenti ut ex rebus arrestatis satisfiat. Hoc vero negandum. Etsi enim persecutioni arresti adhaerere integrum, (4) hoc tamen nihil aliud est quam intervenire: Ex quo arrestanti quidem impedimentum, & intervenienti juris sui prosecutio contingit, non autem obligatio quaedam ejus, penes quem bona affigun-

tur. Haec oritur ex mandato judicis: Mandatum autem respicit cautam & utilitatem impetrantis. Ubi extra eam non mandatur, ita nec ultra aliquis obligatur. Hoc fit circa arrestum ex contemtu mandati, ut contra illud solvens nihilominus adhuc solvere teneatur. At qua eam contemtus esse nequit, cujus gratia nunquam mandatum fuit. Tanto minus vero eo nomine actio esse potest ubi contra quem alterius causa judicis processit de alterius creditis atque adhaesione ignoravit (5) adeoque nihil erit quod solventi imputari possit (6) praterquam quod ejus inter ista diversitatem fecit (7) qua hunc in quo versamur articulum convenunt Ium & justio qua Creditores tantum proficit non qua tertium cujus jura integra manent. (8) Ita arrestum etiam aliis creditoribus proficit ut adhaerere possint? At ut tertius apud quem res arrestatae sunt ultra mandatum judiciale obligetur à ratione alienum est. (9) Non potuit itaque non admitti ut relevans quod sic oppositum est. *In causa viduae D. Colerd contra Senatum Stralsundensem die 3. Julii Anno 1663.*

1. Quae rationes ad tale decretum permoverint videbis inter decisiones de Anno 1660.

2. Non admittatur ad deductionem in talibus remedius quod deductum non relevat.

3. Generalis justio obstringit in omnibus speciebus, quas genus potest comprehendere *Coler. Proc. 22. num. 135. vol. 5.*

4. Ita mos judiciorum observat, ut uno arrestante arresto adhaerere queant & simul ita contra arrestatum prosequi quoscunque volunt etsi arrestum non petierint.

5. Ex ignorantia nullum periculum cuiquam accidere debet *l. 8 C. de admin. tut.*

6. *l. si & jure 10. ff qui pot. in pig. l. cum minore. ff. de bon. auctor jud. poss.*

7. *Ranchbar. part. 1. quaest. 4. num. 8.* ubi scribit arrestans sibi solummodo jus reale acquirit, sed missio in possessionem prodest omnibus creditoribus.

8. *l. fin. § fin. C. de reb. aut. jud. possid.*

9. *l. 1. tit. C. res inter alios act.*

DECISIO XXVI.

Pro decimis jus est arrestandi fructus.

DUbio caret, debitorem decimarum morosum ad illas praestandas compelli posse nec dubitandum arrestum esse inter legitima hujus coercitionis remedia, ideo fas cum mora fit fructus omnes arrestare, seu eorum abvectionem prohibere, donec debito satisfit. Sunt iidem velut pignoris nexu obstricti. Quod si ejus cui debentur decimae, in eo loco jurisdictio aliqua existit, ipsemet poterit virtute ejus arrestum decernere, (2) alias ab eo cujus

Digitized by Google

jus jurisdictio ibidem est, statim impetrare. Nec est pro attentato habendum vel inhibitione dignum, etsi lite pendente fiat, modo decimarum debitum sit certum. *In causa der Zehendpflichtigen des alten Landes im Königreich Ehesten contra den Gräfflichen Königmarckischen Inspectorem, die 23. Septembr. Anno 1662.*

1. Thesaur. 2. Pr. decisa per Guid. Pap. dec. 283.

2. Exemplo locatoris de quo in para. 4. decis. 246.

DECISIO XXVII.

In causis arrestum si non constant vel incontinenti probantur ex quibus illa valeat non est injungenda probatio sed statim fieri debet relaxatio.

ARresta velut executionis species valde sunt odiosa, ita ut nec facile ab iis causa incipi, si autem illa imposita non difficulter relaxari debeant, maxime si non appareat, ex quibus arrestum subsistit. (1) Sicut enim sine iis arrestum imponere non oportet, ita cum defectus allegatur relaxare decet, nisi incontinenti probetur quod adsit justitiam necessarium adesse. Minime convenit ordinario processu prius ad eam probationem contendere quod arrestorum processui, qui summarius esse debet, contrariatur: (2) Sed si illo opus, relaxato arresto ad illum causam remittere æquum atque ita usitatum est, sicuti factum *in causa Franc. Musen contra uxorem Generalis præfecti vigilum Rosenkhingeli.*

1. Non tantum si ab initio non subesse ullus quibus nulla sunt arresta, sed & si pendente processu abesse apparent, relaxatio fieri debet *Carpzov. part. 1. const. 2. def. 39.*

2. Vid. à me scripta *in tr. de arrest. c. 17. n. 17. seq.*

DECISIO XXVIII.

Relaxatio arresti post mandatum de relaxando injuste differtur sub obtentu recusatæ Urphedæ aut aliarum literarum reversalium, nec ex isto exceptio contra mandatum admittenda est.

QUi ob allegatas suspicionis causas rerum arresto corporali affecerant, non factæ relaxationis eam causam obtendebant, quod arrestatus literas reversales præscriptas subscriptione suâ comprobare recusaret, petebant juxta ut non audiretur antequam id faceret, ad faciendum exhortario fieret. Tenor autem istarum ut primitus prodiit, continebat sui inculpationem, injuriæ confessionem atque exceptionis renunciationem. (1) Verum re diligentius expensâ repertum est per Justitiæ regulas non posse eam exceptionem admitti, nec per decora Judicii adhortationem ad subscribendum fieri. Primo, plane insolitum est sub desiderio reversalium ejusmodi relaxationem arresti suspendi. (2) Est quidem moris incarceratos urphedas, uti vocamus, ante dimissionem de non vindicando carcere jurare. (3) Verum per istas sibi & partibus cavent. Judices aut magistratus contra injuriam, non autem tollunt jus suum parti aut ei injuriam obtrudunt, sed adversus omnes cum quibus res est, jura omnia relinquunt integra. (4) Habent etiam Urphedæ ut justæ sunt, nihil aliud quam renunciationem vindictæ ob carcerem, non vero confessionem culpæ aut abdicationem juris, quod præter carceris inculpationem competit, continent. Nunquam in usum venit, nec rationabile foret incarceratum, qui ab inquisitione aut actione absolvitur, crimen agnoscere & se reum fateri. (5) Deinde mandato hæc clausula contrariatur desiderium. (6) Per illud quippe incumbit statim relaxatio arresti tanquam illiciti & non exequendi, quod reversales approbari contendunt, dum justum arrestum declarant, quod admittere non minus conscientiæ judicum quam authoritati judicii & partis juri adversum est. (7) Tertiò, non convenit cum jure atque observatione Judiciaria, ex quibus arresta sub cautione, non sub talibus reversalibus, relaxanda sunt. (8) Quæ & pugnant cum cautione; dum hæc remittit causam ad Judicium idque securum reddit, illæ è contra Judicium excludunt aut præcludunt. (9) Quarto, cum Urphedæ quatenus legitimas actiones abdicant, improbæ atque invalidæ sint, (10) non decet superiorem illas approbare, maxime cum debeat Juramenta ad effectum agendi relaxare. (11) Cujus petitio integra esse solet post Urphedas & similia Juramenta, ideo à superiori nec in antecessum adimenda. Quintò, maximum præjudicium reo infertur, dum tanquam nocentem se declarare ac justa quæ pro se allegavit, quæ judicio deducere vult, propter quæ mandatum impetravit, improbare adeoque causam principalem prævertere cogitur. (12) Eò iniquius Sextò, quod antequam super causis suspicionis pronunciatū fuit, re dubiâ imo in partes rei magis proclivi Judicem suspectū non in eâ modo, quæ cœpta fuit, causâ, sed imposterum in aliis magno cū incommodo pati cogitur,

(13) eat

(13) eaque justa exceptio sine causæ cognitione admitur. (14) Septimò, etiam planè actis & justitiæ non satis congrua in iis literis deprehendebantur. Quæ invito & reluctanti supplicanti impingere tam iniquum videbatur, quam est invitum ad confessionem & remissionem exceptionis suæ adigere. (15) Præsertim ubi justæ rationes à reo allegabantur, cur facere salvo honore non posset, (16) nec etiam teneretur invitus quod pro defensione competeret ita abdicare: (17) Erant porrò quæ pro obtrudendis reversalibus asserebantur sic comparata, ut ulterioris essent indaginis, per quæ relaxatio differri non potuit, sed post illam remittenda erant. (18) Quibus ex rationibus rescriptum fuit decretum de illa sub isto obtentu non differenda, addita comminatione processus mandati, si ultra ejusmodi remoris insisteretur, die 8. Novembris Anno 1653. *f*

1. Ita sonabant verba istarum Reversalium: Daß wollen N. N. zu vel und unrecht gethanen Arrest zu verbleiben / bitt demselben ich deßwegen satisfaction geleistet / per Decretum mir auffgelegt worden / sondern damit demselben ich anbefohlene satisfaction geben möge / bezeuge ich hiemit schrifftlich / daß von mehr gedachtem N. N. nichts anders als Liebes und Gutes weiß / auch weder ratione administrationis justitiæ noch irgend einiger andern Sachen / ihn zu bezuldigen habe.

2. Probus prudensque judex ad suam sollicitudinem revocat, ne quid in persona cujusquam à secta temporum suorum alienum attentetur, *l. 2. C. de delator.*

3. *De hoc vid. Carpzov. in Pract. Crim. part. 3. q. 127. num. 46. seq.*

4. Urpheda obtendit tantum, ut Judex contra vim & injuriam securus sit, non ut jure experiri non liceat; quod licet ex vulgari consuetudine addi solet, at nullum tamen & invalidum est, *ut docet Carpzov. in Respons. Electoral. 64. num. 2. & seq. lib. 1.*

5. Contraria sunt quendam dimittere ut nondum repertum noxium & tamen cogere fateri fontem.

6. Rejectis exceptionibus ad causam principalem spectantibus statim facienda est ex mandato relaxatio, *Gail. in tr. de Arrest. Imper. c. 3. num. 13. seq.*

7. Relaxatio debet fieri cum omni causa & utilitate, sine ullo damno & onere, *Gail. d. tr. c. 2. num. 3. Petr. Frid. Mindan. de Processib. lib. 1. c. 39. num. 11.*

8. Arresta in civilibus res non in criminalibus, ubi pœnam corpori non infligi notorium est, relaxat cautio sufficiens ipso jure, *Mynsing. Observ. 35. Gail. d. tr. c. 2. num. 7.* ideo illa oblata decernuntur mandato sine clausula, & si a Magistratu illa non recipitur, superior judex admittit ad relaxationem, pœnalibus præceptis injungit, *Mindan. dict. lib. 1. c. 41. n. 2.*

9. Post præstitam cautionem & relaxatum arrestum omnia arrestato debent esse integra atque in eo statu atque si arrestatio non processisset, *Mindan. dict. c. 39. num. 11.* & causa principalis refertur ad viam ordinariam, *Gail. d. tr. cap. 2. num. 7*

10. *Vid. Constit. Crimin. Caroli V. artic. 10. §. Es soll auch. ib. Matth. Stephan. num. 5.*

11. *Vid. de hoc jure & potestate Gail. 1. Observ. 22.*

12. Judicis est omnino ante vertere & cavere ne cuiquam in alia causa præjudicium fiat *l. si quis 7. pr. ff. de Petit. hared. l. unde 23. §. 9. ff. ad L. Aquil.*

13. Cum grave & periculosum sit sub judice suspecto litigare, providendum est ut judicia sine suspicione procedant & permittenda non adimenda suspecti Judicis exceptio, *l. apertissimi 16. C. de judic.*

14. Exceptio sua cuique nemini auferri aut impediri debet quæ est defensionis species jure naturali concessa & favorabilis. *Bald. in l. 1. ff. de Excep.*

15. Semel acquisita exceptio ulterius invitis extorqueri non potest. *l. fin. ff. de Pact.*

16. Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram & contra bonos mores sunt nec facere nos posse credendum est, *l. filius 15. ff. de Condit. Institut.*

17. Non magis quam invito jus suum potest auferri, potest cogi ut ex rebus vel juribus suis aliquid invitus abdicet, *l. quamvis 6. ff. de Pignor. action l. non est 9. ff. rer. amot. l. invitum 11. C. de Contrah. empt.*

18. Exceptiones quæ ad causam principalem spectant, præsertim si altioris indaginis sint, non admittuntur ad differendam arresti relaxationem, sed rejiciuntur post eam ad ulteriorem discussionem, *vid. Gail in tract. de Pignorib. cap. 2. num. 13. seq. Petr. Frider. Mindan. lib. 1. de Process. cap. 39. num. 13.*

DECISIO XXIX.

De hypotheca simulato contractu adjecta vi & prærogativa.

CUm contractui simulato hypotheca additur, de illa judicandum est ex qualitate & virtute ipsius contractus, cui accedit. (1) Hic autem vel totus simulatus est & fictus nihil veri habens & ut plane nullus est, sic nec accedens hypotheca vires quasdam habebit, ideo de ejus prærogativa ante alia credita inanis disputatio est. (2) Aut non totus simulatur, sed ita tantum ut fingat, ei vero subest verus contractus, quem tegit, & tunc tantum id quod simulatur nullum est, quod autem revera sub illo umbraculo tacto contrahitur, non plane inane est, sed valet. (3) ut alias sine isto contractum valere potest. Quia hypothecam autem hoc in casu non id quod revera contrahitur jubet fieri, sed ne bona injusti seu reprobi contractus ulli essent de jure validæ accessio, idcirco hypotheca subsistit. (4) in illo existente justo & valido hypotheca etiam confirmit, & sine ipso consistere non potest, aliis hypothecis prior jure erit, (5) non attento quod contractus, qui simulatus fuit, accessit. Consideranda quippe quod revera subest eoque valido & subsistente valet hypotheca, atque ita ab initio defracta simulatione res eo quod debuit modo peracta fuerit.

Digitized by Google

In causa Abraham Herlin & consortum contra Wilhelm. de Mumor die 18. decemb. An. 1660.

1. Accessorius contractus æstimandus est ex natura principalis, ideo si hic nullus est, nec ille subsistere potest.

2. Non entis nullæ sunt qualitates aut affectiones.

3. *l. 3. C. plus valet. inter decis. nostr. part. 7. decis. 178. num. 3. & 4.*

4. Sublato principali accessorium subsistere nequit.

5. Juxta regulam, qui prior tempore, potior jure.

TIT. XV.

IN QUIBUS CAUSIS PIGNUS tacite contrahatur.

DECISIO I.

Quod ex permutatione rei hypothecatæ accipitur etiam citra conventionem succedit in nexum pignoris pro his, quorum pecunia res comparatæ vel in dominium transeunt vel tacito pignori sunt.

QUando res alii oppignorata in alium ex permutatione transit, haud corrumpitur inde pignus & ex eo jus creditori quæsitum, dum res cum suo onere in alium transit, (1) nisi consensus tempore permutationis, (2) vel postea silentium tanti temporis ex quo hypothecariæ præscribitur, accesserit. (3) Hoc verò facto alia exurgit quæstio, utrumne quod ex permutatione acceptum in locum prioris per istum alienati succedit? Siquidem conventio quædam supervenit de eo dubitandum non esse. (4) Nec necessarium ita expressim convenire, (5) sed tacitum pactum sufficiet, (6) quod inest actui, ex quo pignoris constitutio potest colligi. (7) Citra verò illud non potest successio in bona locum habere, nisi in his speciebus, ubi singulari legum beneficio ex pecunia in re ab alio comparata acquiritur dominium vel pignus. (8) inter quas etiam dotalia pecunia beneficium numeratur. (9) Quando enim emptioni rei ex aliena pecunia jus illud singulare competit, utique permutationi negandum non est quæ emptioni similis iisdem juribus fruitur. (10) *In causâ Wedige Behren contra Arend Mollendorff. die 3. Januarii Anno 1657.*

1. *Italianus 67. ff. de Contrah. empt.*

2. Ex hoc remittitur pignus *l. 2. d. fin. l. C. de Remiss. pign.*

3. *l. de quo vid. l. 2. l. 2. C. si adverf. credit.*

4. *l. 2. C. de his qui in prior. cred. loc. succeff.*

5. *l. 2. C. eod.*

6. *l. creditor 12. §. si simpliciter ff. qui pot. in pign.*

7. *l. quamvis 7. C. de Pignorib.*

8. Sunt aliquot species in quibus res fiunt alterius, ideo quod pecunia ejus comparantur, etsi non ejus nomine. At contra tationem juris communis ex jure singulari. Ut vero dominium quæritur, ita etiam similiter pignus.

9. *l. ita constante 26. l. seq. l. res. qua 54. ff. de jur. Dot.*

10. *l. 1. pr. ff. de Contrab. empt. l. 1. ff. de Permut.* In permutationem ab emptione argumentum legale est. *Eberhard. in Top. in loc. à Vendit.*

Sententiæ tenor super his decisionibus talis fuit.

In Sachen Wedige Behren und dessen Kinder erster Ehe Appellanten wider Arendt Mollendorffen Appellaten in puncto debiti ipso interventionis werden die gravamina als überflüssig nicht/ sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen/ darauß befunden und vor Recht erkandt/ daß wenn Wedige Behren Kinder erster Ehe als Intervenienten vermittels Eides erhalten werden/ daß sie in denen ihnen bey dem Hoffgerichte zu Greiffswalde ad liquidandum præfigirten terminen die dazu behöffige Briefe in Händen nicht gehabt/ und dazu nicht gelangen können/ sie nachmahln mit ihrer intervention so weit zuhören/ daß sie zur liquidation ihres Mütterlichen zugebrachten zuvorstatten/ Gestalt dann negst folgender Gerichtstag ihnen zu Abstattung deß Eydes und zugleich liquidation ihrer Forderungen angesetzet wird/ und das Gegentheil sich alsdann seines einwendens ungehindert einzulassen schuldig ist. Inmittelst bleibt Appellaten wider Wedige Behren auß andern dessen Gütern die Zahlung in andere wege zu suchen unbenommen/ von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar/ den 19. Januarii Anno 1657.

(Hoc est.) In causa Wedige Behren & ejusdem liberorum primi Matrimonii appellantium contra Arend Mollendorpen appellatum, in puncto debiti modo interventionis, gravamia tanquam superflua non admittimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus ac decernimus, si Wedige Behren liberi primi Matrimonii tanquam intervenientes mediante juramento obtinuerint, se in termino apud judicium aulicum Grypswaldiæ ad liquidandum præfixa Documenta eo necessaria in sua potestate non habuisse, nec adipisci potuisse, quod ipsi ad liquidationem suorum maternorum apportatorum admittendi sint; prout etiam ipsis proximam juridicam ad præstationem juramenti & simul ad liquidationem prætensorum assignamus, & adversam partem ut non attentis suis exceptionibus desuper se ingerat, condemnamus, interim appellare in solutionem contra Wedige Behren

Behren ex aliis ejusdem bonis & alia via prosequatur reservantes, idque de jure, publicatum in summo Tribunali Wismariæ 19 Januarii Anno 1657.

DECISIO II.

Dotis maternæ pignus & prioritas ultra mariti bona, ad ea quæ aliunde ad successorem pervenerunt, non porrigitur.

CUm immissi erant liberi ob maternam dotem, aliaque illata in bona ejus qui parenti suo successerat, intervenientibus aliis ejusdem creditoribus existimatum est contra hos defendi istos non posse, quia quod pro istis competit pignus & prioritatis (1) jus, non nisi ad bona mariti pertinet, nec extendi potest ad alia bona, quæ sunt successoris aliunde, mariti nunquam fuerunt. Etsi enim vel conventio vel immissio in hæc deinde pignus liberis tribuerit, non tamen inde alio loco sunt quam alii creditores, (2) ideo extra privilegia dotis aliorum instar censentur, (3) nec ex his contra concreditores defenduntur. (4) Quod itaque ob hæc liberis decreto concessum fuerat, ita declarandum fuit, ut ad bona patris, in quæ dos illata fuerat, restringerentur. (5) *In causa Dieterich Behren Tochter contra VVedige Behren, die 16. Januarii Anno* 1657.

1. *De qua habetur in l. fin. C. qui pot. in pign.*

2. Verba legum quæ mulieribus privilegia tribuunt, mariti & ejus bonorum tantum meminerunt, non hæredum. Et ratio quoque tantum iis convenit. Et in specie qua liberos prioris matrimonii eorumque dotem hoc habetur *in d. l. fin. §. 1. vers. exceptis verb. 1. dedimus hypothecam contra paternas res & creditores. C. qui pot. in pign. ner.*

3. In Pomerania ubi ipso jure bona defuncti & hæredum separantur, nec separationis beneficium petere opus est, minus dubii ea res habet. De jure communi ubi hujus petitio *juxt. l. 1. pr. & tot. tit. ff. de Separat.* necessaria est, dubitationis aliquid subest. At licet ea non petita confundantur bona, tamen non secus atque cum specialis hypotheca à defuncto constituta non porrigitur ultra res istas speciatim obligatas, ita quod astrictum est mariti bonus privilegium, non pertingit ad bona hæredum.

4 Ita quo ad omnes privilegiatos & hypothecarios res se habet, quod extra limites privilegii & hypothecæ simplices & chirographarii sunt.

5. Paria sunt omnium creditorum jura, quatenus alii pro alio non venit certum privilegium. *l. quod autem 6. §. sicundum 7. ff. qua in fraud. credit.*

DECISIO III.

De privilegio pecuniæ in refectionem domus impensæ.

IDquod in refectionem domus, navis, aliarumque rerum impensum est, tacitam habet hypothecam cum privilegio prælationis ante alios hypothecarios, (1) vel autem id ad illum usum creditum est, at insumptum non fuit, vel insumptum est sine contractu prævio; vel creditum est, sed sine mentione illius usus postea tamen impensum. Ubi credita fuit pecunia ad refectionem at non insumpta, non eo minus privilegio potitur dummodo res in ea causa fuerit ut refici deberet. (2) Quod si nihil negocii inter creditorem & debitorem gestum fuit, attamen negocium alterius gerendo quis impedit, nihilominus eâdem prærogativâ gaudebit. (3) Quod si verò pecunia simpliciter credita fuerit, postea vero à debitore in reparationem ædium conversa non perinde locum habebit privilegium. (4) Quod si pecunia credita est ad illam causam sed in literis obsignatis de eo nihil dictum scriptumve, non est impedimento privilegio, dummodo probetur, (5) sic creditum & insumptum, ad quod tamen sola assertio debitoris non sufficit, (6) sed ulteriori probatione opus erit. Pro qua admittenda fuit (7) appellatio *In causa Joannis Friderichen contra Dopken die 4. februar: Anno* 1657.

1. *l. interdum 5. ff. qui pot. in pign.* cujus ratio habetur *in l. seq.* 6. quia pecunia illa salvam facit totius pignoris causam.

2 *l. fin. pr. ff. de Exercit. Action.*

3. *d. l. interdum 6. & seq. ff. qui pot. in pign.* Ratio legis convenit huic speciei.

4. Ad illud requiritur juxta verba dictorum textuum, ut credita sit ad illum usum pecunia, seu quia data debitori ad impediendum, seu statim ab ipso creditore ut negociorum gestore insumpta. Ubi vero nullum est in illam causam creditum ibi quoque non potest esse crediti privilegium. Quod ex post facto debitor jam dominus pecuniæ facit, ad privilegium alteri acquirendum nihil proficit.

5. Scriptura non est de obligationis aut crediti substantia sed ad fidem pertinet. Quæ si aliunde habebitur, eam abesse nihil nocet, *Leure 4. ff. de Fid. Instrum.*

6. Interest utrum debitor tempore obligationis in instrumento asserat de causa in quam creditum accepit, an ubi illud finem crediti non habet, postea asserat. Illa assertio fidem facit donec aliud probetur, *d. l. fin. pr. ff. de Exerc. act.* Haud similiter, & hæc, quæ ex omissa causa etiam suspecta est.

7. Juxta beneficium non deducta deducendi non probata probanda, *l. per hanc. C. de Temporal. appellat.*

Digitized by Google

DECISIO IV.

Invecta & illata à conductore in prædium rusticum pignoris nexu tacito locatori sunt obligata.

LOcatores petebant conductorem compelli, ut pecora ex locato prædio rustico abducta eo restitueret, tanquam pignus suum. Dubitationem movebat, an pignoris nexu sint devincta? Per multos juris civilis Interpretes discrimen fieri scimus inter rustica & urbana prædia, ut conductis his illata & invecta pro mercede pignori sint; Pro istis fructus tantum teneantur. (1) Præterquam verò quod multi in aliam abeant sententiam, (2) eaque legibus Romanis convenientior videtur. (3) Nos de eo multum laborare supervacuum visum est, postquam usu quotidiano aliter observatur, & ea omnium opinio apud nos est, sibi per invecta & illata circa prædium rusticum cautum esse. (4) Quo circa non dubitavimus mandatum de reducendis in prædium pecoribus decernere. (5) *Senatus Civitatis Deminensis contra Rittmeister Oloff Seegebaden, die 14. Aprilis Anno 1656.*

1. *Vid. Cujac. ad l. 4. ff. de pact. Vulcej. in Jurisprud. Romain. lib. 1. cap. 34. num. 15. Obrecht. de Pignorib. Thes. 69. & seq. quos præcipue movit text. in l. eo jure 4. ff. in quib. caus. pign. vel hypoth.*

2. Quam communius Doctores sequuntur *Vid. Accurs. Angel. Jason. Zas. Schneidewin. in §. in Serviana Instit. de action. Neguzant. de Pignorib. part. 2. cap. 4. num. 146. Sichard. in rubr. C. de Pignorib. num. 29.* Et excussis omnibus videbis Theoricos JCtos priorem quidem, Practicos verò hanc utpotiorem & receptiorem sequi.

3. Satis manifesti sunt textus legum Romanarum, quibus ista adstruitur. *in l. in prædio §. 1. ff. in quib. caus. pign. l. si non induxit. 5. C. eod. l. certi 9. C. eod.* Levia sunt nec satis apta quæ contrarium sentientes ad hæc respondent. Facilius multo diluitur quod *in d. l. eo jure 4. ff. in quib. caus. pign.* opponitur; Respicit enim observantiam ejus temporis quibus moribus magis quam lege obtinet. Quid verò ex legibus valere debeat, id per supra allegatos textus declaratum est, quos sequi præstat, quam quærere quibus obsterentur.

4. Apud nos in Pomerania terra est de eo consuetudo, invecta & illata obstringens pro debitis conductorum.

5. Rerum pignoris nexu devinctarum alienatio, mutatio vel translatio ad alium locum ut jure prohibita, mandatis sine clausula coërceri soler.

DECISIO V.

Tacita hypotheca ex administrata tutela pupillo data transit ad heredes, at non ejusdem privilegium.

PRivilegium pupilli in creditorum concursu ad successores eorundem non transire certo jure constitutum est. (1) Ex eo autem à plurimis idem de tacita hypotheca, quæ pro administrata tutela & ex hac residuis pupilli per legem data, (2) traditur, At perperam. Hæc enim non pupillo tantum sed etiam successoribus ejusdem proficit, (3) multumque distat à privilegio, (4) unde & ratio diversitatis constat. Privilegium enim pupillare, ex quo aliis creditoribus antefertur, personæ datum ad hæredes non transit, (5) sicut communiter de omnibus personalibus juribus sentimus. (6) Tacita autem hypotheca non personæ sed causæ concessa est, (7) ideo jus reale sequens causam & actionem (8) ut itaque hæc ad hæredes transit, ita etiam hypotheca velut jus reale actioni adhærens simul transit. (9) Etsi itaque hæres ex privilegio pupillari inter privilegiatos creditores non gaudet prærogativa, tamen ex hypothecaria actione bona defuncti prosequi, & ratione temporis ex quo suscepit tutelam in ordine hypothecar. collocatur. (10) nisi itaque aliud huic obstat, sicut ex novatione, quæ fit per delegationem, (11) exoritur, hæredes gaudebunt jure hypothecæ, Sic existimatum *In causa hæredum Caspari Rauschen. contra hæredes D. Petri Borstenborstels die 15. January. Anno 1661.*

1. *l. dabimus 19. §. 1. ff. de reb. aut. jud. poss. l. fin. ff. de tut. & rat.*

2. Pupillo in bonis tutoris curatoris & ejus qui pro tutore seu curatore fegerit ex lege tacita hypotheca data est *l. unica §. 1. C. de rei uxor. act.*

3. *l. fin. ib. Cod. fr. ff. in quib. caus. pign.* ubi transactione rupta redit us ad jus prius hæredi, ideo & ad hypothecam concessus ostendit manifestè hanc ad hæredem sine nova conventione, cujus ibi non est mentio, transire.

4. Differunt hypotheca & privilegium hypothecæ, quod consistit in prælationis beneficio *l. fin. C. qui pot. in pign.*

5. *De hoc loquuntur d. l. dabimus §. 1. d. l. fin. ff. de tut. & rat.*

6. *l. in omnib. 68. l. privil. 196. ff. de R. J.*

7. *d. l. un. §. 1. C. de rei uxor. act. l. pro officio 29. C. de administr. tut.* confirmat quidem æquiparatio juris hypothecæ pro tutela & pro dote, ut hujus hypotheca rei non personæ, sic & illa data censeri debet, cum de æquiparatis idem judicium sit *Bart. in l. scire §. oportet ff. de excusat.*

8. In re constituitur & radicatur pignus, ideo & rem sequitur. *Wesenbec. in Paratitl. ff. de pignor. n. 5.*

9. Personæ non causæ data cum illa desinunt *l. ex pluribus 42. ff. de admin. tut.* At causæ non principaliter personæ concessa illam, ideo etiam hæredes sequuntur. *l. 1. §. & detur ff. de acqu. qui. & amitt. l. 3. in fin. ff. de Const.*

10. *Ita sentiunt Gutierrez. de nat. part. 2. cap. 17. num. 19. Faber. in Cod. lib. 8. tit. 2. def. fin. 2. num. 1. & 7. Carpzov. part. 2. constit. 24. def. 13. num. 1.*

Scripsi

Scripsi de hac quædam in comment. ad jus Lubec. lib. 3. tit. 1. & art. 32. num. 35.

11. Novatione quæ fit per delegationem tollitur pignus *l. novatione 18. ff. de novat.*

TIT. XVII.

QUÆ RES PIGNORI OBLIGARI possint vel non & qualiter pignus contrahatur.

DECISIO I.

Prælatus sine capituli vel Conventualium consensu non potest obligare res monasterii, nec successorem.

EMphyteuta Monasterii at nunc in secularem conditionem redacti à creditore hypothecam in re emphyteutica constitutam prætendente conventus inter alia, quæ opponebat, ejus nullitatem & vitium ideo incusabat, quod Abbas istius in eam conventionem tantum consensisset, ut ex re monasterii actori solveretur certa pecunia, quam tamen monasterium, aut ejus fundus non debuisset: Ex quo apparebat, litem hanc cum aliquo, in quem monasterium translatum erat, interesse atque præjudicium insigni conjunctam esse. Siquidem, ut ut in prima instantia facta jam emphyteutæ condemnatio, non posset non pignus & onus in res ejus transferre, & efficere, ut ad solvendum coactus emphyteuta ab ipso vel à re ejus repeteret, quomodo etiam regressus in sententia reservatus erat. Inde dubitatum utrum de hac causa nondum citato nec audito Monasterii possessore quicquam statui possit, ex quo devenimus in disputationem ejus quæstionis, an & quatenus Prælatus contractu vel consensu suo res Ecclesiæ vel monasterii, nec non successorem valide obligare possit? Regulariter interdictum est Prælatis res Ecclesiæ vel monasterii alienare & obligare, (1) cum non sint earum Domini, (2) sed tantum administratores: Inde etiam, qui iis succedunt non obligantur ex ipsorum contractibus, (3) nisi quatenus canonice facti sunt, ad quod requiritur solennitas quædam sacris Canonibus præscripta, quæ Canonica hinc vocatur, & exigit, ut ex causa quadam necessaria vel utilis sit obligatio. Deinde, ut de illo cum inquisitione causæ statuatur: Tertio, ut Capituli vel conventualium consensus accedat. Quarto, ut cum consensu vel confirmatione superioris fiat (4). His sine conventio cum Prælato personalis tantum est, (5) ex qua ipse quidem, haud vero Ecclesia vel monasterium, neque etiam successor obstringitur. (6) Ea obligationis vel oppignorationis solennia oportet etiam legitime esse adhibita, (7) nec non per documenta sufficientia probari. (8) Minime ad fidem de iis sufficit mentio à Prælato in instrumento quodam ab ipso solum subscripto facta, (9) qui licet asserat Capituli vel Conventualium consensum accessisse, si tamen ille solus subscripsit, nonvero accessit sigillum Monasterii & subscriptio solita, abesse potius præsumitur: Præsertim vero, si cum iis, qui singulari amicitia, consanguinitate vel affinitate conjuncti sunt, contractus intercessit, suspectus est & majori fide indiget. (10) Quando vero in ea, quæ occurrit, specie non modo solennia adhibita fuisse non apparebat, sed ratio credendi aliter ea acta esse, pro nullitate istius conventionis concluximus. Nam etiam inter Status Augustanæ Confessioni addictos ista observamus, (11) nisi ubi contraria lege vel consuetudine abrogata reperimus. (12)

In causa Annen Cornelies contra Burgm. Joh. Hermen die 8. Jan. Anno 1662.

1. *l. jubemus 14. C. de SS. Eccles. Novell. de non alien. reb. Eccles.* quod etiam ad oppignorationem pertinet, quæ sine canonica solennitate fieri nequit. *Redoan. in tr. de reb. Eccles. non alien. l. 1. q. 2. cap. 6. num. 15. & 16.*

2. Prælati & Canonici nullum Dominium, nec possessionem in rebus Ecclesiasticis habent. *Redoan. lib. 2. de Spol. Eccles. q. 3. §. quid dicendum num. 17.*

3. *Rminald. consil. 235. n. 72. Rota Roman. decis. 865. n. 4. p. 1.* Prædecessor non potest successorem in prælatura obligare. *Boroi. Cons. 106. n. 19. in fin.*

4. Quæ ad hanc solennitatem Canonicam requiruntur vid. prolixius tradita *à Cothmanno in resp. 28. & 30. vol. 1. & à Klock congesta in Cons. 35. n. 40. seq. quo lectorem remitto.*

5. *Cavelcan Cons. 125. num. 13.*

6. Prælati obligatio in dubio semper tantum habetur personalis, non facta cum consensu Capituli ideo non realis.

7. Omissio formæ circa res Ecclesiasticas alienandas ex statuto, vel moribus receptæ præsumptionem doli inducit. *Menoch. lib. 5. præs. 3. n. 8. Schrad. cons. 1. num. 96. vol. 1.*

8. De debitis illis solennibus confici debet & solet separata scriptura ante scripturam obligationis. *Menoch. de A. l. Q. lib. 2. cas. 171. n. 26. Bertazol. in tr. de Claus. instrum. 10. Gloss. 2. num. 8.* nec de iis creditur soli Notario. *Simoncell. de decret. lib. 1. tit. 1. n. 34.* nec judici *Gabr. commun. conclus. tit. de sent. conclus. 5. n. 28.*

9. *Redoan in d. tr. de reb. Eccles. non alien. lib. 1. q. 51. c. 21. n. 13. seqq num. 32. & 33.*

10. *Auth. quibuscunque ibi D. d. C. S. S. Eccles. Redoan. de Simon. p. 3. c. 10. n. 30.*

11. Est multis alia sententia, putantibus per pacem Religionis remissam eam aut non receptam, ex Reichs-Abschied zu Augspurg Anno 1555. §. wiewohl aber etliche Stände. At contrarium verius est, ut post *Modestin Pistor. Consil. 16. num. 6. vol. 1.* latius probat *Klok. consil. 35. num. 262. vol. 1.*

Digitized by Google

ubi scribit omnino obligare, respondendum est cum nominatim non sint abrogata, neque etiam Juri divino repugnant, ideo illæsa conscientia observari possunt.

12. Etsi à nonnullis dubitatur an statutum, vel consuetudo his solennibus derogans valeat, uti eam tanquam pietati & Ecclesiæ libertati contrariam damnat. *Rodoan. d. tr. lib. 1. q. 24. num. 43. seqq. & q. 41. n. 35. q. 51. c. 18. n. 2. & seq.* Attamen ipse usus & opinio communis jam approbavit, dum circa ista singula loca quædam omittunt vel adduxt vel etiam ex suo more agunt. Ideo, quod ubique consuetudinis specialis circa alienationes vel obligationes rerum Ecclesiasticarum præprimis est observandum. *VVesenbec. cons. 56. n. 23. Coth. resp 30. n. 112. vol. 1.* Derogandi potestatem tribuit dicta pax Religionis. Haud tamen status unquam ea abusi sunt, ut plane nihil solennitatis in rerum istarum obligationibus requirat. Hoc ad minimum retinent & observant, quod consensus seu confirmatio superioris penes quem jus Episcopale est, adhiberi debet, qui supplet solennitates cæteras *vid. Carpzov. resp. Electer. 52. n. 30. seqq. lib. 5.*

DECISIO II.

Juri retentionis in rebus sacris non est locus.

PAstorem Ecclesiæ post discessum pro residuo salario aliisque prætensionibus res sacras veluti calicem, vestimenta cultui sacro dicata, libros & alia retinentem non audiendum esse placuit, quod res ejusmodi sacræ extra commercium existunt, (1) ideo etiam quomodo pro debitis oppignorari non possunt, (2) ita quoque nec pro iis retineri. (3) Etsi enim etiam retentio sit earum rerum, quæ pignori non sunt suppositæ & istius jus pignore latius, (4) hoc tamen tantum est in iis rebus quæ retentionis sunt habiles. (5) In quibus sacra non reputamus, (6) quorum usus luctuosus, nec cogitandus est, ubi privatis usibus aliquâ ratione applicabuntur. (7) Quocirca non perquisita nec attenta debiti quod prætendebatur ratione injuncta est rerum sacrarum restitutio, reservata autem debitorum justa petitio. *In causâ Land-Raht Jothim Mordërs VVitvven contra M. Jonas Emmen. Die 1. Julii Anno 1658.*

1. §. 1. *sacra 8. Inst. de Rer. Divis.*
2. *l. 1. §. 2. ff. quæ res pign. oblig.*
3. Quarum rerum pignus vitiosum & inutile est, earum quoque non est justa retentio. *l. cum vitiosa 25. ff. de Pignorib.*
4. *l. 1. in pr. ff. eod.*
5. *Ita habetur ex regula d. l. cum vitiosa 25.*
6. *l. 2. C. quæ res pign. oblig.*
7. *l. inter 85. §. sacrum 5. ff. de Verb. Oblig.*

TIT. XIX.

QUI POTIORES INPIGNORE no habeantur.

DECISIO I.

Inter duos nudum prætorium pignus nactos prærogativa non ex tempore, sed jure debiti censenda, ideoque nisi hoc cognito, neutri quod pignore convenit in gratiam alterius, ut tempore prioris interdicendum est.

QUod alias in pignoribus pro regulâ traditur, priorem tempore, potiorem jure esse, (1) ad pignus prætorium, quod tantum servandæ rei causâ, & ut ejus tædio debitor creditori eo citius satisfaciat, decernitur, non perinde pertinet. (2) De quo dici solet quod immissio unius creditoris proficit cæteris. (3) Qui ita quæ mittuntur in possessionem, donec doceburt de suâ prærogativâ adversus alios simul immissos ex solo temporis anterioris ordine non defendendi, (4) nec aliis jure, quo illi uti cupiunt, interdicendum, sed paria sunt ipsorum jura (5) & injungenda est à judice singulis suæ circa credita prioritatis allegatio & deductio, & secundum hanc demum cum causæ cognitione statuendum, cujus circa fructuum perceprionem potiores partes sunt, (6) Secus ubi fit, ab interdicto perceptionis fructuum justè provocatur. (7) *Sic pronunciatum in causa Ottonis Clüvers contra Heredes Aschen von Friesen, die 2. Januarii Anno 1657.*

1. *l. potior 11. ff. qui pot. in pign.*
2. *Hanc differentiam inter pignus Prætorium & conventionale annotat Bartol. part. 3. membr. 2. n. 39.* Observandum tamen est pertinere hoc ad illud pignus Prætorium, quod nudæ custodiæ tantum constituitur. Sicut ea voce hoc plerumque in jure exprimitur. At Prætor pignoris jus & effectum aliquando latius extendit, ut non tantum ad custodiam, sed etiam possessionem & usum rei procredito concedat, quomodo immissio ex secundo decreto eo tendit. Atque de prætorio hoc pignore valet itidem illa regula, quod prior tempore potior est jure. *Ita accipiendum quod habet Faber. Cod. lib. 8. tit. 12. defin. 1.*
3. *l. cum tunus ff. de reb. auctor. jud possid. l. is cui §. si plures §. qui prior. ff. ut in poss. legat. l. 1. C. de diversis rescript.*
4. Jus enim illorum etsi qua debitorem certum est, qua concreditores tamen incertum, non sufficit ad decernendum sine causæ cognitione ex quo aliis præjudicium infertur.

Digitized by Google

5. *l. quod autem 6. §. sciendum 7. ff. quæ in fraud. credit.*

6. Sine causæ cognitione inter duos de jure suo contendentes non est alterutri abjudicanda possessio aut ejus utilitas *l. 1. C. si per vim vel al. mod.*

7. Definitivæ sententiæ vim habet decretum, per quod alteri tribuitur, alteri negatur crediti & pro eo securitatis atque utilitatis prioritas.

Super hac lite sic pronunciatum.

In Sachen Otto Clüvers Appellanten wider Otto Aschen von Friesen Erben in puncto mandati de non turbando werden die gravamina zu fernerer Außführung angenommen / davon Appellaten Copia erkandt und proxima darauff zu antworten auferleget von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 19. Januarii Anno 1657.

(hoc est.) In causa Ottonis Cluvers appellantis contra Ottonis Aschen â Friesen hæredes in puncto mandati de non turbando gravamina ad ulteriorem deductionem recipimus, & eorundem copiam appellatis ad desuper in proxima respondendum decernimus, idque de jure, publ. in summo Tribunali Wismariæ. 19. Januarii Anno 1657.

DECISIO II.

Separationis beneficium non tribuit pignus, nec mutat personalem actionem.

PEr Pomeraniæ mores hoc quidem invaluit, ut jure quodam separationis antecessoris in bonis creditores indiscriminatim etiam nudi chirographarii præferantur creditoribus successoris, ut ut valdè privilegiatis; attamen ex hoc non datur pignus illis creditoribus, (1) nec cum contra successorem agunt, istorum nomine hypothecaria actione experiuntur. (2) Sed manet illorum actio, qualis est. Si tantum personalis existit. (3) ex ejus regulis judicium est censendum. Quare cum post obitum successoris inter hæredes ejus & viduam bona essent divisa, antecessorum creditori sine alio constituto pignore, (4) non potest esse actio contra unum vel alterum illorum ut possessorem, sed omnes quorum fuit successio conveniendi, ideo citandi sunt, (5) attenta exceptione unius, quod non sit solus hæres. (6) Ita decretum & ut sic fieret ad Dicasterium, à quo appellabatur rescriptum fuit. *In causa viduæ & liberorum des Stadthalters Philip Horn, contra hæredes D. Sibrandten, die 6. Martii Anno* 1657.

1. Neque hic est effectus illius separationis, quæ a Prætore intra quinquennium petitur, *junctæ d. l. & tit. ff. de Separat. bon.* Nullibi iste huic beneficio tribuitur, ideò sine lege non est asserendum. Tacitum quippe pignus non est, nisi ex lege, qua sine frustra asseritur. Ista autem separationi æquiparatur in plurimis ea species, quæ antiquis Pomeraniæ moribus invaluit.

2. Hæc non est sine hypotheca, sicut effectus non potest prodire sine causâ.

3. Separatio non mutat actionem aut creditum, sed addit saltem illa non immutata singulare beneficium.

4. Ex hac actio sequitur possessorem, & si unus hæredum possidet, contra illum solum agitur, etsi solus hæres non sit. *l. 2. C. de hæred. action.*

5. Puta si solum debitum petitur, alias divisa actione singuli conveniuntur, *l. 2. C. eod. tit. l. 3. ff. Famil. ercisc.*

6. *Quæ fundatur in l. 1. C. si cert. per.*

DECISIO III.

Creditor ex constituto possessor postquam alius creditor per judicem immissus est, in possessione non defenditur, sed is qui in ea deprehenditur, donec prioritatis quæstio discutitur.

EX constituto quidem seu ex clausula, per quam debitor constituit se creditoris nomine & vice possidere possessio vera atque realis, (1) nec tantùm civilis, sed etiam naturalis transfertur, (2) & ex ea jus est possessionem sic acceptam contra quoscunque ut retineatur defendendi nec non ab iis in quos aut negligentia aut facto debitoris constituentis inter vetsa est, recuperandi; (3) attamen non similiter, si alio modo vel per alium secundus creditor aliusve in possessionem devenit: (4) veluti si judex crediti vel juris alterius causâ aliquem immisit. (5) Contra hunc non est amplius locus isti remedio, sed is potior est constituto rio, etsi plus juris ad possidendum ipsi sit; (7) nisi statim antequam possessionem adeptus est intervenerit. Ex quo enim alium in possessionem devenire scivit, ea quæ habetur possessio amittitur, (7) eum duo in solidum possidere nequeant. (8) Quocirca immissus qui non vi, non clam, non precario illam accepit in ea defenditur; (6) tantùm hoc creditori constituario relinquitur, ut super prærogativa crediti vel juris sui cum immisso contendat. Uti judicatum *in causa Abraham Herlin & consortum contra Wilhelm de Manna die 7. April. Anno.* 1657.

1. Hic fictitius quidem est possessionem acquirendi modus, sed ejusdem efficaciæ ac rem traditione accipitur, *uti prolixe explicat Tiraq. in tract. de jur. constit. possess.* Fictio tantum qua translationem operatur quantum veritas.

2. *l. l. quod nec 18. pr. ibid. gloss. & Dd. omnes ff. de acquir. poss.*

3. *Junct. l. fin. C. de acquir poss.* Ex qua condictio remedium recuperandæ possessionis est. *Menoch.*

Digitized by Google

recuper. poss. remed. 14. n. 3. non tantum si servi & coloni, sed quilibet alii, qui alterius nomine tenet istum, intentaverint *d. l. fin verb. nec & datur etiam creditori ex constituto tenenti uti pluribus docent contra aliter sentientes Tiraquell. d. tract. part. 1. num. 2. & 3. Menoch. d. remed. 14. n. 24. & seq.*

4. *d. l. fin.* C. *de acquir. poss.* loquitur de ea tantum specie, quando possessio alicui interversa est, per eum qui nomine illius possidebat. Minimè pertinet ad aliam possessionis amissionem ex immissione judicis aut occupatione alterius. Est nova & exorbitans ea constitutio *Menoch. dict. remed. 14. num. 11. seq.* ultra literam non extendenda. Quæ minimè convenit speciei de qua hic agitur, sicut nec Praxis judiciorum istam illuc extendit.

5. Hæc immissio facit immissum possessorem *subr. & tot. tit. ff. & Cod. de bonor. Author. jud. possid.*

6. Possessio magis est facti quam juris *l. 1. §. si vir. uxori ff. de acquir. possess. l. 1. §. Scævola ff. si is qui testam. lib. esse juss.* Ideo illud magis quam hoc spectatur.

7. Possessio amittitur ex eo cum alius in possessionem venit. *l. peregre §. quibus sb. Bartol. ff. de acquir. poss.*

8. *l. 3. §. ne contrario 5. ff. eod.*

9. Vitiosè ab alio accepta possessione vi aut clam, aliis remediis possessoriis locus est. *Vid Faber. in Cod. lib. 7. tit. 7. defin. 4. in fin.* quibus appellatus in ea in qua versati sumus specie ulus non est.

DECISIO IV.

Quomodo jus retentionis integrum servetur ad alium translata detentione & possessione bonorum.

QUæ cum debitoris bona sub concursum creditorum deveniunt exoritur magna difficultas, si alius jure retentionis in bonis debitoris utitur, alii verò administratio committitur, ut vix fieri possit ut non invicem sint obstaculo, ea præprimis ratione, quando viduâ & liberis in prædio virtute ejus juris existentibus, illud prædium tamen alii locandum erat, qui non poterat nisi vacuâ possessione frui. Ut autem cum illi idem quod alius pro prædio annuum offerebat, præstare nollent, (1) nec se posse assequi dicerent, alii colendum pro communi creditorum bono relinquere nolle, iniquum foret, (2) ità invicem iis id præstandum fuit, ut tamen jus retentionis salvum & integrum haberent. (3) Hoc verò ità potiri potuerunt, cum effectum & vim juris retentionis consequenter. (4) Ut si ii conductor ipsorum nomine teneat, (5) is omne illud quod retinentes habituri sunt præstet, ipsis quidquid ex jure retentionis competit illæsum maneat, (6) aliis ante id præstitum nihil capere aut habere liceat, ipsis verò si hæc non serventur prædium vicissim occupare & in pristinam conditionem redire vacet, deque his omnibus judiciali decreto velut ex re judicata, cujus paratissima executio sit, securitas fiat. *Sicut ità cautum & decretum fuit inter viduam & liberos Sieg fried Dechowven ejusque creditores die 8. Maji Anno 1657.*

1. Quod si idem præstare velint, potiores sunt in retinendo *arg. l. 2. ff. uti possid. de quo alibi inter definitiones has scriptum.*

2. Curæ bonorum & utilitati creditorum communi sub obtentu juris retentionis obsisti non debet: Nulla lex iis eam licentiam tribuit.

3. Non debet alteri per alterum iniqua conditio afferri *l. non debet 73. ff. de R. Jur.*

4. Hoc modo tamen in talibus adhibendum est, ut consequantur anteriores quod aliàs consecuturi sunt, eoque nomine sis satisdatum sit, *ut præscribitur in l. à Divo 15. §. si res pignerata 5. ff. de re judicat.*

5. Conductor non sibi sed alii, à quo accipit, tenet, ideò ex locatione non admittitur possessio *l. 2. C. de Præscript. 30. vel 40. annorum.*

6. Ità viduæ curatore constituto consuli solet *quemodo hoc suggeris. Coler. de Proceff Executiv. part. 1. c. 2. num. 224.* Ergò si præstat locare prædium quàm curatoris administrationi relinquere, idem ex rationis similitudine obtinere debet.

In Sachen Ulrich Dechowen Appellanten wider seine Vätterliche Creditoren Appellaten in puncto pensionis auff eingebrachte Relation, davon beyden Theilen Copey zu nehmen erlaubet wird / und Appellanten ferner Vorbringen erkandt / daß dessen Einwendens ungehindert auff den Bott der 1400. Güld. der sämbtlichen Creditoren zum besten das Guth Pantelitz cum pertinentiis dem sich angebenden Conductori jedoch gegen Vorbehalt und gnugsamer Versicherung so wol auff deß Appellanten jus retentionis & hypothecæ und daß er solchem nach jährlich biß zu endlicher Entscheidung der Zinsen fähig sey / als auch auff die Vorschläge und projectirten Vortrag so der Conductor gerichtlich zu bestellen schuldig seyn soll / nach richtiger Beschreibung der Gräntzenscheiden und anderer Zugehör die Güter zu räumen / es wolte denn Appellante annoch stäbiges verrichten und gnugsam versichern oder auch vermittelst der taxa die Güter annehmen und darauff die Creditores abfinden / deßwegen ihm die Erklährung uff 8. Worten vorbehalten bleibt. Decretum in höhern Tribunal zu Wißmar den 8. Maji Anno 1657.

Hoc est. In causâ Ulrici Dechovven appellantis contra suos paternos creditores appellatos in puncto pensionis, ad exhibitam relationem cujus utrique parti copia indulgetur & appellantium ulteriora allegata decernimus, quod non attentis exceptionibus ad licitationem 1400. flor. ad utilitatem omnium creditorum prædium Pantelitz cum pertinentiis conductori se offerenti, attamen cum reservatione

Digitized by Google

nem & sufficientem assecurationem tam ad appellantis jus retentionis & hypothecæ & quod annuatim usque ad finalem decisionem census capiat, quam etiam ad projectam propositionem quam conductori judicialiter constituere incumbit post accuratam designationem finium & aliarum pertinentiarum ex bonis cedere teneatur, nisi appellans id adhuc facere & sufficienter assecurare vel mediante taxa bona acceptare, & desuper creditoribus satisfacere vellet, in quem finem ipsi declaratio ad 6. Septimanas reservatur. Decretum in summo tribunali Wismariæ. 8. May. Anno 1657.

DECISIO V.

Uxorum privilegium dotis non est ante creditores alterius, quorum solutionem maritus cum prædio in se suscepit.

ETsi magnum est dotium privilegium in creditorum concursu, omnibus etiam hypothecam anteriorem habentibus potius, (1) attamen ad eos non porrigendum est, qui hypothecam vel jus quoddam aliud in rebus habuerunt, antequam ad maritum pervenerunt, qui cum istis solutionem recepit, tum quia illi non sunt propriè mariti creditores, sed alterius qui bonorum dominus fuit; (2) & licet deinde ex receptione creditores mariti fiunt, tamen cum conditione, ut iis ex re satis fiat; tum ex rei onere, cum quo transit, ideo omnibus aliis creditis potius est; (3) tum ex natura bonorum, quæ non sunt nisi deducto ære alieno; (4) ideo nec in bonis mariti privilegium accipit mulier ante onus ipsorum: tum ex jure creditorum alterius, quorum conditio per alium deterior fieri non debet; (5) tum ex jure separationis, quam facit pignus, quod in re est antequam ad alium devenit, (6) Sine eo etiam in Pomerania consuetudo autoris creditores præferens creditoribus successoris. (7) Non audita est ideo vidua appellans qua creditores ejus à quo cum onere prædium ad maritum pervenit, (8) *in causa vidue, Christoph Detloff von Schwerins contra creditores & Legatarios Antonii Crassowen, die 22. Junii Anno* 1657.

1. *Ex l. assiduis Cod. qui pot. in pign.* quam ita communior rectiorque JCtorum sententia interpretantur & nos in eo sensu in praxi forensi sequimur.

2. Privilegium concessum contrà mariti creditores non est extendendum sine lege contra alios seu alterius cujusdam creditores. Stricti enim juris est quatenus jus valde singulare introducit.

3. Fidem enim defuncti sequuti sunt non hæredis. *leg. 1. §. illud sciendum* 10. *ff. de Separat.*

4. *l. subsignatum* 39. §. 1. *ff. de V. S.*

5. Licet quidem cuique adjiciendo sibi creditorem creditoris sui conditionem reddere deteriorem *l. 1. §. ex contrario. 2. ff. de Separat.* At non creditoris qui alteri credidit. Ad quem pertinet juris Regula *in l. non debet* 73. *ff. de Reg. Jur.*

6. *Ita concludit Faber in Cod. lib. 7. tit. 32. defin. 15. num. 4. in not. hypothecarios non egere petitione separationis sed ipso jure tutos esse.*

7. De hoc consuetudinario separationis jure inter decisiones nostras pluta reperies, & extra controversiam est.

8. Ita praxis quotidiana ex jure istius separationis habet, quo vidua hæredis semper postponitur in prioritatis definitione creditoribus avitis & defuncti.

DECISIO VI.

Legatarii defuncti præferuntur doti vidua hæredis.

NOn tantùm creditoribus defuncti postponenda est vidua hæredis separationis jure sed etiam Legatariis. Quod enim dicitur legata post omne æs alienum defuncti nec nisi hoc soluto illa solvenda esse, (1) tantum pertinet ad debita defuncti non verò hæredis, qui qua legata non habetur debitoris loco sed hæreditas, pro iis est obnoxia. (2) Et quia lex generalem pro iis hypothecam in bonis defuncti constituit, (3) transit cum eodem onere ad hæredes, ideò hi nihil ex hæreditariis bonis nisi eô deductô habent, (4) nec nisi extra illud quidquam est eorum in quo præferri vidua potest. (5) Similis ratio est in hoc Legatariorum quam creditorum, & perinde isti quàm hi separationis jure gaudent. Et quô modô æquum est cum petunt ità tribui, ut cum creditoribus defuncti solidum attributum fuit & legata ante hæredis credita præstentur. (6) Ità enim similis æquitas existit, quando vel pignoris virtute vel ex consuetudine sine petitione ipsô jure illa tribuenda est. *In eadem causa.*

1. *l. creditoribus 4. §. 1. ff. de Separat. l. fi §. 4. ff. ut in poss. Legat. l. fin. §. fin autem 5. Cod. de jur. deliber.*

2. Hæreditariarum actionum loco habentur etiam legata, etsi ab hærede cœperint. *l. hæreditariar. 40. ff. de oblig. & action.*

3. *l. 1. Cod. commun. de Legat. de cujus modo habetur in dict. l. creditoribus 4. §. 1. de Separat.*

4. *l. Subsignatum §. 1. ff. de verb. Sign.*

5. *l. quotas 6. pr. ff. de Separat.*

Digitized by Google

6. Equiparantur & eundem effectum habent separatio ex petitione & ex jure. Hoc remittens petendi necessitatem effectum relinquit.

DECISIO VII.

Tertius possessor bonorum debitoris sumptus concursui promovendo debet, etsi creditor non sit, si ipsi cum creditoribus res sit.

IMpendia, quæ concursus creditorum pro solutione consequenda contendentium requirit, ex bonis debitoris suppediranda sunt. Siquidem illorum administratio curatori committitur, utique hujus est de istis prospicere. (1) At ubi alius quisquam possidet, plus difficultatis ea res habet, non minus tamen æquitatis, ut possessor ex fructibus rei ad debitorem, inde postea ad commune creditorum corpus pertinentis necessarios pro concursu sumptus suppediret, siquidem cum ipsi in concursu creditoribus res sit. (2) Potior quippe illa impendiorum causa est creditis omnibus, (3) nec possessoris jus fructus retinendi potius. (4) Non dubitatum ideo mandatum sine clausula contra possessorem super eo decernere. *Ad instantiam der von Küssovven, contra Obrist Alexander von Veissenstein, die 5. Sept. A. 1657.*

1. *l. 2. ff. de Curat. bon. dand.*

2. Est possessorum id debitum, cum litigatur cum ipsis, de re quam petentium esse constat. *Guid. Papa decis. 561 Hartm. Pistor. quæst. 20. num. 4. part. 1.*

3. In concursu creditorum potius semper est, quod impenditur in communem istorum causam. *arg. l. 5. l. seq. ff. qui pot. in pignor.* Ideo ante omnia credita detrahitur, & in ordine prioritatis præferri solet.

4. *l. an Prætor 6 §. sciendum 7. ff. qua in fraud. credit.*

DECISIO VIII.

Creditor prius immissus contra anteriorem quando in possessione non defenditur.

ETsi ea regula, quod prior tempore potior jure est, etiam in pignore prætorio obtinet, inde prius immissus contra secundum, utut magis privilegiatum, in possessione defenditur, donec ex aliis bonis ipsi satisfieri non posse constat, (1) per exceptionem excussionis tamdiu securus: tamen hoc non obtinet, ubi creditor postea immissus vel immittendus, specialem in bonis hypothecam anteriorem habet, (2) vel si jura hujus notorie anteriora sunt; (3) vel si immissio prior non nisi salvo jure tertii facta fuit; (4) multo minus vero cum alter qui agit de non turbando vel impediendo antea immissus fuerat, tantum possessionem ad tempus omiserat, interea alter ex recentiori immissione occupavit, (5) Nihil hæc contra, prius immissum proficiet, etsi vel juris alterius fuerit ignarus. Ex quo scivit & non restituit malæ fidei possessor est, meritò in fructus & expensas condemnandus. Uti judicatum *in causa Otto Clüvers contra D. Göhausen Erben die 5. Octobr. Anno 1657.*

1. *Fabr. in Cod. lib. 8. tit. 12. defin. 1.*

2. Contra hunc exceptio excussionis, quæ alias *ex Auth. si hoc debitor. C. de Pignorib.* competit cessat *Novell. 112. cap. 1.*

3. Ita jus dicendum alteri ut nihil detrahatur justiori alterius petitioni *l. bona fide 31. in pr ff. depos.*

4. Tale reservatum illam conditionem habet & immissioni injicit, ut in alterius præjudicium nihil valere debeat. Ideo meliore alterius jure apparente vires qua istum non habet.

5. Retinet prior possessionem animo etsi alius occupaverat. *l. clam. 6. l. quamvis 46. ff. de Acquir. possess.*

DECISIO IX.

Specialem & generalem hypothecam habens in hujus aliqua immissus non cogitur specialem excutere, nisi secundus anterius immissione jus habet.

CUm creditor, cui specialis atq; generalis hypotheca erat constituta, deinde hypothecaria agens, non opposita excussionis exceptione, in bona quædam debitoris immissus fuerat, lite inter eum & alium creditorem, qui simul debitoris hæres fuit, oborta immissio isti per sententiam confirmabatur. Appellatione autem interposita alter se gravatum querebatur, & quidem primum ex non observato jure, quod ad generalem hypothecam aditum non præbet, nisi excussâ prius speciali. (1) At quando creditor, qui utramque habuit, jam in possessionem bonorum istorum immissus, pignus prætorium & quidem speciale etiam obtinuerat, (2) ejusque nomine non minus ac alterius specialis hypothecæ gratiâ hypothecaria actio & excussionis seu ordinis exceptio competit, (3) utique non habet locum ea objectio, nisi quatenus appellantis jus quâ bona in quæ immissio processerat apparebit potius. (4) Hoc vero non censendum est quâ prætorium pignus ex eo tempore, quo adversario speciale & generale pignus conventum, ex qua conventione immissio petita erat, sed ex eo quo per immissionem impetratum fuit. (5) Quocirca non potest ejus ratione præferri immissus creditor, nisi immissio sit facta antequam alter creditor pignus impetravit. (6) Nec prima conventio, quę speciale & generale pignus constituit, proficere potest, utut secundo pignore anterior nisi quantum ad speciale attinet.

Digitized by Google

attinet. Qua hoc simpliciter est anterior primus. Qua generale vero non aliter quam firmatum post excussionem specialis, cujus nomine secundo competit excussionis exceptio. (7) Hanc non adimit subsecutum pignus prætorium, ubi inter conventionem primam & ipsum alii eædem res hypothecatæ fuerunt, indeque jus speciale & prius aliquod quæsitum. (8) Hoc pignus prætorio ut anterius, ita potius. Quod isti aliter obesse nequit, quam si speciale non sufficit. Eatenus in eo præfertur creditor ex prima conventione. (9) Ita existimatum *in causa Clüver contra Clüver die* 11. *Octobris Anno* 1659.

1. *junct. l.2. C. qui pot. in pign.*
2. *l.1. C. de Prætor. Pignor.*
3. *l.2. C. eo. tit.*
4. Potiores in pignore excludunt posteriores, donec iis satisfit *l. potior. 11. pr. l. creditor. 12. pr. ff. qui potior in pignor.*
5. Prætorium pignus constituit ipsa immissio, non ex quo fit conventio ante sententiam *l. non est 26. §. secundum est 1. de pignor. action. Mod. Pistor. quæst. 165 part. 4.*
6. Effectus non potest esse ante causam, nec prætorii pignoris beneficium seu prioritas quædam antequam constituitur, etsi alia ex causa reis in quam immissio fit sit obligata.
7. *Salycet. & Dd. omnes in dict. l. Cod. qui pot. in pign.*
8. Inter alios acta aliis præjudicium circa jus quæsitum afferre nequeunt, etsi sententia vel immissione judiciali corroborata *l. 1. tot. tit. Cod. res inter. al. act.*
9. Juxta regulam, qui prior tempore potior jure, quæ in omni specie pignorum valet. *l. potior 11. pr. §. 1. seq ff qui pot. in pign.*

DECISIO X.

Dos à patre obærato promissa genero in concursu creditorum ante hos non debetur, utcunque pignore munita sit.

EST quidem promissæ dotis causa jus quoddam tacitæ hypothecæ & ex illa ante chirographarios promissoris creditores prærogativa, (1) at si eo tempore promittitur, quo pater vel qui promisit, nondum fuit obæratus. Nam ubi ære alieno immersus promisit in præjudicium creditorum constitutio dotis non valet. (2) Nec tantum qua mulierem sed etiam qua generum. (3) inter quem & uxorem ea quidem differentia est, cum de restituenda dote jam accepta velut in fraudem creditorum data agitur, quod illa sine discrimine restituit, hic non aliter quam ubi fraudis conscius fuit. (4) At quando petitur dos, nihil refert: quia illa non debetur nisi ex bonis, hoc est deducto ære alieno. (5) Ideo creditores qui de prælatione generi qua dotem querebantur meritò auditi sunt die 10. Anno 1657.

1. *Lun. §. 2 C. de Rei uxor. action. Carpzov. decis. 57. per tot. Negusant. de Pignor. 4. memb. 2. part. princ. n. 25. & 27.*
2. *Bald. in l fin. C. de Dot. promiss. Schneidewin. in §. fuerat. num. 15. Instit. de Action.*
3. Sive sciverit patrem fuisse obæratum adeoque fraudatorem, sive ignoraverit *l. 2. C. de revoc. quæ in fraud.*
4. *Hoc discrimen explicatur l. fin. §. si à Socero 2. ff. quæ in fraud. credit.* Diversitatis ratio in eo est, quod mulier lucrativo titulo dotem accipit; maritus oneroso; ideo ab illa dos semper sive ignoraverit repetitur, ab hoc non aliter quam ubi scivit *juxta distinctionem in l. quod autem 6. §. hoc edictum 8. & §. similiter 11 ff. dict. tit.*
5. Succedit dos loco legitimæ, quæ non debetur nisi deducto ære alieno. *Bald. Novell. de Dote part. 6 privil. 4. num. 3.*

DECISIO XI.

Creditor à detentore ob melioramenta seu impensas non impeditur quidem, quin in hypothecam immittatur, at nisi iis refusis fructus non percipit.

POstquam ordo creditorum per sententiam prioritatis definitus fuerat, illorum aliquis in pignus suum semet immitti contendebat, & decreta erat immissio: obsistebat autem qui in possessione erat, melioramenta & impensas in prædium factas prius refundi postulans. Non apparuit statim, quid de hoc statuendum. Videntur de eo fuisse contrariæ veterum JCtorum sententiæ; aut si non contrariæ, tamen responsa illorum in leges Justinianeas redacta tam obscura & dubia, (1) ut inde varia sit JCtorum interpretatio & sententiarum difficilis conciliatio. (2) Post diligentem considerationem visum fuit initio discernendam esse exceptionem non faciendæ immissionis, & retentionem fructuum pro impensis & melioramentis. (3) Quantum ad illam attinet minime debuit repelli creditor ab hypotheca sua, ideo, quod alius in eam quædam impendit, etsi meliorem reddidit, (4) Nam ut eadem ipsa melioramenta fiunt portio hypothecæ & hanc sequuntur, ita & velut accessiones cum reipsa ad creditorem transeunt. (5) Iniquitas porrò insignis foret creditorem ideo hypotheca sua carere & in juris sui prosecutione, multo magis in juris per longas moras multasq; impensas obtenti usu ideo impediri, quod ali' in istam impende-

Digitized by Google

penderit. (1) Verum ut creditor sic hypotheca potiatur, quo & qui in illam impedit suo non privetur, de eo diſpiciendum & pro æquitate curandum erat. (7) Haud vero per omnes circumſtantias idem juſtum & æquum erit, ſed pro iſtarum diverſitate diverſimode de iſto ſtatuendum. Vel enim per impenſam nihil melior eſt rei oppignoratæ cauſa, ita ut ex iſta creditor nihil utilitatis habiturus ſit, vel vere inde melior iſta reperitur, ut reipſa impenſa melioratio dici queat. (8) Quando nec res nec creditor aliquid commodi ex impendio percipit, ſine ratione ab illo quidquam tertius poſſeſſor impendens repetit, ſed ſi de eo actionis quidquam competet, contra illum agatur, cum quo de eo negocium interceſſit. (9) Creditori nihil juſte opponetur, niſi de eo quod accipit. Siquidem impenſa vel inutilis ſit, vel cum utilis fuerit, eo tempore quo creditor immittitur perempta, contra ipſum ut tertium non eſt ob eam retentio. (10) Ubi vero melior res iſta apparet, eſt ejus nomine impendenti retentio & deductio, (11) imo & jus quoddam potius eo quo creditor nititur. (12) Attamen non ſimilis omnibus talium uſus. Nam aut mala fide impenſa proceſſit ab eo, qui ſcivit rem alteri oppignoratam & mox reſtituendam vel etiam litem de iſta jam motam; aut bona fide à juſto poſſeſſore. Ille nihil præter deducere, ideo nec ulterius rem retinere poteſt quam præſens reperitur melioratio. Unde etiam ex præſenti ſtatu tantum fit æſtimatio. At huic ſupereſt omnis neceſſariæ vel utilis impenſæ, ut ut non exſtet, petitio. Saltem cum hac diſtinctione, utrum actio exiſtat ex conventione cum alio, an ſaltem ex rei utilitate. In iſto caſu res non retinetur; ſed debitor impenſæ juxta leges pacti convenitur. (13) In hoc vero rei inſiſtitur donec ex re ſatisfiet, non ut excludatur creditor, cui ipſa oppignoratur, ſed ut una cum ipſo teneat, fructus vero ſolus retineat uſque dum ſatisfactum ſit, (14) niſi quod omnino per judicem tentandum eſt, an alio modo utrique ſatisfieri poterit. Circa iſtud vero & diſcernere convenit utrum impenſa ſit liquida nec ne. (15) Ut de eo, conſtet, judicis partes ſunt ſtatim liquidationem ſine aliis ambagibus injungere & curare. Quod per iſtam certum reperietur debitum ab impendente ex fructibus primo deducendum, ſic tamen ut nec creditor omni immiſſionis ſuæ fructu careat. Illiquidum vero ad deductionem ulteriorem in legitimo proceſſu remittetur, ſic ut interea non maneat impendens in poſſeſſione, ſed in eventum litis, ſecurus ſit ex cautione præſtanda per rem ipſam, ut ſi poſt rem judicatam liquida ſtatim non præſtentur, iterum immittatur & fruatur, donec omni debito potietur. (16) Juxta hæc in eo qui obvenichat caſu non attenta contradictione viduæ ejusque generi melioramenta obtendentis peracta eſt immiſſio & decreta commiſſio, tum ad liquidandum, tum ad componendum aut referendum, quo prout ſingula reperta fuerint deciſio fieret. *In cauſa Niclaus Teſſins contra viduam Baltzer von Kaldens die Novembr. Anno* 1657.

1. *Antinomia videtur eſſe in l. Paulus* 29. §. *pen. ff. de Pignorib. & l. cum poſtulaſſem* 44. §. *damni l. ff. de damn. infect.*

2. *Conciliationem iſtorum textuum variis interpretationibus & ſententiis JCti tentant, quarum pleraſque collectas vide apud Garſiam in tr. de Expenſ. cap* 18. *num.* 56. *& ſeq.*

3. Hæc diſtinctio præ cæteris optime & ſimpliciſſimè ſine alia difficultate atque ambiguitate conciliat, quæ ſibi contrariari videntur & contraria minime ſunt. Nam prius decidit *dict. l. cum poſtulaſſem* 41. §. *damni*, proſecutionem pignoris contra poſſeſſorem non obſtante nec redditâ prius expensâ permittens; excepto tamen eo qui ex cauſa damni infecti immiſſus eſt, in quo ſingulare quid ſtatuit, juxtim verò rationem diverſitatis addit, *quam ibi exponit Gothofred. in not.* Ad poſterius vero pertinet *d. l. Paulus* 29. §. *pen. ff. de Pignorib.* detentionem ex cauſa fructuum permittens, perſecutionem tamen pignoris plane non excludens.

4. *Ita habent verba d. l. cum poſtulaſſem* 44. §. 1. *ff. de damni infect.*

5. Jus ſoli ſequitur ſuperficies cum jure pignoris *ut habent verba d. l. Paulus* §. *pen. ff. de Pignorib. l. cum area* 21. *ff. de Pignor. action.*

6. Etſi æquum ſit impenſam, ex qua res alterius melior eſt, refundi, tamen haud ſemper æquum, ideo alterius jus impediri vel deterius reddi.

7. Æquitas naturalis jubet evitare, ne quis cum alterius damno locupletetur *l. nam hoc natura ff. de Condict. indeb.*

8. Contra tertium veluti creditorem non eſt jus repetendi poſſeſſori niſi tantum ex utilitate quæ ipſi præſtatur.

9. *Ita ad hunc remittit JCtus in d. cum poſtulaſſem* 44. §. *fin. de damn. infect.* quomodo interpretes communiter rationem quæ additur explicant.

10. Etſi enim etiam bonæ fidei poſſeſſori impenſæ repetitio conceditur, ut ut res non amplius exſtet *l. plane in cæteris* 38. *in fin. ff. de Hared. petit:* tamen non contra alium, ac qui impendenti obligatus fuit, cujus gratia impenderet.

11. Retentio ordinarium impenſas ſervandi remedium eſt tum malæ quam bonæ fidei poſſeſſori competens *l. ſi fundum ff. de Rei Vindic. l. ſi neceſſarias ff. de Pignor. act. l. colonus ff. de vi & vi armat.*

12. *Arg. l. interdum* 5. *l. ſeq ff. qui pot. in pignor.*

13. *Hoc eſt quod dicitur in d. l. cum poſtulaſſem* §. *fin. ubi vid. Gothofred.*

14. *l. ſumptus* 58. *l. emptor.* 65. *pr. ff. de Rei vindic.*

15. Illi-

Digitized by Google

15. Illiquidi causa, contra tertium, à quo causa non habetur, non est retentio *l. fin. ib. Bald. C. Commodat.*

16. Cautio pro re est quoties quod petitur est illiquidum. Ideo cum iniquum sit sub hoc obtentu rem alienam detineri, ab ista remedium sumitur.

8. *l. quod quis* 34. *ff. de reb. author. Jud. possid. l. quamvis* 2. *Cod. de Jur. Fisc.*

5. *l. simile* 10 *ff. ad Municipal.*

6. *De hoc vide scripta in Comment. ad Jus Lubecens. lib.* 3. *tit.* 1. *artic.* 12. *num.* 14. *& in responso quod ei annexum est, decimo, quod hanc rem prolixius explicat.*

DECISIO XII.

Decimæ ob Jus detractionis debitæ potiores non sunt creditis, nisi iis postquam ista debentur, contracta sunt.

DEcimæ quæ civitati ex detractionis Jure *als ein Abschoß* debentur, sunt portio non hæreditatis, sed bonorum. (1) Ideo quod eo tempore, quo detractio fieri & præstari debuit, aliis debitum fuit, ante decimam est. (2) Si autem, postquam hujus debitor ex civitate abscessit, alia debita contraxit creditorum posteriorum non est potior ratio, nisi alias civitate magis privilegiati sint. (3) Ex jure autem communi civitates, quæ Principi subsunt, & municipales vulgo audiunt, personale tantum privilegium habent, (4) haud tacitum pignus. (5) Per statuta vel privilegia vel consuetudines aliquando aliud introductum reperimus; (6) Id quod ante omnia indagatione indiget, antequam de prioritate in concursu creditorum judicetur. *In causa Senatus Ledinensis contra liberos & creditores D. Balthasari Henckels die* 2. *May Anno* 1654.

1. *Cothm. resp. Acad.* 19. *n.* 3.

2. Bona non debentur, nisi deducto ære alieno, *l. subsignatum* 39. §. 1. *ff. de verb. significat.* Nihil ex bonis capitur ante debita, *l.* 39. *ff. eod.*

3. Dubium quidem contra hæc cuiquam movebit exemplum collectarum & onerum Reipubl. præstandorum, quibus Jus prælationis ante creditores alios anteriorem hypothecam habentes leges concesserunt, *l. satis notum* 4. *Cod in quib. caus. pign. vel hypoth. l.* 1. *C. si propt. publ. pensit.* At qua diversitatis ratio manifesta est, quod pro istis bona cujusque civis obnoxia sunt, ex quo jus civitatis accepit, *l.* 1. *c. in quib. caus. pign. tacit. contrab. l.* 40. §. 1. *ff. de Jur. Fisc.* & lex privilegium expressim dedit. In his vero non est nexus iste bonorum, sed incipit debiti ratio, quando bona ex jurisdictione transportanda fuit, nec antea debitum quodquam est. Deficit etiam legis quoddam privilegium, ideo non nisi ex eo tempore quo deberi incipit, hypotheca oriri potest, sed insistendum regulæ in contractibus, vel quasi contractibus allisque creditis circa fiscum præscriptæ, ut ab illo tempore jus tacitæ hypothecæ habeant, *l. si pignus* 8. *ff. qui pot. in pignor. l. si fundum* 4. *C. eod. Cujac. in l. Paratit. l. C. de Jur. Fisc.*

4. Jus tacitæ hypothecæ Respubl. habet in bonis debitorum suorum, cujus virtute præfertur hypothecariis posterioribus, *dict. l. si pignus*

DECISIO XIII.

Usuræ pro collectis aliisque oneribus ex mora quando debentur, ut punitoriæ, post omnes creditores sunt.

USuras ex mora pro collectis aliisque pensitationibus publicis aliquando deberi non posse, male disputatum & præjudicatum est, (1) quasi mora non sit debentis, sed magistratus, qui executione adhibitâ non exigit. Hoc quidem in magistratu culpatur, meritò ubi penes eum stetit, ut non fieret exactio cum effectu, non tamen liberat debitorem aut à mora excusat. (2) Nec etiam debitorem decet ea objectio, cujus ultima semper est mora. (3) Debitor onerum ex ipsa indictione vel necessitate sine ullâ aliâ interpellatione in mora constituitur, (4) & lite mota aut oppositis exceptionibus, sed frivolis executionem remoratus non minus quam alius debitor usurarum præstationi obnoxius erit. (5) Quando inde damnum Reipubl. evenit compensatoriæ habendę, ideo eo quo sors adjudicatur, loco præstandæ sunt, (6) Alias cum sunt tantum punitoriæ, perinde ut aliæ quæ compensatoriæ dicuntur, eo loco quo sors non collocantur, sed post creditores sunt, instar pœnæ, cujus ratione nec Respubl. privilegiata est. (7) Malè autem ideo quod pœnæ loco sunt, excludantur illæ penitus à petitione. In concursu creditorum eo nomine petitio relinquenda, & quo per jus oportet loco adjudicanda est; Aliter non sine injuriâ judicatur & appellationi locus est. *Inter eosdem.*

1. *Ex collectis non solutis ob moram usuras deberi demonstrat, & plura in hanc rem notatu digna collegit Klock. in tract. de Contributionib. cap.* 19. *num.* 514. *& seq.*

2. Cum uterque creditor & debitor in culpa & mora sunt, non proficit unius negligentia alteri, sed ut quisque officio atque debito satisfacere obstrictus est, ita negligens suam culpam luit. Sciens debitum & non solvens sine interpellatione in mora est, *l. quod te ff. si cert. pet. l. si ex legato ff. de verb. Obligat.*

3. *l. fin. ff. de Peric. & comm. rei vend.*

4. *Klock. dict. cap.* 19. *num.* 321.

5. *l. si quis solutioni* 24. *ff. de Usur.*

Digitized by Google

6. *De his compensatoriis usuris sonant ea quæ scribit Klock. dict. loc. num.* 517. *& seq.* Talium usurarum & sortis regulariter idem est jus atque privilegium inter creditores. *l. Lucius Titius* 18. *ff. qui pot. in pign.*

7. *l. un. C. de Pæn. fiscal.*

DECISIO XIV.

Expensæ in funus liberorum debitoris defuncti, quando in concursu creditorum ante alia credita non debentur.

EST in concursu creditorum expensarum funebrium quoddam privilegium. (1) At de eo quæstio orta fuit, utrum tantum quæ in funus debitoris, an & quæ in exequias liberorum ejus credita sunt? Casus diversos distinguere oportet. Aut pater vivus ea impendia fecit, aut post mortem illius defuncto liberorum aliquo pro iis creditum contractum est. Siquidem Patre vivo in funus liberorum impensa facta sit, eodem jure pro ea causa ortum creditum utitur, quo id quod in patrem ipsum debitorem impenditur, (2) modo creditur ante excitatum creditorum concursum. (3) Post obitum ejus refert, utrum defuncti liberi simul fuerint hæredes nec ne. Hæredes ut debitorum loco sunt, ita & eorum jure fruuntur, nec diversa ratio ipsorum atque patris est. (4) Sicuti hæreditate abstinuerint, aut ex bonis parentis alia ipsorum pro maternis vel adventitiis bonis petitio est, ex iis funeratio fieri debet. (5) at pro eo creditum non alio quam ipse ordine haberi ac locari: (6) Aut nihil juris est in bonis funerato, & non ultra quam ex pietate creditores concedunt, consequetur qui funeravit. (7) *Quod secuti sumus in petitione impensarum funeris Mariæ Lepels, die 22. Junii Anno* 1654.

1. Debentur funeris impensæ ante alia credita ex singulari pietatis illius favore, *l. & si quis* 14. *§. si colonus* 1. *l. impensa* 18. *l. funeris* 37. *l. impensa* 45. *l. seq. ff. de religios. & sumpt. fun.*

2. Jure civili id certum est, *per l. quæsitum* 17. *ubi Bartol. id probat ff. de reb. auctor. jud. possid.* Saxonico vero secus constitutum. *Vid. Constit. Nov. Saxon.* 18. *part.* 1.

3. Post concursum creditorum adeoque cessa aut possessa debitoris bona contractum creditum non venit in eundem concursum, nec solvitur ex iisdem bonis, super quibus contrahere prohibitum, *l. quod autem* 6. *§. sciendum* 7 *ff. quæ in fraud. credit.*

4. Hæredes sunt illi debitores, quorum bona possidentur. *§.* 1. *Inst. de quib. ex caus. man. non lic.*

§ 1. *Inst. de hared. qual. & differ.* Ideo debitori concessum beneficium iis demi nequit.

5. *l. in eum* 16. *ff. de relig. & sumpt. fun.* de suo quem funerari oportet, non de alieno, *l. si quis* 14. *§. Idem Labeo* 13. *ff. eod.*

6. Sequitur funeraria actio bona ex quibus debetur, *l. Neratius* 20. *pr. l. fin. §.* 1. *ff. dict. tit.* Ideo quo loco bona sunt & debentur, ex quibus impensæ præstandæ, eodem erunt etiam, quæ veluti surrogantur.

7. Est quidem magistratus decernere sumptus funerum, sed de bonis defuncti, *l. si quis* 12. *§. fin. seq. ff. dict. tit.* Quæ ubi non adsunt, creditoribus patris onus illud injungi non magis potest, quam aliquis cogi, ut pauperem suo sumptu funeret. Publica tunc succedit pietas.

DECISIO XV.

Funeris impensa non debetur ex sola designatione, sed probatione eget.

NOn sufficit impendia funeris repetentem ista in quantitate aliqua expressa designare, sed oportet probare; (1) & quidem specifice in id quantumque expensa facta sit, ut appareat non superflue, nec aliter quam bonâ fide illa facta fuisse. (2) Qui autem in ista pecuniam credidit ob probabilem facti alieni ignorantiam, (3) tali probationi obnoxius non est, (4) sed satisfacit pro recipiendo credito, si generatim ad funerationem se credidisse, versamque esse pecuniam docet, (5) nec in eo superfluum demonstratur. (6) *In eadem causa.*

1. Talis probatio præ primis exigitur, *l. in restituenda* 4. *C. de Petit. hared. l. legatum* 3. *C. de relig. & sumpt fun.*

2. Modus in his impensis servandus, nec ultra istum de his actio est, *l. & si quis* 14. *§. hac actio* 16. *ff. de religios. & sumpt fun.*

3. Huic multum indulgetur & remittitur, quod alias necessarium, *l.* 1. *§* 1 *seq. ff. de jur. & fact. ignor.*

4. Intellige tali, quæ impendenti incumbit. Probare tamen tenetur cum causam crediti, tum versionem in eam rem, *d. l. legatum* 3. *C. dict. tit.*

5. Ad hoc sufficit probatio verosimilis & conjecturalis. *Bald. in l. restituenda* 4. *n.* 3. *C. de petit. hared.*

6. Immodici sumptus nulla repetitio est, *l. & si quis* 14. *§. hac actio* 6. *§. seq. ff. de relig. & sumpt.*

DECISIO XVI.

Lucrum dotis secundæ conjugi debitum antefertur paraphernalibus bonis primæ.

NOn dos primæ conjugis præfertur secundæ doti. (1) Ita etiam huic præferuntur paraphernalia istius bona, ad maritum

Digitized by Google

rjtum allata, (2) quippe quæ carent privilegio, & inter hypothecarios tantum in ordine prioritatis collocantur. (3) Quod autem qua dotem constiturum, idem etiam in lucro dotis obtinet, (4) quæ eodem loco quod dos debetur & adjudicatur, (5) ideo etiam quod secundæ conjugi debitum antecedere debet paraphernali uxoris primæ: Uti existimatum *in causa heredum & viduæ Ernsti Lepels, contra primæ uxoris heredes, attamen obsistente aliâ causa pronunciatum non est, die 27. Junii Anno* 1654.

1. De hac prælatione primæ dotis ante secundam *vid. l. 8. §. ult. C. de sec. nupt. l. 6. §. ult. C. de Bon. matern.*

2. *Vid. Carpzov. in Jurispr. forens. part. 1. constit. 28. defin. 97. num. 5.*

3. Ratione bonorum paraphernalium mulieribus saltem competit jus tacitæ hypothecæ, non etiam prælationis privilegium. *Gail. lib. 2. Observ. 94. num. 11. Koppen. decis. 28. num. 3.*

4. Si communis juris rationem inspexeris, forte iniquum dixeris, lucrum præferri creditis. At ex consuetudine Pomeraniæ certum est, lucrum dotis una cum dote ante omnia credita deberi. Uti in conclusionibus Sterinensis etiam annotatum reperies.

5. Lucrum est in classe privilegiatorum creditorum, paraphernalia autem in classe hypothecariorum, quæ ista posterior est, etsi sint debita tempore anteriora. *Carpzov. dict. constit. 28. defin. 11. in fin.* Nec enim circa privilegiatos temporis, sed causæ ratio habetur, *l. assiduus 12. C. qui pot. in pign. l. 2. C. de jur. fisc.*

DECISIO XVII.

Creditor generalem hypothecam anteriorem habens, postquam elegit rem unam immobilem, seque in illam immitti petiit, ad eam in quam posterior creditor immissus est, venire nequit.

QUod jure traditum est, eum qui ex conventione specialem hypothecam accepit, prius specialem excutere debere, antequam ad generalem devenit, (1) etiam ad eum pertinet, qui cum generalem tantum hypothecam haberet unam rem immobilem elegit, seque crediti causâ in eam immitti curat. Hæc immissio speciale pignus in re ista conciliat, (2) & creditorem in eam conditionem deducit, ut specialem simul & generalem hypothecam habeat. Eadem subest ratio (3) in hoc judiciali pignore, quæ est in conventionali pignore seu respicias æquitatem, (4) seu voluntatem creditoris. (5) Et hic eo magis non permittendum creditori, postquam semel rem aliquam elegit variare in alterius detrimentum, (6) & ad possessionum perpetuam incertitudinem. (7) Multum quippe refert an ille, qui generalem hypothecam habet; nihil dum receperit, unde ipsi satis fieri potest an jam possessionem pignoris nactus sit. Quamdiu nihil elegit, est ipsi non tantum contra debitorem, sed etiam contra creditorem posteriorem hypothecaria actio. (8) At postquam elegit non aliter, quam si ex re electa satisfieri nequit. (9) Ita visum *in causa heredum D. Rahvven, contra Provisores Ecclesiæ in VVolgast, die 5. Septembr. Anno* 1654.

1. *l. quamvis 2. C. de Pignor.*

2. *l. 1. C. si ex caus. judic. pign.*

3. Quæ sit vera, *d. l. quamvis 2.* ratio inter JCtos controversum est, nec una redditur, *vide de illa plura apud Hartman. Pistor. Illustr. quæst. 13. num. 3. & seq. part. 3.* Duplex autem communiter traditur, & utraque textui conveniens. Prima desumitur ex æquitate, quam præprimis JCti in d. l. secuti esse videntur, quando scribunt jurisdictionem temperandam esse. Quasi æquum non sit, ut cui satisfieri queat ex unâ re, ille tum debitori, tum aliis creditoribus sua jura atque possessessiones velit reddere incerta & in perpetuo pignoratitiæ persecutionis discrimine esse. Secunda petitur ex mente & voluntate accipientis quod principaliter ad speciale pignus respexisse, alterum generale in subsidium majoris tantum securitatis gratiâ sibi constitui curasse videatur.

4. Iniquum enim est alii, quod pro credito consecutus est, eripere velle, ubi non est necessarium sed satisfieri potest sine alterius incommodo, *arg. l. in fundo 38. ff. de rei vind. l. 2. pr. & §. 1. ff. de aqua & aq. pluv.*

5. Voluntas creditoris cum immissionem petit & recipit, aperta est, quod velit inde sibi satisfactum.

6. *l. si cui 9. ff. de Servit.*

7. Hæc evitanda est *l. 1. ff. de Usucap.*

8. Potest ille quamcunque rem voluerit, eligere, *l. credit. ff. Distract. pign.* etiam eam quæ alicui specialiter obligata, *l. si generaliter C. qui pot. in pign.*

9. Viam quam quis elegit, sequi tenetur *l. si mulier 21. in fin. ff. quod met. caus. l. si quis 11. Cod. de reb. cred.* Ita creditor qui plures res obligatas habet una electa etiam deinde eligere nequit, *l. si quis stipulatus ff. de V. O. l. 3. §. & generaliter ff. de eo quod cert. loc. Heig. 2. quæst. n. 20.*

DECISIO XVIII.

Creditor post immissionem, multo magis adjudicationem excussionis exceptione utitur contra anteriorem creditorem, qui generalem hypothecam habet.

BEneficium possessorum, quod contra creditores hypothecariâ agentes excussionem tenentur, (1) non est denegandum

Digitized by Google

dum aliis creditoribus; ut ut anterioribus, qui autoritate judiciali in bona debitoris propter credita sunt immissi. (2) Justam quippe facit possessionem immissio. (3) Multo magis autem si adjudicatio accesserit, excludendus est à petitione per exceptionem excussionis creditor; (4) qui tantum generalem hypothecam (5) habet, & suum ex bonis cæteris consequi potest. (6) *In eadem causa.*

1. *Novell.4.c.2.Auth. Hoc si debitor C.de Pign.*

2. Ad hos spectant tum verba jam allegatorum textuum, qui de possessoribus generatim loquuntur, ideo indefinitè intelligendi: tum ratio, quæ est in æquitate, ut justa aliorum possessio nisi cum necesse est, inquieterur, & ubi tam creditori quam possessori simul consuli potest, id prævaleat remediis, quæ in hujus incommodum magnum devergunt, cum facile evitari possint.

3. *l. juste 11. ff. de acquir. poss.*

4. Adjudicatio facit immissum rei dominum, *l. fin. C. de jur. domin. impetr. l. fin. §. 2. de reb. autor. jud. possid.*

5. Qua specialem secus est, quam, ut alibi vidimus, non excludit hæc exceptio, etiamsi justo titulo dominus redditus sit qui accepit. *Nov. 114. c. 1. verb. ab hac autem litigiosi.*

6. Non sine malitia est cum sine alterius incommodo suum quis consequi possit, illam viam eligit quæ alteri nocet, cui indulgere nefas, *l. in fundi 33. ff. de rei vindicat.*

DECISIO XIX.

Creditor protestando concursui creditorum contradicens seque illi jungere nolens, etiam illis deinde bona quæ sub isto fuerunt, intacta linquere debet.

Ecclesiæ nomine, cui certum prædium pignori nexum fuerat, cum etiam tacitam in bonis debitoris hypothecam habuisset, citatis ad concursum creditoribus protestatio publicè facta, de non se jungendo concursui sed inhærendo singularis hypothecæ juri, (1) hoc operatur, ut illa creditrix postea bonis specialim hypothecatis contenta esse cogatur, (2) ideoque cætera quæ sub concursum venerunt intacta aliis creditoribus relinquere, (3) maximè si ex re aliâ quam in concursum venire noluerunt satisfieri possit. Est enim ista quædam actionis sub concursu abdicatio. (4) Et cum per istam protestantes voluerint servare Ecclesiæ creditum contra alios creditores, utique his vicissim adversus illam electio proficere debet. (5) Iniquum est ut frui quis velit quod impugnavit. (6) Quod consideratum *in eadem causa.*

1. Itaque qui incumbunt pignori suo, postea creditorum concursu excitato protestari & jura sua ab isto separata reservare frequens est. An illis bene consultum sit, non disputamus. Etsi vero ea protestatio non excludit aliorum creditorum potiora jura, tamen operatur contra protestantem, *uti de inani protestatione scribit Paul. Paris. consil. 77. n. 26. vol. 3.*

2. Quod semel placuit, amplius displicere non debet, *c. quod semel de R. I. in 6.*

3. Electio hæc separationem facit, ex qua abstinere coguntur à quo semel semet separaverant, etsi iis non satisfiet, *l. si creditores 5. ff. de Separat.*

4. Electio eo facit & inducit renunciationem, *l. quod ei heredes §. eligere ff. de Tribut. act. l. fin. C. de jur. Codicill.*

5. Juxta rationem in simili plane positam, *in d. l. si creditores 5. pr. ff. de Separat.*

6. *l. generaliter 13. C. de non num. pecun.*

DECISIO XX.

Ex optione eentorum bonorum perit jus prioritatis anteriori alias creditori qua cætera bona.

Creditori, quo potiatur sibi debito, electio non modo est, quo remedio ex pluribus competentibus uti velit, (1) & si fidejussores & pignora habet, illos convenire an hæc persequi velit, (2) sed etiam præterea licet unam viam medium ve elegerit, ad alia regressus supersit, donec sibi satisfactum fuerit. (3) At non ulterius se extendit ea libertas, ac quamdiu cum debitore vel ejus hæredibus res est, adversus quos variare semper integrum manet, quibus de eo queri nunquam vacat cum non solvunt. (4) At ubi inter plures creditores res est, quibus ex debitoris bonis satisfaciendum, tunc electio seu optio bonorum semel facta hunc effectum habet, quod ex re electa optans satisfactionem quærere & reliquum cæteris relinquere debet, (5) etiamsi alias anterior sit. Electione enim perit jus eligendi seu optionis, (6) nec postea in alterius injuriam consilium mutare aut variare permissum est. (7) Est ratio diversitatis qua debitorem & concreditores manifesta. Adversus illum creditoris beneficium est, omnibus uti posse juribus & mediis quibus suo potiatur, nec donec fine potitur præcluditur ad aliquod via. (8) At inter creditores paria eatenus jura sunt, ut omnibus ex bonis debitoris satisfiat. Ubi itaque ex electione potioribus jam cessit, unde sibi satisfactum cupiunt, qua cæteros desinit illorum jus & sequentibus quæritur etiam sibi eligendi licentia. (9) Postquam ergo potiorum

Digitized by Google

creditorum aliquis non modo sibi specialem hypothecam elegit, sed etiam ex ea sibi satisfieri, ideo adjudicari in concursu petiit, tanquam optione facta deinde excluditur, (10) & cæteris creditoribus suum ex reliquis recipere integrum. Multo minus autem si immissio vel assignatio in ea facta fuerit jus quæsitum ex variatione alterius auferri potest. *In causa hæredum D. Balthasaris Ravven contra provisores Ecclesiæ VVolgastmariæ die* 20. *Octob. Anno* 1654.

1. *Vid. Coler. de Process. Executiv. Part. 1. cap. 8. num. 10. & seq. Neguzant. de Pignorib. 4 part. princip. n. 25. & seq.*

2. *l. inter eos* 51. § *creditor ff. de Fidejussorib. Hering. in tr. de Fidejussor. c. 30. §. 13. num. 18. & seq. ubi id explicat.*

3. *l. fin. C. de Fidejussorib.*

4. *Vid. Color. Act. cap 8. num. 46. & seq. Magon. decis. Lucens. 52. n. 22.*

5. Etsi creditor plures res obligatas & in iis obligationem habet, electione tamen unius excluditur actio adversus alias, *l. si quis stipulatus sit ff. de Verb. Oblig. l. 3 §. & generaliter ff. de eo quod certo loco. Hoig. quæst. 2. n. 20. part. 2.*

6. Extra eam speciem, quando contra debitorem res est, sequimur regulam: Viam quam elegisti, ambula, nec ab una ad aliam regressum concedimus, *l. si mulier* 21. *in fin. ff. quod met. caus. l. si quis* 11. *C. de reb. credit. ib. Dd.*

7. *l. nemo potest ff. de Reg. Jur.*

8. *l fin. C. de Fidejussor.*

9. *l. si quis* 11. *ib. gloss. & Salycet. C. de reb. cred.*

10. Optio instar renunciationis habet, *l. quod hærede §. eligere ff. de Tribut. action. l. fin. C. de Jur. Codicill.* ideo semel optanti postea ad omissa reverti non permittitur.

DECISIO XXI.

Sumptus processus super concursu creditorum viduæ mariti bona pro dote retinens præbere tenetur, etsi alii ex crediti jure alia possideant.

APpellabat vidua à decreto, per quod ipsi injunctum erat impendia processus in concursu creditorum necessaria ex bonis mariti quæ detinebat porrigere, duplici hoc obtentu, primò, quia ex reditibus prædii detenti ultrà alimenta vel usuras illatorum, tantum non superabat atque sumptus necessitas requirebat: Deinde ab aliis partem bonorum debitoris teneri, eosque se minus privilegiatos creditores esse. Verum rejecta est appellatio tanquam moribus non modo, (1) sed etiam rationi contraria; Primo enim bonorum quæ maritus reliquit, id onus est, ut cum hæredem vel successorem feudalem non habet, inde ad concursum atque distractionem res venit, onera ejus processus sustineant. (2) Deinde impendium hoc velut communem omnium creditorum causam concernens ante omnia credita est, quocunque privilegio sint munita. (3) Tertiò viduæ jus retentionis aut perceptionis fructuum non est ante ista impendia, ideo nihil ex iis retinere potest, nisi deductæ prius eo quod præfertur. (4) Quartò jus retentionis non impedit, ut non bona debitoris habeantur omnium creditorum communia, (5) ideo ex iis communis causa prius curanda. (6) Imò quintò etiam vidua & retentrix bonorum ex administratione istorum quam sibi arrogat, obligatur ut concursum omni ope procuret. (7) Maximè etiam interest ipsius. Accedit quod ex iis nihil sibi potest attribuere, antequam super prioritate fuit pronunciatum. (8) Etsi verò fructus tanti non sunt, ut alimentis aut usuris sufficiant, id non potest liberare eam ab impendiis, quæ ordine sunt anteriora & ipsi præferenda, ideo solvenda, etsi nihil potietur, (9) Quod alii creditores crediti jure tenent, uti à communibus separatum communi oneri non amplius est obnoxium, antequam eo iterum fuit reductum. *In causa Otto von Rammins, contra ejusdem creditores, die* 10. *Novembr. Anno* 1654.

1. Sic per hos servatur ut quicunque bonorum debitoris possessores sunt, teneantur impendia concursus præbere, quo eo expeditius citiusque communi omnium bono finiatur.

2. *l. 1. & tot. tit. ff. de Curator. bon. dand.*

3. Sic obtinet in concursibus creditorum uti ex quotidiana praxi novimus, quam ut semper servatam sic etiam rationabilem esse, alibi inter decisiones nostras reperies.

4. Mulier non utitur jure retentionis contra anteriora onera, sed omnia quæ rebus incumbunt dum retinet, præstare tenetur. *Salyc. & in l. fin. C. qui pot. in pignor.*

5. *juxta l. quod autem 6. §. sciendum 7. ff. quæ in fraud. credit.*

6. Communis utilitas inter creditores præfertur privatæ singulorum, *l. hujus enim 6. in pr. & §. 1. seq. ff. qui pot. in pignor.*

7. Non tantum ut cedatrix sed etiam ut conjux omni ope niti debet, quo tandem inter creditores mariti omnia ad exitum deveniant.

8. Eo usque par est omnium creditorum conditio nec unus præ altero ex privilegio suum quid dicere potest, *d. l. quod autem 6. §. sciendum. 7.*

9. *Arg. l. 1. pr. ff. de separ. bon.*

DECISIO XXII.

Dotis privilegium non antecedit onus cum quo ad maritum res pervenit.

ETiamsi dos omnia etiam anteriori expressæ hypothecæ innixa credita antecedit,

Digitized by Google

cedit, (1) attamen non illa, pro quibus res fuit obnoxia, antequam ad maritum pervenit. (2) Non enim nisi deducto ære alieno in bona mariti ex ea quidquam perveniſſe intelligitur. (3) nec uxor plus juris qua hypothecam in ea accipere poteſt, quam maritus ratione proprietatis obtinuit. (4) Sicut ad ipſum res pervenit cum ſua cauſa, (5) ita non aliter mulieri in ea jus quæri, nec anterioribus creditis vel oneribus ab alio profectis præjudicari poteſt. (6) *Sic judicatum in concurſu creditorum Siverd Dechovven, die 31. Januarii Anno* 1655.

1. *Ut ex l. fin. C. qui pot. in pig. communis Ctorum ſententia aſſeris & per Conſtitutiones moresque Pomerania certo uſu ſervatur.*

2. Eo reſpicit quod uſu invaluit dotem uxorem filii vel ſucceſſoris non anteferri paternis vel anteceſſoriis creditoribus.

3. *l. Subſignatum* 49. § 1. *ff. de R. I.*

4. Non poteſt plus juris tranſire in alium quam penes accipientem fuit, *nemo ff de R. I.*

5. Alium creditorem adjiciendo debitor creditoris ſui conditionem deteriorem facere poteſt, haud vero anteceſſoris, *l. 1. §. ex contrario 3. ff. de ſeparat.* Separatio profuit anteceſſoris creditoribus, competens ipſis qui jus in re habent, ſine ejus expreſſa petitione, *vid. Fabr. in Cod. lib. 8. tit. 32. de fin. 15. ſub num. 6.*

6. Alteri per alterum ut iniqua conditio non inferatur, juris regula habet, *l. non debet* 74. *ff. de R. I.*

DECISIO XXIII.

Lis ſub concurſu creditorum contra curatorem bonorum agenda, isque citandus eſt, non quem creditores habent, procurator.

QUando poſt interpoſitam appellationem, qui olim in Camera Imperiali cœpt° erat, proceſſus cauſæ, quæ per iſtam introducebatur connexus, hic peragendus erat', poſtquam res debitoris ad concurſum creditorum devenerat, quærebatur, utrum ipſos creditores, an procuratorem, quem habebant communem *den gemeinen Anvvald* an curatorem bonorum citari oporteret? Exiſtimatum fuit cauſis concurſus procuratorem coram priori judice datum ſecundæ inſtantiæ non obligatum inutiliter citari, (1) ipſos vero creditores, poſtquam bonorum curatorem conſtituerunt, ſupervacuò: (2) Hunc itaque, ad cujus officium pertinet actiones inſtituere atque ſuſpicere, (3) ideo etiam ad litem jam cœptam aſſumere citandum eſſe: (4) cui deinde integrum & licitum, an ipſemet cauſam iſtam agere an procuratorem dare velit. (5) Juxta quæ decretum *in cauſâ Jacob Vieroggen creditoren, die 13. Martii Anno* 1655.

1. *Quod expoſui part. 2. deciſ.*

2) Ideo ab his conſtitutus eſt curator bonorum, ne ipſi opus habeant ſinguli vel conjuncti obnoxii eſſe ſollicitudini, quam bona exigunt. *tot. tit. ff. & Cod. de Curat. bon. dand.* Eſt ille ipſorum generalis procurator, qui minorum curatori æquiparatur, *Carpzov. deciſ. 36. num. 14.* ideoque non minus atque hic ſine alia conſtitutione lites curat.

3. *l. 2. §. 1. l. 3 ff. de Curat. bon. dand.*

4. *Carpzov. dict. deciſ. 36. num. 10. & ſeq.*

5. *d. l. 2. §. 1 ff. de Curat. bon. dand.*

DECISIO XXIV.

Pendente concurſu creditorum quando & quomodo ſolutionis gratificatio uni præ alio fieri poteſt.

SUpplicans querebatur ſibi ab inferiori judicio ſolutionem pecuniæ durante concurſu creditorum uni horum faciendam injunctam eſſe, & ſe ab illo præcepto liberari petebat. Innitebatur hæc petitio his juris regulis, quod ſub concurſu creditorum omnia horum jura ſunt æqualia: (1) quod inter pares nedum diſpares gratificationi ſub concurſu locus non eſt: (2) quod communis illa lis eſt, ſub quâ nihil innovandum, (3) Accedit conſideratio difficultatis & conſequentiæ, ſi occupantibus nunc his nunc illis creditoribus lacerentur bona, unde creditorum cauſa ob repetitionum diſpendia non poteſt non fieri deterior, (5) Etſi vero aliquorum creditorum commiſeratio, favor aut privilegia aliquando mereantur interea aliquid tribui, (6) attamen non facile nec citò nec ſine neceſſitate aliquâ huc progrediendum. (7) Expendendum prius eſt accepturi meritum, & gratificandi probabilis ratio. Deinde providendum ſecuritati ſolventis, (8) tum aliorum creditorum ſi accipiente potiores futuri ſunt, (9) tum judicii, qui ſuam cauſam imperite aſſignando facere poteſt, (10) quod præſtatione ſufficientis cautionis fieri ſolet. (11) Antequam autem ſuper petitione ſupplicantis aliquid decerneretur, viſum prius per reſcriptum explorare quâ ex causâ decreta ſolutio, quomodo cautum, *ad preces Obriſt Alexander VVeiſſenſtein, contra Hanns Engelbrecht, die 27. Junii Anno* 1655.

1. *l. quod autem 6. §. ſciendum 7. ff. quæ in fraud. cred.*

2. *l. pupillus 24. ff. eod.*

3. *l. 1. & 2. C. ut lit. pendent.*

4. *Uti exponit Faber in Cod. lib. 6. tit. 11. defin. 4. n. 10. ſeq.*

5. *Vid. Fabr. ibid. dict. defin. 4. num. 2. ſeq.*

6. Fit quippe hoc contra jus commune ſingulari aliquo favore, & in praxi non infrequens eſt.

7. Sine hac non eſt recedendum à regulis juris.

8. Ne non ſ rectè ſolvens iterum ſolvere opus habeat,

9. Nihil

Digitized by Google

9. Nihil detrahendum est alicui suum tribuendo justiori aliorum petitioni, *l. bona 31. §. 1. ff. de posit.*

10. *l. fin. ff. de Extraord. cogn.*

11. In iis quæ cum aliquo periculo sunt conjuncta, tarde & cauto judex decernat; *l. ult. §. sed ait 5. ff. de Carbon. Edict.*

DECISIO XXV.

Jus retentionis durante creditorum concursu servandum non transfert jus administrationis, nisi ex voluntate creditorum.

POstquam super bonis obærati debitoris exortus, est concursus creditorum, durante ejus processu durat jus retentionis, quod ex juris dispositione quidam illorum habent, cujus gratia bonis, donec plenè satisfit, incumbunt, quales sunt viduæ dotis & liberi adventitiorum bonorum ratione. Nec enim cessio bonorum jus retentionis tollit aut suspendit, (1) jus verò administrationis non tribuit. (2) Ideo licet iis quibus jus retentionis competit, pendente super concursu processu à bonis non sunt emittendi, sed securitatis suæ gratiâ in iis non minus atque si ipse debitor vel viveret vel nondum cessisset, in possessione relinquendi, attamen hoc invitis cæteris creditoribus impetrare per juris rationem haud possunt, ut ipsi soli administratores sint. (3) Non enim lex ipsis hoc officium, creditoribus autem circa curam bonorum arbitrium, inde curatorem constituendi potestatem dedit, (4) ex qua per jus retentionis ultra id quod hujus proprium est, nihil demtum. (5) Deinde post concursum excitatum par est omnium creditorum conditio & usque dum prioritatis ordo definitus, nemo sibi quicquam præ cæteris arrogare debet, qualecunque privilegium obtendit. (6) Ex eo lite pendente nihil ultra accipit, quam ante eam habet. Est quidem retentio aliquando cum perceptione conjuncta, at non ob eam invitis creditoribus eripienda est bonorum administratio. (7) Tantum ex illa debetur & peti potest, quod ex fructibus ratione juris retentionis debetur, minime vero ut retinenti administrationis cuncta relinquantur. Hoc dependet ex voluntate creditorum. Ubi illi istam cesserint velut ex abdicatione juris sui & translatione in detentorem obligantur ad relinquendum, donec causam iterum adimendi justam docebunt. (8) Inspectio tamen & correctio defectuum, seu frugalis dispositio ejus non magis creditoribus, quam aliis dominis circa administrationem rerum suarum adimenda est. (9) Quando itaque in ea, quæ occurrebat, specie jus retentionis tum & diu habitæ ac relictæ administrationis allegabatur, appellatio quà contraria istis admissa, inhibitio verò sic temperata est, ne etiam sub istis creditorum juri derogetur *in causa liberorum des Land-Raths Gerdt Beern contra creditores avitos & paternos, dirimendo anno 1655.*

1. Cessio bonorum quæ concursum facit, debitori quidem demit dominium & cætera jura, sed non aliis qui jus in re quoddam habent.

2. Diversa hæc sunt, retentio & administratio, ideò ut à diversis non est illatio *arg. l. fin. ff. de Cadu.*

3. Præter id quod lex specialiter aliquibus creditorum in bonis debitoris dat vel relinquit communia sunt omnium jura, nec unus præ alio de bonis possessis quædam sibi sumere potest, *l. quod autem 6. §. sciendum 7. ff. qui in fraud. credit.*

4. *l. 2. ff. de Curat. bon. dand.*

5. Jus retentionis jure singulari concessum non trahendum est in consequentias, *l. quod contra 14. ff. de leg.* nec extendendum ultra verba legis *5. fin. de Rescript.*

6. *d. l. quod autem 6. §. sciendum 7. ff. qui in fraud. credit.*

7. Alius potest capere fructus, alius administrare, ex quibus percipiuntur, nec ex debito fructuum infertur jus administrationis.

8. Quod semel creditoribus placuit, imposterum observare opus habent, *c. quod semel X. de R. I. in 6.*

9. Post cessionem bonorum creditores dominorum instar habent, ideo quæ dominis circa rerum suarum administrationem licent, illis prohibenda minimè sunt.

DECISIO XXVI.

Vidua in bonis fidejussoris pro marito dotis gratiâ non gaudet prærogativa ante alios ejus creditores anteriorem hypothecam habentes.

HAbet quidem uxor pro dote in bonis mariti non tacitam modo hypothecam sed etiam jus prælationis ante omnes mariti creditores, etiam eos, qui expressam anteriorem hypothecam habent, (1) at in eorum bonis qui pro dote intervenerunt tacitam saltem hypothecam ex legè habet, non autem jus prælationis, (2) quod velut singulare privilegium non competit, nisi lege fuerit concessum. (3) Hoc dum nullibi in corpore juris reperitur mulieri in bonis aliorum quam mariti concessum tribuendum haud est nec extendendum ultrà constitutionem, (4) quæ de bonis mariti saltem loquitur. (5) Quare cum vidua quæ ex his dotem ob prioritatem avitorum creditorum recuperare non poterat, ex fidejussione soceri, cujus isti creditores erant, ante ferri cuperet, non audita est, cum

Digitized by Google

tacitæ hypothecæ jure anteriores creditores antiquiorem hypothecam habentes non anteiret. (6) *In causâ Balthasar von Kalden Wittwen contra die Väterliche creditoren, die 10. Octobris Anno 1655.*

1. *l. assiduis* 12. C. *qui pot. in pign.* Quæ ejus textus explicatio, etsi olim valdè controversa, inter nos & in Pomerania ex usu qui communiorem opinionem sequitur hodiè certa & recepta est.

2. *Law. §. 1. C. de Rei uxor. action.*

3. Prælatio in concursu creditorum est juris beneficium non asserendum sine certo jure seu lege *Novell. 18. cap. 2. Jason. in l. præses numer. 3. C. de Transact.*

4. Privilegia stricti juris sunt nec extendi debent ultra casum expressum, præsertim in tertii incommodum & præjudicium *l. 2. §. meritò* 10. *§. si quis à principe 16. ff. ne quid in loc. publ. l. 40. ff. de Administrat. tut.*

5. Rationes legis supra allegatæ qui examinabit reperiet soli marito congruas, ideò cum juris axioma sit, jus singulare seu privilegium nec quidem ex rationis identitate esse extendendum seu in consequentiam trahendum multò minus ubi istæ dissident.

6. In hypothecis tam tacitis quàm expressis valet regula quæ prior tempore potior est jure. *l. potior 11. pr. ff. qui pot. in pign.* Incipit autem qua dotem ista ex tempore constitutionis, inde posterior illis quæ ante hanc conventæ sunt.

DECISIO XXVII.

Interventio mulieris ob specialem hypothecam excludit immissionem creditoris etiam illam valde privilegiatam quæ per Constitutionem Ducatus Bremensis fieri debet.

PEr juris communis rationem, ut dotes mulieribus salvæ sint, (1) non tantum ipsis anterius contra omnes mariti creditores ut ut anteriorem specialem hypothecam in bonis mariti habentes jus est, (2) sed etiam facultas executiones & immissiones aliorum creditorum impediendi, donec ipsis satisfactum vel patrimonium quod penes maritum fuit, securum est. (3) Quo nomine alii, cum agunt, intervenire & interventione sua efficere solent, ut prius è mariti bonis separetur quantum securitati illorum sufficit. (4) Et admittitur ista etiam cum creditoribus ex statutis vel pactis in bona debitoris licet manus injectio seu cum remedia executiva intentantur. (5) Accidebat vero dubitatio quando per constitutionem Ducatus Bremensis *von wucherlichen Contracten* in liquidis creditis hoc jus concessum est, ut statim non attenta ulla exceptione, nisi in continenti liquidabili, creditor immissionem in bona debitoris consequatur, utrum interventio illa mulieris istam impedire vel differre posset? Ex quo statuendum fuit, utrum cum opponeretur statim rejicienda, an ad ulteriorem discussionem admittenda erat? Dubium movebat tum illius constitutionis rigor, pro servanda rerum creditarum fide omnes exceptiones excludens seu suspendens, (6) tum immissionis ratio, quia non nisi fructuum perceptionem tribuit, qui sunt mariti non uxoris, (7) tum quod immissio fieri potest & nihilominus omnia uxoribus servari integra, & præcaveri, ne dotibus careant reservata ea post istam providentia. (8) Verum re diligentius considerata existimatum fuit, uxorem intervenientem non esse repellendam. Primò enim quod ex jure communi prioritatis & ex hac interveniendi habent beneficium dicta constitutio nullibi excludit vel tollit, (9) ideo sic accipienda ut cæteris jura sua maneant illæsa. (10) Deinde constitutionis illius rigor contra debitores prospicit & sic creditoribus consultum voluit, ut nulla exceptione illorum crediti fides possit corrumpi (11) at contra tertium remedium non præbuit (12) nedum jus aliorum tollere voluit. Et cum tertio mulieri dos conservanda sit, multo præstantius erit, re integra omnia bene expendere, quam post vulneratam causam remedia circumspicere. (13) Non tam facile emissiones quam immissiones procedant. (14) Utrum verò ex fructibus quidquam cedere creditori queat, de eo interventione discussa statuendum fuit juxta ista, quæ marito pro sustentanda uxore & ferendis matrimonii oneribus erunt reliqua. (15) De quibus nisi constet, abstinendum est ab immissione. (16) Non potest de eo queri creditor, cui hic non est res cum debitore, sed cum tertia persona, cui non minus consultum esse debet quam ipsi. (17) Imo eo magis, quam ampliori privilegio & favore fruitur. (18) Saltem in eo quidquam interesse creditum fuit, utrum mulier specialem ex pacto hypothecam pro dote habeat, an saltem ex lege generalem. (19) Et uti ex illa interventio effectu excludendi immissionem statim potitur, ita ex hac obtineri non debet, nisi constet alia non supereſſe bona, ex quibus mulieri prospectum esse possit. (20) Præplacuit itaque non rejicere aut posthabere ex speciali hypotheca interventionem sed audito prius creditore immissionem urgente, utrum mulieri ante illum consulendum sit, discutere. *Ad petitionem*

Digitized by Google

uxoris Nicolai Demelii, contra Dan. Beckern, die 19. Jan. Anno 1656.

1. Quod publice utile esse JCti crediderunt. *l. 1. ff. solut. matrim.*

2. *Juxta l. fin. C. qui pot. in pign.* quam communis JCtorum sententia sic intelligit & praxis vulgata eo cum effectu accipit & exercet.

3. *De quo vid. Gail. 2. Observ. 83. per tot.*

4. *Prout docet Coler. de Process. Executiv. par. 2. cap. 3. num. 276. seq.*

5. In eo singularis istius Constitutionis providentia consistit, quod immissione debitores sunt coercendi ut aut solvendo præveniant aut bonorum fructu orbati ex eo satisfieri sinant, non attenta exceptione nisi quæ statim probatur.

6. *l. pro hæredibus 20. C. de Jur. dot.*

7. Provisionale in talibus decretum fieri potest & solet quo prospicitur per tori & non tollitur jus aliorum. *Juxt. l. à Divo 45. §. rerum ib. Jason. & Dd. ff. de re judic.*

8. Quod non sublatum cur stare prohibeatur. *l. 27. C. de Testam.*

9. *l. sancimus 32. §. fin. C. de Appellat.*

10. De his tantum loquitur nec jus, quod alias singulare & à communi jure alienum, trahendum est in consequentiam. *l. quod vero 14. ff. de Legib.*

11. Executio ut ut peratissima ex statuto vel pacto contra tertium inauditum non decernitur sed ejus jura observantur. *Vid. Coler. de Process. Executiv. dict. c. 3. num. 432. & seq.*

12. Lex nova strictè est accipienda, ut nihil vel quam minimum tollat de jure tertii. *Add. Mascard. de statut. Interpret. cap. 7. n. 2.*

13. *l. fin. C. in quib. caus. restit. in integr.*

14. Juxta vulgatum; *Turpius ejicitur quam non admittitur hospes.*

15. Sunt quidem fructus dotium mariti ideo & rerum pro dote obligatarum, & in eos creditores mariti executiones impetrant, at ita si supperetant, unde mulier alatur vel familia sustentetur. Alias mulier interventione sua non minus à fructibus quam rebus creditorem prohibet, *uti explicat Coler. dict. cap. 3. n. 279. seq.* Non simpliciter sunt fructus mariti sed pro oneribus matrimonii, quibus magis quam ipsi cedere debent.

16. Judicis curæ atque officio incumbit, pendente lite integra servare omnia quo illâ finitâ justa possit statuere.

17. Sic jus cuique tribuendum, ut nihil detrahatur priori alterius petitioni, *l. bona fides 31. pr. ff. de posit.*

18. Dotium causa semper & ubique præcipua est. *l. 1. ff. solut. Matrim.* nec permittendum aliquid, unde fœmina dotis commodo fraudari possit. *l. Gaius 45 ff. eod.*

19. *Eam distinctionem sequitur coler dict. cap. 3. n. 275.*

20. Quamdiu alia supersunt bona, ex quibus mulieri satisfieri potest, non auditur interveniens nisi eatenus observetur in cæteris rebus securitas, *de quo vid. Gail. 2. Observ. 92. n. 13.*

DECISIO XXVIII.

Filiabus dum jure retentionis utuntur quæ jurisdictionis sunt, ideo & non imperdita rusticorum servitia atque coercitio competunt.

ETsi retentionis jus, quod filiæ in feudo pro dote habent, à pignore multum differt, (1) ejus tamen vice est & fructuum perceptionem sub rationum redditione & imputatione in sortem atque usuras tribuit. (2) Et cum hodie jurisdictio prædiis annexa atque per ea in singulorum patrimonio sit, etiam in fructu est. Ideo ad quem ex retentione similiter quomodo ex pignore fructus rerum capiendi jus transit, ad eosdem quæ jurisdictionis sunt, simul pertinent. (3) Non adimenda filiabus cum pro dote feuda retinent sed potius hæ in iis defendendæ. (4) Cui consequens ut qui sunt sub jurisdictione homines proprii obsequium debeant, nec aut illæ in hoc perturbari, aut qui subsunt ad refragationem incitari aut in ea confirmari debeant. Adversus quos de obtemperando retinentibus, dum jus retentionis durat, mandata decernuntur. (5). *Ut factum ad petitionem Viduæ Obristi Andreas Ilenfelden, contra rusticos pagi Daberkowu, die 22. Januarii Anno 1656.*

1. *Vid. l. 1. ff. de pignorib.*

2. *l. fin. §. si per mulierem ib. Dd. ff. de fund. dotal. Molinæus de jur. retent. quæst. 397.*

3. *Vid. Fabr. in Cod. lib. 8. tit. 6. defin. 11.*

4. In privilegiis Pomeraniæ Nobilium eorumque anno 1569. facta explicatione expresse habetur, quod omnis fructus sit filiarum & viduarum, iis rustici operas & obsequium præstare, illæ vicissim ut justitia recte in feudis administretur dum retinent, curare debent. Ex quo certum evadit istarum esse jurisdictionem. Quomodo etiam observantia Pomeraniæ hoc probat exercitium & fructus jurisdictionis cum jure retentionis tribuens.

5. Retentio jurisdictionis operatur speciem magistratus. Cui prompte mandata sine clausula contra subditos inobedientes decernuntur. *Vid. Petr. Frid. Mindan. lib. 2. de Mandat. cap. 46. n. 1.* & licet ille *n. 2.* excipiat casum, quando constat alios esse qui jurisdictionem prætendunt, adeoque ista sit controversa: Id tamen ad hanc & similem aliam speciem applicari nequit, ubi ex lege & consuetudine certum est, filiabus & viduis dum retinent jurisdictionis usum, ideo obsequium deberi.

DECISIO XXIX.

Immissio quidem unius creditoris non excludit immissionem alterius; prior tamen immissus non est sine causæ cognitione ex illo, in quo fuit; statu deturbandus.

QUę creditorib' ex Constitutione Ducatus *von vvucherlichen Contracte* indulta

Digitized by Google

est immissio in bona debitoris pluribus contingere potest, (1) nec ideo quod unus jam immissus alteri immissio neganda est. (2) Non audiendus est itaque si ideo quis appellaret, quod in immissio alteri ob creditum suum decreta erat. (3) Cum vero non tantum immissio sed etiam adversus prius immissum & in perceptione fructuum existentem mandatum de non impediendo recens immissum utifrui decretum fuerat, appellatio admissa fuit, quod prior immissus de statu possessionis & perceptionis sine causæ cognitione dejici non debuit, (4) sed prius expendi & statui cujus potiora erant jura. (5) *In causa Otto Clivers contra Johann Detenhoff, die* 12. *Februarii Anno* 1656.

4. Quale genus immissionis sit quod creditor juxta Constitutionem Ducatus Bremensis von rechtlichen Contracten impetrat, non satis apparet: dum habet quædam immissionis ex primo, & quædam ex secundo decreto propria, unde anomalam speciem non immerito dixeris. Haud tamen ultra Prætorium pignus, multum tribuere considerantibus apparet; Ideo quomodo illud non excludit aliorum immissionem, ita nec quæ ex præfata constitutione fit.

2. Quotidiana testatur praxis plures creditores in eadem bona ex prædicta constitutione immitti.

3. Immissio quæ semper fit salvo aliorum jure nihil præjudicii habet. *Carpz. resp.* 37. *num.* 32. *vol.* 3. ideo ab eo nisi alio accedente gravamine non appellatur.

4. *c. conquerente X. de restit. spoliat. l. meminerint C. und. vi. l. 1. vers. C. si per vim vel al. mod.* Neque enim contra tertium non auditum processus ab executione exordiendus est, *l. 1. d. 3. C. de Execut. rei jud.* nec auditus nisi cognito bene negocio jure quo utitur, privandus est. *Menoch. recup. poss. remed.* 8. *num.* 24. *seq. Panorm.* 10. *cap.* 2. *num.* 28. *de sequestr. Possess.*

5. Sic habet legitimus ex ista constitutione processus, ut quidem plurium creditorum in eadem immissio fiat, attamen qui fructus cedere debeant examinatis singulorum juribus prioratis statuatur. Ideo post immissionem pluribus concurrentibus de eo cum causæ cognitione statuatur.

DECISIO XXX.

Vidua & liberi per jus retentionis locationi prædii in commune creditorum commodum resistere nequeunt.

EXistebat inter viduam liberosque defuncti debitoris ab una & Creditoris ab altera parte de administratione bonorum contentio; his pro certa pensione seu mercede durante concursu pro omnium communi bono locationem prædiorum exigentibus; illis vere recusantibus & quidem sub obtentu juris retentionis, cui administrationis arbitrium annexum putabant. At erronee; Etsi enim cum vidua & liberi retentionis jure utuntur, ad bonorum administrationem tenentur. (1) At tamen invitis creditoribus ad quos bona in commune pertinent (2) sibi ut propriam aut debitam arrogare nequeunt. (3) Est cura bonorum commune jus omnium creditorum, (4) & circa administrationem spectandum & sectandum quod omnibus proficit & placet. (5) Jus retentionis in id tantum proficere debet, quo retinentibus donec satisfit, cautum sit, non vero ut creditoribus cæteris occasio & facultas non sit, sibi illo salvo prospiciendi. (6) Malignum est, ubi finis a retinentibus capitur, aliis id quod sibi non nocet, ipsis vero proficit, velle impedire. (7) Illo itaque conservato concedendum his utilem locationis contractum inire. Uti decretum fuit *in causa creditorum Siegefried Dechowven die* 15. *Februarii Anno* 1656.

1. *Vid. script. in decis. præcedent.*

2. Bona debitoris, ex quo res ad concursum creditorum venit, horum fiunt communia & par horum est conditio. *l. quod autem* 6. §. *sciendum* 7. *ff. quæ in fraud. Cred.*

3. Nulla lex addixit ipsis administrationem aut curam.

4. *l. 2. pr. l. fin. ff. de Curat. bon. dand.*

5. *l. jurisgentium* 7. §. *fin. l. seq. ff. de Pact.*

6. Vidua per jus retentionis nihil ultra consequitur, quam ut ipsi dos salva sit, quod dum præstatur creditores curatorem constituere possunt, qui bona curet & viduæ quæ debentur præstat. *Coler. de Process. Executiv. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 224. Hoc dum consequitur, aliis creditoribus obsistere non debet. *l. à Divo* 15. §. *si res pignorata* 5. *ff. de re judic.*

7. *l. 2. §. 2. ff. de aq. & aq. pluv. arc.*

DECISIO XXXI.

Jure offerendi in concursu, & post concursum creditorum, posterior creditor uti necesse non habet.

JUs offerendi, quod pro retinendo vel consequendo pignore creditori posteriori contra anteriorem concessum, & si credito potiri velit, necessarium est, (1) minimè, postquam concursus cœptus vel ubi finitus fuerit, requiritur, sed alia ratione isti ad suum consequendum consulitur. Quamdiu enim concursus creditorum durat, possidentur omnium nomine & paria sunt omnium jura, (2) ideò seu anterior creditor rem teneat, non potest ab eo invito sub obtentu juris offerendi avocati pignus, (3) seu posterior habet, contra illum hypothecaria non agi, cum lite omnium communi pendente nihil innovari, sed omnia donec super prioritate accessit definitio, in suo statu relinqui debeant. (4) Postquã verò ille absolutus & ordo creditorũ sententia constitut' est. Devenitur ad distra-

Digitized by Google

distractionem, (5) aut si res emptorem non inveniunt, ad adjudicationem, (6) quæ fit juxta prævium æstimationem, ex qua priori secundum quantitatem crediti fit addictio, reliquum posteriori servatur. Inde per adjudicationem cuique pro rata dominium evenit, & desinit esse pignori, (7) ideò res fit communis eorum quibus addicitur. In qua quidem non cessat jus offerendi, quin eô secundus creditor uti possit, (8) at necesse non habet eô uti, sed si mavult, relicto quantum satis est primo creditori, reliquum sibi addici audiendus est. (9) Et tunc ad ea remedia itur, quæ pro communibus dividendis adhiberi solent. (10) Hæc considerata sunt, quando post publicatam prioritatis sententiam creditor anterior postulabat, non modo sibi pro modo crediti prædium oppignoratum insolutum addici, sed etiam viduam, quæ crediti jure retinebat, emitti. Creditum atque conclusum est intuitu prædictorum emissionem non esse decernendam, postquam concursus jam erat absolutus, & ad adjudicationem res devenerat, ex ea verò primus creditor totum prædium capere non poterat, sed pars ejus viduæ insolutum cedebat. *Ad petitionem Niclaus Tessin, contra viduam Baltzar von Kalden, die 24. April. Anno 1656.*

1. *Juxta l. 1. C. qui pot. in pignor. l. potior §. fin. ff. eod.*

2. *l. quod autem 6. §. sciendum 7. ff. qua in fraud. cred.*

3. Tutò quippe alteri tradere nequit, dum incerta & sub lite sunt creditorum jura, nec ob dubium litis eventum prævideri potest, cui solvi debet, ex qua ratione justa est excipiendi & reddendi pignoris recusatio, dum nemo se in discrimen conjicere tenetur.

4. Concursum habere vim & effectum litis pendentiæ, *alibi scriptum est & probant, quæ habet Faber in Cod. lib. 6. tit. 11. de fin. 4.*

5. *tot. tit. ff. & C. de Distract. pign.*

6. *Juxta l fin. C. de Jur. Domin. impetrand.*

7. Res sua nemini pignori amplius est, *l. neque pignus ff. de Reg. Jur.*

8. Sicuti cum primo creditori per debitorem res in solutum data est, eo ipso non perimitur pignus secundi, nec oblatio crediti desinit, *l. 1. §. cum autem C. si antiq. credit. ibid. Salycet.* Ita similiter relinquendum ejus jus per judicem adjudicatione factâ, *ubi tradit Neguzant. in tr. de Pignorib. part. 5. memb. 3. num. 7.* rationem hanc addens quod factum judicis factum partis habetur.

9. In concursu creditorum hoc ita juris morisque est, ut cum bona emptorem non inveniunt, ad adjudicationem perveniatur, & res æstimata loco pecuniæ creditoribus addicatur. Inde priori creditori tantum optio est ex sibi oppignoratis tantum sumere, quantum creditum æquat, non totum retinere. Antequam ad distractionem vel adjudicationem devenitur, integrum est creditori totum pignus etiam pro minimâ parte crediti retinere, quia ejus nexus est individuus, *l. rem hereditariam 65. ff. de Evict.* inde oblatio secundo creditori necessaria: At post eam quia desinit pignoris nexus & transit res pro parte in dominium, non ultra fit primi quam pro quantitate crediti. In superfluum nihil juris retinendi existit, *quod indicat & confirmat l. à Divo 15. §. quod si res 5. ff. de re judic.*

10. Si non se paratur tantum, quantum priori creditori adjudicandum, ut illud tanquam præcipuum habeat, quomodo optionis jure quo gaudent anteriores creditores impetrare nec ipsis negari potest, uti sæpius divisio vel separatio fieri solet, communiter addicta res inter creditores communis fit, & communi dividundo judicium competit; *l. communi §. inter eos ff. commun. dividund. vid. Neguzant. dict. tract. part. 2. memb. 3. num. 38.*

DECISIO XXXII.

Jure separationis vidua postponitur anteccessoris creditoribus, & quibus.

QUæ est viduarum ratione dotis prærogativa ante omnes mariti creditores (1) ex jure separationis limitationem accipit. (2) Ideo cum moritur maritus, qui in alterius hæreditatem vel bona successit, vidua istius post separationem in anteccessoris bonis nihil prærogativæ habet, imo nec juris quidquam antequam hujus creditoribus est satisfactum. (3) Nec tantum hoc obtinet, cum à Prætore petitur separatio intra quinquennium. (4) Sed si ipso jure seu ex consuetudine fit. Sicut Pomeraniæ moribus separationem fieri sæpius scripsimus, ut anteccessoris debita semper & sine discrimine sint anteriora debitis successoris. Inde fit ut quantumcunque hujus creditor sit privilegiatus, posterior tamen sit istius creditori chirographario. Idque ad viduas ut ut maximè privilegiatas pertinet. (5) Verum circa appellationem in quæstionem venit, qui pro anteccessoris creditoribus habendi sint. Et existimatum est non tantum in illorum numero ponendos esse, quibus cum anteccessor contraxit, sed etiam qui in horum locum successerunt. (6) At quando circa hanc successionem multa est disputatio, diligenter inspiciendum & accuratè examinandum est, qui verè successerint. Quod considerandum tum ex qualitate crediti, tum ex tenore pacti. (7) Cujus cum nihil subesse, ideo successionem non factam fuisse, mulier appellando allegabat audiri meruit, (8) ne dote defraudetur. *In causa Christoff Hinrich von Schverins Vvitvve, contra Antonii Krassovven Creditores, die 20. Maji Anno 1656.*

1. *Juxta l. assiduis 12. C. qui pot. in pign.*

2. Per hoc uxor & vidua excluditur à bonis anteccessoris, quæ cedunt ejus creditoribus & quod deducto

Digitized by Google

deducto illius ære alieno reliquum hoc demum ad successorem atque ita ad ejus creditores pertinet. *l. 1. & tot. tit ff. de separat.*

3. Privilegiarius vel hypothecarius creditor hæredis vi separationis in bonis Defuncti postponitur hujus simplici chirographario. *l. 1. §. sciendum. 3. eod.*

4. Ita jure civili tantum isti locus est, quando petitur, alias bona confunduntur. *l. 1. pr. ff. dict. tit.*

5. *Sic usus in Pomerania servat*, uti per exempla & præjudicia plurima constat.

6. Hi eodem jure & privilegio fruuntur cum his, in quorum locum successerunt, *l. 1. l. seq. C. de his qui in prior. cred. loc.*

7. Sunt aliqua credita, quorum jus transit in eum, cujus pecunia dimittitur primus creditor, sicut personalium privilegiorum is transitus constitutus est, *l. si venditor. 24. § ult. ff. de reb. aut jud. possid. l. 2. ff. de cess. bon.* & hypothecæ in secundum cui res hypothecata fuit. *l. ult. C. qui in prior. cred. loc. l. 1. C. qui pot. in pign.* aliqua ubi non naneiscitur alius sine pacto speciali quo egent extranei *d. l. 1 ib. Cyn. & al. C. de his qui in prior. cred. loc.*

8. Magnus favor mulierum est, quando de dote servanda contenditur, quare ipsis servari Reipubl. quoque interest. *l. 1. ff. solut. Matrim.*

DECISIO XXXIII.

Pignus ex dotali pecunia liberatum pignori est mulieri ejusque hæredibus citra cessionem vel conventionem.

EJus, quod in præcedenti decisione diximus, succedi in locum alterius creditoris legis beneficio exemplum est in muliere, cujus dos collocatur in liberationem rei alteri per pignoris nexum obnoxiæ. Ei enim juri per quod res dotali pecunia comparatæ dotales fiunt; (1) consequens est, ut quoque mulier ex cujus pecunia liberatur creditor in istius jura succedat, etsi cessio eo nomine facta non est. (2) Similis utrobique ratio est. Præterea permutatio ista conversio est, quæ sine aliis pactis transfert jus & debitum dotis in rem quæ pro pecunia dotali accipitur. (3) Quod servatum. *In causa Liberorum Nicolai Paulstorffen contra Hæredes Danielis Schmollen die 27. Julii Anno 1656.*

1. *De quo vid. l. res quæ 54. ff. de jur. dot. l. si cum dotem 22. § fin. ff. solut. matrim.*

2. Comparatio quædam juris alterius est illi facta solutio cum eo animo, ut illud acquiratur, *l. nulla 5. C. de Solut. l. si potiores 3. C. de his qui in pot. cred. loc.*

3. *l. ita constante 26. ff. de jur. dot.*

DECISIO XXXIV.

Contra immissum in bona debitoris creditorem defendendus est creditor alius, qui ex bonis istis possidet, donec illa discutiuntur.

REgula quidem circa pignorum ordinem recepta, Quod prior tempore potior est jure, (1) etiam obtinet circa pignus prætorium atque judiciale; (2) at immissus debitor ista uti nequit contra alium possessorem, nisi prius discussis iis bonis quæ ex immissione tenet: (3) quia illi competit excussionis exceptio, quæ hypothecariam contra tertium possessorem tantum facit subsidiariam, si ex aliis bonis non poterit satisfieri. (4) Hoc antequam fiet, possessor circa rem potior erit. Cui consequens ut donec discussio fiet, in possessione defendatur. (5) Quod multò magis in ea specie obtinebit, ubi creditoris possessoris pecunia res liberata seu anterior creditor dimissus fuit. Etsi nec cessio nec aliud quidquam accesserit, quod successionem facit in jura alterius creditoris, attamen non modo is possessione semet defendet ex jure retentionis, (6) sed etiam obtinebit suum per doli exceptionem, (7) dum utiliter negocium debitoris gestum & libera ideo velut salva pignoris causa præstita est. (8) *In eadem causa.*

1. *l. potior 11. pr. ff. qui pot. in pign.*

2. *l. si jure 10. ff. eod. ibid. Barsol. Fab. in Cod. lib. 8. tit. 12. defin. 1.*

3. *Fab. in Cod. lib. 7. tit. 32. defin. 19. in fin.*

4. *Auth. Hoc si debitor C. de Pignorib.*

5. Exceptio excussionis repellit à possessione actorem, dum elidit vel suspendit actionem ex qua petitur. Pertinet & huc, quod possessor lite pendente in possessione sua est defendendus.

6. Quæ competit non tantum contra debitorem sed etiam secundum creditorem. *Fab. in Cod. lib. 8. tit. 9. defin. 7. in pr.*

7. *Juxta text. in l. 1. pr. ff. quib. mod. pign. vel hypoth.*

8. *Arg. l. interdum 5. l. seq. ff. in quib. caus. pign. tac.*

Tenor sententiæ pronunciatæ hic fuit;

In Sachen Claus Paulstorffen Söhne Vormünder Appellanten wider Daniel Schmollen Erben appellaten, in puncto turbationis an einen wüsten Baurhof / seynd der Exception non devolutæ appellationis ungehindert die gravamina zu fernerer Außführung angenommen / demnach appellaten davon Copia erkannt / und proxima darauff zu handlen / alsdann auch appellanten Anwalt seine Person gebührend zu legitimiren aufferleget wird. Immittelst seyn appellanten bey dem Hofe quæstionis biß zu fernerer Erkantnuß ruhsam zu lassen / von Rechtswegen. Publicæ im hohen Tribunal zu Wißmar den 7. Julii Anno 1656.

(Hoc est.) In causa Niclai Paulstorffen filiorum tutorum appellantium contra Danielis Schmollen Hæredes appellatos in puncto turbationis in aliqua incultâ curia rustica non attentis exceptionibus non devolutæ appellationis gravamina ad ulteriorē deductionem recipim', inde appellatis eorum copiam decernim' & ut in proximâ desuper agat simul etiam appellantiam procurator suam personam debitè

Digitized by Google

debitè legitimet injungimus, interea appellantes apud curiam quæstionis quietè relinquuntur usque ad ulteriorem cognitionem idque de jure. Publicat. in summo Tribun. Wismar. 7. Julii Anno 1656.

DECISIO XXXV.

Pignoratitiæ actioni sub concursu creditorum locus est, & cui solutionem tunc fieri oporteat.

QUemadmodum debitori solvere liberum, etsi is cui debuit ejusve hæredes concursum creditorum excitaverint, (1) ità etiam pignoratitiæ ad avocandum pignus sub concursu locus, nec donec ille finietur, exspectandum est; (2) Cum autem nisi creditori satisfactum sit, ea experiri non liceat, (3) ità cui tunc solutum sit, multum refert ne solvendo ei, cui solvere non oporteat, excludatur actio. (4) Aut curator bonis constitutus est, aut verò nullum talem ista habent. Illi constituto solutio fieri potest, tanquam qui omnium creditorum vice est; (5) Cum sine illo sunt bona aut citatis omnibus creditoribus solutionem offerre & facere oportebit: (6) aut verò si id nimis difficile, pecuniam creditam in judicio deponere, (7) à judice quid fieri oporteat petere & percipere, (8) & mandatum judicis adversus possessorem impetrare de restituendo pignore. Possessori nudo rei oppignoratæ sive sit creditor sive alius securè non solvitur. (9) Ubi tamen pecunia deposita est, rebus cedere cogitur. (10) Quod consideratum *in causa Gerat Behren Söhne, contra die Provisoren der Kirchen zu Gustkow, die 22. Augusti Anno* 1656.

1. Concursus quidem exactionem crediti suspendit, sed non solutionem debiti, quam etiam post bona debitoris possessa facere licet, *l. 2. ff. de Curat. bon.*

2. Vindicatio rei suæ, qualis est suppignoratitia, ut ut personalis actio, ceu qua quis rem suam repetit, ante omnes creditores est. *l. 24. §. fin. ff. de reb. aut jud. possid.*

3. Actio pignoratitia non nascitur, antequam solutum vel aliter satisfactum est creditori, *l. si item 9. §. 2. ff. de Pign. act. l. 1. l. 11. C. eod.*

4. *l. solutum 11. §. solutum 5. ff. eod.*

5. *l. 2. §. 1. ff. de Curat. bon. dand.* Hic est qua bona debitoris, quod est curator qua bona minoris, cui solvi potest, *l. 7. §. 2. ff. de minor. l. quod si forte 14. §. curatori 7. ff. de minorib.*

9. Creditores omnes sunt, qua debitorem vice hæredum & successores, quibus solutio fieri potest, *l. solutum 49. verb. cuilibet successori ff. de solut.*

7. Ubi per creditorem stetit, quo minus ei solvatur, rectè agitur pignoratitia, *l. alia 20. § pen. ff. de pign. act.* & tunc ad depositionem pecuniæ devenitur, *l. acceptam C. de Usur. Gothofred. in d. §. pen.*

8. Ita optimum est per prætorem cum incertum, cui solvetur, facere, *l. si stipulatus 81. ff. de solut.*

9. *l. quod autem 6 §. sciend. 7. ff. qua in fraud. cred.*

10. *Depositio, ubi non est, cui solvi potest, solutionis loco est.*

DECISIO XXXVI.

Solutio crediti facta post concursum unius creditorum, etsi privilegiato, non proficit ad pignoratitiam actionem.

QUerebantur appellantes agente creditore actione pignoratitia sibi rei oppignoratæ restitutionem injunctam esse, cum tamen sibi facta non esset solutio, sed uni creditorum, cujus jus sub concursu in lite pendente sit. Nec potuit non ad narrata videri solutionem eam non proficere, quæ ità fieri non debuit, quandoquidem cum omnia creditorum jura postquam ad concursum res deveniunt, paria fiunt, (2) uni præ altero solvi non debet, sed prioritatis sententia exspectari. (3) Quod secùs fit, gratificationis instar habet, ideò nullum atque vitiosum est. (4) Existimatum inde est pignoratitiæ ab appellantibus oppositam exceptionem non factæ justo modo solutionis audiendam atque admittendam esse, donec ex actis prioribus appareat, vel adhuc demonstretur istam sic justè fieri posse. *In eadem causa.*

1. *l. quod si non 10. ff. de Pignor. action. l. item liberatur 6. §. 1. ff. quib. mod. pign.*

2. *l. quod autem 6. §. sciend. 7. ff. qua in fraud. cred.*

3. *Ranchbar. quæst. 9. num. 37. seq. part. 2.*

4. *l. Papillus 24. ff. qua in fraud. cred.*

DECISIO XXXVII.

Jus retentionis sub concursu creditorum non facit necessitatem juris offerendi.

QUod constitutum est posteriorem creditorem nec quà superfluum jus avocandi à priore pignus habere, nisi offeret creditum, (1) non pertinet ad eam speciem, quando sub concursu creditorū à creditore bona debitoris detinentur, petitur, ut ea salvo jure pignoris & retentionis cedat vel curatori bonorum, (2) vel cōductori, qui annuatim certam pecuniam ut mercedem daturus est. (3) Ratio diversitatis constat, postquam jure provisum, ut sub concursu creditorū bona possessa sint

Digitized by Google

omnium communia, (4) eaque sub cura creditorum communi per curatorū ipsorum consensu datum, (5) quam non tollit jus retentionis, (6) sed tantùm hoc meretur, ut sub ista integrum sit. Quomodo itaque cura sic constitui debet, ut jure retentionis privilegiatus vel hypothecarius creditor non privetur, ità vicissim his istô ita frui debet, ne creditoribus cæteris noceatur. (7) Quando itaque huic illud salvum est, ultra nihil exigere potest nec conqueri. (8) Minimè autem jus ipsi est sub obtentu juris retentionis à creditoribus flagitandi, ne quidquam de re faciant quod ad utilem administrationem pertinet. (9) Præsertim ubi sub concursu nondum certum est jus vel creditum retinentis. (10) In qua specie juri offerendi locus haud est, dum adhuc nihil certi cedi potest. (11) Aut itaque retentor id cæteris creditoribus præstare debet, quod per frugalem administrationem alias habebunt, aut verò pati ut integrô jure suô per creditores ista prout melius visum, ordinetur. (12) Sic *judicatum inter Ulrich Dechouven & paternos creditores, die* 20. *Octobris Anno* 1656.

1. Secundus creditor adversus priorem non habet jus nisi offerendi *l.1.l.2. C. si antiq. cred. pign. vendit.*

2. Ab hoc bona debitoris quæ possidentur, administranda sunt, *vid. tot. tit. ff. &* C. *de Curat. bon.*

3. Cum bona debitoris pendente concursu administrationis gratia locantur, ut fructus ad creditores perveniant curatoris vice ejusve quasi minister est.

4. *l. Prætor* 6. §. *sciendum* 7. *ff. quæ in fraud. cred.*

5. *l.2. pr. l. fin. ff. de Curat. bon. dand*

6. Ultra finem suum jus retentionis in præjudicium concreditorum extendi non debet.

7. *l. à Divo* 15. §. *quod si res sit pignerata* 5. *ff. de rejudic.*

8. *Fab. in Cod. lib.8. tit.*10. *defin.*1.

9. *De quo vide Alciat. rer.* 367. *n. fin.*

10. Quamdiu lis super creditorum juribus sub concursu pendet, nemo quid suum certò asserere potest.

11. Non cogitur quis offerre ei qui nondum potest cedere jura sua, *l. mulier* 19. *ib. gloss. ff. qui pot. in pignor.*

12. Malitiæ foret sine aliqua sua utilitate cæteris creditoribus nocere, *l. in fundo* 38. *ff. de rei vind.* aut quod sibi non proficit, alteri verò nocet malle, *l.2. §. item Varus ff. de aq. & aq. pluv. arcend.*

DECISIO XXXVIII.

In prædii conductione potior est in eo jus retentionis habens, eique offerri debet conducendi conditio.

CReditoribus urgentibus ut usque ad finem concursus pro communi ipsorum bono prædium, in quo vidua & liberi retentionis jure gaudebant, ad certum reditum percipiendum locaretur, placuit iis qui in eo retentionis jus habent conditionem esse offerendam, tum quod ex jure retentionis potiores videbantur; (1) tum quod ad amputandas plures lites pertinebat; (2) tum quia aliàs ex præsenti rerum statu innovabitur, (3) tum quia sic disputatio & difficultas quæ de vi & effectu juris retentionis adhuc supererat, evitabitur. (4) Sic judicatum *in eadem causa.*

1. Qualiscunque possessor hoc ipso quod possessor est, plus juris habet atque is qui non possidet, *l.2. ff. uti possid.* In pari causa possessoris conditio melior, *l.2. C. de Condict. ob turp. caus.*

2. Providendum omninò ne lites multiplicentur, *l. singulis* 6. *ff. de Except. rei jud.*

3. A mutationibus & innovationibus quam fieri potest, maximè cavendum est, *l. fin. C. de Novat.*

4. Eligendum est in quo minus difficultatis est, *l. cum non facile* 6. *ff. si cui plus quam per l. Falcid.* & præferendum facilius *l. Nesennius* 34. *ff. de rei. gest.*

DECISIO XXXIX.

Creditor qui ad mercem emendam credidit, in hac potior est alio modo chirographario.

CReditor qui ad emptionem rerum pecuniam mutuatus est, haud quidem in iis hypothecam tacitam consequitur, (1) personale tamen privilegium ex lege habet; ex quo hypothecariæ quidem non antecedit, ante chirographarios tamen est. (2) Ideò non injusta visa est appellatio ejus, qui cum ad lucrum comparandum pecuniam credidisset sibi prælatum creditorem alium non hypothecarium querebatur: *In causa Philip Adelhelms contra creditores hæredum Hinrich Haverrechtes, die* 14. *Octobr. Anno* 1656.

1. Est de his acris inter JCtos disputatio, sed legibus magis consentanea, rectior & communior est opinio, pro credita ad emptionem pecunia non esse ex lege tacitam hypothecam, *vide de hoc prolixius scripta apud Hartmann. Pistor. part.3. quæst.* 16. *per tot. Rauchbar. quæst.* 5. *per tot. lib.1.*

2. *Per text. in l. si neutri* §. *Divus l. qui in novem l. quod quis navis ff. de Privileg. Credit. Auth. Quo jure C. qui pot. in pignor.* Non obstat huic privilegio *quod est in l. procuratoris* 5. §. *plane* 17. *ff. de Tribut. action.* quem textum malè aliqui ad illud convellendum opponunt. Loquitur de ea specie quando non pecunia ad emendum credita fuit, sed tantùm ex acceptis mutuo immuni comparatio facta. Quæ longè differunt. Creditum ad certum finem facit privilegium personale, non nuda impensa pecuniæ simpliciter, nec certo fine acceptæ.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XL.

Adjudicatio post excitatum creditorum concursum nullius est momenti atque revocanda.

COncursus creditorum, qui ex cessione bonorum debitoris oritur, facit communem causam omnium creditorum, (1) nec est pendente discussionis instantia, antequam ordo prioritatis definitur, jus alicujus altero circa bona potius. (2) Inde quiescunt omnes executiones, immissiones, adjudicationes resque in eo statu manent, sine innovatione, quo fuerunt cum inciperet concursus. (3) Quidquid autem postea fit nullum adeoque cassandum est tanquam non factum. (4) Quando itaque adjudicatio post illum processerat, etsi ex decreto judicis, merito per eundem ut injusta cassata fuit. *In causa Tribuni Militum Johann à Lixfeldt, contra Hans Heinrich von Brabergen. Die 26. Martii Anno 1658.*

1. *l. cum unus 12. ff. de reb. auth. jud. possid.*

2. *l. quod autem 6. §. sciendum 7. ff. quæ in fraud. credit.*

3. Concursus bonorum habet instar litis cujusdam communis inter creditores pendentis, sub qua nihil innovandum *l. 1. C. ut lit. pendent.*

4. Nihil eorum valere decet, quæ post concursum creditorum pro uno alterove creditore particulatim decernuntur, quandoquidem debitorem inquietare non licet. *l. is qui 4. §. 1. ff. de Cess. bon.*

DECISIO XLI.

Concursus initium ex quo censendum.

COncursus creditorum suspendit actiones singulares ut & executiones contra debitorem. (1) Ejus autem initium est ex cessione bonorum. (2) Hæc autem ex declaratione animi debitoris, quod cedere velit. (3) Ideo concursus statim ex quo ista facta fuit. Etsi enim circa cessionem plura exiguntur solennia, inventarium bonorum, juramentum, recognitio debitorum & similia quæ lex autem nos introduxit: (4) pertinent tamen ista non ad substantiam, (5) sed ad existentiam seu melius esse & solennia cessionis, debitoris nempe ad illius bonam fidem & sinceritatem, ut & commoda creditorum. (8) His licet nondum subsecutis, suus tamen jam bona & jura communia creditorum ex sola significatione cessionis. (7) *In eadem causa.*

1. Est concursus velut communis quædam omnium creditorum litis pendentia, *ut inter de cessione nostra sæpius annotavimus.*

2. Postquam debitor à se abdicat bona, ortus statim concursus. *l. jurisgentium 7. §. fin. ff. de Pact. l. fin. C. qui bon. ced.*

3. Sufficit ad cessionem sola voluntatis decernendo professio. *l. in omni 6. §. 1. C. qui bon. ced.* seu voluntatis declaratio *l. fin. ff. de Cession. bon.*

4. Hodie illa requiruntur & in praxi observantur.

5. Cujus unicum requisitum est professio. *d. l. in omni 6. pr. C. qui bon. ced.*

6. Fraudibus evitandis, quæ inter cessiones bonorum fieri possunt occurrunt, destinata sunt illa solennia.

7. Hoc ipsum nomen, ne otiosum sit, infert bonorum abdicationem, in qua nihil debitori cedenti reliquum remanet, nisi ut ante distractionem adjudicationemque pœnitere liceat, ne bona vendant. *l. quem pœnitet. 5. ff. de Cess. bon.* quo respectu *l. is qui 5. eod.* dicitur, cum qui bonis cedit ante venditionem bonis non carere.

DECISIO XLII.

Decreto licet sit adjudicatio ante concursum, si non effectui data nisi post eum, non proficit.

ADjudicationis nudum decretum non tribuit rei possessionem & proprietatem, sed ipsa cum per immissionem seu traditionem effectui data est. (1) Ideo ut ex isto solo dominii jus nullum, (2) ita non efficit quin qui impetravit excitato postea concursu sub eo credita probare & prioritatis sententiam exspectare debeat. Nec ad prioritatem illud ultra proficit quam ex immissione antea obtinuit. (3) Etsi vero excitato jam concursu effectui detur, quia injuste fit, (4) nihil proficiet, cum quod nullum est nullum effectum pariat, (5) *In eadem causa.*

1. Non nudis pactis seu verbis sed traditionibus tantum & actibus externis qui illarum vice sunt dominia acquiruntur. *l. traditionibus 20. & Dd. C. de Pact.*

2. *l. fin. C. de jur. dom. imper.*

3. Nisi ante concursum adjudicatione facta creditor quicunque sit vel quale jus in & ad bona habeat, communem cum cæteris creditoribus causam habet. *l. Aut Prætor 6. §. sciendum 7. ff. quæ in fraud. credit.*

4. Ut pendente lite sic & exorto concursu nihil innovandum sed innovatum pro arbitrario est *arg. l. 1. l. 2. C. ut lit. pendent.*

5. *l. non putavit §. quæsivi ff. de Bon. poss. contr. tabul.*

DECISIO XLIII.

In concursu creditorum confidejussoris non esse petitum creditum quando creditori ab altero fidejussorum solidum provenit non nocet.

CUm contra fidejussorem ageretur in solidum, opposita fuit ab eo exce-

Digitized by Google

prio ejus non debiti, præsertim pro parte confidejussoris, à quo creditor partem consequi aut jam actiones cedere potuisset, si sub concursu creditorum ejus simul creditum petiisset. Quo omisso actioni pro ejus parte locum non esse putabatur, quod cedi non posset & quidem ex negligentia creditoris. Etsi vero juri conveniat ut fidejussori solventi actiones à creditore cedantur, (1) & ubi is eas sibi cedi petit, culpa autem creditoris sit ut cedi non possint, iste ab agendo repelli debeat, (2) non tamen indiscrete hoc est accipiendum, Interest, utrum singuli fidejussores non nisi pro parte teneantur, (3) an in solidum, quia beneficio divisionis renunciarunt. Cum viriles tantum debent partes, alii pro aliis non teneantur, præterquam si aliqui solvendo non sint aut difficiles conventu. (4) Quod si tunc per negligentiam creditoris fiet, ut non liceat virilem ab aliquo fidejussorum capere, quod mature petere cessit, tunc utique pro illius parte adversus alium carebit actione, (5) qui ideo tantum tenetur, quod ab aliquo conveniri non licet, haud vero ob alienam culpam onerari debuit, alias non debito sicut fiet ob eum creditor cum ejus damno lucrari. (6) Cum singuli in solidum sunt obligati, aut renunciatum est beneficio cedendarum actionum, aut vero ex eo cedendi debitum supereſt. In priori specie fidejussores abdicarunt facultatem cessionem exigendi, adeo jus non habent ideo quod actio cedi nequit prærendendi. (7) Quocirca nisi dolo ac collusione creditoris quidquam actum sit, si alia ex causa cessio fieri non possit, injuste objiceretur creditori, qui dum fecit renunciari illi beneficio, nolum ad cessionem astringi sed liberum habere, quem conveniat, inde exemptus ab iis qui ex illo debito proficiscuntur. (8) Et licet vel culpa quædam ejus aut negligentia in exigendo credito accesserit, vel objici poterit ab eo, qui jure suo cessionem non exigit, nec peti ab eo cui solutio nihilominus debetur. (9) Ubi renunciatum non fuit, discernendum est an facto creditoris liberetur fidejussor, an sine illo fiet non solvendo. Qui aliquem fidejussorem liberat is partem ejus remittere videtur, & quia facit ut actionem peremptam cedere nequeat, merito eo usque confidejussorem onerare non debet. (10) Quando autem nulla ejus facto creditoris fit liberatio, sed confidejussor non solvendo est, quia id casu contingit, nihil potest imputari creditori, nec quod cum bona ejus discuterentur non allegavit & petiit creditum, eo porrigi, ut portionem istam amittat. (11) Nec enim est aliqua creditoris ad id faciendum obligatio, cui liberum quem convenire velit, ex quo jure electionis jus est, prout commodum exigendi. (12) Non lex aut mos, nec contractus vel quasi nec delictum vel quasi id debitum inducit. Cujus defectus etiam à negligentiæ pœna eximit. Si ea cuiquam irroganda est, æquius eam sustinet fidejussor, (13) dum non vigilat sub concursu creditorum (14) confidejussoris, quum creditor scit illud periculum sibi imminens, ideo dum mature evitare non studet, suæ injuriæ damnum imputet (15) non relevandus ex obtentu, quod ipsi ad manus non fuerit instrumentum crediti, cum exhibitionem impetrare potuerit. (16) At creditor, qui se securum scit ex jure suo contra singulos, nihil peccat, si alienum negocium non agit. (17) Præsertim cum sine sua molestia & sumptu agere non posset. Laudabiliter quidem faciet creditor, cum aut inter creditores profitetur nomen aut fidejussori oblata instrumenti dum opus erit exhibitione, significat intentionem ab ipso exigendi, quo memor periculi vigilet; at non ita necessario ut omissio faciat amissioni obnoxium. (18) *Ex ea ratione negati sunt processus Heredibus Ægidii ab Osten, contra Heredes Jacobi Vevitzern, die 30. Aprilis Anno 1638.*

1. *l. si mandat. 13. l. ut fidejussor. l. fidejussoribus l. cum is 36. ff. de fidejussor. l. cum alter. 11. l. mandati 14. C. eod.*

2. *arg. l. Stichum. §. pen. ff. de Solut. Rouchegal. in l. reos. in pr. n. 56. ff. de duob. R. Franch. de Fidejuss. c. 5. n. 470. in fin.*

3. Per Epistolam D. Adriani introductum, ut fidejussores, qui olim ipso jure in solidum tenebantur, non nisi pro viribus partibus conveniri possint, *§. si plures. Inst. de Fidejussorib.*

4. *l. inter 16. ff. de fidejussor.*

5. Perinde habetur ille qui cum debuit & potuit exigere non exegit, ac qui jam exegit. *l. si vero 64. §. dubio. ff. Solut. Mastrim. l. si fundum 11. ff. de Fund. dotal.*

6. *Contra lit. d. Marcellus l. procurator 11. §. 1. ff. de dol. mal. except.*

7. Beneficium cedendarum actionum ex quo fidejussoribus exceptio contra creditores competit, ut, nisi prius contra confidejussores cessis actionibus, solvere non teneantur, *l. si mandat. 13. l. ut fidejussor. l. fidejussoribus l. cum is 36. ff. de fidejuss. l. cum alter C. eod. l. Stychus §. si creditor ff de Solut.* renunciatione amittitur. *Franch. de Fidejussor. cap. 5. n. 500. Mascardell. in prax. Fidejuss. part. 2. med. 30. n. 28.*

8. Hoc post abdicatum à fidejussoribus cedendarum beneficium creditori sic arbitrarium est. Nam renunciationis istius ille effectus est, quod creditor potest uni, quem debiti nomine non compellet, gratificari, & alterum in solidum convenire. *Vasel. de Cambian. in tract. Clausul. §. fin. n. 31. Hoig. part. 1. quæst. 38. n. 36.*

9. Non facit alteri injuriam qui suo jure utitur *l. injuriarum 13. §. 1. ff. de injur.*

10. Cessio

Digitized by Google

10. Cessio actionum ubi non abdicata ideo aqua & necessaria est, ut fidejussor, nisi illa facta, solutionem possit denegare. *l. sicut* 21. C. *de fidejuss.* Est tamen facto creditor cedere nequeat ab agendo repellitur *Roscherdi. ad l. reos in pr. num.* 56. *ff. de Pecul. Reis Brunn. d.* 17. *de fidejussor. c.* 5. *n.* 479.

11. Amissio crediti non potest irrogari nisi in pœnam. Pœna non est sine merito: Meritum non est nisi ex debito, ideo ubi illi locus esse debet, oportet factum quod non debuisset, aut omissum quod fieri debuisset. Quale non est in eo, qui ex fidejussione crediti securus, relinquit aliis, quorum præcipue interest vigilandi necessitatem. Præterquam si statuto vel consuetudine sic justum factum, ut creditor inconcursu sub pœna amissionis seu præclusionis exhibere chirographum teneatur, ubi sic in Ducatu Bremensi ex Constitutione invaluit.

12. *l. fin. C. de Fidejussor.*

13. Ubi patet culpa est creditoris, quod debitum non exigit, & fidejussoris quod semet ab obligatione eximi non petit, non modo alteri moram objicere non potest, sed potiores tamen partes sunt creditoris. *l. bovinum* 37. *in fin. ff. Mandat. l. qui. in fin. C. depos.*

14. Vigilantibus jura scripta sunt *l. pupillus ff. quæ in fraud. cred.*

15. In solidum obligatus sibi mature non cavens suæ negligentiæ pœnam merito sustinet. *l. ut fidejussor. l. si testamento pr. ff. de Fidejussor.*

16. Fidejussori propter interesse est petitio ad exhibendum instrumentum obligationis, atque ad hanc de exhibendo mandatum deferri solet.

17. Creditor ut contra debitorem agere non teneatur, ita si cessante eo ille non solvendo fiat, nihil ipsi imputabitur sed nihilominus in fidejussorem actio competit. *l. fidejuss. 4. alt. l. si fidejussores* 41. *pr. ff. de Fidejuss.*

18. *Id confirmatum per ea, quæ latius tetigit Mering. in tr. de Fidejussor. a.* 206. *n.* 35. *n* 98. *& seq.* de eo qui cum fidejussor excussionis beneficio non renunciasset cessavit interpellare debitorem qui bonis labebatur. Ex eadem ratione idem dicendum in hac specie.

DECISIO XLIV.

Venditori circa merces jam traditas non præfertur & juste semet opponit, quamdiu non edocta est ratio, cur dominium nondum transierit.

VEnditor fidem habens de pretio statim dominium mercium transfert in emptorem, facitque res ejusdem proprias, (1) ipse vero fit creditor personalis. (2) Contigit ut post contractam emptionem resque traditas emptor pretium nõ solveret, ideo actione venditi ille experietur, tandem etiam executionem impetraret, isti vero uxor dotis servandæ causa intercederet. Inde quæstio oriebatur de jure & ordine prioritatis venditoris & mulieris. Aut vero venditor circa venditionem vel traditionem mercium sibi cavit, aut nihil eo nomine fecit. Duplici via sibi prospicere solet venditor, vel dominium in re vendita reservando, & tunc dominii jure ante omnes emptoris creditores est, (3) & res sibi vendicare potest, nec uxor ullo suo privilegio illud impedire potest. (4) aut pignoris constitutione, quod si speciale est, deinde ante traditionem vel circa eam conventum (5) valde privilegiatum est & ante omnes creditores utut anteriorem hypothecam habentes potius. (6) Nec excipimus uxorem quam nullibi lex venditori prætulit, sicut nec aliis anteriorem hypothecam expressam habentibus, quibus singulare privilegium datum fuit. (7) Ubi venditor sibi non cavit, non competit ipsi hypotheca, sed solum privilegium personale, cujus virtute quidem meros Chirographarios antecedit, at minime hypothecarios, ideoque nec uxorem, cujus qua dotem jura sunt his omnibus utut anterioribus potiora. (8) Hoc saltem venditori proderit, ut doceat dominium in emptorem non transiisse. (9) Quod non tantum prætacta reservatione atque ita speciali provisione obtinetur, sed etiam ex iis causis, per quas colligitur vel statuitur, fidem non esse habitam; (10) vel contractum emptionis aut non esse aut non debere esse perfectum; (11) veluti si non accesserint ejus requisita omnia utpote si ex statuto vel consuetudine observatur, cessionem vel transcriptionem solennem fieri, eaque nondum facta sit, (12) vel si dolo inductus sit venditor ab emptore ad contrahendum, (13) qui inde arguitur, si tempore venditionis jam non fuerit solvendo; (14) aut post illam mox bonis cesserit. (15) Mulier interveniens & cum non audita appellans, nihil ejus rei cur postponeretur adesse allegans admissa est, ut in hac secunda instantia circumstantiæ diligentius explorarentur, cum nisi edocta exceptione in dubio à privilegiis suis, è quibus est interveniendi facultas, excludi non debeat. *In causa Annæ Petersen contra Everdo Cluvern. Die* 28. *April. Anno* 1658.

1. §. *vendita autem ib. Schneid. Mynsing. & alii Inst. de Rer. divis. & Acquir.* Secus est si fidem non habuit. *l. procuratoris* 5. §. *sed si dedo ff. de Tribut. actio. Gail. 2. Obs.* 15. *n.* 4.

2. Ex venditione actio tantum personalis nascitur, si nihil de pignore nominatim convenit. *l.* 1. *pr. ff. de Pignorib.*

3. *Rauchbar part.* 1. *quæst.* 6. *n.* 11. *seq. Berlich part.* 1. *concluf.* 64. *n.* 45. *& seqq. ubi per plures species explicat, quando ista reservatio fallu habeatur.*

4. Rei vindicatio ante omnes creditores eorumque jura & privilegia est. *l.* 16. §. 1. *ff. depos. l.* 5. *ff. de Pecul. l. in bona* 33. §. 1. *de Reb. auctor. jud. poss.*

5. Hæc duo circa illud pignus, quo privilegio isto potiatur, ratio & usus fecit necessaria. *Negusantus, de Pignor. part.* 4. *in pr. num.* 34.

Digitized by Google

6. *d. l. procuratoris 5. §. plane 17. ff. de Tribut. act. Gail. dict. Observ. 15. n. 7. Fab. in Cod. l. 8. tit. 7. defin. 6. n. 5.*

7. Est quidem *per l. fin. C. qui pot. in pign.* valde privilegiata uxor, ut omnibus mariti creditoribus etiam specialem anteriorem hypothecam habentibus anteferatur. At minime id extensum ullibi ad eos, qui cum hypotheca singulare privilegium habent. Non obstat quod habetur *in Novell. 97. c. 3.* quia non loquitur de habentibus hypothecam, sed tantum personali privilegio fretis. Æquitati convenit, ut minime aliis uxores sint potiores.

8. *Coler. de Proceff. Execut. part. 2. c. 3. num. 489.* qui etsi id ex jure Saxonico statuit, tamen communi fori observantia per æquiss. rationem ideo venditoribus etiam alibi tribuitur.

9. Hoc ubi non transit ad emptorem, sed penes venditorem remanet, huic jus ante omnes potius relinquit.

10. *d. l. procuratoris 5. §. sed dedi mercem. ff. de Tributoria act. Gail. l. Observ. 15. num. 4.* Quia non transfertur tunc dominium, nec merces fiunt emptoris, antequam solverit, utique nec ejus creditorum aliquis in iis jutis quidquam adipisci potest.

11. Ex quacunque ratione contractus emptionis potest impugnari vel rescindi, ex ea venditoris potius jus consistit.

12. *Interminis ita habet Carpzov. in jurisprud. forens. part. 1. constit. 28. defin. 21.*

13. Dolus causam dans contractui bonæ fidei, ut eum facit nullum *l. eleganter 7. pr. §. 1. ff. de dol. mal.* ita non sinit inde transferri dominium, consequenter alium ex eo jus sibi quærere, quod in aliquem transferri possit, sed res pro non tradita habetur. *l. si quæs. 3. ff. de Pignor. act. Gail. d. Observ. 15. n. 9.* sicut de furtiva rei vindicatio locum habet ideo omnibus creditoribus alis est potior, *Gail. d. Obs. 15. num. 10. Beuth. de Jur. Pralat. part. 1. c. 18.*

14. Frandatio vel decoctio instans facit, ut non transferatur mercium venditarum dominium, sed integra existat venditori, ut suarum rerum potitio, *Strach. de decoctor. part. 3. n. 31.* Id quod in emptoriis ubique servatur.

15. De quo in Jure Lubecensi mensis intervallum à tempore venditionis constituente certa est provisio, *lib. 2. tit. 6. art. 1. ubi in commentario hoc fusius expositum reperies.*

DECISIO XLV.

Tradita ab uxore marito pecunia quo loco ponì debet in ordine prioritatis.

PEcunia ab uxore marito credita non gaudet eodem jure cum paraphernalibus, (1) utpote à conditione illorum diversa, sed instar crediti est, cum alio quovis contracti. Cujus jura communia aut specialia nullam aliam conditionem fecerunt. (2) Ideo cum de ejus priorietate quæritur, non ad alia mulierum privilegia, sed ad debiti qualitatem respiciendum est, ñ inque illa pecunia quam mulier credidit, aut ex lege aut ex causa crediti aut ex conventione contrahentium nullam prærogativam habet, inter chirographarios erit. (3) Siquidem hypotheca constituta sit in omnibus bonis mariti, ex eo tempore, quod id factum, ante alios creditores erit. (4) & quidem in allodialibus tantum bonis, si non accesserit consensus domini aut pecunia credita talis sit, pro qua sine speciali consensu ex lege vel privilegio feuda sunt obnoxia, (5) sic pronunciatum *in causâ vidua Georgii von Platen contra Creditores sui mariti die 14. Junii 1658.*

1. Illa enim ideo & tunc habent privilegium aut jus hypothecæ, cum marito administrandâ data sunt. *l. fin. C. de Dot. cant. non num.*

2. Nullibi differentia constituta est in jure communi inter credita à conjuge & ab alio extraneo.

3. Pro pecunia ab uxore marito credita non habet mulier jus tacitæ hypothecæ. *Harm. Observ. 110. num. 2.*

4. Juxta regulam *l. 1. pr. ff. qui pot. in pign.* Qui prior tempore potior jure.

5. Feuda enim ut alibi vidimus non veniunt sub generali obligatione bonorum, nec valide sine domini consensu oppignorantur, nisi lex vel mos tacito nexu obstringit.

Tenor sententiæ juxta præcedentia publicata sunt.

In Sachen Georgen Platen hinterlassener Witwen Curatoren Appellanten, wider einige in actis benannte dero Ehemannes Creditoren Appellaten, werden so viel die Hülffte deß Viehes und Fahrnuß, wie auch die Trauerkleider betrifft, die gravamina als unerheblich nicht, sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen und erkandt, daß von Richter erster Instantz wol gesprochen, übel appelliret, dabey es auch zu lassen, im übrigen aber, wegen Wagen und Pferde, imgleichen der 200. Ducaten, was vorgebracht, als nicht unerheblich angesehen, demnach zu fernerer Erörterung veranlasset, darauff Appellaten copia libelli ertheilet, und dieselbe binnen beyden Punctenproxima darauff zu antworten, und die Gebühr zu verhandlen aufferleget wird, von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 18. Octobr. Anno 1658.

(Hoc est.) In causa Georgii Platen viduæ Curatoris appellantis contra aliquos in actis nominatos, ipsius mariti Creditores appellatos quantum concernit mediatatem pecoris & mobilium uti & vestium luguibrium gravamina ut irrelevantia non admittimus sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus, quod à Judice primæ instantiæ bene judicatum male appellatum proinde ei inhærendum, de cæterò verò ratione curtus & equorum similiter 200. Ducatorum quod allegatum tanquam non irrelevans ad ulteriorem decisionem propositum inde appellato copiam libelli damus & ut in dictis duobus punctis in proximâ desuper respondeat & necessaria agat injungimus idque de jure. Publicatum in summo tribunali Wismariæ, 18. Octobris Anno 1658.

DECI-

DECISIO XLVI.

Melioramenta rei antecedunt alia creditu, non impediunt.

JUs impensarum, quibus res conservatur aut melior fit, ut in concursu creditorum anteferantur aliis creditis, eo non pertingit ut qui impendit, alios creditores excludere possit, donec satisfiat: sed ubi fundus in quam facta sunt melioramenta ejus pretii sit, ut præter ea aliis inde satisfieri possit, hi non attenta illorum prioritate immittuntur, ut fundo tanquam pignori simul incumbant. (1) Quod multo magis procedit, si meliorationum debitum adhuc incertum & illiquidum est, ob quod non debet suspendi jus aliorum liquidum, (2) sed saltem in eventum deductionis servari, unde satisfiat petenti, seu tanto assignato in fundo seu præstita cautione. (3) *In causa viduæ Christoff Hinrich Schwverins contra Creditores Ant. Crassowen die* 4. *Octobris Anno* 1658.

1. Frustra creditor intervenit ut aliis noceat, sibi non prosit. *contra l.* 2, §. *item Varus ff. de Aq. & aq. pluv. arc.*

2. *l. statu liber. 5. ff. de Statulib.*

3. *l. fin.* §. 1. C. *de Pet. hared.*

Pronunciatio talis fuit.

In Sachen Christoff Hinrich von Schwerins Wittwen Appellantinnen / wider Antonii Crassowen und Claus von Schwerins Wittwen Creditoren und Legatarien Appellaten in puncto prioritatis jetzo mandati de solvendo gehen von Henning von Kaldens Posten die an die Fürstl. Fr. Wittwe bezahlte 2000. Gülden gegen Außlieferung der eingelöseten Obligation und Quittung / imgleichen von Doct. Antonii Helwiges Post 200. Gülden / wie dann auch von Wilcken von Platen Forderung die Unkosten abe / wegen der übrigen aber / allein daß Jürgen von Platen Kinder Vormunder auff die 491. Gülden / so ihnen zukommen / annoch die Original-Quittungen zu produciren schuldig / bleibt es bey dem Einhalt der Urthel und darauff abgelassenem Mandato, so hiemit renoviret und der Zinsen halber / daß dieselbe nach der jüngsten Reichs-Constitution zu entrichten erkandt wird / möchte jedoch Appellantinne annoch besser dann beschehen außführen / daß Jochim Grißkowen bezahlte 500. Gülden ihr Ehemann selbst entrichtet / oder auch ein ander den in der Obligation auch 25. Gülden außgegeben gemeldter Post sey / und solchen Henning von Kalden zu zahlen schuldig gewesen / diß letzte gleicher gestalt von denen 1000. Gülden so an D. Steinwigs Erben erleget / so hätte sie es alsdann von Henning von Kaldens Erben / so deßwegen ihr zur Caution gehalten / zurück zu fordern / ist aber deßwegen wie auch durch die prætendirte fidejussion, imgleichen durch den Vorwand der meliorationen so ad punctum rationum gehörig / die Zahlung auffzuhalten nicht befugt / sondern damit zu absonderlichen Zuspruchen und dero Fortsetzung zu verweisen / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 18. Octobris Anno 1658.

(Hoc est.) In causa Christophori Henrici à Schvverins viduæ appellantis contra Antonii Crassovven & Nicolai à Schvverins viduæ Creditores & Legatarios appellatos in puncto prioritatis modo mandati de solvendo ab Henningi à Caldentz prætensione detrahuntur 2000. floreni Principis dominæ viduæ soluti ergà extraditionem obligationis & quietanceæ similiter à Doct. Anthonii Helvvigs prætensione 200. floreni ut & à Wilken de Platen prætensione sumptus: ratione reliquorum verò solum quod Georgii à Platen liberorum Tutores ad 491. florenos qui ipsis obveniunt adhuc originalem quietantiam producere obligati sint inhæretur tenori sententiæ & desuper emanato mandato quod hisce renovatur & ratione censuum quod ii juxta novissimam Imperii constitutionem solvendi sint decernitur; attamen si appellans adhuc melius quam hucusque deducere posset, quod 500. floreni Joachimo Griskovven solutos ipsius maritus ipsemet solverit, vel etiam aliud quam in obligatione etiam 25. floreni expositi dictum punctum sit, & illius solutio Henningo à Calden incubuerit hoc ultimum similiter de 1000. florenis qui D. Steinvvigs hæredibus soluti tunc ipsa id ab Henningi à Calden hæredibus qui propterea ipsi ad cautionem tenentur posset repetere, propterea verò ut & per prætensam fidejussionem similiter per prætentum meliorationum quæ ad punctum rationum spectant solutionem differre nequit, sed in hoc ad separatas actiones & earum prosecutiones remittenda idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismaria 18. Octobris Anno 1658.

DECISIO XLVII.

Concursus creditorum differri non debet ob istius contradictionem, cujus jus adhuc dubium, multo magis si nullum appareat.

CUm lites finiri tam reipubl. quam singulorum interest, (1) tum maxime eas, quæ sunt sub concursu creditorum, in quo multæ simul aguntur lites & plurium versatur commodum & incommodum. Quem expeditius ad finem deduci refert propter plura moræ damna, (2) dum sub ea crescit alluvione usurarum æs alienum, bona negliguntur, nec ut oportet curantur, egentes sæpe creditores suis carere, non modicas impensas facere coguntur. Summarium sub eo processum esse æquum est. (3) Inter multos autem sub communi-

Digitized by Google

munione ad dissentiendum faciles remoræ variæ sunt, & unus sæpe litem ciendo impedit omnes, nocet singulis, ut jus consequi non possint. Cavendum tamen à judice, ne ultra permittatur quam necesse est differri finem concursus. (4) Cum hunc assequi & creditori contradicendi alias consulere licet, non est admittenda mora. Veluti quando inter creditorum jura liquida, contradicentis jus ambiguum aut obscurum est, nec tam cito potest deduci; si cæteri creditores cautione præstita aut depositis quibusdam bonis efficient, ut in eventum litis prospectum sit, pergitur exclusa lite altioris indaginis ad sententiam super aliorum liquidatione atque prioritate. (5) Multo magis autem id fieri debet etiam sine cautione, ubi contradictoris aut intervenientis nullum jus apparet, (6) cum illud ante omnia ad minimum summarie deduci oporteat. (7) Quando etiam apparet inter præfixos ad liquidandum plures terminos non comparuisse, postea intervenientem, eo minus cum aliorum incommodo & remora audiendus est. (8) Ita existimatum *in causa Julii Paul Schmatzhagen contra Bernhard Tesshn. Die 6. Octobris Anno* 1658.

1. *l. quidem* 21. *ff. de Reb. credit.*

2. Ob quæ alias recedi solet à communibus juris regulis *l. 5. §. 12. ff. de Nov. oper. nunciat.*

3. *Ejus rationem & compendia inter decisiones nostras alibi exposita videbis.*

4. Ad judicis officium ut pertinet abbreviare lites, ita etiam omni possibili modo amputare remoras.

5. In concursu liquidi & illiquidi, ne hoc illi remoram faciat, solet à tali provisione remedium peti. *Juxta præscriptum l. si statuliber 4. ff. de Statulib.*

6. Supervacuis cautionibus onerari nemo debet. *l. 14. ff. uti in possess. leg. vel fideic.*

7. Nulla interventio admittitur, nisi aliqualiter demonstrato quod ipsius interest, sine illo statim rejicitur. *vid. Gail. l. Observ 79. n. 1. seq.*

8. Termini ad liquidandum & deducendum præfigi soliti sunt peremptorii & id facere negligentem postea excludunt. *Blarer. ad L. Diffamari cap. 5. n. 7. seq.*

DECISIO XLVIII.

Anteriorum creditorum ex sententia prioritatis liquida petitio non est, in concursu differenda ob aliorum ab istis aliena litigia.

IN concursu creditorum usque dum prioritatis definitio per sententiam facta fuit, non facile nec sine urgente ratione alicui ante alios quidquam adjudicandum est. (1) Post illam vero anteriores non sunt ulterius differendi, si petitio illorum ex sententia liquida nec de jure prioritatis illorum controversia supereſt. (2) Iniquum est illorum credita suspendi ob eas controversias, quæ inter posteriores intercedunt, si non contingunt jura anteriorum; (3) Quando itaque jure separationis ejus creditores à quo profecta erant ad alium bona anteriores sunt, idque sententia pronunciatum, placuit eosdem etiam immitti in bona, (4) non attentis durantibus inter alios controversiis. Sic decretum *in causa creditorum Claus von Horn. Die 26. Octobris Anno* 1658.

1. *Ejus rationem vid. apud. Fabr. in Cod. l. 6. tit. 11. defin. 4. num. 10. seq. ubi æquius & commodius esse ostendit in tali concursu cessare omnem adjudicationem usque ad definitivam sententiam.*

2. Post sententiam cessat id periculum, quod re dubia & non decisa suadet cessare adjudicationes.

3. Hoc enim est alteri per alterum conditionem iniquam inferri. *contra l. non debet. de Re judic.*

4. Separatio facit creditores separatos esse alios, & diversos, bona etiam diversa esse, ut non supersit inter eos quædam communio. *l. 1. §. 1. l. pen. ff. de Separat.*

DECISIO XLIX.

Anteriorum creditorum petitiones non sunt differendæ, donec rationes reditum discutiantur.

IN concursu creditorum æquitati convenit anterioribus creditoribus satisfieri quantum potest, nec eorum cum posterioribus æqualem esse conditionem; (1) si quid his impedimento sit quod illis non obsistat. (2) Ut itaque ob illiquida & controversa adhuc horum jura anteriorum petitiones non suspenduntur, sed quoad istos fit prioritatis sententiæ executio, (3) ita nec ideo, quod bonorum corpus ad certitudinem aliquam redactum non est, differtur adjudicatio ex iis quæ alias sunt in bonis debitoris; similiter nec æquum, quod rationes super bonorum administratione non redditæ & discussæ sunt, teneri exspectare eos, quorum potiora sunt jura, cum non ex iis sed ex bonis ipsis sibi satisfieri petunt. (4) Competit electio anterioribus creditoribus, (5) nec interest ipsorum rationes discuti. *In causa inter viduam Joachim Petersen & Creditores Claus von Horn* 1658.

1. Inane esset jus prioritatis si anteriores possent ex petitione posteriorum suspendi. *vid. Carpzov. in jurisprud. forens. part. 1. constit. 28 def. 5. num. 2. seq.*

2. Ubi de eo oritur controversia in quo pars est omnium ratio secus esse videtur.

3. Executio liquidi non suspenditur per illiquidas aliorum lites.

4. Nihil ea res pertinet ad creditores quibus aliter satisfieri potest.

5. Effectus est juris prioritatis eligere ex bonis debitorum, unde sibi satisfiat.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO L.

In concursu creditorum adjudicatio non eo minus facienda, quod aliquorum petitiones adhuc sunt controversæ, & quomodo his prospicitur.

OB unius vel alterius specialia litigia suspendi pronunciationem & adjudicationem in liquidis creditis iniquissimum foret. (1) Præstat eos, qui intra liquidationum terminos aut noluerunt aut non potuerunt debita & jura reddere liquida, postponi, quam cæteros sibi vigilantes suo diutius carere. (2) Sic tamen hoc curandum, ut his satisfiat, ne illi plane suo priventur, sed integrum sit intra legitima tempora causam peragentibus jure frui. (3) Controvertitur autem vel an debeatur vel quo loco, vel cui? Cum debitum est in lite, vel hoc fine prolixioribus ambagibus finiri & decidi potest, maturanda est cognitio, differenda interim per tempus non adeo prolixum pronunciatione; (4) aut vero longiorem disceptationem requirit, atque vel causa metuendi est, nec probato debito creditor anteferendus sit; & fit quidem hic adjudicatio sed cum conditione, si contra eos quidquam obtinebitur de reddendo vel satisfaciendo alteri cum secus quid obtinuerit, eoque nomine præstanda est cautio: (5) aut vero non apparet, cur, etsi obtineatur litis victoria cæteris creditoribus ipsi cedere opus sit & non fit reservatum nec injungitur cautio; (6) sed adjudicatio peragitur salvis actionibus, si quæ competent, contra eos quibus res adjudicantur. (7) Si debitum certum est, at quo loco collocetur controversum, aut cum omnibus de eo litigatur, aut cum aliquibus. Adversus omnes de prioritate contendentes est petitio, aut ex facto controversa, aut dubii juris est, cujus prioritas certa, si in facto cui innititur deduxerit, non minus adjudicatio fit, quam cæteris; sed sub cautione de restituendo, si succubuerit. (8) Cæteris quorum jura obscura & dubia sunt, non similiter, sed eorum controversiæ seponuntur ad ulteriorem deductionem, iis quibus fit adjudicatio injuncta cautione. (9) Ubi non est ambiguum quid aut quo loco debeatur, sed cui adjudicatur ex bonis, quantum debetur ei, qui in possessione vel quasi nominis fuit: si vero hæc controversa fuerit, sequestratur, donec finita est lis, quæ ad alium processum seponitur, *uti factum in eo credito quod nomine Margrethæ Luhen in Concursu Creditorum Claus von Horn petebatur. Die* 1. *Novembris Anno* 1658.

1. Justitia qui suum cuique tribuit non sinit in concursu creditorum ideo quod aliorum jura sunt incerta, certa petentibus suum non evenire aut differri. *Vid. Carpzov. in jurisprud. forens. part.* 1. *constit.* 28. *defin.* 5.

2. Vigilantibus jura scripta sunt. *l.* 24. *ff. quæ in fraud. cred. mora cuique sua non alteri nocere debet l. mora ff.* C. *de R. I.*

3. Quantum fieri potest judex omnibus prospiciet.

4. In mora modici temporis non multum incommodi est. *l.* 21. *ff. de constit. pec.* Quare decisionem tunc exspectari docet *Fabr. in Cod. lib.* 6. *tit.* 11. *defin.* 4.

5. *Vid. Fab. in Cod. lib.* 6. *tit.* 11. *defin.* 16. *ubi de hoc remedio scribit.*

6. Nemo supervacuis cautionibus onerandus est, *l. hac stipulatio* 14. §. 1. *ff. de Legat. vel fideicom. serv.*

7. Creditoribus anterioribus soluti posterioribus repetitio seu conductio parata est, ut ordinarium indemnitati suæ consulendi remedium, *cujus diversas species & casus prolixius exponit Ranchbar. part.* 2. *quæst.* 19. *per tot.*

8. Hoc vulgare & ordinarium in ejusmodi speciebus, cum jus certum at in facto dubitatio supereſt, remedium habetur, ut quis jure suo sub cautione præstita fruatur, nec vel ipse eo ob litem quæ movetur carere opus habeat, vel alteri, qui movet, periculum, si postea obtinuerit.

9. Differentiæ à priori specie ratio manifesta est. Nam in illa jus certum meretur executionem ob incerta præstanda cautione. In hac jus adhuc dubium illa frui nequit. Nec enim quis sub cautione impetrare debet in quo jus suum nondum ostendit. Sed tunc sufficit ipsi ab iis consuli cautione quorum jus est certius.

DECISIO LI.

Processus adjudicationis post concursum creditorum.

POstquam sub concursu creditorum per longas & sumptuosas molestias liquidationis atque prioritatis puncta sunt definita, non minus difficultatis supereſt in facienda bonorum adjudicatione seu addictione, quando inter plures creditores aliqui generalem hypothecam, alii specialem & ex his aliqui in eadem re talem habent, præterea alii aliis magis quoad eandem rem privilegiati sunt, ut licet ordo prioritatis sit definitus, id tamen, ubi plures privilegii vel hypothecæ virtute in eadem re concurrunt intricatum sit, qua quisque ex re & quomodo suo potiri debeat. Qui mos est multorum judiciorum omnes immitti in bona minimi laboris & expeditionis facilis est, sed non exitus. Inde non finiuntur lites sed novæ occipiunt, & dum quisque nomine tenus suum capit, re ipsa in communione ejus commodo caret, in alias contentiones præcipitatur, & quod pessimum, bona in quæ immissio fit sub ea incertitudine & turbationibus negliguntur ac deteriora redduntur, & si ex

Digitized by Google

his incommodis liberandi sunt creditores ac bona, veniendum tandem ad distractionem, aut cum nec hanc, ut fere fit, hoc tempore assequi licet, ad divisionem quam tamen non patiuntur perinde omnia bona præsertim feuda. Prudenter itaque judicem in ea re versari decet, ut præoccupet non incendat & augeat lites. Cum de eo susciperetur deliberatio, visum fuit, postquam liquidatio & ordo inter creditores definitionem acceperat commissionem decerni, ut per idoneos viros primo quid cuique ex sorte & usuris juxta sententiam competit in certitudinem redigatur. (1) Deinde unde secundum eandem aut tenorem obligationum exigatur aut debeatur designatio fiat. (2) Tertio quomodo unicuique inde juxta taxam satisfieri queat inspectis sententiis & auditis si opus est creditoribus exploretur. (3) Quarto distributionis schema conficiatur. (4) Quinto cum rationibus seu causis quare unumquodque sic assignari debeat loco relationis ad judicem transmittatur. (5) Qui deinde post collata cum actis statuat, quod convenit, ex eo assignet seu adjudicet cuique, unde satisfiat & inde eum immittat. Ita conclusum *in causa Creditorum Claus von Horn. Die* 15. *Octobr. Anno* 1658.

1. Circa executionem ante omnia curandum est, ut quid per illam tribui debet juxta sententiam certum sit. Cujus adhuc incertæ nulla vis est. *l. un. C. de sentent. qua pro eo quod interest.*

2. Quando circa ordinem creditorum non tantum ipsorum jus & privilegium, sed etiam in quibus bonis hunc locus sit, considerari debet, utique ea res eget diligenter consideratione atque discretione. Frequens est in eo lapsus judicum atque executorum, dum illi literam sententiæ seu ordinem expressam saltem sequuntur, rationem bonorum in quibus is ordo servandus non habent, unde multi jure suo defraudantur.

3. Inter cavenda non postremum est quo ex promiscua & confusa immissione atque executione non perturbetur finis exitus judicati, ideo non cæco impetu permittantur creditores invadere bona, sed ita recipere quo singuli suo potiantur, alios non impediant, omnes non intricentur.

4. Hoc ad commissariorum officium pertinet, ita in his omnia disponere, quo judici non difficilis sit particularis adjudicatio.

5. Ad partes commissariorum pertinet quid reperiunt & visum fuit, solide & cum ratione ad judicem referre, quo bene instructus super relatis juste statuere queat. *Fulv. Pacian. cons. 67. num. 13. seq.*

DECISIO LII.

Concursu pendente creditor ante immissus contra creditores potiores modo possessionem retinet defenditur.

QUod vulgo dicitur postquam bona debitoris possessa sunt, seu excitato jam creditorum concursu creditorum jura esse paria, (3) Hoc accipitur qua tempus futurum & adhuc de bonis disponenda, minime de tempore præterito & quod in illo creditorum aliquis præ cæteris impetravit. Hoc non tollit concursus nec efficit, ut aliquis isto non fruatur. (2) Sic si ante illum creditor quisquam in bona quædam debitoris immissus fuerit, etsi alii sint privilegio potiores, usque ad definitivam sententiam defenditur in possessione, si eam impetravit & adhuc habet. (3) Quod si vero illam debitori iterum cesserit, indeque factum ut per illum creditorum alius in possessionem venerit, non est similis ratio, sed ejus qua possessionem jura videntur potiora, (4) ideo efficient, ut anterius licet ille immissus fuerit, tamen in possessionem iterum, alio jam possidente, dum concursus durat, redire non possit. (5) Occurrit talis species in vidua cujus per Pomeraniæ consuetudinem pro dote aliisque illatis est jus retentionis omnibus in bonis mariti. Hæc creditori ante immisso sed possessionem non retinenti, cum jam excitato & durante concursu, se iterum immitti peteret, opposuit jus retentionis & prioritatis, quo ante omnes mariti creditores gaudet: (6) Valet hoc ad excludendum creditores, qui non possident etsi antea possederunt, (7) Cum secus à Dicasterio inferiori decretum esse querebatur, non rejiciendam esse appellationem *existimatum fuit ad supplicationem viduæ des Stadthalters Philip Horn contra Burgermeister Casparum Hoyern an.* 14. *Jan. Anno* 1659.

1. *l. quod autem 6. §. Sciendum 7. ff. quæ in fraud. credit.*

2. Concursus creditorum & sub eo discessionis instantia litis pendentis instar habet, sub qua uti quisque ab initio possedit ita impostetum possidet, nec ille tollit possessionem nec etiam admittit quandam innovationem *l. 1. C. ut lit. pend.*

3. *Faber. in Cod. lib. 8. tit. 32. defin. 10.*

4. Inter partes semper potior causa est possidentis. Præsertim ubi ad litem devenitur in possessione relinquitur, qui in ea reperitur.

5. Obsistit juris regula, quæ possessionem defendit, quod lite pendente nihil est innovandum.

6. *Juxt. l. fin. C. quipot. in pignor.*

7. Patia hæc sunt nunquam possedisse & cum possederis possessionem amisisse. Ubi præsentis saltem possessionis ratio habetur, nihil proficit antea habita sed amissa.

DECISIO LIII.

Quomodo in concursu creditorum post impugnatam super liquidatione & prioritate sententiam procedendum & pronunciandum est.

CONscientia & ratio cuilibet dictabit aliter agendum, cum inter duas par-

tes

tes versatur causa, aliter cum plures concernit, omnes tamen non litigant, ut non propter unius & alterius litigia aliis incommodum & sui juris impedimentum contingat, ut fit, cum in concursu creditorum ob aliquorum disputationes aliorum certa jura suspenduntur. Hoc ut quam minime potest fiat, ad pii & boni judicis providentiam pertinet. Valde iniquum est per rixas & lites unius & alterius, alios suo carere, omnes inter illarum moras detrimento affici. Etsi vero aliqua judicis excusatio esset si creditorum plurium causa divelli & uni sine altero suum adjudicari non posset; (1) attamen ubi licet suum cuique tribuere & litem aut facile breviterve finire, aut cum moram poscit, ea sepositâ certis petitionibus justi locum salva lite relinquere coram Deo, conscientia & hominibus excusabile non erit propter paucorum litem omnes differre, & insontes in multa incommoda præcipitare. Ad quod devitandum JCtorum consensus fecit processum in concursu creditorum summarium, (2) in quo singulis creditorum incumbit petitiones suas statim liquidare, justasque ostendere, aut non ægre ferre, ut sua sibi mora & difficultas non aliis noceat: Judici autem sic dirigere, ut possint singuli si velint & diligentes sunt demonstratione juris sui defungi, ubi moras aliqui nectunt cæteri indemnes esse. In quo alia decent antequam liquidationis atque prioritatis punctus deciditur, alia postquam per sententiam decisus est. De prioribus nunc scribendi locus non est. Nam cum incideret casus, in quo post sententiam ab aliquibus intentata deductione nullitatum, ab aliis imploratione pro restitutione in integrum citati erant cæteri creditores data copia, injuncta responsio inter aliquos cum impugnantibus admissa est, & velut in ordinatio processu ordinata disputatio, eandem inter hos facta submissione & rogata sententia hæc tamen post biennalem moram dilata & pronunciatum, quod inter cæteros creditores lis similiter peragenda, & concludendum esset, & ab illo decreto appellaretur, in quæstionem venit, an juste & congrue actum & decretum fuerit? De quo judicandum ex eo, quod pro abbreviando processu congruum erit. Id quod judicem quemvis observare decet, & si in prima instantia neglecta, in secunda non prætermittere. Cujusmodi primum est, ut postquam impugnatur sententia, judex statim super relevantia gravaminum cognoscat & judicet, nec antea libelli copiam dando aut responsionem causando, ut hoc pigrorum aut sportulas ante magis amantium esse solet, rem ad litigium devenire sinat. Bono & æquo non convenit permittere lites super iis quæ non relevant, (3) multo minus ubi etiam cum aliorum, ad quos ea res non pertinet, damno id permittitur. Secundum, ut si non deprehendet opposita ad corrigendam sententiam relevare aut sufficere, statim rejiciat & ad executionem sententiæ pergat. (4) Tertium, ubi quid relevat ac emendationem sententiæ meretur, si quidem aut ex actis prioribus constet, nec prolixiori demonstratione indigeat, aut statim liquidum reddatur, aut in jure consistat non in facto illiquido, judex sine mora super eo pronunciet, nec disceptationem inutilem & noxiam super satis liquidis admittat. Quartum, ut si ulteriori liquidatione, probatione aut deductione res egeat, si quidem cujus interest statim eam facere potuisset, ac omisisset, non attendatur, imputando ei, qui quod oportet non fecit, maxime ubi ob ipsius negligentiam & culpam aliorum petitiones differre non licet. (5) Quintum, ut si una facere non licuit, terminus quam fieri potest brevissimus præfigatur, & processus præscribatur causæ conveniens, quæ nec remoretur alios, nec veritati officiat. (6) Sextum ut si altioris indaginis sint quæ proferuntur, ideo super iis judiciario processu ordinatio opus sit, circumspiciatur, an medium reperiri queat, per quod & creditoribus cæteris consulatur, & litigantibus in eventum litis, quod competet illæsum servetur, uti fiet, si aut separetur à bonis quantum est de quo contenditur, aut adjudicetur cæteris quod suum, sub cautione de restituendo, aut etiam veluti si jam peracta esset causa litigantibus, sub præstita securitate retraditionis. In quo fidei atque dexteritati judicis multum erit relinquendum. Cum in præfato processu horum nihil, omnia vero intricata & confusa deprehenderentur, existimatum est, aut abolenda plane quæ perperam facta, aut attendenda tantum juxta ea regulas, non ultra vero differendam causam, sed prout repetuntur acta pronunciandum, deducendumque quod sententiæ oppositum ad eos terminos, in quibus & quomodo pronunciari debuit. Sic factum *in causâ Claus Horns zu Wahlendorff & ejus creditorum die 25. Martii Anno 1659.*

1. In qua specie excusatus est judex ex regula, quod continentia causæ dividi non debet *l. nulli* 20. *Cod. de Judic.*

2. Cum ad officium Judicis pertineat omni modo & opera curare, ut litium finis sit, non potest non inter mortalia ejusdem peccata referri, ubi eum potest non abbreviat litigia.

Digitized by Google

3. Hoc pro abbreviandis litibus singulariter commendat ordinatio Summi Tribunalis Regii, ut non admittatur in Judicium, nisi quod alleganti, fiverum ad Justitiam profuturum. Et cum alibi semper de eo diligenter videndum, cum tanto magis in concursu creditorum, quo plus incommodi & damni infert in eo mora.

4. *l. fin ff. de natal. restituend. super* vacua jurgia postponenda *l. cum quadam 23. C. de Legat.*

5. In judiciis id quidem attendendum quod causa meretur etsi is qui proponere debet contumax sit. *l. properandum 13. §. 2. seq. C. de Judic.* modo veritas & jus pateant. At siquidem proposita juste, modo & vera essent, ac verificare pars cederet, cum deberet & temporis satis habuisset, non amplius ipsi in quo negligens fuit aliquid tribuendum est. *Arg. l. 16 ff. ex quib. caus. maj.*

6. Ubi expedita causa est, maturè istam judicati interest *l. Carbonianum 3. §. duo 5. ff. de Carbon. Edict.*

In exemplum hic traditorum adderur sententia quæ pronuncjata est

In Concurs-Sachen Claus von Horns Appellanten wider dessen Creditoren Appellaten / werden die gravamina als überflüssig nicht / sondern acta ex officio für beschlossen angenommen / befunden und erkandt / daß die anjetzo bey dem concursu creditorum hinterstellige Unrichtigkeiten / dergestalt wie geschehen / nicht länger aufzuhalten / und die gemeine Sache in Weitläufftigkeit einzusetzen / massen gehaltene Sachen nach auch nicht nöthig / sondern auf die wider die prioritet-Urthel vorgebrachte deductiones und implorationen und darinn begriffene gravamina verschiedenes was recht förderlich zu erkennen und zu verabfassen / demnach den 4. May abgewichenen Jahres übel verabschiedet / wol appellirt / solches auffzuheben auff beschehenes Vorbringen gebühre und recht sey.

Das vors Erste von allen und jeden Zinsen / auch gegen die Haupt-Summen / deßwegen die Creditores von dem Concursu durch vollenzogene Urtheil und vollenführte Exekution nicht abgefunden / die Zinsen nach der jüngst publicirten Reichs-Constitution abgeführet / und nicht weiter bey dem corpore debiti in Anschlag gebracht werden.

Zum Andern / wegen der von Capitain Georg von Peterswalden angegebenen 1000. Gülden von Caspar von Falden herrührenden / der liquidation und prioritat halber bey voriger Erkentnis sein Bewenden / allein für deren Abforderung derô liquidant die legitimation sein und seiner Haußfrauen Person Rechtlich beyzubringen habe.

Das Dritte / Marten Müllers Haußfrau mittelst producirung der originalobligation, oder sonsten / daß die ihr zuerkandte 1000. Gülden Väterliche Schuld sey / innerhalb sechs Wochen sub præclusi beyzubringen schuldig / oder sonsten unter deß liquidati eigene Pfand-Creditoren / nach der Zeit / da die immission erhalten / so nach Helenæ Horns Gredings Wittwen Post seyn würde / zu setzen / worauf dann deß übrigen Streits halber ergehet / was recht ist.

Vierdtens / Ulrich Bükowen Forderung wegen noch zur Zeit übel gesprochen / solches zu ändern / und derselbe zuerst der den 22. Junii Anno 1617. publicirten Urthel zu geleben schuldig / hernach Appellant mit seinen Exceptionen zu vernehmen.

Zum Fünfften / wegen Philip Christoff Thuns so viel die compensation betrifft / wol gesprochen / und es dabey zu lassen / jedoch mit Vorbehalt dessen / was Implorant und Creditores ex l. Anastasiana zu Recht außführen könten / so zu absonderlichem Procasse zu verweisen.

Vors Sechste / Martin Bilow / jetzo Christoff Altwich Buren Wittwe / mit denen zuerkandten 1000. Gülden deß Debitoris Haußfrauen 2000. Gülden Ehegelder und dero Besserung nach / aber den andern oder folgenden Posten vorzusetzen.

Zum Siebenden / wegen deß Debitoris Haußfrauen der Besserung biß zu deß Eheimanns Absterben / hingegen von den Gütern der Werth auß 1900. Gülden außzusetzen / davon die Zinsen / biß zu desselben Tode den Creditoren / nach demselben aber / wann die Frau überlebet / davon derogtes lucrum dotis gebühren.

Achtens / auff die 4000. Gülden Capital die specification und der Eyd / massen solche erkandte zwar zu erlassen / vermittelst eines Cörperlichen Eydes aber so wol von liquidato als der liquidantinnen zu erhalten / daß alles und jedes / wie in der Verschreibung gemeldet / sich also verhalte / und ihres Wissens und Erinnerns darinn nichts falsch und gefährlich geschrieben oder hinterhalten.

Vors Neundte / auff die 1200. Reichsthaler so wol Liquidantinnen als Implorantin die special-Eydes Leistung zu erlassen.

Vors Zehende / daß auff den 52. und folgenden Articuln biß zum 63. inclusive der gemeine Anwald zu antworten / zugleich die Nothdurfft zu verhandeln schuldig sechs Wochen schuldig / sonst in contumaciam was recht. Darauff ergangen.

Zum Eilfften / was von liquidati Haußfrauen bey administration der Güter vorgeschossen / dafern sie in jetzgedachter Frist / zusampt / daß es nützlich angewandt / besser dann beschehen / beybringen möchte / Ihr auß der Güter Intraden vorauß zu verstatten.

Zwölfftens / würden liquidatæ Haußfrauen in den Jahrbahren / da sie auf den Gütern den Unterhalt nicht gehabt / wegen solche specificiren / auch die Creditoren und dero gemeiner Anwald dagegen nichts vorzubringen hatte / damit sie gleichwol innerhalb 6. Wochen anjetzo zu hören von den Ehrgeldern die Zinsen gerechnet.

Zum Dreyzehenden / die 1000. Gülden / so Christoff Altwich Buren abgelebte wegen Marten Bilowen Schuld angegeben / und ihm zuerkandt / abgehen / solcher auch wegen Georg Baumanns und Christoff Hartmanns Post zu erkennen / es wäre dann inmittelst rechts Frist mittelst producirung der Obligationen ein anders beim vom Implorauten vorgegeben / und daß die unter ihren Namen erkandte Post nicht bey dieselbige seyn / so respective Hieronymi Westphalen und Caspari Mehlkampen Erben erkandt / dazuthun / da auch Balzar Rawert Erben / wegen der 400. Gülden ihnen zuletzt zugetheilet / einige Forderung hätten / solches in selbiger Frist beyzubringen schuldig / sonsten sie sämptlich nicht weiter zu hören.

Zum Vierzehenden werden die Doct. Friderici Mevii Erben zuerkandte 700. Marck und 200. Thaler Capital zusammen / wie Implorans gesuchet / auff 500. Gülden erkläret / es möchte dann ermeldte Erben / oder deren Cessionarius

Georg

Georg von Peterswald angebracht in Rechts-Fall / daß die reduction solcher Pfandschafft anderer Gestalt einzurichten beybringen / worzu ihnen gedachte Zeit sub præclusi eingeräumet wird.

Zum Fünffzehenden / D. Georgii Maßkowen Wittwe mit 400. Gülden Capital und Zinsen vor Hieronymi Westphals Wittwe zu setzen / und auff dem ihr mit Fürstlichem Consens unterseßten Hauß zum Steinfurth Einhalt der Obligation abzufinden / mit den übrigen 400. Marcken / und deren Zinsen unter den Alevätterlichen Chirographariis nach den hypothecariis zu setzen / demnach dahin die vorige Urthel zu ändern.

Vors Sechzehende / hätten liquidat die Creditores und der Anwald wider Erich von Calden Kinder erster Ehe Forderung wegen ihrer mütterlicher Abfert auff 400. Gülden und deßwegen vorgebrachte imploration pro restitutione in integrum nichts erhebliches einzuwenden / damit inwendig sechs Wochen einzukommen gebühret; So würden dieselbige auff ihr Vorbringen contra lapsum termini in integrum restituiret. Und wann Claus Horns den ältern sämptliche Gläubigere bezahlet / alsdann und zwar vor allen deß Liquidati eigenen Creditoren abgefunden.

Vors Siebenzehende / Hans Engelbrechts Kinder uff vorgebrachte imploration unter die Altvätterliche gemeine Glaubiger zu setzen und dahin zu restituiren.

Zum Achtzehenden / wegen Hinrich Bukowen testamentarien / es bey vorigem Urthel zu lassen.

Vors Neunzehende / der Provisoren der Kirche zu Wolgast desideria werden zu Ablegung der Rechnungen über der Güter Intraden / sodann gemeine Anwald unverzüglich zu befördern schuldig ist / verwiesen / und ergehet bey oder nach demselben darüber was recht ist.

Endlich wird Doct. Gerdes wegen nicht ad acta vorgebrachten Vollmacht in Straffe der Unordnung zugleich schuldig erkandt / solche in 4. Wochen anhero ad acta zu bringen / immittelst nichts destoweniger obgedachter Erkäntniß den Creditoren / insonderheit denen / so nach dero Einhalt etwas zu handeln oder zu schaffen gebühret / zur Wissenschafft zubringen / daß in den bestimpten Fristen sie der Gebühr gelebet können / wie dann nach derselben Verlauff sie nicht weiter zu hören / sondern in der mehr dann zu viel bereits ungebührlich protrahirten Concurs-Sache endlich Richtigkeit gemacht werden solle. Von Rechts und Gewohnheit wegen.

(Hoooff.) In causa concursus Nicolai ab Horn appellantis contra ejus creditores appellatos, gravamina ut superflua non recipimus sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus quod indecisa quæ in concursu creditorum adhuc supersunt non ulterius differenda & causa communis in pronxitatem ponenda nam id hoc rerum statu non necessarium sed ad productas deductiones implorationes & inibi contenta gravamina contra sententiam prioritatis quod ad maturationem causæ pertinet decernendum, inde 4. May superioris anni male decretum bene appellatum illud cassandum & econtra ad allegata juris sit.

Quod pro primo ab omnibus capitalibus censum importantibus ratione quorum creditoribus ante concursum per sententias & earundem executiones nondum satisfactum, census juxta novissime publicatam Imperii constitutionem solvi & non ulterius circa corpus debiti computari debeant.

Pro secundo propter 1000. florenos à Capitaneo Georgio à Petervvalden prætensos à Casparo de Calden descendentes ratione liquidationis & prioritatis priori cognitioni inhærendum solum ut ante eorundem exactionem liquidans legitimationem suæ & suæ uxoris personæ debite exhibeat.

Pro tertio, Martini Müllers uxor mediante productione originalis obligationis vel alias quod ipsi adjudicatur 1000. floreni paternum debitum sint intra sex septimanas docere tenetur, vel alias inter liquidati creditores hypothecarios, post tempus, quo immissio obtenta, quod post Helenæ Horns Stadings viduæ prætensionem esset ponendi exinde ratione reliquarum differentiarum fiat quod juris.

Quarto. Ratione Ulrici Bukovven prætensionis adhuc dum male judicatum & reformandum, & is primitus sententiæ 22. Junii Anno 1657. publicatæ parere debet inde appellans in suis exceptionibus audiendus.

Pro quinto. Ratione Philippi Christophori Thuns quantum compensationem concernit bene judicatum & ei inhærendum, attamen cum reservatione ejus quod implorans & creditores ex l. Anastasiana de jure deducere possunt quod ad peculiarem processum remittendum.

Pro sexto. Martinus Bilovv modo Christophori Altvvich Blixen vidua cum adjudicatis 1000. florenis debitoris uxoris 2000. florenis pecuniæ dotalis vel ejus meliorationis post, sed aliis vel sequentibus prætensionibus præponenda.

Pro septimo. Ratione debitoris uxoris meliorationis usque ad ipsius mariti mortem econtra de bonis pretium ad 1000. florenos ponendum, unde census usque ad ipsius mortem creditoribus post eam vero si fœmina supervivit inde dictum ejus dotis competit.

Octavo. Ad 4000. florenos Capitalis specificatis & juramentum prout decretum, quidem remittendum sed mediante corporali juramento, tam à liquidato quam liquidantibus obtinendum quod omnia & singula prout in obligatione continentur ita se habeant & juxta eorum scientiam & admonitionem in ea nihil falsi aut periculosi scriptum vel in mente retentum.

Digitized by Google

Pro nono; ad 1200. Imperiales tam liquidantibus quam implorantibus specialis juramenti præstatio remittenda.

Pro decimo, quod ad art. 52. & sequentes usque 63. inclusive communis procurator respondere simul necessaria intra sex septimanas agere teneatur, aliàs in contumaciam fieret quod juris.

Pro undecimo, quod à liquidati uxore in administratione bonorum erogatum, casu quo illa in modo dicto termino una quod utiliter impensum melius quam hucusque docere posset ipsi ex bonorum fructibus ante omnia rependendum.

Duodecimo, si liquidati uxor in annis quibus ex bonis sustentationem non habuit, quatenus specificentur, & creditores & eorum communis procurator contra nihil proferre possent, ratione cujus ipsi adhuc intra sex septimanas audiendi à pecunia dotali census computandi.

Decimo tertio. 1000. floreni, quos Christophorus Altyvich Blixen supra debitum ratione Martini Bilovv prætendit & ipsi adjudicati sunt decedunt, ipsa etiam ratione Georgii Baumans & Christophori Hartmans prætensionis decernendos, nisi intra terminum legalem mediante productione obligationis aliud quam ab implorantibus & quod sub ipsius nomine decretæ prætensiones non sint eædem quæ respectivè Hieronymi Westphalen & Caspari Maskovven viduis adjucatæ docendum, casu quo etiam Balthasari Ravven hæredes ratione 400. floren. ipsis ultimo addictorum aliquam prætensionem haberent tenentur id in eodem termino docere, aliàs in universum non amplius audiendi.

Decimo quarto, 700. Marcæ & 230. Thaleri in capitali Doct. Friderici Mevii hæredibus adjudicati, prout implorans petivit ad 500. florenos declarantur, nisi dicti hæredes vel eorum Cessionarius Georgi à Petersvvald similiter in termino legali quod reductio talium prætensionem aliter facienda docere possent, in quem finem ipsis dictum tempus sub præclusio præfigitur.

Decimo quinto. D. Georgii Maskovven vidua in 400. florenis capitalis & censuum ante Hieronymi Westphalen viduam ponenda & ex curiâ in Steinfurth ipsi cum principis consensu hypothecata juxta tenorem obligationis solvenda, cum reliquis 400. Marcis & earum censibus inter avitos Chirographarios post hypothecarios collocanda inde eò prior sententia reformanda.

Pro decimo sexto. Si liquidatus & creditores & eorum Procurator contra Erici à Calden liberorum primi matrimonii prætensionem ratione maternæ dotationis ad 400. florenos & propterea exhibitam restitutionem in integrum nihil quod relevet opponere possent, prout intra sex septimanas ipsis incumbit, tunc ipsi ad eorum, implorationem contra lapsum termini in integrum restituerentur, Et si Nicolaum Horn seniorem universi creditores solverunt, tunc ipsis & quidem ante omnes liquidati creditores satisfaciendum.

Pro decimo septimo. Joannis Engelbrecht liberi ad exhibitam implorationem inter avitos communes creditores collocandi & eo restituendi.

Pro decimo octavo. Ratione Henrici Bukovven Testamentariorum priori sententiæ insistendum.

Pro decimo nono. Provisorum Ecclesiæ in Wolgast desideria ad redditionem rationum super bonorum reditibus quam communis procurator absque mora maturare tenetur remittuntur, & fiet in ipso desuper quod juris.

Tandem Doct. Gerdes propter ad acta non exhibitum mandatum in pœnam ordinationis & simul ut id intra 4 septimanas adhuc ad acta exhibeat condemnatur, interea supra dicta decilio creditoribus præsertim iis quibus juxta ejus tenorē aliquid agere incumbit notificanda; ut intra præfinitum tempus necessaria agere possint, prout post ejus expirationem ipsi ulterius non audiendi sed in causâ concursus plus quam nimis protervè protracto tandem finis imponi debet idque de jure & consuetudine.

DECISIO LIV.

Quando mulieri in concursu creditorum usura dotis cum dote adjudicantur.

QUando uxor marito mortuo aut vivente, quia bonis labitur, dotem repetit, cum ea usuræ quoque debentur si non ex bonis mariti alimenta interea acceperit, seu sustentata fuerit. (1) Etsi enim dos datur, ut ex fructibus sustineantur matrimonii onera, ideo hi marito cedunt, consequitur tamen eos sub conditione præstandi uxori alimenta, (2) quæ si ob paupertatem seu cessionem bonorum non præstantur, nec illi debentur marito, sed retinentur aut petuntur ab uxore, nisi creditores, vel quorum alias interest, demonstrant ex bonis mariti uxorem interea fuisse sustentatam. (3) Uti pronunciatum *die 25. Martii Anno 1659.*

1. Fid.

Digitized by Google

1. *Vid. Carpzov. in Jurisprud. forens. part. 1. constit. 38. defin. 166.*

2. *l. 29. l. 30. de jur. dot.*

3. Alteruttum saltem uxori debetur, victus vel pro eo usuræ, ubi illum ex bonis mariti habuit, hæ mariti sunt & creditoribus cedunt. *vid. Carpzov. in respons. Electoral. 21. n. 12. seq. lib. 4.*

DECISIO LV.

Hypotheca quæ habenda publica.

JUri communi ut & moribus locorum convenit publicam hypothecam præferri privatæ. (1) At de eo incidit quæstio, quæ habenda sit publica? Aut id per statuta vel ex consuetudine certam definitionem modumque habet, quomodo per statuta Lubecensia (2) & Hamburgensia (3) tantum talis habetur quæ publice coram Senatu constituta & libro publico inscripta est, aut non reperitur certa definita forma. In priori specie verba statuti, aut stylum consuetudinis sequimur, & quidquid non est istis congruum pro verè publica hypotheca non habetur. (4) Istis itaque consentanea oppignoratio, anterior est omnibus hypothecis uticunque factis. Post eam sunt cæteræ hypothecæ, in quibus sequimur juris communis constitutionem si non docetur correcta aut sublata. (5) Juxta quam deinde diversa ratio habetur earum, quæ secundum jus commune pro publicis habentur, & quæ saltem merè privatæ existunt. Si quæ coram testibus constituitur hypotheca anteriori jure gaudet illâ, quæ istis caret, (6) cum statutum vel consuetudo non alligat certæ formæ oppignorationes, pro publicis habentur quæ nituntur aliqua autoritate publicâ, seu scientiâ aliorum, per quam omnis fraudis suspicio excluditur. (7) Quomodo earum variæ sunt species, nempe si in judicio constituitur, si coram magistratu, si cum consensu Domini super feudis, si præsentibus tribus testibus. Ubi nulla harum specierum ex speciali lege, statuto seu consuetudine habet potiorem rationem, inter eas utut diversas saltem temporis habetur ratio. (8) Ita cum duo concurrebant, quorum alteri coram consulibus tantum alteri coram Senatu constituta & hujus tantum libro publico inscripta hypotheca, visum utramque publicam, nec hujus anteriorem rationem ex sola forma, sed in lite de prioritate alia examinanda esse, præsertim ubi ex statuto ea pro paribus habita sunt. (9) Quare & quæ istam diversitatem concernebant gravamina ut relevantia admissa fuerunt *in causa Jurgen Zabeln civis Hamburgensis contra Gallum Hamburgen civem Lubecensem die 29. Martii Anno* 1659.

1. *l. scripturas* 11. C. *qui pot. in pign.*

2. *Vid. Jus Lubecens. artic. 1. tit. 4. lib. 3. & ibi in commentario à me scripta.*

3. *Vid. Jus Hamburgens. part. 2. tit. 5. artic. 1. & 12.*

4. Definitionem legum præprimis sequi oportet.

5. Casus jure statutario omissus relinquitur sub dispositione juris communis *l. quidquid ibid. Dd. ff. de V. O.*

6. *Vid. d. l. scripturas* 11. C. *qui pot. in pign.*

7. Ea est ratio cur publicæ hypothecæ anterior sit ordo; quod est quædam de ea certitudo, cum in cæteris ex collusione aut fraude facile aliquid possit obtrudi in detrimentum aliorum. *Vid. Gloss. & Dd. in d. l. scripturas.*

8. Has species publicarum hypothecarum JCti referunt & æquant, unde in foro pro talibus reputantur, & cum de prioritate inter Creditores quæstio incidit cæteris præferuntur.

6. Inter alias æqualia potior est, qui tempore prior *l. 11. pr. ff. qui pot. in pign.*

DECISIO LVI.

Coram officiali vel judice extra locum judicii constituta hypotheca, non est publica.

QUærebatur de constitutione hypothecæ apud judicem in loco judicii primitus conventa, at qua publicam autoritatem inutiliter, sed post biennium apud eundem, verum extra judicii locum consignata concluſum fuit, eam publicam non esse, ideo aliis hypothecis non anteferri, (1) quod enim dicitur, acta esse ubicunque est judex, (2) ideo apud acta geri, quod fit apud eum extra locum judicii, (3) pertinet tantum ad ea, quæ voluntarie jurisdictionis plane sunt, & ubique apud quemcunque judicem expediri queunt. (4) Secus est in iis, quæ formam judicii requirunt, (5) aut pro civitanda omni fraudis suspicione & luculentiori notitia publicè fieri debent. (6) Publicum id demum, quod coram populo fit, hoc est, in loco publico & in judicio. (7) Ita publice hypothecam publicam ideo coram judice in loco publico constituendam esse lege cavetur, quam securius sequimur, præsertim accedente tali observantia. (9) *In causa Joannis Herling & Consortum contra Wilhelmum de Muma die* 15. *Aprilis Anno* 1659.

1. Hoc

Digitized by Google

1. Hoc est privilegium publicæ hypothecæ, *l. scripturas* 11. C. *qui pot. in pign.*

2. *l. non est omnino* 7. *l. seq. ff. de manum. vindict.*

3. *Baldi. in l. illud num.* 5. C. *de SS. Eccles. VVesenbec. in Paratit. l. ff. de Testam. n.* 10.

4. § *servi inst. de libert. l.* 2. *ff. de offic. Proconsul. l. actus* 8. *Cod. de Ecr. l.* 3. *Cod. de Emancip. liber.*

5. Coram solo judice facta apud acta in forma judicii facta non censentur, *gloss. in l. jubemus verb. aliud judicium C. de lib. caus. Bald. in l. cum scimus* C. *de Agric. & Censit.*

6. Ubi majoris fraudis occasio, ibi majori cautione opus est.

7. *l.* 1. *ff. ad L. Jul. de vi publ.*

8. *d. l. scripturas* 11. *verb. publice confectum Auth. si quis vult.* C. *qui pot. in pign.*

9. Mos ita ubique observat ut publice libris publicis inscribantur hypothecæ.

Juxta hæc ita judicatum.

In Sachen Johann und Abraham der Herline & Consorten Appellanten wider Wilhelm de Muma in puncto præferentiæ wird befunden und erkant / daß Appellanten mit ihrer Forderung an denen durch Tilman von Flocker hypothecirten Länderey in Osterstade Appellaten vorzuziehen / demnach vor deroselben Abfindung auff den Nachstand / so sie liquidiren mögen / an gedachte Länderey nicht kommen können / demselben aber / da er wider der Appellanten Forderungen annoch etwas einzuwenden / und außzuführen hätte / die Nothdurfft / wie auch die Einreden bey zulegender liquidation vorbehalten bleiben. Von Rechtswegen.

(Hoc est:) In causa Joannis & Abrahami de Herlin & Consortum appellantium contra Wilhelmum de Muma in puncto præferentiæ decernimus quod appellantes cum suâ prætensione in agris in Osterstade per Tilemannum à Focke hypothecatis appellato præferendi, inde ante ipsorum satisfactionem pro residua, quod liquidare possunt ad dictos agros devenire non potest, ipsi vero quatenus contra appellantium prætensionem adhuc aliquid opponere & deducere posset, necessaria ut & exceptione in liquidatione reservantur. Idque de jure.

DECISIO LVII.

Confirmatio nuda Principis hypothecam non facit publicam.

COntracta apud acta publica hypotheca publica est, & potior omnibus hypothecis privatis, utut anterioribus, quod nempe his fides contra tertium deest. (1) Haud vero perinde privata à Principe vel magistratu confirmata publicam facit hypothecam, (2) eamque ideo aliis potiorem. (3) Deest in confirmatione ratio quæ est in actis publicis. (4) Non illa horum instar fidem aut jus facit contra tertium, cui jam jus ex anteriori hypotheca est quæsitum, (5) nec novi quidquam dat, (6) aut mutat rei conditionem, (7) ut quod privatum est ex se in præjudicium atque damnum alterius non citati nec auditi publicum fiat. (8) Præterea per illam confirmationem non constituitur hypotheca, sicut apud actu contrahitur, sed quæ privatim contracta tantum robur ex confirmatione in suo genere inter contrahentes accipit, ex quo validior quidem fit, sed non in aliorum damnum anterior. (9) Hoc consideratum fuit *in causa Johan Herlin & consortum contra VVilhelm de Muma die* 17. *Junii Anno* 1659.

1. *l. scripturas* 11. C. *qui pot. in pign.*

2. *Auth. qui vult. C. eod.*

3. *Hanc sententiam leges apud Richter. de Præfer. & privileg. Creditor. disput.* 9.

4. Hæc actum coram iis gestum publicum faciunt; Non ita confirmatio, quæ non facit actum, sed jam factum corroborat.

5. Confirmatio non potest retrotrahi in præjudicium tertii. *Bartol. in l. bonorum ff. rem rat. hab. VVesenbec. consil.* 1. *num.* 163. *vol.* 1.

6. *c.* 1. *de Constitut. intil. c. inter dilectos.* 6. §. *porro de fid. Instrum.*

7. Nec enim extendit actum ultra id quod vere gestum est, sed tantum robur addit. *l. Aurelius* 28. §. *testamento ff. de liber. legat. Bald. in l. adversus num.* 3. C. *si adverf. rem. jud.*

8. Confirmatio sine præjudicio tertii fit, & ejus jus semper exceptum est *Jason. in l fin. num.* 13. *ff. de Pact. Gail.* 2. *Observ* 1. *num.* 14. Facile intelligitur cum quanta injuria aliorum conjunctum erit, si qui pignora quæ privatim accipiunt confirmari curantes illa publica facere possent, unde multi jure quæsito inscii & inauditi contra jura naturalia & civilia privarentur.

9. Confirmatio contrahentes arctius adstringit ad observantiam, aliis præjudicium non infert. *Afflict. in c. si quis investierit. num.* 19. *de Feud. dat in vic. leg.*

DECISIO LVIII.

Hypotheca ex eo non fit publica, quod constituta tribus testibus potest probari.

ITa quidem legibus provisum, ut hypotheca coram tribus testibus constituta publica sit, ideo privatis anteferatur: (1) at minime hoc porrigendum ad hypothecam privatim constitutam, sed quæ trium testium testimonio probari possit. (2) Multum quippe interest, inter constituere hypothecam coram testibus, & alias constitutam his probari, (3) quod etiam privati actus est. De publica hypotheca coram tribus testibus constituenda lex est nova & singularis, ideo ultra literam non extendenda. (4) *Inter eosdem.*

1. *l. scri-*

Digitized by Google

l. scripturas 11. C. *qui potiores pign.*

2. Quod enim legis auctoritate, ab omnibus publicè approbatæ virtute. Hæc sine lege dari non potest.

3. A diversis mala est illatio. *l. fin. ff. de Calumniator.*

4. Jus singulare non trahendum in consequentiam. *l. quod vero* 14. *ff. de Legib.* Lex requirens in constitutione poscit ad substantiam non mere ad fidem.

DECISIO LIX.

Debita, quæ cum prædio maritus recipit cum conditione ex ista solvendi præferuntur, etsi ex lucrativo titulo orta omnibus ejus creditoribus, etiam uxori in dote.

QUæcunque creditorum aliorum sit prærogativa, & licet uxor ratione dotis omnibus etiam anteriorem expressam habentibus præferatur, (1) tamen posteriores sunt iis, qui petunt debita, quibus cum bona accipiuntur, seu quorum acquisitioni additum est ut inde vel pro iis solvantur. (2) Fiunt illa onera velut realia, quæ omnibus aliis creditis sunt potiora. (3) Nec accipiens in bonis, unde suis creditoribus satis fieri posset, habere intelligitur, nisi deducto ære alieno ei inhærente. (4) Accipit illa cum conditione solvendi, quam præstare oportet antequam in iis aliquid tanquam suum habeat. (5) Potiora sunt illa credita quæ cum re transeunt, & quorum causa res habetur; quæ præstiterunt, ut aliis in iis sit petitio sua integra. Nec refert, ex onerosa an ex lucrativa causa ortum habeant. Spectatur quippe non causa debendi sed conditio transferendi: Quocirca ubi remunerationis causa alicui promissa est pecunia ex re tradita solvenda, ejusque anterius jus est ante omnes creditores accipientis. (6) *Uti judicatum in causa viduæ Christoph. Schwerins contra Henningum von Calden die 22. Junii Anno 1659.*

Juncta l. fin. Cod. qui pot. in pign. quam communiter Carpzovius sententia sit extincta. Et in praxin deducitur.

2. Ea mens est fic paciscentium, justa quam jus dicendum est inter eos, qui in re jus sine illa conventione prævia non sunt habituri.

3. Conventio, ut ex re fiat solutio, onus rei injunxit, ut imposterum res debeat, non persona tantum.

4. *l. subsignatum* 49. §. 1 *ff. de verb. signif.*

5. Cuique legem rei suæ dicere licet, quam servare tenetur qui recipit.

6. Sunt priora rebus translatis tempore, ideo & potiora jure. *l. qui prior.* 11. *pr. ff. qui pot. in pign.*

Sic pronunciatum.

In Sachen Christoph Henrichs von Schwerins Wittwen Appellantinnen / und Henning von Calden Erben Appellaten / in puncto præferentiæ wie erkandt / daß so viel die 500. fl. betrifft / welche an Joachim Grischowen bezahlet / und unter den 2000 fl. mit gesuchet / übel / im übrigen aber auff 1500. fl. Richter voriger instantz wol gesprochen übel appelliret / und dabey es zu lassen / daß Appellaten auff 1500. fl. für die Appellantinne nunmehr ihre Zahlung zu suchen bemächtiget seyn. Von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Christophori Henricià Svverintz viduæ appellantis contra Henningi à Calden hæredes appellatos in puncto præferentiæ decernimus quod, quantum concernit 500. florenos Joachimo Grischoven solutos & inter 2000. flor. simul petitos male, de cætero vero ad 1500. flor. à judice prioris instantiæ bene judicatum male appellatum cui inhærendum quod appellati ad 1500. flor. ante appellantem suam solutionem petendi jus habeant. idque de jure.

DECISIO LX.

Concursus creditorum non sistit cursum usurarum nisi qua debitorem cessione bonorum legaliter facta, aut immissis in bona tanquam communia creditoribus.

IN quæstionem incidebat, utrum excitato concursu creditorum sisteretur cursus usurarum nec deberentur, nisi usque ad ejus initium? Aliquando sic judicatum fuisse ex allegatis præjudiciis ostendebatur. At qua debitorem ea sententia poterit justa videri, postquam cessit bonis aut in hæc immissi sunt creditores. (1) Inde cessis vel ademptis omnibus facultatibus in solutum quasi liberatio ejus ab usuris æquum est, dum præstitit quidquid potuit. (2) At ut qua creditores & inter ipsos desinat cursus usurarum non reperitur jure communi constitutum, (3) perinde rationi convenit, præsertim ubi isti non tenent res creditorum nec percipiunt fructus, (4) quem nihil imputari potest ubi nihil capiunt, nec per excitatum concursum deterioris conditionis reddi debent. (5) Hic non tollit aut impedit privilegium, quo alias creditores gaudent, quo ut ratione fortis ne utantur, sic etiam qua usuras frui debent. (6) Quod si in iis concursibus dilatoriis, & fere ludificatoriis, qui hodierno die frequentantur, aliter sentiremus, magnum incommodum inferretur creditoribus anterioribus,

Digitized by Google

ut cum ante cæteros suo potiri deberent suspensive secundum quendam ejus haberent. (7) *In causa Nicolai Wedige, Joannis & Valentini Horns creditorum die 22. Junii Anno 1659.*

1. Cessio debitorem liberat ab actione, dum exceptionem præstat, quæ istam elidit. §. *ult. Instit. de Replic. l. 3. Cod. de Bon. auctor. jud. possid.*

2. Nempe quamdiu ad pinguiorem fortunam non pervenit. §. *fin. Inst. de Action. ib. Jason. Schneidewin. & Herig in Commentar.*

3. Sine lege ita sentire non possumus uti sine ea loqui erubescimus. *Novell. 18. cap. 2.* Quid alibi illud servatur & pronunciatur aliter justum non reddimus ac quæritur ex statuto vel consuetudine proficiscitur.

4. Etsi enim cessione bonorum creditores in possessionem veniunt eaque ipsis communia fiunt, *l. non autem 6. §. sciendum 7. ff. de bon. auctor. Judic. possid.* tamen non ipsis addicuntur antequam prioritatis definitio processit, interea iis quorum sunt ante alios privilegia penuniam sustentari esse, ipsosque non contingere quæ debentur, iniquum & sine ratione est.

5. Ideo non debet cujusque conditio reddi deterior quod litem contestatus est. *l. fin. §. 1. ib. Bartol. ff. de Fidejussorib. tut.*

6. *l. Paulus 18. ff. qui pot. in pignor.*

7. Privilegia jure communi indulta non possunt ex concursu cum aliis imminui & tolli, sed potius ibi debent vim & effectum exerere.

DECISIO LXI.

Præclusa in concursu creditorum petendi via, non est ademtum vel impeditum jus, quod ante illum obtentum retinendi vel vindicandi.

CUm creditores per proclamata publica ter aris vicibus citati essent cum commination pesperui silentii aut exclusionis in eos qui creditam præfixis terminis non allegarent, liquidatione decenti probarent, postea etiam per sententiam illis qui non comparuissent via petendi præclusa esset, (1) post sententiam super prioritate bonam & distributionem bonorum inter creditores ordinatam apparuit, quendam creditorem in villam quandam ante concursum ex causa credidi immissum in judicio non comparuisse ac creditum allegasse, sed possessioni atque perceptioni dum alii contenderunt inhæsisse. Inde opposita præclusionis exceptione (2) creditores cæteri noluerunt ejus in distributione rationem haberi (3) quin potius ejici & excludi. Sed visum fuit ad taliter immissum atque possidentem exclusionis comminationem atque irrogationem non pertinere; tum quia illos solum obstringit, de quorum credito non constat, ut comparent, & pro corpore debiti ad certitudinem redigendo petitiones, profetant; (4) tum quia ante concursum immissi & jus quæsitum habentes, quibus extra vel citra concursum satis prospectum est ea allegatione opus non habent; tum quia sine aliquo incommodo suo concursui se immiscere non potuerunt, dum jura sua jam certa in litem deduxissent, (5) tum quod ea præclusio futuram actionem impedit, non jus quod jam quæsitum fuit tollit. (9) Quocirca pronunciatum est, non attenta allegationis omissione, relinquendum creditorem in pignoris possessione cæterisque adjudicandum quod restat, postquam rationes de fructibus perceptis reddiderit *in causa creditorum Claus Horns contra Adam von Horn cessionarium Doct. Batti die 22. Junii Anno 1659.*

1. Is est modus procedendi in concursu creditorum, ut ad finem processus atque ad certitudinem judicium perveniat. *Carpzov. in Pract. forens. part. 1. constit. 28. def. 3.*

2. Non audiendi sunt ultra terminum qui per programmata convocati emanent, *l. 6. C. de remiss. pignor.*

3. Is finis est proclamatum & in his clausulæ præclusivæ, quo non existente aut non comparente vis istius cessat.

4. Liberum est creditoribus immissis aut pignora tenentibus in concursu creditorum liquidatione atque allegationibus suis defungi, nec abundans cautela nocet, at necesse non est, imo consultius, inanibus sumptibus abstinere, & rei securius incumbere. *Vet. in tract. specim. mut. & suadet Carpzovius resp. 28. n. 32. & seq. vol. 5.*

5. Possidentium melior est ratio, & consilium pro iis optimum, ut qua sede sedent sedeant *l. cui destinavit ff. de Rei vindic.*

6. Jus quæsitum nemini ne quidem ex plenitudine potestatis principalis auferri potest.

Sententia hoc tenore dicta est.

In Sachen Jochim Petersen Wittwe itzo Henning Volckman Brenners Haußfrauen & Consorten Supplicanten wider den Obrist Leutenant Adam von Hornen Supplicaten / in puncto præclusionis wird erkandt / daß des Horn bringens ungehindert es bey der an dem Bauerhofe in Zemitten beschehenen immission verbleibet / darauß auch Supplicaten so viel als D. Abrahamo Batto vrieget wiederumb zu bejahen / hingegen aber von den gehabten Nutzungen inwendig 4. Wochen Rechnungen abzulegen schuldig / da als dann ihm der Nachstand stand unter andern Claus von Horns Creditoren an denenselben zu zutheilen sey. Von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Joachimi Petersen vviduæ modo Henningi Volckmanni Brenners uxoris & Consortum supplic.

quidquam amplius, locum tenere Adamum ab Hornen supplicatum in puncto præclusionis docemus, quod allegatis non arctius immissioni in duas curias rusticas in Zeminn factæ inhærendum; inde etiam supplicato tantum, quantum D. Abrahamo Barto datum iterum solvendum, econtra vero ratione fructuum perceptorum intra sex septimanas rationes præstare obligatur. Ubi rursum ipsi residuum inter alios Nicolai ab Hornen creditores de illis adjudicandum erit. id quæ de jure.

DECISIO LXII.

Præscriptio exceptionis non numeratæ dotis non proficit uxori in concursu creditorum.

CUm jurisprudentia Romana certa tempora constituisset, quæ dotis cautæ at non numeratæ exceptio opponeretur, pro diversitate temporis quo matrimonium constitisset, (1) ea constitutio autem de solo marito loqueretur, in controversiam JCtorum incidit utrum quæ per illam introducta præscriptio ut marito ejusque hæredibus ita etiam creditoribus obstaret, ideoque ea exceptione non attenta dos juxta sua privilegia ante omnia credita restituenda sit? Diversis de eo disputatur sententiis. Communior, verior & æquior habita est quæ creditoribus cum temporis lapsum facit innoxium. (2) Nec enim dum lex illuc non extendit præscriptionem eo videtur in odium creditorum extendenda, (3) ne mariti negligentia iis noceat & mulier cum illorum incommodo lucrum habeat. Et videtur ista habere maximam æquitatem & plane aliena esse à ratione præscriptionis. (4) Cui tamen locus relinqui non solet, nisi ubi contra mariti confessionem creditores non numeratam illam probare queunt. Alias statur mariti confessioni, & pro illa ut vera præsumitur. (5) In Pomerania, præsertim inter Nobiles, observatur ea sententia, quæ creditoribus non sinit obstare præscriptionem, sed exceptionem in perpetuum relinquit integram. (6) Habet enim facultas repetendi dotem per ejus statuta expressum illum modum seu conditionem, si illata sit, eamque illationem semper docere tenetur repetens. Et licet usus sic observet, ut probatio ejus fiat confessione mariti, tamen contrariam probationem admittit. (7) Ubi nulla ejus est cautio & confessio, sed nuda in pactis dotalibus promissio, sola negatio illationis tamdiu repetitionem excludit, donec illatio probetur, ad quam nec in ea specie nudæ conjecturæ admittuntur sed plena probatio requiritur. (8) *Juxta quod ita judicatum die 8. Octob. Anno 1659.*

1. *Prout prolixius habetur tot. tit. Cod. de dot. caut. non num. Novell. 100. cap. 1. & 2.*

2. *Valesc. consult. 6. Perez. in Cod. lib. 5. tit. 15. num. 4.*

3. Præscriptio odiosa & stricti juris est, ideo ubi lege inducitur, non extenditur ultra terminos, in quibus lex illam concedit.

4. Hæc est in negligentia ejus contra quem præscribitur l. 1. C. *de Annal. præscript.* Quæ creditoribus imputari potest nulla.

5. Juxta ea quæ de dote confessata alibi inter decisiones nostras tradidimus.

6. Ita per multa præjudicata observatum scio, quod cum mulier de dote illata confessionem mariti pro se habet, dos restituitur, etsi ultra nihil probetur. Etsi falsam confessionem docere velint maritus ejusve hæredes, non nisi intra tempora constituta admittuntur *juxta Novell. 100. cap. 1.* At creditoribus latius tempus tribui & ad contrariam probationem ultra illa tempora admitti.

7. Nititur enim præsumptione tantum, quæ contraria probatione diluitur.

8. Juxta ea quæ in præcedenti decisione scripta sunt.

DECISIO LXIII.

Injusta creditorum cæterorum exceptio est, ut creditor hypothecarius specialem hypothecam persequatur, à cæteris bonis penitus excludatur.

IS, cui debitor pecora sua pro speciali pignore supposuerat, cum cæteri creditores frumenta & alia debitoris bona arresto obnoxia fecissent, adhæsit, & ex istis ibi satisfieri petiit. Exceperunt hi illum sua contentum esse debere hypotheca, nec ad alia bona secum admittendum, velut qui pignus illud elegisset, ex quo sibi satisfieret: Non visa est justa hæc exceptio, nec in id valida, ut hypothecarius creditor à cæteris bonis debitoris utut sibi non oppignoratis excluderetur. Etsi enim creditum contrahendo in illa præcipuam securitatis fiduciam collocasset, tamen eo ipso non abdicavit alias sibi competentes actiones. (1) Integrum ipsi manet omissa actione hypothecaria in rem personali actione experiri. (2) Eaque electio ipsi non obstante hypothecæ electione competit (3) adeo, ut licet hypothecaria agere cæperit tamen ad personalem aliaque remedia aditus pateat.

Digitized by Google

(4) Nec enim quæ majoris securitatis gratia adhibentur nocere queunt, ut per illa exclusa sint alia jura. (5) Hoc quidem creditor impetrare nequit, ut in cæteris bonis hypotheca aut prærogativa fruatur, quæ ultra obligata non porrigitur. Id vero non admittendum, ut velut creditor in iis concurrat, (6) *uti decretum ad interventionem Abel von der Lühen, contra Hans Meyers creditores die* 20. *Martii Anno* 1660.

1. Electione unius remedii non abdicantur nec amittuntur cætera, quæ ad eundem finem tendunt sed variare & ab uno ad aliud accedere licet, donec credito suo quis potiatur, uti latius exponit *Colerus de Process. Execut. part.* 3. *cap.* 9. *num.* 50. *seq.*

2. Creditori qui hypothecam habet, integrum esse, utrum hypothecam persequi an personaliter agere velit inter decisiones nostras non semel demonstratum reperies *vid. Auth. sed hodie C. d. O. & A.*

3. *l. interveos* 51. §. *Creditor ff. de Fidejuss. l. Pignoribus C. eod.* ex quibus legibus adstruitur, in quo major dubitatio erat, quod omisso pignore Fidejussorem convenire liceret nisi sub ea conditione hic tantum acceptus sit, ut solvat quod ex pignore non redigitur de quo plura *vid. apud. Hering. Tract. de Fidejuss. cap.* 20. §. 13. *num.* 18. *seq.*

4. *l. penult. ibi Gloss. & Dd. C. de Fidejuss.* Non obstat quod habetur in *l. à Divo* 15. §. *si pignora ff. de Re judic.* quæ loquitur de addicto in solutum & recepto judiciali pignore circa quod si nulla fiet reservatio est perinde ac si jam totum solutum sit, dum pro eo acceptatum est unde ratio illa additur, quod de eo creditor transegisse videatur, quod in alio secus se habet.

5. Juxta juris Regulam: quod abundans cautela non nocet.

6. Nec lex nec consensus illum excludit, cui liberum relicto pignore instar nudi Chirographarii creditoris petere.

DECISIO LXIV.

Hypotheca publicæ post solennem cessionem rei constituta non præfertur publicæ priori, quando res nondum cessa fuit, constituta.

EX Jure Lubecensi sic in mores venit, ut non permittatur in re sua publice coram libro publico hypothecam constituere, nisi etiam res ipsa sic publicè juxta consuetudinem loci oppignoranti in dominum cessa fuerit. (1) Quod si tamen ab aliquo rei suæ nondum facta cessione solenni aut coram libro publico oppignoratio, aut alio in civitate recepto modo publica hypotheca constituta est, (2) & post cessionem deinde eadem res alteri publicè hypothecatur, prior non attento cessionem nondum esse factam posteriore potior est. (3) Quandoquidem, si res aliena pignori data est, post ejus acquisitionem pignus convaluerit, (4) inque eo potior est, qui tempore prior, (5) multo magis ubi ejus rei, quæ per jus naturale Gentium acquisita erat, (6) hypotheca publica anterior cessione subsecuta confirmabitur. (7) Illius quippe robur incipit ab acquisitionis tempore, idcirco ut antecedit hujus inscriptio alterius hypothecæ constitutionem etsi vel uno momento, (8) ita etiam illud hac potius sit: diversa ratio est hypothecæ privatæ & publicæ. Illa etsi anterior semper tamen hac posterior est, (9) nec ab acquisitione rei illi roboris vel autoritatis publicæ quicquam accedit: si autem utraque publica est tempore anterior jure potior est, (10) non attento, utrum cessio solennis tempore prioris præcesserit, nec ne. (11) *Ita judicatum in causa Gürgen Zabeln, contra Guill. Humborgen, die* 3. *April. Anno* 1660.

1. In acquisitionibus recepta est in locis, ubi jure Lubecensi utimur, solennis cessio *Die öffentliche Verlassung* de qua *vid. art.* 1. *tit.* 6. *lib.* 3. *& ibi in Comment. à me scripta.* Exinde effectus Dominii circa res non tribuitur actui per idem jus, nisi illa facta.

2. Perinde est, quomodo publica hypotheca constituatur, dum eo modo incipiat, qui ex statuto vel consuetudine ad illam requiritur.

3. Regula generalis est in pignoribus, qui prior tempore potior est jure *l. potior.* 11. *pr. ff. qui pot. in pign.* quæ servanda, ubi de exceptione legali non docetur.

4. Prohibetur quidem oppignoratio rei alienæ *l.* 2. *ff. de pignor. act. tot. tit. Cod. si res aliena pignori data sit.* Facta tamen sub conditione valet, si oppignorantis aliquando fiet *l. si fundum* 16. §. *alienam ff. de Pignor* & ex eo tempore convalescit & confirmatur *l.* 9. §. *fin. ff. qui pot. in pignor.* Ita per æqualitatem Creditori datur actio *l. cum res* 5. *C. si res aliena pign. data sit.*

5. Regula superius dicta obtinet sive non dominus utramque hypothecam constituit *l. si non Dominus* 14. *ff. qui pot. in pign.* sive alteram non Dominus, alteram Dominus *l. creditor.* 3. §. 1. *ff. eod.*

6. Ex jure communi citra cessionis publicæ solennitatem dominium acquiritur nec ex Jure Lubecensi negatur ante eam Dominus, sed quoad aliquos juris effectus tantum pro Domino non habetur. Extra quos Dominii jus, ideo etiam hypotheca rei etsi non inscripta libro publico valet, tantum non pro publica est, quod exposui *in Comment. art. tit.* 1. *tit.* 4. *lib.* 3.

7. *Textus in d. l.* 3. §. 1. *ff. qui pot. in pign.* recte consideratus hanc sententiam confirmat.

8. Temporis prærogativa etiam ad momentum hac in re consideratur *Gail.* 2. *observ.* 25. *n.* 3.

9. *l. Scripturas* 11. *C. qui pot. in pign.*

10. Etiam in publicis hypothecis valet Regula qui prior tempore potior jure,

11. Acquisitio subsecuta rei momento confirmat pignus *l. qui balneum* 9. §. *fin. ff. qui pot. in pign. l.* 56. *ff. ad SC. Trebell.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO LXV.

Hypotheca privata publicæ legitimo tempore recte impugnata, antefertur.

EST quidem hypotheca publica quæ inscribitur libro publico potior omnibus aliis hypothecis privatis, (1) sed ita, si perfecta seu justa est. (2) Quando autem facta inscriptio, quæ publicam hypothecam facit, impugnatur (3) & ob potius alterius jus injusta reperitur, perinde est, atque si facta non sit, nec præjudicat alteri impugnanti, (4) Ex privata quippe licet interveniendo impedire ne alia publica fiat, si justa ratio est impediendi. Ut vero cassata vel invalida declarata scriptione non fit publica, ita (5) quæ anterius privatim constituta fuit in ordine prioritatis præfertur. *In eadem causa.*

1. *vid. art. 1. tit. 4. lib. 3. jur. Lub. & ibi in Commentario prolixius scripta.*

2. Paria sunt non esse quid factum & imperfecte *l. 5. ff. qui satis. cog. l. hac consultissima 21. §. ex imperfecto Cod. d. Testam.* Wesenbec. 1. *Consil.* 32. *num.* 42. Contractus non perfectus pro nullo est, ideo nec obligationem producit *c. dudum ibi Panormit. de conservat.* Conjug.

3. Intra annum & diem licita est impugnatio eaque suspendit actum inscriptum. *vid. jus Lub. lib. 5. tit. 6. art. 1. & ibi à me scripta.*

4. Paria sunt non esse factum & cum fieret improbari & rescindi *l. 1. pr. ff. de injusto, rupto, irrito facto Testament.*

5. Ex tempore illa potior est, ideo jus dat impediendi, ne jus suum habenti tollatur vel imminuatur.

DECISIO LXVI.

Anterior creditor hypothecam publicam posteriori constitutam impugnat & revocat.

QUod de revocandis in fraudem creditorum alienatis Prætor dixit, (1) pertinet etiam ad pignora seu pro veteri debito, (2) seu pro novo constituit. (3) Ex jure autem communi non aliter isti revocationi locus est, quam cum creditor posterior fraudis istius conscius fuit. (4) Ad quam non sufficit eum sciviſſe creditorem plures alios creditores habere, sed necesse est fraudis fuisse participem. (5) Est etiam revocatoriæ actioni tantum in voluntariis oppignorationibus locus, secus, si necessario cogitur creditor cavere, seu si Prætor intervenit. (6) Ex Jure Lubecensi aliter hæc se habent. Quando obæratus est debitor velut ipso actu fraudulento, plane prohibita est de rebus suis in Creditorum præjudicium dispositio, ideo non eget revocatione, sed ipso jure nulla est, ut nec inter ultima suspiria emissa subsistat. (7) Deinde est etiam ex eodem hypothecam libro publico inscriptam cùm quoddam jus anterius vel potentius adest intra annum & diem impugnandi facultas, (8) Ex qua anteriori creditori, cui res hypothecata fuit, contra hypothecam, quatenus in suum præjudicium tendit, interveniendi atque revocandi jus est. (9) Unde probata priori hypotheca in illius detrimentum non valet posterior. Circa inscriptionem enim posthabetur priori. (10) Ex illa autem non fit validior, ubi impugnandi jus est (11) & prior hypotheca hanc vim obtinere non permittit. (12) *In eadem causa.*

1. *vid. tot. tit. ff. & C. qua in fraud. cred.*

2. *l. ait prætor. 10. §. si cui. 13. l. 22. d. tit.*

3. Est actioni revocatoriæ locus, quando in pignore quis alium creditorem præponit *l. 2. ff. eod.*

4. In eis quæ ex titulo oneroso procedunt non aliter revocatoriæ locus est, quam cum qui accipit fraudis particeps est, sciens in fraudem sic agi *l. 1. l. quod ait 6. §. hoc edictum 8. l. 10. pr. ff. de tit.*

5. *d. l. ait Prætor. 10. §. 1.*

6. *l. quod autem 6. §. Labeo 6. ff. eod.*

7. *vid. artic. 3. tit. 1. lib. 3. & ibi à me in Comment. scripta.* Et textus tantum de debitore moribundo disponit, praxis tamen fori explicuit etiam de alio, qui adhuc vivit, sed alienavit cum mox bonis, foro aut urbe cessurus sit. *vid. artic. 1. tit. 4. & artic. 1. tit. 6. lib. 3.*

8. *Artic. 1. tit. 6. lib. 5.*

9. Jus est anteriori creditori ad agendum & impediendum, ne alii res imposterum obligetur.

10. Ex Regula: quod prior in pignore potior jure.

11. Valet libro publico inscriptum sub ista conditione, si non intra annum & diem revocabitur & impugnabitur *vid. dict. artic. 1. tit. 6. lib. 5. & ibi scripta.*

12. Hypotheca jus in re constituit, ideo sic eam adficit, ut contra quemvis eo nomine actio oriatur *l. 18. C. de Pignor.*

DECISIO LXVII.

Pecunia sine usuris mutuo data præfertur aliis creditis hypothecariis.

PRivilegia creditorum etiam per jus commune non sunt eadem, si pro usuris vel gratis pecunia credita sit. Posterior creditor, qui sine usuris credidit, priori usuras stipulanti præponitur. (1) Æquitati id convenit, quam recepit & observari voluit jus Lubec. (2) Ex quo omnibus etiam publicam hypothecam habentibus cum, qui

Digitized by Google

sine usuris patri credidisse dicebat, ante habendum esse conclusum fuit, (3) modo probaretur, crediti ea conditio, adquam non valet solius creditoris confessio. (4) Si autem accedens scriptum mercatoris defuncti in libro suo profusficiente argumento erit. (5) *In causa Georgii Jordan contra Creditores Johan Boyen die 3. April. Anno* 1660.

1. *l. si hominem 7. §. quoties ff. depositi l. si venit 24. §. in bonis. ff. Fr. Ripa num. 8. ff. de Reb. auth. jud. possid. Strach. de Decoctor. part. alt. num. 4. Simon. Pist. consil. 7. num. 11. & seq. post consilia Modestini Pistor.*

2. *vid. art. 12. tit. 1. lib. 3. verb.* Geld welches keine Rente gibt.

3. Non distinguit inter eos jurisprudentia vel communis vel Lubecensis. Ratio est eadem quæ in æquitate atque commiseratione consistit. Est quoque id juri Lubecensi & communi conveniens, quod privilegia Creditorum non tollantur per publicam hypothecam, sed hæc illi posterior est, uti expresse in terminis etiam decidit *in dict. artic. 12.*

4. In propria causa hoc testimonium est contra *l. 10. ff. de Testibus.*

5. Fides habetur libro Mercatoris ex statuto atque consuetudine.

DECISIO LXIIX.

Privilegium, quo pauper Creditor in concursu gaudet, non competit Fidejussori.

EX Jure Lubecensi pauperum privilegium est, ut hypothecariis creditoribus anteponantur id, autem fidejussori, quando è Debitore vel ex eius bonis solutum repetit, minime competit, est enim illud è meris personalibus. (1) Et licet vel cessæ omnes actiones sint cum omni jure & privilegio, id tamen quod personale fuit, non transit. (2) Deinde cessum jus qua debitorem aut fidejussorem obtinet, non in detrimentum aliorum creditorum, adversus quos non competit actio. (3) *In causa Georgii Jordan contra creditores Joannis Boyen die 3. Aprilis Anno* 1660.

1. *l. Exceptiones 7. in pr. ff. de Except. Hering. Tract. de Fidejuss. cap. 27. part. 4. num. 76.*

2. *l. in omnibus 68. ff. de Reg. jur. l. 2. C. de L. L.*

3. In omni cessione exceptum intelligitur jus tertii. Nec enim inter alios acta aliis præjudicium inferre valent *l. 1. tot. C. Res inter alios acta &c.*

DECISIO LXIX.

Pecunia in funus destinata quando inter creditores privilegio gaudet.

IN funus debitori seu in expensas pro isto credita privilegium habent, ut ante alios creditores attribuantur; Utrum autem, si quis pecuniam funeri suo dicatam alicui credit, sub ea conditione, ut cum moritur reddatur & funerationi suæ insumatur, idem habeat? quæsitum fuit creditumque simillem æquitatem atque rationem idem jus exigere, & cum de alieno quasi humare creditorem æquum fuerit, præstare, ut creditor de suo hulpetur. (1) At lex, quæ ita statuat, deficit. (2) Nec quod ex singulari jure qua debitorem placuit, facile ad creditorem sine lege extendi debeat. (3) Si tamen æquitas illa cuiquam placeat sine injuria non sine ratione fiet, dum eadem subest quæ privilegium impensarum funebrium causavit. (4) *Quod consideratum in causa Annæ Volffes contra creditores Johan Buyen die 3. April. Anno* 1660.

1. *l. in eo 16. ff. de Relig. & sumpt. funer.*

2. Privilegia creditoribus sine lege non sunt facile tribuenda cum vergant in aliorum incommodum, sicut improbat eos, qui ad talia nimis faciles sunt *Cothman. consil. 27. n. 16. vol. 3.*

3. Est singularis pietas, quæ pro sumptibus funerum facit *l. & si quis 14. §. sed interdum. 7. ff. d. tit.* ideo illis debita singulari favore gaudent.

4. Cum creditur sub illa conditione, idem est ac si quis debeat funeris impensam quod debitum ex rationis similitudine tam privilegiatum habentum, ac si alunde idem debitum seu si quis acceptam pecuniam alium funerari promiserit cujus causa sine dubio competet id privilegium.

DECISIO LXX.

Locator quæ fructus fundi locati ante omnes alios creditores est.

JUre sic provisum, quod fructus fundi & omnia in fundo procreata locatori pro mercede debeant tacito pignoris nexu esse obstricta, (1) de eo verò res certa plane non est, utrum quâ illam suam hypothecam locator ante omnes alios quoscunque creditores sit, ita, ut anteriorem hypothecam seu generalem seu specialem habentes etiam vincat? Dubitationem movebat, quod tale privilegium jure communi expresse datum non reperiebatur, (2) quo sine prærogativam talem in præjudicium aliorum creditorum tribuere dubitabatur. (3) Re tamen diligenter expensa, itum est in illam sententiam, non esse aliorum creditorum utut aliàs privilegiatorum potiorum conditionem in iis, quæ ex & in fundo nas-

cun-

Digitized by Google

summo. Etsi hoc verbotenus privilegium tale lege aliqua in corpore juris non exprimitur, ratio tamen legum, quæ tacitum pignus tribuunt, id secum continet. (4) Prospectum enim jurisprudentia, exigente æquitate, voluit locatoribus, qui suas res aliis concredunt, ut, dum utilitatem ceduat, is vicissim pro illa pensio certa sit, nec de ea vel contendere vel periclitari opus habeant. (5) Quod rarissime evenit, si aliorum creditorum potior conditio esse queat. Quotusquisque colonorum est, qui non alias etiam debet, sunt legum verba cum effectu accipienda, ut plenissime pro fine suo operentur. (6) Succurrit maxima æquitas, quæ legislatores ad dandam tacitam hypothecam movit. Fructus enim dominorum sunt, qui cum locatione ceduntur conductoribus pro mercede, hanc oportet aut Dominis certam esse, aut fructus conductori non cedere, sed Dominis (7) iniquissimum foret Dominum carere mercede, & ex fructibus, quos pro illa cessit, alios creditores solutionem recipere, quod perinde foret, ac si Dominus de suo juberetur conductoris creditoribus solvere. (8) Etsi enim fructus, ex quo a solo separati sunt in dominio conductoris sunt, (9) tamen cum ea saltem conditione ejus fiunt, si pensionem solverit. (10) Qua non soluta, tanquam in rebus sub conditione alienatis manet in illos potestas retinendi vel petendi, donec de mercede satisfiet. (11) Non est alia ratio, quam in eo, qui rem vendit & hypothecam sibi in re vendita reservat, cujus ante alios creditores non hypotheca sed etiam privilegium est. (12) Nec aliud est locatio, quam quædam quasi fructuum venditio, (13) cui cum lex hypothecam addit, ea mente factum credendum est, ut simili jure locator frueretur. Quicquid hic opponitur tantum est ex subtilioribus juris regulis, quæ æquitati maxime cedere debent, nec non favori agriculturæ, quæ periclitabitur, si non contra colonorum fraudes sit Dominis plena securitas. Hanc praxis sequitur. Scio sæpius evenisse, ut cum conductores mercedem non solverint locatores fundum ingressi detinuerint, & sibi sumpserint omnia, quæ in fundo nata, creditoribus cæteris nihil in ea permiserint. Nunquam autem memini per hos obtentum, ut antequam locatori satisfactum, ex fructibus quicquam caperent. Eadem autem æquitas, quæ circa fructus, cum in feudo sunt, Dominis prærogativam tribuit, est etiam in iis quæ cum ibi nati & collecti essent ad urbem devecti nondum alienati in deposito reperiuntur. (4) *Juxta qua Profectus in Nuces Kloster adjudicata est in iisdem prioritas contra alios Hans Meyers creditores die 6. Aprilis Anno* 1660.

1. *l. in prædiis, 7 ff. in quib. caus. pign. vel hyp. potiores. l. 3. C. Locat.*

2. Jure Lubecensi, quo civitates Pomeraniæ & Megapoleos nunc adhuc Wismaria utuntur unius anni merces privilegium ante omnes alios creditores habet *artic. 10. tit. 1. lib. 3.* sine discrimine bonorum an illata invecta ibi nata sint.

3. Privilegia creditoribus sine lege vel consuetudine non competunt, ideo qui ex sola æquitate cerebrina talia tribuunt errant, uti inter dicta nostra sæpius monuimus.

4. Ex lege est non tantum quod ex verbis, sed quod ex mente *l. nominis 6. §. 1. ff. de V. S.*

5. Hanc rationem beneficium legum ipsummet indicat & omnium JCtorum interpretatio tradit.

6. *l. 1. §. 1. quod quisque jur.*

7. Ita voluisse & eandem æquitatem secutos esse JCtos veteres manifeste apparet ex textibus *in l. si lege 24. §. 1. l. qui fidejussor. 53. ff. Locati. l. si servus. 61. §. locavi. 8. ff.* de Furt. qui disponunt, quod nemini quidquam juris in fructibus esse debeat, antequam locatori satisfit, inde persecutionem etiam contra alios, quibus cesserunt, tribuunt, certissimo argumento, quod ante solutam mercedem alieni ex actu vel contractu coloni in fructus quicquam liceat quod isti fraudi sit.

8. Contra naturalem rationem *l. 2. & tot. tit. C. ne fil. pro Patre.*

9. *l. si apes 26. §. 1. ff. de furt. §. 37. Instit. de Acquirend. rer. Domin.*

10. Id quod leges jam allegatæ ostendunt & *ad d. l. si servus 62. §. locavi* ex illa ita glossa ibidem explicat.

11. Quid sub conditione seu tacita seu expressa sit, hoc illa deficiente deficit nec vim ullam habet *l. si decem 11. ubi D. ff. de verb. oblig.*

12. *De que vid. Carpzov. in jurispr. forens. part. 1. constit. 28. n. 20. ubi leges & autores reperies.*

13. Locatio Conductio velut fructuum emptio & venditio iisdem juris regulis censetur *l. 2. pr. § 1. ff. locat.*

14. Non esse inter ea differentiam, sed similem persequendi jus observabis ex *d. l. si servus 61. §. locavi 8. de Furt.*

DECISIO LXXI.

Concursus creditorum sistit singulorum de credito solvendo contra debitorem actiones.

PEndente super datione in solutum lite inter creditorem aliquem & debitorem ab hoc concursus omnium creditorum illis convocatis excitatus ad mittendam potestatem debitori de

eo bonis disponendi (1) & efficit actionem quatenus tendit ad crediti solutionem sisti. (2) Eximit quippe hic debitorem specialibus actionibus; (3) surrogat in ejus locum corpus creditorum, & quem constituunt bonorum curatorem; (4) bona facit omnibus communia (5) & litem communem, quæ in qua non debitor tantum, sed crediores cæteri pro interesse suo super singulorum exactionibus audiri, nec ex specialibus actionibus præjudicium fieri debet (6) sed super liquidatione & prioritate omnium deductio & pronunciatio, Ideoſi quæ fuit antea crediti petitio ad concursum remittitur (7) *uti factum in causa Valentin ab Eichsteden contra viduam Joachim ab Eichsteden die 13. April. Anno 1660.*

1. Convocatio & concursus creditorum instar bonorum cessionis habet, cujus causa sit etsi bona statim non relinquantur creditoribus. Nudum quippe verbum facit cessionem & voluntatis, quævis professio pro ea sufficit *l. in omni 6. pr. & 3. 1. C. qui bon. ced. poss.* Exeo perinde est, atque si bona debitores sint possessa exinde adempta cuiquam creditorum solvendi seu in solutum dandi facultas *l. quod autem 6. §. sciendum 7. ff. quæ in fraud. credit.*

2. *l. cum unus 12. ff. de reb. author. jud. possid.*

3. *l. ex contractu 3. C. eod.*

4. *l. 1. tot. tit. ff. de curat. bonor.*

5. Ex concursu communio oritur in rebus debitoris *l. fin. pr. C. de bon. author. jud. possid.*

6. Par est omnium creditorum causa *d. l. quod autem §. sciendum ff. quæ in fraud. credit.*

7. Sic rationabili consuetudine judiciorum servatur, nec aliter sine aliorum præjudicio & perturbatione concursus fieri potest.

DECISIO LXXII.

Debitor concursum excitans creditoris conditionem deteriorem facere permittendus non est.

ETsi concursus creditorum pro cessione bonorum excitatus sistit specialem creditoris pro crediti exactione petitionem eamque ad commune de creditis judicium remitti efficit, haut tamen debitor per illum creditorem in deteriorem conditionem conjicere (1) atque eo quod habet jure privare aut impedire debet. (2) Siquidem isti competit in bonis illius jus retentionis, licet debitori possessione cesserat, tamen ubi in eventum non factæ solutionis reservatum erat iniquum est debitorem excitato concursu officere, ut bonis aut à se retentis, aut ad Curatorem translatis illo jure concreditor privetur, sed prius restituere debet, quod sub conditione accepit (3) nisi fraudatorie id velit (4) sub eventu commissus non denegandus est alteri jus, quod contra illum habet (5) ut ideo injuste à debitore isti repetenti bona in quibus jus retentionis mansit aut sub conditione solutionis salvem remissum reparari debet à debitore concursus exceptionem opponi existimatum sit (6) uti id consideratum *in causa Valentin ab Eichsteden contra viduam Joachim ab Eichsteden die 13 April. Anno 1660.*

1. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri *l. 73. ff. de R. J.*

2. Concursus sistit quidem actiones, sed non tollit jus quod quis habet, præsertim ut retineatur. Sub eo observanda sunt quæ aliàs pendente lite obtinent, est enim lis velut omnium communis.

3. Non præstita conditione res redit in eum statum in quo ante fuit & perinde habetur, ac si nihil ex illo immutatum esset *l. multum 19. ff. de hered. action. vendit.* Qui non alia lege transferri passus est, quam fretus conventione *is* captionem pati minime debet ex alia interpretatione *l. fin. C. de Pact. int. empt.*

4. Fraudator est qui in fraudem alterius quid desinit habere quod habet *l. 3. ff. quæ in fraud. cred.* aut non facit quod facere debet *l. 4. ff. eod.*

5. Per concursum non sistuntur quæ extra concursum sunt aut in eum propriè non veniunt *l. procuratoris 5. §. pen. ff. de rebus. aut. l. depositi 31. pr. ff. de Pecul.*

6. Fidem non servanti ex facto isti contrario exceptio non competit *l. 4. pr. ff. de dol. mal. except.*

DECISIO LXXIII.

Jus retentionis manet & restituitur viduæ, cum recepit creditorum concursus.

CUm maritus ejusve successor bonis cedit, atque creditorum concursus excitatur, etsi curator bonis datur, uxor tamen seu vidua interea non eo minus ob dotem aliaque credita retentionis jure utitur, (1) donec ipsi satis fiat, vel securitas sufficiens præstetur. (2) Nec tantum si actu tenet bona mariti, id obtinet, sed etiam, si illa dimisit è manibus seu remet sub spe & conditione solutionis, atea non sequitur: (3) Jure enim isto sibi reservato, & statim in bona ex quibus exiit immitti debet, velut spoliata fraude alterius sicuti fieri debuit in casu specie cum post mortem mariti inter viduam & successorem istius sic transactum fuit, ut illa huic bona vacua tradiderit, hic vero vicissim dotem cæteraque illata promiserit. Nec si ab hoc ex conventio non fit solutio, sed creditorum concursus excitatur aliud sentiendum aut horum causa fieri debet, ut

ab

Digitized by Google

ab ipso non restituatur, nec vidua immittatur in bona, quæ sub illo pacto conditionaliter dimisit. (4) Animo quippe retinet, quæ certa lege divulsit & perinde est, ac si adhuc actu teneret. (5) Multo magis ubi expresse retentionis jus reservat: Ipsius quippe causa debitor tenet & spoliat si non solvens ad alium bona transferre velit, (6) creditores resistere nequeunt, quo minus fœminæ jus retentionis restituatur, (7) cum hoc ipsius proprium sit, & vindicari queat, tanquam quod extra concursum & extra, imo ante credita omnia est. (8) Non potest in eos debitor cedendo amplius transferre quam habuit, nec vel ipsorum jus contra viduam augere vel hujus imminuere. Sic pronunciatum. *In eadem causa.*

1. Extra omne dubium est, jus retentionis viduæ pro dote & omnibus illatis competere, donec ipsi satisfiet, de quo plura in decisionibus nostris habentur.

2. Jus retentionis in bonis mariti cum eo moderamine JCti acceptum volunt, ut non omnia retineat, sed tantum ex iis atque pro securitate & alimentis sufficit *vid Gail. 2. obser. 52. n. 13.* At antequam fiet ea discussio atque adsignatio, non debet mulier dejici, aut privari omnium bonorum retentione.

3. Ita apud nos in Pomerania servatur ex constitutione super privilegiis nobilium, ut, licet fœmina quæ jus retentionis in bonis habet, actu non teneat, id tamen habere intelligatur, ideo quovis modo decedens statim immittatur, nisi satisfit.

4. Non impleta promissi fide dominium seu jus aliud in suam causam reverti convenit *l. cum te 6. C. de Pact. inter empt.*

5. Non amittit possessionem, qui quodammodo sub conditione recedit de possessione *l. si me 34. ff. de acquir. possess.*

7. Etiamsi creditores bona tenerent, tamen restituere tenerentur qua jus retentionis, quod non aboletur concursu.

8. Ex tali jure, quod extra concursum est & cum proprietate quadam conjunctum, illo durante actio est & debetur ante omnia *l. si oculis §. 2. ff. de reb. aut. jud. poss. l. procuratoris 5. §. pen. ff. de Tribut. act. l. deposui 38. ff. de Pecul.*

DECISIO LXXIV.

Impendia necessaria status civitatis in Ecclesiasticis & civilibus ut & salaria his publice ministrantium sunt ante omnia credita.

IN lite inter civitatem & creditorem ejusdem intervenichant ii, qui Ecclesiæ, Scholæ & Reipubl. in eâdem ministeria præstabant ex bonis seu pecuniis arrestatis ante omnia, imo sola ea, quæ Ecclesiæ, Scholæ & Curiæ sustentationi dicata adjudicari petentes & quidem sub obtentu cum tacitæ hypothecæ, tum privilegii seu juris potioris. Hoc vero in concursu ipsis non denegandum videbatur, tum quia per publica ista ministeria civitatis status conservatur salvus, simulque & creditorum causam salvam præstat. (1) Cum hæc sine salute civitatis, civitas autem sine istis ministeriis, hæc sine salariis integra & salva esse non possint; tum quod in concursu stipendia & mercedes famulorum sint valde privilegiata, & in primo ordine, (2) nec ratio sit, quare ministrorum civitatis, qui Ecclesiis & reipubl. serviunt, non eadem, quam privatorum famulis prærogativa, concedi debeat, (3) tum ex beneficio competentiæ, quod civitatibus per JCtos tribuitur, ut non ultra, quam facere, possunt, teneantur. (4) Quo cum id præstandum sit, ut conserventur nec egeant, tum etiam hoc indulgendum, ex quo Ecclesiæ, Scholæ, & publicæ curæ sustentantur, sine quibus non potest civitati constare salus atque incolumitas, (5) placuit ideo interventionem admittendam aut cum de jure istius res non satis manifesta esset intervenientibus injungendum, ut intra certum tempus de isto doceant. *In causa viduæ celeri contra Senatum Stendalienscm die 13. April. Anno 1660.*

1. *Arg. l. quod privilegium 8. in fin. ff. depos. l. ult. §. compensatione 9. verb. vel in alias necessarias causas C. de jur. delib. Benthem. de jur. Pralat. lib. 1. cap. 72.*

2. *Koppen. decis. 28. num. 3. Coler. decis. 201. num. 10.*

3. Eadem non modo ratio est, sed & tanto potior, quando prærogativæ publicæ privatis anteferendæ. *l. un. §. pen. C. de vaduc. tollend. l. 3. C. de Princip. ita ex rationis similitudine servari refert Dan. Moller. adconsilit. Elect. 28. num. 8. part. 1.*

4. Consuetudine jam receptum est, ut civitates non sic, ut alii debitores ad saccum & peram excutiantur, sed quia istæ sustinent omnium substantiam, relinquitur iis sine quo subsistere nequeunt ne reipubl. & vitæ civilis tranquillitas turbetur. *Coler. de proceff. Execut lib. 1. cap. 12. num. 288.*

5. Sic à Facultate Juridica Academiæ Lipsiensis semper responsum esse refert & rationibus comprobat *Carpzov. decis. 278. part. 3.*

DECISIO LXXV.

Ei qui ad conservationem vel refectionem adium credit, non est facienda adjudicatio dum sub concursu de prioritate contenditur, nisi eo durante impenderit.

EST quidem ejus qui ad rem creditorum communem conservandam reparan-

Digitized by Google

damque credit insigne privilegium ante omnes prærogativam tribuens. (1) At hoc demum debetur cum de prioritate decernitur. Quamdiu de ea adhuc contenditur non faciendæ aut adsignatio pro solutione, sed hanc potens non minus quam cæteri exspectare tenentur, etiamsi debitum & ejus quantitas per sententiam sint in liquido (2) nisi cum impendent durante processu (3) de quo cum non constabat rejecta petitio adjudicationis *in causa Danisel Schlegels hæredum contra viduam D. Raphuns die 13. Julii Anno 1660.*

4. *l. 5. l. seq. ff. qui pot. in pign.* ubi ratio ejus exponitur quod salvam præstat cæterorum causam.

1. Pendente lite nihil *invitis* cæteris innovandum *l. 1. tot. tit. C. ut lit. pend.* Fieri etiam potest ut & sint qui potiora jura habeant, aut ut qui impendit fecerit ex quo postponatur, ideo cavendum ne aut alii præjudicii quicquam imponatur, aut ipsi tribuatur, non tribuendum. Præstat rem integro relinquere, quam post vulneratam causam remedium quærere *l. fin. C. in quib. caus. in integr. restit.*

3. Ratio diversitatis est quod hic creditor crediderit pro his impendens ideo nihil horum tanquam debitorum ante illum potius est.

DECISIO LXXVI.

Durante concursu etsi sententia prioritatis publicata, non permittenda ante distractionem aut distributionem aliquibus creditorum optio bonorum sed illa curanda.

POstquam inter plures creditores super ordine pronunciatio processerat, quibus prior locus datus fuerat, contra posteriores ad immissionem in bona hactenus possessa virtute competentis optionis experiebantur. Visum autem fuit id præpropere fieri, dum adhuc durat concursus creditorum, sub quo omnia ipsorum paria sunt, nec unus vel plures sepositis aliis res debitoris possidere permittendi, (1) donec ultimum processus nempe distractio, vel eum ad eam deveniri nequit distributio & adjudicatio accesserit. (2) Quam expectari eo magis necesse est, quod uni vel alteri concessa in aliqua bona immissione, distractioni vel distributioni in universum pro omnibus faciendæ facile præjudicium aut impedimentum nec non communi causæ perturbatio accidit, ut fiet facile, si optetur ab iis, quibus alii adhuc sunt anteriores, aut res optantur, in quibus simile aliis jus est. Nec sinit communio quæ est inter concurrentes creditores usque ad ultima satisfactionis, ut unius præ cæteris potior sit conditio. (3) Securius etiam & minori cum incommodo id observatur, quod in jure pro finiendo concursu præscriptum est, quam quod uni vel alteri creditorum proficit sic optio & immissionis petitio sepositæ fuit, & injunctum ut à petentibus prius promoveatur distractio & distributio communis *in causa creditorum Gerdt Beren cum peteretur à Provisoribus Ecclesiæ Gryphisvvaldensis contra hæredes Raphael Erichen die 26. Octob. Anno 1660.*

1. *l. quod autem 8. §. sciendum 7. ff. quæ in fraud. cred.*

2. His modis creditores ad finem communis litis deveniunt *l. cum unus 12. in pr. ff. de reb. aut. jud. poss.* qua adhuc pendente nihil innovare convenit.

3. *l. fin. in pr. C. de reb. aut jud. poss.*

DECISIO LXXVII.

Currus & equi viduis ex statuto debiti quando & quomodo marito obærato in concursu creditorum attribuendi sunt.

PEr privilegia Nobilium & super iis explicandis publicatum recessum Wollinensem in Pomerania (1) viduæ post mortem mariti accipiunt ex bonis ejus currum & equos *VVagen und Pferde*, & quidem ex hæreditate cum illa sufficit, alias etiam in subsidium ex feudo. Incidit autem quæstio, cum maritus obæratus moreretur, nec bona relicta æri alieno sufficerent; an etiam tunc viduæ isti cederent? visum fuit distingui, utrum maritus reliquerit post decessum equos & currum, necne. Relictos à vidua præcipi, (2) ideo sub concursum non venire. (3) Non existentium autem, postquam bona creditoribus cesserunt, precium eidem non solvi, quod de eo in privilegiis nobilium sic cautum non reperitur. (4) Quin potius in memorato recessu explicatius indicatur, ita demum deberi, si bona mariti sufficiunt. (5) Lucrum, ubi lex expresse non tribuit, haud eo porrigi debet, ut in aliorum incommodum vergat, tanquam postponendum regulariter creditorum petitioni. Ita judicatum *in causa viduæ Jürgen Platen contra mariti creditores die 25. April. Anno 1661.*

1. Hic ab Illustrissimis Pomeraniæ Principibus Anno 1569. in comitiis Provincialibus Wolini consensu ordinum conscriptus habetur pro interprete privilegiorum.

2. Eam deductionem in existentibus stabilit. d. recessus §. wo aber soldes in der Ehestifftung *verb.* Pferde/ wo die vorhanden/ für den Witwen abgezogen / sic observatum memini ex decreto Ducali in causa viduæ Wälzer Jastmundes.

3. In

Digitized by Google

3. In iis, qui existunt vidua habet jus quoddam reale ex lege, quod consuetudo illi tribuit ex qua maritus nuptæ currum & equos dare solet, ideo meliores dedisse creditur. An hanc speciem respicit, quod est inter concluſa Stetinensia *tit.* 13. *artic.* 4.

4. *vid. part.* 6. *decis.* 244.

5. *vid. dict.* §. wo aber solches *verb.* nach Gelegenheit der Güter.

DECISIO LXXVIII.

Hypotheca in Pomerania tribuit jus prioritatis in bonis feudalibus etsi non sit cum consensu Domini constituta.

EX quo per leges & mores Pomeraniæ feuda in subsidium æri alieno sunt obnoxia ex iis salvo tantum Domini & cognatorum jure perinde, ut ex allodio satisfit creditoribus, (1) ideo si inter hos sint hypothecarii iidem meris chirographariis, non attento, quod hypotheca cum consensu Domini non sit constituta, præferuntur. (2) Ex eo enim est tantum jus Domino & iis, qui cum hujus consensu jus in feudo habent ad excludendum jus hypothecæ haud vero aliis creditoribus, (3) quorum in feudo alias par jus est, ex hypotheca constituta dispar jus fit. Et cum sic per longam observantiam fieri solitum fuerit, *in judicando idem servati sumus inter easdem personas.*

1. *vid. scripta à nobis part.* 4. *dec.* 21. *num.* 2. *& passim.*

2. Ubi ex feudis æs alienum solvendum, observandus est is inter creditores ordo, qui alias in concursu plurium observari debet.

3. Exceptio de jure tertii non admittitur, si excipientis nihil interest.

DECISIO LXXIX.

Judiciale posterius pignus antefertur pignori nudo conventionali privato ut ut anteriori.

QUod jure constitutum est, pignus publicum utut tempore posterius antefertri hypothecæ privatæ anteriori, (1) id etiam ad pignus judiciale pertinet, (2) quod publicum est velut publica autoritate & solemnitate judiciaria constitutum, quod aut impedire tenetur creditor anterior matura interventione aut posteà pati, ut is creditor immissus antecedat. *In eadem causa.*

1. *l.* 11. *C. qui pot. in pign.*

2. *Negus. de pign. m.* 3. *p.* 3. *num.* 4.

DECISIO LXXX.

Liberis prioris matrimonii ad bona paterna, nisi separata vel ipsis separatis non est jus ante creditores matris binubæ, quæ cum ipsis in communione mansit.

ACtioni hypothecariæ possessor, qui conjugem habebat filiam matris, quæ oppignoraverat, opponebat exceptionem inutiliter constitutæ in hypotheca, quam mater binuba constituerat in ædibus quarum dominus ex emptione factus erat, pater liberorum prioris conjugii, mater ad secunda vota progressa retinuerat, ex quo videbatur rei alienæ factam esse oppignorationem, ideo invalidam, (1) nec in potestate matris existentem, quæ etsi usumfructum bonorum retinet, alienare tamen & oppignorare non debet. (2) Post accuratius expensas causæ circumstantias contrarium concluſum atque exceptio rejecta fuit. Primo enim etsi à patre liberorum ædes profectæ seu emptæ essent, attamen in communionem conjugalem, quæ in civitate, ubi juris Lubecensis observantia viget, devenerant. Quæ non modo post fata primi mariti inter matrem & liberos, sed etiam superinducto secundo marito continuata effectum est, ut commoda & incommoda ejus, adeoque & onera seu credita reddita sint communia, (3) ideo liberis ex bonis istis, nisi his solutis proprium. (4) Deinde idem juri Lubecensi convenit, ut cum post secunda vota bona manserunt communia, deinde in divisione cum paterna liberis prioris matrimonii sunt reddenda, prius æs alienum solvendum sit. (5) Tertio mater ex bonis communibus filias jam elocaverat æque contentæ dotis & aliis impendiis, quæ alias ex paternis bonis dari debebant, matri omnia bona & de iis liberam dispositionem reliquerant. (6) Quarto sic jam confusa erant bona paterna & materna, ut quid è singulis esset, scirl non posset, ideo separationi locus amplius non esset. (7) Quinto etsi ædes patris fuerunt, tamen simul constabat eum debitis plurimis onustum decessisse, ista matrem solvisse. (8) Sexto sic commixta liberi istis dccupaverant per æque materna, ut paterna possidentes inde matris hæredes factumque ejus præstare obnoxii (9) vetita vidux bonorum mariti oppignoratio pertinet ad statum viduitatis & ejus communionis in qua vidua cum liberis subsistit. Qui mutatur cum iterum nubit & ad secundum maritum omnia bona deferuntur, isque in communionem istam assumitur, inde liberi etiam ejus incommodis fiunt obnoxii. Hæc considerata sunt in causa

Digitized by Google

Immanne Eichlers contra Hans Brandſteten, die 30. Apr. Anno 1661.

1. *l. 2. & tot. tit. C. ſi alieni res pign. dat.*

2. *ita previſum in jure Lubecenſi lib. 2. tit. 2. artic. 8.*

3. Societatis quæ eſt inter conjuges & liberos ille eſt effectus ut æs alienum ſit commune & ante omnia lucra dividendum *l. jure ſocietatis ff. pro ſoc.*

4. Bona non ſunt niſi ære alieno deducto *l. ſubſignatum §. 1. ff. de V. S.*

5. *Per text. in artic. 28. tit. 2. l. 2. verb.* Oſſ auch dar Schuld vorhanden / die ſol man von dem gemeinen Gut zuvor bezahlen / *vid. ibid. in commentar. ſcripta.*

6. Ejus elocatio ſeparationis inſtar eſt & parentibus poſt illam liberiorem poteſtatem in bonis communibus tribuit *artic. ſin. dict. tit. 2. l. 2.*

7. Poſt confuſionem vel commixtionem ſeparationis jus deficit. *l. 1. §. præterea 12. ff. de ſeparat.*

8. Liberis prioris matrimonii paternorum ſuorum vendicatio non eſt, niſi prius vel deducto eo quod reliquit ære alieno. Quod cum matrem ſolvere permittunt, res ab ea oppignoratas injuſte vendicant.

9. Hæredes non poſſunt venire contra factum defuncti.

DECISIO LXXXI.

Uſuræ cum ſorte in concurſu creditorum tantum ubi alius alterutri plene de ſorte ſatisfieri non poteſt eodem jure computantur.

COmmunis eſt JCtorum ſententia, ex jure civili nullam in concurſu creditorum inter ſortem & uſuras eſſe differentiam & eodem ordine gaudere. (1) eaque legibus expreſſis innixa eſt. (2) Nec aliud ſtatuendum ubi alter creditorum ſi alteri de uſuris ſatisfiat ſorte penitus carendum. (3) Non diſtinguunt in equa & fruſtra timerent parem conditionem utriuſque ſi non etiam in illa ſpecie ubi alter creditorum nihil acceptus obtineret. Nulla quippe alias dubitandi ratio foret. (4) Quæ in hoc ab aliis obtenditur æquitas celebrima eſt & à legibus aliena. Non minus æquum eſt aliquem ex pacto uſuras recipere quam ſortem, (5) nec iniquum ideo hic alterum carere quod illas alter ſine jure recipit. (6) Æquius conſultum eſt & tutius aut non carere his qui ſibi melius proſpexerint. (7) *In cauſa Davidis Sterlin contra Wilhelmum de Mana die 15. Maii 1661.*

1. Ita jure civili convenire ſcribunt *Neguzant. de Pignorib. part. 5. membr. 2. num. 10. Hartm. Piſtor. part. 3. quæſt. 14. num. 24. Carpz. in jurisp. Forenſ. part. 1. Conſtit. 28. def. 160. Mynſing. 1. obſerv. 59. in fin.* qui ſecus ſcribunt de jure locorum ſpeciali loquuntur per quod alibi in eo aliis modus dictus eſt ſicut Saxonico jure prius omnia capitalia ſolvenda ſunt, antequam uſuræ capiantur Ex Lubecenſi jure unius anni uſuræ tantum adjudicantur in concurſu.

2. *l. Lucius 18. ff. qui pot. in pign. l. ſi plures 9. §. ult. ff. de Pact.*

3. Pignoris jus individuum eſt creditori & quia prior tempore potior jure *l. potior 11. pr. ff. qui pot. in pign.* utique poſteriori nihil juris eſt in eo antequam priori plene ſatisfit *l. prior. 5. l. diverſis 8. l. cum tibi 10. C. eod.* unde ſi in pignore poſterior jus ſuum firmare velit priori totum offerre tenetur *d. l. prior. 5. C. eod.*

4. Legum diſpoſitio de ſpecie dubitabili accipienda eſt *l. 1. ff. ad municip.*

5. Imaginarium eſt uſuræ odium, ubi in locum ejus quod intereſt intrat, nec lucrum metuſi, ſed uſus & à parte debitoris & beneficii à parte creditoris juſta eſt compenſatio *vid. Heig. part. 1. quæſt. 1. per tot.*

6. Injuriam nemini facit, qui jure ſuo utitur.

7. Vigilantibus jura ſcripta ſunt *l. 24. ff. qui in fraud. credit.*

DECISIO LXXXII.

A tertio poſſeſſa bona debitoris ſub concurſum non ſunt trahenda niſi legitime revocata.

APpellabant quidam poſſeſſores rerum debitoris, ideo, quod quæ ante plures annos, & quidem nullo adhuc creditorum concurſu excitato ex juſtis titulis poſſederant, ſe non citatis nec auditis æſtimare, & nunc diſtrahere commiſſarii ad diſtributionem bonorum inter creditores teſtaſſent & cum huic auſui reſtitiſſent, judex eorum factum approbaverat. Non una iniquitate videbatur hic proceſſus laborare: Bona enim ante concurſum creditorum alienata, (1) ita per judicem ſtatim diſtractioni, ut cætera bona debitoris, ſubjici nequeunt, ſed prius legitima via revocari debent. (2) Deinde vero, nec ſine cauſæ cognitione ad revocationem proceditur: Multum quippe refert an in fraudem creditorum alienata ſunt, nec ne, eaque res quot & qualibus diſpectionibus ſit ſubdita manifeſtum eſt. Si fraus allegatur, ea probatione prævia eget. Porro ſine citatione & non audito poſſeſſore eripere & diſtrahere poſſeſſa valde iniquum & à jure alienum eſt. Nec enim alteri ſua poſſeſſio ſine cauſæ cognitione & citatione prævia ſalva jurisprudentia aufferri debet, præſertim vero ſi poſſeſſio non ſit recens, deinde ſi bene titulata, abſtinendum ab iſta facti via, & ad judicialem juris verique inveſtigationem cauſa remittenda eſt. Nec in hoc differentia inter actionem Paulianam, & hypothecariam, (3) etſi in aliis multum differant (4) iſta ad proceſſus decernendos moverunt *in cauſa Fratrum der Doringen & Melchior Lath contra Fratres von der Decken die 6. Maji Anno 1662.*

1. Eorum

Digitized by Google

1. Eorum quæ postquam bona debitoris possessa sunt, seu excitato concursu creditorum alienata sunt facilior est revocatio: Non enim debuit possessor recipere, ideo plane non potest sibi retinere *l. quod autem 6. §. sciendum 7. ff. quæ in fraud. credit.*

2. Si quidem revocantur à possessoribus, quæ in fraudem alienata oportet prius revocatoria creditorem agere, antequam ad tertium possessorem deveniat *l. 1. ibi Bald. C. de revoc. his quæ in fraud. Fab. C. lib. 7. tit. fin. defin. 1. Cravett. cons. 235.* si hypothecæ sunt obnoxii hypothecaria actione opus est.

3. Hypothecaria etiam causæ cognitionem desiderat, cum multis modis fiat ut non competat.

4. In hoc discrimen est, ut actio Pauliana locum non habet, nisi ob fraudem alienata: hypothecaria, utcunque sine fraude alienatio facta fuerit *Fab. in C. d. def. 1. num. 5. in notis.*

DECISIO LXXXIII.

Expensæ conservationis & reparationis bonorum pendente concursu factæ illo durante sunt discutiendæ & refundendæ ante omnes creditores etiam avitos.

SUpplicabat possessor bonorum debitoris simul etiam creditor pro decernenda commissione ad liquidationem & refusionem sumtuum, quos durante nec dum plane finito concursu in istorum conservationem, atque reparationem insumserat. Dubitabatur, andum inter creditores adhuc super liquidatione, prioritate, adjudicatione & aliis articulis contendebatur, nec res plane erat decisa, possessori possit refusio & ejus causa liquidatio atque commissio decerni, quod ea res innovationem, (1) ut & gratificationem quandam (2) pendente lite sapere videretur. At permovit in contrarium primo qualitas impensæ in communem omnium creditorum quorum bona possessa erant communia factæ. Per quam impendens non debitoris, sed concreditorum quorum utilitatem curavit, creditor est, occasione quidem concursus istorum bona tenens, tamen extra illum negotium commune gerens, cui æquitas refundendi impensas est consequens (3) & per hunc cum concreditoribus quasi contractus initus, (4) Deinde impensæ necessariæ ea est ratio, quod ipso jure dotem minuit, (5) ideo omnes creditores, quibus ex bonis satisfaciendum est, antecedit. (6) Quomodo itaque pro cura bonorum per curatorem præstita ante creditores omnes sunt, (7) sic etiam impendia in ejus qui vices ejus negotium utiliter gessit, credita merito antecedit. (8) Eo æquius quod utilem operam, quam bonis atque creditoribus navavit ipsi damnosam esse, (9) aut istos cum hujus incommodo locupletari non decet, (10) Provisum etiam præstare, ut mature inter possessorem, atque creditores hæc res transigatur, antequam de distributione inter hos definitio fiat, cum alias exinde ejus obstaculum, atque regula non levis futura sit, considerato, quod possessori necessariæ impensæ causa tum deductio, (11) tum etiam jus retentionis competit, (12) quare nemini creditorum ex bonis quicquam addici poterit, nisi cum ipsi satisfactum, (13) Præsertim cum omnibus qualiscunque conditionis sint, etiam avitis creditoribus anteferendus sit, qui salvam pignoris causam præstitit. (14) *Decreta itaque commissio, ut petita fuit ad supplicationem Ulrich Deschoven contra Paternos creditores die 2. Maji Anno 1662.*

1. *Contra l. 1. & tot. tit. C. ut lit. pendent.*
2. *Contra l. si pupillus 24. ff. quæ in fraud. credit.*
3. *l. 2. ff. de negoc. gest.*
4. *§. 1. Instit. de oblig. quæ ex quas. contr.*
5. *l. 1. §. 2. l. quod dicitur §. ff. de impens. in res dot.*
6. *l. quod privilegium 8. verb. plane sumtus causa, qui necessario factus est semper præcedit,* nam deducto eo bonorum calculus subdici solet *ff. depos.*
7. *Moller. ad Constit. Elector. 28. n. 86. part. 1.* Hoc ad dictamen rationis in consuetudinem venit juxta quam quovis die ita judicatur.
8. Similis ratio simile jus facit *l. illud 32. ff. ad l. Aquil.*
9. *Contra l. sed quis 7. ff. testam. quemadm. aper.*
10. *l. nam hoc natura 14. ff. de condict. indeb. l. jure 206. ff. de R. l.*
11. Juxta *l. ult. §. in computatione verb. vel in aliasnecessarias causas hæreditatis approbaverit se persolvisse C. de jur. delib.*
12. *Rebuff. in privileg. Universitat. 19. ad fin.*
13. *Buther. de jur. Prælat. c. 27. lib. 1.*
14. *l. interdum 5. l. seq. ff. qui pot. in pign. Benth d. tr. lib. 1. c. 25.*

DECISIO LXXXIV.

De muneribus quæ liberis post Baptismum à Patrinis seu testibus ejus dantur.

CUm ea munera quæ testes Baptismi liberis baptizatis dederant pater consumserat, extra dubium fuit liberos quibus data fuerant in concursu bonorum potuisse repetere, tanquam sua & sibi à patre debita, nec aliam istorum quam cæterorum ad venditiorum rationem habendam, ideo ob tacitam hypothecam inter hypothecarios creditores collocari debuisse, (1) ex illo tempore quo data erant, & pater acceperat, (2) quod sub mo-

Digitized by Google

mento baptismi factum creditur. At cum liberi non peterent sed mater hæc ista consequi non potuit cum ipsius nunquam facta essent. Etsi enim more solito puerperæ in lecto offerri soleant, non tamen matribus cedunt cum non ipsarum sed liberorum causa ideo his ipsis dentur. (3) Vel enim liberi quibus dantur vivunt, & ipsorum sunt, quod si non petunt remittere intelliguntur: (4) Vel mortui sunt, & tunc vel uterque parens hæreditatem defunctorum adiit, (5) & quod retinuit maritus, uxor instar parapharnalium repetet: (6) vel pater solus munera retinuit & in suos usus convertit atque successionis jus antea mater viro remisisse videtur, igitur ad petitionem illam redire nequit. *In causa viduæ Christophori Henrici Schvverin contra Mariti creditores die 2. octobris Anno 1662.*

1. Adventitiorum ratione pater tutoris instar habetur ideo ut in tutorum bonis pupilli, ita in parentum bonis liberi tacita hypotheca gaudent *arg. l. pro officio* 20. C. *de admin. tutor.* In specie qua muneta patrinorum ita definit *Carpzov. part. 2. const. forens* 24. *def.* 18.

2. Ex quo momento debitum, pro quo tacitum pignus constitutum est contrahitur, ex eo pignus nascitur *l.* 1. *& tot. tit. ff. & C. in quib. pign. tacit.*

3. *Carpz d. const.* 24. *def.* 18. *n.* 6.

4. In concursu creditorum non liquidantes credita, post elapsos terminos non audiuntur amplius, sed habentur, tanquam credita remisissent. Nam quod omissum, remissum censetur.

5. *Juxta Novell.* 118. *c.* 2.

6. Parapharnalia sunt quæcunque præter dotem uxoris sunt penes maritum *l. fin.* C. *de don. convent.*

DECISIO LXXXV.

Constitutio nova privilegium prioritatis dans piis locis derogat omnibus aliis privilegiis etiam quæ civitates ex jure speciali habent.

IN Pomerania singulari Ecclesiastica sustinendi pro Zelo Regimen Regium cum consensui ordinum provincialium Ecclesiis, templis aliisque piis locis in concursu creditorum primum locum concessit, & eorum credita ante alia esse voluit, quo cultui divino ei servientibus non deessent sustentationis media. (1) In ejus §. primo ubi habetur prærogativæ concessio fit tantum mentio hypothecariorum additurque etiam doti mulierum pia debita anteferenda esse. (2) Accidit autem ut in civitate quæ Jure Lubecensi utitur, quæstio oriretur, ut cum per hoc civitatibus debita ante alios omnes creditores & ante dotem mulierum sint, & ista piis locis postponenda sint; Et cum ita ex decreto Regiminis Regii factum erat, appellabatur. Utut vero initio videri potuerit, eò constitutionem non porrigendam esse, tum quia nihil de civitatibus earumque creditis in ista dictum erat: (3) tum quia tantum constitutum de minus privilegiatis quæ civitates antecedunt; (4) tum quia emphatice dotis mentio fit, quam civitas cum suis creditis antecedit: tum quia sub generali dispositione non veniunt privilegiati: tum quia expressis aliquibus & adjuncta generali clausula non continentur nisi qui istis similes, non quorum major favor aut ampliot prærogativa. At re accuratius expensa existimatum est his nihil obsistentibus & civitates cedere privilegio quod piis locis generali constitutione datum est. Primo enim finis & ratio istius constitutionis, quæ est in conversatione Ecclesiarum & meliori sustentatione Ecclesiasticorum comprehendit etiam credita civitatum, & non minus atque alia isti hæc cedere suadet. Ideo ut istas concernit ita etiam complectitur. (5) Secundo proœmium constitutionis docet eam constituentium mentem ut omnibus etiam privilegiatis quibuscunque potiora sint pia loca & istorum expressam mentionem faciant. Tertio etsi deinde non nisi hypothecariorum & præterea, dotis fit mentio, tamen cum credatur in Pomerania dote nihil magis sit privilegiatum, de hac additum, ut sciretur nullum privilegium ante Ecclesiastica fore. Quarto ita poscit æqualitas: Nam quando Nobiles propter Ecclesias & pia loca renunciarunt juri quod ipsorum uxores & viduæ habent potiore uti æquum est civitates idem facere. Quinto hæ inter comitialia consilia consenserunt in constitutionem, & publicationem ita generaliter concipi siverunt, ideo & ut soleat servare opus habent. Sexto gaudent ipsarum Ecclesiæ, hospitalia aliaque pia loca in provincia isto privilegio, qui igitur non iniquum si & intra illarum mœnia non vicissim eadem prærogativa contingit. (6) Septimo cæteri ordines cum civitates eodem privilegio pietatem gaudere non sinunt justam haberent causam etiam à placitis recedendi, cum à civitatibus ut comembris non recipiantur, unde millia incommoda & confusiones existunt. Octavo in generalem constitutionem civitates consenserunt, nulla reservatione alicujus juris sui facta, quam fieri oportuit, si exemptione frui velint. (7) Nono cum illa constitutio postponat ex juri communi

com-

competentia privilegia, multo magis ei cedent loci statuta. Ex his concluſum civitates per illam conſtitutionem non minus quam alios jure prioritatis ante ecclesias non frui & rejecta est appellatio à Senatu Wolgastano die 9. Septemb. Anno 1669.

1. Hanc rationem præmittit istius conſtitutionis provincialis Anno 1663. editæ exprimit.

2. Ita ſe habet tenor iſtius Allen hypothecariis tam publicam quam privatam, tam generalem quam ſpecialem hypothecam habentibus, auch demdori, deſſen Verbeſſerung und ſämptlichen eingebrachten der Adelichen und Burger-Frauen und Wittwen præferiret und vorgezogen werden ſollen.

3. Statuta juri communi adverſa ſtricte ſunt accipienda.

4. A minori ad majus non ſemper valet argumentum.

5. Ubi eadem ratio eadem conſtitutio locum habere debet.

6. *Tot. tit. ff. quod quisque jur. in alt.*

7. Tacens & non contradicens cum contradicere debuit pro conſentiente habetur.

DECISIO LXXXVI.

Succeſſoribus jus eſt durante concurſu bona defuncti ex ſucceſſione retinendi, ut inde ſatisfiat creditoribus: ſine ea vero non eſt jus adminiſtrationem invitis creditoribus retinendi.

CReditoribus diſpoſitionem ſuper adminiſtratione bonorum defuncti debitoris ex ſua voluntate ordinaturis ideo coram judicio comparaturis, appellatione à citatione ob eam rem factâ interpoſitâ reſiſtebant liberi ejusdem, ſibi ut proximis ſucceſſoribus adminiſtrationis jus, donec concurſus duraret & ſuper ordine creditorum dicta eſſet ſententia arrogantes. Siquidem parenti ſuccedere vellent, audiendi eſſent, (1) ſed intra ea tempora quæ præſtitura ſunt. (2) Et quidem ſi cum beneficio inventarii hæreditati ſe immiſcere vellent, ejus tempora ipſis integra erunt: (3) Si vero cum jure deliberandi, & huic præfixa ſervanda ſunt. (4) At iis elapſis aut hæredes eſſe aut ſe abſtinere debent. (5) Si pro hærede ſe non gerent, excluſi ſunt à ſucceſſione, & creditoribus cedunt bona tanquam jacens hæreditas, (6) bonisque curator datur. (7) Improbus eſt auſus bona parentis vel conſanguinei detinentium & aditionem hæreditatis differentium donec concurſus erit finitus, (8) Proficere is minime debet ad impediendam creditoribus curam bonorum ejusque conſtitutionem, quæ iis ſtatim à morte defuncti competit, etiam intra deliberandi tempora, nedum poſt hæc elapſa: (9) Proximi ſanguinei, ſi hæredes eſſe nolunt, nec juſto tempore hæreditatem adeunt, nihil juris habent, aut recipiunt in bonis. (10) Non proderit ſucceſſio, quæ non utuntur, nec impedire poteſt alios, quin jure ſuo utantur. (11) Qui ſucceſſionis jure frui cupiunt, eos decet cum effectu eſſe hæredes, ideo eo quodecet modo creditoribus ſatisfacere. Et ſiquidem cum beneficio inventarii tales ſunt, juxta vires bonorum tenentur, ideo eorum diſcuſſionem promovere debent, eaque facta ex iis ſolvere. (12) Si ſine eo inſolidum obligantur, (13) nec ad concurſum niſi ſuo nomine permittuntur. (14) Ideo omnibus tam ſuis quam hæreditariis bonis cedere opus habent. (15) Utroque autem caſu non ut adminiſtratores bona debitoris habent, ſed ut ſua. (16) Ea verò quando non ſiunt, liberi & conſanguinei ut omni jure deſtituti adminiſtrationem, ex jure ad ſucceſſionem, quo non utuntur, obtendere nequeunt, nec eo nomine contra creditores audiendi ſunt. (17) Sic concluſum *in cauſa liberorum des Land-Raths Gerdt Beren contra Creditores avitos & paternos die 4. Sept. Anno* 1655.

1. Quamdiu eſt vel ſperatur qui hæres eſſe & ſuccedere vult, bona non ſunt, vacantia nec hæreditas vacans. *gloſſ. in l. ſancimus* 7. §. *cum aliquis in verb. hæredo ib. Bartol. num.* 3. C. *ad SC. Trebell.*

2. Jurisprudentia quippe certâ eſſe voluit, ne in infinitum jaceret, aut vacaret hæreditas, *de quibus vid. Coler. de Proceſſ. Executiv. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 393. *& ſeq.*

3. *l. fin.* §. 1. *& ſeq. C. de jur. deliber.*

4. *l.* 1. *ff. eod. d. l. fin.* §. *pen. & ult. C. eod.*

5. Contra rationem juris & utilitatem hæreditatis fit, ideo non permittendum quod multi faciant, ut bona parentum vel aliorum retineant & adminiſtrent, decl. rationem de ſe immiſcendo vel adeundo uſque dum concurſus finitus ſeu ſententia prioritatis dicta eſt, differant.

6. Jacens eſt hæc hæreditas quamdiu non aditur, ubi adeundi opus eſt *l. ſi quis ita hæres* §. 2. *ff. de hæred. inſtit. l. quamdiu* 3. *l. quamdiu.* 69. *ff. de acquir. hæred.* & in nullius bonis, dum jacet, res hæreditariæ exiſtunt *l.* 1. §. *quod autem ff. de rer. divis.*

7. *l.* 1. *ff. de curat. bon. dand. l. ſi duo* §. *ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. Bald. in l.* 2. *num.* 1. *ff. de Curat. bon. dand.*

8. Tenentur hæredes ſui aut ſe intra tempora præfixa immiſcere aut abſtinere: extranei adire vel repudiare.

9. Ex primo decreto etiam pro cuſtodia bonorum miſſio fit in jacentem hæreditatem *arg. l. apud Julianum* 3. *verſ.* Et ait Julianus *ff. quib. ex cauſ.*

Digitized by Google

causa possess. bat. Coler. dict. cap. 3. num. 415. & 417.

10. *l. sicut 4. C. de acquir. hared.*

11. Sine jure contra alios nihil actionis aut exceptionis est. *l. 6. §. fin. ff. de negoc. gest.*

12. *De qua vid. Fabr. in Cod. lib. 6. tit. 11. defin. 4.*

13. *l. qua dotis 33. ff. solut. matr.*

14. Solvendo intelligitur hæreditas quæ hæredem (puta sine inventario) invenit. *l. liberum 36. ff. de bon. libert.*

15. Hæres enim ex quasi contractu insolidum obligatur omnibus creditoribus hæreditariis. *l. 3. §. fin. ff. quib. ex causis in possess. eat.*

16. Hæredes fiunt & sunt domini bonorum hæreditariorum. *l. non minus 31. §. 1. ff. de hared. instit.*

17. Culpa est se immiscere rei ad se non pertinenti *l. culpa. ff. de R. I.* & semet ita sine aliquo jure ingerens suspectus est. *l. qua omnia 25. ff. de procurat.*

DECISIO LXXXVII.

Venditoris creditores ut præferendi emptoris creditoribus, ita distractionem bonorum interventione impediunt.

SUccessor æri alieno impar bona Defuncti alienaverat cum illa conditione, ut ex precio istud dissolveretur, emptor verò non solvens, cum etiam aliis deberet, concursum excitavit, eoque res redacta erat, ut bona ipsius distrahi deberent. Venditoris vero creditores interveniebant, inhibitionem distractionis rogantes & concursum communem tendentes. Quæstio inde oriebatur, an audiendi annon ad eundem concursum remittendi essent? cujus decisio dependebat ex altera quæstione, an venditoris creditoribus separationis quoddam jus competeret? Quod affirmativè decisum fuit, tum quia primus venditor eorum creditorum nomine, quibus ille obnoxius fuerat, hypothecam in re vendita reservavit, (1) eo ipso quod conditionem isti apposuit, ut emptor ex iis eorumque precio creditoribus satisfaceret; (2) tum quia hi non fidem emptoris, sed rem secuti fuerunt, ideo non pro ipsius creditoribus habendi, aut ad concursum quem ipse excitavit, remittendi sunt; (3) tum quia emptor hæreditatis deteriorem creditorum venditoris causam facere nequit; (4) tum denique quod separationis jus qua singulares successores manet; (5) præsertim ubi in fraudem creditorum factum illorum deverget; (6) tum denique ex æquitate, ne factum alterius aliis incommodum inferat. (7) Etsi itaque concursui creditorum emptoris cursus suus relinquendus fuit, hoc tamen non permittendum, ut in horum gratiam bona nondum à priori nexu libera distraherentur. *Mandatum itaque inhibitorium fuit decretum creditoribus Gerleff Dieterich von Platen, contra Johann Brummern ejusque creditores, die 8. Julii Anno 1656.*

1. Ex hypotheca constituta antequam bona ad alium pervenerunt, jus separationis creditoribus hypothecariis competit, *Faber in Cod. lib. 7. tit. 32. defin. 15. in not. num. 4.*

2. Ea conventio ut ex rebus earumque precio satisfiat, creditoribus hypothecæ constitutionem continet, *l. 3. § 2. ibi Costal. Qui pot. in pign.*

3. *l. 1. §. illud sciendum 10. ff. de Separat. argum. à contrario sensu.*

4. *l. 2. pr. ff. de bord. vendit. l. 2. l. fin. C. eod.*

5. Non fit apud tales ea confusio quæ separationi impedimento esse solet.

6. *l. 2. ff. de Separat.*

7. Ex qua contra strictam juris rationem separationis beneficium datur & successori & ejus creditoribus, *l. 1. §. sed si quis suspectam 6. ff. de Separat.*

TIT. XIX.

DE IIS QUI IN PRIORUM creditorum locum succedunt.

DECISIO I.

De virtute reservationis dominii in re vendita, & quod inde venditor ut ante dotem.

CUm uxor debitoris contra creditorem ex obtentu privilegii dotis interveniret, ex actis autem constabat, huic in re venditâ reservatum esse dominium, non admissa fuit interventio, quod credebatur, venditorem mansisse dominum, ideo ante omnes etiam anteriores creditores quocunque privilegio excelleret, jus potius haberet ratione pretii. (1) Cui id ineſſe creditur, quod fidem de precio non habuit, nec aliter rem tradidit, ac sub conditione si id solveretur, (2) quo non soluto dominium apud illum remansit, & ex hoc penes illum est rei vindicatio omnibus creditis potentior. Et licet obtenderet uxor, anteriorem hypothecam sibi à marito pro dote constitutam, antequam in secundum venditorem prædium translatum erat, (is enim primum huic vendiderat) tamen præterquam

Digitized by Google

tarquam quod nec de dote constituta, nec de hypotheca constabat, nisi ex mariti confessione, quam durante matrimonio fecerut, visum fuit ex illa hypotheca, cujus ad judicationem secundus venditor petebat, non esse ipsi jus experiendi, nisi hypothecariâ, quæ cum altioris esset indaginis, proficere non poterit ad sistendum executionem. *In causa Nicolai Demels contra Joannem Danielem Becker die 16. Januarii Anno 1657.*

1. *l. procuratores 5. §. plane 17. ff. de Trib. act. Negot. de Pignorib. part. 5. memb. 2. num. 18.*

2. *Gail. 2. Observ. 15. num. 5. & 6.*

Juxta priores Decisiones ita pronunciatum fuit.

In Sachen Nicolaus Demels Appellanten an einem/ Johann Daniel Beckern am andern/ Margaretha Anckelmanns/ bemeldten Demels Haußfraue/ Intervenientinnen am dritten Theile/ wird/ was von Appellaten den 2. Jun. eingebracht überflüssig. Demnach wider die von Appellaten bereits erhaltene adjudication die intervention itzo nicht mehr zulässig / sondern aus Intervenientinnen Vorbringen so viel befunden / daß sie dergestalt wie gesuchet/ damit nicht zu hören / sondern dessen ungehindert zwischen Appellanten und Appellaten in der Sachen weiter zu verfahren sey; Da aber die Intervenientinn einig Recht und Vorzug vor ihres Ehemannes Creditoren ihrer prætendirten zugebrachten Gelder halber zu haben vermeynte / damit an gebührenden Ort Citatis his quorum interest, zu verfahren schuldig sey. Von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 19. Januarii Anno 1657.

(Hoc est.) In causa Nicolai Demels appellantis ex unâ, Joannis Danielis Beckerman ex alterâ, Margarethæ Anckemans intervenientis ex tertiâ partibus, decernimus scriptum ab appellato 2. Jun. exhibitum superfluum, interventionem contra adjudicationem ab appellato jamdum obtentam modo non amplius admissibilem sed ex intervenientis allegatis tantum apparet, quod illa taliter, uti petitum, in ea non audienda, sed ea non obstante inter appellantem & appellatum ulterius procedendum, si vero intervenies jus aliquod & præferentiam ante ejus mariti creditores ratione prætensarum illatarum pecuniarum habere se existimaret, incumbit ipsi competente loco citatis his quorum interest eatenus procedere. idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 19. Januarii Anno 1657.

DECISIO II.

Mulier ex causa dotis succedit in privilegia & pignora crediti quod ex pecunia dotali exsolutum fuit.

Circa successionem in locum, pignora & privilegia anteriorum creditorum res variis distinctionibus explicatur, nec ea semper aliquando ut ei locus sit conventione speciali tantùm impetratur. (1) At in mulieribus, ubi dotem repetunt, non opus est iis, quæ successio requirit, sed ex solo dotis numeratæ in solutionem crediti impendio illa omnibus hujus pignoribus & privilegiis ubi opus habet gaudet. (2) Quod consequens est tum illi mulierum privilegio quod ex pecunia dotali res comparatæ dotales fiunt, (3) quod longè amplius est istâ successione, ut cui concessum est quod majus est, & quod minus denegari non debeat: (4) tum fieri & rationi & privilegii dotis. (5) Non curamus hac in re quod alii subtiliter ex generalibus juris regulis in contrarium disputant, postquam textus juris ità suggerit & praxis forensis id ipsum ità servat. (6) *In causa viduæ Christoff Detloff von Schwerins contra Creditores & legatarios Antonii Crassowen die 22. Junii Anno 1657.*

1. *Uti videre licet ex tit. C. de his qui in prior. cred. & iis quæ circa istorum intellectum Jcti fusius exponunt.*

2. Mulierum privilegia per jurisprudentiam Justinianeam tanta sunt, ut satis appareat quoties de dotibus periclitantur à jure communi recedendum sit. *Juxtà rationem quæ est in l. 1. l. 2. ff. Solut. Matr.* Unde & factum ut multa singularia dotium gratia sint recepta.

3. Est quidem de hac multa JCtorum disputatio propter textus juris, qui sibi obloqui videntur, quorum tamen facilis conciliatio est, inspecto & distinctione facta eorumque ex juris ratione communi generatim obtinent, juxtà quæ mulier non potest fieri domina eorum quæ maritus sibi ex pecunia dotali comparavit, *juxtà l. ex pecunia 12. Cod. de jur. dot. l. ult. Cod. de Serv. pignor. dat.* & quæ, in eum casum, ubi de dote aliâs ipsi non satis cautum, ne illa privetur, speciatim provisa sunt. Ex quibus ea quæ sunt adhuc in bonis mariti ob pecuniam dotalem isti cedunt, quo dos salva sit. *Vide ea referenda sunt quæ habentur in l. quod si 27. l. res quæ 54. ff. de Jur. dot.* Rationem ejus videas *in l. uxor. 55 ff. de donat. inter vir. & uxor.* Ex qua etiam discrimen illud observabis.

4. Valet argumentum à majori ad minus etiam circa jura singularia *l. 1. ff. de Offic. ejus cui mand. jurisdict. Eberhard in Topic. legal. tit. argumentum à majori.*

5. Tum generali *quæ est in dict. l. 1. & 2. ff. Solut. matrimon. l. 1. & 2. ff. de Jur. dot.* tum speciali, *quæ refertur in dict. l. uxor. 55. Solut. Matrimon.*

6. Mulieribus data privilegia illorum, qui pro suis creditis ipsarum pecunias acceperunt, ex multis sententiis observavi.

Juxtà hæc ità pronunciatum est.

In Sachen Christoph Detloff von Schwerins Witwen Appellantinnen wider Antoni Krassowe und

Digitized by Google

und Claus von Schwerins Witwen Appellaten/in puncto prioritatis werden so viel Henning von Kaldens Kinder wegen 4350. Gülden dann 500. Gülden von den zuerkanten 2500. Gülden und ferner 400. Gülden jedoch was darauff bezahlet/oder sonsten Rechtlich zu decurtiren seyn möchte/vorbehältlich/dann fürters Michael Hagemeister wegen 1000. Gülden Jürgen von Platen Kinder wegen dessen so ex fidejussione für Antoni Krassowen bezahlet zu seyn liquidiret/ Doct. Antonii Helwig wegen 400. Gülden Johann Stebrand wegen 1000. Gülden / dann auch die pia legata und was derentwegen unbezahlt ist/ angehet/ die Gravamina als unerheblich nicht/sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen und erkannt / daß es bey Richter erster Instantz den 22. Januarii Anno 1656. publicirten Urtheil zu lassen/ jedoch der bey vorermeldten Richtern von Henning von Kaldens Kindern/ daß bey Adjudicirung obberührter 2500. Gülden der Zinsen nicht gedacht/ gesuchten Declaration oder Restitution in integrum nichts benommen / und demnach Henning von Kaldens Kinder/ wegen der 4350. Gulden auß dem auff Beyershagen hafftenden Pfand-Schillinge/die andere Poste auß Pütenitz furauß zu bezahlen / die übrige Gravamina aber sind zu fernerer Außführung verstattet/ wie dann Copia Libelli erkannt/ und die Appellaten insonderheit Henning von Kaldens Kinder auch für sich wegen der 2000. Gülden auß den 2500. Gülden welche zuerkannt/ die andere Creditoren aber auff das so sie betrifft/ proxima zu antworten/zugleich Doctor Schwabbeit von den sämptlichen Appellaten Mandatum einzubringen schuldig/ die von der Appellantinnen prætendirte Meliorationen werden ad punctum rationum verwiesen/und hat sie dieselbe / wann sie nützlich angewandt zu seyn befunden/ob die bereits abgekommen/so weit daß ohn ihr verursachen beschehen/solche anzurechnen/ seynd ihr auch alsdann vorauß zu erstatten/ von Rechts wegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 6. Julii Anno 1657.

(Hoc est.) In causa Christophori Detloff â Schwverins viduæ appellantis contra Antonii, & Nicolai â Schwverins viduas appellatas in puncto prioritalis, quantum Henningi â Caldens liberos ratione 4350. florenorum tum 500. flor. de adjudicatis 2500. flor. & ulterius 400. flor. attamen cum reservatione illius quod desuper solutum aut alias de jure detrahendum esset, tum porro Michaelem Hagemeister propter 1000. flor. Georgii à Platen liberos propter id, quod ex fidejussione pro Antonio Krassovven solutum esse liquidatur, Doctor. Antonium Helvvig propter 400. fl. Johannem Sibranden propter 1000. flor. cũ etiam prælegata & quod propterea nondum est solutum concernit, gravamina ut irrelevantia non recipimus sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus quod sententiæ apud judicem primæ instantiæ 22. Januarii Anno 1656. publicatæ inhærendum, attamen apud dictos judices ab Henningi â Caldens liberis propter omissam mentionem censuam de adjudicatis dictis 2500. flor. petita declaratione vel restitutione integrum non ademptâ, & inde Henningi â Caldens liberis ratione 4350. flor. ex capitali in Beyershagen assecurato ratione aliarum prætensionum ex Putenio præ cæteris solutio facienda, reliqua gravamina vero ad ulteriorem deductionem recipimus, prout copiam libelli decernimus & appellatis præcipue Henningi â Caldens liberis etiam pro se ratione 2000. floren. ex his 2500. flor. qui adjudicati, cæteris vero creditoribus ratione illius quod ipsos concernit ut in proxima respondeant simul Doctori Schabelt ut ab universis appellatis mandatum exhibeat injungimus, meliorationes ab appellante prætensas ad punctum rationum remittimus & ipsi ut eas casu quo utiliter impensas esse appareret, si forte non amplius extarent quantum sine ejus culpa factum, computet ac ante omnia recipiat concedimus. idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 6. Julii Anno 1657.

DECISIO III.

Possessor rei à creditore conventus quando offerens, quartum ex re capere licere constabit, liberatur, nec ante discussionem condemnandus est.

NOn tantum creditori posteriori sed & cuivis possessori rei alteri obnoxiæ qualiscunque sit, jus offerendi competit, (1) per quod ab actione liberatur; haud vero semper necesse est offerre quantum debetur, sed aliquando sufficit præstari, quanti ea res est quæ possidetur. Circa quod distinguendum est, utrum plane injustus sit possessor qui rem tenet, an justus seu possidendi justam causam habens. (2) Injusti nulla est contra creditorem retentio, nisi ex solutione crediti, (3) nec potest oblatione ejus, quanti res est, quæ tenetur, impedire commoda distractionis jure concessæ creditoribus. (4) Quocirca si creditor per actionem hypothecariam rem avocare & solenni modo distrahere quam precium ejus à quovis possessore recipere malit, audietur, (5) nec permittendus possessor injustus sub obtentu oblationis debiti soluta tantum æstimatione rem retinere. (6) Quod si just-

est

est possessor, interest an ipse debeat, nec ne. Siquidem ille sit debitor, seu quia contraxit debitum, seu in debitoris locum sive ex hæreditate sive ex aliqua rei in se receptione successit, iterum refert, utrum solidum debeat, an tantum usque ad vires bonorum seu precium rei. Ille non audietur, nisi totum creditum offeret, (7) præterquam ubi ex jure quodam anterioris creditoris jus retentionis adeoque & oblationis nanciscitur, inde idem Juris obtinens quod iste habuit. (8) Alter precii oblatione liberatur. Si alius quisquam est possessor jus in re habens, aut hoc jure ejus creditoris qui hypothecaria agit, potius est aut inferius aut par. Ex potiore possessoris jure posterior creditor excluditur, donec offeret anteriori. (9) Ex inferiore cedere tenetur possessor, nec detinere pot est offerens precium, nisi in iis casibus quando debitor eo debet esse contentus; (10) In quibus etiam is numerandus, quando creditoris nihil interest rem potius quam precium accepisse. (11) Cum paria sunt ejus qui detinet & qui petit jura, potior est conditio possessoris, (12) nec hic ultrà tenetur, quam ut æstimationem solvat petenti, nec totam sed pro ea parte, quæ est in rebus detentis creditoris. Veluti si plures sint creditores quorum aliqui bona possident, aliqui extra possessionem sunt. (13) Etsi eriam hi immitti debent, tamen oblatione ejus, quantum ex rebus æstimatis pro rata iis cedit, excludentur ultrà Jus non habentes. (14) Nec poterunt ad distractionem provocare, nisi rem avocaverint, ad quod opus est oblatione crediti erga possidentes, (15) Multo minus si æstimatio bonorum eo fine facta sit, ut juxta illam creditoribus satisfiat. (16) Idem erit dicendum, si tenet hæres cum Inventarii beneficio suo & aliquorum creditorum, quibus satisfecit & quorum actiones ipsi cessæ aut ipsi jure competunt. Ille quippe nec ultrà vires hæreditatis tenetur, nec in amplius, quam aut post cæteros quibus solvit, supereſt; (17) Si alios adesse nescivit, aut si & hos scivit; quantum pro modo, jure seu ratâ crediti. (18) Pro eo vero noscendo quantum debeatur, opus est discussione corporis, bonorum & æris alieni, cujus collatio atq; examen ostendet, quanti præstari debeat. Quam prærequirere justa est petitio & contra creditorem exceptio. (19) Quâ omissâ simpliciter possessorem hæredem cum beneficio Inventarii & concreditorem, prætereà etiam aliorum creditorum quibus suum solverat, cessionarium condemnare, non caret injustitiâ. (20) Ideò ex facto justa appellatio, sicut sub talium consideratione admissa est *in causa Demini Gemisii Seenbeck, contra Johannem Valschleben hæredes, die 27. Sept. Anno 1653.*

1. *l. Paulus* 12. §. 1 *ff. quib. mod. pign. vel hyp.*

2. Distinguitur inter justum possessorem & injustum, *in l. muliere* 10. *ff. qui pot. in pignor.* In ea specie quidem quæstio est de cessione actionum sed circa id, an cedi debeant ei, qui offert creditum, distinguitur & sic ista lex, *cum d. l. Paulus* 12. §. 1. conciliatur, at eadem ratio subest, qua receptionem precii.

3. Nec enim qui non habet jus aliquod retentionis potest excludere petitionem actoris.

4. Est in eo quoddam jus creditorum, ut non teneantur res creditorum mediante æstimatione in solutum aut æstimationem recipere, sed distractionem petere & per hanc maximum quodque precium quærere, *tot. tit. ff. & C. de distract. pignor.*

5. Interest ejus distrahi solenniter nec quod remedium jus tribuit, auferri potest invito, *l. ad quod nostrum ab Decius ff. de R. I.*

6. Si factâ legitime subhastatione nullus est emptor, jus creditoris est, ut dominium impetrare queat, *l. fin.* §. 1. C. *de jur. Domin. impetr.* aut ut extraneus capere, *l.* 2. C. *si in caus. judic. pignor. cap.* quod per talium possessorem eui nihil juris est, non auferendum.

7. Debitor non liberatur, nec pignus ab ipso constitutum nisi totum offerens, *l. pen.* §. 1. *ff. de Except. rei jud. l. quamdiu* 6. C. *de distract. pignor.* Ideo nec distractionem pignoris, nisi soluto omni debito cum accessionibus impedire potest, *l.* 1. C. *deb. vend. pign. imped.*

8. *De quo vid. Fabr. in Cod. lib.* 8. *tit.* 16. *def. fin.* 6.

9. Hæredi ex beneficio Inventarii id jus est, ut ultra vires hæreditatis non teneatur, & primo venientibus solvens liberetur, *l. fin. C. de jur. de liber.*

10. Non potest posterior creditor auferre pignus priori, nisi integrum offerens creditum, *vid. Fab. in Cod. lib.* 8. *tit.* 16. *def.* 1. *in pr.*

11. Quando nihil interest creditoris, rem potius ut habeat quam precium, tunc non offerendum est totum debitum, sed saltè quanti ea res est cujus nomine agitur *Fab. in Cod. dict. tit.* 16 *defin.* 2.

12. Ita distinguit *Fab. d. loc.* & rationem habet ex favore possessionis. Favorabilior quippe est detentio quam persecutio *l.* 1. *ff. de Pignoribus l. un. C. etiam ob chirograph. pecun.* In pari causa semper potiot est causa possessorum, *uti regula Juris habet.*

13. Non ultra interest creditoris, quam ut ex re æstimatâ recipiat partem suam ideò non ultra justa petitio, quæ ex eo quod cujusque interest censetur, nec ultra competit. *l. si venditor.* 6. §. 1. *ff. de Serv. export. l. in hac* 3. §. *Pomponius* 12. *ff. ad exhib.*

14. Actionem non habet, cujus aliqua ratione interest, nisi etiam ex justa causa interfit. *d. l. in hac* 3. §. *si mecum* 11. *ff. ad exhib.*

15. *l. Creditor* §. *à Titio* 8. *ff. qui pot. in pig. l.* 3. C. *de his qui in prior. Cred. loc.*

16. Non est creditori jus post æstimationem aliud, quam ut solutionem ex illa accipiat. Quâ oblatâ caret ulteriori petitione. Solvere potest alius pro alio. *l.* 23 *ff. de solut.* Quidni creditor possidens alii creditori petenti rem solvet & liberabit quod exteto licet *l. res obligata* 21. C. *de Pignoribus.*

17. Beneficium Inventarii hoc hæredi tribuit, ut in onerosis atq; præjudicialibus hæredis loco non censeatur, sed tanquam extraneus & hujus jure uti

Digitized by Google

aditio non impedit, *Cloſſius in Conſuet. Burg. in rubr.* 10. §. 1. *Pinnus in tr. de hæred. part.* 5. *num.* 20.

18. *l. fin.* §. *licentia.* §. *ſeq. C. de jur. dè lib.*

19. Exceptio diſcuſſionis competit cuivis tertio juſto poſſeſſori contra creditorem. *Novell.* 4. §. *fin.*

20. Hoc enim eſt alium pro alio adſtringere, *contra l.* 1. *C. ut alt.*

DECISIO IV.

Pecuniam credens, ut anteriori creditori ſolvatur, & rem huic oppignoratam in pignus accipiens, etſi cum hujus conſenſu, ipſi tamen non anteferetur nec aquiparatur, nec ultra gaudet ſucceſſione in jus iſtius quam accepit.

DEbitor ut priori creditori ſolveret ab alio mutuo pecuniam accepit & quod iſtius erat pignus, huic ſupponit & quidem cum iſtius ſcitu & aſſenſu. At acceptam pecuniam totam iſti non ſolvit, aliquam partem in alios uſus convertit. Poſtea ſecundus creditor in prædium hypothecatum ſemet immitti petit, decretum immiſſionis impetrat. At prior creditor ab illo appellat, anterius hypothecæ jus obtendens. (1) Juſtâ nititur ratione, quod ſolutione omnis crediti nondum factâ pro reſiquo jus pignoris integrum eſt, (2) ut ut vel minima reſidua eſſet portio. Et quidem quatenus non ſolutum eſt, ei ſecundum creditorem non eſſe anteferendum dubio carebat. Etſi enim oppignoratione iſti factæ ſciens non contradixerit, imo, ſi expreſſe conſenſerit, tamen cum hoc factum ſit hac mente ſi reciperet creditum; (3) & eâ ſpe, quod à ſecundo creditore mutuo datam pecuniam acceptu ris ſit, eo non facto remiſiſſe non intelligitur, (4) ſed integram actionem habet. Id vero aliquid dubii habebat, annon ſecundus creditor eo uſque ac ex ſuâ pecunia prior acceperat cum iſto concurrere, atque idcirco penitus ab immiſſione excludi non deberet? Verum ex juris regulis re hac rutinatâ exiſtimatum eſt, ſecundum etiam in iſtâ parte nihil juris habere poſſe antequam priori penitus ſit ſatisfactum. Pignus quippe eſt individuum, (5) & pro omni parte debiti anterius, (6) & licet ea convenrio, quæ acceſſerat, faceret ut poſterior in locum prioris ſuccederet, haud tamen antea id fit, quam cum prior pecuniâ illius dimiſſus eſt. (7) Pro eo quod accepit non alia mente pignus remittitur, quam ut & reliquum accipiatur, (8) ideo pro hoc pignus prius retinetur, nec præter mentem illud dividi poteſt. Imputare ſibi debet ſecundus, quod cum in prioris locum ſuccedere vellet, non curavit ut & omnis pecunia ad illum deveniret. (9) Ut ut verò juſta eſſet prioris creditoris ad impediendam immiſſionem intentio, attamen appellatione non eguit. (10) Hoc conſideratum *in cauſa heredum Johann Berckhanen contra Detloff Moltken, die* 14. *Aprilis Anno* 1656.

1. Quamdiu non intervenit prior, ſecundum creditorem judici immittere integrum eſt; ſicut priori poſtea vindicare & auferre. *l. creditor* 12. *in pr. ff. qui pot. in pign.* at cum accedit ejus interventio, antequam ei ſatisfactum, ſecundus nihil impetrat.

2. *l. ſi rem* 9 § *omnis* 3. *ff. de Pignorat. act. C. de Negoc. geſt. l. quamdiu* 6. *C. de Deſtruct. pign. l. ult. fin. C. de Luit. pignor.*

3. Ubi quis ſcit integrum ſibi pignus conſentiens non remittit. *l. ſicut* 8. §. *non videtur* 16. *ff. quib. modis pign. vel hypoth.*

4. Sub ſpe pignus remittens vel cedens eâ fruſtrata jus ſalvum habet, *l. fidejuſſor* 26. *pr. ff. de pignor. l.* 1. *C. de Dol. mal.*

5. Individua eſt pignoris cauſa, *l. rem hereditariam* 65. *ff. de Eviction.*

6. *l. Lucius* 18. *ff. qui pot. in pign.*

7. Quâ extraneum ut ſuccedat in locum anterioris, requiritur tum conventio tum prioris dimiſſio. *l. ſi potiores* 3. *C. de his qui in prior. loc.*

8. Habet eam naturalem conditionem pignus, ſi ſoluta ſit pecunia, *l. greges* 13. §. *etiam* 4. *ff. de Pignor.*

9. *l. creditor* 3. §. 1 *ff. qui pot. in pign.*

10. Poſſit enim ſibi conſulere apud priorem judicem intervertione, quæ poteſt impedire executionem ex tertii jure potiore. *Gail.* 1. *Obſerv.* 78. *n.* 5.

DECISIO V.

Solvens creditori in ejus locum ſuccedit aliquando etiam ſine ceſſione.

MUltum intereſt, an aliquis pecuniam debitori credit, ut ipſam ſolvat creditori pignoratitio, an vero quis ipſemet creditori creditum ſolvit. In priori ſpecie creditor ſecundus non ſuccedit in locum prioris, niſi accedente ſuper eo ſpeciali conventione cum debitore. (1) At in poſteriori tali inter debitorem & creditorem ſecundum opus non eſt, ſed qui ſolvit ſuccedit in locum prioris, modo hic ipſe jura ſua illi cedat, (2) quod non modo expreſſi & ſolenni ceſſione fit, ſed etiam tacite per tales actus, qui indicant voluntatem cedendi, aut non aliter ſolvendi quam cum conditione ſucceſſionis. (3) Aliquando verò etiam ſine ceſſione ſolvens

Digitized by Google

creditori in jura ipsius succedit, veluti ubi rex solventi jus successionis tribuit; (4) vel judex ob solutionem factam rem pignoratam addicit; (5) vel solvens sibi emit & comparat seu rem ipsam oppignoratam seu nomen. (6) Quod consideratum *in causa liberorum Nicolai Baulistorffen contra hæredes Danielis Schmolcken die 27. Julii Anno* 1656.

1. *l. a. C. de his qui in priorem cred. succ.*

2. *l. si cum pecuniam 3. C. de Privileg. fisc.*

3. Exemplum in constitutione pignoris seu conventione ut jus prioris creditoris alteri pignoris sit, ponit *Faber in Cod. lib. 8. tit. 9. defin. 4.*

4. Quemadmodum lex domina rerum, *l. 2. ff. de legib.* sine traditione potest transferre dominia & tacita inducere pignora, ita sine dubio pro cessione esse valet, ubi jus successionis dat, *ut exemplum habemus in l. si venditor §. ult. ff. de reb. auth. jud. possid. d. l. 2. ff. de cess. bon. l. 1. §. nunc tractemus ff. de tutel. & rat. distrah.*

5. *l. fin. C. de Privileg. fisc.*

6. *l. si potiores 3. C. de his qui in potiorem cred. succ. l. ult. 5. C. de Solut.* Ejusmodi emptio juris ejus quod dimissus creditor habet, in dubio facta intelligitur, quia aliter animo quisquam solvisse non creditur, *d. l. si cum pecuniam ib. Bartol. C. de Privil. Fisc.*

DECISIO VI.

Secundus creditor non potest ex jure offerendi desiderare, ut prior creditor solutionem recipiat juxta recentiorem imperii constitutionem, etsi ejus beneficio possit uti debitor.

Circa jus offerendi, quod secundus creditor habet, ut prior oblatô credito teneatur cedere jus pignoris alteri, (1) in quæstionem venit; An ille amplius teneatur offerre quàm debitorem per nuperam imperii constitutionem oportuit solvere, cui illa remisit tres quartas usurarum residuarum, & indulget particularem solutionem in diversos terminos distinctam. (2) Secundus creditor putabat sibi amplius non incumbere quam debitori, (3) ideoque solvendo in quantum iste tenetur non posse primum à se avocare pignoris possessionem. At primus à contra Constitutionis Imperialis beneficium personale, (3) & debitoris proprium dicebat quo uti alius non posset, nisi de quo ista disponit. Discernere autem oportet remissionem usurarum & indultam solutionem particularem. Illam quod attinet secundus creditor non potest ultra ad offerendum teneri quam ipse debitor ad solvendum, qui debitum illarum usque ad quartam partem extinctum plane & cassatum est. (4) Ut creditori non supersit petitio. At in reliquo manet debitum, solutioni saltem modus est dictus, (5) debitoris gratiâ & quidem per jus singulare contra regulas juris communis, (6) quod trahi non debet in consequentias. (7) Quando autem debitor ejusque hæres cedit bona creditoribus, ut ex iis satisfaciat, quousque se vires illorum extendunt, ipsemet beneficium constitutioni abdicat in solutum offerens bona. (8) Quomodo itaque postea debitori non licet pœnitendo revocare cessionem & redire ad oblationem particularis solutionis; (9) ita multô minus secundo creditori licebit quod isti præclusum est. Cujus hic diversa quoque apparet ratio. (10) Consultum enim per prædictam Constitutionem Imperii bellorum calamitate afflictis debitoribus, ne rigore creditorum exuantur reliquis facultatibus, sed ad meliorem fortunam emergendi occasio superstes sit. Quæ non convenit creditori qui de acquirendo & quidem suo cum alterius incommodis accipiendo sollicitus est. (11) Est quoque diversitas ingens, an per jus offerendi quis teneatur recipere debitum, an alium debitorem. Qui sicut invito non obtrudi potest, ita nec justè desiderari, ut loco prioris debitoris secundi creditoris fidem quis sequi cogatur. (12) Nec juvare hunc potest non modo relinquenda primo creditori vetus hypotheca, sed & obtata ejus major securitas ex adjecta novæ citatione. Non enim ei, cui debetur, eripi aut imminui potest occasio suum recipiendi, nec obtrudi aliud quam debetur, (13) nedum quod deterius. (14) Facta cessione bonorum jus habet ex his integrum debitum statim consequendi. (15) Ut hic non spectandum sit, quid antè illum debitori concessum, sed quid post hanc inpræsentiarum creditori liberum. Sic judicatum *in causa Eberhard von Ahnen, suo & socrus nomine agentis contra Nicolaum Tessin, die 28. Octobris Anno* 1656.

1. *De quo vid. l. 1. d. prior 5. C. qui pot. in pign. l. 1. & seq. C. si antiq. cred. pign. vendit.*

2. *Vide Recessum Imperii Ratisponensem Anno 1654. promulgatum.*

3. Quia creditor capit quantum per legem accipere debet.

4. Sic dictus Recessus Imperii §. die verfloffene disponiret, daß alle Anstände der Zinsen und Interesse bis auff dato dieses Reichs Abschieds biß auff den vierten Theil gäntzlich cassiret und aufgehoben. Quæ verba debitum tollunt.

5. Moderamen exactionis continet constitutio, æquitate temperans rigorem judicium.

6. Ex

Digitized by Google

6. Ex istis non conceditur particularis solutio velut multa habens incommoda, *l. planè 3. pr. ff. Famil. Erciscis.* perinde nec aliud pro alio invito creditori in solutum dare permittitur, *l. 2. §. 1. ff. de verb. cred.* non etiam tanta indulgetur dilatio, *l. 1. C. de Usur. rei judic.*

7. *l. quod verò 14 ff. de Legib.*

8. Cessio bonorum est species dationis quousque vires facultatum pertingunt, *l. fin. C. qui bon. ced.*

9. Remittentibus non datur regressus ad ea quibus renunciatum, *l. queritur 14. §. si Venditor 9. ff. de Ædil. Edict.*

10. Quæ efficit divetsum jus, *l. 32. ff. ad L. Aquil.*

11. Non idem favor est ejus, qui de lucro captando certat quàm de damno vitando.

12. *l. 1. l. nec creditore 56. C. de Novat.*

13. *l. 2. ff. de re credit.*

14. *l. non debet 74. ff. de Reg. jur.*

15. Devenitur post eam statim ad distractionem vel adjudicationem bonorum, unde solidum consequi licet, *l. fin. C. de Reb. author. Jud. possid. text. fin. C. de Distract. pignor.*

DECISIO VII.

Succedit creditor in hypothecam, quæ datione in solutum rei sibi oppignerata liberata est, sine cessione aut conventione.

QUemadmodum creditor posterior, cujus pecunia anterior dimittitur, succedit in locum anterioris, etsi nulla de eo facta sit conventio aut cessio (1) ita & cum anterioris creditoris hypotheca liberata est à nexu pignoris per dationem in solutum rei alteri oppignoratæ hic succedit in pignus & ejus jure fruitur. (2) Eadem quippe est ratio, (3) nec aliis creditoribus, qui non dimisso creditore potius jus habent, causa de eo querendi, cum nihil iis decedat. Quamdiu enim illi creditori priori non satisfactum, nihil juris in re habituri sunt, (4) illi autem ex alieno pignore, nisi hujus vice sit res, quæ reluitur, non satisfiet, dum retractabitur actus, si creditor suum persequetur pignus, (5) ideoque redibit prior ad rem sibi obnoxiam. (6) Ad quos circuitus devitandos, dum nihil injuriæ infertur aliis, successio in locum alterius admittitur; (7) ita ut etiam tertius creditor præferatur, si ejus pecunia ad illum pervenerit, qui rem illam quæ priori creditori obligata fuit potuerat veluti anterioris pignoris jure retinere. (8) Ita judicatum *in causa liberorum Wedige Behren contra Arend Mollendorff. Die 13. Oct. Anno 1658.*

1. Ea est differentia inter creditorem & extraneum, cujus pecunia dimittitur prior creditor; *l. 1. & 2. C. de his qui in prior. cred. loc.*

2. In locum substituitur tertius creditor, cujus pecunia dimittitur prior. *l. Claudius 16. ff. qui pot. in pign.* Res pro pecunia est, nec refert soluta sit aliena pecunia, an res in solutum data sit. Quia datio talis pro solutione est. *l. 4. C. de solut.* Quæ autem alteri pignori obnoxia habetur pro re ejus, intuitu actionis quam ad rem habet. *l. 143. ff. de V. S. l. 15. ff. de Reg. jur.*

3. Quid enim refert pecuniam nostram alteri concedere, an rem ex qua pecunia redigi potest. Dat pecuniam qui dat rem unde redigitur.

4. Potiori creditori prius satisfaciendum est. *l. 1. cod. tit. C. qui pot. in pign.*

5. Transit res cum onere & contra tertium possessorem est potestas hypothecaria actione pignus avocandi. *l. persecutione 24. C. de Pignor. & Hypoth.*

6. Revocata aut irrita datione in solutum redit res in pristinum statum, revivisit obligatio cum suis accessionibus. *l. eleganter 24. ff. de Pignor. add. l. si quis alium ff. de solut. l. si prædium C. de Evict.*

7. Pro circuitu evitando id factum intelligitur, quod fieri debuit, quo alter jure potiatur.

8. *Vid. Fab. in Cod. l. 8. tit. 9. defin. 2. n. 6.*

DECISIO VIII.

Est Creditori ex cautione indemnitatis fidejussori data hypothecaria actio, cum in eum hujus fit cessio.

CUm fidejussor à creditore conventus pro se liberando huic cessisset indemnitatis cautionem *die Schadelos-Verschreibung*, quam debitor, pro quo intercesserat, pro securitate regressus in casum faciendæ solutionis sub hypothecâ bonorum dederat, isto ex hac hypothecaria agente, quærebatur, an tali actione ex cautione non sibi sed fidejussori data creditor recte experiretur? Siquidem ejus cessio facta non fuisset, haud potuisset Creditor ex eo experiri, quòd non cum ipso sed fidejussore actum & contractum erat. (1) At cum cessio accesserat, (2) nec apparebat cur ea aut illicitâ aut invalida foret, (3) non prohibito per legem eo cedendi modo; conclusum est (4) creditori ut cessionario licere uti ea actione, qua cedens uti potuit, (5) præsertim cum is casus adfuit, in quo fidejussor conventus istam intentare potuit. (6) Nec enim refert, quomodo hic satisfaciat, suis an debitoris bonis, quatenus in illa jus habet. Nam si creditor consentit, seu ita vult, ubi fidejussor conventus contra reum egit, ut se liberaret ab illius actione hic in bona hujus immittitur. (7) *In causa Adami a Plessen Appellantis contra D. Ertmannum Ernestum Ludovicum Baronem in Putbus. die 17. Januarii An. 1659.*

1. *l. quacunque 21. ff. de Obligat. & Act.*

2. Cessio.

Digitized by Google

2. Cessio actionis transfert jus cedentis in cessionarium, ut perinde atque ipse autor actione uti iterve experiri possit. *l.* 3. 16. *Salicet. & Sichard. C. de Novat.*

3. Cessiones actionum ubi non in fraudem alicujus fiunt, licitæ sunt, & qui aliquam illicitam dicit, probare debet. *Bartol. in l.* 1. *ff. de Alien. jud. mut.*

4. Fidejussor, qui sibi cautione prospectum voluit, permittendus est quocunque modo potest sibi consulere: Plenissimo quippe cum effectu illud genus cautionis accipiendum est.

5. Cessionarius personâ cedentis fungitur *l. empter* 5. C. *de hared. vendit.*

6. Fidejussori contra reum pro quo intercessit, actio mandati, multo magis ex speciali cautione indemnitatis est, antequam solvit, quo liberetur. *l. Lucius* 38. §. 1 *ff. mandat. l. si pro ea* 10. C. *eod.* Ut vero ipsemet tunc experiri potest, quo per debitorem liberetur, ita quod hic ex illa actione præstare debet, ejus petitionem cedere potest: Est enim ea potestas jura sua alteri cedendi naturali gentium jure permissa. §. *per traditionem* 40. *Inst. de Acquir. rer. dom.*

7. Frequens est, quod fidejussor à Creditore conventus curat debitorem citari, & contra illum simultaneo processu agit, eo effectu, ut cum ipse condemnatur debitor simul ad illum aut liberandum, aut quod ipse solvet, refundendum damnetur, pariterque executio procedat, *vid. Hering. de fidejussor. cap.* 25. *num.* 10 Cujus rei æquitas statim patet. Nec infrequens, aut condemnatione utraque facta, vel executione decreta, creditor malit in bona debitoris quam fidejussoris immitti, & pro ambagibus vitandis hoc permitti. Quod in hac specie licet, quare in alia simili idem non liceat, non apparet.

DECISIO IX.

Ex cujus pecunia dimittitur creditor avitus, is succedit in locum & privilegium illius.

QUando creditores aviti & paterni etiam nudi chirographarii ex consuetudine provinciali id privilegium obtinuerunt, ut etiam non petita bonorum separatione jus anterius seu privilegium habeant ante creditores filii, ut ut hypothecarii seu privilegiati sint, utique eodem jure gaudent etiam hi quorum pecunia dimissi sunt; quippe personale id est istorum creditorum privilegium & personalis saltem actio: Constat in personalibus actionibus, qui postea contraxerunt, si pecunia eorum ad priores & privilegiarios creditores pervenerit in ipsorum locum & jus succedere. (1) Utrum rectâ via per creditorem, an per debitoris personam nihil refert. (2) Quando itaque allegabatur collocatam fuisse in illam causam pecuniam aut acceptam, placuit illi privilegio locum relinquere, dummodo versio & inde successio probetur. Ad quod probandum ideo admissa fuerit. *In causâ uxoris Nicolai Horn contra Creditores ejusdem die* 25. *Martii Anno* 1659.

1. *l. si ventri* 24. §. *fin. ff. de bon. aut. jud. poss. l.* 2. *ff. de Cess. bon. l. item si* 7. §. *antepen. ff. ad SC. Macedon. l.* 1. §. *nunc tractemus* 10. *ff. de tutel. & rat. distrah.*

2. *l. si ventri* §. *ult. ff. de reb. aut jud. possid. vid. Fab. in C. lib.* 8. *tit.* 9. *def.* 1. *n.* 2.

DECISIO X.

Ex permutatione patris, super re liberis pro dote aliisque illatis maternis obligata, cum aliquo suorum creditorum, cæteris tamen anteriore, isti in hujus locum succedunt, & cæteris præferuntur.

INterveniebant liberi prioris matrimonii pro dote & illatis maternis contra immissionem creditoris in bona patris, quæ antea alii creditori magis privilegiato, nempe cujus pecuniâ empta & pro ea hypothecata fuerunt obligata, sed ab ejus nexu liberata fuerunt, ita tamen quod pater ei prædium, quod liberorum pro dote cæterisque pignus fuerat, in solutum dedisset, ea tamen mente atque lege, ut liberis viciss. jura anterioris creditoris in præfatis bonis cederent, atque sic magis permutatio hypothecarum quam liberatio fieret. Post disputationem super prioritate apparente ex actis negocii qualitate dubitatum non est, liberos in locum dimissi creditoris anterioris successisse. Etsi enim aliàs cum priori creditori solvitur à debitore pecunia alterius, quo hic in jura illius succedat, oportet aut inter debitorem & creditorem convenisse de pignore, (1) aut creditoris cessa esse, (2) aliàs cui eadem bona non sunt obligata, atque eorum intuitu pro extraneo habetur, & successione non fruitur, (3) attamen ad hanc speciem illud applicari non potest, ubi cum mente permutandi solutio alii creditori facta fuit, & illa permutatio cessionem in se continet. (4) Nec refert, quod non liberi ipsi permutarunt, sed pater, (5) fecit enim ipsorum nomine & causâ, ideo perinde est atque si ipsimet fecissent. (6) Præterea nec liberi pro extraneis plane haberi possint, cum eis generalis hypotheca in omnibus parentum bonis pro dote materna competat, (7) & quidem insigni cum privilegio. (8) Unde cum ipsorum pecunia, aut quod perinde est, re oppignorata, creditor anterior

Digitized by Google

rior dimittitur, ex hoc solo successionis beneficio fruuntur. (9) Accedit patris providentia; nam cum debitor ex aliena pecunia solvens creditori à quo mutuatur, etiam sine conventione aliâ cum dimissio prospicere possit, (10) cur non patri, cum id facere debeat, permittendum, ut pro liberis ita vigilet, ideo eo fine factum in eundem valere & operari. (11) *In causa Wedige Behren contra Arend Mollendorff die 4. Octob. Anno 1659.*

1. *l. 2. C. de his qui in prior. cred. loc.*
2. *Faber in C. lib. 8. tit. 9. defin. 6.*
3. *l. 1. ib. Gloss. Cynus & alii C. dict. tit.*
4. Habet effectum venditionis *l. 1. ff. de Permut.*
5. Pater & liberi vicem ejusdem personæ habent *l. fin. C. de impub. & al. sub.*
6. Quod alius nostro nomine facit, idem est ac si ipsemet fecissemus *l. 1. l. 2. ff. de negoc. gest.*
7. *l. un. §. 1. & seq. C. de Rei uxor. action.*
8. *l. fin. C. qui pot. in pign.*
9. *l. ult. C. de his qui in prior. cred. l. 1. Cod. qui pot. in pign.*
10. *Faber in Cod. dict. tit. 9. defin. 4. in pr.*
11. *l. fin. C. de bon. quæ liber.*

Juxta hæc ita pronunciatum.

In Sachen Wedige Behren Kinder erster Ehe Appellanten wider Arent von Möllendorffen Appellaten, in puncto interventionis & prælationis am Gute Werder / wird erkant / daß so viel die am Gute Dolgen gehabte / auch in der Ehestifftung und darüber ertheileten Fürstlichen Consens bemeldte Forderungen betrifft / damit Appellanten dem Appellaten an dem Gute Werder wie solches durch bemelten Dolgen von der Rüssowischen Forderung befreyet / vorzuziehen / und zu erst so viel dem Appellanten anzuweisen / ehe Arent Möllendorff die ihm zuerkante Forderung darauß erheben möchte / wie dann der Anweisung halber auff ferner Anhalten ergehet was sich gebühret. Von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Wedige Behren liberorum primi matrimonii appellantium contra Arendum à Möllendorffen appellatum in puncto Interventionis & prælationis in prædio Werder, decernimus, quod quantum in prædio Dolgen habitas ac in pactis dotalibus & deinper dato principis consensu memoratas prætensiones contemnit, catenus appellantes appellato in prædio Werder, prout illud per dictum Dolgen à prætensione Rüssovica liberatum præferendi, & prius tantum appellantibus assignandum antequam Arend Möllendorff adjudicatam ipsi prætensionem inde capere posset, prout ratione assignationis ad ulteriorem implorationem fiet quod convenit. idque de jure.

DECISIO XI.

Mulier non succedit in locum anterioris creditoris privilegiati à quo per dotem acceptam semet liberavit maritus nisi id soluta fuerit.

Quod creditoribus quorum pecunia anterioris privilegiati dimittuntur competit jus in istorum locum etiam sine conventione succedant (1) alias quidem non aliter obtinet, quam si ad eum finem credita sit pecunia (2) & si statim in istum usum insumatur. (3) Nec doti mulieris privilegium competit ut accepta & versa ad liberationem à creditore privilegiato hujus juribus potiatur cum in eum finem data aut promissa non est, ut inde satisfiat creditoribus privilegiariis, (4) Nec enim sine certa lege jus singulare constituendum est in aliorum præjudicium. Etsi enim dotium favor magnus est, attamen licentiam non præbet privilegia tribuendi quæ lex aut Princeps non tribuit. *Sic judicatum in causa uxoris Claus Horns contra ejusdem creditores die 9. April. Anno 1661.*

1. *l. si ventri 24. § fin. ff. de reb. auctor. jud. poss.*
2. *l. debitor 12. §. à Titio l. cum qui 17 ff. qui pot. in pign. l. 2 ff. de cess. bon. in quo expresse hoc requiritur Bart. in l. Aristo ff. qua res pign.* Nec ratio finit ut alicui sine mente habendi privilegium per alium quæratur.
3. *d. l. si ventri §. ult. ejus rationem vid. ap. Faber in C. lib. 8. tit. 9. defin. 1. in fin.*
4. *vid. inter decis. nostras p. 5. decis. 263. num. 1.*

TIT. XX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXI.

SI COMMUNIS RES PIGNORI data sit.

DECISIO UNICA.

De vi pignoris in re communi ab uno hæredum constituti.

Fundus communis à cohæredum uno oppignoratus pro parte oppignorantis valide obligatus est, (1) pro partibus autem aliorum hypotheca non tenet, (2) nisi aut ipsi oppignorationi consenserint, (3) aut factum postea approbaverint. (4) Quorum alterum cum appareat tam in as-

sentien-

Digitized by Google

sentientis quam oppignorantis partem fiet hypothecæ prosecutio. *In causa Adami von Platen contra Herren Ernst Ludwigen Freyherrn zu Putbus die 18. Januarii Anno* 1661.

1. *l. un. C. ſ commun. res pign. data.*

2. Quod alienum pignori dare non licet, & datum non valet *l. 1. C. ſi res al. pign. dat.* ideo nec commune, pro partibus quæ non sunt oppignorantur *d. l. un. l. 2. C. comman. div. l. ſi fratres C. commun. utriusque jud.*

3. Ex consensu domini valet rei alienæ pignus *l. 20. §. 1. C. ſi res al. pig.*

4. *l. Pomponius 5. §. ult. ff. in quib. caus. pign. vel hyp.*

TIT. XXII.

DE PRÆTORIO PIGNORE, & ut in actionibus etiam debitorum missio prætorii pignoris prætedat.

DECISIO I.

Qualis immissio est quæ ex Constitutione Ducatus Bremensis sit.

FActa duorum in eadem bona immissione creditorum, & inter hos deinde exorta contentione circa fructuum perceptionem, præprimis pro norma observandum est, quid tribuat ea immissio, quæ fit juxta Constitutionem Ducatus Bremensis *Von den Wucherlichen* Contracten. De qua varie disputatum sæpe est. Advocati prout suis clientibus conducere putant, de ea argumentantur, inde mox immissioni ex primo mox eidem ex secundo decreto æquant, & inde collectiones faciunt. (1) Quod disputationi & ex hac dispectioni postea locum fecit, ad quam speciem illa referenda sit? Nos erronee ad alterutram tantum referri putamus, ideo neutrius eam exemplum post diligentem considerationem facimus, sed anomalum genus non ex illarum specie aliqua sed ex lege sua, quam præcepta constitutio indidit censendum. (2) Unde semper qua illam præprimis considerandum & sequendum, quod ista Constitutio continet, & quod ejus fini atque menti convenit. Ut hoc diversimode primo vel secundo decreto convenit, ita argumenta quidem ex uno vel altero adhibere licebit, at caute, ne quid contra vel præter mentem legis inducatur. Id vero certum, si uni illorum hæc immissio assimilanda erit, propius illam accedere ad immissionem ex secundo decreto multumque ex illius effectibus assumere. (4) Non tamen omnes, uti mox videbimus. Hæc discussa sunt *in causa Otto Clüvers contra Johann Dickhoffen. Die 17. Januarii Anno* 1657.

1. Ex legibus Romanis hæc est immissionis distinctio, quod alia est ex primo alia ex secundo decreto. Quarum definitiones proprietates & effectus latius exponit *Wesenbec. in Parat. ff. Quib. ex caus. in poſſeſſ. eat.*

2. Ut alias moderni JCti nimis faciles & inconsiderati sunt *in iis*, quæ recentiora tempora invenerint, veteribus Romanorum institutis, ita explicare, ut eadem facere velint, quæ diversissima sunt & exinde magnus lapsus JCtorum & corruptela veræ Jurisprudentiæ exstitit, ita etiam idem in hac specie fit.

3. Rem quamvis ex sua origine & forma censere oportet. *l. 1. pr. ff. de Orgin. jur.*

4. Accipitur ex immissione juxta Constitutionem Bremensem possessio, fructuum perceptio, retentio donec solvitur. Quæ a primo decreto aliena sunt, de pignore jam videamus.

DECISIO II.

Immissio juxta Constitutionem Ducatus Bremensis facta, pignus tribuit & quale.

IN dubitationem venit, utrumne immissio, quæ fit juxta tenorem prædictæ constitutionis *von wucherlichen* Contracten, pignus quoddam tribuat & quale? Dubitandi causam faciebat, quod exactis judicialibus deprehendebatur, eos qui immissi fuerant, cum prioritatis quæstio decidebatur, inter chirographarios aliquando esse positos. At qua ratione id factum fuerit, non apparet. Hoc vero ex lege satis perspicuum credidimus, si immissio, si antea pignus non habuerit, ex illa tamen contingere. Tum quod finem ejus illa lex hunc fecit ut assecuratus sit creditor, (1) tum quia sine pignore finem suum & effectum non potest adipisci; (2) tum quia alias ex jure communi immissio pignus tribuit, (3) cui lex non modo non derogavit, sed amplius compendium & majorem securitatem superaddere voluit, ut ultra jus commune prospectum esset. (4) Pignus autem quod eo existit prætorium esse putavimus, (5) & tale quale eius ex jure communi vel consuetudine per immissionem impetratur. (6) *In eadem causa.*

1. Videas hoc tum ex scopo illius constitutionis, tum ex verbis præsertim in §. Was aber sonsten verb. Damit aber nichts destoweniger fürsichtig den Gläubigern mit gnugsamer Versicherung geholffen werden möge.

2. Quo fine finis obtineri potest, id concessum intelligitur. *l. 5. ff. de jurisdict.*

3. *l. 1. C. de Prætor. Pignor.*

Digitized by Google

4. Novum beneficium non censetur abolere vetus, sed ita concessum illud, ut hoc integrum & uti liberum sit. *l. fin. §. per §. ult. C. de Jur. delibe.*

5. Aliis pignorum speciebus non convenit.

6. Sic immissio, intelligenda ut mores loci accipiunt & observant, quibus lex sua attemperare debetur. *l. 2. C. qua sit long. consuetud.*

DECISIO III.

Creditor, cujus jura ex actis potiora apparent, defendendus est in perceptione fructuum contra secunda immissum.

CUm plures creditores in eadem debitoris bona immittuntur, aut non apparet quorum jura sint potiora & communis illorum possessio atque fructuum perceptio esse debet, donec facta ab omnibus prioritatis deductione apparet quibus prærogativa debetur (1) nisi jam unus ante cæterorum immissionem in possessione sit. Tunc is relinquendus erit in eadem, (2) donec reliqui se potius aut idem jus habere demonstrabunt, & super illo judex cum causæ cognitione statuet. (3) Quod si vero statim in propatulo est, aliquem istorum potiorem esse, vel ex privilegio non controverso, vel ex tempore, ei præcedens perceptio fructuum, donec satisfiat, concedenda, multo magis cum habebit, relinquenda est. (4) Ita judicatum *in eadem causa.*

1. *Juxta l. quod autem 6. §. sciendum 7. ff. qua in fraud. credit.*

2. Prior tempore potior est jure. *l. prior. 11. pr. ff. qui pot. in pign.*

3. Nemo sine causæ cognitione possessionem sua destituendus est. *l. 1. C. si cui per vim vel.*

4. Cum notoria est alicujus prærogativa statim cedere debet minus juris habens.

Juxta has decisiones ita pronunciatum fuit.

(1) Es ist Sachen Otto Cluvern Appellanten wider Johann Dickhoffen Appellaten in puncto Prælationis Worinnen (2) einigen Höfen worden die gravamina als unerheblich zu fernerer Ausführung ungenommen / demnach Appellaten von eingebrachten libello Copey erkandt / und was sich gebühret proxima darauff zuverhandlen aufferleget / Von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wismar den 19. Januarii Anno 1657.

(Hoc est.) In causa Ottonis Cluvern appellantis contra Joannem Dickhoven appellatum in puncto prælationis in aliquibus curiis, gravamina tanquam non irrelevantia ad ulteriorem deductionem recipimus inde appellato exhibiti libelli copiam decernimus & ut desuper quod convenit in proxima agat injungimus. Idque de jure. Public. in summo Tribunali Wismar. 19. Januarii 1657.

DECISIO IV.

Ex prætorio pignore possidenti creditori alius creditor non tenetur offerre creditum, sed distractis vel retentis bonis tantis quæ ipsi sufficiunt, reliquum cæteris cedere vel relinquere opus habet.

CUm alicui ex conventione pignus constitutum resque pignori suppositæ traditæ fuerint, secundus vel alius creditor obtinere non potest, ut ille saltem retentis quantum ad securitatem vel solutionem sufficit cæteris decedat eaque aliis creditoribus relinquat. (1) Salterum his si id postulant atque impetrare volunt, jus est offerendi creditum, (2) secus se res habet, cum ex judicis decreto seu per immissionem pignus constitutum est, quod prætorium vocamus, (3) Ratio diversitatis manifesta est. Nam per hoc non similiter creditor individuum nexum in omnia debitoris bona impetrat, sed tantum pro quantitate crediti. (4) Etsi enim illud in multis bonis pro exiguo credito constitui potest, (5) non tamen effectum ultra necessitatem habet. (6) Deinde qui in possessionem bonorum à prætore mittitur, impedire nequit, quo minus cæteri etiam jus suum exequi possint. Quod si ultra judex extendere velit immissionem, committit excessum executionis, (7) à quo appellari potest. (8) Audiendus itaque est secundus creditor qui excussionem bonorum & ex iis tantum æquè sufficit prius immisso assignari in reliqua se immitti aut sibi relinqui petit. Ut judicatum *in causa Claus Paulsenssen Kinder, contra Daniel Schmellen Erben, die 27. Julii Anno 1656.*

1. Individuus est pignoris conventionalis nexus, *l. rem hereditariam 6. ff. de Evict. l. quamvis 5. C. de Distinct. pign.* ideo nisi toto debito soluto jus est in omnia oppignorata creditori integrum, etiam vel minimum tantum superit, *l. 2. C. de remiss. pign. imped. non poss.*

2. *l. 1. l. fin. C. si unic. cred. pignus vend.*

3. *De quo videndus text. in C. de pignor.*

4. *Salicetus hic num. 4. C. eod.*

5. *In ff. quod jus cum ff. pos. hab.*

6. *Faber in Cod. lib. 8. tit. 32. defin. 7.*

7. *Fab. in Cod. lib. 7. tit. 32. defin. 19.*

8. *Glossa l. ab executione verb. excedat C. quæ appellat. non recip. ibid. Salic. num. 4. Conferas. ult. num. 21. C. si de moment. possess.*

9. *Soncs. de Appellat. quæst. 17. limit. 10. num. 11.*

DECI-

DECISIO V.

De officio creditoris cui nomen pignori datum est, circa hujus exactionem, & quousque ejus periculo est.

CUi pignori nomen datur jus exigendi ex eo contractu nanciscitur, & siquidem per exactionem pecuniam accipit, in creditum imputat: si verò in res debitoris immittitur, vel istæ in solutum dantur, pignori sunt, (1) at nominis, utut cessione ad agendum accedente, non fit dominus, (2) quare non est ejus periculo id ipsum nomen, (3) & casus circa illud accidens non liberat debitorem aut onerat creditorem, (4) nisi accesserit ejus culpa, eaque talis ob quam de subsecutis ex illa obligatur. (5) Quæ autem & qualis obligat, statuendum est ex eo, quod circa oppignorationem nomini convenit. (6) Aut pignori datur & simul convenit, ut exactionem faciat creditor, aut simpliciter pro securitate in manus traditur. Cum creditor cum ea lege recipit, ut non modò pignori habeat, sed etiam à debitore exigat, & acceptum cum credito compenset, non tantùm tenetur, ut de pignore ejusque custodia, sed etiam ut ex mandato, cujus contractus aut pactio ex tali conventione accedit. Quando itaque mandatarius tenetur ad diligentiam non modò mediam, sed & exactissimam, ideò de culpa non saltem levi, sed etiam leviſſima, (7) utique longè inde magis diligens esse debet in exigendo: Etsi non ità in exactione versatus sit, ut diligentissimo homini convenit, de eo quod inde oritur, damq tenetur. Idcircò non modo per ejus objectionem probata negligentia excluditur à petitione crediti, sed etiam quod amplius fuit in nomine oppignorato, id quoque tanquam sua culpa amissum mandati actione refundet. (8) Sicubi creditor nomen simpliciter pignori acceperit sine recepta exactionis lege, tunc tantum, ut de pignore servando obnoxius est, ad istud non tenetur, etsi ob illam non factam nomen deterius esse cœperit, modo nihil alias neglectum sit quod creditoris proprium, non excluditur ideò à repetitione crediti, multo minus oneratur repetitione residui. Ut autem custodia pignoris creditori incumbit, & ob illam eamque talem quæ boni patrisfamilias est omissam, pignoratitia tenebitur. (9) Incidebat de hoc inspectio de tali casu, quod debitor creditori nomen quingentorum imperialium pro securitate mutui 200. Imperialium pignori dederat hoc pacto, ut à debitore debitoris exigeret creditum, eo non recepto debitor solvere vellet. Eveniebat autem debitorem debitoris bonis cedere, ejusdem creditores primò ad liquidandum postea ad distributionem bonorum votari. At priorem creditorem, qui nomen oppignoratum tenebat, comparere, istud profiteri, in secundo autem emanere extrajudicialiter verò protestari, quod bona in solutum accipere nollet, sed potius convenire fidejussores, denunciare etiam hoc à sero debitori suo à quo nomen acceperat inde judicem ad distributionem progredi, emanentis nullam rationem habere, in cæteros bona partiri. Quando autem deinde creditor à suo debitore debitum petebat, opponebatur ipsi tum suæ negligentiæ damnum, inde exclusa crediti repetitio, tum debitum 300. Imperiales, qui amplius nomine erant, tanquam sua culpa amissos reparandi. Cum prior judex injunxisset probationem negligentiæ, & pro ea superius scripta essent allegata in secunda instantia disputabatur, utrum ea negligentia esset, quæ faceret, ut & creditoris actio cessaret & obligatio ad superfluum nata esset. Primo non repertum est creditorem oppignorato nomine in se ex mandato actionem recepisse, sed pignus tantum ita ut tentaret, an à debitore debitoris ducentos imperiales accipere posset, si non, cuperet aliter solutionem faciendam esse. Cui dicto mandatum non inest, sed res constitit in nudi pignoris terminis, ideò non ultra creditor tenetur, quam ne sua culpa pignus deterius fiat. Deinde putabat hoc præcautum, quando ille citatis ad liquidandum creditoribus nomen professus erat, ut ejus in concursu circa distributionem bonorum haberetur ratio. Hoc tantùm, nec ultra quid à creditore tali, qui exactionem non debet, requiritur. Præstatur per hoc integra nominis conditio. Si quid ultra factum velit debitor qui pignori dedit, id curare debuit, quando eorum quæ agerentur non fuit ignarus. Fruſtrà regerit se fretum spe diligentiæ creditoris omisisse curam, cum talis opinio aut credulitas nec ipsi proficiat, nec alteri noceat, ut ipse vigilare debuit, alius id facere non op' habuit. Tantò minus aliquid objici potest creditori quod processus rationem suo debitori significat. Non potest ipsi nocere aut præjudicio esse, quod secundo termino distributionis nō comparuit; Quando enim nomen bonum in solutum accipere necesse non fuit, etiam qua ipsum comparendi necessitas cessavit, consequenter ejus neglecti imputatio non est congrua? Satisfecit suo officio in primo termino nomen profitendo. Quod ejus ratio non habita est, videtur ex injuria judicis profectum, quæ non debet nocere

Digitized by Google

ecro creditori sed debitori: Et licet sine ista, factum, tamen qua creditorem sufficit nihil ab ipso fuisse neglectum. *Juxta hæc judicatum in causa Dieterich Vvasserkampffs, contra Fraumüllers Erben, die 18. Octobris Anno 1668.*

1. Ità de effectu ejus pignoris traditur, *in l. 8. §. fin ff. de pign. act. l. nemen 4. C. in quib. reb. pignor. vel hypoth.*

2. *L. ex nomine 8. C. de hared. vel act. vend.*

3. Res perit suo domino.

4. Casum fortuitum nemo præstare debet.

5. *L. 22. §. ult. ff. de pignor. act. Mejer. C. ff. H. tit. de pign. act. th. 5. num. 3.*

6. Pacta enim dant legem contractibus.

7. *L. 23. ff. de R. ff. l. à procuratore 13. C. mandat. Donell. lib. 13. comm. jur. civ. cap. 11.*

8. Qui damnum per negligentiam vel culpam suam alii dat, tenetur actione de damno & ad ejus refusionem est obstrictus.

9. Cum pignus utriusque creditoris sc. & debitoris gratia contrahitur, ad dolum culpam & diligentiam ac custodiam tenetur creditor, *l. si cum venderet 13. §. ult. ff. de pign. act. l. a creditor 3. C. eod.*

TIT. XXIII.

SI IN CAUSA JUDICATI PIgnus captum sit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIV.

SI PIGNUS PIGNORI DAtum sit.

DECISIO I.

Pignoratitia competit contra primum creditorem etsi solutio ejus creditori cui pignus pignoris suppositum fuit, facta fuit, sicut & contra possessorem non creditorem.

CUm pignus pignori datur, (1) integrum & in arbitrio debitoris est, cui solvere velit, utrum primo creditori an creditoris creditori. Non tantum enim illi cui pignus edit, (2) sed etiam huic solvi potest & solutio creditoris creditori facta perinde atque ipsimet facta liberat. (3) Ideo etiam pignoratitiam actionem parit. (4) Siquidem prior creditor possessor adhuc est pignoris, statim restitutioni obnoxius fit. (5) Si vero penes ipsius creditorem existit, agitur ut liberet pignus atque avocet aut efficiat ut debitori reddatur. (6) Quod si secundus possidet etsi primo solutum, tamen ille reddere compellitur. (7) Nec tantum contra creditorem aut ejus creditorem, sed etiam contra alium possessorem actio locum habet. Etsi enim in personam est, (8) tamen velut in rem scripta liberato pignore contra alios possessores quoque exercetur. (9) Hæc considerata sunt *in causa Provisorum Ecclesiæ Gutzcovienſis contra liberos Gerdt Behren, die 26. Sept. Anno 1657.*

1. *Uti per jus civile fieri posse docet tot. tit. C. si pign. dat.*

2. Etsi pignus penes creditoris creditorem est, isti tamen primo creditori recte solvitur.

3. *Solutum 11. §. solutum 5. ff. de pign. act. l. solutum 49. ff. de solut.* Putat quidem Zangerus *in tr. de Exception.* liberari tunc debitorem non ipso jure, sed ope exceptionis tantum, cessis quas adversus creditorem creditoris habet actionibus: At perperam, Legibus allegatis aliud convenit, sicut & rationi. Inest oppignorationi à creditore mandatum de exigendo, ex quo solutum vel receptum ipso jure liberat.

4. *Hac existit soluto debito l. si rem 9. §. omnes l. si rem ff. de Pign. action.*

5. *l. grege 13. §. cum pignori 2. ff. de Pignor. ubi in notis Gothofredus explicat, nihil interesse, an debitum creditor, an creditoris creditor acceperit pecuniam.*

6. *l. potenti 27 ff. de Pignor. act. l. 1. C. si pign. pig. dat.*

7. *l. fin. C. eod.* ubi dicitur, intercessu præsidis ad restitutionem compellendum esse possessorem. Licet per jus civile non sit actio, per æquitatem tamen succedit officium judicis.

8. *l. fin. C. de Distract. Pignor.*

9. De jure quidem civili ita res se non habet, sed ex stricta ejus ratione actio ista personalis ex contractu inter creditorem & debitorem orta contra singularem successorem non habet locum *l. si cum venderet in pr. ff. de Pignor. action. l. 1. ff. de Pignorib. l. 1. C. si antiq. cred. pign. vendit.* At per æquitatem juris Canonici aliud introductum videtur *per c. cum contra de Pignorib.* Ex quo Canonistæ sentiunt actioni pignoratitiæ utili etiam contra istum esse locum. *Vid. VVesenb. in Parat. l. ff. de Pignor. action. n. 7.* Id quod æquiore ratione sequimur, quam ut res oppignorata sine causa apud tertium existens deseratur, vel ad ambages plurimas actionum debitor postquam solvit, remittatur.

DECISIO II.

Solutio facta ei, cui pignus repignoratum fuit, facit locum pignoratitiæ actioni, nec cæteri creditores creditori pignus negare, sed tantum contra concreditorem de accepto agere possunt.

QUod dicitur excitato concursu pares esse omnium creditorum jura, idcirco uni solvi non posse, id qua debitorem cujus bona possidentur, ejusque gratificationem sic obtinet; (1) non similiter qua debitoris debitorem, qui illi pro credito bona oppignoravit atque pignus reluere inten-

Digitized by Google

intendit. (2) Hic etsi post concursum debitori suo secure non solvit, quippe qui pignus restituendi facultatem amplius non habet, (3) tamen ut illud pignoratitia actione recuperet, solvendo ei cui debebetur, creditori efficere & assequi potest. (4) Solvit vero tuto ei qui pignus voluntate creditoris tenet. Et quidem etiam necessario, quia nisi huic solutione facta non potest pignoris possessio recuperari. (5) Non est æquum obesse concursum creditorum, ubi hi isto non obstante sinunt pignus reluendum in manu aliorum. (6) A quo ut reluatur permittunt. Non potest cogi ut deponat debitor pecuniam, quando ista depositione non recuperaturus est pignus, cujus restitutionem impediet, cum iterum oppignoratum fuit, (7) unde non potest non fieri, ut debitor primus in gravissimam & prolixam litem incidat atque pignoratitiam sibi per controversias creditorum difficiliorem reddat. Haud debet post solutionem huic actioni obstare cæterorum creditorum oppositio ex non jure pecuniam accipientis. (8) De eo enim illis ad repetendum solutum actio esse potest, non vero adversus debitorem pignoratitia agentem exceptio, cui nihil imputabitur, cur solverit ei, qui pignus à se liberandum habuit, & à quo rem liberare oportuit, præsertim cum voluntate creditorum res penes eum relinquitur. (9) Secundum hæc judicatum fuit, ubi possessores rei oppignoratæ de solutionis creditori uni, cui pignus in ea cessum erat, factæ injustitia excipiebant *in eadem causa.*

1. Pupillus 24. *ff. quæ in fraud. cred. l. procuratoris* 5. §. *fin. l. seq. ff. de Tribut. action.*

2. Concursus impedit solutionem, ut uni creditorum non fieri, nec ille sibi vigilare possit. *l. quod autem* 6. §. *sciendū* 7. *ff. quæ in fraud. cred.* Sed non reluitionem pignoris, quod debitor & creditor ab alio accepit magis, quam aliasactiones contra debitorem locum habere possent, *l.* 2. §. 1. *ff. de curat. bon. dant.*

3. Cessio bonorum admit bona & circa illa potestatem. *l.* 1. *& tot. tit. ff. &* C. *de Cess. bon.*

4. *l.* 4. C. *quæ res pign. oblig.*

5. Tuetur eum prætor, cui pignus pignori datum est, ut pecuniam à primo debitore exigere possit & quamdiu non exegit, ejus res ipsi pignori sit, *l. si convenit* 18. *pr ff. de Pignor. act.*

6. Qui concedunt usum & possessionem pignoris, relinquunt ab illo reluendi facultatem, *arg. l* 2. *ff. de Jurisdict.*

7. Excludit pignoratitiam exceptio non soluti debiti, *l.* 9. *pr.* §. 1. *ff. de Pignor. act.*

8. Est hæc exceptio de jure & acto Tertii, quam ex legibus scimus invalidam.

9. *De quo agendi jure contra creditores recipientes competente prolixius vide apud Rauchbar. quæst.* 9. *per tot. part.* 2.

TIT. XXV.

DE PARTU PIGNORIS ET omni causa.

DECISIO UNICA.

Fructus pignoris sub pignore sunt; ideo mandatum de non alienando eos sine clausula creditori non decernitur.

ALienatio fructuum regulariter non magis cuiquam ideò quod debet prohiberi potest quam reperitur fruendi facultas, nisi fructus creditori sint obligati. Quod evenit non tantum quando hi pignoris nexu speciali obstringuntur, sed etiam ubi res pignorata tantum est; (1) comprehendit tunc conventio fructus etiam velut accessiones rei, (2) Simile est si conventum de solutione ex annuis fructibus facienda inest & huic pacto pignoris constitutio. Ne tunc iis ad alios usus conversis creditor careat & solvendi media deficiant impetratur ab illo mandatum de non alienando sine clausula velut in re illicita & ad fraudandum creditorem pertinente. *Quale decretum est hæredibus Joachim à Brauns, contra Everdt von Ahnen, die* 8. *Februarii Anno* 1661.

1. *Fab. in* C. *lib.* 8. *tit.* 6. *defin.* 15. *n.* 9. *& seq. ubi hoc declarat.*

2. *l.* 3. C. *in quib. caus. pign. l.* 29. §. 1. *l.* 26. §. *ult. l.* 13. *pr. ff. de pign. Mej.* C. *J. A. tit. de pignor. th.* 12. *in fin.*

TIT. XXVI.

DE REMISSIONE PIGNORIS.

DECISIO I.

Fidem alienantis de satisfactione recipiens & semel secutus pignus alienari permittens, postea ab actione contra successorem singularem excluditur.

INter gravamina appellationis quæ successor feudi ob feudi onus solutum conventus proferebat, exceptio liberationis simul opponebatur; quod creditor, cui adversus rem alienatam ex pignore actio fuerat, passus esset istam ut liberam in solutum alteri dari & satisfactionem à ce-

Digitized by Google

dente oblatam acceptasset. Relevans, ideo admitti dignum visum fuit. Sola quidem patientia alienationis non continet aliquam remissionem pignoris. (1) At si accedit, unde voluntas remissionis per probabilia argumenta colligi potest, (2) excluſus erit ab actione qui semel remisit. (3) Talis vero inest, cum spontaneæ pignoris redditioni, ut alteri traderetur; (4) tum electioni alterius debitoris, veluti si qui alteri cessit, creditori de debitis satisfacere promisit, isque tractatu de eo habito, ut sibi à cedente satisficeret, acceptavit. (5) Fidem istius semel secutus ultra sequi, (6) & viam quam elegit, porro tendere tenetur. Haud supereſt variandi & quod semel relictum repetendi licentia. Etsi verò deinde quæ loco satisfactionis promissa fuerunt, non consequitur creditor, ideo tamen reditus ad rem sua patientia alienatam & fidem alterius sequendo liberatam non conceditur, sed ut semel exstincta obligatio non reviviscit, (7) ita semel liberatus deinde ob casum accedentem obligationi iterum non submittitur, periculum & casus subsequens ipsius est. Cujus species habetur, promissa non præstari. Quo nomine actio contra debitorem semel factum est, non contra alium qui non amplius debet. Frustra in hac specie objicitur, quod de novatione & per hanc liberatione traditur, nec fieri illam nec hanc contingere, nisi expressim id dicetur. (8) Ita enim obtinet qua debitorem ipsum, qui aliter non liberatur: secus est qua rem obligatam & tertium, qui rem antea obligatam consequitur. Cujus liberatio non modo expressa fit remissione, sed etiam tacitâ. Hæc ita considerata sunt *In causa Baronis de Bidal contra haredes viduæ Baronis Salvii die* 16. *Januarii Anno* 1657.

1. *l. sicut* 8. §. *non videtur* 15. *ff. quib. mod. pign. vel hypoth. ubi rationem videas.*

2. Tacita pignoris remissio sufficit, modo de voluntate creditoris verosimiliter constat, *l.* 1. C. *de Remiss. Pignor.*

3. Actiones suas semel remittentibus postea non patet regressus, *l. quæritur* 14. §. *si venditor.* 7. *ff. de Ædilit. dict.*

4. Qui cum pignus posset retinere, debitori reddit, is pignoris jus creditur remisisse, *l.* 3. *ff. de Pact. l. quamvis* 8. *in pr. ff. ad* SC. *Trebell. l. cum ex causa* 9. C. *de Remiss. Pign.* multo magis si ideo facit, ut in alium transferatur. Cum consensus in alienationem sive præcedat, sive sequatur, sit remissio pignoris. *l.* 4. §. 1. *l.* 7. *in pr. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. l.* 2. C. *de remiss. pign.*

5. Ex quavis satisfactione semel approbatâ perit pignus. *l. si cum alienam* 9. §. *omnis* 2. *ff. de Pign. actio. l. solvitur* 5. §. 2. *ff. quib. mod. pign. vel hypoth.*

6. *l.* 1. §. *illud sciendum* 20 *ff. de Superic.*

7. *l. qui res suas* 98. §. *arcam. ff. de solut. l. cum ex causa.* 9. C. *de remiss. pign.*

8. *l. fin.* C. *eod.*

DECISIO II.

Acta facientia ad cognitionem causæ, sed non pars actorum super quibus judex à quo pronunciavit, antequam de relevantia gravaminum & lite contestanda pronunciatur, edi non debent.

POst edita acta prioris instantiæ inter appellantem & appellatum ventilata ille pro gravaminibus justificandis alia acta sed ab isto processu separata allegabat, & à judice prioris instantiæ sine mora avocari nec non in cognitione causæ super gravaminibus suis inspici rogabat. Denegatum autem est illud ipsum petitum & dilatum post pronunciationem super relevantiâ & litis contestationem, (1) quod non essent pars actorum primæ instantiæ in eâdem causâ, sed litis alterius, ideoque ad editionem solitam non pertinerent, (2) sed ad probatoria, quæ post istam differuntur, (3) & si attendi deberent, non admittenda, nisi audito prius adversario & sic ipso sciente. (4) Placuit inde responsiones ad libellum prius injungi, quod rogatum ad terminos probatorios rejici *in causa Joachim Schwartzkopffen, contra Frantz Krügers Erben, die* 2. *Junii Anno* 1654.

1. Judicium quodvis ordinarium tres distinctas habet partes minime confundendas: Litis contestationem, probationem, sententiam. Ad quas cætera omnia judicii referenda & intra istarum terminos coërcenda sunt. *Gail. l. observ.* 74. *n.* 3.

2. Pro appellatione non est alia editio actorum necessaria, quam quæ sunt prioris instantiæ in iis omissum pars istorum non est. *Gail. l. obs.* 134. *num.* 15.

3. Ad probatoria quæ pertinent ante litem contestatam ad acta non deveniunt nec admittuntur. *Gail. l. observ.* 92. *n.* 1.

4. Partis multum interest, ne actis addatur, de quibus ipsi non constat, *arg. l. de unoquoque* 47. *ff. de re judic.*

DECISIO III.

Non facta professio crediti in concursu creditorum rei principalis aut alicujus fidejussorum, quando & juxta statutum, non excludit actionem contra alium fidejussorem.

POstquam in Ducatu Bremensi ex decreto quo-

Digitized by Google

to quodam Archi-Episcopali receptum ut excitato concursu creditorum debitoris creditor qui fidejussores habet in præfixo liquidationis termino comparere, creditum allegare, & mediante productione originalis liquidum reddere; juxtimque protestari debeat, utrum ex bonis debitoris an fidejussorum sibi satisfactum, an verò horum gratia tantum liquidatum velit, sic quoque consuetudine invaluit, ut omissa illa allegatione deinde contra fidejussorem non superfit actio, (1) tanquam quæ cedi non possit. (2) Verùm occurrebat casus, in quo duplex veniebat quæstio, utrumne isti juri locus esset. Altera, utrum non tantùm liquidatio isti facienda sit in concursu creditorum debitoris principalis, sed & fidejussorum? Altera, utrum & tunc facienda, quando jam actum contra unum fidejussorem antequam concursus excitatus? De prima nihil nominatim continetur in prætacto decreto Archi-Episcopali, ideò sequendum quod est juris communis, tantò magis, quod ab hoc exorbitans est ista dispositio necessitatem inferens, quæ jure communi non est constituta; ideò stricti juris nec extra literam extendenda. Quod secundam attinet, existimarum fuit, postquam contra fidejussorum unum actio jam fuerat instituta, non amplius exceptionem inde profitere quod professio omissa fuit: Cessat enim ratio, quæ in decreto exprimitur, ut fidejussores sciant, utrum creditor à se creditum exigere velit, ideò in concursu circa bona debitoris vigilari possit. Satis ex actione conscius de creditoris mente non amplius certiorari debuit. (3) Nihil iste creditori imputare potest, sed sibi suæque negligentiæ debet acceptum ferre, si non justo tempore vigilaverit, ut, si voluisset, facere potuisset. Non auditus, itaque fuit istam exceptionem proponens *in causa Claus Heinrichs und Dieterich die Hornen, contra D. Gohausen Vvittwe, die 5. Martii Anno 1669.*

1. Praxin ejus decreti talem ex multis judicatis observavi, unde & frequens in eo curiæ stylo semet fidejussiones fundare.

2. Fidejussori jus est solutionem denegandi, si actione cedi nequeant, *l. sicut 21. C. de fidejuss.* ex quo competit exceptio actionum cedendarum, cujus virtute creditor qui sua culpa actiones cedere nequit, repellitur ab actione. *Cujus alter ibi Dd. C. de fidejuss. l. Stichum §. pen. ff. de Solution. Franch. de fidejuss. c. 5. num. 470. in fin.*

3. Qui scientiam alicujus rei vel facti habet, certiorari amplius non debet.

DECISIO IV.

Quo tempore professio facienda juxta statutum ut omissa non dicatur ad excludendum creditorem.

CIrca decretum, cujus præcedens decisio mentionem facit in controversiam venit, utrum professio crediti & Chirographi exhibitio, ne creditor ab actione contra fidejussores excludatur, in termino distractionis bonorum facta sufficiat? Opponebat hoc fidejussor conventus. At primò decretum nullius certi temporis vel termini mentionem facit, pedùm ad eam professionem crediti astringit, ideò sine lege eam cum tanto exclusionis præjudicio statuere haud oportet. (1) Deinde finis & ratio Constitutionis non pertinet ad terminum liquidationis tantùm, sed ad totum processum, & quamdiu hic pendet, admittit, quia ista satisfieri potest: Ideo enim requiritur, ut fidejussor contra quem conservatur, actio sibi consulere queat, ideo quamdiu hoc ipsi integrum satis matura illa erit? Nec enim tamdiu ipsi nocitum est. (2) Hoc itaque, saltem spectandum est, utrum creditori creditum liquidandi & fidejussari sibi prospiciendi via sit præclusa, ut hoc per impositionem perpetui silentii, quam citatio minatur, fieri solet. Ante hanc ut adhuc audiendi creditores, ita profitentes statuto satisfacient. *In eademcausa.*

1. Sine lege vel statuto loqui erubescendum est.

2. Fidejussori non est exceptio ex omissa crediti professione in concursu creditorum debitoris adversus creditorem, quamdiu nihil damni datum.

TIT. XXVII.

ETIAM OB CHIROGRAPHARIAM pecuniam pignus retineri posse.

DECISIO I.

Jus retentionis an & quando tollis cautio.

DE sententiæ, quæ præstitâ à successore feudi cautione sororem volebat ex feudis paternis, antequam ei de dote & aliis juribus satisfactum esset, discedere, justitia post appellationem interpositam exorta quæstio exinde decidi debuit, utrum quæ soror in feudo paterno subsistes ex isto poscebat & prætendebat liquida esse nec

Digitized by Google

nec ne? (1) De liquidis satisfieri omnino debet, antequam cogitur jus retentionis habens è bonis discedere, (2) nec auditur cautionem offerens, (3) quam recipere non tenetur, cui parata solutio debetur. (4) Quoad illiquida secus se res habet. (5) Pro iis enim non ultra quidquam, donec certa fiunt, debetur quam securitas. (6) Quocirca hac per cautionem sufficientem præstitâ non est locus ultrà juri retentionis, sed iniquum & carere cum bonis suis, per quem non stat quo minus satisfacit, (7) & detinere illa cum incommodo alterius, qui jus retentionis ex justâ & liquida petitione non habet fundatum. (8) His consequens, quod circa quæstionem de cautione recipiendâ ante omnia crediti certitudo & qualitas in puncto liquidationis examinanda est, nec nisi illâ non repertâ caurio admittitur. *In causa vidua Obrist Andreas Jlenfelden contra den Land-Rath Hans Blucher die 20 Jan. Anno 1654.*

1. Communis & in praxi forensi recepta hæc est JCtorum distinctio inter liquida & illiquida, circa jus retentionis & debitum recipiendæ cautionis, *de qua vid. Gaxadin. Consil. 100. num. 21. Benevind. decis. 77. n. 10. Jacob. de Put decis. 471. per tot. Carpz. in tr. de Locat. part. 3. tit. de Expens. num. 14.*

2. Retentio datur & durat, donec retinenti satis fit de eo quod deberi constat. *Medic. de Compensat. quæst. 16. num. 1. part. 2. Molignas. de jur. retent. quæst. 355.*

3. Minus enim offert qui pro pecunia cautionem offert, ideo qui pecuniam numerare debet fidejussorem dare non potest. *l. si tumultuar. 4. §. 1. ff. de statulib.*

4. *Ivsi se non 4. §. ait prætor. 3. ff. de rebus dubiis.*

5. Retentio vicem compensationis habet, *l. fin. C. Commod. Negotiant. de pignor. part. 5. pr. mensib. 1. n. 37.* cui in illiquidis non est locus *l. fin. C. de Compensat.*

6. Ordinarium id remedium est sua à retentione alterius liberandi in incertis satisdatio *l. stichum liber. 5. pr. ff. de Statulib. Hering. in tr. de Fidejussoribus cap. 15. num. 117. seq.* Propter incertum causa interponitur *l. 1. §. quamvis 11. ff. de Collat.* Quod petitur, si fuerit negatione dubium per cautionem conservatur ac petitio differtur *l. fin. C. quib. ad lib. proclam.*

7. *Ea ratione in simili utitur l. servum 34. §. 1. in fin. ff. de Statulib.*

8. Retentio rei alienæ odiosa est, *Coras. in l. qui liberos num. 259. ff. de rit. nupt.* ideo ei locus minime est nisi causa retinendi justa & simul apparens sit. Quâ sine aliena detinere naturali juri, quo dominia distinxit, contrarium & iniquum est. *l. fin. Cand. vi.* Unde *Molina de Just. & Jur. part. 4. tr. 18.* scribit, non minus judicem peccare mortaliter qui aufert libertatem usus & possessionis alicui concessâ alteri sine certâ causâ retentione, quam qui plane aufert.

DECISIO II.

Liquidum vel illiquidum circa jus retentionis & præstandam cautionem quomodo censendum.

ILliquidum reputatur quod statim non apparet, sed altiorem requirit indaginem, (1) de quo tamen non censendum est tantum ex contradictione vel objectione adversarii, sed ex fide atque argumentis crediti, (2) quæ à judice sunt examinanda, & iis quæ in adversum allegantur, antequam tale declaretur, (3) cum fieri possit, quibusdam contradicatur & objiciatur, quorum tamen apud judicem justa fides esse potest, si ea expendet & in examen æquum vocabit. (4) Unde ex eo solo quod adversa pars negat, excipit aut opponit velle cautionem tanquam super illiquido obtrudere præceps nimis & injustum erit. (5) Non sine causæ cognitione decernendum est, quid sit liquidum vel illiquidum, quia non levis præjudicii ea res est & magnum commodum aufert jus retentionis habenti, si pro eo cogitur ex obtentu illiquidi cautionem recipere. (6) Quare ubi de jure & veritate crediti nulla præcessit discussio aut examen, sed ad nudam adversarii cautionem soror, quæ dotem, alimenta, meliorationes ex feudo petebat, injustæ cautionis acceptione illud relinquendi rea dicebatur, inde satis causæ habere visa fuit cur appellaret, ideo & justum existimabatur prius liquidationem ejusque discussionem præmittere & hinc diem dicere. In quo correcta est prior sententia, *in eadem causa.*

1. Sicut liquida causa est quæ non multis ambagibus innodata judici facilem exitum potest præstare *l. fin. §. 1. C. de Compensat.* ita illiquida quæ obscuriori poscit altiorem indaginem & judicium *l. in hac 3. §. ibidem 13. ff. ad exhib.*

2. Nuda negatio, proficit *l. 2. §. 1. ff. si in rem. caus.*

3. Fides & probatio judici fit ejusque est æstimare quantum sit liquidatum *l. quingenta 12. ff. de Probat. l. eos 5. l. si quando 19. C. de Testib.*

4. Ad judicis officium pertinet veritatem diligenter scrutari *Nov. 82. cap. 2.*

5. *Molignat. de Jur. retent. quæst. 67.*

6. Multa & magna sunt juris retentionis commoda *arg. l. plus cautionis ff. de R. J.* Inter hæc non postrema, quod præstat tum securitatem crediti instar pignoris ejusdem, tum rationem citius faciliusque consequendi.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO III.

De processu liquidationis circa jus retentionis.

IN discernendo liquido & illiquido quà jus retentionis confirmandum aut tollendum haud opus est prolixo processu, sed causa summariè cognosci & terminari debet. (1) De quo in privilegiis Nobilium aliisque statutis provincialibus in Pomerania certus modus præscriptio est, nempe, ut utraque pars certo die præfinito coram dicasterio comparear, ibi filia aut quæ alia persona feudum detinet à se petita demonstret, successor super iisdem quæ fatetur vel negat respondeat, & objicienda proponat, super his utraque parte audita judex concordiam tentet; ubi ea obtineri nequit, liquidum ab illiquido separet & utrumque declaret illius solutione, hujus ulteriori liquidatione injuncta, sic ut illuc antequam feudum relinquitur, solvatur, ob hoc vero præstitâ cautione istud non retineatur. (2) Quem ordinem antehac à judice priori neglectum in secunda sententia sequi placuit *in eadem causa.*

1. *Arg. l. fin. C. de Compensat.*

2. *Hunc ordinem servavit hactenus Pomeraniæ praxis, ut per plura exempla constat.* Juxta præcedentes decisiones in ea causa in juridica sic pronunciatum est. Zu Sachen Ventz Blüchers Kinder / und angehörigen unmündigen Appellanten und Beklagten an einem / Hans Blüchern Appellaten und Klägern am andern Theile in puncto vindicationis feudi wird hiemit erkant / daß die Appellation anhero devolviret und erwachsen / demnach Appellat so weit als Appellanten ihre angegebene Forderungen der Außsteuer / alimenten und melioration halber alsfort liquidiren und gegentheils Einwenden / daß dieselbe ihnen aus den Lehnen nicht gebühren / sondern sie solches was ihnen Rechtswegen zukommen würde / auß den Erbgütern erhoben / oder zu erheben hätten / ablehnen könten / laut der den 16. Martii Anno 1653. publicirten Urtheil sich einzulassen / darauff die liquidation sampt den Einreden zu vernehmen / und also beyde Theile / jedoch Einhalts des Pommerischen Landes Constitution mittels eines Vorbescheides und Summarischer Behör zu verfahren verbunden. Wie nun hiezu der 14. Aprilis bestimmet / also an solchem Tage D. Conrad Franz Friedlieb seine Person besser dann bißher beschehen / aller seines theils angegebenen und benandten Interessenten halber zu legitimiren / hernach der Dilatorischen Exceptionen / so hiemit nochmahlen verworffen / ungeachtet / alle Posse rechtmäßig zu liquidiren / sonst auch was ihnen obliget zu thun zugleich richtige Register und Rechnung über die gehobene Abnützungen der Güter Daberkow und Wietzwo einzubringen / darauff Appellate sich zu erklären schuldig / Inmassen beyden Theilen sub pœna contumaciæ also zu verfahren aufferleget wird / von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Wenceslai Blüchers liberorum & appertinentium pupillorum, appellantium & Reorum ex una Joannis Bluchen appellati & actoris ex alterâ partibus: in puncto vindicationis feudi decernimus, quod appellatio huc devoluta indè appellato in tantum quatenus appellantes suas allegatas prætensiones dotationis, alimentorum, & melioracionum ratione liquidabunt & adversæ partis exceptiones quod illæ ipsis ex feudis non competant, sed illi, id, quod illis de jure competere posset, ex allodialibus receperint, vel recipere deberent, declinare possent, juxtà sententiam 16. Martii Anno 1653. publicatam se ingerere, desuper liquidatio una cum exceptionibus audienda & ita ambæ partes attamen vigore constitutionis Provincialis Pomeraniæ, mediante præambulo decreto & summario processu procedere obligati sunt, sicut ergò in hunc finem 14. Aprilis præfigitur, ita incumbit eo die D. Conrado Francisco Friedlieb suam personam melius quam hucusque ratione ex sua parte denominatorum interessentium legitimare, indè dilatoriis exceptionibus, quæ hisce iterum rejectæ, non attentis, omnes prætensiones debitè liquidare, alias etiam ad quod obligatur præstare, simul exactam designationem super perceptos fructus bonorum Daberkovv & Wietzvvo exhibere & appellato desuper se declarare prout utrique parti sub pœna contumaciæ ita procedere injungimus. Idque de jure.

DECISIO IV.

Jus retentionis etiam cum debitum liquidum est tollitur cautione cum retinens fructus verosimiliter illi parce percepit & ratione reddere ac discutere retinuit.

QUod dicitur cum debitum pro quo res aliena retinetur est liquidum obla-

Digitized by Google

ta cautione utut sufficienti non dissolvi retentionis jus (1) sic obtinet nisi qui retinuit tamdiu fructus atque utilitatem rei percepit, ut verosimile sit inde ipsi esse satisfactum idque redditis rationibus discuti non sinit vel moram facit. (2) Uti enim beneficio juris retentionis creditori prospectum est quò credito potiatur, ita vicissim eidem incumbit rationum de perceptis reddendarum officium. (3) Quod si non præstet, refert utrum per tantum temporis aliena bona non tenuerit, ut ex fructibus satisfieri potuerit, (4) an ejus temporis detentio existat in quo ut perceptio æquivalens possibilis, ita etiam verisimilis existat. In hac specie non sinendus est creditor morosus in reddendis discutiendisque rationibus res alienas cum incommodo domini diutius detinere, (5) sed ab hoc oblatam cautionem & iis decedere compellitur, (6) cui si quid adhuc forte deest per istam satis prospectum (7) nec ejus ullum damnum erit, (8) dum autem illud non docet alter rebus suis carere non debet. (9) Ex diuturna perceptione creditum fit illiquidum, ideo præstita cautione differendum. (10) Sic pronunciatum cum filia obtentu dotis, alimentorum & melioramentorum bona paterna tamdiu detinuisset, ut verosimile esset ipsi plene satisfactum aliud docendi moram fecit, dum rationum discussionem non tantum non promovit, sed etiam impediit. (11) *In causa Obrist Andreas Uelfelden VVitwven contra Vincent. Blüchern, die 19. April. Anno 1661.*

1. Qui pecuniam debet numerare debet non fidejussorem dare *l. Statuliber. 5. §. 1. ff. de Statulib.*

2. Cum retinens in mora est præstandi, quod incumbit seu creditum suum liquidandi retentis accepta satisdatione rebus retentis decedere *Molinæ. in tr. de jur. retent. quæst. 340.*

3. *vid. l. 12. ff. de negot. gest. vid. inter decis. noviss. part. 2. decis. 269. n. 2.*

4. Quando manifestum est nondum esse satisfactum creditori qui detinet, cautio jus retentionis non solvit *l. Statuliber §. 1.*

5. *l. Senatus 34. §. 1. ff. de Statulib.*

6. *vid. plenius Molinæ. dict. quæst. 340. ubi plenius de hoc agit.*

7. Cautio pro re est *l. fin. C. ad L. Falcid.*

8. Ubi indemnis est creditor simul autem consulendum debitori, cautio admittenda est *l. ille à quo 13. in pr. ff. ad S. C. Trebell.*

9. Judicis est hic cautionibus tales casus temperare *l. in lege 45. §. 1. ff. ad L. Falcid.* & prospicere utrique parti in futuro damno vel lucro *l. pro socio 38. ff. pro Soc.*

10. Cum incerta est petitio aut ratio cautio reponitur *l. 1. §. quamvis ff. de collat. l. Statuliber. 5. prin. ff. de Statulib.*

11. Ita cum viduæ vel filiæ in feudis retentionis jure ob dotes utuntur servatur, ut rationes reddere cogantur, reluctantes isto jure cadant & cautionem recipere cogantur, quod æquissimum est.

DECISIO V.

Retentio debiti ex obtentu pignoris, quando fieri potest.

QUi condemnatus solvere debebat in executione obtendit sibi idem pro alio debito pignori nexum, ideo donec vicissim sibi solvitur retinere velle & posse; Orta inde est de jure hujus retentionis quæstio, Discernere oportet pignus utrum speciale an generale sit. Ex isto facilior est retentio, (1) etsi debitum non planè liquidum sit. (2) Solutio detrectatur justè usque dum aliter de pignoris jure & virtute causa cognita, satisque cautum sit. Si generalis tantum hypotheca constituta fuit, interest debitum pro quo obligatur liquidum sit nec ne. Ob illiquidum rei alienæ detentio injusta erit. (3) Tantum hoc impetrabitur ut pro reconventione cautum sit, (4) modo in iis terminis res consistat, ut reconvenire liceat. Liquidi causa compensabitur, (5) liquidem sit materia compensabilis, alias tamen & retinebitur. (6) *In causa D. Francisci Conradi, Friedeligben contra viduam Joannis Paphen die 13. Febr. Anno 1654.*

1. Ratio dictandi fortius astringere pignus speciale quam generale, ideo plura ex illo compensat quam ex hoc.

2. Solutio jus quod liquidum est non liberat pignus qua partem quæ sub lite manet, donec de ea res decisa sit, durat pignoris nexus *Basil. in l. voluntas ff. quib. mod. pign.* Cum pignus ob Chirographariam causam retinere liceat, *Leu. C. etiam ob Chirograph.* quanto magis juste retinebitur pro causa pro qua datum fuit, etsi de ea aliquid controversiæ fuerit, quæ non perimit pignus sed effectum suspendit *vid. Joannis Fabri in Cod. lib. 8. tit. 15. defin. 1.*

3. *l. fin. C. Commod.* Ad hanc speciem pertinet notabilis sententia Imp. Justiniani *in l. fin. §. 1. C. de compens.*

4. Reconventioni in tali specie locus est, *de qua vid. plura apud Carpzov. Respons. Electoral. 45.* ideo etiam pro ea justa petitio cautionis.

5. *l. 1. l. 3. ff. de compensat.*

6. Est ex generali Hypotheca jus retentionis quoad ea quæ comprehendit *l. 1. pr. ff. de pignorib.* modo non sit quod præstandum inter ea habendum quæ verosimiliter quis non sit oppignoraturus *l. obligationes 6. & l. seq. ff. eod.*

DECISIO VI.

Jus pignoris & retentionis ex lege non permittit retentionem pro alio credito.

QUod jure constitutum est, ut etiam ob chirographariam pecuniam pignus reti-

Digitized by Google

retineri possit, (1) etiam illuc extenditur, ut cui ob unam causam vel retentio competit, etiam ex alia, donec debitum solvitur, retinere liceat. (2) At sive pignus sive retentio tantum sit, (3) non aliter obtinet, quam si ex voluntate debitoris creditor consecutus sit rei possessionem seu detentionem. Secus se res habet, si praeter illam ex lege vel privilegio jus retentionis aut pignoris pro certo credito conceditur. (4) Tunc non supereſt jus ex alia causa retinendi. (5) Quare cum in lite inter vasallum successorem & prioris vasalli filias, ab his plura credita exigerentur, facta est distinctio per decretum injunctâ liquidatione eorum saltem creditorum, pro quibus ex statuto vel privilegio erat retentio, rejecta allegatio aliorum, quae alterius sortis erant (6) *in causa Liberorum Vincentii Blüchers, contra Hans Blüchern, die 19. Aprilis Anno* 1654.

1. *l. un.* C. *etiam ob* Chirograph. *cauſ.*

2. *Vid. Molinaeus de jur. retent. quaeſt.* 301. Latius quippe est jus retentionis quam pignoris, & potest competere, ubi huic non est locus, *l. ſi in area* 33. *ff. de* Condict. *indeb. l. haeres* 21. *ff. ad* SC. *Trebell.*

3. Pignus & retentio differunt, & haec etiam est sine pignore, *l. ff. de* Pignor.

4. *Ita declarat Molinaeus in dict. quaeſt.* 301. & convenit textui *in d. l. un. in fin. etiam ob* Chirograph. *pec.* ex qua traditur, ut res debitoris retineri possit voluntate creditoris oppignoratam esse debere. *Fab. in Cod. lib.* 8. *tit.* 15. *defin.* 5.

5. Non potest lex aut privilegium operari ultra verba & mentem, quibus cessantibus cessat ejus proviſio, nec extendi potest ultra ista. Quod in lege multo magis obtinebit, cum ex hac ratione idem de conventione pignus ad certam causam restringente reputetur. *Vid. Fabr. dict. tit.* 15. *defin.* 3.

6. *Arg. l. vero* 12. *§. pen. ff. de ſolut.*

7. Non admittendum in litem, quod ab ea separatam & disparem causam habet, de quibus ut diversum petendi genus, ita etiam diversa actio aliudque judicium esse debet.

DECISIO VII.

Circa jus retentionis obſervanda & diſcutienda antequam judiciali ſententia auferretur.

EXcipiens de jure retentionis, ut contra mandatum de discedendo ex praedio audiri mereatur, non tantum factum retentionis sed etiam causam retinendi allegare, & si non apparet docere, ideo ante omnia judex de illo judicaturus investigare debet. (1) Ut verò tueri non debet, sine causa alienas res retinentem, (2) ita nec ejicere justa retentionis opponentem atque exhibentem. In qua cognitione versatur primo, an verè debitum sit, ob quod res petita retinetur. (3) Deinde an rei quidam ejus causa nexus sit, (4) qui retentionem fundet ex lege vel ex pacto: Tertio an de utraque res liquida aut non difficilis indaginis sit. (5) Siquidem non allegatur causa retentionis detentor injusti possessoris instar cedere cogitur. (6) Si allegatur, at non in continenti docetur, justum desiderium est petitoris praevia cautione rem tradi. (7) Non tamen ad nudam petitoris oblationem eo judex descendere potest, sed prius qualitatem atque veritatem requisitorum indagabit, super iis cognoscet atque statuet. (8) Cum appellans allegabat se uxoris nomine propter dotem ejus atque alia illata materna, ex bonis refundenda fundum detinere, apparebat causam retinendi esse justam. (9) Simul etiam pro istis feudum esse obnoxium, dubio carebat. (10) Tantum an debitum liquidum esset? sub disceptatione manebat. Id verò non poterat non colligi ex facta per judicem confirmatione contractus super istis compositi, necnon decretâ immissione. (11) Et licet nondum plenè de illo constaret, haud tamen ideo dejectio aut perhibitio perceptionis fructuum fieri debuit, antequam de jure & causa retinendi, nec non debiti conditione causae cognitio processit. (12) Cujus gratia gravamina admittere, & ad istam processum dirigere oportet. Uti factum *in causa Ludwig Pretzmann, contra den Königl. Kriegs-Rath Simon Roſenberg, die* 21. *Junii Anno* 1654.

1. Non defendit eum Praetor, qui nullam possidendi causam habet, & interrogatur, cur possidet, aliud respondere nequit, nisi quia possidet, *l. qui interrogatus* 12. *l. ſeq. ff. de petit. haered.*

2. Jus retentionis est exceptio quaedam, qua res detenta defenditur, donec de debito satisfactum fuerit, *l. un.* C. *ſi ob Chirogr. pec. l. fin.* C. *in quib. cauſ. pign. tacit.*

3. Non subsistit retentio, nisi pro debito; sine eo frustratoria & injusta est, ita etiam jus desinit, cum debitum cessat. *Molinaeus de jur. retent. c.* 117.

4. Non necesse est pro retentionis jure pignori rem retentam nexam esse, ut aliqui pignus & jus illud confundunt, quae tamen differunt, *juxta text. in l.* 1. C. *ſi res alien. pign. l.* 1. *ff. quib. mod. pign. vel hypoth.* sed etiam praeter pignus atque sine eo res retinere licet, cum aut lex tribuit, aut conventio aut aequitas, *quarum multas ſpecies ex quibus id apparet, refert atque explicat Cobr. de Proceſſ. Executiv. part.* 1. *c.* 2. *num.* 219. *mult. ſeq.* Attamen nunquam retentioni est locus, nisi ubi res sine vitio ad aliquem pervenit, & deinde causa retentionis ipsi inhaeret, *ut ex Gailio & Negusantio tradit Carpzov. deciſ.* 66. *n.* 2. *in fin. part.* 1.

5. *Carpzov. in reſp. Electoral.* 20. *num.* 19. *& ſeq. lib.* 4.

6. *l.* 2. *l. ſeq. ff. uti poſſid.*

7. Quando vel causae retinendi, vel debitum cujus gratia retentio arrogatur, illiquida sunt, iniquum habetur, sub eo obtentu jus alterius liquidum suspendi, sed medie res curatur, ut nec petitor re

Digitized by Google

sua careat, ne detentor eo, quod competit ejusve securitate privetur. A cautione remedium petitur, & ex illâ retinenti consulitur, ut de isto securus sit, petenti, ut rem habeat. *Moller. ad constit. Saxon. 25. num. 5. p. 2. Hering. de Fidejussor. cap. 13. num. 117. & seq.*

8. Non debet ideo tantum durior alterius conditio fieri, quod petitor satisdare velit. *Faber in Cod. lib. 3. tit. 22. def. 15 n. 5.*

9. Uxori ejusque hæredibus jus retentionis in bonis mariti competit, non tantum pro dote & dotalitio, sed etiam pro paraphernalibus, *l. fin. C. de Pact. convent. Hartm. Pistor. part. 1. quæst. 4.*

10. Per Pomeraniæ constitutiones feuda sunt mulieribus pro illatis aliisque debitis maritalibus tacito pignore obligata, inque iis jus retentionis usurpatur.

11. Immissio est argumentum existens debiti, quia sine eo fieri non debet, *text. ff. & C. de reb. author. jud. possid.*

12. Debitum an sit liquidum nec ne, prius examinandum, antequam super eo statuendum. Nemo sine causæ cognitione dejiciendus est possessione, *c. conquerente de restit. spoliat. l. memineris C. unde vi.*

DECISIO VIII.

Retentionis jure bona administrans repetit utiles impensas, & si res ipsa non supersint.

QUi ex retentionis jure in bonis alienis morantur, quomodo mulier vel ejus maritus liberive ob illatam dotem debitoris bona tenent, interea administrare illa debet tanquam bonus paterfamilias. (1) Necessarius autem quodammodo administrator est, quocirca si quid necessario vel utiliter impendit, repetit, (2) non modò si supereſt, sed etiam si casu citrà illius culpam vel impensæ vel res ipsæ, in quas factæ fuerunt, non amplius exstent. (3) Cedunt quippe rebus, (4) & earum dominum sequuntur, (5) ideo eidem pereunt. (6) Foret iniquum eum, qui non meâ voluntate, sed ex necessitate aliqua & tenet & impendit, id damnum ex aliena re sentire. (7) Est pro bonæ fidei possessore. (8) ac negociorum gestore cui casus non imputatur, (9) dummodo utiliter ab initio negocium gestum sit. (10) Male itaque judicatum putavimus, quod in repetitione impensarum restrictio facta fuit ad eas, quæ exstant cum clausula, *jedoch wvan die gebesserte Stücke und Gebäue annoch vorhanden*, quæ ideo abolita est *in causâ Jochim Christoff von Horn und Jarschlaff Adam Lepel, contra Ernst Lepels Creditores, die 22. Junii Anno* 1654.

1. Possessori incumbit juxtim cum re, ut aut administrare, aut ut ab alio recte administretur curare debeat. *Coler. de Process. Executiv. part. 1. cap. 2. num. 213. seqq.*

2. De necessaria & utili impensâ negociorum actio competit, *l. liberto* 31. *§. fin. ff. de negoc. gest. si servum* 10. *l. alimenta* 12. *C. eod.*

3. *l. plane* 38. *in fin. ff. de Petit. hared. l. sed an ultro,* 10. *l. sive* 22. *ff. de negoc. gest.*

4. Accessio sequitur rem, *c. accesserium* 1. *de R. I. in 6.*

5. Accessio modus acquirendi est. *§. ex diverso* 30. *& §. seq. Inst. de acquir. rer. dom.* ejusque exemplum in impensis leges ponunt.

6. Res perit suo domino, *l. quæ fortuitis C. de Pignor. act.*

7. Negociorum gestori cum utiliter gessit, præstandum est, omne quidquid eo nomine abest vel abfuturum est, *l. 2. ff. d. Negoc. gest.*

8. Bonæ fidei possessori debentur impensæ, & si res non amplius exstet. *d. l. plane 38. in fin. ff. de hared. petit.*

9. *d. l. sed an ultro.* 10. *ff. de negoc. gest.*

10. *Sic in d. l. sed an ultro* 10. *ff. Ctus ait. Ut eventus non spectetur, debet utiliter esse cœptum.*

DECISIO IX.

Sub obtentu debiti rusticus vindicatus retineri nequit, & quomodo istius habetur ratio.

ÆQuum est rusticum, qui ab alio vindicatur, domino cui servit & qui restituit refundere & solvere quidquid debet. (1) At non perinde æquum, ideo restitutionem differre, donec solutio fiat, cum ex debito rustici vero domino præjudicium aut incommodum generari non debeat, (2) nec alterius causa justa istius petitio differri. (3) Ita ergò in ea re procedi debet, ut tam restituenti ad consequendum debitum consulatur, quam vindicanti non noceatur. In qua re discernendum, utrum liquidum sit, quod rusticum restituturus petit debitum, an illiquidum & altioris indaginis. *Si liquidum* est quod debetur, tunc aut habet ad verum dominum iturus, unde statim solvat vel satisfaciat; & licet restituenti ex bonis tantum retinere, sibique solvere quantum sufficit, (4) nec dominus resistere potest: (5) qui nihil ultrà justè petit, quam quod rustici est in bonis, quæ demum deducto ære alieno censentur. (6) Cum non habet restituendus unde satisfiat, cautione ea res expedienda est, eâque duplici tum hominis vindicari de solvendo, cum ad meliorem fortunam pervenerit: (7) tum dominii recipientis de administranda justitia & præstanda ope. (8) Ubi autem nondum liquido constat, an & quid debeatur, non est retentioni locus, sed similiter cautioni. (9) Hoc observatum *in causâ Henrici à Taden contra Senatum Civitatis VVismariensis.*

1. Juris naturalis ea lex est, solvè quod debes, *l. 1. §. 1. ff. de Constit. pecun.* cui servi etiam tunc obnoxii.

Digitized by Google

noxii. Non enim meliore conditione, quam liberi gaudent, quâ contractus, ideo his perinde ut liberi homines non tantum aliis, sed etiam dominis obligantur, est qua hos inter rusticos seu proprios homines & servos Romanos differentia, ideo in talibus ab his ad illos argumenti informitatem notat *Husan. in tr. de propr. hominib. cap. 6. num. 24. & mult. seq. Zasius singul. respons. lib. 1. cap. 3. num. 67. & seq.*

2. Non tenetur dominus pro rustico, nisi quatenus quod rusticus ab alio creditum accepit, in domini rem vertit, seu ut in servo loquimur de peculio, cujus vice ager & ædificia sunt rusticorum, *l. qui à servo 16. ff. de Oblig. & act.*

3. Unius factum alteri damnosum esse non debet, *l. heredes 25. §. in illa 12. ff. Famil. ercisc.*

4. Jus est creditori res in manibus suis existentes retinere & non dimittere, nisi priusquam satisfiet. *Coler. de Proceff. Executiv. part. 1. cap. 2. num. 214. seq.* quo ipsi magis quam petitione consultum, *l. deducta 58. §. acceptis 3 ff. ad SC. Trebell. Ivum Pater 77. pr. ff. de Legat. 2.*

5. Melior est causa retinentis, *c. 6. x. de Præscript.*

6. *l. subsignatum 39. §. 1. ff. de verb. signif.*

7. Qui non potest solvere, tenetur possibili modo cavere. *Hering. de Fidejussor. cap. 7. num. 93.*

8. Non ultra quam de præstandis justis dominus tenetur, ideo nec aliter cavere.

9. Ob illiquida certæ rei petitio differri non debet, sed tantum cautio præstari, *nisi præscriptum hoc in iisdem fere terminis ab JCto in l. Statu liber. in princ. ff. de Statu lib.*

Quod habent superiores decisiones, relatum est in sequentem sententiam publicatam, die 3. Julii eodem Anno.

In Sachen Hinrich von Tadens Klägern eines/ contra Bürgermeister und Rath der Stadt Wißmar Beklagte andern Theil/ in puncto vindicationis eines Bauren/ Gösling Petersen genannt/ wird erkannt/ daß Vindicatus zusamt seinem Weibe (jedoch/ daß er für selbige entweder eine andere Weibs-Person Beklagten wieder gebe/ oder nach Land üblichem Gebrauch ein gewisses zur Loßkauffung entrichte/) deß Einwendens ungehindert an Klägern zu restituiren/ die auß erster Ehe erzeugete Kinder bey itzigem Possessorn billich gelassen werden/ hieneben Vindicatus, was ihm von Beklagten vorgestrecket/ nach vorhergehender besserer liquidation zu bezahlen/ auch Kläger ihn dahin anzuhalten/ und Rechts zu verhelffen/ demselben dann auch Beklagte die Unkosten bey dem Königl. Tribunal auffgelauffen/ vermittelst Richterlicher moderation zu erstatten schuldig seyn/ V. R. W.

(Hoc est.) In causâ Henrici à Tadens actoris ex unâ contra Consules & Senatum civitatis Wismariæ reos ex alterâ partibus in puncto vindicationis alicujus rustici Gösling Petersen dicti decernimus, quod vindicatus una cum sua uxore (attamen ut aut pro ea aliam fœminam reo restituat vel juxta patriæ morem quidquam certi pro redemptione exolvat) non attentis exceptionibus actori restituendus, ex primo matrimonio nati liberi apud modernum possessorem merito relinquuntur, præterea incumbit vindicato quod à reo ipsi mutuo datum prævia meliori liquidatione solvere, & actori quæ eò adigere & justitiam administrare, reis etiam expensas apud Regium Tribunal causatas mediante judiciali moderatione actori restituere. Idque de jure.

DECISIO X.

Retentioni debiti pro actione quæ competit, locus non est, nisi rerum retentarum quidam prævus nexus ex lege vel conventione sit.

Siquidem quod invicem debetur, liquidum sit, compensatio & ob hanc retentio admittitur, seu in rem seu in personam agitur: (1) non vero ubi illiquidum istud adhuc est, justa exit retentio. (2) Est quippe hæc privatæ executionis species. (3) Non permittenda alicui ad detentionem rei alienæ, pro competente invicem actione adhuc in Judicium deducenda. (4) Magnis multisque injuriis locus foret, si id permitteretur, ut promiscuè retinendi facultas esset, cui petendi quidam titulus. Etsi enim retentio species quædam defensionis, & remedium est jus vel debitum, quod nobis competit consequendi, (5) & cui actio datur, ei & retentio non sit deneganda: (6) Attamen minimè id aliter obtinet, quam ubi pro actione rei retentæ quidam nexus est, vel actio ad rem esse possit, (7) aut voluntate hominis aut legis permissione, aut manifestâ ratione. (8) Alias suum cuique tribuendum, & nihil detrahendum justiori petitioni. (9) Permissum esse non potest, ut ex debito condemnatus, hoc solvere detrectet, quia familiæ erciscundæ adversus creditorem actio est, quando cum hac debitum nihil habet commune. (10) Caruit gravamine appellans, quod retinere non conceditur: *In causâ viduæ D. Grossen contra Julium Steffen die 20. Sept. Anno 1654.*

1. *l. fin. pr. C. de Compensat.*
2. *l. fin. C. Commod. ib. Bald. & Dd.*
3. *Coler. de Proceff. Execut. lib. 1. cap. 2. num. 218.*
4. *Faber in Cod. lib. 8. tit. 15. defin. 5. in fin.*
5. *Coler. dict. cap. 2. num. 262.*
6. *l. 1. §. nam cui damnum ff. de superfic.*
7. Ad quam rem actio non est, ea nec pro pignore retineri potest, *arg. l. Aristo 3. ff. quæ res pign. Faber in Cod. dict. tit. 15. defin. 5. in fin.*
8. *De quibus speciebus vide Coler. d. cap. 2. à num. 219. & seq. usque ad num 260.*
9. *l. bonæ fidei 31. §. 1. ff. depos.*
10. Retentio ex aliâ causâ ejus, quod ex alia restitui debet, injure improbata est, *l. si filio §. 1. ff. solut. matrim. Molinæ. de jur. retent. cap. 1. & 213.*

Digitized by Google

DECISIO XI.

Viduæ & liberis, dum bonis mariti vel patris jure retentionis utuntur, ædificandi libertas non est relinquenda.

EST quidem viduarum & filiarum, quibus lex provinciæ jus retentionis in feudo mariti vel patris pro dote dedit, debitum, diligenter curare, ut ædificia quæ ibi sunt, conserventur, ideo collapsa, reponantur; at ultra iis non est ædificandi licentia. (1) Quâ multæ abutuntur suis cupiditatibus vel commodis intenta, aut etiam successorum incommodis, ut illis eò difficilior tardiorque fiat liberatio. Non aliter iis ultra necessitatem reparationis & conservationis ædificare permittitur, quam cum consensu & ex voluntate successorum, quibus prius si putent aliqua necessaria vel utiliter extruenda esse id significare & ab iis voluntatem exspectare opus habent. (2) Quibus dissentientibus non licet structura, aut si fiet, non refundetur expensa. (3) Nec dubitatum fuit, justam esse petitionem successoris, ut interdicatur ædificatione, quæ aliquid incommodi habere poterit. (4) Sicut inhibitio ad talem decreta fuit *in causa Vincent. Blüthern, contra Obrist Ilenfelden Wittwe, die 4. Augusti Anno* 1655.

1. Constitutio Pomeraniæ Anno 1560. Wollini publicata, quæ vulgo Wollinische Landtags-Abschied audit in §. Und über Frauen und Jungfrauen inter abusus juris retentionis refert: Daß sie die gebauete Zimmer und Hackelwercke zerreissen lassen. & contra illud in §. Wir befehlen und gebieten, injungit, Daß sie die gebauete Zimmer und Hackelwercke nicht verderben noch zerreissen.

2. Illorum enim interest, non fieri structuras, quibus onerantur bona aut ipsimet.

3. *l. fin.* C. *de Negoc. gest.*

4. Improba enim est, quæ debitori nimis sit onerosa, *l. si servos* 25. *ff. de Pignor. action.*

DECISIO XII.

Rem quam quis ex actione in rem, quia inutiliter emit, vel insolutum accepit, restitui tenetur, retinere tamen potest ex anteriore causa pignoris.

QUi à primo emptore & secunda venditione atque insolutum datione rem accepit, utut bonæ fidei possessor rei vendicatione à primo venditore qui in casum non subsecutæ solutionis precii sibi dominium reservavit, conventus non obstante titulo & bona fide rem restituere tenetur, (1) nisi ex alia eaque anteriori causa jus retentionis habeat, (2) quod competit ex hypotheca quam secundus emptor antequam emebat in re vendita habebat; (3) quandoquidem dominus qui primus venditor erat, pro alieno credito fidejusserat, omniaque bona sua obligaverat. Etsi enim post acquisitum creditori dominium rei illius pignus amplius non durat. (4) cum id rei suæ non sit, (5) tamen ubi dominium non est quæsitum irrevocabiliter, & res ab eo qui accepit, revocatur, annullato titulo, ex quo habuit, redditur in eum statum, in quo ante emptionem fuit, (6) ideoque & revivisci hypotheca prior, (7) quæ planè exstincta non fuit sed confusa saltem. (8) Causa quippe ejus perpetua est & durat, donec creditori fuerit satisfactum. (9) Ideò licet per dationem insolutum creditum desierit, cum illa inutilis apparet, nec ex ista causa amplius solutum haberi potest, hypothecaria & quasi serviana revivisci. (10) Perinde quippe est, ac si non esset solutum. (11) Cui æquitas suffragatur. (12) Qui enim quod pignori accipit aut comparat, sumque facit, haud ea mente est, ut simpliciter velit remittere aut confundere creditum, sed si maneat solutum, ideoque contra mentem ejus haud fieri debet deterior pignoris causa, quam sibi volebat facere meliorem. Nec obest, quod antequam partem ex vendito partem insolutum acceperat, possessionem non habuit, sed occasione emptionis accepit: sufficit ad jus retentionis sine vitio accepisse & ejus justam causam esse. (13) Nec obstat causam possessionis sibi neminem mutare posse, quia ea regula ad jus retentionis non spectat. (14) Quod ità consideratum *in causa* D. *Klapmeyers heredum & consortum contra Detloff Schulten, die 3. Septembris Anno* 1656.

1. *l. munier. 3. ib. Sichard.* C. *de Rei vindic.*

2. Jus retentionis differt restitutionem rei, donec ea de causa, cur retinere licet, satisfactum sit. Unde exceptionis vim habet & quasi pignoris jure facit rem esse penes retinentem, donec debito potitur. *l. si non sortem* §. *si census ff. de Condict. Indeb. l.* 5. C. *de dot. privileg.*

3. *l. 1. pr. ff. de Pignor. l. un.* C. *etiam ob Chirograph. cauf.*

4. *l. pen.* §. *Latinus ff. de Except. rei jud.*

5. *l. neque pignus* 45. *ff. de reg. Jur. l. si rem* 29. *ff. de Pignor. action.*

6. Quo intuitu dicitur manere pristinam obligationem. *l. si quis aliam* 46. *pr. ff. de solut.*

7. *Quæ etiam quæ effectum manere dicitur l. prædium* 4. C. *de Eviction.*

8. Per acquisitionem dominii vinculum pignoris solvitur, quasi per confusionem. *l. debitori* 7. C. *de Pact. l. debitori* 50. *ff. de Fidejuss.* Refert autem an hypotheca per solutionem exstincta sit, an saltem per confusionem impedita. Exstincta obligatio nunquam revivisci. *l. quivis* 98. *versum ff. de Solut.* Confusa autem, cum causa confusionis desinit, superstes est & velut restituitur, *l. Sichem* 95. §. *addiderim ff. eod.*

2. *l. gre-*

Digitized by Google

9. *l. 1 prope 14. §. etiam ff. de Pignorib. l. si rem alienam 9. §. omnis ff. de Pignor. action.*

10. *Vid. d. l. si quis alium 46 ff. de Solut. l. eleganter 24 pr. C. de Pignor. act. d. l. si prædium 4. C. de Evictionib. l. deferre cum l. seq. ff. de Jur. Fisc.*

11. *l. pen. §. 1. ff. de Exec. rei jud.* Cessavit potius debitum, quàm ut videatur extinctum, *l. si rem 20. ff. de Solut.*

12. Hæc respicit mentem, qua quidque agatur, nec sinit contra istam inferri præjudicium, *l. pro hærede 20. ff. de acquir. hæred.*

13. *Bartol. in l. 1. §. fin. ff. de superficieb.*

14. *Uti manifestè apparet ex l. un. C. etiam ob Chirograph. caus. pign. retin.*

DECISIO XIII.

Mercedis detentio sub obtentu damni vel debiti illiquidi contra formulam non concedendâ.

QUando Dominus furtum, damnum, vel aliud debitum contra ministrum obtendit, in quæstionem venit; utrum donec super isto lis finita est debita ipsi merces retineri possit? Distinguitur utrum petitione dominus prævenerit exactionem mercedis, an cum servus mercedem petit tunc demum ex eo fiat oppositio. In hac specie non admittitur retentio, illa vero licita habetur, (1) sic vero accipiendum, si liquida sit ista petitio, ob quam illiquidam liquidi solutio & executio suspendi non debet, (2) præcipuè in causa salarii & mercedis, quæ valde favorabilis, privilegiata, summariæ cognitionis est & celeris executionis, (3) Non itaque in eo à judice peccatum fuit, quod super mercede ministri judicavit, non attentâ exceptione statim solvendam esse, (4) At cum damna & delicta ministri jam sub lite versabantur, ex eo causa gravaminis non injusta nec incongrua fuit, quod ut super illis articulis imposterum procedi debeat, nulla interlocutione determinatum, imò nec quidquam reservatum, sed velut rejectum fuit. (5) Id quod correctionem merebatur *in causa Nicolaus Baumans contra Abraham Pretzeln die 3. Jan. Anno* 1659.

1. Ita Juris esse & observari ait *Cardin. Tuscus Practic. Conclus. lit. C. 490. num. 33.*

2. *l. 5. ff. de statu lib.*

3. *Surdus de alimen. lib. 6. cap. 17.*

4. Judicis sententia super liquida re statim pronunciari, nec propter illa, quæ altioris indaginis sunt, cum separationem patiuntur, retardari debet.

5. Ita circa litem judex versari debet, ut utrisque partis circa ea quæ in eam veniunt partem habeat rationem, & quidquid singulorum jura merentur decidat, vel ad discussionem ordinet & dirigat.

DECISIO XIV.

Contradictio adversus inscripta libro publico justo tempore facta suspendit actus robur donec de jure ejus judicatur, & unde de isto judicandum.

HAbent per statutum robur majus & constans quæ coram Senatu civitatis publice constituuntur, & libro illius, *dem Stadtbuch*, inscribuntur. (1) Est tamen impugnandi licentia intra annum & diem, (2) quæ exercetur per contradictionem allegato vel jure potiore aut rationibus quare actus non valeat, aut in libro non consignari, vel non nisi salvo & reservato jure alterius debeat. (3) Super quibus oportet prius audiri partes, de causa cognosci & judicium fieri antequam validum quod factum declaratur. (4) Pendente super illa lite nihil innovandum, (5) nec faciendum in quo alteri parti præjudicatur. (6) Nec id consideratur tunc quod facta est inscriptio quia an rectè processerit adhuc disputatur, sed an facienda sit, in quo non actus inscriptionis præbet aliquod argumentum sed dispiciendum quæ partium circa seu ante eam in re seu negocio, de quo controvertitur, potiora jura sunt. (7) Quocirca post illam contradictionem non decet ex inscriptione creditori certum jus tribuere antequam statuitur utrum illæso alterius jure fieri potuit. Quod concernentia gravamina idcirco sunt admissa *in causa Georgii Sabeln Civis Hamburgensis contra Gallum Homburgen Civem Lubecensem die 29. Martii Anno* 1659.

1. Æquiparantur hæc negotia apud acta quæ dicimus facta vel contracta. Nam ista liber actorum publicorum instar ex statuto vel consuetudine habet.

2. Ita per jus Lubecense speciatim definitum est *lib. 3. tit. 6. art. 11.*

3. Sic mos habet, ut quoties refertur aliqua libro publico inscripta esse, quæ nostri præjudicium alia quod contineat, tum magistratum & libello oblato contradictionem fieri, quæ tunc apud acta fieri intelligitur.

4. Errant qui credunt ex nuda inscriptione in librum publicum, tanquam ex instrumento publico paratum executionem esse, ideoque non plane liquida sunt exceptiones his opositis illam faciendam esse. Instrumenti ista vis contingit ex statuto vel consuetudine, cujusmodi nihil de libro publico habemus, sed potius ex jure Lubecensi juxtà allegatum textum impugnandi datur spacium. Quod argumento est, antea robur non habere.

5. *l. 1. Cod. ut lit. pendent.* Ab hac generali providentia nullibi reperitur excepta de inscriptis controversia.

6. *l. 1. ff. de Litigios.*

7. Intra annum & diem suspensa vi inscriptionis,

Digitized by Google

nis, perinde est ac si nondum facta fuerit inscriptio. Paria sunt, non factum esse & quod factum in suspenso esse. *Bartol. in l. 2. ff. de Usur.*

DECISIO XV.

Retentionis jus justum debet habere initium, nec ex vitiosa occupatione oritur.

JUs retentionis non censendum saltem est ex sola detentione, nec ex causa retinendi, sed etiam ex initio habendi seu accipiendi: Quocirca acceptio vel replica vitiosæ acceptionis obstat retinenti. Si possessorio remedio agitur, etsi qui detinet, causam retinendi habet, nisi ita comparata fuerit ut statim res ex ea restitui debeat non eo minus à detentione decedere debet. In isto quippe non spectatur jus, cujus discussio ad petitorium referri debet, sed factum, & quidem tale, quod possessionem defendere aptum. Occupatori rei alienæ vitioso nihil proficit detentio (1) nec cum ea jus aliquod tenendi, si occupare non debuit, nec potuit. Ex hoc principio profluit, si hæredi objicitur, quod cum defunctus licet creditor retentionem non habuit, ille deinde fundum vel prædium invasit, ei incumbere aut probare defunctum ex ea causa retinuisse, si hoc obtendit, aut legitimè acquisitam possessionem. Non enim creditori licet invadere propria autoritate bona debitoris, & non modo si fecerit non proficiet invasio, sed causa erit juris omnis quod habet amittendi. (2) Quando autem sententia prior eam probationem creditori injunxerat, secunda vero neglexerat, inter appellationis gravamina hoc solum admissum est. *In causa Dietrich Bremers contra Consiliarium Regium Nicolaum ab Höpken die 1. Julii Anno 1662.*

1. Vis injusta & dolus nemini debet prodesse, & paria sunt non possidere & per vim possidere.

2. Hæc est pœna violentorum invasorum ordinaria. *l. si quis tantum C. unde vi.*

DECISIO XVI.

Retentionis jure ob creditum alienæ ædes inhabitans non censetur ad locarium vel ad pro percepto fructu, sed tantum pro modo habitæ utilitatis.

ESt quidem inter jus retentionis & pignoris differentia multiplex, in multis tamen etiam conveniunt: (1) Inter quæ etiam hoc est, quod sicut pignoris fructus creditor illud tenens percipit quidem, at in creditum, & quidem primo in usuras deinde in sortem imputat (2) idcirco ad rationes tenetur, (3) ita etiam qui jure retentionis alienas res tenet, fructus suos non facit, sed de iis aut imputandis aut reddendis sit obnoxius. (4) Est vero id debitum retentionis tantum de iis quæ dum retinet ex ipsa re habere potest. In quo discrimen est rusticorum atque urbanorum prædiorum. Illa uti fructuum percipiendorum causa habentur, ita retentor obligatus est ad curandum, quo iis ad quæ illa apta sunt potiatur, nihilque percipiendum extra rationes manet. (5) Hæc vero cum habitationis causa habeantur fructum nisi ex hac non habent, (6) quem facit aut habitatio aut locatio, (7) Eo nomine utroque nihil debet, aut prætiat retentor. Nam nec ipse habitare intelligitur, qui crediti gratia est in ædibus, sed tantùm donec solvitur, securitatis ergo commorari suumque jus tueri, (8) quare ipse qui non conducit mercedem non debet. (9) Qui verò jus retinendi habet, ei qui in mora existit ad interesse non tenetur qui sibi imputare debet quod citius alteri satisfaciendo rem non recuperavit, (10) ex sua mora lucrum cum alterius incommodo non habere: (11) Sicubi dari num inde erit, utique æquius sustinet quam retentor. (12) Haud quoque obligatio quædam est retentionis, ut alteri pro mercede ædes locet (13) qui id incertus quamdiu secum ista remanebunt, cum alio contrahere nequit. Tantùm si quædam insignis utilitas ad detentorem ex ædibus devenit, hoc imputabitur, veluti si vel ustas interea, vel si dum alias inhabitavit, suas locaverit & ità per retentionem lucratus sit. (14) In eo æquitas exigit, ut lucrum propter ædes retentas receptum sibi imputari sinat, qui ex alieno cum ipsius damno lucrum percipere non debet. At in casu qui præ manibus erat, nihil tale apparebat, quare juxtà priora detentorem à locario plane absolvendum esse judicabatur *in causa vidua Fridrich Bremers contra Majeur Christoff Henning Stein die 7. Maji Anno 1667.*

1. Inde apud JCtos aliquos illorum quædam legitur confusio, imperita tamen, rei & juri non congrua. Apud plures verò frequens à pignore ad retentionem argumentum non ineptum, ubi rationis diversitas non apparet: Est enim retentio quasi pignus in *l. Julianus* 13. §. *offerri ff. de pignor. act.*

2. *l. 1. l. 2. ff. de pignorat. act.*

3. Hoc consequens est perceptioni fructuum ex re aliena, quæ sit sine prævia voluntate vel contractu domini. Aliena nemo sine rationibus habet *l. in re mandata* 21. *ibi Salycet. C. mandat.*

4. *Coler. de proceff. executiv. part.* 1. *quod ibi* habet de vidua retentrice bonorum mariti donec ipsa

Digitized by Google

ipsi satisfit, idem pertinet ad omnia genera retentionum.

5. *l.* 3. C. *de pignorat. act.*

6. *Panzman. quæst. illust.* 2. *num.* 14. *part.* 2.

3. Merces ex locatione est solitus ædium fructus *l. ancillarum* 27. §. 1. *ff. de petit. Hared.*

8. Retentio proprie est exceptio & defensio quædam, qua quis insistendo jus suum tuetur & adversarium, donec sibi satisfacit, repellit, quo eo citius satisfaciat *l.* 1. C. *etiam ob chirogr. pec. Coler. de proceff. executiv. d. c.* 2. *n.* 262. Hic istius finis est.

9. Merces est compensatio usus *l.* 1. *ff. locat.* sine usu itaque non debetur: etsi vero hunc habet, tamen quia non principaliter sed in consequentiam suæ defensionis non attenditur *l.* 1. *ff. de autor. tut.*

10. Nemini mora sua prodesse debet. *l. hominem* 37. *ff. mandat.*

11. Quando de damno quæritur potentior est ejus causa quæ retinet, quam qui persequitur *l. si servum* 91. §. *sequitur* 5. *ff. de V. O.*

12. Hac sine nulla est petitio ejus quod interest rem locatam non fuisse.

13. Non potest esse melior conditio retentoris quam bonæ fidei possessoris, qui omnem utilitatem ex re aliena perceptam refundit *l. qui scit* 25. §. *fin. ff. de usur. & fruct.*

14. *l. nam hoc* 14. *l. hac condictio* 66. *ff. de condict. indeb. l.* 206. *ff. d. R. J.*

TIT. XXIIX.
DE DISTRACTIONE PIGNORUM.

DECISIO I.

Distractio nisi legitima non transfert dominium rei in emptorem, sed iterum à debitore peti potest, illo licet possidente & fructus percipiente.

ETsi distractio pignoris dominium rei distractæ transfert in emptorem, (1) nec facta potest revocari aut iterari sub eo obtentu, quod hodiè pluris res veneat, (2) nec refert alius an creditor emerit, (3) cum privatim non modo, sed publice intersit distractiones esse ratas atque constantes. (4) Attamen ita demum ea istius constantia oritur, si vere atque legitime facta & peracta est. (5) Quod si enim aut nondum venditio sit perfecta aut non iis modis, ut celebrari per statuta civitatis debet aut juxta consuetudinem solet, (6) quamdiu aliquid deest, pro non facta habetur; inde superest non modo creditoribus aliis, sed & ipsi debitori jus distractionem legitimam aut acceptionem in solutum, pro vero precio seu quantum alias daturus sit exigendi: (7) Nec sufficit ad illam declinandam aut rem retinendam diuturna possessio vel fructuum perceptio; (8) Causa enim & origo potius inspici debet factumque obesse nequit, quod est vel imperfectum vel injustum. In quo tamen hoc interest, quod nulla facta distractione creditoribus & debitori jus omne, quamdiu consensu expresso vel tacito non abdicavit, integrum est ut ad illam perveniatur ante adjudicationem, (9) quod idem est ac si non sit perfecta. (10) At ubi facta fuerit, sed illegitimè, creditoribus revocatio atque iterationis petitio competit, debitori verò non secus, quam si offerret debitum cum omnibus accessionibus. (11) Quod dum factum proponebatur, receptum est debitorem juste exegisse distractionem domus à creditore possessæ tanquam suæ, ideo cum à decreto talem distractionem admittente appellaretur processus non decernendos esse. *In causa Christian Tancken contra Johannem Koppen, die* 15. *Sept. Anno* 1653.

1. *v. l.* 1. *ff. & C. de distract. pignor.*

2. *v. Fab. in Cod. lib.* 8 *tit.* 17 *defin.* 3. *num.* 7. Inspicitur tempus venditionis qua distractionis jus, non actionis, *l. si voluntate* 8. C. *de rescind. vend.*

3. Creditor emens extranei emptoris loco & jure utitur, *l.* 2. C. *si in caus. jud. pign. capt. l. cum bona* 16. *ff. de bon. auth. jud. possid.*

4. *l. etsi fine* §. *quæsitum l. quod si minor*, §. *non semper ff. de Minorib.*

5. Paria sunt non fieri aut non plenè & legitimè fieri, *l. quoties* 6. *ff. qui satisd. cog.*

6. Ante omnia circa distractiones considerandum & sequendum est, quod statuto & consuetudine receptum, *Carpzov. Jurispr. foren. part.* 2. *constit.* 32. *def.* 36. *n.* 6. *seq.* à forma statuti circa istam præscripta ne latum quidem unguem discedendum est. *Fab. in Cod. lib.* 8 *tit.* 16. *defin.* 3. *n.* 3.

7. Hoc oritur ex necessitate distractionis, quæ præterquam ubi aliud inter creditorem & debitorem conventum est, *juxt. l. fin.* C. *de jur. dom. imper.* jure constituta est, *uti fusius exponit Coler. in tract. de Proceff. Executiv. part.* 3. *c.* 9.

8. Hæc non est propria dominii, sed etiam pignoris, si talis conventio aut ex secundo decreto immissio facta fuerit. Etiam eo modo addici possunt pignora, ut fructus computentur in sortem, *gloss. in l. à Divo* 15. *si pignora* 3. *verb. addicantur ff. de re judic.*

9. Ex distractione seu subhastatione illegitima nec dominium nec possessio transfertur, *cujus rationem vid. ap. Fabr. in Cod. l.* 8. *tit.* 16. *def.* 3. *n.* 1 *seq.* Improba alienatio proprietates non aufert, *l. si residuum* 5. C. *de distract. pign.* Ideo locus est revocationi, *l.* 2. C. *si vend. pign. ag.*

10. Nihil actum intelligitur, quamdiu aliquid agendum restat, *l. pen. in fin. C. de his quib. ut indign.* nec aliter perfecta distractio est, quam si omnia solenniter ut juxta acta fuerint, *l. si cessante* 7. C. *de distract. pignor. l. cum contra* 4. C. *si vend. pign. ag.*

11. *L.* 1. C. *si vend. pign. ag. lit.* C. *de fid. & jur. hast. fiscal. l. si non sortem* 26. §. *si centum ff. de condict. Indeb.* Rationem diversitatis vide apud *Fab. in Cod. tit.* 16. *defin.* 4. *n.* 5. Ita demum denunciatio debitoris efficax est, si universum tam sortis quam usurarum offerret creditori, *l.* 2. C. *debit. vend. pign. imp.*

Digitized by Google

DECISIO II.

Adjudicatio quando excludit distractionis petitionem.

DUplici modo fit rei adjudicatio, vel sola immissione in rem oppignoratam, seu assignatione tanquam medii recipiendæ solutionis cum facultate ex istâ creditum redigendi: vel addictione dominii. Illa improprie sic dicitur, etsi vulgo id nomen capit, nec eum effectum habet, ut cui facta fuit, dominus sit, sed saltem tribuit licentiam ad ea, quæ pro distractione aut addictione sunt necessaria. Quibus nondum factis, manet debitor dominus, atque distractionem justam exigit, qua sine ipso invito in solutum datio vel addictio fieri nequit. (1) Nec auget jus tenentis, quod ut dominus diu tenuit, quod fructus percepit, quod aliis creditoribus, queis res oppignorata fuit, solvit, quod opinatus est se esse dominum. Hunc non facit opinio, sed traditio ex causa seu titulo ad translationem dominii apto, & si vel possessor obtulerit precium, eoque oblato adjudicationem impetraverit, tamen non facta distractione aut sub hasta aut cum consensu debitoris deficit titulus; (2) quem non tantum verum, sed etiam justum esse oportet. Perinde non proficit Inscriptio in librum publicum, quæ non tribuit aliud jus, quam revera translatum est, nec immutat veritatem negocii. Postquam autem præcessit subhastatio aut justa æstimatio, quæ instar venditionis habet, secuta adjudicatio dominium verum transfert & excludit ulteriorem vel iteratam venditionem. (3) Cum autem de tali non apparebat, sed omnia intra eos terminos consistebant, ac si non legitime addictum esset dominium, non fuit causa gravaminis, ob quod admitti deberet appellatio à sententia legitimam distractionem exigente. *In eadem causa.*

1. Sic ut invitis creditoribus in solutum obtrudi nequit res oppignorata, sed libera est distractionis exactio, *gloss. in l. à Divo Pio 15. Sed pignora 3. ff. de re jud. Coler. de Process. execut. part. 3. c. 9. n. 198.* Utique debitoribus imponi, ut sine ea relinquant rem creditoribus, *l. in crusio 4. C. de bon. auctor. jud. possid. Coler. d. c. 9. n. 199.*

2. Adjudicatio quippe pro debitis fieri non debet, nisi vel ex consensu vel prævia legitima subhastatione, *l. fin. C. de jur. dom. imp.*

3. Adjudicatio rei subhastatæ tribuit dominium, tenquam titulus ad transferendum habilis, *Hein. part. 1. quæst. 17. num. 18. Modestin. Pistor. consil. 64. num. 3. vol. 1.* Est loco legitimæ distractionis, postquam debitor offerendo pretium emptori aut creditori quod debuit, evincere non potest. *l. pen. C. si antiq. cred. pign. vend. l. si cessante 7. C. de distract.*

DECISIO III.

Ex justa æstimatione creditori jus non est rem oppignoratam retinendi, si alius amplius offert.

ESt quidem creditori jus ex re oppignorata pro credito satisfactionem quærendi atque distractionem petendi, (1) etiam cum res emptorem non reperit, curandi, ut prævia justa æstimatione sibi adjudicetur. (2) Ubi autem est qui plus offert, aut à quo debitor amplius quam justæ æstimationis est, capiet, non est ex hac, licet jam facta, jus invito debitore rem pro ista retinendi. (3) Justum quippe non est ex æstimatione precium, cum necessario res distrahitur, si plus ab alio offertur, sed hoc justum est, (4) si non ratione rei ipsius, cujus æquum valorem excedit, (5) tamen respectu juris & finis, (6) ut debitori qui distractionem pati cogitur, consulatur, quatenus sine injuria creditoris fieri potest, cujus nihil ultra refert, quam ut creditum cum accessionibus consequatur. (7) Cujus ultra cum debitoris incommodo extensa cupiditas maligna atque iniqua est, injusta itaque æstimationis seu veri precii exceptio, ubi non illud, sed quod capi poterit inspicitur, & ab illâ rejectâ appellatio frivola existimata fuit. *In eadem causa.*

1. *Vid. tot. tit. ff. & C. de distract. pignor.*

2. Non potest cogi creditor, ut res judicialiter taxatas & subhastatas nullo emptore reperto in solutum recipiat, *vid. Carpzov. in jurispr. forens. part. 1. constit. 32. def. 61.* volens tamen admittitur, & ubi semel elegerit, aut pro eo fine bona æstimari fecerit, postea variare atque aliud exigere nequit. *Carpzov. dict. constit. 32. def. 62.*

3. Hoc consequens est juri & beneficio debitorum, ut res ejus carius licitanti distrahantur, idcirco publice subhastentur, ne ex viliori æstimatione lædantur, *vid. Fab. in Cod. lib. 8. tit. 16 def. 3. num. 7.*

4. Justum est precium, quod pinguiori precio non superatur, *l. 1. lib. Bald. & Salyc. C. communia divid.* seu quantum quivis extraneus emptor licitatur, *gloss. in l. à Divo Pio 15. §. si pignora vers. tertio potest ff. de re judic. Salycet. in l. ult. do. num. 2. C. de Exec. rei jud.*

5. Regulariter precia ex affectu singulorum non sunt constituenda, *l. precia 63. ff. ad L. Falcid.*

6. Pro hac justum est precium, quanti res in publico loco vendi potest, *c. ult. x. de empt. vend.* seu quanti in loco emptorem reperit. *Bald. in l. fin. C. de reb. auth. jud. possid.*

7. Nec circa distractionem ei ulterius quoddam jus, quin potius quod supra debitum desideratur, inter illicita est, *l. fin. C. de Pact. pignor.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO IV.

Quamdiu aliquid adjudicationi deest, integrum est debitori offerre creditum; & rem luere, & qualis qualis oblatio sufficit.

DEbitoris gratiâ recepta sunt, quæ ad distractionem requirit vel jus commune vel statutum loci, quo cum eò necessitatis redigitur, ut cogatur istam pati, procedat cum minimo ejus detrimento aut majori commodo. (1) Nec interest creditoris, quomodo fiat, dummodo ille consequatur creditum. Quo potiturus nihil juris habet ad ea, quæ cum debitoris aliquo incommodo sunt conjuncta. (2) Quæ etiam evadere licet offerendo debitum. Etsi itaque eo res processerit, ut adjudicatio fieri debuerit, aliquid etiam ex ista factum fuerit, integrum tamen relinquendum est debitori re suâ retentâ aut revocatâ offerre, (3) quamdiu adjudicatio non est plenè perfecta. (4) Nec præcisè necessarium est paratos statim exhibere nummos, sed sufficit eam creditori præstare conditionem, quam ratione crediti habiturus est ex distractione, vel adjudicatione, ut potius eodem ultrà quid à debitore non exigat, (5) multo minus unde huic plus adipisci licet, impediat. Quam æquitatem ubi secutus fuerit, judex inferior appellantem non audiet superior. (6) Uti existimatum fuit *in eadem causa.*

1. *Fab. in Cod. lib. 3. tit. 15. defin. 4. num. 7.*

2. In eo quod alii prodest, alii non nocet, hujus est isti concedere, *l. 2. §. 5. ff. de Aq. & aq. pluv. arcend.*

3. *Arg. l. 2. C. deb. vend. pignor. impèd. l. si rem 9. §. ult. ff. de Pignor. act. Coler. de Proces. execut. part. 3. c. 9. num. 95.*

4. Hæc dominium tribuit irrevocabiliter, ideo ex quo perficitur adjudicatum non magis quam alia res sua cuiquam invito auferri potest.

5. Nec enim ulterius creditoris interest, ex quo jus petendi regulam habet. Nec enim actio est, nisi cum interest.

6. Ad boni judicis officium pertinet, ita inter debitorem & creditorem mediè res curare, ut nec delicatus debitor, nec onerosus creditor audiatur, *l. si serv. 25. ff. de pignor. action.*

DECISIO V.

Debitori in locatione fundi, quem ex cessione aut immissione creditores tenent, jus protomiseos non est.

POstquam creditores immissi sunt in debitoris bona eorumque administrationem, obtinuerunt, imò cessione bonorum saltem intimata & concursu excitato isti, nisi illis satisfacit, nihil juris qua fructus superest, sed res pertinet ad utilitatem creditorum, (1) quibus non modo pro consequendâ solutione licet ista distrahere, (2) sed quamdiu ad distractionem pervenire non licet, fructus percipere, (3) itaque etiam administrare, aut de administratione disponere, (4) seu sua administratione seu etiam in alium locatione. (5) Nec audiendus est ipsis invitis debitor, si alii, qui à creditoribus conducit, præferri velit, (6) quem nulla lex facit ejus juris compotem, ut bona conductionis jure retinere debeat, (7) nedum aliis præfert, (8) aut ut creditores inviti cum illo contrahunt injungit. (9) Sine qua æquitas, quæ subesse videtur, haud attenditur. (10) Quocirca à decreto per quod præcipitur contractus locationis cum eo, qui debitoris loco est, seu in ejus debitum succedit, appellatio tam necessario admittenda est, quam sic mandare justitiæ non conveniens. *In causâ Creditorum de Gräben contra Campi Marschallum D. Arfuid VVittenberg die 22. Novemb. Anno 1653.*

1. Immissio ex causâ debiti pro solutione tribuit creditori possessionem & fructum excluso debitore, *l. in venditionem 8. §. 1. l. Prætor. 9. in pr. ff. de reb. autor. jud. possid. Bald. in Auth. Et qui jurat. n. 40. ibid. Salycet. num. 24. C. de Bon. auth. jud. poss.*

2. *Vid. tot. tit. ff. & Cod. de Distract. Pignor.*

3. *l. is cui 5. §. Imp. Antonius 16. ff. ut in possess. Legat. Coler. de Proces. Executiv. part. 3. cap. 12. n. 27.*

4. *l. 2. pr. §. 1. ff. de Curat. bon. dand.*

5. Fructus rei est locare posse, *arg. l fin. ff. de Usur. & fruct. l. 72. ff. de R. I.*

6. Eam præferentiam in Conductione fundi jam à creditoribus possessi sub obtentu cujusdam æquitatis sibi arrogant debitores, at sine jure.

7. Per immissionem ex secundo decreto amittit debitor omne jus utile rei, & hoc accipiunt creditores. Nullibi reperitur exceptares conducendi facultas.

8. *l. dudum 14. C. de contrab. empt.*

9. Injuria est, ut quis cogatur de rebus suis quidquam facere vel contrahere invitus, *l. 1. C. comm. divid. l. sicut C. de Commun. fer. alienat. l. nec emere C. de jur. delib.*

10. Æquitas sine lege cerebrina est, & temeraria, nec à Judice, quem decet sequi legem non cerebrum, attenditur. *Garsf. de Expens. cap. 1. num. 28.*

DECISIO VI.

Distractio bonorum sub initio concursus creditorum rectè atque utiliter fit, nec prohibenda est.

ESt quidem, quando contra debitorem agitur sic comparatum, ut ad distractionem bonorum, (ut & pignoris non deveniatur, nisi cum liquidum est debitum & executioni jam locus. (1) At cum debitor bonis cessit, atq; concursus creditorum excitatur, nihil obstat, quo minus statim ad distractionē bonorum perveniatur, (2) imò propter casuū pericula atq; administrationis difficultates, nec nō impendia

Digitized by Google

utilius erit, si animosus emptor adsit. (3) Quare nec debitoris post cessionem amplius interest, (4) nec creditorum alicui, qui majoris partis assensum sequi tenetur, (5) nec successori futuro, cujus jura non sunt creditorum potiora permittendum, ut morâ suâ utilitatem creditorum communem impediat, (6) quare nec appellatio ei respiciens, ut creditoribus utilis distractio differatur admittenda. *In causa Gebrüdere der Küssovven, contra Obristen Alexander VVeissenstein, die 13. Maji Anno 1654.*

1. *Vid. Fabr. in C. lib. 8. tit. 16. defin. 6.*

2. In electione creditorum & Prætoris est, postquam bona sunt possessa curatorem constituere, an vendere velint, *l. 1. §. 1. ff. de curat. bon. dand.*

3. Differtur venditio bonorum, nunquam ferè sine incommodo creditorum. Quantum accessionis ex precio forte sperant, tantum & amplius decedet per moram, quâ plerumque deteriora fiunt.

4. *l. imperatores 4. ff. de Curat. bon.*

5. *l. Juris Gentium 7. §. fin. l. seq. ff. de Pact.*

6. *l. 1. pr. ff. de Cur. bon. dand.*

DECISIO VII.

Precium bonorum debitoris venditorum ante finem concursus, quomodo asservandum.

INter processus super liquidatione atque ordine creditorum motos bona debitoris distrahi sæpius expedit; at precii asservatio providentiâ eget. Factum non raro fuit, ut sub fine litis de eo novæ lites & difficultates inciderent, inde creditoribus post ambages processus incommodius accideriit, ære potiri quam jure. Per commune jus tam distractio quam receptio & custodia, postea solutio pecuniæ curatori bonorum concreditur & incumbit. (1) At causa esse potest, ut ab eo discedendum aliterque prospiciendum sit, maxime si curator non sit tantarum possessionum vel sufficienti cautione securitatem non præstiterit, aut tamdiu penes ipsum otiosam esse pecuniam creditoribus noceat. (2) Relinquendum hoc primo creditorum voluntati atque consensui. (3) Ita vero, ut inter dissentientes majoris partis electio prævaleat. (4) Deinde providentiæ & arbitrio judicis non parum tribuendum, ut consideret, quid creditoribus utilius atque securius. (5) Quicum hoc foro existimaverit, si apud emptorem precium usque ad finem causæ, seu concursus relinquatur, standum arbitrio, sed ita si non major creditorum pars dissenserit? (6) Si cum causæ cognitione auditis creditoribus & eorum allegationibus sic decreverit; (7) si, ut satis ipsis ab emptore in casum processus finiti de solutione paratâ cautum sit, curaverit: (8) si quoque de fructibus & usuris interea prospexerit; (9) Si denique non illius relictionis evidens incommodum apparuit. (10) *In eadem causa.*

1. *l. si mandavero 22. §. pen. ff. mand. l. pen. & ult. ff. de Curat. bon.*

2. Ut creditoribus maximè prospiciatur, quo non modo citissimè, sed etiam plenissimè creditis potiantur, ad judicis curam pertinet, *l. 2. Cod. de Prator. Pignor.*

3. Illorum præprimis interest, quomodo administrantur aut distrahuntur bona, ideo ante omnia sunt audiendi & sequendi.

4. *l. 2. pr. ff. de Curat. bon. l. Juris Gentium 7. §. fin. in fin. ff. de Pact.*

5. Hoc interponendum & sequendum cum inter partes non convenit, *l. majorem 8. in fin. Cod. de Pact.*

6. Majoris partis creditorum consensus potior est judicis voluntate, *dict. l. Juris Gentium 7. §. fin. ll. seq.*

7. Decretum judicis sine causæ cognitione invalidum est, nec obligat, *l. 1. l. seq. Cod. Comm. in Epistol. reser.*

8. Curare debet judex, ut curator bonorum aut opibus sufficiens sit, aut ut satisdet. *l. 2. §. 1. in fin. ff. de Cur. bon.*

9. Alias si otiosa manere debet pecunia, præstat deponi in loco securo, quam ad emptorem relinqui, quod hoc conjunctum est cum majori periculo.

10. Cujusmodi erit, si remora & perturbatio processus metuitur ab eo, *cui proficit diu rem & precium habuisse.*

DECISIO VIII.

Emptor bonorum sub obtentu concursus nondum finiti contra voluntatem creditorum precium retinere nequit.

BOna debitoris possessa à creditoribus emens post perfectum contractum tradita, seu recepta possessione ad precii solutionem tenetur, (1) nec hanc sub obtentu concursus nondum finiti juste remoratur. (2) Etsi enim tamdiu certum non sit, cui ex creditoribus malis de prioritate contendentibus solvi debeat, certum tamen est creditoribus deberi, & cui contractum non vult esse incertum, ita certa est ejus obligatio; Iniquum foret, & contra bonam fidem rem & precium simul ab ipso retineri. (3) Non est, ut metuat ob incertitudinem sententiæ prioritatis periculum, aut ideo cautionem exigat, cum id ad ipsum minimè pertineat, qui solutione iis, quibus debet, facta satis securus est. (4) *In eadem causa.*

1. Hæc naturalis & emptoris obligatio.

2. Cum omnibus creditoribus contrahens, omnibus etiam solvere tenetur, & quidem statim præsenti pecunia, ut hoc ejus distractionis proprium est, *l. 2 Divo 15. §. sed etsi emptor ff. de re judic.*

Digitized by Google

3. *l. 3. ex empto* 11. §. *ult. l. bona fides* 50. *ff. de act. empt.*

4. Non tenetur emptor ultra creditoribus, sed qui vendidit & precium recepit curator vel alius, *l. cum mandavero* 22. §. *pen. ff. mandat.*

DECISIO IX.

Successurus debitori contra distractionem bonorum hujus non audiendus est, nisi statim offeret precium, aut se illis satisfacturum.

ESt quidem in distractione bonorum debitoris obærati hoc jus proximorum sanguine junctorum, ut extraneis emptoribus præferantur, (1) nec dubium est in feudis relinquendum cum agnatis simultaneè investitis, tum iis quibus in casum exstinctæ familiæ exspectativa, seu successio in feudo evenit, (2) attamen non aliter hi admittendi sunt, quam si statim se præferri postulant, nec sinunt elabi tempora juri protimiscos præfixa. (5) Deinde si se successores esse velle declarant, (4) ideo creditoribus satisfacere, aut id, quod alius obtulit, precium solvere offerunt. (5)

In eadem causa.

1. *l. cum bona* 16. *ff. de reb. autor. jud. possid.*

2. Ex similitudine rationis, quæ idem jus facit.

3. *Fab. in Cod. lib.* 8. *tit.* 16. *defin.* 32.

4. Successoris quidem ratione prærogativa ante extraneum jus potius est, at non contra creditores, quo suum consequantur, *d. cum bona* 16. *ff. de reb. aut. jud.*

5. *l.* 1. §. *fin. ff. de Curat. bon. dand.* hæc conditio juris retractus naturalis est, ut venditori idem præstetur à retrahente, quod habiturus est ab alio, nec ex retractu deterior conditio ejus fiat.

DECISIO X.

Creditori nisi pignore, quod in manibus habet discusso aut non discutiendo, non est contra debitorem in alia ejus bona concedenda immissio.

APpellabat contra quem decretæ erat executio pro pretio emptionis excussum hujus arguens, (1) quod ei locum non putabat cum pro eodem venditori in manibus erat speciale pignus suppositum. (2) Appellandi justa fuisset ratio, si non alia accessisset consideratio. Nam creditori cui speciale pignus suppositum est, incumbit prius illud excutere seu inde crediti consecutionem omni ope experiri. (3) Quo non facto haud licet ad alia debitoris bona pervenire. At non aliter id obtinet, quam si pignus speciale idoneum est seu sine magna difficultate ex eo quod debetur, redigi valet. (4) Si constat vel plane ex eo iperandam non esse pecuniam, (5) vel non sine longa mora multisque ambagibus, haud eo detrudendus est creditor, ut istas molestias, impensas & incommoda subeat, sed ei permittendum alia via satisfactionem quærere. (6) Nec remorandus est excussionis exceptione, ubi illa prævidetur inutilis. (7) Etsi enim pignus idoneum in dubio præsumitur, ideo excussio facienda est, (8) cessat tamen hæc ubi aliud apparet. (9) Sicut fit si res oppignorata talis sit, quæ in eo loco emptorem non reperiet, (10) aut quæ invito in solutum dari nequit. (11) His rei circumstantiis deprehensis denegati sunt processus *in causa David Rethen contra VVendelin Schildknecht, die* 19. *Jan. An.* 1656.

1. Ob hunc in executione appellationi locus reliquus est. *l. ab executione* 5, *C. quor. appell. non recipitur.*

2. Ea mente hoc datur & accipitur ut sit tam securitatis quam solutionis potiundi medium.

3. Qui speciale pignus habet non tantum etsi simul generale pignus habeat, ab alio creditore ante illud excussum res avocare potest, *l. quamvis* 2. *C. qui pot. in pign.* sed nec à debitore, uti communior habet JCtorum opinio *d. l. quamvis* etiam in debitore locum habere, *quam prolixius exponit & confirmat Hartm. Pistor. quæst.* 13. *num.* 8. *& seq. part.* 3. *pro ea allegans & explicans text. in l. quæ specialiter C. de distinct. pign.*

4. Eam conditionem naturalem habet excussionis exceptio, si per eam creditori potest satis fieri, *Novell.* 4. *cap.* 1. *&* 2.

5. Ubi nihil profutura est excussio, frustra admittitur illius exceptio. *arg. l. nam is* 6. *ff. de dol. mal. Muscatell. in Prax. fidejuss. part.* 2. *quæst.* 10. *num.* 6.

6. Ut conveniendi difficultas excludit excussionis beneficium. *Caroc. de Excuss. hon. quæst.* 37. *num.* 1. *Muscatell. dict. quæst.* 10. *num.* 27. *seq.* Ita etiam consequendi quod debetur. Paria sunt non solvendo esse facultatibus & non venturo, vel ex actu esse difficile. *Gail.* 2. *Observ.* 27. *num.* 25.

7. Frustra exigendum & exspectandum est cujus nihil operatur eventus. *l. quisquis* 15. *C. de rescind. vendit.*

8. *Cacheran. decis.* 159. *num.* 2. *Caroc. d. tract. quæst.* 65. *num.* 2.

9. Non opus est conjecturis, ubi res alias liquida est. *l. continuus* 137. §. 2. *ff. de V. O.*

10. In hoc pignoris finis & effectus *l.* 4. *ff. de Pign. act.* cessat, ideo pro pignore vere non est.

11. Id quod juri regulariter adversum, dum aliud pro alio solvi non debet *l.* 2. §. 2. *ff. de reb. cred.*

DECISIO XI.

Post additionem pignoris in solutum semel factam non superest locus distractioni vel aliis mediis.

HAud quidem creditori pignus in solutum obtrudi potest invito, (1) sed ei facultas est exigendi distractionem & subhastationem; (2) Per quam, ubi distrahi nequit,

nequit, tandem pervenitur mediante justa æstimatione ad addictionem, (3) & tamen in hac integrum manet creditori, utrum illam sibi fieri velit, an potius pro pignore rem retinere & meliora distractionis tempora exspectare. (4) At duo hi casus meritò excipiuntur, primò si creditor addictionem semel elegerit, (5) exinde obligatur ad electum observandum retinendumque. (6) Deinde si res ad concursum creditorum, inde ad distributionem bonorum inter ipsos devenerit, (7) ubi huic semel factæ standum. (8) Transitum ad alia remedia præsertim qua bona aliis jam cessionata excludit jus aliorum creditorum. (9) Utrumque occurrit *in causa Jochim Behren Söhne contra Julius Paul von Schmatzhagen, die* 11. *Octobr. Anno* 1656.

1. *l. incivile* 4. C. *de bon. author. possid. vid. de hoc Coler. de Proceß. Executiv. part.* 3. *cap.* 9. *num.* 85. *& seq. & num* 109.

2. *tot. tit. ff. & C de Distract. pign.*

3. *l. fin.* C. *si in caus. jud. pign. l. fin.* §. *fin autem* C. *de Jur. Dom. impetr. Jason. Bartol. Alexand. in l. à Divo* 15. §. *si pignora. num.* 14. *ff. de rejudicat.*

4. *d. l. à Divo* 15. §. *si pignora verſic. nam ſi creditur. Coler. dict. cap.* 9. *num.* 114.

5. *Coler. d. cap. num.* 73.

6. Viam quam quis semel elegit, in talibus ambulare decet, *per vulgata.*

7. Ea distributio bonorum in concursu inter creditores nihil aliud est, quam adjudicatio ejusque effectus habet.

8. In concursu creditorum quo res inter plures expediatur, multa obtinent aliter, quam ubi unus alterve creditorum si contra debitorem res est. Inde plures ejus singularia sunt.

9. Post concursum paria sunt omnium creditorum jura, nec ut contra debitorem supereſt inter eos vigilandi facultas. *l. quod autem* §. *sciendum* 6. *ff. qua in fraud. cred.*

DECISIO XII.

Addictio pignorum quando facta intelligitur.

CErtum est solam immissionem in bona debitoris non facere addictionem. (1) Ubi autem accedit æstimatio quorundam ex his, eo fine, ut ex æstimatis creditor satisfiat, illo mediante istâ accipit, retinet, & ut suis utitur, etiamsi nulla sententia nullumve decretum judicis accesserit, perinde est atque si res addictæ sint, (2) nec est reditus ad distractionem vel electionem alterius rei, præsertim ubi omnia in eo jam statu sunt, ut non cum debitore sed aliis creditoribus res sit, sique de suo consequendo contendunt. (3) *In eadem causa.*

1. Pignus tamen constituit ea immissio, *l. 6. tot. tit. C. si in caus. jud. pign.*

2. Æstimatio instar venditionis habet. *l. cum decem* 10. *ib. Bald. C. de jur. dot.*

3. Ubi partes accipiunt pignora in solutum æstimata non opus est decreto judiciali, quod in eo casu facilè impetrandum. *Coler. de Proceß. Executiv. part.* 4. *c.* 9. *num.* 58.

DECISIO XIII.

Æstimatio semel à judice approbata, si non appellatum, judicati instar habet atque irrevocabilis est.

AB æstimatione appellare licet, (1) siquidem justa sit eam impugnandi causa. At cum semel à judice publicata & approbata est, intra legitimum tempus non interpositâ appellatione postea rata habenda atque à creditoribus observanda est. (2) Inde pro ea æstimatione creditor rem æstimatam accipere & retinere cogitur, (3) non attentis ultra quæ contra æstimationem facere viderentur. *In eadem causa.*

1. *Borguin. decis.* 20. *part.* 2.

2. Æstimatio sola quidem publicatione non habet judicati instar, fieri enim solet, ut partes super illa prius audiantur. Approbatio verò ejus pro judicato est, ideò justo tempore non impugnata vim rei judicatæ habet, & creditoribus præjudicat.

3. *Coler. de Proceß. Executiv. part.* 3. *cap.* 9. *num.* 168.

Super his decisionibus ita pronunciatum fuit;

In Sachen Jochim Behren Sohne Appellanten und Klägern eines/ entgegen und wider Julium Paul von Schmatzhagen Appellaten und Beklagten andern Theils in puncto vindicationis eines Bauren / wird auff das / so nach Anweisung der den 21. Januar. laufenden Jahrs publicirten Urtheil beyzubringen angenommen/ so viel beygebracht zu seyn befunden/ daß appellaten vermögen deß den immissorialen angefügten reservats nicht mehr dann 1833. fl. Capital, dann zum vierten Theil damahlen betagte Zinsen benanntlich 508. fl. wie auch 49. fl. drey und zwantzigste halben Schilling Gerichts-Kosten gebühren/ dieselbe aber nach der auffgerichteten taxa dabey nach gestalt der Sachen itzigen Umständen billig hierbey / durch die angewiesene Güter bereits erstattet. Demnach appellanten von dem Zuspruche zu entbinden / die auffgelauffene Unkosten werden gegen einander aufgehoben und compensirt / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 20. Octobr. Anno 1656.

(Hoc est.) In causa Joachimi Behren liberorum appellantium & actorum ex una contra Julium Paulum à Schmatzhagen appellatum & reum ex altera partibus in puncto vindicationis alicujus rustici, id quod juxta tenorem sententiæ 22. Januarii currentis anni publicatum ut doceatur, susceptum in tantum probatum apparet, quod appellato vigore reservati immisso-

rialibus

rialibus adjuncti non plusquam 1833. flor. in Capitali tum pro quarta parte tunc temporis Cassi — censes nempe 508. flor. ut & 49. flor. 22. & dimid. solidi expensarum litis competant, illi etiam secundum taxam erectam cui juxta statum causa & modernarum circumstantiarum merito inhæratur, per bona affignata jamdum soluti, Inde appellans ab impetitione absolvendus, expensæ litis causatæ invicem compensantur. Idque de jure, Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 20. Octobr. Anno 1656.

DECISIO XIV.

Creditoris primi justum non est desiderium, ut sibi soli integrum pignus ad redigendum ex fructibus creditum relinquatur, sed justius secundi, ut aut distrahatur pignus & utrique ex eo fiat solutio, aut si primus retinere velit, quod ex precio excedit, debitum solvat, vel communicet secundo.

JUsta non est potioris creditoris intentio, ut integrum pignus suo credito longè amplius & preciosius solus retineat, donec ex fructibus illud redigat, si alii adsunt creditores, (1) quibus ex eo quod reliquum satisfieri debet, veluti postquam creditoribus bona cessa sunt & in concursu sententia prioritatis pronunciata. Necessarium est eô ordine quem ista constituit, ex bonis cessis solvi. Non igitur opus habet posterior creditor, ut offerat primo creditori creditum, qui ex reliquo pignoris sibi satisfieri cupit, sed cogi potest primus ad distrahendum pignus. (2) Quod alias dicitur, creditorem invitum non cogi ad venditionem pignoris, (3) sed in ejus arbitrio esse, an retinere & fructibus contentus esse velit, id si cum debitore res sit, isque ei pro certo precio in solutum obtrudere rem velit, & quod in illo creditum excedit reposcat, obtinet. (4) At ubi debitor vendere & ex precio pecuniam solvere velit, non procedit. Nam si & debitor cautelam indemnitatis præstet, exhibere ad vendendum tenetur. (5) Multo minus contra secundum creditorem primus eo obtentu uti poterit. (6) Quod constitutum est, non nisi per jus offerendi possessionem pignoris secundum priori creditori auferri posse, (7) id minimè infert aliquam necessitatem oblationis, (8) aut excludit jus petendi distractionem, (9) sed hoc saltem indigitat, possessionem pignoris à primo secundum impetrare non posse, nisi per oblationem; inde verò, ut non necesse sit vendi, minimè sequitur. (10) Eo iniquius huic reluctabitur prior creditor, quod suum capiet, ultra quod nihil justè desiderat, nec hypothecæ jus obtendet. (11) Sed ut etiam alter suo potiatur sine incommodo suo permittere, aut verò judex id curare debet. (12) Præsertim verò si secundus creditor sit pauper, ut offerre non possit, vel adeò privilegiatus, ut mereatur similiter suum recipere, æquum putatur distractionem injungi. (13) Sic judicatum *in causa Eberhard von Ahnen suo & socrus nomine agentis contra Nicolaum Tessin die 28. Octobr. Anno 1656.*

1. Quisque ita suum recipere debet, ne invideat aut obsistat alterius utilitati. Quod sibi non nocet, alteri prodest, id negare malignum, *l. 2. §. Item Varus ff de aq. pluv. arcend.*

2. *Sic expresse decisum reperies in l. à Divo Pio 15. §. sed si res pignorata 5. ff. de re judic.*

3. *l. invitum* C. *de contrab. empt.*

4. Haud licet invito creditori aliud pro alio solvere, *l. 2. §. 1. ff. de reb. credit.*

5. *Sic decidit l. quamvis 6. pr. ff. de Pignor. action.*

6. Secundo creditori ad prosecutionem pignoris plus juris est, quam debitori ad relucndum.

7. *Juxta l. 1. & tot. tit.* C. *si antiq. cred. pignor. vend.*

8. Ipsius enim causa jus offerendi competit, ideò ad id nemo cogi debet, *d. l. quamvis 6. de Pignor. action. Fab. in Cod. lib. 5. tit. 7. defin. 35. num. 12.* scribit, adversus meram juris rationem ex æquitate hoc receptum esse, ut etiam posterior creditor agens adversus anteriorem eundemque possessorem petere possit distractionem pignorum, nec debitum offerre compellatur.

9. Ex pluribus remediis unum non excludit aliud nisi electione. Ante hanc liberum est, quod eligere & usurpare velis.

10. Diversa hæc sunt, à quibus vitiosa est illatio, *l. fin. ff. de Calumniat.*

11. Suas conditiones habet hypothecaria actio, nempe quando soluta est pecunia aut satisfactum, *l. grege 13. §. etiamsi 4. ff. de Pignor. act.* quibus cessantibus ut teneri, ista præstitis desinit.

12. Semper ea ratio sequenda est, quantum fieri potest, ut omnibus consulatur, nemo fraudetur, *l. ex his 8. ff. quæ in fraud. credit.*

13. *Ant. Fab. in Cod. lib. 8. tit. 16. def. 1.* ubi putat quidem non nisi per oblationem à primo creditore obtineri posse, ut cedat pignore, tamen limitat in paupere viduâ, quæ dotem repetit.

Digitized by Google

DECISIO XV.

Distrahendi licentia non est accipienda, nisi pro justo precio, & hoc venit tantum in conditionem de vendendo.

QUi polentam alicui affignaverat in casum non subsecutæ ex pacto solutionis, appellabat à sententia, quæ istam ex pacto actori addicebat, pro eo quo istam vendiderat precio. Audiendum illum esse putabatur, dum illud dicebat injustum planè, nimisque vile, & in suum grave damnum sic acceptum. Etsi enim habendi vendendique licentia data fuerat, ea tamen non aliter accipienda est, atque ut vendatur pro justo precio. (1) Hæc quippe in conditionem distractionis venit, (2) nec aliter dici potest emptorem reperiri, quam si justum precium offert. (3) Id quod non ex unius fortè certam pecuniam pro precio offerentis, sed ex communi rei valore æstimandum. (4) Effecit itaque querela de iniquitate precii, pro quo res dicebatur vendita, appellationem admitti *in causa Hanns Hercules Erben, contra Abraham Sievers Erben, die 2. Decembr. Anno* 1656.

1. *l. 2. ib. Bald. C. si in caus. judic. pignus. Afflict. decis.* 358. *num.* 6.

2. *l. 2. C. si propt. publ pensit.* Omnia ea pacta, conditiones & reservata, quæ sonant de emptore vel precio, de justo accipienda sunt, seu de emptore qui justum precium offeret, *Parlador. rer. quotidian. lib. 2. cap. fin. part.* 5. §. 17. *num.* 24.

3. Paria sunt, precium non offerre, & injustum, *dict. C. si in caus. judic. pignus.*

4. Pretia rerum non ex affectu aut utilitate singulorum, sed communiter funguntur. *l. precia 63. ff. ad L. Falcid.*

DECISIO XVI.

Vidua oblata unde satisfieri de illatis potest recipere & cætera bona aliis creditoribus relinquere tenetur.

SI stricti juris rationem tantum consideres quemadmodum pignoris jus individuum est, (1) nec creditor ad creditorum posteriorum petitionem partibus vel speciebus ejus aliquibus tantum retentis cogitur de reliquis decedere, nisi creditum omne offerunt, (2) ita vidua quæ bona mariti ex jure pignoris pro dote, ejus lucro aliisque illatis oppignorata habet (3) invitæ injungi nequit, ut aliqua eorum quanta æstimatione suum creditum æquabunt recipiat, cæteris decedat. (4) At per æquitatem à stricto jure hac in re decedditur, ita ut non sinatur vidua ulterius bona omnia mariti detinere, quam si ita non satisfiat, quomodo satisfieri debet. (5) Iniquum enim foret imo malignum fœminam, quæ ex certis bonis suo potiri posset, iis non velle esse contentam sed præterea omnia retinere, quo aliis juxta se non satisfiat aut difficilis sit sui crediti recuperatio. (6) Quod jus hypothecæ & retentionis viduæ ex legibus moribusque competit, illum finem habet ut mulier de dote cæterisque illatis & lucris secura sit, iisque eo citius potiatur. Quem si assequitur vidua iis mediis quæ possibilia & legitima sunt, conqueri minime poterit, aliorum vero justis petitionibus obesse permittendum haud est. (7) Eo minus, quod ipsius nihil interest omnia bona tenere ubi ex aliquibus satisfiet. (8) Imo incommoda & pericula sentiet. (9) Satis vero prospectum ipsi ubi pro quantitate crediti è bonis mariti eligere, eaque vel in solutum accipere vel distrahere permittitur. (10) Juxta hæc pronunciatum est *in causa viduæ Georgii Behren contra viduam Baronis Joannis VVachtmeisters die 6. April. An.* 1658.

1. *l. rem hereditariam* 65. *ff. de Eviction.*

2. *l. quamdiu* 6. *C. de distract. pignor. l. creditorit. ff. eod. l.* 2. *C. debit. vend. pign. imped. non poss.*

3. *l. un.* § 1. *C. de rei uxor. action.*

4. *Ad eam strictam juris rationem pertinent quæ in terminis ita tradit Faber. in Cod. lib.* 5. *tit.* 7. *defin.*

5. Ita strictum jus temperandum esse æquitate in hac specie tradit idem Faber *in Cod. dict. tit.* 7. *defin.* 35. eamque hactenus in concursu creditorum secuti sumus in Tribunali Regio, sæpius experti quam alia via inter plures creditores negocia expediri non possint, aut ea difficultate iisque incommodis, quibus tandem omnia intricatiora reddita, multumque iniquitatis illatum creditoribus.

6. Æquitas naturalis ita poscit, ut quisque admittat, quod sibi non nocet alteri prodest. *l.* 2. §. *item Varius* 2. *ff. de Aq. & Aq. pluv. arcend.*

7. Ea via optima, per quam utrique parti poterit esse consultum ideo præprimis tenenda. *l. ex his* 8. *ff. quæ in fraud. cred.*

8. Quæ interesse potest ejus quæ ex pignoribus suum potest consequi *arg. l.* 21. *de Pignorib.*

9. Habet incommoda multa particularis solutio. *l.* 3. *ff. fam. ercisc.* quam valde molestis modis accipit creditor, qui in usuras & sortem reditus imputat. Custodia & administratio bonorum iisdem scatet.

10. His modis iturad solutionem ex bonis debitoris *tot. tit. ff. & C. de Distract. Pignor.*

DECISIO XVII.

Non est in electione creditoris ut ipsi potius pignus ex judicato captum addicatur quam ut distrahatur.

EXecutionis cum ordinem Jurisprudentia Romana constituit, ut pignus

pro

Digitized by Google

pro credito seu judicato captum distrahatur: (1) quod si vero alium emptorem non inveniet, creditori simul circa distractionem licitanti pro eo quod majus obtulit pretium velut emptori attribuatur, (2) vel si simul circa distractionem licitatus non sit, attamen malit pro credito possidere pignus id ipsimet addicatur, (3) vel deniq; si hoc nō placuerit jus dominii solenniter impetretur, (4) quod hodie non amplius ita solenniter fit, ut requirit Justinianea constitutio, (5) sed sola adjudicatione, quæ prævium habet æstimationem, peragitur. (6) Accidebat autem, ut per sententiam judicis à quo, inverso hoc ordine permitteretur creditrici in solutum eligere, quod placeret, juxtimque tunc possessori qui non erat dominus, nec debitor, sed alio jure veluti ratione meliorationum & impendiorum concreditrix bona tenebat, redimere. Inde quæstio oriebatur utrum recte? Inspecto ordine juris quem leges circa executiones observari volunt, (7) existimatum est, non licere circa executionem inchoare ab acceptione in solutum seu impetratione dominii, sed aut distractionem statim decernendam, aut vero audiendos primum debitorem aliosque creditores; tum quod addictio saltem subsidiarium est remedium, locum non habens nisi ubi per distractionem justam non potest pretium accipi; (8) tum quia ordinem illum jus constituit; (9) tum quod debitoris atque creditorum cæterorum maxime interest distractionem publica subhastatione fieri, quo quod maximum recipi potest pretium omnium commodo eveniat. (10) Minime itaque concedendum erat, ut in quod immissa erat actrix statim ut suum sibi sumeret & possessori ab ista velut ex vendito retinere liceret. (11) Tantum hoc licuit ut si solvendo in jura illius succedat, (12) aut si loco debitoris, reluitione utatur. (13) juxta quæ pronunciatum *in eadem causa*.

1. *l. quæ specialiter 9. C. de Distract. Pignor. l. 1. C. si ex caus. judic.*

2. Dummodo ea res fraude careat, *uti declaratur in l. & qui sub 10. C. de Distract. pign.*

3. *Quam speciem habet textus in l. à Divo 15. §. si pignora 3. ff. de Re judic.* De cujus sensu varia est JCtorum sententia, at ex verbis, si modo ut decet ea sequimur, satis perspicua. Quando vero ea ratione utitur, quod ita accipiens cum debitore velut pactus de credito transegisse videatur, satis manifestum est, quod ad talem speciem pertineat, ubi volente, hoc est, cum posset non contradicente debitore fit in solutum acceptio. Cui consequens est eadem ratione, ut non tantum si quantitate crediti minus sit precium, quod superat petere non liceat, de quo nulla poterit esse dubitatio, sed nec etiam quod nec si quid in precio majus sit, repetere. *uti rectius sentit Hilliger. ad Donell. lib. 17. cap. 3. lit. Bb.*

4. *l. fin. C. si in caus. judic.*

5. *in l. fin. C. de Jur. Domin. impetrand.*

6. Scimus hodie non observari eas solennitates & ambages, quas *d. l. fin.* requirit, sed postquam publice venum exposita res emptorem non reperit, taxatione prævia adjudicari.

7. *l. 3. C. de Execut. rei judic.*

8. *uti definitum in d. l. fin C. si in caus. judic. pign.*

9. *d. l. fin. §. 1. & seq. C. de Jur. domin. impetr.*

10. Istorum causa illud sic constitutum & ad averendas fraudes solennibus formatum est *l. 4. C. de Distract. pignor.*

11. Venditionis alia requisita sunt ex juris constitutione exacte observanda. *de quib. vid. tot. tit. ff. & C. de Distract. Pignor.*

12. Quod quomodo pro differentia ea an creditor an extraneus sit fiat. *vid. l. 1. l. fin. C. de his qui in prior. cred. loc.*

13. *tot. tit. C. de Luit. pignor.*

pronunciationis hic tenor fuit.

In Sachen Hedwig von Heimbruchs Obristen Jürgen Behrens Wittwen/ Appellantinnen/ wider deß Herren Reichs-Raths und Baron Hans Wachtmeisters Frau Wittwen und dero bestalten Amptmann Arnold von Asten Appellaten in puncto immissionis wird die Abstattung der Solemnium Appellationis gestalten Sachen nach nicht vonnöthen / daneben die Gravamina überflüssig/ sonst auß den Actis befunden und erkandt/ daß es bey der durch die Königl. Regierung vorhin in das Guth Teuffelsdorff und dessen pertinentien erkandten und vollenstreckten immission dem Einhalt nach allerdings/ also Appellantinnen dero Genieß unbehindert und ohne Uffenhalt dergestalt zu lassen / daß sie zu der Wahl eines Antheils darauß an statt der Zinsen die Abnützung biß zu ihrer Abfindung zu erheben/ alsfort zu erstatten/ wann sie auch solches benennen würde/ daran vermittelst der gebetenen Commission zu waltigen/ dahin die den 30. Maji und 16. Junii Anno 1657. ergangene Verordnungen zu endern und zu erklären / dabey jedoch der Frau Appellatinnen die Appellantin abzufinden/ und in ihr Recht zu tretten biß zu ferner adjudication frey bleibet/ welche aber zusampt der taxation noch zur Zeit nicht ergehet/ sondern es werden zuvorhero die Lehensfolger und andere Creditores darüber billich vernommen von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar/ den 26. April. Anno 1658.

(Hoc est.) In causa Hedvvigis ab Heimbruchs Colonelli Georgii Behrens viduæ appellantis contra Domini Consiliarii regni & Baronis Joannis Wachtmeisters viduam & ejus constitutum Satrapam Arnoldum ab Asten appellatos in puncto immissionis, præstatio Solennium appellationis hoc statu rerum non est necessaria, præterea gravamina superflua, alias ex actis decernimus quod immissioni per regium regimen antea in prædium Teuffelsdorff & ejus pertinentias decretæ & executæ juxta ejus tenorem omnimodo inhærendum & appellanti ejus

Digitized by Google

fruitio absque impedimento & mora reliquenda ita, ut ad electionem unius partis loco censuum fructus usque ad suam satisfactionem percipere possit, consequenter permittendum, quod si id denominaverit, in eo mediante petita commissione dominari, quo ordinationes 30. May. & 16. Junii emanatæ reformandæ & declarandæ ubi tamen appellatæ usque ad ulteriorem dijudicationem liberum manet appellanti satisfacere & in ejus jus succedere, quæ tamen una cum taxatione nondum emanat sed prius desuper feudi Successores & Creditores audiuntur idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 26. Aprilis. Anno 1658.

DECISIO XVIII.

Se curaturum ab alio solutionem promittens, an de suo teneatur & quando.

DE via atque obligatione promissi de curando ut alius solvat, vel ab alio pecunia accipiatur, magna, & varia JCtorum disputatio est. (1) In quam incidimus cum ex tali conventus & ad solvendum condemnatus appellaret. Existimatum vero est talis promissionis ambiguum esse sensum, respiciendum verò ad promittentium mentem (2) discernendumque quomodo fiat, an ut ab expromissore alieni debiti, an ut à mandatario, seu an quis ideo promittat ut creditorem debiti securiorem faciat, an ut saltem factum exactionis præstet. (3) In priori specie non sufficit omnem diligentiam esse adhibitam, sed si ea frustranea sit nihilominus tenetur, qui pro alio interceßit, præsertim ubi fidem ejus promissarius sequitur. (4) In posteriori autem nihil ultra eam diligentiam quæ ex mandato præstanda est debetur; (5) quo circa male ad solvendum condemnabitur, antequam eam non esse præstitam docetur. In dubio autem quis magis ut procurator quam ut ex promissor intelligitur alienum debitum suscepisse. (6) Ideo cum expromissionem factam fuisse non appareret, multo magis autem argumenta contracti mandati adessent, appellationem recipiendam esse conclusum fuit *ad supplicationem Alberti Mattheesen contra Catharinam Oligart Meyers. Die 26. Novembr. Anno* 1658.

1. *Videatur de eo responsum* Cothmanni, 50. *vol.* 5. *ubi in utramque partem collectis plurimis rationibus & authoritatibus de eo disputat.*

2. In omnibus promissis prædominatur voluntas promittentium, ideo ante omnia cum dictum est dubium, investigatur & spectatur, *l. semper in* 34. *ff. de R. J.*

3. In utraque specie apparet diversa intentio promittentium, quæ etiam discernit obligationis modum: qui non potest esse alius, quàm animus.

4. *l. qui autem* §. 1 *ff. de Constit. pecun. l.* 5. *ita stipulatus ff. de V. O.* §. *si quis alium. Instit. de Inutil. stipul. Mynsing. resp.* 10. *num.* 17. *dec.* 1.

5. Mandatarii aut procuratoris non est alia quam ad diligentiam obligatio.

6. In dubio verba sic sunt accipienda, ut promittentem minus obligent. *Angel. consil.* 67. *num.* 3. *Tib. Decian. resp.* 85. *num.* 20. *vol.* 5.

6. Qui ex sua culpa vel negligentia aut juris ignorantia, quæ pro culpa est, læduntur in integrum non restituuntur. Quod quis sua culpa sentit damnum, sentire non intelligitur *l. damnum ff. de R. J.*

DECISIO XIX.

Creditor pignus non legitime distrahens, ideo ut restitui non possit efficiens, exceptione doli removetur.

CUm pignus legitime distrahitur est creditori de residuo quanti minus illud valuit aut venditum fuit contra debitorem vel fidejussorem actio. (1) Post distractionem autem illegitimam cessat ea petitio, nisi creditor faciet ut pignus nulliter distractum restituatur. (2) Nec tantum in eo casu actio pignoratitia superest ad pignus soluta pecunia repetendum, (3) aut creditorem in id, quod actoris interest condemnandum, (4) sed competit exceptio de non solvendo donec pignus redditur. (5) Sic pronunciatum *in causa haredum Ægidii von der Osten contra Philippum Gatzleff von Rotermand die* 3. *April. Anno* 1660.

1. *l. hypotheca* 3. *l. quæ specialiter* 9. C. *de distract pign.*

2. Distractio illegitima debitori nocere non debet.

3. *l. cum contra* C. *si vendit. pign ag.*

4. *l.* 1. C. *eod.*

5. *l. fin. ibi Gloss & Dd. ff. de pignorat. act.*

DECISIO XX.

Distractio pignoris non facta ejus denunciatione quando valeat.

DEbitor, à quo petebatur residuum crediti quod ex distractis pignoribus redigi non poterat, ideo solvere recusabat, quod sibi non facta denunciatione distractio præcesserat, inde quæstio, an, & quando hęc valeat illa non facta. Distinctio hęc juri & rationi convenit, an circa pign° conventum

Digitized by Google

ventum sit, ut non soluto debito vel ultra distrahatur, an nihil de illo actum fuerit. Ex conventione de distrahendo sine aliqua denunciatione ad distractionem progredi licet tanquam ejus facultate concessa, (1) nisi habeat aliquid quod hanc limites. Modus iste, præscriptus exacte observandus est. (2) Cum nihil reperitur conventum, ut a debitore remaneat in solvendo sortem vel ullam, aut nihil moræ accedit. Nulla præcedente mora illi nondum est locus nisi de anno in annum non posset, sed ab eo excepta videretur species. Hoc enim expresse sic sonabat, quod avus pro se & descendentibus masculis *für sich und seine männliche Leibs Erben* feudum illud comparaverat, mentione filiorum aut hæredum simpliciter nulla facta. Unde erat manifesta mens & destinatio emptoris, quod feudum tantum deberet esse masculinum & successionis masculinæ, quæ fœminas ab eo excludit. (4) Deinde inter narrata erat filium emptoris, qui fuit frater matris appellantis post mortem patris feudum retinuisse nec hunc in successionem venisse, sed dote data elocatam esse, quæ doris datio ex feudis juxta consuetudinem feudorum est tum quasi repensatio ejus quod filiabus pro successione competit, tum quædam hujus abdicatio uti talis plerumque etiam exprimi solet. (5) Nec alio loco habenda erat, si pro petitione, quæ filiarum in successione bonorum futura erat, data fuerit (6) iis etiam hoc consequens erat, quod fœminæ semel exclusæ semper maneant exclusæ, uti ex jure feudorum regulariter traditur: (7) Accedebat etiam hoc inter facti circumstantias, quod appellans debitori avunculo suo succedere non poterat qui filium reliquerat, cujus soliuserat illa successio. (8) His consideratis denegari sunt processus tanquam appellantis intentione non fundata *ad preces Bubenhoffs von Eichstedten die 14. Julii Anno* 1660.

1. *Quam sententiam pluribus approbatam vide apud Rauchbar quæst.38. per tot.*

2. Inter contractum pignoratitium & pactum retrovenditionis non multum differentiæ reputatur, & cum hoc contracta emptio pro pignore habetur, uti pluribus explicat *Menoch. lib.3. de præsumpt.119. per tot. Molinæus de usur. num.267. & seq.*

3. *vid. Schrader. de Feud.part.2. cap.2. num.26. & seq.*

4. Limitatur superior sententia in eo casu quando aliquis feudum pro se & masculis hæredibus cum pacto retrovendi[illegible] acquirit, uti eam limitationem refert *Rauchbar. dict. quæst. 37. num. 7.*

5. Cum olim Nobiles Pomeraniæ sua bona, quæ tenent illo titulo in feudum a Principibus, [illegible]

plo vicinorum recognoscere volentur, ex privilegio iis vicissim concessum est, ut filiabus & sororibus ex feudo loco portionis hereditariæ quamdiu non nuberent congrua alimenta, deinde dos certa pro quantitate ejus statuenda, darentur. Illa contenta esse debent, nec quicquam juris in feudis ultra habent. Quando itaque manet dos ex feudis data, & quidem etiam eo quod *pater* cum pacto retrovendi[illegible] emerat, utique nihil [illegible] opus est, quam si filia habeat cum [illegible] vendi promissionis concessa.

6. Idem ideo his exigere non licuit. *Schrader de Feud. part. 7. n. 8. vers. quod primo. Vulcius de Feud. lib. 1. c. 9. num. 51.*

8. Erat in hac parte non simplex successione patris a quo feudum soror acquiescente ad filium fratrem suum pervenerat, sed de successione fratris, cujus proximi successores descendentes collaterales excludentes. *Novell. 118. c. 1.*

DECISIO XXI.

De vastatis bonorum debitoris ex bello tertio possessori non admittit exceptionem excussionis qua illorum præsentem æstimationem.

QUi bona debitoris prosecuti & jam immissi erant, post illa per bellum devastata ad legatarios defuncti qui sua dudum ex testamento cœperant institura actione hypothecaria redibant. His vero exceptionem excussionis opponentibus, quærebatur, utrum ob deteriorata bona nec facile reparanda exceptio cessaret? Quod etsi initio ob difficultatem consequendi ex iis creditum videri poterat, (1) tamen considerato juxtim quod etsi tanti atque antea non valebant, nihilominus per distractionem aut æstimationem in totum aut in tantum creditori satisfieri poterat, excussionem prius faciendam esse conclusum fuit, quippe quod nisi ea prævia bona cætera non solvendo dici nequeunt, quin potius talia præsumuntur. (2) Nec devastatio eximit ea excussioni etsi viliora reddit. Nam etiam horum distractio aut adjudicatio in solutum cedit. *In causa aliquot creditorum hypothecariorum Nicolai Horn contra Joachimum Biboren & Christianum Zepelin die 25. Januar. Anno 1661.*

1. Ubi ex bonis immissis difficilis consecutio eorum quæ debentur exceptioni excussionis locus non est. Sicuti aliquoties inter decisiones nostras retulimus.

2. *Fab. in C. lib.7. tit.32. def.19. Brun. de cons. bon. quæst.6. part.4. pr.*

DECISIO XXII.

Cum possessor bonorum aliis oppignoratorum opposita excussionis exceptione interim absolvitur ad cautionem non tenetur.

EXceptio excussionis ubi locum habet efficit, ut reus hypothecaria conventus eo usque absolvatur, donec facta fuerit discussio. (1) Postquam ita tamen in id quod per istam non impetratur convenitur, (2) interea non tantum à petitione liber est, sed etiam à cautionis præstatione. Nihil quippe debet, sed res tantum quæ convenitur, & in illum casum obligata manet ad quemcunque possessorem pervenerit, ad quem non potest transire nisi cum sua causa. (3) Ideoque satis securus est creditor. Sic existimatum est *in eadem causa.*

1. *Auth. hoc si debitor C. de pign. Bened. de Pinumb. in tr. de discuss. n.* 5.

2. Ea mente fit discussio ut si bona discussa plene non sufficiant ex aliis solutio queri possit.

3. Res transit cum suo onere ad quemcunque possessorem.

DECISIO XXIII.

Creditori qui venditor fuerat licitandi domus addicenda est, etsi multo vilius pretium offert quam quo vendidit.

QUod creditori qui distractionem pignoris sui urget facultas conceditur facta sub hastatione licitandi & pretium offerendi, (1) utique ubi alio emptore non existente qui majus offert, illi pro eo quod obtulit res proclamata est addicenda. (2) Nec ei objici nedum addictio impediri potest, quod eadem res ab ipso vendita, at pro residuo pretio oppignorata antehac multò carius à debitore empta fuit, veluti quod cum antea quingentis imperialibus comparata esset, nunc tres tantùm & paulò amplius offerentur. (3) Hoc non impedit addictionem sed tantùm si ex eo debitor valde læsus fuerit ob enormem læsionem revocandi potestatem integram relinquit. (4) Quando verò eo nomine non implorabatur auxilium judicis, sed tantùm ut quod deerat priori pretio redderetur, eaque petitio planè absurda fuerat, ideò rejicienda, non auditus est appellans qui ædibus sibi à distractis cedere jubebatur. Dominus autem quærendi causam habens quod judex à quo illi æquius quam justè decreto caverat, ut intra annum relundi licentia superesset, (5) qua superstite non est recurrendum ad remedium quod odiosum & pluribus ambagibus subjectum. Ità rejecta petitio pro processibus *in causa Eischeimer contra Hans Fischern die 7. Maji* 1667.

1. *l. 2. C. si in causa jud. cap. l. fin. h. 2. C. de jur. omn. imper. and.*

2. Concessio jure in subhastatione licitandi non negandum est jus pro oblato pretio habendi. Accipiendum unumquodque cum effectu *l. pen. §. 2. ff. ne quis eum qui in jus.* excepturis casus, ubi fraudulenter & simulatè hæc in reagitur *l. 6 qui sub. 10. C. de distr. pignor.*

3. Pretia rerum per tempora variari, & non eadem stare consuetudine *l. pretia 63. l. seq. ff. ad l. Falc.*

4. Communiori & ut per judicata observari receptiori sententia etiam post subhastationem relatus est locus *l. 2. C. de rescind. vendit.* prout plurios tradit *Pinel. in l. 2 de rescind. vendit. part. 2. num. 29 & seq.*

5. In tali specie quando per jus commune vel statutarium superest resilendi facultas, quia brevi via ad rem redditi & finis alterius remedii alias difficilioris obtineri potest, non esse locum remedio *d. l. 2. C. de rescind. vendit.* in terminis subhastationis tradit *Anth. Faber in C. lib. 8. tit. 16. def. 8.*

6. Uti difficiliori & prolixiori via est ad rescindendum quam redimendum, ita causa rescissionis magis odiosa quam redemptionis *l. ad rescindendam C. de rescind. vendit.*

TIT. XXIX.

DEBITOREM VENDITIONEM Pignoris impedire non posse.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXX.

SI VENDITO PIGNORE AGATUR.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXI.

DE LUITIONE PIGNORIS.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXII.

SI UNUS EX PLURIBUS Hæredibus creditoris vel debitoris partem suam debiti solverit vel acceperit.

DECISIO I.

Hæres ex causa hypothecæ in solidum non damnandus est, nisi legitimè hypothecaria conventus.

NOn ut divisionis exceptione pro parte hæres potest se defendere contra personalem actionem in solidum intentatam, sed

ut ut pacto jus solidum petendi datum sit, sic eadem defensio competit, cum hæres possidet rem hypothecæ datam. (4) Ejus ut individua obligatio & causa est, (2) sic etiam ejus causa actio adversus possessorem insolidum, nec contra eam proficit exceptio, non sum solus hæres vel cohæredes nondum excussi. (3) Quocirca si quisquam adjecto pacto hæredes insolidum obligarit hypothecam omnium bonorum seu certæ rei addiderit, qui, ex pignore quidquam tenet, in quantum illud valet, actioni obnoxius erit. Haud tamen aliter condemnandus est hæres ratione eorum bonorum quæ tenet, quam si conventus sit actione hypothecaria. (4) Non hac sed personali tantum conventus haud juxta illam, sed hanc tantum judicandus est, nec actioni institutæ postea incongruè petens audiendus est. (5) Deinde oportet hypothecariam non generatim proponi, sed ad rem aliquam certam dirigi. (6) Eamque talem, quæ sit penes reum. Est enim rei vindicationis species, quæ requirit designationem certæ rei. (7) Tandem & hanc ità comparatam esse decet, ut pignori esse possit. Oppignoratio inutilis effectu careret, nec actionem hypothecariam parit. (8) Quocirca quando in libello nihil reperiebatur, quod argueret actorem voluisse hypothecariam actionem instituere, & quam deinde volebat hypothecam, velut in actionem deductam, præterquam quod nisi post sententiam nominata non erat, res feudalis erat, quæ sine domini consensu oppignorari non potuit, concluſum minimè in solidum possessorem sub obtentu hypothecæ condemnari posse. *In causa Jochim Matthæus Thun contra hæredes D. Matthiæ Gieſen die 17 Jan. An. 1657.*

1. Hic non ut hæres, sed ut possessor convenitur hypothecaria, quæ possessorem sequitur, *l. 2. C. si un. ex plur. l. 55 ff. de Rei vindic.*

2. *l. rem hæreditariam 65 ff. de Evictionib.*

3. *l. 2. C. de hæred. actionib.*

4. Sententia conformis esse debet actioni institutæ, nec istam egredi. Ultra id, quod in judicium deductum est, excedere facultas judicis non potest. *l. in fundo 18 ff. Commun. div.*

5. Siquidem libellus actoris sit generalis, obscurus, dubius & ità comparatus, ut ad diversa actionum genera interpretatione non incommoda porrigi queat, judicis est non tantùm non impedire, quo minus quælibet apta narratio à parte colligatur & instituta habeatur, *Mynsing. resp. 18. Sixtin. Consil. Marpurg. 11. num. 3. vol. 1.* sed etiam quæ utilior est, elicere & processui adaptare, *Gail. 1. Observ. 61. num. 9. seq. Guden. Consil. 43. num. 1.* At ubi ex libello certum genus actionis institutum apparet, idque tale quod cum eis non quadrat, tunc minimè potest ex & pro alia actione judicare, *d. l. in fund. 18. l. fin. C. de Fideicommiss. libert.* sicut nec actor potest genus actionis, ita ut eadem lis maneat, mutare. *Loditz. C. de Edend. ib. Dd. omnes Bluem. in l. Diffamari cap. 1. num. 12.*

6. Pignoris persecutio in rem est. *l. Piguer. 18. C. de Pignorib.*

7. *l. si in rem 6 ff. de Rei Vindic. Donell. lib. 23. Comment. Jur. Civil.*

8. Causa inutilis non potest producere utilem effectum, *l. non dubium 5. C. de Legib.*

Juxta hæc ità pronunciatum;

In Sachen Jochim Matthias Thunen Appellanten/ wider D. Matthiæ Gieſen Erben/ in puncto debiti ex causa fidejussoris, werden die gravamina als überflüſſig nicht/ ſondern acta ex officio vor beſchloſſen angenommen und erkannt/ daß von Richter erſter Inſtantz den 30. Octobr. Anno 655. übel geſprochen/ wohl appelliret/ und dahin zu reformiren/ daß Appellant und Beklagter Jochim Matthias Thun von angeſtellter action inſolidum geſtalten Sachen nach zu entbinden; Und dafern Appellaten ihn Zuſpruchs zu erlaſſen und zu beklagen ſchuldig ſeyn. Von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar/ den 19. Januarii Anno 1657.

(Hoc est.) In causa Joachimi Matthæi Thun appellantis contra hæredes D. Matthiæ Gieſen in puncto debiti ex causa fidejussionis, gravamina tanquam superflua non admittimus, sed acta ex officio pro concluſis acceptamus, & decernimus quod à judice primæ Instantiæ 30. Octobris Anno 1655. male judicatum, bene appellatum & eo reformandum, ut appellans & reus Joachim Matthias Thun ab instituta actione in solidum his circumstantiis absolvendus sit, idque de jure, publicatum in summo Tribunali Wismariæ 19. Januarii Anno 1657.

DECISIO II.

Hæres pro parte actione personali in solidum non convenitur, etiamsi bona hereditaria omnia possidet.

EX lege 12. Tab. descendit divisio actionum in hæredes quæ ipso jure fit. (2) Cujus virtute hæredibus singulis conventis competit exceptio non sum solus hæres, & ut conveniantur omnes cohæredes. (2) Nec refert, utrum aliquis eorum omnia bona possideat, præterquam si actione in rem adversus ejus possessorem agitur. Ex eâ enim hæredem qui possidet tenetur in solidum. (3) Quod secus se habet in personali actione, in qua non consideratur possessio sed obligatio, (4) cujus inter plures hæredes pro partibus hæreditariis divisa, qua omnes eadem

Digitized by Google

& una ratio est. (5) Non rejiciendaitaque visa fuit querela supplicantis pro rescripto ad judicium inferius, quo exceptio illa attenderetur *in causa vidue Præfecti militum Ilenfelden, contra Christoff Altvvich Blixen, die 30. Sept. An. 1653.*

1. *l. 1. C. si cert. pet. l. 1. C. de hered. action.*
2. *Sibard. in l. 1. C. de Fide jussor. Carpzob. in jurispr. forens. part. 2. const. 2. def. 25.*
3. *l. 2. C. de Hered. action.*
4. *l. fin. §. fin. ff. de contrab. empt. l. 2. §. hæres ff. ad SC. Trebell.*
5. Omnes colijunctim hæredes in locum defuncti succedunt, & pro persona singulari habentur *l. cui fundus 56. ff. de constit. & demonstr.*

DECISIO III.

Cumulata actione personali & hypothecaria illa relicta, hanc prosequi licet quæ gravat.

PRo credito constituto pignore duplex actio est, personalis & altera; nec modo creditori alteram eligere, sed utramque cumulate integrum est, quo facto, licet postea eidem alteram deserere, & vel omissa hypothecaria in personam contra debitorem ejusve hæredes agere, (1) vel relictis his, contra possessorem actione in rem experiri, (2) nec arctari potest actor ut simul utramque peragat, nec ei quod alterius est obtrudere, (3) aut electioni a judice obicem ponit, etsi litis contestatio facta sit. (4) Etsi itaque ab initio adversus omnes hæredes institura sit actio, si eorum unus tantum possidet, contra illum relictis cæteris hypothecariam prosequi licebit. *In causa Immanuelis Eechlern contra Hans Brandstetten die 4. Decemb. Anno 1659.*

1. *Guid. Pap. Quæst. 103. Fab. in Cod. lib. 8. tit. 6. defin. 22. num. 1. ubi rationem addunt, quod ad eundem finem utraque tendit.*
2. *L. duabus 14. l. persecutione 14. Cod. de pignorit.*
3. *Fab. in Cod. lib. 8. tit. 6. defin. 12.* Alias actionem post litis contestationem mutare non licet *l. Cod. de Edend.*
4. Sic pluribus remediis debitum consequendi electio unius non excludit cætera, sed licet mutare illa & variare. *l. si legatorum 8. ff. ne in poss. Legat. Coler. de Process. Executiv. part. 1. cap. 8. num. 40. seq.*

DECISIO IV.

Hæres in rem contra defunctum vel omnes hæredes capta, contra unum, qui bona possidet, peragitur.

CUm defunctus convenitur tanquam possessor rei, eo defuncto actio non contra omnes ejus hæredes, sed tantum contra eum qui possidet, recte peragitur, & condemnatio fit, (1) cum ista actio tantum possessorem sequatur, (2) eique ille in solidum obnoxius sit qui tenet. (3) Similis ratio est, si plures hæredes ab initio conventi sint, & postea apparet unum saltem eorum possidere. (4) Contra hunc actio durat, contra cæteros inutilis est, idcirco ex obtentu corpus contra hæredes omnes actionis nemo debet cogi ut uno tantum possidente sic peragat. Ita visum *in eadem causa.*

1. *L. si possessor 55. ff. de rei vindic. l. 1. §. 1. ff. de stipulat. Prætor.*
2. Quod est unius in rem actio propter *l. ejusmodi 9. ff. de rei vindic.*
3. Si unus ex hæredibus possessoris totam rem tenet, in solidum condemnandus est. *dict. l. §. fin. verb. sed si unus l. 2. de hered. action.*
4. Est contra non possidentes inutilis & inepta actio.

DECISIO V.

Cohæres possessor rei hereditariæ agentem hypothecaria exceptione divisionis excludit, si cum cohærede de sua quota pactus est.

PErsonali quidem actione unus cohæredum ultra ratam pro qua hæres est conveniri nequit, (1) at hypothecaria, utpote rei persecutoria, unus qui rei hypothecatæ possessor est, in solidum convenitur. (2) Nec obsistit actioni facta hæreditatis divisio, (3) etiamsi vel longum tempus ab ea effluxerit, (4) si non tantùm, quo debitor contra hypothecariam præscribit. (5) Multum quippe interest, res oppignoratas utrum extraneus ex alio titulo, an hæres ex successione hæreditaria possideat. Hic non aliter præscribit quam ipse debitor. (6) nec gaudet exceptione ordinis seu excussionis, quomodo alius singulari titulo possidens fruitur. (7) Tantùm illud proficiet, si creditor cum uno vel altero cohæredum de portione hæreditaria crediti sibi solvenda & recipienda pactus fuerit. (8) Divisio crediti inde oritur per quam deinde cohæres possessor rei hæreditariæ in divisione hæreditatis acceptæ creditorem excludere potest in solidi petitione. (9) Ratio eadem est, utrum agat actione personali an hypothecaria. (10) Nam divisio petitionis species habetur renunciationis solidi. Nec faciet, ut ultra virilem fiat condemnatio, quod in pacto cum aliquo cohæredum reservata fuerit actio contra cæteros

cæteros cohæredes, eorumque res ex hæreditate acceptas, præterquam, quod in ea quæ occurrebat specie, reservatum tale seu non aliud reperiebatur quam de residuo, quod cohæredum alter paciscens in se non receperat, & inde potius confirmabatur divisionis exceptio, (11) utique etsi generatim factum fuisset, tamén non ultra proficeret, quam ut integra sit actio, si crediti partes à cohærede per pactum promissas ab eo creditor recipere non liceret. Casus itaque hic esset, in quo cohærendi hypothecaria convento ordinis seu excussionis exceptio competeret. Placuit per superiores rationes ream hypothecariam compellatam ab eo quod cohæres at pro sua parte solvere constituerat, *in causa des Land-Raths Heinrich von der Osten Erben, contra viduam Nickel von Warnstädten, die* 30. *Martii Anno* 1669.

1. Propter divisionem quæ ex lege fit, unde ipso jure ultra hæres non tenetur, *l.* 1. *C. si certum pet.*

2. Quod non nemo aliter *ex l.* 1. C. *commun. de legat.* colligere vult, aberrat à ratione juris. Speciale est legatorum quod in d. text. constituitur, quorum causa contra hæredes etiam in rem non est ultra actio quam quatenus hæredes sunt, quod ad credita extendi non sinunt textus juris aliter expresse definientes.

3. *l.* 2. C. *de hared. act.*

4. Tempus, nisi cum præscriptione accidentibus ejus requisitis non est modus tollendæ obligationis, *l. obligationum* 44. §. 1. *ff. de O. & A.*

5. *De quo vide l.* 4. C. *de præscript.* 30. *aut* 40. *ann.*

6. Una est debitoris defuncti & hæredis persona, nec hæres melioris conditionis esse potest quam Defunctus fuit, *l.* 2. §. 2. *de V. O.*

7. *Juxta Novell.* 4. *cap.* 1.

8. Est in tali pacto separatio crediti, & cujus semel secutus est, fidem sequi tenetur, juxta *l.* 1. §. 15. *ff. de separat.*

9. *Juxta l. si creditores* 16. C. *de pact.*

10. Argumentum à fidejussoribus ad pignora in jure frequens est & congruum, ubi non apparet diversitatis ratio.

11. Exceptio seu reservatio de reliquo ultra reservatum relinquit sub juris communis dispositione.

TIT. XXXIII.

SI PIGNORIS CONVENTIONEM numeratio pecuniæ secuta non fuerit.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXIV.

DE JURE DOMINII IMPETRANDO.

DECISIO UNICA.

Post factam creditoris electionem & decretam judicis addictionem, non supereſt ex obtentu non factæ plenæ satisfactionis illi jus plura ex bonis detinendi, sed ab hoc separatio facienda, & debitori cætera sunt reddenda.

MUltum interest inter pignus conventionale atque judiciale. Illud licet ex conventione receptum, non excludit creditorem à petitione residui, si creditum non æquat, (1) sed integrum isti manet reliquum ex aliis bonis exigendi. (2) At ubi pignus judiciale semel pro credito captum & creditori addictum est, tunc non supereſt ex aliis debitoris facultatibus residui exactio. (3) Eligendo quippe bona, quæ pro executione capta sunt, creditor veluti paciscitur cum debitore, & in solutum ea accipit pro credito, queis deinde contentus esse creditur. (4) Eoque magis si non simpliciter sibi per res, in quas immittitur, satisfactum velit, (5) sed æstimatio præmissa, illa mediante optio peripsam facta & à judice addictio subsecuta est. (6) Electionem habet creditor antequam ad addictionem pervenitur, (7) at ubi semel elegit, à cæteris excluditur, tanquam liberato jam debitore, quia semel satisfactum fuit, (8) nisi protestando sibi ulteriorem petitionem reservaverit. (9) Itaque cum immissus creditor non tantum partem bonorum in solutum, uti loquimur, optasset, deinde vero alia debitoris bona retineret, decretum est debitori mandatum duplex, alterum ad creditorem, ut in posterum abstineret à bonis sibi non addictis tanquam alienis. (10) Alterum ad judicem à quo cui executivo commissa fuerat, ut separatione bonorum facta curaret non addicta debitori statim restitui (1) *ad supplicationem Niclaus Demeln contra Daniel Bekken, die* 18. *Sept. Anno* 1660.

1. *l. quæsitum* §. 1 *ff. de distract. pign. l. creditor* C. *de R. C. l. adversus* C. *de O. & A. l.* 2. *C. de dist. pign.* Ideo non sufficiens pignus acceptando creditor non amittit exactionem debitæ quantitatis, in quam pignus non sufficit.

2. Ne quidem post longum temporis spatium creditor residuum à debitore vel fidejussore petere prohibetur *pignoribus* C. *de fidejuss.*

3. Ita dedicit textus in *l. à divo* 15. §. *si pignora dere judic.* in quo simul ratio ejus decisionis annotatur, quod eligens & recipiens pacto transegisse videatur. Nam acceptans pro solutione bona intelligitur eam accepisse quantitatem quæ sibi debebatur. Inde vero oritur liberatio. *vid. Menoch.*

Digitized by Google

Menoch. de Præsumpt. 91. Hering. de fidejuss. cap. 20. §. 13. num 15.

4. Creditor accipiens res quasdam in solutum à debitore pro eo quod sibi debetur, seu pro residuo, non potest ultra quid petere, etsi amplius debeatur *l. ex pluribus ib. gloss. ff. de solut. Guid. Pap. decis.* 171. *Caroc. de excuss. bon.* 1. *quæst. pr. num.* 12.

5. Etiam qui simpliciter in solutum accipit ultra quid petere nequit, præsertim si autoritate judicis fit *fas. in d.* §. *si pignora num.* 2. & 3. *Alex. num.* 9. 10.

6. Est is creditor, qui ita bona ex addictione in solutum recipit instar emptoris *l. ult. ff. ex quib. caus. in poss.* & perinde habetur ac si emptionem cum debitore contraxerit quam facit æstimatio. Quare ut ab emptione semel contracta recedere non permissum *l.* 1. C. *quand. ab empt. reced.* sed simul placita servare necessitatis *l. sicut* 5. C *de O.* & *A.* ita quoque addictioni insistere necessarium.

7. *l.* 7. *ff. de distract. pign.*

8. Satisfactio pro solutione est *l. satisfactio* 52. *ff. de solut.* & accepisse totum dicitur, cui semel satisfactum, etsi in eo à semetipso fuerit deceptus *l. si rem* §. *omnis ff. de pign. act. l. item liberatur ff. quib. mod. pign. vel hypoth.*

6 Protestatio conservat jus protestantis, eaque omnino necessaria est in hac specie, si ex addictione rem in solutum accipiens velit sibi quicquã reservatum, uti in terminis tradit *Coler. de proc. ss. executiv. part.* 3. *cap.* 9. *num.* 62. illa tollit illam juris præsumptionem de tacito pacto vel transactione, quæ juxta *d.* §. *si pignora* causa est excludendi accipientem in solutum.

10. Creditor quod ex pignore penes se est ultra quantitatem crediti restituere tenetur debitori *l.* 1. C. *de pignor. act.*

11. Ad officium executoris pertinet eum exacte servare modum ut victor amplius non accipiat, quam ex sententia debet victus. Debere autem non intelligitur amplius ubi acceptatis bonis semel satisfactum fuit.

TIT. XXXV.

DE PACTIS PIGNORUM ET de lege Commissaria in pignoribus rescindenda.

DECISIO UNICA.

Antichretico creditori à debitore præstanda sunt, sine quibus mutuum usum habere nequit, ideo & reparandum, quod ex eo clades bellica sustulit.

CUm belli clades prædium, quod cum pacto antichretico pignori datum fuerat, valde devastasset, creditor initio velut exstincto contractu, cujus tamen tempora elapsa non erant, creditum repetebat & eo non reddito distractionem urgebat, cujus iniquitati cum non indulgeretur, reparationem desolatorum petebat, id quod eatenus æquum videbatur quatenus ad antichresin erat necessarium. Est enim ex pacti Antichretici obligatione, ut præstetur usus rei (1) & habeat creditor invicem usurarum istius utilitatem, (2) cui consequens est reparatio illorum, quævis major abstulit vel perdidit, (3) cum casus talium pertineat ad debitorem velut dominum. Iniquum foret illum imputare creditori, qui caret sua pecunia, nec pro ea fit obnoxius, ut cladem res debitoris perdentem reparet, (4) Reparationis autem debitum non porrigitur ultra necessitatem, hoc est illud quo ad usum opus est. (5) Si ultra hoc antea commoda fuerunt ædificia inter tumultus bellicos desolata, non incumbit talium restitutio in priori qualitate. (7) Nec enim quid ex pacto antichretico debetur, quam quod requirit antichresis, non quod ultra illum usum fuit. (7) Quare illi petitioni, ut ad eandem qualitatem ædificetur, non relictus est locus, sed commissio decreta est pro inquirenda necessitate & pro hac definiendo modo, *in causa Zacharias Gramern contra Senatum Civitatis Gartz die 22. Jan. Anno* 1659.

1. Antichresis est mutuus pignoris usus pro credito *l. si is qui* 11. §. 1 *ff. de pignorib.*

2. Quo nomine ipsi datur pignoratitia actio si pignus constitutum *in l. si pecuniam* 33. *ff. de pignor. act.* si sine pignore pactum est, in factum *d. l. si is qui* 11. §. 1.

3. Cui incumbit consequens, ille tenetur ad omne necessarium antecedens. *l.* 2. *ibid. gloss. & Dd. ff. de jurisdiction.*

4. *l. pignus* 9. C. *de Pignor. action.*

5. *l. quis fortunis* 5. C. eod. etiam re perempta manet personalis obligatio, ex qua pecunia reddenda. aut res pignorata reparanda *l. si nulla* 8. C. *eod.*

6. Non est qualitas in obligatione, sed usus *d. l. si is qui* 11. *de Pignorib.* Qui si non incommode haberi potest sufficit.

7. Finis pacti ponit limites obligationi.

TIT. XXXVI.

DE EXCEPTIONIBUS ET PRÆscriptionibus.

DECISIO I.

Lex. Siquidem C. de Except. ad connexas non ad diversa pertinet.

QUod constitutum est, ut reus tunc demum exceptionem probare opus habeat si actor suum intentionem probaverit, ideo interim donec hoc fiet, ille super-

Digitized by Google

persedere queat. (1) Hoc pertinet ad connexa hoc est, quando actore non probante reus absolvetur, (2) ideoque quod à reo probari supervacuum est. Sicut est, ubi diversa plane sunt, quæ probanda, nec alterum ab altero sic dependet, ut uno non probato alterum probari non sit necesse, sed etsi unus non probet, victoriam obtinere non queat. (3) Veluti si de quantitate mercedis est controversia, juxtim autem cum ea certa erit, ex casu sterilitatis quædam detractio patitur, ejus vero damnum incertum, ita utrique tam actori quantitatis quam reo damni probatio incumbit, & si injungitur non est adversus lapsum termini probatorii huic excusatio, quod actor nondum probaverit. (4) Quemadmodum enim in iis quæ sic ab invicem non dependent, judicis est, utrique parti simultaneam probationem injungere, (5) ita partium terminum constitutum simul observare. *In causa viduæ Christoff Brunellen contra Philip Gutzlaffe Rotermund die 24. Sept. Anno* 1658.

1. *l. si quidem 9. C. de Except.*
2. *Juxta l. 1. & 2. C. de Probat.*
3. Manifesta est diversitatis ratio. Cessat illa quæ est constitutionis *in d. l. siquidem 9.*
4. Terminus probatorius est peremptorius.
5. Sic habet praxis judiciorum & ad abbreviandas lites pertinet, ut utrique parti in talibus simul probandi terminus præfigitur.

Tenore hoc sententia est publicata.

In Sachen Heinrich Bremers Appellanten wider Johann Rolffen Appellaten werden die Gravamina so weit solche den Mangel an der Landmasse als das wider den Landgebrauch zu vier Ruthen nach der Kleischnur/ darunter auch sonsten das Land mit gemessen / welches der Appellant nicht genutzet/ betreffen/ angenommen und erkant/ daß Appellaten inmassen deßwegen Copia libelli ertheilet wird/ darauff proxima zu antworten schuldig sey/ so ergehet hernach ferner was Recht ist / die übrigen aber seyn als unerheblich nicht angenommen/ sondern derentwegen wird es bey Richter voriger Instantz Erkantnüssen gelassen / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 18. Octobris Anno 1658.

DECISIO II.

Delegato causæ ad celerem expeditionem præscripta procedendi formâ à Principe facta non excludit justas exceptiones.

Citatus ad respondendum super causa, cujus cognitionem, præscripto tamen certo processus modo, S.R.Maj. Regimini Ducatus delegaverat, appellabat allegans plures exceptiones tam dilatorias, quam peremptorias sibi competere, quas sibi ademptas putabat, ideo se suosque cohæredes valdè gravatos. Nec dubitandum erat, gravamen magnum illatum fuisse, si eo Regium rescriptum pertinuisset, ut istarum allegatio non audiri, vel processus præscriptus cum illarum exclusione conjunctus esse deberet. (1) Periisset enim inde maxima pars defensionis, (2) quæ per divinum & humanum jus cuique integra esse debet. (3) Unde rescriptum illam auferens nec valet, nec attendi debet. (4) Quæ itaque ad defensionem pertinent, exceptiones non modo peremptoriæ, sed etiam dilatoriæ integræ cuique sunt relinquendæ. (5) At non potuit in præsenti causa existimari, eam mentem justi ac sapientis Regis fuisse. Quæ alia etiam inde apparet, quod reos audiri voluit, id, quod nihil aliud est, quam defensionem & pro hac exceptiones admitti. Ita semper fit rescriptorum atque mandatorum, quæ à superioribus pro celerrima causarum expeditione emanant, interpretatio. (6) Et licet vel verbotenus omnes exceptiones excludent, attamen non aliter accipiuntur, quam si frivolè, nulliter & injustè opponentur. Minimè ad justas, rationabiles & necessarias fit exclusionis extensio, (7) Creditum hinc, vanum esse appellantis metum, ne cum exceptionibus audiretur, cum nondum opposuisset, nec gravatum reputandum esse, quamdiu non fuerunt rejectæ. Ideò non recepta est appellatio ejus, sed ad priorem judicem redire, ibique suis exceptionibus prius uti jussus est. *In causa Baronis Georgii à Sperling contra Præsidem Electoralem Brandenburgicum Evvald Kleist die 13. Martii Anno* 1657.

1. Propter excussionis rejectionem appellationi locus est. *Graff. de Except. lib. 3. sect. 4. n. 23.*
2. Exceptiones inde defensiones ab JCtis & in legibus vocantur *l. defensiones C. de Except.*
3. Quatenus exceptio est defensionis species, juris naturalis dicitur. Et quemadmodum ista per naturale jus cuique licet, nec statuto vel rescripto tolli potest, *Bologner. Jason. & alii in l. ut vim ff. de Justit. & Jur.* sic neque exceptio justa cuiquam ità adimi debet.
4. *l. 2. C. de Precib. Imper. observ. Clem. Pastoralis §. cæterum de Sentent. & re jud.*
5. Multum quoque defensionis dilatoriis seu temporalibus exceptionibus inest. Etsi enim non semper causæ merita concernunt, quia tamen non tantum per ista defendi refert, sed & justo processu id fieri, & defensionis modum atque ordinem quem istæ concernunt, non turbari, utique non minus defensionis species habentur.
6. *l. rescripta 7. C. de Prec. Imper. offer.* Nec enim Principum facta intelligenda ità sunt, ut in injuriam alicujus redundent, *l. 2. §. si meritò §. si quis à Principe ff. ne quis in loc. public.* aut ut juris ordo tam multis vigiliis excogitatus & formatus per-

Digitized by Google

vertatur, *si quando 35. C. de Inoffic. Testam.* ne unde jura descendere debent, injuriarum occasio sit, *l. nec anno 4. C. de Emancip. liberor.* in quo inter statuta, pacta & rescripta discrimen est, & per hæc quàm per illa difficilius exceptionum exclusio præsumitur aut admittitur, uti rationem differentiæ tradit Coler. de process. Executiv. *part. 4. c. 1. num. 19. & seq.*

7. *l. 1. §. denique junct. l. prohibere 3. §. sed etsi permiserit & l. si alius §. bellissimè ff. quod vi aut clam. Coler. dict. cap. 1. num. 8. & seq.* Sic in statutis & stipulationibus exclusio omnium exceptionum nec alium sensum habet, nisi expresè aliud dictum fuerit quam quatenus injustæ, iniquæ & incongruæ sunt. *Eccius ex parte num. 16. X. de Offic. Delegat.*

DECISIO III.

In exceptione non impleti contractus haud admittuntur de quibus an & quomodo debeantur, judicio contenditur.

EXceptio non impleti contractus ad ea tantum pertinet, quæ deberi certum est. Nec enim antea quam id appareat, præstari debent, (1) nedum excusationem ejus quod liquidum est suspendere queunt. (2) Frustra petitioni ejus quod ex contractu certitudinem habet opponitur de quo in judicio adhuc contenditur. (3) Cujus non censetur debitum antequam an & quid debeatur per sententiam sit definitum. (4) *In causa Dieterich Massoven contra Fried Sitman die 13. April. Anno* 1660.

1. Excludit incertitudo debiti petitionem & condemnationem *l. item Mela 11. §. sed si plures 2. l. ita vulneratus 51. pr. ff. ad L. Aquil.*

2. *l. status libr. 5. ff. de statu lib.*

3. *l. fin. C. de Compensat.*

4. Paria sunt non esse debitum & non apparere *l. 77. ff. de contrab. empt. l. si duo 30 ff. de Testam. tut.*

DECISIO IV.

Sponsalia etsi initio clandestina, tamen ubi postea voluntate & facto desponsatorum consensus fit publicus valida sunt.

CLandestina sponsalia sunt nulla, quamdiu sunt talia, hoc est ex consensu & sponsione futuri matrimonii palam nihil geritur. (1) At quando post ista inter desponsatos fit palam, quod consensum illum seu sponsalia indicat, non amplius pro talibus habentur, (2) sed quod in initio fuit vitium tollunt, & emendant actus publici subsecuti. (3) Etsi itaque inter privatos parietes remotis omnibus arbitris votum connubiale esset factum, si deinde coram testibus desponsati illud fatentur, (4) arrhas nuptiales dant, (5) se tales coram aliis palam gerunt, (6) sic ab aliis nominantur, se invicem ita nominant, (7) postea ex initiali vitio altera pars pœnitere & exceptionem clandestinatis objicere non potest. (8) Sic conclusum *in causa Annen Hagenmeistern contra Brandanum Eggebrechten die 21. Januar. Anno* 1660.

1. Inde id vitium clandestinatis est, quod ex publicatione, quæ rem certam facit, desinit.

2. Clandestinatas non est vitium permanens, sed purgatur ex eo actus, qui obstitit convalidatur. *Carpzov. in jurisprud. consistorial. lib. 2. tit. 3. defin. 35. num. 1.*

3. Actus continui etsi ab initio nulli convalidantur ex eo subsecuto, quod initio requirebatur, *Bertazoll. consil. 73. num. 14. seq. vol. 2.*

4. *Beust. de Sponsalib. cap. 13. Heig. part. 1. quæst. 22. num. 31.* Ex jure communi de eo dubium non esse scribit *Carpzov. dict. defin. 35. num. 2.* addit verò, jure Saxonico secus esse, & rationem diversitatis exponit.

5. Arrhæ sunt argumentum legale contractorum sponsaliorum de præsenti. *l. quod sæpe ff. de contrab. empt. Zasius consil. 3 num. 15 vol. 2.*

6. Talis quisque habendus, qualem se publicè gerit, *l. 3. ff. ad SC. Macedon. l. 1. l. 2. C. si min. se maj. dix.*

7. Ex nominatione argumentum rei vel facti validum est. *vid. Eberhard. in Top. loc. à nomine.*

8. Purgatum enim ideo abest tale vitium post publicam adprobationem.

TIT. XXXVII.

DE LITIGIOSIS.

DECISIO I.

Sequestro pro defendenda possessione resistens, criminis reus non est.

PEndente appellatione à judice à quo sequestrationi decretæ appellans resistebat, sequestri fructuum collectionem & conservationem non permittens, ab eo vero non tantum desistere jussa, sed etiam per Fisci Procuratorem tanquam contumax & violentiæ rea, in jus vocata de attentato querebatur. Audiendam esse putabatur, tum quod post ligatas appellatione judici manus sequestrum injectum, (1) nullumque erat, (2) tum quia

pro

Digitized by Google

pro defendenda possessione sequestro resistentis factum minime improbum; (3) tum quia lite pendente quovis legitimo modo sua defendere & conservare integrum, (4) nec criminalibus judiciis vindicandum. (5) Decreta itaque arctior inhibitio super attentato citatio *in causa des Land Raht Jochim Mörders VVittwen contra den Regierungs Rath Simon Matthai Rosenhandt die 1. Sept. Anno* 1657.

1. *Lancellot. in tr. de attentat. part. 2. cap. 12. limit. 12. v. 1. seq.*

2. Attentata regulariter ipso jure nulla sunt, nec legitimum sortiuntur effectum, *l. ult.* C. *de Litigios. Lancellot. dict. tract. part. 2. c. 12. ampliat. 17. per tot.*

3. *Lancellot. in tract. de attentat. part. 3. c. 28. n.* 143. ubi scribit, ne quidem incurri pœnam ob violatum sequestrum, post latam sententiam super causa attentatorum.

4. Judice injurioso exequenti ejusque apparitoribus vel ministris pro conservatione possessionis etiam vi resistere licitum, *uti inter Decisiones nostras alibi expositum est.*

5. Vim vi repellere licet, *l. ut vim 3. ff. de instit. & jur.* nec tantum cum persona sed & cum bona vim patiuntur. *l. 1. C. unde vi.* Defensor in nullo peccat, quatenus defendit. *l. 1. C. ad L. Cornel. de Sicar.*

DECISIO II.

Controversia de pignoris jure, ut ut decreta jam immissione, non impedit, ut non alii res cedi possit; at in prosecutione pignoris illam non moratur.

POstquam contra patrem creditor mandatum de solvendo & decretum immissionis obtinuerat, appellatione interposita in filium possessionem transtulit, pro creditis magis privilegiatis, quorum obtentu hic deinde illum voluit exclusum. Etsi vero ista transactio non fuit vitiosa, (1) nec tanquam rei litigiosæ transferentem & accipientem jure suo privat, (2) tum tale vitium hypothecaria actio seu lis super pignore non inducat, (3) ideo & integrum ipsi contra creditorem ut ut vel possessor esset, de jure suo experiri. (4) At minime id indulgendum fuit, ut filius possessionem adeptus jus creditoris deterius redderet, aut ut inde prosecutionem contra patrem impediret, (5) sed sinendus nihilominus iste non attenta discussionis exceptione ad immissionem contendere & pervenire. *In causa Philipp Dupschlaff Eichstedten, contra Hans VVussowen Kinder Vormünder, die 12. Sept. Anno* 1657.

1. Non est prohibitum pendente super pignore lite, rem oppignoratam alteri vendere vel alio ex titulo cedere.

2. Ea est pœna alienationis rei litigiosæ, *l. fin. C. de litigios.*

3. Non alia lis quam quæ est de rei proprietate vitium litigiosi inducit, *Auth. litigiosa ib. Dd. C. dict. tit.*

4. Non aliter quis jure suo cadit ex comparatione pendente lite, quam si litigiosa est. Alias manet integer ejus effectus & ex quo est actio. *Fab. in Cod. l. 8. tit. 24. defin. 1. n. fin.*

5. Alienatio judicii mutandi causa non valet in detrimentum alterius, *l. 1. ff. de Alien. judic. mut.* nec fas pactis alienis jus ejus qui suum prosequitur, fieri deterius. *l. fin ff. de pact. vid. Fabr. in Cod. dict. tit. 24. defin. 1.*

DECISIO III.

Ex arresto quando inducitur litis pendentia.

APellans querebatur de rejectâ litispendentiæ exceptione, quam in arresto alibi rebus suis injecto factâque citatione fundebat. (1) Quæstio indè surgebat: An & quando arrestum litem pendentem, inde eam exceptionem facit. Discernendum circa istam est, quo fine arresti facta fuerit impositio, utrum pro securitate tantum crediti vel alterius rei, an etiam pro persecutione juris sui. (2) Si quidem arrestum impetrans non hoc intendit, ut in illo foro, ubi impetratur, agere velit, sed alio fine, non fit inde lis pendens, quam quis non destinat. (3) At ubi personam vel res non tantum quis arresto facit obnoxias, sed etiam hoc prosequi & jus suum persequi cogitat, tunc arrestatus foro fit obnoxius. (4) Non potest contra id prodesse de arrestis Imperi Constitutio, quæ impositio arresto causam principalem ad suum forum remittit. (5) Est ejus singularis ratio ex privilegio Imperii Statuum, quod circa Austregas habent, quæ, ne arresto tollerentur, prospexit. (6) Quoad alios Imperio immediatè non subjectos ratio non reperitur eadem, ideo juri communi insistitur. (7) Tantum alias etiam domum revocantibus hoc cautione præstita indulgetur, ut actor ipsorum forum sequi teneatur. Ut verò malentibus causam, ubi arrestum decernitur peragere, mutatio judicii invitis infligatur, à jure alienum est. (8) Gravamine non caret aliter dicta sententia, ideo appellatio admissa est *in causa Obriß Brunellen VVittwen und Erben, contra Philip Gutzlaff Rotermund. Die 28. Octobr. Anno* 1656.

Digitized by Google

1. Arrestum regulariter inducit litispendentiam ejusque exceptionem parit, *Peck. in tract. de jur. sistend. cap. 35. num. 1.*

2. Finis actus discernit effectus, qui sequuntur intentionem agentis ex hac diversi, *l. qui injuria 53. pr. ib. gloss. & Dd. ff. de Furt.*

3. Diversas hujus speciei, ex quibus non inducitur litispendentia, exposui *in tract. de Arrest. cap. 15. num. 18. seq. quo Lector remissus esto.*

4. Effectus arresti etiam hic est, quod jurisdictionem prorogat, *vid. d. tr. de Arrest. d. cap. 15. num. 44.*

5. Quæ Constitutio habetur im Reichs-Abschied zu Speyer *de Anno* 1570. §. Wann auch die *arrestat.*

6. Rationem hanc diversitatis ipse Recessus indicat, dum semet ad Status Imperii restringit. *Exponitur à Besold. consil. 226. num. 7. & 17.*

7. Ex hoc litem facit pendentem, & prorogat jurisdictionem.

8. Ex arresto jus arrestanti quæsitum est ad fundandam prærentionem, unde ibi cœptum semel est judicium, ibi finiri oportet, *l. ubi 30. ff. de Judic.*

DECISIO IV.

Executio sententiæ à quo judice sententia fieri debet.

CUm appellatur ab inferioribus judiciis & in superiori pronunciatur sententia, cui judici conveniat executio controversum est inter JCtos; inde coram Tribunali diversas litigantium petitiones deprehendimus. Alii ab isto petunt executoriales. Alii ad judicium à quo executorialia mandata, (1) alii nudam causæ remissionem. Repertum etiam quosdam ad nudam sententiæ exhibitionem petiisse à judice à quo executionem ea de causa verò motam esse querelam. Interest an saltem de jure appellationis cognitione factâ simpliciter judex à quo pronunciavit, standum esse priori sententiæ, nec ultra processit ejus examen & prolocutio, (2) an vero appellationem ut justam admisit, & de jure causæ post solutum judiciorum ordinem cognoscit & pronunciat. (3) In priori specie, quia aliam non proloquitur sententiam, sed non attenta appellatione eam constare declarat, executio est judicis qui protulit. (4) Fit autem talis prolocutio, ideoque à judice priori executio, si pronunciat appellationem vel desertam (5) vel non devolutam, (6) vel gravamina non esse relevantia, ideo ad ulteriorem discussionem non admittenda. (7) In his speciebus ex prima sententia non ex secundâ agitur. (8) Quando verò judex ad quem ulterius progreditur ad discutienda causæ merita, vel corrigit primam sententiam, vel confirmat. Corrigentis semper est executio, nec tenetur remittere ad exequendum eum aliam dixit sententiam. (9) Ubi confirmavit, distinguitur, an appellatum sit à sententia interlocutoriâ, an à definitiva. Per istam appellationem non devolvitur tota causa ad judicium superius, nec inferioris judicis officium finitur, nisi quoad articulum, super quo processit interlocutio, ideò ad hunc recurrere causamve remittere oportet. (10) At cum à definitivâ appellatur, tota causa ad judicem devolvitur, & ut semel eam plenius discutiendam judex recepit, desinit inferioris judicis officium. Quando itaque ille confirmat, alia est inter partes sententia, ex qua non autem ex confirmata judicialis actio, (11) itaque & executio. (12) Hoc discrimen sæpius observatum, sicut & *in causâ viduæ Alexandri Hartzen, contra hæredes Christoff Neukirchen, juxta id decretum fuit. Die 30. Octobr. Anno* 1656.

1. *Inter has quam multum interfit, vid. Gail. l. Observ. 113 num. 13. Mynsing. cent. 6. Observ. 24.*

2. Cum de jure appellationis judex saltem cognoscit & pronunciat, causam non recipit, nec super eâ sententiam dicit, in priori consistit; Lässet es bloss der Dinge bey der vorigen Urtell bewenden.

3. Qui causam recipit discutiendam & super illa pronunciat, quæ non eadem est cum priori, etsi priorem confirmet. Duplex exinde est sententia & posterior saltem spectatur.

4. Superior judex suam quidem non autem inferioris judicis sententiam exequitur, nisi ad adjuvandam jurisdictionem gravatus. *l. A. D. Dion. §. sententiam ff. de re Judic. Episcopale C. de Episcop. audient.*

5. *Gail. dict. Observ. 113. num. 14.*

6. *Gail. dict. l. num. 14.*

7. Quando gravamina velut basis appellationis rejiciuntur ut irrelevantia, fit declaratio de jure appellationis, nempe eam frivolam & invalidam. Unde ex pronunciandi formula werden gravamina als unerheblich nicht / sondern acta Rimptshalber vor beschlossen angenommen / befunden und erkannt / daß es bey Richter erster Instantz Urtel zu lassen sey. Ubi appellationem nullam invalidam vel frustratoriam esse pronunciatur, judicis prioris est executio, *Felin. in cap. cum in Ecclesia X. de appellat.*

8. Cum ex prima sententia agitur, prior judex exequitur. *Cyn. in l. ees qui §. 1. C. de appell.* Sententia enim in sub robore durat, & ad effectum minimè perducitur, tanquam si ab initio minimè fuerit provocatum, *l. fin. §. illud etiam 4. C. de Temporib. appell.*

9. *Gail. 1. Observ. 131. num. 1. seq.*

10. *C. cum in Ecclesia X. de Appellat.*

11. *Mynsing. 4. Observ. 94. in pr.*

12. Per

12. *Per text.expr. in Auth. si quis litigantium C. de Episcop.audient.l.addictos 29.l. præcipimus 32. in his C.de Appell. In Camera Imperiali idem observari exponit Gail. dict. observ. 11. num. 14. seq.*

DECISIO V.

Litem cœptam alteri cedere non licet, cedere autem lite seu actionem cessam retrocedere non est prohibitum.

CEssionarius perspecta litis sibi motæ difficultate tædio istius abstinuit,& cedenti litem quasi retrocessit, qui ab illo cœptam porrò peragere intendit. Opposita ipsi exceptione vitiosæ & punibilis actionis litigiosæ cessionis (1) judicatum est,multum differre actionem cœptam in alium cedere, & à lite desistere atque quasi retroagere. Illud saltem prohibitum est non hoc. (2) Nec in hoc est cessio litis, sed cedens suo jure utitur, suisque actionibus experitur, (3) quibus non obstat litigiosa exceptio. *In causa Johann Herlin & consortum, contra Vilhelm de Munia, die 31. Octobr. Anno 1656.*

1. Lite pendente actiones quæ in judicium deductæ sunt,in conjunctam personam & extraneam cedere prohibitum est,*l.2.C.de Litigios.* ideo etiam litis dispendio multatur,*l.fin pr.C eod.*

2. A cessione ante litem factâ post hanc discedere nullibi prohibetur,inter permissa potius refertur,*l.4. C. de Novat.* Laudabilis & non punienda est lites execrantium intentio & cogitatio, *l. item qui 4 ff de Alien.jud.mutand*

3. Cedens semper retinet directas actiones, quæ à persona separari non possunt, *l. ita tamen 27.§. qui ex Trebelliano l.cum hæreditas 49.l. si hæres 70.ff. ad SC.Trebell.* iisque semper eum vult, uti potest, *l.3.C. de Novat.*

DECISIO VI.

Retrocessio actionis non est alienati judicii mutandi causa.

REdhibitio facta ab accipiente autori ut ut motâ jam lite non est improba,nisi qui redhibet, propter hoc redhibeat,ut judicium immutet,aliàs non redhibiturus. (1) Judicii autem mutandi causa is saltem alienat, qui adversarii causam deteriorem reddere cogitat. (2) Quia autem id minimè facit qui reddit,quod in controversiam venit,nec opus habeat, cum alio litigare, (3) & ejus qui reddit, autor non potest facere deteriorem ejus conditionem, cum etiam sine cessione retrò facta, cum illo successionem defendente debitor vel possessor litem suscipere cogatur (4) utique non habetur pro eo qui judicii immutandi causa alienet. (5) Frustra itaque ex edicto prætoris de alienatione judicii mutandi causâ petitur, ut revocetur cessio, (6) & causa peragat cessionarius. (7) Sic judicatum *in causa vertente in eadem causa.*

1. *l. quia 9.ff. de Alien.Jud.mut.caus.*

2. *l. 1. pr.ff.eod.*

3. Verecunda cogitatio ejus qui lites execratur,non est vituperanda,sed ejus duntaxat, qui cum rem habere velit, litem ad alium transfert, ut molestum adversarium pro se subjiciat, *l. item si res 4. §.1 ff.eod.*

4. *Vid. defin. seq.* Eadem causa est cedentis & cessionarii.

5. Qui venditori suo redhibet,non videtur judicii mutandi causa abalienare,*l. ex hoc edicto 8. §. fin.ff. dict. tit.*

6. Propriè enim talis non est,sed redditio quæ non mutat litem. Autor & successor pro eadem habentur persona.

7. A lite discedere cuilibet fas est, *d.l.ex hoc 8. § fin.*

DECISIO VII.

Cogitur unusquisque cum autore adversarii sui judicium suscipere, nec licet ideò declinare, quod hic desistit, aut mandatum ejus ad agendam causam exigere.

QUi in controversiam cum aliquo de re incidit, cujus ipsi alius autor est, non modo potest laudare autorem suum, & ut ad se defendendum citetur petere, (1) sed etiam cum autor seu citatus seu sponte ad sui defensionem accedit à judicio recedere. (2) In ejus locum intrat autor, si causam peragere velit, (3) cogitur qui litem cum alio cœpit, cum autore istam peragere, quatenus sine innovatione id fit. (4) Ipsi autem, qui primo conventus erat, licet desistere litemque agendam autori relinquere,imò & jus quod ab hoc habuerat abdicare & autori suo vicissim committere. (5) Haud inde fas alteri declinare judicium velut ob mutatam personam, (6) aut ab autore exigere mandatum (7) illius cui antea cesserat, multo minus potest à Procuratore autoris desiderare, ut simul ab altero mandatum exhibeat. (8) Ipse enim autor in lite principalis persona est, qui alio licet

Digitized by Google

desistènte solus causam rectè agit, (9) ideo & Procuratorem solus legitimat. Sic judicatum *in eadem causa.*

1. *l. emptori 28. ff. de Evict. l. 1. C. ub. in rem act.*

2. Ex sola laudatione autoris laudans non liberatur à judicio, cum verò accedit laudatus & judicium suscipit, non necessarium est, illum judicium persequi. Qui enim laudat, is hoc agit, ut liti eximatur, & alter causam defendat, *Marauth. de Ord. Judic. part. 6. memb. 6. de Nomin. actor. num. 2.* Inde exceptio laudationis fori declinatoria est.

3. Pro eadem persona habetur qui egit, & autor illius, *l. sape 63. ff. de re judic.*

4. *Sic distinguit & declarat Sichard. in l. 2. num. 8. C. ub. in rem act.* quod venditorem quis in judicio prò emptore admittere cogitur at sine novatione, hoc est, ut quomodo cœptum est cum illo judicium, hic peragat, ac perinde sit ac ille possidet.

5. *l. ex hoc edicto 8. §. fin. l. seq. ff. de Alien. Judic. mutand. caus.*

6. Autor pro suo interesse proprio motu intervenire potest ad assistendum, si ipsius intersit, *vid. Gail. 1. Observ. 70. num. 19.* & intervenientem quisque ad litem admittere tenetur, ubi interesse docuerit, *d. l. sape 63. de re jud. l. à sententia ff. de Appellat. l. si suspecta ff. de Inoff. testam.*

7. Non enim alienam seu suam agit causam, qui sui commodi vel incommodi gratia liti accedit. Principalis inde litigans habetur, *l. si procuratorio §. sed si alius § fin. ff. quand appellend sit.*

8. Haud tenetur constituere aut legitimare Procuratorem, qui in judicio non consistit.

9. Renunciatio principalis non nocet intervenienti, quin causam peragere, possit, *Gail. 1. Observ. 70. num. 9.*

10. *l. 2. C. de Consors. lit.*

DECISIO VIII.

Lis pendens non impedit distractionem eorum quæ lite finita distrahenda sunt.

ET si lite pendente nihil innovandum (1) excipitur tamen ab illa regula distractio illorum quæ tempore deteriora futura aut peritura sunt. (2) Quæ vendi & pecuniam deponi oportet. Præsertim verò si non tam debeatur id de quo lis est quam pecunia. Non tamen parti injungenda aut invito alio permittenda est distractio, sed ei cujus est ibi jurisdictio. Decretum ita *in causa Ludophi à Zesterfliet. Die 28. April. Anno 1658.*

1. *l. 1. & tot. tit. C. ut lit. pend.*

2. *Bald. in l. fin. n. 16. C. de Petit. Hared.*

TIT. XXXVIII.

DE CONTRAHENDA VEL committenda stipulatione.

DECISIO I.

Ad modum & qualitatem obligationis noscendam prævalent magisque inspicienda sunt, quibus instrumentum obligationem exprimit, quibus clausulis eam confirmat & securum reddere intendit.

EVenit ut in instrumento continerentur quædam indicantia aliquem nomine provinciæ, ut inter Ordines membrum & ab iis deputatum communi nomine non suo privatum debitum contraxisse: & alia ex quibus privati debiti & quidem correi debendi seu fidejussionis argumenta peti poterant. Sed cum prius indicarent verba ipsius obligationis, (1) posterius arguerent clausulæ renunciatio. num præferendum est, quod circa *illius* substantiam habetur, (2) nec clausularum quæ pro securitate accedunt, major ratio esse debet. (3) Tanto minus iis tribuendum est, quando à tenore obligationis discrepant, quod scimus per Notarios solere magis ex consuetudine, sæpius etiam pro sua imperitia addi, quam bene deliberato animo & ex certa contrahentium sententia. (4) Etsi vero ubi contrahentes eas addi sinunt & subscribunt etiam per id, quod sinant obstringuntur atque observare tenentur, exinde actione vel exceptione adversus ipsos competente, (5) attamen contra aut præter illud quod in obligatione revera est, non obstringuntur. (6) *In causa Antonii de Wersabe contra Johann Herlin & Consortes die 9. Januarii Anno 1655.*

1. Quod pro obligatione dictum scriptumve præcipue spectandum est. *l. semper in stipulationibus 34. ff. de Reg. Jur. l. in contrahenda ff. de contrah. empt.*

2. Potior ratio habetur rei principalis, de qua contrahitur, quam accessorii.

3. *l. si fidejussor. 29. ff. mandat. l. si Patronus 3. pr. ff. si quid in fraud. Patron.*

4. Nihil hoc esse frequentius ait *Hering. de Fidejussor. c. 7. n. 478.* & quotidie experimur quàm ineptè istæ clausulæ applicentur.

5. Non debet proficere partibus ignorantia, quibus imputari potest negligentia, cui acceptum ferre & imputare debent, qui subscriptione approbant, quod diligentius non inquisiverint.

6. Inepta clausula non vitiat, sed vitiatur. *Vinc. de Cambeis. in 17. Clausul. cap fin. §. 3. n. 17.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO II.

Stipulatio pro interesse stipulantis alteri facta valet, at illi tantum, non huic parit actionem.

INter juris civilis principia relatum est alteri quem inutiliter stipulari. (1) Etsi vero ab eo excipitur, cum quis sui interesse gratia alteri quicquam dari fierive stipulatur, (2) attamen haud aliter hoc accipiendum quam ut subsistat stipulatio & ipsi stipulanti inde actio quæratur, (3) minime vero ut & ille cujus nomen stipulatione continetur in sui commodum inde agere possit, (4) quocirca istam regulam pro fundanda appellatione allegantem utut utilitas stipulatoris appareret, contra tertium audiendum esse visum fuit. *In causa Henrici Matthiæ contra Elisabeth VVolters die* 18. *Junii. Anno* 1660.

1. *l. stipulatio ista* 38. §. *alteri ff. de V. O.*

2. §. *sed si quis* 20. *ibi Dd. Instit. de inutil. stipul.*

3. Per rationem istius juris in *l. quæcunque* 11. *ff. de O. & A.*

4. *Fab. in Cod. lib.* 8. *tit.* 25. *defin.* 13.

TIT. XXXIX.

DE INUTILIBUS STIPULATIONIBUS.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XL.

DE DUOBUS REIS PROMITTENDI & STIPULANDI.

DECISIO I.

Ex pluribus promittendi reis quisque non nisi pro virili tenetur.

PRæterquam quod appellans se debendi reum negabat, in eum casum, si ut reum se debere putaretur, in eo se gravatum obtendebat, quod in solidum esset condemnatus, cum tamen non solus, sed cum pluribus simul creditam pecuniam in usum provinciæ recepisset, nec se solum sed cum aliis semel obligasset. Jure nisi hoc gravamen credebatur, quando hodie plures debendi rei non in solidum tenentur, sed quisque pro virili tantum parte, (1) modo cæteri solvendo aut non difficiles conventu sint. (2) Eique locus est etiam ubi executivè agetur, adeoque quando ex constitutione Ducatus Bremensis creditor in bona debitoris statim immittitur, (3) modò exceptionem divisionis reus opposuerit. (4) Qua non opposita judex injurius non est si qua dotum debitum immissionem fecerit. (5) Hanc vero allegatam statim attendere tenetur. (6) *In causa Antonii de VVersabe contra Johan Herlin & Consortes die* 4. *Januarii Anno* 1655.

1. Veteri Romanorum jure duo pluresve debendi rei non tantum in solidum obligabantur, sed etiam exactioni suberant nullo ipsis divisionis beneficio competente, *l. reos* 11. *ff. duob. reis* at recentiori aliud introductum est, quando Imp. Justinianus *per Novell.* 99. *cap.* 1. hoc beneficium *is* perinde ut pluribus fidejussoribus tribuit per quod conventi si nolunt ultra virilem portionem non tenentur. Sunt quidem qui aliam mentem huic Novellæ affingunt & ad ἀλληγέους seu eos qui vice mutua fidejusserant referunt. *Vid. Baldwin. in Justin. suo p.* 530. *& seq.* At vicit contraria sententia, ut textui magis congrua habita verior, inde reddita communior, *uti testatur Berchold. in Inst. de duob. Reis*, in foris Germaniæ recepta.

2. *Hanc exceptionem addit dict. Novell.* 99. *cap.* 1.

3. Liquidæ exceptiones, quales sine dubio sunt ex jure & usu fori certæ in executivis processibus rectè opponuntur & executionem remorantur. *Vid. Coler. de Process. Executiv. part.* 3. *c.* 1. *per tot.*

4. Et Imperator *in d. Novell.* 99. *cap.* 1. non constituit, ne duo rei obligentur, sed ut obligati exceptione gaudeant, ideo non liberantur illi à solido ipso jure sed ope exceptionis. *Cujac. ad dict. Nov.* Quam qui non opponit remittere intelligitur, nec attendit judex nisi oppositam, *uti in termino habet Ritterhus. ad Novell. part.* 3. *cap.* 6. *n.* 8. *& seq.*

5. Legalem exceptionem oppositum judex non attendens litem suam facit. *Salicet. in l.* 1. C. *de pœna jud. qui mal. jud.*

DECISIO II.

Unde Civitates quæ membra erant corporis unius & instar universitatis se ut singulas obligasse teneri probetur.

CUm civitates plures mutuum contraxissent & earum una conventa Actori seu creditori opposuisset illas non ut singulas, sed ut universitatē obligatas ideo soli

com-

Digitized by Google

conveniri non posse, (1) & tum præsumptione pro ista, (2) tum aliis argumentis militantibus Actori injuncta fuerat probatio contractæ ut à singulis obligationis post plura adducta visum probatam esse actoris intentionem exinde, quod civitates plures non tantum ut universitas, sed etiam ut singulæ promittunt solutionem crediti & oppignorant pro illo bona civitatum, deinde renunciant beneficio divisionis & constitutioni Novellæ de duobus Reis. Non quidem ideo tantum, quod illa verba, quæ in tenore obligationis habentur *sampt und sonderlich*, ex usu vulgari censentur idem significare, quam omnes & singuli, *alle und jede*, ideo constituere plures reos debendi atque inducere obligationem in solidum. (3) Sed quod una cum tali formula pro sensus istius explicatione, omnes & singulæ civitates simul pignus & potestatem paratæ executionis in bona sua tribuebant, (4) tam immobilibus, quam mobilibus, intra vel extra territorium sitis, quæ non erant, nisi singularum, dum inter communia non erat nisi quod ex collatione in arcam communem redigebatur (5) & juxta exceptioni divisionis & prætactæ constitutioni de duobus reis renunciabant, & sub illa renunciatione se plures debendi cor-Reos nominabant, aut certe declarabant. (6) Quod, nisi ineptum, supervacuum & inutile dicendum, uti non præsumitur, (7) statuendam est illas esse plures reos debendi ac in solidum obligari: Quæ, etsi satis perspicua sint, tamen juvantur interpretationum regulis tum à parte debitorum, quod communi formula usi communem seu vulgarem intellectum sequi creduntur, (8) & si aliud voluerint sibi cur non expresserint, imputare debent, (9) tum à parte creditorum, quos in plures debitores voluisse distinctos, verisimile non est. Sic concluſum & judicatum *in causa vidua Coleri contra Senatum Stendaliensem die 13. April. Anno 1660.*

1. Quod debet universitas, singuli non debent *l. sicut 7. §. 1. ff.* quod cujusque univers. ideo nec ex ejus debito hi recte conveniuntur.

2. In dubio plures semet obligantes non præsumuntur se constituisse plures eos debendi in solidum *l. reos 11. §. 1. & 2. ff. de duob. reis l. 3. C. eod.*

3. Vulgo isti formulæ, sampt und sonderlich, ea vis tribuitur, quod de quibus profertur singulos & quidem in solidum denotet *vid. Abul. Strasburg. in consil. 7. num. 36. post consil. Theming. express.* Et in terminis qua obligationem plurium illa adjecta idem tradit *Theming. in decis. 47. nu. 1. 5. 9.* At licet ex eo apertum sit aliquem, non tantum ut sub universale seu ut partem ejus, sed ut singularem personam obligari voluisse: haut tamen de obligatione in solidum ex eo certum atque immotum argumentum est, ut inter decisiones Anni 1658. demonstratum est, ideo aliis argumentis opus, quibus eo sensu illam adhibitam fuisse arguitur.

4. Pignoris jus & nexus individuus est, & illud obligatum est in solidum pro quavis parte crediti *l. unius C. de distract. pignor. Petr. Frider. Mindan. de contin. cauſ. lib. 3. n. 9. ſeq.*

5. Non entis nullæ qualitates *l. 1. ff. de am. & hered. vend.* nec quisquam tam stolidus, ut quod non habetur obligare aut obligatum velit.

6. Sola quidem renunciatio non obligat in solidum ubi talis non præcedit obligatio uti expositum inter decisiones de Anno 1658. At explicat præcedentem obligationem de qua si dubitatio existet, utrum aliqui ut universitas an ut singuli obligati sint an pro parte an in solidum adjecta renunciatio divisionis & constitutionis de duobus reis certum argumentum præbet tales esse voluisse dum non invanum vel inutiliter adjectio facta creditur.

7. Verba in contractibus non debent esse otiosa, sed semper aliquid operari, adeo, ut & singulæ syllabæ accipiantur cum aliqua virtute operandi *Bald. in rubr. C. de contrab. Empt. quæſt. 9.*

9. Contra illum verba ambigua interpretari convenit qui potuit aut debuit clarius exprimere *l. veteribus 39. ff. de Pact.*

10. Ejus grave incommodum est *l. 2. ff. de Exercit. act.* quod quisque devitare yuk & voluisse creditur, dum divisionis beneficio vult renunciatum.

DECISIO III.

Intervenientes in eodem judicio, si correi debendi reperiuntur, condemnantur & executioni subjiciuntur.

UNo fratrum pro debito parentis convento & condemnato, sed per nullitatis querelam ad superius judicium causam transferente, ad assistendum intervenibant reliqui fratres, apparente vero deinde eo causæ statu, quod reus conventus, non nisi pro parte hæreditatis teneatur, in quæstionem venit, utrumne cæteri fratres intervenientes, ubi constabat ex actis de ipsorum debito, simul condemnandi seu solvere jubendi sint? Etsi vero dubitationem initio faciebat, quod illi nulli actione ab actore in judicio erant conventi, sed tantum intervenientes, attamen quia interventio ipsos subjecit, tum judicio, ut foro competenti, quod intervenientes in causa interventionis agnoscere & sequi tenentur, (1) tum judicis sententiæ, quam de eo, quod in interventione erat, ferri oportuit, nihil obstare visum est, cur non adversus eosdem jus diceretur, maxime cum ex actis

note-

Digitized by Google

notorium esset, imo confiterentur illos partes viriles debere. (2) Inter quas circumstantias non opus est partes ad aliam novam actionem vel novum judicium remittere, sed statim potest pronunciari, vel quod æquum est mandari. Id quod etiam in recensita specie factum, ubi condemnato uno fratrum in tertiam partem de cæteris absoluto, reliquis fratribus cæterarum partium virilium solutio injuncta est *in causa viduæ D. Stockmanns contra filios Otto Thuns die 8. Jan. Anno* 1662.

1. Interveniens alligatur foro ubi causæ ab aliis agitatæ intervenit, quod ex continentia causæ oritur. *vid. decis.* 185. *n.* 3. *p.* 4.

2. In confitentem reum non sunt aliæ judicis partes, quam ut condemnet.

DECISIO IV.

Non ut ex receptione debiti pro rata dividitur obligatio plurium reorum, sic etiam ex acceptata oblatione partis debiti ut ne virilis sine mentione ratæ.

QUod jure constitutum & praxi forensi in usum deductum est, ut cum plures sunt debendi rei seu fidejussores, & ab iis omnibus vel conjunctum & simul petitur creditum, vel etiam divisim, ita ut à singulis rata portio solvatur, divisa intelligatur obligatio, (1) proficiscitur ex præsumpta mente tum petentium, tum repetentium, quod dividere voluerint id quod divisim petunt & recipiunt, (2) quæ inducit renunciationem petitionis solidi. (3) Super illa animi præsumtione jurisprudentia constituit & divisionem introduxit. (4) At sicut ex præsumptione hoc oritur, ita non in aliis speciebus valet, quam cum ita præsumere licet: Secus se habet, cum alius facientium animus apparet, vel fortioribus argumentis præsumendus est. (5) Siquidem inter plures correos debendi vel fidejussores locus est divisionis beneficio, facilius præsumitur ex petitione vel receptione partis divisio; (6) Non tam facile, quando isti singuli in solidum tenentur, nec divisio ex jure competit, sed tantum ex juris petendi solidum abdicatione, (7) quæ in dubio non præsumitur. De mente renunciare volentis constare debet, uti fit, cum debens ita solvit, ut se ratam suam seu portionem virilem solvere dicat, & ea mente legeque datam creditor recipit. (8) Concurrit hic utriusque consensus & tacitum veluti pactum de remittendo petitionem solidi. Non idem est, si quis sine mentione ratæ suæ cum mente per eam se liberandi aut simili explicatione ejus mentis partem offert. (9) Ut ut virilem, tamen si non exprimitur recipiens, haud excluditur à reliquæ partis petitione ab eodem facienda, quia magis pro commodo istius partialem solutionem approbasse quam creditum divisisse intelligitur. (10) Ea quippe in dubio etiam hac in re capienda est interpretatio, quæ alicui minus nocet, aut per quam jure suo nemo sine causa cadat: (11) Præsertim cum in abdicatione juris solidi aliquid requiritur, quod certam mentem exprimat. (12) Quod si vero judici de mente sic facientium incidat dubitatio, recurritur ad ordinarium animi exponendi remedium nempe juramentum. Quod cum in eo qui obveniebat casu judex utriusque anterioris instantiæ injungendum putaverat, recte ex ratione in dubio factum existimabatur, ideoque confirmata est sententia *in causa Burchardt Lüders, contra den Landgräfl. Hessischen Hauptmann Arend Reimers, die* 18. *Martii Anno* 1669.

1. De quo vide quæ habentur *in l. si creditores C. de pact. l. inter reos* §. 1. *ff. de fidejuss.*

2. Præsumitur mens dividere volentium, ubi solidum peti & accipi poterat, eaque præsumptio velut ad liberationem aut mitigationem obligationis rendens favorabilis per jurisprudentiam facta est, *arg. l. Arianus* 47. *ff. de O. & A.*

3. Effectus hic est divisionis, quod semel placita remittit petitionem solidi.

4. Præsumptio hæc juris & de jure est, postquam super ea jus statuit & lege divisio est constitura.

5. Præsumptio fortior nedum probatio præsumptionem tollit atque supprimit, *l. fin. ff. quod vi met. caus.* ubi itaque aliud apparet, desinit quod est ex conjecturis. *l. continuus* §. 1. *ff. de V. O.*

6. *Ronchegal. in l.* 3. §. *ubi duo num.* 89. *ff. de duob. reis*, uti hoc juri communi conveniens, ita sic faciens ei semet conformare voluisse creditur, *arg. l. haredes mei* §. *cum ita ff. ad* SC. *Trebell.*

7. Jus solidum petendi quis cum alio suo incommodo quod habet partialis petitio & solutio non remisisse facilè præsumitur. *Ronchegal. in d.* §. *cum duo num.* 31. *in fin.*

8. Per *l. si creditori* C. *de pact.* Ita habet de hac specie communis & rectior JCtorum sententia. *Vid. Tomng. decis.* 47. *num.* 11. *Harpm. Pister. illustr. quæst.* 9. *nu.* 4. *Koppen decis.* 56. *num.* 25.

9. *Koppen. d. decis.* 56. *num.* 21. Solutio partis regulariter à solidi petitione non liberat, *l. reos* C. *de fidejuss.* Non præsumitur quis jus suum præsertim cum insigniori aliquo suo incommodo remittere voluisse, *l. cum de indebito* 25. *pr. ff. de condict. indeb. l. campanus ff. de oper. liber.*

10. Quoties alia capi potest interpretatio quam renunciationis, utique ea sumenda potius, quam ut hæc, quæ odiosa atque stricti juris est, præsumatur.

11. In dubio non præsumitur illa abdicatio. *Ronchegal. in d.* §. *ubi duo num.* 31. *in fin.*

12. *Harpm. Pist. d. q.* 9. *num.* 5.

Digitized by Google

DECISIO V.

Solidi petendi per partis receptionem abdicatio non excludit regressum ad eundem, cum alios correos vel confidejussores non solvendo esse eminet.

QUæ ex conventione plurium reorum vel fidejussorum simultanea aut exceptione ratæ portionis ab uno inducitur abdicatio juris petendi solidum, ità tantum solventem liberare creditur, si cæteri correi vel confidejussores solvendo sunt, (1) quia tacitum quod isti inest pactum, non tollit commune periculum correorum aut confidejussorum, (2) & non alia mente obligationem divisisse creditor intelligitur, quam si & cæteri sufficerint. (3) Quomodo itaque ex lege datum divisionis beneficium ita demum locum habet, si omnes sunt solvendo, eorum, qui bonis lapsi solvere nequeunt, nulla habetur ratio, & tanquam si non fidejussissent, reputantur, (4) ità etiam ubi tacito pacto divisio inducitur seu solidum petendi juri renunciatur sic factum habetur, ubi cæteri solvere valent. (5) Et pertinet ad eos qui tempore receptionis non solvendo sunt; Quod postea esse desierint, eorum fortuna non nocet correis vel confidejussoribus, postquam suam partem solvendo liberati sunt, (6) nec semel exstinctum solidi debitum facit reviviscere. (7) Casus qui postea eveniunt, non considerantur, sed habetur ratio ejus temporis præsentis quo actus fit. Quando in casu præsente tunc cum divisio facta dicebatur, alter correorum non amplius solvendo erat, utrum illa processisset, frustrà disquirebatur, cum etiam cum facta ob correi inopiam non proficeret. Quod consideratum *in eadem causa.*

1. Plura de hoc vide apud *Kopp. decis. 56. n. 27.* per præjudicata aliorum judiciorum mihi constat sic in praxi observari.

2. *l. reos* C. *de fidejuss. l. inter ff. eod. l. verum* §. *si cum tres ff. eod.*

3. Inducta ad unum finem non debent operari contrarium, *l. legata inuteliter ff. de adimend. legat. l. 2. in fin.* C. *de jure jur. propt. calumn.*

4. *Hartm. Pist. q. 48. num. 8. lib. 1.*

5. *Cynus & Salycet. in l. 1.* C. *de duob. reis.*

6. Ratio diversitatis manifesta est: Nam cum correorum vel fidejussorum aliqui eo tempore cum aliquis solvit, non solvendo est, hic ratam solvere non dicitur, nisi & quod ab inopibus consequi non licet simul præstetur, quod ejusdem ratæ est, dum partem amplius non facit qui solvendo præstare nequit. At ubi qui tunc solvendo fuit & partem fecit, deinde bonis labitur, ille non potest jam liberatum onerare.

7. Exstincta semel obligatio non reviviscit ex casu aliter accedente.

TIT. XLI.

DE FIDEJUSSORIBUS ET mandatoribus.

DECISIO I.

Fidejussori est de indemnitate actio antequam solvit, ideoque etiam actionis suæ in creditorem cessio.

CReditori ex cautione indemnitatis quæ fidejussori data erat post cessionem sibi factam hypothecaria agenti opponebatur, non magis ipsi actionem fore quam fidejussori qui nihil hactenus solvisset, (1) sed vix interpellatus pro se liberando, ex quo securior futurus, erat creditor, cessisset. At iniquo, cum fidejussori etiam quoties in periculo est consultum esse debeat (2) actione contrà debitorem ad se liberandum, aut tantum atque pro eo satis est ex bonis præstandum (3) experiri. Et cum vel si diu in obligatione steterit (4) liceat ea actione uti, cur non si jam conventus sit, præsertim ex instrumento seu chirographo paratam executionem habente aget, (5) aut quod pro securitate sua datum est, nempe cautionem securitatis cedendo pro sua liberatione usurpabit. (6) Nec agere tantum ex ista licitum est, sed etiam pro eodem sine cedere non prohibitum est, sed rationabile (7) atque expeditum, præsertim si etiam tenori cautionis conveniens est. (8) Ita conclusum *in causa Adam von Platen contra Herrn Erdmann Ernst Ludwigen Freyherrn zu Putbus die 8. Januarii Anno 1660.*

1. Regulariter quippe mandati actio fidejussori non competit, nisi solverit *l. 6. l. si pro ea* C. *mandat. l. 1.* C. *de fidejuss. min.*

2. *Gail. 2. observ. 29. num. 8.*

3. *Ita in practica servari scribit Bald. in l. si pro ea 7.* C. *mandat.*

4. *l. si pro ea* C. *mandat. l. Lucius* §. *1. ff. eod.*

5. *Franc. de fidejussor. v. 5. num. 583. Gail. d. observ. 29. num. 12.*

6. Finis istius cautionis est, ut sine damno & molestia sit fidejussor, ideo licet omne quod pro illo sine expedit.

7. Actiones suas cuique cedere permissum, cum agere licitum.

8. Pactum ut liceat se plena indemnem & ab omni molestia alienum servare von aller Ungelegenheit zu befreyen præbet actionem fidejussori & alia remedia antequam solverit, *Gail. d. obs. 29. num. 14.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO II.

Præsentatio rei liberat fidejussorem, nisi aliud dictum sit.

FIdejussor de judicio sistendo reum liberatur istius præsentatione, seu ipse reus semet judici exhibeat, (1) sive fidejussor reum sistat. (2) Nec tenetur ad ulterius sistendum, nisi aliud stipulatione illius comprehenditur. Quo non reperto se gravatum non immerito queritur, rei nomine porro citatus aut causam illius agere jussus, ut etiam appellatio illius admittenda sit. (4) At si nihil ejus causa facere vel venire jussus, sed tantum cum causæ correus, & pro famulo simul fidejussor esset, post istum semel præsentatum & absentatum in sententia & decretis nomina conjuncta fuerint, non opus est appellatione, quando non est apertum factum, uti contra fidejussorem. Etsi enim ipse à fidejussione liber, non tamen famulus à lite & ejus consortio exemptus foret. Priusquam igitur de eo non apparet, supervacua est appellatio à decreto, quod aliter accipi potest, sed prius declaratio à judice peti debet. (5) Ita factum *ad supplicationem Joh. Thanecken contra Sigismund Kölern die 18. Sept. An.* 1660.

1. *Ita statutum est jure Lubecensi lib. 3. tit. 5. §. 4.*

2. *VVesenbec. in Paratit. ff. de Fidejussor. in fin. Hypolit. de Marsil. in Rubr. de fidejussor. n. 99.*

3. Veluti si aut pro tota causa fidejussor acceptus sit *Tiraquell. in l. boves §. hoc sermone n. 48. ff. de V. S.* aut si ad omnem requisitionem, vel toties quoties opus sit sistere promisit *Anth. Gabr. comm. opin. l. 7. tit. de malef. concl. Marsil. d. l. n. 99. & 138.*

4. Gravamen insigne est liberatum redigere sub nexum.

5. Quamdiu sententia obscura & dubia est, ut in utramque partem sonet atque accipi queat, non appellandum, sed sententiæ declaratio prius petenda.

DECISIO III.

Ex lite cum debitore super debito pendente fidejussori dilatoria exceptio quatenus proficit.

POstquam creditor debitorem convenerat, illo relicto fidejussorem judiciali compellatione aggrediebatur, hic vero exceptionem litis cum debitore cœptæ & pendentis opponebat. Dubium incidebat ex illa juris providentia, quæ electionem creditori relinquit, quem convenire velit, nec semel factam sinit inferre præjudicium, quin convento jam reo deinde fidejussorem iterum convenire liceat. (1) At putabatur discernendum esse, utrum ex instrumento parata erat executio, an vero tantum actio quâ legitimâ juris viâ experiendum. Ubi executivè contra fidejussorem procedi potest, lis cum reo pendens nihil obstare debet, quin contra illum executio obtineatur: (2) quandoquidem etsi vel ipsemet exceptionem habeat, sed quæ altioris indaginis est, tamen illa executionem non remoratur, sed hâc factâ demum sequenti processu discutitur. (3) Sicubi verò non est executivus processus, refert, an lis cum reo concernit ipsum debitum seu exceptionem, quæ fidejussori quoque proficit & dubium non est inde litis pendentis exceptione fidejussorem rectè uti, (4) qui eadem cum debitore persona censetur, (5) omnibusque ejus juribus fruitur. (6) At quando nihil ejus rei quod à reo obtenditur & in litem venit ad debitum ipsum vel ad fidejussorem pertinet, tunc ne quicquam ex lite aliena exceptionem creditori opponere debet, (7) qui in ea differentia ut diversa habetur persona, ideò ex iis quæ personalia sunt seu personæ cohærent nihil exceptionis competit. (8) Uti conclusum die 11. Maji Anno 1657.

1. *l. fin. C. de Fidejussor.*

2. *Rauchbar. part. 2. quæst. 7. nu. 16. Asin. in prax. §. 3. ampliat. 21. Hering. de Fidejussor. cap. 37. part. 4. n. 110.* ubi scribit executionem non impediri sed fieri contra fidejussorem etsi contra debitorem cœptum sit judicium. Et generatim scribit *Carl. de Proceff. Executiv. part. 4. q. 1. n. 72.* in executivis non esse locum exceptioni litis pendentis.

3. Hic est in executivis processus consuetus, quod exceptiones quæ altioris indaginis sunt, & ordinario processu agitandæ, post executionem remittuntur.

4. *Hering. dict. cap. 27. part. 4. num. 107.* Ratio est quod illa exceptio cohæret rei, non tantùm personalis est, ideò proficit fidejussori. *l. si stipulatus 15. l. ex persona 32. ff. de Fidejuss. l. exceptiones 7. §. 1. l. omnes 19. ff. de Excep.*

5. *l. 1. C. de diverf. rescript. l. ult. §. ult. in fin. Cod. de Usur. Franc. in tract. de Fidejussor. cap. 3. num. 133. & seq.* Inde concludit Magon. *decis. Lutens. 92. num. 10. seq.* pendente lite cum principali non fieri pœnæ persecutionem contra fidejussorem.

6. *Coler. de Proceff. Execut. part. 1. cap. 10. numer. 338.*

7. *Ita accipiendum quod habet Fr. Marci decis. 313. part. 1.*

8. *d. l. exceptiones 7. in pr. ff. de Excep.* Personalia personam non egrediuntur. *l. in omnibus ff. de Reg. Jur.*

Digitized by Google

DECISIO IV.

Certo loco fidejussorem dare obnoxius in alio offerens etsi bene possessionatum non auditur.

QUi Dantiſci fidejuſſorem accepta pecunia præſtare per conventionem obligatus erat, aliquem Colbergæ offerebat. Simul ejus facultates ſatis amplas & poſſeſſiones luculentas allegans. Quando autem ejus acceptionem creditori demandari rogabat, denegabatur mandatum, (1) tum quia petitio conventioni non congruebat, quæ ſtricte ſervanda erat; (2) tum quia locum conventum mutare debitori integrum non eſt, (3) tum quia creditoris intereſſe poterat in loco complacito non alibi fidejuſſorem habere, etſi hic dives & poſſeſſor multorum immobilium ſit. (4) Decretum *in cauſa Friderici Sittmanns contra Dieterich Maſſovven, die 21. Sept. Anno 1657.*

1. Mandari non debet, quod certo juri non eſt innixum, *l. 1. & tot. tit. C. ſi contr. jus vel util. publ.*

2. Cautio præſtanda eſt ſecundum conventionis verba, quæ præprimis ſpectanda ſunt. *l. ſemper in 34 ff. de R. J.*

3. *l. 1. tot. tit. ff. de eo quod cert. loc.*

4. Fidejuſſor idoneus habetur non tantum ex facultatibus, ſed etiam ex conveniendi facultate. *l. 2. ff. qui ſatisd. cog.*

DECISIO V.

Pignoratitiam cautionem offerens quomodo audiendus eſt, cum fidejuſſoriam debet.

QUando quis cautionis idoneæ, at non certæ debitor eſt, non modo ſi pignus offerat, ſed etiam ſi poſſeſſiones ſecuritati aptas habeat, ab alia cautione liber eſt. (1) Secus ſe res habet, ubi ad certam ſpeciem obligatur. (2) Tunc invito creditori alia quam conventa obtrudi nequit. (3) Si tamen qui fidejuſſoriam debet, difficulter præſtare queat, ideo pignoratitiam ſatis idoneam offerat, ita audiendus eſt ut teneatur omnibus modis, quo creditor æquis rationibus ad recipiendam poſſibilem debitori non inutilem ſibi cautionem perſuadeatur & exhortatione judiciali incitetur. (4) Quod ſi etiam ipſius nihil interſit, (5) qualem cautionem accipiat, ſed mera malitia recuſantis deprehenditur, (6) non peccabit judex, ſi & tandem quod alteri poſſibile, alteri non noxium eſt, admittet. (7) Si procedere viſum *in cauſa Friderici Sittmanns contra Dieterich Maſſovven, die 30. Sept. Anno 1657.*

1. Poſſeſſores rerum immobilium ſatisdare non tenentur, *l. 15. ff. qui ſatisd. cog.*

2. *l. Prætoria 7. ib. Bartol. ff. de ſtipul. Prætor.*

3. *Arg. l. 3 ff. de reb. credit.*

4. In his quæ mero jure non debentur aut peti queunt, æquitatem tamen aliquam habent, ita à judice præcedi debet, ut ad hanc omni ope partem rigidam promoveat.

5. Nihil intereſt, ubi obtineri poteſt finis cautionis, qui eſt ſecuritas, *l. 1. ff. qui ſatisd. cog.* ſeu ſi ſatis cautum ſit. *Fab. in Cod. l. 2. tit. 36. defin. 12. in pr.*

6. Malitiæ indulgeri non debet, *l. in fundo 38. ff. de rei vind. l. pen. ff. ad Exhib.*

7. *l. 2. §. idem Varus 5. ff. de aq. & aq. pluv. arc.*

Juxta hæc pronunciatum;

In Sachen Dieterich Maſſowen Appellaten und Supplicanten wider Rittmeiſter Friederich Sittmannen Appellanten und Supplicaten in puncto onerum und Räumung deß Hauſes jetzo eingewandter exception fori non competentis, wird befunden und erkant/ daß jetzt gedachter Exception ungehindert Appellant und Supplicat ſich hauptſächlich einzulaſſen/ demnach auff das/ ſo in denen Hauptpuncten Appellat und Supplicant den 3. Junii eingebracht die Nothdurfft in 6. Wochen ſchließlich zu verhandeln ſub pœna præcluſi ſchuldig ſey von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar / den 20 Octobr. Anno 1657.

(Hoc eſt.) In cauſa Dietheri Maſſovven appellati & ſupplicantis contra Magiſtrum equitum Friderieum Sittmannen appellantem & ſupplicatum in puncto onerum & evacuationis domus modo oppoſitæ exceptionis fori non competentis decernimus quod dicta exceptione non obſtante appellans & ſupplicatus ſe principaliter ingerere, inde ad id, quod in punctis principalibus appellatus & ſupplicans 3. Junii exhibuit neceſſaria in 6. Septimanis ſubmittendo agere ſub pœna præcluſi teneatur, idque de jure. Publicatum in ſummo Tribunali Wiſmariæ 20. Octobris 1657.

DECISIO VI.

Fidejuſſori ſolventi contra confidejuſſorem actio eſt, etſi contra hunc expreſſim non reperitur facta ceſſio; aut etſi hæc vitioſa ſeu nulla ſit.

HAud quidem uni fidejuſſori pro eo ſolventi contra confidejuſſorem actio eſt de eo quod ſolvit, ut detractâ rata ſua reddat, niſi facta actionum ceſſione, præterquam fidejuſſione mutuâ, (1) vel ut à pluribus ſociis interpoſita. (2) Non tamen neceſſe eſt, ut nominatim contra confidejuſſorem actionum ceſſio fiat, ſed ſufficit qualis qualis jurium translatio, (3) quæ generalis complectitur etiam remedia omnia contra confidejuſſores, (4) etſi de his

Digitized by Google

his vel in hac actione nullum verbulum reperietur adjectum. (5) Cum omni jure & pleno effectu, ut legitimè operetur, cessio accipienda est. (6) Quare rejectum quod inter gravamina ex non repertâ incessione confidejussorum mentione, ideo non competentis actionis exceptione opponebatur. *In causa Cunonis à Kalden contra Argidium ab Ostен die 21. Junii Anno 1654.*

1. Ita ex juris civilis ratione rectè existimatur & pro sufficienti argumento est, quod nullibi prodita est in jure fidejussori contra confidejussorem actio, tum necessitas cedendi actiones & pro istâ exceptio cedendarum actionum *l. si mandatu 13. & fidejussoribus l. cum ia. 36 ff. de Fidejuss. l. cum alter C. eod.* alias supervacua, tum quod inter eos nihil negocii intercedit, nec confidejussoris, sed tantum creditoris gratia semet quisque obligat.

2. *Cujac. ad African. tract. 4. p. n. 110. Rald. & Leonin. in l. si divisa. C. d. Locat.* cujus exemplum ponitur in eâ formulâ, quando fidejubent plures einer für alle/ und alle für einen/ allo ein jeder in solidum, quod ex praxi observavi in hac specie negociorum gestorum actionem competere *ait Accursius, in l. C. de duob. reis.*

3. *l. 1. C. de duob. reis ib. Dd.* quæ species occurrit, ubi causa ob quam fidejubetur, est communis.

4. Mens potius quam verba inspicienda sunt, & non potest dubitari eam esse mentem ejus, qui sibi cedi curavit, ut plenissime prospectum sit.

5. Ita observavi dum praxi forensi studui non attento confidejussorum in cessione omissam esse mentionem, nihilominus hos condemnatos fuisse.

6. Verba semper cum effectu eoque plenissimo sunt accipienda, *l. si per alium 5. §. docere 2. ff. ne quis eum qui in jus vocat.*

DECISIO VII.

Fidejussor solvens vetante reo actione mandati caret, si non qua illum inhonesta sit, qua uti debuit, exceptio.

QUi invito seu vetante reo fide jubet actionem mandati vel negociorum gestorum non habet cum solvit. (1) Non perinde ab hâc excluditur, cui ab initio non fidejussio, sed postea solutio fuit interdicta. At refert, quis conveniatur, an reus an fidejussor. Si reo ipsomet convento hic solverit illo invito, mandati actionem non habet. (2) Ubi autem fidejussor ipsemet convenitur, distinguendum, utrum reus solvere prohibeat seu recusari velit ex causâ nullâ vel frivola & parum honestâ: An vero ex aliquâ fidejussori non dedecorâ. In priori specie prohibitione non attentâ solvere potest fidejussor & solutione facta non eo minus actione mandati adversus ipsum gaudet. (3) At cum prohibitio de non solvendo nititur causâ aliquâ eaque tali ob quam honestè & justè solutio detrectari potest, tunc incumbit fidejussori non solvere, sed exceptione, quæ à reo suggeritur vel alias competit, uti. (4) Cujusmodi est quando reus offert, semet ipsum velle solvere at prius justa quædam exigit; vel quod ad substantiam crediti facit, discuti & decidi cupit, (5) sic visum *ad supplicationem P. G. Rotermund, contra Ægidium von der Ostен, die 5. Sept. Anno 1654.*

1. *l. si pro te 40. ff. mandat.*

2. *l. Quintus Mutius 48. in pr. ff. d. tit.* ubi ratio additur, quod parum fideliter facit fidejussor, quod potestatem reo eximere videtur suo jure uti.

3. *d. l. Quintus 48. in pr.* ubi ratio additur, quod noxium fidejussori esse non debet, si pudori suo pepercit; Minus honestam exceptionem omittens fidejussor nihilominus habet mandati actionem, *l. idemque 10. §. pen. ff. eod.*

4. *d. l. idemque 10. §. pen. ff. eod.*

5. *d. l. Quintus Mutius 48. ib. gloss. & Dd.*

DECISIO VIII.

Fidejussor licet solvendo sit, attamen ubi reus principalis beneficio Constitutionis Imperii frui debet, eâdem gaudet.

QUando recentior Imperii Constitutio, dum onus æris alieni sublevare voluit, cum exceptione eorum qui solvendo sunt, beneficium tribuit, (1) & accidebat principalem quidem reum sic comparatum esse, ut ipsi propter bellorum calamitates ea providentia adjumento evenire deberet, fidejussor verò opulentus diceretur, dubitatum fuit, utrum & hic ea nihilominus frui deberet? (2) Conclusum tandem non attenta illa exceptione fidejussorem ut ut aliàs solvendo existentem ultra non teneri, quàm reum principalem, tum quod textus constitutionis satis expressus quà fidejussores sic disponit: (3) tum quod beneficium hoc debitorum reale est, cassatâ plane aliquâ usurarum parte, (4) ideò etiam fidejussoribus proficit: (5) tum quod aut beneficium debitori cum fidejussores dedit, nullum esse oportet, (6) aut verò actionem contra istos inanem, ut interventione talis facilè reddi potest. (7) Petitio itaque condemnationis insolidum rectè rejecta fuisset, (8) nisi præter allegationem opulentiæ possessoris aliam rationem habuisset *in supplicatione des Regierungs-Raths Niclaus von Hopken, contra Ludolff von Zesterflieth, die 25. Aprilis Anno 1656.*

1. *Vid.* Reichs-Abschied zu Regenspurg *de Anno 1654. §.* Setzen demnach / ordnen ꝛc. ubi restringitur Constitutionis beneficium. Daß

Digitized by Google

unter dieser Satzung allein die durch den Krieg von Mitteln gekommene oder durch hohe Auffwachsung der Pensionen und Zinsen beschwerte Schuldener gezogen werden/ die jenige aber/ bey welchen es solche Beschaffenheit nicht hat / sonndern die ihren Creditoribus mit reichung der Pensionen oder Zinsen zuhalten können / so wol auch die / so unter dem Kriegswesen zwar das Ihrige mitgelitten und beygetragen / dennoch aber solvendo geblieben / und derowegen ihre Debitores nach Einhalt derer von sich gegebenen Obligationen von Rechtswegen verbunden / darunter im geringsten nicht begriffen seyn können noch sollen.

2. Ratio dubitandi fuit, quod reus & fidejussores unius debitoris vicem habent, ideo horum facultates isti aggregatæ censentur. *l. si plures* 27. §. *præterea ff. de Fidejussorib. Hipp. de Marsil. singul.* 3. Unde solvendo est, qui licet ipse inops sit, idoneum fidejussorem habet. *l. mulier ib. Bald. num.* 2. C. *de Jur. Dot. Dec. in l. non dubit. num.* 1. *ff. de R. I.*

3. d. Reichs-Abschied §. Anreichend die künfftige ꝛc. versic. 6. Was ein fidejussor, ubi ante Constitutionem solutarum usurarum ut & extra Imperium solvendarum, ubi non valet ea Constitutio, concessa tantum repetitio, indicat non aliter quam reus tenetur, ad usuras obligatum esse fidejussorem.

4. *Vid. dict.* Reichs-Abschied §. Die verflossene und noch unbezahlte/ verb. Biß auff den vierdten Theil gantzlich cassiret und auffgehoben seyn/ unde sublatæ planè obligationis argumentum constat.

5. Exceptiones rei cohærentes cum reo competunt, etiam fidejussori proficiunt, *l. si stipulatus* 15. *l. ex persona* 32. *ff. de Fidejussor. l. exceptiones* 7. §. 1. *omnes* 9. *ff. de Exception.*

6. Propter actionem mandati, quam fidejussores contra reum habent, ut ita etiam quod creditoribus non solvendum illis solventibus, aliàs reddendum esset. Quod cum sit beneficium ex se non competens fidejussori ex persona rei prodesse potest. *Arg. l.* 8. *si ignorantes in fin. l. idemque* §. *generaliter ff. mandat. l. ult. C. de Usur. Rei Jud.*

7. Convento fidejussori licitum pro reo intervenire eumque suis exceptionibus juvare & liberare, *Bartol. in l. etsi fidejussor. ff. de Re Judic. Franc. in tr. de Fidejussor. cap.* 3. *n.* 124. *seq.* inde ob id quod interest exceptiones quæ fidejussoribus non communicantur, ipsis proficiunt & opponi queunt. *Ar. Pinell. in l.* 2. *part.* 2. *cap.* 3. *n.* 44. C. *de rescind. vendit. Bartol. in l. idemque* §. *generaliter ff. Mandat.*

8. Non attenta supra allegata dubitandi ratione, quæ obtinet, ubi hac in quæstione, an solvendo sit reus, non vero aut ipsi aut fidejussori tollit beneficia aut exceptiones, quæ per jus commune aut singulare proficiunt. In his spectatur singulorum conditio. Cujus exemplum est incompetentiæ beneficio, quo gaudet reus, etsi opulentum fidejussorem habet. Quod autem fidejussores eo non gaudent, id inde oritur, quia personale est. Fieri tamen per jam dictam interventionem potest, ut etiam prosit, *quomodo exponit Hering. de Fidejussorib. cap.* 27. *part.* 4. *num.* 80. Et sequ.

DECISIO IX.

Fidejussor in bona ejus qui sibi erat indemnitatis sponsor seu ein Schadelos Bürge non est immittendus antequam solverit, aut conventus sit.

POst litem de validitate pro indemnitate sponsionis finitam, fidejussor cui illa promissa fuerat statim se in bona sponsoris immitti petebat, nec dum allegabat, nedum demonstrabat, se de solvendo compellatum, vel exactum, nedum se quidquam damni vel incommodi fidejussionis causâ sustinuisse. Præmatura nec justa videbatur ea petitio, (1) quia contra fidejussorem indemnitatis nisi vel solverit, vel in aliquo periculo sit, non competit actio. (2) Alterutro horum allegato vel edocto locus petitæ immissioni fieri poterat. Est quidem alii fidejussori contra debitorem ad se liberandum actio, ubi diu in obligatione stetit. (3) Sed non similiter contra fide jubentem pro indemnitate præstitæ sponsionis. Quod illi singulariter per jus est concessum huic non ita reperitur tributum. (4) Apparet differentiæ ratio. Nam illi jus est liberationem petendi à debitore, ideo etiam impetrandi securitatis media, (5) non vero huic à fidejussore indemnitatis, qui non ad illam præstandum, sed in eventum ad aversionem damni saltem est obnoxius. (6) Cui cum nullibi reperiatur indultum quod alter ex lege beneficium habet, ideo non excipitur à communi regula, juxta hanc de eo statuendum est. (7) Quare juxta petita negata est immissio, decretum vero ut prius exprimatur species debitorum, pro quibus fidejussit, quodnam inde damnum resarciendum vel periculum avertendum habeat. (8) in & *causa Hæredum Land-Rath Otto Thuns contra Hæredes Viduæ Gerd Behren die* 16. *Septemb. Anno* 1659.

1. Fidejussio indemnitatis est securitas adversus damna quæ quis ex sponsione pro alio sustinet, aut meruit, ideo tacitam in se conditionem continet si quid damni inde exoritur. Quæ non existit nisi vel jam sentitur vel proxime imminet.

2. Committitur stipulatio indemnitatis non modo si damnum fidejubenti accidit, sed etiam ubi periculum exactionis imminet, & aliquid molestiæ accidit. *Faber in Cod. lib.* 8. *tit.* 27. *defin.* 43. *numer.* 1. Hoc damno per jurisprudentiam in his, quæ ad actionem fidejubentium spectant, æquiparatur. *Franc. de Fidejussorib. cap.* 5. *num.* 575. *Hering. de Fidejussorib. cap.* 25 *num.* 18.

3. *l. si pro ea* C. *Mandati l. Lucius* §. 1. *ff. de Fidejussorib.*

4. Est

4. Est enim jus singulare, & non trahendum in consequentiam. *l. quod vero* 14 *ff de R.I.*

5. *De quibus vid. Hering. dict. tract. cap.* 25. *n.* 38. *ubi tria refert captionem pignorum, immissionem in bona, horum distractionem.*

6. Hic est finis sponsionis pro indemnitate ex quo statuendum est de effectu obligationis.

7. Ita regulariter jus habet, quod fidejussori actio non competit nisi postquam solvit. *l.* 6. *l. si pro ea* C. *Mandat. l.* 1. C. *de Fidejuss. Minor. c. pervenit X. de Fidejussorib.* Ultra enim regulam petens tenetur docere exceptionem.

8. In eo consistit justitia intentionis cujus fundamentum ante omnia est allegandum & docendum. *Bartol. in l.* 6. *ff. de Probat.*

DECISIO X.

Exceptionis justæ neglectus fidejussorem quando ab actione mandati excludit.

COndemnatus reus ex regressu fidejussoris, quia pro ipso solverat, appellabat incusans hunc omissæ exceptionis atque oppositionis, qua tutus esse poterat, ideo ut inde se non obnoxium actioni mandati credebat, ita quod absolutus non fuerat, se gravatum appellando contendebat. Multum refert qualis exceptio sit, quam omissam arguebat reus principalis. Vel talis est quæ solum fidejussori non autem reo competit, & ob hanc ab isto omissam sicuti inde damni nihil sentit reus, (1) ita non est justa querela vel objectio, (2) quia renunciare, ideo etiam omittere fidejussori integrum erat: (3) vel talis, quæ reo at non fidejussori competit, (4) & non competentis non facta allegatio rectè non incusatur. (5) Hoc verò bonæ fidei convenit, ut fidejussor si sciverit talem reo competere, litem si moram denunciet, cum denunciandi facultatem habuerit, (6) quo ab ipso ope exceptionis suæ defendatur. (7) Inde de dolo exceptio contra exceptionem mandati nascitur reo, (8) si litem illam nescivit atque ita ex occultatione fidejussoris læsus fuerit: (9) Vel denique talis quæ opponi potest à reo & fidejussore, quales sunt exceptiones omnes reales. (10) Harum aliquæ ita comparatæ sunt, ut non injustè quidem opponantur, at parum honestè seu bonæ fidei non congruè omissæ laudem merentur. (11) nec actionem mandati excludunt, (12) cujusmodi habentur, quæ sunt de apicibus juris. (13) Aliquæ vero salvâ fide atque honestate recte opponuntur, & has competere vel scivit fidejussor vel ignoravit. Si hic ignarus fuit, in bonâ fide existenti non nocet quà mandati actionem omissio. (14) Imputet sibi debitor quod fidejussorem de exceptione non admonuit. (15) Non potest objicere quod fidejussor conventus ipsi litem non denunciavit, ad quod non tenetur, ideo nec argui potest, si solvit sine denunciatione, quod se debere scit ac solvendum putat. Quando autem fidejussor scivit competere adversus creditoris petitionem sibi & reo justam defensionem, allegationem ejus omittere non debet, aut mature reo denunciare, ut ipse compareat & exceptionem si eam oppositam velit, deducat. (16) Quod facto si reus defensioni desit, nec fidejussori quid fieri velut respondeat, hic insons erit, cum omiserit, nec tenebitur aut à mandati actione excludetur, velut qui credere potest nolle reum opponi sed potius solvi. Denunciatione statim non factâ incumbit fidejussori exceptionis objectio seu allegatio, haud vero ejus litis prosecutio: Postea reum de ista certiorem reddere sufficit. Nec enim ad alia tenetur fidejussor quam ut temere non solvat, nec debitori facultatem jure suo utendi auferat. (17) Hæc præstitâ extra culpam est fidejussor, ideo etiam impunis nec jus suum amittere debet. (18) Etsi vero si hæc certa fuissent, appellantem audire nō oportuisset, attamen quando inter gravamina allegabantur quæ culpæ aliquid fidejussori impingebant, placuit pro iis discutiendis admittere appellationem *in causâ P. G. Rotermund contra Ægidium von der Osten die* 5. *Sept. Anno* 1654.

1. Quia reo non competit, is creditori nihilominus tenetur, nihil interest ejus personali exceptione fidejussorem non uti.

2. *l. idemq;* 10. §. *pen. ff. mand.* quæ ita generaliter accipienda est, & sic sonare debet, ut rationi congruat & contextus rectè se habeat, *sicuti hoc docet Faber in* C. *lib.* 8. *t.* 27. *def.* 9. *in fin.* ubi idem de exceptione de non petendo decisum esse refert.

3. *l. si judex.* 41. *ff. de Minorib. l. pen.* C. *d. Pact.*

4. Sic exceptiones personales quæ cohærent personæ reorum principalium, fidejussoribus non competunt *l. except.* 7. *pr. ff. de excep. l. ubi. cunq;* 60. *ff. de Fidejuss.*

5. Ex sua allegare non possunt, cum non habeant: ex alienâ seu rei principalis personæ non tenentur, cum illius causam non agant sed suam.

6. *arg. l.* 8. §. *si ignorantis in fin. l. idemq;* 9. *gener. ff. mand. l. Nesennius ff. de re jud. l. fin. in fin. C. de Usur. rei jud. Franc. in tr. de Fidejussor. c.* 3. *n.* 124. *seq.*

7. Hæc est praxis circa tales exceptiones, ut licèt fidejussores opponere non possint, rei tamen ex sua persona & pro suo interesse ob actionem mandati opponendo illos defendant & tam illos quam semet indemnes servent. *Bart. in d.* §. *gener. Faber & Angel. in* §. 1. *Inst. de Fid. Pinell. in l.* 2. *part.* 2. *c.* 3. *n.* 44. C. *de Rescind. vendit.*

8. *Arg. l. si fidejussor.* 29. *pr. ff mandat.*

9. Sciens certiorari non debet, nec de ignorantia aut omissa citatione juste queritur, *l.* 1. §. 1. *ff. de act. empt.*

10. *l. si*

Digitized by Google

10. *l. si stipulatus* 15. *l. ex persona* 32. *ff. de Fidejuss. l. omnes* 19. *ff. de except.*

11. Nempe dum rigore juris sepositô fides impletur, *l. fidejussor.* 29. *§. fin. ff. mand.* si pudori & famæ paretur, *l. Q. Mutius* 48. *pr. eod.*

12. *d. l. idemque* 10. *§. pen. ff. mandat.*

13. De quibus elegans & honesta est sententia JCti *in l. si Fidejussor.* 29. *§. quadam* 4. *ff. mandat.* addita hac ratione. De bona fide agitur cui non convenit de apicibus juris disputare sed de hoc tantum, debitor fuerit nec ne.

14. *d. l. si fidejussor.* 29. *§. si cum* 2. *ubi additur, ignoscendum esse, si non divinavit.*

15. *d. l. si fidejussor.* 29. *in pr. verb. Potuit & debuit rem promittendi certiorare fidejussorem suum, ne ignarus solvit.*

16. *d. l. idemque* 10. *§. pen. ff. mandat. vid. Fabr. in Cod. lib.* 8. *tit.* 27. *def.* 10.

17. *d. l. Quintus Mutius* 48. *in pr. ff. mandat.*

18. Ubi deest culpa, ibi non deficit mandati actio, *l. Stichum* 95. *pen. ff. de Solut.*

DECISIO XI.

Injuria Judicis fidejussori nocet non reo, & hic ad eam demonstrandam admittendus est.

COndemnatus per judicem fidejussor solvit & posteà mandatâ actione à reo pro quo intercessit, solutum repetit, at reus rem judicatam non negans, injuriæ sententiam arguit, in hac autem lite succumbens appellat. Inde cum processus rogaret, dubitatio incidit, utrum reus admittendus sit ad deducendam sententiæ contra fidejussorem probatæ injuriam? Quando autem certo jure sic provisum, quod injuriâ judicis damnato fidejussori mandati actione nihil præstabitur, (1) & injuriam quæ facta est, penes eum manere æquius est, (2) consequitur justam esse de injuriâ judicis exceptionem, (3) ideo etiam ad ulteriorem demonstrationem admittendum, cui alias ut tertio & qui in lite non fuit, res contra fidejussorem judicata opponi non potest; (4) nec impediri quin inter alios de jure debiti disquiratur. (5) Ita decretum *in eadem causa.*

1. *Per text. express. in l. exceptione* 67. *ff. de Fidejussorib. l. si pro ea* 10. *C. Mandat.*

2. *d. l. exceptione.* Ratio est quod injuria judicis & injusta sententia casus fortuiti instar habet. *Sebast. Medic. de Casib. fortuit. part.* 2. *quæst.* 12. *n.* 1. quem nemo alteri præstat, *l.* 2. *§ si eo tempore ff. de administr. rer. ad civ. pertin.*

3. Ex imprudentia seu errore judicis est exceptio legitima contra eum qui condemnatus indebitum solvit, quod illa aliam non debet contingere, *l.* 2. *§. solet ff. de hæredit. vend. l. si per imprudentiam* 51. *pr. ff. de Evictionib.*

4. *l. sepe* 63. *ff. de re judic.*

5. *l.* 2. *C. quib. res judic. non noc.*

DECISIO XII.

Debitor à fidejussore de eo quod condemnatus solvit, conventus audiendus est, si se non debere demonstrare velit.

REs judicata quidem fidejussori contra quem sententia judicis processit, obstat, etiamsi appareat hæc injusta: (1) haud tamen debitori qui in lite non fuit, (2) sed hic conventus mandati de eo quod fidejussor solvit & excipiens se non debuisse non obstante re judicatâ, audiendus est. (3) Tantum enim de eo tenetur quod debuit, non de eo quod præter id fidejussor solvit. (4) Non attento itaque judicato inter creditorem & fidejussorem nihilominus reum appellantem, dum non tam condemnationis iniquitatem, quam id quod sui juris est, demonstrat audiri æquum visum est. (5) *In eadem causa.*

1. Res judicata pro veritate accipitur, *l. ingenuum* 24. *ff. de Stat. Person.*

2. *l.* 1. *tot. tit. C. Inst. rescind. act.*

3. In actione mandati non aliud spectatur quam ad quod mandatum sua natura obligat, non quod aliunde accidit, *l.* 3. *pr. §.* 1. *l.* 4. *l.* 5. *pr. ff. mand.*

4. *l. si fidejussor.* 29. *pr. & §.* 3. *seq. ff. mandat.*

5. De eo tantum quæritur quod debetur. *l. si fidejussor.* 29. *§. quadam* 4. *ff. Mandat.*

DECISIO XIII.

Loco fidejussoris in prima instantia damnati cum reo principali actor in secunda litem subire non tenetur, nec hujus compositione ille judicio eximitur.

CUm pro accusatore incarcerationem rei postulante & impetrante fidejussor factus post absolutum reum in damna & expensas condemnatus appellaverat, accusator vel ejus successor in secunda instantia litem subire, inde etiam solennia appellationis præstare offerebat. Remittente appellato existebat quæstio, utrum ita in locum fidejussoris actore invito subire posset principalis reus? Negativa placuit. Primo enim electio est creditoris seu actoris, cum quo rem habere velit, (1) nec circa eam arbitrium jure concessum adimi debet. (2) Secundo, eò minus id fieri potest, ubi res non amplius integra, sed lis cum fidejussore cœpta erat, (3) cui ipsum eximere invito actore non est in potestate debitoris. (4) Et licet tertiò alias comparitione rei vel eum sistendo liberari solet fidejussor, (5) haud tamen ad eam speciem hoc porrigi potest, cum non de illo sistendo amplius sed de solvendo actio intentata fuit. (6) Unde quarto fidejussori

ad

ad judicatum solvendum obligato, multo magis jam condemnato & appellanti ordinis beneficium non competit. (7) Rejecta itaque illa oblatione decretum fuit cum pro quo fidejussit, ipsi assistere, ipsam vero liti eximere posse. *In causa Martin Dunckern, contra Claus Dunckern, die* 1. *Decembr. Anno* 1654.

1. *l. generaliter* 28. C. *de Fidejussorib.*

2. Est quidem in potestate creditoris, reum an fidejussorem convenire velit, & licet unum elegit ad alium redire integrum, *l. reos* 23. C. *eod.* at non in ejus qui fidejussit, ut postulet alium potius quam se conveniri. *l. si alienam* 19 C. *eod.* Etsi vero ab hoc jure excipiuntur illi casus, quando ordinis beneficium competit, *Novell.* 4. *c.* 1. *Auth. Presente dict. tit.* inter eos tamen non est, cum judicio sisti aut judicatum solvi cautum fuit, *ut mox dicetur.*

3. Judicio quasi contrahitur, *licet* 3. *idem scribit* 11 *ff. de Pecul.* Litisque contestatio novationis instar habet. *l. alium* 29. *ff. de Novat.*

4. Invito actore alius pro alio judicium subire nequit, etsi vel autor rei convenienti sit.

5. *Vid. quæ scribit Hering, in tr. de Fidejussor. c.* 20. §. 9. & 13

6. Est ea stipulatio judicati solvendi ex qua oritur nova & peculiaris actio. *Fab. in C. lib.* 8. *tit.* 27. *defin.* 8.

7. *Muscatell in Pract. Fidejussor. part.* 2. *quæst.* 10. *num.* 32. *Coler. de Process. Executiv. part.* 1. *cap.* 10. *num.* 352.

DECISIO XIV.

Fidejussorem, invito eo, cui cavetur, mutare aliumque modo idoneum substituere licet, ubi nihil interest.

MUtatio fidejussoris invito creditore fieri quidem non potest, ubi hic in cujus tutu certæ personæ & electæ illius fidei credidit: (1) Secus se res habet, quando generatim de cautione conventum, (2) & tantummodo spectatur, ut satis cautum sit. (3) Quemadmodum ubi cautum esse desinit, ei cui cavendum, alium fidejussorem petere integrum est, (4) ita etiam ei, qui cavere debet, ubi mutandi justa causa adest, alium loco prioris substituere non prohibendum erit, (5) dummodo non inidoneum offerat. Sufficit enim satis cautum esse, ubi præter securitatem nihil desideratur. (6) Per quam non refert, si qui offertur idoneus, nec eum rejiciendi causa sit, (7) aut ejus cui cavet, nil interfit, hunc an priorem habeat. (8) Uti visum *in causa Frid. Sittmanni contra Dieterich Massoveen, die* 9. *Januarii Anno* 1655.

1. *Non egreditur personam, in quo persona exhibetur, l. in compromisso* 45. *ff. de reb. arbitr. & ejus certa qualitas eligitur, l. cujus bonis* 9. *ff. de curat. furios.*

2. Talis conventio in rem est, in qua non tam persona quam ipsa res consideratur, ideo personæ ratio non habetur. *l. jurisgentium* 7. §. *pactorum* 8. *ff. de Pact.*

3. Ubi finis saltem intenditur, de mediis non curatur, sed æquipollens admittitur. *l. pen. ff. mandat.*

4. *l. si ab arbitro* 10. §. 1. *ff. qui satisd. cog.*

5. *L. Labeo* 25. §. *fin. ff. de recept. arbitr. l. illud.* 10. *ff. quod met. caus. l. qui autem* §. *sed etsi quis ib. Bartol. ff. de Constit. pec.* Communis est JCtorum sententia, distingui debere, utrum certus promissus tantum fidejussor, an jam acceptus. Et quam in illo permittunt oblationem alterius fidejussoris, in hoc negant, *vid. prolixius Hering. de fidejussorib. cap.* 20. §. 37. *per tot.* attamen etiam in hoc casu arbitrio judicis alterius receptionem injungere ex causa vacat, *Franc. de fidejuss. cap.* 4. *conclus.* 6. *n.* 138. *uti textus allegati ostendunt.*

6. Satisdat qui pro eo quod petitur, ita cavet, ut eum securum faciamus. *l. 1. ff. qui satisd. cog.*

7. Cautum satis est, si idoneus est à quo servari possit id quod ex litis æstimatione sebeundum, *l. fin. pr. ff. de Admin. tut.* Ita in cæteris satisfit contractui, si æque idoneus surrogatur, cum conventum præstari nequit *l.* 2. §. *pen. ff. de relig. & sumpt. fun. l.* 9. *ff. locat.*

8. Malitiæ foret in eo repugnare, quod sibi non prodest, alteri nocet. *l. in fundo* 38. *ff. de Rei vindic. Interminis vid. Jason. in l.* 2. *num.* 32. *ff. solut. matrim. Muscat. ll. in Pract. fidejuss. part.* 2. *q.* 6. *Heig. part.* 1. *quæst.* 28. *n.* 15. *seq. ubi videas.*

DECISIO XV.

Ex cessione confidejussoris etsi ipsimet non facta petenti, fidejussor recte negat, quod iste pro sua portione debuit.

CUm Titius & Sejus pro pecunia in mutuum à Cajo accepta fidejussissent, & his Cajus creditor nomen Sempronio, Sempronius iterum Titio fidejussorum uni, Titius Servio, Servius Calpurnio cessisset, & Calpurnius institutâ contra Sejum actione solidum peteret, condemnationem quoque ita obtinuisset, appellatione interpositâ inspiciendum fuit, utrumve Calpurnius ultimus cessionarius pati cogeretur, ut Sejus ex fidejussione conventus confidejussoris sui Titii portionem deduceret, seu ultra suam virilem teneretur. Initio quidem videri potuit, ad cessionarium per multas cessiones tandem jus primi creditoris transisse, ideoque cum ob factam renunciationem divisionis beneficii isti quisque fidejussorum insolidum teneretur, eum qui conventus ex eo nullam oppositionem facere posse. (1) Licet autem, si cessio unquam in unum fidejussorem facta non fuisset, id verum atque congruum foret; (2) attamen ubi, antequam ultimò facta est, confidejussori ea contingit, secus sentiendum erat; (3) Ultimus enim cessionarius nihil amplius

Digitized by Google

juris habere potest, quam cujus autor, (4) hic non aliud, quam à quo ipsi cessum fuit nomen, qui erat fidejussor. (5) Quidquid itaque hic ex cessione à confidejussore petere potuit, illud tantum primus, secundus & ulterior cessionarius obtinere valet. Certum verè est fidejussorem ut ut cessionem à creditore vel ejus successore seu universali seu singulari habuit, non potuisse aliud à confidejussore actione consequi, quàm quod juxta beneficium divisionis alter debet. (6) Etsi enim quà creditorem isti renunciatum est, haud tamen ipsi fidejussores se invicem isto jure creditoris gaudent. (7) sed personale quodammodo est, quod tantum creditoris gratiâ in pactum vel renunciationem venit. (8) Unde nec creditor fidejussori uni solventi efficaciter amplius cedere potest, quam quod detracta ipsius portione supereſt. Quæ itaque exceptio contra fidejussorem ratione portionis virilis competiit, cessionario etiam opponi potest. (9) Eò magis, quod dum in eandem personam fidejussoris jura debitoris & creditoris aliquando concurrunt, quædam veluti confusio quà partem illam, quam debuit, (10) atque ita liberatio & extinctio obligationis facta est. (11) Cui hoc consequens, quod solutum ab ipso debitum quà ipsum, ideo etiam quà cessionarios sublatum, inde confidejussoris quà suam partem inanis cessio fuit. (12) Satis rationis hæc præbuerunt, ut admitteretur appellatio *in causa Jürgen von Schwerin, contra haredes Lucæ Puschen, die* 10. *Julii Anno* 1655.

1. Renunciatio beneficii divisionis facit, ut quisquis fidejussorum in solidum conveniri possit. *Vid. Hering in tr. de Fidejussor. cap.* 27. *part.* 2. *num.* 73. *& seq.*

2. Maneret enim tunc creditori ejusque cessionario integrum, quem ex pluribus fidejussoribus eligere velit.

3. Exinde confidejussor factus est creditor, atque ultra quam ipsemet ita creditor factus agere potuit, cessionarius illius experiri non potuit. Nemo plus juris in alium transferre potuit, quam ipse habuit, *l. nemo plus ff. de Reg. Jur.*

4. *l. emptor* 5. *C. de hared. vendit.*

5. *Juxta. nemo. plus ff. de Reg. Jur.*

6. Etsi creditor uni fidejussorum sibi solventi aut satisfacienti contra creditorem & fidejussores omnia sua jura & quidem in solidum cesserit, hæc tamen cessio eò non pertingit, ut suam portionem quoque ab alio repetere possit, sed illa semper excepta intelligitur, ut excipi debet, *quemadmodum prolixius hoc confirmat & explicat Hartm. Pistor. quæst.* 48. *num.* 6. *& seq. part.* 1. *Hering. de Fidejussoribus. cap.* 27. *part.* 3. *num.* 33. *seq.*

7. *Hartm. Pistor. dict. quæst.* 48. *n.* 9. ubi in fine hæc habet verba: *Talis renunciatio fit favore creditoris, ne cogatur debitum dividere & ad partes agere; non igitur debet præjudicare solventi quatenus ad alium, cum sit onus commune, tamen vel ex hac ipsa ratione dilucide apparet, renunciationem hanc utpote commodum creditoris potissimum respicientem, quò efficacius obligentur fidejussores, hoc efficere non posse, ut quis pro sua rata inde liberatus esse censeatur, sicut nec etiam hoc præstat, ut alios minus convenire queat.*

8. Inducta ad unum finem, contrarium operari non debent, *l. legata ff. de adim. legat. l.* 5. *in fin. C. de Jurejur. propt. calum.*

9. Exceptio rei cohærens seu causæ meritа concernens autori nocens nocet, & opponi potest cessionario, *l. apud Celsum* 4. §. *de actoris* 27. *ff. de Except. dol. mal. Bartol. in l. si quis rem. ff. de Procurat.*

10. Cum in eandem personam jus debitoris & creditoris devenit, exoritur confusio. *l. verborum* 107. *ff. de solut.*

11. Confusione perinde extinguitur obligatio atque solutione, *l. si id quod* 21. §. 1. *ff. de Liberat. Legat.* & hujus potestatem habet, *l. debita* 50. *l. Granius* 71. *pr. ff. de Fidejuss.*

12. Cedi nequit nomen, quod non est amplius, *l.* 1. *ff. de hared. vendit.* cessione nihil actum, cum nulla actio superfuit, *l. Modestinus* 76. *ff. de Solut.*

DECISIO XVI.

Fidejussor accusatoris non tantùm judicio sed etiam reo tenetur.

CUm quis pro ea, quæ mariti necem ultrà reum carceri includi curaverat, juxtà morem judiciorum fidejussisset, (1) deinde à reo absoluto conventus & in expensas velut ex fidejussor pro accusatore condemnatus appellans inter gravamina proferebat, se nunquam illi sed judicio tantùm pro indemnitate caviſſe eam fidejussionem quæ stricti juris & sententiâ judicis ad reum malè extensam fuisse. Verùm etsi ea cautio pro more judicio tantùm non reo præstatur, (2) tamen & reus ex illa habet actionem, cujus causa exigitur & præstatur. (3) Nam judex ideò sibi prospicit, ut in causam succumbentiæ contra rei actiones securus, ipsi verò de injuria aliter prospectum sit. Eô igitur jure quod ipsi judex acquirit, rectè utitur. (4) Non admissa fuit de eo querela ut non justa ideò quidquid de eo inter gravamina relatum rejectum est. *In causa Nicolai Dunckern contra Martinum Dunckern die* 3. *Octobris Anno* 1655.

1. Ex quo inscriptionis solennitas legibus Romanis introducta *l. libellorum l. si cui crimen ff. de Accusat. l. ult. C. eod.* in usu esse desiit, in usum devenit ab accusatoribus cautionem de prosequenda accusatione & expensis damnisque in casum succumbentiæ recipi. *Angel. in tr. de Malefic. in verb. & ad querelam Titii num.* 8. Hoc etiam recepit

Digitized by Google

cepit & observat Germania, necessitatem ejus sanxit Ordinatio Crimin. *art.* 12 & 13.

2. Sic observatur ut judex etiam non audito reo cautionem recipiat eaque præstatur judicio.

3. Etsi aliàs alteri stipulari non liceat *l. stipulatio* 38. §. *alteri ff. de V.O.* cessat tamen hoc in judiciis, in quibus judex pro parte quæ ex usu sunt stipulatur. Factum judicis factum partis habetur *l.* 1. *l.* 2. *C. si in caus. jud pign. l.* 13. *C. de Evict.*

4. Sic usu fori servatur in his, & frequens est, fidejussores accusatorum à reis conveniri *ad quæ respiciunt quæ de hoc processu habet Hering. in tract. de Fidejussor. cap.* 5. *n.* 254 & *mult. seq.*

DECISIO XVII.

Hypotheca, quam unus fidejussorum pro sua indemnitate impetrat, proficit etiam alteri, qua debitorem aliquosque ejus creditores, quæ impetrantem non aliter, quam ut sine damno ejus fieri potest.

COntingit unum plurium creditorum sibi cum ex fidejussione periclitabatur vigilasse, & post actionem de se liberando contra debitorem institutam eo securitatis perveniſſe, ut non modo hic ipsi prædium quoddam pro indemnitate hypothecæ daret, sed etiam in illud immitteretur. Quando vero exorto postea creditorum super bonis concursu, totum debitum, pro quo fidejusserat, exinde solvi non posset, aliqua autem acceperat, à creditore conventus & condemnatus confidejussorem in reliquum convenit, is vero opposita solutionis ex bonis debitoris exceptione intendebat, ut ex his percepta sibi juxtim proficerent, & tum accepta in commune commodum, tum adhuc solvenda in commune onus dividerentur. Existimatum quidem est, tam conventionem super hypotheca inter debitorem & fidejussorem, ut & immissionem in bona debitoris, (1) pro securitate indemnitatis factam, utut ad instantiam unius fidejussorum confidejussori proficere, (2) tanquam ex negotio communi gesto, (3) quod ut in tali casu curare omnium & singulorum confidejussorum interest, sic etiam factum gestumque intelligitur; (4) ideoque dubitatum non fuit, si cum debitore, vel cum aliis creditoribus res esset, hypothecam seu conventione seu immissione constitutam confidejussori proficere. (5) At utrum etiam confidejussori contra illum fidejussorem, qui impetravit, ita debeat proficere, ut quod hic percepit, non tantum in suam, sed etiam in illius portionem pro rata imputandum sit, hoc ambiguum visum. Itum in eam sententiam, quod perceptum prius in illam portionem, quam impetrans solvere debuit, imputandum, si quis excedit, hoc confidejussori demum proficere, in quo autem deficit, illum hoc debere supplere. Cujus hæ rationes fuerunt. (6) Primo quod etsi fidejussor indemnitatis parandæ sollicitus communem agat causam, (7) attamen principaliter suam, alienam saltem in consequentiam, (8) ideo contra ipsum alteri eo nomine non est actio, nec justa, nisi deducta prius ejus utilitate seu eo quod interest, exceptio. (9) Deinde, quia etiam in iis quæ sunt communia permissum est alteri sui gratia vigilare, nec si id fecerit opus habeat aliis nisi socii sint communicare, etsi deinde debitor non solvendo sit, & alter nihil consequi possit. Tertio quod vigilantibus jura scripta sunt, & inter desides atque diligentes discrimen servare oporteat, (10) nec admitti ut recipiens, qui sibi vigilavit, aliis desidibus restituere teneatur. (11) Unde regulariter inter eos, qui socii non sunt, ita servatur, ut occupantis melior sit conditio, (12) Accedit quod quæ fidejussor ex bonis debitoris accepit, tanquam à debitore pro sua parte habet, non at à fidejussore, itaque hic non potest illud in suam partem imputare. (14) Quibus consequens, quod fidejussori solventi integrum sit primo quæ ex bonis debitoris prædicto modo accepit in suam partem imputare, si quid vero ultra acceperit, in eam quam à fidejussore repetit; si quid ultra adhuc supplendum, id à confidejussore recti repeti, nec prius in partem vocari rationum. (15) Eget vero ea res accuratiore redditione rationum, ut appareat, quid fidejussor immissus perceperit, utrum totum an partem. (16) In quo contra ipsum militat quædam præsumptio, quod pignus idoneum esse creditur. *In causa Ægidii von der Osten die* 15. *Martii Anno* 1659.

1. Videtur quidem regulæ juris contrarium, ut pactum unius prosit alteri, quando alteri pacisci jura non sinunt, & in specie pactionem fidejussoris confidejussori non prodesse dicitur. *in l. fidejussoris* 23. *ff. de pact. l.* 15. *ff. de fidejuss.* Verum ita hoc procedit, ubi non interest ejus qui pacisci tur. Quod si verò illud pro alio in pactum deducit, in quo sua versatur utilitas, utique pactum valebit, uti ab interpretibus juris dictarum legum & rationes ex explicatio. Et specialiter *in dict. l. fidejussoris* 23. hoc expresse indicatur, quod ubi fidejussoris refert confidejussori prospici, ad illum pactum pertinere, *uti exponit gloss. Bartol. Zasius ibidem.*

2. Juxta regulam, immisso uno creditores omnes nempe qui sunt ejusdem causæ & tituli immissos reputari *l. si unus* 12. *ff. de rebus author. judic. possid.*

3. *Uti sentit & pulchre exponit Heig. illustr. quæst. 37. num. 32. & seq.*

4. Actus, qui tam ad se quam ad alium pertinere potest, censetur communi nomine gestus *l. fin. ff. quand ex fact. tutor. Mascard. de Probat. conclus. 38. num. 5.*

5. Etsi fidejussori cum solvit contra confidejussorem ex cessione actio esse possit, tamen tum ob illam, qui accidere potest cedendi difficultatem, maxime ubi beneficio cedendarum actionum renunciatum tam quod plus cautionis in re quam persona, tam ob exactionum varia pericula & incommoda, multum refert, etiam ipsius gratia sibi prospectum esse.

6. Quisque sic egisse præsumitur, ut prudenter agi solet, atque expedit. *l. si quis domum 9. §. 1. ff. Locat.*

7. *Vid. Heig. dict. quæst. 37. num. 34.* Scio ita non semel observatum esse, quod fidejussoribus omnibus in concursu creditorum profecit cautio indemnitatis ab uno fidejussionis causa simpliciter impetrata tanquam commune beneficium. Id quod tum finis ejus, tum æquitas, tum communis utilitas suadet.

8. Quod quis negocium sui contemplatione gerit, ut suum potius, quam ut meum gessisse intelligitur *l. si pupilli 6. §. sed & si 3. ff. de Negot. gest.*

9. Si quis ita simpliciter versatus sit, ut suum negotium in suis quasi alienum gerat, non est actio *d. l. si pupilli 6. §. si quis ita 4.*

10. *l. fin. C. depositi.*

11. *l. pupillus 24. ff. quæ in fraud. credit. l. 2. C. de Annal. Except.*

12. *l. quod autem 6. §. sciendum 7. ff. quæ in fraud. l. ex facto 53. ff. de Pecul.*

13. *Bald. in l. fin. C. depositi. Costal. in l. verum 63. ff. pro Soc.*

14. Spectandum hac in re præcipue, quâ contemplatione solvitur & accipitur.

15. *Heig. d. quæst. 37. num. 39. seq.*

16. *l. creditor 28. ibid. gloss. ff. de reb. credit.*

DECISIO XVIII.

Fidejussor solvens contra confidejussorem sine cessione ad partem virilem habet actionem.

IN concursu creditorum confidejussoris repetebat aliquis, quod ex fidejussione pro alio solutum erat, at non producebat cessionem creditoris, qua actiones contra confidejussores cessa erant, ideo injuncta fuit illi productio per sententiam prioritatis. (1) Factum id nondum erat, cum perebatur adjudicatio. Repositum autem exigentibus, inter turbas has bellicas periisse; constare tamen de solutione facta, ejusque argumentum esse possessionem instrumenti obligationis. Etsi vero stricto jure sine cessione ipsi esset actio contra fidejussorem, cum quo nihil actum; (2) Utilitatis tamen atque æquitatis causa concedenda est; (3) tum quod communi fidejussione tacite se invicem quasi socii adstrinxisse videntur ad præstandam indemnitatem; (4) tum quod solvens negocium alterius cum liberando gerit; (5) eumque solum ex eo quod commune est, ideo damno affici iniquum sit; (6) tum quod traditioni instrumenti obligationis, quæ præsumitur, mandatum in esse videtur. (7) tum quod æquitas exigit alteri præstari quod sibi quisque cupit. (8) Etsi itaque nulla esset aut fuisset cessio, nec ideo judicato satisfieret, tamen cum actio competeret, visum nihilominus adjudicandum in quod ex cessione competere potuisset. Sic *ratio habita fuit viduæ Jacob VVeschen in concursu creditorum Claus von Horn. Die 26. Octobr. Anno* 1658.

1. Quia enim moris est cedi fidejussori solventi actiones nec solvi ab illo nisi cederetur, cum sibi prospectum cupit. *l. sicut 23. C. de Fidejuss.* parata cedendarum actionum exceptione. *l. si mandat. 13. l. fidejussor ib. l. cum is 36 ff. de fidejussor. l. cum alter C. eod.* injunctum fuit quod solitum.

2. Ex quo multorum ea oritur sententia, sine cessione a fidejussore nihil repeti. *Heig. part. 1. q. 38. num. 1. & seq. Franc. de Fidejussor. cap. 5. num. 488. seq. Koppen dec. 51. num. 2. & 3. per l. non aliter C. de fidejuss. l. si fidejuss. ff. eod.*

3. *Per ea quæ tradit. Hering. in tr. de fidejussor. cap. 25 num. 139. & 141 seq.*

4. Etsi enim socii vere non sint, quasi tamen societas intercessit, ex tacita mente & conjunctione, quæ parit utilem pro socio inter eos actionem. *arg. l. perceptionem ff. de his qui dejec. Hering. dict. num. 139.*

5. *Actur. in l. 1. Cod. de duob. reis Bald. & Jason. in l. si divisa Cod. de Loc.* qui solventi utilem actionem negociorum gestorum præbent, *quos sequitur Hering. d. num. 142. arg. l. 2. §. nunc tractemus ff. de tutel. & rat. distrah.*

6. *vid. 42. §. 1. & seq. ff. ad L. Rhod. de lact.*

7. *vid. l. fin. Cod. de Pact. convent. sup. dot. l. 1. C. de Donat.*

8. *tot. tit. ff. quod quisque jur. in al.*

DECISIO XIX.

Excussionis seu ordinis beneficium cessat, quando penes compellatum existit unde solvat.

TRibunut vulgo etiam constituentiordinis seu excussionis beneficium. (1) At non alio modo competit, atque eo uti potest fidejussor. (2) In quo id variis ex causis restringitur atque cessat, inter quas etiam hæc refertur, si penes illum sit ex bonis debitoris principalis unde solvat. (3) Quare si qui constituit habeat ex primi debitoris facultatibus, ab ea exceptione merito excluditur. (4) Multo magis

ubi

Digitized by Google

ubi creditorum causa habet, ex quibus facienda est solutio, seu quæ creditori sunt obnoxia. (5) Ita judicatum *in causa vicuæ Philippi Horns contra hæredes Doctoris Hinrici Sibranden die* 15. *Martii Anno* 1659.

1. Uti hanc sententiam prolixe confirmat *Cothm. in respons.*

2. Constituens fidejussoris instar habetur, eique similis, ut de uno ad alium in jure argumentum non infrequens sit.

3. *Uti hoc pluribus traditum leges apud Hering. de Fidejussor. cap.* 27. *part.* 1. *tit.* 2. 4. *seq. Mynsing.* 2. *Observ.* 15.

4. Quid iniquius fieri possit, quam cum qui debitoris bona habet, velit suum creditorem remittere ad illum, cujus nomine solutionem in se recepit.

5. Etsi enim alias possessori bonorum etiam contra prosecutionem hypothecariam competit excussionis exceptio, *Novell.* 4. *cap.* 2. attamen id fallit, ubi possessor accepit illa bona cum conditione creditum solvendi, cum specialis hypothecæ instar talis conventio habeat, quæ non admittit istam exceptionem *juxta Novell.* 112. *cap fin.* sicut ita in summo Tribunali judicatum esse, alibi scriptum fuit.

DECISIO XX.

Constituens pro alio solvere judicatum non juvatur ordinis beneficio.

QUod Juri communi conveniens existimatur, ut constituens pro alio solvere ordinis seu excussionis beneficio gaudeat. (1) Nisi novatio accesserit, (2) aut reum liberandi sequè verum debitorem constituendi animus appareat, (3) non obtinet, ubi quisquam illud quod alter solvere condemnatus fuit atque ita judicatum præstare promisit, (4) cujus parata & non differenda executio (5) post æquitatem maximam (6) ut quia judicio obtinuit, suo potiatur, nec alia lite ulterius vexetur, (7) non admittit dilatoriam illam exceptionem (8) *in causa Thomas Steinhagen contra D. Friedelieb die* 1. *Decemb. Anno* 1653.

1. Acris de eo est JCtorum disputatio, at vicit in foro ut communior & verior sententia eorum qui constituentis obligationem tantum subsidiariam statuunt, ideo sicut non liberat reum. *l. ubi quis* 28. *ff. de constit. pecun.* ita nec onerat constituentem, ac si cum ille non solvit de quo vide scripta apud *Gail. Observ.* 8. *num.* 1. *seq. Cothman. resp.* 22. *per tot. vol.* 1. *Thesaur. dectsf.* 166. *n.* 2. *& seq. Franc. de Fidejussor. cap.* 5. *n.* 129.

2. *Vid. Struchium* 8. *§. ult. ff. de Novat. Gail. d. Observ.* 28. *num.* 4. *Franc. d. cap.* 5. *num.* 202.

3. Uti sit quoties quis vice ejus qui obligatus erat se debitorem constituit *l. frustra* C. *de non num. pec.* seu si alienum debitum simpliciter facit suum proprium *Floretz. Diatz. de Mena pract. quæst.* 11. *Pancirol. Consil.* 45. *num.* 34. *& 36.*

4. Sic de fidejussore qui judicatum solvere promisit communis habet JCtorum sententia *Bald. in l. cum eorum* C. *de sentent. & inter loc. Muscatell. in pract. Fidejuss. cap.* 17. *n.* 18. *Coler. de proces. Executiv. part.* 1. *cap.* 10. *n.* 352.

5. In iis quæ paratam executionem habent beneficium ordinis vel excussionis cessat *Col. d. Tract. part.* 1. *cap.* 10. *n.* 335. *& part.* 4. *num.* 95. *Caroc. de Excuss. bon.* 4. *q.* 2. *quæst. princ. n.* 1. Quia talia statim & in continenti debentur, & ista promittens ita promisisse ideo abdicasse exceptionem creditur *Cam. Borell. in tr. de compromiss. §.* 4. *gloss.* 5. *per tot.*

6. In his quæ ex æquo & bono determinanda sunt ejusmodi exceptio non attenditur *Caroc. de tr. part.* 2. *quæst.* 31. *num.* 20. *Hippol. de Marsil. in rubr. de Fidejuss. num.* 12.

7. Judex omninò per officii rationem, qui lites dirimi poscit, avertere debet, ne lis ex lite oriatur *Bald. in l.* 1. *ff. de re judic.*

8. *Fab. in Cod. l.* 8. *Tit.* 23. *defin.* 1. *n.* 1.

TIT. XLII.

DE NOVATIONIBUS ET DELEGATIONIBUS.

DECISIO I.

Ad delegationis substantiam & probationem quæ necessaria sunt.

UTrum appellans ob exclusam delegationis exceptionem audiendus sit, ex iis statuendum est, quæ ad delegationem sunt necessaria, cum quibus conferenda sunt supplicationum narrata. Est delegare vice suâ alium reum dare creditori vel cui jusserit, (1) Cujus gratiâ duo vel uti diversi actus interveniunt, prior est inter delegantem & cum cui fit delegatio, qui consistit in mutuo consensu debitorem suum pro se liberando cedentis, alter inter creditorem & debitorem delegatum qui consistit in stipulatione & promissione: (2) Ad utrumque autem non requiruntur expressa verba, sed sufficit rem ipsam interveniisse & apparere. (3) Quocirca ad probandam delegationem oportet allegare primo mentem debitoris delegantis, quod liberationis causa voluit nomen cedere, (4) quæ præsumitur ex permissione exactionis & receptionis pecuniæ à debitore suo, (5) Deinde

Digitized by Google

voluntatem creditoris in satisfactionem alium vice illius recipientis (6) Tertio promissionem delegati debitoris. (7) In quæ omnia cum sonarunt gravamina, ad impetrandos processus visa sunt sufficientia. Narratum enim est, quod cum appellans debuisset mille appellatis, ipsius tutores suo debitori mandasse ut illis solveret idque illos acceptasse. (8) In quo omnia ea concurrunt adeoque perfecta est delegatio, ideoque & novatio. (9) *In causa Philip Gutzlaff Rotermundes contra Ægidium von der Osten die 17. Maji Anno 1659.*

1. *l. delegare 11. ff. de Novat.*

2. Hæc plenius exposita videbis apud Sichard. ad *rubr.* C. *de Novat. num. 15. seq.*

3. Res ipsa fortius loquitur verbis, & non tantum verbis sed pleræque factis declaratur voluntas *l. non tantum 5. ff. rem. rat. haber.*

4. Voluntate solum, non lege novandum *l. fin.* C. *de Novat.*

5. Qui permittit consequens, vult antecedens *l. 2. ff. de jurisdict.*

6. Invitus non tenetur alium debitorem pro alio accipere.

7. Invitus quisquam creditoris creditori delegari non potest. *l. nec creditoris 6.* C. *de Novat.* nec delegatio nisi consentiente & promittente debitore jure perfici potest. *l. 1.* C. *eod.*

8. *Hoc exemplum habet Bartolus in l. singularia ff. de reb. Credit.*

9. Est novatio prioris debiti in alium transfusio *l. 1. ff. de nov.* ubi itaque alia succedit obligatio, illa facta intelligitur. Alius crediti debitor alium arguit contractum. Delegationi inest, quâ debitorem liberatio, quâ creditorem cum delegato brevi manu mutuum contractum. *l. singularia 15. ff. de reb. Cred.*

DECISIO II.

Judex potest particularem receptionem debiti ex causa injungere creditori.

DEbebant rustici annuas quasdam præstationes seu pensiones Pastori non suo, sed alteri tanquam onus fundi reale; evenerat autem per plures annos istas non fuisse solutas, inde quidquid residuum, difficulter posse unâ eâdemque vice præstari, accedebat ut si debitores ad solutionem integri residui statim cogendi essent, eos depauperatos imposterum nec servitiis domino præstandis, nec debitis quibus aliis obnoxii erant solvendis, nec futuris pensionibus actori debitis sufficientes esse appareret. Placuit igitur hoc moderamen adhiberi ut biennales pensiones tantùm primâ vice rustici præstare necesse haberent, sicque unam veterem & novam solverent quotannis, donec quod restabat expletum esset. Nec hoc moderamen à judicis partibus alienum erat. Etsi enim regulariter nemo particulatim invito creditori solvere potest, ideò hic particularem solutionem recipere non tenetur, (1) tamen cum aliis in casibus, tam & in hoc illud cessat, cum necessitas vel rationabilis causa exigit. (2) Qualis etiam subest ubi debitor inops est, & vel solidum statim non solvere, aut non sine maxima difficultate potest. (3) Tunc in potestate judicis est exactionem moderari, dilationem debitori indulgere, (4) & certis terminis dividere quod debetur. (5) Sic *existimatum & decretum ad preces Pastoris Neobukovienſis contra Rusticos in Pôle die 17. Februarii Anno 1657.*

1. Multa enim incommoda habet particularis solutio, ut invito obtrudi non debeat. *l. 3. ff. Famil. erciſc.*

2. *Vid. aliquot exceptiones apud Carpzov. in respons. Electoral. 99 n. 9. seq. lib. 5.*

3. *Per l. placuit* C. *de Collat. Fund. Patrim.* ubi fiscus, etsi aliàs valdè favorabilis, tenetur accipere solutionem particularem, quo suum eò facilius consequatur, *uti eam rationem tradit Cabalin in milleloq. part. 1. c. 264.*

4. Dilationum arbitrium est penes judicem qui pauperi prolixiorem indulgere potest quàm diviti. *Coler. de Proceſſ. Executiv. part. 3. c. 6. num. 12.*

5. *Hoc moderamen Jcti æquum censent & attribuunt judici Petr. Gregor. Tholoſ. in Syntagm. lib. 22. cap. 7. num. 7. Ant. Roderic. in tr. de Ann. reddit. lib. 3. quæſt. 9. num. 26.* Cujus ratio est *in l. ſi servus 25 ff. de Pignor. act. Novell. 4. cap. fin.*

DECISIO III.

Delegatio quando facta intelligitur & liberat.

COnvenit delegationem pro solutione esse; nec hac minus liberare. (1) At hoc necessarium ut ritè facta sit. Ad quod requiritur primo debitoris in sui locum alterius substituio, (2) quæ nuda voluntatis qualiquali declaratione fieri potest. (3) Non refert an istius debitor sit, an alius quisquam plane extraneus, & delegantî nihil debens. (4) Secundo assensus creditoris delegationem recipientis. (5) Tertio voluntas (6) & stipulatio delegati loco debitoris solutionem promittentis. (7) Incumbit ei qui delegationis exceptione utitur tria hæc allegare & probare. Alias non admittitur, nec si rejecta fuit, appellationi locus relinquitur. Quando vero appellantis narratis talia reperiebantur inserta, admissa est. *In causa*

Chris-

Digitized by Google

Christiani VVulffen contra Generalem præfectam Vigilium Joachimum à Volckmann die 6. Novemb. Anno 1657.

1. *Solvit qui delegat. l. inter* 26. §. 1. *ib. Gothofred. ff. Mandat.*

2. Delegare est vice sua alium reum creditori dare *uti definitur in l. delegare* 11. *ff. de Novat.*

3. *l. delegare* 17. *ff. dict. tit.*

4. *l.* 3. *l.* 5. *ff. de Novat.*

5. Invito non fit deleg tio. *l. nec creditores* 6. *C. eod.*

6. Nec invitus quisquam alteri delegatur, etsi nomen alicujus ignorantis & inviti ceditur *l.* 1. *C. dict. tit.* Nemo obligatur alteri invitus *l. sicut* 5. *C. de Oblig. & act.* At ut ex nomine suo alter agat, pati cogitur: *Rationem differentiæ plenius exponit Perez. in Cod. ad eund. tit. num.* 11.

7. Stipulatio debitoris necessaria est ad delegationem *d. l.* 1 *C. eod. l. delegare* 11. § 1. *ff. eod. Gail.* 2. *Observ.* 30. *num.* 8. Solus consensus non sufficit *Jason. in l. singularia num.* 34. *ff. de reb. credit.*

DECISIO IV.

Nova obligatio an novet, ex eo dijudicandum est an priorem tollat.

SÆpius fit, id quod debetur ab alio vel ab eodem debitorem in aliam transfundi obligationem & circa tale factum controverti, utrum prioris facta sit novatio? Siquidem verba definitionis, quæ de novatione traditur, inspicimus, pro novatione id haberi deberet. (1) Verum si rectum illorum sensum consideramus, discernendum est quo modo obligationum fiat commutatio seu alterius in alterum transfusio. Siquidem ita, ut prior tollatur seu ab ea debitor liberetur, utique dubitandum non est, novationem factam & hac priorem obligationem extinctam esse, (2) non attento quod de eo expressim nihil dictum scriptumve fuerit. (3) Ipsa res verbis fortius novationem exprimit, (4) nec potest dici durare obligatio quam partes sublatam voluerunt. (5) At si non reperitur prior obligatio sublata, etsi nova fuerit contracta, utique alia potius præsertim accessionis capienda est interpretatio, quam ut novatio statuatur, (6) quæ non colligenda est ex præsumptionibus, (7) sed speciatim exprimenda est si valere debet. (8) Id quod ita statuimus, ubi dubium erat, an priorem obligationem quis sublatam voluerit, (9) rejecta petitione pro processibus *in causa Viduæ & Liberorum des Stadthalters Philip Horns contra viduam D. Georg. Mascovii die* 15. *Decembris Anno* 1657.

1. *Definitur ab JCto in l.* 1. *ff. de Novat. quod est prioris debiti in aliam obligationem transfusio vel translatio.*

2. Ita verba dictæ definitionis JCtus *in dict. l.* 1. *pr.* declarat adjiciens. *Hoc est ex præcedenti causa ita nova constituitur ut prior perimatur.* Quod declarat à derivatione nominis. Quia à novo dicitur novatio quasi à nova obligatione. Unde sic colligimus, ubi obligatio nova ibi est novatio. Nova non est, nisi ubi prior desinit.

3. Quod *in l. fin. C. de Novat.* de speciali expressione ad inducendum novationem constituitur, minime eam significationem habet, ut præterquam cum in dubio versamur, novatum esse speciatim dici debeat, sed est etiam novatio si aliter exprimitur & de voluntate ex ipso facto constat. Cujusmodi quid fit, ubi vel manifesta est sublatio prioris, vel cum hac incompatibilitas posterioris *vid. Menoch. de Præsumpt. lib.* 3. *præs.* 134. *num.* 39. *arg. l. ubi repugnantia ff. de R. J.*

4. Non verbis modo sed rebus etiam loquimur, & his certius voluntas exprimitur.

5. In apertis non est locus conjecturæ *l. centi nuus pr. ff. de V. O.*

6. *Ita constitutum in d. l. fin. C. de Nov.* & JCti uno ore hanc sententiam ejus tradunt.

7. *Bald. & Bartol. in l. pen. ff. de Prætor. Stipulat. per* §. *quod autem diximus. Instit. quib. mod. oblig.*

8. *d. l. fin. verb. nec ipsi specialiter remiserint.*

9. Mutatio voluntatis circa contractus & obligationes nunquam præsumitur, nec colligitur nisi expresse probata. *l. num qui ff. de Probat. Decius in l. Pacta novissima. num.* 10. *C. de Pact.*

DECISIO V.

Redditum prioris obligationis instrumentum non inducit novationem, ubi in secundo ejus tenor vel iteratus vel comprobatus.

SI quidem aliquis in se alienam antecessoris sui vel alterius obligationem transtulit tanquam soluta à se pecunia, sed vicissim in creditum recepta, uti hoc frequenter fieri solet, inde confitetur se à creditore mutuum accepisse, (1) etiam obligationis instrumentum velut solutione aut novatione extinctum redditur, (2) est habenda facta novatio (3) si non quod in posteriorem obligationem redactum fuerit, indicet contrahentes à priori recedere non voluisse, (4) veluti cum quis non novi debiti sed prioris tantum se constituit debitorem qui promisit. (5) Ita fit, si quis jura & privilegia prioris crediti sibi reservaverit (6) aut promissio facta sit ea lege ut nihil ex sibi competentibus mutatum esse debeat. (7) Etsi enim instrumentum prius redditum, cassatum, abolitum fuerit, debitum tamen remanet idem quod prius erat. (8) Ita cum quis accepto cum ære alieno antecessoris feudo ex hujus creditoribus cuidam, recepto pristino debiti instrumento, tanquam

sibi

Digitized by Google

sibi crediti, novum chirographum dedisset, in certum vero esset, quod debitum oriretur ab antecessore, successor in se receperit, & quod ab hoc & tanquam illius debitum præstari deberet, creditum est malè opponi novationem (9) & inde extincta jura potiora creditorum antecessoris. Ideo cum & ita censuisset prioris instantiæ judex, ab ejus decreto interposita appellatio rejecta est. *In eadem causa.*

1. Sic brevi manu itur in creditum & contrahitur etiam nulla data pecunia, mutuum, si ille qui recipere debuit, relinquit eidem ad novum mutuum.

2. Hinc oritur liberatio, si alia causa reddendi non apparet. *l. 2. §. 1. de Pact. l. 7. C. de Remiss. pign.*

3. Convenit huic facto novationis definitio ejusque explicatio *quæ habetur in l. 1. pr. ff. de Novat.*

4. Voluntate non lege novatur *l. fin. C. de Novat.* ideo voluntas est inspicienda, & ubi hæc alia, novatum non intelligitur. *Bartol. in l. fin. dict. tit.*

5. Novatio à novo dicta, non est nisi plane nova fit obligatio *l. 1. in fin. pr. ff. eod.*

6. Ejusmodi clausula novæ obligationi indita, quæ avertit præjudicium priorum jurium non permittit fieri novationem *Menoch. de præsumpt. lib 3 c. 134. n. 44. versic. declaratur tamen.*

7. *De quali exemplo tractat Gratus respons. 26. n. 7. & 8. vol. 1.*

8. Ex præsumptione oritur liberatio, quam inducit cautionis redditio vel cassatio. *d. l. 2. §. 1. ib. Jason. & Dd.* quæ contraria fortiori præsumptione nedum evidente voluntate eliditur.

9. In hoc contractus genere constitutum & expromissio potius quam novatio est.

DECISIO VI.

Conjecturæ ad delegationem probandam sufficiunt, modo sint concludentes.

ACtus ipse delegationis seu contractus ad distractum in causâ, quæ proponebatur non apparebat, saltem allegabantur ab una parte quæ nunc appellaverat istius propria seu consequentia, ex quibus istam præcessisse colligebatur. Quærebatur igitur, an collectiones seu conjecturæ ad inferendam delegationem prolatæ essent sufficientes? Ex quo in illud præsuppositum jam consensum fuit, delegationem non requirere expressam sui & ex se liberationis mentionem, (1) sed ex ipso actu censeri & per factum sine nomine posse induci, minus dubii superfuit ex conjecturis sufficientibus posse colligi. (2) Etsi vel alia opinio placeret, tamen nec conjecturæ, quæ factum arguerunt, essent rejiciendæ. (3) Diversæ planè sunt quæstiones, quomodo delegatio perficitur & quomodo facta probetur. Cum subsecuti actus tales sunt, ut sine præviâ delegatione fieri non potuerint, ex iis colligitur factam fuisse, (4) juxtim etiam præsumitur legitimè atque solenniter circa illam cuncta processisse. (5) Quæ de eo sunt conjecturæ, modo sint concludentes, vim expressi habent. (6) Sic judicatum *in causa des Königl. Regierungs-Raths Philips Christoff von der Lancken, contra Hæredes Erasmi Küsseven, die 26. Junii Anno* 1654.

1. Gravis & ampla inter JCtos est disputatio, *an, ut juxta l. fin. C de Novat. nisi nominatim & expressa cum mentione fieri potest & facta censetur novatio, ita etiam ad delegationem necesse sit, istam nominari & exprimi?* Negantium sententia in hoc Tribunali melior visa est, uti secundum illam aliquoties judicatum fuit, quod alio loco inter decisiones demonstrabitur. *Interim vide quæ habes de ista quæstione Arumæus decis. 1. per tot. part. 2.*

2. Cum aliàs, tum vero ubi de liberatione agitur, cui maxime favetur, *l. Arrianus 47 ff. de oblig. & Action.* probatio præsumptiva per conjecturas sufficiens habetur. *Menoch de Præsumpt. lib. 3. præs. 135. Afflict. decis. 13. n. 22.*

3. Manifesta dicitur probatio quæ per evidentes conjecturas colligitur, *l. licet Imp. ff. de Legat. 1. l. si locuples ff. de manum. testam. Jason. in l. Prætor. ait n. 4. ff. de jurejur.*

4. Ex consequenti fit illatio ad necessarium antecedens. *Eberhard. in Topic. loc. à consequenti.* Quod subsequitur factum intelligitur ad executionem præcedentis, *l. post dotem ff. solut. matrim.* Affirmans tacitum affirmare censetur omnia antecedentia, sine quibus fieri non solet, *c. cum super ib. Bald. & immol. x. de conf.*

5. *Vid. de hac præsumptione prolixè apud Menoch. de Præsumpt. lib 3. Præs. 32. per tot.*

6. Quod ex conjecturis & mente contrahentium colligitur, intra genera expressim refertur. *Tir. de LL. Connubial. gloss. 7. n. 162.* habetur pro manifestâ probatione. *Bartol. in l. si quando C. mand. vi* ut & legitimâ, dum lex vult sequi id quod est verosimile, *l. semper in stipulationibus ff. de R. I.* Non potest non hoc haberi pro veritate, donec probetur contrarium, *l. pen. ff. de Probat.*

DECISIO VII.

Confessio suscepti à debitore debitoris debiti, exactio & receptio ab hoc usurarum, nec per longum tempus contra priorem facto exactio delegationis justam facit fidem.

PRo delegatione probandâ cum conjecturas concludentes sufficere conclusum fuit, altera exoritur quæstio, quæ pro talibus sunt habenda? Pro his reputare visum, ubi concurrebant sequentia: Primò quod debitor debitoris recepit in se solutionem creditori sui creditoris faciendam. (1) Secundò quod creditor receperat pro debitore suo aliũ reum: (2) Tertio quod hic solutionem promiserat. (3) Sunt in his omnia delegationis requisita. Eorum

Digitized by Google

rum autem fides qua creditorem satis constat dum circa primum ipse creditor fatetur debitorem debitoris recepisse in se solutionem sibi facere, *habe seinet vvegen zu bezahlen angenommen.* (4) Id mutuo consensu factum creditur, dum sine eo fieri non potest. Alterum legitime colligitur ex omni actu per quem fidem alterius quam sui debitoris, hujus tamen gratia, quis sequitur. (5) Cujus species est usurarum pro debito alterius ab aliquo ut suo debitore acceptio: (6) præsertim ubi permultum temporis fuit continuata. (7) Cujus alia non facta à debitore suo cessio certissimum argumentum est ex prævia delegatione evenire, sine qua non est contra debitorem debitoris actio. (8) Tertium similiter apparet ex exactione & receptione solutionis à debitore debitoris sui. (9) Etsi enim non docetur de stipulatione, (10) quæ inter creditorem & debitoris debitorem intercesserit, tamen eam factam fuisse & intercessisse verosimile est, dum constat ex istius confessione hunc in semet suscepisse debitum, quod intelligitur factum eo quo par est modo, (11) Consensum utriusque docet confessio susceptionis in apocha, datio & receptio usurarum, facta ab isto pecuniæ exactio. Et cum intra longum tempus octodecim annorum creditor à primo debitore nihil usurarum aut sortis nomine exegerit, fortior multo est delegationis atque liberationis præsumptio. (12) Quam in præsenti specie auxit quod idem debitor, à quo creditori delegatio facta fuit, ex duplici diverso mutuo fuit obligatus, at post quam ipsius debitor usuras annuas aliquoties solvit, non nisi pro uno deinde petiit & accepit usuras, utut pro altero intra aliquot annos cessatum esset. In quo perspicuum argumentum ab uno factæ liberationis, (13) & quidem per delegationem consistit. Uti ex his delegationem juste concludi existimatum, ita qui talia continebant, articuli ad probandum admissi sunt, *in eadem causa.*

1. Requiritur in delegatione delegati consensus, *l.1.C.de Novat.* Invitus quippe nemo delegari potest, *l.nec creditores 6.C.eod.*

2. Ejus voluntas est necessaria, cum invitus alius debitor non possit obtrudi. Ex illa sola subsistit delegatio, *uti habet ejus definitio in l. delegare 11. ff. de Novat.*

3. Promissio solutionis requiritur, *l.1.C. d. tit.*

4. Probationum optima est creditoris confessio, *1.un.C.de Confess.*

5. Qui secuti sunt nomen alterius, ut eum quasi eligerent, debitorem novandi animo fecisse præsumuntur, *l.1. §. illud sciendum 10. ff. de separat.*

6. *Ita decidit textus in d.l.1. §. illud sciendum* 10. Usuras ab aliquo accipere indicium est eum haberi debitorem etiam sortis, quia illæ hujus sunt accessio, nec sine ea præstantur, *l. rogasti §. 1. ff. de reb. credit. e. consuluit. de Usur.*

7. *l. solvere 7. C. de Nov.*

8. Multum temporis dicitur quinquennium, *l.1. §. quod dicitur 13. ff. de separat.*

9. Sic communiter existimatur, quod si creditor debitori suo mandat, ut alii nomine ejus solvat, creditorque id acceptet, delegatio inducta censeatur. *Bartol. in l. singularia ff. de reb. cred.*

10. Stipulationem esse necessariam ab JCtis traditur, *per l. delegare 11. §. 1. ff. de Novat. l. 1. C. eod.* At hodie ubi cessat stipulationum solennitas, cessat etiam ea necessitas, & solus consensus quoquemodo expositus sufficit. Atque nudum pactum facit delegationem. *Ita in terminis tradunt Carocc. de Excuss. bon. part. 2. q. 54. n. 12. A. Gabriel Comm. Conclus. tit. de Novat. concl. 1. n. 23.*

11. *l. sciendum 30. ib. gloss. & Dd. ff. de V.O.*

12. Cum per longum tempus non est exactum præsertim ab alias diligente creditore debitum, solutionis vel liberationis præsumptio inducitur, *Afflict. decis. 13. n. 21. Menoch. de Præsumpt. lib. 2. præs. 135. 7.*

13. Rigidè exigens quod supererat creditum & pro eo usuras flagitans atque recipiens, at diu de altero tacens, cujus tamen par ratio erat satisfactionis præsumptionem adversus se inducit validam. *Afflict. dict. decis. 13. n. 22. versic. 10. Menoch. dict. Præsumpt. 135. n. 22.*

DECISIO VIII.

Chirographi possessio sola est sufficiens non factæ delegationis aut non secutæ liberationis argumentum.

EXceptioni delegationis opponebatur possessio chirographi, seu illud esse adhuc in manibus creditoris, (1) ex qua videbatur colligendum aut mansisse eum, qui dedit, debitorem, aut mentem creditoris fuisse sic recipere alium debitorem, ut tamen non dimitteretur prior. (2) At cum de delegatione aliis ex argumentis probabilibus apparet, illa sola nihil facit ad arguendam mentem isti contrariam. Uti tabulæ non faciunt debitorem, (3) ita nec ex earum detentione debitum similiter colligitur. Quomodo enim qui illas non habet, creditor esse potest, etiamsi sint in manibus debitoris, (4) ita qui habet, statim creditor non est, si non duret prior contractus, ex quo creditor redditus fuit. (5) Nuda saltem oritur ex illâ possessione præsumptio, quæ aliis præsumptionibus fortioribus elliditur atque tollitur. (6) Ex quibus

Digitized by Google

cum de delegatione constat, nihil juvat ex chirographi detentione conjectura. (7) Etsi enim creditor vel eam mentem habuisset detinendi chirographum sub eo velamento, ut si forte à delegato non consequeretur creditum, iterum contra priorem debitorem ageret, tamen si de eo nihil dictum aut conventum, nihil proficeret in mente retentum propositum, (8) juxtim fraudulentum, (9) & facto contrarium. (10) Cui inest liberatio tanquam effectus naturalis & inseparabilis. (11) Ut reputatum *in eadem causa.*

1. Possessio chirographi facit præsumptionem crediti, *Mascard de Probat. concl. 476.*

2. Ea præsumptio semper capitur, quod anteriori obligatione quis novam addere non derogare voluit, *l. fin. C. de Novat.*

3. *Faber in C. lib. 8. tit. 29. def. 23. n. 2.*

4. Si chirographum est penes debitorem, ut ut cancellatum, si non constet à creditore traditum, non dicitur desiisse debitum & liberatum esse debitorem, *l. 2. ib. Accurs. ff. de Pact. l. si chirographum 24. ff. de Probat. l. pecunia 14. l. seq. C. de solut.*

5. Chirographi fides sequitur conditionem debiti & cum hac mutata desinit.

6. Præsumptio una fortior est alia, & alia aliam elidit, *l. pen. ff. quod met. caus.* ac in specie ea quæ ex chirographo sumitur, illam elisionem patitur, *d. l. si chirographum 24. ff. de Probat.* Specialis præsertim præsumptio tollit generalem.

7. In perspicuis nihil opus est conjectura, *l. continuus 137. pr. ff. de V. O.*

8. Propositum in mente retentum nihil operatur, *l. si non repetendi C. de condict. indeb.*

9. Fraus sua nemini prodesse debet, *l. cum post mortem 43. §. 1 ff. de Admin. tut. l. 2. C. si min. se major dix.*

10. Protestatio facto contraria nihil operatur, *c. cum M. Ferrariensis x. de Constit.*

11. Delegatio ex ipso actu seu natura sua est solutio ac liberationis causa, *l. quamvis §. interdum ff. ad SC. Vellejan. l. si rem §. si duo ff. de Novat.* Bonum nomen facit qui admittit debitorem delegatum, *l. inter causas 26. §. abesse 2. ff. mandat.*

DECISIO IX.

Fidejussio desinit ex quo qui erat fidejussor, ut delegatus debitor recipit & solvit, & quando hoc factum intelligitur.

EXceptioni delegationis inter alia objiciebatur, quem appellans dicebat delegatum fuisse pro ipsius parente fidejussorem, atque ut talem compellatum solvisse, non vero ut delegatum. Si non de delegatione ex evidentibus argumentis, & præsertim ipsum non ut fidejussorem, sed ut debitorem principalem solvisse per sufficientia argumenta appareret, solutio facta ex pristinâ causa non immerito videretur. (1) At quando delegatio probabilibus argumentis docetur, non potest amplius haberi, ut fidejussor exstinctæ semel obligationis, cum quâ accessoria desinunt. (2) Non etiam in eâdem personâ consistit principalis atque accessoria obligatio, sed hæc per illam deletur. (3) Solvit autem ut delegatus, non ut fidejussor, qui accipit aut retinet pecuniam tantum, quam debuit debitori, ut hujus creditori solvat. Id quippe delegationis proprium est. (4) *In eadem causa.*

1. Mutatio enim non præsumitur, *l. 5. §. qui pro rei ff. qui satisdar. cog.* præsertim quæ tollat, exstinguat priorem obligationem, *l. fin. C. de Novat. l. præcipimus 32. C. de Appell.* sed potius omni modo concordia actuum quærenda, ut uterque sistat, *l. fin. C. de Edend.*

2. Hæc liberantur novatione legitime facta, *l. novatione 18. ff. de Novat.*

3. *l. generaliter ff. de Fidejussor.*

4. *Bartol. in l. singularia ff. de reb. cred.*

DECISIO X.

Fidejussor contra debitorem cessione non non eget, sed mandati agit, modo solutionem verosimiliter doceat.

INter gravamina appellationis debitoris contra fidejussorem solutum pro illo repetentem injusta erat allegatio deficientis cessionis actionum, qua ille minime indiget, sed mandati actione contrariâ ad recipiendum quod solvit, ac indemnitatem consequendam experitur. (1) Tantum opus est eum solvisse antequam repetit. (2) Hujus quidem probatio incumbit fidejussori agenti, (3) at quando cum debitore res est, sufficit qualis qualis, modo verosimile sit solutum esse, nempe ex possessione chirographi, (4) etsi nec cancellatum sit, nec à creditore redditum, probetur. (5) Nihil ultra requiritur, quam debitorem securum esse quod adhuc alii solvere opus non habebit. Præterea nihil ejus interest si liberatur (6) *rejecta inde appellatio vidua D. Grassen, contra Julium Steffen, die 20. Sept. Anno* 1654.

1. *l. ex mandato ff. mandat. l. 4. in pr. ff. de Fidejussorib. §. quid autem Institut. eod.*

2. *l. 6. C. mandat. l. 1. C. de Fidejussor.* Cum liberetur aliquibus casibus etiam ante solutionem, ei enim

Digitized by Google

tunc locus esse potest, *l.28.ff.l.si pro ea C. Mandat. de quibus vid. Hering.in tr. de Fidejussorib. cap.25. num.13. & sequentib.*

3. *l.1.C. de Probat.*

4. Hæc mandatum exigendi continere videtur *l.1.C.de Donat.*

5. *Faber in Cod lib.8. tit.27.defin.21. Ubi rationem differentiæ addit, quare secus sit, quando cum creditore res est.*

6. Exceptio non proficit, nisi quatenus interest, *l.3 §.7.ff. ad exhib.* Hoc consideramus potius quam ut subtilitas fidejussori sine creditoris utilitate vel periculo noxæ sit.

DECISIO XI.

Ex sola mutatione personæ debitoris, vel addita alia assecuratione crediti non oritur novatio, nec tollitur bonorum separatio, tantum specialiter constituta hypotheca excussio prævia requiritur, antequam ad alia bona defuncti devenitur.

IN ea quæ occurrebat specie filius defuncti debitoris creditum istius in se receperat, se debitorem constituerat, & pignus speciale in prædio à defuncto ad se devoluto constituerat. Pro novatione verò id haberi non potuit, cum de animo novandi nihil dictum fuerat, (1) etsi alia persona debitoris facta, (2) alius etiam contractus initus. (3) Illa enim non ex delegatione, (4) sed ex successione accedebat, (5) ideo pro una eademque erat: (6) Hoc non erat cum priore incompatibilis (7) sed tantum ad ejus majorem securitatem tendens. (8) Quibus consequens fuit creditorem qui à successore novum chirographum tanquam à suo debitore receperat, (9) Jus separationis non amittere, sed perinde pro creditore paterno adhuc habendum esse. (10) Nec specialis hypotheca id immutat. At ut ad alia defuncti bona beneficio juris separationis perveniat antequam specialem hypothecam excusserit juri contrarium est, quia qui generalem hypothecam cum speciali habet, ex hoc prius sibi debita exigere tenetur. (11) Etsi id facere possit, posterior etiam creditor in cæteris ipsum ordinis atque excussionis exceptione excludit. (12) Etsi itaque in præsenti specie non erant juri consona quæ de novatione & amisso separationis beneficio proferebantur, quod tamen creditor ante excussam specialem hypothecam cum cæteris creditoribus in aliis bonis concurrere debebat gravamen in se contineri videbatur. *In causa hæredum D. Balthasari Rahvven contra Provisores Ecclesiæ Wolgastanæ, die 20. Octobris Anno 1654.*

1. Jure novo per conjecturas novatio non inducitur, nec probatur, sed expressa mentione seu declaratione animi novandi indiget, *juxta l.fin. C. de Novat.*

2. Mutatio personæ debitoris seu solus interventus novæ non facit novationem. *Menoch. de Præsumpt. l.3.præs.134.num.60. Faber in Cod. lib.8. tit.28. defin.3.*

3. Obligatio obligationi superaddita non facit novationem aut creditoris conditionem deteriorem, *Bald.consil.211.vol.1.*

4. Hæc ex se novat & præter factum nihil ultrà requirit, *de quo vid scripta superius in decis. 240.*

5. Hæres cum defuncto una eademque persona habetur, *l.fin.C. de hered. action.*

6. Ex incompatibilitate posterioris contractus cum priore existit certum novationis argumentum, *sicuti hoc latius exponit Menoch. dict. præsumpt.134 num.39. & seq.*

7. Quando contractus possunt conciliari, primus à secundo non tollitur, sed secundus intelligitur juxta primum. *Decius in l. pacta novissima.num.5.C. de pact. Bertazol. consil. civil.1. num. 165.*

8. Constitutum subintelligitur quod non novat, *Faber dict.tit.28.defin.3.*

9. Quando ex eo quod fidem hæredis quis sequitur separationis beneficium pereat distinctione, utrum novandi animo id fiat nec ne, exponit JCtus, *in l.1. §. illud sciendum 10. ff. de separat.* Cujus sunt hæc verba; *Illud sciendum est, eos demum creditores posse impetrare separationem, qui non novandi animo abhærede stipulati sunt; cæterum si eum hoc animo secuti sunt, amiserunt separationis commodum, quippe cum secuti sunt nomen hæredis nec possunt jam se ab eo separare, qui quodammodo eum elegerunt, sed & si usuras ab eo ea mente quasi cum eligendo elegerunt, idem erit probandum.* Quando autem hodie voluntate eaque expressa saltem novatur, *juxta d. l. fin. C. de Novat.* utique nec sine ea perit separatio.

10. Videtur quidem hoc contrariari, *d. l. 1. §. sciendum 3. ff. de separat.* ubi JCtus scribit. *Sciendum est autem etiamsi obligata res esse proponatur ab hærede jure pignoris vel hypotheca, attamen si hæreditaria fuit, jure separationis hypothecar. o creditori potiorem esse eum qui separationem impetravit.* Ex quo colligi potest per specialem hypothecam à defuncto constituta tolli separationem. Verum hoc ad Jus vetus referendum ex quo novatio ita fiebat; Quando vero illud, *per d. l. fin. verb. vel aliam personam adhibuerit, mutaverit vel pignus acceperit*, correctum, utique jure novo aliud dicendum. Præterea indicat idem textus, loqui de eo hypothecario creditore qui separationem non petierit, cui alter petens potior erit. Notandum quoque quod ibi habetur de separatione speciatim petenda, non spectare aut porrigi posse ad separationem, quæ per mores Pomeraniæ ipso jure competit, & ut privilegium perpetuum defuncti creditoribus contra creditoris hæredes tribuitur, quod amplius & diuturnius est.

Digitized by Google

1. *l. quamvis* 2. C. *de Pignorib.*

12. *Neguzant. de Pignor. 8. part. membr. 1. num.* 20.

DECISIO XII.

Fidejussorem liberat pignus, si ideo accipitat, ut is dimittatur.

FIdejussorem crediti habens, si deinde pignus acceperit, non tamen ideò novasse sed potius plenius securitati suæ consuluisse intelligitur, (1) nisi eâ mente pignus acceptum sit. (2) Tunc novatum esse apparet, quando prior obligatio fidejussoria ita transfunditur in pignoratitiam, ut utraque simul consistere non debeat. (3) Præprimis autem de animo liberandi fidejussorem constare & ut novetur actum esse debet, (4) quem declarant tum verba, tum ea quæ de re acta sunt. (5) Etsi non sit dictum pro fidejussore pignus imposterum teneri, tamen si saltem ita sit actum, novatione tollitur fidejussorum obligatio. (6) Semper autem hoc fit, ubi huic non accedit alia obligatio, sed in prioris locum surrogatur. (7) Quod cum factum allegaretur, fidejussores, quia nihilominus condemnati erant, non perperam appellasse existimati sunt. *In causa Hauptmann Christoph von Neuenkirchen Erben contra Alexander von Hartzen VVittwen, die* 12. *Febr. Anno* 1656.

1. *Menoch. de præsumpt. lib.* 3. *præs.* 134. *num.* 12. *Muscatell. in Pract. Fidejuss. part.* 1. *med.* 8. *num.* 20.

2. *l. novatione* C. *de Fidejussorib. Menoch. de præs.* 114. *num.* 14.

3. Novationem definit JCtus *in l.* 1. *ff. de Novat.* quod sit prioris debiti in aliam obligationem translatio, quod explicat, cum addit, hoc est, cum ita nova constituitur, ut prior perimatur.

4. *l. si res* 6. *l. Stichum* 8 §. 1 *ff. de Nov. Hering. in tr. de Fidejussorib. cap.* 20. §. 6. *num.* 10. Sine remissione prioris obligationis non est novatio. §. *præterea Inst. quib. mod. tollit. oblig.*

5. Cum apparet actum esse de fidejussoris liberatione, etsi nihil de eo dictum sit, est tamen novatio. *Fab. in Cod. lib.* 8. *tit.* 29. *definit.* 11.

6. *Brunus in tr. de Augm. & diminut. num.* 13.

7. *Bertazol. in tr. Clausul. Instrum. Clausul.* 41. *gloss.* 7. *num.* 5. *ad fin. Carocc. de Excuss. bon. part.* 2. *quæst.* 24. *num.* 32.

DECISIO XIII.

Obligationem qua novatio inducitur semel perfectam esse sufficit, nec hæc desinit, etsi illa deinde desinat.

CUm conventum erat, ut prædio pignori & in antichresin dato fidejussores liberarentur, si quidem pignoris constitutio nondum esset perfecta, aut non legitima, non induceretur novatio. (1) At postquam perfecta est, hæc quoque cœpit & liberationem fidejussorum inducit, (2) nec semel liberati aliorum voluntate sine suo facto reincidunt in priorem obligationem. (3) Quod etiam ita se habet, cum post semel factam novationem deinde novâ partium conventione aut consensu recentiori receditur à pactis, & reditur ad priora, (4) quæ quidem ex novo consensu obligant paciscentes, non verò priores fidejussores. (5) Inter tales narratas circumstantias processus appellatorios fidejussoribus denuò compellatis & damnatis denegari non posse existimatum fuit, inter cosdem.

1. Novatio non potest contingere eâ stipulatione, quæ non committitur. *l. novatio* 4. *ff. de Novat.* Quando secunda obligatio inutilis, invalida aut imperfecta est, non tollit priorem, nec inducit novationem, *l. certi* 9. §. *numeravi* 4. *ff. de Reb. credit. l. si sponsus* 5. §. *si uxor* 4. *ff. de donat. int. vir. & uxor.*

2. *l.* 4. C. *de Fidejussor.* In omnibus speciebus liberationis accessiones quoque liberantur. *l. in omnibus* 43. *l. Stichum* 94. §. *naturales* 4. *ff. de solut.*

3. *l. qui res suas* 98. §. *aream* 8. *ff. de solut. l. si unus* 27. §. 2. *ff. de Pact.*

4. Obligatio semel exstincta restaurari non potest. *l. cum ex causâ* 9. C. *de Remiss. Pign.* nec evacuatæ obligationis vires sine novo consensu reparantur. *l.* 4. C. *de solut.*

5. *l. Paulus* 30. *ib. gloss. ff. de Novat.* Non potest in præjudicium tertii aut ad eum obligandum recedi à priori conventione, nisi eo assentiente & se denuo obligante.

DECISIO XIV.

Pignus liberandi fidejussoris causa conventum non liberat, nisi rectè & ut jure fieri debet traditum.

PIgnoris datio per se non liberat fidejussorem, (1) nec novat priorem obligationem, ex conventione tamen partium liberandi vim accipit, (2) si vel id expresse dictum, (3) vel liberandi fidejussoris causa id actum appareat. (4) Haud aliter verò liberat ea conventio de pignore, quàm si pignus datum fuerit, seu contractus pignoris plenè consummatus sit, (5) quod fit traditione rei suppositæ. (6) Quando autem feudum sine consensu domini pignori dari nequit, si per istius oppignorationem liberandus est fidejussor, non modò tradi pignus

ied

Digitized by Google

sed & consensum domini accedere oportet. (7) Quô utroque non subsecutô uti non perficitur pignus, sic nec liberat fidejussorem. (8) Sic judicatum *in causa Hæredum Christoph Neukirchen, contra viduam Alexandri Hartzen, die 16. Octobr. Anno* 1656.

1. Simul enim consistunt pro eodem debito pignus & fidejussor, *l. 2. l. mandati C. de Fidejussor.* & competit creditori electio, unde sibi satisfieri velit, *l. qui mutuum 56. ff. mandat.*

2. Novatio fit etiam nudô pactô vel promissione, quæ naturaliter tantùm obligat, *l. 1. pr. §. 1. ff. de Nov.*

3. *Sicut hoc requirit Imp. Justinianus in l. fin. C. de Novat.*

4. Fit satis expresse novatio cum quid actum liberandi fidejussoris causa, etsi specialiter novationis non fit mentio, *vid. Fabr. in Cod. lib. 8. tit. 28. defin. 11.*

5. Ultimus contractus non tollit priorem nisi consummatus. Nec est novatio nisi ex contractu utili atque perfecto, *l. novatio 24. ff. de Novat.*

6. *§. fin. Inst. de Oblig. quare.*

7. Sine eo pignus in feudo est inutile, ideò non liberat. Pactio posteriori inutilis non liberat à priori, *l. 5. §. 4. ff. de Donat. int. vir. & uxor. l. 9. §. 4. ff. de reb. cred. l. 3. C. de contrab. Stipul.*

8. Verba conventionum cum effectu sunt accipienda, & quarum non deest substantia, earundem cessat effectus. Quod nullum & imperfectum est, nullum producit effectum, *l. dubium 5. C. de Legib.*

DECISIO XV.

Ex cohæredum mandato facta & recepta ab uno cohæredum solutio partis crediti & usurarum pro delegatione non sufficit nec ejus sufficiens argumentum est.

NEgabant delegationem, ob quam rei absoluti videbantur, appellantes. Facti vero talem speciem narrabant, quod cum Pater reorum ipsis ex tutela vel protutela ad certam quantitatem debuisset, post mortem liberis ejusdem inter se bona dividentes eam pactionem iniisse, ut frater senior velut ex emptione pro certo precio prædium solus retineret, fratribus vero & sororibus inde pecuniam quandam loco portionis hæreditariæ; juxtim vero creditoribus designatis inter hos etiam actorum antecessori solveret. Inde fratrem illum cum hoc liquida fecisse residua, & partem modicam sortis præterea etiam usuras unius anni solvisse. Quæ inspecta sic fuit reperta, ut non sufficeret ad delegationem ejusque argumenta. Primo enim non continebatur narratis quidam actus inter creditorem & debitorem, ex quo hic isti suum aliquem debitorem delegasset. Quod præprimis est necessarium. (1) Deinde nihil ultra inter cohæredes actum proferebatur, quam pactum de retinendo per fratrem seniorem prædio & solvendo ære alieno. Per quod non fit delegatio (2) quæ stipulationem requirit (3) Etsi recte consideraveris juxta narratas circumstantias merum de solvendo mandatum est. Id quod à cessione actionum multo magis à delegatione multum differt. (4) Nec facit in contrarium, quod creditor cum fratre seniore rationem de residuo iniit, aliqua sortis & usurarum accepit. Haud enim hoc fecit ex inita quadam delegatione, sed ex mandato cohæredum cum fratre contracto, (5) Ex quo solutio facta non est ita habenda quasi fecisset pater ut delegatus debitor, sed tanquam si cohæredes omnes qui mandarunt solvissent. (6) Neque etiam abesse poterit, si fidem istius secutus est, nisi novandi animo fecerit (7) quod non præsumitur, sed probari debet. (8) *In causa Caspari Rauschen hæredum contra hæredes D. Petri Bostenbostels die 8. Januarii Anno* 1658.

1. Delegare est vice mutua alium debitorem dare creditori. *l. delegare 11. pr ff. de Novat.* Et id omnino agi oportet, ut debitor suo loco alium debitorem substituat, idque creditoris consensu atque voluntate. *l. pen. ff. eod. l. 2. C. eod.*

2. *Vid. Sichard. in Rubric. de Novat. n. 16.*

3. *l. delegare 11. § 1. l. 2. C. eod.*

4. Discrimen est inter delegationem, cessionem & mandatum actionis, quod pro legum intellectu observandum. Non observatum erroribus variis causam dedit. Delegatio totum jus crediti, ex quo debitor obnoxius est, transfert in creditorem cui fit, ita ut penes debitorem delegantem nihil remaneat. Cessio transfert utiles actiones in Cessionarium, directæ manent apud credentem. *l. 3. C. dict. tit.* Mandatum omnia relinquit apud mandantem saltem exercitium juris alieni confert, *vid. Sichard. in d. l. si delegatio 3. n. 4. & 5. C. dict. tit.*

5. Ex cessione aut mandatis actionibus nulla existit novatio vel delegatio, ideo nec existit liberatio *l. pupilli 96. §. 2. ff. de Solut.*

6. *l. qui mandat. 56. ff. eod.*

7. *Ita distinguit JCtus in l. 1. §. sciendum 10. & seq. ff. de Separat.*

8. *l. fin. C. de Novat.* Haud quidem juxta communiorem JCtorum opinionem delegatio requirit exprimi verbis ut novatum dicatur. Tamen hoc necesse est, ut delegationem factam esse constet. Quæ facti est, nec præsumitur.

Digitized by Google

DECISIO XVI.

Oppoſita in alium ceſſio nominis excludit agentem, ſi debitor cum ceſſionario jam pactus ſit.

CEdentem, facta licet ceſſione, directa quam retinet actione contra debitorem experiri exceptis tribus caſibus conſtitutum eſt. (1) Hi vero non tam rigide accipiendi ſunt juxta corticem verborum, ut excludantur alii omnes ſub litera non comprehenſi. Si qui ſunt in quibus eadem reperitur ratio idem jus obtinet. (2) Quare ſimiliter ac ſi cum ceſſionario lis eſt conteſtata vel hic quid accepit à debitore, non eſt locus amplius cedentis actioni, (3) ita idem eſt ac ſi inter debitorem & ceſſionarium pactum de ſolvendo interceſſit. (4) In qua ſpecie concluſum fuit debitorem de ceſſione excipientem audiendum eſſe. *In cauſa Cancellarii Pomeraniæ Heinrich Cöleſtin à Sternbach contra Adrian Anton. & Andream Adrian Nobiles à Borcken. Die 15. Octobris Anno* 1658.

1. *In l. 3. C. de Novat.*

2. Ubi eadem ratio ibi idem jus. *l. 32. ff. ad L. Aquil.* In legibus mentem potius quam verba ſpectare convenit. *l. 1. §. verba ex legibus 1. ff. de V. S.*

3. Ille caſus uterque habetur. *in d. l. 3.*

4. Ideo qui litem conteſtatur & excluditur, quia quaſi contrahitur cum adverſario. Perinde ſi quis accipit aliquid quia res non eſt amplius integra. Utrumque concurrit in pacto cum ceſſionario inito. Unde generatim aliqui tradunt, re integra ſaltem directis actionibus cedentem poſſe agere, non ſi aliqualiter in integro eſſe deſiit. *Jaſon. & Salycet. d. l. 3.*

DECISIO XVII.

Exceptio factæ ceſſionis in caſibus ubi cedenti non licet amplius agere quomodo admittitur, nominatim ubi ceſſio eſt incerta.

CEſſio actionis vel fit ante cœptum ſuper ea judicium, vel poſt illud. Actionis non dum intentata ceſſio vel eſt indubia vel negatur. Ubi de ea conſtat, aut certum eſt contigiſſe quædam ex iis, ob quæ cedens amplius experiri nequit & velut actionis non amplius competentis exceptione oppoſita cedens acturus à judicio removetur, (1) aut vero utrum eorum quidquam proceſſerit non apparet ſed dubitatur, & quod opponitur illiquidum eſt, tunc admittitur debitor ad probandum; (2) quia præſumptio eſt contra actorem quando ſemel ceſſit, quaſi non bona fide agat, dum de eo, quod alteri ceſſum eſſe conſtat, experitur; ideo non fit ei condemnatio, donec debitor aliquid probat unde excluditur. (3) Quando de ipſa ceſſione non conſtat nec removendus â judicio actor, nec ſuſpendenda eſt actio, quam ipſi competere certum, (4) ob incertam autem allegationem ceſſionis differre iniquum. Præſertim cum tam debitor quam ceſſionarius extra periculum & damnum ſint. Ille quia ſi poſtea ceſſionem & aliquod ex eo commodum ſuum docere poſſit, eo fruitur. Hic quia ei licet intervenire & edocta ceſſione quod obtinetur impetrare. Actio jam inſtituta etſi ceſſa non ſiſtitur, quia ceſſio litigioſæ actionis regulariter non valet; (5) inde ad agendum non admittitur ceſſionarius antequam ceſſionem litis legitime & conſtanter factam eſſe doceat. (6) In quo occaſio fraudis qua debitorem exiſteret, ſi creditorem exceptione factæ ceſſionis, ceſſionarium exceptione injuſtæ ceſſionis ob litem repellere permittitur. (7) Quod ut non concedendum, ita ceſſio non attendenda donec legitima talisque appareat, quæ directis actionibus agere cedentem non ſinat. (8) Cum de eo ſupereſt dubium, non remoranda eſt inde certa petitio quæ juſte cœpit & actoris fuit, ubi an alterius facta ſit aut fieri queat controverſum manet. (9) Sic tamen procedendum atque inter eos à quibus lis cœpit pronunciandum, ut ceſſionem ejusque validitatem probare, eaque probata ejus commodo frui ceſſionario ſemper integrum ſit. (10) Sic medie res curatur, ut nec actio juſta ſiſtatur, nec ceſſio cum valet effectu careat, ideoque nec actor ſi contra placita veniat lucrum, nec debitor aut ceſſionarius inde damnum ſentiant. Sic proviſum fuit, *in prædicta cauſa.*

1. Eſt ea fundata *in l. 3. C. de Novat.* ubi res cauſæ referuntur ex quibus directa cedentis actio excluditur.

2. Eſt enim revelans exceptio; quam qui opponit non ideo rejiciendus eſt quod ſtatim non probat, ſed ad probandum admittendus. *l. in exceptionibus 9. ff. de Probat.*

3. Retinet etiam is qui cedit directas actiones quibusque cum facta licet ceſſione, ſi non accedit unde excluditur, experiri valet. *vid. d. l. 3. C. de Novat. ibid. Salycet. & Sichard.*

4. Illiquidum non ſufficit ad remotam liquidi *l. Statuliber 5. ff. de Statulib.*

5. *l. 2. C. de Litigioſ.*

6. *l. fin. C. eod.*

7. *l. contra l. 1. § 1. ff. de Litigioſ.*

8. Sive

Digitized by Google

8. Sive inutilis deinde apparebit cessio sive utilis, est actio cedentis justa. Ex illa non transit ad alium actio. Ex hac etsi transeat superest tamen directæ actioni locus, *uti jam vidimus.*

9. Cessionario est utilis mandati adversus mandantem actio, ut præstet quidquid ex mandata semel actione consecutus fuerit. *l. venditor 23. §. 1. ff. de Hered. vend.*

10. Adjecta inde post factam debitoris actori, qui cessisse dicebatur condemnationem, hæc clausula reservatoria.

DECISIO XVIII.

Semel secutus fidem unius hæredum postea adversus cæteros caret actione.

MOrtuo debitore inter hæredes circa divisionem hæreditatis factam sic pacto convenit, ut unus ipsorum bona defuncti immobilia, in quibus potissima consistebat substantia, retineret, ex iisdem cum æs alienum hæreditarium solveret, tum loco portionis hæreditariæ fratribus & sororibus certam pecuniam numeraret. Id quidem pactum ex se non potuit adversus creditores proficere cohæredibus, (1) aut nocere creditoribus. (2) Verum acceptatione istius pacti eo fine, quod illum saltem debitorem suum, cæteros liberatos velit, desinit contra hos jus petendi. (3) Sic ex quo creditores id pactum etsi inter alios mirum adprobant, & fidem ejus hæredis, qui in semet solutionem recepit, sequuntur, velut ex pacto quodam, cum isto contrahunt, atque inde cæteri liberantur. (4) Est & in tali actu quædam delegatio, per quam cohæredes suum cohæredem delegant, ut debitorem, qui ubi recipitur, exoritur illorum liberatio. (5) Est enim solutionis vice. Nec postquam semel electa & approbata est illius fides, licet retrogredi, & pœnitere, (6) dum jam jus per alterius debitoris receptionem cohæredibus cæteris quæsitum est, quod auferri nequit. (7) Nec quidquam obesse potest, creditoris cum hæredibus omnibus conventionem aut ab uno isto hæredum stipulationem expressam non esse factam, aut delegationis voce non esse usus eos vel qui cohæredem fecerunt pro se debitorem, vel qui hunc pro debitore recepit. Sufficit de tali actu constare, qui non alium intellectum, quam factæ delegationis habeat, aut qui non relinquat integram priorem obligationem, seu cum illa consistere non possit, dum posterius acceptando necesse est prius definere, (8) uti fit, quando unus hæredum in solidum recipitur debitor, ex eo enim alii debitores esse desinunt. (9) Cum itaque non possunt esse simul unus solus & plures debitores, qui illum sequitur hos liberat, (10) sic judicatum *in causa hæredum Caspari Rauschen contra Hæredes D. Petri Bostenborstels die 4. Januarii Anno 1659.*

1. *l. eum qui 56. §. 1. ff. de Verb. Obligat.*

2. Debitorum pactionibus creditorum petitio nec tolli nec mutari potest. *l. debitorum 25. C. de Pact.*

3. Inest ejusmodi facto quædam delegatio. Delegare enim est vice suâ alium reum dare creditori, *l. delegare ff. de Novat.* & licet ibidem additur, id fieri per stipulationem, hujus etiam fit mentio *in l. 1. C. eod.* attamen non sic accipiendum, ut illa expresse sit necessaria, sed quia frequens. Etiam sine eâ sequendo alterius debitoris fidem & nudo consensu perficitur *Gothofred. ad d. l. delegare per text. in l. singularia 15. ff. de Reb. Credit.* De quo hodiè in nostris fori eo minus dubitationis est, postquam solennitas stipulationum non amplius observatur, sed pactis omnibus vis similis constat, ideo non refert an quis solenniter stipuletur, an aliter conveniat; sufficit sola voluntas alium debitorem pro debitore recipientis.

4. Inest ejusmodi actui, qui remittit petitionem contra alios, pactum liberatorium, ut non amplius teneantur illi, qui cum isto animo fidem aliorum sequitur. *l. Creditori 5. l. si Creditores 10. C. de Pact.*

6. Delegare est vice sua alium creditorem dare *l. delegare 11. ff. de Novat.*

7. Hic est naturalis omnis delegationis effectus. *l. 1. tot. tit. ff. & C. eod.*

8. *l. 1. §. sciendum 10. §. seq. ff. de separat.*

9. Sic tam per communem JCtorum opinionem, quam fori praxin obtinet, quod delegatio non requirat expressam sui mentionem, sed perficiatur & consistat sine nomine ex iis requisitis, quæ lex desiderat, & colligatur ex iis argumentis, quæ non sinunt aliam quam ejus factæ interpretationem, sicut mox exponemus.

10. Ex eo quod posterior actus non est compatibilis cum priori, certum sumitur argumentum factæ delegationis aut novationis. *Menoch. de Præsumpt. lib. 3. præs. 134. num. 39. seq.*

DECISIO XIX.

Delegatio non requirit expressam sui atque liberationis mentionem sed saltem actum cui inest quod ejus est proprium.

OB rejectam exceptionem delegationis appellatione interpositâ, ex narratis apparebat pro eâ probandâ allegari tantum, quod consistebat in argumentis, quæ è factis desumpta erant, & ex conjecturis atque consequentiis subsumebant. Etsi vero ea satis videbantur esse concludentia, haud tamen potuêre decerni processus, nisi

Digitized by Google

nisi prius decisó, quod inter JCtos valde controversum est, an delegatio facta habeatur, ubi de eo vel liberando debitore speciatim nihil dictum apparet, an ex conjecturis atque præsumptionibus recte colligatur? Inter contrarias de eo sententias opus fuit eligi prius, quod rectius justiusque putaretur, ex quo descendet, utrum appellatio esset recipienda nec ne. (1) Rationibus utriusque diligenter consideratis & discussis, visum est legibus, rationi, negociis humanis convenientius, delegationem & ex eâ liberationem admittere, etsi nil dictum sit, modo ita actum apparet, & verosimilibus conjecturis doceatur: (2) sicut & communior ea est opinio: (3) Constitutum quidem est per Imp. Justinianum, novationem non præsumi, sed si quid post primam fiat obligationem anteriora stare & per posteriora incrementum illis accedere, nisi ipsi contrahentes specialiter remiserint priorem obligationem & hoc expresserint, (4) at nulla in illa constitutione delegationis fit mentio. Ideo recte à Juris Consultis existimatum est, istam adnovationem in specie ita dictam, non autem ad delegationem pertinere, vel extendendam esse, (5) maximè cum sit lex nova, veteris juris correctoria, (6) ad id præsertim respiciens, quid in dubio præsumendum, (7) ideo cessans, ubi non versamur in dubio amplius, sed manifesto constat, si non ex verbis, tamen ex mente dicentis aut natura actus, quod quis recedere velit à priori debito. (8) Quod contingit in delegatione. Mens enim delegantis certa est, quod dum sua vice alium debitorem delegat, (9) vult esse liberatus, nec potest ille actus aliquid operari ultra intentionem facientis; Ex adverso qui delegatum debitorem recipit, is ea mente est, quod velit receptum uti delegatur, ideo cum non fiat nisi ut delegans liberetur id non potest non sensisse & fecisse, (10) Aliàs actus aut illusorius esset, aut contra mentem facientis valeret, quod utrumque non præsumitur. Constat quoque delegationis effectus ex jure, quod fecit liberandi modum, (11) qui non potest abesse ubi ipse actus est, etsi absint verba nominantia. Voluntas agentium distinguit actus, & ubi de istâ constat ex factis, satis declarata habetur, nec eget ultrà verbis, sicut nec hæc requiruntur ulla lege circa delegationem. (12) *Ita visum cum pro processibus supplicarent Caspari Nanschen Erben, contra Hæredes D. Peter Bôsten Bôssels Erben die 22. Septembr. Anno* 1659.

1. *Angelus & Paulus de Castro in l. delegare, ff. de Novat. scribunt, eam quæstionem adeo intricatam esse, ut novâ Cæsareæ Majestatis decisione egeat.*

2. Expressim dicitur quod ex verosimili contrahentium mente ac voluntate resultat. *l. Prætor. 20. §. interdictum 16. Gloss. ff. de op. nov. nunc. l. tale §. fin ff. de pact.* & quod per conjecturas apparet, *l. licet Imperator ff. de Legat. 1. l. si locuples ff. de manum. testam. Matth. de Afflict. decis. 44. num 14.* Etiam cum lex requirit expressionem, sufficit apparens ex conjecturis *Angel in Novell. 1. §. si vero expressim.*

3. In Camera Imperiali receptam esse docet *Gail. 2. Observ. 30. num. 4.*

4. *l. fin. C. de Novat.*

5. Qui contra sentiunt *ex d. l. fin.* sic colligunt novationem ut generis nomen complecti omnem ejus speciem, adeoque & delegationem, quæ est ejus species. At licet novatio & generis & speciei nomen habeat, tamen apparet ex rubrica ejus tituli C. *de Novat. & delegat.* distingui, & sub eâ de novatione non ut genere sed ut specie constitutiones subditas esse accipiendas, sicut etiam alias in dubio distinctio creditur.

9. *Bartol. in l. delegare ff de Novat.*

7. Respicit enim ad eas ambiguitates quæ olim fuerunt in quæstione circa pacta, an sit novatum nec ne, ut sunt exempla *in l. qui usumfructum ff. de verb. Obligat. l. si pupillus l. fi Stichum §. idem ff. de Nov.* & expresse verba se referunt ad illas veluti juris ambigua quæ Imp. resecari voluit. At de delegatione nulla fuit ambiguitas, illam semper vim novationis habere. Insigne argumentum de his non loqui legem est ex exemplis allatis, quæ respiciunt novationem in specie ita dictam, non autem delegationem. Sic accipienda regula, uti declaratur per exempla.

8. Quod communiter sentimus, voluntatem non minus facto quam verbo declarari, imo fortius, id quin in delegatione obtineat, nihil est quod obsit.

9. Voluntas paciscentium semper censetur conformis & consentanea actui qui geritur. *Bald. in l. rogasti. ff. de reb. credit.* Tendit quippe ad illum perficiendum intentio, ideo non potest non idem quis velle ac quod desiderat.

10. *l. 1. tot. tit. ff. & C. de Novat.*

11. Censura actus prima est ex ejus natura.

12. Nam & nutu quis delegare debitorem potest. *l. delegare 17. ff. de Novat.*

DECISIO XX.

Quæ certa perfectæ delegationis argumenta sunt.

QUod in judiciis ex veriori sententia observamus, ut delegatio conjecturis & præsumptionibus probari possit, non promiscuè de omnibus, sed de talibus saltem accipiendum est, quæ planè concludentes & ita comparatæ sunt, ut aliter colligi non possit, quam recipientem alium debitorem à priori obligatione recedere

Digitized by Google

dere voluisse. (1) Aliàs enim præsumitur magis alius accessisse ut fidejussor aut instar alterius accessionis quam ut novatum esse debeat. (2) In ea quæ sub manibus erat causa plura argumenta occurrebant, quæ vel singula ad arguendum delegationem sufficerent, veluti quod creditor ab hæredibus exegerat, ut sua vice unum, quo cum res sibi imposterum esset, constituerent debitorem: (3) Quod inter plures nollet imposterum difficilem suam petitionem: (4) quod voluntate & ad postulationem creditoris cohæredes uni ex se satisfecerant, quo solus in se reciperet creditum: quod ea mente transtulerunt isti in suum cohæredem debitum præstita satisfactione pro suis partibus, ut essent liberati; quod postea creditor cum illo uno de solvendi modo pepigit & stipulatus est debitum atque usuras, ut à suo debitore cæteris nesciis nec consentientibus. (5) Quod cum illo convenit de assecurando credito, ut suo proprio: (6) quod per aliquot annos ab illo tanquam solo debitore suo usuras accepit & exegit. (7) Nec dubitatum fuit, his argumentis concurrentibus asserere & judicare factam fuisse delegationem inde cæteros cohæredes liberatos. *In eadem causa.*

1. Ita qui sic sentiunt exponunt & declarant suam sententiam.

2. *l. fin.* C. *de Novat.* quæ licet non pertinet ad delegationem ut hujus nomen exprimi necesse sit, tamen circa eam tunc observatur, ut cum dubium est, utrum illa facta fuerit, juxta hanc sine facta nominatione contra illum concludatur *Socinus in l. singulariter num.* 16 *ff. de Leb. Credit.* dum in dubia accessione ad aliam obligationem quis promisisse credatur. *Novell.* 4. §. *argentariorum.*

3. Ex tali actu manifesta est delegationem volentis intentio.

4. In quo magnum incommodum est, quod quisque à se aversum cupit. *l.* 1. §. *fin. l. seq. ff. de Exercit. action.*

5. Nisi huic delegatum esse debet, non modo inanis esset ea instantia, quam quis ita fecisse non præsumitur, sed etiam fraudulentia damnosa.

6. Tali stipulatione perficitur delegatio *l.* 1. *l.* 2. C. *de Novat.*

7. Subsecuta observantia est interpretatio mentis, & quid actum sit declarat.

DECISIO XXI.

Ad delegationem sufficit receptum esse debitorem nec minus perfecta est, si hic ex promisso de credito non reddit securum.

DElegatus debitor, cum in se recepisset solutionem debiti, & ab eo creditor stipulatus, at huic adjectum, quod novus debitor creditorem vellet assecurare, *Wolte ihm eine neue Versicherung geben*, in dubium venit, an hoc deinde non subsecuto perfecta esset delegatio? Siquidem ipsi delegationi pro conditione adjectum esset, quod debitor delegatus novam debiti securitatem præstare deberet, utique non esset nisi hac subsecuta perfecta. (1) At in præsenti casu talis conditio isti non accessit, sed postquam facta in actu qui non inter delegantem & cum cui delegatur, sed inter creditorem & delegatum debitorem intercessit, id conventum demum est. (2) Quare etsi hujus nihil subsecutum sit, delegatio tamen perfecta erit. (3) Non dixit subsecuta inter alios conventio legem delegationi, nec dicere potuit. (4) Liberatio jam facta non potuit tolli nec exstincta obligatio revivisscere. (5) *In eadem causa.*

1. *l. decem* 116. *de Verb. Oblig.*

2. Supra decis. 12. vidimus quomodo circa delegationem duo actus concurrunt, alter inter priorem creditorem & debitorem, alter inter illum & delegatum. Posterior debitori non nocet, qui ex sola receptione alterius & cum eo stipulatione liberatur. Quod in hac deinde inter alios convenit, à delegatione ipsa extrinsecum illi nocere non potest. *l.* 11. *& seq.* C. *res int. al. act.*

3. Non est pars hujus, sed accessio. Ex unius defectu, non deficit principale, sicut ex hujus desinentia illud desinit *l.* 2. *ff. de fund. instruct.*

4. Alteri per alterum iniqua conditio inferri non debet. *l.* 75. *ff. de Reg. Jur.*

5. *l. qui res* 98. §. 8. *ff. de solut.*

DECISIO XXII.

Filiabus pro elocatione ex feudo debita etsi frater in se recipit, tamen ut paterna petuntur & prærogativa gaudent nisi novata.

POst paternos creditores filiabus debentur dos & alia, quæ ex more regionis elocatis præstantur (1) eaque instar paternorum debitorum censentur, (2) ideo ante successoris creditores gaudent prærogativa jure separationis, sive id petendum sit, (3) seu ex lege vel consuetudine competit. (4) Interest autem utrum adhuc ut talia debentur & petuntur, an in aliud crediti nomen convertuntur, veluti si successor ejus se debitorem tanquam ex mutuo aliove titulo constituit. Translatio prioris debiti in aliud genus novationis species est, (5) & exstinguit exstincti debiti privilegia (6) etsi vel causa

Digitized by Google

& origo inseratur instrumento. Quæ tunc non causa debiti amplius est, sed saltem occasio, ipsa vero existit in mutato titulo debendi. (7) Quando autem eadem manet causa debendi, idemque debitum, tunc ob instrumentum seu chirographum novum super eo à debitore confectum & datum non censetur prius debitum novatum, sed saltem corroboratum. (8) Nec alterat, quod aut à fratre promissum cum à patre debitum esset, qui una cum ipso persona idem debitor intelligitur nec ex ea hoc mutatur, (9) aut usuræ sunt in stipulatum deductæ, ex qua accessione non fit mutatio, (10) Reperto itaque tenore tali obligationis, *Das der Sohn die Summa, so aus des Vatters Gütern den Schwestern zur Aussteur, und mit Gute zu bezahlen, und bis es geschehe zu verzinsen über sich genommen,* judicatum fuit non ut filii sed ut patris debitum censendum & creditores ante eos, qui à filio petebant collocandas esse *in causa liberorum Erich von Kalden contra creditores Claus Horns die 29. Martii Anno* 1659.

1. Non enim talia debentur liberis nisi pro modo facultatum, *l. quæro 6. ff. de jur. dot.* ideo nec nisi detracto ære alieno *arg. l. subsignatum* §. 1. *ff. de V. S.*

2. Ad parentis quippe debita pertinet elocatio & dotatio. *l. cap. 19. ff. de Rit. Nupt.*

3. *Junct. tit. ff. & C. de Separat.*

4. Quomodo per Pomeraniæ mores ipso jure separatio est inter antecessoris & succussoris creditores.

5. *l. 1. ff. de Novat.*

6. *l. novatione* 18. *ibid. gloss. & Dd. ff. eod.*

7. *Bartol. in d. l. 1. ubi scribit, mutationem tituli novationem facere.*

8. *l. fin. C. de Novat.*

9. Ex persona hæredum sola non mutatur obligationis conditio. *l. 2. §. 2. ff. de Verb. Oblig.*

10. Accessio sequitur conditionem & naturam ejus cui accedit. *l. 2. ibid. Bartol. ff. de instruct. & instrum. leg.*

DECISIO XXIII.

Mulier ejusque hæres, debitum ejus, cujus hæres exstitit, in suis bonis hypothecam constituens, frustra creditorem ad bona defuncti remitti postulat.

CUm mulier hæres fratri exstitisset, conventa à creditore fraterno in se liberosque creditum transtulit, novoque super hoc confecto instrumento, aliam hypothecam in feudo liberorum, ex quo dos aliaque sibi debebantur, cum consensu Principis constituit. Filius ejus à creditore hypothecaria conventus opponebat, non matris nec suum id esse debitum, sed avunculi, petebatque creditorem ad hujus bona remitti inde istud exigi & præstari debere putans, ideo cum fraternorum creditorum concursus deinde exstitisset, illum citari & exhibitionem instrumenti injungi rogavit. Utebatur tum exceptione inutiliter recepti à matre crediti, propter beneficium SC. Vellejani, (1) tum defectu potestatis maternæ obligandi bona filii. Prior allegatio juri erat contraria, (2) quando mater hæres fratris fuerat, ejusque hæreditatis non exiguum creverat. (3) Ex eo debita fratris propria ipsius facta erunt, non intercessione, sed quasi contractu suo. (4) Ideoque inepte, tanquam de alieno in se recepto credito, objiciebatur. (5) Ineptius bona fratris hæreditaria persequi debere putabatur, qui illa non amplius novatione facta habebat obligata (6) & si nexus adfuisset, tamen justa potestate fruereturr eligendi bona, an personam convenire vellet. (7) Juxta quæ cum contra creditoris hæredes citatio rogaretur decretum *ad supplicationem Anton. Detloff von Schwerin contra Curt von Tessins Erben die 6. Decembris Anno* 1659.

1. *Junct. l. 1. & tot. tit. ff. de SC. Vellæan.*

2. *L. tutor* 19. §. *fin. l. si mulier* 32. *ff. eod.*

3. Hæres eadem cum defuncto persona est, & perinde habetur factum hæredis, ac si fit factum defuncti.

4. Hæres adeundo quasi contrahit *l. 3. §. fin. ff. quib. ex caus. in possess.*

5. Aliena credita recipiens mulier auditur, non ubi ipsa debitum contrahit *l. quamvis* 8. §. 1. *ff. eod.*

6. Novatione pignus anterioris obligationis extinguitur *l. novatione* 18 *ff. de Novat.*

7. *L. amiss. §. ult. ib. Gothofr. ff. de fidejuss. l. rem* 83. §. *ult. ff. eod.*

TIT. XLIII.

DE SOLUTIONIBUS ET LIBERATIONIBUS.

DECISIO I.

Solutione alii facta quando contingit liberatio.

CUi solvitur, vel mandato planè caret, vel mandatum aliquod habuit. Sine mandato

Digitized by Google

mandato alteri solvens non liberatur, (1) nisi dominus ratam habuerit solutionem. (2) Mandatum quod quis habet, id aut certum aut dubium est. Certi mandati aliud ad recipiendam solutionem tenore suo tendit, nec ambigendum tale habenti solventem liberari; aliud ad exigendum saltem pecuniam sine mentione recipiendæ solutionis. Hoc autem vel datur ad exactionem in judicio, quale accipit procurator ad litem, nec sufficit ad hoc, ut isti securè solvi queat; (3) vel datur vel negocia gerenda. Hocque seu generale ad omnium negociorum administrationem, quod complectitur facultatem exigendi ideoque concedit licentiam accipiendi, (4) quæ infert securitatem solutionis: vel speciale, quod si faciat potestatem exigendi, continet simul mandatum recipiendi & liberandi. (5) Quod dubium est mandatum, incumbit affirmanti (6) probatio, non modo si de certo non appareat, sed etiam si mandatum adfuit, sed in ambiguo est, an ad solutionem & liberationem pertinet. Ut ad debitoris providentiam pertinet, non solvere alteri quod alii debetur sine hujus mandato cum nec teneatur, & justè, donec de mandato docetur, recusat, (7) ita si solverit, sibi suæque facilitati imputare debet, præstatque damnum sentire qui imprudenter solverit, quam quem mandasse, non constat. (8) *In causa Johann Distelers contra hæredes Georgii Branden die 9 Januarii Anno 1657.*

1. *l. solvendo 39 ff. de negoc. gest.*

2. *l. vero 12. §. fin. ff. de Solut.*

3. Solvens litis procuratori, aut ei qui ad agendum datus est, nihil agit, nisi speciatim accipiendi facultas simul data fuerit. *l. hoc jure 86. ff. de solut.* Aliud enim est mandatum solutionis accipiendæ, aliud actionis exercendæ causâ. *l. si hæres 90. ff. de Solut.*

4. Qui omnibus negotiis suis aliquem proponit, intelligitur etiam debitoribus suis mandare, ut procuratori solvant. *l. qui hominem 34. §. si Titium ff. de Solut.*

5. Mandatum facti est nec præsumitur.

6. *Vid. d. l. si hominem 34. §. si null. 4. ff. de Solut.*

7. Vero tantùm procuratori rectè solvitur. Verus autem non est nisi qui mandatum exhibet. *l. vero 12. pr. ff. dict. tit.*

8. *l. si procuratori 14. ff. de Condict. caus. dat. l. creditores 8. C. de Condict. indeb.* Ex quibus textibus actio tantùm datur contra eum qui se procuratorem falsò dixit non liberationis exceptio.

Juxtà hæc ità pronunciatum fuit;

In Sachen Johann Diſelers Appellanten/ wider Jürgen Brandes Erben Appellaten werden die Gravamina als unerheblich nicht / sondern acta ex officio vor beſchloſſen angenommen und erkannt / daß von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar / den 19. Januarii Anno 1657.

(Hoc est.) In causa Johannis Diſelers appellantis contra Georgii Brandes hæredes gravamina tanquam irrelevantia non admittimus sed acta ex officio pro concluſis accepramus, & decernimus quod à Judice prioris Inſtantiæ 29. Octobris Anno 1655. bene judicatum, male vero appellatum, propterea prior ſententia confirmanda idque de jure. Publicatum in ſummo Tribunali Wiſmariæ 19. Januarii Anno 1657.

DECISIO II.

Poſt bona creditorum poſſeſſa etiam iis in ſolutum addictis ceſſat excuſſionis exceptio.

ETſi fidejuſſor beneficio excuſſionis non renunciaverit, ideo exceptione ordinis ipſi competente alias creditorem excludere poſſet, (1) attamen illud ceſſat ubi publicè conſtat debitorem ſolvendo non eſſe, uti fit quoties concurſum creditorum excidat qui publicum obærati debitoris argumentum eſt, ad quem nemo ſine ejus confeſſione confugit. (2) Non tenetur illum ſequi creditor qui fidejuſſores habet ſed relictis bonis iis, quæ creditoribus cedunrur & ab iis poſſidentur integrum eſt fidejuſſores convenire. Tantum ex bona fide, humanitate & provinciali conſtitutione incumbit, ut nomen illud in concurſu profiteatur, ſe à fidejuſſoribus creditum exigere velle declaret, & hos de ſua intentione, quo ſibi in concurſu conſulant, certiores faciat. Quæ eſt ſub concurſu ſuo potiundo difficultas & ambiguitas cuilibet ſuggerit, quam non ſit à creditore per fidejuſſorem poſtulandum, ut ſub eo excuſſionem debitoris exſpectet, qui jam non ſolvendo eſſe creditur, (3) utut ſpes ſuperſit in ordine creditorum aliquid obtinendi, dummodo id difficile, tardum, moleſtum ſit. (4) Nec aliud ſentiendum ſi poſt concurſum prioritatis ſententia diremtum ei creditori

Digitized by Google

qui fidejussores habet bona quædam addicta sint, quæ in solutum accipiat. Etsi enim illud fidejussores impetrare possunt, ut bona illa distrahantur & precium credito recipere teneatur, si quod ex illo deest, isti statim addent, (5) & si illud sine mora atque difficultate fieri posset, creditoris contra fidejussores petitio sistetur, (6) attamen ubi emptor non adest nec invenitur, creditor minime compelli potest, ut in solutum, etsi taxatum sit, accipiat, (7) sed excussionis exceptione, ut ut alia cõpetet, nõ obstante, fidejussor isti condemnandus est, (8) qui non tenetur illud tempus & moram exspectare donec emptor reperietur. (9) Etsi enim alias solvendo habeatur, cui tantum in bonis, unde satisfieri possit, (10) tamen quà illum cui parata in nummis debetur pecunia secus est. Spectanda quippe est tum voluntas contrahentium, dum debitum promittentium, tum vis obligationis, quibus ut congruum reperitur non liberari in solutum datione vel addictione, sed tantum pecuniæ solutione, ita etiam conveniens ut fidejussor ex obtentu rei quæ in solutum datur, excussionis beneficio uti & semet tueri non potest. Uti existimatum *in causa Hinrich Silms & Claus Bilcken appellantium & Heino Hintzendie 2. April. Anno* 1669.

1. Juxta beneficium *Novell. 4. cap. 1.*

2. *Zanger. in tr. de Except. part. 2. cap. 15. n. 6. Tib. Decian. resp. 42. num. 9. vol. 2.*

3. Cessio bonorum declarat debitorem non solvendo *l. fin. ibi Bart. C. qui bon. ced. poss.*

4. Paria sunt non solvendo esse facultatibus & non esse solvendo conveniendi facilitate *Gail. 2. observ. 27. n. 25. Franc. de fidejuss. c. 5. n. 316.*

5. Partialem solutionem, quæ multa habet incommoda, creditor recipere non tenetur.

6. Id quod judicis arbitrio relinquit *Hering. in tr. de fidejuss. c. 27. part. num. 242.*

7. Aliud pro alio invito creditori obtrudi nequit *l. 2. §. 2. ff. de reb. cred.*

8. *Franc. d. c. 5. n. 406. Caroc de excuss. bon. part. 2. quæst. 66. Muscatel. in pract. fidejuss. part. 2. quæst. 10. num. 11.*

9. *Hering. d. part. 1. num. 241. in fin.*

10. Sicut aliquando judicatum qua eum, qui tantum bonum nomen seu exigibile, non paratam in numerata pecunia solutionem præstare tenetur.

DECISIO III.

Fidejussor usuras usurarum non consequitur cum ex jure creditoris non suo seu ex mandato petit.

FIdejussorem, qui pro debitore usuras creditori solvit, non tantum has ipsas, sed etiam ejus quod de suo solvit usuras repetere certi juris est. (1) At ita, si non ut usuras ex jure creditoris sed ut compensam ex causa mandati vel negotiorum gestorum petit, (2) in quod veniunt omnis pecuniæ pro debitore solutæ usuræ. Ad quod tamen necesse est demonstrare quantum solutum fuit, quo non facto, sed omissa soluti liquidatione ita saltem ex actis sorte & usuris ad alterum tantum, uti creditori debitæ fuerunt, non magis quam hic petere potuit, fidejussori debentur. (3) Nec conqueri potest quod ad alterum tantum, ita quemadmodum aliis creditoribus adjudicatæ sunt usuræ, sed sibi imputare debet, (4) quod alio modo & competente actione non petiit, nec satis liquidum fecit quantum solvit. (5) Cum petita deinde restitutione in integrum mutabatur petitio, admissus non est tanquam de sua negligentia aut imperitia, quæ culpæ annumeratur saltem conquerens. (6) Ita judicatum *in causa hæredum Ægidii von der Osten, contra Philip Gutzlaff von Rotermund, die 3. Julii Anno* 1660.

1. Ex mandati judicio fidejussori solventi debentur ejus quod pro debitore solutum est usuræ *l. si vero 12. si mihi 9. ff. mandat. l. 1. l. post solutionem 18. C. de solut.* Atque id observat quotidiana praxis fori. Cui non obstat quod usuræ usurarum non debentur, quia fidejussor solvens non ut usuras, sed ut pro debitore impensum repetit.

2. Actionis mandati seu negotiorum gestorum hoc proprium est in usuras solutæ pecuniæ debeantur *d. l. 12. §. 9. ff. mandat. l. cum ex causa 9. C. de remiss. pign.* Non vero ejus quæ ex mutuo descendit, ultra quam stipulatio accessit *l. lecta 40. ff. de reb. cred.*

3. Ex jure alieno non ex suo petens ultra nihil petit & accipit quam alter petere potuit.

4. Qui non petit ut potest, sed alio modo, renunciat tacite suo juri *l. 3. ff. de fidejuss.*

5. Ineptæ petitionis pœnam quisque merito subit. De judice nemo queri potest quod ultra vel aliter quam petitum non adjudicavit, quia id non debet vel faciens fatuus erit *l. fin. C. de fideicommiss. liberat.*

6. Qui ex sua culpa vel negligentia aut juris ignorantia, quæ pro culpa est, læduntur in integrum non restituuntur. Quod quis sua culpa sentit damnum, sentire non intelligitur. *l. damnum ff. de R. Ju.*

DECISIO IV.

Quando generalis renunciatio beneficia excussionis & divisionis excludit.

ITa habet communis JCtorum sententia, generalem renunciationem non excludere aut facere quin fidejussor suis beneficiis uti possit; (1) At accipienda de ea quæ plane indefinita verbis generalissimis

Digitized by Google

mis adeoque indiscretis & obscuris sit, ac nihil habet de iis beneficiis fidejussoribus competentibus, quam JCti generalissimam vocant. (1) Secus omnino se res habet, quando generalia quidem sunt renunciationis verba, at respectum at speciem habent ita ut certo appareat renunciantes voluisse iis beneficiis fidejussoriis renunciatum, (2) quam JCti renunciationem generalem subalternam vocant. Etsi enim verba ejus in genere sonant, si tamen mens ad species est intenta, nec incerta, quod fidejussor renuncians velit abdicata beneficia fidejussoria, tunc ex illa replica facit ad illorum exclusionem. Prævalet mens verbis, & cum illa est ad certa tendens, eidem verba etiam applicanda sunt, nec amplius juxta sonum exteriorem habentur generalia, sed ex animo vere sunt specialia, quæ non voluit esse sine virtute operandi. Sicuti jurisprudentia generalissimam renunciationem ad excludenda illa beneficia non vult sufficientem, ita nec requirit specialissimam, sed vult præprimis inspici quod actum. (3) Convenit de eo JCtorum sententia generalem renunciationem istam non esse inanem, quæ aut sequitur post enarrata aliqua specialia iisque deinde adjungitur, (4) aut speciatim applicatur ad fidejussorem fidejussionis gratia. (5) Cujusmodi etiam illa reputanda est si cum fidejussores semet tanquam principales debitores *als Haupt und selbstschuldige Bürgen ein für alle und alle für ein* ita quilibet in solidum obligassent, deinde generalem renunciationem adjecissent. (6) Nihil quippe dubii inter alia esse potest de mente renunciantium & renunciationem recipientium, quod velint abdicatum omnibus & singulis isti formulæ contrariis. (7) Nec potest amplius dici generalis renunciatio quæ ad speciem certam applicatur, & ubi de mente renunciantium res non est obscura. (8) Si enim ad renunciationem sufficit dici à fidejussore circa fidejussionem suam quod renunciet omni pro se faventi juris auxilio, (9) quanto magis illa sufficiet, ubi fidejussor semel ita obligavit ut non convenire putatur illis beneficiis (10) & deinde generalem renunciationem adjicit. (11) Ne verba illusoria sint & creditores præsertim simplices & bona fide pecuniam mutuo dantes eamque sperantes ideo minus decipiantur tribuenda est vis renunciationi, potiusque mens quam verba sequenda sunt. (12) *Uti fecimus in lite inter Hinrich Silms & Claus Bilcken appellanten & Heino Hintzen die 2. April. Anno 1669.*

1. De quo vide plures allegatos apud *Hering. in tr. de fidejuss. cap. 17. n. 36. seq.* ubi potest enarratam de eo JCtorum controversiam & diversas opiniones, hanc humaniorem, tutiorem, receptiorem & in Camera Imperiali approbatam esse docet.

2. Hæc communis & in praxi approbata est explicatio ejus sententiæ de generali renunciatione, quam post *Hering. d. l. num. 41 & 44 seq. exponit pluribus Thoming. decis. 1. per tot.* ubi tum in genere de modo & vi generalium renunciationum, tum etiam qua beneficia fidejussoria agit.

3. *l. semper in stipulationibus ff. de R. J.*

4. Veluti si recensitis aliquibus beneficiis fidejussoriis, his & aliis omnibus fidejussori competentibus renunciantur *vid. Hering. d. cap 17. num. 59. Toming. d. decis. 1. num. 26.*

5. Veluti si generatim quis ut fidejussor renunciet beneficiis fidejussoribus competentibus *Ronchegal. in l. 3. §. ubi duo numer. 3 ff. de duobus reis. Coler. de proc. ff. executiv. part. 1. cap. 1. numer. 396. seq.*

6. *Hering. d. c. 17. num. 50. Modest. Pist. Cons. 1. num. 66. seq. vol. 1. Coler. d. cap. 10. num. 305.* ubi sic quotidie pronunciari dicit, de quo etiam ipse met per varia præjudicata à collegiis JCtorum petita testari queo.

7. Generalis renunciatio tantum operatur quantum specialis, ubi constat de sensu & voluntate renunciantium, seu quod non aliud quam de ea cogitaverit *l. sub prætextu ibi Bart. C. de transact.*

8. Ea ratio est ob quam renunciatio generali vis demitur quod pariat obscuritatem & incertitudinem, uti illam tradit *Cynus in l. 1. C. commodat.* quæ cessat ubi voluntas non est incerta.

9. *vid. Hering. d. cap. 17. num. 45.*

10. Nam illa formula, Sich als einen selbstschuldigen zu verpflichten ad excussionis, altera ein für alle und alle für ein ad divisionis beneficium excludendum usurpari solet.

11. Hæc non est generalis quia speciei certæ animo certo ad finem certum quem instrumentum exprimit applicatur. Clausula generalis certæ speciei applicata specialis fit & ex *Cyn. in l. 1. num. 4. C. commod.*

12. Nullus certior verborum interpres in contractibus est quam bona fides, quam etiam sine & præter dictum præstare quisque debet.

DECISIO V.

Fidejussor cui indemnitas promissa injuria judicis condemnatus caret actione contra reum quatenus ejus in hoc aliqua culpa apparet.

QUod jure civili constituitur, fidejussorem injuria judicis condemnatum carere adversus reum ad repetendum actione, (1) limitatur vulgo in eo, cui à reo speciatim indemnitas est promissa, (2) quia promissio indemnitatis complectitur omnia damna, quæ aliquo modo promissori evenire queunt. (3) At sic hoc accipi-

Digitized by Google

cipiendum, si condemnari nulla culpa fuerit, quæ judicis injuriosæ condemnationi causam dederit, (4) vel quia exceptionem competentem mature non opposuit, (5) vel quia judicem in sequiorem opinionem induxit allegando, quæ non ex re erant. (6) Uti consideratum est *in causa hæredum Ægidii von der Osten contra Philip Gutzlaff von Rotermund die 3. Julii Anno* 1660.

1. *l. exceptione 67. ff. de Fidejussor.*

2. *Uti post alios allegatos tradit Hering. in tr. de Fidejussor. cap. 27. n. 51 seqq.*

3. *Bertazol. in tr. Clausul. oblig. Claus. 43. Gloss. 2. num. 1.*

4. Etsi quis in se receperit casum fortuitum, cujus species est injuria judicis seu sententia injusta. *Sebastian. Medic. in tr. de casib. fortuit. quæst. 12. n. 12.* tamen non tenetur ut ei dat culpa alterius, quam quisque suam luere debet, non alteri nocere, juxta juris regulam *l. culpa cuique ff. de R. J.*

5. *l. 29. §. pen. ff. mandat.*

6. Ex erronea opinione actum per fidejussorem ipsi non reo nocet *l. inter causas §. mandatu ff mandat.*

DECISIO VI.

Fidejussori contra confidejussorem ex neglectâ contra creditorem exceptione solventem justa exceptio est.

COndemnatus confidejussori appellabat ob rejectam exceptionem negligentiæ, dum confidejussor solvens non usus erat exceptione, qua uti poterat. Admissa est appellatio ut non injusta. Quemadmodum enim fidejussor quod solvit, à debitore mandati actione non recuperat, si exceptionem omittit, (1) ita nec à confidejussore recipere, sed sibi imputare debet, quod defensionem legitimam omisit. (2) Sive enim cessit actionem creditor fidejussori solventi, ea contra confidejussorem non competere potest, nisi cum illâ potestate atque virtute quam habuit contra debitorem, (3) ideò & quæ hunc excludere potuit exceptio fidejussorem qui ejus jure agit & utitur, excludit: (4) Sive cessione non factâ actione pro socio aut negotiorum gestorum experitur (5) & non potest aut imputare socio vel ab eo repetere, in quo ejus culpa quædam est, (6) aut ei cujus negotium gessit, quia etiam ejus gratia justis exceptionibus uti debuit: (7) Nec tantum hoc obtinebit ubi exceptio est, qua uti potuit debitor contra creditorem, sed etiam si alia ratione ea gaudere potuerunt fidejussores, (8) qui huic confidejussori bonam fidem præstare debent, nihilque non facere ut confidejussor damnum non sentiat. (9) Quæ consideratâ sunt *in causa Peter Offen contra Helmuth Otto von Winterfeld die 4. Octobr. Anno* 1656.

1. *Junct. l. si fidejussor. 29. pr. §. 1. & seq. ff. mandat.*

2. Eadem est ratio qua fidejussorem, quæ est qua debitorem, ideo etiam idem jus esse debet. Poscit id æquitas, postquam dissoluta est negligentia dolo æquiparatur. *d. l. si fidejussor. pr.* Ex quo nemo actionem habere debet.

3. Cessio nihil amplius juris conferre potest, quam cedens habuit. *l. nemo 10 ff. de R. J.*

4. Exceptio quæ opponi potest cedenti, obstat etiam cessionario. *l. apud Celsum 4. §. de auctoris 27. ff. de Except. dol. Zanger. in tr. de Except. part. 3. cap. 26. num. 313. seq.*

5. Quando creditor fidejussori solventi non cessit actionem contra confidejussorem, si quidem socius fuerit pro socio actione directâ; si societatem non contraxere, ea utili tamen quasi socius aut negotiorum gestorum agit, *uti hoc explicat Hering. in tr. de Fidejussor. lib. cap. 25. num. 140. & seq.*

6. Damni nomine quod quis ex culpa sentit, non est actio contra socium, etsi circa communia evenit. *l. cum duobus 52. §. damna 3. ff. pro Soc.* Et in specie si in judicio missum, hoc sine damno consocii est. *d. l. §. cum duobus 52. §. fin.*

7. Non recuperat actione negotiorum gestorum qui alienum negotium gessit, cum solvit vel impendit, quod solvere non debuit, *l. si quis negotia 25. ff. de negoc. gest.* vel quod non solvi alterius interfuit. *l. cum pecuniam 4. ff. eod.*

8. Modo non ex personali unius fidejussoris pacto proficiscuntur, quod confidejussori non proficit, nisi quatenus istius interest. *l. fidejussors 23. ff. de Pact. l. si stipulatus 15. pr. ff. de Fidejussor.*

9. Sunt illi velut consocii, eidem periculo subjecti, in quo potest quidem alter sine altero sibi consulere, quatenus alterius jus atque onus non fit deterius. *d. l. si stipulatus 13. §. 1. de Fidejussorib.* At ut ultra quam alias teneretur, conveniri queat; facere non potest, *l. si debitet 10. ff. eod.*

DECISIO VII.

Fidejussor utitur contra fidejussorem exceptione cedendarum actionum, & absolvitur, ubi actionem sine sua culpa cedere nequit, & quomodo hoc evenit.

QUemadmodum creditor fidejussori quem convenit, tenetur actiones suas contra debitorem & confidejussores cedere, (1) & donec id fecerit exceptione cedendarum actionum repellitur, (2) ita etiam fidejussor, qui solvit, ubi confidejusso-

Digitized by Google

jussorem suum vicissim de solvendo compellat, siquidem ob renunciationem beneficii divisionis, vel aliam causam, ex qua huic locus non est, hic in solidum tenetur atque convenitur, quas contra alios confidejussores habet actiones, contra hos cedere tenetur (3) queis sine alias non est fidejussori contra fidejussorem de mero jure actio. (4) Similiter etiam, sicut cum creditor culpa sua actiones cedere nequit, à petitione excluditur; (5) ita quoque ubi fidejussoris vitio vel negligentia factum erit, ut actio quæ cedatur non supersit, ab agendo repellendus erit. (6) Id quod videbatur in tali specie contingere, ubi fidejussor post solutionem à se factam diu quieverat, antequam confidejussores convenirer, interea horum aliqui ut & debitor non solvendo redditi concursui creditorum locum fecerunt, in eo post citationem peremptoriam ille creditum non professus fuerat, præclusio vero illorum, qui non comparuerunt, processerat. Quando itaque post hanc actioni non amplius locus, (7) ideo nec quæ cederetur aderat, (8) idque exceptionis loco fidejussori à fidejussorum aliquo convento opponebatur, (9) allegata negligentiâ cum oportebat petendi, quæ non erat sine culpa, (10) repertum fuit, rejecta illa exceptione legali condemnatum non injuste appellasse. Ideo gravamen ut relevans admissum fuit *in causa Peter Offen contra Helmuth Otto von Winterfeld die 8. Januarii Anno* 1659.

1. *l. si mandat. 13. l. fidejussor l. fidejussoribus l. cum is 36 ff. de fidejussor. l. Modestinus ff. de solut. Wesenbec. in Paratit. ff. de fidejussorib. num. 6.*

2. *l. sient 24. C. de Fidejussorib.*

3. *Vid. Hering. de Fidejussorib. cap. 27. part. 3. num. 28.*

4. *l. cum alter 11. C. de Fidejussorib. l. ut fidejussor ff. eod. Heig. part. 1. Illustr. quæst. 38. num. 1. & seq.*

5. *Ut habent textum expressi in d. l. cum alter C. dict. tit. l. Stichum. 95. §. pen. ff. de solut. vid. Franch. de fidejussoribus cap. 5. num. 40. in fin.*

6. Similis plane ratio est fidejussoris qua confidejussorem, quæ ejus qua creditorem, quæ simile jus poscit.

7. Hæc in concursibus creditorum solita eum effectum habet, ut non comparentes postea non audiantur, sed præclusa sit agendi via, perinde atque si actio nulla competeret. Cum paria sint, esse actionem, & quæ competiit desinere.

8. Juris semel exstincti non est amplius cessio; uti in terminis *tradit Ronchegall. in l. Reus in pr. num. 56. ff. de duobus Reis ex* hac ratione quod nemo plus juris in alium transferre potest quam ipse habet.

9. Justa est hæc exceptio ex negligentia justo tempore non petentis *vid. Hering. de Fidejussorib. cap. 20. §. 15. Penfold. in addit. ad Coler. part. 2. decis. 220. num. 57.* quæ in eo casu locum habet, ubi creditor in concursu creditorum petere neglexit, ac propterea ab ulteriori petitione exclusus est. *Carpz. in Jurisprud. forens. part. 2. constit. 19. defin. 10.* ubi hanc speciem exemplum facit *d. l. Stichum §. pen.* seu ejus culpæ, cujus ibi fit mentio.

10. Doli multò magis culpæ reus est, ubi quis non exigit, quod exigere potuit. *l. dolus ff. mandat. l. sed etsi 25. §. 13. ff. de petit. hæredit.* Ita judicatum.

In Sachen Peter Offen Appellanten/ Helmuth Otto von Winterfeldten Appellaten/ Claus von Zesterflets Creditoren Anwalde Intervenienten und Assistenten in pto. debiti ex fidejussione werden die gravamina wie auch der gemelten Anwäldt interventio zu ferner Außführung angenommen und erkant/ daß appellat proxima darauff zu antworten schüldig sey. Von Rechtes wegen.

(Hoc est.) In causa Petri Offen appellantis Helmuth Ottonis â Winterfelden appellati Nicolai â Zesterflets Creditorum procuratoris Intervenientis & assistentis in puncto debiti ex fidejussione, gravamina ut & dicti procuratoris interventionem ad ulteriorem deductionem recipimus & decernimus, quod appellatus desuper in proxima respondere teneatur. idque de jure.

DECISIO VIII.

Fidejussor ad certum tempus intercedens ultra illud non tenetur.

Controversa inter JCtos quæstio est de Obligatione fidejussoris, cum certum tempus circa illam exprimitur. Vulgata est distinctio ex fine, ob quem temporis adjectio fit. Aliquando enim tempus dicitur solutioni, aliquando obligationi. De eo convenit, ubi differendæ tantum solutioni tempus dicitur, post illud elapsum obligationem durare; At cum obligationi additur, non perinde justa putent. (1) Rationi consentaneum distingui, quomodo pro eo fine adjiciatur, utrum ut post illud desinat obligatio, an ut per illud limitem habeat, quo usque vim suam extendat, seu ut aliqui aliter exprimunt, an ut etiam qua præteritum tempus desinat, an ut saltem qua futurum, seu insequens. Ubi tempus non finit, sed limitat saltem obligationem ejus, ea quidem potestas est, ut quidquid post tempus obligationi accedit, non obliget fidejussorem, utpote saltem usque ad illud tempus obligatum: Ideo quæ postea ex stipulatione vel mora deberi incipiunt usuræ, interesse, damna non onerant fidejussorem. (2) At quando eo animo tempus adjectum ut pe-

Digitized by Google

ut penitus obligationem finiat, seu ut ea post istud desinat, utique non tantum non de futuris, sed nec de præteritis ultra fidejussor obligatur postquam illud fuit elapsum. (3) Habet tunc temporis adjectio vim conditionis, qua desinente desinit obligatio, omnemque vim amittit. (4) Quocirca creditor intra illud fidejussorem compellare debet si istum liberatum nolit, (5) aut sibi imputare, quod justo tempore crediti sui causa adversus istum, quem ultra obligatum non habet, non vigilaverit: (6) tanto magis si apparet tempus debentis causa adjectum esse. (7) Licet itaque debitor obligationem quæ tempus præfixum habet, prorogaverit, id fidejussor ultra nocere nequit, quam in prorogationem consensit. Est autem tempò is ea vis non ex se, (8) sed ex voluntate & animo contrahentium, ideo tunc saltem obligationem exstinguit, ubi hic fidejubentem voluisse creditorem recepisse apparet. (9) In dubio alio quam hoc animo adjectum creditur, eique non potestas istam exstinguendi sed saltem limitandi tribuitur & communi JCtorum sententiæ insistitur, quæ tempore non finiri obligationem tradit. (10) Voluntas autem non tantum apparet, ubi expresse dictum est, quod fidejussoria obligatio durare saltem debeat usque ad certum tempus, post illud fidejussorem non teneri, sed etiam si ex circumstantiis colligitur aliam fidejubentis mentem non fuisse. Idque minus dubii habet, ubi simul constat, creditorem ea mente nihil latuisse, ut si proposito in mente retento, quod nihil operatur, deceptum frustra queratur. Ejusmodi species occurrit, quando obligationi indefinitè contractæ, is qui dabatur fidejussor subscripserat, quod tantum usq; ad annum pro debito cavere vellet, his formalibus: Cavire *obgesetzter Massen nur bis auff Catharinen* Anno 1623. Recipiens itaque chirographum creditor consensit in protestationem quam habebat subscriptio, ea vi pollentem. Ut obligationem restringat & finiat cum tempus fuerit elapsum. Accedebat vero aliud, mentem magis declarans, quod sub fine istius anni non inter creditorem & debitorem modò de prorogatione crediti, sed & cum fidejussore de proroganda satisdatione actum, & hic illam etiam sed limitate usque ad annum per literas suas produxerat, addita ea conditione, quod ante lapsum anni credito creditum resignare & exigere debeat. Quo ipso nihil videbatur ad declarandum animum tum fidejubentis, quod ultra teneri nolit, tum creditoris, quod ad tempus saltem illum obligatum habuerit, & postea juxta prorogationem habere velit evidentius. Accessit deinde silentium multorum annorum. Dubitationem præcipuam in illa specie movebat: Post decennium facta fidejussoris compellatio & ejusdem responsum quo indicabat, se metuere ne adhuc teneretur, ideò exigebat à creditore traditionem chirographi quoad agendum contra debitorem uteretur. Ea verò verba responsi erant; *Ich besorge, ich vverde zahlen müssen, vvil zvvar meine Hand lösen, aber den* principal debitorem *Kurtz in dem heissen lügen.* Ex quibus colligebatur prorogatio fidejussionis & voluntas ultra tempus semel obligandi. At post consideratas diligentius circumstantias conclusum talia nihil facere tum ad prorogandam obligationem fidejussoris, quæ jam extincta erat, ideo nec sine alio contractu revivisscere nec prorogari poterat tum ad declarandum mentem, quod teneri ultra vellet, ubi non continent formulam ad obligandum aptam, sed tantùm enunciationem & quidem non plenam, sed quæ exprimit saltem metum ne teneretur. Ideò ut talia ambiguam mentem indicant ex opinione dubia suspensam nihilque certi ponunt, ideò contra certam ex anterioribus mentem aliam nihil efficere queunt, nec in dubio ad inducendam obligationem accipienda sunt. (11) Unde pro fidejussoris hæredibus ex tenore & protestatione liberationem obtendentibus judicandum esse putavimus, sicut & alias in dubio pro fidejussoribus ad liberandum judex prodivior esse debet. (12) *in causa D. Johann. Meiers Erben, contra Heinrich Schvvichelin, die 16. Octobris Anno* 1668.

1. *Dd. in l. quæro 54. ff. locat. Anthon. Gabr. commun. Conclus. lib. 3. tit. de fidejuss. concl. 3.*

2. *Vide quæ scripsi in Comm. Jur. Lubec. lib. 3. tit. 5. & tit. 1. num. 45. & seq.*

3. *Mynsing. observ. 53. n. 4. cent. 6. Gail. 2. observ. 30. num. 11.*

4. Regula, quod tempus non sit modi tollendæ obligationis, cum plures exceptiones habeat, *vid. VVesenbec. in parat. ff. de O. & A. Rauch. part. 2. q. 23. n. 7.* tum & fallit, si inter partes aliud placuerit seu convenerit, ut etiam sit, ubi ex adjecto tempore obligatio fit conditionalis qua finem, ut si ad tempus durare deinde tolli, aut ut non existens reputari debeat, *vid. Tiraquell. de retr. convent. §. 1. Glass. 2. num. 43.*

5. Veniente obligationis termino finita est ipsa obligatio fidejussoria. *Hartm. Hartmanni lib. 1. tit. 30. observ. 6. num. 4.*

6. Eam æquitatem Jurisprudentia semper sequitur ut non velit consultum ei qui agere potuit & debuit, at omisit, nedum permissum, ut inde alteri sit incommodum quod illo diligente non sit habiturus. Unde vulgatum illud *ex l. si pupillus 24. ff. quæ in fraud. cred.* quod vigilantibus Jura scripta sunt.

7. Quo-

Digitized by Google

7. Quoties tempus favore promittentis adjicitur eo fine, ut post illud liber sit, utique obligationem tollit. *Jason. in l. cum qui §. qui ita stipulantur num. 9. ff. de V. O. Cagnol. in l. 2. numer. 63. C. de pact. int. empt.*

8. Juxta id quod pro regula JCti usurpant, tempus non esse modum tollendæ nec inducendæ obligationis, *l. obligationum 44. §. 1. ff. de O. & A. §. at si ita stipuleris 3. Inst. de V. O.*

9. Accedens tempori id quod ad obligationem finiendam aptum est, facit istam ex illo desinere & tolli. Cujusmodi est voluntas & consensus partium, *Wesenbec. in parat. d. l. nu. 9.* ex quo contractus formam modumque accipit, ideo & finem facit, uti exponit *Franz. Exercit. 11. q. 5. n. 5.*

10. Illum exponit & sequitur post multas allegatas autoritates *Hering. de Fidejuss. cap. 20. §. 12. numer. 5. seq.*

11. Verba dubia in dubio sic debent intelligi, ut minus obligent. *Vultej. Cons. Marp. 33. num. 310. vol. 3.*

12. Ita ex æquitate consulunt; *Paris. cons. 110. n. 55. 57. vol. 1. Leonin. Cons. num. 6. Magon. decis. Florent. 57. num. 63.*

DECISIO IX.

Delegatio prioris obligationis pignus & prioritatis jus tollit.

QUi omnes hæredes defuncti ejusque bona omnia pro credito obligata habebat, facta crediti per delegationem novatione amittit jus pignoris prioris (1) cum illa delegatio pro solutione sit, (2) & obligationem seu debitum exstingat, ideo etiam intereat illa accessio. (3) Major quippe vis est delegationis quæ mutat debitorem, quam simplicis novationis, cum eodem manente debitore forma obligationis tantum mutatur, de quo secus tradita, (4) aliud dicere videbantur. Non ut in hac specie pignus prius repetitum creditur, ita etiam in illa idem obtinet. (5) In alia persona non magis potest obtinere repetitionis tacitæ præsumptio, quam in illa potestas fuit rem alienam obligandi. (6) Et licet vel ejusdem rei facta fuerit obligatio, ea tamen non erit vetus illa, quæ extincta non reviviscit, (7) sed nova, (8) ideo non erit creditor anterior ex priori illa, si secundus ante delegationem creditor eandem rem habuerit obligatam, sed hypotheca & qua illam ordo creditoris ex nova constitutione censebitur. (9) Ubi non est consideratum & ex ea concluſum *in causa hæredum Caspar Rauschen, contra hæredes D. Petri Borstenborstels, die 15. Januarii Anno 1661.*

1. Novatione legitime facta liberantur pignota *l. novatione 18. ff. de novat.*

2. Qui delegat solvit *l. quamvis 8. §. 3. ff. ad S. C. Vellej. l. qui libertin. §. si creditori ff. de op. libert.*

3. Extincto debito desinunt omnes ejus accessiones.

4. *l. 3. in pr. l. creditor. 12. §. 8 ff. qui pot. in pignor.*

5. *De hac diversitate ejusque ratione vid. Fabr. in C. lib. 8. tit. 8. def. 19. num. 6. seq.*

6. *l. 1. tot. tit. C. si res alien. pign. 2. dat.*

7. *l. qui res §. etiam ff. de sol. l. 4. C. eod. l. cum ex causa C. de remiss. pignor.*

8. Novatio ex veteri novam obligationem facit *l. 1. ult. ff. de novat.*

9. *Arg. l. novatione C. de fidejusser.*

DECISIO X.

Unius ex hæredibus pro debitore receptio pro delegatione & liberat cæteros & bona hæreditaria à nexu.

PAter protutor testamento caverat, ut liberi ante omnia æs alienum solverent & quod superesset dividerent. Post obitum itaque Patris isti de implenda ista voluntate sollicite quædam ex bonis hæreditariis separant, aliqua etiam ex acceptis conferunt ut creditori olim patris pupillo de residuis ex Protutela satisfieret. Illa cum unus illorum accepisset & cum solutionem creditori tum liberationem cohæredibus promisisset, solutione vero per illum non facta creditor experitur hypothecaria actione & ex prædio paterno, ex quo liberis aliquibus adhuc portio hæreditaria debebatur satisfieri cupiens, & obtendens duplicem hypothecam, tum ex lege, qua bona tutoris obligata sunt pupillo (1) tum ex testamento paterno, (2) præterea etiam se hæreditariæ pecuniæ liberorum quibusdam debitæ anteferri petit. (3) Visum autem fuit, postquam creditor semel contentus fuit uno hæredum, (4) atque ab isto creditum petere & accipere elegit, ipsi non superesse amplius contra cæteros actionem, (5) ideo nec nexum pignoris in bonis hæreditariis, (6) cum is actus nihil aliud sit quam delegatio (7) quæ debitum finivit & hæredes liberavit, (8) creditori satisfecit, (9) dum unius illorum bonum nomen recipiendo fecit & approbavit, (10) nihil sibi reservans aut contra personas cohæredum aut contra bona hæreditaria. (11) Quorum nomine hæredes postquam semel ex bonis hæreditariis suisque cohæredi suo quantum singuli debuerunt solverant, illo approbante seu recipiente (12) iterum exigi iniquum foret, multo magis ut ita fiat, & sibi in posterum tantum cum uno res sit eodem urgente. Frustra itaque jam aliis litem movent ejus hæredes de prioritate seu pignore, cujus jus qua debitum & pignus contra eosdem sublatum est. (13) Uti pronunciatum fuit *in eadem causa.*

Digitized by Google

1. Minoribus tutorum & citatorum bona tacito pignoris nexu sunt obligata.

2. Testamento hypotheca constituitur *l. 26. ff. de pignor. act.*

3. Nihil ex bonis defuncti hæres nisi deducto ære alieno capit *l. subsignatum* 49. §. 1. *ff. de V. S.*

4. *Cap. quod semel. x. de R. I.*

5. Ubi re integra licuit eligere quem vellet, post electionem abstinere debet *l. corpus* 9. *ff. de curat. furios.* Nec ferendus qui qualiter qualiter eligentis personam secutus est *l.* 1. §. *si quis pignus* 15 *ff. de separat.*

6. Pignus interit cum obligatio principalis desinit *l. novatione* 28. *ff. de novat.*

7. Delegare est vice sua alium reum dare creditori *l.* 11. *ff. d. tit.*

8. *l.* 1. *ff. eod.* Est enim quasi solutio *l. quamvis* 8. §. 3 *ff. ad* S. C. *Vellej.*

9. Satisfactio pro solutione est *l.* 52. *ff. de solut.*

10. Bonum nomen facit creditor qui admittit debitorem *l. qui debitorem* 18. *inter causas* 26. §. *abesse mand.*

11. Omissa protestatio ubi ea pro mente declaranda opus, pro remissione juris est. Et eam in tali de qua hic agimus specie nocere docet *Faber in* C. *lib.* 8. *tit.* 19. *num.* 9. *seq.*

12. Haud quidem liberantur qui debent cum alteri res suas vendunt vel tradunt ut creditori suo solvatur, si non consenserint in hunc ut creditorem *l. cum eos* C. *de donat. l. ratio C. de act. vel hared vendit. Hering. de fidejussor. cap.* 20. §. 4. *in fin.* attamen ubi consensit & fidem ejus sequitur, postea etiam ut debitorem sequi necesse habet *d. l.* 1. §. *si quis pignus sequent. ff. de separat.*

13. *vid. Fab. in* C. *lib.* 8. *tit.* 8. *def.* 19.

DECISIO XI.

Non purgatur mora nisi debitum præstatur integrè & innoxiè.

MOra purgatur præstando debitum. (1) Quidquid itaque post hac receptum evenit, ad creditoris vel petitoris incommodum spectat. (2) Accipiendum verò id ipsum cum ea declaratione, si debitum præsteturita, uti juxta conventionem vel alias ex debito oportet integrè, (3) ideoque & innoxiè, hoc est, ut quod purgandæ moræ fit, non inferat incommodum creditori. (4) Accidit ut ex transactione ad transvehendum alterius suppellectilem obligatus moram necteret, usque dum periculosa incidebant tempora, tunc transvectionem facere intenderet, quando autem ad loca secura translatio, uti destinatum erat, fieri non poterat, ad locum qui mox prædis militaribus exinanitur devenirent, isque mox direptus erepta simul transvectâ suppellectile. Inde quæsitum an velut re tradita debitor liber sit à periculo & damno? Existimatum verò non aliter eum liberari, quam si conventis satisfecerit. Ubi in eo defectus reperitur, visum fuit sicut ad casum antea debitor ex morâ fuit obstrictus, (5) ita ad eundem nihilominus teneri, si mora præcedens isti causam dederit, (6) seu effecerit ut aut damnum illatum sit, aut maturè averti & declinari non potuerit. (7) Durat ex mora obligatio etiam post præstationem, ubi durat ejus noxia. (8) Nec enim nuda præstatione fit liberatio, nisi simul præstetur indemnitas. *In causa Georgii Christophori Behren Liberorum contra viduam Joannis Horstmans die* 14. *Januar. Anno* 1657.

1. Ex æquitate contra juris rigorem admissum ut mora purgetur *l. sed etsi* 17 *ff. de Condict. pecun. l. si servus* 91. §. *sequitur ff. de V. O.*

2. Sublatâ enim causâ tollitur effectus. Nec cum desinit mora, ultra obligat ad damna, sed res cuique sua perit *l. quæ fortuitis* C. *de Pignorat. action.*

3. Hoc ad purgationem pertinet, ut debitor præstet integrum, oportunò tempore & locò *l. qui decem* 72. §. 1. *ff. de Solut. l. illud* 17 *ff. de peric. & commod. rei vendit.*

4. Hoc quippe creditorem habere oportet quod habiturus est, si mora non esset facta.

5. Moræ effectus est, ut debitor teneatur ad casum fortuitum præstandum *l. si delegati* 23 *ff. de V. O.*

6. Causam vel occasionem dans damno id ipsum intulisse creditur, eoque nomine tenetur *l. qui occidit* 30. §. *in hac* 3. *ff. ad L. Aquil.*

7. Nisi re integrâ non purgatur mora, & quidquid jam causavit non tollit, *l. trajectitia* 23. *vers. de illo ff. de Oblig. & action.*

8. Pœnitentia nihil proficit ex qua quis nocens esse non desinit *l. qui ea* 65 *ff. de Furt.*

DECISIO XII.

Certo loco præstare obnoxius non liberatur ab eo quod interest cum creditor alium præstandi locum debitoris gratia ex necessitate recipit.

QUi promiserat avectionem suppellectilis ad certa milliaria & intra illa ad certum locum, at cum præstare vellet, ob itineris difficultatem, quia viæ paludosæ equi non sufficiebant, præstare non potuit, ideò elegit locum proximiorem is ipse cui transvectio debebatur, inde verò per casum belli mox evenientem omnibus bonis exutus maximum sensit damnum, quia ad destinatum munitiorem locum ista non fuerunt translata, quod sensurus nō esset, si debitor conventis maturè satisfeciisset. Quæsitum inde an ad hoc damnum teneatur, qui non præstitit quod debuit, non attento quod alius locus creditori deinde placuit? Etsi verò ea electio seu acceptatio si libera fuisset aut creditoris causa facta, liberasset debitorem,

Digitized by Google

cum remisisset debitum loco ejus aliud acceptando, (1) tamen quia non ex libera voluntate processit, sed ex necessitate, quia in loco convento debitor præstare non potuit, non efficit à damno inde contingente liberationem. (2) Deinde quando debitoris causa, quia debitum ut convenit ab ipso præstari non potuit, lectus fuit locus vicinior, ei gratificatio non debet esse detrimento ejus, qui beneficium hoc præstitit, (3) quod ab æquitate alienum futurum est. (4) *In eadem causa.*

1. *Juxta l. fin. ff. de eo quod cert. loc.*

2. Etsi qui ex necessitate quia in loco convento præstari nequit, remitti præstationem ibidem & alibi recipit, interesse tamen suum remittere non creditur. Remissio enim donationis species est, sed in necessitate nemo liberalis existit. *l. rem legatam* 18. *in fin. ff. de Adimend. Legat.*

3. *Per text. in l. qui Roma* 122. *in pr. ff. de Verb. Obl.* Ratio est quod beneficium suum nemini debet esse damnosum vel captiosum. *l. in commodato* 17. §. 3. *ff. Commodat.*

4. In hujusmodi negotiis judex ante omnia æquitatem ante oculos habere & sequi debet, *l. quod si Ephesi* 4. §. *in fin. ff. de eo quod cert. loc.* Cui non convenit, ut qui de jure suo cedit, ut non alibi quàm loco dicto acceptare teneatur *junct. l. is qui certo* 9. *ff. eod.* pro beneficio in damno sit.

DECISIO XIII.

Impossibilitas post moram eveniens non liberat à damno debitorem.

QUod dici solet, impossibilium nullam esse obligationem, & liberari debitorem per casus subsecutos, qui non sinunt præstari debitum (1) indiscriminatim non debet accipi, sed refert, an prævenerint casus tempus præstandi debitum, an postquam illud elapsum, debitorem in mora constituerunt, acciderint. Ad illos pertinet ista de excusatione à mora sententia. (2) Quando autem debitor semel in mora esse cœpit, post hanc contingens casus istum non liberat. (3) Idcirco per impossibilitatem, quam casus intulit, non evaditur, quæ ob damnum non adimpleti contractus competit actio. (4) *In eadem causa.*

1. *Junct. l. impossibilium ff. de Reg. Jur.*

2. *Gloss. in l. quod te* 5. *ff. de Reb. credit.*

3. Mora perpetuat obligationem *l. in servum* §. 1. *& seq. ff. de Verb. Oblig.* Inde casus post illam contingens, debitoris, non creditoris incommodo est, *l. si ex legati.* 23. *ff. eod.*

4. Mora cuique sua non alteri nocere debet *l. mora ff. de R. J.*

DECISIO XIV.

Solvens ei, quem mandatum habere probabili ratione credere potuit, liberatur.

ETsi regulariter alteri facta solutio non liberat nisi ex voluntate creditoris antecedente vel consequente, (1) excipiendus tamen est casus, ubi solvitur ei, cui voluntate domini solvi probabili ratione credi potest, (2) nempe cum is cui solvitur se publice gessit ut mandatarium, (3) idque Dominus scivit & non prohibuit. (4) Huic qui solvit, bona fide fecit & credidit mandatum recipiendi habere. Magis quippe in hac specie imputandum est Domino quod scivit alium se suum procuratorem gerere, (5). Quam debitori qui bona fide credulus ei solvit, (6) modo creditur ex rationabili causa. *In causa Cancellarii Detloff Reventlovven contra Fridericum Backen die* 9. *April. Anno* 1657.

1. Solutio facta alteri invito vel ignorante creditori inutilis est, nec liberat. *l. filiusfam.* 22. *ff. de Solut. l. cum maritum.* 11. *C. eod.*

2. *Vid. Fabr. in C. lib.* 4. *tit.* 8. *defin.* 19.

3. *Argum. l.* 3. *in pr. ff. ad Senatusconf. Macedon. l. sed si pupillus* 11. §. *de quo palam* §. *seq. ff. de Institor. action.*

4. Qui patitur alium suum negotium gerere mandasse creditur, *leg. qui patitur.* 18. *ff. mandati.*

5. Ex facto quovis quod assensum habet inducitur ratihabitio *leg. non tantum.* 5. *ff. rem rat. haber.*

6. *Tali ratione in simili specie utitur Faber dict. defin.* 19. *in fin.*

DECISIO XV.

Solutio facta ei, à quo merces ex venditione accipitur, liberat, etsi de voluntate Domini non constat, præsertim inter mercatores.

NOn alii quidem quam creditori vel ejus voluntate tantum solvendum est, at voluntas ea colligitur non tantum ex mandato accipiendi, sed etiam vendendi. Nam qui ad hoc mandatum dat, etiam ad exigendum dedisse intelligitur. (1) Præsertim inter mercatores non adeo strictè verba mandati observantur, sed spectatur à quo quisque merces venditas receperit, (2) dummodo venditio facta sit Domini voluntate. (3) Huic solvens liberatur, etsi Dominus pretium non receperit. (4) Tantum requiritur ut bona fide solvat, hoc est, non credat aliter quam vendentis esse merces, aut ipsi à Domino ad vendendum traditas. Mercimonii causa

Digitized by Google

in foro hoc recipiendum fuit & hic obſervatur. (5) Inter nos eo minus dubii hæc res habet, quod Jure Lubecenſi mercaturæ compendia reſpiciente ſic traditum, ut quisque fidem ſequatur & præſtet ubi dedit vel recepit. (6) Quod conſideratum *in cauſa Henrici Gerſtenbergen contra Henrici Boyſen hæredes die 30. Junii Anno 1657.*

1. Eſt quidem de hoc inter JCtos diſputatio: An cui mandatum eſt vendere, eidem etiam tuto liceat pretium ſolvere? Obtinuit autem ſententia ut communior & in forum recepta, ut niſi circumſtantiæ aliud ſuadeant, ex data poteſtate ad vendendum ſequatur poteſtas ad recipiendum *Mozz. in tr. de Contractib. tit. de Mandat. num. 17. Barboſa in l. 3. num 14. ff. ſolut. Matrim. Stracha in tit. de Mandat. num. 17. Bartol. in l. filia ff. de ſolut.* Quæ probatur, *tum per l. quod ſervus 35. ff. de ſolut.* tum *per l. ver. 12. pr. ff. eod.* unde colligitur quod ex natura negocii ejuſque adminiſtratione ſequitur contineri mandato & ubi iſta talis negocii eſt, unde recipienda ſolutio & hanc mandato comprehendi.

2. Bona fide creditur cum qui merces dat vendendas, etiam dediſſe facultatem pretium exigendi vel recipiendi, ubi non excepit. Nec movere debet quod habetur *in l. 1. §. igitur præpoſitio. ff. de Exercit. act.* quia ibi taxativè tantum ad locandum facta fuerat præpoſitio, ideo exigendi poteſtas excepta.

3. Rei alienæ Domino neſcio venditæ vindicatio Domino ſupereſt. *l. mater 3. C. de rei vindic.* Nec inter mercatores aliud obtinet.

4. Sibi imputare debet, qui aut minus fideli commiſit, aut non fecit ut ſibi cautum eſſet.

5. Inter mercatores apices juris non ſpectantur, ſed tantum, quod bonæ fidei convenit & ex hac ſola agitur. *Gail. 2. obſerv. 27. n. 27.*

6. Juxta hoc vulgatum Hand muß Hand wahren/ ſeu da einer ſeinen Glauben gelaſſen/ muß er ihn wieder ſuchen. *Vide Jus Lubecenſe lib. 3. tit. 2. artic. 1. & 2. ubi in commentario plura de ejus intellectu & praxi annotata reperies.*

DECISIO XVI.

Unde colligitur, vel bona fide creditur voluntas Domini, ut ſolvatur alteri.

QUæ excuſat bona fides ſolventis alteri quam Domino, non conſiſtere debet in nuda credulitate, (1) ſed niti probabili credendi ratione. (2) Hæc verò oritur ex talibus actibus, qui ſine voluntate Domini fieri non ſolent, (3) veluti quando qui pecuniam recepit probam frumenti venditi attulit, emptionem obtulit, contraxit & tradidit, (4) vel contractus proxeneta fuit, (5) vel quando apocham Domini habuit & illâ datâ aliquam pecuniæ partem accepit; (6) quando Dominus ſolutam ipſi pecuniæ debitæ partem recepit, poſtea ſolutionem non prohibuit. (7) Quæ conſiderata ſunt & ut ad credulitatem excuſandam ſufficientia habita. *In eadem cauſa.*

1. Nimia credulitate circumventus non auditur. *l. nimia 11. Cod. de obligat. & action.* ſed ſibi imputare debet quod credulus fuit. *l. 1. §. dolum. ff. de eo per quem fact.* non verò alii inde nocere *l. quod ſi 2. §. ſed ſi ſic. 9. ff. de in rem verſ.*

2. Credens ex juſta ratione ſi deceptus exceptione non caret. *l. 1. C. de SC. Macedon.*

3. Fieri ſolita ubi fiunt, excuſationem nec non bonæ fidei atque opinionis argumentum præſtant. *l. pen. in pr. C. de act. empt.*

4. Hic ſe publicè gerendo ut venditorem venditor credi potuit *l. 3. pr. ff. de Senatuconſ. Macedon.*

5. Proxenetæ vice contrahentium ſunt, & hos obligant tanquam mandatis habentes *Raph. de Turri. in tract. de Cambiis diſput. 1. quæſt. 16. num. 11.*

6. Apocham & dantis liberationem in manibus habens creditur mandatum recipiendi habere, perinde ut qui tenet Chirographum debitoris.

7. Semel admiſſum & poſtea placere non improbè creditur.

DECISIO XVII.

Nihil intereſt Domino an miniſtro ejus cui mandatum dedit ſciente & patiente alteri ſolvitur.

ADerant in cauſa non pauca quæ ex Domini voluntate ſolventem alii quam Domino liberare ſolent, attamen non immediatè à Domino, qui abſens ignorabat facta, ſed tantum ejus quem miſerat miniſtri ſcientiâ atque patientiâ ſic facta, ut ſi Dominus feciſſet, ſine dubio ſolvens ab actione liber & abſolvendus eſſet. Inde querebatur, utrum ſic per miniſtrum acta eodem loco & cum ſimili quà Dominum effectu cenſeri deberent, atque ſi immediatè Dominus feciſſet, ita ut in ſuperiori deciſione de Domino dicta ad caſum præſentem applicari poſſint? Etſi verò dubitari poterat eam miniſtri ſcientiam & patientiam ſufficere poſſe Domino & efficere ut alius pro mandatario ſuo habeatur, cui ipſemet nihil mandavit; attamen quia qui mandat ſimul fidem & factum illius ſequi ſpondet, (1) idcirco cum exceditur mandatum adverſus ipſum actionem habet, alteri fides habita nocere non debet, (2) nec intereſſe utrum ipſe Dominus an ejus Procurator mandaverit. (3) Quod enim ſubſtituendi facultas niſi expreſſim conceſſa procuratori negatur, ſpectat ad eum qui ad litem datur, cui ante litem conteſtatam non promittitur ſubſtituere, (4) qui ad negotia conſtituitur ſubſtituendi jus habet & obligat Dominum, niſi appareat id mandato contineri, quod

Digitized by Google

quod alii quis mandaturus non esset, ideoque verisimiliter quisque cogitare debuit id extra mandatum esse. (5) Quando verò in præsenti casu non repertum, unde contrahentibus rationabiliter conjicere necesse fuit, Dominum excluſurum à mandato, quem mandatarius pecuniam accipere & residuum sibi reservare permisit, extra culpam erunt qui dederunt. (6) Accedit quod minister talis est velut institor & quem hic substituit ejusdem loco (7) ex cujus facto vel omisso Dominum obligatum esse oportet, (8) nec ex fide habitâ damnum sentire qui sequitur, Domino verò adversus scribam quem suum dicit mandatarium actio erit. *In eadem causa.*

1. Tenetur ex facto mandatarii mandator & perinde obligatur, atque si ipsemet contraxerit. Paria quippe sunt ipsemet quis an per alium fecerit.

2. *l. 1. l. 11. ff. de instit. act.*

3. *l. illum. 33. Cod. de donat. c. 1. §. pen. de procur. in 6.*

4. *Sic inter procuratorem ad litem & ad negotia distinguitur in l. si procuratorem 8. §. si quis mandaverit 3. ff. mandat. VVurmſ. tit. 5. obſerv. 1. Hartm. pract. obſerv. 3. num. 6. tit. 7.*

5. Quod evenit in iis, qui speciatim eligitur personæ industria, *Rosbach. de Proceſſ. civil. tit. 19. num. 17.* vel causa valdè ardua magnique momenti sit, ut nisi homini valde fideli concredi nec soleat nec debeat *ut de matrimoniali negocio disponitur in cap. ult. de Procurator. in 6.* Ad cujusmodi speciem refertur ab JCtis decisio *in l. pen. §. 2. ff. de Diverſ. & tempor. præscript.*

6. *l. cuicunque 5. §. ſed etſi 7. ff. de inſtit. act.*

7. *l. 1. & tot. tit. de* Procur.

7. *Vid. d. l. ſi pro emptore 8. ſi quis 3. Mandat.*

Juxta hæc pronunciatum fuit.

In Sachen Cantzler Detloff Reventlowen Appellanten wider Fritz Backen & Consorten Appellaten in puncto debiti wegen gekauffter Gersten / wird vor Recht erkant / daß was den Appellaten durch die den 22. Octobr. Anno 1655. publicirte Urtheil wegen der zum Verkauff den Rathlowen gegebenen Macht beyzubringen auffer leget / so weit beygebracht / daß wann Appellaten vermittelst Eides erhalten / inmaſſen sie dann proxima zu thun schuldig / von Appellanten Schreiber Claus Toden sie nicht verstandiget / er allein zum Empfang des Geldes vor die verkauffte Gersten die Vollmacht hatte / dahero an ihn und nicht an Rathlowen daſſelbe gezahlt werden solle / es bey der den 2. Aprilis Anno 1654. von Richter voriger Instantz publicirten Urthel zu laſſen sey / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 14. Aprilis Anno 1657.

(Hoc est.) In causa Cancellarii Detloff Reventlovven appellantis contra Fridericum Backen & Consortes appellatos in puncto debiti propter emptum hordeum decernimus quod id, quod appellatis per sententiam 22. Octobris Anno 1655. publicatam ratione mandati Rathlovven ad emendum dati ut probarent injunctum, in tantum probatum sit, ut, si appellati mediante Juramento obtineant, prout in proxima tenentur, se ab appellantis scriba non fuisse informatos quod is solum ad receptionem pecuniæ pro vendito hordeo mandatum haberet, propterea ipsi & non Rathlovven illa solvi deberet, sententiæ 2. Aprilis Anno 1654. à judice prioris instantiæ publicatæ inhærendum sit. Idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 14. Aprilis Anno 1657.

DECISIO XVIII.

Depositio pecuniæ ob moram in judicio facta liberat deponentem à periculo.

DEpositionis in loco publico effectus est, quod liberat deponentem à periculo pecuniæ depositæ, (1) quæ exinde corporis seu certæ speciei, instar habere incipit, ideò creditori seu ei, cujus de illa actio est, si debitoris culpa nulla sit, perit. (2) Saltem ut justa sit depositio requiritur. Cujusmodi illa habenda est, quæ sit aut ad decretum seu mandatum judicis, cum inter partes super debito contenditur, aut ob moram vel culpam partis. (3) Necessaria hæc est nec ultra depositionem ipsam alia solennia requirit. (4) Siquidem creditor eidem decreto acquiescit, suo consensu depositum approbat, ideò & casum meritò sentit. (5) Etsi verò sibi solvi petens dissenserit, tamen quia judici sic visum, dum deponens obtemperare tenetur, non est quod ei imputari potest. Creditori verò factum judicis tanquam proprium præjudicat. (6) Est illud judicium, in quo fit depositio, sequestri loco, qui tamdiu lis durat utrique, cum desinit, vincenti tantum tenetur. (7) Ut ergò apud istum res sequestrata peremta ei decedit, cui deinde præstari debuit, (8) ità & cum in judicio deponitur ejusdem periculum esse decet. Eò magis si non tam deponens quàm creditor causa fuit depositionis, cum nempe hic eò usque jura & petita sua non præstitit liquida, ut pecuniam accipere posset, sed prius crediti veritatem aut jus demonstrare opus habet, interea incumbit possessioni, quam nisi pecunia deposita deponens impetrare non potuit. (9) Sic judicatum *in causa Liberorum Siverdt Dechowven, contra hæredes Henning Oldenburgen, die 16. Junii Anno* 1657.

1. Ex depositione periculum incipit esse creditoris. *l. qui decem 72. ff. de Solut. l. acceptam 19. C. de uſur. Ferret. in tr. de Mora num. 28.*

2. Casus contingens speciei liberat debitor-

Digitized by Google

rem *l. planè* 34. §. *sed si non corpus ff. de Legat.* 1. *l. quod te* 5. *ff. de reb. cred. Ferret. d. tr. n.* 41. *seq.*

3. Justum est quod fit autore Prætore. *l. justè* 11. *ff. de acquir. possess.*

4. Ut non est locus aliis depositionis solennibus ubi in judicio contenditur, ità per jurisprudentiam remittuntur & tantùm spectatur quod judex decernit vel mandat. *Zanger. in tr. de Except. part.* 3. *c.* 2. *num.* 170. *seq.*

5. Consentiens sequestro vel depositioni deponentis instar habetur.

6. Factum judicis est factum partis.

7. Post finitam litem actio depositi comparata est vincenti, non contra deponentem, sed contra sequestrem. *l. ei apud* 5. §. 1. *ff. depos.*

8. *l. qui decem* 72. *pr. ff. de Solut. l. interdum* 73. §. *fin. ff. de V. O.* Ratio constat. Nam postquam debitor deposuit apud sequestrem, judicis autoritate liberatur, etiamsi sequestrum ad injuriam creditoris factum sit. *arg. l. liberto* 21. §. *Lucius* 3. *ff. de ann. Legat. Menoch. lib.* 2. *de Arbitr. jud. quæst. cas.* 137. *numer.* 13. *Fr. Curt. in tr. de Sequestrat. quæst.* 16. *num.* 60.

9. Mota cuique sua non alteri nocere debet. *l. in condemnatione* 173. *unicuique ff. de R. J. l. mora* 32. §. 1. *ff. de verb. obligat.*

DECISIO XIX.

Cum Princeps vel judex apud se depositam pecuniam in suos usus converstt non superest contra deponentem actio, sed tantùm adversus principem, seu judicem.

POstquam Princeps pecuniam, quæ in loco judicii deposita erat, in usus suos consumsisset, malè contra deponentem ad id quod creditori aberat actio intentabatur, (1) cum ipse ex depositione jam liberatus esset, (2) Factum illud principis instar casus fortuiti est, (3) cujus damnum non ad debitorem qui deposuit pertinet, sed ad eum qui depositioni causam dedit. (4) *In eadem causa.*

1. Contra *l. ei apud* 5. §. 1. *ff. depos. vid. Jacob. de Arena in tr. de Sequestrat. n.* 17.

2. *l. obsignatione* 6. C. *de Solut.*

3. *l. Lucius* 11. *pr. ff. de Evict.*

4. Periculo victoris est depositio & in eum transfert damna rei in judicio & apud sequestrem depositæ. *ut in prated. decis. vidimus.*

DECISIO XX.

Solutio facta advocato seu procuratori ad litem non liberat solventem, nisi ex ratihabitione edocta.

POtest quidem solvi non domino tantum, sed etiam procuratori, sed ei, qui aut ad accipiendum speciale mandatum, habet aut generale negociorum. (1) Cui tantum litis cura seu actionis exercitium demandatur, ei post illam peractam recte non solvitur: (2) quandoquidem hæc mandata multum differunt quæ actionis exercendæ & quæ negocii vel solutionis accipiendæ causa dantur, nec ab uno ad aliud argumentari licet. (3) Etsi itaque quem quis causæ advocatum constituit aut procurator litis fuit pecuniam à se petitam acceperit, solvens minime liberatur. Qua litem procurator verus, qua negocia tamen & solutionem falsus est (4) nec extra mandatum accipiendi potestatem habet, (5) nec domino præjudicare potest. (6) Tantum hoc in ea specie ad liberationem proficere potuit, si ratum habuisse dominum seu creditorem appareret. (7) Id quod etiam defuit, ideo debitoris non attenta solutionis allegatione condemnatio confirmata fuit. *In causa Johann Diefelers contra Johann Brandes Erben, die* 12. *Julii Anno* 1657.

1. *l. vera* 12. *l. qui hominem* 35. §. *fi Titium* 3. *ff. de Solut.*

2. *l. hoc jure* 87. *ff. de Solut. l. sed si tantum* 13. *ff. de Pact.*

3 *l. filius* 90. *ff. de Solut. l. sed ha persona* 25. *ff. de Procurator. Guid. Papa decis.* 526.

4. Falsò procuratori solutum non liberat solventem, nisi ratum id habente creditore. *l. si quis offerenti* 58. *in pr.* §. 1. & 2. *l. cum decem* 71. *ff. de Solut.*

5. Fines mandati diligenter sunt custodiendi, qui excessit aliud quid facit, *l. diligenter* 5. *pr. ff. Mandat.*

6. *l. si procurator* 10. C. *de Procurat.* Extra fines mandati domini ignorantis conditio deterior nulla ratione à procuratore fieri debet, *l. ignorantis* 47. *ff. eod.*

7. Ratihabitio ut alias retrotrahitur, *l. fin.* C. *de* SC. *Macedon.* ita etiam hac in specie pro mandato habetur, *l. vero* 12. §. *fin. ff. de solut.*

DECISIO XXI.

Mandatum lites agere solito ad litem potius quam ad pecuniam accipiendam datum præsumitur, nec sine hujus probatione solventi contigit liberatio.

MAndatum veluti res facti (1) non præsumitur, (2) sed probatione eget (3) Ideo qui alteri solvet quod alii debetur contra creditorem non potest liberationis exceptione frui, nisi edocto solutionis accipiendæ mandato (4) Nec sufficit docuisse tantum ad exigendum mandatum esse datum, nisi accesserit unde appareat simul acceptionis facultatem esse factam; (5) quia mandatum stricti juris est nec ultra verborum tenorem extenditur. (6) Occurrebat verò talis casus, ubi mandatum quoddam datum fuerat, sed quale non constabat. Creditoris hæredes dicebant

Digitized by Google

tantum ad litem vel exactionem in judicio mandatum tendere. E contra debitor ad exigendum & accipiendum illud vim suam extendisse replicabat. Adversus debitorem pro hæredibus pronunciandum esse concludebatur; primo ex personæ cui mandatum erat qualitate, (7) qui erat ex ordinariis judicii procuratoribus ad causas agendas constitui solitis, cui præter litem totius negocii gestionem concreditam esse verosimile non erat. (8) Deinde consuetudini in mandatis non parum considerandæ, (9) non conveniebat isti hominum generi aliud quam quod ad actionem pertinet committi. Tertio quemadmodum ubi plane deficit mandatum, ejus nulla capitur præsumptio; (10) ita cum adest, sed quæ complectitur, ignoratur, non censetur continuisse; (11) eo minus quod domino nimis præjudicaret. (12) Quarto, quod non reperiebat apud acta quidquam de mandato, nullam adfuisse præsumptionem juris faciebat. (13) Tandem cum alicui nocere debet, quod de mandato non constat, cum æquius est solventis damnum esse, qui cautius agere nec nisi demonstrato sibique relicto, vel etiam apud acta exhibito mandato solvere debuit. (14) Sic judicatum *in eadem causa.*

1. *Mascard. de Probat. concl.* 1007. *num.* 8.

2. Facti quæ sunt, non præsumuntur, *l. in bello § fact. ff. de Captiv. & postlim. revert.*

3. *Mascard. de Probat. conclus.* 1007. *n.* 8. *seq.*

4. *l. vero* 12. *pr.* §. 1. *ff. de Solut.*

5. Aliud est mandatum exigendi, aliud excipiendi *l. filius* 90. *ff. de Solut. Brisson. lib.* 1. *de solut. pag. num.* 316.

6 *l.* 5. *pr. ff. mandat.*

7. Hæc circa mandati intellectum considerandæ est, nec aliter aut aliud mandatum creditur quam ut qualitati mandatarii convenit: *Mascard. de Probat. conclus.* 1010. *num.* 7. *Innocent. in c. coram x de offic. delegat.*

8. Circa mandata in dubio spectanda est verisimilitudo *l. si quis pro eo* 46 *ff. Mandat.*

9. Consuetudinis circa mandata habetur ratio.

10. *Menoch. de Præsumpt. lib.* 2. *præs.* 33. *num.* 1. dat illa jus in re quod non præsumitur, *l. five Cod. de Probat.*

11. Ad mandatum de exigendo & accipiendo pecuniam JCti instrumentum faciunt necessarium, adeo ut nec per testes probationem sufficientem existiment. *Bald. in l. falsus C. de Procurat. Rebuff tit. de Liber. dilator. art.* 3. *gloss. un. n.* 8. *Mascard. de Probat. conclus.* 1013. *n.* 7.

12. Ita semper accipiendum est mandatum, ut quam minimo cum domini incommodo fiat.

13. Negativa est probata ex eo, quod nihil de mandato continetur in actis, *arg. l. ult. Cod. de reb. Credit. Vant. in tr. de Nullitat. tit. de Nullit. ex defect. inhabilit. n.* 63. *seq.*

14. Ita in simili tradit Ruinus, *consil.* 68. *n.* 13. *vol.* 1. Juxta regulam, quod interpretatio contra eum facienda est, in cujus potestate fuit facere ut melius intelligatur, *l.* 39. *ff. de Pact.*

DECISIO XXII.

Qua beneficium dationis in solutum majori parti creditorum statur, non circa distributionem bonorum.

QUod legibus provisum, (1) ut in concursu creditorum nominatim etiam qua illa beneficia, quæ miseris debitoribus indulgentur, judex creditorum voluntatem & qua hanc illorum majorem partem sequi debet, etiam pertinet ad dationem in solutum, qua debitoribus, qui pecuniam quam solvunt non habent, semet liberare concessum. (2) Quæ instar cessionis bonorum habet, præstantius tamen beneficium est. (3) Ut cum qua illam res committatur isti consensui, (4) multo magis in hac majori parti idem tribuendum sit. At pertinet hoc saltem ad permissionem beneficii qua debitorem minime vero qua distributionem bonorum, quæ in solutum offeruntur inter creditores. In qua non considerantur ut omnes conjunctim, sed ut singuli, ideo etiam singulorum jura considerare & attendere oportet. (5) Quod si itaque aliqui istorum privilegiati sunt vel ex hypotheca potius jus habent, non, quia major pars ita vult cum cæteris parem conditionem subire, opus habent, sed suo jure circa acceptionem in solutum fruuntur. (6) Non subsunt aliorum placitis privilegia & hypothecæ, sed tantum qui paris conditionis sunt inter se majorem numerum faciunt. (7) Juxta quæ decretum *in causa VVedige Behren ejusque creditorum, die* 13. *Julii Anno* 1657.

1. *Vid. l. jurisgentium* 7. §. *fin. l. seq. ff. de Pact. l. fin. C. qui bon. ced. poss.*

2. *De quo singulari beneficio vid. Novell.* 4. *cap.* 3.

3. *Novell.* 135. *in pr. & cap.* 1.

4. *Juxta d. l. fin. C. qui bon. ced.*

5. Hæc limitatio habetur, *in d. l. fin. in fin. verb. in rebus autem officio judicis partiendis suam vim singulis creditoribus habentibus, quam eis legum præstabit regula.*

6. *l. pro debito* 6. *C. de bon. auth. possid.*

7. *l. rescriptum* 10. *pr. ff. de Pact.*

DECISIO XXIII.

Quibus creditorum pendente concursu seu discussionis instantia solutio crediti debetur, ideo secure fit.

QUando inter creditores pendet discussionis instantia, sicuti sub pari omnium jure nemini solvi, sed per prioritatis definitionem finis exspectari debet, (1) ita

Digitized by Google

(1) ita nemini secure solvitur, (2) nisi aliquis istorum in ea conditione sit, ut non obstante concursu solvi debeat vel queat. Talem putavimus esse in præsente lite illum cui debitor antequam bona ejus possessa sunt, nomen & pro eo pignus sibi traditum cessit, sub illa conditione, ut si non satisfieret, ipsi potestas esset à suo debitore creditum exigendi. Nihil quippe aut parum hic differt ab eo, cui nomen à debitore insolutum cessum fuit, antequam res ejus ad concursum devenerant. Tunc facta irrevocabilia sunt & ut constantia sic effectum juris habent. (3) Si recte juxta pacti legem illa considerantur, apparet quomodo per illam is creditor non amplius sit sub concursu, sed ei jam ante illam satisfactum. (4) Paria quippe sunt, an quis insolutum jam dederit an sic tradiderit, ut cum velit in solutum capere possit. (5) Concursus postea subsecutus ex illo jure antea quæsito nihil mutare potest aut debet. (6) Multo plus juris ipsi est quam nudo possessori hypothecæ, cujus exemplum incongrue objicitur. Hic quidem ad distractionem pignoris durante concursu pervenire nequit, nisi consentientibus vel auditis creditoribus cæteris, (7) aut judicis autoritate, cum ille justam causam permittendi deprehendit. (8) At cui ante concursum nomen pignori datum est, illi quoque mandatæ simul sunt actiones & data potestas exigendi, (9) inde illa semper potest uti contra debitoris debitorem, adversus quem actio non est sub concursu amplius, præsertim ubi chirographum est penes creditorem debitoris; multo magis si ipsi tali formula cessum, ut imposterum pro soluto suum esse debeat. Quem nec tunc ad redditionem vel depositionem condemnare oportet. *In causa Provisorum Ecclesiæ Gutzcovienſis contra Liberos Gerhardi Behren die 26. Septemb. Anno* 1657.

1. *Rauchbar. quæst. 9. num. 17. part. 2.*

2. *l. pupillus 24. ff. qua in fraud. credit.*

3. Ante bona debitoris possessa quæ fiunt, nisi in fraudem creditorum facta, consistunt, *l. quod autem 6. §. sciendum 7. ff. qua in fraud. cred.*

4. Creditori cujus à concursu conditio & jura sunt separata, nihil ex isto obstat, sed perinde omnia integra sunt, ac si iste non cœpisset, unde necisti semet immiscere consultum. *Cothm. resp. 28. n. 32. vol. 5.*

5. Est ex hac jus in solutum capiendi præsens.

6. *Faber in Cod. lib. 6. tit. 11. defin. 2. num. 4.* ubi hanc rationem indicat, quod antea facta & quæsita extra discussionis instantiam sunt.

7. *Vid. Fabr. in Cod. l. 6. tit. 35. defin. 20.*

8. Possunt causæ esse, ex quibus uni vel alteri creditorum etiam pendente concursu satisfit, de quibus statuere judicis est. *Faber. in Cod. l. 6 tit. 11. defin. 4.*

9. *l. postquam 7. de hared. vend.*

DECISIO XXIV.

Creditor mandatum & ratihabitionem negans tenetur literas ab eo qui solutionem ipsius nomine acceperat scriptas mediante juramento exhibere.

CUm qui debitor alteri alterius nomine tanquam procuratori solvisset, illo mandatum ut & ratihabitionem negante, desideraret omnes ab isto qui pecuniam ejus nomine exegerat & acceperat scriptas literas exhibere, æquum existimatum est ideo admittendum desiderium. Etsi enim literarum quæ inter aliquos intercesserunt editio fieri non debet, hoc tamen non pertinet ad illas quæ concernunt negocium, de quo agitur, & ex quibus litis decisio sumenda est. (1) Ejusmodi instrumenta actor edere tenetur reo ad fundandam exceptionem. (2) Eo magis vero in præsenti specie illud injungendum fuit quod veritas aliunde nisi ex iis constare aut judici nota fieri non posset. (3) Ideo editionis negatio, iniqua veritatis occultatio, valde suspecta erat & non levibus fraudis conjecturis negantem onerabat. (4) Ut ideo eo magis necessarium adversus istas semet editione mediante juramento facienda purgare. Quæ æquitas movit ut contra priorem sententiam restitutio in integrum eatenus indulgeretur. *In causa Johann Diesselers contra Jürgen Brandten Erben die 12. Octobr. Anno* 1657.

1. Ubi docetur interesse, quo nullum magis est quam cum ad causæ decisionem necessarium, editio literarum fieri debet desideranti & id quod sua interest docenti *vid. Gail. 1. Observ. 106. num. 2.*

2. Hoc singulare jus reorum est, ut actor ad fundandam defensionem iis ad editionem instrumentorum teneatur. *l. non est novum l. seq. l. fin. C. de Edend.*

3. Judex ex nobili officio partes compellit edere instrumenta, ubi justa causa suadet. *Pet. Frid. Mindan. de Mandat. lib. 2. cap. 48. n. 4. in fin.* cujusmodi sine dubio est, cum veritatis explorandæ causa necessarium.

4. Ex præsumpta fraude alicujus oritur æquitas compellendi ad editionem instrumentorum. *Gail. dict. Observ. 106. num 13.*

Tenor sententiæ.

In Sachen Johann Dieselers Imploranten wider Jürgen Brandes Erben Imploraten in puncto debiti jetzo restitutionis in integrum wird uff eingebracht Imploration-Schrifft dem Vorbringen nach erkandt. Im fall Implorant proxima den gewöhnlichen Eyd malitiæ abstattet / Es so weit in integrum zu restituiren / daß er mit dem suchen wegen edition Heinrich Krimitzen Brieffe dieser Schuld halber von ihm an Imploraten und dero Bevollmächtigten geschrieben / zu hören / Inmassen dann ferner vor Recht befunden / daß Imploraten auff abgelegten solchen Eyd alle und jede

jede deß Kriwitzen Schreiben / so dieser Schuld halber geschrieben und auffzufinden/ alsdann vermittelst Eydes ins Gericht zu bringen / und fernerer Verordnung zu exhibiren / verbunden seyn. Von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 20. Octobr. Anno 1657.

(Hoc est.) In causa Joannis Dislers implorantis contra Georgii Brandes hæredes Imploratos in puncto debiti modo restitutionis in integrum, ad exhibitam implorationem & ejus narrata decernimus, quod, si implorans in proxima consuetum juramentum malitiæ præstet, is eatenus in integrum restituendus, ut in suo petito ratione editionis Henrici Krivvitzen literarum propter hoc debitum ab ipso ad implorratum & ejus mandatarium Scriptorem audiendus, prout ulterius decernimus, quod imploratus præstito tali juramento omnes & singulas Kivvitzen epistolas quæ in puncto hujus debiti scriptæ & reperibiles sunt tunc mediante juramento ad judicium ferre & ad ulteriorem ordinationem exhibere obstrictus sit. Idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 20. Octobr. Anno 1657.

DECISIO XXV.

Rationes ante decennium oblatæ & intra tantum temporis spacium non improbatæ, si verosimiles solutionem probant.

SOlutionis argumentum desumitur ex diu non petito debito. (1) Firmius autem est, ubi de eo rationes redditæ sunt, & in iis modus solutionis descriptus, eæque à creditore receptæ, nec intra decennium reprobatæ fuerunt. (2) Tantum silentium non potest non haberi pro approbatione. (3) Et uti quisquam non præsumitur tam supinus, ut tamdiu de iis, quæ non accepit, tacere velit, aut si faceret, negligentiæ justam pœnam meretur: (4) ita æquum eum, qui nihil in se desiderari passus est, de debito ultra molestia non affici. Maxime autem prodesse ad liberationem hoc debet, ubi ex aliis circumstantiis verosimile est, solutum fuisse aut non supereſſe debitum, veluti si solutum fatetur actor, sed aliunde seu ex aliis remediis, ita & alterius causâ. (5) Quæ tamen sunt controversa nedum certa, ex quibus nunquam certum debitum soluturus est bonus paterfamilias. (6) Quæ cum à judice negligentius habita esse, queretur appellans, dignus visus qui audiretur. *In causa Henningii Gerdessen contra Hieronymum Keisern die 22. Septemb. Anno 1653.*

1. Diu non petitum debitum argumentum fraudis est, & facit contra creditorem præsumi. *Paris. consil. 83. num. 27. lib. 2.* Talis præsumptionis oppositionem vide in Ciceronis Oratione pro Quintio.

2. Temporis spatium gesto negotio fidem & consensum accommodat. *l. si sub specie 3. C. de Postul.*

3. Silentium præsertim diuturnum pro consensu est, *l. item quaritur 13. §. fin. ff. locat.*

4. Non præsumitur quis adeo supinus, ut quod incumbit, longo tempore non faceret, *l. fin. in fin. C. de Necess. Serv. hared. instit.* Si autem fuerit, ipse ejus incommodum sentiat sibique imputet, *l. si patronus 9. pr. ff. si quid in fraud. patron. l. pupillus 24. ff. qua in fraud. credit.*

5. Potior in dubio circa solutionem habetur propria quam aliena causa, quod verosimile est diligentem debitorem admonitum ita negotium gesturum, *l. cum ex pluribus 97. ff. de solut.*

6. Male rationes quâ solutionem debiti accipiuntur de iis, quæ adhuc controversa sunt, quæ in dubio quis solvere noluit, *l. 1. ff. de solut.*

DECISIO XXVI.

Præsumptio solutionis est ex habito fructu bonorum debitoris, sed quam ex redditis de isto rationibus elidere admittendus est creditor.

CUm qui dotem uxoris ex feudo petebat hoc ex conductione per annos quatuor possederat, solutæ autem mercedis apocha aut rationes redditæ non exhibebantur, non male feudi successor solutæ dotis argumentum inde sumebat, (1) idque secutus judex, jus retentionis quod pro dote liberi istius sibi asserebant, non adjudicaverat. At quia solum juris præsumptione illud nititur, tantam non facit fidem, ut non probationi contrariæ locus sit. (2) Quare cum curator litis liberorum nomine mercedem non à conductore retentam sed solutam aut justis rationibus expletam diceret, audiri & probandum admitti æquum visum est, minime tamen interea jus retentionis pro dote tribui, (3) quod non nisi ob liquida debita in feudo contra ejus successorem concedere decet, præsertim cautione ab hoc de solvendo in casum succumbentiæ sufficienti præstita. (4) *In causa Ventz Blüchers litis curatoris contra Vincentz Blüchern die 19. Januar. Anno 1656.*

1. Administratio bonorum debitoris & perceptio redituum per tantum tempus ut quod debetur, exigi vel percipi potuerit, præsumptionem solutionis facit, *ut post alios tradit Menoch. de præsumpt. lib. 3. præs. 135. num. 12.* quæ est eo fortior quo diligentior est qui bonorum fructus habuit. *Bartol. in l. si cum venderet §. ult ff. de Pignorib.*

2. Præsumptio alia fortior est alia, ideò alia aliam diluit *l. fin. ib. Dd. ff. quod vi aut met. caus.* multo magis contraria probatio admittitur etiam contra præsumptionem juris. *Menoch. dist. tract. lib. 1. quæst. 31. n. 2.*

Digitized by Google

3. Competit quidem ex privilegiis Nobilium Pomeraniæ filiabus pro dote jus retentionis, donec solvitur, atqui ita, ubi deberi constat, licet debita fuit, tamen ubi maritus bonorum, unde debetur, administrationem & fructum tamdiu, ut solvi inde potuerit, habuit, ab his deberi non modo incertum sed contrarium verosimilius est. Inde absistente ea præsumptione res fit illiquida & retentioni locus non supereſt.

4. Sicut usus fori servat, ut cautione in illiquidis retentio solvatur, eaque pro se sit. *Molign. de Jur. Retent. cap. 17.*

DECISIO XXVII.

Datio in solutum ex detentione Instrumentorum quando præsumitur.

OPposita exceptione liberationis ex datione in solutum crediti seu nominis, ortaque dubitatione utrum illa processerit, Reus ex traditione vel possessione Instrumenti illam referre volebat. Ut autem facta ista est (1) ita probatione eget, nec præsumitur, (2) nisi ex conjecturis ac collectionibus talibus, per quas colligitur chirographum non aliâ de causâ penes creditorem esse, quam quod nomen in solutum fuit cessum. (3) Cujusmodi reputandæ sunt, si creditor, cui alias ex fidejussione satis cautum erat, securitatis gratia Instrumenti in pignus traditione non eget, (4) à debitore autem, cum illam de solutione compellaret, accepit & per novem annos secum retinuit, (5) nec interea à debitore suo sortem aut usuras exegit, (6) debitor etiam ea se mente tradidisse ad mortem usque asseruit, (7) & in librum rationum suarum conscripsit se cessione nominis solvisse. Talia argumenta debitorem à probationis onere possunt relevare, ut creditor opus habiturus sit docere aliâ ex causâ quam solutionis seu liberationis penes semet instrumentum fuisse, aliàs debitor erit absolvendus. (8) Ob hoc non factum cum appellatum esset satis gravaminis subesse, visum fuit *in causa D. Johannis Schoneri contra hæredes Michaelis Bolten, die* 18. *Octobr. Anno* 1653.

1. Omnes contractus & distractus sunt facti, *l. consilio* 7. §. *fin. ff. de Curat. furios.*

2. Facta non præsumuntur, sed probari debent, *l. in bello* 12. §. *facta ff. de capt. & Postlim.*

3. Ipsa possessio vel detentio chirographi inducit præsumptionem factæ cessionis, *Coler. de Process. Executiv. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 78.

4. In dubio pignori magis quam in solutum Instrumentum seu chirographum penes creditorem esse præsumitur, quia novatio non subintelligitur, *l. fin.* C. *de Novat.*

5. Ex lapsu longi temporis præsumitur remissio actionis & debiti, *l. pen.* C. *Commun. divid. l. solennibus* C. *de rei vindic. Menoch. de Præsumpt.* 135. *n.* 7. *lib.* 3.

6. Diu omittens petere creditum recepisse præsumitur, *Matth. de Afflict. decis.* 15. *num.* 21.

7. Destinationi & voluntati debitoris circa solutionem multum tribuitur, *l.* 1. *ff. de solut. l.* 1. *l.* 4. C. *eod.*

8. Præsumptionis legalis est is effectus, ut liberet à probando *l. si ab ea ff. de Probat. l. fin. ff. quod vi & met.*

DECISIO XXVIII.

In dubio pignus potius quam in solutum datio præsumitur.

QUod penes creditorem erat instrumentum super nomine alterius à debitore traditum, hic obtendebat in solutum datum ideo se liberatum: (1) E contra creditor dicebat majoris securitatis gratiâ sibi traditum, ideo secum non alio quam pignoris nexu esse. (2) Etsi vero alias in dubio in solutum datio magis & citius quam pignus præsumitur, (3) in hoc tamen posterius verosimilius visum fuit, præsertim cum chirographum prius adhuc penes creditorem exstabat, (4) quod redditurus debitor esset liberatione facta. (5) Hæc existente apud creditorem instrumento non præsumitur, sicut nec in solutum datio quæ facti est. Accedebat non verosimile esse, quod quis nomen pro nummis acceperit præsertim quod non adeo facilis & paratæ exactionis. Ita judicatum *in causa D. Joh. Schöneri, contra viduam Michel Bolten, die* 5. *Aprilis Anno* 1654.

1. Datio in solutum pro solutione est & tollit obligationem *l. eleganter in pr. ff. de pignor. act. l. debitor* 59. *ff. ad* SC. *Trebellian. l. solutum ff. de solut.*

2. Non enim aliud pro alio in solutum accipere cogitur, *l.* 2. *ff. de reb. cred.*

3. *Menoch. de præsumpt. lib.* 3. *præs.* 50. *num.* 1. & *seq. ubi hanc juris præsumptionem esse ejusque vim & effectum explicat.*

4. Existentia chirographi seu instrumenti apud creditorem est certum non soluti crediti argumentum, modo non sit cancellatum. *Menoch. de act. tract. lib.* 3. *præs.* 141. *n.* 1. & *seq.*

5. Quia receptâ solutione creditor tenetur reddere instrumentum debiti, *ex dissoluta* C. *de condict. ex Leg.* sicuti ubi redditur, præsumitur solutum, *l.* 2. §. 1. *ff. de Pact.* ita ubi non est redditum, præsumitur non esse solutum, *Ruin. consil.* 44. *n.* 3. *lib.* 1.

DECISIO XXIX.

Post compensationem liberatus debitor chirographum seu instrumentum debiti à quocunque possessore repetit.

QUemadmodum chirographum seu instrumentum debiti post solutionem & quidem à creditore per condictionem sine causâ. (1) Ab alio possessore actione ad exhi-

Digitized by Google

exhibendum atque vindicatione reperitur, (2) ita etiam his actionibus post omnem debitoris liberationem experiri licet, (3) adeoque & post compensationem quæ pro solutione est. (4) Nec excipitur cessionarius creditoris, modo adversus eum compensatio aut ejus exceptioni adversus eum locum habet. (5) *In causâ Heinrich von der Decken, contra die Isendorffe die 6. Junii Anno* 1654.

1. *l.* 2. C. *de condict. ex leg.* quia causa ob quam penes creditorem fuit, desinit. *Sichard. in d. l.* 2. *n.* 2.

2. *l. fin.* C. *ad Exhib.*

3. *Ita in hac l. fin.* C. *ad exhib. cuilibet naturaliter liberatio tribuitur ista actio.*

4. *l.* 4. C *de Compens. l. vel permutavit.* 19. *ff. de lib. caus. l. si debitor* 4 *ff. qui pot. in pign.*

5. Non semper quæ contra cedentem objici potest exceptio compensationis, etiam contra cessionarium valet, *uti latius expositum vide apud Fabr. in C. lib.* 4. *tit.* 23. *defin.* 3. *per tot.*

DECISIO XXX.

Oblatio sola non sistit cursum usurarum, at præpedit, nisi aliud conventum fuit.

DE oblatione pecuniæ certo die debitæ circa modum, quo facta fuerat, orta disputatio ejus quæstionis definitionem præposcebat, utrum oblatio ab usuris liberaret, quod si negandum esset, inanis futura est prima illa de modo oblationis disputatio. Existimatum est, quâ effectum oblationis discerni debere inter finiendum cursum usurarum, & inter impediendum, ne currere incipiant. (1) Quod illum attinet, etsi nonnulli sic sentiunt, solam oblationem sine obsignatione atque depositione usurarum cursum sistere, caret tamen juris autoritate. Contraria sententia magis legalis, verior atque communior, adeoque & in praxi forensi receptior est; (2) Aut ut non incipiat cursus usurarum sola oblatione effici potest, (3) quod ista à mora excusat; (4) creditorem accipere recusantem in mora constituit; (5) ideo etiam à moræ pœna qualis est usura, liberat. (6) Quod ita accipiendum, nisi aliud conventioni inter creditorem & debitorem convenit. Id consideratum *in causâ Frid. Sitman, contra Dieterich Massoven, die* 20. *Junii Anno* 1654.

1. Hanc distinctionem secutus est Senatus Pedemontanus apud Fabrum *in* C. *lib.* 8. *tit.* 29. *def.* 40. Ratio cuilibet suggerit difficilius sisti usuram, quam non incipere. Ne mora contrahatur, ideoque usura deberi incipiat, sufficit per aliquem non stetisse, ut solvat, *l. si per te* 9. C. *de Us.* At ut semel debita currere desinat, id satis non est, sed requiritur fieri, quod solutionis vice est, sc. obsignationem & depositionem, *l. acceptam* 19. C. *eod.* Mora enim semel facta semper durat, & usuras perruat quousque solvitur, aut pro soluto habetur, *l. Titia* 87. §. *usuram ff. de Legat.* 2.

2. *Hæc latius confirmat & explicat Zanger. in tract. de Exception. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 93. *mult. sequentib. quo lectorem remitto.*

3. *l. si creditrici* 6. *d. l. si per te* 9. C. *de Usur.*

4. *l.* 2. C. *de Pact. int. empt. l. pen. ff. de fœnus naut.*

5. *l. si soluturus* 39 *ff. de Solut.*

6. Oblatione sola pecuniæ evaditur pœna, *d. l. pen. ff. de Fœn. Nautic. l. trajectitia* 23. *ff. de Obligat. & Action.*

DECISIO XXXI.

Ad oblationem justam quæ sunt necessaria.

DUplex est oblatio, alia realis, alia verbalis tantum. (1) Discernenda omnino, ubi quæritur de effectu, præsertim cum per istius exceptionem debitor liberationem intendit. Quod illam attinet necesse est, primo omne id quod debetur offerri, (2) non tantum sortem, sed etiam accessiones & quidem integrè non particulatim. (3) Deinde ut idipsum quod debetur, offeratur. (4) Cum debetur pecuniæ certa species, in ea fieri debet oblatio: (5) si tantum quantitas in moneta bona & non improbâ. (6) Tertio ut offeratur in loco congruo, ubi debetur, (8) Quarto ut præsens sit pecunia, quæ solvenda in conspectu debitoris. (9) Quinto ut numeretur in præsentia creditoris, quo præsentem & pecuniam debitam esse intelligat, aut si ille numerationi interesse recusat, coram aliis id fiat. (10) Sexto ut hæc testato peragantur. (11) Quorum aliquo omisso non habetur ritè & justè facta oblatio atque effectu caret. (12) Verbalis quidem desideratetiam, ut offeratur totum congruo tempore & loco, in specie aut monetâ debitâ, at non actualem præsentationem seu præsentiam pecuniæ & numerationem, sed absolvitur iis verbis, quibus quis se paratum ad solvendum dicit atque sistit: (13) Quando autem hujus non is est effectus qui istius, ideo antequam de requisitis disceptatio aut probatio admittitur, diligenter considerandum erit, quali ad id de quo agitur oblatione opus sit. (14) Ubi de eo res dubia & incerta est, realis tanquam plenioris requisita ad disputationem admittenda sunt. (15) Etsi deinde apparebit verbalem sufficere, non est ex eo causæ præjudicium, sed præstat etiam quod ex eventu tantum inutile est, in examen admittere, quam in dubio cum periculo vel præjudicio litis præcipiti excludere. (16) Quando

Digitized by Google

itaque appellans in articulis oblationis realis requisita comprehendit, etsi non levibus rationibus videretur, eam non requiri, sed verbalem sufficere, quia tamen certum nondum erat, sed ulteriore discussione egebat, ad ulteriorem deductionem sunt admissa. (17) *In eadem causa.*

1. Ita JCti vulgo dividunt, & diversas species oblationis faciunt ex diversitate modi & effectus.

2. *l. acceptam 19. in pr. verb. acceptam mutuo sortem offerat* C. *de Usur.*

3. *l. obsignatione 9. verb. totius debitæ pecuniæ C. de solut. d. l. acceptam 19. verb. sortem cum usuris l. ult. verb. universum tam sortis quam usurarum. C. debit. vendit. pignor.*

4. *d. l. obsignatione verb. debita pecunia l. creditor verb. quod vos deberi confidatis.* C. *de Pignorib.*

5. *Arg. l. si is cui 94. §. fin. autem commune ff. de solut. l. sed etsi non 10. ff. de Accepti l. pecunia 19. §. si putem 3. ff. de Condict. indeb.* Debitor thalerorum non solvet in aureis.

6. Ea quantitas intrinseca & extrinseca præstanda quæ fuit tempore contractus. *Carpzov. in Jurispr. forens. part. 2. constit. 28. defin. 4. & 5.*

7. *d. l. obsignatione 9. verb. si eo loco ubi debetur solutio celebrata fuerit l. pen. ff. quod cert. loc.*

8. *l. si solvturus 39. verb. si opportuno tempore ff. de solut.*

9. *d. l. obsignatione 9. d. l. acceptam 19. Zanger. de Except. lib. 3. c. 2. n. 85.*

10. *Zanger. d. l. Fab. in Cod. lib. 8. tit. 29. defin. 54. num. 5.*

11. *Zanger. d. cap. 2. num. 77. per l. si creditrici 6. l. acceptam 19.* C. *de Usur. l. 11. C. de susceptorib.* Hoc non facto constare non poterit, an facta sit, ita ut oportet.

12. *Hoc manifeste indicatur in l. obsignatione 9. verb. sed ita demum oblatio debiti liberationem parit.* C. *de Solut.*

13. *Vid. de hoc Zanger. dict. cap. 2. num. 50. & seq.*

14. Effectu hæ species multum discrepant, & verbalis nudæ modicus effectus est, quia non tanta est ex ea accipiendi obligatio, quanta est ex accedente verbis re ipsa, *l. qui decem 71. ff. de Verbor. Obligat. l. fin.* C. *debit. vendit. pignor. l. fin.* C. *de Luit. pign.* Cogitare potest creditor non adesse, ideo de recipiendo vel receptionem offerendo dubia cogitatio est.

15. In dubio qualis fieri debeat oblatio realis requiritur, tanquam legibus cum de liberando agitur requisita, *d. l. obsignatione 9. d. l. acceptam 19. & per omnes fere textus juris, ubi de obligatione agitur.* Quos interpretes de reali explicant.

16. In disputationem judex tanquam pertinentia admittit, quæ aliquo modo ad causam faciunt aut facere possunt. Et si de eo dubitetur, in dubio admittuntur, *c. cum contingat. de offic. delegat. Castrens. in l. 1. num. 3. ff. si quis caution.*

17. Præstat sub principio admittere dubia in tempore, quam post vulneratam causam, ubi deinde in litem veniunt revocare, *arg. l. fin. C. in quib. restit. in integr. non est necess.*

DECISIO XXXII.

Obsignatio & depositio sine legitimâ oblatione non liberat à debito.

EST quidem ita moris juri communi congrui, ut debitores pecuniam quam debent, cum creditor solutionem recipere nolit, obsignent & deponant, eaque depositio effectum liberationis habeat, tam à sorte quam ab usuris; (1) attamen ut eo potiatur, necesse est factam fuisse ex præscripto legum seu cum iis requisitis, quæ per jus ad illam obsignationem atque depositionem exiguntur. (2) E quibus præcipuum est, ut fiat prius creditori oblatio, (3) & quidem talis, qualem lex pro qualitate negocii requirit: (4) qua sine frustra sit depositio. Deinde necessaria est creditoris seu partis adversæ citatio seu advocatio ad videndum deponi. (5) Ad quod porro necessarium est, prius pecuniam numerari, sacculo includi, obsignari. (6) Siquidem apparet justo tempore creditor, eo præsente ista fiunt, & factis talibus realiter fit depositio, (7) in judicio, (8) vel ubi aliàs placet, (9) Eo vero absente coram actis ista prius facienda & ibi consignanda sunt, quo constet cuncta illa sic fideliter atque solenniter, utpar est, fuisse facta. (10) Querebatur appellans nihil aliud in ea depositione, in qua adversarius pro liberatione suâ semet fundabat, factum fuisse. Negabat sibi oblatam eo die, quo solvi debuit, pecuniam; (11) nec paratam in Imperialibus, qui debebantur fuisse, (12) sed quæsitos adhuc illos, præsentatos quidem pro iis aureos cum aliquo additamento duorum grossorum, sed non tanto quod supplerent, quam intererat species conventas solutas fuisse. (13) Altero post constitutum terminum die oblatam in his solutionem, sed non realiter, (14) nec testato. (15) Famulum tantum ad ipsum missum intimasse dominum jam Imperiales solvere velle. Inde post aliquot demum dies ipso non citato, nec audito, imo plane nescio depositionem factam, at ita ut debitor domi crumenas clauserit & obsignaverit, ita obsignatas ut depositas ad judicem detulerit. (16) Et hæc ita comparata fuerunt, ut viderentur mereri, ut per appellationem interpositam admitterentur *in eadem causa.*

1. *l. obsignatione 9. C. de solut. l. acceptam 19. C. de Usur.*

2. *Zanger. in tr. de Except. part. 3. cap. 2. num. & seq. Carpzov. Respons. Electoral. 99. num. 3. lib. 5.*

3. *l. si creditrici 6. C. de usur. d. l. obsignatione 9. C. de Solut. ult.* C. *deb. vind. pign.*

4. Ex præcedente decisione apparet, non ubique eundem modum oblationis requiri, sed aliquando realem esse necessariam, aliquando verbalem sufficere. De quo ex diversitate casuum statuere oportet.

5. Hic solitus & ordinarius depositionis processus est, necessario observandus tanquam solennis.

6. Tria hæc sunt obsignationis requisita numeratio, inclusio in saccum & obsignatio. *Carpzov. dict. respons. 99. num. 24. & seq.*

7. Hæ

Digitized by Google

7. *Hoc est quod Cti vocant, solenniter deponere.*

8. *d. l. acceptam 19. verb. in publico depone C. de Usur.*

9. Potest etiam apud alium quemvis depositio fieri, sicut more hoc receptum. Titius tamen ideo melius habetur apud judicem, & ejus jussu depositionem fieri, *l. ult. ff. de Leg. Commissor. l. 5. §. 2. ff. depos. l. ait Prator. 7. §. sed etsi 2. ff. de Minorib. Zanger. de Except. lib. 3. cap. 2. num. 86.*

10. Et sic ex consuetudine moderna eaque valde rationabili atque nisi sic servatur, ut depositionem integrè & syncerè factam esse constet, ne controversiis quæ postea facile oriuntur, occasio sit.

11. Præcisè tempus debitæ solutionis in oblatione observandum est, *d. l. obsignatione 9.* Post diem facta non proficit. *Zanger. dict. cap. 2. num. 75.*

12. Species nummorum quæ debentur, offerendæ sunt. Aliæ oblatæ non præbent causam liberationis, etsi cæteris omnibus factis. *Carpzov. dict. resp. 99. num. 16. seq.*

13. Non tenebitur creditor invitus aliam sortem nummorum recipere, quam de qua sonat conventio, *l. 1. ff. de reb. cred.* Deß Reichs Müntz Ordnung §. deß jetztgemeldten *vers.* Aber was hiebevor non quantitas; sed species in eo debetur. Quod si tamen debitori creditor eam necessitatem remittat, tunc vicissim præstandum, ut omnia habeat speciebus solutis habiturus, *l. 3. ib. Dd. ff. de reb. cred.*

14. Qua liberationem à debito realis oblatio desideratur. Qui dicit se paratum solvere etsi testatò, nihil obtulit, *l. cum servus 82. ff. de Cond. & demonstrat. l. Julianus 13. §. offerri ff. de act. empt. Zanger. d. cap. 2. num. 51. seq. ubi hanc veriorem sententiam esse dicit & comprobat.*

15. Quam quis non præsentibus testibus oblationem facit, fecisse non habetur, quia probare nequit, *Zanger. dict. cap. 2. num. 77. seq.*

16. Caret hæc depositio præcipuis requisitis, quibus ex legis præscripto atque consuetudine eget, quæ refert *Carpz. d. resp. 99. num. 24. & seq.*

DECISIO XXXIII.

Oblatio sola verbalis an impedit debitum usura & pœna.

QUando in eo conveniebat oblationem efficere, ut usuræ non incipiant ulterius deberi, quærebatur qualis oblatio ad præpediendum usurarum debitum, ut & pœnæ conventæ meritum requirebatur, utrum sola verbalis sufficiat? Re exactius consideratâ conclusum est istam sufficere, (1) tum quia à mora, ex qua usuræ debentur, excusat; (2) tum quia adversarium seu creditorem in mora constituit, (3) ejusque in accipiendo mora efficit; ut nec prior debitori imputetur, (4) Nec enim potest alicui imputari, cur non solvat, aut realiter non offerat, cum creditor se non recepturum esse dicit. (5) *In eadem causa.*

1. *Hanc sententiam tenuit Arumæus in tr. de usur. cap. 7. num. 4. eumque secutus Hellig. ad Donell. lib. 16. cap. 13. lit. A. quem etiam in pronunciando secutus est Senatus Pedemontanus apud Faber. in C. lib. 8 tit. 29. def. 40.*

2. *l. quod si Ephesi ff. de eo quod cert. loc. l. 3. §. redditum 5. C. de distract. pignor.*

3. *l. si rem 9. §. fin. ff. de Pignor. actior.*

4. Ultima mora nocet, *l. fin. ff. de Peric. & Comm. rei vend.*

5. Hoc omnino accedere debet, ut mora inducatur, & quæ potissima ejus causa est.

DECISIO XXXIV.

Justa oblatam solutionem recusandi causa efficit, ut oblatio vel depositio non liberet, & quæ illa.

INter alia gravamina, quibus iniquitas sententiæ liberationem ex depositione statuentis arguebatur, hæc quoque proferebatur, quod oblatam pecuniam non recipiendi causa actori fuerit. (1) Ex qua ut factum non recipientis excusatur, (2) ita recusatio non potest locum facere depositioni, (3) consequenter hæc effectum liberationis alium ve non capere. (4) Justam vero oportet esse eam recusandi causam. (5) Pro qua ea est censenda, quæ conventioni congrua est, veluti si non offertur solutio ut debetur: (6) Et quidem si eo die non solvitur vel solutio non offertur, quo solutionem fieri convenit, justè receptio recusabitur, (7) modo etiam creditoris aliqualiter interest. Quo sine non recipere malitiæ foret exquâ actio non præbenda foret. (8) Interesse autem putabitur, si jam pœna commissa sit, (9) aut usura currere cœperit, ac huic juri quæsito præjudicium quoddam ex receptione imminet. (10) *In eadem causa.*

1. Deficit motæ objectio vel accusatio ex non improbâ dilatione vel reluctatione; *l. si quis solutioni 24. ff. de Usur.*

2. Juste non recepit qui recipere non tenetur, *l. qui Romæ 122. pr. ff. de Verb. Oblig. l. qui decem 72. pr. ff. de Solut.* ideo injuste ei offert qui aliter solvere tenetur.

3. Ut depositio effectum habeat, oportet illam ex recusatione alterius esse justam & necessariam *l. acceptam 19. ib. gloss. & Dd. C. de Usur.*

4. *Zanger. de Except. part. 3. c. 2. n. 9.*

5. *l. sed etsi alia 17. verb. nec ulla justa causa fuit non recipiendi ff. de constit. pecun.*

6. *Zanger. dict. cap. 3. num. 7.* Ratio est quod sic offerri debet, ut debetur, quoad recipiendum creditor sit obligatus, *de l. qui Romæ de verb. oblig. d. l. qui decem de solut.*

7. *l. obsignatione 9. C. de solut.*

8. *d. l. sed etsi alia 17. ff. de Constit. pecun. Zanger. dict. c. 2. n. 75. seq.*

9. Pœna committitur statim, quando die dicto, ut conventum, non solvitur, nec oblatione secutâ mora purgatur, *l. trajectitia 13. ff. de Oblig. & act.*

Digitized by Google

10. Damnum ex receptione facit justam recusandi causam. *Zanger. dict. c. 2. n. 9.*

DECISIO XXXV.

Ex recepta parte debiti, etsi id aliquot vicibus factum fuerit non obstringitur creditor imposterum ad partialem solutionem recipiendam.

QUando creditor à debitore suo aliquot vicibus partem quandam crediti acceperat, hic de solido reliquo conventus male excipit, se non ita, sed tantum ad particularem solutionem teneri, nec audiendus est cum partem offert. Ex receptione partis non oritur aut abdicatio petitionis solidi, (1) aut novatio obligationis, (2) quæ nec præsumitur. Quod creditor ex humanitate erga debitorem parte aliquandiu contentus fuit, haud ipsi nocere debet, (3) ut inde incommoda partialis solutionis imposterum subire debeat: (4) nec debitori indulgeri, ut contra fidem datam & juris regulam ideo lite creditorem vexet. (5) Sic existimatum *in causa Petri Ernsten contra Albinum Behren die* 21. *Junii* 1654.

1. *l. si quando* 35. §. *& generaliter* 2. *C. de Inoffic. testam.*

2. *l. fin. C. de Novat.*

3. Beneficentia & humanitas sua in ipsius injuriam & incommodum verti non debet, *l. filio* 7. *ff. ut Legat. vel fidei comm.*

4. Habet partialis solutio & acceptio plura incommoda, *l. planè* 3. *ff. fam. ercisc.*

5. Partialem solutionem creditor non cogitur recipere invitus, *l.* 3. *ff. de reb. cred.*

DECISIO XXXVI.

Belli clades non liberant à rationibus.

DE rationibus reddendis conventi obtendebant belli clades, inde desolatos fundos, nullos perceptos fructus, nudam suam detentionem pro crediti securitate. Hæc quidem efficere queunt, ut ubi usus vel fructus nullus, nihil in rationes redigi queat, ejusque ratio ex vi majore reddatur: (1) at ut ad nullas ideo rationes teneantur, haud sequitur, (2) sed nihilominus oportet tum de innocentia, (3) tum de non perceptis exinde fructibus, nec non de bonorum deperdito statu respondere. (4) Ut iis quorum interest, constet, cur nihil utilitatis habeatur, & contrarium demonstrare integrum sit. *In causa Ernst Lepels creditorum contra Jochim Christoff von Horn die* 22. *Junii Anno* 1654.

1. Casum fortuitum nullo judicio bonæ fidei præstare oportet, *l. quæ fortuitis* 6. *C. de Pignor. action.*

2. Non statim casum conquerentibus facilè credendum est, *l. sicuti fin. C. de Fed. Instrum.*

3. Multis modis casui seu vi majori intercidit culpâ & morâ, ut ex ea vel oriatur vel remedium ejus mature non habeatur. Inde etsi possessor de casu non tenetur, de culpa tamen vel mora casum antecedente vel incidente teneri potest, *l.* 1. §. *& illo quidam ff. de Oblig. & act. l. si ut certo* 5. §. 2. *ff. commod.*

4. Etiam tunc ratio redditur, cum quare nihil percipi potuit, allegatur & demonstratur.

DECISIO XXXVII.

Negociorum gestori facta solutio non liberat nisi ex ratihabitione.

QUemadmodum falso procuratori facta solutio non liberat debitorem solventem, (1) ita nec negociorum gestori facta, qui in talibus quæ sine mandato fieri non debent falsi procuratoris instar habet, (2) nisi accesserit ratihabitio ejus ad quem pecunia pertinet. (3) Nec habet quod conqueratur debitor isti solvens; nam suæ negligentiæ acceptum ferre debet, quod in solvendo ei cujus debitor non fuit, tam supinè negligens fuit, (4) ut mandatum non poposcerit, aut de ratihabitione inque casum ejus non secutæ indemnitatis securum reddere non curârit, (5) *In causa Cancellarii Reventlavven, contra Joachim Greven & Fritz Baaken, die Julii Anno* 1654.

1. *l. vero* 12. *pr.* §. *seq. ff. de solut.*

2. *l. qui hominem* 34. §. *si genere.* 6. *l. si quis offerenti* 58. *pr.* §. 1. *ff. d. tit.*

3. *De quo pulchre d. l. si quis offerenti* 58. *in pr.* Etiam postquam dominus ratum habuerit falso procuratori datum liberat, *d. l. vero* §. *fin.* ubi additur hæc ratio, ratihabitio mandato æquiparatur.

4. Sibi quisque negligentiam suam imputet, *l. pupillus* 24. *ff. quæ in fraud. cred.* ad alienam autem non referat injuriam, *l. Imperatores* 3. *ff. de Transact.*

5. Hæc sunt usitata sibi cavendi media, quando ei solvitur, de quo an rectè solvatur, dubium est. Quæ omittens postea de se queratur, *l. argentarius* 10. §. *fin. ff. de Edend.*

DECISIO XXXVIII.

Creditor cujus causâ, quia recipere noluit, fit depositio, de hac lite pendente pecuniam recipere volens audiendus est.

DEpositione ideò factâ quod creditor tanquam non justo tempore modoque oblatam pecuniam recipere recusaverat, inde lite super eo, quod istius intererat, suborta, an petitioni pecuniæ ex depositio locus esset invito debitore? in quæstionem veniebat. Existimatum est, cum de debito constabat, nec controversum erat tan-

Digitized by Google

tantum atque depositum erat, præstandum esse, restitutionem decerni debere. Oritur quippe ex depositio creditori actio ad repetendum tanquam suum. (1) Cui consequens restituendi necessitas, (2) eo magis, quando depositio creditoris causâ facta est, (3) nec debitoris interest eam non solvi. (4) Nec impedit lis adhuc durans & imposterum continuanda, quod illa non super eo agitatur, an debeatur, (nam deberi liquidum erat, nec sub lite versabatur, quod solutionem justè remoretur,) sed tantum an ultrà id quod depositum fuit alicujus rei actori petitio sit. (5) De quo ambigua disceptatio, non debet liquidi solutionem remorari aut depositionem ulteriorem necessariam facere; Quam malitiosè exigit qui solvere debet, & à cujus partibus orta est depositionis occasio. Iniquum porro foret sub obtentu litis alterius alicui impingere, ut suo tamdiu careat, aut litem remittat. (6) Imo & contra fidem deponentis. (7) Audiendus itaque fuit non attentâ contradictione creditor, qui depositam pecuniam exhiberi & tradi petit. (8) Uti factum *in causa Friderici Sitmanns, contra Diterich Massoven, die 26. Sept. Anno* 1654.

1. Etsi debitori pecuniam deponendi directa manet actio, *l. 1. §. est autem 22. ff. depos.* utilis tamen datur contra depositarium creditori, cujus causa facta est depositio, *l. acceptam 19. in fin. C. de Usur.* Æquitas hoc suadet, ut tali actione non careat, ad quem res ea pertinet, *l. pen. in fin. C. ad Exhib.*

2. Hæc actioni ex depositio consectaria est, *l. 1. pr. ff. depos.*

3. Potior semper est ratio ejus, propter quem quidquam fit, quam qui facit. Propter quod unum quodque tale est, id magis tale est. *Auth. Multo magis C. de SS. Eccles.*

4. Malitiæ nec permittendum est alium alterius petitioni injustè reluctari, ubi ejus non interest, *l. creditoris 15. §. fin ff. de Furt.*

5. Ex lite plane diversa non potest esse locus denegationi debiti liquidi, quod nec propter ullum illiquidum obtentum potest differri, *l. statuliber, 5. ff. de Statulib.* multo minus ex lite, de qua nihil opponens exspectat, sed alter petit.

6. Debitor quia hoc animo deponit, ut vellet creditorem habere, perinde est atque si ille jam tradidisset, & hic possessionem & dominium nactus esset. *Zanger. in tr. de Except. part. 3. cap. 2. num. 142.*

7. *l. si se non 4. §. ait. Prator. 3. ff. de Re judic.*

8. Huic repugnat depositum negare, cum creditoris causa deponitur, perinde est ac si ipse deposuisset, *uti latius explicat Zanger. dict. cap. 2. num. 143. & seq.*

DECISIO XXXIX.

Cessio rei solennis non est sufficiens argumentum factæ solutionis.

APpellans in causa de soluto indebito solutionem ex solenni rei venditæ cessione probare volebat, at non admissus se gravatum putabat. Non magis autem quam rei venditæ traditio probat solutionem precii, sufficit istiusmodi cessio, quæ traditionis instar habet ad eam probationem. (1) Etsi enim rarius res ante solutionem traduntur, (2) tamen non sequitur, nunquam nisi ea facta tradi cum sæpius & sine ea fiat. (3) Nec facit in libro publico coram quo cessiones solennes expediuntur scriptum legi, emptorem precium dare, *hingegen gibt zum Kauffschilling dreyhundert Gülden*; nam ne hoc factum aut præteritum, sed conventum & adhuc faciendum indicat. (4) Non recepta ideo appellatio sed tantum ut circa processum præsertim transmissionem actorum ad JCtos extraneos recte ageretur rescripto subventum est, *in causa Andreæ Albrechten, contra Provisores des Closters S. Johannis in Stettin, die* 10. *Novembr. Anno* 1654.

1. Diversa ea plane sunt: Tradere rem est venditoris, solvere precium emptoris. Nec cum venditor implevit, sequitur impleviſse etiam emptorem. A diversis talis non valet illatio, *l. fin. ff. de Calumniat.*

2. *l. Julianus 13 §. offerri 8. ff. de action. empt.*

3. Consueta fieri etiam facta esse præsumuntur, at ita demum si nunquam aliter actus sit. Ubi secus fieri constat, non valet à consuetis argumentum & præsumptio. *Paris. consil. 53. num. 16. vol. 2.*

4. Multum interest, utrum in libro publico habetur præteritum, sc. factam esse solutionem & hoc ad probandum eandem vim habet atque instrumentum publicum Secus est cum de præsenti sonat. Quia enim non ut cessio sic solutio coram libro publico peragitur, non factam esse tum solutionem sed adhuc faciendam esse rectius arguitur.

DECISIO XL.

Pecunia in judicio deposita periculo ejus est per quem stat, ne solvatur.

CUm pecunia sub lite inter debitorem & creditorem in judicio deposita à Principe ablata & in usus ipsius conversa esset, in disceptationem venit, utrum à debitore iterum solvenda ideo ejus periculo sit, an creditoris? Cum sententia prioris instantiæ ex bonis debitoris iterum illam in concursu creditorum adjudicaverat, appellatione interposita atque introducta existimatum fuit, nondum eo progrediendum, sed prius discutiendum esse, penes quem steterit, ut non solve-

Digitized by Google

solveretur, ejusque ex mora quadam sua esse periculum. (1) Si apparebit ut allegabatur, creditoris causa id factum, quod injunctam sibi liquidationem, quam adversa pars instanter urgebat, perficere cunctatus esset, (2) ideo vero prædium retinere, iniquum, inde eo depositione facta cedere jussus, non poterit non casus pro quo factum principis reputandum, (3) ipsius periculo esse, tum ob moram, (4) tum ob præstitam depositioni causam; (5) tum depositionis effectum, quia illa solutionis instar habet & liberat. (6) Quod itaque sic pro gravamine allegabatur ad ulteriorem discussionem admitti meruit *in concursu Creditorum Siverdi Dechovven die 25. Januar. Anno* 1655.

1. Mora transfert periculum in eum, qui in mora accipiendi fuit, *l. si per emptorem 5. l. illud 17. ff. de peric. & com. rei vend.*

2. A mora excusatur qui paratus est judicium accipere, ille vero in mora est qui alio parato cessat, *l. paratum 47. ff. de usur.* vel qui non juste ad judicium provocavit, *l. si quis solutioni 24. pr. ff. eod.*

3. *l. Lucius 11. ff. de Evict.*

4. Ex mora creditoris desinit periculum esse debitoris & fit illius. *l. qui decem 72. in pr. ff. de solut. l. stipulatus 105 ff. de V. O.*

5. *Tenet. in tr. de Mora. num. 28.* Pecunia deposita vel sequestrata non amplius contra deponentem sed contra sequestrem actio est, *l. ei apud 5. §. 1. ff. de depos.* & si ille inidoneus sit, periculum est ejus qui sequestrem impetravit aut causam præbet judici, ut sequestrationem mandaret. *Fr. Curt. in tr. de Exception. part. 3. cap. 2. n. 178.*

6. *l. obsignatione 9. C. de Solut. l. acceptam 19. C. de Usur.*

Juxta priores decisiones sequens processit pronunciatio.

In Sachen Ulrich Dechowen & consorten appellanten wider Henning Oldenborg Erben und andern Siverd Dechowen Creditoren Appellaten/ werden die gravamina, betreffend die Oldenburgische Forderung der zweytausend sechshundert ein und viertzig Gülden sechszehen Schill. wie auch sechstausend Gülden/ als nicht unerheblich zu weiterer Außführung angenommen/ demnach Appellaten von eingebrachtem libello Copey erkannt / und auff den 6ten und folgenden Articul biß zum 29ten inclusive proxima rechtlich zu antworten sub pœna contumaciæ aufferleget/ wegen der prioritat der Ehegelder seyn die gravamina überflüssig und wird bey der den 16ten Decembr. Anno 1651. publicirten Urthel gelassen / mit der Erläuterung/ daß so viel Eggard Dechowen Antheil in Pantelitz betrifft / daran die Oldenburgische Erben billich dieselbe vor Appellanten behalten/ am übrigen ihres Vatters Theil aber vor deroselben contentirung sich dero nicht zu gebrauchen haben / der fünffhundert zwey und achtzig Gülden halber ist wohl gesprochen / übel appelliret / sonsten so viel die Zinsen angehet / wann appellanten sich erklären werden/ inmassen dann sie inwendig sechs Wochen zu thun schuldig seyn sollen / daß sie der jüngsten Reichs-Constitution in Befriedigung der creditoren geleben wollen / soll alsdann darauff ferner ergehen was recht ist / biß dahin dann was zur administration und Nutzung der Güter gehörig / außstellet bleibet / von Rechts wegen. Publicatum den 22. Januarii Anno 1655.

(Hoc est.) In causa Ulrici Dechoven & consortum appellantium contra Henningi Oldenborg Hæredes & alios Siverdi Dechoven creditores appellatos, gravamina concernentia Oldenburgicam prætensionem bis mille sexcentorum unius & quadraginta florenorum sedecim solidorum ut & sex mille florenorum ut non irrelevantia ad ulteriorem deductionem recipimus, inde appellato exhibiti libelli copiam decernimus & ut ad articulum 6. & sequentes usque ad 29. inclusivè in proxima debitè respondeat sub pœna contumaciæ injungimus, ratione prioritatis pecuniæ dotalis gravamina sunt superflua & sententiæ 16. Decembr. Anno 1651. publicatæ inhæremus cum hac leuteratione quod, quantum Eggardi Dechoven partem in Pantelitz concernit, in quo Oldenburgici hæredes merito illam ante Appellantes retinent, in reliqua sui parentis parte vero ante eorum satisfactionem eo uti non possint; ratione quingentorum octuaginta duorum florenorum bene judicatum male appellatum, cæterum quantum concernit census, si appellantes se declarent, prout id intra sex Septimanas facere obstricti sunt, quod novissimæ Imperii constitutioni in satisfactione creditorum se conformare velint, tunc desuper ulterius fiet quod juris, quousque quod ad administrationem & fruitionem bonorum spectat differtur idque de jure. Publicatum 22. Januarii Anno 1655.

DECISIO XLI.

Ex chirographi existentia apud debitorem præsumitur solutio & quomodo ea in re procedendum.

PRæsumptione juris solutio facta colligitur si penes debitorem est chirographum (1) quod creditori pecuniæ debitæ nomine datum fuerat, sed ita si simul appareat redditionem à creditore vel ejus consensu factam esse. Quare hanc debitor prius probare tenetur. (2) Quod fit etiam per tales conjecturas, quæ eam verosimilem faciunt; (3) Per quas quidem debitor non absolvitur, probatio tamen in creditorem devolvitur, si alia ex causa aliove modo ad debitorem id devenisse dicit. (4) Quia autem etiam hac in re fraus fieri potest, dum in potestate debitoris

est

est simile chirographum conficere & secum habere, ubi scit illud quod dedit amissum aut in creditoris potestate amplius non esse, ante omnia opus est, de eo constare idem esse chirographum, quod in creditoris manu fuit. (5) Quocirca injungenda est creditori recognitio chirographi, per quam constet idem esse chirographum, quod ipsi debitor dedit, & si neget, tamen aliud ostendere non potest, si ita judici videtur præstito per creditorem malitiæ juramento debitor identitatem jurato obtineat. (6) *In causa Nicolai Demels contra Ottonem Hein die* 1. *Junii Anno* 1659.

1. *l. dissoluta Cod. de Condict. ex leg. Menoch. de Præsumpt. lib.* 3. *præs.* 140. *num* 4.

2. *Menoch. dict. præs.* 140. *num.* 21. *Gravett. Consil.* 500. *num.* 5.

3. *Castrens. in l.* 2. *ff. de Pact.* Ea quæ difficilis probationis sunt & non coram testibus agi solent, levioribus probationibus fidem habent.

4. Conjecturæ quæ præsumptionem faciunt liberant à probandi onere, & hoc in adversarium transferunt *l. fin. ib. Bartol. & Dd. ff. quod vi vel met.*

5. Frustra laboratur de reddito chirographo antequam idem esse constet.

6. Non aliud in talibus nec melius est litium expediendarum medium *l.* 1. *ff. de jurejur.*

In hac causa ita sententia dicta est.

In Sachen Nicolaus Demels Appellanten wider Otto Heyn in ehlicher Vormundschafft seiner Haußfrauen Appellaten in puncto administratæ tutelæ bleibet zu forderst Appellanten in contumaciam der Weg zu ferner production der fürgewandten Quittung verschlossen / und wird in die deßwegen verursachte Kosten verdammet / und wann dieselbe auch was sonsten deß retardati processus halber erstattet werden sol / Appellate eigentlich wird specificiren / ergehet auff richterliche Ermäßigung was gebühret. Und wird ferner erkandt / daß Appellante von denen Appellaten Haußfrauen zugehörigen Gütern eine juratam designationem einzubringen / oder auch proxima jurato daß auffer dem / so er außgeliefferter zu handen nichts empfangen / auch nicht wisse / wo etwas vorhanden / oder was es sey zu erhalten schuldig. Ferner so viel die von dem Creditoren nachgelassene 3350 M. L. betrifft wann Appellat vom dem Gegentheil ad acta gebrachten und vorgegebenen revers sub dato 17. Julii Anno 1639. zusampt dem so darauff oben geschrieben recognosciren / und ob solcher eben derselbe sey / so ihm gegeben und er nach Erlegung der 800. Reichsthaler retradirt / sich wie ers vermittelst Eydes zu erhalten getrauet / erklären / imgleichen was an Zinsen er von den Geldern prætendire / richtig specificiren würde / ergiengs alsdann auch darauff weiter was recht ist. V. R. W.

DECISIO XLII.

Delegatio nominis pro crediti securitate non liberat, etsi quis exigere cæpit, aut negligenter eximere omisit.

POst rejectam delegationis exceptionem cum non appareret insolutum, sed magis in pignus factam esse, (1) restitutione in integrum petita duo allegabantur, ex quibus implorantes se liberatos putabant; Alterum erat, quod qui nomen acceperat, etiam id à debitore exigere inceperat; Alterum quod exactionem intermiserat, alias suo potiri potuisset. Verum ponderatis his allegationibus repertum fuit nullam debitori proficere posse. Primum nihil differt à pignoris prosecutione, quæ ut sola non liberat à nexu debiti; (2) ita nec sola exactio à debitore, cujus nomen creditor insolutum accepit; Sic enim huic datum, ut à debitore exigeretur, non potest liberare nisi acceptum. (3) Ex sola actione non præcluditur ad debitorem recursus, (4) magis quam quod, quia pignora quis persequi nolit, prohibeatur creditor personali actione suum petere. (5) Principium petitionis non obligat aut præjudicat, ubi solutio necessaria, quantum accipitur, hoc tantum insolutum imputatur. (6) Alterum vero opponi creditori nequit, qui nisi velit, non cogitur, (7) nec inde quod nomen pro majori securitate accepit ad agendum obstringitur. (8) Rejecta ideo fuit in talibus fundata pro restitutione in integrum *imploratio viduæ VValtheri Lindsey & D. Johannis Schoneri contra hæredes Joachim Bolten, die* 7. *Junii Anno* 1655.

1. *Junta l. posteaquam* 7. *C. de hæred. vend. l.* 4. *C. quæ res pign.*

2. Non liberat pignus sed securum tantum reddit creditum. Ideo non liberatur debitor ex eo quod creditor pignus persequitur, sed quod distrahitur & pecunia debita inde plena redigitur, *tot. tit. ff. & C. de Distract. Pignor.*

3. *Vid. Carpzov. decis.* 129. *per tot. part.* 2.

4. *Fab. in C. lib.* 8. *tit.* 28. *defin.* 9. *n.* 2. *seq.* ubi hanc rationem addit, quod non in solutum fit talis delegatio, sed tantum pignoris jure nomen cessum mandatæque actiones intelliguntur.

5. Electio hæc creditori competens non nisi solutione exstinguitur, *l. persecutione* 24. *Cod. de Pignor.*

6. Non debet nocere creditori, quod pro credito plus fecerit, quam facere debuit. *Vti in his terminis scribit Faber in C. d defin.* 9. *in fin.*

7. *l. un. C. ut nem. invit. ag.* Ea ratione utitur *Faber d. defin.* 9.

8. Electionis juri hoc foret contrarium, *l. fin. C. de Oblig. & Act.*

Digitized by Google

DECISIO XLIII.

Ad solutionem partialem recipiendam quis ex causa per judicem adigi potest.

REgulariter nemo, nisi ita convenerit particularem solutionem recipere cogitur. (1) Ex causa tamen fit, ut æquum sit, ideo etiam judex ut recipiatur, non injustè decernat. (2) Consequens hoc est potestati dandi dilationes, quæ est penes judices, non tantum circa terminos actuum judicialium, sed & quoad illa, quæ in condemnationem venerunt & eorum executionem. (3) Reperta itaque ratione justâ, quæ æquum faciat debitorem ultra partem debiti quam offert non urgeri, justè judex jubet eam recipi & quod reliquum est differri, qualis ista habetur, si debitori integra solutio impossibilis sit, (4) aut ea incidunt tempora, in quibus mimmorum copia haberi nequit, (5) quæ sunt considerata *in causa des Pastoren zu Dambrack, contrà D. VVilcken, die* 10. *Julii Anno* 1655.

1. *l.* Tutor 41. §. *Lucius ff. de Usur. l. plane* 3. *ff. Famil. erciscund. ubi additur ratio, quod particularis solutio multa habet incommoda.*

2. *Ita reperies præscriptum in l. quidam* 21. *ff. de reb. credit. l. fin. ff. quib. mod. pign. vel hypothec. l. cum hæres* 4. §. *item decem* 6. *ff. de Statulib. l. placuit* 4. *C. de Collat. fund. patrim.* Per quos textus apparet & colligitur ex causa particulari solutioni fieri locum atque judici licere eam admittere. *Prætor judicorum ea in re attestantur; Matth. de Afflict. decis.* 377. *num.* 1. *Boer. decis.* 349. *num.* 1.

3. *l.* 2. *ff. de re jud. vid. Coler. de Process. Executiv. part.* 3. *cap.* 6. *num.* 12. *& seq.*

4. Ideo etiam in realibus actionibus restitutionis faciendæ tempus prorogatur, *Mindan. de Process. Execut lib.* 2. *cap. ult. n. ult. per* §. *si. in rem junct.* §. *sed si possessor. Inst. de Offic. Judic.* in pecuniario debita exemplum habet *Boer. dict. decis.* 349.

5. Hanc causam approbavit *Constitutio Imperii* im R. A. zu Regenspurg *Anno* 1654. §. So viel nun die Capitalia ꝛc.

DECISIO XLIV.

Etiam nullâ subhastatione sed saltem justâ æstimatione prævia ex Imperii constitutione recentiori creditor tenetur in solutum accipere bona debitoris.

ETsi contra rationem veteris juris (1) recentior jurisprudentia Justinianea (2) debitoribus hoc beneficium dedit, ut possint bona sua in solutum dare creditoribus, inde his necessitas recipiendi incumbit: multis modis tamen illa per novellam constitutionem restricta est, & inter hos eam conditionem accepit, si emptorem non habeant. (3) Cui hoc convenit, ut prius bona illa exponantur venalia, & emptor quæratur: eo demum non reperto in solutum datio procedat. (4) At nova lex Imperii Romano Germanici (5) mitius hoc determinavit, & illam subhastationem remisit, (6) tantum æstimationem certam requirit: (7) quæ & ipsa indicat sine ea recipiendi necessitatem incumbere creditori, cum nec aliàs finis illius constitutionis obtineri potuerit. Quam secuti, cum offerebatur in solutum prædium, etsi distractio urgebatur, non attentâ hac petitione illam admisimus, tantum æstimationem faciendam esse decernentes *in causa Niclaus Debmels contra Dan. Beckern, die* 2. *Octobris Anno* 1655.

1. *Ad quam pertinet l. cum à quo* 16. *C. de Solut.*
2. *In Novell.* 4. *cap.* 3.
3. *dict. Novell.* 4. *cap.* 3. *verb. si enim non sit.*
4. *Uti explicat Carpzov. in Apsio debitor. cap.* 4. *conclus.* 70. *num.* 143.
5. Im Reichs-Abschied zu Regenspurg *Anno* 1654. §. So viel nun die Capitalia ꝛc.
6. Eam esse mentem hujus constitutionis arguit tum finis ejus tum ratio daß bey den Geldklemmenden Zeiten zu baaren Mitteln nicht zu gelangen; tum quod nihil de illo requisito exprimit; tum quod in æstimationis modo peculiare beneficium concedit, quod competere non posset si prius tentanda distractio.
7. Verba constitutionis vocant eine vorhergehende zwischen den vorigen und gegenwärtigen Zeiten auff das Mittel gestellet billige Satzung.

DECISIO XLV.

Pro recognitione superioritatis & subjectionis debitum in curia vel loco domini est præstandum.

CUm nomine civitatis, quæ pro recognitione tum superioritatis territorialis tum etiam pro impetrato jure gabellarum annuam pensionem debebat, iis penes quos receptio erat, significasset parātam esse pecuniam modò in curiam urbanam mitteretur qui numeratam acciperet existimatum est id esse tum non levi cum præjudicio domini superioris conjunctum (1) tum ab officio subditorum alienum (2) quando ejusmodi recognitio erat nota & confessio cum subjectionis, (3) tū beneficii concessi, ideò in illa honor superiori exhibendus. (4) Quod fieri debet in

Digitized by Google

sua curia (3) nec sine contemptu postulatur ut ipse pro eo recipiendo ad subditos veniret. (6) Videbatur illud desiderium mereri increpationem justam & si non in continenti corrigeretur privationem beneficii *die 12. Octobris Anno 1655.*

1. Sicut in autoritate superiorum est reipubl. firmamentum, ità in omni ejus diminutione est boni publici corruptela.

2. Hujus potior pars est ex divino & humano jure honor cuique magistratui debitus *ad Roman. cap. 13. vol. 11.*

3. *De quali vid. Matth. Stephan. de jurisdiction. lib. 2. part. 2. c. 7. n. 49. seq.*

4. Recognitio beneficii est honor qui praestatur benefacienti ideò sic praestanda ut ad honorem pertinet. Nec enim in ista spectatur utilitas sed domini majestas vel autoritas. *Quetta consil. 27. num. 13. seq. vol. 1.*

5. Hoc omnium recognitionum proprium est ut exhibebantur in curia vel domo domini seu superioris. *Schrader. consil. 36. vol. 2.*

6. Mos & consensus gentium ità constituit ut inferior ad superiorem veniat. Unde non sine crimine est aut certè criminationem meretur ubi inferior tale quid à superiore exigit ut ad se veniat vel secum debita sua recipiat.

DECISIO XLVI.

Solvens ei quem mandatarium creditoris putavit, non liberatur nisi mandatum vel ratihabitionem doceat.

INter regulas juris habemus, ut solvi non debeat, nisi cui debetur. Ideo qui solvit alii, non liberatur, (1) nisi accedit causa, quæ obligat creditorem, ut perinde habeatur sibi an alii ipsius causâ sit solutum. Cujusmodi triplex traditur. Officium, (2) Utilitas, (3) Voluntas. (4) Hæc vel præcedit vel sequitur solutionis actum. Illud fit vel adjectione alicujus personæ solutionis causâ (5) vel mandato eoque aut generali aut speciali (6) hoc per ratihabitionem quæ mandato æquiparatur. (7) Non sufficit credere aliquem habere mandatum ad recipiendam solutionem, sed oportet de eo constare, ideo & qui ex eo liberationem allegat & fundat probatione opus habet. Haud enim præsumitur. (8) Nec proficiet ostendisse aliquem se nominasse aut gessisse ut creditoris procuratorem, (9) cum ejus simulatio vel mendacium non debeat nocere ignoranti, (10) potius, cum alterutri eam nocere opus, obesse ei quem decuit ante omnia de jure & potestate accipiendi qua cum qui recipere voluit inquirere. (11) In quo qui negligens aut credulus est, sibi suæque facilitati imputare debet. (12) Frustra allegabitur enim qui se mandatarium dixit gessisse negocia creditoris. Nec enim & ei solvi potest aut ei solvens liberatur cum meliorem quidem conditionem facere non deteriorem possit. (13) Quando igitur accidit aliquod solvisse ei, qui ut procurator ipsis hordeum vendiderat, sed quem habuisse mandatum non constabat, actor negabat haud visum absolvendos illos mandatum obtendentes nisi probent, (14) præsertim cum in adversum essent præsumptiones mandati non dati, tum ex nulla in contractu factâ mentione mandatarii; (15) tum quod creditor miserat cum hordeo scribam, qui id venditum mediante mensurâ traderet; (16) tum quod in contractu modus solutionis dictus erat non congruus voluntati, ut mandatario solveretur quia constituto tempore solutio Lubecæ fieri debebat. In quo consentiunt partes id saltem est, quod quem rei dicunt mandatarium scripsit ad venditorem nunc creditorem, exploraturus an vendere velit hordeum & recepit probam quam empturus exhiberet. Verum id ad mandatum non sufficit. Hoc in ipso contractu requiritur. (17) Cætera quæ antecedunt mandati non sunt argumentum; proxenetæ officia sunt, per quæ alius nisi per accessum suæ voluntatis de solutione ipsi faciendâ non obligatur. (18) Unde necesse erit hoc manifestè probare. Uti judicatum *in causa Cancellarii Detloff Raventellovven contrà Fridericum Backen & Consortes die 17. Octob. Anno 1655.*

1. *l. cum maritum 11. C. de Solut.*

2. Tale quod repræsentat eos, quorum causa geritur, quomodo solvitur recte cum effectu liberationis tutoribus. *l. Lucius 26. §. tutela 5. ff. de Admin. Tut.* & Curatoribus *l. quod si forte 14. §. curatores 7. ff. de Solut.*

3. Ob hanc liberatur qui creditori creditoris solvit, utut sine mandato. *l. solutum 11. §. solutam 5. ff. de pignor. action.*

4. Sine qua nec conjunctæ personæ facta solutio proficit *d. l. cum maritum 11.*

5. Solvens adjecto ipsi creditori solvere videtur. *l. vero 12. in pr. l. qui sibi 33. qui hominem 34. ff. de Solut.* inde plenariam consequitur liberationem. *§. si qui 4. verb. planè instit. de inutil. Stipul.*

6. *l. vero 12. pr. §. 1. ff. de Solut.*

7. *d. l. vero 12. §. fin. ff. eod.*

8. *Vid. Menoch. de Præsumpt. lib. 2. præs. 33. num. 1. seq.* ubi docet tam quod ad negotia datur, quam quod ad lites spectat quin facti est extra præsumptionem esse.

9. Falso procuratori facta solutio non proficit ad liberationem solventi *d. l. vero 13. l. qui hominem 34. & si nulla 4. ff. de solut.*

Digitized by Google

10. Factum falsi procuratoris non potest adimere actionem. *l. Granius 11. §. pen. ff. de fidejuss.*

11. *Pen. ff. ad SC. Macedon. Ratio est in l. qui cum alio 19. de R. J.*

12. *l. 2. §. dolum 2. ff. de eo per quem fact. l. nimia 11. C. de Oblig. & act.*

13. *l. solvendo 39. ff. de Neg. gest. l. si quis offerenti 58. pr. ff. de Solut.*

14. Est enim in eo fundamentum exceptionis quæ fundatur in liberatione, sed quæ sine mandato contingere non potest, ideo hujus probationem exigit. *l. in exceptionibus 19. ff. de Probat.*

15. Ut non potest agere ex contractu nisi qui continetur verbis instrumenti, sic nec et solvi debet nisi quem ista nuncupant.

16. Cum *is* qui procuratorem habuit alii negotium committendo eum revocare credatur *l. si ut 31. §. fin. ff. de procurat.* Quantò magis ille qui non constituisse reperitur illum pro procuratore non habuit, ubi per alium negotium gessit.

17. Etiam qui mandatum concessit super præparatorio non tamen dedisse censetur ad ipsum actum *Menoch. de Præsumpt. lib. 6. præsumpt. 3. num. 15.* Itaque ubi de illo non constat, saltem præsumptivè datum in isto intelligitur, præsumptio ad actum non extenditur.

18. *l. si quis offerenti 58. pr. ff. de Solut.*

DECISIO XLVII.

Mandatum de solutione recipienda non requiritur expressum sed tacitum sufficit, & quale.

CUm provida judicem deceat circumspectione quid ad probandum admittat quod probatum non relevat, (1) in disceptationem venit de iis, qui mandatum de solvenda vel recipienda solutione pro sui liberatione, cum alii quam cui debebant velut mandatario solvissent, allegabant & probare debebant, quando hoc defuncti videri poterant, ut admitterentur. Inter ea vero quæ ad probandum mandatum proferebantur, tria hæc erant, queis inesse videbatur quod relevare posset. Primo habuisse eum, cum quo contractus initus erat, mandatum de vendendo. Nam qui id accepit simul ad precium accipiendum mandatum accepisse creditur; (2) Mandatum enim antecedentis continet mandatum necessarii consequentis, (3) ut qui hoc committere nolit, opus habeat expressâ exceptione, si id simul demandatum nolit. Deinde quia scientia & patientia domini pro mandato est, (4) sufficere visum, si probari posset dominum sciviſſe nec contradixiſſe, quod quis negocium gessit & pecuniam accepit. Tandem & inter relevantia habitum quod dicitur præsente, scientе, nec contradicente scriba, quem Actor mandatarium suum fuisse dicit, qui negocium gessit, aliquam partem pecuniæ accepit, apocham sub sui nominis subscriptione dedit, inque ea residui solutionem sibi reservit. (5) Quare tria hæc recitata ad probandum sunt admissa *in causâ Dn. Cancellarii Detl. Reventelovven contra Cives aliques Wismarienses die 22. Octobr. Anno 1655.*

1. Tum ne supervacuis litigiis partes divexentur, tum ne præjudicetur alicui, cum valdè grave præjudicium causæ existat ex admissione ad probandum, dum in eo declaratur consistere negotii cardinem, ideò ex eo non rectè constituto tota causa pervertatur.

2. *Straccha in tract. de Mercatur. sub tit. de Mandato num. 23.*

3. *l. 2. ff. de jurisdict. l. fin. ff. Mandat.*

4. *l. qui patitur 18. ff. Mandat. Menoch. de Præs. lib. 2. præsumpt. 33. n. 7.*

5. *Vide quæ de consensu ex talibus factis colligendo prolixius scribit Menoch. de Præsumpt. lib. 6. præs. 99. num. 11. seq.*

DECISIO XLVIII.

Per divisionem crediti semel à creditore ejusve mandatario factam quisque plurium debendi correorum suam solvendæ partem liberatur, & quando facta intelligitur divisio.

PLures correi debendi siquidem simpliciter promiserunt non nisi pro partibus virilibus tenentur & conveniri possunt. Si verò accesserit speciale pactum, ut quisque eorum in solidum obligatus sit, quale continet formula *ein vor alle und alle vor ein*, competit ita contra unumquemque actio. Concessum verò est per constitutionem Imp. Justiniani divisionis beneficium seu exceptio cujus obtentu saltem fit in virilem partem condemnatio, si cæteri correi sint solvendo & in eadem provincia. (1) Quod si ab uno non licet accipere partem, contra cæteros actio integra est. (2) Nec tribuit divisionis beneficium quod ex lege concessum de cætero liberationem plenariam, sed saltem exceptionem conditionalem si solvendo sunt correi. Quæ ubi non existit reditur post factam excussionem ad cæteros. Secùs se res habet cum non ex lege, sed ex facto creditoris dividitur creditum inter plures. Id quippe continet tacitum pactum remissorium reliquæ partis, unde qui suam præstitit, liberatur, nec ultrà efficaciter conveniri potest, sed exceptione taciti pacti de non petendo

Digitized by Google

tendo defenditur. (3) Nec semel facta actionis divisione attenditur amplius, an cæteri correi sint solvendo nec ne: (4) cum eos idoneos approbet qui in divisione tacita eorum rationem habet. Fit autem ea divisio quæ vim liberationis habet cum partis acceptione (5) tum petitione. (6) Addimus eandem fieri cum creditor vel mandatarius, qui illius nomine contrahit, cum debitoribus correis in charta, quæ continet contractum seu causam debendi & in solidum obligationem consignat quid quisque in suam partem solverit & quid adhuc à quovis solvendum restet. (7) Declarat talis designatio manifeste mentem creditoris & cum voluntate debitorum fit, iis jus tribuit veluti si præsentes sint, videant & acceptant talem consignationem. Multo magis cum in illo exemplari quod debitorum alter detinet ea facta fuerit. Quando igitur qui obtulit residuum suæ portionis non allegavit modo, sed & demonstravit talem debiti distributionem à mandatario creditoris factam & in autographo obligatorio consignatam, postea id creditum conjunctim ab omnibus correis petitum, à se velut correo uno oblatam suam quotam, ei à creditoris mandatario non repugnatum, ideò in id solum quod eo deducto cæteri debebunt condemnationem factam, eo nomine non provocatum, etsi postea à cæteris correis tota integra summa petita fuerit, visum fuit justè eum, ut petiit, liberum nec liti obnoxium declarari. Sic judicatum *in causa Cancellarii Detl. Reventclouven contra Johan Balthasar die* 17. *Octobr. Anno* 1655.

1. Jure veteri secùs erat, *ut apparet ex l.* 2. C. *de duob. reis.* Id verò immutatum *per Novell.* 19. *cap.* 1. unde desumpta est *Auth. Hoc ita.* Cod. *de duob. reis* ex qua hos discrimen cœpit.

2. *l. pen.* C. *de Fidejuss.*

3. *Fid. Carec. in tr. de Excuss. part.* 2. *q.* 1. *n.* 2. *seq.*

4. *l. inter* 51 §. *nu. inter* 4. *ff. de fidejussor.* Ex quo textu communis JCtorum Schola colligit, cum post divisionem aliqui correorum atque confidejussorum non solvendo reperiuntur, non patere ad cæteros pro illorum parte redtum. *vid. Jason. in l. si creditores num.* 2. *ibid Alciat. num.* 4. *Carr. num.* 14. Cod. *de Pact. Thoming. decis.* 47. *num.* 11.

5. Acceptatio partis velut ex pacto dividit & remittit petitionem solidi. *l. si creditores* 18. *C. de Pact.*

6. Petitio divisa dividit jus petendi solidum *l. liberum* 16. C. *de Fidejussor.* Talisque est seu ab uno & altero correorum & fidejussorum fiat petitio *Bartol. in d. l. si creditores ib. Jason. num.* 1. *Dec. n.* 1. & 6. sive ab omnibus simul non distinctis licet partibus. Nam simultanea actio adversus singulos pro sua parte facta ideò jus solidi remittere creditur. *Sichard. in l. generaliter n.* 4. *in med.* C. *de Fidejussorib.*

7. Divisio per interpellationem non eò minus fit, quod solutio non accessit. Illa sufficit ut divisum dicatur creditum *Roeben. gall. in l.* 3. §. 1. *num.* 38. *ubi hanc communem JCtorum sententiam esse dicit ff. de duobus Reis.*

DECISIO XLIX.

Non liberat fidejussorem ab actione oblatio debitoris, nisi parati solvere, & quod tempus ad hoc indulgendum sit.

Convento fidejussore reus principalis interveniens indignabatur illum sui causa in jus vocatum esse & juxtim solutionem semet ipsum facere velle dicebat. Non sufficere hoc visum est ut ab actione fidejussor liberetur. Etsi enim ea interventio rei locum habet, & efficit, ut si reus solvere velit non inquieretur ultra fidejussor, (1) & si nihilominus fiet, actioni injuriarum locus sit, haud tamen aliter quam si non ore tantum solutionis fiet oblatio, (2) sed ipso opere reus ad solvendum paratus erit. (3) Non ut in manu pecuniam tenere & statim solvere opus habeat, sed ut intra ea tempora id facturus sit, quæ fidejussori sunt indulgenda, (4) hæc itaque judex per æquitatem decernere potest, ut contra fidejussorem tamdiu processus sistatur, (5) ita tamen dicatur conditio, ut si intra illa tempora à reo non solvetur parata tunc sit contra fidejussorem executio. (6) Quod secuti sumus *in causa Samuel Maassen contra D. Casparum Wilcken die* 10. *Nov. Anno* 1655.

1. *l. item apud* 15. § *si quis* 33. *l.* § *creditor* 19. *ff. de injur.*

2. Oblatio nuda verbalis quoad liberationem nihil proficit. Qui dicit se solvere velle nihil obtulit *l. cum servus* 82. *ff. de Condit. & demonstrat.*

3. Verbum paratus, cum effectu accipiendum est, ut eum significet qui & mox soluturus est *l. prætor* 20. §. *si quis paratus ff. de Nov. op. nunc. l. si soluturus* 39. *ff. de solut.*

4. *Juxta l. si debitori* 21. *ff. de judic.* quam in tali qui obvenit casu sequi congruum est.

5. Hæc decernere ad judicis officium pertinet *d. l. si rem* 73. *ff. de Procurat.* qui sic id curabit ut nec fidejussor liberetur nec creditor ultra quam necesse est onerosus audiatur *l. si servos* 25. *ff. de Pignor. action.*

6. In talibus si præstetur actori quod habiturus est per judicialem prosecutionem queri nequit nec durior futurus, audiendus est. *l. ex judicatum* 16. *ff. judicat. solv. processum talem præscribit d. l. si debitori* 21. *ff. de judic.*

Digitized by Google

DECISIO L.

Oblatio non integra non purgat aut liberat à mora ejusque effectu.

POstquam animalia aliqua pignorata perierant, reliquorum oblatio non purgat moram, nec liberat ab hoc ipsius effectu, ut detentor casum præstare non teneatur. Integra quippe oblatio id demum efficit. (1) Ad quam necessaria est oblatio totius numeri in corpore aut si id imminutum, reliqui (2) & ejus quod abest pretii (3) nec non fructuum quorum restitutio mandata est (4) Uti fuit decretum *in causa Colonelli Alexandrina VVeissensteiu die 7. Decembris Anno* 1655.

1. Ut non dicitur solutum quamdiu aliquid solvendum restat, ita nec oblatum cum supereſt defectus, oblatio facienda integri ut ad liberandum proficiat. *Zang. de Except. part. 3. c. 2. n. 9. seq.*

2. *l. solum* 49. §. 1 *ff. de Rei vindic.*

3. Precium succedit loco rei. *l. si & rem* 22. *ff. de Petit. hared. l. 2. §. pervenisse 3. ff. de hered. & action. vend.*

4. Sicut restitutio facienda est cum omnibus accessionibus ita etiam oblatio. Verbum restitutias plenam habet significationem, ut fructus quoque restituantur. *l. videamus* 38. §. *in Faviana 8 ff. de Usur.*

DECISIO LI.

Abdicatio petitionis solidi divisione semel facta non retractatur ob non præstitam partem.

CUm post divisam semel petitionem contra plures correos qui in solidum obligati erant, quæ est abdicatio juris solidi, (1) quisquam eorum partem suam non solveret, quæstio existebat, an creditori causa ad solidi petitionem redeundi inde justa esset? Siquidem remissio solidi eam conditionem habuisset, si pars statim & sine lite præstaretur, illa deficiente esset justa petitio. (2) At ubi nihil pro illa dictum, sed simpliciter petitione divisio facta fuit, jus quoque singulis correis quæsitum est, (3) quod nuda contraria voluntate semel remittentis tolli nequit. (4) Nec amittitur nisi accedente causa quæ privationem mereatur, (5) qualis in præsenti specie non fuit reperta. (6) Mora quæ committitur non plectitur privatione juris jam quæsiti, sed tantum usurarum accessione (7) seu condemnatione in id quod interest debitum non præstari. (8)

In causa des Cantzlers Deloff Reventlowen contra Johann Balzaren die 18. Decembr. Anno 1655.

1. *juxt. l. si creditores* 18. C. *de Pact.*

2. Sub conditione factum vel quæsitum illa non existente vel deficiente habetur ac si nunquam fuisset. *l. decem* 116. *ff. de Verb. Obligat.*

3. Tale hoc est, inde perpetua exiit exceptio *l. Creditori* 5. C. *de Pact.*

4. Semel actiones remittentibus ad eas non datur regressus. *l. quæritur* 14. §. *si venditor* 9. *ff. de Ædilit. Edict.*

5. Jure quis privari non potest nisi ob meritum & hoc tale, quod vel lege vel æquo judicis arbitrio ita sit coercendum, naturæ congruum est eas tantummodo pœnas exigi, quæ vel cum competente moderamine exiguntur vel à legibus certo fine concluſæ sunt. *l. un. C. de sentent. quæ pro eo quod interest.*

6. Privatio est pœna, quæ sine lege non irrogatur. *l. alind* 131. *ff. de V. S.*

7. *l. mora* 32. §. *in bona* 2. *ff. de Usur.*

8. Ordinaria est hæc ob non præstitum præstandum condemnatio.

DECISIO LII.

Oblatio pecuniæ etsi qua effectum liberationis fieri nequit procuratori ad litem, significatio tamen paratæ solutionis in judicio ejus effectu potitur.

DEpositio pecuniæ ad effectum liberationis fieri non potest nisi oblatione debiti prævia. (1) Quare istam offerens ad hanc prius faciendam remissus fuit. Cum autem creditor abesset, procuratorem vero apud acta haberet, quæsitum, an huic fieri oblationem sufficeret? Existimatum esse quidem ad illum effectum quo recipiat & offerentem liberet invalidam, quando ei solvi non posset, (2) nec ille recipere deberet, (3) haud tamen plane inutilem nec omittendam, ut ad notitiam creditoris perveniat debitorem ad solutionem esse paratum, modo creditor recipere per se vel per alium velit. (4) Qui tenetur illud referre ad principalem suum. Eo sic judicialiter facto nec recipiente creditore, depositio fieri potest. Ac perinde est atque si præsenti facta fuerit oblatio eodemque effectu potitur. (5) Ita decretum *in causa des Cantzlers Deloffi Reventlowen contra Fritz Backen, & consortem die 1. Martii Anno* 1656.

1. *l. si creditrici 6. l. acceptum* 19. C. *de Usur.*

2. Solvens procuratori ad litem nihil agit. *l. hoc jure* 37. *ff. de solut. l. sed si tantum* 13. *ff. de Pact.*

3. Exce-

Digitized by Google

3. Excedit recipiens mandati fines. Aliud est actionis exercendæ, aliud solutionis recipiendæ. Alterum altero non continetur. *l. filius 90. ff. de solut. l. sed & ba persona 35 ff. de Procurat. Guid. Papa decis. 516.*

4. Hoc pertinet ad judiciales actus, quibus procurator ad lites est obnoxius & dominum suum facit obnoxium tanquam præsentem & acceptantem. Paria sunt utrum ad domum fiet oblatio, an in judicio, cum de ea accipienda agitur.

5. Oblatio judicialis seu in judicio facta eundem effectum habet quem solennis obsignatio. *l. si rem. 9. §. fin. ff. de Pignor. action.* Ideo ex tali fieri potest depositio & facta post depositionem contingit liberatio. *l. item liberatus 6. §. qui juratus 2. ff. quib. mod. pign. vel hypothec solvit.*

DECISIO LIII.

Insolutum receptio non trahenda ex defectu causæ, nisi vel formam vel venditionem facit.

PActum fuit insolutum nomen receptumque, ideò quod recipiens possessor erat fundi debitorum atque ex ejus fructibus creditum percipi posse sperabat, ideò intendebat. Restiterunt verò huic intentioni debitores, non negantes quidem debitum, sed modò solutionis refragantes. Inde cum inter dantem & recipientem sociales rationes discuterentur, recipiens socio suo nominis insolutum dati Chirographum reddere, & vicissim pecuniam exigere voluit. Ratio hujus ponebatur, quod receptum insolutum eam ob causam nomen erat, quia debiti retentio ex possesso fundo ejusque reditibus sperabatur. Quam deinde debitores permittere noluerunt, solutionem annuæ pensionis ex locatione petentes, invicem tamen solutionem debiti alio tempore promittentes. Quod non servatum dicebatur. Res præcipuè in eo sita fuit, qualis causa ea existit, cujus respectu nomen insolutum datum fuit. Multum refert, an illa fuerit impulsiva tantùm, an finalis. Qua istam non obtinet regula, quod cessante causa cessat effectus, sed ut ut quod in illa mens concepit, desiit, tamen manent conventa vel recepta, (1) quandoquidem extra actum & contractum illud est, nec ingreditur obligationis substantiam. (2) Spectatis verò hujus negotii circumstantiis causa tantùm impulsiva statuenda est, tum quod non est expressim pro lege dicta, sed in mente recipientis tantùm fundata, (3) ex occasione saltem sumpta, quam præbere videbatur fundi debitorum possessio; (4) tum quia non per modum conditionis actui fuit adjecta; (5) Tum quia saltem ad commodum recipientis spectavit; (6) Tum quod in spe sola consistebat. (7) Nec poterit in contrarium facere si per verbum *quia*, pro ratione ea intentio adjecta esset; (8) Cum talis connexio causæ non nisi pro ratione subjectæ materiæ causam finalem faciat. (9) In dubio etiam talis causa saltem præsumenda est. (10) Ut ut verò dixeris causam eam finalem fuisse, attamen etsi desiit, non facere tamen revocari dationem insolutum, quæ non amplius fieri debet, sed facta jam est, (11) & perfecta, (12) liberationis quoque effectum intulit. (13) *In causa Viduæ Alexandri Hartzen contra Creditores Bartholomæi Weichen die 17. May. Anno 1656.*

1. *Hoc pretixè explicat post alios Tiraq. in tr. Cessante causa, limit. 1. n. 1. & seq.* Cujus ratio hæc traditur, quod impulsiva non est propriæ causa, sed tantum motivum. *Menoch. de Præsumpt. lib. 4. c. 24. n. 18.*

2. *Bald. consil. 340. lib. 3.*

3. *Castrens. consil. 314. n. 6. lib. 1.*

4. *l. fin. ff. de rescind. vend. l. Labeo ff. de Revis. Bald. in c. solita in fin. X. de Majorit. & Obed.*

5. *l. 1. ff. de Donat. l. 3. §. si quis quasi ff. de Condict. ob caus. l. Titio ff. de Condict. & demonstrat.*

6. Sic JCti putant, ubi causa spectat commodum recipientis, præterquam ubi necessaria est ad actum, censeri tantùm impulsivam. *Vid. Tiraquell. in dict. limit. 1. n. 40.*

7. Quod magis in spe est quàm in conventione, ad causam impulsivam pertinet, *Bald. in l. 1 ff. solut. matrim.* & spes deficiens quemque sua non alium fallit. *Bartol. in l. in omni ff. de Adopt.*

8. Dictionem *quia* sic natura causam finalem denotare creditur. *vid. Menoch. dict. Præsupt. 24. num. 13.*

9. Ex subjecta materia ut & circumstantiis vox *quia*, aliam significationem quàm causæ finalis accipit, *vid. Tiraquell. de limit. 1. n. 83.* Et præsertim talem non infert aliter, quàm ubi obligatoria est, vel obligationi ipsi accedit. *Bartol. in l. damus ff. de condict. indeb.*

10. *Ità communis habet JCtorum sententia, uti de ea testatur Castrens. in l. ult. ff. de condict. caus. dat.* cui consequens, quod in dubio qui causam pro finali venditat debet probare, *Angel. Aretin. in §. illis autem. Instit. de Testam.*

11. Obtinet regula in causa fendi non in facto, *uti loquitur Tiraq. dict. tract. limit. 40.*

12. *Curt. junior in l. 2. n. 78. C. de Edend.*

13 Ubi non faciendum est, quid amplius sed jam factum & effectum cepit, causa deficiens non facit perfectum irritum. *vid. Tiraquell. dict. tract. limit. 12. num. 1. seq.*

Digitized by Google

DECISIO LIV.

Electio rei melioris, quæ in datione insolutum concessa est creditori, sic fieri debet, ut exindè sine necessitate vivendi mediis non destituatur debitor, & ut suo non defraudetur alius creditor.

QUando debitoribus, qui pecunia ex qua solvant, carent, concessum & beneficium, ut creditoribus etiam invitis insolutum offerri possint bona immobilia eaque dantes aut dare parati liberentur, (1) eam quidem conditionem habet, ut creditori cui insolutum datio offertur, electio competat eique rem meliorem eligere liceat. (2) Attamen non ita accipienda est hæc facultas eligendi, ut indiscriminatim seu promiscuè ista uti liceat, sed ut fini, quem jurisprudentia Justinianea circa istam legem habuit, congruit, (3) nempe quo debitoribus inopibus consulatur, tamen & creditores suo potiantur. (4) Minimè itaque eo porrigenda ista est, ut creditori sit indulgendum eligere, ex quo debitor victum habet & sine quo omni vitæ subsidio simul, si tradet, exuetur. (5) Quod si creditori ex aliis bonis commodè satisfieri poterit, iis tamen non contentus desiderabit quibus sine interitu suo debitor privari non potest, audiendus non est, (6) tanquam malitiæ magis quam necessitati suæ indulgens. (7) Ita creditori consulendum est, ut non pereat debitor & debitori sic solutio injungenda quo suo potiatur creditor. Non spectandum quid fortè, qua fructuum perceptionem vel distractionem creditori futurum commodius, ubi è contra nimis magnum est debitoris damnum. (8) Tantum hoc sequendum, unde creditori non magno cum incommodo satisfiet, etsi aliquid incommodi sentiet, quod quo conservetur de cætero fides & substantia creditoris æquo animo ferre debet. (9) Multò magis autem ista eligendi facultas intelligenda est salvo alterius jure, (10) inde si quis vel anterior sit creditor vel privilegium potius habet, unde in rem electam potiora sunt jura, illis posterior est creditor. (11) Qualia inter appellationes gravamina allegata videbantur mereri processus *in causa Valentin von Eichstedten contra Jochim von Eichstedten Vitwe, die 17. Septembris Anno* 1656.

1. *Novell. 4. cap. fin. Auth. Hoc nisi C. de solut.*

2. Creditori in uno gravato, ut invitus contra juris regulam, *in l. 2. ff. de reb. cred.* aliud pro alio recipiat, hoc levamen datum est, ut possit inter res eligere meliorem, *uti hanc rationem dict. Novell. 4. cap. fin. in med. habet & exponit Manzius in Patrocin. Debit. decis. 2. quæst. 10. n. 120.*

3. Quævis lex civiliter accipienda, *l. si cui simplicium 9. ff. de Servit.* & ratio legis est regula, sensus atque usus.

4. Utique tam debitori quam creditori beneficium illud clementer & legaliter consultum voluit, ideo sic etiam praxis ejus erit dirigenda, ut quomodo verba dictæ *Novell. 4. in cap. fin.* habent, infelicibus debitoribus auxilium sit, creditores verò etiam non nimis duriter habeantur.

5. Beneficium ita dandum & accipiendum, ut non sit captiosum, *l. Paulus 8. pr. ff. de Stipul.* Prætor adjuvari eo non lædi oportet. *l. in commodato 17. §. sicut 3. ff. Commodat.*

6. Quod alteri prodest, nobis non nocet, anteferendum est, *l. 2. §. item. Varus ff. de aq. & aq. pluv. arc.*

7. *l. in fundi 38. ff. de Rei Vindic.*

8. Hic est finis constitutionis Novellæ, ut utrique consulatur tam debitori quam creditori. Quod similiter in aliis admonetur *ab Imp. Justiniano in Novell. 135. in pr. & cap. 1.*

9. Medio sic res curanda est, ut nec delicatus debitor, nec onerosus creditor audiatur, *juxta monitum Cei in l. si servus 25. ff. de Pignor. action.*

10. Hoc in omnibus concessionibus & beneficiis exceptum creditur. Ita quippe alii etiam jus tribuitur ut nihil detrahatur priori alterius personæ petitioni. *l. bona fides 31. §. 1. in fin. ff. Depositi.*

11. Convenit hoc ordini prioritatis quem juris prudentia inter Creditores constituit, cui nihil derogant beneficia.

DECISIO LV.

Possessio prædii debitoris & fructuum perceptio sunt argumentum solutionis ad excludendum processum executivum sufficiens.

OPpositâ creditori ex Constitutione Ducatus *von vvucherlichen Contracten* immissionem petenti solutionis exceptione, at tantum super præsumptione solutionis ex possessio prædio & perceptis fructibus fundatâ ideo rejectâ, appellatio interponebatur. Creditum est, hanc admittendam esse, ubi allegabatur ejusdem, de quo nunc agebatur, crediti causa creditorem ante 30. annos immissum possedisse agros debitoris & fructus percepisse. Oriebatur enim firma juris præsumptio, quod illi qui debitoris res per aliquot annos possederat & fructus perceperat, jam solutum sit. (1) Etsi verò illa plena non poterat videri probatio, juris tamen præsumptio erat, quæ allegantem à probationis onere relevat & facit, à judice verum haberi quod obtenditur, donec contrarium pro-

Digitized by Google

um probatur. (2) Non erat verosimile ex prædio discessurum esse creditorem, si non plene esset satisfactum. (3) Accedebat lapsus longi temporis intra quod post illam possessionem nulla facta fuerat exactio. (4) Unde præsumptio prior effectu probationis majori potiebatur. (5) Existimatum inter tales circumstantias non statim ad decretum immissionis decurrendum fuisse, sed prius liquidationem perceptorum decernendam, & pro illa de executione ulteriori statuendum. *(6) In causa Otto Clüvers, contra Benedict. Bremern, die 31. Octobris Anno 1656.*

1. Præsumptio solutionis nascitur ex possessione rei & perceptis fructibus, unde sibimet creditor solvisse intelligitur. *Afflict. decis. 13. num. 13. & 16.* Quando illa obtinet, cum quis saltem administrator est bonorum debitoris sui, *Menoch. de Præsumpt. lib. 3. præs. 135. num. 12.* quanto magis ita statuendum, cum creditor eo fine immissus est, ut ex fructibus sibi satisfieret.

2. De hoc effectu præsumptionum etiam tunc quando processu executivo agitur, *vide in Decisione sequente, ubi vis ejus in his terminis exponitur.*

3. Non præsumitur quisquam jactare sua, *l. cum de indebito 25. pr. ff. de Condict. Indeb.* & relinquere rem antequam satisfit, *l eleganter §. qui reprobos ff. de Pignorat. action.*

4. Solutum præsumitur debitum, quando per plures annos exactio omissa fuit, *Menoch. dict. præsumpt. 135. num. 2 & num. 19.*

5. Concurrentes præsumptiones plures probationis legitimæ vicem habent, *gloss. in l. 2. verb. legitimus ff. de Probat. Bald. in l. si quis ex argentariis §. 1. notab. 4. ff. de Edend.*

6. Judicis est de oppositâ exceptione ante immissionem statuere. Facere verò id non potest, nisi liquidatione perceptorum prævia.

DECISIO LVI.

De modo & jure dationis in solutum rei immobilis pro credito pecuniæ.

INter beneficia debitoribus concessa non postremum est, quod contra juris regulam, ex qua creditoribus invitis aliud pro alio solvi & obtrudi non potest, (1) ubi deficit pecunia licet rem immobilem in solutum dare. (2) Isto verò ut juvetur debitor, oportet primò constare debitorem ad restitutionem pecuniæ non esse idoneum, (3) ad quod non desideratur jurata specificatio omnium ejus bonorum, cujus nulla in legementio fit, ideò nec irrogatio justa habenda erit, (4) sed sufficit juramentum se adeò inopem, ut pecuniam paratam comparare & exsolvere non possit. (5) Secundò, ut ex mobilibus ejus nihil sit, quod prælegat creditor, cui electio relicta est, (6) sed simul ubi talia secum esse negat debitor, probatio existentiæ incumbit. (7) Tertiò, ut debitor eô melioribus aliquam offerat, (8) & in solutum det, cujus non inutilis sit possessio. Quartò, ut ex oblatis creditoris sit electio. (9) Quintò, ut non reperiatur ejus emptor, quô existente non necessaria est rei insolutum acceptio, sed supereſt precii exactio. (10) Sextò, ut nullô existente qui emit, subtilis ejus fiat æstimatio. (11) Septimò, juxtà æstimationem tradatur supplendo, quod minus valet taxa, aut reddendo, si quid in ea superfluum. (12) Octavò, ut possibilem de evictione debitor præstet cautionem. (13) Alia cum lege non desiderentur, nec sine ea fas est irrogari debitori graviora. (14) Quem clementia legis per id beneficium liberare voluit, malè per Judicem sub obtentu hujus beneficii adigetur ad illa quæ cessionis propria sunt. (15) Quocirca justè à debitore aliqua ex bonis immobilibus in solutum offerente ultrà jam designata ex legis verbis non desideratur, ut omnia bona sua mediante juramentô specificè designet. (16) Similiter justa non est petitio aut irrogatio, ut prius omnia bona æstimentur, antequam creditor eligat, quam accipere velit, cum id nisi ejus causa, quæ eligitur, necesse non sit. (17) Est porrò iniquum debitorem adigere velle ad convocationem omnium creditorum. (18) Ubi non cum omnibus sed uno vel paucis iisque urgentibus res est; (19) Alii nihil exigunt, proque iis id exigendi facultas non est judici. (20) Nec juri convenit, ut in designationem & oblationem simul deducantur, in quibus jus aliis reale est, ob quod in solutum dari non possint, veluti si ex potiori pignore aliis sunt obnoxia. (21) De quibus nihil aliud designare convenit, quàm cur offerri non possint, nec juvabit creditores cæteros, quod debitori relinquuntur à magis privilegiato. (22) Cum itaque præter priùs recensita legis requisita hæc alia à debitore erant injuncta, visum est ipsum appellantem audiendum esse tanquam non frivolè conquerentem. *In causa VVedige Behren, contra aliquos ejus creditores. Die 18. Novembris Anno 1656.*

1. *l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. l. cum à quo 16. C. de Solut.*

2. *Novell. 4. cap. fin. pr. ubi singularem eam legis clementiam vocat. Inde sumpta est Auth. Hoc nisi debitor C. de Solut.*

3. *Ut habent verba d. Novell. 4. § fin. in pr.*

4. Inter odiosa inviſa & inhumana refert jurisprudentia denudationem patrimoniorum, *ne*

Digitized by Google

habetur in l. 2. in pr. C. quand. & quib. quart. pars. idcircò sine lege non facilè irroganda.

5. Juramentum ordinarium eorum, quæ dubia sunt, relevandi remedium est. Adhibetur etiam ad probandam paupertatem. *Gail. 1. Observ. 142. num. 6.* Et præprimis quando cum debitoribus res est, qui se non solvendo esse dicunt, per illud ejus fit comprobatio, *Novell. 135. cap. 1.* ut ad aliud magis odiosum & miserabile detrudere inopes non deceat.

6. Quod jure provisum, ut ex mobilibus primum satisfiat creditori, *l. à Divo 15. §. 2. ff. de re Judicat.* non sustulit Novella Constitutio.

7. Non neganti sed agenti incumbit probatio, *l. 2. ff. de Probat.*

8. Sic habet præceptum Novellæ, Meliora debentur creditori.

9. Sic explicat Novellam recentior Imperii Constitutio Ratisbonensis de Anno 1654. quæ electionem hanc esse tribuit creditori.

10. Subsidiarium est beneficium quod cessat, quamdiu per ordinarium solvendi modum creditori satisfieri potest.

11. Hæc non spectat ad omnia bona, sed illud tantùm, quod in solutum datur, *ut declarat d. Authent. Hoc nisi debitor.*

12. *Ità explicat Rittershus. in Novell. part. 2. cap. 3. num. 9.*

13. Si aliter non valet, ad juratoriam admittitur, *vid. Sichard. ad l. eum à quo num. 10. seq. C. de Solut.*

14. In favorem debitoris introducta minime in illius odium detorqueri debent, *l. quod favore 6. C. de Legib.*

15. Diversa sunt beneficia in solutum dationis & cessionis bonorum. Hoc lamentabile & flebile. *l. fin. C. qui bon. ced.* Et licet, non irrogat infamiam juris, tamen & ignominiæ multum habet, ad quod evitandum Imperator illud concessit, ut expressè habetur *in d. Novell. 4.* Voluntati itaque Imperatoris contrarium est, ad illa quæ hujus propria sunt, debitorem qui per istam se liberare potest, velle detrudere.

16. Illud remittit lex calamitosis debitoribus solo juramento inopiæ contenta, *in Novell. 135. cap. 1.*

17. Inane & superfluum æstimare omnia bona, ubi non saltem species in solutum capienda.

18. Etsi enim aliàs creditores scire aliquando interesse potest, eorum tamen causa significare debitoris nulla obligatio est.

19. Vigilantibus enim creditoribus subveniendum, non negligentibus, *l. pupillus 24. ff. quæ in fraud. credit.*

20. Judex officium non impertitur, nisi implo-ratus.

21. *Vid. l. pro debito 6. C. de Bon. auctor. jud. poss.*

22. Quod alteri prodest, tibi non nocet invidere, aut detractum cupere malignum est, *l. 2. §. item Varus ff. de aq. & aq. pluv. arcend.*

DECISIO LVII.

Daturus in solutum pro electione faciendâ tenetur ad designationem bonorum.

IS cui pecuniæ copia non est, ut fruatur facultate in solutum dationis rerum quas habet, non opus habet instar ejus, qui bonis cedere vult ad demonstrandam inopiam, exhibere omnium bonorum inventarium, sed si de istâ dubitatur, saltem juramento istam asseverat. (1) At pro electione, quæ creditori competit, faciendâ ad instantiam creditoris designatione bonorum opus habet, (2) qua sine ignarus istorum eligere non potest. Et si quidem creditor per argumenta quædam designationem suspectam facere poterit, ut juramento confirmare & alia sibi non esse bona asserere jubeatur, impetrabit. (3) *in causa VVedige Behren, contra Justin von Rammins Tochter, die 28. Novembr. Anno 1656.*

1. Juramentum solitum & velut ordinarium medium docendi inopiam existit in tali specie, etiam de qua hic agitur receptum & requisitum *per Novell. 135 cap. 1.*

2. Concessio continet simul id, sine quo concessum commodè fieri nequit. *l. 2. ff. de Jurisdict.*

3. Ut designatio pro inventario sit, & fidem habeat, jurata esse debet, *Coler. consil. 41. num. 27.*

DECISIO LVIII.

Necessaria depositio, quæ sistit sine solita alius solennitate usurarum cursum, qua habenda sit.

COnstat in necessaria depositione non exigi omnia ea solennia, quæ lex requirit ut ista vice solutionis sit. (1) Ea autem habenda est necessaria, quæ ideo fit, quod creditori offerri & solvi debitum non potest, veluti si ei tuto solvi nequit, (2) ut evenit, cum instrumentum obligationis est in manibus alterius, nec redditio in potestate creditoris (3) inde itaque periculum imminet debitori; vel si incertum est, cui debeatur pecunia, (4) utpote si creditor alteri nomen cesserit, multo magis si duobus cesserit & chirographum non est in manu petentis, sed alterius prius jus prætendentis. (5) Frustra ab eo qui exigere non potuit aut recipere non debuit, desideratur circa depositionem, quod ideo observari solet, ut constet an creditor recipere velit, cum iste velle non potuit. (6) Talis oblatio realis est inanis si recipiendi deficit facultas. (7) Sic judicatum *in causa Nicolai Demels, contra Eberhard à Lieth. Die 2. Aprii. Anno 1658.*

1. *Vid.*

Digitized by Google

1. *Vid. Zanger. de Except. part. 3. c. 2. num. 170.*

2. Tunc enim aliud pro debitore non est securitatis atque indemnitatis remedium, quam ut deponat, quia solvere non potest, retinere non debet.

3. *l. cum quidem 17. §. si pupillo 3. ff. de Usur.*

4. Non tenetur debitor solvere antequam chirographum recipiat, aut illud legitimo modo cassum fiat.

5. Incerto adhuc creditori offerri nequit. *l. pecunia 9. §. 1. ff. de Usur.*

6. Ejus est nolle qui potest & velle *l. 3. ff. de R. J.*

7. Adinania & nihil profuturis nemo adigendus erit. *l. quisquis 15. C. de Repud. Vend. l. quesiam 15. C. de Testam.*

DECISIO LIX.

Non debet nudæ creditoris apochæ se committere debitor, esse nondum redditio chirographi facienda sit, ubi probabilis metuendi causa adest.

REdditio chirographi juste exigitur à debitore solvente, & negatur non inique ante illam solutio. (1) At ita sit totum debitum solvitur, & liberatio contingit. (2) Ubi supereſt solvendum jure retinetur donec plene satisfiat; (3) incumbit tamen creditori, ut præsente & petente debitore conscribat in eadem acceptum securitatis suæ causa. (4) Quod denegans non immerito suspectus est, & causam debitori præbet, ut se non committat nudæ apochæ. (5) Idque multo minus ipsi injungendum, cum causa adest metuendi fraudem aut damnum, (7) veluti si constat chirographum esse penes alium qui jus ad nomen prætendit. (8) Quo casu opus est efficere, ut aut ipse exhibeat ad conscriptionem factæ solutionis aut illo citato judicetur ipsi nullum jus adeoque nihil periculi subesse. (8) Alias ab eo qui solvere vult deponenda est pecunia si liberari cupit, etiam sine reali oblatione, quia recipi nisi præstitis præstandis nequit, & depositа deponenda donec constet cui debeatur. (9) Quod judicatum *in eadem causa.*

1. *Vid. Fab. in Cod. lib. 8. tit. 29. defin. 3.* Interest multum debitoris recipere chirographum. *l. qui tabulas 27. ff. de Furt.*

2. Ante plenam liberationem injuncta est repetitio *l. fin. C. ad Exhib.*

3. Multum interest creditoris retinere chirographum in manibus, sine cujus exhibitione cessat processus executivus.

4. Hic est modus prospiciendi securitati debitoris partem solventis, quia solitus, ideo justus nec negandus.

5. Ex qua non reddito chirographo plena securitas non impetratur. *ita censet Faber. dict. defin. 3.*

6. Non exigenda ab aliquo solutio ubi secure à debitore fieri nequit, cui ante omnia præstanda est securitas.

7. Solvi tuto nequit ei, cui sit controversia de credito aut id accipiendi potestate *l. 5. C. de Ordin. Cognit.*

8. His duobus modis debitoribus consultum esse potest, & qui solutionem vult habere creditor uti debet.

9. Debitor donec tuto solvere potest juste retinet pecuniam, si penes creditorem stat, ut secure non solvat. Si autem vult liberari ab usura & periculo remedium à depositione sumitur. *l. acceptam 19. C. de Usur.*

DECISIO LX.

Ante diem invito creditori solvitur, etiam cum non solvi interest si semel annuerit receptioni.

INvito creditori ante diem solvi nequit, ubi ejus interest justo tantum tempore solvi, (1) ut fit plerumque in iis, quæ sub usuris debentur. (2) At cessat, si semel iste ante diem recipere se velle declaraverit, quo ipso jus competens remisit (3) & quod semel placuit, displicere amplius nequit. (4) Et licet incidat cur postea recipere non possit, quia nempe chirographum, quod reddere aut exhibere debuit in manu alterius est, jus ex illo ad nomen obtendentis, tamen liberatur debitor si deponat perinde atque si solverit, quia depositio, ubi solvi non potest, loco solutionis est (5) & per debitorem non stat quo minus solvat. (6) *In eadem causa,*

1. *l. qui decem 72. in pr. ff. de Solut.*

2. *Vid. Berlich. decis. 153. in fin.*

3. Renunciare juri suo licet *l. pen. C. de Pact.* quod non fit expresse tantum sed & tacite per consensum in id quod juri suo contrarium.

4. C. *quod semel de R. J. in 6.*

5. *l. obsignatione 6. C. de solut.*

6. Pro facto habetur, quod per alium stat ne fiat ubi alias debitor facere paratus est. *l. jure civili 24. ff. de Condit. & demonstrat.*

DECISIO LXI.

Citatio creditoris omissa in depositione necessaria quando non vitiat nec effectu privat.

AD depositionem pecuniæ, quo ad liberandum proficiat, creditoris citatio fieri solet, ad videndum numerari, obsignari & deponi (1) Quod hodie per mores in necessitatem transit. (2) Nec dubium

Digitized by Google

etiam in necessaria eadem opus esse, ut constet de ea creditori, cujus maxime interest scire, quo cogitare queat de removendo recipiendi obstaculo. (3) Atreferendum id ad species ubi fieri potest & expedit. Secus vero si plane inepta & nullius momenti fuerit, nec creditoris interest ipsum citari. (4) Idem erit si fiat depositio nec statim contradicat: (5) Similiter si procurator creditoris vocatus fuerit. (6) Quorum aliquod si adsit non est revocanda aut annullanda depositio, saltem si interfit creditoris scire an integre facta sit depositio, decernenda erit inspectio & numeratio pecuniæ. Ut pronunciatum *in Eadem Causa.*

1. Jure civili quidem illius rei nihil exigitur, melius tamen putatur ut judicis competentis jussu depositio fiat. *l. fin. ff. de leg. Commissor. l. si stipulatio 82. §. si tantum ff. de Solut. Bald. in l. acceptam. num. 20. C. de Pact.*

2. Ita fori praxis ubique habet.

3. Citatio in omni actu necessaria est ubi refert aliquem prius audiri. *l. de unoquoque 47. ff. de Judic.*

4. Hæc est exceptio à citationis necessitate ut omissa, ubi nihil expedit, non vitiet actum. *Mart. sing. 30. num. 7.*

5. Certioratus certiorari ultra non debet *l. 1. §. 1. ff. de Act. Empt.*

6. Procurator vice domini est *l. 1. ff. de Procur.* & perinde an quis ipse an procurator præsens sit.

DECISIO LXII.

Debitor debitoris solutionem ob non receptum chirographum juste negat ubi recipere multum interest.

EST debitori, cum creditori solvit, ratio & jus repetendi chirographum, (1) idque etiam donec illud recipit solutionem negandi vel differendi. (2) Ut vero hoc tunc limitatur & restituendi necessitas remittitur, quando deest facultas, seu possibile id debitori non est. (3) Ita etiam quando alii quam creditori solvendum est, non exspectandum ut recipsatur chirographum, quod in potestate ejus non est redditio. Cujus exemplum in eo ponitur qui nomen debitoris sui arrestari fecit & cui post prosecutionem legitime factam illud addicitur. Perinde huic solutio non potest ideo, quod instrumentum debiti non redditur, denegari, quam illi qui executionem in nomen debitoris impetrat. Non debet audiri debitor petens, ut prius agat arrestans vel executionem impetrans ad consequendum à debitore suo instrumentum, (4) ubi alio modo citius facilius-que prospectum, atq; inde debitor securus esse potest, nempe ut decreto judicis liberetur atque indemnis pronunciatur. (5) Cujus liberatio eandem vim habet atque ea, quæ à creditore fit, (6) & cassatæ obligationis documentum pro instrumenti redditione est. Sic vero id obtinet ubi hæc æquipollent seu eadem præstant. Ubi causa est, cur chirographum prius reddi debeat, veluti cum sic conventum vel specialiter interest debitoris immunem esse ab eo gravi incommodo vel periculo (7) non cogitur debitor hic contentus liberationem, quam per judicem, sed hinc accepturo injungere debet, ut prius chirographum à creditore, qui tunc debitor est, accipere [illegible] aut vero cautione vel aliis modis indemnitatem atque [illegible] *Vilbrandt ordinar. Jurisprud. Observat. tempus heredes observatum fuit, mandato ad injuriam debitoris decreto de efficiendo ut ille instrumentum recipiat Die 6. Aprilis Anno 1658.*

1. *Vid. Fabr. in Cod. l. 8. tit. 29. defin. 3.*

2. *l. ult. C. ad exhib.*

3. *Fab. in Cod. l. 8. tit. 29. defin. 3. n. 5.*

4. Caveatur deinde executiones in talibus casibus ne nimis longe retrahat. *l. à Divo Pio 5. §. sed si empt. 7. ff. de re jud.*

5. Ita tradit et suadet *Faber in Cod. l. 4. tit. 10. defin. 60.*

6. Factum judicis in talibus est factum partis, usurpatur in re ipsa cassatio seu ut vocant mortificatio obligationis, post commissionem per decretum fieri ut dari solita.

7. *De tali interesse, inquirit Cæpolla in l. quisab. 27. pr. ff. de F.*

8. Quemadmodum debitori, cum solvit condictio chirographi sui contra creditorem competit *l. 2. C. de Condict. ex leg.* ita etiam creditori creditoris, qui à debitore recepit, ubi illud præstare tenetur, ejus causa utilis non est denegandæ. *arg. l. pen. C. ad Exhibend.* quandoquidem ille solvere alterius causa intelligitur, Æquitas etiam suggerit ut liceat pœnalibus mandatis ad retradendum Chirographum, postquam solutum est, cogere, quæ decernere in talibus casibus moris est.

DECISIO LXIII.

Perfecta censetur in solutum datio strumenti ex cessa potestate recipiendi.

TRaditio rei quidem ad perfectionem dationis in solutum necessaria est. (1) At non talis, quæ actu de manu in manum fiat, sed sufficit accedere quod traditionis loco est seu vicem habet, (2) cujusmodi est in casum cerro tempore non factæ solutionis cessio & acceptio potestatis sumendi & vendendi. Traditum quippe intelligitur quod ita in alicujus potestatem

Digitized by Google

testatem recipitur, ut quando velit accipi, alienari & ut propria res haberi queat. (3) Paria sunt actu accipere & capiendi seu tollendi præsentem facultatem habere. (4) Præsertim vero si claves sub quibus res custoditur traditæ sunt, in quo symbolum traditionis consistit. (5) Nec facit, quod frumentum in solutum cessum nondum fuit admensum, si non convenit ut in solutum datio ex mensura iniret, sed ex corpore cœpit, dum quantum frumenti fuit cessum seu ejus accipiendi vendendique facultas facta est, mensura postea demum ad declarationem quantitatis facienda. (6) Obtinet hoc obrationis similitudinem in datione in solutum quod circa venditionem traditur discrimen quomodo nempe venditio incipiat. (7) Huic consequens, quod cum non facta solutione in eum casum traditum frumentum non venditur antequam deterius redditur, cum debuisset recipi & vendi, periculo accipientis esse, tum ex acquisitione, (8) tum ex mora. *In causa Hans Hercules Viduæ contra hæredes Abraham Sivers die 22. Sept. Anno 1658.*

1. Interest inter conventionem de dando & ipsam dationem. Hac nondum facta res manet intra terminos conventionis.

2. *Donell. l. 5. c. 9. ib. Hilliger ubi varia refert, qua traditionis loco sunt.*

3. *l. 1. §. pen. ff. de acquir. possess. ubi notabiliter additur, oculis & animo acquiri possessionem.*

4. *l. quorundam 41. ff. de acquir. rer. dom. l. pecuniam 79. ff. de Solut.*

5. *d. l. 1. §. pen. ff. de acquir. possess. l. clavibus ff. de acquir. possess.*

6. Multum interest mensura demonstrationis an taxationis causa adjecta sit; ut & utrum frumentum ut corpus, an ut quantitas vendita sit. Nam ubi vel quantitas ut corpus venditur vel mensuræ pro demonstratione saltem mentio fit, consistit & perficitur contractus etiam si non accesserit mensura, quod alia in specie secus est. *vid. scripta à Rauchbar. part. 1. quæst. 21. per tot. Covarruv. part. 3. variar. resolut. c. 3. Medices in tr. de Cassib. Fortun. part. 2. q. 10. n. 106.*

7. *Rauchbar. d. tit. quæst. 21. n. 12.* ubi generaliter in omnibus contractibus, concessionibus & dationibus id observandum esse post alios allegatos statuit.

8. *De quo vid. defin. precedentem.*

9. Uti mora creditoris antecedit casum, periculum est ipsius. *Delrio in l. contractus cap. 27. de Reg. Jur.*

DECISIO LXIV.

Cujus temporis æstimatio circa dationem in solutum attenditur.

CUM frumentum in solutum cessum esset, ut si die dicto non solveretur debitum, venderetur & pretium in creditum acciperetur, non facta solutione quæsitum est, quia pretia varia sunt, nec in eadem quantitate diu consistunt, cujus temporis æstimatio attendenda sit, quam creditor sibi imputare debeat? Alias quidem, si simpliciter fit datio, ejus momentum attendi debet, quanti tunc res data valet in solutum computando, (1) at quando non datur ita, sed creditur saltem facultas accipiendi & vendendi, si stato tempore non fuit solutio, non potest considerari tempus cessionis, quia res tunc non dari videtur, tacitèque aliud convenit dum respicitur pretium quod per venditionem capiendum. Hujus autem faciendæ tempus dies traditionis est, qui creditor accipere intelligitur, & vendere potuit, quanti frumentum valuit ideo quanti tunc vendere licuit, ipsi non injustè erit imputandum. (2) Quomodo deinde contingens casus creditoris periculo atque detrimento est, ita etiam quod ex pretio frumenti postea decrescit sibi acceptum feret, dum citius non vendidit. (3) Non obstat quod si carius deinde venderetur commodo debitoris illud cessisset, nempe ex conditione conventionis, quę tanti vult esse cessum quanti venditur. (4) Aliud hic statuitur, ex mora creditoris, unde damnum contingens ipsemet sustinet. (5) Ex ea ratio diversitatis existit. Potuit creditor venditionem in commodum debitoris differre, sed non cum ejus detrimento. (6) *In eadem causa.*

1. Æstimatio rei ut facienda, quando res pro certo pretio in alium transfertur, ita etiam eo tempore spectanda, sive judicium bonæ fidei sive stricti juris sive arbitrarium sit. *l. vinum 22. ff. de Reb. Credit. l. ult. ff. de Condict. Tritic. l. 55. Calendis 11. ff. de re jud.*

2. *Vid. Fab. in Cod. l. 4. tit. 2. defin. 13.*

3. Quod ex sua mora quis sentit damnum ipsemet ferat, alteri imputare non debet. Mora enim cuique sua non alteri nocere debet, juxta juris regulam quam ad hanc speciem applicat, *l. hominem 37. ff. Mandat.* Non excusabit prætextus ille dilationis, quod bono debitoris venditio dilata, donec carius frumentum venderetur, quia nisi illius voluntate simul hoc factum cum ejus periculo dum & vilius vendi posset, fieri non debuit.

4. Pretium non modo expresse dicitur, sed & tacite relatione ad aliud perquam expressum habetur, veluti fit cum venditur, quanti certo tempore venale erit. *l. 7. §. ult. ff. de Contrah. Empt. Gomez. l. 2. Var. Resolut. c. 2. n. 9.*

5. Qui certo tempore recipere & vendere potuit, non suo sed debitoris commodo moratus dum de jure suo decedit, quod ipsi facere licet. At ex eo non potest hunc ad vilius pretium cum suo damno adstringere. Huc quadrat quod habet Faber *in C. lib. 4. tit. 2. defin. 9. sub num. 6.* ubi ait: *Non quid creditori commodum, sed quid debitorem præstare, æquum suspicio oportere.*

Digitized by Google

6. Alterius etiam ignoraptis conditionem meliorem facere licet sed non deteriorem, *l. 39. ff. de Negot. gest.*

DECISIO LXV.

In æstimatione spectandus valor loci in quo res datur communis.

CUm de eo, quanti res valeat & in solutum accipi debeat, quæstio est, non spectandum quanti quisquam forte obtulerit, (1) si cum illo contrahendi vel illi non vendendi non occasio aut justa causa fuerit, (2) nec etiam quanti in alio vicino loco vendi possit, (3) si illuc transferendi ex conventione vel alias necessitas non sit, multo magis ubi causa sit, cur illuc non transportetur, veluti si res pro pignore mediumque in illo loco solvendi adeoque huic veluti affixa sit, aut alio sine periculo transferri possit. *In eadem causa.*

1. Pretia rerum non ex affectu aut utilitate singulorum sed communiter funguntur. *l. pretia 63. ff. ad L. Falc.*

2. Contingit aliquando à quibusdam offerri majus pretium, sed iis conditionibus & ea fraude, ut prudentis sit ipsi non vendere.

3. Pretia loci contractus spectantur. *l. vinum. 22. ff. de Reb. credit.*

Juxtà hæc ità pronunciatum fuit.

In Sachen Hans Herculessen Wittwen Appellantinnen wider Abraham Siverds Erben Appellaten in puncto eines Kornkauffs und daher erforderten Restes werden die gravamina als unerheblich nicht / sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen und erkant / daß von Richter voriger instantien wol gesprochen / übel appelliret / und es dabey zu lassen sey von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar / den 18. Octobr. Anno 1658.

(Hoc est.) In causa Joannis Herculessen viduæ appellantis contra Abraham Siverdi hæredes appellatos in puncto emptionis siliginis & inde prætensi residui, gravamina ut irrelevantia non recipimus sed acta ex officio pro conclusis accepramus & decernimus, quod à judicibus priorum instantiarum bene judicatum, male appellatum, proinde ei in hærendum, idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ. 18. Octobris. 1658.

DECISIO LXVI.

Debitor liberationis à certis creditis non potest ex alio credito suo compensationem objicere.

IN contractu emptionis convenerat, ut emptor loco precii liberaret venditorem ab ære alieno, quo aliis obnoxius fuit, id verò cum isti non adeo promptum esset, compensare voluit ex credito, quo sibi venditor obstrictus erat, hic verò condemnatus, appellans, cum aliis ex causis, tum ideo audiri debuit, quod emptor non more quantitatis, sed specie debitor erat obligatus ad liberandum venditorem ab alio eoque speciatim nominato credito, (1) sic debita quantitas speciei vicem habet, (2) ideo compensationem non admittit; (3) Videtur etiam in tali casu tum alia esse mens contrahentium, quæ ad certum solvendi modum redigitur; (4) tum deesse ratio compensationis. (5) Ita existimatum *in causa Wedige, Behren, contra Wilcken von Platen, die 18. Octobr. Anno* 1654.

1. Ut aliud pro alio solvi non potest, *l. 2. ff. de reb. cred.* ita nec aliud cum alio compensari, nisi vicem ejusdem habeat, ita ut pro eodem haberi queat. *l. 1. ff. de Compensat.*

2. Potest corpus deberi ut quantitas, & vicissim quantitas ut corpus, *l. 1. in fin. l. 9. l. 35. ff. de usur. & arg. leg. l. 57. pr. de solut.*

3. *l. 26. §. 4. ff. de Condict. indeb. l. 1. §. 12. ff. de separat. l. 18. pr. ff. de Pign. act. l. 6. Cod. de rei vindic.*

4. Ubi quid specialiter destinatum, in aliis excluditur compensatio, *l. quod ab eo 13. ff. de Compensat.*

5. Ubi interest nostra, quid in specie præstari potius quam non compensari, cessat compensatio ex ratione ejus per argumentum à sensu contrario, *in l. 3. ff. eod.*

DECISIO LXVII.

Debitori pauperi ob casus adversos per judicem potest indulgeri particularis solutionis facultas, invito etiam creditore.

DEbitor ad solvendum condemnatus querebatur ejus ob casus adversos impossibilitatem, & petebat sibi solutionis particularis gratiam fieri, sed terminos divisos indulgeri, ideo ad inferiorem judicem mandatum decerni, ut ad illam ob allegatas causas permitteretur, nec in solidum una vice tam rigide exequeretur. Facile quidem id decernendum haud est; (1) tum quod creditor particularem solutionem recipere non tenetur. (2) tum quod debitor ad integrum tenetur; (3) tum quia plura habet incommoda. (4) Ubi tamen debitor solidum solvere non valet ac commiseratione dignus est, creditor ad hanc per æquitatem tenetur, ideo tantum potestatis judici est ut illam ex urgente causa invito etiam actore admittere possit,

Digitized by Google

possit, (5) Tum quia ad ejus officium pertinet curare, ne debitores immani ex actione supprimantur; (6) tum quia ad potestatem ejus pertinet moderari petitionem; (7) tum quia æquum, miseris debitoribus succurri nec ad extrema adigi. (8) Et cum alias judicibus circa dilationes pro præstandis rebus judicatis aliquid arbitrii concedatur, (9) tum & hoc permittendum est, ut per partes solutionem admittere possit, (10) in quo dilationis quædam species est, (11) modo medie id curet, ut nec debitori consulatur, ultra quam opus est, nec creditori irrogetur, (12) quod nimis incommodum aut cum discrimine ejus conjunctum. (13) Rescriptum ideo exiit ad judicem inferiorem, ut veritatem causarum & casuum de quibus supplicans querebatur, indagaret, iisque repertis sic temperaret, ut utrique parti consuleretur. *Ad supplicationem Davidis Sethen contra Tribunum Militarem Horstmann. Die 23. Octobr. Anno* 1658.

1. JCti communi sententia judici adimunt eam potestatem indulgendi solutionis terminos. *vid. Schneidewv. ad §. item Inst. quib. mod. toll. obl. VVesenb. Parat. ff. si cert. pet. n.* 12.

2. *Hotoman. illustr. quæst.* 22.

3. *l. tutor.* 41. §. *Lucius* 1. *ff. de Usur.*

4. *l.* 3. *ff. Famil. Erciscæ.*

5. Hæc facultas judicis probatur. *per l.* 21. *ff. de rebus cred. l. fin. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. l. cum hæres* 4. §. *idem si* 6. *ff. de Statu lib. l. placuit* 4. *C. de Collat. fund. partim.*

6. *vid. Nov.* 4 *c.* 3. *&* 4.

7. *Novell.* 135. *c.* 5.

8. *de eo prolixe scripsi in Discuss. Levam. inop. deb. d. c.* 1. *quo lectorem remitto.*

9. Pauperi longiorem is dilationem concedere potest quam diviti. *vid. Coler. de Process. Executiv. part.* 3 *c.* 6. *n.* 12.

10. *Eam potestatem latius exposui in jam memorato scripto cap.* 4. *sect.* 9. *per eos post alios ibi allegatos qui ita sentiunt. vid. Boer. decis.* 349. *n.* 10. *& Matth. de Afflict. decis.* 377, *num.* 1. *qui in simili casu sic judicatum fuisse referunt.*

11. Ex jure dilationis debiti circa totum, sequitur potestas circa partem. Quod juris est in toto quoad totum, illud est in parte quoad partem. *l. quæ de tota* 76 *ff. de rei vindict.*

12. *Juxta monitum JCti in l. si servum* 25. *ff. de Pignor. act.*

13. Indulgendo debitori non negligenda est securitas creditoris. *de quo vid. in tract. de Levam. inop. deb. d. sect.* 9. *n.* 8. *& seq.*

DECISIO LXVIII.

Thaleris æstimatis debetur quæ in Chirographo exprimitur æstimatio, non quæ est solutionis tempore.

CUm thaleri non simpliciter tanquam certæ species, sed sub certa æstimatione accipiuntur & reddi promittuntur, non sunt in obligatione species acceptæ sed æstimatio sub qua accipiuntur. (1) Debetur toties illa quantitas, quanti æstimatur; & thalerus hic saltem medium solvendi est. Quocirca quod in æstimatione thalerorum supervenit augmentum vel decrementum ad debitorem pertinet. (2) Quare cum tempore crediti thalerus datus est & æstimatur, pro triginta tribus solidis, hodie ubi quadraginta octo solidos valet, quod in his illam summam excedit lucro est debitoris, & ex ejus bonis in imperialibus tantum solvendi sint ducenties triginta tres solidi, non vero ac si species creditæ essent aut ducenti thaleri aut quadringenti floreni. (3) Secundum hæc facta est adjudicatio. *In causa Viduæ Jacobi VVeschen in concursu creditorum Nicolai von Horn die* 26. *Octob. Anno* 1658.

1. *De hoc controvertunt JCti, quorum diversas sententias & harum rationes diligentissime annotavit & discussit Ernestus Cothmannus in respons.* 34. *num.* 118. *& mult. seq. vol.* 1. tandem vero pro hac sententia concludit quam communiorem etiam esse testatur.

2. Sic communis habet sententia, cum inter partes seu expresse seu tacite de valore monetæ convenit, commodum aut incommodum esse debitoris. *Vid. Cothman. dict. respons.* 34. *num.* 113. *ubi plures citat.*

3. Ita in judiciis Pomeranicis non semel pronunciatum fuit & per multa præjudicata, quæ observavi testari queo, in ea provincia ita in consuetudinem venisse.

DECISIO LXIX.

Annotatio privata non facit fidem solutionis.

QUemadmodum annotatione privata nemo potest facere alium debitorem, (1) ita nec se ab alio liberare. (2) Etsi quis itaque in libro quodam, in quo consignare solet res quotidie gestas aut rationes rerum suarum, scripserit se alteri solvisse, nihil ipsi in utilitatem suam hoc proficit. (3) Solutio facti est, nec præsumitur, sed probatione indiget. Privata autem testatio seu annotatio, si non aliis quoque admi-

Digitized by Google

adminiculis adjuvetur, ad probationem sola non sufficit. (4) Non aderant autem adminicula talia quæ probationem supplere possent, quin potius scripturæ ea omnia deerant, quæ in justis rationibus requiruntur. Eoque minus ex persona scribentis desumi poterat argumentum, cujus dignitas aliàs non sufficit, ut soli ejus dicto vel scripto fides contra alium habeatur. (5) Ideo cum de debito constaret, dubitatum non fuit reum, cui alia testimonia nulla aderant fuisse condemnandum, *In causa Nicolai Kirchhoff contra Dn. Assessorem Petrum Vog. Die* 16. *Novemb. Anno* 1658.

1. Exemplo pernicioſum hoc esse dicitur. *in l. exemplo* 7. C. *de Probat.*

2. *Vid. Sichard. in Comment. ad d. leg.*

3. Nemo in propria causa testimonium dicere permittitur. *l. in omnibus* 10. C. *de Testib.*

4. *l. Instrumenta* 5. C. *de Probat.*

5. Nec Papæ nec principi in propria causa fidem haberi vulgatum dictum est.

DECISIO LXX.

Præstanda ab eo debitore, qui particularis solutionis beneficio frui cupit.

INter beneficia depauperatis debitoribus competentia non postremum est, quod particulatim solvere possunt, cui in solidum semel solvendo non sufficiunt, uti hoc alibi inter decisiones nostras ex legum textibus manifestum fecimus. Ut vero eo frui liceat, primo opus est, docere solvendi impossibilitatem seu inopiam, ad quod pro impetrando isto beneficio sufficit juramentum debitoris. (1) Deinde moderamen judicis in dividenda & determinanda solutione in certos terminos juxta possibilitatem debitoris facta accurata exploratione statuendos: Id quod ejus arbitrio relinquendum. (2) Sic vero explicandum, ut nec delicatus debitor nec oneratus creditor audiatur. (3) Tertio necessaria est cautio de solvendo in constitutis terminis ære alieno, quo securus sit creditor. (4) Nec enim aliter debitoribus indulgentur beneficia talia, nisi cum securitate creditorum, quæ ubi præstari nequit, magis ipsi consulendum est rigore juris, quam ut sub benignitate judicis ille periclitetur. (5) Hæcita observata sunt *in causa Valentin Rethen contra Johan Hoffmeistern die* 18. *Januarii Anno* 1659.

1. Juxta *Novell.* 135. *cap.* 1. cujus ad omnia debitorum depauperatorum beneficia ex rationis identitate fit applicatio.

2. Sicut fit semper in iis quæ in jure certam regulam non habent vel habere nequeunt. *l.* 1. *ff. de jur. delib.*

3. Juxta monitum *l.* 25. *ff. de Pignorat.*

4. *c. Odoardus X. de solut.* providentia, quam continet illud decretum Papale, non tantum in illo casu, sed etiam circà alia remedia similia obtinet, uti Canonistæ ad dict. cap. exponunt.

5. *Novell.* 4. *cap.* 2.

DECISIO LXXI.

Delegatio non est, cum alius constituitur tantum solutionis minister, nec ad liberationem proficiunt cum hoc acta.

DElegatio requirit primo conventionem inter debitorem delegantem & creditorem; Deinde inter hunc & delegatum. (1) Utraque opus est, ubi nihil inter creditorem & debitorem de alio in locum hujus recipiendo agitur, (2) aut convenit, qui alieno nomine se offert ad solvendum, non est delegatus debitor, sed minister solutionis. (3) Quando itaque ab hoc offeruntur solvendi media, non fit liberatio, nisi ubi in solutum sunt accepta. Perinde autem se res habet, ac si ipse debitor in solutum dedisset; quæ itaque locum habent hoc dante, at evictis datis aut decepto creditore eadem quoque observantur illo dante. (4) Si itaque ille dederit nomina aut assignationes, ex quibus nihil consequi licet, ea datio liberationem non operatur sed supereſt actio contra primum debitorem, (5) qui non ita liberatur ex cessione nominis sicut ex delegatione; (6) multo minus ex debitore suo saltem ad solvendum constituto procuratore. Incongrue petuntur argumenta in tali casu à delegatione. Delegare enim est vice mutua alium debitorem constituere. (7) Hic autem non alius debitor constituitur, & recipitur, sed minister & medium solutionis offertur. (8) Ita visum *in causa Regii Senatoris Georg Paykul contra supremum vigilum præfectum Joachim à Volkman die* 19. *Januar. Anno* 1659.

1. *l.* 1. *l. nec creditori* C. *de Novat.* In delegatione inde duplicem veluti contractum esse scribit Salicet. *in l.* 2. C. *eod.*

2. Alius pro alio etiam invito & ignorante solvere potest. *l. solvendo* 39. *ff. de Neg. gest.*

3. Datio in solutum solutionis vim habet & liberat. *l. non omnis* §. *ult. ff. de reb. cred.*

4. Quod

Digitized by Google

4. Quod quis per alium facit idem fecisse intelligitur, eodem loco censetur, *l. quarundam 51. ff. de acquir. possess.* Quod alius pro aliquo obtulit ipse obtuliſſe putatur *l. ex morte 9. C. de Pact. convent.*

5. Ita habet rectior opinio Speculatoris in tit. de fidejuſſ. num.24. quæ probatur *per l. eleganter ff. de Pignorib. l. si creditor 26. l. qui res 98. pr. ff. de solut. l. deferre. §. ult. l. seq. de Jur. fisc. l. si prædium C. de Evict.* ſequitur & explicat hoc *Hering. in tr. de Fidejussor. cap.20. §.21. num.16. seq.*

6. Quantum inter ceſſionem nominis & delegationem qua effectum liberationis interſit, videas expoſitum à Berlichio *decis. 290. per tot. part.2.*

7. *l. delegare ff. de Novat.*

8. Habet hoc inſtar ceſſionis quæ ſola non liberat nec pro ſolutione habetur, niſi cum id actum fuit. *Dec. consil.99. num.4. & seq.*

DECISIO LXXII.

Delegatio conditionalis eſt, in qua reſervatur petitio à delegante nec plene liberat.

DElegatio ſolutionis vice eſt, ſed ſi perfecta & pura. Quæ cum conditione fit ante hanc exiſtentem vere talis non eſt ideo non liberat. (1) Talis ſubeſt cum creditor recipit pro debitore ſuo alium debitorem ea cum mente, ut illum liberare velit, ſi ab hoc receperit. (2) Iſte animus à creditore declaratus facit conditionem. (3) Ideo ſi hic non ſolverit, aut præſtiterit debitum, integra eſt adverſus illum actio, tanquam non exſtincta, niſi in eum caſum cum ſolutio ſecuta fuerit. (4) Declaratio talis mentis fit ex clauſula, quod chirographum primo debitori reddi debeat, cum ſolutum erit à ſecundo. (5) Fruſtra reſervatio iſta chirographi fit, niſi ea mens colligitur quæ ſatis ex iſta apparet. Nec refert quod cum alterius debitore acta quædam ſint de ſolutione, dummodo ille non ſit receptus, ut debitor, quadam cum debiti novatione, (6) quia prior conditio repetita intelligitur. (7) Eo minus nocebunt iſta, ſi & his actis additum reperitur tale reſervatum. (8) *In eadem cauſa.*

1. *l. quoties 14. ff. de Novat.*

2. Actus non poteſt operari ultra intentionem agentium.

3. Declaratio illa habet vim proteſtationis, & ut facta in eum finem, quo conſervetur jus ſuum creditori, ita etiam eum effectum habere debet *l. ſi debitor §. 1. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. l. 1. §. quia autem in fin. ff. quod legat.*

4. Habet alias ceſſio quævis tacitam in ſe conditionem ſi à debitore exigi poteſt. *Paul. de Caſtro in l. pupilli §. ſoror ff. de Solut. Hartmann. Pifer. Pract. obſerv.212. num.12.*

5. Sicut Chirographi redditio eſt argumentum factæ ſolutionis ſeu liberationis *l.2. §.1. ff. de Pact.* ita reſervatio non ſimpliciter ejus receptæ.

6. Multa tractantur quæ non perficiuntur ideo non ex eo quod tractatum ſed quod peractum de quavis re eſt ſtatuendum.

7. Tunc fit novatio, cujus definitio ex *l. 1. ff. de Novat.* tali actui congruit.

8. Eſt in eo proteſtatio quæ conſervat jus proteſtantis. *l.1. ff. de Natal. reſtit.*

DECISIO LXXIII.

Exceptio implementi non retardat ſolutionem pretii, niſi de faciendis vel præſtandis res liquida ſit.

EXcludit quidem emptorem rei venditæ pretium exigentem exceptio implementi, (1) nec condemnandus illi eſt ad ſolvendum venditor, niſi tradiderit rem, & cum illa omnia quæ tradere vel præſtare debuit. At ita talia ſe habent, ſi etiam hæc liquida ſint, ſeu ita comparata, ut ſe iſta debere venditor confiteatur, vel ſtatim doceatur. (2) Si negat, vel alias de iſtis res dubia erit, non differenda eſt ideo pretii exactio, nec ſinendum, ut emptor litem moveat, interea ſolutionem procraſtinet, (3) ſed ad judicis officium pertinet, liquidum ab illiquidis ſeparare, & hæc ad ulteriorem diſcuſſionem remittere, illius ſolutionem injungere. (4) *In cauſa Petri Echhorſten contra D. Aſſeſſorem Doct. Petrum Voigt die 15. Martii Anno 1659.*

1. *l. Julianus 13. §. offerri 8. ff. de act. empt. l. ſi ſervus 57. pr. ff. de Ædilit. Edict.* Quod in his à parte emptoris requiritur, idem à parte venditoris ex ſimilitudine rationis & æqualitate contractus neceſſarium, & generale circa omnes contractus, ut qui agere ex iis velit, prius implere debeat. *l. ſed addes 19. §. cum quidam 9. ff. locat. l.3. ff. de fidejuſſor. l. ſi ſuper 9. l. cum proponas 21. Cod. de Transact. l. propter 5. Cod. depoſit.*

2. Quamdiu id non apparet, eo loco res eſt atque ſi adhuc nihil debeatur. *l. ſi ſic 75. §.1. ff. de Legat. 1.*

3. Propter illiquidum non eſt differenda executio liquidi, *l. Statulib. 5. ff. de Statuliber.*

4. Sicuti in talibus procedendi modus præſcriptus eſt *in l. in hac 3. §. ibidem 13. ff. ad exhibend. l. fin. §.1. Cod. de Compenſat.*

DECISIO LXXIV.

Non ex ſola immiſſione, ut ex diſtractione vel in ſolutum acceptione, creditor tenetur ad præſtationem ſuperflui.

DIſtractis aut in ſolutum acceptis pignoribus, quod in horum pretio

Digitized by Google

debiti quantitatem excedit, reddendum est debitori. (1) Non similiter, ubi creditor tantum immittitur in bona debitoris, ut ex iis creditum recipiat, ad id quod plus est in pignore tenetur, (2) etsi illud taxatum fuerit, (3) quia ex immissione sola nec rei ipsius dominus fit, nec creditum recipit: quod autem in fundis supereſt, id non immerito repetitur. (4) Quocirca sic tunc pronunciandum est, ut quantum in hypotheca juxta æstimationem supereſt, debitor recipere, aut vero distractionem exspectare debeat. *In causa filiorum Joachim Bebren contra Paul Schmalzhaegens hæredes die* 19. *Martii Anno* 1659.

1. Est debitori pignoratitia actio ad recipiendum quod plus est in pignore quam fuit in credito. *l. eleganter* 24. §. *si vendidero ff. de Pignor. act. l.* 1. *Cod. eod. l. si inter* 21. §. *ult. ff. de Pignor. l. creditoris* 15. *ff. de Furt.*

2. Non potest reddere creditor quod nondum habet. Nec enim recipit precium nisi aut distractis aut in solutum pro certo pretio acceptis pignoribus.

3. Multum interest, utrum pignus æstimatum detur, an æstimato in solutum accipiatur. Illud qui accipit, nondum fit Dominus, nec obligatur ad superfluum reddendum, sicut hic, cui in solutum traditur.

4. Quod in pignore supereſt, id cedit debitori vel aliis ejus creditoribus.

DECISIO LXXV.

Solutum prius in usuras imputandum est, si non aliud complacuit.

QUando ex pluribus causis debens solvit, in potestate debitoris est exprimere in quam causam velit solutum, (1) & si non dixerit, creditori integrum est in quam summam recipere velit, aut recurritur ad eas conjecturas, quid quisque voluerit, aut velle debuit. (2) At ubi unum tantum est debitum, ex eo vero sors & usura debetur, tunc quidem integrum est dicere debitori quod malit solutum pro usuris quam pro sorte, at non aliter id assequitur, quam in id recipiente & consentiente creditore. (3) Alias etsi vel ita dixerit debitor, at cum non sic recipit creditor, non fit imputatio in sortem sed prius usurarum est habenda ratio; (4) nec aut licet debitori ita solvere, ut sortem tantum solvat, usuras seponat, (5) aut creditori obtrudere, ut sortem tantum seu sine usuris recipiat. (6) Multo magis, ubi circa solutionem nihil dictum reperitur, usuræ prius solutæ habendæ sunt. *In causa Philippi Gutzlaff Rotermundes contra Ægidium von der Osten die* 17. *Maij Anno* 1659.

1. *l. l. l. Paulus* 101. *ff de Solut. l.* 1. C. *eod.*

2. *De quo plenius in d. l.* 2. *& seq. ff. de Solut. agitur & exponit Hartm. Pistor. quæst.* 21. *per tot. part.* 3.

3. *Uti de hac specie intelligendum est quod habetur in l. creditor* 102. §. 1. *ff. de Solut.* de cujus explicatione alia ut & conciliatione cum aliis textibus JCti plures frustra sunt solliciti, dum satis apparet, quod usurarum proficit ibidem solutio ideo fieri, quia sic recipit creditor.

4. *l. tutor. §. Lucius ibid. Dd. ff. de Usur. Saltet in l.* 1. *Cod. de Solut. Hartm. Pistor. dict. quæst.* 21. *num.* 25.

5. Idem est debitum quod dividere non permittitur, sicut nec particulatim solvere, *l.* 3. *ff. famil. ercisc.*

6. Hoc non sine gravamine creditoris fit, ideo irrogare iniquum erit. *Fulgos. in d. l.* 1. *Cod. de Solut.*

DECISIO LXXVI.

Depositio etiam necessaria effectu caret, ubi in deponendis aliquid deest, & de his res debet ante omnia esse certa.

DEpositio cum necessaria est, non quidem requirit oblationis atque obsignationis solennia quæ alias extra necessitatem adhiberi solent & debent. (1) Hoc vero in ea non minus necessarium, ut integre fiat, (2) hoc est, quicquid creditori solvendum seu præstandum sit in deposito; (3) Nempe ut omnis quantitas eaque in qualitate moneræ debitæ deponatur. (4) Nam ut ob defectum in his creditor non debuit recipere, ita etiam debitor non potuit cum eo effectu, ut cursus usurarum sistatur vel periculum creditoris sit, deponere. (5) Quicquid factum, nullum est, ideo effectu caret. De quo frustranea est omnis disputatio, nisi prius de pecunia deposita, quanta qualisque illa sit, constabit. Quod cum orta super depositionis effectu lite incertum ignorumque judici erat, placuit non ulterius progredi, sed ante omnia decernere, ut citatis & præsentibus iis, quorum inter erat, cista, cui deposita pecunia inclusa erat, aperiretur, hæc inspiceretur, numeraretur, describeretur. Tunc demum cætera, quæ depositioni consectaria in litem venirent atque disceptarentur, (6) *in causa Nicolaus Demelii contra Rittmeister Eberhard von der Licht, die* 23. *Januar. An.* 1660.

1. *vid. Zanger. de Exception. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 170. *seq. de quo inter decisiones nostras alibi etiam scriptum videbis.*

2. *l. obsignationes* 6. *verb.* §. *totius* C. *de Solut.*

3. *l. creditor verb.* quod vos debere confiditis C. *de Pignorib. l. si Creditrici* 6. *verb.* universum tam sortis quam usurarum C. *de Usur. fin. verb.* residuum C. *de vit. Pignor.*

4. *l. in-*

Digitized by Google

4. *l. tutor. pro pupillo* 28. §. 1. *verb.* pecuniam *ibi gloss. & Bartol. ff. de Administr. tut.*

5. Hoc argumentandi genus à solutione ad depositionem congruum est & sic rectè concluditur. Quicquid debet solvi, id debet deponi. Quod offerens creditor non debet recipere, id depositum non potest proficere. *Zanger. dict. cap. 2. num. 15. in fin.*

6. Hoc ad litium abbreviationem, ideo etiam ad Judicis officium pertinet, ut prius disceptatione finiantur sine quibus de cæteris lis ambigua & inanis erit *l. 1. l. 2. C. de ordin. Cognit.*

Ita pronunciatum.

In Sachen Claus Dehmeln Appellanten wid der Rittmeister Eberhardt von der Liethen Appellaten in puncto illegitimæ depositionis, wird zuforderst recht gefunden und erkandt / daß die deponirte Gelder auf vorher gehender Theile Beruffen in derselben oder ihrer Gevollmächtigten Beyseyn zu eröffnen / zu besichtigen / zu zehlen / die Species monetæ anzumercken / auch sambt deren Werth und Summe so sie ausmachen / zu verzeichnen / und davon die Nachricht ad acta zu bringen / darauff denn nach Befindung ferner der deposition und ihrer Würckung halber ergienge was recht ist; So viel aber die außgesetzte Zinsen betrifft / es bey der den 26. April. Anno 1658. publicirten Urtheil zu lassen / sonst auch der disputat wem künfftig die deponirte Gelder abzufolgen / oder die Zahlung zu thun / zu rigentlicher Anzeig und ordentlicher Beybringung eines jeden daran prætendirenden Recht und Ansprach gehörig / demnach dahin verwiesen wird / von Rechts wegen.

(Hoc est.) In causa Nicolai Dehmeln appellantis contra magistrum equitum Eberhardum à Liethen appellatum in puncto illegitimæ depositionis inprimis necessarium reperitur & decernimus, quod depositæ pecuniæ ad præviam partium citationem in earundem vel earum mandatariorum præsentia aperiendæ visitandæ, numerandæ, species monetæ annotandæ, ac una cum pretio & summa quam conficiunt designandæ, & de eo notitia ad acta exhibenda, Exinde ratione depositionis & ejus valoris fieret quod juris; Quantum vero expositos census concernit sententiæ 26. Aprilis Anno 1658. publicatæ inhærendum alias etiam disputatio cui in futurum depositæ pecuniæ relinqui vel solvi debeant id spectat ad ordinatam probationem cujusque prætensi juris & actionis, quo remittimus. Idque de jure.

DECISIO LXXVII.

Emptor solutionem precii juste denegat, donec res vendita nexu pignoris utut generalis, liberatur, aut eo nomine idonee caveatur; si venditor non notorie sit facultatibus idoneus.

QUemadmodum emptori contra venditorem pretium petentem justa exceptio est, si sub limine contractus imminet evictio; (1) Ita similiter illa reliquenda ubi res vendita alteri fuit oppignorata. (2) Etsi enim creditor cui ex pignore res debetur nondum agit, tamen quia possessor perpetuo obnoxius est periculo actionis sibi certo imminentis recte sibi prospicit. (3) Et tali nexu imminet evictionis periculum, idque ex ipsa rei obligatione notorium. (4) Cujus nomine non debet non tribui acceptio cum etiam ad liberandum detur actio. Nec interest utrum specialis an generalis sit hypotheca. Ut enim ex hac contra quemvis possessorem actio competit, perinde atque si specialiter res obligata fuerit, ita possessor in periculo est, & permittendus ut sibi consulat atque indemnis maneat. (5) In eo vero differentia erit, quod ob specialem hypothecam semper & statim actio & exceptio erit. At propter generalem non aliter, quam si venditor non alia habeat bona, ex quibus creditori satisfieri possit. In ea specie non est prohibita ipsi rerum suarum alienatio, nec creditori libera pignoris prosecutio, sed exceptione ordinis seu excussionis repellitur. (6) Quare ubi locuples est debitor, frustra objicitur periculum & pro eo poscitur liberatio pignoris, vel alia cautio. (7) Nimis magnum impedimentum imminueret commerciis si quodvis periculum petitionibus pretii debiti prætendere liceret. Quod consideratum *in causa Philip Gutzlaff Rotermunden, die 2. Novemb. Anno* 1660.

1. *l. si post perfectam* 8. *C. de evict. ib. Dd.*

2. Dubio caret emptorem rescissentem quod res sibi vendita alteri sit obligata pretium retinere & exceptione se defendere posse, cum ex empto actione juste experiatur ut rem liberet seu ab obligatione liberam præstet aut vero idonee satisdet & pretium reddat. *Alberic. in l. ex prædiis ibid. Salycet. C. de evict. Ang. in l. fin. num. 6. ff. de suspect. tut. Caballin. de evict §. 5. num. 68. Surd. Consil. 36. n. 14. & 25.*

3. Nemo se periculo incerto committere tenetur.

4. Ubi notorium est jus alterius ex dominio vel hypotheca, ac si evictio jam imminet seu lis mota fuerit & actione & retentione precii emptor sibi consulere potest *Jason. in l. à Divo §. si post num. 2 ff. de rejud. Caballin. d. tr. §. 2. num. 13. Surd. d. l. Menoch. de A. J. lib. 2. casu 224. num. 5.*

5. Quatenus eadem utriusque ratio, seu idem ex utraque periculum est, eatenus eadem cautio idem jus est.

6. *Juxta Novell. 3. §. 2. Auth hoc nisi debitor. C. de solut.*

7. Sicut alias possessor bonorum immobilium vel qui locuples est satisdare non tenetur *l. 15. ib. Dd. ff. qui satisd. cog.* ita nec ea satisdatio incumbit, nec sub ejus postulato precium retineri potest, ubi qui vendidit dives est, aut tot bona possidet, quæ credito pro quo bona omnia obnoxia suffi-

Digitized by Google

ciunt, *Caballin. d. § 5. n. 49. Menoch. d. cas. 224. num. 4. Surd. decis. 295. num. 3.* Ratio seu finis retentionis alio modo tunc obtinetur, ideo cessante causa cessare debet illud onus.

DECISIO LXXVIII.

In retractu compensatio pro solutione est.

INanis objectio est, nec ad excludendum a retractu sufficiens, quod qui retrahit quod alter solvit, non reddere, sed pro parte compensare velit. (1) Est compensatio species solutionis (2) pleraque solvere & compensare (3) unde conditio solvendi per compensationem satis impleta dicitur. (4) Etsi enim si modum respicis a solutione differt, hæc nisi ficta atque imaginaria solutio est, (5) qua effectum tamen vera est solutio, ejusque vim plene habet (6) & brevi manu facta solutio est. (7) atque ut in aliis hæc valent & pro solutione compensatio admittitur, tum etiam in materia retractus eo effectu gaudet nec referat precium solvatur an compensetur. (8) Quod consideratum *in causa Hans Brandten contra Christoff Meyern die 27. Januarii Anno* 1660.

1. *l. si debitor, 4. ff. quib. mod. ping. vel hypothec. l. amplius 15. ff. rem. rat. hab.*
2. *l. Julianus 45. ff. de condit. & demonstr. l. solutionis 54. ff. de solut.*
3. *Tiraquell. de Retract. lignag. §. 3. gloss. 3. n. 2. Graff. in tr. de Except. cap. 16. n. 14.*
4. Uti vocat *Cardin. Tusch. Pract. conclus. tom. 3. lit. C. concl. 488. num. 7.*
5. *Medic. tr. de compensat. part. 1. q. 47. n. 2.*
6. *Graff. d. tract. cap. 16. n. 11.*
7. *Cothm. resp. 57. n. 120. vol. 2.*
8. *Rosenthal. de Feud cap. 9. memb. 2. concl. 90. num. 3. Reinking. de retract. consanguin. quæst. 6. concl. 1. num. 40. seq. Medic. de Compensat. part. 2. quæst. 7.*

DECISIO LXXIX.

Remissæ usuræ quatenus habeantur pro solutis nec ne.

CUm invicem sibi debuissent Actor & Reus hic compensationis & circa usuras servandæ æqualitatis exceptione opposita & admissa in computum referebat aliquod usuras, quas suus ipsi creditor actoris parens remiserat, ita ut illarum rationem habere vellet in eo, quod huic adhuc solvendum. Iniqua vero judicata est hæc intentio illuc tendens, ut quod præstitum sibi erat remissionis beneficium ex illo alterum vellet oneratum. Ex eo vero dependebat decisio, utrum usuræ remissæ haberentur pro solutis? Hoc vero dicendum quidem fuit qua debitorem, cui remissio facta est (1) qui etiam ex ea perinde, atque si solvisset liberatur. (2) Haut similiter qua creditorem remittentem, qui non ultra accepisse creditur, quam ut petere ultra non possit. (3) quia donavit (4) sed minime ut quod remisit accepisse fingatur, (5) dum nihil ad illum pervenit, sed quod accipere debuit ex sua gratia apud debitorem remanst. *In causa Ottonis Eichstetten contra Valentinum ab Eichstetten die 10. Aprilis Anno* 1660.

1. Remittere & dare idem dicitur *c. veniens 20. de Testib.*
2. *l. 1. ff. de Acceptilat.*
3. *l. 1. §. si is qui semel 6. ff. de Succession. edict. l. 1. § 6. ff. de Ædilit. edict.*
4. Remissio est quædam velut donatio *l. si qui delegaverit 12. ib. Bartol. ff. de Novat. l. Modestinus 23. ff. de Donat.*
5. Remittens nihil Dominii transfert, nec quidquam accipit sed alteri linquit ad se nihil venit *Felinus in d. cap. veniens de Testib.*

TIT. XLIV.

DE ACCEPTILATIONIBUS.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLV.

DE EVICTIONIBUS.

DECISIO L.

Laudatio autoris non eximit laudantem à judicio, nec hoc in autorem transfert.

QUi alieno nomine possidet, si nominet eum, cujus nomine tenet, liberatur ab actione erga dominium rei intentandâ. (1) At qui suo nomine vel ut suum tenet potest quidem autorem laudare, (2) atque si citetur ad assistendum impetrare (3) at exceptione laudationis opposita non efficere, ut autor conveniatur sed ipse litem prosequi & se defendere tenetur. (4) Sic judicatum *in causa Prælati Marci ab Eichstetten contra Bernd Wulffrathen, die 5. Januarii Anno* 1657.

1. *l. fin. C. ubi in rem. act.*
2. Unde oritur exceptio laudationis autoris *Zanger. Except. part. 2. cap. 13.*
3. Hic est effectus ejus exceptionis, ut impetretur citatio seu denunciatio ad assistendum *l. imperio 28. ib. Dd. ff. de Evictio.*

4. *l. fin.*

Digitized by Google

4. *l. fin. C. ubi in rem. act. Zanger. de Except. part. 2. cap. 2. num. 5.* Error nimis crassus JCtorum est laudatione autoris ab actione rem liberari. Quem ratio & usus fori refutant.

Tenor sententiæ.

In Sachen deß Prælaten Marx von Eichstetten Klägern und Appellanten wider den Obristen Detloff Siegfried Kugelfelden itzo Berndt Wulffrathen Rathsverwandten in Stralsund beklagten und Appellaten in puncto successionis in feudo jetziger Zeit laudationis autoris wird vor recht erkandt / daß bemeldter Berndt Wulffraht seines Einwendens ungehindert der Sache sich anzunehmen / procuratorem ad acta zu constituiren / und darein rechtlicher Ordnung nach zu verfahren schuldig / dabey aber den Königl. Licent Inspectorn Philip Rohtlieben als angegebenen autorn zum Gewehr citiren zu lassen befugt. Gestaltsam dann im fall er ohne denselben sich einzulassen nicht gemeinet / die behuffige Citation an denselben erkandt / ihm aber innerhalb sechs Wochen solche zu extrahiren und insinuiren zu lassen aufferleget / im übrigen was er wider die außgebrachte Proceße einzuwenden hätte / biß nach eingebrachten acten ersten instanz verwiesen / und so weit Rechtens vorbehalten wird / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 19. Januarii Anno 1657.

(Hoc est.) In causa Prælati Marci ab Eichstetten actoris & appellantis contra Colonellum Detloff Sigfridum Kugelfelden modo Bernardum Wulffrathen Senatorem Stralsundiæ reos & appellatos in puncto successionis in feudo, modo laudationis authoris, decernimus, quod dictus Bernardus Wulffrath non obstantibus suis exceptionibus causam in se suscipere, procuratorem ad acta constituere & ibidem juxta ordinem judiciarium procedere teneatur, ita tamen, ut ei citatio contra Regium Inspectorem Licentiatum Philippum Rothlieben tanquam laudatum authorem ad assistendum permissa sit, prout hisce in eventum quo absque illo se ingerere nollet, necessariam citationem contra eundem decernimus, ipsi vero ad eandem extrahendum & insinuandum sex Septimanas assignamus, cæterum vero exceptiones suas contra emanatos processus usque post producta acta primæ Instantiæ remittimus & quatenus juris reservamus. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 19. Januarii Anno 1657.

DECISIO II.

Emptori hypothecaria agenti contra autorem autoris sui non de evictione, sed saltem de eo quod debuit creditori cui solvit actio est.

QUi emerat fundum alteri hypothecæ nexu obligatum, hypothecariâ actione conventus creditori debitum solverat, postea conveniebat debitoris hæredum aliquos, qui non erant istius autores, quia nonipsi, sed avus istorum alteri extraneo vendiderat, à quo ad alium & ab hoc tandem ad emptorem pervenerat. (1) Quæ exempto de evictione actio personalis est, contra hæredes ut autores locum habere non poterat, (2) quandoquidem emptionis contractus non cum ipsis ipsorum antecessore, cui succedebant, initus erat. Sola igitur supererat actio de debito, quod solverat possessor, cujus nomine ipsi regressus est contra illos qui ex personali obligatione debebant. Sicut enim à creditore conveniri potuerunt, ita & à possessore qui solvit quod debebant rectè conveniuntur, cum is in locum creditoris quasi succedat seu ejus loco sit. (3) *In causa Annæ & Mettæ ab Huden contra Rothum à Gallen die 15. Januarii Anno 1657.*

1. Quando res vendita transit per plures manus quisque tenetur immediato suo autori litem denunciare, donec ad primum deveniatur; altero omisso medio denunciando nihil agitur *gloss. in l. 22. §. 1. verb. agere ff. de Evict. Caballin. in tr. de Evict. cap. 3. num. 143.*

2. Ex contractu non est cum alio ac cum quo contrahitur actio. Tertius ex illo non tenetur. *arg. l. in fin. C. ne ux. pro marit. Novell. 52. cap. 1.*

3. *l. res obligatas 21. C. de Pignorib.*

DECISIO III.

Non ut cum ex gentilitio vel legali retractu res vendita retrahitur, ita etiam qua conventionalem cessat de evictione actio.

QUando possessor ædium ex jure retractus seu protimiseos conventionalis contra emptorem obtinuerat, hic de evictione contra venditorem ad interesse actionem intendebat, an isti locus esset? dubium faciebat, quod cum per consanguineos ex jure protimiseos res retrahitur, cessat de evictione actio. (1) Annon etiam circa conventionalem retractum idem esset statuendum? Sed itum est in negativam propter manifestam differentiæ rationem. Ideo enim in priori specie evictioni non est locus, quod retractus iste oritur, tum ex naturali quadam conditione rei per legem vel mores indita, ut potior sit agnatorum quam extraneorum conditio; (2) tum ex persona emptoris, quia per legem vel consuetudinem circa emptiones debet esse agnatis posterior; (3) tum quod ex jure speciali descendit retractus contra quod non tenetur venditor emptorem defendere; (4) tum denique ex scientia emptoris, cui jura civitatis

Digitized by Google

nota sunt, aut quod par habetur esse debent, quæ excludit etiam ab ista actione. (5) Quæ omnia in conventionali retractu secus se habent; qui desendit ex facto & persona venditoris, qui dum pacto suo anteriori posthabito rem nihilominus vendit, & ex sua persona revocationi causam dedit, non potest sine ratione eximi ab evictionis præstatione, quam lex generaliter, ut æquam constituit, & natura contractus secum fert. (6) Si itaque lex non excepit causam, utique manet sub naturali ista conditione, (7) à qua conventionalis retractus nulla lege nec ratione excipitur. Etsi vel pacto circa conventionem cautum esset, ut venditor de evictione non teneretur, statuendum foret, eum qui de retractu seu jure protimiseos conventionem sciviſſet, at occultasset, non eo minus velut de dolo suo teneri. (8) Tantum si emptor sciverit alterius ex conventione jus, id ad excludendum ab actione proficiet (9) De qua scientia in præsenti casu non constabat. Ideo de evictione actioni locum esse putavimus. Saltem in hoc foro non admissa, sed ad judicium aliud remissa est, quod post rem jam evictam non esset hujus fori. *In causa Hinrich Steffen, contra die Bartholomæi sen., die 4. Sept. Anno 1657.*

1. *Ita communis, vel ior & foro recepta habet Ctorum sententia, vid. Gomez lib. 2. variar. resol. cap. 2. num. 40. vers. ult. Caballin. in tr. de Eviction. §. 3. quæst. 34. n. 167. Berlich. decis. 124. n. 4. seq. part. 1.*

2. Non est de evictione actioni locus, cum res ex sua natura vel conditione propria evincitur, *gloss. in l. si familia verb. Quod si uni C. Famil. ercisc. Berlich. d. decis. 124. num. 2. & 3.*

3. Quando persona emptoris locum evictioni facit, non est ipsi de hac actio *l. hoc jure l. seq. l. si servum, l. si fundum l. mancipium ff. de Eviction.*

4. *Salycet in l. minor. de Evict.*

5. *l. si fundum 27. C. de Evict. l 7. C. Comm. utr. jud.*

6. Naturaliter evictionis præstandæ debitum inest emptioni venditioni tanquam appendix & accessorium, *l. si cum tibi C de judic. Mozz. in tr. de Contract. tit. de Natur. empt. num. 1.* ideo etsi nihil de ista dictum ex natura venit. *l. 2. ff. de Evict. l. non dubitatur 6. C. eod. l. non idcirco C. de Contrab. empt.*

7. Evictionis debitum in omni casu obtinet, qui non reperitur exceptus.

8. Ita traditur, quod etsi remissa sit pacto evictionis præstatio, attamen de dolo esse actionem contra eum, qui sciens rem alienam vendiderit, *ex l. 6. §. ult. l exempto 11. §. ult ff. de Act. empt. Gail. 2. Observ. 139. num. 6. Mynsing. 6. Observ. 37. num. 4.*

9. *d. l. si fundum 27. C. de Evict* In pari causa turpitudinis seu iniquitatis deterior est conditio petitoris. *l. 4. ff. de Condict. ob. turp. caus.*

DECISIO IV.

Ex transactione data cum evicta fuerint, est de evictione actio.

TRaditur à nonnullis de evictione actionem non pertinere ad transactionem. (1) At ex errore vel non intellecto discrimine ejus quod per transactionem remittitur, & ejus quod ex ista datur. Ubi transigentes sibi invicem remittunt, quod in lite fuit, si id ipsum alius in litem aliam vocat & aufertur, evictionis causa nihil præstatur. (2) Secus omnino se res habet, ubi transactionis causa aliquid datum est. Hoc cum evincitur de illo est contra dantem actio, etsi nihil de illo actum vel promissum fuit. (3) Quod enim commune & velut naturale est omnium contractuum qui ex causa onerosa ineuntur (4) id à transactione non est separandum (5) Quam non modo nulla lex excipit, sed potius sub regula comprehendit. (6) Nec distinguendum, an alia res quam de qua actum, transactionis causa data sit, an hæc ipsa, nam qui data est continet evictionis obligationem. (7) Ideo cum appellans nihil aliud pro gravamine habebat quam se evictionis nomine damnatum, non auditus est. Die 16. Septembr. An. 1657.

1. *Vid. Caballin. in tr. de Evictio. §. 4. n. 46.*

2. *Hoc est quod decidit ur in l. si pro fundo in fin. C. de transact.* Ratio est, quod qui remittit, rem esse finit ut est.

3. Id prima pars *d. l. si pro fundo. in verb. ex stipulatione jane vel si non intercessit, præscriptis verbis actione civili subdita, apud Rectorem Provinciæ agere potes &c.* ita constituit, *ut interpretes ibid. explicant.*

4. Ex his de evictione agitur. *Ferrar. in prax. tit. de form. libell. in caus. vendit. vers. Promittens de evict. num. 2. Surd. decis. 290. num. 3.*

5. Hæc est titulus onerosus *Berol consil. 169. n. 19. vol. 2.*

6. *Videas de d. l. si pro fundo ibid. Bartol. Bald. Jason. & alios.*

7. *Hartm. pistor. observ. 227. num. 36. seq.*

DECISIO V.

Inepta est venditis nominibus, quia non exigibilia dicuntur, petitio rescissionis contractus.

POst vendita nomina emptor potuit rescissionem venditionis, ideo quod nomina aut non vera & non bona ideoque non exigibilia dixit, & à judice primæ instantiæ pro se sententiam obtinuit, à qua cum appellaretur, visum fuit recipiendam appellationem certo juri innixam quod de evictione non recte agitur, antequam

res

res evicta est. (1) Quod venditis nominibus haud aliter evenit quam si vera non sunt. (2) Præterquam si conventum, ut & bona præstantur. In quâ specie, si post factam exactionem nihil consequi licet, erit actio. Quamdiu de his res certa nondum est, pendente lite non ad precium restituendum, sed ad defendendum tantum venditor conveniri potest. (3) Quod non modo ad eam controversiam pertinet, quæ inter emptorem & evincentem intercedit, sed etiam si emptori venditor exceptionem, cur de evictione non tenetur, opponit, ea prius discuti atque super eo pronunciari debet, antequam pretii repetitioni locus sit. (4) *In causa viduæ Herman Sandbecken, contra Cancellarium Hinricum Resseln, die 27. Septembris Anno* 1653.

1. *l. 3. C. de eviction.*

2. Verum, non bonum nomen tenetur præstare venditor, seu uti JCtus *in l. 4. ff. de hared. vel act. vend.* ait: *Locupletem esse debitorem præstare non debet, debitorem autem esse præstat, nisi aliud convenit.*

3. *Ita habent verba in l. si plus* 74. §. *nota 2. ff. de Evict.*

4. In quibus casibus evictionis præstationi non est locus, ut multi sunt, in quibus non tenetur venditor, non est actio emptori ad pretium vel interesse.

DECISIO VI.

Nomen bonum promittens venditor nil tenetur præstare ultra bonitatem tempore contractus.

QUod nomina vendita bona seu debitores locupletes non essent, pretium repetens, non aliter auditur, quam si de eo expresse fuerit conventum. (1) Factâ tamen conventione non aliter, quam si tempore venditionis bona h. e. exigibilia non fuerint. (2) Siquidem tunc debitores contra quos venditæ sunt actiones fuerint solvendo, si postea facultatibus labuntur, non magis id præstabit cedens, (3) Quam aliàs venditor tenetur de periculo rerum venditarum sed casus subsequens ad emptorem pertinet, (4) qui sibimet imputabit quod maturè non vigilaverit. (5) Nec obtinebit venditor nisi probato tempore venditionis nomina non fuisse bona. *In eadem causa.*

1. Alias non tenetur talia præstare venditor, *l. 4. ff. de har. & act. vend.* Qui nomen quale fuit, vendidit duntaxat, ut sit non ut exigi etiam possit & dolum præstare cogitur, *l. si plus* 74. §. *fin. ff. de Eviction.*

2. Futuri casus evictionis post contractam emptionem ad venditorem non pertinent. *l. Luc. 11. ff. de Ev.*

3. Periculum nominis ad emptorem pertinet, *l. pupilli* 96. §. *sorer 2. ff. de Solut.*

4. Contractâ venditione periculum & commodum rei venditæ ad emptorem pertinet licet res non sit tradita, §. *cum autem 3. Instit. de contr. empt. l. id quod post l. seq. ff. de Peric. & commod. rei vendit.*

5. Vigilantibus jura scripta sunt, *l. pupill. 24. ff. qua in fraud. cred.* & negligentia non petentis ipsi nocebit non alteri. *l. 1. C. de Divid. inter.*

DECISIO VII.

Nominis in solutum dati exactio cedenti relicta an ad præstandum bonum nomen obliget.

NOmine cesso vel in solutum dato verum tantum non etiam bonum seu locuples præstari debet, (1) nisi aliud conventum sit. (2) An vero hoc intelligitur, si ex pacto debitor qui cessit in se ejus crediti exactionem recepit; *Daß er wolle die Einforderung für Gericht thun*? in quæstionem venit. Primitus ad mentem Paciscentium respiciendum est, (3) eaque sumenda ex verisimilibus, quas circumstantiæ præbent, collectionibus. Quâ non apparente discernendum, utrum cedens tantum operam & molestiam exactionis in se receperit, an etiam præstationem effectus. In priori specie tanquam procurator ultra diligentiam & laborem non tenetur. (4) In posteriori præstare debet, ut effectum seu rem cessionarius habeat. (5) Prior subesse creditur, quando cessio statim est perfecta, & postea adjicitur onus exactionis. (6) Posterior quando sic facta & acceptata creditur cessio, ut de jure fieri atque accipi solet. Et sibi imputare debet qui in solutum accepit, quod legem non dixerit apertius ideoque contra eam fieri interpretatio. (8) Inde & admissa est in illo dubio appellatio, quando appellans dixit se ex tali cessione liberatum etsi nondum sit exactum. *In causa Caspari Fincken contra Hinrich à Salfelden, die 3. Novembr. Anno* 1653.

1. *l. si nomen 4. ff. de hared. & act. vend.*

2. Sic limitatur, *in d. l. si nomen 4. & seq.* Quod inter partes placet, servari debet, *l. 1. ff. de Pact.*

3. *l. semper in stipulationibus 34. ff. de R. I.*

4. Procurator seu mandatarius de omni quidem culpa sed non de causa tenetur, *l. in re mandata 21. C. Mandat.*

5. Ubi spectatur eventus exactionis, cessio eam conditionem annexam habet, si debitum exigi possit à debitore cujus nomen cessum fuit, *Castrens. in l. pupilli 96. §. sorer ff. de Solut. Hartman. Pistor. Observ. 212.*

6. Periculum enim post perfectam cessionem cessionarii est, *l. si pupilli 96. §. 1. ib. Bartol. & Bald. ff. de Solut.*

7. Re-

Digitized by Google

7 Reservatio vel declaratio, quæ huic inest, quod salvam intendit actionem, donec accipitur, efficit ut nisi nomen exigibile sit, non fiat liberatio. *Capoll. consil.* 123. *num.* 1. *Gratian. tom.* 1. *disp. Forens. c.* 64. *num.* 22.

8. *l. veteribus* 39. *ff. de Pact.*

DECISIO VIII.

In solutum accipienti nomen sub conditione exactionis à cedente faciendæ, donec super hac lis pendet, solutio alia non debetur, nisi morosus hic sit in exigendo.

SI quis non aliter nomen in solutum accepisset, quam ut inde exactum sibi præstaretur, ubi id ob inopiam debitoris, injuriam Judicis aliave ex causa non subsequitur cessio veluti non facta habetur, (1) & creditori contra suum debitorem integra est actio, (2) non prius tamen illum convenire poterit, quam apparet debitum non esse exigibile, aut cedens circa exactionem est morosus nec boni viri officio fungitur. (3) Alias cessionarius tenetur litis eventum expectare, interea autem cedentem non inquietare. (4) Ita visum *in eadem causa.*

1. Deficit, quod sub conditione promissum ubi conditio deficit, *l. fenerator b. ff. de nautic. fœn.*

2. Cum deficit conditio, perinde est ac si nihil actum fuisset, *l. multum* 19. *ff. de hared. vel act. vend.*

3. Negligentia in exigendo negligenti non alteri noceri debet. *Marian. Socin. Consil.* 273. *num.* 3. *seq. lib.* 2.

4. Pendente conditione non potest eveniri debitor, quia incertum est, an debiturus sit. *l. decem* 116. *ff. de verb. Oblig.*

DECISIO IX.

In exercitio jurisdictionis non obtinet laudatio autoris, nedum hac illud suspendit.

CUm qui ex jure antichretico præfecturam simulque cum ipsa omnimodam jurisdictionem habebat de justis faciendis imploratus autorem laudabat, & ad illum implorantem ire volebat, hoc de protracta & negata ferè justitia querente existimatum est incongrue in tali specie laudationem autoris fieri & opponi, quæ tum saltem locum habet, ubi aliquid ex eo quod ab altero habetur vindicatur vel oppugnatur ut autor evictionem præstet. (1) Quod minime extendendum est ad illam speciem ubi contra alium ab isto jus petitur. (2) Jurisdictionem qui habet exercere debet, (3) quia ideo accepit: aliàs ob denegatam vel protractam justitiam processus solitus locum habebit. Nec potuit obstare quod de homine aliquo proprio vindicato res erat, qui videbatur portio fundi, ideo ex hoc ipso aliquid vindicatum; cum non tam contra fundum ejusque partem (quæ esse non poterat nisi juste homo proprius ei adscriptus esset) quam contra hominem, qui cum alterius erat eo venisset, lis erat. (4) *In causa des Land-Raths Daniel von Plessen contra Graff Anthon Strenbergen, die* 21. *Septembr. Anno* 1655.

1. *Juxt. l.* 2. C. *ubi in rem act.*

2. Diversitatis ratio manifesta est. Rem alteri vindicante est ejus qui convenitur jus adversus autorem, ut defendatur. *juxt. l. l. tot. tit. ff. & C. de Evict.* At à quo jurisdictio exigitur non habet pro ea alterum obligatum sed tenetur officio suo satisfacere.

3. Inest Jurisdictioni obligatio ad præstanda justa cuivis petenti. *l.* 1. *l.* 2. C. *de Offic. Prætor.*

4. Si non ipse dominus hominis convenitur, sed adversus hominem pro justitia imploratur, judicis non partis officio fungitur. Multum inter ista interest.

DECISIO X.

Sciens rem alteri obligatam & tamen emens non gaudet excussionis exceptione Scientia autem probatione eget.

BEneficium excussionis tertio possessore adversus creditorem hypothecaria agentem Imp. Justiniani constitutione concessum ad eum saltem pertinet, qui justo titulo & bona fide rem accepit. (1) Hæc autem est illæsa rei alienæ scientia. (2) Ideò qui scivit pignus alteri constitutum, non potest in bona fide esse, utique nec frui ex isto exceptione. (3) Opus autem est illi pignus ejusque conditionem veram & juxta de tali scientia constare. Est quippe facti alieni quæ non præsumitur. (4) Quando itaque replicabat actor tertium possessorem sciviſſe nexum pignoris, nec aliud protulit, quàm quo in instrumento emptionis, per quem rem acceperat, sibi in eum casum, ubi alius evinceret, tum retentione priorum chirographorum, tum fidejussoribus plenius caveri curaverat, id quod aliàs diligentes curant emptores, concluſum fuit allegatione ista non probata possessorem ad exceptionem admittendum esse. *In causa D. Klapmeyers hæredum & consortum contra Detloff Schultzen die* 3. *Septemb. An.* 1656.

1. *Vid. Fab. in Cod. lib.* 8. *tit.* 6. *defin.* 33.

Vti

2. *Uti definit atq; definitionem explicat Gaddeus ad l. bona fides 10. num. 2. ff. de V. S.*

3. *Vid. Fab. dict. defin. 33. Carpzov. in jurisprud. Romano Saxon. part. 2. constit. 18. defin. 19.*

4. *C. præsumitur 47. de R. I. in 6.*

DECISIO XI.

Amissa re per casum subsequentem sui juste seu injuste, non est de evictione actio, nisi aliud conventione continetur.

EX permutatione quis alteri cesserat nomen & ejus jura adversus debitoris filium. Cum autem cessionario postea illius tutores partem feudorum in antichresin concessissent, supervenit mors debitoris non relicto feudi successore, ideo feuda ut aperta Domino directo cedebant. Qui cum alium de his investivisset & investitus ea occupasset, ejectus est, qui ex permutatione cum alio & traditione tutorum partem feudi acceperat, & quidem ex ea causa, quod ultimo defuncti vasalli debitis feudum apertum non esset obnoxium, sed ad dominum ab ære alieno liberum rediret, præterquam si cum consensu ejus obligatum aut feudi onus sit. Ejectus autem qui cum permutationem inierat, ex hac agenti rei evictæ exceptionem opposuit, nec se ultra teneri putavit. Dubitatum autem fuit an exceptio hæc utut alias legitima (1) hac in specie congrua sit. Seu enim injuria seu jure ejectio processit, videbatur de evictione non esse actionem. Nam si injusta est ejectio aut judex eam fecit aut alius. Judicis injuriam velut casum fortuitum sustinet, qui patitur, nec est ob eum de evictione actio. (2) Alterius violentia ipsi tantum nocet. (3) Uterque casus fortuiti instar habetur, & ad emptorem seu eum cui res tradita fuit pertinet. Etsi verò vel juste facta sit, tamen quia ex casu, qui post contractum evenit cessat quoque actio. (4) Et eo minus locum habere poterit, ubi non judicio res evincitur. (5) Quare in tali specie supervacuum fuit examinare juste an injuste ejectio facta sit, quod ex eo dijudicandum fuisset, utrum feuda domino aperta ære alieno sint obnoxia, saltem id inquirendum fuit, an ex contractu an aliunde appareat quidam nexus, (6) aut æquitas, unde qui nomen cesserat tenetur. (7) Sic existimatum *in causa Philippi Gutzlaff Rotermunden contra Joannem Kratzivitzen die 16. Januarii Anno* 1658.

1. *l. 1. ff. de Except. rei vend. l. 1. C. de rer. permut.*

2. *d. l. 1. C. de rer. perm. l. servi 5. l. si per imprudentiam 51. ff. de Evict.*

3. *l. fin. C. de action. empt.*

4. Futuri casus post contractum ad venditorem seu tradentem non pertinent. *l. 3. l. Lucius 11. ff. de Evict.* Prout in emptione periculum & commodum rei venditæ pertinet ad emptorem §. 4. *Inst. de Empt. vend. l. 7. & 8. ff. de Peric. & Commod. rei vend.* ita post traditionem semel factam ad accipientem tanquam dominum. *arg. l. fortuitis C. de Pignor. action.*

5. Si res non judicio nec sententia judicis evicta sit, de evictione non est actio. *l. non tamen 24. ib. gl. & Dd. ff. de Eviction.*

6. Potest ex conventione recipi talis casus evictionis. *Caball. in tr. de Evict. §. 5. n. 45. Boer. decis. 67. n. 2.*

7. Cum venditoris vel alterius causa & odio injuriam patitur accipiens, actioni potest esse locus. *l. fin. in pr. ff. Solut. Matrim.*

DECISIO XII.

Ob debitum evictionis dubium non recusatur juste præstatio certi debiti.

RE evicta quam quis ex permutatione acceperat, non minus justa est ejus quod reddi debet retentio, (1) quam jam datorum repetitio. (2) At ita si non valde dubium sit, an quis de evictione teneatur. Sub qua ambiguitate, maxime si cui evictionis præstatio impingitur fundatam contra petentem habet actionem, non est liquidi debiti executio retardanda (3) sed compellendus debitor solvere seu tradere, & deinde actione legitima super evictione experiri. (4) Ad quam excipiens remittendus, non vero permittendus est eo usque justam alterius petitionem differre. *In eadem causa.*

1. Retentio facilius conceditur quam petitio. *l. si servum 91. §. sequitur ff. de V. O.* Cum jus evincentis est certum & evidens non tenetur emptor cautionem recipere aut solvere sed precium retinet. *gloss. §. fin. ib. Joh. Fab. ff. de Suspect. Tut. Menoch. de A. J. Q. l. 2. cas. 224. n. 3. Caballin. de Evict. §. 2. n. 13.*

2. *l. 1. in fin. C. de Rer. permut.*

3. Retentio rei debitæ ex illiquido prætextu justa non est. *l. fin. C. de Compensat.*

4. *arg. l. statuliber. 5. ff. de Statulib.*

DECISIO XIII.

De evictione satisdare non tenetur facultatibus ideneus.

CUm de evictione satisdare opus sit, quando saltem ea imminet, nec altera pars ad præstationem debiti alias teneatur, (1) multo magis re jam evicta in illum casum, si in actione de evictione reus succumbet, satisdabitur ab illo qui de im-

Digitized by Google

plendo contractu contendit. (2) At ita demum de eo sollicitum esse decet, si non idoneæ aut dubiæ sunt venditoris aut alterius debitoris facultates. (3) Quibus existentibus idoneis, ut supervacua est satisdatio (4) & pro hac opes sunt, (5) ita alia ejus injunctionem prætermittere visum. *In eadem causa.*

1. *l. si post perfectam C. de Edict.*

2. Huic postquam damnum jam sensit plenius prospectum esse decet, quo gravius periculum sit. *l. 1. §. 5. ff. de Carbon. dict.*

3. Notorie locupletem aut idoneum ad aliam cautionem non teneri aut astringi debere communis est sententia. *Caballin. in tract. de Evict. §. 5. n. 49. Surd. decis. 295. n. 3. & seq.* etsi lex vel statutum idoneam cautionem requirit. *Jason. in l. 1. n. 18. ff. qui satisd. cog. Caroc. in tr. de Oblat. part. 2. q. 79. n. 5. & 6.* Obtinetur sine alia cautione finis ex opibus.

4. Possessor rerum immobilium non tenetur satisdare. *l. sciendum 15. ff. qui satisd. cog.*

5. *l. hac stipulatio 14. §. 1. ff. ut Legat. vel fideic.*

DECISIO XIV.

Laudatione autoris litem differre aut transferre non permittitur qui suo nomine possidet.

EXceptio nominationis domini parata est ei, qui alieno nomine possidet, ut possit nominare autorem seu dominum & petere dilationem ad significandum inque eum transferendum litem. (1) Non similiter suo nomine tenenti. Nam etsi res sit aliena, tamen conventus super eo jure, quod in eo obtendit seu ubi quod ejus in illa re prætenditur in litem venit, tenetur respondere, nec potest autorem laudando per istam exceptionem litem differre & transferre. (2) Denunciare quidem litem potest, aut à judice impetrare citationem, ut assistat, ipse tamen sine mora cogitur susceptam peragere litem. (3) Quæ Advocati imperite aliquando confundunt & cum denunciatio litis motæ fieri deberet laudationem autoris opponunt, & per eam se à lite eximi petunt. Quod cum ita factum, exceptio rejecta & quod incumbebat facere jussus est reus. *In causa Maresch. Regii Claus Christoph Lützovven contra Bernd Wulffrathen. Die 18. Octobr. Anno 1656.*

1. *l. 2. C. ub. in rem act. c. quoniam frequenter x, ut lis. non contest.*

2. *Vid. Sichard. ad d. l. 2. n. 7. seq. C. de tit.*

3. *l. 1. ib. Sichard. C. eod.*

DECISIO XV.

Injusta est detentio pretii sub obtentu præstandæ cautionis in casum evictionis ubi hæc non imminet.

NIhil frequentius est, quam post contractam emptionem, ubi pretium exsolvendum, securitatem quæri possessionis rei emptæ ex cautione venditoris, & sub hoc obtentu negari vel differri solutionem pretii, at vero & nihil injustius. Ab initio quidem sibi ita cavere integrum fuit, (1) dum in arbitrio stetit, quomodo & sub quibus conditionibus quisque res suas vendere & transferre voluit. Postquam autem sine aliquo pacto vel stipulatione de cavendo super evictione contracta est venditio, traditâ re pretium solvendum est, nec venditor evictionis nomine conveniri, aut pretium petens repelli potest, ut prius caveat. (2) Quod tunc exigere à Jure alienum est, præterquam si eo tempore evictio immineat, & præsens periculum sit (3) minime ex eo statuendum, quod venditor possessiones non habeat, unde emptor securus esse possit, aut quod è loco discessurus deinde conveniri difficulter queat, (6) sed si vel jam emptor ab alio rei emptæ nomine compellatus sit, vel quod ejus id onus appareat, ut certò compellatio sit metuenda. (7) Alias qui scivit conditionem ejus cum quo contraxit, vel facile scire potuit & debuit, nihilominus contractum iniit, nec cautionem exegit, suæ facilitati id imputare, pretium detinere non debuit. (8) Uti juxta hæc decretum *in causa Peter Eckhorsten contra Dominum Assessorem Doct. Petrum Voigt die 15. Martii Anno* 1659.

1. *L. §. stipulatio ff. de Prætor. stipulat.* si quid de eo ab initio conventum fuit, id ex pacto servandum erit. *l. exempto 11. §. 1. ff. de act. empt.*

2. *l. illud 4. pr. ff. de Evict. l. non idcirco 12. Cod. de contrab. empt.*

3. Hic casus exceptus in *l. si post perfectam Cod. de Eviction.* regulam confirmat in casibus non exceptis.

4. Non suspendit exsolutionem pretii periculum aliquod futurum, sed tantum præsens. *vide Carpzov. in Respons. Electoral. 44. num. 7. libr. 5.*

6. *Surd. decis. 183. num. 4. Heiger. part. 1. illustr. quæst. 36. num. 10.*

7. Veluti si rem alienam, vel alii specialiter obligatam esse, post contractam emptionem appareat. Qua de causa cum emptori adversus venditorem ad liberandum actio competat, multo magis retentioni pretii locus erit. *Caballin. in tr. de Evictions. §. 5. num. 48. Natta consil. 267. num. 2. Heig. dict. quæst. 36. num. 54.*

8. *l. 3. ff. de Fidejussor. l. si is à quo ff. ut in possess. leg. eat.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XVI.

Ob evictionem quando fiat locus rescissioni venditionis.

A Venditione quidem semel perfecta multo minus à consummata non est locus recessui invito altero contrahentium. (1) Annon autem cum evincitur res, vel quia aliena sit, vel quia alteri, nexu pignoris vel hypothecæ obligata, recedere vel rescindere liceat? disputatum fuit. Interest utrum res vendita jam sit evicta, an vero de ea evincenda adhuc contendatur. Post rem jam evictam seu ab emptore amissam contractus in nihilum recidit, & est emptori ad pretii restitutionem petendam ex empto actio, in quam etiam venit quanti interfuit rem non esse evictam, (2) nisi accedit, cur emptori de evictione non datur actio. (3) Ubi verò de evincendo adhuc agitur, non est ad rescindendum actio, sed ad implendum, ideoque præstandum ut emptori habere liceat, quæ est de evictione. In hujusmodi enim contractu, qui solo consensu perficitur, ob non præstitum quod debetur, non est ad mutandum contractum, sed ad adimplendum promissum actio, (4) nec sufficit ad rescissionem non adimpleti debiti prætextus, nisi absit in quo substantia contractus consistit; (5) Excipitur tantum, si venditor vel non vult præstare evictionem, vel non potest. Nolens pactum vel contractum servare, sua perfidia liberat secum contrahentem, qui non tenetur à sua parte implere, quamdiu ab altera non impletur. (6) Similiter qui non potest præstare quod debet, non potest ab altero quidquam exigere. (7) Quod si venditor vult & potest præstare evictionem, tunc non est locus rescissioni. (8) Eoque minus si ut non præstetur stetit aut penes emptorem, (9) quia non denunciavit justo tempore litem, (10) aut penes eundem est, unde ipsi indemnitas præstari queat, veluti si ex pretio tantum in manibus habeat, ex quo creditori qui hypothecaria agit, satisfieri potest. (11) Et licet exactione damnum aliquod emptor senserit, non attenditur ob culpam ejus, cum omisit quod facere debuit aut expedit. (12) Sic judicatum *in causa Daniel Janus contra Roberti Jani hæredes die 22. Martii Anno 1659.*

1. *l. cum de contractu 3. C. de rescind. vend.*

2. *Gloss. & Bald. in l. servus quem à me § ult. ff. de act. empt.*

3. Sunt plures casus in quibus præstatur evictio. In quibus non modo de illa, sed & de rescindendo contractu, adeoque de restituendo pretio cessat actio.

4. *l. non dubitatur 6. Cod. de Evict.*

5. *l. ea conditione 14. Cod. de rescind. vendit. l. in civile 12. Cod. de rei vindic. l. si non donationis. 8. C. de Contrab. empt.* Ex contractu emptionis satis prospectum est emptori remediis evictionis præstandæ, *Gomez. tom. 2. variar. resolut. cap. 2. num. 39.*

6. *l. cum te fundum 6. Cod. de Pact. int. empt. l. Julian. 13. c. offerri 8. ff. de act. empt.*

7. *Schneidevv. in §. actionum rubr. de act. exempt. num. 45. Instit. de Act.* Non est æquum ut & emptor rem amittat, & emptor pretium retineat. *l. ex empto 11. §. ult. ff. de act empt.*

8. Satis enim consultum est emptori remediis pro evictione paratis. *dict. l. non dubitatur 6.*

9. Pro facto habetur, quod ne fiat per alterum stat. *l. 24. ff. de Credit. & Demonstr.*

10. Omissa litis denunciatione ab evictione præstanda liberatur venditor, *l. 1. Cod. de peric. & comm. rei vendit. l. empt. Cod. de Evict.*

11. Pinguius consultum est emptori retentione pretii cum imminet evictio. *l. si post perfectam 24. Cod. de Evict. l. habitationum 18. §. ult. ff. de Peric. & commod. rei vend.*

12. Quod quis sua culpa damnum sentit, sentire non intelligitur *juxta regulam juris.*

Pronuntiatio talis facta est.

In Sachen Daniel Janus Appellanten wider Roberti und Johann Janus Erben Appellaten in puncto rescissionis contractus, werden die Gravamina als unerheblich nicht/ sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen/ und erkandt/ daß von Richter voriger Instantz wol gesprochen/ übel appellirt/ demnach es dabey zu lassen/ und wird Appellante in pœnam temerariæ appellationis in zehen Reichsthaler Straffe verdammet. Von Rechts wegen.

(Hoc est.) In causa Danielis Janus appellantis contra Roberti & Joannis Janus hæredes appellatos in puncto rescissionis contractus, gravamina ut irreleyantia non recipimus, sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus à judice prioris instantiæ bene judicatum male appellatum proinde ei inhærendum, & appellantem ut pœnam temerariæ appellationis in decem Imperiales condemnamus, idque de jure.

DECISIO XVII.

Actio ob evictionem non pertinet ad forum ejus à quo evincitur sed venditoris.

MUltum interest inter actionem de evictione intentata, & ob evictionem jam factam etiam quà fori competentiam, ubi cum venditore tanquam auctore res est. Cum de evictione seu ad evincendam rem agitur; venditor cui lis denunciatur sequitur forum emptoris, & quando cum hoc agitur, tenetur ille hunc in eodem defendere, nec potest causam ad

Digitized by Google

ſuum forum avocare ex ullo aliquo ſuo privilegio. (1) Connexitas cauſæ adſtringit ven litorem eidem foro. (2) Idem haud eſt, ſi facta jam evictione cum venditore agitur ex empto aut ſtipulatu ad id quod intereſt, iſtam non factam fuiſſe. (3) Hæc actio non ſimiliter eſt foro emptoris adſtricta, (4) ſed quà eam ſequimur regulam communem, quod actor ſequitur forum rei, utpotè à qua nulla lege reperitur excepta. (5) Eſt quoque quà hanc rationis diverſitas: Nec enim hujus cum priori eſt quædam connexitas. (6) Quare cum contingebat rogari eum, qui antea ad defendendum emptorem citatus erat & comparuerat, at aliàs jurisdictioni huic immediate obnoxius non erat, compelli, ut coram judicio ob evictionem factam reſponderet, ideo procuratorem ad acta conſtitueret, exiſtimatum eſt, non ita mandandum, ſed prius ſuper petitis venditorem audiendum exſpectandumque eſſe, an ſponte comparere in vero forum declinare vellet, ſicuti poſſet, niſi aliis rationibus aliud ab adverſo doceatur. (7) Ita decretum *ad ſupplicationem haredum Berent Vulffrath contra Præſident Güldenclavv die* 13. *Sept. Anno* 1659.

1. *l. venditor* 29. *ff. de judic. l.* 1. *Cod. ubi in rem act.*

2. Continentia cauſæ dividi non debet. *l.* 1. *Cod. ub. in rem act.*

3. His actionibus ob evictionem non præſtitam contra venditorem agitur, vel ad id quod in ejus caſum convenit, vel ad id quod intereſt *l.* 1. *tot. tit. ff. de Evict. on.*

4. Errant valde qui hæc confundunt. Nec enim quod *in d. l. venditor* 29. *& d. l.* 1 habetur ullum de hac ultima actione verbum habet nec ullo juris textu aliud conſtitutum reperitur.

5. *l.* 2. C. *de jurisdict.*

6. Ceſſante ratione legis ceſſat lex ipſa *l.* 33. *ff. ad L. Aquil.*

7. Jurisdictionem prorogare cuique integrum eſt. *l.* 1. C. *de jurisdict.*

DECISIO XVIII.

Cum certus & notorius eſt caſus evictionis oblata licet ſatisdatione emptor ſolvere non tenetur ſed precium juſte retinet donec res ejus fiet vel à nexu liberatur.

QUod jure cautum, ut ſi caſus evictionis immineat, precium retineri queat, donec ſuper evictione ſatisdatur, (1) non eo trahendum eſt, ut ſine diſcrimine venditori oblata ſatisdatione ab emptore precium ſit numerandum, ſed ſic accipiendum, ut ſecuritati proſpiciatur, quamdiu dubium eſt quid de evictione futurum. (2) Quod ſi vero caſus evictionis eſt notorius & certus, nempè cum apparet, rem venditam eſſe alienam vel ſpeciali pignore nexam & cujus eſt vel cui oppignorata, illa jam interpellat poſſidentem, reinque vindicare incipit, per ſatisdationis oblationem minime impetrandum ut emptor ſolvat, ſed ſi precium capere velit, facere debet, ut ipſi habere liceat, ut à nexu liberetur, quo non facto ille juſte retinet. (3) Cautio non niſi ob incertum adhiberur. (4) Ad ea, de quibus ſtatim conſtat, non pertinet cautio. (5) Ubi itaque certum adeſt periculum nemo fragilitati cautionis ſe committere tenetur, (6) ſed quam poteſt optime ſecuritati ſuæ proſpicere permittitur, (7) quæ major eſt in retentione rei quam actione contra perſonam. (8) Inique igitur queſtus de injuria judicis non attenta idoneæ cautionis oblatione à petitione precii emptorem donec à nexu liberatio fieri abſolventis dum appellabat auditus non eſt die 27. Novembris Anno 1659.

1. *L. ſi poſt perfectam* 27. *C. de evictio.*

2. Nam de mota quæſtione adeoque de lite durante dict. textus loquitur.

3. *Ita communior & rectior habet* Ctor. opinio *ſequens gloſſ. in* § *fin. Inſtit. de Suſp. tutor. Caballin. de Evict.* § 2. *num.* 13. *Menoch. de A. lud Queſt. lib.* 2. *caſ.* 224. *num.* 3. *Surd. conſ.* 36. *num.* 23. *Hering. illuſtr. quæſt.* 36. *num.* 56. *part.* 1.

4. *L. fin. Cod quib. ad libert. proclam. l.* 1. § *quamvis ff. de Collat.*

5. *De quo textus elegans & ad hanc ſpeciem optime quadrans eſt in l. ſi is à quo* 3. *pr. ff. ut in poſſeſſ. Legat.*

6. *L. qui ita* 65. § 1. *ff. ad* SC. *Trebellian.*

7. *L.* 1. § 1. *ff. de Act. Empt.*

8. *L. plus cautionis ff. de Reg. Jur.*

DECISIO XIX.

Pactum quo remittitur præſtatio evictionis, ſi non aliud dictum, liberat ab adſiſtendi neceſſitate, etſi non à repetitione precii.

PActum de non præſtanda evictione non liberare à repetitione precii, ſi poſtea res evincitur, certo jure conſtitutum eſt (1) idque obtinet etſi generaliſſimum, atque omnis actionis, quæ ob evictionem competere poteſt excluſivum ſit, (2) ſi non ſpeciatim additum fuerit, quod nec pretium re evicta recipi debeat, (3) aut adjectum, quod ex jure eum intellectum accipit, (4) id vero dubitationem fecit in alia ſpecie, quando cui generali abdicatione remiſſa erat evictionis præſtatio ad adſiſtendum in lite ſuper re vendicata, citatus

Digitized by Google

tatus erat, (5) utrum, si non ob evictionem, quam propter pactum remissorium præstare non tenetur, tamen ideo, quod actor esset, & precio restituendo obnoxius maneret, rectè citatus atque adsistere obligatus esset. Certe de re sibi vendita conventus bene facit, cum Autori suo litem denunciat, (6) cujus ob actionem exemplo ad refusionem precii litem scire & adsistendo istam declinare posse multum interest. (7) Nec male qui actionem ad restitutionem precii metuere opus habet, comparendo & Reum defendendo sibi consulet. (8) At ut necesse habeat, & ea necessitas per sententiam declarari debeat, non sequitur. (9) Est enim hæc actioni de evictione adhærens, (10) quia per renunciationem abdicata, non est pro ista devitanda ad adsistendum & defendendum obligatio. (11) Deinde eo nomine condemnatio magnum præjudicium continet, (12) ideo fieri non potest, nisi causa plene discussa cum causæ adesse aut demonstrari posset (13) ob quas facta tali renunciatione, aut alias venditor ne quidem ad precium teneretur, de quibus nondum circa illam litem, quæ emptori cum alio intercedit disputatio & examen, ideo nec condemnatio commode fieri posset. (14) Nihil porro interest emptoris, utrum ad adsistendum autor pronuncietur obligatus, nec ne (15) cum in casum evictionis ad eam præstandam non teneatur, nec conveniri possit, ideo adsistere non teneatur, (16) precii autem restitutioni, alias re evicta, obnoxius sit, sive adfuerit, nec ne, si non negligentiam aliquam ipsius arguere possit. (17) Sic autem cessat adsistendi necessitas, si non aliud conventum reperitur. Ex quo alia ratio est. (18) Accedebat his alia causa, quod non de precii certi ratione agebatur, ideo nec pro eo ad adsistendum citati opus erat, uti id observatum *in causa Bernhard VVulffrath contra Præsidem Pomeraniæ Andream Güldenklau die 21. Januarii Anno 1660.*

1. Textus hac de re valde notabilis est *in l. ex empto 11. §. fin. verb.* si aperte in venditione comprehendatur, nihil evictionis nomina præstitum iri precium quidem deberi re evicta, utilitatem non deberi. Æque enim bonæ fidei contractus has patitur conventiones, ut emtor res amitteret, & venditor precium retineret *ff. de action. empt. vid. Caballin. inter. de Evict. §. 2. num. 23. ubi plures* pro hac sententia allegat.

2. *Carpzov. in respons. Elector. 42. num. 26. seq. lib. 5.*

3. Valet quippe tale factum. *vid. Caballin. d. §. fin.* cuilibet permissum est juri pro se introducto renunciare *l. pen. C. de Pact.*

4. Tale subesse intelligitur, si aut contra certam personam evictionis præstatio pacto remittitur *l. qui libertatis 69. pr. ibi Bartol. ff. de Evictio. Costal. in d. l. ex empto § fin.* aut certa causa ex qua quis teneri nolit exprimitur *Bald. in l. 1. q. 2. C. de peric. & comm. rei vend. Caballin. dicto §. 2. num. 24.*

5. Juris est litem denunciari à successore de re quam ille tradidit seu alienavit convento. Denunciandi esse necessitatem. *Modestinus in l. Herennius 63. in pr. ff. de eviction.* ait.

6. *l. 1. C. ub. in rem act.*

7. In unoquoque actu ubi alicujus inter est illum citari refert & expedit *l. in unoquoque 47. ff. de re jud.*

8. Vigilantibus enim jura scripta sunt *l. 24. ff. de his qui in fraud. cred.* magnumque commodum est esse diligentem *l. 2. C. de annal. præscript.* & in tempore potius occurrere, quam post vulneratam causam remedium quærere *l. fin. C. in quib. caus. restit. in integr.*

9. Non quicquid judicis potestati permittitur subjicitur juris necessitati *l. non quidquid 40. pr. ff. de judic. l. 1. C. quand. & quem. jud.*

10. *d. l. Herennius 63. pr. l. si plus. 74. §. mota 2. ff. de Evict.*

11. Cessante ratione cessat ob eam necessarium *c. Cessante X. de Appellat.*

12. Necessitas denunciationis præsupponit debitum evictionis *l. emptor. 8. C. de Evict.*

13. *De quibus videatur Carpzov. dict. resp. 43. & Caballin. d. §. 2. num. 24. seq.*

14. Non debet nisi cum plena causæ cognitione fieri sententia *l. pen. l. ult. C. de Commun. Episc.*

15. Ubi alicujus nihil interest frustranea est petitio *l. 3. ff. ad exhib.*

16. Cum remittitur evictio cessat denunciationis necessitas *l. Herennius 63. ff. de Evict.*

17. Culpam seu negligentiam suam sibi quisque non alteri imputare debet *l. pupillus 24 ff. quæ in fraud. cred. l. si patronus 7 ff. si quid in fraud. patron.* Alterius inertia alterius jus corrumpi non debet *l. si pariter 9. pr. ff. de Lib. Caus.*

18. Legem sibi quisque dicere potest & eam servare tenetur *l. quæritur 14. §. venditor 9. ff. de Ædil. Edict.*

DECISIO XX.

Exponuntur aliquot species in quibus cessio nominis cum clausula indemnitatis der Noth und Schadlos-Haltung, continet obligationem ad præstandam ejus bonitatem.

REgulariter nomen cedens non tenetur evictionis nomine nisi tantum ad veritatem nominis præstandam (1) creditur- que licet de indemnitate promissio accesserit *daß er ihn Noth und Schadlos halten wolle*, tali clausula nihil amplius contineri, quam ut promittens teneatur in quantum de jure obstringitur, ideoque nec ultra veritatem ejusdem. (2) Excipitur nisi aliud actum sit. (3) At non tantum hoc de expressa conventione accipiendum, sed ita, nisi ex quibusdam verosimilibus argumentis ea mens super cessione

Digitized by Google

paciscentium appareat, quod & bonitas nominis præstita esse debeat: De quo in genere certi quid statui nequit, sed pro qualitate circumstantiarum de eo censendum, ideo relictum id erit arbitrio judicis, ex quo de illo statuendum. (4) Venit in judicium causa, in qua hinc inde acriter disputabatur non tantum de jure, sed de voluntate contrahentium, & contrariæ sententiæ super ea processerunt. Post diligenter excussa omnia argumenta, quod prior judex judicaverat præplacuit cujus sententia cedentis hæredes tunc faciebat indemnitatis præstationi obnoxios si post diligentiam in exigendo adhibitam nihil consequi poterit. Sic actum, ut actis ita conveniens esse putabatur, per plura argumenta, quorum singula efficere poterant, ut de bonitate cedens teneretur. Primum est ex personis cedentis & cessionarii (5) qui fuerunt mercatores, inter quos apices juris non attenduntur, sed ex æquo & bono de simplici & plano agitur, (6) eaque mens capitur, quæ pro optima securitate & indemnitate esse debet. (7) Alterum apparuit ex eo, quod cum ipsa cessio in solutum facta esset, & sub ea veritas debiti comprehensa, licet non expressa cessionarius non fuit contentus, sed voluit addi, ut indemnitas sibi præstaretur *daß der Cedent vvegen der Forderung ihn vvolle Noth und Schadlos halten.* Præterquam quod in contractibus verba stare non debeant sine virtute operandi, (8) manifestum est utrumque tam cedentem quam cessionarium aliud & quidem plenius meliusque voluisse additum quam in ipsa cessione continebatur. At ut veritas nominis seu eatenus evictio præstaretur inerat dationi in solutum ex qua tanquam vicem emtionis habente etiam sine stipulatione evictio præstanda est, (9) nec exigebat illam adjectionem quæ majoris securitatis gratia subscripta fuerit: Ista igitur argumentum certum est plenioris mentis atque securitatis. Tertium ex fine quem stipulator societatis habuit, constat, dum per omnes circumstantias elucet illum intendisse omnimodam indemnitatem nec antea liberatum voluisse cedentem. (10) Quarto ex eo quod actum: Inspecto enim quid desiderabit cessionarius, & deinde cedens cessioni subscripsit, elucescit quod de bonitate nominis actum sit. (11) Aliud si sentiremus interrogatio & responsio non congruerent. Quinto reperiebatur stipulatio indemnitatis valde generalis, *daß vvann vvegen der Schuld, so cedirt, etvvas zu prætendiren vväre, alsdann er den cessionarium Noth und Schadlos halten vvolte,* quæ generalis promissio sic generaliter intelligenda ut in quo verba possunt verificari, id comprehensum intelligatur. Et Sexto illa formula indicabat nomen cessum exigi debere periculo cedentis, dum contra omne quod prætenditur indemnitatem pollicetur: tale pactum latius obligat, quam ad veritatem nominis. (12) Septimo contextus tam scripturæ quam negotii argumento erat cedentem cessisse nomen ut idoneum, præsertim inde evidens est, quod cum cessisset idoneum, eo non contentus cessionarius [illegible] tiora postulavit, & cedens generali contra omnes prætensiones securitate illum munitum voluit. (13) Octavo accidebat in hac causa, quod cum ob imminens periculum cedens interpellatus erat, iterum indemnitatem cessionario pollicitus est, *er konte nicht zu kurtz kommen, er vvolle bey ihn treten,* præsertim non parum momenti habebat, quod addidit rationem indemnitatis, quia ex hoc cessum erat illam affuturam esse: In quo est idoneitatis assertio, quæ ad ejus præstationem obligat tum evictionis latior promissio. Per hæc post diligentem discussionem moti sumus ad pronunciandum contra cedentis hæredes *in causa Herman. Kinichen VVittvve contra Simon Spengmans Erben die 3. Julii Anno* 1669.

1. *l. 4. ff. de hæred. vel act. vend.*

2. *Berlich. decis. 290. part. 2.*

3. Ut habet limitatio *d. l.*

4. Sicut de eo hanc exposui sententiam *in tr. levam inop. debit. cap. 7. n. 16. quo lectorem remitto.* Approbat & secutus est idem *Brunneman. in tr. de cession. act. cap 5. num. 61.*

5: Cum hi non sunt plane legales ita ut secundum legum præscriptum illorum sensus accipiendi sint, tunc potius id spectasse intelligitur, ut quavis ratione indemnes sint, quam ut evictionem legibus congruum tantum cogitarint. *Brunneman. d. c. 5. n. 61. in fin.*

6. *Vid. inter Decis. nostr. part. 5. Decis. 175. numer. 5.*

7. Mercatorum id consilium & propositum semper illorum negociis subest, ut sibi plene cautum velint & finem suæ negotiationis consequantur.

8. *l. si per alium 5. §. decere 2. ff. ne quis eum qui in jus voc.*

9. *l. 4. C. de evict.*

10. Ubi cessione in solutum cessionarius cedentem non voluit liberatum sed suæ indemnitatis causa obnoxium, bonitas non nisi in intentione & obligatione creditur. *Stephan. Gratian. tom. 1. disput. forens. cap. 64. n. 22. Capol. cons. 22. n. 1.*

11. Quoties de bonitate nominis actum esse elucet utique & promissam illam fuisse verisimile. Spectatur, ubi verba deficiunt, quod actum, & ex eo stipulationes deducuntur *l. semper in stipulationibus 34 ff. de R. J.*

12. Cum cessio ita fit ut exactio fiat periculo cedentis,

Digitized by Google

cedentis; ille tenetur ad præstandum bonum nomen. *l.* 45. *in fin. ff. mandat. Gratian. d. c.* 64. *n.* 21. *Berlich. decis.* 290. *num.* 20.

13. Cum quis cedit nomen idoneum, etiam tale præstare tenetur *Steph. Gratian. tom.* 4. *discept. Forens. cap.* 527. *n.* 4. *& seq.* tale promisisse intelligitur quoties cedens in se damna & interesse recipit *Gratian. d. tom.* 3. *cap.* 501. *num.* 23.

14. Quod dictum in contractu præstandum est.

DECISIO XXI.

Discrimen debiti pro evictione ad adsistendum & unde hoc colligitur.

QUidam generalissimis verbis actioni de evictione renunciaverat, reservans tamen sibi hac formula aliquod debitum sui venditoris seu autoris *jedoch dafern* N.N. *einige Anspruch und Forderung dieses Gutes halber solte angestellet werden, dass dennoch* A. g. *und seine Erben darinnen secundiren und seinem Wolvermögen nach die Sache dahin dirigiren mögen, dass* B. W. *und seine Erben ungravirt bleiben.* Quæ clausula in controversiam incidit; Alius dicebat huic inesse exceptionem à generali renunciatione actionis ob evictionem. Alius contra nihil qua se obligationis continere dicebat, præterquam ut, cum posset operæ atque favoris quicquam præstaret. Tertia eaque media sententia erat, non aliquod reservatum præstandæ evictionis, nec tamen & tantum favoris & officii nudam pollicitationem continere, sed debitum in lite adsistendi, tum quia præmissa generali renunciatione, in casum evictionis, non per modum exceptionis, nec verbis ad evictionem spectantibus, aut ejus aliquam mentionem continentibus, illud additum reperitur (1) tum quia utitur verbo secundiren, quod est adsistere. Multum autem interest inter debitum præstandæ evictionis & assistendi. Ex illo debitor obnoxius est ad faciendum, ut habere liceat, (2) ideo etiam ad defendendum emptorem, & quidem suis sumtibus, si autem non defenditur, sed res evincitur ad id quod interest non amisisse. (3) Ex hoc autem tenetur promissor tantum ad possibilem pro causa promovenda diligentiam, (4) eaque præstita non ultra, ideo nec ad refusionem quandam si ea cadit cui promittitur. (5) Quæ differentia exigit, ut qualitas pacti diligenter discutiatur. Hoc consideratum *in causa Bernhard Wulffrath contra Præsidem Pomeraniæ Andream Guldenklau die* 21. *Januar. An.* 1660.

1. A separatis mala est illatio *l. Papinianus ff. de Minorib.*

2. *l. ex empto* 11. *§. fin. ff. de Action. Empt.*

3. *l.* 9. *l.* 25. *l.* 29. *l.* 70. *ff. de Eviction. l.* 23. *C. eod.*

4. Adsistere causæ est quicquid ad eam promovendam spectat omni ope atque diligentia curare. Est autem illud ex arbitrio boni viri statuendum pro eo, quod bona fides exiget.

5. Adsistere debens non faciens tenetur ad id, quod interest alterius officium id præstitum fuisse. At ubi quis causæ adfuit, sed ejus eventus sequior seu infelix est, tum nihil præstat qui tantum ad officium obligatur eique satisfecit, si non defuit.

DECISIO XXII.

Mandatum vel citatio super dubio pacto juxta literam exprimi & declarari, de alio sensu controversia ad discussionem ulteriorem seponi debet.

ROgata & decreta litis denunciatoria ad assistendum citatione in controversiam venit, an ad istam comparere teneatur citatus. Quæ autem ab utraque parte allegabantur præcipue concernebant modum & effectum adsistendi & circa illum debita. Repertum autem est adsistendi debitum certis pacti verbis comprehendi, adeoque comparendi & adsistentiæ necessitatem certam esse. Quomodo autem, vel quo cum effectu officium promissum exeri & procedere debeat, dubium erat, ex sensu pacti in litem distracto nec satis perspicuo. Inter has circumstantias visum est id, quod ex verbis pacti certum erat de assistendi debito, sine prolixiori mora & ambage definiendum, (1) ideo mandatum renovandum atque juxta verba pacti declarandum, (2) dubia autem intellectus cum ulteriori discussione egerent ad eam seponenda & remittenda esse. (3) Nec ideo inanis videri debet prior definitio, cum circa adsistendum aliqua contingere possent non controversa, aut lite posthabita à promissore suscipienda, quæ differri & liti simul involvi non convenit, aut alia ratione sic primum decidi expediet. *In eadem causa.*

1. In perspicuis non est locus conjecturis *l. continuus* 134. *ff. de verbor. obligat.*

2. Mandata non nisi super liquidis & certis decernuntur: dubia ad ordinarium processum pertinent.

3. Juxta monitum JCti in *l. statu liber.* 5. *ff. de statu liber.*

Ita juxta hæc pronunciatum.

In Sachen Bernd Wulffrathen Raths-Verwandten der Stadt Stralsund Citanten wider den Königl. Præsidenten in Pommern Andreas Guldenclau Citaten in puncto denunciatæ

Digitized by Google

ciatæ litis & Citationis ad adsistendum ist erkant daß jetztgedachter Citate/ so weit/ als es dem Vorbehalt deß Anno 1649. empfangenen reverses gemäß/ Citanten bey wider denselben vorgenommenen Zuspruch zu assistiren schuldig/ dahin die Citatio zu erklären und zu renoviren/ im übrigen ob und wie weit auff den Evictions Fall derselbe etwa gehalten/ biß zu der Haupt-Sachen Endschafft außstehe/ dahin der deßwegen erhobener disputat zu verweisen/ immittelst beyden Theilen deß Zuspruche und Einreden so viel Rechtens vorbehalten/ und hiedurch keinem an solchen præjudiciret seyn solle. Von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Bernardi Wulffrathen Senatoris civitatis Stralsund citantis, contra Regium Præsidentem Pomeraniæ Andream Guldenclavv citatum, in puncto denunciatæ litis & citationis ad assistendum decernimus quod modo dictus citatus, quantum reservato reversus Anno 1649. acceptí conforme citantem in actione contra eum instituta assistere teneatur, in quem finem citatio declaranda & renovanda, de cætero, quousque in casum evictionis is forsitan teneatur usque ad principalis causæ finem differtur, quo etiam suborta propterea disputatio remittitur, Interea utrique parti actio & exceptio quantum juris reservatur & per hoc neutri parti præjudicatum sit. Idque de jure.

DECISIO XXIII.

Ad assistendum citatus Autor non comparens quomodo ultra coarctandus est.

QUi autorem laudaverat, eique litem denunciaverat, impetrata ad assistendum citatione, illo non comparente arctius mandatum rogabat, quo ad comparendum seque defendendum coarctaretur. (1) Visum autem est, eum non sub alia comminatione iterum citandum esse, quam in id, ad quod autor non defendens tenetur, (2) nempe si stipulatio duplæ non præcesserit, aut alia conventio, ad præstandum quod interest possessorem non defendi. (3) Non aliam pœnam non defendentis lex constituit, (4) nec est in eum judicis quoddam arbitrium pœnale. (5) Sicut non est crimen ejus qui suo periculo non defendit: qui postea satis mulctatur, quod non defendens emptori condemnatur. Sic decretum *ad preces Hans Bohnsack contra Daniel Macken die 9. Maji Anno* 1660.

1. Obtinet autori non modo extra judicium testato litem qua emptor impugnatur denunciari, sed etiam ut pro arctiori nexu id judicialiter fiat addiat citatione & præfixione termini. *Stephard. in l. 2. Cod. ubi in rem act.*

2. Citatus sub alia clausula quam quod jure debet comparere non tenetur. *Alexand. in l. un. ff. si quid jur. dic. non obtemp.* quia nec sine præjudicio & approbatione esse potest.

3. Ad hoc tendit de evictione actio *l. si in vendit. ff. de evict. ib. Salycat.*

4. Pœna non est ubi lex factum non fecit punibile *l. aliud* 132. *ff. de V. S.*

5. Cessat arbitrium judicis ubi certum est præscriptum legis. Nam judicis officium est, juxta non præter leges aliquid facere *l. 1. C. de leg. ibi Gloss.*

DECISIO XXIV.

In prætoriis cautionibus & nominatim pro evictione non necessarium est fidejussores dare, si aliter satis cautum esse potest.

IN prætoriis stipulationibus fidejussoribus caveri debere pro regula quidem traditum est, (1) at quæ etiam jure veteri exceptiones habuit. Inter quas reperitur excepta stipulatio duplæ pro evictione, ad quam regulariter sufficit nuda repromissio. (2) Ex qua etiam non inepte colligitur, ubi ob imminens periculum venditor emptori super evictione cavere tenetur, si precium recipere velit, non præcise necessariam esse fidejussoriam cautionem, si alio modo ipsi idoneè satisque cautum esse queat, (3) sed posse pignoratitiam recipi. Nec illud dubium est per judicem posse pro qualitate circumstantiarum moderamen afferri, & aliam cautionem admitti quæ finem præstare apta sit. (4) Nam quod de satisdationibus in jure habetur omnibus etiam prætoriis commune est. (5) Præsertim hoc ipsum, ut nemo superfluis cautionibus oneretur, (6) nec quis aliam cautionem præstare cogatur, quam qualem potest sine magno suo incommodo. (7) Sufficit eum, cui præstanda, securum esse atque ita finem iltius obtineri. Quicquid ultra exigitur, ut supervacuum ita malignum nec permittendum est. De quo hodie eo minus ambigendum post quam ab illa necessitate fidejussionis in cautionibus prætoriis per mores recessum, & circa has amplius arbitrio judicis relictum est, nec sine ratione. (8) Quod consideratum *in causa Philippi Gutzlaff Roter-munden die 2. Novembris Anno* 1660.

1. *l. prætoria 7. ff. de prætor stipul.* quam earum formam nec per contrahentes mutari posse JCtus scripsit *in l. 52. pr. ff. de V. O.*

2. *l. 1. §. 1. ff. de Prætor. stip.*

3. Videtur hoc convenire *l. 24. C. de evict.* quæ simpliciter de satisdatione legitur, quæ non fidejussori-

Digitized by Google

jussoribus modo, sed etiam pignoribus sit *l. 1. ff. qui satisd. cog.* Nec obstat *l. fin. §. 1. ff. fin. rescind. vendit. l. pen. §. 1. ff. de Peric. & commod. rei vend.* Prior enim textus loquitur de specie, in qua speciem de fidejussoribus datis conventum, ideo lex contractus servanda fuit, atque argumento est sine conventione secus esse posse. Posterior lex sic accipienda, ubi non est in bonis venditoris quo satis ipsi consultum sit, aut vero referri debet ad id quod regulariter fit.

4. *l. 1. §. 15. ff. de ripa munienda. §. sed hodie §. fin. Inst. de satisd.*

5. *Cujac. in Paratit. l. ff. qui satisd. cog. Jason. in l. 1. ff. eod.*

6. *l. 14. §. 1. ut legat. vel fideic. non caut.*

7. *l. 45. §. si procurator ff. de procurat. l. 1. §. omnes C. de assert. tollend.*

8. Postquam fidejussoribus multa beneficia concedi & competere coeperunt, haud tanta ex eorum cautione securitas fuit quam ex datis pignoribus. Quod olim dictum plus cautionis esse in re quam in persona illud nostra aetate multo magis obtinet.

DECISIO XXV.

Ut de evictione actio sit, qualiter qualiter litem denunciatam esse non sufficit, sed legitime factam oportet, & quid pro hoc necessarium sit.

JUre sic provisum est, ut emptor de evictione acturus opus habeat venditori vel fidejussoribus ejus litem denunciare. (1) Quod si omiserit postea regressus ipsi praeclusus est, seu ex stipulatu seu ex empto aget (2) competente reo justa ex omissa denunciatione adversus emptorem exceptione. (3) Haud tamen qualis qualis denunciatio sufficit, (4) sed oportet esse legitime factam. (5) In quo primitus ad statuta & consuetudinem ejus loci respiciendum & observanda sunt quae his congruunt, ubi nihil speciale introductum deprehenditur, ex communis juris praescripto convenit primo non generatim modo litem venditori significare, sed speciatim, qua ex causa, ut qui defendere debet de illa certus esse atque ita instructus ad litem venire possit. (6) Cujus gratia à quibusdam requiritur libelli intentatae actionis transmissio atque communicatio, (7) attamen quia sine certa lege non eo rigore necessaria habenda, ut inde de evictione actio ob omissam pereat. (8) Sufficit quavis alia ratione facta ejus quod in actionem venit notificatio. (9) Deinde opus est denunciationem fieri mature quo integra sit denunciato defensio, non quidem ut praecise in litis principio fiat, aut in prima instantia (10) sed tantum ut non tunc cum denunciato defensio vel sera nimis vel difficilis cum in causa concluso multo magis post sententiam vel immissionem multo magis in executione sera nimis est, (11) Ut fiat testato, vel alia cum solennitate nisi moribus receptum non requiritur sicut nec ut mediante judicis aliqua citatione. Quicquid vero in denunciatione requiri potest supplet assensus denunciari si qualem qualem acceptat & suo debito satisfacere promittit. (12) Haec considerata sunt die 18. Maji Anno 1661.

1. *l. 1. C. de peric. & commod. rei vend. l. emptor. C. de evict.*

2. Quod discrimen aliqui factum inter actionem ex stipulatu & ex empto non conveniat legibus *per text. express. in l. emptore 8. C. de Evict. l. si fundo 53. §. 1. ff. eod.* & communiori JCtorum sententia rejicitur *Covarruv. lib. 3. var. resol. cap. 1. num. 2. seq. Wesenbec. in Paratitl. ff. de Evict. num. 5.*

3. *l. si cum 17. l. si parentes 20. C. eod.*

4. Nec enim haec denunciatio fit ad solam scientiam nam etiam non ignoranti fieri debet *l. 55. §. 1. 56. § 4. ff. eod.* sed incitamentum atque exhortationem quo venditor vel fidejussor mature adsit *l. 29. §. ult. eod.* causam instruat, defendat *l. 21. & l. 23. C. eod.*

5. Paria sunt non fieri & non legitime fieri.

6. Ita debet denunciatio fieri, ut debitor certus fiat de eo quod denunciatur.

7. *Caballin. de evict. §. 3. num. 33. Mej. C. J. A. tit. de evict. th. 3. num. 2.*

8. Sine lege loqui erubescendum est.

9. *Gylm. in Symphorem. tom. 1. p. 2. tit. 12.*

10. *vid part. 7. decis. 400. num. ult.*

11. *Gloss. in l. 29. §. fin. ff. de evict. l. 6. ibi & omnia ex integro ff. de opt. Legat.*

12. Quilibet juri pro se introducto renunciare potest.

DECISIO XXVI.

Etsi evincentis justitia notoria sit, denunciatio tamen necessaria est, quando conventa, praesertim erga fidejussorem, non tamen ut etiam principali tunc fiat aut confidejussoribus simul.

CUm evincentis notoria est justitia, ideo nulla ejus à quo evincitur aut ejus qui defendere tenetur exceptio vel defensio etiam denunciatione nulla facta (1) est emptori contra venditorem ejusque fidejussores de evictione actio, (2) nisi aliter conventum sit. (3) Quod non tantum fit expresse sed etiam tacite, si pactum de evictione inter venditorem & emptorem eam conditionem habet, quod ille huic de evictione tenetur seu defendere debet cum denunciatum fuerit, (4) Con-

Digitized by Google

ditio enim ſpecifice impleri debet (5) utpote quæ ſtricti juris eſt. Præſertim vero qua fidejuſſorem obſervari debet ea conditio ſeu lex contractus cujus maxime intereſt ſibi denunciare quo mature regreſſu vel alia cautione qua principalem reum circumſpicere & vigilare queat. (6) Haud tamen neceſſe eſt ut præter fidejuſſorem ſimul reo aut aliis confidejuſſoribus denunciatio fiat, ſed ſufficit uni fieri, modo non his beneficium divisionis competat. *In eadem cauſa.*

2. Superflua quippe eſt ubi inutilis illa eſt nec requirenda cum nihil prodeſt. *Fab. in Cod. lib. 8. tit. 30 def. 23. num. 13.* Faciendum quippe non eſt quod factum non relevat *l. ſi quis ita 33. ff. de hæred. inſtit.*

2. *l. ſi fideiuſſor 13. ff. de Evictionib. l. ex empto 11. §. emptorem 6. in pr. ff. de Act. empt. Covarruv. l. 3. Pract. reſol. cap. 17. num. 6. Weſenbec. in Paratitl. ff. de Evict. num. 5.*

3. Conventio dat legem contractibus.

4. Hæc formula habet in ſe conditionem.

5. *Donell. lib. 8. c. 33. Rumin. lib. 2. conſ. 117. num. 9. Hartm. Piſtor. 2. quæſt. 25. num. 37.*

6. Denunciatio fieri debet omni cujus intereſt.

DECISIO XXVII.

De evictione non agit, qui ipſemet competenti defenſione non defungitur.

AD partes ejus cui res evincitur non ſpectat modo litem venditori vel fidejuſſoribus mature denunciare, ſed etiam optima fide atque diligentia ſemet & rem venditam contra evincentem defendere. Ad quod pertinet ut exceptiones mature alleget, (1) litem ſerio & diligenter pro defenſione ſua agat, (2) ſi ſententia gravatus fuerit ad ſuperius judicium vel aliud judicium provocet. (3) Quod ſi talibus omiſſis emptor vel negligens fuerit vel contumax vel condemnatus non appellavit, ſeu appellationem deſeruit, actione de evictione caret, & talium oppoſitione repellitur. (4) *In eadem cauſa.*

1. *l. 29. §. 1. ff. de evict.*

2. *l. 7. l. 8. C. de evict. Caballin. de evict. §. 3. num. 5. Capyc. deciſ. 106. num. 4.*

3. *Covarr. lib. 3. Reſol. 17. num. 9. Caball. d. l. n. 41.*

4. Ob culpam & contumaciam propriam condemnatus nullam conquerendi habet cauſam.

DECISIO XXVIII.

Promiſſio de faciendo ut in ceſſo pretio domus creditori poſt anteriores creditores ſuper ſit ut iſti ſatisfiat; aut quod deeſt ſupplendo, non bonitatem ſed veritatem debiti pollicetur.

VEritatem debiti cedens ceſſionario præſtare tenetur non bonitatem niſi ita cautum ſit. (1) Quando id factum ſit non ſemper apparet. Varia adjiciuntur ceſſionibus de quibus ex præſumpta promittentium mente ſtatuendum eſt. Occurrit is caſus quod venditor domus creditori ſuo in ſolutum ceſſerat partem pretii adjecto poſt aliquod tempus pacto, ut ſi poſt alios anteriores aut privilegiatos creditores tantum ex precio non ſupereſſet, id cedens præſtare vellet, deinde vero contingebat emptorem bonis cedere, domum non poſſe diſtrahi, æſtimari autem & quidem in eam ſummam, ex qua ceſſionarius ceſſum impetrare potuiſſet, ac quando non erat qui tanti emere, nec vero ille in ſolutum ſibi adjeci vellet cedentem de crediti ſolutione conveniri. Prima circa hunc caſum inſpectio erat, *quid promiſſo* contineretur, veritas an bonitas ceſſi nominis? itumque in eam ſententiam tale pactum ſaltem ad veritatem crediti pertinere, nec aliud quam ut totum in precio reſiduum quantum erat credibum præſtaretur contineri, quia ita cautum quod ſupplendum, ſi & quatenus æs alienum anterius abſorberet atque ita deberi deſineret. Ea levioris obligationis in dubio facienda fuit interpretatio, (2) tanto magis quod veroſimile non eſt cedentem, dum de ſe liberando cogitavit, ſe obligare voluerit. Nec dubitationem facere poteſt pactum de ſupplendo quod ex precio non ſupererit, quia pertinebat illud ad eam pecuniam quæ non amplius deberetur, non ad eam quæ quæ vere debita ob alios caſus exſolvi non poſſit. Placuit ideo hoc tantum actori injungere, ut ſi vellet obtinere doceat tempore ceſſionis plura credita anteriora ſuper domo fuiſſe quam ut ceſſa ſumma tota haberi potuerit *in cauſa Dietrich Hochſtedten Kinder Vormünder contra Simon Witfelds Erben die 31. Martii Anno* 1669.

1. *l. 4. l. ſeq. ff. de hæred. vel act. vend.*

2. Jura ſemper proniora ſunt ad liberandum quam ad obligandum & in dubiis quod minimum eſt ſequimur.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XXIX.

Cui ex datione in solutum satisfieri potest ex pacto de præstanda bonitate nominis non tenetur, nisi aliud conventum sit.

CIrca præmemoratum casum alia oriebatur dubitatio, an, si bonitatem nominis promissam esse concederetur, actio oriretur ubi licet parata in nummis non adesset pecunia, tamen ex rebus debitoris satisfieri poterat, nempe æstimatione judiciali eo præcio ædium constituto quod se ad creditum porrigebat. Dubitationem movebat, quod pecunia cessa erat, ideo etiam illam accipere oportuit, quando per distractionem accipere non licuit, perinde sit atque si non adesset, nec tamen creditor aliud pro alio invitus accipere teneretur. At non obstante ista, itum est in illam sententiam, ubi ex bonis debitoris eo, qui justus est modo, satisfieri potuit, actionem contra cedentem non habere, quandoquidem hic non ultra tenetur, quam ut debitum sit exigibile: Quale est cum pro eo legitima præsto est satisfactio; (1) Ad hæc oritur ex datione vel addictione in solutum quæ pro solutione est. (2) Non secus enim atque si ipsemet creditor sua voluntate in solum accipit, debitorem liberat, ita contingit liberatio ubi ex judiciali addictione in solutum accipere debuit. Perinde est quod sic per judicem irrogatur ac si sponanea voluntate suscipitur. (3) Nec est amplius in arbitrio utrum æstimatas res in solutum accipere velit nec ne, ubi aliud non supereſt unde solutionem habeat. Cedens non tenetur nisi in subsidium, si debitor cessus solvendo non sit. Talis autem non habetur in cujus bonis est quod æs alienum superat. Nec enim ex eo pacto debitorem præstandi solvendo, aut quod ab illo adipisci non licet continet solutionem in pecunia numerata, nisi verbis pacti expresse additum fuerit. (4) *In eadem causa.*

1. Satisfactio pro solutione est *l. satisfactio 52, ff. de solut.*

2. *l. non omnis §. ult. ff. de reb. credit.*

3. Factum judicis est factum partis.

4. Ita pactum erat in hoc casu: Wo der angewiesene Schuldener zu den Mitteln bahret Bezahlung nicht gelangen könte/ so wolte der cedens nach Verlauff zwey Jahren zahlen / immittelst solte aber der cessionarius an fleissiger Foderung nichts ermangeln lassen.

DECISIO XXX.

Cedens in solutum ex nomine alieno ejusquidem ex sorte & usuris certam pecuniæ summam cum evictionis promissione cessionario resarcire tenetur quod per Constitutionem Imperii ex usuris minus solvendum est.

QUando in solutum cessa erat summa trium millium & octuaginta imperialium ex nomine quo alius cedenti obstrictus, ejusque pars consistebat in usuris; cessionarius à debitore quantitatem illam ex cessione cœpit petere, at durante lite per Imperii constitutionem Anno 1654. in Comitiis Ratisponensibus publicatam quarta pars usurarum tantum relinquebatur solvenda cæteris partibus abolitis & indebitis factis, incidit disputatio, an quas cessionarius per illam constitutionem non poterat adipisci usuras sibi tamen in solutum cessas ex pacto evictionis præstandæ à cedente petere posset? Ex mero jure initio videbatur nihil à cedente recuperandum esse, tum quia ille nihil præstare debet nisi verum nomen quod tempore cessionis de jure erat exigibile nondum lata tamen lege (1) tum quia si cessionarius statim ante illam exegisset impetrare potuisset, tum qui quod impetrare non potuit ex casu superveniente contigit, cujus nomine non præstatur evictio. (2) Attamen quam speciosa etiam hæc præcedentia erant argumenta, tamen sufficere non videbantur, ut istæ à resarciendo quod per legem ex usuris sublatum liberatur. Est enim ejus debitum ex promissa evictione, ut cessionario habere liceat, quod cum effectu accipiendum, ut eo cessionarius fruatur, quod ejus nomine cedens accepit. (3) Valde iniquum foret hunc lucrari cum alterius incommodo, & quod ipse à debitore exigere non potuisset, à cessionario accipere. Nam si hic non recipit quod accipere debuit, perinde est, atque si ipse usuras à debitore solvendas solvit adeoq; indebitum, cujus æquissima est repetitio. (4) Non etiam dicere potest se verum nomen cessisse, qui cedit quod per legem exigi nequit. (5) Nam de jure exigibile esse oportet, utut de facto tale non sit. Nec illud facere potest quo minus quod tempore cessionis debitum usurarum eatenus non fuit sublatum, ideo exactioni locus; nam non sufficit esse debitum quod creditur, sed etiam durare, ubi cessum quod in solutum capiendum fuit. (6) Non enim in solutum dari intelligitur, nisi quod etiam totum durat. Et si enim acceptum, ubi tamen revocatur vel debitum esse desinit,

Digitized by Google

in solutum datio quasi exspirat, & res in priorem conditionem redit. Quod opponitur ex casu postea demum evenientè huc non quadrat, ubi non accidit fortuitus aliquis casus sed legis providentia statuens illud quod justum est. Deinde non hoc facit ex nova aliqua post cessionem proveniente causa, sed ea quæ tempore cessionis adfuit, cum jam bellorum calamitatibus pressi debitores inopiam patiebantur & ejus, cujus nomen cessum, illa fuit conditio, ut solvendo non esset. Concernebat etiam illa cedentem, qui ob istam remittere debuit. Unicum illud saltem obstare poterat, si cessionarius in exigendo negligens fuit, & petere cessasset quod ante legem impetrare potuisset. At non apparebat negligentia talis quæ inculpari poterat, quin potius judicio actum, immissionem petitam & impetratam fuisse exactis constabat. Æquitate itaque rei moti descendemus in eam sententiam, quod ex usurario debito sublatum erat cedens cessionario resarcire debeat, ut hic cum effectu quod in solutum datum habeat *in causa Nicolai Demels contra den Regierungs-Rath Niclas von Höpken die* 28. *April. Anno* 1668.

1. *l.* 4. *ff. de hared. vel act. vend.*

2. Futuri casus evictionis post contractam emtionem ad venditorem pertinent *l. Lucius* 11. *ff. de evict.*

3. Verba cum effectu sunt accipienda.

4. *Tot. tit. ff & C. condict. indeb.*

5. Paria sunt non deberi & exigi non posse.

6. *l. qui concubinam* 29. *§. pen ff. de legat.* 3.

TIT. XLVI.

CREDITOREM EVICTIONEM pigneris non debere.

DECISIO I.

Creditor debitori cui jus pignoris cessit, non tenetur, si præstare potiorem aut pignus sufficiens, nisi quatenus ex illo acceptum in solutum imputare debet.

SIlvam, quam creditor pignori habuerat, debitoris successori feudali cessit ex pacto ut crediti nomine ipsi satisfaceret. Solvit inde usuras successor, seque debitorem gessit. Conventus autem postea de credito opposuit tum quod excitato jam paternorum creditorum concursu, apparerat alios istorum cedente potiores iisque solvendum esse quanti bona paterna valerent. Deinde non sufficere pignus aut tanti haud æstimandum atque creditori solvendum fuerit. Primum non sine specie justi oppositum fuit, quando creditoris pignus vendentis hoc debitum est, ut semet potiorem præstet. (1) At penitus ne considerata, nihil proficere potuit, ubi hic cessio non facta fuit ut emptori extraneo, sed ut debitori. Inter quem diversitatis ratio manifesta est. Illi enim de evictione actio in tali specie esse potest, sicut tributa est tanquam emptori. (2) At debitor nullo casu inde actionem habere potest, qui ipsemet de illa venditori tenetur. (3) Nec facit quidquam pactum aut cessio, unde non mutatur qua debitorem obligationis conditio, (4) aut liberatur debitor. (5) Deinde non tam hic cedit actionem creditor, quam solutionem recipit, & quidem ab illo qui ex successione debitor redditus est, quippe se ad solutionem obtulit. (6) A quo vice solutionis promissionem creditor recipiens, non tam contrahit & pignus vendit, quam jus suum exequitur & pignus invicem dimittit. Alterum de insufficientia pignoris non potest excludere actionem cedentis, postquam cedens non vendit, sed pro alia assecuratione tantum reddit; & cessionarius non emit, sed ut suam recepit sylvam invicem promissâ solutione. (7) Saltem cum debitor addit sylvam redditam valde devastatam esse, demonstrabitur id factum à creditore, eo usque proficiet allegatio; ut quod inde acceptum insolutum imputetur, exceptione doli, (8) atque solutionis tunc competente. (9) Sic existimatum *in causa Jacob von Rammins, contra Viduam D. Raphans die 6. Aprilis Anno* 1654.

1. Hoc præstare debet, qui pignoris jure vendit, se potiorem esse cæteris creditoribus, *l.* 1. *C. credit. pign. evict. non deb.*

2. *Ut de tali loquitur jam allegatus textus & respicit evictionis debitum.*

3. Quem de evictione tenet actio, illum multo magis repellet exceptio, *l. vindicantem* 17. *ff. de evict. l. venditrici* 3. *C. de re alien. non alien.* Dolo facit petens quod ipse soluturus est, *l. si socer.* 44. *§. Lucius ff. solut. matrim. l. dolo* 8. *ff. de dol. mal. excep.*

4. *l. fin. C. de Novat.*

5. Plus valet quod revera est, quam quod in pactum redigitur, *l.* 1. *cod. tit. Cod. plus valet quod agit. quam quod fim.*

6. Sicut qui necessario tenetur ad solutionem offerenti pignus tradere, eo nomine illi non tenetur de evictione aliquâ, sed quale quale est, tradit & præstat actiones quales habet, *l. mulier* 19. *ff. qui potior in pign. l. si res* 67. *de Legat.* 1. ita & qui voluntario id fecit, non magis obligatur. Eadem est ratio, quod de consequendo debito non de contrahendo agitur, nec se vult obligare, sed suum recipere creditum.

7. *Ita in specie simili tradit Faber in Cod. lib.* 8. *tit.* 31. *defin.* 2.

8. Ex fraude tenetur qui pignus cedit, etsi alius ejus

Digitized by Google

ejus nomine non sit adversus illum actio, *l. fin. C. Credit. Evict. pign. non deb.*

2. Dolus est idem bis exigere, *l. bona fides ff. de R. I.*

DECISIO II.

Recepto pignore, quod debitor creditori dederat, constituens nec excussionis nec præstandæ evictionis exceptione gaudet.

SYlvam, quam pater pignori dedit, cum creditor reddidisset filio istius ea lege, ut sibi creditum solveret, evenit deinde ut filius constitutoris instar opponeret, cum excussionis exceptionem, (1) tum præstandæ evictionis, (2) ideo quod excitato paternorum creditorum concursu & sententia prioritatis dicta, multi reperiebantur privilegiati & potiores. Quocirca quando filius in prima & secunda instantia condemnatus erat, cum ex aliis causis, tum ex his exceptionibus restitutionem in integrum implorabat. Verum non repertum est in præsenti specie illas beneficium hoc mereri posse. Cum plures essent rationes aliæ, excussionis beneficium inter præsentes circumstantias excludentes, (3) tum vel sola sufficiebat, quod pro constituto filius bona patris pignus alius creditoris, in vicem promissæ solutionis acceperat, per multos annos possederat & fructus perceperat, ideo in eo quod solvere promisit, jam receeperat. (4) Accedebat quod eandem sylvam adhuc tenebat, nec evictionem docuit. Quam etiam fieri non posse apparebat, quando tum debitor tum in Pomerania tum in Marchia feuda tenuisset, sylva in illa sita esset, nec ad eam concursus in Marchia solum excitatus pertingere posset. (5) Quod si vero etiam evictio illac pertineret, minime tamen de ea teneretur, quo pro solutionis promisso vel constituto pignus tradidit, (6) non autem vendidit vel cessit. (7) Ita existimatum *in causa Jacob von Rammin contra D. Raphaun Vittove, die* 25. *Nov. An.* 1654.

1. Etiam constituti contra constitutarium instar fidejussoris comperere excussionis seu ordinis beneficium atque exceptionum communiori atque rectiori JCtorum sententia statuitur *per l. ubi quis ff. de Constit. pecun. Nov.* 136. *Hering. de Fidej. c.* 27. *part.* 1. *n.* 126. *& seq. ubi rationes & auctoritates plures addunt.*

2. *juxt. text. ibi ff. & C. de Evictionib.*

3. Pro excludenda excussionis exceptione, ut fidejussore, sic quoque qui ei æquiparatur, constituente hoc occurrebat, quod ex allegatione implorantis hæreditas paterna non esset solvendo, ideo deficeret excutiendum, *Zanger. de Except. part.* 2. *cap.* 15. *n.* 19. *Mastrell. in Pract. de fidejussor. part.* 2. *quæst.* 110. 5. quod pleraque bona debitoris executienda extra territorium erant sita. *Hipp. de Marsil. singul.* 200. quod difficilis erant excussionis, *Muscatell. dict. q.* 10. *n.* 21. *Carocc. de Execut. part.* 2. *q.* 66. quod filius constituens successor patris erat & ipsemet concursum creditorum excitaverat. *Franch. de Fidejussor. cap.* 5. *num.* 428. *seq. Coler. de Process. Executiv. part.* 1. *cap.* 10. *num.* 350.

4. Bonorum debitoris possessio excludit beneficium excussionis. *Mynsing. cent.* 2. *Observ.* 15. *Cavalcan. decis.* 34. *num.* 16. *part.* 1. *arg. l. si quis rerum* 5. *in pr. ff. de Liberat. legat.*

5. Cum debitor in diversis terris diversa feuda & diversos creditores habet, sustinet vicem duarum personarum, & perinde est qua creditores unius loci ubi concursus excitatur, si non & in alio atque si excitatus non esset.

6. Creditor pignoris ratione non tenetur ad evictionem, *l.* 1. *&* 2. *C. Cred. evict. Pignor. non deber.* multo minus qui reddit, cum ille potius distrahat illud quam contrahat, *l. Paulus* §. 1. *ff. quib. mod. pign. vel hypothec.* ideo ad aliud non tenetur, quam ut cedat actiones. *l. mulier* 9. *ff. qui pot. in pign.*

7. Ex hoc ratio dubitandi capi poterat, quod creditor pignus vendens tenetur præstare se potiorem ante alios creditores, *uti habetur in d. l.* 1. *in fin. C. Credit. Evict. Pignor.* at hoc pertinet ad venditorem pignoris tantum, non ad eum qui creditori offert solutionem, aut quod ei æquipollet satisfactionem, ut recipiat pignus, *sicuti in simili specie eam diversitatem ejusque rationem exponit Fab. in Cod.* 4. 8. *tit* 31. *defin.* 2.

DECISIO III.

Cujus est pignore creditoris traditione reddito damnum, si illud evictum vel potioribus creditis absorptum sit.

ETsi ille actus, de quo inter litigantes res erat, verè constitutum fuerat, attamen negabat, qui pignus à creditore recepe-rat. Occasionem hoc dedit accuratius illud indagandi & super eo de quæstione, cujus sit periculum & damnum evictionis vel prioritatis aliorum statuendi. Diversimode fieri potest, ut debitor vel tertius pignus cum conditione recipiat. Inde diversum jus nascitur. Aut enim convenit de usuris tantum pro usu & fructu pignoris solvendis; Aut vero transfertur pignus vicissim præstita vel promissa crediti solutione. Conventio quæ usuram non excedit, haud transfert periculum pignoris in possessorem, (1) nec obstringit ad sortem, (2) aut usuras ultra tempus, ex quo sententia prioritatis vires rei judicatæ accepit. (3) Ideo post hanc possessor evictio pignore plane non tenetur, nisi quatenus aut evictionis causa fuit, (4) aut quod officii possessoris est, in denuncianda lite omisit. (5) Cum pignus crediti recipiendi

Digitized by Google

causa datum & acceptum est, tunc fit hoc aut mediante pignoris quadam venditione, aut tantum cessione seu venditione nominis, aut ex constituto. Pignore vendito tradens quidem de evictione non tenetur, (6) se tamen in pignore aliis creditoribus potiorem præstare debet, (7) aut quod accepit reddere, (8) vel si nihil accepit, promissum non petere. (9) Cum tantum nominis cessio quædam processit, etsi cum eodem omne jus creditoris & nominatim pignoris quoque jus traditum sit, evicto pignore non repetit emptor seu accipiens quod dedit, & si nondum solutum, venditor non eo minus petit, quod alter promisit. (10) Quod si accipiens constituit se pro alio soluturum, atque ideo pignus recepit, etsi hoc evincitur, nihilominus ex constituto tenetur. (11) Hæc considerata sunt *in eadem causa*.

1. Hic possessor non fit dominus sed usum seu fruendi jus saltem accepit, ideo ipsi res non perit. *l. quæ fortuitis C. de Pignor. action.*

2. Diversa sunt sortis & usurarum debita, nec hoc recipiens illud recipit. Potest fieri, ut alter usuras præstet, alter sortem debeat, *l. centum 8. ff. de eo quod cert. loc. l. si in judicio 23. ff. de Except. rei jud.*

3. Per sententiam cum desinit jus creditoris, desinit officium debitoris, *juxta regulam, quod desinente causa desinit effectus.*

4. De eo quod dolo vel culpa tenentis fit, ut acceptum non restituatur, ipse obstringitur, *in l. hoc autem 12. ff. de hared. vel act. vend.* de suo quippe facto cessionarius tenetur, *l. de tuo 9. ff. mandat.*

5. Qui conventus non denunciavit litem vel periculum postea de evictione non agit, *l. auctor 7. l seq. C. de evict.*

6. *tot. tit. Credit. evict. pign. non deb. l. debitor. 40. §. soluta ff. de Pignor. action.*

7. Hoc utique præstare debet qui pignoris jure vendit, cæteris creditoribus se potiorem esse, *si habent verba l. 1. C. d. tit.* Ratio est, quod pignus vendens non tenetur tantum nomen, sed etiam pignus præstare & quidem ita ut retinere liceat. Quod non præstat quo alius potior est, qui avocare potest, *l. 2. C. si antiq cred pign. vend.*

8. Eatenus se tantum potiorem præstare tenetur pignoris venditor, ne pretium aliave quæ cessionis nomine accipit, retineat. *Fab. in Cod. lib. 4. t. 1. 9. def. 1. num. 9.*

9. Cui competit ad repetendum actio, ei multo magis ad retinendum exceptio. *l. cui damus ff. de R. I.*

10. Cedens non tenetur facere bonum nomen nec præstare locupletem debitorem, sed se tantum verum creditorem. *l. si nomen 4. ff. de hared. vend.* Ratio diversitatis manifesta est. In priore specie, qui pignus vendit, id præstare aut precio cavere debet. In posteriore, debitum tantum vendit, ideo hoc subesse sufficit. Quale sit, non refert, nisi de eo conventum sit.

11. Ex constituto nascitur personalis actio, *tot. tit. ff. & C. de Constit. pecun.* de quo in decisione præcedente scriptum.

TIT. XLVII.
DE PATRIA POTESTATE.

TIT. XLVIII.
DE ADOPTIONIBUS.

TIT. XLIX.
DE EMANCIPATIONIBUS.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. L.
DE INGRATIS LIBERIS.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LI.
DE POSTLIMINIO REVERSIS.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LII.
DE INFANTIBUS EXPOSITIS.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LIII.
QUÆ SIT LONGA CONSUETUDO.

DECISIO I.

Consuetudo civitatis non extenditur ad loca & personas exemptas.

JUs congrui seu protimiseos ex vicinitate non ex communi jure sed saltem consuetudine loci valet, (1) quæ licet in civitate recepta fuerit, tamen jus non tribuit in locis à jurisdictione exemptis, (2) quæ utut in urbe sita tamen ob exemptionem non de territorio sed extra districtum existere reputantur. (3) Quare statuta & consuetudines civitatis ad illa non

Digitized by Google

non pertinent, quia stricti juris sunt, & de loco ad locum aut de persona ad personam non extenduntur. (4) Cum itaque ædes in urbe Stetinensi quæ *Freyhäuser* dicuntur, exemptæ essent à jurisdictione urbana, utique ei quod sub illa erat vicinitatis juri non subsunt, (5) nisi de istis similis consuetudo docetur. (6) *In causa Senatus Stetinensis contra Consiliarium Cameræ Danielem Schlegeln die 27. Januar. An. 1654.*

1. *Hæc alibi inter decisiones nostras prolixius expositum leges.*

2. Exemptio à jurisdictione eximit à jure & lege loci, quæ effectus est jurisdictionis *Schrader. de Feud. part. 2. part. 9. princ, sect. 3. n. 12. 157. & seq.*

3. Paria sunt hæc locum non esse de territorio seu extra territorium, & esse in territorio sed exemptum. *Jason. in l. fin. n. 5. ff. de Jurisdict. Surd. decis. 129 n. 17. Wesembec. consil. 88. n. 9.*

4. De ea consuetudinis stricta usurpatione & interpretatione plura vide congesta apud Cothmannum *respons. 84. num. 48. & mult. seq.*

5. *Arg. l. fin. ff. de Jurisd.*

6. Tantum habet consuetudo de potentia, quantum reperitur de usu *Bald. in l. fin. n. 9. C. Commun. tr. jud.*

DECISIO II.

Statutum & consuetudo Provinciæ unius non pertinet ad aliam, licet ei unitam nisi ex receptione.

ETsi Ducatus Verdensis à S. Regia Majestate sub eodem Regimine & Judiciis iisdem Bremensi Ducatui conjunctus est, tamen quod hujus statutum seu recessus habet, ad istius incolas nisi ex receptione non pertinet. Conjunctio enim illa saltem concernit gubernandi modum, non autem omnimodam unionem seu incorporationem facit. (1) Et licet fecisset, tamen non aliter accipienda esset, quam salvis cujusque terræ legibus, moribus atque privilegiis, (2) quandoquidem diversi Ducatus remanent & singuli nomina sua retinent. (3) Non obstat quod JCti statuunt generalem legem vel consuetudinem provinciæ, quamvis ejus partem & omnes ejus accessiones obligare (4) quando Verdensis Episcopatus nunc Ducatus ex æquali conjunctione redditus non est pars Bremensis terræ, sed ab ea separatus Ducatus remanet, (5) suisque juribus specialibus non minus nunc quam antea utitur. (6) Quocirca nisi vel publicâ lege, vel suo consensu peculiaria Ducatus alterius jura reperiuntur ad istam producta, non est iis alter obnoxius habendus atque faciendus. (7) Idcirco etsi de Ducatus Bremensis statuto & consuetudine, de solennibus Appellationum exorta disputatio non sineret usque ad compositionem vel decisionem arctiores compulsoriales decernere, in causis tamen Ducatus Verdensis commune jus sequi oportuit. (8) ideo decretum illud justum visum est, *in causa Senatus Verdensis, contra Frantz Panning die 6. Junii Anno* 1654.

1. Territorium quantumvis minus & exilius territorio majori adjectum qua leges & consuetudines non censetur unitum & incorporatum, nisi id legitime actum fuisse probatur, *post Bald. in c. un. §. præterea Ducatus num. 7. in fin. de Prohib. feud. alien. per Fridr. Thoming. decis. 41, num. 9.*

2. Unio & incorporatio terrarum in dubio sic facta censetur, ut cuique sua jura sint integra & per se tanquam peculiaris terræ considerentur, *quod per authoritates, rationes & exempla demonstrat fusius Thoming. d. decis. 41. per tot. Cothmannum respons. 85. num. 24. & seq vol. 2.*

3. Non pertinent leges & mores ad unitas provincias, quando hæ retinent nomen suum, nec ex conjunctione confunduntur. *Afflict. in cap. un. §. fin. num. 14. de Capit. Conrad. Cravett. de Antiq. temp. part. 2. cap. 1. num. 56. Jason. in l. eadem in pr. num. 3. ff. de Offic. Assessor.*

4. *Bartol. in l. 2. num. 41. Cod. quæ sit long. consuet. Tiraquell. de retract. lignag. §. 36. gloss. 3. num. 4.*

5. Sac. Reg. Majestas ut de diversis Ducatibus investita eorum nomine in Comitiis Imperii diversas sessiones vota habet, Circulis diversis nempe Bremensis inferiori Saxoniæ, Verdensis Westphaliæ ascripti sunt; Nec parum intererit, ne talis unio & confusio inducatur, quæ non sine præjudicio futura est.

6. Separatim in utroque Ducatu jura, libertates & privilegia confirmantur.

7. Statuta & consuetudines à jure communi discrepantes stricti juris sunt, nec extenduntur de provincia ad provinciam. *Bertrand. cons. 102. n. 1. & 350. num. 7. vol. 1.* nec de territorio ad territorium. *Alexand. cons. 68. num. 19. lib. 2.* nec de loco ad locum. *Aretin. cons. 115. num. 3.* ne quidem ex similitudine rationis. *Jason. in l. de quibus 21. ff. de Just. & Jur.*

8. Jus commune sequimur, donec de alio statuto vel more docetur.

DECISIO III.

Veteri merces exportandi consuetudini contraria mandata tamdiu sunt injusta, quamdiu publica lege illa non est abrogata.

VEteri Pomeraniæ consuetudine invaluit, ut hordeum mari ad alias terras exportare non permittatur, sed ex iis polenta conficiatur & vel hanc vel coctam inde cerevisiam alio transportare opus sit, quod pro mediis victum quærendi

in

in provinciâ ampliandis sic introductum est, quo incolis magis quam exteris ultima compendia inde eveniant. (1) Nihil illa iniquitatis aut injuriæ contra libertatem commerciorum habet. Non infert damnum aliis, quibus terræ abundantia in polentâ frui integrum est, tantum lucri occasio incolis servatur. (2) Eatenus exportationem prohibere, (3) commercia ut ut libera restringere atque definire magistratui licet, atque ad politiæ curam pertinet. (4) Nihil in eo fit à jure communi aut gentium moribus alienum. Quocirca ea consuetudo legis instar meritò observatur & tamdiu servanda, donec publica lege abrogetur. (5) Quod nec sine justa causa, nec sine scitu & consilio provincialium fieri potest. Minime per mandata id facere licitum, quæ jus sequi non tollere debent. (6) Nam juri contraria mandata sua nec summi Principes voluerunt constantia. (7) Ab ejusmodi mandato interposita appellatio rejici non debuit, cum civis id contra magistratum impetrasset, sicut recepta est *ad supplicationem Senatus Gryphisvvaldensis, die 30. Septembris Anno* 1654.

1. Prudentiæ Politicæ non postrema pars est quos fructus quæque terra ferat incolis facere frugiferos, & ut quidquid ex iis compendii lucrique confici potest, hoc isti potius quam exteri gaudeant, velut in quo præcipuum fundamentum opum cum privatarum tum ex his publicarum consistit.

2. Ex libertate commerciorum, quam Jus gentium constituit, *l. ex hoc jure 5. ff. de Justit. & Jur.* exteris jus est petendi ex quavis terra usibus suis necessaria, non abstrahendi ab incolis, quæ haberi possunt lucra. Adhæc jus non competit exteris, ordinata autem charitas quæ à se ipsa incipit, in iis prærogativam habentibus tribuit, *l. Præses 6. C. de Servit. & aq.*

3. *l. 1. l. 2. C. quæ res expertan. l. 2. l. 4. C. de Commerc.* Consensus JCtorum est valere statuta & mandata magistratuum, per quæ ex ratione prohibetur exportatio frumentorum aliorumque victualium ad terras vicinas. *Boer. decis. 125. Petr. Anton. de Petra de Jur. quæsit. non tollend. cap. 6. num. 58. Bursat. cons. 138. num. 8. Menoch. de A. l. Q. lib. 2. cas. 585. num. 10.*

4. Commercia etsi libera, tamen sub curâ, directione & moderamine magistratuum sunt, qui ista per leges ita formare possunt, quomodo incolis sunt utilia, exteris non noxia, *Lose. de Jur. Universit. part. 3. cap. 15. num. 23. & seq. ubi exempla addit in quibus id fieri potest.*

5. Consuetudo est rectrix commerciorum, & ut hæc per hanc dispositionem acceperunt, ita servanda sunt, *l. deprecatio 9. ff. ad L. Rhod. de Jact. l. si fundus 6. ff. de Evict. Decis. Rot. Genuens. 39. num. 5. & decis. 58. num. 3.*

6. *Novell. de Mandat. Princip. in pr. & cap. 1.*

7. *l. 1. l. fin. C. si contr. jus vel util. publ.*

DECISIO IV.

Venia seu licentia exportandi non porrigitur ad illicita, nec proficit fraude impetrata.

CIvis hordeum contra mores civitatis exportare satagens licentiam ejus sibi à magistratu datam prætendebat; quod coram scriba loci solito modo professus, quæ exportare vellet, veniæ documentum *einen Freyzettel* impetraverat; Induxit etiam hoc narratum, superiores ut ea de causâ permissionem exportationis demandarent: A quo appellatione interposita visum est malè tale documentum in prætextum sumi, nec in eo mandatum rectè fundari; tum quia errore scribentis schedula data non potuit statuta vel consuetudinem civitatis tollere, aut debitum civium relaxare; (1) tum quia civis contra illa, queis juramento obligatur, non debuit petere nec accipere: (2) tum quia licentia super frumento in genere data non potuit de alio quam exportari licito accipi, ad vetita vero non extendi; (3) tum quia fraude elicitum dicebatur, quæ fraudatori proficere non debet. (4) Multò minùs verò considerari, quod ex communi errore circa vectigalia sibi quidam imaginantur, post semel impetratam abeundi licentiam ex fraude non esse actionem, (5) quod contrarium juri; (6) rationi, (7) & praxi. Quam longè aliam sentient, qui semet per istam decipiunt. *In eadem causa.*

1. Error alterius alteri nec præjudicium afferre potest, *l. 2. C. de Error. Advoc.* nec commodum, *l. si me 34. pr. ff. de acquir. poss.*

2. Civis talia impetrans & usurpans periclitatur de anima, dum juramenti debitique sic parum curiosus negligit civitatis statuta, *sicut de eo qui contra hoc privilegio potitur & utitur, scribunt Bolognetus in l. si quis major 41. nn. 5. C. de Transact. Modestin. Pistor. part. 3. quæst. 151. ibid. Schultet. qui perjurii reos agunt cives contra utilitatem publicam talia rogantes & impetrantes.*

3. Sic accipienda est permissio, ut dari solet minimè ad insolita extendi.

4. *l. si remunerandi §. fin. ff. mandat.* Ob id quod quis fraudulento consilio fecerit, submovetur actione, *l. nihil 12. pr. ff. de Inoffic. Testam.*

5. Est quidem defraudatio vectigalis delictum momentaneum, *Dn. D. Marquard. in tract. de Jure Mercatur. lib. 4. cap. 3. num. 21.* sed saltem ratione perpetrationis non punitionis. Manet post momentum istius punibile.

6. Quæ ob fraudatum vectigal actio est, nonnisi quinquennii lapsu perit. C. *de Vectigal. & Commiss Guid. Papæ singul.* 875.

7. Mala fides non admittit præscriptionem, *c. paternitatis 12. q. 2. c. suam 9. de Pan.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO V.

Terminus solutionis eorum, quæ debentur Pastoribus Ecclesiarum, ex consuetudine loci definiendus est.

INter Pastorem Ecclesiæ, & officialem præfecturæ controversia incidebat, quo tempore frumentum, pecora, butyrum & alia isti loco salarii debita solvenda essent, in quo multum compendii propter variantia rerũ precia, aliaque commoda utrinque deprehendebatur. Decisum fuit in eo consuetudinem provinciæ in qua sita erat Ecclesia, inspiciendam esse, (1) & cum in Megapoli sic servaretur, ut talium præstatio circa seu paulo post festum Michaelis fieret, (2) decisum, ut ut ea præfectura per instrumentum Pacis Regno Sueciæ cessa jam è Megapoli esset separata & territorii Wismarensis dominio addita fuerit, tamen velut ex jure recepto in solito termino faciendam esse. (3) *Inter Præfectum & Pastorem in NeuKloster, die 30. Januar. Anno* 1655.

1. Consuetudo instar legis est, & vel in omnibus informat & dirigit actus, ideo præprimis consideranda atque sequenda. *Fab. in Cod. lib. 4. tit. 7. defin. 21.* Ita etiam in Ecclesiasticis, *arg. c. ad apostolicam 42. in fin. X. de Simon Paul. de Citadin. de jur. Patron. artic. 5 num. 3.*

2. Similis est in Pomerania consuetudo circa Pastorum salaria.

3. Mutatio possessionis non potuit mutare jus Pastoris, cui non minus quam aliis incolis jura sua per I. Pacis conservata sunt.

DECISIO VI.

Statuti, quod non in usu est, ratio in judicando non est habenda, modo in observantia docetur.

TEstamentum actores ideo impugnabant, quod de bonis hæreditariis *von Erbgütern*, conscriptum erat, de quibus Jure Lubecensi testari non licet. (1) Defendebant autem rei, quod, etsi civitas jus Lubecense recepisset, tamen in hoc articulo non observaret, testamentis remanentibus in eâ validis, utut de bonorum isto genere confectis: cum vero prioris instantiæ judex hoc non attendisset, appellantes se gravatos querebantur. (2) Nec ut videbatur immerito. Statuti vis est ex usu, (3) qui ubi deficit, autoritas ejus nulla est, magisque spectandum quid moribus invaluit, quam quid literâ statuti continetur, cum per istos legibus derogetur. (4) Oportet vero alios mores vel statuti inobservantiam probare eum, qui pro se allegat, (5) alias insistitur statutis & in usu esse præsumuntur, quia esse & observari debent. (6) Deinde quoque non sufficit allegare non usum (potest enim hic contingere, non quia statutum non valet sed ex defectu occasionis utendi) sed necesse est docere contrarium suum. (7) Ut autem non aliter, qui secus quàm statuto continetur judicari vult, auditur, quàm si illa articulare atque probare offert, ita qui id fecit omnino audiendus. (8) Quod cum fecerunt appellantes pro gravaminum relevantia judicatum est. *In causa Harting Petersen & Consortum contra Erasmum Hagelschlächlen & Consortes die 23. Januarii Anno* 1655.

1. Bona hæreditaria per jus Lubecense alligata sunt successioni hæreditariæ, müssen beym Erbgang bleiben. *lib. 1. tit. 10. artic. fin.* Ideo etiam à testamenti factione sunt exempta.

2. Quemadmodum statutis tacitè hæc conditio inesse intelligitur, si usu erunt recepta. *Sola in Proœm. Constit. Sabaud. gloss. 4. num. 32. Decian. respons. 12. num. 44. & 45. vol 2.* Ita ex hac contra ista valet non observantiæ exceptio.

3. *Hartm. Pistor. part. 1. quæst. 16. num. 11.*

4. *l. de quibus 32. ff. de Legib.*

5. *Mascard. de Probat. conclus. 1332. num. 2. Latis. Johan. Schultes. quæst. 69. per tot.*

6. *Andr. Knichen de non provoc. jur. in verb. jus cap. 3. num. 19.*

7. Non tollit usum nudus non usus, sed contrarius usus. *Mascard. d. conclus. 1332. num. 8. Gail. 2. Observ. 60. num. 4.*

8. Justa & legalis est non usus seu in observantiæ statutorum exceptio. *Riminald. Jun. Consil. 52. num. 88. vol. 1.*

In Sachen Harding Petersen / Joachim Baumannen & consortum als Elisabeth Frahnen ex testamento hæredum Appellanten und Beklagte / so dann Erasmi Hagelschlachtens und Michael Kerckdorffen Appellaten und Klägern in puncto testamenti werden die gravamina zu fernerer Außführung angenommen / und gebühret Appellaten zwischen dieser und nächster Juridica darauff Rechtlicher Gebühr zu antworten von Rechtswegen. Publicatum den 22. Januarii Anno 1655.

DECISIO VII.

Nudum magistratus attestatum ad probandam consuetudinem sufficiens non est.

ALlegabatur consuetudo Lubecensi juri, quo civitas utitur, contraria, quod mulieri non modo sine mariti voluntate testari sed & de bonis hæreditariis seu patrimonialibus *von Erbgütern* fas sit; Pro illa autem probanda nihil præter attesta-

Digitized by Google

tum magistratus loci adductum fuit. Praeterquam autem quod illius tenor nimis generalis non exacte sonabat in eum sensum, pro quo adducebatur quod tamen factum oportuit (1) creditum est tale nudum attestatum sine ulla mentione actuum in quibus sic servatum, minime ad probationem consuetudinis sufficere, (2) quandoquidem ista facti est, (3) & plene cum omnibus suis requisitis probanda. (4) Cujus vicem magistratus vel judicis dictum nudum sine alia fide non habet. (5) Praeterea ut nascitur & consistit consuetudo ex actibus, sic ex iis verificanda, ita ut minime sufficiat generaliter dicere esse eam in loco consuetudinem sed necesse est allegare & verificare omnia ejus requisita. (6) Quocirca placuit illo non attento judicare, hanc in forma probante prius esse demonstrandam. (7) *In causa Harding Petersen & consortum contra Erasmum Hagelschlachten & consorten die* 8. *Januarii* 1656.

1. Consuetudo in specie specialissima demonstrari & probari debet. *Bolognet. in l. post dotem.* 40 *n.* 231. *ff. solut. Matrim. Cothman. resp.* 84. *n.* 52. *vol.* 2.

2. Non tantum judici demitur facultas de consuetudine, praeterquam de stylo curiae seu ordine processus (de quo ejus testimonium alias magni sit, *Gratian. decis.* 14. *n.* 5. *Natta conf.* 254. *n.* 7.) attestandi *Jac. Schultes quaest. Saxon.* 77. *n.* 26. *& seq. l.* 2. *Cothman. resp.* 1. *n.* 448. *seq. vol.* 3. sed etiam cuivis magistratui imo & Principi *Meischner. decis. Cameral.* 14. *n.* 62. *& seq. vol.* 1. *Reinking. de Regim. Secular. l.* 2. *Class.* 2. *C.* 9. *n.* 24.

3. Ideo etiam prudentissimos fallere *l.* 2. *ff. de Jur. fact. Ignor.* nec Principi sine inquisitione satis cognita esse potest. *c.* 1. *de Constit. in* 6.

4. *Bartol. in l.* 2. *quaest.* 27. *C. quae sit long. consuet. Cravett. consil.* 325. *n.* 1.

5. In iis quae magistratus ut testis asserit, ipsi sine juramento fides non habetur.

6. *Rebuff. ad Constit. Regn. tom.* 3. *tit. de Consuet. & us. art.* 2. *gloss.* 2. *n.* 15.

7. Consuetudinis plena requiritur probatio. *vid. Mascard. dict. Conclus.* 423. *n.* 19. *& seq.*

DECISIO VIII.

Quomodo consuetudo legaliter probanda est.

COnsuetudo difficilis non immerito probationis habetur, (1) quod ex tacito populi consensu oritur consistit atque vim habet. (2) Ejus autem argumenta non semper sunt manifesta. (3) Probanda tamen est plene, si eam sequi oportet, praesertim contra legem vel jus commune, cujus in dubio potior est autoritas. (4) Quando vero de modo probandi quaestio oritur sequimur securius quod ab Imperatore in legibus praescriptum. (5) Ex quo discimus, quod primo constare debet de his quae in oppido frequenter servata sunt ideo de actibus pluribus. (6) Deinde talibus qui sunt de eodem controversiarum genere seu in iisdem in quibus causa controversa versatur terminis. (7) Tertio ut fides fiat probatione, hoc est, talibus mediis quae probationem faciunt eamque plenam. (8) Et tandem de his judex causa cognita statuet. (9) Ea cum altioris indaginis sint, ad ulteriorem processum remittere oportuit. *In eadem causa.*

1. *Ita post alios allegatos censet Mascard. de Probat. Conclus.* 423. *num* 1. *& seq.*

2. §. *jus non scriptum Inst. de J. N. G. & C. l. de quibus* 32. *ff. de Legib.*

3. Exinde oritur difficultas ista probationis.

4. *l.* 2. C. *quae sit long. consuet.*

5. Insigne de consuetudine probanda praescriptum est Imp. *in l.* 2. C. *dict. tit.* ubi complectitur quidquid ad fidem consuetudinis necessarium est in his verbis Praeses Provinciae probatis his quae in Oppido frequenter in eodem controversiarum genere servata sunt causa cognita statuet.

6. Ad consuetudinem probandam articulare & probare decet actus plures. Ut per unum non inducitur sic nec probatur. *Zasius in d. l. de quibus num.* 14. *ibid. Bald.* Quot sint necessarii arbitrio judicis relinquendum est, nec certa regula statui potest.

7. Consuetudo est probanda in individuo *Tib. Decian. resp.* 62. *num.* 4. *lib.* 2. speciatim in illo casu qui venit in controversiam *Menoch. consil.* 54. *num.* 37. concurrentibus omnibus qualitatibus, quae sunt in facto controverso *Surd. decis.* 131. *num.* 10.

8. *Ad hanc probationem necessaria vid. exposita in Mascard. de Probat. conclus.* 424. *per tot.*

9. Multum quidem relictum est circa probationem consuetudinis arbitrio judicis. *Mascard. d. tr. conclus.* 126. *num.* 20. Attamen nihil arbitrabitur sine causae cognitione & examinatis requisitis ejusdem.

DECISIO IX.

Consuetudo quae irrationabilis non est attendenda, & quae talis censenda.

COnsuetudinis requisitum JCti faciunt, ut sit rationabilis. (1) Quemadmodum autem non omnium quae a majoribus constituta sunt, ratio reddi potest, nec ea nimis curiosè inquirenda, (2) sic nec consuetudinum ratio patet, sed ut illae sensim invalescunt, ità non minus quàm origine ex causa sua parùm innotescunt. Quocirca requisitum illud haud ita accipiendum, ut consuetudo non valeat cujus ratio non patet, sed si rationi sit contraria. (3) Quo apparente irrationabilis est ac mini-

Digitized by Google

minimè attendendæ, velut, quæ non jus facere potest, sed juris morumque corruptela sit. Et quando ad exemplum Cameræ Imp. ita demùm per ordinationem summi Tribunalis Regii consuetudines attendi debent, quatenus rationi & honestati non adversantur, ubi de iis oritur dubitatio, diligenter quid isti conveniat inquirendum examinandumque est. Haud verò ideò improba est, quia à legibus civilibus recedit, imò nec si istis adversatur, quia per non usum vel contrarium usum derogare licet sed potissimum quæ consuetudo rationi conveniat vel repugnet ex natura gentium jure seu communi honestate examinandum atque statuendum est. (4) Quare quæ lædunt pietatem, honestatem, verecundiam, illa irrationabiles mores dicemus uti consideratum *in causa Johan Gryphan contra Hein. Feldman die 27. Nov. Anno* 1667.

1. *c. erit autem distinct. 4. c. mala distinct. 8. cap. 1. X. de constit.*
2. *l. non omnium l. & ideò ff. de leg.*
3. *legis & consuetudinis par est ratio.*
4. *d. cap. mala dist. 8. Gail. 2. observ. 31. num. 14.*

DECISIO X.

Statutum & consuetudo parentes à legitima excludens pro irrationabili habetur.

OCcurrebat allegatio consuetudinis antiquæ, ut bona ad lineam ex qua ad defunctum pervenerant, successione redirent, & quidem in tali specie, ubi si valeret fratrum futura successio excluso parente. Ambigebatur autem utrum quà hunc effectum exclusionis parentum valeret? quod ex eo dijudicandum, num legitima parentibus debita statuto vel consuetudine tolli posset. Quod videbatur negandum esse, sicut ità sentit communior JCtorum opinio, quæ irrationabilem talem censet, ideo jure invalidam & non attendendam. (1) Quando enim naturæ jure parentibus debetur successio, ideo etiam legitima, & istos velle penitus à liberorum bonis excludere, atque remotiores iis posthabere à pietate ipsis divino humanoque jure alienum non potest non improba ista censeri. Et quomodo si expressum statutum legitimam parentibus auferret, illud irrationabile & improbum, nec sequi fas foret, ita multo magis ubi expressè sic non statuitur, sed saltem ex statuto vel moribus colligitur, ea in dubio interpretatio facienda est, quæ tantam iniquitatem deviter. (2) Uti existimavimus *in eadem causa.*

1. *Vide à me scripta in Comment. Jur. Lubec. lib. 2. tit. 2. art. 1. num. 55. seq.*
2. Statuta sic interpretari oportet, ne jus naturæ lædent.

TIT. LIV.

DE DONATIONIBUS.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LV.

DE DONATIONIBUS

quæ sub modo vel conditione vel certo tempore conficiuntur.

DECISIO UNICA.

Defectus modi in conventione expressè non facit desinere conventionem aut hanc extractandi potestatem.

IN contractibus multum interest inter conditionem & modum. (1) Illa non observata vel adimpleta ex conventione non agitur, (2) ea deficiente ipsa deficit. (3) Secus est in modo. Cujus defectus non similiter extinguit aut infirmat contractum vel conventionem (4) nisi ad formam ipsius contractus aut ad causam finalem pertinet. (5) Quando itaque sub concursu creditorum inter quosdam communicatio lucri & incommodi convenit, simul vero modus, quo ad suorum consecutionem contendere velint etsi hic deinde deficit, alio modo actum est, non eo minus prior conventio durat, nec defectus modi alteri parti dat facultatem retractandi. Ille tantum accidens, non de substantia conventionis fuit. Sic existimatum *in causa Dominici Schnell contra Henning Mellern die* 16. *Octobris Anno* 1655.

1. *l. cum ab eo 41. pr. ff. de contrab. empt.*
2. *l. 1. & seq. C. de Donat. quæ sub mod.*
3. *l. 8. ff. de rescind. empt.*
4. *l. fin. C. de Donat. quæ sub mod. Faber in Cod. lib. 8. tit. 22. defin. 2. ubi in hoc differentiam inter contractus & ultimas voluntates annotat.*
5. *Bald. in l. generaliter C. de Episc. & Cler.*

Juxtà ista pronunciationis hic tenor fuit.

Jn Sachen Dominici Schnellen Appellanten wider Henning Mellenthinen Appellaten seynd die gravamina so viel die angezogene Societät und darüber auffgerichtetes pactum; Jngleichen die auff dem Dauvendickischen Kaufschilling angerechnete Poste betrifft / zu weiterer Außführung

Digitized by Google

rung angenommen/demnach Appellaten von eingebrachtem Libell Copey zu nehmen und auff den ersten und folgende Articul biß zum 78. exclusivè proxima Rechtlich zu antworten gebühret. Wegen der geforderten Unkosten seynd die gravamina überflüssig und ex actis befunden/ so weit dieselbe zu dem Mellentinischen concurs und der creditoren Nutzen angewand zu seyn erscheinen wird/ solche Appellanten voraus gebühren/ derowegen Appellaten die priorität haben / was sie dagegen vorzubringen / zwischen diesem und nächstem Rechtstage zu verhandlen schuldig seyn/ sonst ergehet was recht ist/ V. R. W.

(Hoc est.) In causa Dominici Schnellen appellantis contra Hemingum Mellenthinen appellatum, gravamina quantum allegatam Societatem & pactum desuper initum, similiter prætensionem super Dauvendickicò pretio emptionis adnumerato concernunt ad ulteriorem deductionem recipimus, inde appellato exhibiti libelli copiam decernimus & ut ad articulum primum & sequentem usque ad 78. inclusivè in proxima respondeat injungimus, ratione prætensorum sumptuum gravamina sunt superflua & reperitur ex actis, in quantum illos ad Mellenthinicum concursum & creditorum utilitatem impensos esse apparebit quod appellanti præ cæteris competunt, propterea appellato ratione prioritatis quod illi propterea proponere possent ut inter hanc & proximam desuper agat incumbit, alias fiet quod juris. Idque de jure.

TIT. LVI.

DE REVOCANDIS DONATIONIBUS.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LVII.

DE DONATIONIBUS mortis causa.

DECISIO I.

Donatio mortis causa per quæ ex jure communi & Lubecensi irrita fiat.

CUm mulier ex sorore nepoti domum ex mortis causa donatione cessisset, postea irritam diceret plura pro ejus invaliditate occurrerunt. Primo fœminas per jus Lubecense non posse donare sine consensu curatorum; (1) quos sibi legitime constitutos esse negabat, nec ex protocollo aliquo civitatis, cui tutorum dationes inseri solent, apparebat. (2) Deinde domus donata erat hæreditaria seu è patris hæreditate ad donatricem profecta, (3) de qua sine consensu hæredum nulla & ne quidem mortis causa donatio constitit. (4) Tertio quod donatio juxta tenorem ejus facta sit velut super re acquisita *vvolgevvonnen Güter* cujus tamen conditionis non est domus, sed ex hæreditate ad donatricem pervenit, ut falso præsupposito innitatur, cum quo corruit. (5) Quarto quod non sit facta præsenti atque acceptanti donatario, sed conscripta à Notario illo absente. (6) Quinto quod si extrajudicialiter factam voluisset potissima ejus solennitas nempe quinque testium præsentia deficiat, quæ de substantia ejus est & omissa donationem facit irritam. (7) Quæ considerata sunt *in causa Annæ Selcken viduæ Hans Jorchen contra Christian Holsten. Die 4. Octobris Anno 1658.*

1. *Jus Lubecens. lib. 1. tit. 9. art. 4.*

2. Facti cum hæ sint, probatione indigent, præsertim cum constitutos esse ad præjudicium fœminæ & actus solennitatem extrinsecam pertinet, quæ non præsumitur.

3. Huic convenit definitio rerum hæreditariarum, *quæ habentur in artic. fin. Jur. Lubec. tit. 10. lib. 1.*

4. *v. dict. artic. 4. tit. 9 lib. 1. cui in artic. 5. ead. adjungatur, quomodo consensus hæredum requiri debeat.*

5. *Bellamer. decis. 293. n. 4. inter decis. Rotæ Roman. in antiq.*

6. Donatio mortis causa requirit præsentiam & scientiam donatarii eo tempore cum peragitur *Schneidev. ad §. 1. num. 25. Instit. de Donat.* Nec sufficit ut res donata cedatur ei ad usuram per nuncium aut epistolam. *v. l. inter mortis 38. ff. de Mort. caus. don. Rauchbar. part. 2. q. 16. num. 8. seq. Hartm. Pistor. q. 13. n. 6.* Alias non subsistit ut talis. Ut legatum vel fidei commissum valere potest. *l. miles. 75. in pr. l. cum partes 77. §. donationis 26. ff. de leg. 2. Bartol. in l. 1. in fin. ff. de Mort. caus. don.*

7. *Per l. ult. C. d. tit.* Adeo ad essentiam donationis mortis causa quinque testes necessarii sunt ut sine eis ne quidem jurata subsistat. *Castrens. Jason. & alii in dict. l. fin.*

DECISIO II.

Mortis causa donatio non obstante lege de non revocando revocabilis est.

MOrtis causa donationis proprium est, ut possit à vivo donatore revocari morte demum confirmetur. (1) Si autem accidet mortis causa donationi adjici eam legem, quod constans, perpetua & irrevoca-

Digitized by Google

vocabilis esse debeat, aut potest fieri ea interpretatio ut mortis tantum mentio adjecta inter vivos nihilominus donatum intelligatur, tunc ex ea clausula donatio inter vivos esse creditur atque ita subsistit: (2) Aut vero voluntas donantis adeo manifesta est, quod non inter vivos donatum voluerit sed mortis causa donatio *ein letzter Will und Ubergabe Todes wegen* esse debeat ut alii interpretationi non queat esse locus, tunc clausula actui contraria pro nulla habetur, (3) nec obsistit quin mortis causa donans nihilominus donatum revocare queat. (4) Quod cum non obstante expressa lege fieri possit, multo magis integrum erit, si tantum dixerit, quod donatio constans & perpetua manere debeat *stet und vest bleiben.* (5) Omne dubium autem tollitur, si illam instar ultimæ voluntatis & post mortem suam firmam esse debere dixerit, (6) *In eadem causa.*

1. *l. fin. C. de Donat. mort. caus.*

2. Quando donationi adjectum fuit pactum de non revocando ipsam donationem, etsi mortis mentio accesserit, tamen donatio inter vivos intelligitur. *l. ubi ita donatur ff. de Donat. Menoch. de Præsumpt. lib. 3. præs. 35. num. 21. Ubi multos ita sentientes allegat & communem opinionem esse attestatur.*

3. Prævalet voluntas clausulis, nec istæ vitiant actum, ubi de ista constat.

4. *Wesenbec. in Paratitl. ff. de Mort. caus. Donat. n. ult.*

5. Clausula adjecta sequitur naturam actus cui adjicitur, & ita etiam promissis de non revocando donationi addita sic accipienda ut isti convenit. *Gabriel. consil. 61. lib. 2. Menoch. dict. præs. 34. num. 28. in fin.*

6. Donatio vel dispositio facta in ultima voluntate, etsi cum adjecta promissione de non revocando, nihilominus revocari potest. *Rusn. consil. 129. num. 7. lib. 1.*

DECISIO III.

Apud acta seu librum civitatis quomodo fieri debeat mortis causa donatio, ut actorum fide atque robore gaudeat.

MAgna fides, nec leve robur est eorum, quæ apud acta fiunt, seu quod in civitatibus Jure Lubecensi utentibus isti par est, libro civitatis *dem Stadtbuch* inscribuntur. At ut inscriptum ista fide & robore potiatur, non quæ vis sufficit insinuatio. De cujus rectitudine quæstio incidit circa donationem mortis causa. Ad cujus vim & robur non requiritur ut apud acta fiat. (1) At si quis pro majore robore adhibitum voluerit, necessaria est primo comparitio donatoris declarantis voluntatem suam. Nec enim procurator in talibus admittitur, (2) nisi doceatur prius de impedimento, & publica fide iste ad eum actum legitimetur. (3) Curatoris quoque præsentia non satis est, nisi & mandatum speciale sufficienti fide constet, idque actis simul inseratur. (4) Deinde opus est ut ipsa donatio, uti fit coram libro publico seu actis, recitetur, aut scripto exhibeatur & legatur, sic inscribatur, quam referri omisso ejus proprio tenore non sufficit. (5) *In eadem causa.*

1. *Becer. in tr. de Donat. c. 5. n. 3.*

2. In mortis causa donatione pro forma requiritur ut præsens & præsenti fiat. *l. 38. ff. de Mort. caus. donat. Gomez. 2. resol. 4. num. 1. Hartm. Pistor. 1. quæst. 2. n. 22.* unde per procuratorem istam non fieri communis habet opinio.

3. Sic utilitatis causa contra strictam juris rationem receptum est.

4. Curator mulieris juxta Jus Lubecense autoritatem quidem actui ejus præstat, at sine ea ejusve voluntate nihil agere aut contrahere potest.

5. Multum interest donationem apud acta fieri & alias factam actis tantum insinuari. Hoc non sufficit ad id, ut coram actis facta dicatur, ad quod requiritur, ut ibidem legatur & exprimatur.

DECISIO IV.

Acta publica non mutant conditionem actus qui istis inseritur, nec mortis causa donatio ex iis irrevocabilis fit.

ACtorum publicorum pro fide & autoritate per jus Lubecense statutum est, ut postquam inscripta libro publico steterint per annum & diem non impugnata, postea perpetuam autoritatem habere debeant. (1) At ratio ipsa dictat, non aliter hæc obtinere quam si actus ex se non invalidus sit; (2) deinde ut juxta naturam ac conditionem suam actus valeat. Nec enim inscriptio in librum publicum illam mutat, actui quidquam superaddit præter id quod ejus est ex jure communi. (3) Quocirca cum mortis causa donatio facta & libro publico inscripta est, non eo minus revocabilis est, (4) juxta naturalem conditionem suam. (5) Male revocationi opponitur inscriptio, quæ factum relinquit in suo statu saltem fidem ei conciliat, (6) sed ita qualis est. Uti judicatum *in eadem causa.*

Digitized by Google

1. *Vid. Jus Lubecens. art. 1. tit. 9. lib. 5.*

2. Actum nullum non convalidat fides actorum, *uti in Commentar. ad dict. art. 1. pluribus docui.*

3. Confirmatio nihil novi tribuit. *c. 1. ib. gloss. x. de Confirm. util.* nihil confirmato addit aut detrahit. *Natta consil. 279. n. 17.*

4. Est ea species ultimæ voluntatis & quomodo non minus ista ambulatoria ad mortem, si eorum actis facta, atque sine actis disponitur, ita & donatio mortis causa perinde mutatur.

5. *Quam supra vidimus ne pacto quidem mutari potest.*

6. Actus non potest operari ultra intentionem agentium, quæ talis non est circa inscriptionem, ut abdicetur facultas revocandi.

Sententiæ super his iste tenor fuit.

In Sachen Anna Selchen Klägerinnen und Appellantinnen wider Christian Holsten Beklagten und Appellaten in puncto donationis mortis causa werden die gravamina als überflüssig nicht/ sondern acta ex officio vor beschlossen angenommen und erkant/ daß von Richter erster Instantz übel gesprochen/ wol appelliret/ und die Urthel dahin zu ändern/ daß Appellantinnen beschehene revocation nach gestalt der donation, ob solche bereits zu recht kräfftig wäre/ zulässig/ demnach deß beschehenen Einwendens ungehindert Appellate deß Hauses vacuam possessionem Revocantinnen zu räumen schuldig sey/ von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wismar den 18. Octobris Anno 1658.

(Hoc est.) In causa Annæ Selchen actricis & appellantis contra Christianum Holsten reum & appellatum in puncto donationis mortis causa, gravamina tanquam superflua non recipimus sed acta ex officio pro conclusis acceptamus & decernimus à judice primæ instantiæ male judicatum, bene appellatum & sententiam eò reformandam, quod appellantis facta revocatio juxta conditionem donationis, an illa jamdum de jure valida, admissibilis, proinde non attentis exceptionibus, appellatus vacuam possessionem domus revocanti cedere teneatur, idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 18. Octobris Anno 1658.

FINIS LIBRI OCTAVI.

CODI-

Digitized by Google

CODICIS MEVIANI DECISIONUM FORENSIUM

& quæstionum super causis ad summum Tribunal Regium ab Anno 1653. usque 1670. de volutis.

LIBER NONUS.

TITULUS PRIMUS.

QUI ACCUSARE NON POSSUNT.

DECISIO UNICA.

Ob delictum non est cuiquam cohibenda actio aut appellatio, priusquam condemnati bona fiscus occupat.

CUm Canonici Capituli præbendarum ad seculares usus reductioni se opponentes non levis delicti & velut fractæ pacis publicæ rei haberentur, (1) & eorum aliquis in lite contra fratrem atque paternos creditores ad summum Tribunal Regium appellasset, atque inter alios obtentus appellationi non deferendum esse à Judice, à quo putaretur quod appellans ob crimen illud audiri non meretur, eoque vero non attento processus arctiores decernerentur re ad sacram Regiam Majestatem delata ad Collegium rescriptum fuit, rem rectè expendendam & quod pro facti qualitate conveniret, statuendum deque eo referendum esse. Prævia itaque matura consultatione existimatum ideò & humilimè relatum est, non videri illam imputationem justam sistendi atque negandi Judicii jam cœpti causam. (2) Delictum enim ex se neminem privat actione vel jure suo, sed saltem condemnatio, (3) qua nondum facta manet cuique liber rerum suarum suiqúe juris usus. (4) Itaque reo nondum accusato aut in Judicium vocato iniquum foret, isti obsistere, ut causam suam non agat vel appellationem quæ defensionis species est, non prosequatur, (5) qui etiam accusatus usque ad condemnationem liberam rerum suarum administrationem, imo & alienandi facultatem modo non in fraudem fiat, retinet. (6) Post condemnationem etiam non aliter ab actione excluditur, quam si civitatem & libertatem amiserit. (7) Nec apparebat in futurum jus quoddam fisci, tum quod publicationes bonorum hodie, excepto crimine læsæ Majestatis, per Jus Civile quo in Germania utimur, sublatæ sunt, (8) nec ideo ex quovis delicto fas est in bona aliorum citra condemnationem involare, tum quod hic non de imminuendis rei facultatibus sed de conservandis ageretur, dum contra sententiam quæ multa detrahere videbatur, provocaverat, ut si jus quoddam fisci adesset, incongruè objiceretur, ubi magis ejus intererat per appellationis beneficium impetrari sententiæ correctionem, quam istam correctam manere, sicque postea in processu observatum est & responsum die 5. Novembris Anno 1653.

1. Per Pacem Osnabruggis Anno 1648. compositam, *cap.* 10. §. 3. Archi-Episcopatu Bremensi in Ducatum converso adeoque secularizato extinctum est Capitulorum cæterorumque Collegiorum Ecclesiasticorum omne jus. Qui ulli Pacificationis articulo contra venerit, pacis fractæ reus esse debet. *Vid. cap.* 17. §. *qui vero huic.*

2. Si accusare sufficit, quis innocens erit, nemini accusatio, usque dum confessus aut convictus erit, præjudicio est, *l. reo criminis* 41. *ff. de solut.*

3. *l. ex*

Digitized by Google

3. *Lex Judiciorum 20 ff. de Pœn.* Inchoatas ante damnationem actiones implere etiam post damnationem permissum est, *l. si quis rem 5. §. fin. ff. de Public. Judic. l. sed eas causas 18. §. deferre 4. ff. de Fur. Fisc.*

4. *Fab. in Cod. lib. 9. tit. 2. defin. 1.*

5. Appellatio defensionis species est, quæ ne quidem bannito, etiamsi alias agere prohibitus sit, aufertur, *vid. Gail. lib 2. de Pac. publ. c. 12. n. 18. & seq.*

6. *v. d. l. reo criminis 41. l. seq ff. de solut.*

7. *d. l. si quis rem 5. §. 2. ff. de Publ. Judic.* Ita bannito actiones negantur, quia Civis Romanus esse desinit, *vid. Gail. dict. cap. 12. num. 1. & seq.*

8. *Vid. Auth. Bona damnatorum C. de Bon. proscript. Ordin. Crimin. Carol. V. art. 218.* ubi contraria consuetudo abrogatur & tollitur.

TIT. II.

DE ACCUSATIONIBUS ET INscriptionibus.

DECISIO I.

Adversus inquisitionem loco exceptionis dilatoriæ causas deducere licet, ut sistatur & quousque.

INquisito non tantum contra inquisitionem licet innocentiam suam deducere, sed etiam inquisitionem declinare, oppositis iis exceptionibus & causis, ob quas inquirere non licet (1) veluti quod ostendere velit, non constare de corpore delicti, (2) non eas circumstantias esse indicia ut vir honestus inquisitione gravari debeat. (3) Cujusmodi allegationes sunt instar exceptionum declinatoriarum seu temporalium. Ideo opponendæ dum inquiritur & antequam ad articulos inquisitionales respondetur. (4) Postquam autem inquisitus jam respondit ad articulos, veluti per talem responsionem litem contestato non magis supereſt facultas declinandi inquisitionem, quam alias reo ad proponendas exceptiones declinatorias. (5) Integrum tamen manet talia in defensionales referre, & iis pro defensione uti, ideo postea deducere. (6) Quod cum licuit audiri non debuit provocans, quod non recte inquisitum dicat, cum jam ad articulos respondisset. *In causa Martin Unravves contra Senatum VVismariensem. Die 14. Septembris Anno 1658.*

1. *Hoc remedium æquum & salutare suggerit & de ejus practica testatur. Carpzov. in Pract. Crimin. part 3. q. 115. num. 24. & seq.*

2. Nisi de corpore delicti certo constet contra certam personam non inquiritur. *Farinac. in Pract. lib. 1. quæst. 1. num. Clarus in Pract. §. fin. quæst. 4. per tot.*

3. Non debet judex facile ad inquisitionem procedere, quæ famam inquisiti apud honestos viros minuit & lædit, sed prius diligenter circumspicere, quibus argumentis delicti reus arguitur. *Cothman. resp. 30. num. 15. seq. vol. 3.* Sine indicis præcedentibus formata inquisitio nulla est. *Farinac. de tract. lib. 1. quæst. 1. num. 4.*

4. Quando in aliis causis multo levioribus declinatoriis exceptionibus locus est, cur non etiam admittentur, ubi de vita & fama agitur, & intenditur conservatio existimationis. Extant qui in criminalibus istis locum negant.

5. Exceptiones declinatoriæ ante litem contestatam sunt opponendæ. *l. pen. C. de Except.*

6. Pro defensione reorum nihil serum est sed ad illam pertinentia quovis tempore proponi queunt.

DECISIO II.

Advocatus Fisci in accusatione criminis, præterquam si illud notorium nec altiore indagine eget processum ordinarium observare, ideo non nisi prævio libello accusatorio reo communicando procedere debet.

FIscales causæ non omnes sunt summariæ, (1) sed aliquæ etiam ordinariæ: (2) Inter quas etiam reputandæ sunt cum de crimine adversus aliquem agitur. (3) Ubi enim Fisci advocatus vel procurator accusatoris partes suscipit, tunc tenetur observare & sequi processum ordinarium; (4) Idcircò libellum qui continet tum criminis qualitates tum certam petitionem pœnæ irrogationis exhibere, donec reus respondeat expectare, ubi crimen vel ejus qualitates hic negabit probare, inque his omnibus versari quomodo alium accusatorem procedere oporteret. (5) Ille saltem casus exceptus erit, si crimen cum suis qualitatibus notorium est, nec probatione indiget, ubi quomodo probatio non est necessaria, ità nec processus ille qui probatoria concernit. (9) Sufficit tunc sola petitio cum allegatione notorii criminis. Defensio tamen reo relinquitur integra, (7) & pro ea manet necessarium ut de quo accusatur, in scripto exhibeatur, & ad respondendum allegandumque ad defensionem pertinentia terminus congruus relinquatur. Utut verò occurrat, quod inter summarias causas fisci referendum, in quo summario processu agendum, tamen præterquam ubi notorietas vel confessio rei omnia facit manifesta nec defensioni ulteriori locus, semper tamen à fiscali procuratore ea observanda erunt quæ jure naturali ad processum requiruntur. (8) E quibus est ut advocatus fisci libellum aliquem proferat, is reo communicetur

super

Digitized by Google

super eo respondeat, & ad proferendum exceptiones admittatur: (9) idque etiam in criminalibus usitatum atque necessarium. (10) Quare cum super crimine falsi accusatore isto advocato at libellum non offerente, nedum communicato, simpliciter purgatio injungeretur, appellatio fuisset interposita, existimatum est non deesse causam conquerendi, præsertim cum allegarentur talia quæ ad justam exceptionem proficere, nisi exhibitio libello commodè proponi non possent. (11) Permovit hoc, ut res ad processum causæ congruum redigeretur. *In causa Structaarii Bremensis Johan von Hasseln contra Advocatum fisci die* 18. *Maji Anno* 1667.

1. Habet quidem ità aliquorum sententia, sed erroneè. Error natus ex eo quod pleræque causæ fiscales sunt summariæ, haud verò de omnibus idem sentiendum: Praxis fori quotidiana aliud ostendit.

2. *Gail. 1. observ. 20. num* 8. ubi perinde in causis fiscalibus ordinariis quam in causis privatorum ordinario processu opus esse ait, quando altioris sint indaginis & contradictione partis in dubium revocantur.

3. *Carpzov. pract. crim. part 3. q. 104. num. 6.*

4. Duplici modo de crimine agitur, inquisitoriè & accusatoriè. Inquisitorius processus est summarius, accusatorius est ordinarius. Nec in eo discrimen, advocatus fisci an alius accusator sit *Carpzov. d. q. 104 num. 3. & seq.* Id quod fori praxis quæ hodiè quotidiana sic recepit & frequentat.

5. Quod alias de fisco observatur axioma, eum non ultra privilegiatum esse, sed jure privatorum uti, nisi ubi lex vel consuetudo ejus singulare tribuerit *l. fin. C. de usur. fiscal. ubi Joh. de Plat. l. justus C. de jure fisc.* hic etiam pertinet ad processum judicialem *Gail. 1. observ 90. num. 2.* nec tantum in causis civilibus sed etiam criminalibus *Zanger. in tr. de quæstionibus in proœm. num. 18.*

6. In notoriis non servatur ordo processus *Gail. 1. observ. 22. num. 3.*

7. In nullo processu qualiscunque sit defensio, quæ juris naturalis est, auferri potest *Jason. in l. ut vim 3 ff. de just. & jure.*

8. In causis fiscalibus summariis idem processus observandus est, qui requiritur in causis privatorum summariis *Peregrin. de jur. fisci lib. 7. tit. 3. num. 3.*

9. In causis summariis libello quidem solenni & formali non est opus, aliquo tamen & tali qui narrationem facti & petitionem certæ condemnationis continet, ut reus deliberare possit cedere an contendere & quomodo se defendere velit *Lanfranc. in c. quoniam c. 12. num. 2 X. de probat. Joh. Bapt. Asin. in pract. §. 3. c. 4. num. 4. & §. 42 c. 1. num. 3.*

10. *Carpz. d. q. 104. num. 6.* sic servatur ubique, ut ubi reus criminis per advocatum seu procuratorem fisci agendus semper libelli fiet exhibitio seu ad minimum articulorum, ad quos respondeatur.

11. Ex hac ratione & pro necessitate defensionis etiam in summariis causis id necessarium scribit *Zanger. in tr. de except. part. 1. cap. 2. num. 15.*

DECISIO III.

Ex officii necessitate denuncians non ut delator ex denunciatione criminis ad probandum aut in pœnam conveniri potest, nisi manifesta ejus calumnia reperitur.

DElatores esse in Republ. ad utilitatem ejus pertinet, (1) verum simul publicè refert, ut horreant deferre, nisi certi de criminibus, eorumque autore & saltem utilitati publicæ, non criminationibus aut vindictæ suæ intenti sint, (2) ne sub obtentu denunciationis innocentibus inferatur injuria aut calumnia. Ideo jure provisum, ut teneantur iis, quæ per notoria produnt indicia assistere, (3) & quod deferunt probare, (4) si non probent, iis quos delationibus perperam onerant ob calumniam ad id quod interest, (5) ut & in expensas, (6) præterea actione injuriarum aliisque pœnis obnoxii fiant. (7) Alia autem ratio est eorum, qui non sponte, sed officii quadam necessitate denunciant facinora, de quibus eadem constituta non reperiuntur, ideo ista non sunt extendenda, quin potius speciali legum providentiâ ab accusatione eximuntur. (8) Facit pro iis, cum officii necessitas, (9) tum etiam præsumptio quod magis, Reipubl. quam in alterius injuriam contumeliæ vel calumniæ causa denunciasse præsumuntur, (10) Nec potest per talem denunciationem quis gravari, dum non statim ad eam proceditur contra aliquem, sed prius à judice omnia diligenter expenduntur, (11) & cum post expensas circumstantias fit inquisitio, judicis est factum non denunciatoris per quod criminis aliquis arguitur. Si publico Officiali ex eo periculum esset, quod judici denunciaret, quæ percipit verisimilia, præcluderetur via inquisitioni generali de criminosis valde necessariæ & tolleretur aut inanis fieret debita sollicitudo, per quam nihil non denunciari debet ad scientiam & cognitionem magistratuum. Præterea concessa ob denunciationes adversus eos, qui officio suo funguntur accusandi licentiâ, concederetur omnibus potestas divexandi officiales publicos, adeoque ad cohibendos aut deterrendos metu actionum & litium, quas etiam injustas boni horrent & execrantur. Præterquam igitur, si manifesta est sub officii obtentu calumnia & malignitas, (12) non admittenda

Digitized by Google

tenda est actio vel accusatio contra eos qui per officii rationem deferenda detulerunt. (13) Creditum inde justè decretum nec appellationem recipiendam esse, cum à limine judicii repulsus esset talem litem officiali intendens, *in causa Dieterich Jeben, contra Obrist-Leutenant Daniel Arenson, die 19. Sept. Anno* 1653.

1. Interest Reipubl. delicta fieri manifesta & non esse impunita, *l. ita vulneratus* 50. *l.* §. *pen. ff. ad L. Aquil.*

2. *l. omnes* 5. C. *de Delator.*

3. *l. ab accusatione* 6. §. *nunciatores* 3. *ff. ad* SC. *Turpil.*

4. *l.* 1. C. *de Curios. & Stat. lib.* 12.

5. *Vid. Fab. in Cod. lib.* 9. *tit.* 2. *defin.* 9.

6. *l.* 3 *in fin.* C. *qui accus. non poss. Clar. in pract. crim. part.* 5 *q.* 62. *n.* 4. *&* 6.

7. *Dict. l. omnes* 5. C. *de Delat.* Nunquam impunita debet esse calumnia, *l.* 1. §. 1. *ff. si mul. ventr. nom. l. ult.* C. *de Calumn.*

8. *l.* 2. *l. ex vana* 4. C. *de Delator.*

9. Quæ exclu dit doli atque malitiæ præsumptionem atque excutat factum, *l. post legatum.* 5 §. *advocatum* 13. *ff. de his quæst. ut indign.*

10. Sollicitudini officialis tribuitur ab eo factum. *d. l.* 2. C. *de Delator.* Inde ea distinctio JCtorum circa quæstionem quando delatores pro accusatoribus habendi sunt, utrum ex officio an extra illud denunciaverint, *vid. Fr. Cason. in singul. quæst. crim. cap.* 8. *sub rubr. de Inquis. num.* 15. *Resbach. in Process. crim. cap.* 12. *num.* 15.

11. *l. ea quidem* 7. C. *de Accusat.* Non enim oportet relationibus etiam factis à publicis personis credere, sed rei veritatem inquirere, *l. singuli* 14. *C. eod.*

12. Reprimenda non toleranda est officialium insolentia, *l. omnes* 12. C. *de offic. Rect. prov.*

13. *d. l. ex varia* 4. C. *de Delat.*

TIT. III.

DE EXHIBENDIS VEL TRANSMITTENDIS reis.

DECISIO I.

Judex cautione præstita dimittens ex carcere reum non est jubendus restituere, sed per officium efficere, ut per fidejussorem exhibeatur.

CUm vindicaretur quisquam ut prorius homo, at opponeret libertatem jure quæsitam, deque ea probanda contenderetur, judex oblata ab illo cautione è custodia in qua erat dimisit, postea autem quum reus nihil probasset, alio vero secesserat, mandatum petitum est ad judicem de restituendo homine dimisso. Petitionis jus ex illo pendet, an judex ob receptam à reo cautionem alteri parti teneatur de eo, quod dimissus præstare obnoxius fuit, aut quanti interest id fieri? In qua quæstione discernendum est, judex jure an injuria cautionem receperit. (1) Non enim aliter de eo quod ut judex fecit tenetur, nisi in justitiâ litem suam fecerit. (2) Et in hoc interest, utrum id fecerit per imprudentiam, (3) an per dolum. (4) Quod in dubio non præsumitur, (5) ideo nec mandati restitutorii præjudicio damnandus est, antequam actione adversus illum institutâ articuletur tale factum & omissum ex quo reus sit, idque probatione sufficiente demonstretur. Visum inde fuit illud non decernendum, tantum mandandum esse, ut curet adversus fidejussorem præstari supplicanti, quod justum est; Alias si de injuria actionem decenter instituerit, adversus judicem non posse non audiri. (6) Sic decretum *ad supplicationem Rittmeister Sperling contra Senatum civitatis VVismarienſis die* 12. *Julii Anno* 1659.

1. Non indiscriminatim interdictum est judici sub cautione captivum relaxare, sed potius arbitrio ejus relictum, quando id fieri debeat. *l. l. sb. Bartol. l.* 4. *ff. de Custod. reor.* Tantum in eo requiritur ut circumspecte admittat.

2. *l.* 1. *& tot. tit. Cod. de Pœn. judic. qui mal. jud.*

3. Per *imprudentiam male judicans non indistincte ad litis æstimationem tenetur, sed tantum quod pro qualitate facti religioni judicantis equum videbitur sustinebit, l. fin. de var. & extraord. cognit.*

4. Dolo malo male judicans omnem litis æstimationem præstare tenetur. *l. filiusfamilias* 15. §. 1. *ff. de judic.*

5. Pro judice ut viro bono optima semper præsumptio capitur *l.* 1. *in fin. ff. de offic. Præsid. l.* 2. *C. de Acquir. possess. cap. in præsentia. X. de Renunciat.*

6. Actione in factum judex conveniendus est *Donell. Comment. juris civ. lib.* 28. *c.* 2.

DECISIO II.

Ex contractibus non est locus transmissioni reorum.

QUi in Megapoli prædium conduxerat, finitis conductionis annis in territorium ditionis Wismarienſis concesserat, eoque res suas transtulerat. Ad locatoris instan-

Digitized by Google

instantiam nomine Principis rogabatur, ut ille juberetur coram judicio provinciali seu Cancellaria Ducali se sistere, & locatori de iis quorum arguebatur respondere: Communicata quidem illa est petitio, integrumque relictum, an se coram illo foro sistere vellet, (1) at ut juberetur, à jure alienum existimatum est. Locus quidem contractus facit forum competens, at non aliter quam si reus ibidem reperitur. (2) Quod si ad alium forum migravit, evocari invito territorii domino nequit. Nec hic ad transmittendum reum tenetur, quando ex contractibus transmissioni reorum locus non est. (3) Versatur hic in re aliquod jurisdictionis præjudicium, quod ne admitteretur, diligenter cavendum. Responsum itaque est, petitioni locum propitio jure relinqui non posse, paratam autem in hoc loco fore justitiæ administrationem *die* 15. *Octobris Anno* 1659.

1. *L. hæres absens* 19. §. 1. *& seq. ff. de judic.*

2. Eam limitationem habet competentia fori ex contractu, si contrahens in loco contractus reperietur. *Gail* 2. *Observ.* 36. *num.* 14. *Coler. de Proceff. Executiv. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 44.

3. *Zanger. de Exception. part.* 2. *cap.* 1. *numer.* 123 *Vultej. in rub. Cod. de jurisdict.*

DECISIO III.

Literæ mutui compassus pro transmittendis ad locum judicii testibus peregrinis negandæ & saltem pro examine sub jurisdictione ubi existunt, decernendæ sunt.

QUi jurisdictioni judicis subsunt, testes ad Tribunal ejus dicendi testimonii causa evocari possunt, etiam ab immediato eorum magistratu desiderari, ut nisi per privilegium de non evocando ab eo immunes sint, eo ire cogat vel mittat. (1) At simile haud est tentandum, quando testes alterius territorii domino sunt subjecti. (2) Pro illorum examine rogandus est per literas mutui compassus judex, cui proximè subsunt, (3) minimè verò ut mittat homines suos ad alienum Tribunal, quo ibi testimonium dicant. Insolitum planè hoc est, nec impetrandum nisi à volente. (4) Ut autem an quis ita velit incertum, ut non velit ad avertendum præjudicium verisimilius, ita non tentandum. Etiam hoc consideratum, an etiam si quis velit, recipiendum, ubi tali petito & recepto obstringetur petens, ut in similibus idem faciat. (5) Qua innovatione vel mutatione moris astringere Judicii Dominum ipsumque judicem ministris non convenit. (6) Rejecta fuit, ideò petitio literarum mutui compassus pro transmittendis testimonium dicturis. *In causa D. Ottfari contra Elisabeth Dinggraffen die* 2. *Septemb. Anno* 1656.

1. *Vid de hoc plura apud Hartman. tit.* 15. *observat.* 17. *num.* 10. *& seqq.*

2. Post distinctas jurisdictiones & his adstrictas territoria evocationes alterius subditorum dicendi testimonii causa non licet amplius, sed quisque ab eo cui subest judice examinandus, isque ut faciat rogandus est, *de cujus vi & modo vid. Hartman. dict. Observ.* 17. *num.* 13. *seq.*

3. Hic modus examinis usu invaluit & frequentatur.

4. Jure civili Justinianeo ut omnes Præsides provinciarum Romano Imperatori subessent ipsiusque communis erat ubique jurisdictio, in civilibus tamen causis transmissio vel evocatio testimonii dicendi causa non erat recepta, sed tenebantur Judices examen curare apud magistratum vel judicem, cui subessent: Tantùm in criminalibus aliud constitutum erat. *Novell.* 90. *cap.* 5. At mutata ea forma jurisdictionis nec hodie in criminalibus id obtinet, sed rogandum est examen à magistratu uniuscujusque per literas subsidiales, uti mos quotidianus observat.

5. *Juxt. l.* 1. *& tot. tit. ff. ut quod quisque jur.* Habent inde literæ rogatoriæ eam clausulam in talibus & similibus rogantem idem præstiturum esse.

6. Quos judiciis ministros præficit Princeps, hos ordinariæ viæ astringit, ad extraordinaria & insolita potestatem non dat.

DECISIO IV.

Remissio rei fugitivi vel Carcere Exempti postquam Judicium cæpit, debetur Judici petenti.

REmissionis reorum necessitas olim constituta (1) hodie quidem generali pene orbis præsertim Germaniæ Consuetudine, post mutatam jurisdictionis formam sublata est, (2) at non perinde in illa specie, quando Judex reum jam carceri incluserat atque judicium cœperat, isque in id verbo vel facto nempe de Judicio sisti cautionem offerens consensit. Exinde jam obstrictus est judicio, unde si illud effugit, vel ab illo per aliquem eximitur, est Judici adversus illum jam arctior potestas & jus ad repetendum potentius. (3) Tantum referet utrum qui aufugit subditus illius sit nec ne. Subditum suum remittendi non est ea obligatio sicut nec petendi jus tantum ut remittendi necessitas oriatur. (4) At qua subdi-

Digitized by Google

tum ejus qui repetit est naturalis ille nexus ut quod quisque sibi factum velit, idem & aliis faciat: Accedit Civilis, ut alienam jurisdictionem quisque adjuvet. (5) Poscit communis regula ut ubi captum est judicium, ibi finiatur. Inter eos qui diversæ sunt provinciæ urbanitati quidem & hoc ipsum tribuitur, sed quæ magis quam in alio casu cum nondum reus fuit captus, nec Judicium captum debetur. At in eadem provincia pro communi omnium Judicum studio ut justa fiant & justo ordine, tam superioribus quam inferioribus incumbit facere quo nihil impedimenti cuiquam creditur. Quare a decreto remissionem negante factam appellationem inter illas circumstantias recipere dubitatum non fuit, quo etiam parum juste fieri crederetur, quod negando illam juris ordo perverteretur, & judici cujus forum non modo competens erat, sed coram quo judicium cœptum, injuria fieri videretur. Consideratum *in causa Senatus der alten Stadt Verden vvider Franciscum Mollern die* 10. *Decemb. Anno* 1662.

1. Juris veteris vestigia multa in corpore legum Rom. reperies *l. capitalium* 28. §. *facinorosos* 15. *ff. de Pœn. l.* 81. *cui* 7. §. *eidem imp.* 4. *l. fin. ff. de accusat. Novel.* 60. *cap.* 1. *Novel.* 134. *cap.* 5.

2. De communi orbis consuetudine testatur *Covarruv. pract. quæst.* 11. *num.* 14. *de Germania Gail. l. de pac. publ. c.* 16. *n.* 10. *VVesenbec. in parat. ff. de requir. reis.*

3. *Arg. l. si quis postea* 7. *ff. de judic. l. pen. ff. de petit. hæred.* ex Jure prævention*is* hoc deducitur, ut reum semel citatum, multo magis si arrestatus, deinde abeuntem judex persequi possit, quatenus sine violatione territorii alieni fieri potest.

4. Ratio diversitatis est quod in foro delicti non sortitur quis forum ultra quam si in eo reperitur *l. ult.* ubi crimen agi oport. desinens ex fuga fori competentia facit desinere necessitatem remittendi.

5. Unus Judex in subsidium Jurisdictionis rogatus tenetur alterius decreta exequi *c. t. ibi Gloss. & Dd. de Offic. ordinar. l. a Divo* §. *sententiam ff. de re judic. & quidem adversus delinquentes mutua decent auxilia l. si quis latrones* 2. *c.* de his qui latron. Et cum in Civilibus, quatenus Jurisdictio fundata est, citationes eum effectum habent, ut subditum quoque suum magistratus jubeat ire ad aliud Judicium *Coler. de Proces. executiv. part.* 3. *cap.* 1. *num.* 35. quare non in criminalibus non subditos suos ad Judicium redire jubebunt & facient, ne Judicium elusorium fiat. *l. si Prætor, ff. de judic.*

TIT. IV.

DE CUSTODIA REORUM.

DECISIO I.

Salvus conductus sine inquisitione judiciè præviâ de delicto incusatis non est dandus.

ETsi omnia pro conductu à reo criminis impetrando narrata sic sunt comparata, ut indulgeri debeat, haud tamen judex ad illam concessionem nimis præpostere accedere debet, (1) sed prius inquirere, quomodo se factum habeat, ne ille non meritò vel in carcerem redigendo inconsideratè eveniat. (2) Nec pro inquisitione ista omittenda sufficit, summaria quædam attestata ab ipso per Notarium à testibus petita proferri, quia talia nihil probant, nec fidem judici faciunt. (3) Advocato seu Procuratori fisci itaque committendum est, ut ille inquisitione istâ defungatur, vocatis & auditis testibus. (4) Id quod ei antequam decerneretur conductus, mandatum fuit. *In causa Sophiæ Havemanns, contra Hans Meyern, die* 20. *Martii Anno* 1657.

1. Salvi conductus concessio requirit aliquam causæ cognitionem. *Menoch. consil.* 354. *num.* 16.

2. Sunt plures species, in quibus ea securitas non tribuitur, *vid. Carpzov. in Pract. Criminal. part.* 3. *quæst.* 112. *num.* 30. *seq.*

3. Si judex testes vel ipsemet, vel suo jussu per alium examinet summariè, etiamsi nondum juraverint, id ad conductus indulgentiam sufficit. Nec ultrà in hac inquisitione procedimus. At per partem quæsita & sic dicta suspectiora sunt, quàm ut judicem ad concedendum permovere debeant.

4. Hujus id officium est

DECI-

Digitized by Google

DECISIO II.

Pro relaxando carcerato mandatum sine clausula non decernitur, quamdiu causa carceris dubia est.

FAvor libertatis, (1) quem Jurisprudentia magnificat (2) & iniquitas afflictionis sine gravi merito (3) poscit quidem ut non inconsiderate ad carcerem sit properandum; (4) ideo si secus factum fuerit, judices ad mandata de relaxando captivo non difficiles sint: (5) Attamen rationi convenit, ut relaxatio statim ad quævis narrata & petita supplicantis non mandetur, (6) sed circumspectè consideretur, cur & quomodo incarceratio processerit. (7) Præterea in quâ causâ; civilis sit nec ne. Ex illâ incarceratus facilius impetrat mandatum sine clausulâ, cum aliquod injuriæ aut rigoris documentum affert, & idoneam cautionem offert. (8) Ubi ex narratis dubium exoritur, qualis illa sit, ob quam Supplicans semet incarceratum queritur, non est mandandum sine clausula, (9) nisi prius indagatâ ista qualitate, quæ est fundamentum & causa mandati. (10) Ideo denegatum fuit mandatum tale. (11) Cum quis ideo se incarceratum querebatur, quod directorem Judicii ut suspectum recusasset. Quod etsi ex se crimen non est, (12) tamen per injurias & convitia in illud incidere poterat, (13) & eo degeneraſſe pro Regimini præpositis præsumptio erat. (14) *Ad preces Obrist-Lieutenants Johann von Lipfeld, vvider die Königl. Brehmische Regierung, den 16. Junii Anno 1653.*

1. Libertati contrarius carcer est, qui ideo inter servitutis species collocatur, *l. 2. ff. de lib. hom. exhib. l. Titio §. 2. de condit. & demonstrat. Gail. 1. observ. 133. num. 4 9.*

2. Ut grande libertatis beneficium est, *l. 1. in pr. ff. de Bon. libert.* sic magnus apud Jurisperitos favor, *l. 3. §. hoc inter dictum 9. ff. de liber. exhib. l. cum inter 14. C. de Fideic. libert.* quæ si ab aliis negligitur, Princeps adeundus est, ut ei prospiciatur, *l. itaque 27. ff. eod.*

3. Carcer mala mansio audit, *l. si hominem 7. ff. depos. l. item apud 15. ff. de injur.* nec unquam est sine afflictione famæ, corporis, bonorum. *Coler. de Proceſſ. executiv. part. 1. cap. 6. num. 33. ſeq.*

4. Considerate ad carcerationem progredi oportere JCtorum rationabile monitum est, *cujus rationes exponit Petr. Frider. Mindan. lib. 2. de mandat. cap. 55. §. 2. num. 18.*

5. Ob captivitatem seu carcerationem mandata de relaxando decernuntur in Camerâ Imperiali, & inde ob illam processus mandati servatur. *Gail. 2. observ. num. 14.*

6. Quæ circa mandata de relaxando considerare oportet, exponit prolixius *Petr. Frid. Mindan. d. cap. 55. per tot.*

7. Mandata de relaxando captivo alia sine, alia cum clausulâ decernuntur, nempe pro diversa qualitate facti & negocii. *Gail. d. Observ. 1. num. 24. & observ. 133. num. 10.* Illa quidem ubi factum incidit in casus, ex quibus mandari solet. Sed qui narrata plerumque dubia occurrunt, fit quoque ut in Camera Imperiali ea mandata plerumque tantum cum clausula decernantur. *Gail. 1. observ. 26. num. 2.*

8. Regulariter ob causam civilem seu pecuniariam carcer prohibitus est, *Jason. in §. 1. num. 72. ſeq. Inst. de Action.* Carcer enim pœnalium & hominum noxiorum est, *l. 1. C. de Custod. Reor. l. nemo carcerem C. de Exactor. Trib.*

9. Ex criminali causa incarceratus mandatum de relaxando sine clausula non impetrat, nisi simul statim ve docet vel innocentiam suam & carcerationis ob indicia seu nulla seu incongrua injustitiam; vel carceris squalorem & ob pericula & damna, morte intolerandum rigorem; vel criminis tam duram non merentis levitatem. Ex his circumstantiis mandatur etiam in criminalibus causis sine clausula. *Frid. Mindan. dict. cap. 55. num. 9.*

10. Mandata sine clausula non decernuntur, nisi ob facta ipso jure prohibita, & quæ nullo modo justificari queunt. *Ordin. Camer. part. 2. tit. 23. Gail. 1. Observ. 13. num.*

11. In mandatis decernendis præprimis consideranda est narratorum qualitas, an congrua sint casui, in quo per leges sic mandari debet.

12. Est legitima exceptio recusationis, *l. apertissimi 16. C. de judic.*

13. Non infrequens, sub obtentu recusationis partes adversus Judices insurgere injuriis, suisque amplius affectibus quam necessitati tribuere. Adversus quas Judicibus vindicta & pro hac carcer & arresta licent, *vid. Gail. 1. observ. 39.*

14. Est pro Judice & Magistratu præsumptio Justitiæ, *l. 2. C. de Offic. civis. Jud. c. in præsentia X. de Renuncias.*

DECISIO III.

Pro relaxando captivo processus mandati necessarius est, etsi causa adhuc dubia sit.

ETsi narrata carceris relaxationem petentis nondum sic comparata sint, ut sine clausulâ mandari debeat, tamen non omnino causa ad ordinarium processum remittenda est, aut denegandum mandatum, sed id cum clausula decernendum, (1) modo ista quandam aut carceris injuriam, aut relaxandi æquitatem indicent. (2) Non alio modo in ea causa procedendum quam Imperii constitutio & Praxis inter causas mandatorum retulit,

Digitized by Google

tulit, (3) quorum processus celer atque summarius est, (4) sicut etiam talis in causa relaxationis captivi exigitur. (5) Non licet Judici illum convertere in ordinarium, ac beneficia ejusdem supplicanti intervertere aut impedire. Nec magistratus aut Judex causam de mandato quærendi habebit, aut exprobrandi, quod prius non sit super narratis auditus, postquam mandatum cum clausula relinquit facultatem excipiendi ac veritatem facti referendi. (6) Illud autem differendi non modo nulla ratio, sed protracti ob afflictionem, quæ carcerato augetur atque prolongatur, iniquitas exsurgit. (7) Quæ circa narrata adhuc sunt incerta ad punctum paritionis, non ad punctum mandati, quod ad narrata decernitur, pertinent. (8) Ideo ad illud denegandum non sufficiunt, si hæc mandato congruunt. Uti visum *in eadem causa.*

1. Pro relaxatione sive subditi sive extranei in Camera rectè supplicatur & impetratur mandatum, etiam contra Principem sine magno negotio. *Uti scribit Petr. Frider. Mindan. de mandat. lib. 2. cap. 8. §. 4. num. 6.*

2. Pro qualificandis narratis, quæ mereatur, mandatum de relaxando, alterutrum narrare oportet, aut injustum ex causa vel qualitate esse carcerem, aut licet justum, tamen oblata cautione esse relaxandum. *Petr. Frider. Mindan. dict. lib. 2. de Mandat. cap. 55. num. 8.*

3. Vid. Deputations-Abscheid de Anno 1600. §. Auch haben Wir uns durch einmüthige / &c. R. A. zu Regenspurg / de Anno 1654. §. Alle Supplicanten / & passim alias in Constitutionibus Imperii.

4. Beneficia processus mandatorum ex constitutionibus Imperii & Praxi Cameræ Imperialis constant, eaque latius exposuit Petr. Frider. Mindanus integro tractatu, inter quæ est, quod celeriter & summarie super iis agitur, *uti ipse d. lib. 2. cap. 9. exponit.*

5. *Vide de hoc Gail. 1. Observ. 78. pertot.*

6. Mandata cum clausula Justificatoria vim simplicis citationis habent & in eam resolvuntur, *Gail. 1. Observ. 19. num. 5. & seq.* puta quoad facultatem proferendi exceptiones non quoad modum processus. *Uti optimè declarat Petr. Frid. Mindan. dict. part. 2. cap. 7.*

7. Causa relaxationis ob periculum & incommodum moræ ex afflictione corporis, famæ & bonorum præ omnibus aliis celeritatem postulat, & ob eam, quæ in aliis mandatorum causis observantur, ideo remittuntur. *Uti docet Gail. dict. Observ. 78. num. 3. & 9. Mindan. d. lib. 2. cap. 8. num. 5.*

8. *Ita docet* der *Deputations-Abschied de Anno* 1600. §. Auch haben Wir durch einmüthige: *& sic praxis judiciaria observat.*

DECISIO IV.

Reis criminum utut atrocium absentibus salvus conductus ad defensionem non difficulter dandus est.

REi criminum carcerati non admittuntur quidem, nisi ubi certum est pœnam corporis afflictivam facinus, cujus arguuntur, non mereri. (1) At antequam in custodiam redacti fuerint salvum conductum petentes & Judicio sese sistere offerentes facilius impetrant, (2) non attento leve an atrox crimen sit, qualemve pœnam mereatur. (3) Præstat quippe iis, quorum alias propter absentiam seu fugam copia non erit, facultatem secure veniendi atque se defendendi concedere, quam illâ negatâ crimen inultum relinquere aut vindictam difficiliorem reddere. (4) Etsi enim non desint contra absentes atque latitantes vindictæ remedia, (5) sunt tamen difficilia, nec semper cum exitu aut eo, quem pœna requirit, effectu. Quod si etiam iis cum efficaciâ quadam locus esse potest, non tamen iis uti æquum, quando rei sponte se sistere ac defensione uti velint, modo secure possint. (6) Facta hujus licentia finis Judicii criminalis promptior certiorque, nec tamen in eo per reos aliquid impedimenti erit. (7) Contra quos præsentes male versantes ad carcerem, contra absentes & defugientes semper ad solita coercendi remedia devenire licebit. Sicque nihil processus erit inde deterius aut imminutum. (8) E contrà securitatem negare, est criminis pœnam impedire & reo defensionem auferre, pro qua citatis ex ipsa citatione alias securitas debetur. (9) Equidem moris, ut ante concessionem salvi conductus, de qualitate & circumstantiis criminis inquiratur, at non necessitas. (10) Quare ubi statim post perpetratum delictum reus in alienum territorium secedens reditum & defensionem, si à carcere securus esse liceat, spondet, audiendus potius quam ut denegatione ad fugam causa & incitamentum præbeatur. Ita decretum ad instantiam homicidii Rei, die 13. Julii, Anno 1653.

1. Circa quæstionem de reis carceratis sub satisdatione relaxandis ea distinctio inter gravion ac leviora crimina & bonorum definitio ex pœnæ merito, *ex l. 3. ff. de custod. reor.* recepta est. *Bess. in Pract. tit. de carcerat. Fidejuss. comm. num. 1. & 2.*

2. Reis nondum carceratis defensionem deducere volentibus conductum tribuit Ordinatio Criminalis CAROLI V. *artic. 156. in fin.* Et Pacis publicæ violatoribus, etiamsi alias ab omni securitate

Digitized by Google

securitate excepti sint, ille ad exculpationem concedi debet, juxta Die Ordnung deß Landfriedens zu Wormbs *Anno* 1521. *tit.* Friedenbrecher und Ubelthäter nicht zu hausen/ und von derselben Vorgleitung §. Wir wollen auch/ daß alle ꝛc.

3. *Vid. Carpzov. in Pract. Criminal. part.* 3. *quæst.* 112. *num.* 24. *seq.*

4. Is finis & ea cura est processus, ut delicta non sint impunita, *l. si operis* 14. *C. de Pœn.* & quidem ut ob exemplum puniantur in loco, ubi committuntur, *l. capitalium* 28. §. *famosos ff. eod.* quocirca id potius, quod pro fine aptius, ut ad pœnam ibi legitimâ viâ deveniatur, non ut effugiatur.

5. Annotatio bonorum, proclamatio, proscriptio, bannum, literæ requisitoriæ, Stockbriefe & ad alios magistratus pro iis capiendis, exhibendis aut puniendis solita sunt absentes reos persequendi media.

6. Oblatio de se sistendo & defendendo indicat conscientiam integram atque bonæ causæ fiduciam, ideo crimen ejusque qualitatem & vindictam dubiam reddit. In qua dubitatione ut condemnatio suspendi, ita an nocens reus sit ad finem Judicii differti, interea reo nondum damnato ad se defendendum securitas dari debet. *Col. de Proceſſ. Exec. part.* 2. *c.* 3. *n.* 84.

7. Salvo-conductui inest ea conditio, ut etiam præstet, cujus gratia indulgetur. Quod si remorabitur cessante bona præsumptione & accedente merito malo velut contra confessum carceri locus fit. *Moller. lib.* 2. *semestr. cap.* 1. Conductus quippe contra vim & injuriam, non contra jus proficit, *vid. Ordin. crim. dict. art.* 156. Unde ea clausula, daß er sich gleitlich verhalte/ addi solet, quæ etiam non addita, tacitæ conditionis instar inest.

8. Etsi contra absentes ad proscriptionem seu bannum proceditur, parum tamen curabitur ab iis, qui sine securitate comparentes graviora ex carcere aut indignatione judicis metuent, inde fugientibus pœna justa non irrogabitur.

9. Citationes in dorso securitatem secum ferre; Die Ladung trage das Gleit auff dem Rücken/ vulgo dicitur & creditur. *Heig. part.* 2. *quæst.* 22. *num.* 38. *seq.* At cum fragilis ea cautio sit, cui nemo fidet, *juxt. Coler. in dict. part.* 4. *cap.* 1. *num.* 235. exceptio loci non tuti reis parata est, *Zanger. de except. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 5. *& seq.* Quam ut auferre cuiquam non licet, ita cum postulabitur conductu securitatem concedere oportet. *Coler. part.* 1. *decis.* 165.

10. Concessio salvi conductus relicta est judicantium arbitrio pro circumstantiarum ratione facienda. *Menoch. de A. I. Q. lib.* 2. *qæſ.* 303. *num.* 2.

DECISIO V.

Cautio juratoria etiam in Criminalibus recipitur circa conductum, cum alia præstari nequit.

SAlvum Conductum criminum rei non aliter impetrant, quam præstitâ cautione se quotiescunque opus fuerit, judicio sistendi. (1) Qui fidejussores aut pignora habent, his satisdant. Quibus horum non est copia ad juratoriam cautionem admittere necessarium est; (2) Nec tantum in causis civilibus ei locus relinquendus, sed etiam in criminalibus, ne inopia causa existat, cur offerentes defensiones non audiantur, aut graves atque diuturnas carceris molestias sustinere opus habeant. (3) Quas dum non minus atque pœnam homines defugiunt, nisi illa admissa & ipsis defensio & Reipubl. criminis vindicta erit impedita. (4) Manet etiam pauperibus loci non tuti exceptio, nec ideo, quod copia alterius satisdationis non est, rejicienda, si autem qua illos attendenda, utique qui ob illam debetur conductus, ideo non negandus est, quia satisdare impossibile est. (5) Nec enim ad hoc quenquam remittere decet, aut ejus obtentu quenquam à legitimis mediis excludere præsertim sine lege. Præstat admittere qualem qualem cautionem quam frustraneam reddere criminis prosecutionem. (6) Id quod fuit consideratum & servatum *in eadem causa.*

1. Communi non tantum JCtorum sententia, sed praxi etiam receptum hoc est, ante salvum conductum offerti, exigi & præstari cautionem. *Clar. lib.* 5. *sent.* § *ult. q.* 46. *Zanger. de Except. part.* 2. *cap.* 5. *Moller.* 2. *semestr. cap.* 1. *& 2.*

2. Plerisque quidem videtur ad juratoriam cautionem non admittendos esse criminum præsertim atrocium reos. *Boer. decis.* 349. *Clar. d. quæst.* 46. *n.* 14. iisque nemo non stipularetur, si in custodiam facilè redigi possent. At ubi eorum non est copia, nisi per concessum salvum conductum, nec apud illos alterius quam juratoriæ cautionis facultas, nemo tam rationabile, quam necessarium dicet, qualem qualem cautionem potius recipere quam fugæ causam dare, & vindictam scelerum inanem reddere.

3. Oblatio defensionis & fiducia coram se sistendi bonam pro reo innocentiæ præsumptionem inducunt, sub qua cautionem juratoriam admittendam esse censuerunt Scabini Lipsienses. *Vid. Carpzov. in Pract. Criminal. part.* 3. *quæst.* 112. *num.* 106. *seq.*

4. Hæc aut impedit judicium, aut requirit salvum conductum; Nisi illud malis, hic concedendus est.

5. Impossibilium nulla est obligatio, *l. impossibilium ff. de R. J.*

6. Ex more magis quam jure prodiit circa salvum conductum cautionis necessitas. Nulla lege illa constituta est: Constitutiones Imperii nihil tale habent, ut ubi præstari non potest, negetur. Ideo sine lege non est hoc beneficium reis adimendum, *arg. l. fin. C. de Adoption.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO VI.

Arresti relaxatio quando sine clausula recte mandatur in causa criminali.

CUm ob recusationem judicis tanquam suspecti factam reus corporaliter arrestatus & custodiæ inclusus erat, velut violator Jurisdictionis & Judicum autoritatis, suborta fuit dubitatio, an mandato sine clausulâ locus sit, ubi causa arresti fuit criminalis. Ex constitutione Imperii tale mandatum non decerni solet, nisi cum causa arresti est civilis. (1) Id vero inde profectum, quod in criminalibus jurisdictio Cameræ regulariter non est fundata. (2) Ex quo sequitur, quoties ea etiam in his fundata erit, posse contra arrestum peti mandatum. (3) Illud contingit, quando nulliter proceditur, (4) si arrestum decernitur, antequam de crimine constat; (5) si an delictum sit, merito dubitatur; si ab executione vel pœna fiet initium causâ nondum cognitâ aut investigatâ. (6) Quando etiam ea species subest, ubi ob delictum non est locus carceri aut arresto corporali, veluti si non valde grave sit, vel præstitâ cautione carceratus relaxandus, tunc perinde ob notorium & magnum gravamen locus est mandato. (7) Ita existimatum *ad preces alicujus Rei die* 20. *Septemb. Anno* 1653.

1. Hoc è requisitis Constitutionis & ex ea processus super arrestis est, *uti exponit Gail. in tr. de Arrest. cap.* 4. *num.* 16.

2. Hanc rationem tradit *Gail. d. cap.* 4. *num.* 16. *Mindan. de Process. lib.* 1. *c.* 40 *n.* 1.

3. Argumentum à contrario sensu validum est, & pro lege cum ex lege sumitur, *l.* 1. *ff. de eo cui mand. jurisd.* Ubi cessat ratio, cessat jus.

4. Ob nullitatem processus devolvitur causa criminalis ad Cameram Imperialem. *Gail.* 1. *Observ.* 1. *num.* 28. Similiter etiam ad summum hoc Tribunal, *vid. Ordinat. part.* 2. *cap.* 1.

5. Cum arrestatio fit ob delictum antequam de eo constat, mandato de relaxando subvenitur arrestato, nec auditur arrestans excipiens causam esse criminalem, nisi simul delictum fuerit probabile. *Uti ait Mindan. d. cap.* 40 *num.* 2.

6. Hæc species processus ab executione contra inauditum pertinet ad quatuor casus, in quibus mandata sine clausula decernuntur. *Mindan. de Mandat. lib.* 2. *Cap.* 11. *num.* 3.

7. Paria sunt qua relaxationem carceris an causa sit civilis an criminalis, sed in quâ aut carceri aut arresto non est locus, seu si locus sit, tamen sub oblatâ cautione statim relaxandum. Nam in quibus hæc admittitur, in iis causa, velut civilis efficitur. *Coler. decis.* 22. *num.* 8. & 9. *Hering. de Fidejussor. cap.* 15. *num.* 56. Et in talibus quæ non ingerunt capitis pœnam Cameræ Jurisdictionem esse fundatam ex ejus ordinatione & Praxi constat.

8. Injusta carceratio, cujus species est arrestum corporale, est inter ea, ob quæ mandata sine clausula decernuntur.

DECISIO VII.

Cautione hypothecaria præstita reus de stupro inculpatus ex arresto dimittendus est.

DE stupro inculpatus cum arresto personali detentus cautionem sub hypotheca omnium bonorum, quæ non vilia in eo loco habere dicebatur, offerret, at non audiretur, de iniquitate conquerens admissus est ut rescriptum de relaxando impetraret. Etsi enim non tam facile rei sub cautione dimittuntur, quando jam sunt carcerati atque cum abeunt. Attamen non in alios is rigor est quam graviorum criminum reos. (1) Mitius agas in levioribus, (2) præsertim talibus ubi ad pœnam an Rei præsentes sint vel absint non multum interest, nempe ubi reus convictus aut confessus, tantum mulcta vel relegatione plectendus esset, (3) nec si negaret torturæ subjiciendus, (4) sed tantum purgatorio juramento innocentia defendenda, aut effugienti pœna illa irroganda: (5) Quod in simplici stupro sic statuendum est. (6) Nec opus est fidejussoribus, sed reus defungi potest hypothecaria cautione, cum bona immobilia in eo loco possidet. (7) Ideo decretum *die* 13. *Februar. Anno* 1655.

1. Circa cautionis admissionem in praxi hoc discrimen servamus, & quam facile reus absens conductum impetrat, ut cum comparuerit, vindictæ justæ locus aperiatur, tam difficulter dimittitur, cum est in carcere ne vindictam evadat, *de quo vide plura apud Carpzov. in Practic. Crimin. quæst.* 112. *num.* 32. *& seq. & num.* 43.

2. *Hæc distinctio habetur in l.* 3. *ff. de Custod. Reor.*

3. *Damhoud. in Prax. rer. Crimin. cap.* 19. *num.* 5. *cap.* 20. *num.* 1. *Jul. Clar. in Pract. lib.* 5. *§. ult. q.* 86. *num.* 7. *Menoch. de A. I. Q. lib.* 2. *cas.* 503. *num.* 3.

4. Huic in levioribus criminibus ob quæ pœna corporis afflictiva non decernitur, locus non est, *ut rationabiles Jurium opinio & fori praxis statuit atque servat.*

5. Qui purgare se tenetur per juramentum, si id detrectat, ponitur ut reus confessus.

6. Stupri simplicis pœna olim severior fuit, *per §. item lex Julia* 4. *Inst. de Publ. Jud. l.* 1. *§ qui precio* 2. *ff. de extraord. Crimin.* quam hodie

ubi

Digitized by Google

ubi arbitraria est, sed arbitrium ad corporis afflictionem se non extendit.

7. Sic observat hodie praxis, de qua etiam testatur Carpzov. *dict. part. 3. quæst. 112.*

DECISIO VIII.

In carceratio rei etiam in notorio crimine non facienda, nisi idonèe cavente accusatore.

OB injuriam valde atrocem petitâ incarceratione rei sequi visum, quod lex & mos habet de cautione accusatoris, quam de indemnitate præstare judici oportet, antequam illa impetratur. (1) Nec quidquam morabatur criminis ex actis notorietas ideo meriti qua reum certitudo. (2) Variat quidem hæc cautionis formulam, cautionem non remittit. Non enim ideo saltem cavendum judici incarceranti, ut si per accusatorem ad eam irrogationem inductus, deinde forte de injuriâ carceris convenietur, parata ipsi sit defensio & indemnitas, quo cessante vel plane non metuendo supervacua videri posset cautio, sed etiam ut accusationem persequatur, ut sumptus processui, alimenta carcerato porrigat, ut de incidentibus judicium sit securum. (3) Ita existimatum *in causa des Appellation-Raths H.C. von Sternbach, contra Johann. Nason, die 6. Martii Anno* 1655.

1. *Vid. Constit. Criminal. Caroli 5. artic. 12. in pr.* substantialem processus criminalis partem hanc cautionem vocat Carpzov. *in Pract. crimin. pare. 3. quæst. 106. num. 39.*

2. *Vid. dict. constit. Crim. artic. 13. verb.* So der Thäter der That ohne Leugnen wäre / *artic. 15.*

3. *Hac comprehendit formula cautionis in illum speciem, de quâ hic agitur præscripta in dict. Constit. Criminal. artic. 15.*

DECISIO IX.

Magistratus vel præfectus loci de fugitivo rustico non tenetur, ubi solita custodiâ incluſit.

HOc omnium magistratuum & potestatum officium lex fecit, ut in fugitivis servis inquirendis & reddendis persequentes adjuvent. (1) Præsertim vero incumbit diligens custodia ne evadant. (2) In quo negligentia luitur condemnatione ad refundendum precium seu ad faciendum ut reddi possit. (3) Quando autem non magistratus seu qui ejus vice fungitur præfectus, sed minister vel apparitor istius, cui custodia concredita est sua desidiâ vel incuriâ effecit, ut rusticus è custodiâ elaberetur, is saltem eo nomine tenetur & punitur. (4) Haud vero ipsius dominus seu superior, si nihil in eo sit ex ipsius culpâ. (5) Extrà illam verò, esse censetur, cum iis hominibus committit vel in eo loco custodit, quibus & in quo custodiæ rei dari solent. (6) De quo prius inquirendum, antequam de restituendo aut rustico aut precio mandatum decernitur. (7) Ita decretum *in causa Obrist Helmuth von Plessen, contra den Amptmann Zu Neukloster Heinrich Hertzog, die 3. Aprilis Anno* 1655.

1. *l. 1. pr. ff. de Fugitiv.*

2. *d. l. 1. §. 4. verb. merito monentur magistratus eos diligenter custodire ne evadant.*

3. *l. fin. §. fin. ff. de Custod. Reor.*

4. Ad quod tempus aliquod indulgeri solet, *d. l. fin. § fin.*

5. Hic idem castigandi ordo modusque servandus est qui constitutus contra custodes reorum criminalium, *in l. carceri 8. l. milites 12. l. fin. §. 2. ff. de Custod. reor.*, ubi etiam in hac *l. fin. 4. §. fin.* illi qui negligenter custodiunt, ad precium, si facultates habent, obstringuntur.

6. Domini non tenentur ex factis ministrorum nisi in ea voluntas aut circa ea culpa quædam illorum accesserit, veluti cum in ministeriis eligendis fuerunt negligentes, *l. si servus 27. §. si fornicarius 9. ff. ad L. Aquil.*

7. Consueta faciens, culpæ reus non est, nec tenetur de damno dato. *l. qui foveas 28. pr. ff. ad L. Aquil.* inde exceptio Solitorum in talibus liberat.

DECISIO X.

Carcer nisi necessarius reo à judice remitti, & in arrestum ex justa ratione converti potest.

COntra injuriantem actor petebat carcerem reo infligi, atque ut ex vinculis respondere cogeretur. Injuriæ qualitas istum mereri videbatur, (1) causæ tamen erant, cur præstare videretur reum extra vincula & carcerem adhuc linqui. Quæstio inde, quid conveniret judici? In quo discernendum est, utrum de jure carcere erat necessarius nec ne. Cum per legem vel consuetudinem reos carcerari necessarium est, non potest nisi volente actore seu accusatore per judicem ejus fieri remissio. Cum secus iste fecerit, obnoxium se

Digitized by Google

reddet litemque suam faciet. (2) Siquidem talis species occurrit, quando non est ex certo jure carcerandi necessitas, utique uti relicta est ejus facultas judicis arbitrio, (3) ita cum justa remittendi causa est, & arresto tantum detinendi, non potest conqueri actor, præsertim cum nihil aut parum interest reum custodiri, aut non fugere, (4) veluti non afflictivam corporis pœnam vel non meretur facinus, vel sustinere non debet reus. (5) Exempli gratiâ, si reus criminis convictus tantum relegandus, vel carcere plectendus erit. (6) Sic concluſum *in causa Dn. C. à Sternbach contra Joh. Nassonem, die 1. Junii Anno 1655.*

1. Non habet dubium, injuriantem posse incarcerari, ubi injuria ita comparata est, quod pœnam corporis afflictivam meretur, ita praxis servat.

2. Negando custodiam magistratus ubi debet, litem suam facit, & accusatori ad id quod interest, justa impetrasse tenetur. *l. fin. ib. Castrens. ff. de Custod. reor.*

3. *l. 1. ff. de Custod. reor. Clar. lib. 5. sent. §. ult. quæst. 28. num. 2. ubi ait materiam capturæ judici esse arbitrariam.*

4. Injusta est petitio carceris, ubi petentis nihil interest. *l. in hac §. Ibid. 11. ff. ad Exhib.*

5. In his tantum incarcerationi locum esse ratio dictat, JCtorum opinio communis asserit, praxis servat, *Clarus in d. §. ult. quæst. 28. num. 1. Carpzov. in Pract. Crim. part. 3 q 111. num. 7. seq. ubi quasdam exceptiones reperies.*

6. Etiamsi enim reus aufugerit & carcerem evaserit, tamen ex relegatione adversus absentem est remedium.

DECISIO XI.

Alimenta debentur arrestato, cum ipsemet se alendi mediis caret, non tamen alia quàm necessaria, ut & pro ipso tantum, non pro uxore & liberis.

QUemadmodum carceratis alimenta debentur, (1) ita etiam ob crimen arrestatis. (2) Verum non aliter quam si ipsi non habent, unde se alant, (3) quibus aliàs ex sua copia victus sumendus est. Nec enim merentur delinquentes, ut ab aliis alantur. (4) Deinde cum alendi sunt, haud capiunt, quam necessaria, eaque non ut aliàs semet sustentare consueverunt, sed ut quam minimo victitare licet. (5) Tandem non nisi personæ arrestatæ ista præstantur, minimè uxori & liberis, haud attento (6) quod arrestata est persona vagabunda, cujus uxor ac liberi simul circumvagari solent, nec alium nisi ex mendicationibus mariti & patris victum habent. Sic definitum *in causa Dn. C. à Sternbach, contra Joh. Nassonen, die 7. Junii Anno 1655.*

1. Vulgare est hoc, ut qui aliquem incarcerari efficiunt, iidem sumptus alimoniæ præstent. *Ordin. Crim. CAROL. V. artic. 176.* quo nomine accusatores qui incarcerationem petunt, priusquam impetrant, cautionem præstare adigantur.

2. *Coler. de Process. Execut. part. 1. cap. 2. num. 87. & seq.* Arrestum carceris species est, *Hering. de Fidejussorib. cap. 19. num. 170.*

3. Nec enim incarcerati aliter alendi sunt, quàm si non habent, unde se alant, *l. quemadmodum §. si magistratus ff. ad L. Aquil. Paris. de Pet. in tr. de Syndic. tit. de Carcerib. cap. 4. num. 2.*

4. Delictum lucro cuiquam esse haud debet.

5. *Fab. in Cod. lib. 9. tit. 4. defin. 1. pr.* Nec enim delicti reus gaudere debet abundantiâ, aut cui ad actionem causam præbet supervacuo sumptu onerari. *arg. l. si fidejussor §. si necessaria ff. qui satisd. cog.*

6. Familiæ ut nihil commune est cum reatu & iis quæ hujus causa fiunt, ita nec commodo inde frui debent.

DECISIO XII.

Quantitas alimentorum incarcerato vel arrestato præstanda.

QUod accusatoribus incumbit onus alendi incarceratos atque arrestatos, judex moderare debet, ut superfluis isti non onerentur, sed ad minimum sumptus redigantur. (1) Quod non tantum in ordinatione Criminali Caroli V. cautum, & ad providentiam cuivis magistratui injunctum, sed etiam additum, quod hujus arbitrium septem cruciatos excedere non debet. (2) Utut verò tempore quo lex illa condita hæc quantitas alimoniæ sufficerit; attamen excussis quæ ad necessitatem victus spectant, sub annonæ graviori caritate hodie inde minimè comparari potest. Quocirca permittendum non modo sed necessarium est judici, eam summam augere eò usque, ut sufficiens sit pro alimentis, & cum impossibile visum reum per diem vilius posse victitare octo solidos Lubecanos assignare placuit. Uti arbitrati sumus *in causa Dn. C. de Sternbach, contra Joh. Nassonem, die 6. Julii Anno 1655.*

1. *Vid. Fab. in Cod. lib. 9. tit. 4. defin. 4. in pr.*

2. *Art. 204. verb.* Eine jede Obrigkeit soll jeme Ueb und gleichmässige Ordnung machen / daß dadurch niemand beschwehret werde.

Digitized by Google

3. d. art. 204. verb. Soll sonderlich ein Anklager für eines Beklagten Azung und Wartegeld dem Büttel Tag und Nacht über sieben Creutzer nicht geben.

DECISIO XIII.

Magistratus custoditum sub cautione actore non audito dimittens, tenetur respondere nec ad fidejussorem remittens auditur.

QUando oblata à reo cautione at post auditum super eo actorem, & ab hoc recusata super illa admittenda interloquitur atque ex sententia cautionem admittens reum custodia relaxat, idem est; atque si pars admisisset, (1) ideoque imposterum, cum reus non sistitur, non tenetur & convenitur magistratus seu judex reum dimittens, sed fidejussor. (2) Secus verò res se habet, quando magistratus vel judex propria autoritate non audito actore sine causæ cognitione & sententia reum dimittit, tunc enim non liberatur mentione fidejussoris, nec impetrare potest, ut actor hunc conveniat, sed ipsemet de facta dimissione respondere tenetur. (3) Salva tamen ipsi contra fidejussorem actione, (4) uti judicatum *in causa Rittmeister Heinrich Sperlings, contra Senatum WIsmariensem die 4. Februar. Anno 1660.*

1. In talibus, quæ judici circa causas controversas per officii rationem atque potestatem licent, utimur ea regula quod factum judicis est factum partis *Tiraquell. de Retract. lignag. §. 1. gloss. 4. num. 13. seq. Cravett. consil. 5. num. 1.*

2. Pertinet hoc ad officium judicis, ubi reus semet sub satisdatione relaxare petit, actor negat, super eo audita utraque parte quod juri convenit statuere *l. 7. §. ult. l. 8 pr. ff. qui satisd. cog.* & si in eo quicquam Judex perperam fecerit, appellare licebit *l. arbitrio ff. qui satisd. cog. l. ult. ff. à quib. appellar. lic.*

3. Magistratus vel judex in recipienda rei cautione perperam & sine juris ordine, nec satis circumspecte versatus parti, cum suis exceptionibus tenetur ad damnum & interesse *l. fin. ibique DD. C. de Magistr. conven. Hering. de Fidejussorib. tit. 8. n. 26.*

4. Fidejussor qui semet non obstrinxit parti sed judici non illi sed huic tenetur.

DECISIO XIV.

Lite super remissione rei exorta custodia ejus injungenda est judici apud quem reperitur.

SOlarium atque gaudium reorum ex eo quo inter judices de jurisdictione contendetur iniquum nec indulgendum est, (1) sed quomodo reipubl. multum interest delicta ideo non esse impunita, (2) ita etiam curandum ut in reos nihilominus animadvertatur. (3) Quod si prolixa nimis futura, est ea controversia, nec ea pendente aut de possessione vel quasi jurisdictionis constat, aut citior atque commodior judicii ratio, superiori vacat hoc salvo utriusque jure sumere, velut ex sequestratione. Ubi autem summario processu facilis est decisio, illa præmittenda, interea vero providendum, ne elabatur reus, & inde judicium deinde fiat elusorium. Idem statuendum quando de remittendo ad judicium reo exoritur quæstio, inter ea quidem superioris non est sibi sumere judicium, nisi periculum in mora sit. (5) Attamen hoc officio ejus incumbit ut effugiendi occasio reo dematur: (6) Quod fieri potest & debet mandato ad judicem sub quo reperitur (7) ut sine mora vel carceri includat, vel si tale delictum est, ut cautioni committi queat sufficienti cautione de judicio sisti caveat. (8) *In causa Senatus der alten Stadt Verden vvider Franciscum Möllern die 10. Decemb. Anno 1662.*

1. Inter incommoda controversiarum de jurisdictione hodie variarum & difficilium hoc non postremum querimur, quod dum quis judicare debet, contenditur, justitia negligitur, reipul. cura quæ est in hujus administratione, quiescit, delicta manent impunita.

2. *l. ita vulneratus 51. §. fin ff. ad L. Aquil.*

3. Hoc ad curam magistratus superioris pertinet, ne apud inferiores crimina relinquantur impunita, adeo, ut si ea pœnis afficere negligant, ipsum deceat jurisdictionem mandato excitare; Post hoc neglectum jus est tam avocandi causam quam amissione neglectæ jurisdictionis plectere judicem.

4. Præprimis à judice spectandum ut rei fida custodia comprehendantur *l. 1. C. de custod. reor.*

5. Ob hoc receditur à regulis juris communis.

6. Quanti in hoc sollicitudo judicantium atque magistratuum esse debeat ostenditur in *tit. ff. & C. de custod. reorum.*

7. Etsi enim judex petitam remissionem rei facere non tenetur, hoc tamen ipsi incumbit, ut justitiam administret & faciat ne delicta maneant impunita *Vultej. ad tit. C. ubi de crimin. agi oport. Clar. sent. part. 5. q. 38.*

8. De hoc pro qualitate personarum & delictorum statuendum est *l. 1. ff. de custod. reor.*

DECISIO XV.

Remissio rei fugitivi vel carcere exempti postquam judicium cœpit, debetur judici petenti.

REmissionis reorum necessitas olim constituta, (1) hodie quidem generali pene orbis præsertim Germaniæ consuetudine, post mutatam jurisdictionis formam sublata est, (2) at non perinde in illa specie, quando judex reum jam carceri incluserat atque judicium cœperat; isque in id verbo vel facto nempe de judicio sisti cautionem offerens consensit: Exinde jam obstrictus est judicio, unde se illud effugit, vel ab illo per aliquem eximitur, est judici adversus illum jam arctior potestas & jus ad repetendum potentius. (3) Tantum referet utrum qui aufugit subditus illius sit nec ne. Subditum suum remittendi non est ea obligatio sicut nec petendi jus tantum, ut remittendi necessitas oriatur. (4) At qua subditum ejus qui repetit est naturalis ille nexus, ut quod quisque sibi factum velit, idem & aliis faciat: Accedit civilis, ut alienam jurisdictionem quisque adjuvet. (5) Poscit communis regula ut ubi cœptum est judicium, ibi finiatur. Inter eos qui diversæ sunt provinciæ urbanitati quidem & hoc ipsum tribuitur, sed quæ magis quam in alio casu cum nondum reus fuit captus nec judicium cœptum debetur. At in eadem provincia pro communi omnium judicum studio ut justa fiant & justo ordine, tam superioribus quam inferioribus incumbit facere quo nihil impedimenti cuiquam creditur. Quare à decreto remissionem negante factam appellationem inter illas circumstantias recipere dubitatum non fuit, quo etiam parum juste fieri crederetur, quod negando illam juris ordo perverteretur, & judici cujus forum non modo competens erat, sed coram quo judicium cœptum, injuria fieri videretur. Ita consideratum *in causa Senatus der alten Stadt Verden wvider Franciscum Mollern die* 10. *Decemb. Anno* 1662.

1. Juris veteris vestigia multa in corpore legum Rom. reperis *l. capitalium* 28. §. *facinorosos* 15 *ff. de pœn. l. si cui* 7. §. *idem Imp. 4. l. fin. ff. de accusat. Novel.* 60. *c.* 1. *Novel.* 134. *c.* 5.

2. De communi orbis consuetudine testatur *Covarruv. Pract. quæst.* 11. *n.* 14. *de Germania Gail.* 1. *de pac. publ. c.* 16. *num.* 10. *VVesenbec. in Parat. ff. de requir. reis.*

3. *Arg. l si quis postea* 7. *ff. de judic. l. pen. ff. de petit. hared.* ex jure prævention is hoc deducitur, ut reum semel citatum, multo magis si arrestatus, deinde abeuntem judex persequi possit, quatenus sine violatione territorii alieni fieri potest.

4. Ratio diversitatis est quod in foro delicti non sortitur, quis forum ultra quam si in eo reperitur *l.* 1. *C. ubi de crimin. agi oport.* desinens ex fuga fori competentia desinere necessitatem remittendi.

5. Unus judex in subsidium jurisdictionis rogatus tenetur alterius decreta exequi *c.* 1. *ibi Gloss. & Dd. de offic. ordinar. l. à Divo* §. *sententiam ff. de re judic.* & quidem adversus delinquentem mutua decent auxilia *l. si quis latrones* 2. *C. de his qui latron.* Et cum in civilibus, quatenus jurisdictio fundata est, citationes eum effectum habeant, ut subditum quoque suum magistratus jubeat ire ad aliud judicium *Coler. de proces. executiv. part.* 3. *cap.* 7. *num.* 35. quare non in criminalibus non subditos suos ad judicium redire jubebunt & facient, ne judicium elusorium fiat. *l. si prater ff. de judic.*

TIT. V.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. VI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. VII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. VIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. IX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. X.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XII.

Digitized by Google

TIT. XII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XIV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XVI.

AD LEGEM CORNELIAM DE Sicariis.

DECISIO I.

Ordinaria homicidii pœna non irrogatur, cum vulnus lethale fuisse non constat.

ETsi ab alio vulneratus mortuus sit, quâ ordinariam tamen pœnam vulnerans non habetur mortis reus, nisi vulnus est lethale. (1) Illi enim locus non est, nisi constet de homicidio, velut de corpore delicti, (2) nempe defunctum à reo esse occisum. Quod ubi certum non est, vulnerator subsecuta licet morte, homicida non dicitur. (3) Per remedii neglectum aut incuriam chirurgorum, per symptomata vel vulnerati diætam noxam pluribusque aliis causis modisque fit, ut intereat vulneratus, attamen non ex ipso vulnere. (4) Non sufficit hoc, occasionem fuisse mortis, sed oportet esse veram & immediatam causam, (5) qualis dici non potest, nisi hoc fuerit lethale idque aperte doceatur. Re de eo dubia præsumitur potius mortuus alia ex causa, quam ex vulnere solo interiisse. (6) Ideo pœna ordinaria non decernitur, sed vulnerationis factum æstimatur & punitur. (7) Uti judicatum *in processu inquisitorio contra Hans Meyern, die 6. Martii Anno* 1660.

1. *Damhoud. Prax. crimin. cap. 75. n. 1. Gomez 3. var. resolut. cap. 3. n. 28. seq.*

2. Ut in aliis criminibus, ita in homicidio ante omnia corpus delicti oportet esse certum *Mynsing. Cent. 3. observ. 81.*

3. Non est homicida, qui non occidit. Non occidit qui non vulnerat mortaliter *l. qui occidit. 30. §. fin. ff. ad L. Aquil.*

4. *l. si ex plagis 52. pr. ff dict. tit.*

5. Occidit qui causam mortis præbet *l. nihil interest ff. ad L. Cornel. de Sicar.* nempe si factum est sola & immediata causa, non si occasionaliter tantum & per accidens. Quæ consequuntur non ex ipso facto tanquam unica causa, sed accessoriè, non imputantur facinori. *Covarruv. de Homicid. relect. part. 2. §. 1. n. 1.*

6. In dubio præsertim in pœnalibus sequimur quod mitius & ad absolvendum proclivius *l. absentem 5. ff. de Pœn.*

7. *vid. ordinat. Criminal. artic. 147. & 148. Gaudin. in tit. de Homicid. num. 24.*

DECISIO II.

Pœna vulnerationis justa.

DE vulnere injuriarum actione experiri licet non modo civiliter, sed etiam criminaliter, (1) at præterea, si quid criminis publici inest vulnerationi, officio judicis castigatur, veluti si hominem graviter atque atrociter lædit, multo magis si necis occasio est. (2) Pro animi factique & damni qualitate arbitrium judicis definit pœnam. Amputatio manus, vel fustigatio cum perpetua relegatione decerni solet. (3) Hæc placuit in ea specie, quando quis alium quatuor gravibus vulneribus & quidem duobus jam jacentem adfecerat, isque postea mortuus sit. (4) Etsi dubium erat utrum vulnus mortis causa fuerat, quia occasio est, præter atrocitatem facti illud meretur corporis afflictivam eamque graviorem pœnam, *sicut ea irrogata eidem.*

1. *§. in summa 10. Inst. de injur. VVesenbec. in Paratit. ff. de injur.*

2. *vid. Ord. crimin. Carol. V. c. 147. & seq.*

3. *De eo vid. Carpzov. in pract. Criminal. part. 1. quæst. 26. n. 18.*

4. Concurrunt hic tria, quæ atrocem & duriori pœna dignam faciunt vulnerationem, malignitas animi, atrocitas facti, magnitudo damni.

Digitized by Google

Hæc singula multo magis concurrentia merentur ob injurias pœnam corporis afflictivam *Wesenbec. in Paratit. d. l. n. 14. Boss. in Pract. Criminal. tit. de Injur. n. 1.*

DECISIO III.

Aggressio etiam fugere valentem liberat à pœna ordinaria.

HOmicidium aliudque delictum non punitur ordinaria præsertim mortis pœna, nisi sit dolosum. (1) Quicquid igitur doli præsumptionem excludit, seu à dolo alienum est, liberat ab ista. (2) Eo intelligitur carere ab alio insultatus. (3) Ideo si vulnerat vel occidit aggressorem tali pœnæ non fit obnoxius, nisi constet de maligno occidendi proposito; (4) Nec aliud dicendum, si insultatus fugere potuerit, & non fugit, seu non devitat fuga cædem. (5) Etsi enim hic non aliter penitus impunis sit, quam ubi sine periculo vitæ, corporis aut honoris fugere nequit, (6) mitiori tamen pœna plectitur, si cum commode fugere potuit, non fugit. (7) Liberat eum ab ordinaria pœna tum aggressoris factum, (8) tum suus à dolo sub invasione istius alienus animus, (9) tum ira & dolor ex aggressione non plane injusta, (10) per hunc occidens excedit quidem moderamen inculpatæ tutelæ, attamen mortis supplicio non afficitur, sed arbitrarie pro qualitate facti puniendus est. *In eadem causa.*

1. *l. 1. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. qui injuria ff. de furt. l. quod Respubl. ff. de Injur.* Animus in delictis inspicitur, non exitus præsertim in crimine homicidii. *l. 1. §. Divus Adrianus ff. ad L. Cornel. de Sicar.*

2. Solus dolus meretur pœnam ordinariam non culpa etiamsi vel lata sit *Bartol. in l. quod Nerva num. 20. ff. depositi. Salycet. in l. 1. n. 6. C. ad L. Cornel. de Sicar.* Ideo nec in homicidio lata culpa æquiparatur dolo *l. in Lege Cornelia ibi Hippol. de Marsil. & alii Dd. ff. ad L. Cornel. de Sicar.*

3. Insultatus se defendit ideo versatur in licitis nec in illo peccare intelligitur *l. ut vim 3. ff. de justit. & jur. l. 1. §. vim. vi ff. de vi & vi armat. l. itaque 4. l. sed etsi 5. l. scientiam 45. §. qui cum aliter ff. ad L. Aquil. l. 1. C. unde vi. l. 2. l. seq. C. ad L. Corn. de Sicar.*

4. Quemadmodum ubi non constat de aggressione aut defensionis aliqua necessitate dolus in homicidio semper præsumitur *l. si non 5. C. de Injur. Boss. in tract. de Homicid. num. 44.* ita cum aggressio apparet excessus defensionis sine dolo esse creditur, donec aliud apparet. Ih provocato non præsumitur dolus, aut occidendi animus *Jason. in l. ut vim. n. 11. ff. de just. & jur.*

5. *Vid. Carpzov. in Pract. Criminal. part. 1. quæst. 30. num. 64.*

6. *Ordinat. Crim. Carol. V. art. 140. & 141. l. 3. ad L. Cornel. de Sicar.*

7. Aggressor autor facti est *l. 4. C. de Serv. fug. l. 20. de fur.* & faber suæ fortunæ magisque sua culpa se occidere quam ab alio occidi intelligitur *l. 11. ff. ad L. Aquil.* cui ideo id imputandum *l. nemo 151. ff. de Reg. jur. Gail. lib. 1. de Pac. Publ. cap. 16. n. 17.*

8. In animo per insultationem alterius & suam iram perturbato malum tam cessat propositum, quam deficit rectum judicium. *Gail. 2. observ. 110. n. 16.*

9. Justus dolor factum relevat *l. Gracchus C. ad L. Corn. de Sicar.* Difficilimum est justum dolorem temperare, ideo pœna mitiganda est *l. si adulterium 38. §. Imp. Marcus ff. ad L. Jul. de Adulter.* ignoscendum ideo ei, qui se voluit ulcisci provocatus *l. qui cum §. si libertus ff. de bon. libert.*

10. Pœna ordinaria ob excessum moderaminis.

DECISIO IV.

E duobus qui in rixa fuerant cum aliquis occidebatur, quis pro reo habendus, ideo in carcere detinendus.

QUando duo cum milite in rixam inciderant, hoc occiso utroque illo incarcerato alter relaxationem carceris petebat, quod se innocentem diceret, & cum per sententiam judicis ista adhuc denegaretur, appellabat. Non constabat aut utrumque illum lethaliter vulnerasse aut non lethaliter, sed ut ex utroque vulnere mortuus esset. At duplex quidem vulnus occiso inflictum, alterum tantum ex judicio Medici & Chirurgi lethale erat, ideo non conveniebat utrumque in carcere detineri, cum unus tantum homicidii reus esset. Quis autem pro eo reputandus dubitatione non carebat. Si utrinque paria oneraissent indicia, statuendum foret, neutrum dimittendum esse, donec innocentia alterutrius manifestaretur. At cum illa sunt dissimilia, qui minoribus oneratur, pro innocente habendus erit, modo adhibita omni diligentia graviora non poterunt conquiri vel inveniri. In ea quæ tractabatur causa inæqualia valde erant indicia, & quidem talia, per quæ verosimiliter istius reatus inferebatur, veluti quod iste aggressor & autor rixæ per testimonia proferebatur, (1) quod gladius ejus sanguine pollutus vilus erat, (2) quod occisus illum ut sui occisorem inter ultima vitæ inculpaverat (3) quod ensis istius vulneri, imo utrique lethali, magis

accom-

Digitized by Google

accommodus erat, uti ex judicio Medici & Chirurgi tanquam peritorum protocollum ſonabat, (4) quod inter reſponſiones tum ad articulos interrogatus, tum in confrontatione reperitur vagus (5) nec non titubans & trepidans, (6) quod unum ſe intuliſſe vulnus confeſſus eſt, etſi vero de altero eoque lethali negavit, tamen Medicus & Chirurgus ab eodem per eundem enſem utrumque illatum judicabant, (7) quod & illi dicebant ſtetiſſe lethaliter vulnerantem à ſiniſtro latere, eumque ſuum poſitum alter reus concedebat. Contra alterum incarceratum non modo nihil talium erat indiciorum, ſed etiam meliores præſumptiones pro eo. Unicum illud tantum gravari videbatur, quod negabat ſe gladium evaginaſſe, quem tamen evaginatum tenuiſſe defunctus dicebat. At quia non de ſe per eum vulnerato quicquam addidit, parum momenti habuit. Non dubitatum itaque hunc præſtita cautione de ſe ſiſtendo quoties in jus vocabitur è carcere dimittendum eſſe. (8) Sicque decretum *ad preces Capellen die 7. Septembr. Anno* 1660.

1. Pro hoc ſemper mala præſumptio capitur & quidem ſpeciatim etiam talis quod inſecuti homicidii reus ſit, tanquam qui malo animo rixam accipiens illud intenderit & procuraverit *Gail. 2. obſerv.* 109. *n.* 3. *Zang. de tortur. c.* 2. *n.* 161. *Carpzov. pract. crimin. part.* 3. *queſt.* 122. *num.* 11.

2. *Hoc inter graviora indicia homicidii retulit ordin. Crimin. Caroli V. art* 34. *vid. Menoch. lib.* 1. *præſ.* 89. *n.* 117. *ſeq.*

3. *Ordin. crimin. art.* 25. *Carpz. d. part.* 3. *queſt.* 120. *num.* 50. *ſeq. ubi hujus indicii requiſita & effectum plene exponit.*

4. Inter graviora homicidii indicia refertur & obſervatur *à Carpzov. dict. part.* 3. *queſt.* 122. *num.* 14.

5. Variatio inter indicia habetur ac judicis arbitrio ejus æſtimatio qua effectum relinquitur *Menoch. d. præſ.* 89. *num.* 70. *Zang. d.* 2 *n.* 100.

6. Ex titubatione animi atque trepidatione indicium ſumitur *Menoch. d. præſ.* 89. *n.* 71.

7. Horum judicio in talibus multum tribuitur.

8. Cum pro aliquo majora innocentiæ quam reatus argumenta ſunt, tunc relaxatio carceris ſub cautione conceditur. *Zilet. conſ. crim.* 17. *num.* 24. *vol.* 4. multo magis ubi nulla alia quam quod in rixa ſimul fuit, alterum magna onerant.

DECISIO V.

Caſuale homicidium impune eſt, nec civiliter de eo agi poteſt.

UBi caſu homo interit, etſi manu vel facto alieno; ceſſat tam pœna (1) quam de damno actio. (2) Nec enim huic locus eſt, niſi ob culpam. Ex leviſſimâ quidem culpâ actioni L. Aquiliæ etiam locus ſit; (3) at non ſi nec illa apparet. (4) Quocirca quod per æquitatem ſolatium ob amiſſos liberos parentibus tribui alibi putavimus, in ea ſpecie ubi ex mero caſu filius interiit, locum non habet. (5) Sicut *una cauſa fuit, cur reſciceretur pro eo petitio militis, die* 29. *Novembr. Anno* 1653.

1. *l.* 1. §. 3. *in fin. ff. ad L. Corn. de Sicar. l.* 1. *l.* 5. *C. eod.*

2. Ob caſum fortuitum ceſſat L. Aquiliæ actio §. *item ſi putator* 5. *Inſt.* & *l.* 31. *l.* 51. *in fin. ff. ad L. Aquil.*

3. *l. in lege* 44. *pr. ff. eod.*

4. Culpæ probatio neceſſaria eſt.

5. Hoc de Wergeldo Saxonico pulchre explicat *Carpzov. in Pract. Criminal. part* 1. *q.* 27. *num.* 51. & *mult. ſequentib.* A quo ad id ſolatium, de quo hic agitur, argumentum congruum eſt.

DECISIO VI.

Extra culpam eſt puerum in platea ſuper vellendo occidere, cum exclamando præmonuit.

CUm aurigâ per plateam vehem frumenti ducente puer captando ariſtas ſub currum recidens deciſus eſſet, de iſtius pœna ſtatuendum fuit ex ipſius culpa. (1) Hæc vero cenſenda ex neglectu ejus, quod facere oportuit. (2) Ex actis autem aliquid neglectum fuiſſe non apparuit. Verſatus eſt in licitis, qui per plateam vehem frumenti duxit. (3) Deinde per unum teſtem aſſeritur, illum exclamaſſe, ut puer ſecederet. Etſi vero non exclamaſſet, nihil tamen imputari potuiſſet ei, qui ab omnibus videri & caveri potuit, ideo credere etiam, neminem ſub currum deventurum. (4) Non facit culpæ reum, quod viſo puero currum non ſtitit, donec ille diſcederet, tum quod ad id poſt exclamationem obligatus non fuit. (5) tum quod puerum admonitum ſeceſſiſſe cogitare potuit, (6) tum quod ſecedendi ſpacium atque temporis ſatis adfuit. (7) Id conſideratum fuit *in eadem cauſa.*

1. *l. debitor.* 13. *ff. de Neg. geſt.*

2. Culpa abeſt, ubi fiunt, quæ diligens homo facturus fuit, *l. ſi merces* 25. §. *pen. ff. Locat.*

3. In licitis verſato accidens caſus non nocet, *l. ſed etſi* 5. §. *fin ff. ad L. Aquil.*

4. Exclamatio in talibus liberat à culpæ ſuſpicione, §. *ſi putator* 5. *Inſt. de L. Aquil.* & *putator* 31. *ff. eod.*

§. Obſer-

Digitized by Google

5. Observans quæ observare oportuit, extra culpam & periculum est, *l. cum postulassem 44. ff. de Damn. infect.* Si quid est, quod facere non tenebatur, ex eo omisso injusta est culpæ imputatio, *l. tutores ib. Castrens. num. 1. C. ne Negot. gest.*

6. Culpa caret ista faciens, ut non potuerit æstimare damnum exoriturum, *l. argentum 20. ff. Commod.*

7. Culpa sua quod quis sentit, damnum sentire non intelligitur, *l. quod quis 205. ff. de R. I.* si utrinque est aliqua, nocet ejus quæ fuit ultima & cuiui proximior, *l. si per emptorem ff. de Action. empt.*

TIT. XVII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XVIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XIX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIV.

DE FALSA MONETA.

DECISIO UNICA.

Qui improbam sed nondum improbatam monetam expendit, falsatæ ejus reus non est, tantum usurariæ pravitatis, si ex eâ lucrum quæsisse convincitur.

DE injuriâ processus querebatur & coram summo Tribunali operam implorabat de falsificatione monetæ inquisitus, quod multum injustæ monetæ in materiâ sua vitiosæ & minoris valoris in urbem importasset, expendisset & commutando meliorem monetam accepisset. Sunt quidem non tantum fabricantes sed etiam expendentes monetam falsam hujus falsatæ rei & ultimo ignis supplicio per constitutionem Carolinam digni judicati; at minime aliter in eo numero hi collocandi, quam primo, si moneta illa sit manifestè falsa & reproba; siquidem nummi quidem vitiosi sunt at non reprobi, hoc est non improbati sed in usu vulgari, haud dicendi sunt falsam monetam expendere, qui expendunt in loco usitatam. Usus quippe censor est & approbator monetæ (2) gravioris que culpæ rei sunt, qui vitiosam monetam in usum venire sinunt, quam qui post illum utuntur. (3) Deinde qui erogant, ita in illam pœnam incident, si dolosè id faciunt. (4) A dolo autem hac in re excusat tum ignorantia, modo sit justa & probabilis; (5) tum credulitas & persuasio monetam eo in loco non esse improbam, (6) quam facit non injustam usus monetæ publicus, qui inducit *approbationis factæ præsumptionem. Etsi vero* hoc præterea improbum est, si pro minore deteriore moneta graviorem recepit & lucrum ex tali commutatione quærit, (7) attamen non est crimen falsatæ monetæ sed saltem usurariæ pravitatis (8) quæ alio modo castiganda est. Haud vero puniri debet nisi prius confessus aut convictus reus. (9) à quo multum adhuc abfuit, ideo ad ea quæ executionis sunt, progredi iniquum visum. Inde mandatum decretum *fuit ad supplicationem Johannis Cünen, contra Burgermeister und Rath der Stadt Anckam, die 14. Septemb. Anno 1655.*

1. *Vid. Ordin. Criminal. Carol. V. artic. III. cujus rationem exponit Boer. in tract. de jur. monet. c. 5. num. 27.*

2. Ex hoc valent nummi bonique habentur, quia sunt in usu.

3. Hos error communis excusat, qui quoddam veluti jus facit *l. Barbarius 3. ff. de offic. Prætor.*

4. Sicut ea declaratio expressim habetur *in dict. artic. III. verb.* welche falsche Müntze auff Wechsel oder sonst zu sich bringen, und wiederum gefährlich und boßhafftiglich dem Nächsten zu Nachtheil wissentlich außgeben/ *Vid. Fabr. in Cod. lib. 9. tit. 15. defin. 2.*

5. *De quo vide plura apud Carpzovium in pract. Criminal. part. 1. quæst. 42. n. 148. seq.*

6. *Mascard. de Probat. conclus. 879. n. 54.*

7. Hoc est contra finem & verum usum pecuniæ quæ est medium commercii, merx autem fieri non debet, uti Aristoteles de eo censet.

8. Aby-

Digitized by Google

8. Abusus pecuniæ ad lucrum usuræ audit. *Abbas in c. fin. X. de Usur.* Hoc interest utrum quis pecuniâ, quæ non reprobata est, sed in usu ita uratur, ut lucrum ex commutatione quærat, an plane falsâ & reprobâ. Qui falsam scientes minori pretio comparant, ut majore in publicum tanquam bonam exponant, incautumque vulgus decipiunt, illi ob hoc commercium falsitatis atque improbitatis ordinaria pœna falsatæ monetæ plectantur. *Faber in Cod. dict. tit. 15. defin.*

9. *l. fin. C. de Execut. Rei Judic.*

Decreti hic fuit tenor. Auff Johann Cünen wider Burgermeister und Rath zu Ancklam übergebene Supplication wird das begehrte Mandatum noch zur Zeit nicht / sondern nöthig erkant / daß zuvor der Rath zu Ancklam mit der Appellation vernommen werde / demnach dann an denselben ein Befehl anzulassen / inwendig 4. Wochen die Appellation, dafern sie dieselbe zu prosequiren gemeynet / der Gebühr zu introduciren. Immittelst auch da sich befinden solte / daß Supplicanten Vorgeben uñ beygelegten Documenten nach / die eingeführte Münte bißhero gang und gebig / auch ohnverbotten / was von den Wette-Herren ohnfüglich vorgenommen wäre / daß des appellirens deßhalben nicht nöthig sey / abzuthun / ihm die abgenommene Güter alsfort zu restituiren / und in seiner Nahrung ihm nicht behindern / mit der Verwarnung / daß im Fall hernach erscheinen solte / daß die Münte bißhero nicht untüchtig gehalten und verbotten / oder auch zugeschwinde verfahren / wegen deß prætendirten attentati und zugefügten Schadens dieselbe ernstlich würden angesehen werden.

(Hoc est.) Ab Joannis Cunen contra Consules & Senatum in Anklam exhibitam supplicationem petitum mandatum nondum sed necessarium decernitur, quod prius senatus in Anklam ratione appellationis audiendus, inde eidem injungendum ut intra 4. septimanas appellationem, casu quo eam prosequi intenderent debite introducant, interea etiamsi constaret, quod juxta supplicantis allegata & adjuncta documenta moneta introducta hactenus in usu fuerit & non prohibita, illud quod à præpositis monetæ absque justa causa factum, quod propterea appellatio non sit necessaria, cessandum illi ablata pecunia consequenter restituenda & is in sua negotiatione non turbandus, cum hac commination, quod si postea appareret quod moneta hucusque non reproba æstimata & prohibita, vel etiam nimis præcipitanter processum fuerit, in eos ratione prætensi attentati & causati damni seriò animadversum iri.

TIT. XXV.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XXVI.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XXVII.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XXVIII.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIX.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XXX.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXI.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXII.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXIII.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXIV.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXV.

DE INJURIIS.

DECISIO I.

Testis ob dicta ad articulos de diffamatione vel injuriarum conveniri non debet.

TEstem postquam ad articulos interrogatus deposuit, tanquam diffamatorem ad probandam diffamationem sub perpetui silentii commination citari aut injuriarum conveniri valde incongruum est, (1) postquam ille ad testificandum accedit, nisi id faceret cogendus adeoque invitus. (2) Deinde à judice interrogatus respondet, (3) minime eo animo ut aliquem diffamet aut convicio afficiat, sed ut veritatem dicat. (4) Fa-

Digitized by Google

cit idem juratus. (5) Porro judici & judicio præstat officium quod ipsi damnosum evenire cum maxima iniquitate conjunctum foret. (6) Cum jura securitatem ei præstare debeant. (7) Multo vero absurdius foret eum qui testem fecit examinari ob dicta ipsum ut diffamatorem & injuriantem persequi velit. Modo tamen dicta testis intra articulorum & interrogatoriorum terminos consistunt. (8) Hoc tantum ei qui falso eloquio testem sibi gravem putat, integrum est ut falsi arguat & accuset. (9) *Ita negata est diffamationis pratensa causa citatio. Die* 11. *Januar. Anno* 1656.

1. *Ita tradit Harprecht. disp.* 15, *thes.* 15. *Mejer. in Colleg. Argentorat. lib.* 47. *tit* 20. *th.* 12. *num.* 34. *arg. l.* 15. §. 13. *ff. de Injur.*

2. *l.* 1. *ff de Testib.* Publicum munus testium est *Wesenb. consil.* 11, *num.* 16. à quo non nisi gravissima causa relevat. Quisque de veritate testificari cogitur, etiamsi vel juraverit, se non testaturum. *Speculat. de Teste* §. *Testium. Capell. Tholosan. dec.* 241.

3. Magistratus vel judicis Imperium & jussus excusat ab injuria. *l.* 13. §. 2. *ff. de injur. arg. l.* 4. *ff. de aq. & aq. pluv. arcend.*

4. Animus inspicitur ex quo quidque fit is discernit delicta. Non est injuria quod non fit injuria faciendæ causa. *l. si quis* 26. *t. pen. ff. de Injur.*

5. Ex eo præsumptio calumniæ cessat. *l. fin. C. ad l. Jul. repetund.*

6. *l.* 2. *ff. Testam. quemadm. aper.*

7. Cujus testimonium quis semel eligit, illum reprobare deinde nequit. *arg. l. liceat.* 12. *C. de Assessor. & Domestic. Absurdum* 7. *ff. de bon. libertor.*

8. Testium dicta extra articulos aut interrogationis tenorem non habentur testimonia.

9. *l. nullum.* 14. *in fin. C. de Testib. c.* 1. *X. de Crim. falsi.*

DECISIO II.

Injuriarum actioni locus relinquendus contra sponsum refractarium, dum de consummando matrimonio judex ex officio contendit.

SI de contractu matrimoniali res certa nondum foret, actioni injuriarum locus esse nequit pendente super eo lite, (1) dum sine promissionis certitudine non potest constare de injuria (2) At postquam votum connubiale inter contrahentes, utriusque partis confessione constat, contra refractarium sponsum isti actioni locus esse potest; (3) Nec tantum si de consummando non agatur, sed etiam dum pro isto per judicem contenditur. Etsi enim initio videantur esse contraria, ut matrimonium consummetur & ut ob non consummatum injuriæ reus pœnam solvat: (4) attamen vere non sunt, si respicis quomodo subordinentur. (5) Et tamen eundem effectum respiciunt. Ad idem quippe tendit utrumque remedium. Nam uti judex ad observantiam voti compellit, ita & pars ob refragationem vindictam injuriæ postulat. Nam si evadere velit refractarius, pœnitere aut pœnam exspectare opus habet. Cujusmodi remediorum conjunctio seu cumulatio licet. (6) Sicuti admisimus per decretum *in causa Brandani Eggebrechts & Annæ Hagenmeisters die* 12. *Februar. Anno* 1656.

1. Pertinet ad hanc speciem dispositio *l. si quidem* 10. *C. de injur. sicut etiam applicat Cothmann. resp.* 10. *num. fin. vol.* 1.

2. In dubio non præsumitur injuria *l. si non convitii C. de Injur.*

3. Non levis injuria est honestæ fœminæ nuptias post promissionem detrectare, quod est repudiare.

4. Quæ contraria remedia cumulationem admittere non solent *uti exponit Petr. Frider. Mindan. in tr. de contin. cansil.* 3 *c.* 10. *n.* 3.

5. Ejusmodi conjunctio remediorum frequens est licita, quæ per subordinationem fit. *Frider. Mindan. dict. c.* 10. *n.* 11.

6. Causarum vel actionum quæ cohærent cumulatio vel conjunctio ab iisdem in eodem libello fieri potest *l. heredes* 35. §. *de pluribus* §. *seq. ff. famil. ercis. l. si idem ff. de Jurisdict. l. non est novum ff. de action. empt.* Quid in diversis judiciis contendi à diversis permittendum erit?

DECISIO III.

Injuriarum condemnato quando remitti debeat infamia & quomodo.

EX jure constat injuriarum condemnatum fieri infamem, (1) nisi illæ leves & modicæ sint, (2) sub quarum numero non habentur reales, quæ duris verberibus libero homini præsertim publicæ personæ & Ecclesiasticæ seu ludi literarii in civitate Magistro inferuntur, ob quas cum reus ad deprecationem actori & fisco in mulctam sexcentorum aureorum Rhenensium condemnatus esset in sententia honoris reservatio. Quæ non tantum fieri consuevit, (3) sed & ex justa ratione debet, (4) quando injuria non est tanta, ut mereatur amissionem existimationis, quæ certe gravis est pœna, extremis suppliciis præsertim in viris honestis æquiparanda. (5) Nec enim temere irroganda est, sed à judice æstimanda prius qualitas & meritum injuriæ. Pro qua non est infligenda infamia si non dolo malo facta fuerit injuria. (6) Si causa aliqua accesserit unde animus irritatus ad injuriam prolapsus est; (7) si injuriarum condemnatus sit persona nobilis; (8) si miles, si pœna alias irrogata sit satis gravis & par delicto, (9) si ebrius, (10) deliquerit.

Quæ

Digitized by Google

Quæ cum omnia occurrerent in illa specie, dubitatum non fuit, remittendam esse illam infamiam, quam sententia continet, quod fit reservatione honoris. Ideo visum qua illum articulum appellationem esse admittendam, ita vero addendam sententiæ prioris instantiæ clausulam reservatoriam solitam, non tamen per modum correctionis prioris sententiæ, ex qua alias sequeretur irrogatam esse infamiam quæ adeo facile non aboletur, sed instar declarationis abolita licet infamia quidquam reliquum finit. *In causa Thomas à Gerstenberg contra Henricum Sobterum die* 19. *Martii Anno* 1658.

1. *l.* 1. *vers. injuriarum ff. de his qui not. infam. l. Lex Cornelia* 5. §. *si quis* 9. *l. Divus* 40. *l. judici* 42. *ff. de Injur.*

2. Ob modica, quæ non curat Prætor, actio famosa locum non habet. *l. si quis* 9. §. *ult. l. seq. ff. de dol. mal.*

3. *De consuetudine Cameræ Imperialis testatur Gail.* 1. *Observ.* 65. *n.* 5.

4. *Wesenbec. in Parat. ff. de his qui not. infam.*

5. Vita quippe & fama pari passu ambulant *l. justa* 9. *pr. ff. de Manum. Vindict.*

6. Dolus malus saltem infamat & quidem, si ex evidentibus argumentis appareat, *l. pen. C. de dol. mal.*

7. Inconsultus calor iracundiæ excusat.

8. Nobilium mitior pœna est. *c. fin. x. de Pœn. l. quamvis C. ad L. Jul. de Adult.*

9. Durior pœna imposita famam liberat. *l. quid ergo* 13. §. *gravior.* 7. *ff. de his qui not. infam.*

10. Ebrietas quidem non excusat à pœna, ut tamen per illam minus dolose delinquitur ita pœna mitigatur, *uti alibi inter decisa nostra docetur.*

DECISIO IV.

Reservatio honoris in secunda instantia non addenda prioris instantiæ condemnationis ob injurias, nisi audito adversario.

ETsi appellatio ob omissam in sententia de injuriis condemnatoria solitam clausulam honoris reservatoriam locum habet, & ubi ratio justa adest observanda est, attamen haud de ea statuendum vel pronunciandum nisi audito prius actore super causa ob quam ejus additamentum poscitur, quando in prima instantia ea de re actum non est, (1) quia & actori ex condemnatione pro vindicta quam intendit jus quæsitum sine causæ cognitione ipsoque audito non auferendum. (2) Satis causæ quidem judici apparere potest, cur reservatio addenda sit; at etiam ab altera parte quædam esse possunt quæ istam diluant, ideo refert, non nisi audita illa quidquam ejus rei decernere. (3) *In eadem causa.*

1. Quod si in prima de illa clausula adjungenda directo vel per obliquum actum fuerit, & judex satis ex solis actis deprehendere possit, istiusmet æquitatem, potest statim super illa pronunciare.

2. Judex pœnam semel irrogatam mutare non potest nisi ex causa legitima; de hac vero statuere non debet, nisi cum exacta causæ cognitione *l. perspiciendum* 11. §. 1. *seq. ff. de Pœn.*

3. *arg. l. de unoquoque* 47. *ff. de re judic.*

DECISIO V.

Deprecatio injuriæ pœna non est, sed cum hac in petitione & condemnatione rectè cumulatur.

APpellans eo nomine se gravatum querebatur quod per sententiam ipsi injuncta erat deprecatio & juxtim gravis mulcta putabat ideo duplicem pœnam contra æquitatis rationem, (1) sibi irrogatam aut civilem atque criminalem injuriarum actionem contra juris rationem cumulatam esse. (2) Sed perperam & ex erronea hac sententia quasi deprecatio injuriæ pœna sit. Ut minime est. Tendit quippe illa solum ad confessionem injuriæ adeoque injuriæ vel damni famæ per istam illati reparationem. (3) Similis recantationi, (4) in cujus locum assumitur ubi cum reo minus severe agitur. (5) Ut vero illa simul cum pœna condigna juste petitur atque infligitur, (6) ita & circa deprecationem idem fieri nihil impedit. (7) Finis utriusque diversus est. Deprecatio ad honorabilem emendam, Pœna ad vindictam tendit. De non cumulanda injuriarum actione civili & criminali communis JCtorum sententia spectat ad eam speciem, ubi utraque tendit ad vindictam, minime ubi altera famæ conservationem atque reparationem tantum quærit. (8) Si jam praxi Germaniæ quotidiana & certa invaluit, ut hæc rectè cum actionibus pœnalibus cumulentur. *Juxta quam etiam pronunciatum in eadem causa.*

1. Juxta quam nemo duplici pœna affici debet.

2. Sic JCti non sine ratione sentiunt, actionum injuriarum civilem & criminalem non posse cumulari sed alteram altera absumi. *Bartol. in l.* 1. *num.* 2. *& 4. C. quand. civil. act. crim. Maranth. in Pract. part.* 4. *dict.* 1. *num.* 19.

3. Judex deprecationem injungens minime hoc intendit, ut per istam injurians puniatur, sed tantum ut aliqua ratione pro contumelia injuriato satisfiat & innocentiæ testimonium constet, in quo nihil vindictæ est.

4. Hinc æquiparatur recantatio. Veniam petens non minus tacite injuriam revocat dum agnoscit & pœnitentiam declarat. *Carpzov. in Pract. Crimin. part.* 2. *quæst.* 94. *num.* 19.

5. *Aloys Riccius collect. decis.* 138. *Ant. Tessaur. decis. Pedem.* 229. *n.* 7.

6. *Gail.*

Digitized by Google

6. *Gail. 1. Observ. 60. num. 5. & Observ. 65. num 2. seq. Mynsing. resp. 7. n. 7.*

7. Multo minus est deprecari quam recantare. Et ubi ex causa aliqua judex intuitu personæ vel alterius circumstantiæ recantationem, quæ si non de jure tamen de facto aliquid injuriæ irrogat, nimis gravem putat, pro ea deprecationem ut leviorem irrogat. *Carpzov. dict. quæst. 94. n. 18.*

8. *Uti hoc plenius exponit Cothmann. Resp. 59. num. 193. & seqq. vol. 2.*

DECISIO VI.

Exceptio super causa, unde nascuntur injuriæ, litis pendentis & præjudicii suspendit actionem injuriarum.

CUm super causa, ex qua contumeliæ & injuriæ ortum habebunt, lis pendet, super his actioni locus non est, donec ista finita atque decisa erit: (1) facit inde exceptio litis super causa principali pendentis ut supersedeatur eo usque in causa, inde descendentium aut dependentium injuriarum donec illa terminetur: ideo illius exspectandus eventus, (2) Præjudicium quippe facit causa, in quo origo est alterius actionis (3), dum nisi illa finita constare nequit, an & qualis quomodoque æstimanda sit injuria, unde præjudicialis exceptio accedit. Præcipue verò omittendus est punctus injuriarum si ille præjudicium inferet causæ principali, (4) quod evenit, ubi ob injurias deprecatio fiet, quæ irrogata damnabit reum tolletque actionem, quam deprecando quis ut injustam damnat. (5) *In causa Georgii Barsenii Secretarii Regii contra Capitulum Hamburgense die 15. Aprilis Anno 1658.*

1. *l. si quidem 10. C. de Injur.*

2. *Vid. Cothman. Respons. 4. num. 125.*

3. Ideo debet suspendi, donec super ista judicium fuerit finitum. *l. 1. §. 1. ff. Famil. erciscund. l. non distinguemus 32. §. non facit 10 ff. de recept. arbitr.*

4. *Bartol. & Dd. in d. l. si quidem C. de Injur.*

5. Pendente lite super præjudicio nec adjudicari quidquam oportet, nec condemnari quisquam. *d. l. 1. §. 1. Fam. erciscund.*

DECISIO VII.

Illata ministris publicis injuria nisi notoria sine ordine judiciorum non est vindicanda.

APpellans querebatur, se velut injuriæ ministro vectigalibus exigendis operam navanti illatæ reum damnatum & mulctatum esse antequam accusationis vel denunciationis copia ad respondendum defendendumque se facta fuerit, ideo rogabat suspendi condemnationem, donec accepta illa semet defenderet. Sic quidem jure obtinet, ut magistratus injuriam sibi illatam statim sine strepitu judicii vindicare possit. (1) Similque servandum, ubi apparitori, nuncio, alitve ministro, cujus opera circa publicas functiones utitur, vis vel contumelia facta fuerit, quæ ad ipsum magistratum pertinet, & perinde habenda atque si ipsi inflicta fuerit. (2) Verum ita hæc obtinent, si notoria ea fuerit injuria, ut factam constet, nec ejus statim pateat excusatio. (3) Verum si vel negetur, nec ejus plena fides statim fiat, vel adversus eam excusationis aliquid sit inculpato, quod altioris indaginis est, minime à condemnatione vel executione incipiendum est. (4) Sed causa cognita demum statuendum. Ea cognitio requirit ordinem judiciarium, hic verò, ut sit actor vel accusator, isque quid accusandum proferat, deinde reo respondendi atque defendendi facultas sit. (5) Minimè autem ad condemnationem sufficiet, quod minister ille sibi, dum officio fungitur, convitia dicta profert. Quilut accusator tunc est aut denuncians, ita simul testis esse nequit: (6) Nec enim in talibus, quæ ad alterius grave præjudicium pertinent, creditur isti ministro, (7) Etenim circa illa quæ ex mandato superiori exequitur, fidem habeat & faciat, haud tamen id porrigitur ad illa, quæ sunt præter officium aut tantum circa illud accidunt. (8) Et nominatim cum de sua injuria refert fide plena caret. (9) Nimis grave foret isti hominum generi, quod exactionibus servit tribuere ut in suo solo ore sit facultas alios ob injurias sibi illatas criminum reos faciendi & ut convictos sine alio teste condemnationibus submittendi, qui cum de sua vindicta agunt valde suspecti sunt. (10) Non excepta est illorum causa à communi jure divino & humano, quod non vult, non convictos condemnari, & non convinci nisi ex ore duorum vel trium testium. Quæ consideratio fecit recipi querelam & rescribi, ut in causa prætensarum injuriarum legitimo modo procedatur. *In causa Michel Renten contra die Königliche Licent-Bedienten die 14. Septembris Anno 1658.*

1. *Gail. 1. Observ. 39. num. 1. seq.*

2. *Arg. l. 1. §. 3. ff. de Injur. Bartol. in l. injuriarum 13. §. 1. ff. eod. Guid. Pap. decis. 557. Peck. de jur. sistend. cap. 25. num 2.*

3. Sic JCti sentiunt de illa injuria, quæ magistratui vel judici infertur, ejus statim vindicandi potestatem non aliter permittentes quam si notoria fuerit. *Gail. d. Observ. 39. n. 4.* Non potest in eo alia esse conditio istius, quæ ministris irrogatur.

4. *l. 1.*

Digitized by Google

4. *l. 1. C. de Execut. rei judic.*

5. Inaudito atque indefenso nemini præterquam in notoriis & quæ excusationem nullam patiuntur non est irroganda pœna.

6. Juri naturali contrarium est ut in propria causa testis quis quam sit. *l. 10. ff. de Testib.*

7. *Bartol. in l. Divus ff. de Custod. Reor. Gabriel, Commun. conclus. 14. tit. de Citat. concl. 4. num. 6. Tiraquell. de Retract. conjang. §. 1. gloss. 9. n. 7. & 30.* Unde dicitur in criminalibus causis tanquam magni momenti nuncio soli non credi. *Bartol. in l. 1. §. cura ff. de Offic. Præfect. Urb. ubi Alberic. ait: Hoc ita procedere qua pœnam non qua inquisitionem.*

8. *Ita distinguit Tiraquell. dict. gloss. 9. num. 19. Alciat. intr. de Præsumpt. reg. 3. Præs. 14. inpr.*

9. *Tiraquell. d. gloss. 9. n. 14. Gabriel. d. conclus. 4. n. 4. Alciat. dict. præs. 14. n. Menoch. de Arbitr. Jud. Quæst. lib. 2. cas. 102. n. 13.* ubi addit tamen si urgentes aliæ conjecturæ accesserint aliquid fidei fieri de injuria sibi illatâ.

10. Suspicio aliqua demit fidem ministro. *Tiraquell. dict. gloss. 9 n. 8.*

DECISIO VIII.

Diffamator non est, qui non in alterius præjudicium quid profert, sed ab alio dictum sui juris gratia refert.

QUemadmodum non mentitur qui mendacium alienum refert, (1) ita non diffamat qui alienam diffamationem recenset. (2) Ideo quemadmodum illi ad suum autorem se referendi licentia est, ita huic remittendi actorem ad suum relatorem. (3) Liberatur à judicio qui nominare potest autorem suum, ubi non velut ex suo in alterius præjudicium aliquid profert, sed ut profectum ab alio. (4) *In causa Regii Marschalli Christophori Nicolai Lützovv contra Regium in Pomerania Præsidem Andream Güldenklavv die 16. Octob. Anno 1658.*

1. Inter mentiri & mendacium dicere manifesta constat differentia.

2. Aliud est dicere aliud ab alio dictum referre.

3. *l. majorem 4. C. ad l. Cornel. de falsi.*

4. Ad quam speciem porrigenda, ubi interest, exceptio laudationis autoris, *l. 3. Cod. ubi in rem act.*

In hac causa ita pronunciatum fuit.

In Sachen deß Königlichen Hoffmarschalln Claus Christoph Lützowen Imploranten wider den Königl. Præsidenten in Pommern Andream Güldenklowen Imploraten in puncto rationum & residuorum wird vor Recht erkandt / daß Implorant nach Gestalt der Sachen und seiner in actis gethänen Erklärung in obbemeldten Puncten / inmassen solche vorgebracht / zu antworten nicht schuldig / sondern der Zusprach sich deßwegen zu entheben / solche aber zwischen der Pommerischen Regierung und Imploranten zu entörtern und abzurichten sey. Von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 18. Octobris Anno 1658.

(Hoc est.) In causa Regii Aulæ Marschalli Nicolai Christophori Lützowen Implorantis, contra Regium Præsidentem in Pomeraniâ Andream Güldenklowen Imploratum in puncto rationum & residuorum decernimus, quod implorans juxta conditionem causæ & suæ in actis factæ declarationis in dictis punctis prout ea prolata respondere non teneatur, sed propterea ab actione absolvendus, illa vero inter Regimen Pomeraniæ & Implorantem decidenda sit. Idque de jure. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 18. Octobr. Anno 1658.

DECISIO IX.

Injuria ex animo & ore dicentis non ex sensu sibi applicantis æstimanda sunt.

CIrca dicta in injuriam sonantia fit, ut exacerbati non tantum per animi sui ægritudinem actionem intentent, sed etiam quæ injurioſe in se dicta putant, pro suo sensu æstiment, unde frequentissimum, pro ut sibi ista applicant, ita exaggerari & acerbe vindicari. In quo multi non sine suo præjudicio peccant, cum se injuriatos queruntur, ubi reus injuriam negat, ut nisi animi ægritudo superaret, salvo honore melius acquiescere quam vindictam assumere possent. Est quidem jure cuilibet permissum injurias æstimare, at non aliter ac si prius constet vere injuriam esse, de qua agit. (1) Deinde si cum ratione fiat, juxta quam prius judex expendit utrum injuria recte taxata fuerit. (2) Præterea super illa æstimatione quam quisque facit juramentum exigitur, quo conscientia tentatur, & ad veritatem adducitur. (3) Regula de injuria censenda est ex animo injuriantis, (4) & qualis ille reperitur talis censetur injuria. (5) Ubi ille abest non est injuria, etsi verba vel facta sunt injuriosa. Sine ea nihil facit alterius aut interpretatio aut applicatio. (6) Multo minus eo divergere debet, ut ex sensu suo alius possit sibi reum injuriarum facere, qui talis vere non est. (7) Quod consideratum *In causa Andreas von Kalden contra Julium von Schmazhagen und Melchior Krassoven die 19. Martii Anno 1659.*

1. Non entis nulla qualitas nec æstimado *l. 1. ff. de hered. & aest. vend.*

2. *Gail. 2. Observat 102. n. 8. & seq. Farinac. Practic. Criminal. part. 3. quæst. 105. num. 49.*

3. *Farinac. d. quæst. 195. num. 47.*

4. *l. illud 3. §. 1. ff. de injur.*

Digitized by Google

5. *Cravett. Consil. 9. n. 35.*
6. *l. si non convitii 5. C. de Injur.*
7. Sensus in patiente non facit injuriam, sed affectus in faciente. *d. l. illud 3. §. itaq; 2. de Injur.*

DECISIO X.

Impersonalia verba quando locum actioni injuriarum faciunt, & quid super iis statuendum.

CUM quis verba ex se valde injuriosa dixerat, sed impersonaliter, circa causam autem quæ ipsi cum aliis intercedebat, ut actores non nisi in se illa dicta concluderent, ideo vindicare intenderent, in quæstionem venit, an & quatenus talia actioni injuriarum locum facerent, & quid de iis statuendum? Ita quidem jure definitum, quod ob ea quæ in incertam personam dicta actioni locus non sit. (1) At ita hoc accipiendum, si plane non appareat, nec intelligi possit esse illa in aliquem dicta, sed manere impersonalia. At secus se res habet, ubi impersonaliter prolata personam tamen certam etsi non nominatam respiciunt. (2) Quod ex circumstantiis apparens perinde haberi debet atque si persona quæ per obliquum indigitatur, expressim nominata fuit. Demonstratio nomini æquiparatur. (3) Ubi de eo est dubitatio, tunc recurrendum ad declarationem à reo faciendam. Qui si ante litis contestationem obtestatur sibi in mentem non venisse actorem per ista verba injuriosa contumelia afficere, auditur & absolvitur. (4) Pro qualitate conjecturæ penes judicem est, an jurato illa fieri debeat, an sufficiat sine jurejurando. (5) Ista satis consultum existimationi actoris, qui idcirco non permittendus post eam injurias persequi. (6) *Inter eosdem*

1. *l. item apud 15. §. cui non sine 6. ff. de Injur.*
2. *Ita allegatum textum intelligit & declarat Bartol. ibid. vid. plura apud Farinac. Pract. Criminal. lib. 3. quæst. 105. num. 171.*
3. Ubi per certa argumenta de mente dicentis constat, de quo senserit, etsi non nominaverit, frustra impersonalium sonum objicit. *Bartol. in dict. §. cui non sine, Angel. in l. quod Senatus Cons. ff. de eod.*
4. Quod inter decisiones nostras alibi scriptum, quomodo declaratio matura præoccupet injuriarum actionem, & pertinet ad omnia quæ dubia sunt, id tanto magis impersonalibus applicari potest, quo incertior est illorum applicatio.
5. In praxi forensi scimus diversimode, de hoc statui. Quod inde oritur, quod major vel minor sæpe est mente dubitatio.
6. Refrenanda est vindictæ cupiditas nec admittenda pro illa injuriarum actio ultra quam necessaria, *argum. l. si venditor 6. §. 1. vel servus 7. ff. de Serv. exportand.*

DECISIO XI.

Verba injuriosa impersonaliter dicta etsi ab actore injuriarum actione vindicari nequeunt, judicis tamen officio non injustè puniuntur.

VAlde mirum & incongruum videbatur, à judice pronunciari, quod reus declaratione mentis suæ ab actione injuriarum ex verbis impersonalibus orta post declarationem mentis liber esse, tamen multa quadam graviori ducentorum Imperialium puniri debeat, quod contrarium putaretur ab injuriis absolvi, & tamen injurias puniri. Atqui nihil absurdi in eo erat, ubi declaratio ista non tollebat delictum sed etsi actio actoribus non competeret, tamen cum scandalo quodam publico per contumelioſa dicta peccatum fuerat. (1) Etsi enim in neminem verba dicta essent, tamen cum ex se valde injuriosa & scandalosa, ideo etiam contra bonos mores sunt, inest quod pœnam meretur, quare etiam quod puniri debeat. Haud novum est injuriarum actionem non competere vel desinere, non eo minus tamen verba contumelioſa puniri. (2) Possunt illa in actorem non esse dicta, tamen per se esse improba & punienda. Non tamen tunc talia tam rigorose sunt castiganda, ubi neminem lædunt, quam si simul in alicujus injuriam tendunt. Existimatum est pœnam non injuste dictari, at quæ ob pœnæ gravitatem allegata sunt gravamina esse admittenda *in eadem causa.*

1. *l. quod SC. 6. ff. de Injur.*
2. Quomodo in ea specie observare liceat quando actor injurias reo remittit, & ab actione discedit, ex quo non remittitur aut desinit vindicta publica, pro qua factum scandalosum & improbum nihilominus coërcetur. *Julius Clarus in pract. lib. 5. §. ult. quæst. 17. in fin.*

Sententiæ super his pronunciatæ tenor.

In Sachen Andreas von Kalden Appellanten wider Melchior von Crassowen und Consorten Appellaten in puncto injuriarum werden die Gravamina so viel die auffferlegte Declaration betrifft / als unerheblich nicht angenommen / sondern befunden / daß von Richter erster Instantz / wol gesprochen / und es dabey zu lassen / im übrigen aber die Busse anlangend / copia libelli dem Advocato Fisci erkandt / und proxima darauff zu handeln aufferleget. Von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Andreæ à Kalden appellantis contra Melchior. à Crassowen & consortes in puncto injuriarum, gravamina quantum injunctam declarationem concernit tanquam irrelevantia non recipimus, sed decernimus quod à Judice primæ instantiæ bene judicatum & ei inhærendum, de cætero vero quod concernit multam copiam libelli advocato fisci damus ut in proxima desuper agat. *Idq; de jure.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XII.

Injuriarum actio quando fisco cedi & in quo foro hic agere queat.

CUm verbis vel verberibus injuriatus actionem contra reum in alio, quam ubi injuriæ illatæ erant, foro obtulit eumque ad pœnam eo nomine agere voluit, intervenit judex loci delicti, causamque ad se remitti petit: In quæstionem primo venit, utrum cessio valeat cum super injuriis lis nondum contestata erat: Antea enim in bonis nondum est, (1) ideo ad hæredes non transit, (2) neque alteri cedi potest. (3) Tam minus etiam fiscus potuit ea actione uti, quod ante litis contestationem actor cum reo transegerat atque injuriam remiserat. (4) Utut vero cessio fuisset perfecta, haud tamen apparuit, qua ratione fiscus alibi quam in loco delicti agere potuerit. Etsi enim ejus hoc est privilegium, ut causas suas coram suo judice hoc est procuratore Cæsaris vel superiore judicio agat (5) idque & illuc se porrigat; ut non obstringatur instantiæ per privatum suum autorem cœptæ, sed non eo minus cum isti succedit adversarium ad suum judicem trahere possit, (6) haud tamen aliter obtinet, quam si fiscus ex jure suo agit & illud persequitur quod ipsi tanquam fisco per juris constitutionem vel consuetudinem convenit: Secus se res habet quando fiscus privato succedit & ex ejus jure agit: In qua specie aliud jus non habet quam privatus. (7) Ratio quoque suggerit, neminem cessione in fiscum alterius conditionem facere debere & posse deteriorem nec permittendum ut ista alterius jurisdictio alias competens impediatur. Non attenta itaque cessione tanquam & nulla & si valeret in præjudicium jurisdictionis alterius non extendenda judicatum est causam ad suum forum esse remittendum inter *Doctor. Petræum & Advoc. Fisci die 9. Mart. Anno 1667.*

1. Juxta dictum JCti in *l. injuriarum 28. ff. de injur.*

2. *l. injuriarum 13. pr. ff. eod.*

3. Quod in hæredes non est transmissibile hoc neq; habetur cessibile, ut habet vulgata regula.

4. Siquidem lite contestata cessio processisset & eam fiscus acceptasset, utique jus semel quæsitum auferri non potuisset. At in causæ hujus terminis ubi nec litis contestatio nec acceptio processerat secus se res habet.

5. *Tot. tit. C. ubi caus. fisc.*

6. *l. si constante 22. §. fin. ff. solut. matrim.* quod singulare privilegium fisci latius expositum vide *à Peregrin. de jur. fisc. lib. 7. tit. 1. num. 11.*

7. *l. fiscus qui in privati ff. de jur. fisc.* ita declarant & limitant interpretes *d. l. si constante §. fin. ibi Bald. Angelus Castrens. vid. Alciat. Consil. 22. lib. 4.*

DECISIO XIII.

De actione injuriarum ob impositum arrestum contra judicem instituenda.

DUbio caret arresti injuriam non levem esse. (1) Minusque dubitationis habet, eum, qui arrestum inique procuravit & impetravit actione injuriarum tum ad æstimationem, tum ad pœnam conveniri posse. (2) At quatenus contra judicem isti locus sit non satis expeditum, Promiscue id concedere juri aut rationi non convenit. (3) Potest multis modis arrestum fieri injustè, at ut judex non conveniendus sit de injuria, utpote qui illud facit non malo animo, seu partis sub- & obreptione inductus, seu per obscura dubia quæ obveniunt, & peritissimum quoque fallere possunt, seductus. Discernendum putamus, utrum ad partis instantiam an ex officio judex arrestum imposuerit. In priori specie aut nota est judici arresti injustitia, tamen parti gratificari voluit, gratia, precio vel precibus adductus, vel colludens & tenetur non minus quam pars injuste impetrans (4) & sic convenietur tanquam judex qui litem suam fecerit. (5) Ubi sine præscientia injustitiæ arrestum decrevit, credens se juste facere, ut animus injuriandi abest, sic & ex arresto nulla de injuria actio (6) sed tantum qui gravatum se putat legitimis remediis aliis contra judicem sententia vel decreto gravantem solitis locus erit. (7) In altera specie quando judex non ad cujusquam instantiam sed velut ex officio arrestum decernit, at iniquum, respiciendum est, an aliquam ejus causam habeat nec ne. Quod si aliqua apparet, quæ ad excusationem facere poterit, ad relevationem ab actione ista proderit, accedente præsumptione quæ pro judice ejusque decreto facit. (8) Veluti cum judex ex causa criminali arrestum decernit, ideo excusatur, quod sollicitus esse debet, ne delicta maneant impunita. (9) Excusabilis est fervor judicis securitatem judicii pro pœnæ irrogatione quærentis, ubi nihil malignitatis in eo elucet. Etsi enim circa sententiam præstat in dubio nocentem absolvere, quam innocentem condemnare, (10) tamen in inquirendo, sistendo, custodiendo eo qui suspectus, melius est & innocentem detinere & processui subjicere, quam nocentem dimittere. (11) Cum nihil probabilis causæ adest vel apparet, tunc actioni locus est. (12) Nec præsumptio illa prodesse potest in processu plane inordinato. (13) *Hæc considerata sunt in causa Joh. Kühnen, contra Burgermeister und Rath zu Anclam, die 4. Septembr. An. 1660.*

1. Gravis

Digitized by Google

1. Gravis est injuria injuste in jus duci *l. si vero. §. 1. ff. qui satisd cog.*

2. *Peck. de jur. sistend. c. 18. num. 1. Gail. de Arrest. c. 14. num. 1.*

3. *Sicut de eo scriptum videas in tr. de Arrest. c. 28. num. 29.*

4. *Gail. d. c. 14. num. 1.* est in hac specie arrestato integrum atque liberum contra quem de damno vel æstimatione velit agere, judicem an partem: contra utrumque ad pœnam agitur.

5. Talis obnoxium faciunt judicem constitutis de judice qui litem suam fecerit *pr. Instit. de oblig. quæ ex quasi delict. l. ult. ff. de extraord. crimin. tit. C. de pœn. jud. qui mal. judic.* Ut vero ex eo condemnatio variat prout causa ejus varia & diversa *vide Cujac. in Paratit. C. de pœn. jud. qui mal. Menoch. de A. I. Q. lib. 2. cas. 339.* ita & ex arresto iniquo non eadem condemnatio.

6. Contra magistratum vel judicem tunc demum de injuria actioni locus est, ubi malitiose feciſſe apparet & quidem ex animo maligno. *l. nec magistratibus. ib. Jac. de Arena ff. de injur. Cothm. Resp. 24. num. 15 vol. 3.*

7. *Uti docet Cothman. d. Consil. 24. n. 16.*

8. *Cap. sicut nobis. in fin. X. de sent. & re jud. c. bona. §. contra. X. de Elect. potest. Gail. 2. observat. 1. num. 10.*

9. *l. 32. in pr. ff. ad L. Aquil.*

10. *Juxta L. absentem 5. ff. de pœn.*

11. Etiam inter dubia providus judex potius sistit suspectū ne elabatur, quam elapsum quærit.

13. Ob injuriam judicis sive in sive extra judicium fiat judex modo de injuria appareat conveniri potest. *Gail. 2. observ. 76. num. 4. Menoch. remed. recup. poss. 8. & 10.*

13. *Gail. de arrest. c. 11. num. 18. Menoch. l. 2. præs. 61. num. 42.*

DECISIO XIV.

Injuria magistratui illata quando publica vel privata habenda est.

QUando magistratui non licet vindicta injuriæ nisi quatenus publica est, seu officii ratione illata, ideo rempubl. lædit, ad dexteritatem judicis pertinet dignoscere quæ publica officii, quæ privata personæ habenda erit. (1) Ut alias in delictis id quod minimum præsumitur, ita quomodo minus criminis habet in magistratum ut privatum, quam ut in publicam personam contumelia, ita in dubio istam illatam creditur, quamdiu altera illa non apparet. (2) Manifestum autem ejus argumentum est, si ipsi infertur dum officio fungitur, vel si quia officio functus est, vel si ob causam, quæ ipsum non ut privatam sed ut publicam personam concernit, vel si in judicio ubi judicis partes sustinet. Nec attenditur an quod objicitur eum ut publicam vel privatam personam contingit, sed tantum, an ut publicam personam, officium & autoritatem ejus principaliter lædit, quod etiam fit ex privatis factis convitia objiciendo. Quomodo eo referri debet, si quis consules vel senatores civitatis dicat nequam & scelestos homines, quod ad contumeliam officii magis quam personæ pertinet. (3) Conclusum id *in causa Senatus Veteris Civitatis Verden contra Franciscum Möllern die 10. Decembris Anno 1662.*

1. Hoc statuendum est ex conjecturis: Hæ sumendæ ex circumstantiis, quas ideo judex expendere debet. *Bajad. ad Jul. Clar. q. crim. 35. num. 34.*

2. *Grev. lib. 1 concl. 39. num. 8.*

3. Nominatio officii in personis & isti juncta injuria officium magis quam personam contumelia afficit.

DECISIO XV.

De cumulatione actionis injuriarum & civilis ad æstimationem & istius effectu.

EST de cumulatione actionum quæ de injuriis instituuntur varia disputatio, præsertim etiam, cum agitur ob injurias simul ad recantationem & ad æstimationem civiliter. Cum occurreret nobis, sic in libello petitum, ut reus palinodiam caneret atque urbis mille imperiales, queis actor injurias taxare volebat, solveret, placuit sententiam sequi quam in tali specie Camera Imperialis observat. (1) Nec enim apparebat quod cumulationi istarum actionum obstaret, de qua alias usurpatur ea regula, quod locum habet, quoties lege moribusve non reperitur prohibita. Et speciatim illa admittitur, quando utraque actio non ad idem tendit, ut idem bis petatur, sed ad diversa, veluti si altera pertinet ad reparationem damni, altera ad vindictam delicti: Sicut in præsenti specie occurrebat, ubi de palinodia petitio, ut merè civilis, pertinet ad reparationem violati honoris, (2) actio injuriarum ad æstimationem non sic ad eandem sed ad vindictam. (3) Quomodo ob injuriam ex L. Aquilia & civiliter injuriarum ad æstimationem simul agitur, (4) ita & cum actione eam quæ de recantando est, jungi posse nihil obstat. (5) Eadem etiam ratio in hac quæ in cumulatione actionis ad palinodiam atque criminalis ad pœnam. (6) Nam ut hæc ita & civilis ad vindictam pertinet. (7) Etsi enim quod petitur actori tanquam injuriæ æstimatio tribuitur, tamen pro vindicta illud fit, non ad meram reparationem damni famæ illati. (8) Secus de cumulatione utriusque hujus actionis sentientium opinio oritur ex ea

opinio-

Digitized by Google

opinione, quod quia posterior civilis dicitur & talis mere sit, ideo cum alia civili cumulari nequeat, in quo aberratur. Inter eos autem qui cumulationem admittunt aliquorum is sensus est, quod tantum habeat locum in libello ejusque petitione, non autem in sententia atque condemnatione, sed judicem alterutrum ex petitis eligere debere ad quod condemnet. Non negandum quidem judicis arbitrium circa injuriarum actionem multum valere, ideo pro circumstantiis causæ posse sic judicare ut actor alterutro contentus esse cogatur. Attamen ut sic facere debeat, nec conjunctim ad utrumque condemnare queat nec jure constitutum, nec ratione ulla justa requiritur. Nihil est quod tali condemnationi quæ per rationem fieri potest obstat: Inutilis est cumulatio quæ tantum in petitione consistit. Frustra petitur quod non poterit obtineri. In camera otiosam esse illam cumulationem credibile non est: Alibi sic praxis servavit, ut ad utrumque fieret condemnatio. Quod in tali specie, ubi recantatione honorem reparari & ad vindictam læso satisfieri per circumstantias æquum visum fuit, sequi placuit *in causa D. Laurentii Langermanni, contra D. Joh. Just. Stücken, die* 16. *Octobris Anno* 1668.

1. De hujus observantia testatur *Gail.* 1. *Observ.* 65. *num.* 3. *seq.*

2. Actio ad palinodiam mere civilis & rei persecutoria est, tendens ad violatæ famæ reparationem. *Gail. dict. Observ.* 65. *num.* 4.

3. Non minus civilis quam criminalis injuriarum actio ad vindictam tendit: At in eo differentia est, quod ex illa pœna juxta æstimationem parti, ex hac fisco applicatur. *Wesenbec. in paratit. ff. de injur. num.* 14.

4. *Wesenbec. d. loc. Tilem. de Benign. decis. Camer. Syntagm.* 4. *decis.* 1. *voc.* 1. *num.* 4.

5. Similis quippe per omnia est ratio.

6. Horum cumulationem ut indubiam JCti admittunt.

7. Nulla est diversitatis ratio.

8. *Gail. d. Observ.* 65. *num.* 2.

DECISIO XVI.

Taxatio injuriæ à judice etiam sine juramento partis aliquando fieri potest.

QUando injuriarum civiliter, ad æstimationem agitur, judicis est primo statuere super petitione quam actor facit, expensisque circumstantiis quam injuria æstimanda sit definire: Deinde vero parti solet super summa per judicem definita juramentum deferri, per quod non minus quam tanti sibi istam valere asserat. Ut ut vero ita regulariter hæc se habent & servantur, attamen non prohibetur judex, ubi justa ratio permoverit, prætermisso juramento quantitatem sententiæ reo injungere. (1) Quid enim si quanti pars æstimat non modo non excedere, sed multum infra æstimationem rationabiliter faciendam taxari repetit: Quid opus juramento, ubi facile jurare posse recte juraturum in aperto. (2) Similiter quando judex sic definit æstimationem, ut nihil in ea iniqui esse certus sit? Multo magis ubi judex levius ex causis probabilibus taxat quam alius etiam cum juramento æstimare posset, fas erit hoc prætermittere, præsertim si injuriatus sit vir valde honestus, vita famaque eminens, qui super summa multum petita minori non sine rubore juraturus esset? Parcendum ejus pudori, dummodo alteri nihil iniquitatis inferatur. *Quod secuti sumus in eadem causa.*

1. Etsi enim ita consuevit fieri, ut juramentum præcedat, haud tamen jure cautum, ut necessario & indiscriminatim jurari debeat. *Tilem. de Benign. Decis. Camer. syntagm.* 4. *Decis.* 1. *vot.* 2. *num.* 30. *in fin. ubi post maturam deliberationem ita dominis placuisse ait.*

2. Non opus est juramento, ubi ita injuriam taxari posse certum. *Tilem. de Benign. d. vot.* 2. *in fin.*

DECISIO XVII.

Recantatio judicis arbitrio in deprecationem convertitur, si ita ratio probabilis suadet.

QUod circa condemnationem ob injurias multum valet arbitrium judicis circumstantias probe dextreque ponderare debentes, (1) in eo quoque exercetur, ut cum ad recantationem actum est, tamen non semper ad illam condemner, sed ejus loco simplicem deprecationem injungat, quæ illa multa levior habetur, minusque verecundiam deprecantis lædit. (2) At minime sic hoc est in judicantis arbitrio, ut ex vero placito suo id facere queat, sed tantum licet, ubi justa ratio ita suadet. (3) Sine qua non licet jus actionis adimere aut mutare. Subest vero talis, ubi dicta injuria habet excusationis aut obtentûs quidquam ad mitigationem pœnæ alias proficiens, vel ubi injuriatus causam aliquam, sed quæ ad absolvendum plane non sufficit, injurianti ad linguæ procacitatem dederit, vel si conventus persona sit honorata aut in dignitate constituta, vel si officium in Ecclesia vel Republ. sustinet, cui ex recantationis turpitudine maculæ quidquam accedere

Digitized by Google

possit. Quod consideratum in eadem causa.

1. *Carpzov. prax. Crim. part. 2. q. 94. num. 4.*
2. *Vide Gail. 2. Observ. 106. per tot.*
3. Judicis arbitrium non debet esse illimitatum, sed regulis Juris adstrictum.

DECISIO XVIII.

Provocatio ad duellum ob injurias non excludit actionem injuriarum.

SIquidem ob injurias provocatione facta duello concertatum sit, atque sic injuriatus semet privata ultione vindicaverit, excluditur actio injuriarum, sicut non sine ratione à JCtis asseritur ad hanc ultrà non admittendum qui se via facti privatim vindicaverit. (1) At secus est si nuda provocatio facta fuerit, haud ad duellum deventum. (2) Nec enim dici potest vindictam de injuria esse sumtam, sed tantum consilium seu conatum vindictæ initum, cui idem effectus non est tribuendus. (3) Multo minus id porrigendum est ad talem speciem, quando quis tantum de eo ultionis modo cogitata, quia autem edicto Regio prohibitus erat, veniam à Regimine rogavit, at non impetravit. idcirco ad injuriarum actionem progressus est. Male appellabatur ob rejectam ex vindicta privata exceptuum & rejecta processum petitio. *Die 2. Jan. Anno* 1670.

1. *Fab in C. 9. tit. 20. def. 8.* ubi rationem hanc habet, quod indignus sit legum auxilio qui contra leges peccavit, & sibi ipsi jus dicere voluit, ex quo juris omnis omissio, *l. exstat. 13. ff. quod met. caus. l. si quis in tantam C. unde vi.* Et ex hac ratione dicerem, etsi in duello injuriatus & innocens, ut sæpe temeritatem punit Deus, succumbit & plagas acceperit non superesse actionem.

2. Vindicta in eo non est, sed præparatio ad vindictam. Frustra objicies hic quæ de electione unius medii dicitur quod excludat alia, tum quia in sola electione non est ratio exclusionis, sed in facto, tum quia non satis est declinare sed oportet & electam viam ire.

3. Conatus non ita ut factum punitur, nisi tantum in certis criminibus atrocioribus.

DECISIO XIX.

Quæ ab alio provocatus de altero refert pro sui purgatione; etsi aliquid contumeliæ in alterum habent injuriarum actione tamen non sunt vindicanda, nisi animo convitiandi dicta vel scripta.

FIlius publico scripto contra alios agens quædam de negociis patris immiscuit, sicut alteri in iis objiceret quæ famam sugillabant; Ex quo irritatus hic retulit acta & ita quidem ut patrem valde offenderet: Qui cum de aliis injuriarum actionem institueret, etiam de illis eandem movit, inde in quæstionem venit, utrum de talibus ex ista actione qui filii objectis responderat teneretur? Initio quidem dubitationem non levem movebat, quod non apparebat patrem aliquid commisisse, ut talia de illo publice proferentur, nec ille ideo iniquum irrogari deberet quod filius fecisset, cujus meritum ipsi innocenti non imputandum nedum contumeliæ aliquid inferendum. At è contra considerato quod injuriarum agi nequit nisi de iis quæ injuriandi animo dicta vel facta sunt, ideo quæ istum ab his removent illam actionem excludunt, conclusum fuit qui provocatus acta retulit & ex iis objecta refutavit, minime pro injuriante habendum, tum quia se purgandi famamque suam contra objecta liberandi animo fecit: (1) tum quia ex necessitate quadam egit: dum inculpatus pro servanda existimatione, non potuit non ita facere: (2) tum quia pro honore & pudore fecit: (3) tum quia provocatus ad eam exculpationem accessit. (4) Etsi enim pater non provocaret ideo ipsi injustum quod infertur dum non meruit, & ejus intuitu injuste factum dici posset, tamen dum filius provocat sine injuria tali id fit, de qua injuriarum agi potest. (5) Liberat ab injuriæ imputatione probabilis causa & in dubio creditur alio potius quam injuriandi animo dictum ubi dicendi non injusta ratio apparet. Est & in hac specie quod quæ facta magis filio provocanti quam se purganti & defendenti imputanda sunt. Et cum talia inter plane extraneos facere possunt ad absolutionem, tum multo magis admittenda ubi filius causam dedit, quem provocantem pater castigare potius quam provocatum acerbis actionibus fatigare debet. Consideratum hoc *in causa Superint. Gen. Mag. Michael. Havemann contra M. Jacob. Hackmannum die 20. Januar. Anno* 1670.

1. Quælibet causa etiam facta excusat à dolo & animo injuriandi.

2. Necessitas faciendi aliqua excusat à dolo nec voluntatem liberam habet.

3. Ignoscendum est ei qui pudorem suum quocunq; modo purgat *l. 25. ff. de procurat.*

4. Ignoscitur etiam ei qui provocatus semet ulciscitur *l. 14. §. 1. ff. de bon. libert.*

5. Est quidem Injuria, at late hac voce utimur, quicquid non jure fit. *l. 1. pr. ff. de injur.* attamen non omnis talis, ob quam injuriarum actioni locus sit, quia ad hanc requiritur animus injuriandi *l. si non convicii 5. C. de injur.* ideo

multa

Digitized by Google

multa possunt contra aliquem fieri injuste, quorum tamen causa non est locus actioni injuriarum.

DECISIO XX.

Actio injuriarum ob repudium sponsæ competit; at non admittenda nisi prius de vinculo & vi voti connubialis cognoscitur.

SIcut ad insignem honestæ virginis contumeliam pertinet, post votum nuptiale ludificari, diffamari, repudiari & non dignam eâ conjunctione quæ per sponsalia præparatur censeri; (1) ità ob repudium actioni injuriarum locum esse dubio caret. (2) At non permittendus est statim super ista actione processus, sed prius agendum atque cognoscendum de vinculo & vi voti connubialis, nec non sponsi perfidiâ & sponsæ innocentia, (3) tum quia actio ista tendit ad animorum & voti distractionem, (4) ad quam ob indissolubile vinculum partes non sunt admittendæ, nisi ex justa eaque gravi causâ; (5) minimè ex suo consensu seu merâ voluntate: (6) tum quod illa est causa principalis, ex qua actio injuriarum descendit, ideoque nisi illa finita hæc inchoari nequit, (7) tum quia matrimonii causa est præjudicialis, (8) cum injuriæ non possit esse æstimatio aut de ea judicium, nisi prius perspecto, utrum justè rectèque contracta sint sponsalia, eaque de jure valida atque obligatoria sunt, tum quod ea actio causæ matrimoniali grave præjudicium allatura est. (9) Antequam ideò ad libellum injuriarum responderetur, visum fuit audiri partes, & de vi ac qualitate contractus sponsalitii inquiri & super eo prius quod convenit statui. *Sic conclusum in causa Annæ Hagemeisters contra Brandanum Eggebrecht, die 16. Aprilis Anno 1657.*

1. *Vid. Cothmann. resp. 10. num. 261. seq. vol. 1.*

2. *Sic communis JCtorum sententia habet Fr. Marci decis. 521. num. 5. part. 1. Panormit. in c. gemma. num. 11. X. de Sponsalib. Cothmann. dict. resp. 10. num. 259.*

3. *Sic consuluit Cothman. dict. resp. 10. num. 265. vol. 1. atq; ita semper in praxi observatum esse scio.*

4. Injuriarum actio est inimicitiæ fomes & amoris exclusio §. *fin. Instit. de Injur. ibid. gloss. & Schneidevv.*

5. Pius quisq; judex ante omnia inter jurgia desponsatorum eo contendere debet, ut animi reconcilientur & ad consummationem voti persuadeantur; ideò non nisi ex necessitate devenire ad distractionem.

6. *c. fin. X. de sponsa. duor. c. fin. ib. gloss. X. de Transact. Gail. 2. Observ. 94. num. 14. Beust. in tr. de Sponsal. c. 29.*

7. Ita generatim obtinet, ut causa ex qua injuriarum actio nascitur, priusquam hæc intentari potest, terminetur. *l. siquidem C. de Injur.* In specie ad causam matrimonialem & occasione ejus natam injuriam id porrigit. Cothmann. *dict. resp. 10. num. fin.*

8. Causa præjudicialis primum expediri debet *l. fin. C. de alend. lib. l. fundi 18. ff. de Except.* pendente lite super præjudicio non potest quis condemnari *l. 1. §. 1. ff. famil. ercisc.*

9. Ubi causæ præjudicium futurum est interim quiescere debet judicium. *l. non distinguemus 32. §. si is faciat. 10. ff. de recept. arbitr.*

DECISIO XXI.

Ex literis ad alium scriptis, pro significando quod scire refert, actio injuriarum contra scribentem non est admittenda.

DE injuria ex literis ad Regimen Regium pro significandis hominis alicujus defectibus scriptis conventus respondere actioni jussus appellabat, & inde exurgebat quæstio an tali inde actioni locus sit relinquendus? Hoc quidem non negandum, si quid contumeliæ in alium literæ ad alterum scriptæ habent, injuriam non minus esse atque si in os illi dictum fuerit. (1) Nihil enim refert, utrum coram alicui injuria infertur an absenti. (2) Convitiosum de alio ad alium scriptum perinde injuria est. (3) Nec id solum excusabit, si quisquam obtendet amicâ fiduciâ erga alterum tanquam in aurem dictum voluisse, quando in alterius ignominiam hoc fieri non oportuit. (4) At verò si colligi possit sine injuriandi animo, (5) nec in contumeliam alterius scriptū esse, (6) tunc cessabit actio, ad quam utrumque hoc requiritur. Cessare verò putatur, cum duo hæc concurrunt, primò quod quis scripsit alteri quia scire intererat, (7) maximè verò si ad publicam rem notificatio spectat. (8) Deinde si probabili aliqua ratione ità fiat, (9) veluti vel per conscientiæ aliquem stimulum, (10) vel per officii necessitatem, (11) vel ex charitatis studio, (12) vel ex alia quadam causa non improba. (13) Ut talia animum purgant & præsumptionem injuriæ tollunt, si actionem injuriarum excludunt faciuntque ut conventus respondere non teneatur. Quod consideratum circa decernendos processus. *In causa Georgii Barsenii contra Decanum Capituli Hamburgensis D. Laurentium Langerman die 11. May Anno 1657.*

Digitized by Google

1. Convitium atque injuria non tantum ore ſed & ſcriptura vel literis infertur. Nec quid in orbe frequentius, quam convitia ad alium perſcripta non minus quam ſibi dicta.

2. *l. item apud* 15. §. *convitium* 7. *ff. de Injur.*

3. *d. l. item apud* 15. §. *ſi quis libello* 29. *ff. eod.*

4 Generatim injuria eſt quidquid in alterius contumeliam dicitur vel ſcribitur, *l.* 1. *pr. ff. eod.*

5. Injuria non fit ſine animo injuriandi, *l. ſi quis ſervum* 26. *l. pen. ff. de injur.*

6. Injuria ut dictum factumque cenſeatur, oportet fieri ad alterius contumeliam & infamiam *l.* 1. *in pr.* §. 1. *ff. eod.*

7. Ad notificandum alteri, quod ſcire referebat, ſcribens non intendit invidiam & contumeliam, ideo abeſt ab injuriæ præcipuâ qualitate *d. l. item apud* 15. §. *ſed quod abjicitur* 5. *de Injur.* Similiter nihil facit contra bonos mores civitatis, quod ſimiliter ad id ut injuria habeatur requiritur *d. l. item apud* 15. §. *idem act.* 6.

8. *l. cum qui* 18. *pr. ff. eod.*

9. Cauſa juſta excuſat à dolo, ideoque etiam ab injuria. *l. ſi non convitii.* 5. *ib. gloſſ. & Dd. C. eod.*

10. Hanc ideo juramento purgare oportet *c. cum in tua* 6. §. *ult. qui matrim. accuſ. poſſ.*

11. Officii neceſſitas ut alias excuſationem præſtat *l.* 22. *ff. de his quib. ut indign.* ita etiam ab injuriâ. *l.* 13. §. 1. *ff. de Injur.* Quocirca qui per officii neceſſitatem denunciat, calumniator aut injurioſus non eſt, etſi probroſa quædam de alio audita vel viſa aliasve cognita referet. Quod ſi itaque miniſter domino, civis magiſtratui, legatus mittenti, procurator principali, relationem faciet, etſi in contumeliam alicujus ſonantem modo non intentam excuſatus erit. Injuriæ potius reus erit, qui ſibi officio alterius concredita revelabit, aut ſi revelanda, ſinet in alterius vexationem vergere, quam qui bona mente ſeu officii opinione retulit, modo intra finem illum non improbum conſtitit. Commercium humanum & officiorum neceſſitudines interverrent, qui talia ad injuriarum argumenta trahi ſinent.

12. *d. l. item apud* 15. §. *meminiſſe* 23. *verb. officii honeſtè faciendi gratia ff. de Injur.*

13. De hoc arbitrium judici relictum eſt, ut cauſa cognita ſtatuat, quid pro injuriâ habendum ſit, quod ex circumſtantiis æſtimabit *d. l. iterum apud* 15. §. *ait Prætor.* 15. §. *generaliter* 27. *eod.*

DECISIO XXII.

Retorſio non admittenda eſt, poſt quam actio ſuper injuriis eſt inſtituta, & vice verſa.

APpellans querebatur de judice inferiori ob receptum ad acta ab adverſario retorſionis inſtrumentum litemque ſuper illo ordinatam non modo, ſed etiam ſententiæ pronunciationem attentatam, cum tamen eadem iſtius & actionis coram ſummo Tribunali inſtituræ eſſet materia, nec fas de eo retorqueri quod jam in actione introductum. Quod ſi ita ſe res haberet, non injuſta foret provocatio. Quomodo enim communem illam JCtorum ſententiam tanquam rationabilem & veriorem ſequimur, quod retorſio actionem injuriarum tollit. (1) Ita quoque viciſſim ſentimus, quod actio injuriarum ab injuriante jam inſtituta retorſione quoque præpediat, nec ab illa ad hanc redire fas ſit. Sunt actio injuriarum & retorſio duo remedia ad innocentiam aſſerendam & honorem vindicandum per jus commune approbata & uſu in forum deducta; (2) Tendunt ad eundem finem. Alterutro vero tantum uti licet. Quare unius electio excludit alterum. Si quis itaque præelegerit actionem, eamque jam inſtituerit, non eſt permittendus redire ad aliud medium, ſed via ambulanda imposterum quæ ſemel cœpta. Convenit idem juris regulæ, quando ex uno facto duo competunt remedia ad eundem finem tendentia, unius electione & uſu alterum tollitur & abſorbetur. (3) Quemadmodum etiam retorquens poſtea ad actionem non admittitur, quod ſemetipſum ultus eſt, inde à judiciali remedio per propriam vindictam excluditur. (4) Ita multo magis, qui judicialem tramitem ingreſſus eſt, non permittendus ab eo ad autoritatis propriæ exercitium retrogredi. (5) Juxta hæc *decretum in cauſa des Königlichen Régirungs-Rath Niclaus von Höpken contra Oberſtl. Johann von Lipfeld, die* 25. *Sept. Anno* 1657.

1. *De qua vid. Harprecht in* §. *hac actio, num.* 78. *ſeq. Inſtit. de Injur. Berlich. Practic. Concluſ.* 64. *n.* 39. *part.* 5. *Carpzov. in pract. Criminal. part.* 2. *quæſt.* 97. *num.* 32. *ſeq.* apud quem reperies plures ejus rationes. Non diffiteor, quin in contrarium à Nebelkra deciſ. 18. diſputantur, non eſſe levia, quibus etiam aſſentiri videtur *Cothmann. reſp.* 59. *n.* 204. *ſeq. vol.* 2. Attamen poſtquam non modo in priorem opinionem communioribus calculis itum, ſed & pietati atque humanitati convenientius eſt, ut vindicta injuriarum quam maxime fieri poteſt ſopiatur & reſtringatur, & huic magiſtratus ſtudere debet in uſum fori etiam iſta venit. Quam præterea odium propriæ vindictæ, quæ eſt in retorſione & ſæpius modum tenere neſcit; facit tam utilem quam æquum.

2. Per argumentum quod ſumitur à paribus ſeu ſimilibus, de quibus idem eſto judicium.

3. *l. plura* 52. *ff. de Oblig. & Action. l. nemo* 43. §. 1. *ff. de Reg. jur. l.* 1. §. 21. *l.* 2. §. 1. *ff. de Tutel. & ration. diſtrah.*

4. *l.* 1. *C. ubi ſenat. vel Clariſſ. arg. l. auxilium* 37. *ff. de Minorib. Faber in Cod. l.* 9. *tit.* 20. *def.* 8.

5. *l. non eſt ſingulis ff. de R. J.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XXIII.

Pendente lite super injuriis, vel causa ex qua hæ descendunt, non est locus retorsioni.

QUando de injuriis actio in judicio movetur, si deinde, uti jam vidimus, ad retorsionem redire non licet, multo minus permissum esse potest simul actionem prosequi, & tamen lite pendente velle retorquere. (1) Quod si etiam in actionem aliud deductum fuerit, at quod pro injuria quis retorsione vindicare intendit, eandem concernit, quamdiu lis durat, non est licita nec permittenda. Sicuti enim non potest injuriarum agi, nisi finita demum lite; (2) Ita nec retorqueri. (3) Est eadem ratio. Nam ideo actio differtur, ut certum reddatur, an pro injuria habendum quod in judicium fuit deductum, cum antea injuria dici nequeat, de quo justum an injustum sit, controvertitur. (4) Similiter nec retorsio fieri potest, antequam certa sit injuria. (5) Quod *consideratum est in eadem causa.*

1. Non est simul locus diversis duobus remediis quæ ad eundem finem tendunt, *uti in præcedente Decisione scriptum.*

2. *l. siquidem* 10. *c. de Injur.*

3. Retorsio succedit in locum actionis & pro illa est, ideo ejusdem regulas sequitur, juxta naturam surrogatorum, *de qua vid. Eberhard. in Top. Legat. in loc. à surrogat.*

4. *Bald. & interpretes in d. l. si quidem.*

5. Est injuria objectum retorsionis & hæc sine illa injusta: Unde retorquens sine injuria injuriæ reus fit.

DECISIO XXIV.

Officium judicis circa retorsiones injuriarum, quæ ad judicium deferuntur.

FIt sæpe & fere in morem abiit, ut cum injuriati per retorsionem illatas sibi injurias vindicatum honoremque purgatum eunt, instrumentum retorsionis in judicium deferant, actis insinuari cupiant. Nec tamen certum constansque in eo quid judicibus convenit. Aliqui scriptum tale assumere renuunt. Alii recipiunt & in Chartophylacio judiciario inter acta asservari jubent: Alii etiam copiam iis contra quos exercita fuit, decernunt: Alii etiam hoc admittunt, ut ubi retorsioni injurians non acquiescit & alia reponit, partes super ista in litem pervenire sinunt. Id quod etiam contigit in causa quæ appellatione ad supremum judicium pervenit. Inter tam varia, hac in re quid præstantius sit vel ex hac ipsa lite potuit deprehendi. Nempe ut quæ retorsionis sunt, judex relinquat partibus, nec adista manum suam extendat. Est enim illa actus extrajudicialis atque ut ad istam pro honore vindicando partes extra judicium sine autoritate Prætoris accedunt, (1) ne in judicio injuriarum actione contendere opus habeant; (2) ita etiam judex permittere non debet, ut ad illud deferatur, eo minus quod in retorsione est privatæ autoritatis quoddam arbitrium. (3) Præterea judicis officio convenit lites imminuere non occasionem dare vel januam aperire. (4) Quod fit retorsione ad acta admissa, multo magis copia alteri data, qui forte alias acquieturus inde excitabitur, ut omnem lapidem pro illa diluenda moveat. Exinde non modo partes novis discordiis & inimicitiis involvuntur, sed & judicia non parum perturbationis sentient, quæ evitari quam incurrere præstat, maxime ubi cum ratione illud licet, hoc nihil urget. (5) Taceo quod judicem nondum decet, ubi & injuriæ conditio & vindictæ jus ipsi nondum constat, præcipiti approbatione alteri velut jus tribuere, alteri præjudicium inferre. (6) Hæc considerata sunt in eadem causa, & ideo eo magis appellationem recipere à re visum. *Inter eosdem.*

1. Ad retorsionem nihil aut veniæ aut autoritatis judicialis requiritur. Nec lex nec consuetudo ad eam judiciariam autoritatem requirit.

2. Ideo retorsio pro injuria vindicanda à partibus assumitur potius, ne prolixis, molestis & acerbis litibus involvantur.

3. In judicio justis petitionibus opus est, non approbatur quod propria vi fit *l. exstat* 13. *ff. quod vi met. caus.*

4. *l. cum quidam* 21. *ff. de reb. credit.*

5. A supersluis judex abstineat, tantum imploratus, ubi necesse erit officium impertiens. *l. juris gentium* 7. §. *sed si fraudandi* 10 *ff. de Pact.*

6. Judex sine causæ cognitione prævia de jure vel injuria certus nihil debet statuere *l. judices* 9. *C. de Judic. l.* 1. *C. de Execut. rei judic.*

7. Pronunciationis super his tenor talis fuit;

In Sachen des Königl. Regirungs-Raths Niclaus von Höpkens Klägern wider Oberst-Lieutenant Johann von Lipfelden Beklagten / in puncto injuriarum, auß einer bey dem Königl. hohen Tribunal eingegebenen Supplication herrührend / wird erkannt / daß Beklagter deß Einwendens ungehindert sich auff die Klage bey hiesigem Königl. Tribunal einzulassen und zu antworten. Demnach dann proxima litem zu conteſtiren / und singulariter singulis zu antworten subpœna contumaciæ schuldig / und bleiben ihme die vorgebrachte Exceptionen / da er zu denen befugt zu seyn vermeynet / nach der litis contestation und responsion ordentlich vorzubringen so weit Rechtens vorbehaltlich. Als aber die Schrifftsetzer in dero Vorbringen den gemeinen Rechten und der Ordnung zuwider / viel unglimpffliche und unleidliche Dinge straffbahrer Weise vorgebracht / so werden

Digitized by Google

dieſelbe und zwar deß Beklagten wegen gemachten Anfangs in 30. Rthl. und deß Klägers in 20. Rthl. Straffe verdammet / auch denſelben bey fernerer ernſter arbitrar-Straffe ſich dergleichen Ungebühr zu enthalten aufferlegt / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 20. Octobris Anno 1657.

(Hoc eſt.) In cauſa Regii Regiminis Conſiliarii Nicolai ab Höpkens Actoris contra Colonelli locum tenentem Joannem à Lipſelden Reum in puncto injuriarum deſcendentium ex aliqua ſupplicatione apud ſupremum Regium tribunal exhibita decernimus, quod reus non attentis exceptionibus ſe ad querelam in hoc Regio Tribunali ingerere & reſpondere, inde in proxima litem conteſtari, & ſingulariter ſingulis reſpondere ſub pœnâ contumaciæ teneatur, & reſervantur quantum juris ipſi allatæ exceptiones ſi eas ſibi competere exiſtimaret, ut poſt litis conteſtationem & reſponſionem eas ordinatè proferat. Poſtquam vero Advocati in allegatis contra jus commue & ordinationem multa indecentia & intolerabilia punibili modo protulerunt, eos pro principio & quidem Rei propter factum initium in 30. Imperiales, actoris vero in 20. Imper. condemnamus & ſub pœna ulterioris arbitrariæ mulctæ iis ut à talibus abſtineant injungimus, idque de jure. Publicatum in ſummo Tribunali Wiſmariæ, die 20. Octobris Anno 1657.

DECISIO XXV.

Actio ad Palinodiam annalis tantum eſt.

ACtionem injuriarum annalem eſſe & anno iſti præſcribi conſtat. (1) Utrum vero idem terminus ſit actionis ad recantationem injuriæ, inter JCtos non convenit, qui in contrarias tendunt ſententias. Veriorem & communiorem repetimus, quæ recantatoriam non minus quam aliam actionem ſuper injuriis annalem ſtatuit. (2) Rationibus iſta nititur ſatis certis. Primo enim generali ea eſt de actione injuriarum conſtitutio quod poſt annum exſpirat, nec alibi ab ea recantatoria per legem excepta reperitur. (3) Deinde jus civile non excepit niſi tres ſpecies, in quibus ex L. Cornelia vindicatur injuria. (4) Quæ triplex exceptio regulam in caſibus non exceptis confirmat. Præterea nec ratio apparet, cur illa actio diutius competere debeat, ſi ideo id obtendes, quod civilis actio eſt, (5) obſtabit actionem injuriarum civilem peræque ut prætoriam eſſe annalem, nec inter ea ex lege an Prætoris edicto actio injuriarum oriatur jurisprudentiam diſtinguere. (6) Potius quæ ratio alias actiones ſuper injuriis fecit annales, nempe quod odioſæ ad vindictam tendunt & cum aliqua ignominia conjunctæ ſunt, (7) in recantatoria ſimul occurrit. (8) Porro cum ſit ſurrogata in alias ſpecies actionis de injuriis idem circa illam jus ſervabitur. (9) Eo magis quod in dubio ea ſententia amplectenda eſt quæ eſt contra injuriarum actionem & rei abſolutioni proficit. (10) Placuit ideo recipere & ſequi hanc ſententiam ſicuti ex ea judicatum fuit *in cauſa Conſiliarii Regii Nic. Hopken contra Obriſt-Lieutenant Joh. von Lipfeld, die 7. Octobr. Anno* 1657.

1. *Si convitii 5. C. de injur.*

2. *Sic ſentiunt Vultejus in §. pœna autem n. 31. Inſtit. de Injur. Ingolſtadienſes inter conſil. var. Germ. tom.* 1. *conſ.* 1. *num.* 4. *& ſeq. Tib. Decian. conſ.* 32. *num.* 99. *lib.* 1.

3. Legis generalis definitio obſervanda eſt, ubi non conſtat ex alia lege de exceptione *Dd. in l.* 1. *ff. de Reg. Jur.*

4. *l.* 5. *in pr. ff. de Injur. qua tres illos caſus memorat in quibus actionem injuriarum ſaltem perpetuam eſſe JCti cenſent*, dum in aliis idem conſtitutum non reperiunt, extra illos annalem eſſe per vim exceptionis concludentes *Accurſ. in d. l. ſi non convitii Scarez. Commun. Opin. lit. num.* 70. *& ſeq. Villa lib. Comm. Opin. ib. lit. A. num.* 26.

4. Recantatoriam civilem eſſe ex recentioribus Imperii moribus & conſtitutionibus ortam JCtorum aliqui cenſent. *Mynſing. reſp.* 7. *num.* 5. *& ſeq. Vultej. in d. §. pœna num.* 1. Alii vero juri veteri non incognitam rentur *vid. Cothmann: reſp.* 59. *n.* 234. *vol.* 2. *Gilhauſen in urb. Judic. tit. de Injur. cap.* 7. *num.* 25.

6. Etiam civilem extra tres caſus exceptos annuam eſſe communis eſt JCtorum ſententia *Cravett. de Præſcript. part.* 4. *princip. primo quæro. num.* 4. *Cujac. in Paratitl. C. de Injur. Oldendorp. claſſ.* 7. *act.* 10. *num.* 7.

7. Hæc ſunt quæ pro ratione præſcriptionis annalis in JCtorum ſcriptis leguntur.

8. Etſi recantatoria actio ſpeciem rei perſecutoriæ habet & pro hac cenſetur, tamen multum odii vindictæ & contumeliæ habet nec aliis quam actionis injuriarum regulis cenſetur *Mevius in l. fin. C. de Injur.*

9. Surrogatum ſapit naturam ejus in cujus locum ſurrogatur.

10. *Sebaſt. Medices de Legib. & Statut part.* 2. *cap. ult. num.* 10. in dubio contra actionem injuriarum judicandum eſt. *Weſenbec. conſil.* 142. *num.* 46.

DECISIO XXVI.

Remittitur injuria quæ ſtatim non vindicatur.

EXceptione remiſſæ injuriæ oppoſita creditum eſt pro illa ſufficere oſtendi,

non

Digitized by Google

non esse illam actione injuriarum legitime vindicatam. Dissimulatione enim illa extinguitur. (1) Illa autem non consistit solum in actibus positivis sed etiam in negativis, cum non fit quod pro injuriis vindicandis fieri solet. (2) Et cum pro illa sit, si non statim injuria ad animum revocatur, (3) utique non minus pro illa erit, si aliquandiu non vindicatur, aut non legitimo modo, aut cum vindicari incipit, id deseritur & relinquitur. (4) Cumque odiosa plane hæc sit vindicta & remissio Christiano homini magis conveniens censeatur. (5) Judex ad eam intra brevissimum tempus restringendam proclivis est, (6) nec sinet pati ad vindictam relabi, quæ cum cœpta esset ipso injuriato fatente relicta est, ut injurianti ejusque liberis parceretur. Quod semel scriptum pro remissione sufficit. Sic judicatum *in causa Consiliarii Regii Nicolai von Höpken contra locum tenentem Joannem à Lipfeld die 7. Octob. Anno* 1657.

1. §. *fin. Inst. de Injur. l. non solum* 11. §. 1. *ff. eod.*

2. *d. §. fin. d. l. non solum* 11. §. 1. *verb. si statim passus ad animum non revocaverit.*

3. Negligentia ejus quod oportet pro remissione habetur. *Rot. Rotman. decis. 2. tit. de Injur. alias decis. 240. in novis.*

4. *Gail. 2. Observ. 105. num. 3.*

5. Christus remitti voluit injurias.

9. Judicis officium est vindictam injuriarum quam maxime restringere. *Oldendorp. Class. 7. act. 10. num. 7.*

DECISIO XXVII.

Omissa semel vindicta ex causa novæ injuriæ repeti nequit.

EXceptioni remissionis replicatum fuit, omissam quidem vindictam, at ex nova injuria & mala injuriantis gestione resuscitatam, quæ mereatur ut hic remissione indignus ob priorem etiam injuriam conveniatur & plectatur. (1) Etsi vero non sine speciosо prætexu id dicitur, tamen sufficere non visum, ut ad remissam semel actionem injuriæ redeatur, (2) quæ cum nova injuria nihil commune habet, suo supplicio plectenda, nec efficere valida, ut etiam alia jam remissa causa vindicetur. (3) Nec remissione nuda datur beneficium sed saltem negligitur malum. (4) De quo refricando non est parata in integrum restitutio. *Sic inter eosdem concluſum*

1. Beneficium ingrato datum revocatur *l. 2. l. fin. C de revoc. donat.*

2. Remittentibus actiones suas non est dandus regressus *l. quæritur* 14. §. *si venditor* 9. *ff. de Ædilit. Edict.*

3. Diversa confundere non oportet *l. fin. ff. de Calumn.*

4. Differunt multum conferre beneficium & remittere injuriam. Juxta hæc ita judicatum.

In Sachen deß Königl. Regierungs-Rath Niclaus von Höpken Klägern/wider den Obrist-Lieutenant Johann von Lipfelden Beklagten in puncto injuriarum ex consulatu herrührend / wird befunden und erkandt / daß die Action deßwegen nicht mehr zulässig/ sondern Beklagter dero zu entheben / die Unkosten aber beyderseits zu compensiren seyn von Rechtswegen. Publicat. im hohen Tribunal zu Wißmar den 20. Oct. An. 1657.

In causa Consiliarii Regii Nicolai ab Hopken Actoris contra locum tenentem Joannem à Lipfelden Reum in puncto injuriarum ex consulatu descendentium decernimus actionem eatenus non amplius admissibilem sed Reum ab ea absolvendum, expensas vero utrimque compensandas idque de jure. Publicatum die 20. *Octob. Anno* 1657.

DECISIO XXVIII.

Ob arrestum injuriarum agitur & de his non nisi causa, ob quam illud decernetur, discussa dijudicatur.

OB arrestum iniquum arrestatus injuriarum agere potest, tum contra illum, qui impetrat, quam judicem qui decernit. (1) & contra arrestum præsumptio est, (2) quia regulariter prohibitum est. (3) Qui sine dolo seu injuriandi animo petitam & juste factam arrestationem contendit, probare tenetur. (4) Est vero justitia vel iniquitas arresti altioris indaginis, (5) & statui nequit, nisi discussa & cognita causa, ob quam impositum fuit, (6) ex cujus tanquam articuli præjudicialis eventu apparet demum, jure an injuria arrestum sit impetratum. Ideoque non proficit actionis non competentis exceptio antequam cognitio illa præcessit, nec ante litem contestatam opposita examinari potest, quia altiorem indaginem poscit. (7) Quod consideratum *in causa locum tenentis Joannis à Lipfelden contra Regium consiliarium Nicolaum ab Höpken die* 20. *Octob. Anno* 1657.

1. *Gail. in tr. de Arrest. Imper. cap. 14. n. 1. & seq.*

2. *Coler. de Process. Executiv. part. 1. cap. 3. num. 102. Mynsing. respons. 66. num. 14. decad. 2.*

3. Arrestum dicens licitum, id probare tenetur *Mynsing. 4. Observ. 17.* alias in dubio contra Arrestum pronunciatur *vid. scripta à me in tr. de Arrest. cap. 2. num. 9.*

4. *Gail. d. tr. cap. 14. num. 4.*

5. *Gail. d. tract. cap. 2. num. 8.*

6. *Gail. dict. c. 14. n. 4.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XXIX.

Ut veritas convitii excuſet ab injuriæ pœna, non ſufficit publice intereſſe crimen fieri notum, ſed neceſſe eſt, ideo etiam proferri ſine animo injuriandi.

INjuriarum quidem non tenetur qui nocentem infamat, quando peccata nocentium nota eſſe expedit, (1) ideo convitii veritas excuſat ab injuriis cum reipubl. cauſa detegitur crimen, (2) quia puniri publice intereſt. (3) et ut id locum habeat, minimè ſufficit publicum eſſe crimen, quod alteri objicitur, ſed oportet eò fine & modo proferri ſeu reum infamari ac inculpari, quo crimen in judicium deducatur, & pœnam delinquens luat. (4) At ſi non eo modo & fine, ſed injuriandi animo, extra judicium, in alterius contumeliam, probra & turpia facinora objiciuntur, etſi alias nota eſſe expediat, tamen objiciens non evalit actionem injuriarum: (5) quia non juſta & excuſabili intentione, nec ad finem probabilem qui excuſat objicit, ſed ex malignitate ad meram alterius infamiam. (6) Abeſt in illo animus & finis, ob quem veritas convitii excuſat, (7) adeſt vero animus malus, ob quem etiam vere dicta plectuntur, ſpectatur quippe in injuriis animus (8) nec eum purgat veritas, (9) ſed quæ probabilem cauſam & modum habet. (10) Etſi itaque poſt dicta convitia injuriarum actione conventus veritatem opponet & non tantum probare, ſed & accuſare velit, idcirco libellum offeret, dum priorem injuriam non elicit, poſtea inſtituta cum actione eatenus audiendus non eſt, ut ab actione vel inſtantia abſolvatur. (11) *Ita pronunciatum die 1. Novembr. Anno* 1657.

1. *l. eum qui* 18. *pr. ff. de Injur.*
2. *Gail. 2. Obſerv. 99. num. 1.*
3. *l. ita vulneratus* 21. *ff. ad L. Aquil.*
4. *Hoc poſcit ratio quæ habetur in d. l. eum qui* 18. *pr. ff. de Injur.*
5. Tenetur injuriarum quisquis turpia & injurioſa alteri dictis vel factis injungit, *l. illud* 3. §. 1. *ſed & 9. ff. de Injur.* & talia continent ſecum præſumptionem injuriæ, ſeu animi injuriandi, ideo non creditur talia dicenti abfuiſſe animum *l. ſi convitii* 5. *C. eod.*
6 Pravus animus rem alias licitam facit illicitam, & voluntas nocendi facit crimen, quod per ſe non eſt criminoſum *l.* 1. *C. ad L. Cornel. de Sicar.* animo delicta diſtinguuntur.
7. Qui ſine injuria infamare vult, quia expedit, non contumelioſis verbis alium invadere, ſed coram judicio factum detegere debet, ſi velit eſſe impunis. Non enim ultra quam licitum poſcit utilitas, in licentiam convitiandi & maledicendi temeritatem prorumpere decet *l. quis quis* 6. §. *de Poſtulat.*
8. *l.* 1. *ff. de Injur.*
9. Ita communis habet JCtorum ſententia in praxi forenſi recepta, veritatem convitii non liberare ab actione injuriarum. *de qua plura vide apud Gailium* 2. *Obſerv.* 99. *per tot.* ubi addit juxta eam in Camera Imperiali ſæpius judicatum eſſe *vid. Conſtit. Crimin. Carol. V. artic.* 110. *in fin.*
10. Oportet eſſe voces accuſantium veras, nec ad libidinem profuſas *l. juſtiſſimas* 3. *C. de offic. rect. provinc.*
11. Quando vero levius puniendus eſt qui vera objicit ac qui falſa, inde diverſimodè uterque condemnandus, hoc veritatem objiciente reo obtinebit, ut ſi accuſare vel alias probare velit, actio & ſententia ſuper injuria ſiſtatur, donec probatio fuit peracta. Memini ſic aliquando in tali ſpecie ſententiam fuiſſe dictam; per quam reus ob crimen extra judicium objectum pecuniarie ad pias cauſas mulctatus, actor vero de crimine ſatis probato ad relegationem condemnatus eſt.

DECISIO XXX.

Recuſatio judicis ut ſuſpecti per ſe ſine acceſſione alterius injuriæ juſta non eſt arreſti atq; pœnæ cauſa.

MAndato cum clauſula de relaxando arreſto opponebatur loco exceptionis pro juſtificatione arreſti Directoris Judicii tanquam ſuſpecti recuſatio. Quæ non in ipſius modo, ſed totius judicii contemptum atque contumeliam vergere putabatur, ideo inflictâ pœnâ vindicandum eſſe autoritatem creditum fuit. At non ſufficiens ea eſt arreſti atque pœnæ cauſa. Recuſatio enim judicis tanquam ſuſpecti legitimum defenſionis remedium eſt, (1) de qua exceptio favorabilis & in naturali ratione atque æquitate fundatur. (2) Nec injuriarum reus eſt qui iſta utitur, (3) modo non abutatur, ſicut fit ſi vel ad protrahendam litem frivolè exceptio opponitur, (4) vel in contumeliam judicantis tantum dirigitur. Ex hoc abuſu proficiſcitur injuria, ſi vel verbis injurioſis ultra rei neceſſitatem proponitur, (5) vel calumniosè, ſine juſtâ cauſâ, aut ejus fide & probatione opponitur. (6) Non præſumitur autem hac mente aut modo, ſed potius neceſſariò ac juſtâ ratione propoſita, niſi eluceat injuriandi animus, (7) quem excludunt cum oblatum juramentum calumniæ, (8) tum productæ cauſales cum oblatione probationis. (9) Siquidem iſtæ ſunt relevantes ſeu ita comparatæ, ut verificatæ ſuſpicionem aliquam faciant, (10) ſicuti admittendo tales jam declaratæ fuerant, non poſſunt rejici, (11) ſed ſuper iis

debet

Digitized by Google

debet fieri non suspecta causæ cognitio (12) & allegans admitti ad probandum. Nec ea probatio coangustanda, sed terminus sufficiens ad afferenda allegatorum documenta seu testimonia præfigendus est. (13) Intra quem si impeditur excipiens probationem petagere, dilatio danda est. (14) Postea super exceptione interlocutoria ferenda. Antequam ista fiunt ob recusationem punire excipientem injustum, nec magis excusandum est, quam processum ab executione inchoare, inauditum condemnare, nec confessum nec convictum punire. (15) Ut itaque donec discutiantur causales, præstita cautione relaxetur arrestum, nec puniatur legitimè nondum damnatus aut re adhuc dubiâ pœna irrogetur, per mandatum sine clausulâ justè injungitur. (16) Atque sine summâ iniquitate inter eas circumstantias negari nequit. *Sicut existimatum est ad preces pro re ictatas, die* 20. *Septembris Anno* 1653.

1. Sine suspicione judicia procedere opus est, ideo judices recusare litigatoribus licet, *l. apertissimi* 26. *C. de judic. c. cum olim* 7. *x. de caus. possess. & proprie.* pro quo exceptio recusationis parata est ante omnes alias exceptiones opponenda & discutienda. *Mynsing. cent.* 4. *observ.* 59.

2. *C. quia suspecti* 3. *q.* 5. *c. secundo* 41. §. *ult. X. de Appellat. Schrader. de Feud part.* 10. *sect.* 14. *num.* 24.

Non facit cuiquam injuriam qui suo jure utitur. Ut & qui publico jure utitur, non videtur injuriæ causa hoc facere, *l. injuriarum* 15. §. 1. *ff. de injur.* Licet etiam sine justa causa fiat, si non per calumniam aut cavillationem injuria & pœna cessat, *Faber in Cod. lib.* 8. *tit.* 1. *defin.* 34. *num.* 1.

4. De qua specie & ejus pœna *vid. Fab. in Cod. dict. tit.* 1. *def.* 34.

5. Ex verbis injuriosis colligitur animus injuriandi, nisi alius docebitur, *l. si non convitii* 5. *C. de Injur.*

6. Ut licet uti exceptione recusationis, ita cautè & sine petulantiâ, saltem ex ista ratione, quia necessaria est, oportet opponi; Aliàs improba nec sine crimine est, ejusque non probatis causis locum habet injuriarum actio. *Bald. in c. super de Offic. & potest. Judic. delegat.* & opponens justè ponitur. *Fab. in Cod. d. lib.* 3. *tit.* 1. *defin.* 2. *Carpzov. in Jurispr. Forens. part.* 4. *constit.* 42. *def.* 8.

7. In iis quæ indifferenter se habent, non capitur præsumptio injuriæ, sed innocentiæ, ideo incumbit injuriam alleganti probatio animi seu propositi injuriandi. *Schneidewin. ad* §. *ult. n.* 3. *Inst. de Injur.* Defensionis potius causa quam injuriandi mente facta censentur processisse, *arg. l. item apud* 15. §. 38. *ff. de injur. Gail.* 2. *Observ.* 106. *num.* 6.

8. Recusationis exceptio admittenda est, si opponens velit jurare de calumnia, & hoc juramentum excludit animum injuriandi, dum alius ex eo indicatur, cujus non alia est quam per illud in dubio probatio, *l. facti* 6. §. *qui jussu* 4. *ff. de his qui not. infam.* sicut talis est ordinaria eorum qui in animo consistunt, ideo latent. *Gail.* 2. *observ.* 48. *num.* 24.

9. Adest calumniæ suspicio in eo qui justa facere paratus est.

10. Causæ suspicionis plures Jcti congerunt, *vid. Maranth. in Specul. part.* 6. *tit. de appellat. num.* 27. & *seqq. usq. ad num.* 76. *Lancellot. de offic. Prator. in caus. civil. tit. de Excep. num.* 10. & *seqq.* At de iis disquirere supervacuum, quando à judice semel causales ut relevantes sunt admissæ.

11. Semel admissæ causales postea nequeunt rejici & reprobari, *l. Pomponius ff. de negot. gest. l. liceat* 12. *C. de Assessor. & Domest.*

12. Non sunt probandæ suspicionis causæ coram judice recusato, nec qui ejus partes tuetur, qui perinde suspectum semet facit, sed coram arbitris à litigantibus, aut si hi discrepantes fuerint, à Judice, *juxta c. cum special. ib. gloss. de Appell.* ad hoc electis. *c. si contra* 4. *ubi vero de offic. deleg. in 6. Zanger. de Excep. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 21.

13. Probationibus pinguius subveniendum, *l. pen. C. de reb. cred.* nec coangustanda eorum facultas, *l. quoniam* 21. *C. de Hæret. Manich.* præsertim ubi de eo dispicitur, consistit rectitudo judicii, quod suspectum non esse, tam publicè expedit, quam parti grave, periculosum & durum est, *Pacian. de Probat. cap.* 45. *n.* 1. *seq. lib.* 2.

14. Cum alias ex justâ causa dilatio concedenda sit *l. fin ff. de Fer. l.* 7. *C. de Dilat.* & negata gravamen, cur appelletur, inferat, *Maranth. in spec. part.* 5. *tit. de Dilat. num.* 3. tum maximè æquissima est in probatoriis, nec partes circa hæc nimis constringantur, *contra jura jam allegata.*

15. Nullitas ejus processus ex actis notoria est, ob quam mandatum de relaxando nulliter arrestato decerni solet, *Petr. Frider. Mindan. lib.* 2. *de Mandat. cap.* 55. *num.* 6.

16. Contra processum injustum, ex quo non auditi damnantur aut pœnis subjiciuntur, mandata sine clausulâ decerni justum est. *Vid. Petr. Frid. Mindan. lib.* 2. *de Mandat. cap.* 11. §. 3. *n.* 4. *vers. Ita omnia jure.*

DECISIO XXXI.

Inter fractam Pacem publicam & vim publicam nec non atrocem injuriam multum interest, nec confundere ea crimina oportet.

Sicut sancta conventione atque constitutione Imperii stabilita est Pax publica, ita ejus violatæ atrox crimen, severa pœna, acerba persecutio est. Nullum crimen in Germania illa durius vindicatur. Hinc vindictæ cupiditas, quo inimicum videat acerbius dolentem multa ad illius criminis odium trahit, & frequens est varia facta fractæ Pacis argui. (1) Quæ tamen discerni voluit ipsa constitutio

Digitized by Google

certa requisita constituens, ex quibus dignosceretur, quando ob fractam Pacem publicam accusationi locus sit, (2) ne hoc crimen cum aliis delictis confunderetur, cum ejus plura singularia sint; è quibus etiam unum quod Cameræ Jurisdictionem immediatè fundat. Ut autem constitutio pertinet ad Pacem publicam, hoc est, resp. communem quietem conservandam, ita ejus violatæ crimen est tantum in illo facto, ex quo illa offenditur aut periclitatur, ut idcirco in illo non quid patiantur singuli, seu in quo horum securitas turbetur, considerandum sit, sed quod ad publicas turbas spectat. (3) Facto autem quod eò tendere potest tria hæc adesse oportet. (4) Primo vim publicam seu armatam. (5) Secundo coadunatos homines pro illa exercenda. (6) Tertio dolum malum seu propositum violentum cum deliberato animo & consilio. (7) Juxta hæc facto quod narrabatur in examen vocato repertum est si vera narrarentur, atrocem quidem esse injuriam & vim publicam, non tamen Pacis publicæ violationem, nec etiam ea quæ istius constitutio requirit adesse. Etsi enim supplicans querebatur se à cœtu armato fuisse invasum & male tractatum; tamen addidit tunc factum fuisse, cum alia ex causa homines præsentes essent, nec arma ipsius lædendi causa attulissent, postea rixa exortâ, ubi ad verbera & arma deventum ex impetu, non deliberato proposito, nec ad id facta conjunctione aut coadunatione; substitisse etiam factum in verberibus tantum. Quæ omnia quidem violentiæ atque injuriæ, non vero iis requisitis ex quibus violatio Pacis Publicæ accusatur conveniunt. Qua propter non decreta est citatio, super supplicatione ob fractam Pacem. Extra quam nec fundata fuit Jurisdictio. *In causa Henrici Bremern contra Albrechtum in Velde die 27. Septembr. Anno 1653.*

1. Non inscitè quisquamm dixit, ut olim Majestatis crimen velut supplementum omnium criminum per calumnias redditum, ita fractæ Pacis inclamationem fieri ad omnem vim ferè & injuriam; sed malè ac ineptè

2. De his plenius vide scripta *apud Gailium 1. Observ. 3. per tot. & 1. C. de Pac. Publ. cap. 7. Mindan. lib. 1. de Proces. cap. 23. per tot.*

3. Hoc ipsa vox Pacis Publicæ indicat. Cur servandæ uti studuit lex, ita non violatur, nisi ejusdem perturbatione. Inde rectè *Gailius de Pace Publ. lib. 1. cap. 7. num. 24. Constitutio fractæ Pacis ad Pacem publicam spectat, hanc unus, aut alter turbare nequit: Sed hoc fieri potest per potentiores collectis & coadunatis hominibus, quibus ita collectis, tranquillitas Imperii perturbari posset. Et procul dubio ex mente Statuum Imperii ista Constitutio non est singulorum & privatorum nomine promulgata, quorum vana est sine viribus ira & qui pœnis ordinariis in officio retineri, & delinquentes plecti possint; sed eorum potissimum nomine, qui per potentiam, collecto milite, vel auxilio multorum alium inique offendere, & Pacem Publicam turbare possunt; quod in decernendis processibus diligenter considerandum est.*

4. Ex his requisitis censetur factum incurrere in violationem criminis istius; ideo ista tanquam qualitates ejus narrare, probare & deducere oportet. *Vid. Gail. dict. lib. 1. de P. P. cap. 13. ubi plenius de eo videas.*

5. Königl. Land-Friede zu Wormbs *Anno* 1495. *tit.* Fried-Gebott *verb.* mit Gewalt.

6. Käyserl. Land-Friede zu Augspurg *Anno* 1548. *in pr. verb.* mit gewehrter Hand R. Abs. Regenspurg *Anno* 1594. §. Als ist auch in Inventel *verb.* mit öffentlicher Gewalt / und gewapneter Hand.

7. Königl. Fried *de Anno* 1495. *tit.* Fried-Gebott *verb.* freventlich / fürsetzlich / wissentlich.

DECISIO XXXII.

Contra hæredes injuriantis non est locus actionis injuriarum prosecutioni, etsi lis contestata sit, vel talis habenda.

QUa injuriarum ejusque successores quidem sic servatur, ut in quæstione, an actio injuriarum exstinguitur, distinguatur utrum lis sit contestata nec ne. (1) At quà injuriantis hæredes secus se res habet. (2) In illos non est locus actioni injuriarum, quando criminaliter aut civiliter ad palinodiam agitur, sive lis jam sit contestata nec ne. (3) Multò minus, ubi tantum pro contestata habetur, uti fieri solet, si reus litem contestari malitiosè protraxisse arguitur. (4) Ita decretum rejecta pro processibus iterata petitione *in causa Johannis Nasonis contra Johann Schambachen hæredes, die 21. Aprilis Anno 1654.*

1. *l. injuriarum 13. ff. de Injur.*

2. Pœnalis actio atque ita injuriarum morte rei exstinguitur, *l. item apud. 15. §. injuriarum 14. ff. de Injur. l. pœnales 32. pr. ff. ad L. Falcid.*

3. Leges circa hunc articulum non distinguunt ut in alio, nec ratio admittit illud discrimen. *Vide Carpzov. in Pract. Crim. part. 2. q. 96. n. 31. Vasquez. 3. controv. 96. num. 28.*

4. Fictio quidem tantum operatur, quantum veritas: at non amplius, ideo non est amplius in casu ficto quam vero. *Bald. in l. fin. C. de Pupill. subst.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XXXIII.

Pignorationis nomine actioni injuriarum quando locus non est.

OB pignorationem injuriarum agi posse certum est; at ita demum, quando est injusta. (1) Secus se res habet, quando ea quis tanquam legitimo suis potiundi remedio utitur. (2) Sicuti fit, quando vel ex consuetudine illa usurpatur; (3) vel ex necessitate ob alterius iniquitatem, (4) vel ex pacto; (5) vel denique ex magistratus judicisve permissione seu approbatione. (6) *Ita existimatum in causa Hinrich Brehmern, contra Johan Eckſen, die 24. Octobr. Anno 1654.*

1. *Carpzov. in respons. Electoral. num. 12. vol. 1.* Quando enim à Judice arrestum inique impetrans de injuria tenetur, *Peck. de jur. sistend. cap. 45. num. 3.* quanto magis qui sine judice pignorat, quod minus licet. *Gail. de Pignorat. Observ. 1. num. 2. seq.*

2. Juris executio non habet injuriam. *l. injuriarum 13. §. 1. ff. de Injur.*

3. Ex consuetudine multorum locorum, imò ferè universæ Germaniæ pro damno avertendo vel reparando pignorationes hodie frequentantur.

4. *Coler. de Process. Executiv. part. 1. c. 2. n. 293.*

5. Per hoc pignorationis facultas concedi potest & solet. *Coler. dict. cap. 2. n. 286.*

6. Non injustè fit, quod autore prætore fit, *l. justè 11. ff. de acquir. poss.* nec ad actionem injuriarum pertinet, *l. injuriarum 13. §. quod jure 6. ff. de injur.*

DECISIO XXXIV.

Quæ congrua & æqua existimationis contra injuriam reparatio habenda.

INjuriarum agitur vel ad emendam seu civiliter, vel ad vindictam seu criminaliter. [1] Emenda duplex ab JCtis traditur, alia honorabilis, alia utilis. [2] Hæc est in æstimatione injuriæ, & quæritur pecuniariè. [3] Illa in reparatione honoris. Cujus Germaniæ leges atque mores tres species receperunt, nempe declarationem mentis de non injuriando, Deprecationem, Palinodiam seu recantationem. Quæ tamen ita comparatæ sunt, ut non promiscuè omni conveniant injuriæ, sed pro diversitate ejusdem diversimodè sunt applicandæ. [4] Unde evenit ut incongrua applicatio qua injuriarum gravamen habeat causamque appellandi præbeat. [5] Accuratius inde à judice dispiciendum, ne in ista nimis aberret. Hanc vero regulam ut rationabilem usus introduxit, & in judiciis sequitur. Declaratio injungitur cum dubium est, an verba sint injuriosa, & contumelioſa, nec in proferente animus injuriandi apparet. [6] Circa eam judicis arbitrio relictum est, utrum simplicem declarationem admittere, an præterea purgatorium juramentum exigere velit, ut tamen hoc non faciat, nisi existentibus non levibus animi injuriandi indiciis. Deprecatio adhibetur in levioribus convitiis, cum injuriato ea improperantur, quæ crimen magnum non habent, aut eo modo fit improperatio, ut adsit quædam injuriantis excusatio, vel levior honoris læsio. [7] Palinodia vel recantatio ad graviora spectat, quæ famam honesti viri atrocius violant. [8] *Hæc considerata sunt in causa der Königl. Licent-Bedienten, contra Nicodemum Richtern, die 16. Januarii Anno 1655.*

1. §. *fin. Inst. de Injur. l. fin. ff. eod.*

2. Sunt quidam qui aliter hæc discernunt inter quos Corhmannus est, *in resp. 16. num. 67. seq. vol. 1.* ubi criminalem actionem facit utilis emendæ, sed alii rectius hanc non faciunt emendæ, sed vindictæ, & praxis ita discernit.

3. *De hac specie vid. Carpzov. in Pract. crim. part. 2. quæst. 95. per tot.*

4. Sic in praxi judiciaria servatur ea discretio, quam usus introducit, consensus servat, ratio confirmat.

5. Quia hæc remedia ad reparationem læsæ famæ adhibentur, interest injuriati pro ea plene consequenda, ut recta injuriæ æstimatio & congrui remedii applicatio fiat.

6. Dubia tolluntur declaratione, nec melior est voluntatis quam quisque suæ interpres. Cui merito credi debet ab eo, qui alium sensum non docet, & recipi æquum est, cum tollit culpæ vel malitiæ interpretationem, *l. merito ff. pro soc.*

7. *De hoc vid. Gail. 2. Observ. 106. per tot.*

8. *Tessaur. decis. 229. num. 7. Differentiam ejus notat Carpzov. in Pract. Criminal. part. 2. quæst. 94. num. 18* sic scribit: *Etsi veniam petens non minus facilè injuriam illatam revocat, ac is qui expressè palinodiam præstat, eo ipso namque dum deprecatur, fatetur se injustè, fecisse, ac mendacium dixisse, quod non dictum à se velit; attamen opinione vulgi longe major pœna habetur. Recantatio nuda deprecatione, ut quæ famosa non sit, nec famam rei ullatenus lædit, quamvis nec semper ac in quovis indifferenter palinodiam infamem reum reddere existimem.*

DECISIO XXXV.

Pœna injuriarum arbitraria est, at arbitrium judicis non sine regula.

INjuriis certa legibus non est constituta pœna, nec potuit, quando ex persona inferente & patiente, ex materia, loco,

Digitized by Google

tempore, modo aliisque circumstantiis infinitis modis differunt. Arbitrio judicis inde relicta. (1) Illa in hac istius est potestas, ut non opus habeat juxta petitum actoris pronunciare, sed ab eo discedere queat, alia eaque leviori inflicta. (2) Haud tamen illud ita merum est & absolutum, ut quidquid velit judex pro lubitu possit decernere, sed regulatum esse debet, legitimum & rationabile. (3) Quocirca si vel severius vel levius, quam par est, judex æstimaverit injurias, indeque actori vel reo præjudicium inferetur, dubio caret, esse appellandi causam justam. *In eadem causa.*

1. *l.* 40. *l.* 43. *l. fin. ff. de injur. Schneid. in §. fin. num* 1. *Inst. eod.*

2. *Cothmann. resp.* 16. *n.* 99. *& seq. vol.* 1.

3. *Ita exigit & informat hoc arbitrium Cothmann resp.* 59. *num.* 329. *& seq. ubi vide circa illud consideranda.*

DECISIO XXXVI.

Reservatio honoris in condemnatione ob injurias judici est arbitraria, & quomodo?

INfamia, quæ ex actione injuriarum per condemnationem nascitur, per judicem tolli potest, & solet, (1) adjecta sententiæ clausula honoris reservatoriâ, quæ in eo pronunciandi genere frequens est. (2) Ejus adjectio certam legem non habet, sed ex lege generali est, ut condemnatus injuriarum infamis fiat. (3) Ex judicis arbitrio ejus remissio proficiscitur. (4) Haud tamen pro mero placito eam judex facere potest, nisi sit superior qui delicti gratiam facit. (5) Præter hos, quibus jus veniam dandi est, cæteris non nisi ex justa ratione competit, (6) tum ob injuriæ qualitatem, quia levis & modica, (7) tum ob injuriantis conditionem, quia persona honesta; (8) tum ob delicti meritum, quod aliqua ejus excusatio adest, quæ pœnam mitigare solet. (9) Haud verò opus est, ut judex rationem servari addat, vel alias reddat. (10) Præsumptio justitiæ atque veritatis pro eo militat. Unde difficile est appellantes ideò audiri, quod adjecta est ea reservatio, nisi manifestum sit, sine omni ratione remisisse judicem, quod reus meritus est *in eadem causa.*

1. *Vid. Gail.* 2. *Observ.* 102. *n.* 1. *& seq. Wesenb. in Paratitl. ff. de injur. n.* 18.

2. *De observantia hac in Camera Imperiali testatur Gail.* 1. *Observ.* 65. *n.* 6.

3. *l. injuriarum ff. de his qui not. infam.*

4. *Wesenbec. consil.* 22. *n.* 26.

5. Principium est jus aggratiandi, & ex eo potestas ex placito delictis veniam dandi, modo nihil fiat contra divinum jus, easque leges quibus obligantur

6. *Moller. ad Constit. Elect.* 42. *num.* 19. *& seq.* etiam inferioribus judicibus facultas est reservandi ob injuriam condemnatis honorem, at in eo diversitas est, quod superiores sine causa legitima gratiam delicti faciunt, hi vero reservatione pœnam mitigant saltem ex justa causa, *Wesenbec. in Paratitl. ff. de his qui not. infam. in fin.*

7. *Arg. l. sed si unius* 37. §. 3. *l. Divus* 40. *ff. de injur. c. quam te* 23. *ff. de sentent. & re judic. Gail.* 2. *Observat.* 102. *num.* 2. *Clar. lib.* 5. *sentent.* §. *injuria num.* 51.

8. *Paul. Paris. consil.* 72. *num.* 14. *vol.* 3.

9 *Carpzov. in Pract. Crimin. part.* 2. *quæst.* 94. *num* 80. ubi ea exempla ponit, si quis non convitiandi consilio in alium injuriosum dixisse, si provocatus vel iracundiæ calore ad ista perveniisse, si vera dixisse reperitur.

10. *c. sicut* 16. *ff. de sent. & re jud. Wesenb. in Paratitl. ff. de his qui not. infam. n.* 9.

DECISIO XXXVII.

Statutum excludens appellationem in criminalibus non obstat agenti ad palinodiam.

SEnatus civitatis devolutioni appellationis in causa injuriarum opponebat Recessum appellationes in Criminalibus in universum excludentem. Etsi vero eidem locus relinquendus fuisset, si injuriarum criminaliter tantum actum reperiretur. At quando actioni ad pœnam fisco applicandam addita & cumulata erat alia ad palinodiam, sicuti hæc cumulatio de jure valet, & in praxi forensi recipitur, (1) non potuit obesse statutum, quandoquidem hæc actio non est criminalis sed civilis, (2) de qua tam appellationes, quam actiones in Camera Imperiali recipiuntur, (3) etsi aliàs hæc judicium in criminalibus non præbet. Tantum itaque examinandum in hac lite fuit, an esset, cur appellantes ob non irrogatam palinodiam, sed tantum de precationem injunctam, ut & factam honoris servationem, se gravatos queri possent. Quando autem de eo decisio per præfatum recessum in dubio transmissioni actorum ad Collegium JCtorum committitur, de iis quæ dubitationem facere poterant, decisionem eo remittere placuit *in eadem causa.*

I. Nihil frequentius hodie in foro ista cumulatione est. Quam non usus modo sed etiam ra-

Digitized by Google

tio comprobat. *Vid. Carpzov. in jurispr. forens. part. 2. constit. 42. defin. 2.*

2. *Gail. 1. Observ. 65. num. 2. Mynsf. cent. 2. Observ. 98. Molker. 1. Semestr. 28.* Ratio in promptu est. Tendit quippe hæc actio non ad pœnam fisco applicandam, sed ad læsam existimationem actori reparandam, quæ est propria actionis injuriarum civilis nota, § *in summa* 10. *ibid. Schneidewv. Instit. de Injur. Bartol. in l. ult. n. 4. ff. de Privat. delict.*

3. *Vid. Ordin. Camer. Imper. part. 2. tit. 28.* §. und sonderlich *verb.* Doch sollen die Sachen ꝛc. *Testatur de quotidiana istarum appellationum receptione in Camera. Gail. d. Observ. 65. n. 5.*

Sententiæ pronunciatæ hic tenor fuit:

In Sachen der Königl. Licent-Cammer-Bedienten Klägern / wider Nicodemum Richtern Beklagten / in puncto injuriarum, jetzo Burgemeister und Rath der Stadt Stralsund Appellanten in puncto recusatæ editionis actorum, ist bemeldter Rath auff beschehenes Vorbringen die Acta an eine Juristen Facultät umb Belehrung zu verschicken / und damit wie auch sonst Einhalts deß Erb-Vertrags zu verfahren schuldig. Inmassen derselbe hiemit dahin angewiesen wird / von Rechtswegen. Publicatum den 22 Januar. 1655.

(Hoc est.) In causâ Regiæ Licent-Cameræ officiatorum actorum, contra Nicodemum Richtern reum in puncto injuriarum modo Consulum & Senatus Civitatis Stralsundæ appellantium in puncto recusatæ editionis actorum, incumbit dicto Senatui ad allegata ut acta ad facultatem juridicam pro responso mittat, & in hoc ut & aliàs vigore hæreditariæ transactionis procedat. Prout id ei hisce injungimus idque de jure. Publicatum 22. Febr. Anno 1655.

DECISIO XXXVIII.

Veritas criminis improperati quando relevat in causa injuriarum.

QUod ab JCto (1) scriptum, eum qui nocentem infamavit non esse bonum æquum ob eam rem condemnari, addita ratione, quod peccata nocentum nota esse & oportet & expedit, multi sic abutuntur, ut actione injuriarum conventi, de veritate objecti criminis excipiant, seque lege ista tueri conentur. At nihil minus quam hoc convenit isti textui, qui non de injuria illata sed de infamatione nocentis loquitur. Qua voce denunciatio seu manifestatio criminis denotatur, & ea mens est, injuriarum reum non esse, qui crimen aliquod judici denunciavit, vel aliâ ratione non injusta ideo manifestavit, quo vindicta de reo sumatur. Quocirca ut legis istius dispositioni locus sit, oportet primò eum cujus fit infamatio vere nocentem esse adeoque objectum crimen verificari posse. (2) Deinde crimen ita esse comparatum, ut publicè vindicari reipubl. expediat. (3) Tertiò ut manifestatio fiat non in alterius contumeliam aut ad privatam objicientis vindictam, sed quo publico bono coerceatur. (4) Quartò ut deferatur ad judicem pro justa aversus id vindictâ non per calumniam propaletur. (5) Quintò ut fiat eo modo ut in famans non criminetur, sed jus cogitet & justo medio utatur. (6) Hæc ubi desunt tantum convitii seu contumeliæ causâ crimen objici creditur, (7) etsi itaque verum non excusat, at justam exceptionem præbet dicti veritas. (8) Etsi vel maxime reus hanc probare velit minime audiendus est, (9) qui legitimo modo agere vel accusare debuit, non convitiari. (10) Præterquam autem quod ex actis constabat nihil veri inesse quod reus effutierat, tamen si vel dubium quidquam supereesset non admittendus erat. *Id consideratum contra J. Nasonem die 16. Octobris Anno 1655.*

1. *in l. eum qui nocentem 18. pr. ff. de injur.*

2. *Vid. gloss. Bartol. & alios in d. l. eum qui 18.* Denunciatio falsa & calumniosa judici facta non liberata pœna legis aut actione injuriarum *l. 1. §. 2. ff. ad SCt. Turpill.*

3. In hoc est ratio impunitatis *Gail. 2. Observat. 99. num. 2.* qua cessante etiam ipsa cessat. Unde cum non crimen manifestatur & aliud opprobrium, cujus non est pœna aut vindicta reipubl. causa, etsi verum, non liberat ab actione injuriarum.

4. Animus distinguit maleficia. *l. qui injuriæ ff. de furt.* Pravus animus revelantis rem alias honestam facit iniquam & punibilem *l. 1. C. ad L. Cornel. de Sicar. Gail. dict. Observ. 99. num. 6.*

5. Ita non sine ratione à multis discernitur circa hanc quæstionem, in judicio & coram judice an extra illud fiat infamatio. *Covarruv. var. resol. lib. 1. cap. 11. num. 6.*

6. Non satis est aliquid justum esse, sed oportet fieri justè seu justo modo. In hoc injustitia factum alias non improbum improbat, *uti in hac specie docet Roman. consil. 96.*

7. Quod injuriosum injuriandi animo prolatum præsumitur, nisi adsit quod eum purgat *l. si non convitii 5. C. de injur.*

8. Rectè dicitur quod habet communis sententia, veritatem convitia non excusare *Gail. d. l. Clarus §. injuria num. 15. Mynsing. 4. Observ. 4. Heig. part. 2. quæst. 31. num. 41. & seq.* nempe quatenus dictum est convitium *sequitur & confirmat illam expresse Constitutio Crimin. Caroli V. artic. 110. in fin.*

9. Non admittitur ad probandum quod probatum non relevat *in terminis v. Carpzov. in Pract. Crimin. part. 2. q. 96. num. 74.*

10. *l. justissimos C. de Offic. Rect. Provinc. l. quisquis C. de Postul.*

Digitized by Google

DECISIO XXXIX.

Ira non excusat in actione injuriarum nisi quæ non injusta & in calore peccat.

IRacundiæ jurisprudentia tribuit quidem ut aliquando ab actione & pœna liberet, aliquando ad mitigationem ejus proficiat; (1) at non aliter quam primo si non plane illa sit injusta. (2) Deinde si tunc ex ea peccatur, quando in calore est seu statim dum oritur & incalescit, ita ut deliberationem fieri non sinat. (3) Postea vero quando ad animum redire licuit pro laram ad excusationem non facit, sicuti nec iram obtendens audiendus est, qui quod antea sub calore effundit, ubi ira desiit vel desinere potuit & debuit, (4) iterat. Haud etiam aliter parcendum injurianti quam si antequam litem contestatur iracundiæ vim allegat simul tamen pœnitentiam declarat. (5) Defendere conatus factum ex velamento iracundiæ non juvatur, dum ipse sibi ex eo exceptionem contestatione propositi seu mali animi demit. *In eadem causa.*

1. *l. si adulterium §. Imperator ff. ad L. Jul. de Adult. l. Gracchus 4. C. eod. l. aut facta §. causa ff. de Pœn. l. 24 C. de Abolit.* Diversimodè iracundia relevat à pœna vel planè vel æqualiter prout est factum quod in delicto est. In quo discernitur utrum sit transitorium nec effectum valdè noxium relinquat, an verò permanentem turpitudinem aut damnum. Illius pœnam remitti, hanc mitigari efficit, *quam distinctionem vid. apud Bald. in l. si non convitii num. 2. C. de injur.* Semper autem iracundiæ aliquid excusationis inesse communiter statuitur *vid. Tiraquell. de pœn. temp. caus. 1. num. 1. & seq.*

2. Injustum planè factum nihil proficere debet peccanti. De tali ità accipienda est *d. l. si non convitii 5. verb. si autem. in rixa inconsulto calore iracundiæ prolapsus C. de injur.*

3. Hoc indicant JCti quando loquuntur non simpliciter de ira, sed de calore iracundiæ *d. l. 2. C. de Abolit. d. l. si adulterium §. Imp.* ubi posita ratio, *quod difficile sit justum animi dolorem compescere*, id ipsum arguit.

4. *l. quod calore ib. Decius & alii ff. de R. J.*

5. Eo usque licet pœnitere & animum declarare: postea nom. auditur ex obtentu iræ exceptio ejus, qui declaratione benigna litem antevertere potuit & debuit. *Fab. in Cod. lib. 9. tit. 20. defin. 11.*

DECISIO XL.

Injuriarum & vis privatæ reus est qui prohibente domino ingreditur fundum alterius & inde quidquam auferet.

COndemnatus ad restituendum & pœnam qui prohibente domino ex fundo arbores avexerat appellabat. At sine ratione, nam ingressus in fundum alienum invito vel prohibente domino injuriam habet & injuriarum actionem parit. (1) Ablatio vero lignorum cum injuria facta vis privata est, (2) cujus nomine quid experiri velit est in electione actoris. (3) Cujus præter restitutionem pœna justa & arbitrio judicis relicta est. (4) *Negati itaque sunt ad narrata processus Hans Kleppern contra August Friederich Plessen die 6. Novembr. Anno 1655.*

1. *l. injuriarum 13. §. fin. ff. de Injur.*

2. *l. nec interest 3. §. fin. ff. ad L. Jul. de vi privat.*

3. Injuriarum privato & de vi etsi privato publico judicio agi potest, & in arbitrio actoris quo remedio utatur. *Wesenbec. ad §. 8. num. 3. Inst. de Publ. Jud.*

4. *Vid. Damhoud. in Prax. Crimin. cap. 100. num. 9. Menoch. de A. J. Q. lib. 2. cas. 394.*

DECISIO XLI.

Introitus in alienum fundum contra prohibitionem pro vi & injuria non est cum non improbabilis ejus causa est.

DEnegatis ei processibus qui se ob introitum in fundum alienum, ut de injuria & vi condemnatum querebatur appellans, iterum supplicabat, & novis allegationibus se gravatum docere volebat. Cum itaque allegaret quæ animum injuriandi abfuisse ostendebant, (1) nempe tum causam introeundi à parte sua non injustam, (2) tum opinionem juris sui non plane improbam, (3) tum aliquos legitimos prætextus juris, (4) denique prohibitionis nullum jus, (5) ea sic comparata fuerunt, ut potuerint ab accusatione liberare & ad condemnationis correctionem facere, & audiri mereretur, ideo processus tandem obtinuit die 10. Novembris Anno 1655.

1. Injusta sine animo injuriandi non intelligitur *l. illud ff. de injur.* Quidquid illum abesse arguit vel ab actione liberat vel pœnam facti minuit. *Roman. consil. 96. per tot.*

2. Sicut à dolo, ita & ab injuriæ actione liberat quævis causa etiam injusta *per l. igitur §. & generaliter C. de lib. caus. Cothman. respons. 59. num. 17. vol. 2.*

3. Erroris

Digitized by Google

3. Erroris excusatio est etiam injuriis *l. sed etsi lege §. scire ff. de Petit. hared. Cothmann. dict. resp. 19. num. 2.*

4. Non facit cuiquam injuriam qui suo jure uti intendit. *l. nullus ff. de R. J.*

5. Usus juris contra prohibitionem injustam est defensio contra injuriam, qui ideo injuria caret, quod causatus & aliquo modo necessarius est *l. qui cum major. §. si libert. ff. de bon libertor.*

TIT. XXXVI.

DE FAMOSIS *Libellis.*

DECISIO I.

Privatas causas publicis scriptis agi & injurias ità vindicari, à magistratu permittendum non est, potius severis suppliciis vindicandum.

CONquerebatur appellans per se Regimen terræ ideò arresto fuisse coercitum quod de iis quæ cum alio intercedebant graves controversiæ & injuriæ scriptum confici & typis vulgari curaret atque donec revocaret, dimissionem negari. Existimabatur nihil injustè tali prohibitione, impeditione & castigatione à magistratu fieri, sed injustum, improbum & illicitum esse factum, privatam causam publicis scriptis velle agere & injurias eo modo vindicare. Primò enim repugnat hoc fini judiciorum quæ ideo constituta sunt, ut per illa quisque jure agat & potiatur, nec opus habeat aliis viis injurias vindicare. (1) Deinde prohibita ea res est per Imperii Constitutiones, quibus typis vulgare interdictum, quod ad alterius contumeliam pertinet. (2) Tertiò spectat ad contemptum magistratus, quasi ille vel nolit vel non possit jus dicere, ut ad extrema talia decurrere opus sit, & vix est, ut sine aliquâ ejus macula talia scripta in lucem exire possint. (3) Exoritur ex tali promiscua publicatione scriptorum per typographiam multum incommodorum, turbarum, criminationum, scandalorum, quæ prævenire decet bonum magistratum. (4) Error est putantium Typographiam rem licitam liberumque esse, si id extendunt extra ea, quæ ad publicum usum privatamque utilitatem spectant. Huic reperta & dicata est ea Officina, non cujusque libidini. Abusus valdè gravis & non concedendus est nobilem artem illam, papyrum, tempus velle levibus nugis imo vitiis hominum dedita. Frustrà objicies non tam spectari alterius contumeliam, sed suam innocentiam vel crimina alterius nota esse publicè expedire. Illa defendenda est legitimis & ordinariis mediis. Hoc expediendum coram magistratu denunciatione, non eo modo qui ut periculosus lege publica factus illicitus. Justum itaque arrestum appellationem rejiciendam esse conclusum fuit. *Ad supplicationem Oberst Lieuten. Johann von Lipfelden, die 23. Junii Anno 1656.*

1. Idcirco judiciorum vigor jurisque publicis tutela in medio constituta est, ne quisquam sibi ipsi permittere queat ultionem, *l. nullus 14. C. de Judæ. & Cælicol.*

2. *Vid.* Policey-Ordnung zu Franckfurt *Anno* 1577. *tit.* Von Buchdruckern §. Wann wir nun zu Pflantzung / *verb.* Daß sie nicht auffrührisch noch schmählich / es treffe gleich hohe oder niedere Stände / gemeine oder sondere Personen an / ꝛc.

3. Ad Magistratus autoritatem pertinet, ut non nisi legitima via causæ agantur. Inde publicè vindicatur aliorum mediorum usurpatio.

4. *Hanc rationem indicat d. §. verb.* Wann wir nun zu Pflantzung und Erhaltung Christlicher Liebe uud Einigkeit / und Verhütung Unruhe und Weiterung / so darauß erfolgen möchte / uns schuldig erkennen / *&* §. *fin. verb.* Dieweil aber gantz ärgerlich / auch viel Zancks und Böses verursachet / darumb es ja in keinem Gebiet / da Recht und Billigkeit administriret werden kan / zu verstatten.

5. Etiam publicè utile est, ne quis rebus abutatur, §. *fin. Inst. de his qui sunt sui. vel alieni jur.*

6. Carcere coërcendos esse Typographia abutentes, imò etiam pro abusus noxa atque scandalo gravius, *patet ex dict. Ordinat. Policeÿ tit.* Von Buchdruckern §. Und setzen / ordnen ꝛc.

DECISIO II.

Injuria adversarii aut defensionis necessitas non excusat publicationem typicam scripti apologetici.

CUM quis ut videbatur provocatus ab aliis apologiam typis evulgasset eoque nomine ad revocationem conventus, ad deprecationem autem Christianam condemnatus appellaverat, visum fuit discernenda esse causæ ipsius merita & modum illa prosequendi. Illa cum altioris apparerent indaginis una cum gravaminibus quæ eadem concernebant admissa sunt ad ulteriorem discussionem, quæ autem publicationem typis factam respiciebant, omnino rejecta sunt. Tum quod facto ipso jure illicitum & improbum erat, postquam per Imperii constitutiones

nes

Digitized by Google

nes severe prohibitum privatis in contumeliam aliorum quidquam typis in lucem edere; (1) tum quod quæ ad facti executionem proferebantur nullius momenti erunt. Etsi enim reus contumeliosis adversariorum scriptis, sed non typo, saltem calamo in judicio prolatis lacessitus fuisset, non tamen ipsi jus inde fuit ad prohibita & extraordinaria remedia procedendi, (2) cum ordinaria via coram judice injuriam vindicare posset & deberet. (3) Non præbet unius injuria alteri jus ad injusta. (4) Nec defensio modum offensæ excedere debet. (5) Cum in judicio objecta essent crimina & in eo defensio fieri atque vindicta peti & exspectari debuit, (6) Multitudo adversariorum, uti obtenditur, tanta minime fuit, ut necesse fuerit sic publicare & distribuere apologiam. Præterquam quod è multis tres tantum in se injurios, cæteros scripti quod in cusatur nescios dicit, eoque prætextu in aliis pro se utitur, si vel contra omnes defensione opus fuisset. aliis mediis prospectum esse potuit, in via judiciaria quam ambulare cæperat, progredi oportuit. (7) Eoque minus potest exculpari scriptum, quia oppositum fuit ei, quod judicialiter oblatum erat, tanto minus extra judicium vindicare licuit. Est quippe talis publicatio vindicta extrajudicialis, non licita iis qui judicem habent. Quod ii aliquando aliter faciunt jus non facit, cum spectandum sit non quid fiat, sed quid fieri debeat. (8) Non juvabit itidem protestatio præmissa de non alio animo quam se defendendi, cum facto contraria sit, nec illicitum facere queat licitum. (9) Etsi autem hæc quæ de facto illicito & non approbando gravaminibus continebantur, ut irrelevantia non sunt admissa, tamen, quia quas publicatum scriptum comprehendebat injurias, oriebantur ex alia causa, ideo exceptio litis pendentis atque præjudicii opportuna fuit, adeoque ipsæ injuriæ adhuc incertæ, visum fuit nondum esse pronunciandum super facto publicationis, sed de eo nihilominus judicium seponendum donec judicari possit de qualitate injuriarum. (10) *In causa Georgii Barsenii Secretarii Regii, contra Capitulum Hamburgense die 15. April. Anno 1658.*

1. Constitutiones Imperii ejusmodi facta valde improbant, privatis per publicata scripta vindicandi licentiam prohibentes, *uti videbis* aus. dem Reichs-Abschied zu Speyer *Anno* 1529. §. dazu sollen und wollen / ꝛc. R. A. zu Regenspurg *Anno* 1541. §. ferner haben wir. *Reformation* guter Policey / ꝛc. zu Augspurg *Anno* 1548. *tit.* von Schmäh-Schrifften R. A. zu Speyer *de Anno* 1570. §. zum andern sollen / ꝛc.

2. Justa etiam juste agenda sunt ac legitima via. Improba media etsi juste intenta, poenam merentur, *l. 1. C. si nupt ex rescript. pet.*

3. Actiones in id paratæ sunt, ut quisque habere putat per eas id persequatur. *Add. l. exstat. 23. ff. quod met. caus. ait. si quis eorum habere petitionem actionibus experiatur.*

4. Justitia sine hac exceptione vult jus suum cuique tribui.

5. Inculpatum illum esse docet *l. 1. C. und. vi.*

6. Ubi cæptum judicium ibi finiri debet, *l. ubi 30. ff. de judic.*

7. Adeo judiciorum vigor jurisque publici tutela in medio collocata, ne quisque sibi ipsi permittere valeat ultionem *l. nullus 14. C. de judic. & Calicol.*

8. *l. 12. ff. de Offic. Præsid.*

9. Protestatio juris conservatio est, non injuriæ velamen. Non facit jus nec tollit injuriam sed tantum id quod est conservat. *Jason in l. non solum. §. morte ff. de Nov. Op. nunc.*

10. Deprecatio non concernit tam publicationem scripti apologetici, quæ alia ratione vindicanda est, quam injuriam, ut de ista injuriam satisfiat. At præpostere de hoc judicabitur, antequam constet an & qualis injuria sit, quid mereatur.

TIT. XXXVII.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXVIII.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXIX.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XL.

DE REQVIRENDIS Reis.

DECISIO UNICA.

Remissiones reorum inter Imperii Principes non amplius sunt necessaria, nec eas concedere ad Summi Tribunalis potestatem pertinet.

QUæ olim quamdiu per Præsides, Proconsules & Prætores provincias Roma-

Digitized by Google

Romano Imperio subjectas Imperatores regebant reos ad locum delicti remittendi necessitas constituta fuit, (1) postea quando Germania sedes Imperii facta & ejus terræ non Imperatoris proprietas redditæ sed Principum aliorumque Statuum territoria propria manserunt (2) desiit, (3) nec si ex unius Status territorio subditus vel alius in terram alterius Status fugit, ab hoc nisi volente remissio impetrari non potest: (4) cessante ea ratione, ob quam illa olim introducta fuit, nempe quod unius Imperatoris ubique fuit jurisdictio, quam Præsides cæterique magistratus illius nomine, non suo exercebant, ideo non ad alium, sed eundem quasi remissio fiebat, idemque Imperator ubique judex manebat. (5) Post distinctas jurisdictiones ea res secus se habet. Ideo cujus in loco ubi deprehenditur reus jurisdictio propria est non remittit, nisi volens, & præterquam ubi pactis vel consuetudine inter eos quædam ejus necessitas invaluit. (6) Convenit idipsum communi gentium juri, ex quo magistratus loci contra profugum ad se non tenetur ad aliud quam ut jus contra ipsum præstet non dedat, nisi cum illud negat. Est ejus arbitrio jus dictare an dedere velit. Alterutrum tamen necesse est. (7) Exinde urbanitatis redditum postulantib⁹ reos dedere, quam vicini vicinis aliquando exhibent, (8) ita tamen ut non cæcis oculis deditionem faciant, sed considerata primum jurisdictionis seu fori competentis à parte postulantis certitudine; (9) deinde causa prius summarie cognita, (10) audito etiam eo, qui dedi debet, cui potest aliquid causæ esse, cur juste dedi non debeat. (11) Solet etiam in eo casu magistratus remittens prospicere, tum sibi, exactis reversalibus, quod non ex jure sed civilitate impetratum ideo ipsi non præjudicatum esse & in simili casu idem vicissim præstari debeat, (12) tum etiam remissio, ut mediante cautione securus sit adversus omnem injuriam & de non nisi justo processu contra ipsum adhibendo. (13) Sicut autem ea remissio urbana est quædam benefica & benigna indulgentia à jure Germaniæ communi recedens, ita tantum Principum & Imperantium arbitrii, non vero eorum quibus judicium committitur. (14) Inde nec Summo Tribunali Regio eam licentiam competere creditum remissionem non facta prius relatione decernere; maxime ubi causa quædam adesse visa fuit, cur remissio peti non possit; tum quia jurisdictio contra eum qui nec subditus, nec minister amplius fuit, non satis certa & evidens erat; tum quia causa remittendi nondum constabat. Inde non aliter respondeti potuit, quam remissionem à Summo Tribunali fieri non posse, id autem justitiæ administrationem offerre (15) quod si ultra hanc quidquam petatur, Regis fore de eo decernere, eoque postulatum remittendum. Decretum die 16. May Anno 1658.

1. Romano jure pro eo Imperii & sub illo provinciarum diversarum statu, regimine & jurisdictionis forma certa fuit de remissione reorum constitutio, *uti habetur in l. solent. ff. de Custod. reor. l. si cui §. pen. ff. de Accusat. l. capitalium §. famosos ff. de Pœn. Auth. si vero C. ad L Jul. de Adult. Novell.* 134. *cap.* 5. ex qua apparet discrimen inter actiones ex contractibus, in quibus remissioni locus non fuit, & ex delictis & qua hac differentia inter delicta levia & atrocia. *Cyn. in Auth. qua in Provincia C. ab de Crimin.*

2. Status Imperii terras quidem suas ab Imperio & Imperatore in feudum recognoscunt; superioritatem tamen territorialem habent, cujus virtute tantum valent in territorio quantum Imperator in Imperio, juxta axioma Politicæ Germanicæ quod inter fundamentales leges referendum.

3. Communi Germaniæ consuetudine juri Romano derogatum esse JCti testantur. *Wesenb. in Paratitl. ff. de Accus. num.* 8. *Modest. Pistor. consil.* 29. *num.* 6. *& 7. vol.* 1. *Gail. de Pac. Publ. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 30. Potius dicendum in Germania Jus Romanum hac in re tanquam istius Statui non aptum nunquam esse receptum.

4. Non tantum Germaniæ JCti sed etiam alii communi ac recta sententia asserunt post mutatam Jurisdictionis formam illamque patrimonii instar factam, non esse amplius transmissionem reorum ad locum delicti necessitatis. *Hippol. de Marsil. Pract. Criminal. §. Opportune num.* 35. *ubi de Italia. Covarruv. pract. quæst.* 11. *num.* 10. *ubi de Hispania receptam totius Christiani Orbis observantiam idem refert.*

5. *De hac ratione diversitatis vid. Vult. ad l.* 1. *num.* 42. *C. ubi de Crimin. ag. oport.*

6. Ejusmodi pacta & consuetudines inter vicinos Principes & civitates in usu esse constat.

7. *De quo vide scripta ab Hug. Grotio de jur. Pac. & Belli lib.* 2. *c.* 21. *sec. n.* 4.

8 Cum sine præjudicio jurisdictionis fieri poterit, nec causa recusandi alia adest, non difficiles erunt magistratus atque judices ad transmissionem reorum ad locum delicti, quo exemplum statuatur ex pœna ubi malum & scandalum fuit ex delicto, *d. l. capitalium* 28. *§. famos.* 15. *de Pœn.*

9. Judicio non competenti reum debere perinde est atque eum privato arbitrio subjicere. *l. 1. l. fin. C. si à non comp. jud.*

10. *Covarruv. pract. quæst. c.* 11. *num.* 8. *Wesenb. consil.* 167. *num.* 3. ubi ideo causæ cognitionem necessariam dicit, ne reus ignominia afficiatur & cum injuria forte remittatur.

11. In omni quippe actu audiendus primum cujus interest ne inaudito gravamen inferatur.

12. Jurisdictio suæ quisque cautum juste postulat.

Digitized by Google

13. Non tantum ex humanitate cui judex quoque consulit, *l. legem 7. C. de Nat. lib.* sed & pro remittentis securitate, ne forte conveniatur & luat si injuriæ dedendo occasionem dedat. Ubi periculum subest ibi cautio merito exigitur.

14. Transmittere reos est jurisdictionis formam mutare, quod nemini permissum nisi cujus ea est propria. *l. Testandi 13. C. de Testam.*

15. Tali oblatione facta conqueri non potest cui justa facile & cito evenire queunt.

TIT. XLI.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XLII.

DE ABOLITIONIBUS

DECISIO UNICA.

Actorum judicialium abolitio non est nudo partium desiderio tribuenda.

CUm inter aliquos multa lis tum super aliis causis, tum de gravissimis injuriis fuisset, per alios amicabili compositione tentata & consummata inter conventa erat de abolendis omnibus actis judicialibus articulus, & ex eo tum partes ipsæ, tum transactionis mediatores rogabant, ut traderentur ex chartophylacio acta comparenda, & penitus è medio tollenda. (1) Consideratio prima fuit, an à potestate eorum quibus administratio judiciaria commissa foret; tradere & abolere acta. (2) Et negativa placebat, quod justitiæ curam gerentes, non essent domini istorum actorum, ut pro placito alienare possent, quæ judicio velut appropriata ab illo divelli non debent. (3) Deinde considerationem merebatur, utrum etiam sic aboleri expediret, quod accidere possent, ubi acta inspici opus esset. (4) Visum vero alio remedio partibus pro ipsorum intentione prospectum esse posse, ut ad extremum abolitionis decurrendum non fuerit, nempe si occluderentur, & sigillis munirentur, quo neminî inspiciendi unquam copia fieret. (5) Quo ipso & securitati partium consulitur & quod ex actorum abolitione aliquando metui posset in commodum evitabitur, ubi oblato hoc medio partes acquiescere nolunt, remittendæ sunt ad S. Reg. Majestatem, ut judicii superiorem Dominum & inde exspectandum quid placeat. (6) Ut *responsum. Dem Königlichen Regierungs-Rath Niclaus von Hopken und Obrist-Lieutenant Johann von Lipfeld die 29. Aprilis Anno 1659.*

1. Amnestiæ remedium in abolitione actorum securius, si & ista planè è medio tolluntur ne transigentes posteri iis lectis exacerbati refricent. At non semper ad ea quæ judicii sint se extendi sinit.

2. Est discrimen inter acta quæ judicii propria & quæ partium sunt, uti vocant, manualia.

3. Acta originalia judicio sunt affecta & non tradenda partibus, nedum illorum arbitrio. *Gail. l. Observ. 134. num. 22.*

4. Circa abolitionem maxime considerandum, utrum primo ipsius causæ deinde an partium, porro etiam annon tertii interfit non deleri. Fit sæpius ut & pro interpretatione eorum quæ componuntur exoriente controversia ad acta retrospicere necesse sit.

5. Illud remedium priori melius, eandem ex judicii fide effectum habens, & tamen in eventus alios etiam expediens.

6. Illuc recurritur in iis quæ potestatem ministrorum superare videntur *juxt. l. 1. tot. tit. Cod. de Relat.*

TIT. XLIII.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XLIV.

UT INTRA CERTUM Tempus quæstio criminalis terminetur

DECISIO UNICA.

Incarceratus sua innocentia fretus mandatis juvandus, ut aut accusatio aut inquisitio maturetur.

SUpplicans querebatur se ex causa homicidii in carceratum nullis aliis indiciis, quam quod qui ejus criminis suspectus, ideo in carcere erat ipsum facti reum dixisset, ideo militiæ præfectus eum comprehendi & custodire petiisset, urgebat autem, ut si accusator adesset, ille accusationem proponere, aut si inquisitorie contra se procedere destinatum, inquisitionales sibi proponerentur & super iis cum responsio, tum sua defensio maturaretur. Locus petitioni dandus fuit, quod æquissima contineret. (1) Incar-

cerem

cerem non est quisquam sine indiciis gravioribus detrudendus, (2) si vero ob indicia non levia irrogandus æquum est, vel accusationem non differri, vel inquisitionem maturari. Est enim carcer mala mansio & tormenti instar, (3) in qua non est detinendus, nisi quem reum esse verisimilib. indiciis constat. Ideo non tantum sine iis ad incarcerationem non est deveniendum, sed quam fieri potest citissime curandum, ut constet, an quis recte vereque incarceratus sit, nec ne, (4) in quo mora non leve gravamen habet, contra quod gravatus tanto citius est juvandus, quod ex petitione fiducia innocentiæ colligitur. Decretum ideo mandatum de maturando processu, velut in casti protractæ justitiæ, cujus species est remota in criminali processu. *Ad supplicationem Heinrich Knopten die 5. Junii Anno 1660.*

1. Quemadmodum reipubl. interest delicta non sinere impunita, ita super iis processum non differri etiam ipsius interest.

2. *De quo vid. Carpzov. in Pract. criminal. part. 3. quæst. III. n. 15. seqq.*

3. *l. si hominem 7. pr. ff. depos. Bald. in l. 2. num. 7. C. de Episc. audiend.*

4. Judici curandum, ut nemo diutius, quam necesse esse, carcere affligatur. *Carpzov. dict. quæst. III. num. 55.*

TIT. XLV.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XLVI.

DE CALUMNIATORIBUS.

DECISIO I.

Quo remedio coërcendi, qui tantum protrahendæ causæ ergo appellant.

NIhil frequentius quam ad superiora judicia provocare, non tam opinione gravaminis aut certâ spe melioris sententiæ, quam pro retardandis justis & executione differendâ. Unde fit, ut aliqui introducendæ appellationis fatalia labi sinant, cum ad finem pene devenerunt, prorogationis petitione ea extendi contendant, tum processus & sub his dilationes quærant, tandem vero deserant. Etsi vero desertio hæc mulctâ coercenda est, (1) tamen pœna non resarcit ea incommoda, quæ remora intulit, inde multo conducibilius imo & æquitas eas tergiversationes præpedire atque antevertere. (2) Quod fit coarctatione appellantis, ut vel cito ab appellatione desistat, vel citius prosequatur. Conducit pro hoc obtinendo judici ad quem per supplicationem ab appellato ob oculos poni tum justitiam dictæ sententiæ, tum iniquitatem appellationis juxtimque rogare, ut provideat judex, ne remoris adversarii jus protrahatur. Hoc duobus modis deinde præcavetur, primò ita si judex remonstrationem adversarii appellanti transmittit, & ubi narrata in hoc sonant, quod appellationi locus non erit, admonet, ut ita se res habet, quomodo narratur, ab appellatione desistat, (3) additâ comminatione pœnæ temerè appellantium, si sic appellatum apparebit. (4) Deinde si desistere non velit simul terminum breviorem ad prosequendum sub præcluso præfigat. (5) Quod si his severior coercitio repertæ litis malignæ accesserit, multum ad deterrendum cautiusque appellandum pœna imposterum proficiet; nec quisquam facile appellationem frivolam introducere audebit. Ejusmodi dehortatorium cum eventuali excitatione decretum *est ad supplicationem Abraham Pretzeln, contra Nic. Baumann, die 19. Augusti Anno 1655.*

1. Sic enim juri convenit & observatur, ut desertores appellationum mulctâ plectantur, *de quo alibi inter decisiones nostras scripta videas.*

2. *Juxta l. fin. Cod. in quib. caus. restit. in integr.* Providendum magis ne peccetur, quam ut peccatum puniatur.

3. Decet talis exhortatio judicem, ad cujus curam atq; sollicitudinem spectat studere omnimodo ut lites finiantur, *l. Labeo 3. §. 1. ff. de recept. arbitr.*

4. *Juxta l. si quis suo 33. pr. Cod. de inoffic. Testam.*

5. Qui expeditam causam habet, ejus interest mature causam judicari, *l. Carbonianum 3. §. Duo autem 5. ff. de Carbon. Edict.* Sanctiæ-argumentum est mora & protelatio. Appellationis introducendæ tempus ex causa potest coarctari, *Gail. 1. Observ. num. 2.*

DECISIO II.

Litigia parentum & liberorum de mutuis debitis frivola non sinenda sunt impunia.

QUando frequentius sub exulcerato ævo hoc contingit inter parentes

Digitized by Google

atque liberos de iis quæ invicem debentur, præsertim quando vel si bonis sibi assignatis non contenti ampliora cupiunt petuntque, vel isti quæ semel promiserunt & debent præstare recusant exoriuntur litigia, eo magis prudenti magistratui curandum ut bonis legibus præpediuntur. A justo autem & pio judice non negligendum, ut cum frivola & maligna sunt puniantur atque coerceantur. Etsi enim hactenus publicâ lege non est prohibita & punita ea malitia, non eò minus tamen judici fas est, quod improbum atque coercendum pœnâ condignâ coercere. (1) Cujus in illo litigio, quo parentes & liberi injuriam sibimet faciunt, æqua & pia ratio est, tum quia factum illud divino juri, ex quo invicem amorem & æqua debent, adversum est: (2) tum quia valdè scandalosum, (3) tum quod fidei datæ contrarium; (4) tum quod non privatim modo sed & publicè noxium est: (5) tum denique quia gravis impietas est parentes & liberos invicem non modò justa negare sed etiam difficillimis, longis, molestis & sumptuosis litibus involvere. (6) Quando itaque hæc species accurrebat quod cum vitricus, postquam ductâ in uxorem matre pro retentis omnibus ex priori conjugio bonis, inde natis liberis pro more civitatis certam assignasset portionem ipsis cum ad maturos annos pervenerint præstandam ubi præstare debuit longam litem sed frivolam & injustam movit, nihil justius visum fuit, quàm præter condemnationem in expensas multâ quâdam improbitatem vitrici contra pietatem privignis debitam, fidem datam & juris rationem motam plectere (7) *in causa Henrich Döbels contra Cord Schlackowen hæredes die 2. Octob. 1655.*

1. Ea potestas judiciorum est ob facta illicita, improba & coërcenda, etsi speciatim hæc ex lege certam pœnam non habent, *ut ostendit tot. tit. ff. de Extraordin. crimin. vid. l. aliud* 131. §. 1. *ff. de V. S.*

2. Lex divina sanxit severe parentum honorem & liberorum dilectionem. Et ut ex hoc facta illorum persona sancta, ita eorum dilecta etiam ipsis per Apostolum commendata, ut causam iræ præbere non debeant *monente sic Apostolo in Epistol. ad Ephes. cap. 6. num. 4.*

3. Est ea pars judicialis officii scandalis resistere *c. quoniam ib. Canonista X. de Jur. Patron. Ordin. Cam. Imp. part. 2. tit. 23.*

4. Fidem datam fallere cum alias grave sit, *l. 1. ff. de Constit. pecun.* tum gravius inter illos, quorum persona invicem sancta & dilecta esse debet. *l. pen. ff. de obseq. patron. & parent.*

5. Per experientiam multorum exemplorum & annorum hæc mala ejus rei didici, quod parentes ubi semel non servandi animum induerunt, segniter liberos educarunt, & cum commoda eorum promovere oporteret, id egerunt, ne in illos evaderent qui justa exigere scirent & possent, necessaria pro victu, nuptiis aliisque compendiis ipsorum impedierunt, nihil de iis pensi habuerunt, imo causa & occasio fuerunt, ut ad quævis crimina atque flagitia adducerentur & vel perirent. Vicissim quod liberi sic à parentibus vel alias malè educati frugi non fuerunt, ad pessima & desperata prolapsi in republ. per delicta & turbas noxii, per mala exempla scandalosi, ad bona omnia inepti redditi sunt, aut ex defectu mediorum ab honestis cohibiti per malas artes victum quæsiverunt. Inde inter illos utrinque exacerbata odia in perpetua jurgia, contumelias, insidias, tandem verbera & cædes prorumperunt & ita iniquitas parentum vitiorum & scelerum in liberis genuina sepes reddita. Quam ut prævenire potuisset sicut debere bona educatio & justorum præstatio ita per avaritiam & injuriam neglecta talibus aliisque malis fores aperit.

6. Impietas parentum & liberorum publici criminis instar vindicanda est.

7. Quando alias frivolas & malitiosas lites præter condemnationem in expensas multâ quâdam vindicamus, quando magis id fieri oportet inter eos, quos omnia litigia dedecent.

Juxta superiores decisiones in eadem causa sic pronunciatum fuit.

In Sachen Heinrich Döbels Appellanten eins / wider sel. Cord Schlackowen Erben Appellaten andern Theils ist zu Rechte erkannt / daß durch Richter voriger instantien wol geurtheilet / übel aber davon appelliret / dahero die Sache an Bürgermeister und Rath zu Bergen als Richter erster instantz zu remittiren / und ist darüber jetztgedachter Appellant Döbel dem Appellaten die Gerichtskosten an diesem hohen Königlichen Tribunal auffgelauffen / nach vorgängener rechtlicher Ermässigung zu entrichten und zu bezahlen / wie auch deß freventlichen appellirens halber dem hohen Tribunal fünff und zwantzig Reichsthaler Straffe zu erlegen schuldig / immassen er dann hierzu condemnirt und verurtheilet wird / von Rechtswegen.

[Hoc est.] In causâ Henrici Döbels appellantis ex unâ contra Cord Schlackowen hæredes appellatos ex altera partibus, decernimus, quod à judice prioris instantiæ bene judicatum, male appellatum, proinde causa ad Consules & Senatum in Bergen, utpote judicem primæ Instantiæ remittenda, præterea modo dictus appellans Döbel appellato expensas litis in hoc summo Regio Tribunali causatas prævia judiciali moderatione refundere, ut & ratione frivolæ appellationis huic summo Tribunali viginti-quinque Imperiales mulctæ solvere tenetur, prout eundem eò hisce condemnamus, idque de jure.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO III.

Prævaricationis non est reus advocatus, qui cum uni parti operam præstitisset, deinde ab hac dimissus adversæ præstat, si nihil ex istius causa prodit.

NOn sola opera utrique parti præstita incidit in prævaricationis crimen, sed quæ ità fit, ut quis utrinque seu utraque parte simul in eadem causa assistit, & quidem ità, ut alterius causam prodat. (a) Non itaque statim criminis reus condemnandus qui cum antehac actori inserviisset, post aliquot annos à reo rogatus in judicio istius causam agit, nisi accessit & reperitur factum ejus collusorium seu aliàs improbum, præsertim si ad unum actum à priori conducta opera fuit, deinde causa ipsi non ultra concredita. Nec enim is utrique parti operam præstat, nec ab utraque parte simul consistit, quod prævaricationis proprium, sed uni post alteram, quod non est interdictum. Haud potest ejus Advocatus quis ulterius dici, qui ejus opera non amplius utitur. Ut ei liberum fuit hoc dimisso alium eligere Advocatum, ità non potest esse dimisso illicitum alteri parti studium suum impertiri, (2) dummodò nihil indignum isto officio faciat, quod erit, si in quo alii antea patrocinatus est, in eo deinde arguat & improbet. Etsi verò hoc dedecorum & in judiciis non tolerandum, tamen in prævaricationis crimen non incidit. Multò magis ab eo alienum, si diversi sint articuli, in quibus utrique parti calamum vel os locavit. Tantò minus autem in occurrente specie non condemnandum putavimus reum quod pro excusatione verosimiliter adducebat, se post semel actori præstitum studium idque ante quadriennium, deinde ab eodem non visitatum, ejus oblitum, deinde cum actor id postularet immemorem exhibere voluisse, monitum autem à judice statim abstinuisse. Appellans itaque à decreto in quo damnatus fuerat, auditus est, die 15. Decembris Anno 1668.

1. Ita habet definitio prævaricationis *in l. 1. pr. ff. de prævar.* quam exponit JCtus, *in l. 1. §. 6. ff. ad SCt. Turpill.* ubi simul notantur species seu modi, quibus illa fit collusio.

2. Quod clienti licet, idem non debet non licere Advocato.

TIT. XLVII.
DE POENIS

DECISIO I.

Jussus vel prohibitio inferioris potestatis non excusat à contumacia ejusq; pœna.

CUm in momentaneo possessorio utrique partium per sententiam injuncta esset articulorum super possessione exhibitio testiumque denominatio ejus altera satisfaceret, altera deesset, ideo quod à præfectura sub qua erat officialibus in judicio comparere eamque causam agere, prohibitum fuisset, in contumaciam autem alterius partis testes examinati, super illorum dictis pronunciatum esset, non minus male sententia retractari petitur, quod non facta esset ab hac parte probatio, quam injuste ad excusandam contumaciam affertur illud interdictum, cujus nulla vis potuit esse contra superioris judicii sententiam & mandata. (1) Scire debebat, & ductu naturalis rationis facile poterat pars negligens, sibi incumbere majorem Summi Regii Tribunalis reverentiam arctiusque obsequium, quam erga Præfectos; (2) qui & ipsi injuste fecerunt prohibendo obedientiam, (3) & tamen in superiori Judicio nihil causæ allegando, nedum ut fieri debuit re integra interveniendo. (4) Contra rem judicatam nihil valet superioris rescriptum aut jussus, (5) nedum inferioris interdictum valere potuit. Exhujus majori observantia læsus sibi id imputare debet, non vero sententiam nullam dicere aut rescindi petere potest, cum sua temeritate læsus sit, (6) & veniam non mereatur, qui injuste fecit, imo qui re integra ne quidem allegavit cur non pareret. (7) *In causa Senatus Lasanensis, contra Militarem Præfectum Alexand. à Weissenstein. Die 18. Septembris Anno 1658.*

1. Par in parem nedum inferior in majorem non habet imperium, *l. 4. ff. de recept. arbit.*

2. *l. Judicium 58. ff. de judic.*

3. Supra jurisdictionem illicite jubent, *l. fin. §. 1. ff. de jurisdict.*

4 Est magistratuum vel præfectorum, ubi sibi præjudicii aliquid ex causa imminet, interveniendo jus suum allegare & deducere, non vero avocando superiorem jurisdictionem turbare.

5. *l. fin. C. sentent. rescind. non poss.*

6. *l. non enim 16. ff. ex quib. caus. maj.*

7. *l. Gracchus 45. C. ad L. Jul. de adult.*

Digitized by Google

DECISIO II.

Suspensus non remotus, utut in integrum se restitui petens, fruitur officii compendiis, & unde quisque censendus.

QUi ob inculpationem ab officio suspenditur, quamdiu criminis convictus non est, fruitur muneris emolumentis (1) secus est, ubi plane remotus fuerit. Remotio jure & commodo eximit. (2) Nec licet in integrum se restitui petat, interea compendiis & utilitatibus muneris potitur, sed donec restitutionem impetrat, in eo statu manet, in quem depositio ipsum transfert. (3) Suspensus ille est, qui jubetur non ab ipso munere desistere, sed tantum ab ejus exercitio vel actuali functione quiescere. Remotus autem qui ipsum munus amittit & eo indignus habetur. Qualis censendus haut pro suspenso saltem habendus in cujus locum alius statim sufficitur ea mente, ut munere perpetuo fungatur. (4) Talis itaque jure ab immunitatibus atque utilitate muneris eousque rectè remotus manet, donec facta purgatione ac cassata remotione in integrum restituitur. (5) *Uti judicatum in causa Senatus Verdensis contra Frantz Panning die 6. April. Anno 1660.*

1. *Valens in Tract. Decretat. ad Tit. de Sententiæ Excommun. §. 8. num. 4. Dd. in l. ult. ff. de Decur.*

2. Remotus eo loco habetur, ac si nunquam officium gesserit. Est enim ademtio ejus quod habetur & in eo à suspensione differt, quæ ita non adimit *Klock. consil. 31. num. 179. vol. 1.*

3. *l. & tot. tit. ff. de sentent. pass. & in integrum restitutis.*

4. *Anth. Gabriel. consil. 18. num 7. lib. 1* Alias ubi de hoc non constat non præsumitur facta surrogatio in locum exclusi *Rub. in l. prater filium num. 3. C. de inoffic. Test.*

5. Restitutio reparet quod remotio ademit *l 1. ff. de sent. pass.*

DECISIO III.

Suspensus ab officio non meretur frui istius commodis, cum purgationem moratur.

QUod dicitur ab officio suspensum interea frui officii salario & emolumentis, ita demun æquum est, si diligens sit in purgando se à diffamatione & removendo scandalo. (1) In hoc negligens tam indignus est officii præmiis, quam sordidus, quod famam negligit. (2) Et de crimine suspectior, quod defensionem atque exculpationem omittit, ad quam incitandus est privatione commodorum. (3) Nec proficere debet is obtentus dilatæ purgationis, quod suspensus prius velit restitui, cum hoc impetrari non queat, antequam fiat purgatio; (4) Ideo hanc differens se illa indigniorem reddit. *In eadem causa.*

1. In hoc diligentia ad officium honesti viri pertinet *quæ omnia 25 ff. de Procur.* Idque negligens non meretur beneficium vel auxilium *arg. l. auxilium 37. tit. ff. de minor.*

2. In se crudelis dicitur, qui famam contemnit.

3. Inter causas suspensionis refertur, ut suspensus ad removendum scandalum purgationemq; maturandam excitetur *Barbat. in c. fin. de Cleric. non resident. num. 13.*

4. Hæc finem adfert purgationi ut ipsa hujus finis existit.

DECISIO IV.

Delinquens etsi prafractè negans convictus tamen haud minus puniendus est.

NEmo quidem ut pœnæ ex delicto reus damnandus est nisi convictus aut confessus, (1) at non utrumque ad condemnationem requiritur, alterutrum sufficit, vel convictum vel confessum esse. (2) Cum per duos testes fide dignos probatum est delictum ad condemnationem juste proceditur, (3) etsi reus factum præcisè negaverit. (4) Proprium est reorum negare & fugere. (5) Si non nisi ex illorum confessione ad pœnam deveniendum esset, rarius punirentur delinquentes. *Sic judicatum in causa advocati Fisci contra Frid. Sitmann die 12. Septembris Anno 1662.*

1. *l. qui sententiam ibi Dd. C. de pœn. l. ult. C. de custod. reor.*

2. *Gomez. tom. 3. variar. resol. tit. de probat. delict. num. 3. Farinac. part. 3. op. crim. q. 81. n. 1. Rauchbar. part. 2. q. 8. num. 11. seq.*

3. Duo testes modo idonei sunt & dilucide testantur ad probationem delicti sufficiunt *l. ubi num. ff. de testib.* cujus textus dispositio non in civilibus tantum sed etiam in criminalibus obtinet, *Clarus in pract. §. ult. q. 66. vers. debeas etiam scire. Mascard. de probat. concl. 461. num. 1.*

4. Erronea est sententia illorum qui putant reum prius torquendum aut alia ratione ad confessionem adducendum esse. Nullo jure sic requiritur: Abutuntur textu ex criminali constitutione Caroli V. art. 16. qui non de convictis loquitur sed de deprehensis tantum in delicto postea tamen negantibus nec aliter convincendis, uti explicat *Rauchbar. d. q. 8. num. 14. seq.*

5. *l. properandum 13. pr. C. de judic.*

TIT.

Digitized by Google

TIT. XLVIII.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XLIX.

DE BONIS PRÆSCRIptorum seu Damnatorum.

DECISIO UNICA.

Ex publicatione bonorum quando fisco vel alteri quæritur dominium.

QUando qui cum hoste conspirationis arguebatur profugus, si ita se res haberet, bonis privari meritus erat, (1) creditor autem ubi sibi ex iis satisfieret instabat, & ut contra latitantem immissionem in bona absentis rogabat, hoc vero fieri non posse reperiebat, in considerationem venit, annon Fisci Regii procurator, seu cui à S. Reg. Majestate bona essent concessa, ut de eo rumor erat, citari atque audiri debuerit. Siquidem fisco facta jam fuisset acquisitio non aliter procedi potuit. (2) Etsi vero nondum de eo constabat, sed res incerta erat, utrum publicatio esset decreta nec Summi Tribunalis Regii erat de eo decernere, (3) tamen caute agendum fuit. Scimus quidem ex jure ob delicta regulariter non publicari bona delinquentium, nisi prævia rei citatione & sententia, (4) præter quam si ex lege vel statuto ipso jure fiat publicatio, (5) ubi tamen & declaratoria sententia opus: (6) Attamen cum vel delictum notorium, (7) vel aliquid occupationis accedit, quæ est in quavis apprehensione seu annotatione bonorum, (8) vel de publicando superior mentem declaravit, (6) uti fit cum bona ut publicata alteri concessit, (10) post talia nihil nisi citato & audito fisci Procuratore ad instantiam creditoris decerni debet. (11) Et licet & de his quædam adhuc dubia erant, præstantius tamen tutiusque visum, nihil decernere, nisi denunciata prius petitione fisci Procuratori, qui interesse fisci, si aliquod est, observet & alleget. Etsi vero rumore circumferebatur, alii ex Regia concessione bona profugi donata fuisse, quia de eo non constabat, non habita est ejus ratio. *In causa locum Tenentis Joannis à Lipfeld die 20. Januarii Anno 1658.*

1. Criminis læsæ majestatis sine dubio reus est, *l. 2. l. 3. ff. ad L. Jul. Majest.* cujus pœna est bonorum publicatio. *Auth. bona damnatorum in fin. C. de Bon. præscript.*

2. Fiscus in bona delinquentis succedit active & passive, ideo hæredis loco est, *l. 2. C. ad L. Jul. de vi Publ. si ademptis C. de Sentent. pass.* & sicuti facta confessione creditori non amplius superest actio sed fisco eique facta solutio liberat. *Bartol. in l. creditor ff. de Solut.* ita nec actio amplius movetur contra debitorem reum, sed contra fiscum *d. l. 2. C. ad Jul. und. vi l. si debitori ff. de Fidejussor.*

3. Confiscatio quæ fit per ordinem viamque justitiæ & judicii, ubi pro merito delicti ea pœna dictata est, judicialis quidem actus est *vide Peregrin. de Jur. Fisc. lib. 5. tit. 1. num. 15. & seq.* tanquam pars & effectus meri Imperii. *Jason. in l. imperium num. 24. ff. de Jurisdict.* At non ubi sine eo ob delictum in Principem ejusque statum publicatio bonorum fit. Hæc est de regalibus, *c. 1. Quæ sunt Regal. ib. Afflict. in verb. condemnationes num. 39. Natta consil. 594 num. 21.* nec exerceretur nisi à summo Principe, cui illata est injuria, *uti docet Peregr. dict. tract. part. 1. c. 1. l. 2. num. 94.*

4. *Boss. in Pract. tit. de hæret. num. 9. Marsil. in Pract. §. aggredior. num. 105.*

5. *De quib. vid. Peregrin. dict. tract. lib. 5. tit. 1. num. 167. seq.*

6. *c. cum secundum De Hæret. in 6. Felin. in c. Rodolphus num. 63. de Rescript.*

7. *Grammat. decis. 105. num. 13. & 58. Lue. de Pen. in l. 1. C. de Petit. bon. sublat.*

9. *Statim per declarationem mentis de publicandis bonis fisco acquiritur sine alia apprehensione l. quisquis C. ad L. Jul. Majest. l. Imperator ff. de Jur. Fisc. Bartol. in l. 1. §. an bona ff. eod.*

10. Bona ipso jure publicata à Principe concedi possunt alteri, etiam non facta declaratoria *Peregrin. dict. tr. lib. 4. tit. 5. num. 15.*

11. Judices attentos esse decet in omni causa etiam ex officio, ne fisco præjudicium generetur. *Bartol. in l. 1. pr. num. 3. ff. de Jur. fisc.*

TIT. L.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT.

Digitized by Google

TIT. LI.

DE SENTENTIAM paſsis & reſtitutis

DECISIO UNICA.

Non tantum Principum, ſed etiam ſummorum judiciorum, imo aliquando inferiorum eſt, contra relegationes reſtituere.

CUm pro eo, qui virgis cæſus & relegatus fuerat reſtitutio & redeundi venia petebatur, quo negocia ſua curare, & creditoribus ſatisfacere poſſet, duplex oriebatur quæſtio: Utrum ſummo Tribunali fas eſſet reſtitutionem talem facere & expedire, & deinde ſi eam poteſtatem ſibi ſumere poſſet, an ſatis pro ea cauſæ eſſet. Circa primum quidem dubitatio ſurgebat, quod reſtitutio deportatorum vel relegatorum ad jura Principum (1) atque majora regalia refertur, inde etiam antiquis legibus Principi ſoli tribuitur. (2) At diſcrimen faciendum inter illam, quæ ex mera gratia fit veniaque delicti eſt, & eam quæ juſtitiæ eſt ſeu ex juſta atque probabili ratione procedit. Jus gratiæ eſt ſolius Principis, ideo etiam quæ ex mera gratia fit reſtitutio. (3) Nec ſibi illam ſumere poteſt Tribunal jurisdictioni dicatum. At quæ fit pro juſtitia, atque ita virtute jurisdictionis, illa non eſt addicta Principi ſummo, ut non in judicio fieri poſſit, ſed iſti, præſertim ſummo, integrum eſt cum juſta cauſa adeſt contra ſententiam reſtituere. (4) In quo etiam inferioris judicii, cui omnimoda juriſdictio competit, poteſtas aliqua eſt. (5) Tanto magis, quod ſine iſta ſæpe, quæ jurisdictionis exiſtunt, expediri nequeunt. (6) Superfuit itaque tantum ut cauſa conſideraretur: Quæ tam gravis & æqua non viſa fuit, ut reſtitutio indulgeretur. Siquidem ea facta eſſet petitio, ut relegato in civitatem venire liceret, donec cum creditoribus res componeretur, horum cauſa temporalis indulgentia, ſi neceſſaria, impetrari potuiſſet. (7) At ratio non fuit ut perpetua concederetur. *Quod conſideratum ad ſupplicationem Hans Meyers, die 17. April. Anno.* 1660.

1. *vid. Weſenbec. in paratit. ff. de ſent. paſſ. & reſtit. num.* 1.

2. *l. Divi* 27. *pr. de pœn. l. indulgentia* 10. *C. de ſent. paſſ. & reſtit.*

3. Ita habet communis JCtorum opinio, uti teſtatur *Soarez. in theſ. recept. ſent. lit. P. verb. Princeps num.* 275.

4. *Per text in l.* 1. *§. de qua autem verb. quam Princeps vel Senatus fecerit ff. de Poſtuland.*

5. *d. l.* 1. *§. de qua autem* 10. *verb.* niſi ſicubi de officio jurisdictionis ſuæ ſubvenerunt.

6. Talia cum illa conceſſa intelliguntur *l.* 2. *ff. de jurisdict.* niſi inanis eſſe debeat.

7. Ita ſæpius fit, ut cum aliorum cauſa, ne ipſis jus ſuum pereat vel deterius fiat, aut ſi publica cauſa requirit relegatis reditum ad tempus pro eo fine & donec obtentus fuerit concedi. Nec in eo judex peccat qui licentiam pro neceſſitate conditionis ſuæ & ideo conductum concedit, dummodo non ſine urgente ratione fiat.

Finis Libri Noni.

Digitized by Google

CODICIS MEVIANI DECISIONUM FORENSIUM

& quæstionum super causis ad summum tribunal Regium ab anno 1653. usque 1670. devolutis.

LIBER DECIMUS.

TIT. I.

DE JURE FISCI.

DECISIO I.

Civitas Principi Imperii subdita non habet privilegium fisci inter creditores, nisi superiorum concessione vel longa consuetudine partum.

INterveniebat contra alium creditorem civitas pro obtinenda executione, obtendens jus quoddam crediti velut publici potius, idque tale quod tacita hypotheca simulque instar fisci prioritate gauderet. Innitebatur tum exemplo fisci, [1] ex rationis similitudine; [2] tum favore publicæ utilitatis privatorum juribus anteferendæ; [3] tum pecuniæ publicæ usibus, veluti qua Reipubl. necessitatibus succurritur, ideo omni ope custodienda est; [4] tum ex jure meri Imperii, cui tale jus annexum creditur; [5] tum exemplo aliarum Pomeraniæ civitatum. [6] Verum nimis imbecilles hæ erant rationes, ut possent solæ ad obtinendum pro civitate subdita illud privilegium sufficere. Primo enim certo jure constitutum, ut civitates in bonis creditorum non habeant aliud quam personale privilegium, ex quo post hypothecarios sunt, chirographariis tantum anteferuntur. [7] Quod si vero aliquæ obtendunt, oportet illos ex concessione superiorum expressa vel tacita, obtinuisse. [8] Atque sic concors JCtorum Schola docet & praxis observat. [6] Deinde privilegium tale obtendentibus incumbit ejusdem probatio. [10] Quale ex jure communi doceri nequit, ideo in singulis demonstrandum erit. Tertio, fisci jus dicit ut illa hypotheca cum prælationis jure. At fisci jura civitates superiorem recognoscentes Imperii Principem non habent; [11] Sicut nec fiscum. [12] Unde privatorum loco esse dicuntur. [13] Ex quo etiam apparet, quam nihil iis prosit exemplum fisci quo uti illos non debere docet lex, [14] & ipsa vox privilegii, quæ jus singulare fisci denotat, quod non trahendum est in consequentiam, etsi vel eadem videatur subesse ratio. Publicæ utilitatis ratio in iis civitatibus tanti non est habita, ut lex voluerit parem habere rationem, sed reliquit providentiæ magistratuum, per quos potuit ipsi caveri. [15] Quod ex mero imperio obtenditur, id aliquibus in locis errore magis quam ratione invaluit. [16] Nam nihil commune habet cum fisco ejusque juribus, ut & Regalibus merum Imperium, uti hodie ea voce utimur & criminalem jurisdictionem indigitamus. Unde eo licet concesso non veniunt aut quæruntur regalia. [17] Quod tandem aliarum provinciæ civitatum exemplum attinet, minime huc quadrat, dum alia illorum conditio evidens est, postquam jus tale per privilegium Principum impetrarunt. [18] His consideratis non potuit reputari civitati esse jus prælationis, sed si eo uti velit, melius docendum fuit. Interea visum iniquum executionem rei judicatæ, quam alius obtinuit, impedire. Ea igitur non impedita reservata est ulterior deductio *in causa Bürgermeister und Rath der Stadt Alten-Stettin contra Johann Scherenbergen, die 25. Sept. Anno 1657.*

1. Fisco in bonis debitorum tacita hypotheca competit cum privilegio prælationis ante alios creditores, etiam expressam anteriorem hypothecam habentes, *l.1. l.2. C. in quib. caus. pign. vel hypoth. tac. l.3. ib. Bartol. & Angel. C. de jur. Fisc. Neguzant. de Pignorib. part.5. memb.2. num.41.*

2. *Ratio ejus juris ponitur in l. utilitas 3. C. de Primipil.* quæ est in publica utilitate considerandæ etiam in civitate inferiori, tanquam membro communis Reipubl.

3. *l. un. §. pen. C. de Caduc. tollend.*

4. *l.1. §. cum autem ff. de damn. infect.*

5. Jus fisci per concessionem meri Imperii ad civitates transire multorum est sententia *post Hostiens. Oldrad. Consil.75.* Et in specie per illud; Civitates superiorem non recognoscentes circa credita fisci privilegium ut & superiorem recognoscentes usurpare scribit *Wesenbec. in Paratitl. ff. quib. in caus. pign. num.5. in fin.*

Digitized by Google

6. *Allegabatur exemplum Stralsundensium, Gryphiswaldensium, Stargardensium, Colbergensium &c.*

7. *De hoc ita habetur in l. 2. C. de jur. Reipubl.* Si Reipubl. neque beneficio sibi concesso jus pignoris nacta est, neque specialiter in obligatione pignoris sibi prospexit, causa ejus non separatis à cæteris creditoribus, qui habent personalem actionem, *concordant textus in l. pen. §. 1. ff. de reb. autor. judic. possid.*

8. *l. nulla 10. ff. de Municip. d. l. 2. C. de jur. Reipubl. l. Antiochensium 37. ff. de reb. autor. judic. poss* in quo verba *lege sua* indicant jus à superiore impetratum.

9. *Beuther. de Privileg. credit. lib. 1. cap. 20. Wesenbec. ff. de Privil. credit. num. 5. Gothofred. ad l. 3. C. qui pot. in pign. Cujac. lib. 9. Observ 37. Forner. 1. select. 7. in fin.*

10. Privilegium ante omnia probandum est ab allegante, alias insistitur juri communi *l. 1. C. de Mandat. Princip. Bald. in l. fin. ff. de Re judic.*

11. Præterquam si quid à Principe concessum vel præscriptum, *Gail. 2. Observat. 130. num. 15. Peregrin. de tract. lib. 1. tit. 1. num. per l. 1. §. quibus ff. quod cujusque univers.*

12. *l. eum qui 10. ff. de Verb. Signif.*

13. *d. l. nulla 10. ff. ad Munic.*

14. *Mynsing. resp. 3. num. 140. decad. 11.*

15. *d. l. 2. C. de jur. Reipubl.*

16. *Uti judicat. Cothman. resp. 55. n. 4. vol. 2. sic demum cum mero imperio transire volens, si simul concessa fuerint Regalia.*

17. *Cothmann. dict. consil. 55. num. 43. Peregrin. dict. tract. tit. 2. num. 72. seq.*

18. Civitates prænominatæ ex privilegiis & concessionibus Principum impetraverunt usum juris Lubecensis, seyn auff Lübisch Recht bewidmet und fundiret. Quod cum civitati privilegium prælationis tribuat, *artic. 12. tit. 1. lib. 3.* utique isto fruuntur etiam aliæ civitates, quæ jure ipsius ex Principum beneficio utuntur. *Vid. scripta in Commentario ibidem, num. 13. seq.*

DECISIO II.

Semel caduca per transitum domini prioris ad alias partes non redeunt in illius dominium.

CReditores hæredi agenti à debitore oppositа exceptione caduci seu confiscationis velut contra hostem factæ: (1) nec non posteà subsecutæ pro donato per belli Ducem remissionis, (2) replicabatur de transitu creditoris ad partes Regis qui nomen primo in fiscum bellicum redegerat, deinde debitori remiserat. Orta inde disputatio est, utrum inde creditori jus debitum jam confiscatum debitori remissum petendi redierit, quod deinde partium Regiarum factus erat; (3) indeque exceptio per replicam elisa sit? Conclusum est, non sufficere ad restitutionem in integrum creditorem postea Regi militasse, (4) sed necesse esse ut justè amissa in pristinum statum restituantur, (5) quia semel fisci & per hunc ejus cui fisci dominus concedit effectum est illud creditum. (6) Deinde etiam quando à Rege debitori remissum exstinctum erat, ipso jure non reviviscit. (7) Consideratur qua amissionem & liberationem conditio creditoris eo tempore quo facta fuit publicatio. (8) Illud subsecuta mutatio conditionis ejus non mutat jus quæsitum alterius. Cui consequens debitorem cum caducitatis & ex illa remissionis sibi factæ exceptione adhuc audiendum esse. *In causa Commissarii Regii Casparі Kempendorff contra Viduam Joannis Henrici Zepperen die 24. Junii Anno 1654.*

1. Publicantur bona hostium & his militantium *l. si captivus 20. §. 1. ff. de captiv. & post lim.* capta enim capientium fiunt *l. naturalem §. fin. de Acq. rer. dom.*

2. Non tantum res mobiles & immobiles sed etiam nomina in fiscum rediguntur, ex quo fisco fas est exigere vel remittere.

3. Transitus ad partes ex hoste amicum facit.

4. Si quod bello captum est, in præda est & postliminio non redit *l. si quid bello 27. ff. de capt. & postlim. rev.*

5. Sine restitutione in pristinum statum non revertitur ad dominum quod illi juste fuit adeptum & publicatum *l. 1. & in tot. tit. C. de sent. pass. & restit.* Solus reditus in gratiam vel amicitiam sine alia indulgentia & restitutione non redintegrat dominium semel amissum *l. frustra 8. C. eod.*

6. Id quod nostrum semel effectum sine facto nostro iterum non potest auferri *l. quod nostrum ff. de R. J.*

7. Non reviviscit semel exstincta obligato *l. qui res suas §. aream 8. ff. de Solut.*

8. Originem in quæstione juris spectamus non eventum *l. 3. pr. ff. ad SCt. Macedon.* Sub principio justa consistunt, etsi deinde in casum devenerint, ubi justè fieri non possent.

DECISIO III.

Ex præteritis belli collectis contracta debita an post pacem peteri licet.

EXceptio, debitum quod à se petitur vi metuve à milite extortum fuisse, inde in dubitationem incidit, quod ex residua contributione ortum, & super illo instrumentum velut pro mutuo datum erat. Nec enim quod pro tributo inter arma indicto promissum restat, exigere per pacis compositæ instrumentum veritum est. (1) Discerni verò oportet utrum contributio, quæ causam dedit promisso seu debito per militiæ Duces, quibus ea facultas fuit, licito modo imposita, an per alios quibus impositio non convenit, injusta & vi militari extorta sit. (2) Sicut illam exigere non fuit improbum nec injusta prohibita quæ sit executio, utut militaris, (3) ita cessat ob eandem violentiæ exceptio, nec per pacem excluditur. Secus se res habet, ubi collecta præ-

Digitized by Google

præter id quod moris aut constitutionis per injuriam officialium bellicorum fuit injuncta & militari compulsione extorta. Quidquid pro ista vel occasione istius promissum tanquam injustè extortum non debetur, abolita per pacem petitione. (4) Pro ea diversitate opus est rem indagare & exactè discernere originem & causam debiti. *In eadem causa.*

1. Amnestia seu expressa seu tacita (uti hæc omni paci inesse creditur & lex pacis naturalis est) abolet injurias, deque his actiones tollit, non vero contractus & debita. Cum hoste contracta servanda sunt *l. lib.* 17. *C. de postlim.*

2. Hæc destinctio convenit Instrumento Pacis Cæsareo-Suecico *in cap.* 2. §. *Contractus, permutationes*, ubi ea tantum quæ vi metuve illicitè extorta sunt cessantur.

3. Hodie usu bellorum sic invaluit, ut ubi jus metatorum militibus conceditur, ibi etiam tributum deberi putetur, ideo ejus impositio & exactio belli ducibus justa habeatur. Quod olim secus fuit, *uti ex l.* 5 *& tot. tit. C. de Metat. & Epidem.* apparet, sed consuetudo jam licitam fecit, nec inter improba opinio communis habet, quæ in his juri & rationi prævalet *contra l.* 2. *C. quæ sit long. consuet.*

4. Hæc convenit dictæ legi Pacis Osnabruggensis cassantis omnia illicite extorta. Nil facit in contrarium quæ sancita fuit universalis Amnestia, quæ injurias & de his actiones abolet, actiones injustas non legitimat.

DECISIO IV.

Ob interesse fisci causa devolvitur ad judicium superius, quod in ejus causis tantùm competens.

POstquam existimabatur filium, qui parenti violentas manus intulisse arguebatur, non quidem successionis esse incapacem, tamen habendum indignum, inde Procuratori Fiscali jus partem ejus fisco vindicandi, eique committendam eam prosecutionem, incidebat alia dubitatio, ubi & quomodo à fisco agendum esset. Nam appellatio à sententia quæ illum ad successionem unà contra cohæredes admiserat, uti frivola & juri contraria recipienda non fuit, cui consequens videbatur, ut nec devolveret illam causam, (1) eò verò non factò, maneret penes judicem à quo, ubi petitio hæreditatis agebatur, (2) quare interventio fisci ibidem proponenda esset. (3) Econtra autem fisci privilegia considerata sunt, è quibus est, quod suos proprios & speciales habet judices. (4) Huic verò conveniens ut comparens pro suo interesse causam trahat ad suum judicem, (5) & licet instantia apud alium cœpta, eo tamen causa transeat, & quibuscum res est, illuc fiscum sequi coganter. (6) Accedit alterum privilegium fisci, quod ejus causa prius agi debet, interim aliorum lis suspendi. (7) Ex quo in præsenti causa quiescere debuit aliorum super hæreditate quæstio, antequam de jure fisci res certa & decisa est, quos interea hæreditatem inter se partiri & partem cohæredis indigni ad se trahere admittendum non fuit. Etsi itaque ex provocatione sola privatorum causa non esset in superiori judicio retinenda, ex fisci tamen privilegio (8) & interventionis jure ibidem discutienda est. (9) Atque ita decretum est, quod Procurator fisci in hoc judicio fiscalia jura observare debeat. *In causa Gammelkorn contra Claus Lindovven die* 10. *Junii Anno* 1656.

1. Ex appellatione injusta & non recipienda nulla fit causæ ad judicium superius devolutio, *l.* 1. *tot. tit. ff. & C. quor. appell. non recip.*

2. Appellatio nisi devoluta non extinguit jurisdictionem judicis à quo. *Henr. Boich. in c.* 1. *de Appellat. num.* 13.

3. Interveniens regulariter alligatur foro ubi causæ ab aliis agitatæ intervenit, quod ex continentia causæ oritur. *Vid. Petr. Frider. Mindan. lib.* 3. *de Contin. caus. cap.* 8. *n.* 11.

4. Habebat ex lege veteri fiscus, cum non de crimine publico quæritur, sed de bonis fisco applicandis agitur, peculiarem judicem nempe Procuratorem Cæsaris, *tot. tit. C. ob caus. fiscal.* Saltem si hic in Provinciis non erat vel aberat. Præsidis erat cognitio, *l. vacantia ib. Bartol. C. de bon. vacant. gloss. in l. defensionis C. de jur. Fisci.* Hodie non est quidem ubique is magistratus vel judex, sed fiscales causæ aguntur in ordinariis judiciis. Hoc tamen mansit, quod forum pro iis competens non est, nisi eorum qui jura fisci habent. *Matth. Stephan. de Jurisdict. lib.* 2. *part* 1. *membr.* 2. *cap.* 5. *n.* 301. Qui his carent, non sunt idonei judices.

5. *l. si minori C. de Jur Fisc. Capyc. decis.* 197. *Decius consil. ult. n.* 8.

6. *Per l. si constante* 24. §. *fin. ib. Bartol. ff. solut. matrim. Bald. in l.* 1. *C. de haered. vendit.*

7. *l. apud Julianum ff. de Jur. Fisc. Specul. in tit. de Reo versic. item si fiscus.*

8. Ex hoc judex fiscalis potest ad se advocare causam cum toto processu. *Peregrin. de Jur. Fisc. lib.* 7. *tit.* 1. *num.* 11. *in fin.* & præventio nullarenus præjudicat fisco successori. *Laudens. in tract. de Fisco quæst.* 91.

9. A continentia causæ circa interventionem excipitur fiscus tanquam privilegiatus. De privilegiatis circa forum JCti statuunt, quod si non ex voluntaria causa interveniant, causam ad suum forum trahunt. *Vid. Mynsing.* 5. *Observ.* 14. *in fin. & lib.* 6. *Observ.* 33.

Digitized by Google

TIT. II.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. III.

DE VENDITIONE Rerum fiscalium cum privatis communium

DECISIO UNICA.

Vendito licet sub hasta facta ob enormem lasionem rescindi potest.

AMbigua inter JCtos disputatio est de venditione quæ sub hasta seu post publicam distractionem fit, an si nimis multum infra justum precium illa consistat, seu enormen læsionem inferat, rescindi possit? Habet utraque sententia suas asseclas, quos ab aliis qui pro & contra disputant collectos reperies; (1) cum nobis occurrebat species in illam disputationem incidens, existimavimus, non ut emptori ita & venditori contra talem venditionem rescissioni locum præcludendum esse magis quam contra alium, siquidem aliquid fraudis supereſſet. (2) Non tantum nullo juris textu excluſa est rescissionem petendi facultas, (3) sed legibus concessa, (4) quos clariores putavimus quam ut quæ contra illos moventur dubia aliter sentire sinerent. Nec enim putandum est, si fisci seu fiscalium debitorum causa agitur, singulare esse, ubi ex nullo apice apparet favori ejus id tributum, sed ratio communis est, magisque sic concludendum, quod si contra distractiones ex fiscalibus causis rescissio locus est, multo magis in cæteris non adeo favorabilibus licere; & cum in alienationibus decreto judicum factis ei remedio ex L. 2. C. de rescind. vendit. locus sit (5) tum multo magis in aliis distractionibus ubi nulla fit causæ cognitio, admittendum. Disponitur quidem per rectam jurisprudentiam recte, quod hastæ fiscalis fides non facile convelli debeat, (6) sed sub ea contracta venditio perpetuam firmitatem habere. (7) At sic accipiendum, si nihil circa eam fraude actum appareat, quam juris autoritas nulla ratam habet. (8) Fraus autem adest, ubi nimis vili precio emitur (9) multo magis, ubi id tempus captatur, ubi res alium emptorem qui justum precium offeret, ne reperit, uti inter bellicas tempestates evenit, quando quisque de suis magis conservandis, quam alienis comparandis pecuniisque exponendis est sollicitus, ideo nisi magno cum suo lucro & alterius incommodo non emit, unde ex ejus oblatione justum precium censeri nequit. (10) In tali casu ad venditionem non sine fraude properatur & acceditur, cui nec judex indulgere debet, nedum ubi ad æquitatem debitor provocat, resistere. (11) Die 10. May Anno 1659.

1. *Hac vice tantum remitto ad Berlichium decis. 120. ubi reperies eos allegatos.*

2. *De hoc ita cautum in l. à Div. 15. §. si pignora 3. ff. de Re judic.* Ratio diversitatis est, quod ille libera voluntate precium statuit & offert, debitor ex necessitate recipit. At & in restaudato supererit remedium.

3. Sine lege commune juris remedium dimitti non oportet. Non pertinet ad hanc speciem text. *in l. 1. Cod. de Prad. decurion. fin. decret.* in quo non deciditur, quo effectu fiat venditio, si in illa fraus intervenerit, sed quando sine fraude illa facta intelligi debeat. Non excludit remedium venditori si lædatur, sed tantum reipubl. actionem ubi legitime actum.

4. *In l. si quis 16. C. de rescind. vendit. l. fundum 9. ff. eod.*

5. *Pinell. in l. 2. part. 2. cap. 2. num. 25. seq.*

6. *l. si hypothecas C. de Remiss. pignor.*

7. *l. quacunque 5. C. de Fid. & jur. hast. fisc.*

8. Hæc nec in publicis distractionibus permittitur aut approbatur *d. l. si quis 16. C. de Rescind. vendit. l. 2. C. de Fid. instrum. l. 3. C. de re judic. l. ult. C. si in caus. judic. pign.*

9. Dolus hic in re simillem æquitatem rescissionis postulat *l. 36. ff. de V. O.*

10. Quod dicitur tanti rem dici quanti emptorem reperit *l. 1. §. si hæres 16. ff. ad SC. Trebell. l. mortis 18. §. qui hominum 3. ff. de Mort. caus. donat.* sic intelligendum, si non apparet emptorem inique nimis licitari; & tunc ubi justus emptor reperiri nequit. Præsumptio etiam tantum est justi precii ex subhastatione, quæ non valet diutius, quam donec contrarium non apparet aut probatur. *Maurit. de Restit. in integ. c. 375. n. 5 seq.*

11. Etsi judex ex lege vel consuetudine ad subhastationem progressus sit, tamen ubi reperit, nimis inique alium licitari, non debet ei rem relinquere, sed aut differre; aut quod justæ æstimationis est decernere, uti æquissimo consilio hoc tempore sæpius factum scio, & tanto magis faciendum, quod ita etiam præscribit novissima Imperii constitutio Ratisponensis de Anno 1654.

TIT. IV.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT.

Digitized by Google

TIT. V.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. VI.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. VII.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. VIII.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. IX.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. X.

DE BONIS VACANtibus & de incorporatione.

DECISIO I.

De jure civitatis in bona vacantia non allegando modo sed etiam docendo.

QUod Regiminis Regii collegium bona vacantia Civitati derogavit, juxtim in ista manum intromisit, appellatione interposita Senatus querelam movebat. Causam de bonis vacantibus esse appellabilem dubitandum non fuit, (1) an appellandi causa esset, dubitatum. De quo ex jure bonorum vacantium fuit statuendum, si naturale gentium jus respexeris, corporis seu societatis jus non absurde putaveris, ut defuncti socii bona isti cedant, (2) nec negandum civili societati. At ex jure Romano non relictum isti hoc jus est, sed constitutum ut fisco bona vacantia cederent. (3) Ex quo ad Germanos devenit Romanum imperium, transiit idem jus, inde inter Regalia relatum. (4) Quæ cum Statuum quisque in suo territorio sibi asserit, utique in eo ipsis jus bonorum vacantium cessit. (5) Unde qua ista Principes Imperii in illo fundatam intentionem habent, (6) etiam adversus civitates sibi subditas, quibus illud ex se seu communitatis jure non competit. (7) Possunt tamen ut alia jura regalia sui fisci, (8) idem acquirere vel ex concessione & privilegio superiorum, (9) vel ex longo usu. (10) Non similiter ex sola jurisdictione omnimoda vel mero & mixto imperio, (11) nisi lex vel mos provinciæ antiquus ejus partem vel effectum jus bonorum vacantium effecerit. (12) Quod si civitas sibi quæsitum vel competens id dixerit, allegationem probare debet. Ideo vero non statim ipsi jus hoc sine causæ cognitione derogari. (13) Quod si fiet, appellatio recipienda est, quo causa cognoscatur. (14) Ut enim illi id jus non tribui, sic ubi se habere dicit, nisi cognita causa auferri non debet. (15) In quo cum excessisset nimium illud decretum, quod statim inaudito senatu denegabat appellationem non rejiciendam esse visum fuit, die 25. Febr. Anno 1655.

1. *Per text. express. in l. lata 22. C. de Appellat.*

2. Eo respiciunt quæ habentur *in l. 1. & tot. tit. C. de Haredit. Decurion.* præsertim vero quæ *in l. fin. in fin. dict. tit.* habetur ratio istud indicat.

3. *l. 1. C. de bon. vacant.*

4. *c. un. quæ sint regal.* sic jam communis JCtorum Germaniæ sententia habet, vacantia bona esse illorum quorum sunt in loco Regalia.

5. Quisque Status Imperii in suo territorio tantum habet ac valet, quantum Imperator in universo imperio, uti vulgatum axioma habet quo pro principio & fundamento jurium territorialium utuntur, inter hæc non postremum est jus fisci.

6. Latius hoc integro consilio exponit Cothmann. *respons. 55. vol. 2. ubi præsertim num. 21. de eo scribit.*

7. Ita tradit textus, *in dict. l. 1. C. de Bon. vacant.* ex quo generaliter JCti tradunt Civitates superiorem recognoscentes non habere jus bonorum vacantium, uti post alios allegatos ponit Cothmann. *dict. respons. 55. num. 24.* rationem hanc addit ex *l. eum qui l. inter publica ff. de V. S.* quod ista Civitates privatorum loco habentur.

8. Quomodo multæ Germaniæ Civitates lege ultra privatorum conditionem per privilegia & fundationes evehuntur, ut à municipiis veteribus ad illas ineptum plane argumentum sit, ita etiam ipsis contingit exinde

Digitized by Google

multa acquirere, quæ aliàs regalia dicuntur, ita etiam jus fisci. *Mart. Laudens. in tr. de Fisco quæst.* 4.

9. *Gail.* 2. *Observat.* 130. *num.* 15. Ne quidem privilegiis jus bonorum vacantium per civitates impetrari posse *d. l.* 1. *C. de Bon. Vacant.* indicare videtur. At ab eo usus dudum recessit, & secus fieri demonstravit, dum plurimæ civitates in Germania id habent, & sic omnes JCti sentiunt tales jus privilegio acquiri.

10. Ex hoc quæritur jus Fisci & & bonorum vacantium à Civitatibus *Cothmann. dicit resp.* 55. *num.* 8. & 47.

11. Multis surrepsit hæc opinio jus confiscandi, ut & bonorum vacantium sequi merum & mixtum imperium. Sed erronea est, uti demonstrat prolixius *Cothmann. dict. resp.* 55. *num.* 42. jurisdictio & imperium merum nihil commune habent cum regalibus nec ab illis adhæc argumentum valet, *Matth. Steph. in tr. de jurisdict. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 17.

12. Ita in Saxonia Civitates quæ merum & mixtum imperium ex consuetudine vel concessione obtinuerunt, jure fisci & per hoc bonorum vacantium frui tradit *Wesenbec. in paratitl. ff. de jur. Fisci. num.* 4. *Henn. Goder, resp.* 10. *num.* 50.

13. Eam mitiorem viam sequendam esse post alios citatos in terminis monet *Cothmann. dict. resp.* 55 *num.* 123.

14. Cum in prima instantia omittitur legitimus processus ideo appellatio recipitur, at in secundâ partes eo fruantur, quo justa juste fiant.

15. *Zuchard. in l. fin. num.* 372. *C. de Edict. D. Adr. toll.*

DECISIO II.

Fisco non est jus occupandi bona, quæ alius jam tenet ipso inaudito & sine causæ cognitione.

ETsi fisco cedunt bona vacantia statim à morte defuncti, (1) non tamen simul possessio. (2) Transit quidem jus occupandi etiam propria autoritate: (3) at ita demum, si alius quisquam non possidet, (4) & possessor causam contradicendi habet. Duo hæc, ubi concurrunt, (5) fiscus abstinere debet ab occupatione, & non aliter quam judicio contendere contra eum, qui jam apprehendit. Ubi legitimus contradictor est, utitur jure privati & jure experiri decet. (6) Si vim fecerit, non minus nec aliter quam alius privatus restitutioni est obnoxius. (7) Quando ergo civitas bona vacantia ex obtentu privilegii & antiquæ consuetudinis jam occupaverat, fisci nomine non debuit ab executione fieri exordium, ita ut non audito magistratu occupentur vel auferantur, (8) sed justo brevi tamen processu, (9) agendum fuit ad restituendum, & cum opponitur non competentis actionis exceptio, jus bonorum vacantium prius legitime discutiendum. *In eadem causa.*

1. Hæc communis est sententia, bonorum vacantium dominium ipso jure statim cum defunctus moritur ad fiscum transire, *l.* 1. §. 1. *ff. de jur. fisc. l. cum duobus* §. *idem respondet ib. gloss. ff. pro Soc. Laudens. de jur. fisc. quæst.* 266.

2. *Guilielm. de Camer. in auth. si servo C. de Episc. & Cleric. Tiraquell. in tr. de nobilit. part.* 2. *declarat.* 15. *num.* 24. *Petr. de Bellapertic. in Spec. Instit. Princip. tit. de Amortisat. rubr.* 14. § *nunc videamus num.* 4. *ubi scribit contrarium sentientium vocem adulatoriam esse.*

3. *Boer. consil.* 191. & *seq. vol.* 1.

4. *Laudens. in tr. de jur. fisc. quæst.* 142. & *quæst.* 265. *Peregrin. de jur. fisc. lib.* 7. *tit.* 3. *num.* 10. *Choppin. in tr. de Doman. lib.* 3. *num.* 1. & 6.

5 Non sufficit ad excludendum fiscum nuda possessio, sed oportet ejus esse titulum quendam justificum, ex quo possessor legitimus sit contradictor, *de quo Cothmann. resp.* 55. *num.* 74. & *seq. vol.* 2. ita scribit: *Etsi bona vacantia quæ Fiscus occupare vult, non tantum à domino sed & à possessore vacua esse debent, tamen possessorem hoc casu intelligimus justum & legitimum, prædonem non violentum, non clandestinum, non vulturium, non vitiosum. Nam si sit lis, multoque magis si tantum sit controversia, inter fiscum & privatum pariter fiscus rem controversam ad manus suas ponere, & sic privare privatum suâ possessione.* Ita diserte scribit Robertus Lancellottius Tractat. de Attentat. *part.* 2. *part.* 4. *tit. de attentatis lite pendente, declarat.* 4. *num.* 26. & 27. *Neque putandum est hanc sententiam esse singularem unius tantum Doctoris auctoritate suffultam, imo superiori doctrinæ interpretum, quod videlicet fiscus jure communi hoc casu agatur plane contrarium. Nam hac interpretum doctrina in possessore vitioso obtinet, & omnium interpretum suffragiis comprobata est. Scribunt enim nominatim privatum possessorem ita demum fisco bona vacantia occupare volenti resistere, contradicere & possessionis avocationem impedire posse, si juste possident, usque ita contradictor sit legitimus & justus.*

6. *l. defensionis C. de Jur. fisc. l. fin. C. de bon. vacant. Fr. Marc. decis.* 654. *num.* 1.

7. *Gloss. in d. l. cum duobus* §. *idem respondit. ff. pro soc. Bartol. in d. l. defensionis.*

8. Causa fisci est summaria & levato velo tegenda. *Matth. de Afflict. de Feud. in tit. de Fratrib. de novo benef. investit. provis.* 9. *num.* 9.

9. *Eam sententiam mitiorem, tutiorem & meliorem dicit Cothmann dict. resp.* 55. *num.* 135. *seq. ubi præmissum observandum describit.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO III.

Lite super jure bonorum vacantium inter fiscum & civitatem pendente nisi certa hujus est possessio, illi relinquenda est occupatio.

CUm per appellationem lis de jure bonorum vacantium inter Fiscum Regium & Civitatem ad Summum Tribunal devoluta fuisset; à pendente accidit mori aliquem, de cujus hærede non constabat, ideo fisci nomine bona occupari, describi, edicto si quis hæres sit, ut intra certum tempus nomen profiteatur & hæreditatem adeat vocari, id vero per civitatem velut attentatum allegari & denuò appellatione interposita impugnari. Si quidem civitas in antiqua possessione vel quasi juris bonorum vacantium manifestè reperiretur, audiri debuit, (1) & in ista usque ad finem litis pendentis per legitimos processus defendi. (2) At quando de ista nihil constabat aut certe res valdè dubia erat, potiores fisci partes esse oportuit, donec civitas jus istud suum esse doceat. (3) Fiscus enim contra civitatem nititur jure communi. (4) Hæc illud non potest habere nisi jure singulari per privilegium vel consuetudinem. (5) Donec itaque hæc singulare jus probat, sequendum est quod communi juri congruum est, nec in exercitio Regalium turbandus est fiscus. (6) Quemadmodum sine manifesto jure illud non indulgendum civitatibus, (7) præsertim lite adhuc super isto jure ejusque possessione pendente, (8) cum enim interea curandum sit, ut bona conserventur victori potius, in eo jus est fisci, ut major pro illo præsumptio militet. (9) Ideò quod pro bonis vacantibus occupandis, conservandis, administrandis suscepit & facit, pro attentato minimè habendum, nec revocandum est. (10) Præsertim ubi civitas adhuc nec continuam possessionem vel quasi istius juris docuit, nec titulum ostendit. (11) *In causa Senatus Stetinensis contra Regium Fiscum die 23. Januarii Anno* 1656.

1. Cum per concessiones, contractus, privilegia & longissimi temporis præscriptiones ut cætera regalia, quæ minora seu fisci vocamus, ita & jus bonorum vacantium civitates acquirere posse à JCtis asseritur, à Politicis toleratur, usu approbatur, ita consequens est, cum in certa talium possessione reperiuntur, donec jure certum fuerit relinqui debere. *Laudens. in tr. de Jur. Fisc. quæst. 4. Joh. de Platea. Luc. de Penna & Dd. alii in l. 1. C. de Jur. bon. vac.*

2. Contra Civitatis possessionem non improbam fisco permissum haud est bona vacantia describere, arma & insignia sua apponere. *Laudens. d. Tract. quæst.* 142. & 263. sequestrare, *Peregrin. de jur. fisc. l. 7. tit. 3. n.* 10. possessionem alio modo invadere, *Laudens. d. tr. q.* 227. *Ren. Choppin. de Doman. Franc. l. 3. n.* 1. & 6. Contra possessores non vitiosos fiscus jure privatorum utitur. *Gail. de Caneo in Ath. si surrog. C. de Episc. & Cleric.*

3. Non edocto jure civitatis fisco resisti minime potest. *Luc. de Penna & Bartol. in l. defensiones C. de jur. fisc. ibid. Accurs.*

4. Sunt enim fisci regale bona vacantia *tot. tit. C. de Bon. vacant. c. un. qua sint Regal.*

5. *l.* 1. *C. de Bon. vacant.*

6. Jura & Regalia fisci in Germania sunt Imperii Statuum in territoriis suis propria, nec eorum subditis Civitatibus communia, nisi concessa. Inde fundata illorum qua ista ubique in territorio est intentio.

7. *Quod late demonstrat Cothmann. resp.* 55. *num.* 77. & *mult. seq. vol.* 2.

8. Fisco licet pendente super bonis vacantibus lite ea describere & in inventarium referre. *Laudens. dict. tract. quæst.* 142. *Peregrin. de jur. Fisc. dict. n.* 3. *n.* 10.

9. *d. l.* 1. *C. de Bon. vacant.*

10. *Cothmann. dict. resp.* 55. *n.* 67.

11. Periculosum dicit Belluga *in specul. tit. de Amortizat. rubr.* 44. §. *nunc videamus n.* 42. possessionem Regalium contra Principes asserere. Quæ non proficit sine titulo. Quo non probato Fiscus in iis possessor habetur. *Sichard. in l. fin. n.* 393. *ibid. Castrens. num.* 12. *C. de Edict. D. Adrian. tollend.*

TIT. XI.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XII.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XIII.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XIV.

SI LIBERALITATIS Imperialis socius sine hærede decesserit.

DECISIO UNICA.

Ex usurpatione rei liberæ, utut per immemoriale tempus non est collegio opificum quæ alios jus prohibendi.

CUM illud genus pistorum quos Fast-Becker vocamus ea diuturno

Digitized by Google

usu exercuisset quæ illis pistoribus quos Loß-Becker in aliis civitatibus propria sunt, postea ejus usu alium prohibere vellet, placuit haud audiendos utpote qui jure isto carerent. (1) Nec enim ad jus opificii sui id jure proprietatis pertinuit, quia diu usurpatum. Hoc inde factum quod cum alterius generis pistorum nullum collegium fuisset, liberum & meræ facultatis fuit quali nullo tempore præscribitur, (2) nec alteri adimit aut præcludit usum, quin jure libertatis tam naturalis quam civilis id aliis proprium legitimè non factum exercere valeat. (3) *Sic decretum ad supplicationem der Fast-Becker zu Wismar, die 19. Junii Anno 1657.*

1. Jus prohibendi quo Collegia utuntur oritur ex jure quodam suo privativè concesso. Ubi hoc cessat seu abest, ibi etiam prohibendi facultas deficit.

2. *l. 2. ff. de via publ.*

Quæ in libertate naturali remanserunt nulli legitimis modis propria reddita, omnibus licent, donec lege publica prohibentur *leg. quod enim 3. ibid. Bartol. ff. de Acquir. rer. domin.*

TIT. XV.

Hunc Titulum Mevius non attigit.

TIT. XVI.

DE ANNONIS ET Tributis.

DECISIO I.

Deserti fundi possessor tenetur ad onera, civilia non attentô fructuum quos percipit modô.

REjecta cum esset appellatio ejus, qui tributa agri ad se à Colono dominii jure devoluti solvere recusabat, facta est postea pro processibus instantia, juxtimque explicatum, quomodo cum re non erat acceptum, pro quo onus sustinebatur, sed tantum quod ipsius fuerat, qui immunitatem obtendebat, de cætero desertus ager. Casus ità narrabatur. Decesserat colonus, qui annuatim censum einen Meyer-Zinß nobili præstabat, tributa etiam solvere solitus est, inde tecta vastata, ager incultus jacebat. Ut verò illô censu frueretur, nobilis agrum coluit, pascuis usus est, at tributa dependere recusabat, sub illo obtentu, quod agrum non suis usibus sumpsisset, sed ex necessitate quo canone annuo potiretur, addens tributa non suum (nobilis enim immunis erat) sed coloni onus, de cætero agrum pro deserto habendum esse. Quando verò accolæ ab ipso collectarum solutionem exigebant, obtulit agrum cum conditione solvendi sibi tantùm canonis, reliquum fructuum cedere paratus: ex illa facti specie in quæstionem venit, utrum tali reservatione & oblatione nobilis ab oneribus liber fiat. Siquidem derelictus planè esset fundus, utique relinquens impositum ab oneribus esset immunis, (1) cederet tamen ille occupanti (2) At quando non derelictus, sed desertus tantum est, (3) tunc aut qui dominus fundi est, planè sinit illum incultum, ut nullo ejus fructu potiatur, aut verò sibi aliquem ejus usum retinet. In priori casu integrum est unicuiq; an velit usum fructumque agri deserti assumere atque onera publica substinere, & si id fecerit Reipubl. debita præstabit, biennii verò possessione proprietatem acquiret. (4) Siquidem nemo occupat, tunc per æquatoribus concessum pro consequendis muneribus publicis agros in alios transferre. (5) Si nemo est, qui recipere velit communitati non modò uti frui & onera dependere vocat, sed etiam necesse est. (6) *Nihil* ex oneribus propter desertum agrum remittitur. At si dominus agrum desertum occupat, & utilitatem fundi quandam sibi retinet, exinde oneribus obnoxius manet. (7) Non eò minus ad illa tenetur, quod non omnem fructum percipit, sed tantùm qui sufficit ad canonem sibi à colono debitum. (8) Ut enim suum inde commodum quærit, sic etiam Reipubl. debitum præstare opus habet. Quod non licet divellere à fructu. (9) Nec integrum ità tantùm eô velle frui, ut suo debito potiatur, sed quisque etiam sui usus gratia habens ex perceptione & possessione obnoxius sit. (10) Potior qua fructum est Reipubl. conditio, cui pro tributis jus pignoris est in bona civium, maximè verò in agris & fructibus, unde & pro quibus præstanda sunt. Quilibet inde possessor ex quacunque causa possideat, rei onera subit. *In causa Dieterich Horns, contra die Eingesessenen zu Hallorff, die 6. May Anno 1656.*

1. Credendo & relinquendo bona, ex quibus debentur & præstanda sunt tributa vel alia onera, ab his quærtur libertas, *l. 1. & tot. tit. C. de omn. agr. deser. Jason. in l. 2. n. 26. C. de jur. Emphyt. Surd. consil. 491. in fin.* Non obstat, quod Romana jurisprudentia constituit pro evitandis muneribus publicis cessionem bonorum non admitti, nec valere, *l. propter 5. C. qui bon. ced.* nam spectat hoc ipsum ad personalia munera, de quibus ille aliique textus loquuntur, cum ità effugere munera vetant; *l. pen. C. de Rescind. vend.* Deinde illa cessio improba est, quæ fit in fraudem onerum vel Reipubl. *Klock. de Contribut. cap. 18. num. 183.*

Secus

Digitized by Google

Secus se res habet, cum suscipitur ex necessitate & ob paupertatem, *Salyc. in l.1.n.7.C. qui bon. ced.* Nulla lege prohibita est cessio, nec contra fiscum exclusa est.

2. Instar bonorum quæ pro derelicto habentur, ideo nullius in bonis sunt. *l.1.l.seq.ff. pro derelict.*

3. Multum interest derelictus, an desertus tantum ager sit, *Cujac.in rubr.C. de Omni agr. deser.*

4. Ita constitutum reperies *in l. qui agros C. eod.*

5. *l. fin.ib.Cujac.C.de Censit.& Censitos.*

6. *l. 1. C. de Omni agr. deser.*

7. Onera sequuntur rem & ejus possessionem, *l.1. & tot.tit, C. sine cens.& reliq.* inde exactio possessorem, *l.cum possessor in pr.ff.de Censib.*

8. Circa onera non spectatur, quantum quisque percipit, sed tantum percipere potest.

9. Munera realia sunt onera fructuum & ratione possessionis atque perceptionis fructuum debentur atque exiguntur. *l. fructus 13.verb.functionem C.de action.Empt.l.2.C. de Annon. & tribut. l. omnes 3.ib.Bald. & Salycet. C. sine cens.& reliq.*

10. Exemplum sumas à creditore pignoratitio, *Vid.Klock. de contribut.cap.11.num.212 seq.* ab emphyteuta. *Menoch. de A.J.Q.l.2.cas.180. n.9. seq.* eo qui censum ex isto percipit. *Panschman. de Locat. quæst.18. num.11.* Quibus plane similis, qui pro canone colonario rem possidet & fructus percipit.

DECISIO II.

Debita ex prædiis tanquam onera realia præstanda sunt, etsi fructus percepti ex vel pro quibus dependuntur, omnes perierunt.

Ecclesiæ & Pastori ex quibusdam vineis & agris in alieno territorio debebantur annui quidam reditus tanquam onera rebus inhærentia. Ubi verò per bellorum calamitates quidquid ex agris perceptum, hospitatione atque contributione militari absumptum fuerat, petenti pastori casus objiciebatur, & de annis infrugiferis debitorum remissio postulabatur. Circa talia discernendum est, utrum agri, unde præstanda fuerint, planè infrugiferi, an verò fructus percepti tantùm consumptione militum aliâve clade perierint: Ubi casus bellorum efficit, ut rustici, qui annuas pensiones ex agris debent, nihil fructuum percipere potuerint, illis vel ejectis, ut tutò subsistere & agros colere non poterint, vel his planè desolatis utique onerum ut ut realium nihil debetur, (1) aliaque longè ratio istorum est atque personalium (2) seu mixtorum. (3) At cum agri fuêre frugiferi fructusque à possessoribus percepti, etsi per vim majorem deperditi & consumpti, non eò minus, si merum jus sequimur, debentur. (4) Inde quippe hi domini sunt effecti, (5) & damnum casus fortuiti ad ipsosmet pertinet: (6) præsertim si in mora solvendi fuerunt dum statim ex fructibus onerum reditus præstare potuerunt, (7) at potius per rapinam vel consumptionem militarem auferri siverunt. Quo sine per æquitatem fortè quis dixerit, cum miseris non adeò rigidè agendum. (8) De quâ tamen judex nisi prius examinaris omnibus circumstantiis nihil statuere, (9) sed donec debitorem æquiora mereri apparebit, jus etsi durum sequi debet. (10) Uti factum *ad supplicationem des Pastorn zu Bukovv, vvider die Pôlische Beambten, die 12. Decembris Anno 1656.*

1. Ità communis habet JCtorum sententia; *Hieron.de Cavall.in spec. Commun.Opinion.quæst. 312.num.4. & seq.Valasc.de Jur. Emphyt.quæst.27. numer.13. Ancheran.consil.83.num.13.* Consideratur enim ille annuus census seu reditus, cum merum jus reale est instar ipsius rei, ideoque ut rei interitus non est damno possessoris sed domini, cui res quæque perit, ità etiam ille reditus casu desisse idque damno petitoris tanquam domini cedere intelligitur. *Lessius lib 2.de Justit.& Jur.cap.22.dubit.12.num.82. Molina.disput.390.n. 14.* Paria sunt rem perire & planè infrugiferam fieri. *Arg.l.3 §. Labeo 17.ff. de acquir.possess.l.cum unus 12.§. fin. ff. de reb.autor.jud. possid.* Adeoque ut damno non petitoris ut domini, sed possessoris sit, naturæ contrarium putarunt, ut nec pacto aliud fieri posse credatur. *Molina. dict. disput.390.num.14.* Tantum illud observandum, ne quid culpæ vel moræ sit in possessore, ut res fiat infrugifera. Qua accedente casus obtentu non juvatur.

2. Debitorem personalem non liberat, *l. incendium 11.C. si cert.pet.l.in ratione 30.§. incertas. C. ad L. Falcid.*

3. Talis dicitur cum persona obligatur, ex re verò præstatur; sic ut ille debeat, hæc tantùm medium præstandi sit. Nam etsi uno alterove anno nihil perceptum fuerit, tamen ex reditibus sequentium annorum est supplendum, *de qua specie accipi debent textus in l.Firmio 26. ff. Quand. dies legat.ced.l.legatum.17. §. vini ff. de Legat. annuis l.ex eo vino 13.ff. de Trit.vin.oleo.leg.l.stipulantem 23. §. sacram.5.ff. de verb.Obligat.* Qui & similes textus merâ de aliis quàm mixtis censibus & reditibus accipiuntur, ad hos tantùm pertinent. Diversas species istas ut circa alias quæstiones, ità etiam in hoc accuratè distinguere opus est.

4. Cessat in his prædicta ratio & non potest dici res infrugifera fuisse, quæ fructum tulit, etsi illum possessor cum effectu non habuit. Læsio illa ex casu subsecuto non rem sed fructus contingens non prodest debitori. *l.si ea lege 17.C.de Usur. Panschman.quæst.1.num.13.part.1.*

5. Perceptione acquiritur fructuum dominium.

6. *l.qua fortuitis 6. l. pignus 9.C. de Pignor. action.*

Digitized by Google

7. Mora cuique sua non alteri nocere debet, *l. mora ff. de Reg. Jur.*

8. *In talibus aequitatem remissionis ob clades bellicas suadent, & pluribus rationibus approbant Zoes.* im Bedencken über etliche Fragen in Schuldsachen *quæst. 1. num. 159. & quæst. 14. Manz. part. 2. bell. civili inter credit. & debit. quæst. 2. & seq.*

9. In quæstione de æquo & bono sæpe sub auctoritate juris perniciosè erratur *l. si servum* 91. §. *sequitur* 3. *ff. de Verb. Obligat.* Ideò spectatis omnibus circumstantiis, quando sub æquitatis velo à legibus ut rigorosis nimis recedendum circumspectè & sollicitè procedendum.

10. Hic valet id quod dicitur *in l. proficiscit* 13. §. *ff. qui & à quib. manumiss.* Etsi durum ità tamen servandum est; Præstat in via Regia manere, & cum legibus procedere, quàm ab illo discedendo in errorem posse incidere.

DECISIO III.

Immissi in bona debitoris an & quando collectas & tributa sustinent.

POst factam immissionem in bona debitoris orta est controversia de contributionibus, cui istarum onus incumbit, creditori immisso an debitori. Solvendas esse à creditore possidente dubio carebat, (1) cum fiscus & exactor fundũ & possessionem sequatur, nec se sinat ad alium remittere actionem in rem habens, (2) veluti ex hypotheca legali, qua bona obligantur pro tributis. (3) De repetitione autem quærebatur; alii jus creditoris ad repetendum obtendebant, negabat debitor. Videbatur communem regulam hic esse sequendam & applicandam, quam alias in materia collectarum sequimur, quod hæ sunt onera fructuum, (4) ideo iis incumbunt, qui fructus ut suos percipiunt, suoque jure. (5) Hujus conditionis non sunt omnes creditores in bona debitorum immissi. Immittuntur alii saltem securitatis seu crediti sui gratia, ideo bona tenent ut merum pignus, alii pro capienda re in solutum tanquam solutionis medium. Quibus præter crediti securitatem seu pignoris jus ex immissione nihil contingit, illi sunt instar nudorum creditorum pignoratitiorum, (6) qui non percipiunt fructus ut suos, sed saltem jure pignoris, ideo tenentur de iis ad rationes, & perceptos in creditum imputant, (7) nihil etiam percipere intelliguntur nisi deductis primum oneribus. (8) Quibus fructus debentur deducto demum onere, ii non sustinent collectas. (9) Quod si ulterius progreditur jus immissionis, & non relinquit rem intra terminos nulli pignoris, sed simul tribuit facultatem ex fundis tanquam solutionis medio creditum redigendi, fructus sine rationibus percipiendi, ex eo suum redigendi, isti consequens est onere ab immissis esse sustinenda & non repotenda, (10) non secus atque de iis, qui jure antechretico pignora tenent sentimus, quod ut fructuum sine rationibus domini collectis sunt obnoxii. (11) Exemplum istorum tale occurrit, cum debitoris obærati liberis non superesset solutionis æris alieni à patre relicti alia media, quam ut aut cederent in solutum bona, aut iis retentis cum creditoribus de modo solutionis, facta aliqua remissione, transigerent æstimari bona & ad tractatum super his creditores citari curarunt, ex eo autem cum alii relictis bonis de modo satis faciendi convenissent, uni vero cui is modus displicebat, hypothecatum fundum mediante æstimatione cessissent, isque judicialem immissionem impetraverat, hujus hæredes post ingravescens onus tributorum, quod fundi æstimatione amplius erat, sub obtentu istorum retinere, imo cum nec id sufficeret, ista ulterius repetere satagebant. (12) At quia immissus erat pro fundo habendo in solutum, eique relictum liberum seu retinere & addictionem imperrare, seu distrahere vellet, ideo fructus suos faciebat, nec rationibus obnoxius erat præterea debitor illum ut suum abdicaverat, (13) existimatum est, non esse locum repetitioni aut imputationi collectarum *in causa Filiorum Joachimi Behren contra Pauli Schmaltzhagens hæredes die 19. Martii Anno 1659.*

1. *l. fructus* 13. *C. de act. empt. l. 2. C. de annon. & tribut. l. omnes* 3. *ib. Bald. Salic. & alii Dd. C. fin. cens. & reliqu.*

2. Contra fiscum non habet locum excussionis exceptio.

3. Bona subditorum pro muneribus & collectis fisco taciti pignoris nexu sunt obligata. *l. 1. ib. gloss. Bald. Cyn. vel alii Cod. in quib. caus. pign. vel hypothec.*

4. *l. neque ff. de impens. in res dot.*

5. *l. usufructu* 7. *hactenus* §. 2. *vers. si pendentis* 27. §. *si quid elocaris* 3. *ff. de usufruct. l. apud Julianum* §. *hæres ff. de legat. 1. l. quæro ff. de usufruct. leg.*

6. Qui bona tantum ut creditores pignoris jure tenent, ad collectas ex suo non tenentur de re plane aliena *vid. Klock. de Contrib. cap. 11. num. 123.* Nec enim quidquam in re præter custodiam suum est, quia in domino & bonis debitoris remanent. *l. pignus C. de Pignor. act. l. 35. §. 1. ff. eod. l. rescriptum* 12. *ff. de Pign. distract.* Unde in iis, quæ dominium & perceptionem fructuum

concer-

Digitized by Google

concernunt, pro possessore creditor non habetur. *Zasius l. 3. §. ex contrario num. 23. ff. de acq. possess.*

7. *l. 2. l. 3. Cod. de Pignor. act. l. si dominium 9. Cod. de pignorib. cap. 1. & 2. X. de Usur.* Non percipere intelligitur qui capit pro certa pecunia, quæ abest illi qui in sortem vel usuras imputat.

8. *l. 1. Cod. de Fructib. & litis expens. l. fructus ff. solut. matrim. Sixtinus de Regal. l. 2. cap. 14. num. 155. Roland. à Vall. consil. 8. num. 11. volum. 2.*

9. *l. qui concubinam §. qui hortos ff. de Legat. 3.*

10. De his accipiendum quod Jurisconsulti tradunt, immissos ex secundo decreto teneri ad collectas. *Florez. Diaz. de Mena quæst. 21. num. 64. & seq. Bocer. de Collect. cap. 10. num. 38. & seq.*

11. *Vid. Klock. de Contribut. cap. 11. num. 219. seq.*

12. Ex simplici pignoris jure argumentum ducebant, à quo late aberrant, penes quos fundus erat ex sua voluntate, ut inde suum jam reciperent.

13. Creditorem etiam ratione pignoris cujus fructus percipit teneri ad collectas. *VVesenb. de respons. 103. tradit.*

14. Debitores, qui eo modo creditoribus satisfaciant, ut decedant bonis eaque ab istis capi sinunt, eo loco sunt ac si bonis cessissent. Cedentes bonis liberantur à collectis quæ ex bonis solvuntur. *vid. Klock. dict. tract. cap. 18. num. 180. seq.* præterquam si in fraudem fisci cesserint *l. propter Cod. qui bon. ced.*

Secundum hæc ita pronunciatum.

In Sachen Jochim Behren Söhne Appellanten wider Julius Paul von Schmatzhagens Erben Appellaten / jetzo in puncto usurarum, und der Ubermasse an den angewiesenen Aeckern / bleibet der Zinsen halber / fernern Einwendens ohngeachtet / bey vorigen Erkäntnissen billig / aber von Herausgebung der Ubermasse deß geforderten Werths / werden Appellaten entbunden / und erkandt / daß allein von den Aeckern nach der Taxa, so viel als übrig / demselben gegen Erstattung dessen / was darauff bißhero an Contributionen bezahlet / oder sonst erweißlich über den Nutzen angewandt abzutreten / oder auch Appellanten biß nach der Distraction mit dem / was ihnen pro rata zukommen mag / zu erwarten schuldig seyn. Von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Joachimi Behren filiorum appellantium contra Julii Pauli à Schmatzhagens hæredes appellatos, modo in puncto usurarum & excessus mensuræ in assignatis agris ratione censuum ulteribus exceptionibus non attentis priori decreto merito inhæretur sed ab extraditione excessus mensuræ petiti pretii appellati absolvuntur & decernitur, quod solum de agris juxta taxam, quantũ excurrit illi erga refusionem illius quod desuper hactenus in contributionibus solutum vel aliàs probabiliter supra fructus impensum, dimittere vel etiam appellantes usque post distractionem in eo quod ipsis pro rata advenire potest expectare teneantur, idque de jure.

DECISIO IV.

Interest an bona nunquam tributis reperiuntur obnoxia, an cum tributoria fuissent præscriptione dicuntur exempta.

QUando ex præscriptione exemptio ab oneribus obtenditur, non potest obtineri nisi præscriptione, quæ facti est & non præsumitur, probata. (1) Quæ probatio non tantum temporis longissimi mentionem requirit, sed etiam eorum requisitorum, queis ad præscribendum opus. (2) Hæc & allegare seu articulare & docere oportet. (3) Longe secus se res habet, cum longissimi temporis libertas exactioni tributorum opponitur non ad exceptionem præscriptionis, sed ad defensionem libertatis. (4) Pro hac nihil ultra requiritur, quam ut hæc verosimiliter allegetur, ita ut non fuisse rem unquam tributariam asseratur. Præsumptio est pro libertate & negans rem oneri adfectam probare tenetur. (5) Augescit autem illa, si in catastro non reperitur res descripta, ex eo libertatis certum argumentum habetur. (6) Non attento itaque allegata non congruere iis, quæ circa præscriptionem requiruntur, recepta est appellatio innitens libertatis tali allegationi, quod nunquam fundus onera sustinuit nec catastro illo descriptus, reperitur. *Ad petitionem viduæ Mandelsloen, contra den Contribution-Einnehmer, die 25. Septembris Anno* 1660.

1. *l. 9. C. de præscr. long. temp. Crav. Cons. 29. n. 19. vers. ad quorum evacuationem.*
2. *Mascard. de probat. concl. 1221. per tot.*
3. *Mascard. de probat. concl. 1222. per tot.*
4. Favorabiliter est præscriptio libertatis contra servitutem, quam servitutis contra libertatem *Klock. de contrib. c. 17. num. 8.*
5. *Klock. de Contrib. c. 19. num. 426.*
6. *vid. inter decis. nostras part. 4. decis. 34. n. 4.*

Digitized by Google

DECISIO V.

Rei nunquam tributariæ an & quando onera de novo possint imponi.

CUm cives omniaque bona oneribus civilibus sustinendis Reipub. sunt devota, ideo quoties necessitas vel utilitas insignis postulat, utique videtur etsi quædam nunquam ea sustinuerint, tamen de novo iis posse imponi. (1) At non sine discrimine tamen id dicendum. Vel enim bona illa immunitatem ex communi jure, privilegio vel alio titulo legitimo obtinuerunt, aut tantum in libertate ab iis substiterunt nullam præterea exemptionem habentia. Post justam immunitatem non vacant impositioni onerum, nisi ex talibus causis, ob quas personæ vel res immunes onerari queunt, sicuti ob casus insolitos urgente summa necessitate fieri potest. (2) Queis non contigit immunitas sed mansit vetus libertas, magis vacant oneribus & omnibus ex causis propter quas ea civibus adimi aut restringi potest, justa eveniet impositio. Tantum discernendum est inter onerum species. Quæ eorum antea solita, iis tantum bonis incumbunt, quæ sustinere solent, nec juste liberis prædiis imponi queunt, nisi cum cœtera necessariis non amplius ferendo sunt. Necessitas Reipub. & aliorum inopia causam præbebit exactioni, (3) Si quæ autem hactenus non consueta requirit respub. à quibus etiam libera fuerunt, quæ alias munia, imponentur non injuste plane liberis prædiis, utpote quæ quoad hoc nova non potuerunt esse melioris conditionis, quam cœtera quæ etiam talia nunquam sustinuerunt, dum in libertate quidem fuerunt, sed exemptionem omnimodam justo titulo non acquisiverunt, Consideratum illud est *in causa eadem, in qua tamen non de novis sed veteribus & consuetis oneribus agebatur.*

1. Nulla immunitas includit casum publicæ utilitatis contrarium. *Surd. consil. 313. n. 97.*
2. *l. fin. C. de muner. patrim. l. 1. C. de Indict. Klock. de contrib. cap. 14. sect. 1. n. 60.*
3. *vid. supra Decis. 98. in hac parte 8.*

DECISIO VI.

Præscriptione longissimi temporis acquiritur immunitas à collectis etiam non facta unquam interpellatione & accedente patientia.

APpellans gravamen ponebat in præscriptione longissimi temporis allegans intra octuaginta annorum spacium è fundis suis non petitas aut solutas collectas. Dubitatio exsurgebat, an sufficeret ex vulgata aliquorum sententia, præscriptionem istam sine titulo non incipere, nisi ex eo tempore quo interpellatus quis fuit, at contradixit & exactor acquievit. Verum dudum ab aliis damnata est illa opinio & in forum curiasque contraria est deducta. (1) Jure certo tum civili, (2) tum canonico (3) sic provisum est, in præscriptione libertatis sufficere solam negligentiam petentis per tantum tempus haud scientiam & patientiam ejus contra quem præscribitur requiri. Quod multo magis si sæpius intra illud tempus, multo magis si quotannis casus evenit quod collectæ sunt exactæ & ab aliquo ejusve fundo intra tantum temporis nihil fuit exactum. (4) *In tali specie recepta est appellatio Joh. von Sandleben, contra den Contributions Einnehmer die 25. Sept. Anno* 1660.

1. *De utraque ejus rationibus & assertis prolixius vide Klock. in tr. de contrib. c. 16. sect. 2. num. 53. & mult. seq.*
2. *l. si partem 19. §. fin. ff. si serv. amitt.*
3. *c. de quarta de præscript.*
4. *Myns. ing. resp. 1. num. 70. Natta Consil. 406. num. 21. & 26.*

DECISIO VII.

Contributionum causa potior est quovis alio canone colonario.

ETsi defuncto colono agros ejus desertos pro canone annuo occupare domino licet, minimè tamen eo jure frui potest, ut canon iste fisco quà muneris & collectas præferatur aut par utriusque sit ratio. Etsi enim tam canon, census & alius reditus annuus, quam tributa valdè privilegiata onera realia ex fundis debita, pro iis fundi devincti, ideò ante alios creditores sint, (1) in concursu tamen potior collectarum causa, ità ut omnibus aliis quibuscunque creditis fiscus ob illas præferatur. (2) Idque oritur ex antiquiori tacita hypotheca, quæ ab initiis societatum pro Republ. rebus omnibus indita, & per leges aliis omnibus vetustior constituta est. (3) Accedit in præsenti specie, quod idem qui pro canone agrum apprehendit, etiam ejusdem dominus est idemque debitor tributorum ex re sua. (4) Qui autem debitor poterit obtendere contra creditorem suum prioritatem. *In causa Dieterich Horns contra die Eingesessene zu Halsorff die 6. May. Anno* 1656.

Digitized by Google

1. *Vide Carpzov. in Jurisprud. forens. lib. 1. constit. 25. defin. 54.*

2. *l. satis notum 4. C. in quib. caus. pign. tac. contr. l. 1 C. si propt. publ. pensit. vend. Cacheran. dec. 91. n. 32.*

3. *Vid. Sichard. in l. 1. num. 10. C. si propt. pensit. publ.* ubi scribit, qui prior in pignore, potior jure est. Quomodo autem potest qui esse antiquior creditor in re quæ dat tributum fisco, cum lex quæ ante mille annos facta illam tacitam obligationem induxerit; sed nullus privatus potest de tanto tempore allegare.

4. Colonorum perpetuorum, qui pro canone annuo tenent alienos agros, non est dominium, nisi quâ fructuum possessionem utile, sed domini directi verum est. *l. 1. ff. si ag. vectigal.*

DECISIO VIII.

Circa onera publica ob omni novitate quantum possibile est, abstinendum.

CUm novitas semper ingrata & suspecta sit, ideo quantum possibile est, vitanda tum præcipue circa onera publica cavendum, ne quid innovetur. (1) Etsi enim quæ innovantur sæpe leviora sint, tamen quia nova & insueta, videntur graviora. (2) Minus dolent consueta, ut quæ in naturam veluti transeunt, & adsuetudine molliuntur. Dolor ex novitate eo major est, quod non hæc tantum ut insueta gravius animum adficit, sed etiam sic reputatur atque si alteri jus suum aufert quod in assuetudine hominum ponitur. Ex quo etiam justa querela est de innovatione circa onera non spernenda. Dubitandum non est juste appellari à decretis, quæ innovationem veteris consuetudinis inferunt. Nam ut hæc juris speciem facit, ita illa injuriæ instar est. (3) Creditum hinc non rejiciendam esse appellationem, ideo interpositam quod aliqua contra, inveteratos mores introducere tentatum, præsertim ubi horum justa quædam allegabatur ratio innovationis vel iniquitas vel minus probabilis causa *in causa der Eingesessenen in Oster-Stade, contra die Brämische Landbegüterte allda die 25. Septembr. Anno* 1660.

1. *Heig. p. 1. q. 18. num. 11. Klock. de Contrib. c. 5. num.* 110.

2. *Klock. d. l. cap. 2. num. 96. ubi plures allegat.*

3. Quod non jure fit pro injuria merito reputa.

DECISIO IX.

Tributa pro rusticis pensitata domino prædii non sunt imputanda sed ab iisdem repetenda.

VIdua dum tetentionis jure utebatur pro rusticis aliquam pecuniam exposuit ut quæ ex suis agris debebant tributa militi solverentur à successore autem feudum petente reddi postulabat, ac restitutionem ideo denegabat. An jure? in quæstionem venit. Quod rustici debuerunt pro iis solutum iis potius creditum habendum est quam domino, ideo non ab hoc sed ab ipsismet repetendum. (1) Eo magis quod non domini sed suam utilitatem vidua quæsiviſse videbatur (2) dum ideo pro rusticis impendit, ut illi eo magis servitiis sufficerent nec executionibus exhausti ad ista fierent invalidi. Accedebat quod si ipse successor tanquam Vasallus feudum tenuisset nisi ex voluntate sua non præstare subsidia ista rusticis, ideo nec ab alio invitus ad eadem obstringi potuit. Non igitur ad aliud tenetur Dominus, quam ut vel patiatur deductionem seu exactionem à rusticis, antequam prædio cui serviunt, cedat, aut si statim omnia exolvi non queunt successor caveat de curando & efficiendo ut rustici solvant. (3) Quem decet justitiam administrare creditrici adversus subditos suos debitores. Ille vero casus excipiendus erit, si suppeditata in subsidium rusticorum conservationem fundi ejusque servitiorum pertinent, adeoque conditionem domini meliorem reddunt, tunc ex ejusmodi expensa erit obnoxius. (4) At probatio ejus utilitatis incumbit allegan-ti. Sic pronunciatum *in causa vidua Hans von Neuenkirchen contra Gebrüdere die Kusshovven die 9. Julii Anno* 1661.

1. *l. 11. C. de obl. & act.*

2. Cujus commodi causa pecunia creditur ille ob eam tenetur *l. 6. §. 6. ff. de negot. gest.*

3. *Vid. supr. decis. 30. hac parte ostava ubi de conductore adducta commode hi trahi posse dubitandum non est.*

4. Æquum est impensam ex qua quis lucrum habet suamque conditionem meliorem facit refundi.

TIT. XVII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

Digitized by Google

TIT. XVIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XIX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXII.

DE APOCHIS PUBLICIS ET descriptionibus curialibus.

DECISIO UNICA.

Officialis publici scripturæ in iis, quæ ad officium non pertinent, plenam fidem non faciunt, aliquam tamen & semiplenam, si occasione officii scriptæ sunt.

EMptor qui precium ejusve partem se numerasse dicit, pro fide dicti adfert scripturam exactoris publici, *der Steur Einnehmers*, in qua annotatum erat, illum pro vendito resolvisse, quid pro tributis debitum est. Si de veritate horum solutionis esset quæstio regiſtra & rationes exactoris plenam fidem facerent. (1) At quoad ea, quæ non directo ad officium ejus pertinent iisdem similis fides haud constat, (2) sicuti autoritas & fides ipsi concredita, quæ causa est fidei librorum eo non porrigitur (3) ideo quæ de fidejussione pro alio vel solutione ab alio alterius gratia de suo controversa sunt, inde quoad alios de negocio ad se tantum pertinente plenam probationem non habebunt, semiplenam tamen velut facient (4) quæ juramento suppleri potest (5) sicut id decretum *in causa D. Caspari VVilken contra hæredes D. Strandes die* 28. *Januarii Anno* 1660.

1. *l. 1. ibi Gloss. C. de apoch. publ. l. 1. C. de extraord. tribut. Jason. in l. 1. n. 56. C. de jur. Emphyteut.*

2. Extra officii rationem non est fides officialibus ut ut publicè constitutis *Papon. de Arrest. lib. 5. tit. 11. arrest. 29.*

3. In eo ratio est fidei ipsius debitæ ideo ex illo fides *Rutger. Ruland. in tr. de commissar. part. 2. lib. 5. cap. 10. num. 1.*

4. *Bald. in l. 1. C. de sentent. Ruland. dict. cap. 10. n. 2. in fin.*

5. *Juxta l. 3. C. de Reb. Credit.*

TIT. XXIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXV.

DE IMMUNITATE NEMINI concedenda.

DECISIO I.

Nobilitas sola ab oneribus domuum, quæ in urbe comparantur, immunitatem non tribuit.

INter alias causas quæ pro immunitate dium ac hospitationis aliove quovis onere defendendâ, idcircò contra magistratum mandato sine clausula impetrando proferebantur erat allegata nobilitas possessoris seu emptoris. Siquidem certâ & notoriâ lege vel consuetudine sic introductum fuisse constitisset, ut nobiles eorumque ædes in civitate ab oneribus tam realibus quam personalibus exemptione fruerentur, (1) merito mandatum illud impetrassent. (2) At nihil de tali manifestum, ideo hoc tantum inspiciendum erat, utrum nobilitas sola sit immunitatis causa? Quod de communi jure negandum est. (3) Non modò nullius ejus textus legis est, qui exemptionem istam tribuit, quâ sine non potest illa obtinere, sed plures sunt, ex quibus non competere apparet. (4) Sunt quidem qui aliud in scriptis suis tradunt. (5) Illi verò ad leges atque mores suæ terræ respiciunt, vel per hos seducti aberrant. Germaniæ consuetudinem si scrutamur eam communi juri contrariam aut pro exemptione nobilium introductam non reperimus. (6) Sequimur igitur non existente exceptionis possessione vel titulo communem illam regulam, quod res transit cum suo onere, (7) nec successor melioris conditionis est, quam autor fuit. (8) Ideo sicut bona civium oneribus civilibus sunt obnoxia, ita manent etiam cum ad nobiles transeunt. (9) Non dedignari hi queunt civitatem

Digitized by Google

civitatem onera subire, ubi commodis ac possessionibus civium frui cupiunt, (10) cum quorum detrimento aliàs exemptio conjuncta foret, veluti dum in istos augmentum onerum redundaret. Quomodo itaque cum nobiles rusticorum bona paganica vel liberata emunt onera publica, quibus ea antea fuerunt obnoxia sustinere coguntur, (11) adeo ut in quibus provinciis alias personæ comparantes ab omnibus oneribus sunt immunes, tamen ad illa bona immunitatem extendere non possint, (12) ita cum civica bona in urbibus comparant à civicis istorum oneribus semet eximere non debent. (13) Non decretum itaque quod ex prætextu nobilitatis rogabatur sine clausula mandatum, *in causa locum tenentis Joannis ab Eixfeld contra consulem & Senatum Stadensem die 25. May. Anno* 1655.

1. Legibus & consuetudine locorum aliquorum Nobiles à muneribus tam realibus quam personalibus esse exemptos & eximi posse dubio caret. *Thomat. in tract. de Collect. §. Exactis per sect. Wintzler. de Collect. Observ.* 14. *Vinc. de Franch. decis.* 28.

2. Quod ex lege vel more certum est, id mandari potest sine clausula. *Ordin. Camer. Imper. part.* 2. *tit.* 22.

3. *Sic JCti communiter sentiunt, vid. scripta apud Modestin Pistor. consil.* 9. *num.* 28. *& seq. consil.* 21. *num.* 20. *& seq. volum.* 2. *Matth. Stephan. in tract. de Nobilit. cap.* 3. *num.* 38. *Becer. de Collect. cap.* 11. *num.* 34.

4. Jure communi Nobiles non esse à tributis & oneribus immunes colligitur *in l. rescripto. §. fin. ubi vid. gloss. in verb. insolis l. munerum §. patrimoniorum, ubi vid. Bartol. l. sunt munera l. ei qui originem §. 1. ff. de muneric. l. ad instructionem. Cod. de SS. Eccles. l. 1. l. 2. l. 3. l. 9. Cod. de muneric. patrimon.*

5. *Inter quos reperies Tiraquell. in tract. de Nobil.* 20 *num.* 168. *Guid. Papa decis.* 169. *&* 184. *Fab. in Cod. lib.* 9. *tit.* 29. *defin.* 3.

6. *Ita contra alios qui secus opinati sunt, ac sine certis argumentis & exemplis demonstrat Malins in tr. de Homag. lib.* 9. *num.* 67.

7. *l.* 2. C. *sine cens. & reliq.*

8. *l. non debet* 74. *l. invitus* 156. §. *plerumque ff. de R. J.*

9. Rerum conditio non mutatur ex mutatione personarum, *l.* 2. §. 2. *ff. de V. O.*

10. Antecedens qui vult ille onus consequens recusare non debet, *uti in terminis loquitur Cravett. cons.* 648. *num.* 11.

11. *Knich. de Vestit. Paction. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 9. *Modest. Pistor. d. cons.* 215. *vol.* 2. *Bidembac. illustr. quæst.* 61. *num.* 9. *& seq. Fab. in Cod. lib.* 9. *tit.* 49. *def.* 4. *& Natta consil.* 642. *num.* 4.

12. *Jason. cons.* 83. *vol.* 3. *Wesenbec. cons.* 215. *vol.* 5. *Roland. à Vall. cons.* 78. *vol.* 4. qui illam quæstionem, an personæ exemptæ bona catastrata vel oneribus obnoxia comparantes ad hæc immunitatem porrigere queant, exponunt plenius, ac negativam probant.

13. Similis plane est in his ratio. Imo eo major, quo magis Reipublicæ interest civitates conservari & exemptionum multitudine non debilitari, civesque onerari.

DECISIO II.

Exempti præterquam in casu necessitatis & obsidionis, tenentur ad ea quæ ad illam antevertendam & repellendam præparantur.

EXemptio ab oneribus civilibus limitata erat in casum necessitatis specialim obsidionis *vvann die Stadt belägert vvürde.* Quæstio incidebat quænam habendæ essent impensæ in illum casum, ut civitas esset obnoxia? Et existimatum fuit in illarum numerum referenda impendia facienda ad muniendam urbem, parandas excubias; & alendum militem, quando hostis est in vicinia & obsidio metuenda, etsi non instat. Metus obsidionis propinquus ipsi par est. (1) Eadem utriusque ob periculum ratio, Qui tenetur cum actu fit obsidio assistere ad defensionem urbis, perinde tenetur cum instat ad comparanda defensionis remedia. (2) Quæ nisi mature comparentur frustra suscipietur recte non instructa defensio. Præstat re integra prævenire, quam post vulneratam causam remedia quærere; (3) Non admissa est ideo querela Capituli Stetinensis contra Regiminis Regii decretum de conferendo tributa pro defensione cum ob Polonos Brandeburgicosque urbs esset in discrimine non levi, adeoque & sub metu invasionis, cum in obsidione ad supetias esset obstricta. Decretum *die* 8. *Septembr. Anno* 1658.

1. Pars defensionis maxima est præparare ad defensionem necessaria. Sine iis exspectare ictum, stolidum & pericula amantium.

2. *Arg. l.* 2. *ff. de Jurisdict.*

3. *l. fin. C. in quib. caus. restit. in int. l.* 2. C. *Quando annal. lic.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO III.

Concessa pro annuo canone immunitas ad extraordinaria onera in dubio non porrigitur.

QUando incolæ concessa erat immunitas ab oneribus civilibus *von den bürgerlichen Unpflichten und Stadtbürden* pro annuo quodam canone *für eine jährliche* recognition, deinde bello ingruente civibus militaria onera plura imponebantur, in quæstionem venit, annne etiam ad hæc immunitas pertineret? Judex à quo ita opinatus erat, appellantes verò se inde gravatos querebantur. Judicium de hoc ad illam quæstionem pertinebat, an talis concessio immunitatis etiam onera extraordinaria comprehenderet; Quod in dubio videbatur negandum esse, tum quod immunitas & exemptio, ut aliis onerosa ita odiosa strictè accipitur, (1) tum quod de redimendis oneribus conventio ad solita tantum pertinet, de insolitis cogitatum non intelligitur; (2) tum quod in dubio semper facienda interpretatio, quæ minus aliis noceat; (3) tum quod alias generatim concessa immunitas non extendi solet ad ea quæ belli tempus exigit. (4) Et secundum hæc appellantes audiri placuit *in causa Senatus Stetinensis contra Jeremiam Mamfras. Die* 14. *Septembr. Anno* 1658.

1. *Gail.2.Observ.2.num.24. Wesenbec.consil.1. num.56.part.1.in terminis Schurff. consil.59. num. 25. sent.1.*

2. *l. jubemus 10.C. de SS.Eccles.Gail.1.Observ. 23.n.18. seq. & Observ.52.n.27.*

3. *Menoch.consil.3.n.52.*

4. *Heig.quæst.18.num.26. Mynsing.4. Observ. 70. num.3.*

DECISIO IV.

Immunitas unius ita accipienda & in usum deducenda est ne aliis ex ea onus augeatur, nisi quatenus apertum concedenti esse facultatem ita istam concedendi.

PRo regula seu communi axiomate traditur, immunitatem seu exemptionem non esse alicui ita concedendam ut alteri oneri sit, (1) Siquidem sic nihilominus à Principe concessa fuerit, utique aut nullius effectus erit quà alios, (2) aut verò si eo potiri debet, id in quo exemptus relevatur, seu quidquid munerum ille illiusque bona antea sufferre debuerunt hoc principi & reipubl. detrahendum, non ceteris imponendum. (3) Sunt quidem hujus sententiæ quædam exceptiones talesque species, in quibus immunitas sic juste tribuitur, ut tamen concedenti nihil concedat, sed partem immunis cæteri contribuentes sustineant. (4) At quisquis in iis se fundat, exceptionem probare tenetur, (5) Alias insistitur regulæ. (6) & creditur, non existere eas circumstantias, ex quibus ab illa discedatur, maxime ubi magnum incommodum ex portione alterius exempti gravatorum ob oculos ponitur, ideo non facilè ea mens Principis præsumitur, quod cum aliorum onere alii beneficium dare voluerit. (7) Paria sunt non adesse causam & non apparere. Quando itaque immunitas alicujus non tantum per allegationem sub & obreptitiæ impetrati privilegii impugnabatur ut nulla, sed etiam ideo appellabatur, quod per decretum Regiminis ejus usus ita relictus erat, ut cæteri ejusdem terræ imposterum istius parte onerarentur, nec ratio apparebat, cur juste id fieret, cum alias injustæ aut revocabiles tales concessiones de jure haberentur, admissa fuit appellatio. (8) Non quidem quod si in eo articulo causæ statum versari appararet in judicio allamenda esset decisio, quæ pertineret ad principem concedentem, (9) cujus est sua & antecessoris privilegia interpretari; (10) sed tantum ut integra omnia gravatis relinquerentur, ne rei judicatæ authoritate præpediti deinde eo difficilius alibi audirentur. Sicut enim nec Regimen Provinciale de vi & sensu privilegii quod in usum nondum venerat statuere posse existimatum fuit, (11) ita in superiore judicio quod factum ad superiorem pertinet atque referendum est, in iis terminis servare convenit, quo relatio fiat. (12) *in causa der Eingesessenen des Landes Kedingen contra den Land-Rath Georg Marschall dat.* 10. *Januar. Anno* 1659.

1. *l. cum filius ff. de Testam. mil. l.4. C. de Emanc.lib. Cardin. Thusc. Pract. conclus. sub lit. E. 551. per tot. Cravett. consil.945.n.3.seq.*

2. Privilegia etsi alias non injusta, tamen quatenus devergunt vel in detrimentum publicum, vel in aliorum injuriam iniqua fiunt, ideo revocanda sunt. *Luc. de Penn. in rubr. C. de Excusat. mun. Azevedo in Constit. Reg. Hispan. lib.6. tit.1. num.81. Fr. Marc. decis. 529. num.8. & 12. part.1.* Idque etiam qua immunitatem à tributis & collectis ita juste servari docet. *Klock. in tr. de Cont. tribut. cap.16.num.94. seq.*

3. Sic legibus & rationi conveniens habetur JCtorum sententia, quod princeps immunitatem concedens sibi imputare debeat onera remissa, non subditis cæteris *per l* 1.C. *ut nul. ex vic. can. l. evacuatis C. de Decurion. Fr. Marc. decis. 490. de part.*

Digitized by Google

de part. 1. Boer. decis. 213. num. 3. Ant. de Butr. Johannes Andre & alii in C. pervenit de immun. Eccles. eamque sententiam etiam in Camera Imperiali in judicando receptam esse scribit *Thom. Michael. de Jurisdict. Conclus. 27. in fin.*

4. *de quibus vide aliqua scripta apud Klock. d. tract. c. 16. n. 21. & seq.*

5. *l. ab ea 5. ff. de probat.*

6. *l. 1. ff. de Reg. Jur.*

7. *d. l. evacuatis ib. Joh. de Platea C. de Decur. Boss. in tit. de Principe num. 135. Klock. dict. c. 16. num. 19.* ubi in illis speciebus, quando licet aliquem eximere, alios onerare, requirit expressam & certam voluntatem cum Princeps alias id velle non præsumatur, licet possit.

8. In qua specie non statim ad primam jussionem privilegia in effectum deducenda sed secunda exspectanda est. *l. fin. C. si contr. jus vel util. publ. l. quidquid C. de Vectigal. l. in fraudem C. de Annon. Natta consil. 66. n. 11.*

4. De privilegiis, eorum vi & sensu non est nisi Principis, cujus est concedere, judicium. *Gail. 1. Observ. 1. num. 7.*

10. *l. fin. C. de legib.*

11. Quibus non est nisi vicaria potestas non possunt manum extendere, ad illa, quæ sunt vel gratiosa, *c. fin. ibi Canonist. de offic. Vicar. in 6. Boss. d. tit. de princip. n. 87. Cacheran. decis. 101. n. 3.* vel ad ea quæ sunt reservata Principum. *Petra de Potest. Princip. c. 1. n. 35. Natta consil. 639. n. 29. Surd. consil. 323. num. 18.*

12. Sic in his quæ judicii non sunt, sed imperatoriæ seu Rectoriæ potestatis, tamen in judicium veniunt, observatur, ut appellationes pro integris omnibus tam potestati superiori, quam his qui se gravatos putant servandis recipiantur, donec relatio fiat, & decretum superius redeat.

DECISIO V.

Immunitatis privilegium ita debet exonerare impetrantem, ut non oneret cæteros, ideo quod ex eo est munerum decrementum concedenti decedere æquum est, nisi ubi exinde aliis sua onera augere justum.

IMmunitates atque exemptiones onerum concedere ad jura Principum pertinet, (1) nec eam potestatem disputare fas subditis. (2) Id vero non negandum ut quæ ex aliorum immunitate in se redundabant onera deprecentur, sic quippe illæ debent concedi, ut sint impetrantium beneficia non aliorum afflictiones. (3) Non est adeo libera Principum in oneribus imponendis facultas, ut pro libitu infligere possint, sed requiritur etiam in istis justitia, atque hæc justam causam quæ præprimis circa impositionem tributorum consideratur. (4) Ut itaque hæ sine non indicuntur, ita nec sine ea aliquibus sic remitti debent, quo cæteri onerentur. (5) Ex eo JCtorum & Politicorum ea vera est sententia, si Princeps alicui immunitatem concesserit, eam portionem quam exemptus solvere debuit non accrescere cæteris subditis, sed decedere debere Principi eximenti, ut tanto minus recipiat, in quantum immunem relevat. (6) Quæ quidem suas etiam habet exceptiones & quidem non obtinet, quoties Principi arbitrium est onerum plenius, inde jus ea inæqualiter imponere, exinde alios præ aliis onerare valet. (7) Vel ubi immunitas juxta reipubl. leges conceditur. (8) Vel si causa immunitatis etiam concernit subditos cæteros, ut ob eam onera sufferre æquum sit, uti propter bene merita viri de terra optime meriti contingit; (9) attamen ubi non reperitur exceptio, statur regulæ (10) & audiendi sunt onus sibi indebite aliorum gratia impositum querentes & deprecantes, utpote in ista fundatam intentionem habentes. (11) Quæ multo magis in ea specie obtinet, quando ita habet provinciæ consuetudo, ut cum tributa indicuntur, singulæ istius terræ & singula agrorum jugera certam portionem ex quantitate solvenda habent, quam sustinent, atque sic inter incolas ab antiquo divisa sunt onera, (12) quæ alterum alterius causa sufferre injustum est. (13) Quando autem ratio immunitatis & an ita comparata, ut ex ea alios onerari æquum, in dubio fuit, sicut de eo rem certam esse oportet, antequam de effectu immunitatis statuatur, visum est, non posse rejici querelam appellantium, & causam, quæ id mereatur, negantium *in causa der Eingesessenen des Landes Keding Butzflittheils contra Hn. Landrath Georg Marschallen die 12. Januar. Anno 1659.*

1. Est ea concessio regalium species, inde libera iis Principibus, qui regalia in suis territoriis habent. *Gyman. in Symphoremat. tom. 14. part. 1. vol. 30. num. 195. seq. Color. consil. 1. numer. 243. vol. 3.*

2. *l. Sacrilegii 3. C. de Crim. Sacrileg.*

3. Per naturalem æquitatem, quæ non finit alium alterius causa gravari *l. cum fidelium ff. de Testam. milit.* & poscit sic intelligi beneficia, ne in damnum tertii vergant. *l. 2. §. merito. §. si quis à Principe ff. quid in loc. publ.* ita statuendum jus non esse Principi, ita aliquem oneribus eximere, ut alii graventur. *Cravet. consil. 945. num 3. & seq. Card. Tusch. Practic. Conclus. lit. E. conclus. 555. num. 7.*

Digitized by Google

4. *Festas de Æstim part.2.cap.4.n.48. Parlador. lib.1.rer. quotidian.c.3.n.5. Heig.quæst.18.n.6. tib.1.*

5. Hoc inter regulas justitiæ in materia tributorum ab JCtis & Politicis refertur *Macedran.consil.40.n.179.*

6. *Per text. in l. alteres C.de exact. tribut. Tapia in rubr. de constitut. Princip.c.4.n.31. Rosenthal. de Feud.c.5.concius.85.n.2.*

7. Talem potestatem superiorem non recognoscentibus multi absolutè tribuunt, inferioribus Principibus negant. *Boer. decis.213.n.4. Surd. consil.278.13. seq. Natta consil.160.n.37.* At sine jure & ratione, ubi non exercetur ex justa causa, quæ id æquum facit. Naturalis lex circa onera æquitatem alias flagrat non tantum ab inferioribus, sed etiam à summis orbis capitibus.

8. Quod lege permittente fit, justum est. *l. 4. C. ad L. Jul de Adulter.* nec gravamen habet, illum quisque ei etiam cum suo incommodo obtemperare debet.

9. Ob justam causam data exemptio onerat cives cæteros. *Anton. de Petra in tractat. de Potest. princip. limit.12.num.6. & 9.* quæ in summo principe semper præsumitur non ita in inferiore. *ut scribit Eberhard.consil.17.n.3.vol.2. Schrader. consil.9.n.69.lib.1.*

10. *Uti censet Tapia dict.c.4.n.32. Surd. dict. consil.278.n.15.*

11. Regula hæc juris est, Principum beneficia in aliorum injuriam non esse trahenda. *Georg. de Cabedo decis.65.n.6.part.2.*

12. In hac specie diversitatis ratio non obscura est. Ubi enim universitati imponitur collecta, omnes conjunctim sunt debitores & licet unus vel alter decesserit, tamen, etsi ad paucos deveniat, jus universitatis tamen illi totius debitores remanent. *Jason. in l. cum num.11.ff de Pact. Bald. in l. secunda in fin. de appellat.* Ideo facilius fit, ut si munus uni remittitur, aliqui ad illam portionem teneantur, *Festas. de Æstim. part.4. cap.2. num.67.* At ubi ea est contribuendi ratio, ut per legem vel morem tributa sint sic divisa, ut singuli sint debitores, tunc non potest imponi aliis quod aliorum fuit onus. *Festas. dict.part.2. cap.3 num. 41. seq. cap.5.n.35.* Hoc enim foret ipsis Jus suum quæsitum auferre, & debitorem facere qui non est debitor, quod utrumque à potestate Imperantium alienum censetur.

13. *l.1.C. ut null. ex vican.*

DECISIO VI.

Non est ultra quam necesse est gravandus, qui aliàs, quam ubi necessitas insolita ingruit, immunis est.

IMmunitas privilegio vel conventione concessa ob supervenientem publicam necessitatem velut in omni immunitate, utut generalissimè data, tacitè excepta, cessat, (1) at non ultra quam necesse est, (2) ideo nec aliter, quam poscit necessitas, aliàs immunem gravate, (3) quicquid secus fit, ob immunitatem alias durantem injustum est. (4) Ideo cum qui belli tempore, non attenta immunitate defensioni urbis invigilare tenetur, (5) jussus erat in lustratione civium comparere, ac cum emaneret pignoratione coercitus. At quia nullum tunc ejus aderat pro civitatis defensione officium, nec ejus qui huic obnoxius quoties cives lustrarentur, aut extra necessitatis casum convenirent, comparendi debitum, (6) auditus est petens pignora restitui, & in immunitate non turbari, alias cum necesse erit, quicquid se ut incolam decet facere paratus atque offerens sicut de restituendo & non turbando *decretum mandatum Wolter Blocken contra Senatum Wismariensem die 4. Januarii Anno 1659.*

1. Sic habet communis rationalibus & in Camera Imperiali recepta sententia. *Mynsing.4.observ.70.n.3. Heig.lib.1.quæst.18. n.26. Gail.2.observ. 52.n.26. per l. in honorib. § qui muneris ff. de excus. mun. l.1. C.eod.*

2. Ex necessitate ortum debitum ex illa etiam limitatur *Klock.de contrib.c.6.sect.1.n.119.*

3. *c. quid pro necessitate 1. quæst.1. quæ propter ibid. Dec.n.3.ff. de R. I.*

4. Pro certa causa justum, extra illam injustum est limitata causa limitatum producit effectum *l. in agris ff. de acquir. rerum dom.*

5. Inter casus necessitatis refertur casus necessariæ defensionis pro patria seu civitate suscipiendæ. Pro illo necessaria excepta sunt ab immunitate *Thesaur. de collect. in §. Exactio n.26.*

6. Lustratio civium, etsi ante pericula utilis & necessaria, quo & vires his opponendæ adpareant, & bene ad defensionem disponantur, tamen eam necessitatem non habet, quo in ea exemptus comparere cogatur, aliàs tempore necessitatis cum armis suis comparere promptus.

DECISIO VII.

Necessitas quidem immunitatem exemptorum excludit, sed jurisdictioni atque executioni eorum à quibus exempti sunt, non subjicit.

LIcet exemptio ab oneribus, utut generalis, & ab ordinariis atque extraordinariis muneribus concessa quiescit in casu summæ necessitatis ob supervenientia pericula opem in subsidium subditorum exigentia. (1) At tamen minime efficit ut ma-

Digitized by Google

ut magistratus adversus exemptos pro libitu statuere vel executionem demandare seu permittere possit. (2) Est quippe diversa ab immunitate onerum & à jurisdictione exemptio, nec illa cessans hanc cessare efficit. (3) Est quoque diversitatis ratio: Nam quæ illam postponit necessitas, in hac est. Nec sequitur immunes tempore necessitatis collectis aliisque oneribus subjici, ideo etiam potestati urbani magistratus submittendos esse, cum id fieri possit salva ab hujus jurisdictione exemptione aliis per superiorem ordinandis mediis, per quæ compellantur. Haud vero locum saltem habebit, ubi certa est exemptio fori, sed etiam si de illa in judicio lis versatur, nec ea pendente aliquid innovandum est. (4) Tantum hoc investigandum, quid in talibus hactenus usurpatum, & quis in possessione jurisdictionis seu exemptionis sit. (5) Quod consideratum *apud supplicationem VVolter Blocken contra Senatum VVismariensem die 4. Januar. Anno* 1659.

1. *l.1.l.2.& 3. de quib.munerib.l. nullus* Cod. *de curs.publ.l.un.*C.*ut nem lic.in empt.specier. Gail.2. observ.52.num.26. Mynsing.decad.15.respons.1. n.10. Thessaur.decis.234.n.10.*

2. Per tradita à Klockio *in tract. de contribution.c.*18.*n.*154.*& seqq.*

3. A diversis mala fit illatio *l.fin. ff. de calumniat.*

4. *l.1. & 2. C. ut lit. pendent.*

5. Sub lite, quæ super exemptione oritur, eâ durante possessionis ratio attenditur, & uti possessum, ita servatur. *Bald.Consil.*138.*vol.*1. *Victor in Disp.de caus.Exemption.conclus.*39.*circ.fin.*

DECISIO VIII.

Querelæ de nimis ampliato exemptorum numero quando locus dandus est.

PEr appellationem in causa ubi Academicorum immunitas ab hospitatione militari impugnabatur, pro gravamine prolatum ultra ordinarios Professores nimis multos extraordinarios esse constitutos, ita plures ædes urbicas muneribus publicis subtrahi, cives inde onerari, obreptionibus per aliquos Professoris extraordinarii titulum impetrari, quo se à jurisdictione urbana eximant & immunitate gaudeant, ad rempubl. literariam nihil conferre, non lectionibus aut disputationibus vacare, sed vel otio vel aliæ praxi deditos esse. Quod si immunitas extraordinariorum seu supernumerariorum impugnaretur, plane iniqua esset querela. Postquam illorum receptio usitata ad jus Ducale pertinet, (1) nec sine effectu esse debet. Ideo non deterioris conditionis isti esse, quam cæteri Professores: (2) dum eandem artem exercent, & Reipubl. literariæ utiliter serviunt. (3) At si abusum concessionum querela respiceret, non injusta foret, (4) & restam publice ad imminuendum eorum, qui Reipubl. munera sustinent, numerum & onerandam opprimendamque civium cæterorum commoditatem noxia, (5) quam rationi adversa: (6) Haud tamen per eam id impetrandum, ut statum oneratiis injungantur, (7) nedum ut omnium cæterorum Academicorum immunitas imminuatur. Causa quippe est à superiore petendi atque impetrandi, ut in electione atque receptione istorum modus sit, atque non promiscue petentibus is titulus conferatur, (8) nec non ut qui abutantur privilegio atque immunitate priventur, at quamdiu id non fit, ubi recepti atque approbati fuerunt, interea in usu hujus relinquendi atque conservandi sunt. (9) *In causa Senatus Gryphisvvaldensis contra Academiæ Professores die* 10. *Februarii Anno* 1660.

1. De jure supernumerarios habendi & constituendi censendum est ex jure superioris ac consuetudine.

2. Quod à nonnullis traditur supernumerarios privilegiis collegii non frui *Alciat. in l. non plures n.*5.C.*de S.S.Ecclesiis*, de iis accipiendum est, qui contra jus collegii vel aliorum adsumuntur, seu ubi adstricta est certo numero exemptio. Quando vero eos recipi suetum vel licitum, veluti si ex institutione vel longissimi temporis more ac prærogativa ad instar ordinariorum redacti sunt, iisdem immunitatibus fruuntur, uti se declarat *Alciat. in d. num.*5. & Professoribus extraordinariis idem applicat *Cothmann. resp. Academ.*14. *num.*69.

3. Ratio immunitatis ex similitudine officii & usus eadem idem jus confert. Tanto magis, si consuetudo accessit.

4. Expedit non modo, sed etiam justum est, ut numerus eorum, qui ab oneribus immunes esse debeant, sit certus & finitus *l.1.* C.*de Professorib.& Medic. ibi Accurs.Odofred. & Cujac. in l. Archiatros.*C.*eod.* Multorum enim remissionem fieri aliorum onus & gravamen valde iniquum est *l.1.*C. *de commerc. & Negociat.Sylvan. consil.* 86.*num.*29.

5. Omnino cavendum, ne aliquorum privilegiis cæteris munera reipubl. nimis fiant damnosa & onerosa *c.suggestum X. de Decimis ibique Canonista. Benedict.in c.Raynutius decis.*29. *num.*24. Ideo semper ea immunitatum & interpretatio & usurpatio fieri debet, ne alii valde prægraventur.

6. Ratio & jus non sinunt aliorum privilegiis & exemptionibus alios onerari l. *Actores ib. Accurs. in verbo immunitas C. de Exactor. trib.* potest à contrario augeri potius, quam restringi numerus eorum, qui munera pro republ. sustinent, dum multi levius, quam pauci onera ferunt *l. omnium C. de omn. agr. deser.* Est Reipubl. noxia & civibus gravis, nec concedenda aut tolleranda res, exemptiones fieri, multo magis amplificari. *Luc. de Penna in d. l. actores & in l. Medicos C. de Profess. & Medic.*

7. Est ea species remotionis, quæ causæ cognitionem requirit & non judici sed Regiminis Regii est ad quod remissio istius examinis fieri debuit.

8. Numerus immunium ad querelam eorum, quos istorum gravat exemptio restringi debet *Luc. de Penn. in d. l. actores ibid. Joh. de Platea. num. 2.*

9. Possessores in usu exemptionis defendendi maxime cum titulum habent, donec legitimo modo illo priventur. *Menoch. consil. 982. num. 73. seq.*

DECISIO IX.

Immunitas privilegiatorum transit ad possessores bonorum immunium cum ab ipsis causam habent.

ÆDium, quæ per transactionem cum Principe à civilibus oneribus exemptæ erant, immunitate an Inquilini Emphyteutæ gauderent, in dubitationem veniebat. Distinguendum est inter immunitatem quæ rei competit & quæ tantum personæ. Rei cohærens transit ad quemcunque possessorem. (1) At personalis non aliter quam si cui illa competit non aliter jure seu privilegio suo frui potest (2) quam si etiam is qui rem ab ipso habet, immunitate potiatur. (3) Veluti si Inquilinus Emphyteuta, creditor pignoratitius vel alius tributa & onera ab eo quod debet deducet, inde imminutionem reditûum privilegiatus patietur. (4) Tunc illius causa permittendum est hunc immunitate frui. Quod consideratum, ideo ejus causa gravamina sunt admissa *in causa der Capitularn der Stiffts Kirchen contra Burgermeister und Rath zu Stettin die 3. May. Anno 1661.*

1. *vid. Klock. de contrib. c. 11. n. 194. seq.* ita de Ecclesiarum immunitate in specie tradit Carpz. *in jurisp. consist. lib. 2. def. 310. per tot. ubi pluribus rationib. confirmat eam ad Conductores transire.*

2. Personalis immunitas personalis privilegii instar habet nec egreditur personam, ideo quæ eam conditio novi possessoris consideratur *l. Fiscus 6. F. de jur. Fisc. l. per procuratorem 90. §. 1. ff. de acq. haered.* sic in specie de bonis Ecclesiæ traditur, quod ultra atque Clericis vel Ecclesia tenentur non sunt ab oneribus immunia, uti de emphyteuta Ecclesiæ docet *Valasc. de jur. Emphyteu. quæst. 17. num. 15.*

3. Manente causa privilegii manet ad ipsum etsi persona mutatur.

4. Ex hac ratione Carpzov. d. def. 310. n. 8. & seq. concludit, conductores rerum Ecclesiast. non teneri de tributis, quod Ecclesiam magis quam conductorem ita gravent. Vel enim repetent vel minus conducent.

DECISIO X.

Generalis omnium exemptionum abrogatio non pertinet ad eas quæ juri communi competunt.

CUm S. R. Majestas Statuum provinciæ querelis de multiplici exemptione ab oneribus publicis inde enascentibus variis incommodis & prægravationibus hoc tribuisset, quod omnes in posterum exemptiones cessare & sublatæ esse deberent, (1) accidit in causis quibusdam illam adversus personas immunitates habentes allegari. Ita vero credidimus exemptionum abrogationem in dubio tantum intelligendam esse de iis, quas sibi aliqui in provincia injuste hactenus arrogarunt, cum jure nullo immunes essent redditi, quando juris abrogatio non præsumitur. (2) Si vero ostendit tenor abrogationis eam ultra illam speciem sonare, tamen non est porrigenda ad eas immunitates, quæ jure communi sunt constitutæ, (3) cujus correctio, nisi expressim facta non subintelligitur. (4) Similiter nec ad eas per quas reducitur ad jus quod antiquitus competit, veluti si rei Ecclesiasticæ per aliquod tempus usibus secularibus destinatæ, deinde vero apud pios & sacros usus iterum dicatæ immunitas conceditur. (5) Non enim conqueri potest, qui ex reductione ad jus primævum damnum sentit. Ita conclusum *in causa Burgermeister und Rath der Stadt alten Stettin contra der befreyeten Personen Wittwen die 3. May. Anno 1661.*

1. Ita habet resolutio Regia ordinum provincialium Pomeraniæ Deputatis die 1. Martii Anno 1655. data, renovata Anno 1660.

2. *Menoch. de præs. lib. 6. pr. 38. num. 24.*

3. Jus jure communi alicui quæsitum auferri minime potest.

4. Correctio omnis odiosa est, nec facile præsumenda *l. 32. §. fin. ibi Bald. C. de appellat.*

5. *vid. decis. 56. num. 9. part. 1.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XI.

Liberi exemptorum non fruuntur singulari & personali parentum immunitate in oneribus realibus.

Liberi quidem ratione fori, dignitatis ut & aliorum beneficiorum sequuntur conditionem patris, isíde quoque ejus immunitate fruuntur, quam ex jure communi habent. (1) Minime autem ista, quæ pro singulari beneficio istis tantum propter officium vel aliud personale jus conceduntur. Ita cum persona exstinguitur, (2) nec ultra durat quam vivit, (3) nisi per contractum vel privilegium reperitur etiam ad liberos extensa seu simul in personam illorum collata fuerunt. (4) In istis sequimur regulam juris donec exceptio doceatur. (5) Est inter viduas & liberos post mortem parentum diversitatis ratio. Nec enim hi eo modo quo de viduis receptum per juris fictionem tanquam pater vivus sit censentur. (6) Quando itaque quæstio erat, utrum exemptio ab oneribus civicis, quæ per contractum inter Principem atque civitatem confirmata erat ministris ducalibus, eadem ad liberos eorundem pertineat? Existimatum est, quod personalia onera attinet non sustinere quamdiu jus civitatis non petunt vel assumunt. Ut enim non transeunt sub jurisdictionem civitatis ex Patris morte, sed in conditione pristina subsistunt in qua per patris conditionem fuerunt, ita nihil in personas illorum vi jurisdictionis licet. At si ædes vel alia bona immobilia habent sub jurisdictione civitatis pro iis obstringuntur ratione rerum, nec jus quod Pater officii causa habuit ut pro certa pecunia recognitionis præstanda ad liberos non transfert. Ita judicatum *in eadem causa.*

1. *l.2.§. fin.C. de Episc.& Cler.l.2. C. de Advoc. divers.jud.*

2. Personalia cum persona exstinguuntur nec ad successores transeunt.

3. *Juxt.text.in l.Archiatros 8.verb. quoad vivent.C.de Metat.l.10. verb. dum supereſt C. eod. rubr.C.de muner.int.Patr.& fil.non contin.*

4. Sic concedi posse immunitates ut liberi iis fruantur dubio caret. Concessa sic intelligitur si non tantum patri sed liberis simul datur etsi patris ratione. Ita *Cothm.resp.Acad.15.num.54* distinguit & contrarias sententias conciliat dicens, interesse an patri & liberis simul data sit immunitas, an in personam patris tantum collata sit.

5. Hoc ita se habet in *l.in omnibus 68.ff. de R. J.* in omnibus causis id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio ibi ea deficient illud quoque deficiat.

6. *vid. Anth. Faber, in C.lib.9.tit.28.def.24.*

TIT. XXVI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXVII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXVIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXIV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXV.

Hunc titulnm Mevius non attigit.

TIT. XXXVI.

DE PROBANDO SALARIO.

DECISIO UNICA.

Salaria officialium ab arresto sunt immunia si aliunde creditori prospectum esse potest.

Quemadmodum quæ ad victum debitorum pertinent, non nisi deficienti-

Digitized by Google

bus aliis bonis executioni subjacent, (1) ita nec aliter arrestis obnoxia fiunt. (2) Illorum species sunt salaria officialium, (3) ideo iis arresta non sunt irroganda. *In causa D. Joh. am Ende contra Johan Ludolph Schonbeck die 19. April. Anno 1661.*

1. *l. 33. §. ult. ff. de reb. aut jud. poss.* Carpz. *part. 1. Const. 20. def. 32. num. 2.*

2. *Coler. de Alim. lib. 1. c. 13. n. 20. Moller. ad Const. Saxon. 29. n. 13. part. 1.*

3. *Coler. de process. executiv. part. 2. c. 3. num. 122.*

TIT. XXXVII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXVIII.

DE MUNICIPIBUS ET ORIGINARIIS.

DECISIO UNICA.

Jure quo civitas utitur, ruricolæ illius subditi judicantur.

APpellantes juxta jus & consuetudinem civitatis, unde inter conjuges communio bonorum ideo & æris alieni observabatur condemnati pro gravamine allegabant, quod defunctus, de cujus debito agebatur, civis aut incola civitatis non fuisset, sed molitor extra mœnia in prædio suburbano molitoriam artem exercuisset. Non fundata putabatur intentio. Etsi enim civium nomine propriè non veniunt ruricolæ, (1) ut civitatis tamen subditi vel pertinentiæ sub illâ ut universitate continentur, (2) & ideo ejus jure utuntur: (3) nisi quatenus est statuto vel usu aliud servari reperitur. Valet à suburbiis & quod hæc urbani juris sunt participia ad ruricolas argumentatio. (4) Illa quippe ideo quia pars civitatis sunt, etsi non urbis, urbano tamen jure judicantur. (5) Illorum incolæ civium numero & jure censentur, eadem ratio in ruricolis est. Quocirca nisi in pagis civitatum juris communis reliqua est observantia, ex statutis & moribus ibi jus dici congruum est. (6) Uti hoc consideratum *in causa Andreas Borsen VVitvven Erben, contra Joachim Hamels Erben, die 24. Aprilis Anno 1655.*

1. Cives illi vulgari more dicuntur, qui intra muros habitant, & qui extra hos degunt, rustici, *l. 1. C. de Agric. & Censit. l. 1. C. ne rusticus. ad al. obseq.*

2. *l. pupillus 239. §. 2. verb. Nec tantum hi qui in oppido morantur, incolæ sunt sed etiam qui alicujus oppidi finibus ita agrum habent, ut in eum se quasi in sedem aliquam recipiant ff. de V. S.* Civitatis nomen vel loco mœnibus incluso tribuitur, & tunc sanctem id obtinet: quidquid extra eum est, urbis non esse dicitur, *l. 2. d. l. pupillus 239. §. urb. de S. V.* vel congregationi sub eodem Imperio & jurisdictione & tunc non tantum quod intra sed etiam quod extra illam est sub eadem societate civili, quæ nascitur ex communione legum atque judiciorum, ejusdem esse dicitur, *l. 1 ff. de Offic. Præfect. urb l. Roma 33. ff ad Municip.* Unde urbem & civitatem discernere solent, illam prioris, hanc posterioris faciunt.

3. Qui sunt sub eodem Imperio ac jurisdictione similis juris habentur participes. Hic effectus est communis cujusdam societatis civilis, sicut Aristoteles, *lib. 2. Polit.* inde civitatem & ejus membra censet, inde eidem magistratui subjecti iisdem gaudent jutibus. *Alberic. de Rosate de Statut. lib. 2. c. 17. n. 15.*

4. *De quo vid. latius* Carpzov. *decis. 2. part. part. 1.*

5. *Arg. l. 1. ff. de Offic. præf. urb. l. Roma 33. ff. ad Municip.* Non tantum eos qui in oppido morantur incolas esse, sed etiam qui alicujus oppidi finibus in agrum habent, ut in eum se quasi in aliquam sedem recipiant ait JCtus, *in l. pupillum 239. §. 2. ff. de Verb. signif.*

TIT. XXXIX.

DE INCOLIS ET UBI QUIS Domicilium habere videtur, & de iis qui studiorum causa in alia civitate degunt.

DECISIO I.

Loca urbis sed à jurisdictione urbana exempta; sicut & illorum inhabitatores usque possessores oneribus civicis, nisi cives sint, non onerantur.

SUpplicabat incola urbis habitans in ædibus olim Principum Megapolitanorum propriis, nunc excessionem Instrumenti pacis cum ditione & urbe in Reges Regnumque Sueciæ translatis, ut quæ illis deberetur, immunitas sibi servaretur, atqui contra impositionem metatorum, quam Senatus urbis intentabat, defenderetur. Primò, hoc certum erat, ædes locumque in quibus sitæ erant, ab antiquo superioris domini proprietatem, semperque à jurisdictione urbanâ exemptum fuisse. Quod perinde habetur atque si non esset de civitate aut de ditione urbanâ. (1) Exemptio à jurisdictione infert immunitatē ab oneri-

bus

bus civicis, (2) quæ sine illa imponi nequeunt. (3) Subjectio est fundamentum onerum. (4) Licet vero illa bona per se non essent privilegiata, quà territorii dominum, sed onera publica sustinere cogentur, tamen non ea quæ civitas tantum debet, & isti incumbunt. (5) Deinde nec inquilinus ædium civis erat, seu jurisdictioni urbanæ subditus, ideo & inde per personæ suæ conditionem immunis. (6) Si civis istiusmodi ædes inhabitaret, persona ipsius inde non eximeretur, sed civium functiones nihilominus subiret, salvâ tantum ædium immunitate atque exemptione; (7) at cum quis saltem incola est non civis illius, quamdiu in talibus ædibus habitat, nullus ad civica onera nexus est. (8) *Unde mandato de non turbanda possessione immunitatis subventum Jasper Meuves, die 17. Martii Anno* 1655.

1. Paria sunt non esse de territorio, & esse de eo sed exemptum, *Jason. in l. fin. num. 5. ff. de jurisdict.* in territorio sæpe est & esse potest locus exemptus. *Vant. de Nullitat. c. 9. n.* 108.

2. *Meischner. decis. Camer. al. tom. 2. lib. 1. dec. 6.*

3. *l. minus ff. de V. S. Ant. Gabriel. comm. concl. lib. 6. tit. de Immun. concl. 2. num. 1. Rosenthal. de Feud. c. 5. concl. 74.*

4. *Tib. Decianus resp. 41. n. 41. vol. ubi scribit, fundamentum & radicem omnium onerum & collectorum esse jurisdictionem.*

5. In ea quæstione de immunitate ab oneribus in civitate discernendum est, à quo onera imponuntur, utrum à superiore, cujus est territorium, an ab urbano magistratu. Quæ contra hunc est ex defectu jurisdictionis exemptio, contra illum allegari non potest. Ideo quà hunc res non immunes, qua illum cessante in eas re potestate sunt immunes.

6. Actus jurisdictionis qualis est onerum impositio, in non civem seu non subditum exerceri nequit. *Natta Consil. 150. num. 8. Craveet. Consil. 195. num. 1.* Quo pertinet doctrina JCtorum, forenses etsi bona in civitate habent, onera tamen non sustinere. *Gail. 2. Observ. 52. num. 13. Mynsing. 5. Observ. 22.*

7. Subditus in ædibus exemptis habitans semet non eximit, nec ultra exemptione quàm quà realia onera, quæ res non personæ habent, fruitur. *Beroſ. Consil. 150. num. 12. v. 3.* Habentur enim ac si nihil possiderent, cum exempta tenent, qui nihilominus ut cives onera subeunt. *Klock. in tr. de Contribut. c. 13. n. 32.*

8. *l. rescripto §. fin. l. munerum §. patrimonium ff. de Munerib. l. libertus 17. §. sola 13. ib. Bartol. ff. ad L. Municip. l. cum nec C. de Incol.*

DECISIO II.

Juri detractionis dem Abschos non tantum cives, sed etiam incolæ expresse non excepti, eorumque bona sunt obnoxii.

INveteratâ & communi fere Germaniæ consuetudine civitates exercent jus detractionis cujusdam, *ein Abschos*, (1) cujus quantitas variat. Solvere eam detractionem oportet, cum cives ex sua Jurisdictione discessuros, tum peregrinos hæreditatem civium cernentes. Incidit autem dubitatio, an qui in urbibus, queis istius juris exercitium competit, non propriè cives sunt, seu jus civitatis non petierunt, *haben das Burger-Recht nicht gewonnen*, sed tantum aliquamdiu in urbe habitarunt, (2) inde vivi aut mortui isti faciant locum; sic ut discedentes ipsimet vel iis mortuis eorum exteri successores præstare debeant? Est vero duplex illorum genus. Aliqui in civitate morantur, ut advenæ & planè peregrini cum animo post peracta negocia aut finitam commorationis temporalis causam discedendi, & de iis supervacua est quæstio, si quid enim ipsorum proprium in urbem illatum, aut ex mercimonio quæsitum, velut cessante in eo ratione tali detractioni non subest. (3) Quod si ex hæreditate civium partum sit, quod in peregrinos justum & solitum. (4) Aliqui autem in urbe sunt incolæ, cum animo contrahendi domicilium eò venientes, & habitantes. (5) Siquidem hi non fuerint à jurisdictione urbanâ exempti, velut incolæ eodem, quo alii cives jure tenentur, ut jut in civium numerum non descripti. (6) In quibus qua jus detractionis eadem ratio, idem quoque jus & simile onus efficit. Exemptio autem à jurisdictione obtenta vel per officii, quod sustinetur rationem, vel per privilegium singulare, vel personæ conditionem aut immunitatem simul eximit à Decimis. (7) Consuetudo itidem eximendi vim habet, modo certa sit. (8) *Hæc in considerationem venerunt petitis processibus à Senatu Sedinensi, contrà Liberos & Creditores D. Balthasari Henckels, die 2. May. Anno* 1654.

1. Per Imperii leges hoc jus detractionis approbatur, *vid.* Reichs-Abschied zu Augspurg *de An.* 1555. §. Wo aber Unser auch der Churfürsten *verb.* gegen gewöhnlichen billigen Abtrag der Nachsteuer/ wie es jeden Orts von Alters her üblich herbracht / R. A. zu Regenspurg. 1594. §. Und so viel die ungleiche *verb.* auch gewöhnliche her-

Digitized by Google

ehe hergebrachte Nachſteuer Abzug ꝛc. JCtorum aliqui illud inter regalia retulerunt, ſed ex hodierna conſuetudine jurisdictionis magis quam ſuperioritatis habetur, inferioribus etiam magiſtratibus competens, *Schepliz. in conſuet. Marchiac. part. 3. c. 8. quæſt 3. Schvvanenman. in Proceſſ. Camer. cap. 3. n 6. ſeq.*

2. Inter cives & incolas diſcrimen quoddam eſt. Iſtorum nomen exprimit jus civitatis, ex more cujusque loci per aſſumptionem, per receptionem ſolennem adeptos: Hos verò dicimus, qui domicilium in civitate habent, *l. pupillus §. incola ff de V. S. l. ſi patria C. de Incol.*

3. Advenæ peregrini ſunt ſtatutis & oneribus locorum non obnoxii.

4. Peregrini omnes qualescunque ſunt, onus decimationis ſeu detractionis ſuſtinent, quando per hæreditatem eis in civitate bona obveniunt, quæ inde transportare volunt. *Berlich. ſemm. Concluſ. 52. n. 18. & 20 part. 3.*

5. Incolatus contrahitur per domicilium *l. domicilium ff. ad municip. l. 2. C. de Incol.* domicilium cum incolam facit, etiam civium numero & jure illum cenſeri efficit, *l. provinciales ib gl. & Dd ff. de verb. ſignif.* inde ſit ſubditus loci, *c. licet defer. compet.* & obnoxius ſtatutis, conſuetudinibus, oneribus, *Gail. 2. Obſerv. 35. n. 4. & ſeq.*

6. Inter civem & incolam hodie in Germaniâ non ſervatur differentia, niſi ubi expreſſim quædam eſt reſervata, conventa ac conſtituta, *uti in Comment. ad Jus Lubec. part. 1. tit. 2. ad rubr. & artic. 2. ſuſius demonſtravi.* Ea non eſt qua jus detractionis, *uti in terminis tradit Gailius dict. obſerv. 35. n. 9. in fin.*

7. Pro regulâ hac in materia recipimus, quod exempti à jurisdictione civitatum exemptionem quoque habent à decimatione ſeu detractione; Hæc enim effectus & fructus jurisdictionis eſt *Cothman. reſponſ. Academ. 19. num. 11. & 53.* & per ſuperallegatas Imperii leges Magiſtratui ordinario debetur. *vid. Cothman. Reſp. Academ. 19. num.* 8. Qua ut cauſa ceſſante non poteſt locus eſſe effectui. Deinde exemptio ab oneribus eandem exceptionem tribuit, veluti ratione iſtius deſinente. De qua ſic *Cothmannus d. reſp. 19. num* 45. ſcribit. *Quòd decima illa ea de cauſa per conſuetudinem introducta & recepta ſint, ut Senatus loci qui in bonis illis jus collectandi ante habuit, eoque jure per hæreditariam illarum rerum exportationem privatur, in compenſationem aliquam decimas iſtas percipiat.*

8. *Gail. dict. obſerv. 39. num. 9. in fin.* In materia decimationis, ut ipſa ex conſuetudine cœpit & invaluit, ſic præprimis conſuetudo loci attendenda eſt. Ut verò ejus jus eſt à jure communi atque libertate naturali exorbitans, ita de illo ſtatuta & conſueta exorbitantia habentur, ſtrictam interpretationem habent. *Johan. de Imol. in l. in ſuis num. 3. ff. de lib. & poſthum. Cothman. dict. reſponſ. Academ. 19. num. 56.*

DECISIO III.

Incola etſi aliàs valdè privilegiatus ſi non à jurisdictione civitatis ſpecialiter exemptus illi eſt obnoxius.

CIvis Hamburgenſis Wiſmariæ officinam ſmegmaticam *eine Seiffenſiederey* inſtituturus cum à ſacra Regia Majeſtate privilegium ſuper iſta obtinuiſſet, tum etiam cum Senatu urbano de loco, ubi haberetur, extra mœnia nec non de variis immunitatibus ſuis & perſonarum, quæ operas iſti præſtant pactus eſſet, quantum vero ad jurisdictionem attinebat, qua ipſius perſonam pacto nihil comprehendi voluit, addita ratione quod Hamburgi domicilium haberet, de perſonis verò quarum miniſterio uſus erat, ita cautum, quod urbanis judiciis in jus vocari deberent, at ſine impedimento operarum. Cum ipſemet deinde ad hunc locum habitationem transferret & fieret ut in judicium ab aliis vocaretur, de jurisdictionis urbanæ in ipſum competentia litem movit, illo ſe iſti non ſubjectum ſed exemptum, Senatu vero jurisdictionis in illum poteſtatem allegante & uſurpare volente. Cum de eo dicenda erat ſententia concluſum fuit pro Senatu contra iſtum & quidem primo ex omnimoda jurisdictione, quem magiſtratus urbanus per privilegia ſua & antiquam conſuetudinem in civitate habet & exercet in omnes qui ſunt re & in illa, adverſus quos fundatam habet intentionem. (1) Deinde quod iſti non tantum ſubjecti ſunt qui cives propriè dicuntur *ſo das Bürgerrecht gevvonnen* ſed etiam qui incolæ ſunt, (2) hoc eſt, qui domicilium in illa civitate conſtituerunt, etſi in numerum civium non aſſumpti ſunt, (3) non attento ubi habitent intra an extra mœnia, dummodo in loco qui in civitatis diſtrictu, ideo ei ſubditus eſt. (4) Tertiò ex non reperta aliqua exemptione, quam ob iſta obtendens docere poſſet, cujus non ſufficit nuda allegatio, ſed requiratur manifeſta probatio. (5) Quarto licet pro ea arguenda, qua cum Senatu inita eſt conventio obtenditur, tamen illius litera non modo nihil de exemptione à jurisdictione continet vel exprimit, (6) ſed contrarium potius innuit, quando ita habet, qua iſtam nihil de perſona cum Senatu contrahentis ſed tantum de miniſtris officii fuiſſe conventum, quod Hamburgi domicilium ille haberet. (7) Cui congruum ex quo ille hoc Wiſmariam transferet, inter ipſum & miniſtros non fore diverſitatem, cujus etiam tunc

nulla

Digitized by Google

nulla futura diversitatis ratio. Nec quinto cætera privilegia & immunitates quas à S. Reg. Majestate vel Senatu obtinuit quidquam facere queunt, ubi in iis nulla jurisdictionis aut ab ea exemptionis mentio fit, quæ speciali expressione non factâ non præsumitur. (8) Sextò immunitatum illa concessio atque impetratio potius argumentum est subjectionis, (9) cum in uno vel altero exemptus de cætero sub jurisdictione maneat. (10) Septimo plane inverisimile est, Senatum à se jurisdictionem in personam & locum voluisse abdicare. Ideo si res dubia esset, ex pactis alia potius caperetur interpretatio, quam tantum debere esse remissum ex sua potestate. (11) Quanto magis ea facienda, ubi nihil est in pactis quod de eo sonat. Octavo non apparet ratio, cur istiusmodi incola judicem non deberet habere magistratum, in quo nihil deprehenditur quod exemptionem mereret aut poscerer. (12) Nonò eò minus justè eam desiderat, quod præter officinam illam mercimonia alia exercet & civium instar victum quærit *treibet allerhand Kauffmanschafft und bürgerliche Nahrung.* (13) Decimo sine dubio statuta loci servare tenetur. (14) Ideo undecimo iniquum, detestandum, multis incommodis subjectum & absurdum ferè futurum, cum qui civilibus negociis se miscet eundem cum aliis civibus recusare judicem. Ex quo evenire tandem aliud non posset, quam ut ipse excludatur à foro atque commerciis. Cum ipso contrahentes multis difficultatibus & superioris judicii longioribus processibus involventur multiplex confusio civitati oritur atque ita noxium eveniet privilegium. (15) Juxta hæc pronunciatum *in causa VVolter Block, contra Bürgermeister und Rath zu VVismar, die 6. Octob. Anno* 1655.

1. Hoc est axioma jurisdictionis quod in territorio, districtu, civitate generaliter quæsita comprehendit & competit in omnia quæcunque istius sunt vel in isto existunt. *Alciat. de præsumpt. reg. 2. præs. 20. n. 2. Hieron. de Mont. in tract. de Finib. cap. 30. 61. 82. seq. Boer. decis. 50. n. 11. Mynsing. resp. 16. n. 35. Vilem. de Benning Synagm. 2 decis. 4. vol. 1. n. 49.*

2. Incola pro cive, *l. provinciales ff. de V. S.* & subdito est & utriusque appellatione venit. *Gail. 2. Obs. 35. num. 1.* tenetur perinde ut civis loci cujusque ubi incolit, statutis *Alexand. consil. 19. n. 6. vol. 6.*

3. Incolam facit domicilium *l. domicilium ib. gloss ff. ad Municipal. l. 2. l. in patria* C. *de Incol.*

4. Incola est ubicunque in urbe vel extra urbem, modo in loco civitatis quis domicilium constituerit. *l. pupillus §. incola ff. de V. S. Peregrin. cons. 102. n. 5. & seq. part. 1.*

5. Non præsumitur à jurisdictione exemptio sed eget probatione istam allegantis. *c. ex ore 17. tit. de Privileg. Meisner. tom. 2. l. 1. decis. 9. n. 6. & seq. Gravett. consil. 54. num. 9.* eosque donec illa facta fuerit exercitu jurisdictio. *Mynsing. respons. 16. num. 34.*

6. Singulari privilegio eget exemptio nec colligitur ex subsumptionibus præsertim longius petitis *c. dilectus x. de Capell. Monach. Quæsta cons. 10. n. 2.*

7. Jurisdictio in eum casum excepta, quamdiu paciscens non habitavit sub ditione urbana, in casum ubi sub hanc ille devenit, concessa intelligitur, *per argumentum à contrario sensus quod in contractibus obtinet. Eberhard. in top. Legal in loc. à contr. Sens.*

8. Privilegia & immunitates sunt stricti juris, nec ultrà tenorem diplomatis aut instrumenti, quo conceduntur existunt vel vires habent. *l. semper §. immunitatis ff. de Jur. immun. l. forma §. quanquam ff. de consib. c. perro ib. gloss. X. de Privileg.*

9. Privilegii concessio jus superioritatis arguit in concedente & subjectionem in impetrante. *Martha de Jurisdict. part. 1. c. 33. n. 8. seq. Tapia de constit. Princip. c. 4. n. 3 seq.*

10. Exceptio confirmat regulam in casibus non exceptis *per vulgata.*

11. Interpretatio facienda juxta verosimilem mentem concedentis & quod interrogatus respondisset.

12. Privilegium non subsistit sine ratione & causa *Enenckel. de Privileg. in privat. n. 31.*

13. Alias privilegiati cum civilem negociationem assumunt privilegio non utuntur. *Coler. de Proces. Execut. part. 2. cap. 3. n. 137.*

14. Statutis esse subjectum & forum sortiri à pari procedant. *Marth. de jurisd. part. 4. conc. 2. cas. 137. n. 10.*

15. Eo minime trahenda est interpretatio alicujus privilegii, cum etiam, ubi certum & liquidum est, desinat ubi incipit esse iniquum atque noxium. *Vid. Klock. de contrib. c. 16. n. 94.*

DECISIO IV.

Incolæ non negandus usus privilegii quod non qualitati civis, sed loci ratione competit.

INcola civis loco est & subditus & civium jure fruitur, (1) nisi quatenus civi proprie dicto quædam singulariter sint concessa. (2) Inter quæ non habenda sunt privilegia, quæ non respectu ejus qualitatis quæ civem ab incola discernit, sed ratione loci, qui incolitur, aut intuitu domini concessus est. (3) Quocirca cum per tractatus pacis dominus impetravit, ut subditi alibi à vectigalibus sint immunes, ea immunitas non ad incolas minus quà ci-

Digitized by Google

ves civitatis pertinet. (4) Quando autem is convenit à magistratu cujuslibet urbis civibus suis jurato de proprietate bonorum testantibus documentum quod certificationem vulgo vocamus ad fidem capacitatis privilegii faciendam sufficiens dari, incumbit magistratui non minus incolæ quam civi id dare, (5) præsertim si circa commercia inter civem & incolam nulla sit differentia. Invidum nimis est id negare quo alii proficitur, danti non nocetur. (6) Ex eo mandato injunctum incolæ non minus quam civi certificationes, ut vocant, dari cum ea immunitas non solis civibus, sed omnibus incolis, qui Regii subditi sunt, debeatur. (7) Præterea civitati non civibus concessa fuerit. (8) Decretum *ideo mandatum VValter Blocken, contra Senatum VVismariensem, Die 27. Martii Anno* 1658.

1. *Vid Gail. 2. Observ. 35. n. 1. & seq. qui prolixiorem civis & incolæ similitudinem exponit.*

2. In aliquibus locis inter originarios & cæteros cives, imo etiam inter cives & incolas differentia quædam constituitur ex legibus & moribus cujusque censenda. Sub qua tamen hoc manet, quod quæ civium proprie dictorum non reddita sunt propria & peculiaria, eadem etiam incolis sint communia *Chassan. in Consuet. Burgund. rubr. des Freff. §. 7. seq.*

3. Privilegia civibus concessa etiam incolis concedenda & servanda sunt *l. adoptivum §. patronum ib. Jason. num. 2. ff. de in Jus vocand. Gail. d. Observ. 35. n. 6.*

4. Nam & illi peræque subditi sunt quam hi, *c. licet ratione ib. Felin. n. 23. de For. competens.*

5. Eadem ratio per magistratus utrumque habenda est *l. incolæ ff. ad Municipal.*

6. *Cæter. l. 2. §. item Varus ff. de aq. & aq. pluv. arcend.*

7. Quæ non competunt civibus, ut civibus proprie dictis incolarum quoque sunt communia.

8. Incolæ ex domicilio fiunt membra civitatis, licet non sint cives assumpti, ideo quæ civitatis commoda & incommoda eorum quoque sunt propria *Paul. Paris. consil. 71. n. 3. seq. vol. 1.*

DECISIO V.

Nobiles in civitate habitantes jurisdictioni ejus subsunt & licet domicilium non habent, ex propriis in ista ædibus munera realia sustinent. Qui vero exules ad illam veniunt non similiter oneribus civilibus gravandi sunt.

QUando hostium hospitationibus in Megapoli sumptis civitas circumcincta erat, inde nobiles plurimi ad istam, ut securitatis præsidium, refugerant, Magistratus autem urbanus iis onera quædam militaria imponere vellet, deque eo querela movebatur deliberatum est, an & quatenus audiendi & juvandi essent? Diversa autem eorum erat conditio. Alii proprias habebant ædes easque semper etiam tranquillo tempore hactenus incoluerant; Aliis ædes quidem erant propriæ, sed hactenus ab aliis inhabitatæ, nunc saltem refugium? Alii nihil proprietatis habebant, tantum ut exules, à suis fortunis in urbem venerunt, & periculo vitæ agrestis se subduxerunt. Quantum ad eos qui prioris generis sunt, non apparuit, quomodo ab oneribus civilibus immunitatem obtendere possent, qui hactenus incolæ fuerant, & ut jurisdictioni urbanæ, (1) sic etiam oneribus civilibus in civitatibus obnoxii, (2) à quibus sola nobilitas non excusat. (3) Ut eam non tollit aut imminuit incolatus urbanus, (4) ita ex se immunitatem ab oneribus civilibus non tribuit, queis omnes cives & incolæ eorumque bona sub urbana jurisdictione sita sine discrimine sunt obnoxia. Nec tantum realia seu patrimonialia sed etiam personalia incumbent, ita tamen præstanda, ut dignitati personæ convenit. (5) Altera species nobilium melioris conditionis est in civitatibus, non aliter oneribus obnoxia quam ratione rerum immobilium quas in urbe possident. (6) De his tenentur, sicut aliæ ædes civium ista sustinent, (7) nisi exemptionem docebunt quæ tamen tali, in quod incidimus tempore, non proficiet, ubi in maxima necessitate versamur. (8) Cæteris quibus in urbe nihil proprietatis est, ipsa tantum refugium, onera aliqua imponere est ab illa humanitate & hospitalitate, quæ miseris debetur, alienum. (9) Præterea illos satis quodam calamitoso exilio afflictos ulterius affligere iniquum non modo, sed crudele. (10) Quos potius omni benevolentia & benignitate sublevare Christianum est, nec minus homini incumbit, quam si ipsemet in illas miserias incideret, sibi talia præstari velit, onera imponi nolit. (11) Quibus ipsis exhibitis hoc tantum pro gratitudine decorum juxtim & æquum erit, ut quæ pro defensione civitatis sine suo incommodo præstare possunt omnemque favorem & opem vicissim præstent. Secundum hæc sum Deputatis Senatus pro Nobilium levamine loqui placuit *die* 1. *Februarii Anno* 1659.

1. Quemadmodum nobiles non minus quam plebeji sunt de corpore civitatis in qua domi-

cilium

cilium constituerunt, *Vinc. de Franch. decis. 259. num. 9.* ita etiam jurisdictioni urbanæ sunt obnoxii *Renat. Choppin. de Leg. And. lib. 1. cap. 10. num. 10.* De ejus observantia in Germania & præjudicato Camerali *post Matth. Stephan. testatur Thom. Merckelbach, in consil. Klockii 13. n. fin. vol. 1.*

3. Hoc argumentum latè deducit *Klock in dict. sect. 1. n. 13. & multi seq. ubi videm.*

4. *Tiraquell. de Nobilit. c. 2. n. 54. Bonde Curtil. in tr. de Nobil. part. 2. n. 35.*

5. Nobiles ab iis muneribus personalibus sunt immunes, quæ plus oneris quam dignitatis habent. *l. 3. §. 1. honorem 10. ff. de Muner. & honor. l. non tantum §. Ilienſibus ff. de Excuſ. tut.* Haud verò ubi dignitati conveniunt, multo minus, ubi dignitas præ cæteris ut sustineant æquum facit.

6. Personalis nulla est illorum obligatio nisi ex domicilio vel incolatu, non ex sola possessione.

7. Cum suo onere & jure transeunt bona in nobiles, ideo quibus oneribus conditione sua fuerunt obnoxia, ad ea tenetur successor nobilis *Fab. in Cod. l. 9. tit. 49. defin. 4. & 14. Natta Consil. 460. num. 16.*

8. *Hug. part. 1. quæst. 18. n. 25.* Ab omni exemptione, utut generali, excipitur casus necessitatis seu magnæ utilitatis publicæ *l. fin. C. de Mun. Patrim. l. nemines 11. C. de SS Eccles. l. 1. C. de Navicul. Mynsing. 4. Obser. 70.*

9. Commendat Deus has virtutes valde erga peregrinos, & inter detestanda crimina reponit in illos gravamina & afflictiones, quæ præcipue etiam in ultimo judicio vindicaturus est.

10. *L. 2. §. 1. ff. ad L. Rhod. de jact.*

11. In quo Christianæ pietatis summa regula ut quod sibi quisque fieri vult alteri faciat, quam in jurisprudentiam induxit jus Romanum *l. 1. pr. & tot. tit. ff. quod quisque in al.*

DECISIO VI.

Origo sola ad jus civitatis adeoque ad retractum non sufficit, quando alibi quis domicilium constituit.

STante statuto vel consuetudine, ut bona civica possidendi jus non sit, ideo retractu uti non possit, nisi civis, quærebatur, an originarius, seu cui origo in loco isto jure fruatur? Ex veteri jure Romano quidem sic dicendum videbatur, (1) ex quo origo civem facit, & per illam jus civitati immutabile constituit. (2) Per mores vero nostros secus se res habet, juxta quos nati ex civibus cives quidem habentur, seu civium jure fruuntur, quamdiu in illo loco commorantur, nec alibi domicilium constituerunt. (3) At quando inde eo animo discedunt, ut alibi incolant, vel domicilium contrahant, imposterum non amplius pro civibus habentur, sed civitatis jus & cum eo omnia civium jura & immunitatis privilegia amittunt. (4) Quando itaque natus ex patre Stetinensi Thorunium discesserat, postea alienationi paternarum ædium intercesserat, jussus fuerat semet prius civitatis jus more solito petendo habilitare, ibi uxorem duxerat, & civitatis jus petierat, tanquam animo revertendi dimisso, excluſus est, & ædes retractui obnoxiæ alteri parti sunt adjudicatæ *in causa D. Raphuns vidua contra Balthasar Sachtleben die 7. April. Anno 1659.*

1. *L. civet C. de incol. l. origine ff. de Mun. & honor.*

2. Quo respicit hoc JCtorum, domicilium originis esse immutabile *l. origine C. de Municip. l. assumpta Bartol. ff. ad Municip.*

3. Per mores fere universales Germaniæ illa ratio jus civitatis consequendi invaluit, nempe ut petatur & assumatur jus civitatis, quod dicimus das Burgerrecht gewinnen, aut per incolatum pro recepto habeatur *vid. Gail. 2. Obser. 36. n. 5. Plura de hoc scripsi in commentario ad jus Lubecense lib. 1. tit. 2.* Per istos sic invaluit, ut filii civium pro civibus sint, quamdiu aliud non habent domicilium.

4. Civis censeri amplius nequit, qui perpetua consuetudine semet à civitate separat. *Gail. dict. Obser. 36. n. 7.*

DECISIO VII.

Ad incolatum singulari concessione admissus ad jus civitatis more solito recipiendum inique cogitur, & per mandatum sine clausula in libertate sua defenditur.

CUm peregrinus qui singulari pacto ad incolatum admissus, cuique civilium negociorum licentia facta fuerat, post biennium jubebatur civium jus petere & assumere, quod vocamus *das Bürger-Recht gewinnen*, quando vero detrectabat pignoribus capitis coercitio intendebatur, existimatum est injustè contra eundem procedi. Est quidem debitum tale omnium qui in civitate, quæ jure Lubecensi utuntur, domicilium contrahunt (1) & pro isto potestas compellendi magistratui, (2) at quæ exceptionem habet ex speciali indultu vel remissione ejus juris. (3) Quam cum supplicans per pactum tale, ex quo libera habitatio & exercitatio negociorum civilium artis suæ gratia concessa fuerat, obtinuisset, (4) defendi meruit, ideo restitutio pignorum pœnali mandato injuncta est. (5) *Ad supplicationem Niclaus Eichhoffen, die 15. Febr. Anno 1656.*

Digitized by Google

1. *Jus Lubecense de eo sic statuit, lib. 1. tit. 2. artic.* 2. Welcher Mann mit seinem Weib und Kindern in die Stadt kommt/oder sich allda befreyet/sowol auch ein ledig Geselle oder andere Person/wes Standes die seyn möge/so auch Rauch und Feuer halten wil/ der oder die mögen wol drey Monat darinnen wohnen/nach der Zeit/wollen sie länger bleiben/ so sollen sie die Bürgerschafft gewinnen/ doch stehet es bey dem Rath/ ob sie ihnen die Bürgerschafft gönnen wollen oder nicht. *Cujus sensum in Commentario ibidem plenius exposui.*

2. Huic licet mandare primum, ut jus civitatis petant & assumant, præfixo termino intra quem id fiat: & hoc spreto porro pignoribus captis coercere, si etiam id nihil fit à civitate excludere. Quomodo is processus servari solet, *vide de hoc ad dict. artic. 2. scripta.*

3. Magistratui est in eo facultas indulgendi. Ex qua si semel remiserit, postea ad coactionem reverti nequit. Nam quod primo voluntatis fuit, id postea necessitatis est, *l. sicut C. de O. & A.* Cum beneficium confertur, modum præscribere licuit, postea id facere & retroagere velle non officium tantum impedit, sed obligatio. Beneficio enim adjuvari non decipi decet. *l. in commodato 17. §. sicut 3. ff. Commodat.*

4. Continet tale pactum jus quoddam vel hospiti vel incolatus. Illud violare humanitati, hanc onerare legi. Reipubl. adversatur.

5. Ita iis qui cum civitatis jus assumere renuunt, ubi causa fuit contra rigorem magistratuum mandata sine clausula decerni refert *Rutger. Ruland. in quæst. Cam. 27.* In eo casu ubi publico pacto ab eo debito liberatus erat supplicans, eo plus rationis fiat, quod tale mandatum sine clausula meretur.

DECISIO VIII.

Civitatis jus præstito juramento assumere recusans captis pignoribus non iniquè coercetur.

PRæces incolæ, quem magistratus jus civitatis petere, & juramentum civium præstare, *die Bürgerschafft gewinnen*, jusserat, recusantem pignoraverat, pro mandato de restituendo capta pignora non sunt auditæ. (1) Fecit enim magistratus, quod justum & Statuto Civitatis seu juri quo utitur Lubecensi convenit, ex quo est necessitas advenarum, postquam per tres menses in civitate commorati sunt, in numerum civium semet juxta mores civitatis associandi, (2) & potestas magistratus differentem adigendi. (3) Nec tantum eo qui in statuto præscriptus est, modo, (4) sed etiam pignorum captione, velut ordinario contumaciam coercendi medio. (5) Interest quoque superiorum, non esse in civitatibus, nisi fide devinctos. (6) Recusandi justa causa non fuit, quod promissa, sed ut dicebatur, non servata erat immunitas. Ideò licuit vel justis remediis promissi prætensi fidem legitimè exigere, aut verò ex illo loco discedere, (7) minimè verò idcircò civium officium denegare. (8) Negatum idcircò petitum mandatum, injunctum verò ut precator probaret immunitatem, qua eum verò possessorem magistratui non turbare injunctum, *ad preces Niclaus Eichoff, die 21. Junii Anno 1656.*

1. Pro mandatis impetrandis, præsertim contra magistratus examinandæ sunt præprimis circumstantiæ, & indagandum tum jus petendi, cum debitum eorum, contra quos petitur, ne contra istos contumacia civium & subditorum, ad quam aliàs proclives nimis sunt, foveatur, *juxta prudentia monita Petr. Frider. Mindan. lib. 2. de Mandat. c. 13. per tot.*

2. *Sic de eo habet Statutum Lubecense lib. 1. tit. 2. artic. 2. ubi in Commentario de ejus sensu & praxi fusius scriptum leges.*

3. Legi & usui multorum locorum hoc convenit, ut recusantes jus civitatis assumere cogantur, ubi renuunt, priventur omnibus commodis civilibus verò oneribus nihilominus subjiciantur, *vid. ibidem scripta n. 47. & seq.*

4. Aliquod statuto expressum coercendi medium non tollit ordinarium vel veterem modum, *l. fin. § 13. C. de jure deliberat. l. præcipimus §. fin. ff. de appellat.*

5. Refert ad securitatem terrarum securitas de iis, qui in his degunt: ea verò quæritur & constringitur juramentis civium, quæ ideò ut recepta illius media minimè sunt negligenda, nec adversus illa manus subdit is porrigenda.

6. Ab exigente autem præstandum prius, quod ipsi incumbit, *l. Julianus §. offerri 13. ff. de Act. Empt.*

7. Post elapsum tempus integrum est discedere à loco nolentibus jus civitatis petere Manentibus verò hujus necessitas incumbit.

8. Est quidem in potestate civis negare magistratui debita, ubi ab illo non servantur in vicem præstanda.

TIT. XL.

DE HONORIBUS ET MUNERIbus non continuandis inter patrem & filium & de intervallis.

DECISIO UNICA.

Officium deserens non meretur ad istud iterum admitti.

SI narrata sic vero congrua sunt, uti pro impetrandis processibus proferebantur, quod

Digitized by Google

quod consul eo tempore, quo maxime istius præsentia civitas eguit, ab hac discessit, officium deseruit, aliis sollicitudinem sui muneris ipse alibi incuriosus reliquit, utique non immerito gravati essent, qui deinde ipsum recipere jussi sunt; eo magis quod etiam præterea causas allegant, cur ab officio removeri meretur. Non leve peccatum est, officium quod geritur deserere, (1) & sine dubio tale, ob quod muneris dignitas atque utilitas amittitur. (2) Nec est tam remotio officialis, qui ipse à cancellis abiit, quam tacita quædam ipsius resignatio. Ut enim muneri contrarium est ab illo discedere, (3) ita discedens non potest non videri abdicasse, (4) Si ex eo sibi incommodi quidquam accidit, sibi imputet qui sic deserens voluit; (5) cui non proficiet officii sui decus, quod neglexit, (6) aut reditus & pœnitentia; (7) postquam ex vacante per illius factum loco aliis jus quæsitum est, ipsum non recipiendi, alium vero eligendi. (8) Possunt quidem plures esse causæ cur discessus non sit pro desertione, quando tamen nihil earum narratis continebatur, utique pro iis explorandis visum processus decernere *ad supplicationem Senatus & Civium Golnovienſium contra Valentin Wendland die 3. Septembr. Anno* 1658.

1. *l. ei apud 5. §. fin. ff. de poſit.*

2. *l. 3. §. qui malitiæ 8. ff. de Re militar.*

3. *l. quod ſervius 36. ff. de Stipul. Serv.*

4. *l. ſi quis 27. §. qui mandatum 2. ff. Mandat.*

5. Neglectus officii in culpa est. *l. Divus 14. in fin. ff. de Offic. Præſid.* Ex hac damnum sentiens non sentire intelligitur. *l. damnum ff. de R. jur.*

6. Qui munus non implent ejus prætextu juvari non debent. *l. qui ſub prætextu 9. C. de SS. Eccleſ.*

7. Semel jura sua remittentibus non patet ad eadem reditus. *l. quæritur 14 §. ſi venditor 9. ff. de Ædilit. Edict.*

8. Non est pœnitentiæ locus aut usus postquam ex facto jam alteri jus quæsitum fuit. *l. in delictis 4. §. fin. ib. gloſſ. & Bartol. ff. de Noval. action. l. 2. C. de Libert. & eor. liber.*

TIT. XII.

DE MUNERIBUS PATRIMONIORUM.

DECISIO I.

Nec cataſtratio, nec ſolutiones collectarum niſi voluntariæ & perpetuæ immunitatem perimunt & excludunt.

NEgatoriæ pro asserenda fundorum a tributorio onere libertate actioni, & post sententiam, super ea probatam interpositæ appellationi opponebatur exceptio peremptoria actionis exclusiva, tum ex cataſtratione istorum bonorum, tum expensitata aliquandiu ex istis fundis contributione. Est si tam in facto fundata fuisset exceptio, quam in jure, ad perimendam actionem adeoque appellationem sufficit, lis finem facile, uti hanc opponentes intendebant accepisset. Cataſtratio enim tollit immunitatem, dum qui bona sua in cataſtro describi patitur, isti renunciare intelligitur. (1) Similis effectus tribuitur pensitationi tributorum. (2) At facti circumstantiæ ex actis consideratæ non sinebant hic ea præsenti casui applicari. Nam ut cataſtratio inducat renunciationem immunitatis, oportet fieri sciente & volente eô, cujus bona in cataſtro describuntur. (3) Deinde necesse est cataſtrationem durare sine impugnatione, postquam vires suas illa amittit. (4) Perinde etiam circa actus solutionis collectarum, ut immunitatem excludant, oportet voluntarios esse non coactos vel extortos, (5) quod magis atque prius præsumitur. (6) Ideo facilius exemptionem alias competentem intentam relinquunt. Deinde quoque decet illos actus esse continuos & perpetuos, (7) & quidem ad longissimum tempus. (8) Quo sine unus & alter actus non sufficit ad derelictionem immunitatis, (9) si non aliter de mente remittenti apparet. Repertis itaque his omnibus ità comparatis ut altioris sint indaginis, assumpta est litis contestatio & admissæ responsiones, exceptionum deductio & discussio post illas remissæ & reservatæ sunt. (10) *In cauſa Ottonis Henrici von Hadeln contra inhabitatores communitatis Hamelverden die 17. Januarii Anno* 1657.

1. Immunis seu privilegiatus, qui se suaque bona patitur describi in æstimo, immunitati atque privilegio renunciare creditur. *Menoch. 6. Præsumpt. 41. num. 4. Graven lib. 2. conclus. 60. consid. 6. num. 2.*

2. Per non usum, multò magis per actus contrarios, amittitur & velut abdicatur immunitas, *c. si de terra c. accedentibus X. de privileg.*

3. Catastrum nisi scientibus & consentientibus non præjudicat. *Klock. de Contrib. cap. 17. num. 32.*

4. *Graven. dict. consid. 6. n. 2. Tapia ad l. fin. ff. de Constitut. Princ. part. 2. c. 2. n. 3.*

5. Non sponte sed coacte contravenientes immunitati vel privilegio, hanc minimè amittunt, *l. 2 cum ff. de Muner. & honorib. Menoch. dict. præsumpt. 41. n. 14. seq. Cacheran. decis. 91. n. 19. Tapia dict. part. 2. c. 2. n. 5.*

6. In dubio contributiones in debitæ per vim extortæ præsumuntur. *Rosenthal. de Feud. c. 5. conclus. 83. num. 7. ibi, G. Mascard. de Probat. Conclus. 316. num. 9.*

7. Et quis aliquoties solvit collectas, id ipsi quidem in iis actibus præjudicat, non imposterum qui actus illi successivi sunt. *Gail. 2. observ. 60. 11. ib. Graven Consid. 6. num. 13. Tapia dict. cap. 2. n. 5. & 7. quorum ea est ratio quod in uno factum in altero non attendatur. Natta Cons. 446. n. 16. & seq.*

8. Triginta annorum cursum requirunt, ut immunitas amissa sit. *Klock. de contribut. cap. 16. sect. 1. n. 200.*

9. *vid. Surd. dict. Consil. 419. num. 32. & seq.*

10. Hic est processus consuetus, ubi exceptiones litis finitæ ante litis contestationem oppositæ non sunt statim liquidæ sed altioris indaginis.

DECISIO II.

Civica bona non amittunt suam qualitatem etsi aliquamdiu apud non cives fuerint.

FOri declinatoria exceptio opponebatur hypothecariæ super bonis actioni, quæ olim civica *Städtische Güther*, uti loquimur, fuerant, sed deinde ad Ecclesiam, ab hac ad nobiles translata, recentiori verò tempore ad cives civitatis quæ privilegio de non evocando gaudebat redierat. In dubitationem autem venit, quo jure illa bona censenda sint. Appellantes Rei & illis pro interesse adhærens Senatus civitatis civica esse contendebant: Actores dudum ex illa conditione recessisse, nec ad illam reverti potuisse allegabant. Itum est tandem in illorum intentionem creditumque civica *oder Städtisch Gut* adhuc hodie esse, quando de eo per exhibitum instrumentum certum erat, olim fuisse talia, tum quia bona quævis ex sua origine sunt censenda; (1) tum quia etsi ad alios possessores quàm cives transierunt, tamen eam conditionem non amiserunt, ut ad istos reverti possent; (2) tum quia reditus in priorem conditionem restituit etiam pristina jura; (3) tum quia quæ media sunt non nocent, ubi extrema sunt congrua, (4) tum quia cum desierunt esse in aliorum non civis patrimonio nihil est quod obsit, cur in pristinum jus redire non potuerint; (5) tum denique quod iniquum foret potuisse à civibus in alios transire & per justos contractus vel legitimos modos non potuisse ad eosdem redire. (6) Admissa est ex his rationibus ea allegatio de conditione bonorum & quod non minus quàm cives foro civitatis subsunt: *In causa Bürgemeisters Theodori Meyers und Johann Pansovven, wvie auch Bürgemeister und Rath der Stadt Stralsund wvider Selland-Marschall Andreas Buggenhagens Vittwve die 10. Aprilis Anno 1657.*

1. *l. qui id quod 33. ff. de donat. l. clam possidere 6. verf. non enim ratio ff. de acquir. possess. l. ut ratione §. si filio ff. ad L. Falcid. l. Rutilia ff. de Contrah. empt.*

2. Omnis processio existit à suis Principiis, *ut loquuntur Galenus de Crisi, cap. 8.* Ideoque ut in his res fuit ita porrò procedere & manere creditur. *Cravett. consil. 419. num. 4.* nec ex conditione quid mutatum ejus præsumitur, per quoscunque transierit. *Menoch. 6. præsumpt. 25. num. 3. seq.*

3. Reditus in pristinam conditionem facilis & favorabilis est, ideò tantò facilius reducit secum omnia in eandem. *Bartol. in l. Pomponius numer. 2. ib. Castrens. num. 3. ff. de Negot. gest.* & operatur ex sua origine omnem effectum, tam impeditivum quam inductivum *l. rogasti §. si tibi ib. Decius n. 1. seq. ff. de reb. cred. Jason. in l. Iulianum. 23. ff. de reb. credit.*

4. Mediorum temporum status non nocet, ubi extrema rectè se habent *pr. ibid. Fab. Instit. de legat.*

5. Facilius quid redit ad originem quam mutatur conditio primitiva. Ad hanc reditus non est præcludendus. *Angel. Consil. 247.*

6. Naturali æquitati contrarium est, quo jure quis in aliorum bonis gaudere cupit, vicissim alios non frui in suis *l. 1. pr. ff. quod quisque jur.* Multò magis suorum bonorum reditum nolle permittere ad eundem.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO III.

Vis privilegii de facultate comparandi bona intra proximum milliare ab urbe sita.

CIvitati antiquitus per Principes privilegium datum & confirmatum erat, ut prædia & bona immobilia intra proximum ab urbe milliare sita comparandi, civitati civibusque esset licentia. Ex illo Senatus in aliquibus per cives coemptis jurisdictionem sibi asserebat, ideò actioni hypothecariæ in Dicasterio Pomeraniæ ab ista institutæ pro interesse suo interveniebat. Dubitatio inde exurgebat, de mente & vi istius privilegii, utrum nudam emendi facultatem concederet, an simul civitati jurisdictionem. Re diligenter expensâ conclusum fuit, privilegium id simul à civibus empta bona, modò non sint feudalia, (1) jurisdictioni civitatis subtrahere: tum ex verbis privilegii, per quæ bona sic comparata non tantùm civibus qui comparabunt, sed civitati adjiciuntur, ideò etiam ut accessio istius conditionem sequuntur; (2) tum ex mente ejusdem quando ad incrementa civitatis conciliandum spectat, non futura aut valdè modica nisi & portio civitatis fierent; (3) tum ex natura privilegii quod est jus singulare tribuens aliquid à jure communi alienum; (4) quale non foret si nudâ emptio concederetur; (5) tum ex potestate extra milliare comparandi prædia non feudalia, quæ etiam sine privilegio civibus comparandi est licentia. Ideò argumentum est intra illud alterius conditionis empta fore tum ex alio jure civitatis, per quod voluntate principum accepit jurisdictionem in cives qua bona alibi sita, (6) tum demum ex observantia in cæteris ante hac coemptis quæ ad jurisdictionem urbicam transierunt; (7) tum ex præjudicio & detrimento Principum modicò dum non jurisdictio sed instantia saltem prima mutatur superior ista ex jure territoriali manet. (8) *Inter eosdem.*

1. Hæc aliena sunt à conditione jurisdictionis urbanæ, veluti quæ qua proprietatem manent Domini feudi, usufructu tantùm Vasallorum fiunt, & ab isto recognoscuntur. Qua civitatem Stralsundensem eò certius hoc est, quod speciali transactione Anno 1504. Rostochii cum Pomeraniæ Duce Bogislao X. intra sic provisum, ut feuda non comparent civitas & cives.

2. Accessio sequitur naturam & conditionem rei cui accedit. *l. emptorem l. si quis remiss. de act. empt. l. 2. Cod. de Alluv.*

3. Privilegium ità est accipiendum, ne parum proficiat, sed insigne aliquid operetur. *Decius in l. 1. Cod. de secund. nupt. Felin. in cap. 1. num. 4. X. de rescript.*

4. *l. jus singulare ff. de legib.*

5. Privilegium inutile est, si concedit tantùm quod habetur ex jure communi, *Jason. in l. fin. ff de constit. Princip.*

6. Ità per jus Lubecense, quo civitas ex concessione Principum utitur, cives etiam quà bona foras extra districtum urbanum sita tenentur respondere coram judicio urbano, *uti habetur in statutis Lubec. lib. 4. tit. 3. artic. 5.*

7. Observantia etsi non longi temporis optima privilegii est interpres. *Cravett. consil. 101. numer. 4. Godda. consil. Marpurgens. 16. numer. 81. vol. 4.*

8. Privilegium quod non multum tollit ex jure communi nec valdè lædit jura superioritatis Principum latam accipit interpretationem, *Roger. de interpr. jur. patr. part. 6. n. 12. seq.*

De his ita pronunciatum est;

In Sachen Bürgemeister Theodori Meyers & Consortis Appellanten/deß Land-Marschallen Andreas Buggenhagens Wittwen Appellatinnen/ Bürgermeisters und Raths der Stadt Stralsund Intervenienten und Adhærenten in puncto competentiæ fori werden die Gravamina so wol der Appellanten so weit dieselbe in dem ersten und folgenden Articuln biß zum 36. exclusivè, wie auch der Adhærenten angenommen/ deßwegen dann Copia Libelli erkannt/und Appellatinne darauff proxima, was sich gebühret zu verhandlen/wie dann auch Appellanten und Adhærenten procuratorem apud acta zu legitimiren schuldig/von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar/ den 14. Aprilis Anno 1657.

(Hoc est.) In causa Consulis Theodori Meyers & Consortis appellantium Marcschalli Andreæ Buggenhagens viduæ appellatæ, consulum & Senatus Stralsundensis intervenientium & adhærentium in puncto competentiæ fori, gravamina tam appellantium à primo usque ad 36. exclusivè quam adhærentium admittimus, propterea copiam libelli & insuper decernimus, quod appellata desuper in proxima, quod convenit, agere, ut & appellantes & adhærentes procuratorem apud acta legitimare teneantur, idque de jure, publicatum in summo Tribunali Wismariæ 14. Aprilis Anno 1657.

DECISIO IV.

Ecclesiastica bona ab oneribus patrimonialibus ordinariis & extraordinariis sunt exempta.

A Mandato Regentium, quo Ecclesiæ atque Pædagogii Curatoribus illatio colle-

Digitized by Google

collectarum de bonis Ecclesiasticis mandabatur, appellationem interpositam recipiendam esse putabatur, quod istorum bonorum ab oneribus immunitas fundata est in jure divino (1) & humano & quidem hoc tam civili, (2) quam Canonico. (3) Accedebat non tantùm universalis orbis consuetudo, (4) sed etiam in ea specie quæ in judicium veniebat tum super immunitate illis bonis servanda inter Principem & Civitatem transactio, (5) tum etiam antiqua ejus possessio. (6) In qua Ecclesiam mandato gravatam defendi justum erat, non attento quod non tantum illius civitatis sed totius provinciæ onus erat collecta imposita. Quandoquidem tum per Ordinationem Ecclesiasticam, (7) tum per antiquam consuetudinem etiam à provincialibus collectis Ecclesiarum bonis in Pomerania sunt exempta. Sic conclusum *in causa die Capitularen der Stiffts-Kirchen zu alten Stettin contra Senatum ibidem die 27. May. Anno* 1657.

1. *Levit. 47. vers. 22. Esdræ 4. vers. 27.* Sic Theologi sentiunt & eam salva conscientia non esse vellabilem scribunt *vide de hoc latius Gerhard. in Loc. de Magistrat. Polit. § 440 & mult. seq. Frid. Bald. de Casib. Conscient. lib. 4. cap. 12. cas. 13. & 14.*

2. *l. placet 5. l. sancimus* C. *de SS. Eccles.*

3. *c. non minus 4. c. 7. x. de Immun. Eccles.*

4. Quemadmodum communis est inter JCtos optimo Ecclesiæ eam immunitatem deberi sicut ab omnibus nullo ferè dissentiente traditur, ita etiam ubique in consuetudinem venit, ut non incongruè gentium juris dicatur.

5. *Inter Pomeraniæ Principem Dn. Philippum II. & Civitatem Stetinensem anno* 1612. *post multas lites super exemptione à jurisdictione & oneribus urbanis sic conventum reperitur in articulo ejus. 7.* Allhier obspecificirte Herren- und Kirchenhäuser/ so wol auch deren Einwohner/ sie seyn Kirchen- oder Hoffdiener oder auch anderer so keine Nahrung treiben/ sollen von allen oneribus & præstationibus realibus & personalibus immunes und frey seyn. Wann aber solche Herren- und Kirchen Häuser von Bürgern oder auch von Kirchen und Hoff-Dienern so Kauffmannschafft/ Handwerck oder auch andere Bürgerliche Nahrung treiben bewohnet werden/ so sollen dieselbige nach Gelegenheit und Gröffe ihrer Gewercke und Handthierung Bürgerliche Unpflicht mit tragen/ auch davon dem Rathe/ Bürgerhoß und andere Gebührnüß/ so ad præstationes personales gehörig/ salva semper immunitate ædium quo ad onera realia geben und darreichen. Wann auch in solchen Häusern durch Absterben der Einwohner so Bürgerliche Nahrung gebraucht/ Erbschafft fallen/ so an frembde Oerther abgefordert/ soll das Stadt Gericht von den Gütern/ damit Handthierung getrieben/ den Zehenden und Abschoß zu nehmen befugt seyn.

6. Antiqua possessio facit consuetudinem hæc fundat immunitatem *Diaz. d. Menaq. for. 21. num. 137. seq.*

7. Ejus de immunitate verba sic se habent *in lib. 6. tit.* van der Freyheit und immunität der Kercken/ Geistlicke Stede Kerckhöfe/ Cösterey en/ Scholen unde dergliken schölen in erer Freyheit unde immunität na Christlicker Art/ wo van Olders/ bliven/ deßgliken alle Personen deß Geistlicken Regimens in Stedden unde Dörpern/ Parherren/ Prediger/ Scholmeister/ Organisten/ Scholgesellen/ Cösterer/ item de Professores der Universitet mit der Kercken unde Universität Hüsern/ schölen mit den Hüsern dar se in wahnen fry sihn/ van allen Börgerlicken Lasten edder Beschweringen/ hedden se överst andere Güder/ darvan schölen se Naberlick doen/ edder sick mit der Herrschop verdragen.

DECISIO V.

Qui ex urbe discedere quam jus civitatis assumere malunt, donec manent, juramento se obstringere tenentur.

NEcessitas petendi & assumendi *jus civitatis* statuto sancita evadi potest è civitate discedendo. (1) Siquidem statim, ea relinquitur, nihil ultrà præstatur, nisi quod pro discessu lex vel mos imposuit. (2) At si aliquandiu quis commorari vult & temporis indulgentiam rogat, donec bona sua vendendi & convocandi facultas sit, etsi non cogendus ad illam petitionem, juramentum tamen, quo interea civitati adstrictus sit, recusare nequit, quod non tantùm cives sed etiam advenæ peregrini & exteri in civitate degentes præstare tenentur, præsertim ubi exigendi causa est. (3) Qualis justa cum inter ambigua tempora securitati consulendum. (4) Ita decretum *in causa Niclaus Eichhoffs contra Bürgemeister und Rath der Stadt Wismar die 12. Junii Anno* 1657.

1. Cuilibet libera est Civitatis mutatio & pro ea ex urbe discessus seu juris istius renunciatio. *l. 5. § fin. ff. de Captiv. & post lim. R. A. zu Augspurg Anno* 1655. §. Wo aber Unser/ &c. *Gail. 2. Observat. 36 n. 4.*

2. Quod vocatur Abschoß/ Abzug & est aliqua certa portio bonorum, quæ ex civitate alio transfertur. *Gail. 2. Observ. 36. n. 10. Koppen lib. quæst. 11. per tot.*

3. *De qua vid. Scripta in Comment. ad Jus Lubecens. tit. 2. art. 21. n. 3. seq.*

4. Hoc juramentum ideo allecutionis vocatur inter bellorum tempora in civitatibus, quando ad eas exteri confugerunt, non infrequens.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO VI.

Munera à bonis præstanda sunt, ubi bona sunt sita.

CIvitas tributa de bonis suis & civium suorum, quæ non sub suo districtu sed extra eum in territorio Ducali sita erant, sub obtentu constitutionis Imperii, (1) per quam sic ordinatum, ut quisque in loco domicilii etiam de bonis foras sitis collectas solvat, exigens decreto regiminis ab eo desistere jussa appellabat. Existimatum autem fuit, incongruum plane esse illam legis Imperii allegationem tum ad negandam in loco, ubi bona sita sunt, munerum publicorum præstationem, tum ad desiderium, ut civitas & singuli cives istorum accessione subleventur in ea portione, quam aliàs inter provincialia onera sustinent. Illæ quippe constitutiones tantum de collectis Imperii (2) Turcicis disponunt, (3) & cum omnes Imperii cives non suis immediatis dominis sed Cæsari & Imperio has solvant, & quidem de bonis omnibus, (4) adeoque nihil istorum, aliasve interfit, ubi solvantur, sic pro celeriori exactione provisum est, ut in loco domicilii quisque inferat, (5) minimè verò in universum constitutum, ut indiscriminatim collectæ de bonis, ubicunque existent, in loco domicilii inferantur. (6) Quin potius ea cautio & reservatio addita fuit, quod specialis hæc providentia territoriorum dominis de cætero sine præjudicio esse debeat. (7) Provisum etiam in legibus Imperii, ut cum in domicilii loco collecta solvitur, collectati alibi per Cæsarem non onerentur. (8) Multo minus verò sic constitutis eo trahi potest de quo nec sentit nec loquitur, ut cives alibi domicilium habentes qua bona alibi sita immunes sint & tantum sui loci onera ferant, aut aliorum bonorum nomine in isto præstent. Remansit qua alias collectas res sub dispositione juris communis. Ex quo refert, quædam sunt munera, Realia, Personalia, Mixta. (9) Merè realia vel patrimonialia velut rebus incumbentia præstantur in loco, ubi res sunt; (10) & cum in diversis territoriis vel ditionibus bona possidentur pro singulis in quovis loco, (11) Personalia tantum in loco domicilii ubi quisque civis vel subditus est, sustinentur, (12) nec quod quis bona alibi habet ibidem non subdito imponi queunt. (13) Mixta autem quæ personis propter res indicuntur, qualia sunt collectæ, quæ à personis ratione rerum contribuuntur. (14) ex jure imponentis censenda sunt. Hic vel est Domitius superior utriusque loci, in quo persona domicilium & ubi bona habet, & potest ordinarie jus debita volit recipere, (15) nisi lex & consuetudo loci (16) aut aliorum jus obsistit: (17) vel est in quovis loco alius; & tunc vel imponit dominus magistratusve loci, sub quo domicilium habetur, & ei vacat non minus, (18) quam statuto moribusve introducitur, ut subditus etiam de bonis quæ alibi tenet tributum inferat, (19) vel dominus loci in quo bona alterius subditi sita sunt, & ea quæ personis irrogantur ratione bonorum ab extraneo non sustinentur, (20) præterquam si statuto vel inveterata consuetudine, (21) aut ex superioris privilegio, (22) vel ex obligatione quadam rerum ad illud onus, (23) qualis per catastrationem inducitur, (24) vel denique ex ratione & utilitate collectæ similisve oneris res ipsæ præter personam constringuntur. (25) *Quæ considerata sunt cum supplicaret pro præcessibus Civitas Verdensis die 21. Martii Anno* 1654.

1. R. A. zu Speyer Anno 1542. §. Damit auch solcher Ordnung verb. Daß ein jeder allein an dem Ort da er gesessen / sein Anlage zu dieser beharrlichen Türckenhülffe gebe / von allen seinen Haab und Gütern / so er allenthalben hat / unverhindert / wo die sind oder ligen / und daß kein Stand den andern oder dessen Unterthanen darwider bringe / noch auch andern so unter ihnen nicht gesessen / Haab oder Güter / ob die schon unter ihnen gelegen / dieser Anlage halber belege / nehme noch auffhalte / bey Pön und Straffe der Käys. Majest. und des Heil. Reichs Acht. Quod repetitum in R. A. zu Speyer An. 1654. §. Damit man solcher Ordnung.

2. Collectæ Imperii die Reichs-Steuren magis privilegiatæ sunt, multoque plura singularia jura habent quam provinciales die Land-Steuren *Thom. Merckelbach. in. Consil. Klockii vol. n.* 374.

3. Collectarum Turcicarum gratia singulari Legum Imperii providentiâ multa sunt constituta, quæ contra alias collectas non servantur, inde ab illis ad alias argumentum minime valet.

4. Collectæ Imperii non possessionum tantum immobilium sed universi patrimonii onus sunt. *Andr. Knoblauch. consil.* 44. *num.* 4. *int. consil. German. JCti. tom.* 4.

5. *Hanc rationem præfatæ Imperii constitutionis JCti Germaniæ allegant Cyliman. Symphoremat. tom.* 2. *part.* 2. *tit.* 6. *vol.* 2. *n.* 4. & 5. *Bocer. in tr. de regal. c.* 2. *n.* 233. Quæ etiam obtinet in ea Imperialis contributionis specie, quam gemeinen Pfenning vocant, cujus illatio itidem facta fuit in loco domicilii *vid.* Königl. Satzung vom gemeinen Pfenning zu Wormbs *An.* 1495. *Tit.* von Einnahm der Auffliegung / quod aliorum ubi bona sita sunt nihil interesset ubi fieret, ubi vero modus contribuendi juxta matriculam Nach den Anschlägen introductus est, cum alia esset ratio aliud usurpari cœpit, nec intercessibus circa illum idem constitutum reperitur.

6. Ipsa litera constitutionis Imperii in præcitatis textibus ostendit peculiariter sic esse constitutum qua collectas Turcicas. Quod itaque singulari

golari ratione omnibus non trahendum est in consequentiam.

7. *Imd.* §. Damit durch solche Ordnung in R. A. in Sp. per *de Anno* 1542. hæc reperitur clausula, und sonst allen hohen und niedern Obrigkeiten/ geistlichen und weltlichen/ dass alles an ihren Rechten und Gerechtigkeiten und altem Herkommen unschädlich und unvorgreiflich sey.

8. R. Ang. Regenspurg *Anno* 1454. §. Nachdem auch bey dieser.

9. Sic JCtus distinguit munera *l. munerum ff. de Muneribus.*

10. Immobilia sequuntur res ipsas *Gail. 2. Obs. 52. n.* 11. & territorium respiciunt & in quæstionibus juris sequantur. *Gail. 2. Observ. 152. n.* 18. *in fin.*

11. Res diversis in locis sitæ diversi patrimonii instar habentur & singulæ in & ex suo loco censentur.

12. Hæc subjectionem præsupponunt, ideo aliis quam subditis non imponuntur *l. rescripto* §. *fin. ff. ib. Bartol. ff. de Muneribus.*

13. Bona subditum non faciunt sed domicilium. *Arg. ff. ad Municip. Garcia. Observ. 35. n.* 2. & in materia collectarum ex hoc ille censetur *Rosenthal. de feud. c. 6. conclus. 85. subl. 1. M. Fl. Diaz. de Mena. q.* 21. *n.* 84.

14. In his mixtis vinculum sive necessitas solvendi respicit personam, quantitas impositionis rem cujusque æstimationem *ut ait Bald. in Auth. defuncto C. ad SC. Tertull.* Ideo JCtorum phrasis habet, materialiter collectas esse onera rerum, formaliter personarum *Coth. resp. 11. n. 1. seq. vol. 1. & resp. 3. n. 165. & seq. vol. 4.*

15. Superiori integrum est, ubi velit inferri tributa potestque in loco domicilii collectare de bonis extra illius litis *Klock. in disp. de Contrib. concl.* 17.

16. Circa onera maxime spectandum quod consuetum *l. un. ib. Bartol. C. de ann. coron.*

17. Ex privilegio vel consuetudine subditi possunt uberiore jura certa circa exactionem collectarum ipsis servanda. *Illud Constantiæ Imperii in R. A. in Sp. p. Anno* 1542. §. Damit durch solche. *expressim excipit.*

18. Sic communis habet JCtorum sententia dominum subditum & incolas domicilii collectare posse de bonis, extra territorium sitis *per l. rescripto* §. *fin. l. munerum* §. *patrimoniorum* 18. *ff. de muneribus. Gail. 2. Observ. 53. n.* 10. *Elbrec. de Mercat. q.* 11. *n.* 55. *Rosenthal. de Feud. c.* 5. *concl.* 78. *lit. B.*

19. *De quo ipsi in Comment. ad Jus Lubec. part. 2. artic. 2.* 73. *& seq.*

20. In collectarum materia circa impositionem præprimis observatur, ne quis duplici onere gravetur. *l. Titius* §. *quæ autem ff. de Legat. 2. Gail. d. Observ. 53. n. 2. Rosenthal. de Feud. cap. 5. conclus. 78. lit. c. Mynsing. resp. 1. n. 1. & seq. decad. 5.*

21. Hoc est quod vulgo dicimus forenses a Collectis regulariter esse immunes *vid. Mynsing. d. Observ. 22. Rosenthal. de cap. 5. conclus. 81. n. 1. lit. A. M. de Mena. de q.* 21. *n.* 90. cujus ratio est, quod collectarum fundamentum est jurisdictio & subjectio *Gail. 2. Observ. 52. n.* 13.

22. *Rosenthal. d. c. 5. conclus. 82. n. 2. Mynsing. d. Observ. 22. n. 7. & 10.*

23. *Gail. d. Obs. 53. n. 4. seqq. Mynsing. d. Obs. 22. n. 6.*

24. Per catastrationem vel alibrationem eum inducitur obligatio personalis & realis, eaque omnes possessores rerum catastratarum afficit *l. 4. C. de agric. & Censit. l. 1. C. in quib. caus. pign. tac. Gail. d. Observ. 52. n.* 24. *Thomas. in tr. de Contr. §. Exactis n. 36. & 37. Wesenbec. consil. 27. n. 12. in fin. vol. 1.*

25. *Arg. l. ad Institutionem C. de SS. Eccles. Gail. d. Observ. 1. n. 15. & 16. Paris. consil. 26. n. 6. & 7. Navarr. consil. 137. n. 12.* qui exemplificant de collecta, quæ pro defensione rerum imponitur, quam possessor eam detrectare nequit bona alibi habens.

DECISIO VII.

Collectæ etiam à forensibus debentur in eo loco, ubi bona, ex quibus solvuntur, sita sunt, nisi lege vel consuetudine aliud receptum fuerit.

Appellatione ideo per civitatem interposita quod à civibus collectæ foras in provinciam, cujus ista pars erat, exigerentur è bonis ibi sitis, cum civitas adeoque & cives vel alibis tanquam liberi status provinciæ *als ein freyer Stand* immunes, vel cum obnoxii ad civitatis portionem) conferre tenerentur, existimatum est, ut juxta juris communis rationem ea de re statuendum esset, bona ubi sita sunt, oneribus esse obnoxia. (1) Ideo cives alterius civitatis perinde ut alios peregrinos in terra illa bona habentes tanquam possessores teneri. (2) Quandoquidem ubi bona sunt catastrata seu oneribus astricta ibi hæc sunt præstanda (3) & hoc consuetudine locorum sic ubique servatur. (4) Traditur quidem communiori JCtorum sententia. Forenses in eo loco ubi bona habent, collectas non solvere. (5) At primo ex ratione quam addunt, nempe collectas personis non rebus imponi, nisi per & propter istas, (6) appatet pertinere illud ad impositiones quæ recta personis fiunt, rerum tantum circa quantitatem habita ratione vel respectu. Secus dicendum, ubi in dictiones rebus fiunt & hæc onera habent. (7) quæ jam ratio onerum est, ut tam extraordinaria quam ordinaria rebus potissimum imponantur, etsi ad possessores tantum ex iis solvendi mandatum dirigatur. (8) Erat etiam ejus generis de quo is præsens movebatur, dum singula fundorum jugera isto erant affecta. Et ipsimet sic limitant eam sententiam, ut non pertineat ad onera realia. (9) Deinde ab illa excipiunt etiam onera Provincialia pro communi utilitate Provinciæ imponi solita, quorum debitum non tantum ab incolarum, sed etiam Forensium, qui agros in ditione ista habent. (10) Similiter retro excipiunt ea obligatio, quæ ex causa impo-

posita collecta existit. Quando ea forenses contingit, ut cum inde aliquod illorum commodum est, etiam onus iis incumbit. (11) Maxime quarto cessat ea sententia post catastrationem bonorum. *VVann sie in den Land-oder Steur-Registern mit beschrieben*, unde cujuscunq; possessoris sint, obnoxia fiunt oneribus. (12) Nihil faciunt contra hæc Imperii Recessus solutionem collectarum astringentes ad locum, ubi quisque domicilium habet, etiam de bonis alibi possessis. (13) Tantum imperialibus collectis *den Reichssteuren* modum inferendi & exigendi præscribunt; de debito vero seu ubi debeantur, nihil disponunt. Diversa plane istarum ratio est atque Provincialium *der Landsteuren*. Imperii nihil interest ubi inferantur. Ubicunque fit illatio, ad usus Imperii redundat, & inde ad ærarium ejus devenit, ideo comitiali decreto personas ubi sunt, quà illationem tributorum sequi placuit. Ut vero provinciæ & terræ distinctæ sunt dominis & finibus, & ut in singulis provinciales collectæ juxta possessiones & catastra sine confusione inferantur, multum refert, ex distinctione finium ut cæterorum ita collectarum solutio distinguitur. (14) Tantum si ex lege vel consuetudine sic invaluit, ut bona collecten tur, ubi possessores habitant, extra civitatem erit à collectis immunitas. (15) Nec necesse est hanc concessam esse, sed sufficit longo tempore supra decennium, (16) collectam sic fuisse solutam. (17) Id quod unicum inter allegationes appellantium reperiebatur, appellationem recipi merens *in causa Ducatus Verdensis contra Regimen Ducatus, die* 8. *Decembris Anno* 1654.

1. Quod enim ex re petitur vel præstatur, ut & pro quo res obligatæ sunt, de eo est actio & exactio in loco, ubi res sunt, etsi persona absit, *l.* 1. *& seq. C. ubi in rem act.*

2. *l. forma §. is vero ff. de censib. Gail. 2. observ. 52. num.* 11. Non quidem possessio bonorum facit subditum; *l. libertus §. sola ff. ad Municipal. l. rescripto §. fin. ff. de Muneric. & honorib. Ald. Mascard. in tr. de interp. Stat. conclus. 2. num.* 151. debitorem tamen rei ratione facit, quia qui accipit, quasi cum civitate contrahit & oneribus se bonorum suorum ratione subjicit, dum nisi cum sua obligatione & onere res ad neminem transit. *Decius consil.* 694. *num.* 6. *vol.* 1.

3. Catastratio inducit obligationem realem & personalem *l.* 4. *C. de Agricol. & censit. Thomas. in tr. de Collect. §. ex actis num.* 36. *& seq. Tessaur. dec.* 164. *num.* 3.

4. Quæ hodie terra est, ubi non possessor solvit onera ex bonis quæ in ista habet? Quis terræ dominus, ideo ex his sibi debita cum collectam indicit, remittit, quia bonorum dominus alibi solverit. Quod de Italia scripsit *Rimnald. Consil.* 574. *num.* 1. *& 3. Roland. à Vall. consil.* 32. *num.* 9. *vol.* 1. generali consuetudine forenses hodie collectari, de moribus Germaniæ per experientiam testari possumus.

5. *Gail. 2. Observ. 52. num.* 13. *Mynsing. 5. Observ.* 22. *Anton. de Petr. in tr. de Pot. Princ. c.* 4. *part de Stat. num.* 16. *Sixtin. de Regal. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 72.

6. *Vide de hac Gail. dict. Observ.* 52. *num.* 13. *& omnes qui eum sequuntur.*

7. Cessat in his ea ratio, quæ alias nimis imbecillis est ad exemptionem obtinendam.

8. Ita usus ubique habet, aut rerum quæ sustinent onera, potior sit ratio quam personarum quæ solvunt.

9. *Gail. d. Observ.* 52. *num.* 11.

10. *Sixtin. dict. cap.* 12 *n.* 74. *Rosenthal. de Feud. cap.* 5. *conclus.* 81. *Gylman. in Symphorem. tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 6. *vot.* 6. *num.* 57.

11. *de quo vid. Gail. dict. Observ.* 52. *num.* 16.

12. *Surd. Consil.* 162. *num.* 3. *Wesenbec. consil.* 27. *num.* 22. *in fin.*

13. *v.* R. A. zu Speyer *Anno* 1542. §. Dieweil aber etliche §. Damit auch solche Ordnungen R. A. *de Anno* 1544. §. Damit nun solche Ordnung & in aliis.

14. Sic in Germania communis usus habet, & quod hic dicitur, docet, quod si quis in diversorum Statuum territoriis bona possidet, in singulis de singulis onera sustinet, nec de bonis in altero sitis in alio etsi ibi habitet, collectas solvat.

15. Ut consuetudo efficere potest forenses collectari perinde ut subditos, *l. munerum §. preterea ff. de Muner. & honorib. Rosenthal. dict. cap.* 5. *conclus.* 82. *in fin.* sic etiam ut de bonis in alio territorio possessis alibi tantum contribuatur, consuetudo est rectrix & regula collectarum.

16. *Rosenthal. dict. cap.* 5. *conclus.* 83. *in gloss. Gail. dict. Observ.* 52. *n.* 13.

17. Ex consuetudine collectas solvendi in uno loco sequitur immunitas in alio. Nam de eadem re nemo debet in duobus locis solvere onera. *Rosenthal. d. cap.* 5. *conclus.* 83. *Gail.* 2. *Observ.* 53. *num.* 2. 9. *seq. Roland. à Vall. consil.* 1. *num.* 25. *vol.* 2.

DECISIO VIII.

Metata sunt onus civium non civitatis, nec ob id istis contra hanc actio.

QUæ hospes communis Officialibus militaribus ex Magistratus vel publicorum Officialium assignatione apud se divertentibus salgama præbuerat, à Senatu seu civitate repetebat, veluti jussu & fide istius præstita. Veruntamen quia metata onera civium sunt, (1) & istorum causa talia singulis incumbunt, (2) eorum nomine ab his qui sustinent contra civitatem non competit actio. (3) Imponuntur enim à magistratu non ut civitatis debita, sed ut superioribus per subditos debita, (4) singulorum onera quæ quisque ut civis vel incola sustinet. (5) Quorum

Digitized by Google

si quis civitatem vel magistratum dicat debitorem suum causam debendi aliam, quæ civitatis onus illorum sumptus facit, docere debet. (6) Sicut existimatum *in causa David Mackeu contra Senatum Civitatis Wismarienſis. die 24. Januarii Anno* 1655.

1. Hospitatio seu metata sunt munera publica realia seu patrimonialia, *l. 3. §. munus l. fin. §. pen. ff. de muneribus.*

2 Ut civium, qui possessiones habent sunt metata, sic & salgama quæ sunt onera iis annexa, *vid. tenuit. C. de Salgam.*

3. Non enim præstatur quidquam ex eo civitati, sed superiori, cujus sunt milites, quibus etiam imponendi jus, *l. 2. C. de Metat.* Civitas subdata seu magistratus tantum isti operam præstat.

4. Jus hospitationis hinc regalibus ascribitur, *Vid. Klock. de Contribut. cap. 17. num. 243. in fine.*

5. A metatis nemo civium excusatur, *l. sunt munera ff. de vocat & Excusat. mun. Eob. in Cod. lib. 9. tit. 29. def. 26. pr. Nacta consil. 155.*

6. Ut non debent singuli quæ debet universitas, ita vicissim, quod singuli debent, universitas non debet, *l. 7. ff. quod cujusque univers.*

DECISIO IX.

Hospes diversorii seu caupo ob receptos ex jussu magistratus Officiales bellicos quando contra eum ad impendia agit.

ACtione ab hospite contra magistratum ob Officiales bellicos in diversorium ex jussu aut assignatione ejus receptos ad pensationem consumptorum institutâ, visum fuit, discernendum esse, qua mente Senatus vel hospitationi militari præfecti *die Quartir-Herren oder zur Einquartirung Verordnete*, uti vulgo vocant officiales bellicos advenientes ad diversorium publicum remiserint, an tantum ut tanquam peregrini illuc divertant, nihil præter factum deductionis præbentes, *daß sie dieſelbe in die Herberge blos gewieſen*, & tunc à parte civis recipiendi necessitas est, (1) at nulla est illorum obligatio, (2) præsertim si nullum eâ de causâ est civitatis onus, si quidem tales fuerunt, quibus hospitatio in civitate non debetur: (3) an verò ut nomine civitatis iisdem hospitium præstetur, seu quia iis debitum, seu quia ex munificentiâ publicâ exhibendum. Et tunc aut nihil aliud assignatur, quàm quod metatorum ordinarium onus est: aut verò ultra tendit intentio & assignatio. In illâ specie hospes publicus, qui tempore belli oneri hospitationis militaris obnoxius est, nec emptionem impetravit, nihil reposcere potest, dum tantum præstitit, quod debuit. (4) Eoque minus actioni locus erit, quando diversoria publica non instar aliorum civium continuâ & ordinariâ militum hospitatione gravantur, sed vacua ab hâc relinquuntur, ut cum advenerint peregrini in istis commorandi copiam habeant, & si iis publico nomine hospitatio præstanda, tunc ab iis porrigatur. (5) Quod unâ vel alterâ vice in eo prægravantur, compensabitur cum illo levamento, quo alias fruuntur ab isto onere, cum tales non adsunt vacuas habentes ædes. (6) Quod si præter salgama militibus debita hospitati amplius exigunt & non refundunt, eo nomine non est contra civitatem ejusve magistratum actio, si non est civitatis debitum, (7) nec ex hospitum injuriâ præbet contra civitatem actionem, (8) sed sustinetur à patiente qui contra inferentem non contra alium agere potest. Quod si magistratus assignans ulterius quid intendit aut injunxit, cessante hospitis debito, obligatur ad id, quod inde præstitum est. (9) In dubio autem magistratus non præsumitur voluisse injungere, unde obligetur: (10) Sed hospes tale propositum & factum allegans probare debet, & licet voluntas obligandi aliqua appareat, tamen se non extendit ad immodica, (11) ideo de his necessaria est plenior probatio. Sicut pronunciatum *in eadem causa.*

1. Publicum diversorium qui habet, tenetur etiam invitus quoscunque peregrinos recipere, eoque à magistratu potest cogi, nisi justam non recipiendi causam habeat. Quod enim JCtus *in l. 1. pr. ff. de naut. caup. ſtabul.* habet, quod in ipsorum arbitrio est, ne quem recipiant, & pertinet ad principium professionis, quam recipit liberum, ubi semel receperunt & publicam cauponariam exercerent, necessitate recipiendi incumbit, *uti post Bartol. in l. un. in fin C. furt. adverſ. naut. exponit Gothofred. ad dict. l. 1. in pr.*

2. Non subest causa debendi, ubi quid fit officiosè & citra animum obligandi, præsertim ubi nihil negocii cum aliquo gestum est, *l. ſi & meæ ff. de reb. credit.*

3. Cum civitas hospitationis onus debet militibus non aliis obnoxia est ad illam præstationem, quam qui sunt de illo numero aut cohorte, cui pro hospitio assignata est. Si præsidiario tantum militi non alii quam qui in præsidio est. Non est obstricta aliis peregrinis advenientibus, ideo eos ad diversorium publicum remittendo non præsumitur ibi velle sumptus victus suppeditare, *arg. l. cum de debito 25. pr. ff. de Probat.*

4. Metata sunt onera civitatis, *uti in decisum præcedenti vidimus.*

5. Hoc ita servatum belli tempore, ut diversoria publica ordinario metatorum munere vacarent, quo accedentibus in iis non impedita esset commoratio. Pro qua immunitate vicissim hoc illorum onus fuit, ut milites, quibus hospitium non esset, reciperent.

6. Talis commodi & incommodi compensa-

tio

tio æqua est, *l. un. §. præterea secundo 4. C. de Caduc. tollend.*

7. Non est actio, ubi nullum est debitum, *l. hæreditas 5. C. de Pact. convent.*

8. Non est obligatio, nisi ubi initium habet ex persona obligati, *l. quacunque ii. ff. de O. & A.*

9. Quodammodo cum eo contrahitur, qui alii quid præstare jubet, *l. 1. ff. quod juss.*

10. Alia potius capitur interpretatio, quàm quod quisquam semet obligare voluerit, *l. quidquid astringendæ 99. ib. Bartol. & Dd. ff. de V. O.*

11. *l. si libertus 30. ff. de Oper. libert.*

DECISIO X.

Consuetudo refundendi probat debitum, & obligat imposterum.

IN articulis probatoriis allegata antecedentia exempla similium ac quæ nunc exiguntur redditorum, inde articulata refundendi consuetudo ad probandum admissa sunt, quod inde argumentum debiti non leve est, (1) tum ob vim consuetudinis, (2) ex quâ solita solvi debita creduntur: (3) tum ex præsumptione quæ est de præterito ad præsens & subsequens: (4) tum ex ratione similitudinis, per quam in similibus similia indicantur & servantur, (5) & quæ ut debita in talibus semel agnita sunt, imposterum in debiti necessitatem recidunt. (6) *In eadem causa.*

1. *l. cum de in rem 6. ib. gloss. & Dd. ff. de Usur.*

2. Quod sæpius factum, id imposterum fieri debere creditur. *l. testium 3. §. fin. ff. de Test. lib.*

3. *De qua præsumptione Latius scripsit Menoch. Præsumpt. 181. per tot. lib. 3.*

4. *Eberhard. in Top. legal. loc. 9. per tot.*

5. *Vid. Eberhard. in Top. Legal. loc. 13.*

6. Similitudinis vis etiam in contractibus valet. *l. 2. ib. Bald. C. de O. & A.*

DECISIO XI.

Recipiens rationes & retinens earum causam veram fateri, seque ex eis debitorem agnoscere censetur.

INter articulata pro probatione debiti allegabatur de impendiis præbiti ad jussum magistratus hospitii pro iisdem repetendis rationum exhibitio, receptio & silentium, (1) Ex eo argumentum existentis atque agniti debiti desumitur, (2) ideo pro eo probando articuli velut relevantes admissi sunt, præsertim cum alia causa non appareret. *In eadem causa.*

1. Literas recipientem præsumi, approbare, & quæ continent, vera fateri, vulgata præsumptio, *l. filium ff. ad SC. Macedon. quam confirmat & explicat Menoch. de Præsumpt. lib. 3. præs. 65. num. 1. & seq.*

2. Intellige tamen si ea mens patet dandi nec alia causa est recipiendi atque retinendi quam ut refusio fiat.

DECISIO XII.

Bona servitiis equestribus obnoxia à tributis sunt immunia quousq; utrique oneri ab allegante probatur obnoxia.

QUando in Ducatu Bremensi inter Status ea differentia est, quod alii dicuntur *Schatzfreye*, qui cum bonis suis à tributorum onere sunt immunes: Alii *Schatzflichtige* quorum bonis tributa adscripta veluti & addicta sunt: inter illos vero sunt Nobiles eorumque bona, utique existit pro iis præsumptio exemptionis à collectis. (1) At non satis valida, quia Nobiles etiam bona aliquando habent tributaria, *die unter dem Schatz seyn*; (2) Quocirca hodie non sufficit amplius illud argumentum; Nobilis est possessor, ideo bona possessa non subsunt tributis, sed cum in controversiam bonorum immunitas à collectis venit, aliis opus est argumentis, quibus obtineatur. Tria appellans in præsenti causa attulit. Primum, quod bona illa semper fuerunt ut libera, *als Schatzfrey und Adeliche Gut* vendita. Secundum quod de iis ab antiquo servitia equestria *die Rossdienste* præstita. Tertium quod antiquitus non fuerunt alliberata seu catastro provinciali inscripta. Primum nullius momenti qua fiscum seu ærarium provinciale est, si non alia exemptionis documenta accedunt. Nam venditiones & conventiones aliorum isti præjudicium facere non possunt: (3) Tertium decisione sequente examinabitur. Secundùm hic spectemus. Et in hoc themate consistit Bona servitiis equestribus addicta, *davon Rossdienst geleistet wird*, ab aliis collectis esse libera. Quod fundatur primo in consuetudine provinciæ per quam sic res se habet, ut alterutrum onus tantùm bona sustineant aut servitia equestria *die Rossdienste* aut tributa. (4) Deinde in jure communi, per quod oneribus ea naturalis regula est constituta, quod duplex pro eadem re sustineri non debet quam in materia collectarum æquitatis ductu sequimur. (5) Porro facit exemplum vasallorum qui ratione feudorum non sunt tributis obnoxii, (6) non tantum ex illa ratione, quod non sunt subditi, (7) id quod sæpius & hodie regulariter secus se habet, (8) sed quod pro feudis militaria servitia subeunt. (9) Etsi vero bona quæ habent Nobiles in Bremensi terra paucis exceptis feuda non sunt sed allodia atq; bona libera, attamen in eo sequuntur conditionem feudalem, quod domino terræ servitia feudalibus similima debent, quæ ideo *Rossdienste* vocantur, sicut eo nomine in Germania feudalia alibi

Digitized by Google

indigitantur. Nec infrequens argumentum est in ea ipsa terra, quando de servitiorum jure & onere quæstio oritur à feudis ad illa bona uti sæpius id usurpatum, admissum & sectatum observavi. (10) Quomodo itaque de feudis non solvuntur tributa, ita nec de Nobilium in Bremensi Ducatu possessionibus quæ servitii onus subeunt. (11) Nec potest contra talium bonorum & in specie eorum de quibus hic quæritur libertatem aliquid facere allegatio præstiti de iis aliquando tributi, si hoc exactum est vel in causa summæ necessitatis (12) vel tempore belli quo discrimen illud bonorum non exacte observatum fuit, omnibus indiscriminatim tributariæ functioni submissis, (13) vel loco debiti servitii, uti hoc in pecuniariam præstationem converti potest, & sæpe solitum fuit, nec tamen mutat conditionem bonorum. (14) Existimatum est per hæc si appellans probare possit de bonis illis, quorum libertatem asserit, longissimo tempore servitia equestria fuisse præstita ab exactione tributorum absolvendum, ideo ut valde relevans ad probandum illud admittendum esse. (15) *In causa Otto Heinrich von Hadeln, contra die Eingesessenen in Hammelwörden, die* 15. *Januarii Anno* 1656.

1. Per jus commune Romanum nobilitas sola ab oneribus civilibus immunitatem non tribuit, sed nobiles non minus quam plebeji istis subjiciuntur *l. rescripto §. fin. ibi gloss. l. munerum §. patrimoniorum ib. Bartol. ff. de Munerib. l. ei qui originem §. 1. ff. eod. l. 2. l. 3. l. 6. l. 9. C. de Munerib. patrim. Modest. Pistor. consil. 9. num. 4. vol. 2.* Ex consuetudine autem multorum locorum istam vel etiam circa onera prærogativam aut diversitatem obtinuerunt. Juxta quam loquuntur aut scribunt plerique qui nobilibus istam asserunt. Ubi consuetudo illam dedit, ibi nobilitas inducit fundatam pro exemptione intentionem. *Tiraquell. de Nobil. cap. 20. num. 164. seq.*

2. In quæstione versatur an immunitas nobilium pertingit ad bona paganica seu olim allitrata, postea ab ipsis comparata? Cujus negativam communioribus calculis & sanioribus rationibus JCti tuentur. *Modestin. Pistor. dict. consil. 9. num. 49. vol. 2. Bidenbach. illustr. quæst. 61. n. 9. & seq. Klock. de Contribut. cap. 41. num. 18 & seq.* Etsi in Ducatu Bremensi olim alia obtenditur observantia, controversia tamen est adhuc lite olim in Aulico Cæsaris consilio pendente nec etiam ad alia extensa quam quæ semel in libertatem venerunt.

3. *l. jus publicum 38. ff. de Pact.*

4. Consuetudo cujusque loci præprimis est spectanda circa onera publica. *Valasc. de jur. Emphyt. quæst. 17. n. 27.* Ex quo illa quosdam fundos servitii equestribus seu Rosidienstn, quosdam tributis dem Landschatz addixit, hoc quoque effecit, ut singulorum peculiaria sint onera nec illos his aut illis onerare liberum. De quo in Ducatu eo minus dubitandum, quando id usus certus observat.

5. *Rosenth. de Feud. cap. 1. conclus. 83. num. 1. lit. A*

6. *Modest. Pistor. consil. 21. n. 30. vol. 2. Mynsing resp. 11. n. 22. Heig. quæst. 18. n. 18. part. 1.*

7. Vasallagium per se jurisdictionem & subjectionem non operatur. *c. caterum de Judic. clem. Pastoralis §. denique junct. §. 2. unius de sent. & re judic. Gail. de Pignorat 15. n. 3. Rosenthal. de Feud. c. 11. conclus. 14.* quæ circa impositionem collectarum necessaria est. *Knich. de sublim. territ. jur. c. 3. n. 310. & seq.*

8. Vasalli qui in territorio simul domicilium habent, hodie subditi sunt. *Paurmeist. de Jurisdict. lib. 2 c. 9. n. 116. Coler. de Process. Execut. part. 1. c. 1. n. 32. & seq.*

9. *Klock. de Contrib. cap. 14. num. 25.*

10. Est hoc argumentum à similibus quod in jurisprudentia frequens, & non invalidum. *Eberhard in top. Legal. loc. à Simil.*

11. Eadem plane ratio idem jus facit.

12. Est de eo JCtorum controversia, an etiam bona feudalia à feudi domino tempore summæ necessitatis collectis onerari queant? Cujus negativam tuentur *Modestinus Pistor. consil. 9. num. 43. & seq. vol. 2. Gasp. Tessaur. lib. singul. quæst. forens. 8. n. 6.* Affirmativam *Heig. lib. 1. quæst. 18. num. 23. & seq.* Quam in Ducatu Bremensi aliquando qua bona alias libera observatam reperi, ut vero invicta necessitas tale cogit, tamen libertati non nocet, quæ integra manet & desinente necessitate veluti reviviscit. *Ant. de Petra in tr. de Potestat. Princip. cap. 6. part. 2. num. 39. Tib Decian. consil. 41. num. 74. & seq.* Actus immunitati contrarii qui coacti ipsam non tollunt nec immunuunt. *l. cura ff. de Mun. & honor. Cacheran. decis. 91. num. 19. Vasq. illustr. quæst. 2. n. 9.*

13. Bellum regulam non habet, multa contra jus introducit, atque leges omnes cessare efficit; Ideo quod belli tempore impositum in consequentiam pacis tempore trahendum minime est, sed quod belli sævitia introduxit, pacis lenitas sopiat. *l. un. pr. C. de Caduc. tollend.*

14. Cum pecunia solvitur pro servitio, ea tanquam surrogatum sapit & sequitur naturam servitii, velut in locum succedens. Minime vero immutat conditionem oneris & bonorum. *Klock. de Contribut. cap. 17. n. 519.*

15. Ex præstatione servitii equestris fundata est intentio allegantis libertatem ab aliis tributis.

DECISIO XIII.

Impendia puteorum in urbibus qualia sint munera.

MUnerum tria genera leges Romanæ statuunt. Alia patrimonialia seu realia, alia personalia, alia mixta, (1) & multi momenti est ea dispectio, ad quam speciem, quodque onus sit referendum propter diversitatem effectus. (2) Quando de impendiis ad reparationem putei in urbe lis erat, pro decisione multum facere videbatur, cui ista annumeranda foret, cum inde facile judicium sumi potuit de prætensa aliquorum exemptione, quæ in quæstionem veniebat. Potest autem

Digitized by Google

tem pro modo impositionis ad omnem referri. (3) Nam si illa ædium onus reddita filii, patrimoniale munus dicetur. (4) Si singulæ personæ quæ aqua utuntur, ad illum in capita conferre opus habebunt, personale aliqualiter habebitur. (5) Si propter personas res quæ ab ipsis tenentur, sustinent, mixtam conditionem accipit. (6) Consulendum de eo prout constituit vel consuevit civitas. (7) Siquidem inhabitatores ædium singuli virilem pro capitibus sine intuitu bonorum conferre opus habent, personarum singularum id onus erit. (8) Si ædes ferant, reale est. (9) Si qui inhabitant, obligantur, at ideo quia habitant, mixtum reputatur. (10) In eo quo versari sumus casu, putavimus ad hanc speciem putei reparationis impendia esse referenda, ita ut nec etiam ædibus seu personis, qui sub districtu isto urbano habitant & habitationi ob personas inhabitantes. (11) Uti consideratum *in causa der Nachbaren des Brunnens in Altdn Stettin, contra Michael Reutern, die* 24. *April. An.* 1656.

1. *l. 1. l. fin. pr. ff. de Munerib. & Honorib.*

2. Habent singula munerum genera sua propria, ideoque quæ unius sunt ab alio aliena. Dum itaque ista vel non recte definiuntur vel confunduntur, vel non dextre speciebus applicantur, multiplex ille error nascitur, quem JCti in ista materia produnt. Quod etiam animadvertit *Klock in tract. de Contribut. cap.* 2. *num.* 1.

3. Hoc sæpius evenit, ut una onerum species ad diversa illorum genera referri possit, prout imponitur. Nam quod alibi rerum onus est, id alibi personis seu capitibus irrogatur. Sæpe personalia vertuntur in pecuniaria impendia. Et hæc aliquando rebus indicuntur; aliquando personis propter res. Ut quidque onus sit, ex formatione civitatum dependet. In quibus singulis munera formam habent, foras tamen non præbent. Ut valde incongruum sit, quod tamen frequens, nostrates ut munera apud Hispanos; Italos, Gallos aliosque formata sunt, non tam attendere nec, quid nostris moribus conveniat, considerare, quàm quid illorum locorum JCti scribunt pro authoritate sumere.

4. *d. l. fin. §. Patrimoniorum ff. de Muner. & hon.*

5. Personalia definiuntur ab JCto *in d. l. fin. §.* 1. quæ animi provisione & corporalis laboris intentione sine alicujus detrimento perpetrantur. Et proprie talium hæc acceptio est. At usu vulgari etiam id nomen usurpant, quæ aliquo impendio, sed non rebus sed capiti seu personæ sine rerum intuitu imponuntur. Et ita nos hic vulgarem usum sequimur.

6. Hæc dicuntur, quæ personis propter res imponuntur, *l. rescripto* 6. *§. fin. ib. Dd. ff. de Muner. & honor.*

7. Pro qualitate onerum censenda non est, respiciendum ad nomina aut rationem impositionis; nam hoc modo plerique possunt patrimonialia in personalia & vicissim convertere, sed ad voluntatem imperantium, & causam impositionis primævam. *Henr. lib. 1. quæst. 17. n. 25.*

8. Accipe qua usum vulgarem, de quo mox scriptum.

9. Reale incumbit possessioni *vid. Klock. dict. cap. 2. num. 13. seq.*

10. Persona hæc rerum causa sustinet, quæ propriè mixtorum nota est.

11. Tale onus reficiendi putei æstimatur à Klock. *dict. tract. cap. 5. num.* 107. *& cap.* 10. *num.* 18.

DECISIO XIV.

De divisis ædibus, etsi sub ejusdem domus tecto, impendia reparationis putei sunt præstanda.

CUm civis domum suam in diversas habitationes divisisset, istæ vero sub ejusdem tecti contiguitate essent, recusabat de singulis istis impendia reparandi putei solvere, obtendens unam eam domum nec aliter isti oneri obnoxiam esse, ideo non nisi ut ab una domo exigendum. Verum cum omnes qui aqua utuntur, vicini ad reparationem istam obligentur, visum est inhabitatores istarum ædium, etsi hæ sub uno tecto essent, obtendere non posse. Est enim id onus puteo utentium à personis vicinis debitum ex domibus tantum definitum. (1) Quando itaque ex una domo plures habitationes fiunt, æquum est dum singularum inhabitatorum vicini fiunt singuli, ex singulis ibi præstari, (2) quod congruit civitatis consuetudini, (3) dum etiam ex cellis seu habitationibus subterraneis quæ sunt sub domibus *van den Vohnkellern*, inquilini ista dependunt. Tectum idem nihil facit; cum unum licet sit, tamen dum plures ædes & habitationes diversas complectitur non tamen pro una domo (4) præsertim ratione operum, quæ vicinis ut habitatoribus incumbunt, habeatur. (5) Frustra opponitur non esse principales domus, sed minora & accessoria ædificia *Buden*, ut vocamus. Qualiacunque sint, diversæ tamen habitationes existunt, & diversos habitatores habent, etsi pertinentiæ majoris domus, hujus respectu tamen diversæ & principales habitationes ratione inquilinorum nec non usus putei. (6) Hoc consideratum *in eadem causa.*

1. Talium onerum ad quæ vicini pro communibus usibus astringuntur, ea est ratio, ut quisquis in vicinia habitat, licet vel usus apud eum cessat, sustinere cogatur, velut onus in rem. *l. pen. C. de legat. Thomat. de collect. §. Retenta num.* 17. *Klock. de Contribut. cap.* 5. *num.* 107.

2. Vicinorum tam arcta est ad onus reficiendi putei obligatio, ut etsi vel usui renunciare velint, tamen non liberentur. *Klock. dict. tr. cap.* 10. *n.* 18.

3. In ejusmodi oneribus illa præprimis est speranda & normæ instar sectanda. *Valesc. decis.* 179. *num.* 7.

4. Quæ

Digitized by Google

4. Quæ sunt sub uno tecto divisa, & quæ ad habitationem faciunt separatim habentia pro diversis ædibus habentur. *Parisi. consil.* 80. *num.* 18. *Carpan. ad statut. Mediolan. cap.* 334. *num.* 32. *& seq. Ubi plura videas, sicut & apud Fr. Melanensem quando una vel plures ædes sunt accipienda sub eadem strulleria.*

5. *Ita hoc exposui in Comment. ad Jus Lubecense lib.* 3. *tit.* 6. *artic.* 16. *num.* 9. *ubi in specie de onere reficiendi putei.*

6. Cum loca ejusdem domus non sunt destinata ad ejusdem usum, sed ad diversam habitationem & locantur tanquam ab illa separata, ut diversæ censentur ædes. *Surd. consil.* 207. *num.* 12. *Masard. de Probat. conclus.* 1154. *num.* 54. In dubio etiam duæ potius quam unæ ædes reputantur, quæ à diversis inhabitantur. *Surd. d. consil.* 207. *num.* 6. *Masard. eod. tract. conclus.* 1154. *num.* 38. & 45.

DECISIO XV.

Oneris pro refectione puteorum communis debitum non opus habet probare possidens, sed exemptionis probatio incumbit alleganti.

REstitutione in integrum implorata contra judicis sententiam, quæ injunxerat petentibus impendia & reparationem putei, probationem debiti, existimatum est, eam merito concedendam atque sententiam corrigendam esse. Communium quippe onerum inter quæ sine dubio est refectio publicorum operum, (1) nec non & puteorum, (2) utpote quæ usui æque serviunt, (3) omnes cives sunt debitores, (4) & contra illos omnes fundata est intentio. Ideo non opus probare aliquem muneri publico esse obnoxium, sed hoc à quovis exigitur, donec exemptio probatur. (5) Pro hac minime est præsumptio, sed alleganti incumbit probatio, (6) qua exonerandus est is qui jure communi nititur. *Inter eosdem.*

1. *l. omnes* 2. C. *de operib. publ.*

2. *per text. express. in l. ad portus. C. de Operib. publ. ubi constitutum legimus ad reparationem aquæductuum quemlibet conferre teneri.*

3. Munera quæ communis utilitatis causa imponuntur, ab omnibus subeunda sunt. *l. si quæ ff. de Munerib. l. Lucius ff. ad Municip. l. his oneribus ff. de Vacat. Muner. l.* 2. C. *de Muner. Patrim.*

4. Tam arcta est ad refectionem operum publicorum, queis omnes utuntur, obligatio, ut nulla prosit ex privilegio excusatio, *arg. d. l. ad portus* C. *de Operib. publ. Peregrin. consil.* 102. *num.* 6. *seq. Roland. à Vall. Consil.* 84. *num.* 18. *lib.* 1. nec alias privilegiati ut Clerici & forenses immunes sint. *Menoch. consil.* 800.

5. Contra exemptionem ab oneribus semper fundata est intentio hæc exigentis. *Gail.* 1. *Observ.* 21. *num.* 24. *Peregrin. de Jur. Fisc. lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 41. *seq.*

6. *Gail. d. Observ.* 21. *num.* 4. & 11. *Rosenthal. de Feud. cap.* 5. *conclus.* 4. *n.* 1.

Sic pronunciatum in causa.

In Sachen der sämbtlichen Nachbaren und Interessenten deß Brunnens am Roßmarckte in Alten Stettin Appellanten wider Michael Reutern appellaten in puncto deß Grund- und Brunnengeldes werden gravamina appellationis als überflüssig zu fernerer Erörterung nicht / sondern die Sache ex officio vor beschlossen angenommen und darauff befunden / daß die von appellanten pro impetranda restitutione in integrum bey Richter voriger Instanz vorgebrachte gravamina, als unerheblich nicht zu verwerffen / sondern zu Auffhebung der den 4. Septembr. Anno 1654. publicirten Urthel gnugsam. Demnach appellanten dagegen in integrum zu restituiren und zu erkennen sey / daß appellanten von auffgelegtem Beweise zu entbinden / hergegen appellaten die vorgewandte Exemption der Bauen quæstionis rechtmässig beyzubringen schuldig / gestalten dann appellanten von dem Beweißthum befreyet / appellaten aber / was zu Außbringung seines Einwendens gehöret / proxima einzubringen / und fernet darauff rechtmässig zu verfahren sub pœna præcluſi auffgeleget wird. Von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa universorum vicinorum & Interessentium fontis in foro equino in Veteri Stetino appellantium contra Michaelem Reutern appellatum in puncto pecuniæ fundi & fontis gravamina appellationis ut superflua ad ulteriorem decisionem non recipimus sed causam ex officio pro concluſa acceptamus & decernimus, quod ab appellantibus pro impetranda restitutione in integrum apud judicem prioris instantiæ exhibita gravamina ut irrelevantia non rejicienda sed ad cassationem sententiæ 4. Septembris Anno 1654. publicatæ sufficiant. Proinde appellantes contra illum in integrum restituendi & decernendum sit, quod appellantes ab injuncta probatione absolvendi, econtra appellato incumbat prætensam exemptionem tabernæ quæstionis debite docere, prout appellantes à probatione absolvimus appellato vero, quod ad probationem suæ exceptionis spectat ut in proxima producat & ultetius desuper prout juris procedat sub pœna præcluſi injungimus. Idque de jure.

DECISIO XVI.

Juri detractus non sunt obnoxii qui ex contractu cum civitate inito oneribus ejus non subditi sunt.

QUod in civitatibus suetum est, jus detractus *Abzugs oder Abschosses* cum absceditur, ad cives non modo sed etiam ad incolas pertinet, qui sunt civium loco eorumque jure censentur. (1) At ita si in urbem veniunt præcipuè incolatus causa ut membra corporis, (2) non si ex alia eaque tempo-

Digitized by Google

temporali in ea morantur citra istam non fixuri sedem. (3) Quales sunt qui aut muneris quod sustinent gratiâ aut ex contractu quodam speciali ibidem non tantum sui sed aliorum causa degunt, veluti si pro aliquo usu civitatis locaverint operas aut conduxerunt opera. (4) De eo existit quæstio, cum viro cuidam à Senatu urbano ex locato tradita erat. Apotheca & pro locario annuo exculta eoq; defuncto hæredibus detractio injungeretur his obtendentibus, parentem suum non ut civem aut incolam propriè sic dictum in civitate fuisse sed ut Pharmacopœum seu ut nos loquimur Apothecarium ideoque ex speciali saltem conventione nec non tanquam officialem publicum. In hanc sententiam inclinatum, per eas circumstantias non reputati civem, ideo civilibus oneribus non fore obnoxium. (5) Quare non concedendum, ut Senatus decimarum causa pecuniam creditam retineret, sed cum de iis res non plane certa erat, ordinario processu prius discutiendum, utrum istis ille obnoxius fuerit. *In causa Senatus Gryphisvvaldensis contra hæredes Jacobi Schmiden die 12. Octobr. Anno 1659.*

1. Inter incolas & cives quà jura, commoda & incommoda non est differentia *l. 3. tot. tit. Cod. de Incol. l. assumptio in fin. ff. ad Municip. Gail. 2. Observ. 35. num. 1. seq.*

2. Domicilium ut incolatum faciat requirit animum eo fortunas suas transferendi & ibidem jure civitatis utendi, *uti exposui plenius in Commentario ad jus Lubecense libr. 1. titulo 23. & seq.*

3. Qui in civitates veniunt, at non ut cives fiant, sed ut civibus ex pacto serviant illi contra mentem & finem accessus non fiunt cives. Nec enim ultra obligantur, quam volunt, ubi invitis non compelluntur.

4. Causa detractus, seu ut nos vocamus, decimationis non est insola protectione aliisve commodis civilibus queis incola fruuntur sed in subjectione quæ partem civitatis facit, ideo commodis & oneribus subjicit. Qualis cum indefinita non sit eorum qui officii vel ministerii causa in urbes veniunt, ideo nec cives proprie dicti redduntur, ita sicut nec aliis oneribus civilibus, ita nec decimationi seu detractui subjici queunt. Idque sic omnium civitatum usu servatur, officiales vel ministros istarum non decimari seu detractu circa hæreditates vel discessum onerari.

5. Hæc sunt convertibilia civis & civilia onera nec incumbunt hæc alii nisi civi præterquam ubi alia ex causa ad ea quis adstrictus doceatur.

DECISIO XVII.

Ex urbana jurisdictione sub Academicam transeuntes juri detractus non sunt obnoxii.

PErsonas Ecclesiasticas, quibus Scholares & Academica membra annumerantur detractui seu decimis civitati, cum ex illa discceditur, dependi solitis non subjici certi juris atque usus est. (1) Concessum hoc fuit in ea specie quando Academici migrant ad alia loca. At quando qui cives fuerunt, Academico se corpori jungunt seu officio seu connubio vel Academici hæreditates sub urbana jurisdictione cernunt, in dubium venit, utrum detractio sit solvenda de bonis quæ sub alienam jurisdictionem in eadem tamen urbe transferuntur? Fuit concluſum non esse ex iis bonis quæ sic transeunt, decimarum debitum, tum quia de eo non reperitur jus civitatis, (2) tum quia illud onus habet instar vectigalis (3) cui nullibi Scholares subjiciuntur; (4) tum quia extra civitatem non transferuntur etsi sub aliam jurisdictionem, (5) inde spes manet reditura esse in pristinam conditionem: tum quia mutata licet jurisdictione utilitas non levis istorum civitate manet, dum quidquid ex iis redigitur in civitate consumitur, & per commercium ex iis non parvum est compendium, non obulum ex cive lucrantibus, quæ à mercatura abstinent; (6) tum quia cum iis modiis ex Acedemiæ corpore per connubia hæreditates, legata, venditiones aliove modo bona ad cives veniunt decimarum onus isti vicissim non præstatur; (7) tum quia id juri hospitii quod Academiæ in loco debetur tum adversum, (8) quam ob multa ex illa beneficia inhumanum, eos qui intra mœnia cohabitant velle tanto onere afficere. (9) Sic consideratum fuit *in eadem causa.*

1. De immunitate Academicorum à Decimis plura videas congesta *à Cothman. in respons. Academ. 19. per tot.*

2. Jus detractus Civitatibus non ad arbitrarium, sed habetur vel ex concessione superioris vel ex longa consuetudine. Sic itaque tantum exercetur sicut quomodo vel ex illa acquisitum vel ex hac diu exercitum. Quantum itaque concessum vel possessum hoc juste defenditur, ultra illud in aliorum onus atque incommodum minime est extendendum.

3. Species vectigalis habetur decimatio seu detractus jus, unde ab illo ad hoc argumentum ab JCtis ducitur congruum, quamdiu ratio differentiæ non apparet.

4. *Ex Aut. Habita C. ne fil. pro patr.* asseritur per JCtos Scholaribus libertas à vectigalibus. In orbe ubique in necessitudinem venit omnium Christianarum gentium moribus approbata.

5. Hoc circa jus detractionis ex usu servatur ut solvant, qui bona plane foras transferunt, non qui in eadem urbe ad alios etsi exemtos transeunt. Sunt in urbibus plures etiam jurisdictioni civitatis obnoxii, qui tamen per immunitatem suam ab oneribus seu à detractione immunes sunt, veluti qui non cives sed ministri saltem sunt, quanto minus subjicientur qui à jurisdictione quoque exempti sunt.

Digitized by Google

6. Non curant hæc Civitatenſes cum habent, ſed amiſſa dolent. Non modica ſunt & plutis facienda quam quidquid ex decimis aliisque oneribus unquam corradi poſſit, nec vilipenduntur, niſi aut ab imperitis aut à malignis.

7. Juxta æquitatem *ex l. 1. & tot. tit. ff. quod quisque jur. in al.*

8. Quidquid hoſpitalis juris atque beneficii eſt, id Scholaribus velut pro publica utilitate exàlibus & miſeratione dignis *in Auth. Habita Cod. ne fil. pro patre* addicitur.

9. Cum aliquo ſi quod eſt detrimento compenſanda ſunt quæ ab Academia habentur magna commoda.

DECISIO XVIII.

Ob tributa realia non eſt pignoris jus civitati in alia bona forenſium quam quæ ſunt allibrata nec detentio debiti, nec per compenſationem.

CIvitas debens forenſibus, quibus in iſta bona immobilia erant, detrectabat ſolutionem crediti ſub obtentu ſibi ex iſtis debiti tributi tanquam oneris talis, ex aliis enim collectis forenſes regulariter non tenentur. (1) Non vero liquidum erat aut reddebatur, utrum tributo eſſent iſti obnoxii, quale id eſſet & quantum. Pignoris jus obtendebatur à parte civitatis, cui conſequens eſt retentio. (2) Exiſtimatum autem civitatem Statui Imperii ſubditam qualem municipalem vulgo vocant, illud non poſſe ſibi tribuere niſi ex ſingulari privilegio, ſtatuto aut conſuetudine, cum tale pignus tacitum fiſco ſaltem ſit indultum nec magis competere iſti queat quam jus fiſci. (3) Deinde etſi civitas illa ex jure Lubecenſi id jus ſibi vindicat, (4) non aliter tamen fruitur quam in bonis jurisdictioni & oneribus civilibus obnoxiis, minime vero in cæteris bonis forenſium, ad quos ratio juris non ultra pertinet, quam in civitate ſub ejus jure poſſident. (5) Quocirca utut poſſeſſiones illæ allibratæ erant pignore eoque ſpeciali, non ſic tamen nomina quæ oſſibus creditorum velut affixa ex eo loco ſub quo hi vivunt cenſentur. (6) Ad quæ competente licet generali hypotheca deveniri non poteſt quia iſtud prius excuti oportet. (7) Id ſaltem jus civitati ſupererit, ut compenſare queat. At in ea quæ occurrit ſpecie oberat quod liquidum nondum erat tributi debitum. (8) *In eadem cauſa.*

1. *Florez. Diaz de Mena queſt forenſ. 21. num. 90. Roſenth. de Feud. cap. 5. concluſ. 81. lit. B. Vincent. d. Franch. deciſ. 22.*

2. *L. 1. §. 1. ff. de Pignorib.*

3. Hoc plenius confirmatum & explicatum videas *in conſilio* 10. *per tot.* quod habetur Commentario meo in jus Lubecenſe recentiore editione additum.

4. Civitatibus quæ ex conceſſione Principum aut longa conſuetudine juris Lubecenſis uſum accepere, ex ejuſdem tenore etiam jus tacitæ hypothecæ cum privilegio *in eodem artic. 12. tit. 1. lib. 3.* conſtitutum competere demonſtratum videas in Commentario *ibid. num. 12. ſeq.*

5. Qua forenſes circa ſtatuta & onera intereſt inter res ſub aliorum jurisdictione ſitas & inter perſonas. Rerum jura & onera ratione ipſarum & qua ipſas ſubire tenentur, & ut ipſas res afficiunt, ita etiam res tenentur & obligantur. *Theſaur. deciſ. 106. n. 5. & deciſ. 124. num. 3. Tib. Decian. conſil. 55. num. 5. vol. 1.* Qua perſonas autem ut à jure civitatis ſunt exemptæ *Roland. à Vall. conſil. 49. num. 21. ſeq. lib. 1. Coler. de Proceſſib. executiv. part. 1. cap. 3. num. 186.* ita ab omnibus quæ ſunt jurisdictionis quæ in illos exerceri nequit liberæ *Cravett. conſil. 195. num. 1. Pacian. conſil. 5. num. 1.* etiam ratione onerum quæ perſonis pro rebus imponuntur, *uti de collectis communis Ctor. ſententia habet, quam expoſuit Klock. in tract. de Contribut. cap. num.*

6. *Modeſtin. Piſtor. conſil. 31. n. 51. lib. 1. Coler. d. tr. part 1. cap. 3. num. 239.*

7. *L. 2. C. qui pot. in pign.*

8. Non eſt liquidi cum illiquido compenſatio *l. fin. Cod. de Compenſat.* ſed remiſſo hoc ad proceſſum ordinarium ſit ſuper illo executio. *l. Stasilber 5. ff. de ſtatulibet.*

Juxta hæc ita pronunciatum:

In Sachen Bürgermeiſter und Rath der Stadt Greiffswald Appellanten wider Jacobi Schmiedes Erbrn Appellaten in puncto debiti werden die Gravamina als theils unerheblich / theils überflüſſig nicht / ſondern Acta ex officio für beſchloſſen angenommen und erkant / daß / ſo viel den auff etliche der Appellaten Creditoren Anhalten angelegten Arreſt betrifft / deßwegen biß zur rechtmäſſigen Auffhebung die Gelder darunter billich verbleiben; Es wolten dann Appellaten in foro competenti derb Relaxation durch Leiſtung ziemlicher Caution erhalten / wann aber ſolches geſchehen / die bey der Stadt zinßbar auffſtehende Gelder deß übrigen Einwendens ungehindert erkanter Maſſen abzutragen ſeyn / wolten den Appellanten wegen der Decimen Appellaten des Zuſpruchs nicht erlaſſen / gebühret ihnen geſtalten Sachen nach ſolchen ordentlich aufzuführen / auch ſich der Contribution halber an den ſteurbahren Gütern zuforderſt zu halten; Von Rechtswegen.

(Hoc eſt) In cauſa Conſulum & Senatus Civitatis Gryphisvvaldæ appellantium contra Jacobi Schmides hæredes appellatos in puncto debiti gravamina ut partim irrelevantia, partim ſuperflua non recipimus ſed acta ex officio pro concluſis acceptamus & decernimus, quod, quantum concernit arreſtum ad imploratio-nem aliquot appellatorum Creditorum

impoſi-

Digitized by Google

impositum propterea usque ad justam relaxationem pecuniæ meritò arrestatæ maneant, nisi appellati in foro competente earundem relaxationem per præstationem decentis cautionis obtinerent, quandò verò illud factum pecuniæ apud Civitatem ergà censum mutuò datæ non obstantibus ulterioribus exceptionibus decreto modo solvendæ sunt, si appellantes ratione decimarum contra appellatos ab actione desistere nollent incumbit ipsis juxtà statum causæ illam ordinatè deducere & ratione contributionis ad bona eidem subjecta inprimis se tenere. Idque de jure.

DECISIO XIX.

Immunitas eorum, qui sunt à consilio vel ministerio Principis ex jure communi nititur & non facit civitati in qua habitant locum detractioni partis ejus.

OPpugnabatur appellatione immunitas illorum, qui in regio consilio, atque ministerio erant in provincia per civitatem in qua domicilium habebant, ideo petebatur illos aut oneribus collectisque provincialibus subjici aut civitatem illorum portione exonerari. Prius vero juri communi erat contrarium, per quod consiliarii & ministri Principis ab oneribus exempti sunt, (1) ut & inveteratæ possessioni immunitatis in qua reperiebantur. Posterius vero rationi. Est enim discrimen inter illos qui ex privilegio vel concessione sola superiorum ab oneribus sunt immunes, & qui ex jure communi hanc immunitatem habent & obtinent. Qua illos quidem sic observatur, ut quatenus immunitas illorum in aliorum civium atque subditorum injuriam atque damnum redundat, aut vim habeat nullam & revocetur seu uti non liceat, aut ubi hoc fieri non debet nec potest, portio exemptorum tamen alios non oneret, sed detrahatur Principi & ærario, (2) secus se res habet quoad cæteros ex jure communi immunitate fruentes, quæ nunquam aliis injuriosa censetur, (3) etsi aliis aliquando eveniat onerosa & incommoda, (4) dum per idem jus commune pro iis incommodum sustinere facti sunt obnoxii. (5) Quæ pensat etiam aliud quod à talibus sentiunt commodum, (6) dum illorum non modo opera sed etiam pecunia & opibus fruuntur, quas intra mœnia consumunt, & lucri copiam non exilem civibus præbentes vicissim illorum commodis ita non fruentes. Meritis quoque illorum multum ab omnibus, quorum causa pro qualitate muneris vigilant, laborant, serviunt, debetur: ut non alio jure cum ipsis agendum sit, quam qui alias ob bene merita à Principibus privilegium immunitatis adipiscuntur, quorum portiones non veniunt in talem de qua dicimus detractionem. (7) Cessat porro in iis ratio obligationis ad onera ex contractu domicilii quando illi cives aut incolæ non fiunt, sed semper forenses manent & censentur qui ex necessitate officii in loco commorantur atque habitant, non vero voluntate sua domicilium eligunt. Accidit quod immunitas sic administrantium est pars salarii, quod ipsis respubl. debet, ideo detrahere non potest. Ita censuimus *in causa Bürgermeister und Rath der Stadt Alten Stettin wvider die Königliche Bedienten daselbst, die 3. Maji Anno* 1661.

1. De illarum immunitate videatur *l. jubemus 4. C. de proxim. Sacr. Scrin.*

2. *De hoc vide prolixius scripta à Klock. in tr. de contrib. cap 16. num. 23. & mult. seq.*

3. Non facit alteri injuriam qui suo jure utitur.

4. Non attenditur incommodum alteri quod oritur ex usu Juris sui cum quo etiam cuique uti licet *l. fluminum 24. l. seq. ff. de op. nov. nunciat.*

5. Quando lex immunitatem dat consensu & sponsione communi qualis illa est *l. ff. de Leg. 2.* in se recipit illorum aut sine iis eorum facit solum commune onus.

6. In aliquo relevati in aliis non inique onerantur *l. is qui 30. pr. ff de jurejur.*

7. Ita communiter limitatur quod de privilegiis superiorum immunitatem concedentibus dicitur, ut non pertineant ad illam quæ conceditur propter bene merita, nempe illam non transferre privilegiati partem in Principem sed eam sustinere omnes de communitate.

DECISIO XX.

Ædes in Principem alienatæ non mutant conditionem aut non diutius quam à Principe tenentur.

ÆDes suburbana jurisdictione sitas & oneribus civilibus olim obnoxias, Princeps Provinciæ comparans invito magistratu urbano non potest in aliam transferre conditionem & quidem talem, quæ aboleat in iis plane urbanam jurisdictionem atque obligationem. Ex mutato possessore non mutatur inhærens rei qualitas, sed ea ad quemvis possessorem

rem transit cum omni sua causa, qualitate, conditione & onere. (1) Atque ut ex primæva exstructione in urbibus ædes affectæ sunt obligatione ad ea quæ cives debent ita eadem quoque transit ad quemvis possessorem (2) etiam Principem (3) qui in talibus jure privati utitur. (4) Maxime vero ubi Princeps ex contractu vel suo (5) vel antecessorum (6) obstringitur ut ædes urbanas in sua qualitate conservet, vel defendat. Quod si forte dum Princeps tenuit in humillimum erga ipsum honorem ædes immunes esse siverint, minime hoc mutat istarum conditionem: sed uti hoc certo sub respectu factum est, ita cum illo desinente desinit, nec successor alterius qualitatis antecessoris anterioris, honorem sibi poscere potest. Cessat hic præsumptio remissæ vel abdicatæ jurisdictionis vel alterius potestatis, ubi ex certa causa tantum non usurpatum esse constat. *In causa Senatus Stetinensis contra die Eygenthumer der ausgesetzten Häuser die 8. Maji Anno 1661.*

1. *l. si convenerit 18. §. fundus ff. de Pignor. act. l. alienatio 67. l. cum manu. 80 ff. de Contrab. emp. Sebast. Med. in tr. mors omn. solvit. part. 8. num. 12.*

2. *Cothm. resp. Academ. 12. num. 5.*

3. *Ita expresse decisum reperies in l. 1. C. de prad. & omnib. reb. navic. l. si divina 8. C. de Exact. tribut. l. un. C. ne lic. se in empt. speciei, excus.*

4. *Joh. de Plat. in d. l. 8. C. de prad. & omnib. reb. navic. ibidem etiam Gothofred.*

5. In & ex contractibus Princeps jure communi utitur *Anth. de Petra in tr. de potest. Princip. cap. 32. dubit. 2. num. 57. & seq. Gail. 2. observ. 55. num. 7.*

6. Principes non tantum ex suo sed etiam antecessorum contractibus quos ut principes hoc est dignitatis officiique summi ratione inierunt, tenentur. *l. 2. l. fin. C. de quadrien. prascript. Afflict. decis. 280. num. 11. Tiraquell. de retract. consanguin. §. 1. gloss. 9. num. 48.*

DECISIO XXI.

Immunitas data generaliter à muneribus civilibus von Bürgerlichen oneribus und Beschwerden non pertinet ad realia onera, nisi speciatim nominata.

CUm sartor quidam à S. R. Majestate privilegium de opificio suo libere extra collegii leges *als ein Frey-Meister* exercendo una cum immunitate hujus tenoris, *daß er von allen Einquartirungen und Bürgerlichen oneribus und Beschwerden frey seyn solte*, impetraverat, deinde domum propriam emit & inhabitavit non tantum vero hospitationis onus isti volebat senatus civitatis impositum, sed etiam alia onera & tributa, quæ ex ædibus præstanda imposuit: contra quam indictionem ille mandatum rogans putabat intentionem suam satis in generalitate Regii privilegii fundatam. Verum quia illud saltem oneris hospitandi mentionem faciebat, nihil vero continebat quod eandem qua cætera onera realia datum indicaret, existimatum est ad hæc minime porrigendum esse à quibus immunitas, uti nisi magna ex causa concedi non debet, (1) ita nec concessa intelligitur: (2) Eo magis quod concessio immunitatis velut non parum incommodi tum reipubl. tum concivibus inferens (3) odiosa est, nec præsumitur nec subsumenda, sed potius ea interpretatio capienda est, quod tantum de personalibus muneribus disponat. (4) Et in hoc casu eo magis id obtinere debuit, quod impetrans tempore concessi privilegii ædes nondum habuit, postea autem comparando ex suo privilegio quod nihil ejus continebat rerum debita tollere non potuit: (5) Præterquam igitur ad onus hospitem recipiendi, cujus diploma expresse meminit non porrigenda est illa immunitas. (6) Haud ab ejus specie mentione argumentum duci potest ad alia realia munera, quando non scriptum nec additum fuit de similibus, sed simpliciter de civilibus *von Bürgerlichen Beschwerden:* (7) De quibus recus per leges constitutum est, quam ut comprehendant realia. (8) *Negatum igitur mandatum ad petitionem Niclaus Anareser die 25. April. Anno 1662.*

1. Ab oneribus quæ possessionibus vel patrimonio indicuntur, nulla privilegia præstant vacationem. *l. ult. §. ab hujusmodi 24. ff. de muner & honor. l. ab hoc 10. pr. ff. de jur. immun. l. fin. C. de muner. patr. ubi elegans cautio additur.*

2. Immunitas data à civilibus muneribus non liberat à muneribus patrimonialibus. *l. fin. §. fin. ff. de munn. & honor.* sicut nec ea quæ simpliciter data est à publicis muneribus *l. 3. C. de muner. patrim.*

3. De quo plura exprimit *Klock. in tr. de contr. c. 16. sect. 1. n. 9. seq.*

4. Sic in dubio de personalibus tantum intelligitur immunitatis privilegium *Cacheran. decis. 95. n. 50.*

5. Bona cum sua conditione ad possessores deveniunt, & licet alias privilegiata, tamen ad munera quæ istis incumbunt tenentur *l. cum possessor. 5. §. fin. ff. de Censib. l. 1. l. 2. C. sine censu Molin. de tribut. disp. 672. num. 3. Klock. d. tr. c. 12. num. 87.*

6. Hoc onus sine expressa mentione non contineretur alias sub immunitate utut indefinita ab oneribus civilibus vel publicis, uti expresse habetur *in d. l. fin. §. pen. ff. de munner. & honor. d. l. 3. C. de munner. patrim.*

7. In materia onerum, præsertim existente aliqua diversitatis ratione (qualis hic inter me-

tata

tum à simili *Klock. d. tr.* 6.19. *n.*617.

8. *Per. l. l. supra allegatas ea habet Azeved. in constit. Regn. Hisp. lib.*6. *tit.*2. *l.*1. *num.*28.

TIT. XLII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLIV.

DE IIS QUI A PRINCIPE VACATIONEM ACCEPERUNT.

DECISIO UNICA.

Ab oneribus civilibus immunitatem sibi comparans non tenetur ad excubias, etsi tempore illius acquisitæ, hæ præstari non solitæ.

RAtioni quidem convenit, quod dicitur, sub immunitate ut ut generali non contineri onera, quæ exigit subsequens necessitas vel utilitas publica, de qua ante non fuit cogitatum. (1) Attamen accipiendum hoc est de jis, quorum causa nova & insolita est, non quæ ipsa sunt nova, seu ante hæc non præstita, præstanda tamen: (2) Si enim diu cives excubias non egerint, is qui ab oneribus civilibus exemptionem pro annuo canone sibi paravit, ad istas non ideo tantum cogi non potest, quod post concessam immunitatem imponuntur. Sunt istæ onus civium ordinarium, quod debent civitati, quæ quoties visum vel necessarium est, exigit. (3) Quocirca ut tempore contractus, per quem quæsita est exemptio, de iis cogitari potuit & debuit, ita non queunt pro inusitatis haberi, (4) nisi causa supervenerit, ex qua aliud injungitur, quod planè insolitum est. Hoc verò cum nondum accidisset, visum est decernere sine clausula mandatum de servanda immunitate promissa, & sub ea comprehendendis excubiis *ad preces Walter Blocken, contra Senatum Wismarien sem, die* 10. *Martii Anno* 1657.

1. *Vid. Rosenthal. de Feud. cap.*5. *conclus.*86. *lit. d. Gail.*2. *Observ.*52. *num.*16. *Mynsing.*4. *Observ.*70. *ubi sic habere Germania consuetudinem & Praxin Cameralis Judicii refert.*

2. Quæ causam habent continuam, etsi ipsa non continua sint, tamen non habent ut nova.

3. *l. munerum* §. *hi quoque* 10. *ff. de Muneribus. & honoribus. l. sed & milites* 8. § *qui autem* 4. *ff. de Excusat. mun.* Quod incumbit omnibus, qui urbium securitate gaudent, etsi advenæ & inquilini sunt. *Boer. decis.* 217. *num.* 7.

4. Insolita sunt, de quibus cogitari non potuit, sed quæ præter opinionem ex casibus de novo evenientibus oriuntur.

TIT. XLV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLVI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLVII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLVIII.

DE QUIBUS MUNERIBUS VEL præstationibus nemini liceat se excusare.

DECISIO I.

Immunitas generalis ex privilegio ad extraordinarios & insolitos casus non pertinet.

IN una eademque juridica plures simul concurrebant causæ concernentes immunitatem à collectis & oneribus publicis, & circa omnes cum aliæ quæstiones, tum & an ista ad casum belli insolitum & extraordinarium pertineret? movebantur. Nec tamen in omnibus eadem decisio subsecuta est, quia nempe non idem omnium jus seu causa immunitatis erat. (1) Distingui oportuit, utrum immunitas existat per exemptionem à jurisdictione ejus qui collectam imponit, an saltem ab onere. Illa nihil oneris exempto imponi sinit, (2) sed cum perinde habet, atque si in civitate non sit, ideo in eum Magistratui nihil potestatis erit. Qua hanc vero refert, utrum existit à jure communi, per legem nempe civitatis, an ex singulari jure aut privilegio. Quos jus commune eximit ab oneribus vetante lege subdere non licet, (3) nec discrimen

Digitized by Google

est ex casu, (4) saltem per eos quibus jus condendæ & abrogandæ legis est ex causa licet impositio. At ubi ex mero privilegio seu gratia Principis ejusve Regimine ortum habet privilegium, non de aliis oneribus, ac quæ tempore concessionis in usu fuerunt, aut præcogitari potuerunt, accipitur. Alia quæ extraordinari sunt in casu insolito sub immunitate non comprehenduntur, (5) velut Reipub. noxia (6) & iniqua. (7) Ideo non obstante privilegio in quæstione super immunitate recte discernuntur, ob necessitatem publicam extraordinariè indicta & ordinaria tributa. Quoad hæc causa ad ulteriorem discussionem remittitur. Illorum autem nomine statim pronunciatum est deberi qui certo jure & more sic servatur. *In causa Senatus Stetinensis contra Jeremiam Mamphras, die* 30. *Junii Anno* 1660.

1. Jus ex facto oritur, ideo minima circumstantia jus variat.

2. Non nisi subditis atque incolis jurisdictioni obnoxiis imponuntur. *l. rescripto §. fin. ibi Bartol. l. munerum §. Patrimoniorum ff. de munerib. Gail. 2. observ. 52. num. 13.* Onerum enim impositio dependet à superioritate & subjectione, & ab hac libet exemptus est ab illa *vid. Klock. de contrib. c. 2. n. 92. & 104.* nec est discrimen, utrum sint ordinaria an extraordinaria *Klock. d. c. 2. n. 95.*

3. Immunitas plena ex lege fundat intentionem exempti contra omnia onera sine discrimine *Joh. de Platea in l. medicos* C. *de Profess.*

4. Saltem ad charitativum subsidium tenetur eum necessitas urget, qui ex jure communi sunt immunes.

5. *l. in honoribus §. qui muneri ff. de vacat. muner. l.* 1. C. *de vacat. mun. publ.* Immunitas amplissime concessa ab omnibus oneribus ordinariis & extraordinariis non extenditur ad onera quæ ob casum supervenientem insolitum & necessitatem improvisam, de qua ab initio verosimiliter non fuit cogitatum, pro Reipubl. defensione imponuntur *Gail. 2. observ. 52. n. 16. Mynsing. Decad. 15. [illegible] n. 1. Kopp. decis. 61. n. 9. Rosenthal. de feud. [illegible] c. 6. n. 3.*

6. Privilegia non comprehendunt casum publicæ utilitati contrarium *l. jubemus* 10. *ibi Bald.* C. *de S. S. Eccles. l.* 1. C. *ut nemini lic. ab empt.*

7. Privilegia ad aliorum injuriam & gravamen non sunt trahenda *Georg. de Cabedo decis. 65. n. 6. part. 2.*

DECISIO II.

Immunitas respectu certæ functionis extra eam egressa ad conditionem muneribus obnoxiam non proficit.

CUm cæmentarius pro arce ducali receptus ab oneribus civilibus immunitatem habebat, domum in urbe emit, atque jus civitatis *die Bürgerschafft* accepit, aliis etiam quam usibus Regiis operas pro mercede præstitit, inde à Senatu urbano ad munia publica vocatus, immunitatem obtendit ac à Regimine Regio se defendi petit. A mandato autem quod impetravit Senatus appellans reposuit, ipsum non ut cæmentarium Regium, sed ut civem suum ac civili opificio mercedem in urbe merentem *der Bürgerliche Nahrung treibet*, oneribus publicis subjici. Quando vero ille excessit causam suæ immunitatis, (1) atque duplicem personam gerit, præterea adsumptione juris civitatis se civilibus debitis submisit (2) ad hæc civilibus commodis ad sui sustentationem fruitur, visum est immunitatem, quæ certam rationem & exista certos limites habet, contra Senatum obtendi non posse (3) sed hunc ad talia deducendum velut relevantia admittendum esse, *in causa Senatus Stetinensis, contra Hans Fridrich, die* 3. *Julii Anno* 1660.

1. Ad certum finem data immunitas eum egredi non potest.

2. Hoc enim illius consequens esse creditur.

3 Secundum naturam est incommoda sequi eum quem sequuntur commoda *l.* 11. *ff. de R. J.*

DECISIO III.

Immunis onera subiens immunitatem amittit.

CUi ex privilegio immunitas ab oneribus concessa est, eam amittit non usu (1) multo magis contrario actu nempe onera subeundo. (2) Etsi vero ad amissionem seu abdicationem aliqui requirunt lapsum temporis longissimi, (3) id tamen non aliter accipiendum est, quam si quis aut per vim ad actus sustinet onera aut immunitatis suæ fuit ignarus. (4) Quod si ejus conscius sponte solvit, etiam breviori tempore & quidem tanto, ex quo colligi potest voluntas, postea non amplius auditur. Spontanea etiam illa solutio vel præstatio habetur, quæ per mandatum superioris legitime procedentis imponitur & exigitur. (5) Qui oneratus cum posset non appellat nec protestatur nec aliis legitimis remediis immunitatem defendit consentire & juri suo renunciare creditur, (6) præsertim ubi copiam superioris habet, à quo potuit contra injuriam inferioris defendi, (7) de quo eo minus dubitandum est, ubi immunis onera sustinens fruitur civilibus commodis, quibus alias cariturus esset, si immunitate frui vellet (8) in hoc cessat violentæ compulsionis præsumptio. (9) Hoc consideratum *in eadem causa.*

1. Arg.

Digitized by Google

1. *Arg. §. fin. inst. de usufruct. ibi Schneidew.*

2. Renunciat privilegio qui facit actum isti contrarium. *c. si de terra c. accedentibus X. de privileg.*

3. *vid. Cothman. resp. 11. num. 103. seq. vol. 1. ubi plures allegat.* Quo enim tempore acquiritur eo & amitti immunitatem congruum putatur. *Klock de Contrib. cap. 16. num. 200. seq.*

4. Non opus est ad amittendam immunitatem præscriptione ubi voluntas abdicantis aperta est seu actus contrarios ex libera voluntate processisse apparet per arg. à contrario ex *l. cura 4. pr. verb. si per vim. ff. de Munerib. & honorib.*

5. *Bartol. in l. creditor. ff. de solut. castr. in l. 2. ff. de judic.*

6. *Ex Tapia ita tradit Klock. de contr. cap. 16. num. 106.*

7. Velle quidem non creditur qui obsequitur impetio superioris *l. evadere velle ff. de R. I.* Sed ita si necessario obtemperat non si legitime licuit.

8. Vult qui mavult nec invitus est qui eligit *l. si patre 22. ff. de Rit. Nupt.*

9. Solutiones indebitæ alias præsumuntur vi extortæ non ex animo renunciandi profectæ *Surdus Consil. 262. num. 74. seq.*

DECISIO IV.

Exemptus pendente lite quando exemptione fruitur.

CUi controversia immunitatis movetur, utrum pendente lite in ejus usu defendi debeat? statuendum est primo ex possessione. Siquidem ille venit in usum immunitatis aut titulum possessionis nullum habet, aut aliquem: Carens titulo contra magistratum non est manu tenendus. (1) Ex illo vero possidens in ejus possessione usque ad finem litis relinquendus & conservandus est, (2) ubi vero adversa pars est in possessione collectandi vel imponendi, illam continuat, (3) non obstante privilegio, quod in controversiam venit qua jus aut usum. (4) Quod si nihil de possessione unius vel alterius partis constet, inspicitur fundamentum & jus exemptionis. Quando hoc ex jure communi descendit, non obstante lite isti innixus in usu ejus juris defenditur. (5) Nec cuiquam permittitur per litem alterum prohibere jure frui, (6) ubi ex mero privilegio ista oritur, sed illud impugnatur, quamdiu vis & usus ejus controvertitur, qui allegat non defenditur. (7) Est itaque ejus qui cupit exemptione, dum lis pendet, frui, prius docere aut quasi possessionem, antequam lis coepta est, aut jus commune sicut in querela super attentatis istius probatio injuncta fuit *in eadem causa.*

1. *Ita communis Clerum distinctio habet de qua vid. plura apud Klock. de Contrib. cap. 20. num. 266. seq. Joseph. de Sese in tr. de inhib. cap. 5. §. 20. num. 9. & seq. Pacian. in tr. de Probat. lib. 2. c. 20. num. 26. seq. & 48.*

2. *Arg. c. cum persona de privileg. in 6. ibi gloss. Klock. de Contrib. cap. 20. num. 253.*

3. Pendente lite continuatio possessionis licita nec pro attentato est *Lancellot. de Attent. part. 2. cap. 4. lim. 1. per tot.*

4. Privilegium quod in litem venit antequam in usum nullas vires habet ista pendente *arg. c. 1. X. ut lit. pendent.* Ideo exemptionis quæstione pendente possessor vi tenetur ad collectas donec super jure exemptionis pronunciatur *Bossius in tit. de Principe num. 148. Victor. in tr. de Caus. Exempt. Imperii Conclus. 39.*

5. *d. c. 1. ut lit. pendent. Gutierrez. lib. 1. quæst. Canon. 14. num. 104. & 107.*

6. Lis non tollit usum juris communis nec ideo quod cuiquam contra illud controversia movetur de cedere cogitur *Manech. recup. poss remed. 7. n. 49.*

7. Cui resistit jus commune non est manutenendus lite pendente in possessione donec titulum justum doceat & approbet *Boss. d. tit. num. 335. Carpzov. decis. 77. Joseph. de Sese tr. de inhib. cap. 5. § 10. num. 33. seq.* quem habere non dicitur quam diu super illo lis est.

DECISIO V.

Immunes alias sed pro extremis necessitatibus & defensione adversus illas oneribus obnoxii tenentur etiam ad onera quæ ante istas sed ad ipsasmet avertendas & defensionem parandam sustinentur.

IN transactione inter Principem & civitatem inita domibus & personis plurimis immunitas ab oneribus civilibus corroborata, sed exceptio addita erat de his tempore belli & obsidionis æqualiter cum civibus cæteris sustinendis. (1) Exorta vero inde inter civitatem & exemptos controversia, utrum hi tantum ad onera tenerentur cum præsens esset obsidio seu periculum, annon etiam ad illa onera & impendia, quæ in constructione murorum, vallorum, fossarum & cæterorum ad præparandam vel promptam habendam defensionem requirantur. Illud cum decrevisset Regimen Regium, appellatione interposita & circa decernendos processus ea quæstione mota & discussa visum est, ex contractu civitatem adexigendum ista contra exemptas ædes & personas fundatam habere intentionem. Et quidem primo ex verbis, quæ non tantum de actuali obsidione sed belli periculis sonant dum conjunguntur *Kriegesnothe und Belägerungen* ut illud generis hoc

Digitized by Google

hoc speciei vicem habeat, minime vero per hoc illud declaretur & restringatur. (2) Secundo ex mente contrahentium, quæ respexit ad commune periculum ut illud experturi adversus illud opem & subsidia communia sustineant. (3) Quæ non tantum respicit ipsius præsentiam sed avertendi rationem. (4) Tertio ex ratione, ut potius eo convertantur vires quo avertatur periculum, aut cum accidet paratum sit adversus illud auxilium quam ut in illo demum remedia circumspiciantur. (5) Quarto ex communi debito, ad quod omnes quoque alias immunes non modo inter sed etiam adversus pericula tenentur. Qualia tempore belli in quo nemini securum esse licet semper adsunt, ideo in eo cessare solent omnes immunitates. (6) Tandem quinto ex communi jure, quod ab omni etiam generali & legali immunitate excipit ea quæ spectant tum ad communem utilitatem tam exemptorum quam cæterorum (7) tum ad loci in quo habitatur securitatem. (8) Ita existimatum *in causa Bürgermeister und Rath der Stadt Stettin contra die Freyhäuser und befreyete Personen, die 3. Maji Anno* 1661.

1. Et quidem hac formula. Es soll aber alles/ was von immunität und Freyheit der Häuser und Personen oben gesetzet / in Kriegs-Nöthen und Belägerung / die der Allmächtige Gott gnädig verhüten wolle/ nicht statt haben / sondern in solchen gemeinen Nöthen der Eine neben den Andern zu Defendirung der Stadt Hülffe und Zuthat zu thun verbunden und schuldig seyn. Sic habent verba contractus inter Ducem Pomeraniæ Philippum II. & Civitatem Stetinensem Anno 1612. die 27. Martii initi.

2. Species ad genus coadjuvandum, confirmandum vel explicandum tantum adjecta prius positum genus non tollit nec restringit. *Tusch. pract. concluſ. tom. 4. lit. G. concl. 16. n. 78. & ſeq. Surd. Conſil. 59. num. 16.*

3. In omnibus negotiis & transactionibus præprimis mens & intentio transigentium est inspicienda *l. ſi alis ff. de uſufruct. legat.*

4. Qui vult finem, debet etiam velle media ad finem ducentia.

5. Præstat in tempore occurrere quam post vulneratam causam remedium quærere *l. 1. C. quand. unicuique lic. ſine judic.* Sapiens etiam in pace de bello cogitat.

6. Ita communis atque legitima & rationabilis JCtorum sententia habet, immunitatem ab omnibus onetibus ordinariis & extraordinariis generaliter concessam continere exceptionem belli casus si ut omnis necessitatis alterius superveniens *l. in honoribus qui muneris ff. de vacat. num. 11. C. quod Gail. 2. obſerv. 52. num. 26. Fr. Marc. deciſ. 457. num. 18. Fr. Vivius Comm. opin. verb. immunitas* nisi belli tempore sit concessa *Meichsner. deciſ. Cam. tom. 2. lib. 1. deciſ. 6. num. 63. Roſenthal. de Fend. cap. 5. concl. 86. num. 5. ſeq.* vel de eo dictum cogitatum ve alias appareat. *Myling. 4. obſerv. 30. ubi dicit, eam ſententiam in Camera Imperiali approbatam eſſe ſicut & alias receptam teſtatur. Hoig. 2. quæſt. 18. num. 26.*

7. Quæ communem usum habent ad commune onus pertinent, nec ab eo excusat immunitas dum petitur & assumitur utilitas. Nec adversus illa proficit ulla immunitas quæ habetur exceptionem in talibus atque limitationem patitur *l. ad inſtructionem 7. C. de SS. Eccleſ. l. ad portus 7. C. de operib. publ. l. abſit. 4. C. de Privileg. dom. Auguſt. l. 1. l. 2. C. de nav. non excuſſ. l. 1. C. de Collat. fund. patrim.* ex quibus & aliis ita statuitur personas etiam aliis immunes ob communem utilitatem vel necessitatem teneri ad refectionem portuum, itinerum, viarum, pontium aquæductuum, & similium, prout hanc sententiam latius explicat *Klock. in tr. de Contribut. cap. 9. num. 61. & mult. ſeq.*

8. Inde à murorum & aggerum exstructione & conservatione nulla excusat dignitas vel immunitas *l. omnes 2. l. ad portus 7. C. de operib. publ. Roſenthal. de Fend. cap. 5. concluſ. 81. in fin.* Etsi Ecclesiarum & Clericorum est pleniſſima, tamen eo non pertingit ut à refectione murorum & vallorum similisque pro defensione necessitatis subsidio excusent, ut allegationibus textuum, rationum & autoritatum confirmat *Klock. diſt. tract. cap. 12. num. 224.*

TIT. XLIX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. L.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LII.

DE PROFESSORIBUS ET Medicis.

DECISIO I.

Quando caſus neceſſitatis facit ceſſare immunitatem Academicam.

QUod generatim per JCtos nec sine ratione traditur, necessitatem facere cessare omnia privilegia omnesque immunitates, (1) idem etiam pertinet ad onus hospitationis Academiarum Professoribus competens. Ad quod illos etiam ob inevitabilem necessitatem aliquando teneri etsi ex lege immunes sunt, creditur. (2) At accipiendum est hoc de necessitate vera, quæ in oculos incurrit, cujus æstima-

tio

Digitized by Google

tio non relinquenda est arbitrio urbani magistratus cui nullum jus est hospitia in eos qui à jurisdictione sua exempti sunt imponendi, ideo nec de ista qua hoc statuendi, (3) sed superiori terrarum domino competit. Deinde sic censenda, si alia nulla ratione nullove modo necessitati possit consuli, quam ut immunium ædibus onus imponatur. Quamdiu sunt in civitate quibus potest idem imponi & quorum cum onere potest impositio Academicorum evitari, non est tanta necessitas inevitabilis reputanda. Quod enim si Consules, si Senatores, si officiales ab eo relinquuntur exempti: qua ratione ea necessitas prætendi potest, cum immunitatem sustinent, quorum tantum est privilegium. Frustra & incongrue regeritur, illis à civibus ob curam quam gerunt publicam immunitatem indulgeri, oneraque ab his ferenda ab iis sponte suscipi. Utut enim talia ab iis recte fiunt, tamen id indicant, dum ita faciunt, non esse necessitatem tantam, quæ alios magis privilegiatos onerare urgeat. Est quippe illud privilegiatæ & per jus commune concessæ immunitati congruum, ut non sit necessitas illam posthabendi at cum omnes alii qui sunt in civitate oneri non sufficiunt. *In causa Senatus Gryphiswaldensis contra Academiæ Professores die* 10. *Febr. Anno* 1660.

1. Uti latius exponit hanc sententiam *Klock. in tr. de contribution. cap.* 12. *n.* 215. *& c.* 19. *n.* 529.

2. *Jacob. Cancerius lib.* 1. *var. resolut. cap.* 5. *num.* 72. *&* 73.

3. *Vid. hujus part.* 8. *Decis.* 2.

DECISIO II.

Professores actu non legentes quando nihilominus immunitate Academicorum gaudent.

EST ea communis vox & sententia, privilegia Doctoribus concessa non competere, nisi actu legentibus. (1) Et ratione æquissima hæc nititur. Non modo non merentur beneficia isti ordini concessa qui, quod ei convenit, ac incumbit non præstant, (2) sed & merito gravissimis odiis suppliciisque coercendi, qui talentum quod Deus concessit, ignavia atque negligentia perdunt, vocationem deserunt, studiosæ, juventuti cum Ecclesiæ atque Reipubl. cujus utrumque seminarium ipsis concreditum est, magno detrimento desunt, sub honoris titulo & privilegiorum suavitate nihil aliud, quam ignavi pecoris instar impinguari amant. At quam detestabile est id genus hominum in otio literario nihil, nisi otium turpe & noxium amantium, tamen non statim, qui hujus criminis accusantur à statione ac professionis suæ beneficiis deturbandi sunt. (3) Potest contingere, ut non suo vitio atque otio muneris partes negligant, sed auditorum defectu & temporum conditione ut plerumque inter bellorum turbas fit, ubi torpent studia nec adsunt qui colunt. (4) Accusatio desidiæ illuc pertinet, ut queis incumbit inspectio operarum docentium & discentium inquirant & justa statuant, non id per urbanum magistratum ideo statim ipsis immunitas adimatur & in ædes illorum proprio ausu miles mittatur. (5) Sine jurisdictione atque imperio isti deest ista potestas, nec nisi auditis iis, qui arguuntur, tam dira statuendi potestas est, & statim exequendi justa. *Lotich eosdem.*

1. *Bartol. in l. Medicos C. de Professor. & Medic. Color. de Proceff Executt. part.* 1. *cap.* 6. *num.* 132. *seq. Brun. de Coss. bon. quæst.* 10. *quæst.* 4. *princip. n.* 10.

2. Non merentur jura & privilegia officii vel artis qui titulum nudum gerunt, ipsum officium vel artem non exercent *l. semper* §. *negociatores* §. *quibusdam ff. de jur. Immunitat. Azeved. in Constit. Reg. Hispan. lib.* 1. *tit.* 7. *l.* 8. *n.* 4.

3. Nemo usu & possessione juris sui deturbandus sine causæ cognitione sed prius in jus vocari & meritum ejus examinari debet, ne innocens damnari & privari videatur *l. absentem ibi Bald. ff. de Pœn.*

4. Cum per aliquem non stat quo magis artem exerceat sed casu quodam impeditur non eo minus privilegiis suis fruitur. *Roland. Consil.* 66. *n.* 37. *vol.* 1. Sicut salario illum potiri communis JCtorum sententia ex juris textibus statuit.

5. Repugnat hoc *l. un. C. ne quis in propr. caus.*

TIT. LIII.

TIT. LIV.

TIT. LV.

TIT. LVI.

TIT. LVII.

TIT. LVIII.

TIT. LIX.

TIT. LX.

TIT. LXI.

TIT. LXII.

TIT. LXIII.

TIT. LXIV.

TIT. LXV.

Digitized by Google

TIT. LXVI.

TIT. LXVII.

TIT. LXVIII.

TIT. LXIX.

SI POST CREATIONEM quis discesserit.

DECISIO I.

Notario extra ea quæ officii sunt, attestanti non creditur nisi jurato.

EST quidem magna pro Notario præsumptio,(1)eaque efficit ut ejus testimonio ut ut singulari fides detur, (2) vicemque duorum testium habeat, (3) attamen non nisi in his quæ ad officium pertinent, atque hujus causa coram & ab ipso aguntur. (4) Quæ extra officium illius sunt, istam præsumptionem atque autoritatem minimè habent. (5) Ideo ubi Notarii testimonio opus est, non secus quam alius testis examinandus & juramento ad fidem astringendus est. (6) Quare cum de accepta notitia appellationis oriebatur controversia, & ad repellendam de attentatis accusationem ejus probatione opus fuerat, existimatum est satis haud esse, si Notarius solo scripto suo de eo attestatur, quandoquidem non erat à partibus rogatus, (7) nec ex officio interfuerat actui, ex quo rescivit tempus notitiæ, de quo ut testabatur sed tanquam persona alia privata, (8) etiam testes nullos habebat vel adhibuerat, (9) *in causa Everd von Ahnen Erben, contra Steffen von Ahnen Erben, die 27. Aprilis Anno* 1655.

1. *Alciat. de Præsumpt. regul. 3. præsumpt. 16. num. 4.*

2. *Menoch. de A. J. Q. lib. 2. cas. 91. num. 3. Sayer. in l. si quis de curia ibid. Cyn. C. ad L. Corn. de fals.*

3. *l. in exercendis ib. gloss. C. de Fid. Instrum.*

4. Fidem enim tribuit tum officium, quod publicum accepit, & publicam autoritatem tribuit; tum partium voluntas & electio, ex qua adhibetur. Ubi hæc cessant, ibi quoque fides tanta non habetur.

5. *Post Menoch. consil. 57. num. 111. Mascard. de Probat. concius. 1099. num. 19.*

6. Quod ita in judiciis factum sæpius observavi, & rationem habet.

7. Ex hoc velut consensu fidem accipit, ideo sine eâ rogatione plenâ non potitur, *vid. Mascard. de Probat. conclus. 1100. num. 35. & seq.*

8. Cessat pro Notario præsumptio, ubi tanquam simplex vel privata persona scribit vel actum gerit. *Bald. in l. 1, § editiones ff. de Edend.*

9. In extrajudicialibus non ita ut in judicialibus creditur sine testibus Notario. *Mascard. dict. conclus. 1100. num. 8.*

DECISIO II.

De Notario ad officium parti exhibendum rogando.

CUm notarii publicum velut munus gerant (1) & artem pro omnium servitio profiteantur, (2) utique dubio caret eos ad officium suum requirentibus præstandum cogi posse, (3) tum indicta mulcta, (4) tum si contumaces sunt privatione officii. (5) At non statim ad petitionem alicujus indefinitam, quæ non habet nominationem certæ personæ, cui injungi debet, demandatur ista functio, sed necesse est prius Notarium & munere suo esse à parte requisitum; (6) Idque referri & contra illum recusantem nominatim mandatum peti. Quare petitio cuidam ex Notariis civitatis præstationem sui officii injungi desiderantis non admissa; (7) sed supplicans ad requisitionem alicujus Notarii prius faciendam, deinde si denegabit, nominandum remissius est, *sicut decretum ad supplicat. D. Zanders die 13. Martii An.* 1660.

1. Inde servi publici apud JCtos audiunt, qui argumenta ad eos ducunt ab iis, quæ de servis publicis in jure leguntur.

2. Eos qui artem profitentur invitos ad artem exhibendam cogi ratio est ex ipsorum professione justa. *Ruig. Rul. de Commiss. part. 1. lib. 4. cap. 8. num. 6. seq.*

3. *l. 4 C. de Collat. fund. patrim. Mandos. in Tr. de Monetar. quæst. 55. num. 6.*

4. Sub hæc primò functio demandari solet.

5. Indigni sunt officio meritoque removendi, qui illud sine justa causa indigentibus non præstant.

6. Ita moris est Notarios sequiri, & quod consuetum id servandum, antequam de neglecto locum habet accusatio.

7. Qui potest queri de Notario, quem nondum requisivit.

FINIS LIBRI DECIMI.

Digitized by Google

IHS

CODICIS MEVIANI DECISIONUM FORENSIUM & quæstionum super causis ad summum Tribunal Regium ab Anno 1653. usque 1670. devolutis.

LIBER UNDECIMUS.

TITULUS PRIMUS.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. II.

DE PRÆDIIS ET OMNIBUS rebus navicularioru m.

DECISIO UNICA.

Bona ad alium transeuntia nec successoris immunitate potiuntur, nec contribuendi pristinum modum mutant.

CUm ideo appellabatur, quod ex bonis recens acquisitis, mutato licet possessore tamen pristino more tributa exigerentur, posthabita tum istius immunitate quam ex equestri privilegio obtendebat, (1) tum contribuendi formâ, quæ in eo loco talis erat, ut non de possessionibus sed ædibus contribueretur, (2) denegati sunt processus ob regulam circa tributa observandam, quod res transeunt cum suo onere, (3) nec conditio novi possessoris aliquid mutare debet ex tributorum pro rebus solvendorum conditione. (4) Etsi itaque acquirens nobilis sit, inde à tributis immunis, tantum servitiis equestribus obnoxius, (5) tamen inde loca semel allibrata non eximuntur ab onere, (6) nec cum sunt paganica, ideo solum quod dominum vel possessorem nobilem accipiunt, fiunt equestria. (7) Cui consequens est, ut etiam qui modus contribuendi vetus fuit, ille non mutetur ex mutatione possessoris. (8) Nec quia bona noviter comparata sunt adjecta bonis equestribus & velut portio ipsorum facta, inde fiunt etiam accessio quia immunitatem vel contribuendi formam. (9) Hoc concernit interesse cum fisci, (10) tum aliorum provincialium, (11) quibus pacta inter alios præjudicium non faciunt. *In causa Dietrich Horn, contra die Eingesessene zu Holtorff, die* 15. *Martii Anno* 1656.

1. Obtendit ab antiquo in Ducatu Bremensi Ordo equestris tale privilegium, quod bona à se acquisita paganica die Baurgüter fiant equestria Rittergüter / inde potiuntur horum jure & immunitate. At quia dudum controversia facta est, quæ etsi nondum plenè decisa, tamen effecit, ut post illam quæsita in possessionem ejus vel quasi pervenire non permittantur.

2. Is est modus contribuendi auff der Geist / quod non ex singulis agris uti alibi in den Marschländern / sed pro ædium quantitate von Tach und Fach tributa inferuntur. Inde quantuscunque sit agrorum numerus, is non attenditur.

3. *l. fin. C. de prad. & omnib. verb. Navicul. Tiraquell. de Nobil. cap.* 10. *n.* 171.

4. Bona allibrata seu in communi æstimo oneribus publicis alligata cum suo onere ad quoscunque possessores, quantopere etiam privilegiati sunt, transeunt. *l. cum possessor* 5. § *fin. ff. de Censib. l. alienatio* 67. *ff. de Contrah. Empt. tot. tit. C. fin. cens. & reliq. l. si prædium* 4. *C. de Evict. Cothm. resp. Academ.* 27. *n.* 49. *Molin. de Just. & Jur. disp.* 672. *n.* 3. *Wesenb. consil.* 215. *n.* 5. *& seq. vol.* 5.

5. Hoc jure utuntur nobiles eorumque bona in Ducatu Bremensi, daß sie nicht schatzpflichtig seyn / sondern den Roßdienst tragen.

6. *Hoc prolixius confirmat post alios Bidenbach. illustr. quæst.* 61. *num.* 9. *seqq. Modestin. Pistor. cons.* 9. *per tot. vol.* 2.

7. Melioris conductionis non potest fieri successor, quam fuit antecessor *l. invitus* 156. §. *plerumque ff. de R. I.*

8. Ut ipsa tributa rerum sunt realia onera, ita etiam forma certa per legem rebus inscripta realis est, & rem concomitatur, adeoque semper servanda est. *Klock. de Contribut. cap.* 5 *n.* 115.

9. Accessorium quidem sequitur naturam rei principalis, *c. accessorium de R. I. in* 6. & adhærentia vel unita fiant cum his quibus accedant ejusdem conditionis. *Mynsing. ab Escobar. in tr. de Restitut. cap.* 31. *num.* 12. at ita si sic uniri est in pos-

Digitized by Google

statæ adjicientis, & quatenus id non fit in aliorum præjudicium; quibus etiam post accessionem jura integra manere debent, *uti docet in terminis Marchbrum in Consil. 40. per tot.*

10. In hujus diminutionem nihil est admittendum, sed semper ejus jura & commoda sunt servanda integra. *l. 1. ib. Joh. de Plat. C. de Jur. Fisc.*

11. Ita in præjudicium & perniciem aliorum bona Paganica per nobiles emi & recognosci non posse *scribit Cravetta consil. 642. n. 2.*

TIT. III.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. IV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. V.

DE METALLARIIS ET METALlis & procuratoribus metallorum.

DECISIO UNICA.

Quod pro conservandis navi & mercibus naufragis solvitur præmium Berge-Geld vulgo dictum, non debetur nisi pro præstita opera nec hanc petendi necessitatem infert.

QUod olim prava consuetudine in multis locis introductum, ut naufraga bona jure quodam regali fisco cedant, id in Imperio Romano Germanico dudum severissimis legibus damnatum & prohibitum: (1) Juxtim veroubique terrarum Dominis, quibus ad marium littora imperium est, commendata erga naufragos commiseratio & benignitas ut ex clade naufragii miseris omnem opem & subsidium afferant, quo navem & res possibili modo liberent & damnum reparent. (2) Ex eo ortum, ut vicinis littoris lege, privilegiis & moribus injunctum sit pro præmio seu mercede quadam naufragis opem & operas præstare, atque ut eo promptiores facerent iis pecuniam *ein Berge-Geld* ut vocant, addicere, vel etiam ut alicubi moris certum e nave vel bonis conservatis partem. (3) Minime autem hoc ita factum, ut qui in calamitatem naufragii incidunt, vicinorum opera uti necesse habeant, nec si ista sine sua è naufragio conservare possint, nihilominus pecuniam istam solvere debeant, ideò velut ex jure quodam suo, qui nihil præstant, petere queant. Nonenim quia ad auxilium vicini tenentur, ideo & illud petere necesse. Favori & utilitati miserorum id tributum, ut quibus jus littoris est, præstare debeant cui renunciare & sine eo commodius è periculo sua liberare non est interdictum: Non ut jus Regium seu utilitas littoris constituta est pecunia, sed ut laboris & auxilii redhostimentum. Quare qui istud non præstant, illis quoque hoc non debetur. Ex aliorum miseria lucrum iniquum petent, qui tale quid sibi asserent. (4) Luctuosus istorum casus non potest afferre nihil proficientibus compendium. Iniquum factum visum est nolenus concedere, ut naufragus sine se navim & bona in securiorem locum non deducat. Iniquius verò ut cum nihil operæ, impendii aut incommodi haberet, tamen pecuniam ut istius pretii exigit. Iniquissimum quod quia ista non præstatur, navim bonaque periclitari malit. Quare mandato sine clausula id non modò juste coercitum, sed etiam mereri existimatum est, ut damna & expensas litis resistens refundat. *In causa Johann VVegenern, & consortum contra Hann, Heinrich Hunolt, die 6. Octobris Anno 1668.*

1. *Auth. navigia C. de furt.*
2. Hoc exigit pietas & Christiana charitas.
3. Dignus est operarius mercede.
4. *l. 28. C. de Episcop. audient.*

TIT. VI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. VII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. VIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. IX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. X.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT.

Digitized by Google

TIT. XIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XIV.

DE PRIVILEGIIS CORPORAtorum urbis Romæ.

DECISIO I.

A collegio Braxatorum cerevisiæ molitores eorumque liberi inique excluduntur.

QUod ex pravo more factitatum olim, ab Opificibus, ut à collegiis suis excluderent aliquot nullo suo vitio infames, sed tantum conditione seu potiùs opinione aliorum viles & inter hos molitores eorumque liberos, damnavit Imperii Constitutio eaque statuta ac consuetudines, ex quibus tale quid invaluit, improbavit. (1) Cum autem cerevisiarii, *die Brauer-Compagney* putarent, id ad mercatorum collegia velut cæteris digniora non spectare, (2) nec prohibitionem opificibus factam ad mercatores, velut qui in eminentiori civium ordine essent, extendendam esse, indeque ad Regium Tribunal appellassent, præterquam quod non frustra dubitatum, an Braxatores cerevisiæ mercatorum loco habendi sint, (3) visum est in hac specie non esse faciendum discrimen, tum quia indefinita Imperii Constitutio est, ad omnia collegia pertinens, sicut de iis sonat; (4) tum quia eadem in his quæ in cæteris est ratio; (5) tum quod similis in excludentibus iniquitas, spectato non esse in talibus, qui licitam artem exercent, & turpitudinis rei non sunt, ut ut viles aliàs fuerint, excludendi causam; (6) Tum quod talia collegia, ut commercia & mercatura communis gentium juris & naturalis libertatis sunt, (7) permissa cuivis petenti, qui non excluditur à lege civitatis. (8) Hos qui vilioris haud tamen turpis conditionis sunt, velle à talibus collegiis excludere, nihil aliud est, quam viam ad meliorem virtutem & fortunam emergendi præcludere, atque virtuti industriæ & artibus obicem ponere. Quod indignum & inhumanum non modo, sed etiam commodis civitatum contrarium est. (9) *Denegati inde sunt processus Braxatoribus Cerevisiariis Civitatis Anclamensis, contra Jacob Bloschen, die 9. Martii Anno* 1657.

(1) *Cum aliis Imperii Constitutionibus de eo antea provisum esset, tum Anno* 1577. *innovata, de eo est lex in der Polic y Ordnung zu Franckfurt tit.* 38. *Cujus hæc ibidem verba sunt*; Als auch an etlichen Orten der Gebrauch ist/ daß die Leinweber/ Barbirer/ Schäfer/ Müller und dergleichen Handwercker/ in den Zünfften zu andern/ dann ihrer Eltern Handwercken/ nicht auffgenommen noch gezogen werden/ und aber je unbillich/ daß diejenigen/ so eines ehrlichen Herkommens/ Handels und Wesens/ außgeschlossen werden solten/ so wollen wir solche beschwerliche Gebräuche oder Gewonheiten hiemit auffgehebet und vernichtet haben/ setzen/ ordnen und wollen wir demnach/ daß die Leinweber/ Barbirer/ Schäfer/ Müller/ Zöllner/ Pfeiffer/ Trompeter/ Bader/ und die/ deren Eltern/ davon sie gebohren sind/ und ihre Kinder/ so sie sich ehrlich und wol gehalten haben/ hinfüro in Zünfften/ Gaffeln/ Aemptern und Gilden keines weges außgeschlossen/ sondern wie andere redliche Handwercker auffgenommen/ und darzu gezogen werden sollen: Was aber ausserhalb der jetzt gemeldten andere gemeine Handwercker belanget/ in denen wollen wir der Obrigkeit Ordnung und Satzung nach eines jeden Landes Gelegenheit zu machen/ hiemit befohlen und auffgelegt haben.

2. Distinctæ sunt mercatorum atque opificum in civitatibus conditiones. Et illi inter eas, qui primi ordinis sunt, plerumque numerantur. Hi vero inferiores habentur.

3. Juxta illud quod vulgo dicitur, Brautwerck ist manufactur, und keine Kauffmannschafft.

4. Ita enim verba habent: Hinfüro in Zünfften/ Gaffeln/ Aemptern und Gilden keines weges außgeschlossen/ omne qui dicit, nihil excludit, & indefinita æquipollent universalibus.

5. Hanc exprimit ipsa Constitutio, daß es ja unbillich/ daß diejenigen/ so eines ehrlichen Herkommens/ Handels und Wesens/ außgeschlossen werden solten.

6. In molitoria functione nihil turpe & inhonestum est. Non est ad vitæ usum atque conservationem ars necessaria magis, vilitas illorum oritur ex opinione, non ex ratione. Ideo non ipsis nedum liberis illorum nocere debet.

7. *l. ex hoc jure* 5 *ff. de Justit. & Jur.*

8. In his quæ libertatis naturalis vel civilis sunt, admittantur omnes, qui non prohibentur, *l. cum Prætor* 12. *pr. ff. de Judic.*

9. De quibus ita Boter. *lib.* 2. *de Politia cap.* 14. *scribit*: *Pernicioſa valde eſt ambitio Optimatum, quos ſuos tantum volunt eſſe munium in civitate ſucceſſores. Qui tamen raro non ſemet deteriores, ut vulgo dicitur; Heronym filia noxa; deteriorem ſecum faciunt Rempubl. Nulla tabes civitatum peſtilentior, quam ut virtus vilitas obſtet honoribus. Non præclarè natos ad vitia damnare virtutum ſtudia de medio tollere atque ſtatuere, ut deteriores fieri liceat, non meliores.*

DECISIO II.

Ideo quod mater alicujus de atroci crimine diffamata est, non potest excludi à Collegiis mercatorum & opificum.

AD disciplinam honestatemque publicam pertinet, ut recipiendi in collegia mercatorum & opificum sint ho-

Digitized by Google

neſtæ vitæ atque famæ. Excitatur his moribus ſtudium ſectandi vitæ innocentiam, vitandique morum corruptelas. Ideo in collegiis Mercatorum atque Opificum ab antiquo ſtrictior, quam aliàs invaluit diſciplina. (1) At plerumque id nimis in aliquorum injuriam & præjudicium extenditur. Non modo in recipiendorum parentibus vitæ famæque integritas requiritur, & nati ex his qui iſta caruerunt, excluduntur: Imo etiam ſi non jure irrogata infamia, ſed diffamatio proceſſerit, incapaces ponuntur. Prius quidem non ſine ratione fieri poteſt. (2) At hoc fit iniquè & erroneè. Non enim diffamatio aut nuda hominum opinio, ſed jus & judicium infamat. (3) Quocirca ſi parentem alicujus ſagæ vel veneficæ reamve ſuâ confeſſione fecerint, id liberis nocere minimè debet. (4) Neque enim talis confeſſio infamem reddit, nec ſola indicium facit ad inquirendum, nedum ad infamandum, ſi alias perſona ſit honeſtæ vitæ: (5) Quanto minus ad infamiam irrogandam. (6) Et ſi vel aliis accedentibus indiciis inquiſitioni aut torturæ locum fecerit, non tamen liberis innocentibus id obeſſe debet. (7) Sic judicatum *in eadem cauſa.*

1. Collegia illa opificum inde phraſin hanc uſurpant; Die Aempter und Zünffte müſſen ſo rein ſeyn/ als wann ſie eine Taube geleſen hätte.

2. Quo parentes eo magis ad vitæ honeſtatem ſervandam adſtringantur, non injuſtè fit, ſi collegii ea lex dicitur, quod liberi ipſorum alias collegii beneficiorum debent eſſe incapaces. Optimum innocentiæ in hoc vinculum eſt. Pro affectu in liberos parentes magis per ea, quæ in illos fiunt terrentur, *l. iſti quidem 8. §. hæc autem 2. ff. quod met. cauſ.*

3. *l. ob hæc verba 20. ff. de his qui not. infam.*

4. Nec enim ipſi parentes ea de cauſa excludendi ſunt. Sic accuſare vel diffamare ſufficit, quis innocens erit.

5. *Ita communis habet Criminaliſtarum ſententia.*

6. *l. 1. C. ex quib. cauſ. infam. irrogat.*

7. Ex pœnis parentum non affligendi ſunt liberi, ſed ſuos pœnæ autores tenere debent, *l. ſancimus 22. C. de Pœn.* quanto minus ex ſola inquiſitione. Quæ non ſufficit ad pœnam inquiſiti qualis eſt ad officium inhabilitatio, *l. cognitio num. 5. §. minuitur verb. vel cum prohibentur honoribus fungi ff. de Extraord. Cognit. Hartm. Piſtor. part. 1. quæſt. 30. n. 28. Modeſt. Piſtor. conſil. 46. num. 5. lib. 1.* nedum liberi inde caſtigandi.

DECISIO III.

Ex collegio, quod antiquitus fuit, jus non eſt prohibendi, ubi præſens non reperitur.

EX jure collegii ſequitur jus alios à mercaturæ genere, quod iſti conceſſum ſeu aſſignatum eſt, excludendi, (1) ſi non illud impetratum fuerit, quod fit receptione, citra quam nemo aſſumere poteſt quod eſt collegii. (2) Haud verò ſufficit antiquitus in civitate fuiſſe collegium mercatorum ejuſque vis peti ac impetrari ſolitum, ſed neceſſe eſt ad facultatem cæteros excludendi continuatum eſſe ſeu durare uſque ad tempus, quo de aliquo excludendo agitur. (3) Ut enim præſens jus ad agendum vel excipiendum requiritur, ita & collegium ex quo illud deſumitur oportet eſſe tale. Nam etiam collegium ejuſque jus non uſu amittitur per illud nempe tempus, ex quo conſtare poſſit, quod noluerint id continuari & per iſtos actus, qui cum collegio non conſiſtunt, veluti ubi nulla inter mercatores ſunt amplius communia, nulli ejus Seniores, nulli conventus ordinarii, nulla communia bona, vel arca, non mos amplius percendi receptionem, (4) ſed liberum artis exercitium. Quæ ſi olim ſecus ſe habuerunt, non tanti valent, ad inferendum in præſens collegium, ac arguunt, dum olim ſueta obſervare deſierunt, à collegio receſſum ac ad libertatem reditum eſſe, qui regreſſus favorabilis eſt, (5) adeoque facilius præſumitur. *In cauſa Bernardi Kampen contra die Gevvandt-Schneider zu Wiſmar die 8. Aprilis Anno 1657.*

1. *l. 1. l. 2. ff. de Colleg. & Corporib.*

2. Collegii jus ritè petendum & aſſumendum ab his, qui iſti frui cupiunt.

3. Paria ſunt non eſſe & fuiſſe at deſiiſſe: Quod deſiit non amplius eſt.

4. Hæ ut ſunt Collegiorum propria, ita etiam eorum exiſtentiæ vel abolitionis ſunt argumenta.

5. Reditur enim ad naturalem libertatem quæ valde favorabilis & grata eſt.

DECISIO IV.

Statutum quo plus temporis ad diſcendum atque opus eſt injungitur in aliorum incommodum eſt invalidum.

CUm iis, qui pannorum mercaturam exercebant, nullum certum tempus addiſcendi, quæ ad iſtam ſpectabant, olim conſtitutum eſſet, ſed & qui nunquam didicerant, ab iſta non prohiberi conſuetum, vix uno & altero exiſtente qui ſerviſſe ejus cultoribus doceri poſſet, ſtatutum intendebatur, ut non reciperentur, niſi qui per ſexennium mercatoribus panniariis miniſtraſſent, ac inde hauſiſſent; ad illud mercimonium pertinentia. Conquerebatur autem qui pannos conficere noverat in ſui necem condi eam legem, ne

Digitized by Google

ne possit uti mercaturâ ante hac liberâ. Visum est illum audiendum, nec permittendum esse, ut ejusmodi statutum invalescat, tum quia novum & veteri libertati contrarium adeoque suspectum atque odiosum; (1) tum quia injuriam alterius tendebat, quem cæteri sub illo obtentu excludere moliebantur; (2) tum quod in vicinis civitatibus tale non erat, sed moris admitti omnes indiscriminatim; (3) tum quod nec tantum temporis impendere disciplinæ necessarium, cum per experientiam constaret pauciori tempore ad illam mercaturam spectans posse apprehendi, & in eadem civitate plures esse, qui nunquam tempus isti tribuerint. (4) Quando autem ejus non possit esse nescius, qui per multos annos pannificio operam dedit, eo iniquius visum illum velle ad ea adstringere, quæ vix unus & alter cæterorum didicit. (5) *In eadem causa.*

1. Novitas semper suspecta & odiosa est, etiam in statutis; unde inferioribus non est libera innovatio veterum morum per statuta, nisi superiorum accedit confirmatio *Gratian. discept forens.* 482. *num.* 2. *tom.* 3. Præsertim cum libertatem priorem immutant, velut cum injuria quædam conjuncta valent *Boer. decis.* 125. *num.* 4. *Covarr. in c. possessor.* 2. *part. relect.* §. 4. *num.* 7. & 8.

2. Ejusmodi statuta & ambitiosa & injuriosa non valent. *Natta cons.* 227. *num.* 4.

3. Circa statuta, præsertim quæ commercia atque opificia concernunt ad vicina loca præpri-mis respiciendum, nec dum in nostris ista nimis gravia, molesta & onerosa redduntur ad hæc cum incommodo nostro transeant ut fieri solet.

4. Inutilibus oneribus & præscriptis cives onerare multo magis in his quæ libertatis naturalis sunt impedire iniquum est.

5. Statuti anima ratio est: ubi ab illa deviat injustum nullumque fit, adeoque nec confirmatione superioris convalescat. *Jason. in l. centesimat* §. 1. *col. pen. ff. de V. O. Ruland. à Vall. cons.* 3. *num.* 48. *vol.* 2.

DECISIO V.

Collegiorum diversorum jura & commoda quomodo confundi non debent.

POstquam collegia opificum in civitatibus constituta sunt, & singulis sua attributa, hæc communis lex est, ut singula singulis ex lege fundationis sint relinquenda, (1) nec confundenda istorum jura & commoda, (2) unde non potest non subsequi multarum rerum confusio atque perturbatio & enasci dissidiorum seges. Ista verò acciplenda sunt tantum de istis, qui cujusque opificii semel propria facta fuerunt & quidem ita, ut addicta isti peculiaris elaborandi materia existant. Minimè verò illuc porrigendum id est, ut non informa elaborationis seu manufacturæ propriæ aliquid mutetur, aut ex isto quod alius facit, attamen non in ipsius materia propria sed in sua quidquam assumatur. Manet nihilominus diversitas opificii. Contingit de eo disputatio inter Pannifices, quorum duplex in civitate fuit collegium, alii ex graviori qui *Grobtuchmacher* vocabantur, alii ex subtiliori filo qui *Kleintuchmachen* audiunt, pannos conficiunt. Ab antiquo diversa panno fuit latitudo, subtilior dimidio latior confici consuevit: *Das grobe Tuch hat nur die halbe Breite, das kleine Tuch eine volle Breite gehabt.* Nunc cum hi etiam minori latitudine pannum confecere inciperent, illi resultati sui juris quandam violationem obtenderunt, cum tamen nec illi jus habuerint speciale circa modum conficiendi, sed tantum circa materiam; (3) nec alii ex hac quidquam assumebant, sed libertate non ademptâ utebantur. (4) Frustra autem, ubi species panni, cui collegium addictum erat, non variabat nec mutabatur, sed species modus, unde opificii diversitas, minimè desinebat. (5) Querela quæ ideo movebatur ut frivola rejecta est. *Ad supplicationem der Grobtuchmacher contra die Kleintuchmacher in Wismar. Die* 2. *Junii Anno* 1657.

1. Collegiis opificum concessa privative impetrata habentur, ita ut ex concessione collegii eveniat jus prohibendi quoad illa, quæ sua facta sunt. *l.* 2. *ff. de Colleg. & corpor.*

2. *l.* 3. C. *de Fabricens. Georg de Cabeda part.* 1. *decis.* 158.

3. Dum non ademptum hoc per alterius Collegii jura propria, relictum est opificum libertati quæ ipsis integra, quatenus non reperitur sublata. *Cavalcan. decis.* 44. *num.* 155. *Mascard. de Probat. conclus.* 980. *num.* 1.

4. Sine jure aliquo suo speciali & proprio non est jus prohibendi. *l. uxorem* 15. C. *de nupt. l. nullam* 4. C. *de Jur. dot.*

5. Etsi lege speciali non est datum, dummodo non denegatum, moribus tamen competit. *l. magistratus* 25. *ff. ad Municip.*

DECISIO VI.

De virtute clausulæ quâ mutandi potestatem reservatoriæ in statutis collegiorum consuetæ.

QUæ statuta vel privilegia, per magistratus in rotulis *in den Rollen*, uti vocamus, dantur collegiis opificum clausulam hanc reservatoriam plerumque continent *daß man sich vorbehalte zu mindern, zu mehren, zu bessern und zu andern.* Hæc verò otiosa minimè esse debet,

Digitized by Google

debet, sed stare cum virtute operandi. (1) Haud quidem sic accipienda est, ut pro libitu ex absoluto arbitrio liceat semel recepta abrogare aut immutare. (2) Quod tum à voluntate clausulam inserentium. (3) Tum à mente impetrantium, (4) tum à conditione eorum quæ conceduntur, (5) tum ab usu reipubl. alienum est (6) sed ut ex ratione, si vel necessarium vel utile, fas sit magistratibus aliter de semel statutis recedere atque ita disponere sicut expedire visum. (7) Quocirca dubium non est, vi istius clausulæ integrum esse, ubi ratio suadet vel non observare vel derogare, vel aliud quod utilius visum surrogare, haud obstante superioris confirmatione. (8) Non itaque est civibus seu collegiis conquerendi causa, si magistratus quidquam eorum vel posthabuerit vel aliter ordinaverit. De quo ratio reddenda minimè est collegiis. Siquidem verò illi de mutatione apud superiorem conquerentur & sine ratione vel inutiliter vel noxie mutationem quandam factam fuisse conqueruntur, exponenda est. *Inter eosdem.*

1. Verba cujusque dispositionis esse debent cum virtute operandi. *l.1. §.1. ff. quod quisque jur.* etiam in privilegiis. *Jason. in l. si quis posthumos §. si filium num.40. ff. de Lib. & posthum.*

2. Ejusmodi prohibitiones & mutationes, quæ sine causâ fiunt, injustæ nec ratæ sunt. *l. Statuas 4. C. de Relig. & sumpt. fun. Roland. à Vall. consil. 43. num.43. seq. vol. 4.*

3. Non præsumendum jus collegii ejusque privilegia & commoda ita data quenquam voluisse, ut ex absoluto arbitrio sint revocabilia. Erubescenda est illa variatio ex proprio arbitrio revocantis quo semet statuit.

4. Hi impetrant ut jus speciale. *l.1. ff. de Collig. & Corporib.* Quod ex justa causa tantum auferendum est. *l. fin. ff. eod.*

5. Non est adeo factum facilè, semel constituta tollere. *uti in d. l. fin. § fin. C. de Mod. municip.*

6. Quod vulgò dicimus omnem mutationem esse periculosam, id nullibi verius quam circa leges tum speciales quam generales. Quæ ut semel factæ sunt fundamenta & regulæ societatum, ita turbatæ & convulsæ non possunt non multum ex rebus civitatis turbare. Unde Politici dicunt, melius multò malas retinere leges, quam novas utut meliores veteribus abrogatis condere.

7. Potestas magistratuum semper eam conditionem habet, si ex ratione fit. *Bald. in l. humana. Cod. de Legib.*

8. Etsi etiam confirmatio principis actum perpetuum efficere solet *Bertazol. consil. 45. num. 43.* non tamen id produci potest ad illa, quæ ita concessa ut perpetua esse non debeant, de quibus etiam hoc præcautum & mutandi libertas reservata, contra quam confirmatio nihil novi dare potest. *Guil. 1. Observ. 1. num. 3.*

DECISIO VII.

De probabili ratione mutandi collegiis indulta vel statuta.

DUbitandum minimè est justam atque probabilem rationem rotulum & privilegia opificum virtute clausulæ per magistratus addi solitæ mutandi esse si vel civitati hæc nocere incipiunt; (1) vel commerciorum usibus obsistunt; (2) vel ipsius collegii commodis contrariantur. (3) Ejus etiam hæc species est, si quæ per istiusmodi statuta restringuntur, in vicinia fiunt libera. (4) Unde non potest non evenire, ut tandem ex libertate vicini loci commercia & opifica augescant è contra ubi coarctantur decrescant & consequenter civitatis incrementa impediantur. Nihil enim his magis adversum est quam prohiberi circa illa quæ in vicinia permittuntur, quo inde non possunt non devergere quæ à vicinis extraduntur. Ad quam respectus in talibus deflectendus est. Uti consideratum fuit in eo casu, ubi in civitate prohibitum voluerunt aliqui quod apud vicinos in usu est. *In eadem causa.*

1. Privilegia eatenus tantum valent quatenus reipubl. sunt innoxia. Ubi ad noxam civitatum devergunt amplius non attendantur, sed cassantur & revocantur *c. suggestum de Decim. ib. Felin. & Decius num.14. Roland. à Vall. consil.1. num.162. seq. vol. 1.* Quia utut generaliter concessa non comprehendunt casum utilitati communi contrarium *Bald. in l. Jubemus. 14. C. de SS. Eccles.*

2. Commerciorum ut utilitas publica, ita favor insignis est, qui facit ut semper pro ampliandâ non pro restringenda illorum libertate laborandum sit. *Coler. de Proces. Executiv. part.1. cap.10. num.68.*

3. Quod in favorem opificiorum constitutum minimè detorquendum est in illorum odium atque detrimentum *l.6. C. de Legib.*

4. Circa civitates maximè ratio habenda est vicinitatis, cujus commoda & incommoda vicina loca afficiunt. Unde istius circa interpretationem & praxin legum habetur ratio, & consuetudinis præsumitur imitatio. *l. de quibus ff. de Legib. Cravett. consil.118. num.3. & 4. Menoch. consil. 9. num.22. lib.1.*

DECISIO VIII.

Collegio mercatorum vel opificum non competit jus pignora ab iis, qui suo juri contrariantur, capiendi, nisi quatenus à magistratu reperitur concessum.

EST quidem collegiis mercatorum atque opificum quædam jurisdictio, cujus virtute competit de causis ad mercaturam vel opificium spectantibus cognitio & definitio, (1) nec neganda est adversus eos qui leges collegii violant mulctæ indictio & coer-

Digitized by Google

& coercitio. (2) At non vindicta quædam Publica, (3) aut id quod executionis seu mixti imperii est, nec sub concessione simplicis jurisdictionis venit. (4) Cujusmodi etiam est pignorum ob delicta vel contumaciam capio. (5) Etsi verò concessione magistratus ista indulgetur vel consuetudine, (6) attamen non ultrà exerceri queunt quam expressa vel tacita quæ in loco est consuetudo tribuit. Ut non tantum concessionis, sed etiam qualitatis probatione opus sit. Præterea talis cum aliquo imperio jurisdictio non nisi ad eos pertinet, quam qui sunt de collegio. (7) Minimè permittendum ut quod aliàs magistratus publici tantum est, permittatur collegiis in alios sub hoc non comptehensos (8) sed extraneos. Quando itaque pignoratus erat ille, qui non erat de collegio, restitutionem pignorum magistratus injunxerat, ubi tenentes non restituerunt, reddere coegerat, appellatio interposita injusta existimata & decreta magistratus confirmata sunt. *In causa der Kramer zu Stade contra Hinrich Wicken die 20. Junii Anno* 1657.

1. *l. fin. C. de Jurisdict.*
2. *Matth. Stephani de Jurisdict. lib. 2. part. 2. cap. 8. num.* 12.
3. *Accurs. & Azo. in d. l. fin. C. de Jurisdict.*
4. *l. 3. ff. de Jurisdict.*
5. *Hæc mixti Imperii species est.*
6. Sicut ex hac collegia aliqua quæ imperii sunt obtinere posse tradit *Matth. Stephan. dict. loc. num.* 13.
7. *Matth. Stephan. d. cap. 8. num.* 10. *Sichard. in l. fin. C. de Jurisdict.*
8. *l. non est singulis ff. de Reg. Jur.*

DECISIO IX.

Quæ vendunt jure collegii institores & propolæ, aliis suis operis confitere & confecta etiam minutatim vendere non est prohibitum.

ETsi propolæ & institores *die Kramer* jus quoddam collegii & ex eo licentiam vendendi, quæ suæ tabernæ sunt, impetrarunt, exinde etiam jure prohibendi alios qui jus collegii solitò more non assumpserunt, ne tabernam institoriam publicè habeant, utantur, id tamen eo extendere minimè possunt, ut prohibeant aliis istarum mercium, quas in sua taberna venum exponunt, confectionem & venditionem. Præterquam quod in Civitate Stadensi, ex qua de eo lis ad Tribunal Regium devenerat, satis apertè provisum reperiebatur, (1) etiam aliàs rationi convenit. Multum inter se hæc differunt jus tabernæ *ein Kramladen zu haben*, & confectio mercium *die* manufactur. Nec ex illius concessione inferenda est hujus prohibitio, sicut nec venditionis confectorum operum. (2) Iniquum & invidiosum valdè foret, nolle eos, qui nocte dieque quædam suis manibus operantur quovis modo exinde victum quærere, Reipubl. & civitatum incrementis valdè detrimento sum sic opifices velle constringere, ut vel non conficiant liberè manibus quæ didicerunt, vel confecta non vendant prout commodum erat. (3) Quantoperè ad illarum commoda spectat multos esse & allici opifices, tam absurdum foret, compendia operarum sine quibus non possunt non vilescere opificia, velle restricta atque adempta. Lucra sunt cum aliorum incommodo conjuncta quæ institores desiderant, cum sibi tantùm confecta vendi cupiunt. Monopolii speciem sapit, quod ab iis inrenditur, cui indulgendum non est. (4) Quocirca nec permissum, ut pignoratione affligeretur, qui artem suam operibus non improbatis exercebat, sed defendens ipsum sententia confirmata fuit. *In eadem causa.*

1. Inactis referebatur Statutis collegii Institorum der Kramer Ampt-Buch artic. 2. hæc verba addita fuisse doch soll es einem Bürger und Bürgers frauen frey seyn was sie in ihrem Hause spinnen/ bearbeiten und weben lassen/ das mögen sie bey Stucken und bey Elen verkauffen.
2. Privilegia collegiorum quatenus mercimonii & opificiorum libertatem restringunt, stricti juris sunt, nec ultra literam extendenda. *Alberic. in l. hoc jure num.* 31. *ff. de Justit. & Jur.*
3. Privilegia quatenus publicis usibus fiunt noxia non sunt observanda.
4. *l. un. C. de Monopol.*

DECISIO X.

Falsificatarum mercium reus coram judice accusandus, non aliorum manibus coercendus nec antequam convictus ab opificio excludendus est.

PIgnorum captione contrà opificem exercita negatæ illorum restitutioni obtendebatur pro titulo & causa, quod improba opera & falsas merces confecisset. Eo nomine quidem *in* sicut omnibus de populo contra reum accusandi potestas est, (1) juxtaque publicè utile tale scelus vindicari, (2) ad judicium est ista vindicta non privatorum, quorum loco sunt tantum collegia. (3) Unde si putaverint vera quæ allegant, accusare, non venerandes opificis vi invadere & rexta auferre oportuit. Adeo non ad excusationem facti sufficit vitium, quod arguunt, ut etiam

Digitized by Google

ob privatam autoritatem usurpatam pœnam mereantur. (4) Etsi verò etiam aliquis de inutilibus & falsis operibus suspectus fuerit, tamen ideò statim non debet prohiberi opificium, sed prius rei agi inquiri & convinci. (5) Quæ considerata sunt *in eadem causa.*

l. pr. Inst. de publ. judic. l. 1. ff. eod.

2. Falsatores sunt & falsi pœnæ obnoxii, qui falsas merces conficiunt & vendunt. *Areved. in constit. Hispan. lib. 5. tit. 12. leg. 1. num. fin. Pract. Conrad. tit. de Falsar. num. 23.*

3. His tantum est jurisdictio de iis, quæ ad sua collegia pertinent, *uti restringitur in l. fin. Cod. de Jurisdict.* Non vero de publicis criminibus, de quibus cognitio & pronunciatio ad ordinarium Magistratum pertinet. *Accurs. & Azo. in d. l. fin. Matth. Stephan. de Jurisdict. lib. 2. part. 2. cap. 8. num. 12. seq.*

4. *Juxt. l. si quis in tantam 8. C. unde vi.*

5. Ut nimis celer sic & injustus est processus, qui ab executione incipit. *l. 1. Cod. de Execut. rei judic.*

Juxta præcedentes decisiones ita pronunciatum fuit. In Sachen Meister und Geschworne des Kramer-Ampts zu Stade Appellanten wider Hinrich Vicken Appellaten in puncto beschuldigten Verbrechens wider das Amptbuch / ist die Appellation der formalien halber zwar beständig und der vorgebrachten Exceptionen ungehindert anhero erwachsen zu seyn. So viel aber die Pfandung und Restitution deß abgepfändeten Gezeuges betrifft die Gravamina unerheblich befunden. Demnach solche nicht / sondern Acta Ampts halber vor beschlossen angenommen und erkant / daß den 16. Augusti Anno 1655. wol gesprochen / übel appelliret / und es dabey zu lassen / jedoch mit der Erklärung / daß den Appellanten Einhalt des den 6. Octobris Anno 1654. gegebenen Bescheids durch ordentlichen Zuspruch / was so wohl ihrer prætendirten Ampts-Gerechtigkeit als des Appellaten und von ihm gefertigten Werck beschuldigten Untauglichkeit halber vorgebracht / außzuführen unbenommen sey; Inmassen dann allen Theilen in foro competenti die Nothdurfft so weit Rechtens vorbehalten bleibet. Von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 6. Julii Anno 1657.

(Hoc est.) In causa Magistrorum & Juratorum officii Mercatorum in Staaden appellantium, contra Henricum Vicken appellatum, in puncto insimulatæ contraventionis contra librum officii, appellatio ratione formalium justificata & non attentis exceptionibus huc devoluta, quantum verò concernit pignorationem & restitutionem mercium, gravamina irrelevantia apparent indè ea non recipimus, sed acta ex officio pro conclusis accepimus & decernimus quod 16. Augusti Anno 1655. benè judicatum malè appellatum proindè ei inhærendum, attamen, cum hac declaratione, quod appellantibus reservetur vigore decreti 6. Octobris Anno 1654. lati per formalem actionem quod tam ratione prætensæ jurisdictionis officii quam appellati & ab eo confecti operis insimulatæ ineptitudines allegatum deducere prout omnibus partibus in foro competenti necessaria quantum juris reservata manent. Publicatum in summo Tribunali Wismariæ 6. Julii Anno 1657.

DECISIO XI.

Exercitium civilis artis atque mercimonii per collegii jus nisi eo recepto, officialibus Regiis juste prohibetur, donec ejus docuerint facultatem legitime acquisitam.

A Mandato, per quod civitatis Magistratui & collegio Brassatorum injungebatur permittere facultatem Brassandi & vendendi cerevisiam Secretarius Dicasterii Regii (1) appellatione interpositâ visum est appellantium intentionem esse fundatam ex rotulo collegii Brassatorum *durch die Rulle der Brauer-Zunfft* per Principem olim confirmato, cujus tenore non aliis venditio Brassatæ cerevisiæ indulta est, quam in illud receptis. Ex quo enim cerevisiæ venalis coctio jus collegii esse cœpit, præclusa est aliis; qui non sunt de collegio, (2) dum illorum jus singulare id redditum est, (3) nec alii in civitate sibi arrogare queunt, nisi qui singulari privilegio, aut usu diuturno se obtinuisse ostendunt, (4) Non potest proficere libertas commerciorum & artium, (5) postquam per eam restrictionem ad certum collegium & qui ex eo sunt, velut publica lege limitata est. (6) Non ex officio immunitas atque ab urbana Jurisdictione exemptio sola profieit ad sumendum sibi ejus rei licentiam. Nam eadem ipsa dum à civili sorte eximit, etiam quod ejus proprium est simul interdicit, nec licitum facit, quod ab officio alienum. (7) Imo nec ultra valet, quam intra officii terminos, à quibus excessus & assumptio exercitii civium proprii oneribus atque legibus ejusdem subjicit. (8) Justum hinc visum contra mandatum illud processus decerni. *In causa Collegii Brassatorum in urbe Wolgastensi, contra Eberhard Fischern & consortes, die 27. Septembr. Anno 1653.*

1. Braxatur cerevisia vel ad usum domesticum zur Hauses Nothdurfft / vel ut sic venalis zum feilen Kauff / illud concessum est in civitate omni-

omnibus, quibus non est prohibitum. Est quippe res juri naturali cuique libera. Hoc vel communis commercii mansit, & jure gentium liberè à nemine non exercetur, *l. ex hoc jure ib. Jason. ff. de Just. & Jur.* vel redditum est Jus Collegii & tunc à naturali libertate exemptum sit proprium jus eorum, qui sunt de collegio. Ideo extra hoc nemini licitum, nisi cui lege concessum.

2. Collegii juribus non fruuntur, nisi qui sunt de collegio, *l. fin. ib. gloss. & Dd. C. de Jurisdict.*

3. Jus singulare est, quod contra tenorem rationis propter aliquam utilitatem auctoritate recipientium constitutum est, *l. jus singulare 16. ff. de legib.* At in civitatibus Collegii jura pro utilitate communi recepta sunt. Inde in consequentiam non admittenda.

4. Quemadmodum juri communi derogatur consuetudine vel privilegio, ita etiam contra jus singulare consuetudo vel privilegium obtineri potest.

5. Commercia gentium jure libera reddita sunt, *l. ex hoc jure 5. ff. de Just. & jur.*

6. Civitatis moderamini subsunt Commercia, ideo & pro ejus utilitate leges accipiunt, quibus etiam communis libertas subest, §. 1. *Inst. de jur. Person.*

7. Qui extra officium quærit commodum hujus incommoda, leges & conditionem observare tenetur. Non potest muneris privilegium seu dignitas extendi ultra ipsum munus. *Alberic. in l. 1. ff. de Senator.*

8. Officialis seu artifex alterius officii vel opificii semet immiscere non debet, *l. in provinciis C. de mun. & artib.* sed quisque propriis inservire artibus, *l. 3. C. de Fabricen.* Reipubl. non expedit promiscuis artibus rerum turbari officia & aliis creditum alios subtrahere, *l. consulta 23. C. de Testam.*

DECISIO XII.

Opifices ad operam cuicunque pro justa mercede præstandam cogere licet.

QUi in urbe à superiore potestate privilegio jus exercendi pristinam acceperat empta domo, adeo se concivium invidiâ premi querebatur, ut post alias molestias sibi creatas etiam fabri murarii essent inducti, furni pistorii confectionem detrectare. Defensionem non tantum privilegium, sed etiam autoritas Regia merebatur, ideo pro illa cogitatum; Duplex autem remedium apparuit, ut aut opifices urbis cogerentur illi ad prætactum finem justâ mercede operari: aut aliis extra opificium is labor permitteretur. Prioris justitia fuit indubia, postquam ad eam operam opifices obligat, tum professio, quâ artem illam publicè venditant, ideo etiam præstare tenentur: (1) tum beneficium collegii ejusque jurium; (2) ex quibus etiam hoc est, quod præter ejus membra alii à talibus operis abstinere coguntur, ideo ipsimet præstare necessario debent. (3) In eo itaque munere negligentes merito coërcentur, præsertim quod negare insignis petulantiæ species est, cui minime indulgendum, (4) & cum incommodo concivis & præjudicio publico conjunctum, si arbitrarium foret, cui operas locarent. (5) Non dubitatum est justè procedi, si mandato pœnali sub comminatione mulctæ aut carceris, vel etiam exclusionis à Collegio juberentur operari, (6) die 2. Maji Anno 1654.

1. Publica artis professio injicit obligationem profitenti, ut operam non neget vel subducat, *l. 1. pr. ib. Bald. ff. de Admin. tut.* ex ista jus est cogendi, ut operam præstent.

2. Indignus est collegii beneficio, qui quod ejus est, præstare recusat. Conditio enim hæc inest receptioni in collegium, quæ diligenter servanda est.

3. Publica fiant opificum munera, ex quo collegii jus impetrant, *arg. l. pupillus 239. §. 3. ff. de V. signif.* ad quæ etiam inviti per magistratus coguntur, *l. si quis 29. ff. de mun. & honor. l. munus 224. ff. de verb. signif.*

4. *l. in fundo 38. ff. de rei vindic.*

5. Per collegii jus nihil à collegis usurpari debet, quod publice privatimque aliis noxium, *l. fin. ff. de Colleg. & corporib.*

6. Hi sunt soliti modi opifices coërcendi.

DECISIO XIII.

Ob opificum refractariam negligentiam non attento collegii jure aliis in civitate potest permitti artis exercitium.

ETsi per collegii jus, quod opifices in civitate habent, competit jus prohibendi aliis extra collegium operas, (1) haud tamen aliter, quam si ipsimet has civibus præstant. (2) Ubi hoc recusant, non possunt indignari, si aliis permittitur, quod ipsi non faciunt. (3) Magis enim civium ratio habenda quam ipsorum, dum ipsis ideo collegii jus datum est, quo civibus usui sint. (4) Quin imò si per petulantiam aut malignitatem quandam negent debita abutentes collegii jure, hoc amittere merentur, (5) & cohibendi omnino sunt, ne aliis nedum Reipublicæ id detrimento fiat. (6) Et cum ob istam jus collegii tollere liceat, (7) multo magis præter id aliis operas in utilitatem civium permittere justum erit. (8) *In eadem causa.*

1. *De hoc jure vid. scripta à me in Comment. ad Jus Lubecens. lib. 4. tit. 13. artic. 3.*

2. Sub hac conditione jus collegii habent, ut civium usibus consulatur. Nec enim aliter id, quod juris Gentium est, ut cuique opificia exercere & operis ut commodum uti licet, restringere

Digitized by Google

& paucis concedere fas est. *Carpzov. Respons. Elect. 42. num. 16. lib. 1.* nec aliter concessio intelligenda est, quam servare necessarium, non autem in eo sibi arbitrii aliquid relictum putent, *l. fin. ff. de Colleg. & Corporib.*

3. Indigni sunt legis beneficio, qui in legem peccant, *l. 1. §. 1. ff. qui pet. tutor.* nec à lege auxilium habent, qui legem non servant, *l. auxilium 37. § 1. ff. de Minorib.*

4. Propter quod aliquod tale est, id magis tale est. *Auth. Multo magis C de SS. Eccles.*

5. Abusus juris in aliorum noxam meretur privationem, ut ordinariam pœnam, § *fin. ib. Faber. Schneidevv. & alii instit. de his qui sunt sui.*

6. De attentatis opificum contra usus publicos & privatos gravis ubique querela est, & ubique obvia noxa: Coërcere ista severe ad Reipubl. utilitatem pertinet. *Carpz. decis. 285. num. 3. part. 1. 3.*

7. Pœnam amissionis juris collegii ob abusum ejus sæpe inflictam scio, & approbatam superioribus judiciis.

8. Hic modus petulantes & bonum ordinem spernentes coërcendi solitus est, & si sæpius exerceretur opificum minor foret petulantia.

DECISIO XIV.

De statutis & moribus, ut non recipiatur in collegium, nisi qui duxerit viduam aut filiam opificis.

UT sub eo, qui antiquitus fuit Civitatum Hanseaticarum flore, & illius lucra quibusvis petentibus Veteres magis solliciti fuerant, ne in iis promiscue omnibus mercimonii aut opificiorum licentia fieret, quam ut per ejus adjumenta homines allicerentur; ita in iis varia reperiuntur statuta, privilegia & consuetudines, quibus collegii jura petendi facultas fuit coarctata. Ex quibus multa incolæ ad sua commoda sic derivarunt, ut alios excluderent. Inter talia reperitur mos non recipiendi nisi cum collegarum viduis & liberis uxorandos. Discernendum vero circa hoc per ductum rationis, an Magistratus Statuto seu privilegio, an saltem collegii arbitrio & sibi facto per superiores non confirmato more id observetur. Ex statuto vel privilegio servatur & defenditur merito ea observantia, veruntamen ut usus ejus sit rationabilis, nec ad iniqua, impia & improba opifices abutantur statuto & privilegio. (1) Quid enim si per hoc adigere velint recipiendum, ut ducat personam, quam reculandi justa causa est, quod ætate, morbo, deformitate aliisve vitiis ad honestum vel concors matrimonium habilis non sit? (2) Quid si cum plures essent quæ duci possint electionem auferre, nuptias ad certam personam astringere velint? (3) Quid si insignis sit artifex, sed jam uxoratus, aut votis illigatus, vel etiam ad matrimonium parum aptus, ideo ducere non possit? (4) Sub prætextu statuti qui aut nequeunt aut nolunt ex justa causa à collegiis vel opificiis removere, ut irrationabile, ita non tolerandum est. (5) Non est magistratui adempta potestas, statuto aut privilegio illum morem ad sanum sensum & dextrum usum redigendi. (6) Quæ & per clausulam adjici solitam, quâ reservatur emendatio, augmentum, imminutio, retenta intelligitur. Ubi non autoritate Magistratus, sed ex placito & consensu collegii saltem tale quid receptum, minus vitium adversus magistratus judicia & decreta obtinet. (7) Etsi enim collegiorum quædam jurisdictio est in iis, quæ ad artem & professionem pertinent, (8) indeque de his statuta faciendi licentia, (9) quæ usurpari possit sine magistratus venia, & quia per jus commune competit, opus non habent speciali confirmatione, (10) tamen ejusmodi placita non obligant alios, quam collegiatos, seu in collegium receptos, (11) qui se associando approbant, & observantiæ ut debitores submittunt. Nec ultra quoque valent, quam in iis, quæ ad promovenda mercimonia, atque opificia expediunt, quorum favore, atque usus gratia data fuit ea licentia. (12) Igitur si juri communi contraria, si non rationabilia, si magistratui & jurisdictioni civitatis præjudicium inferunt statuta opificum, jure non attenduntur. (13) Nec enim fas est, ut per talia magistratui aut jurisdictioni publicæ possit obex poni, (14) Quamvis igitur non plane improbum sit statutum, ne aliam quam ex opificii collegis quis ducat uxorem, idque in Hanseaticis civitatibus frequens, tamen invito magistratu non obtinebit in aliis, quam quibus id confirmatum fuit, collegiis, eique integrum est, in quibus hactenus non receptum, ut non recipiatur, prohibere, aut non pati, ut sub eo prætextu artifex alias non improbandus excludatur. (15) Si orietur inter Senatum & opifices de eo controversia, illius potiores erunt partes, (16) dum pro libero usu artium & opificiorum hac ætate, non ut olim, postquam causa mutata est restringendo contenditur. Quando igitur collegium non modo non docebat vetus statutum excludens ab opificio, qui ex illo non uxorem ducerent, nedum à magistratu unquam confirmatum, sed id quod allegabatur continebat dispositionem præferendos esse qui ducerent alias, inde horum admissionem non vetitam esse constabat, (17) quin potius permissam, processus appellatorios haud decernendos esse visum. Et licet in transactione inter principem & civitatem inita, quam *Erbvertrag* vocant,

cum

Digitized by Google

cum inter casus non appellabiles *die Ampt-Sachen* positi essent, adjecta reperiatur exceptio, nisi jus totius collegii impugnaretur, tamen inde non sequitur, cæco decreto statim recipiendam appellationem, ubi allegetur jus collegii; sed oportet id apparere aut esse verisimile, & ut aliquo modo doceatur; cum contra magistratus non aliter decerni debeant processus. (18) Quando minus id fieri debet ubi ex rotulo seu *Rolle* ut vocant aliud apparuit. Quod ut ad rejiciendam appellationem merito attendi debuit, sic ubi processus sub & obreptitiè impetrati erant, sufficit ad permittendam in puncto devolutionis Senatui ex præscripto præfatæ transactionis actorum transmissionem. *In causa Senatus Stralsundensis contra Arcularios die 17. Januarii Anno 1655.*

1. Abusus juris meretur ejus amissionem, §. *fin. ib. Schneidvv. & Dd. Inst. de his qui sunt sui vel al. jur.* multo magis, ut non attendatur aut admittatur, quatenus in publicum incommodum, vel privatam injuriam vergit.

2. Summam impietatem habet alicui obtrudere infelix & miserum matrimonium, in quo individua consuetudo & consortium omnis vitæ fortunarumque quæritur, *l. 1. ff. de rit. nupt.*

3. Matrimonia oportet esse libera & non coacta. Hæc difficiles exitus habent, *c. requisivit c. gemma. X. de Sponsal.*

4. Statutum ut in collegium non potest per rationem accipi: nisi de liberis personis, minime extendi ad nuptas aut illarum exclusione operari. Quod non modo à litera sed etiam à ratione alienum est.

5. Statutum vel mos non valet contra rationem, *l. 2. ib. Bald.* C. *quæ sit long. consuet.*

6. Magistratum oportet esse rotulorum & statutorum interpretem, *l. fin. C. de Legib.*

7. *l. ambitiosa 4. ff. de decret. ab ordin. fac.*

8. *l. fin.* C. *de jurisdictio. l. 2. C. de Constit. pecun.*

9. *l. fin. ff. de Colleg. & corpor. Bartol. in d. l. fin. ib. Bald. & Sichard. num. 3.* C. *de Jurisd. Schurff. consil. 34. num. 6. cent. 3.*

10. Etsi enim ea ex consuetudine pro majori robore & authoritate peti solet, & non parum expediet adhibuisse, *Schneidevvin. in §. constat. num. 15. Inst. de jur. nat. gent. & Civil.* tamen necessaria non habetur in iis, quæ jure licent. *Vultej. in d. l. fin. num. 18.* C. *de Jurisdict. Jason. in l. omnes populi num 37. Curt. num. 23. ff. de Justit. & jur.*

11. *Vult. in d. l. ult. num. 25. Jason. d. l. num. 37.*

12. *d. l. fin. ib. Salyc. Sichard. & Dd.* C. *de Jurisd.*

13. *Vid. quæ scripsi in Comment. ad Jus Lubec. lib. 4. tit. 13. artic. 3. num. 37. & seq.*

14. *l. fin. in fin. ff. de Colleg. & Corpor.*

15. *Matth. Stephani de Jurisdict. lib. 2. part. 2. c. 7. num. 39. & seq.*

16. Quemadmodum collegium non potest institui nisi ex permissu magistratus & eo usque tantum, quatenus ille permittit, *l. 1. ff. de Colleg. & Corpor.* ita illud jam institutum non potest ultra concessionem sibi quidquam sumere.

17. Statuta & privilegia collegiorum stricti juris sunt ultra literam aut usum non extendenda.

18. *Juxta Constitutionem Imperii in R. A. zu Regenspurg de Anno 1594. §.* Darumb setzen/ ordnen/ ꝛc.

DECISIO XV.

Qui Sponsus Sponsam impregnavit ab opificio non est excludendus.

NOn improbandum quidem est opificum pro conservandis bonis moribus studium, quod in collegiis suis præ se ferre solent, (1) ex quo etiam multa singularia receperunt, & convenientibus magistratibus exercent. (2) At concedendum minime est, ut sub eo obtentu injusta faciant vel irrogent. (3) Cohibendus est nimius rigor illorum, per quem sæpe delicta faciunt, quæ non sunt, aut ita puniunt leviora, ut rationi atque æquitati haud convenit. (4) Quod in ea specie factum credidimus, quando opificum collegium ideo quemquam exclusum aut non admissum volebat, quod sponsam impregnasset, eaque paucis post nuptias mensibus peperisset. (5) Est quidem ab eo tempore quo Ecclesia sacerdotalem copulationem honestatis gratia necessariam fecit præmaturus desponsatorum concubitus in crimine, nec impunis: (6) Peccatur enim in legem Ecclesiæ & honestatem cum scandalo quodam publico: At nimis gravis & iniqua futura est pœna, si quis ideo ab opificio excludetur, quod infamiæ species quædam est, & à victus facultate remotio, non minus gravis quam si homo enecetur. (7) Quando si ab alio, & non à se impregnatam ducit, opificii incapax non censetur, (8) quo jure ab eo removendus, qui cum sponsa jam sua, quæ uxoris instar erat, concubuit? (9) Matrimonium cum mora longe vitia purget, (10) qui non etiam efficiet, ut honori ejus condonetur, ne infamis & inops fiat, qui sponsam nimium amavit. Haud itaque indulgendum hoc collegio videbatur, ut renitente magistratu ad exclusionem progrederetur. *In eadem causa.*

1. Audimus glorioſe usurpari ab opificibus de collegiis suis hanc vocem; Ihre Aempter müssen so rein seyn / als wenn sie von Tauben gelesen wären.

2. *De his quædam scripsi in Commentario ad Jus Lubecens. lib. 4. tit. 13. artic. 3.*

3. Non est porrigenda facultas collegiorum ad injusta, *l. fin.* C. *de Jurisdict. ib. Bald. & Vultej.* ne injuriarum inde occasio sit, unde jura proficisci debent, *l. meminerunt 6 pr.* C. *unde vi.*

4. Pœnæ commensurandæ sunt delictis, & ad judicis officium pertinet rigorem istarum mitigare. *Bartol. in l. quid ergo 13. §. pœna ff. de his qui not. infam.*

Digitized by Google

5. Ita usus fori jam accepit, cujus multa exempla observavi judicialibus sententiis comprobata.

6. Carcere, aut pœnitentia Ecclesiastica hodie plecti solet. *Vid. Carpzov. in pract. Criminal. part. 2. quæst. 69. l. num. 46. & mult. seq.*

7. *arg. l. necare 4. ff. de agnosc. & alend. lib.*

8. *De qua specie vid. Carpzov. respons. Electoral. 99. per tot. part.*

9. Hoc multo minus criminis aut turpitudinis habere certum est.

10. *c. tanta X. qui fil. sint legitimi Gail. 2. Observ. 141. num. 2.*

11. Honori matrimonii in delictis multum indulgeri novimus.

In Sachen der Alterleute der Tischer Appellanten wider Marx Jägern Appellaten/itzo Burgermeister und Rath der Stadt Stralsund/wird befunden/ daß nach Anweisung jüngst publicirten Reichs-Abschiedes die inhibitio gäntzlich aufzuheben/ und gestalten Sachen nach/ Jägern bey seiner Nahrung und Zustand/ darinnen er sich befindet/ biß zu Außtrag der Sachen unverruckt zu lassen/ sonst aber quoad effectum devolutivum es zu ferner Erkenntniß stehen/ und bemeldter Rath vermöge buchstäblichen Inhalts des Erbvertrages mit der anerbotenen Verschickung der Acten an eine Juristen Facultät zuforderst zu verfahren befugt seyn/von Rechtswegen. Publicatum den 22. Jan. Anno 1655.

(Hoc est.) In causa Seniorum Arcularium appellantium, contra Marcum *Jägern* appellatum, modò Consules & Senatum Civitatis Stralsundæ apparet quod juxta novissimè publicatum recessum Imperii inhibitio totaliter cassanda & juxta statum causæ *Jäger* in suo opificio & statu in quo nunc est usque ad causæ decisionem quietè relinquendus, aliàs verò quoad effectum devolutivum, res ad ulteriorem cognitionem exponi & dictus Senatus juxta literalem tenorem transactionis hæreditariæ in oblatâ transmissione actorum ad aliquam juridicam facultatem præprimis procedere potest. Idque de jure.

TIT. XV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XVI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XVII.

DE COLLEGIATIS ET CHARTOpratis & nummulariis.

DECISIO I.

De jure pignorandi competente collegiis mercatorum vel opificum in civitate.

Sicut collegiis, quæ in civitate sunt, jurisdictio concessa est, ita etiam pro ejus effectu ex lege vel consuetudine aliqua obtinent, quæ imperii esse videntur. (1) Inter quæ est jus pignora capiendi ab iis, qui contra statuta collegii deliquerunt. (2) Quod tamen non ubique perinde liberum est. Nam alibi id exerceatur mera voluntate eorum, penes quos est directio negociorum collegii seu seniorum seu aliorum, qui in id constituti sunt, uti aliquibus in locis sunt, qui *Pfandvögte* appellantur; Alibi vero ea pignoratio indiget venia magistratus, quæ prius à collegiatis roganda & impetranda est, & tunc vel ipsis penitus relinquitur vel adjunguntur lictores seu apparitores, per quos ipsis præsentibus peragitur pignoratio. Uti unoquoque in loco consueta sic non injuste fit. (3) Hoc vero accurato discernendum, in quibus speciebus & quibus ex causis pignorationes liceant. Regulariter quippe sunt prohibitæ præsertim iis, qui privatam personam gerunt nec cum imperio publico sunt. Ubi non licent pro tpolio habentur, idcirco restitutio pignorationi ablatorum statim injungitur. (4) Quod secus est in casibus quando licent, inter quos ea referenda est species, quæ cum alicujus collegii seu mercaturæ, & opificii propria reddita sunt, alius sibi sumit. (5) Ad cujus arrogantiam coercendam & jus collegii intactum servandum pignorationis usus receptus est. (6) Quod si dubitatio de illa exercita existit, siquidem in tali casu, ubi pignorationem fieri moris est versamur, (7) tunc audiendus est, qui hanc justam docere offert. Uti admissa est ea allegatio restitutionem in integrum petentium *in causa der Kramer-Compagnie zu Stade contra Heinrich Vicken die 14. Januarii Anno 1659.*

1. *l. fin. C. de Jurisd.* ubi præceptio & alia quæ gubernationis sunt collegiis indulgetur.

2. Pignorum captio per Jus commune est species coercitionis seu compulsionis ad justa. Quando autem collegiis in causis ad se pertinentibus competit coercendi facultas *Matth. Stephan. de Jurisdict. lib. 2. part. 2. cap. 8. n. 12.* utique etiam permittenda est pignoratio. *arg. l. fin. ff. de offic. ejus cui mand. est jurisdict.*

3. In his quæ ad Collegium spectant ante omnia considerandum est, quod more seu usu antiquo receptum *l. fin. ibi Bartol. ff. de Colleg.*

4. *Vid.*

Digitized by Google

4. *Vid. Gail. inter. de pignor. observat.* 1. juxta regulam vulgatam quod spoliatus ante omnia est restituendus.

5. Quæ semel collegiorum propria reddita sunt defendere ut sua nec minus ut à rebus sic etiam à juribus suis appropriatis alios abarcere licet.

6. Ita mos invaluit coercendi sibi sumentes quæ opificii sunt, cum non sunt de collegio quod vulgo Bönhasen stören vocatur.

7. Secus se res habet, ubi tali ex causa vel tali modo fit pignoratio, ut regulariter fieri non debet; tunc cum mandatis sine clausula ut rem plane illicitam coerceri, ex constitutionibus Imperii notum est. Unde, quoties de ista re est, accuratius inspiciendum atque discernendum est, quali sit specie, in qua ad illam deveniatur. Tria hæc adesse debent; Primo ut cujus gratia intenditur pignoratio, sit de juribus collegii privative seu cum potestate alios excludendi &. prohibendi: Secundo ut non sit adempta per legem civitatis, in ea specie facultas sibimet in civitate illa jus dicendi. Tertio ut factum ex lege, more, vel ratione meteatur eam executionem. Sub specie juris sæpe ab illo hominum genere exceditur.

Juxta hæc sic pronunciatum.

In Sachen Meister und Geschwornen deß Krämer-Amts zu Stade Appellanten jetzo Imploranten wider Heinrich Vicken Appellaten jetzo Imploraten in puncto beschuldigten Verbrechens wider das Ampts-Buch wird erkandt: Daß auff abgestatteten Eyd nach Einhalt der Ordnung/ massen dazu proxima angesetzet/ Imploranten mit der imploration pro restitutione so weit zu hören/ als sie vorgebracht/ und ferner beweisen mögen/ daß Implorat an denen/ dem Krämer-Amt zugehörigen Waaren bey Ellen außgeschnitten und verkauffet/ was er in seinem eigenen Hause nicht spinnen/ weben und bearbeiten lassen/ inmassen nach abgestattetem Eyde deßwegen ferner ergehet was gebühret/ Immittelst wird ihnen Copia der desiderirten Acten erkandt. Von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Magistrorum & juratorum officii Mercatorum in Staden appellantium, modò implorantium, contra Henricum Vicken appellatum modò imploratum, in puncto insimulatæ contraventionis, contra librum officii decernimus quod ad præstitum juramentum vigore ordinationis in quem finem proxima præfigitur, implorantes cum sua imploratione pro restitutione in tantum audiendi prout exhibita & ulterius probare possent, quod imploratus merces similes iis quæ ad officium Mercatorum spectant ulnis exsciderit & vendiderit quas in sua propria domo nere, texere, vel elaborare non fecerit, prout post præstitum juramentum propterea ulterius fiet quod convenit. Interea ipsis copia desideratorum actorum, decernitur. Idque de jure.

DECISIO II.

Collegii ex magistratu membrum nihil ultra juris aut potestatis qua collegialia habet quam alius quisquam collega.

Collegæ ex societatis contractu velut fratres sunt, (1) inter quos ut tales non est ordo aut prærogativa, nisi quem lex vel mos collegii constituit, sicut ex eo seniores quandam præcellentiam & potestatem præ aliis habere solent. (2) Hi cives tamen in actibus collegii potiores sunt cæteris, utut in magistratu constitutis; & hi licet aliis honore & potestate in civitate præcellant, tamen qua collegialia nihil amplius juris habent atque cæteri collegæ, nec jure magistratus in eos quidquam circa ista potestatis habent. (3) Duplicem personam sustinent, qua utramque diversum respectum habent, instar duplicis personæ diversæ habentur, nec aliter censentur. (4) Et licet in utraque concurrunt diversa, tamen ideo in actibus singulorum non fit confusio, sed in singulis manet cuique distinctim quod ipsorum proprium. (5) Uti consideratum *in causa Bartold Hintzen & consortes contra Burgermeister Hinrich Hintzen & consortes die* 15. *Aprilis Anno* 1659.

1. Jus collegii ut societatis habet in se jus quoddam fraternitatis *l. verum* 63. *pr. ff. pro Soc.*

2. Hic mos collegiorum habere seniores vel directores quibus committitur directio & cura præcipua negotiorum collegialium *l.* 1. §. 2. *ff. quod cujusque univers. l. fin. ibi Vulej. Cod. de jurisdict.*

3. Præcellentia potestatis ex officio sequitur officii limites extra quos non habet respectum, *arg. l. fin. ff. de Jurisd.* Honor quidem & reverentia ubique etiam inter collegialia magistratum gerentibus debetur, sed non obsequium nisi quatenus & in illa potestas competit.

4. *l. tutorem* 22. *ff. de his quib. ut indign. l. cum quadam* 26. *C. de Admin. tutor.*

5. Ne promiscuis actibus turbentur officia *contra l. consulta* 23. *C. de Testam.*

DECISIO III.

Statutum vel consuetudo, ut sine venia magistratus non exerceatur in civitate ars vel mercimonium, valet, at non abuti decet ad improba.

Libera licet sint per gentium jus mercimonia atque artes, nec cuiquam interdici debeant, tamen nihil obstat, ex ea libertate, quin existant sub cura atque inspectione magistratuum, (1) quo nec ab aliis

Digitized by Google

aliis assumantur atque qui idonei sint, nec alio ac quo congruum est modo, (2) nec cum aliquo civitatis incommodo. (3) Ut itaque ex statutis & moribus regulam accipiunt, ita etiam introduci potest, ut in civitate nemo exerceat, nisi ex indultu magistratus speciali, eumque ante exercitium petere necesse sit. (4) Quod tamen haud liberum est, ut pro lubitu & ex mera gratia fiat admissio vel exclusio, (5) nec eo abuti oportet vel ad introducendum monopolium, cujus licentiam dare nulli magistratui competit, (6) vel ad gratificandum uni præ altero, quod debito æqualis curæ in subditos adversatur, (7) vel denique sine rationabili causa, qua sine quod libertatis est negari nemini debet. (8) Ubi alterum ex his occurrit, tanquam contra abusum officii, mandatum sine clausula juste decernitur, de admittendo ad artem atque mercimonium, cujus excludendi justa non est ratio. (9) *Sicut conclusum in causa Anthonii Eberds contra Consules & Senatum Civitatis Buxtehuda die 28. Junii Anno* 1659.

1. His regimen Politicæ societatis datum tribuit moderamen politiæ, cujus non postrema pars est ut mercimonia ac opificia rite procedant & exerceantur, ut Politici omnes in hoc consentiunt.

2. Reipubl. interest, ut mercatura & artes exerceantur per idoneos. Inepti per has se perdunt & alios.

3. Habent mercimonia & opificia ubique suas leges publicas, queis præjudicium non fierr ad jus & usum publicum pertinet. *l fin. ff. de colleg. & corpor.*

4. Subsunt civitati, & ad ejus commoda quicquid eorum est dirigi debet, ideo ab his alienum non concedendum, aut invalidum est *d. l. fin. C. de colleg. ib. gloss. & Bartol.*

5. Præsuppositâ ea cura & inspectione, ut non nisi idoneis eveniat licentia, consequens est, ut non sumatur, nisi publico indultu. *l. 2. ff. de jurisdict.*

6. *l. un. C. de Monopol.*

7. Magistratus parentis instar habet, & ut hic liberorum, ita ille civium æqualem curam gerere debet.

8. Est cujusque in ea quæ libertatis sunt fundata intentio, quæ non debet impediri, nisi ubi justa est causa *Bartol. in l. cum Prætor 12. ff. de justit.*

9. Libertas naturalis, quæ non reperitur amissa, mandatis sine clausula defenditur, quia sine causa auferre est ipso jure prohibitum.

DECISIO IV.

De causis quibusdam excludendi à mercimonio & arte non prohibilibus.

CUm admissio ad coctionem aceti negabatur petenti, & quæ solita erant offerenti, quadruplex potissimum causa opposita, cur non posset impetrari concessio. Prima, quod petens id artificium non didicerat. Secunda, quod alius istius artis peritus jam adesset, nec alteri eâdem concessâ utrique semet alendi copia foret. Tertia, quod lites ex communicato eo exercitio metuerentur. Quarta, quod petens debitum honorem post litem motam Senatui non exhibuit. Ut vero non quævis causæ sufficiunt ad excludendum à victu, arte atque mercimonio civem, sed graves esse debent; ita recensitas tales cessare non licuit. Circa primam multum interest, inter artificia, quæ scientiam singularem ex doctrina requirunt, non nisi personis artificum & cum periculo aliorum exercentur, adeoque probatam personæ industriam exigunt: (1) atque ea quæ facilè noscuntur, & coluntur, per substitutos exerceri solent & queunt, non desiderata personali functione, (2) quomodo ex moribus civitatum braxatores cerevisiæ fiunt, qui nec didicerunt, nec ipsi coquunt, saltem aliorum ministeriis utuntur. (3) Cujus generis cum sit etiam aceti confectio, non est gravius abiis, qui ei se dedere velint, exigendum, præsertim ubi facile discitur & noscitur, (4) & qui nondum exercuit cito experiri poterit, alias vero peritis ministeriis uti. In quo cum nemini nisi ipsius sit periculum & damnum, non est tentaturo obsistendum. (5) Altera studet lucro unius, cum potior sit ratio multorum, atque civitatis interfit non unum & alterum saltem, sed plures idem mercaturæ aut opificii genus exercere: (6) Nulla est in eo injuria hactenus exercentis, cui jus adeo non est proprium, quin & alteri exercere queat. (7) Qui suo jure seu communi libertate utens, nemini facit injuriam. Non est quoddam magistratus in eo debitum, ut uni civium soli de victu opulento prospiciat, nec potestas, ut quo uni copia sit, alios excludat; sed hoc est diligentiæ singulorum civium, multo magis vero imperantis officium (8) est studere, ut civitatem civibus & mercimoniis augeat, ad hæc plures invitet, illis ex ipso numero latius victum quærendi incitamenta addat. Ex inopia singulorum occasio & media incipiunt copiæ omnium. Multitudo civium est opum augmentum, dum quisque sibi victum quærendo aliis eundem parat. Tertio, lites amputare, non ob illorum metum utilia impedire convenit. Ad illas præpediendas bonæ leges atque ordinationes proficiunt. Quod quarto de non exhibito honore adjectum fuit, præterquam quod ex actis non appareret, tanti non est, ut ideo à victus facultate

suppli-

Digitized by Google

supplicans excludi debeat; quæ pœna nimis severa foret, sed magistratus pro merito pœnam infliget. Quocirca his causis non attentis judicatum fuit, publicandam esse paritoriam sententiam *in eadem causa.*

1. Diversa horum conditio & ratio diversum jus facit, sicut ubi eadem, idem jus esse oportet. *l. 33. ff. ad L. Aquil.*

2. Supervacuis rebus nemo est onerandus. *l. hac stipulatio 15. §. 1. ff. ut leg. seu fidei serv.*

3. In his quæ industriam personæ singularem non requirunt, idem est, ipse quis faciat, an per alium. Facit ipse qui alieno utitur ministerio, *l. ita autem 5. §. quod quis 3. ff. de admin. tut.*

4. Sicut de eo casu traditur ubi non interest ipse an alius faciat. *in l. quærendum 31. ff. de acq. possess.*

5. *l. un. C. de Monopol.*

6. Quæ libertatis naturalis vel civilis sunt, earum facultatem unusquisque habet, cui lex publica non obsistit *l. 4. ibid. Dd. ff. de stat. hom.*

7. Imperans debet imperium hominum adjectione potius quam pecuniarum copia augere. *l. cum ratio 7. §. si plures. 3. ff. de Bon. damn.*

8. Ita fere in civitatibus fit, ut ad excludendum è victu facile properetur, quo tamen post vitæ famæque amissionem durius supplicium non est. Ideo ut iniqua est huc tendens arrogatio, sic refrænanda.

DECISIO V.

Seniores Collegii ipsi Collegio cæterisque Collegis transigendo vel appellationi renunciando nil nocent.

POst appellationem à Senioribus Collegii hujus nomine interpositam, Senatus civitatis cum iis egit, ut ab ista desisterent oblata gravaminis, cujus causa interposita erat, abolitione, & cum in propositionem sibi factam consensissent, iste cæteris Collegis, Seniorum placito reluctantibus, & actionum editionem urgentibus, tum acta cum Senioribus, tum sublatum, cujus causa appellabatur, objiciebant, & hæc eadem arctioribus compulsorialibus regerebant. Duplex inde consideratio pro decisione occurrebat. Prima concernebat illam quæstionem, an & quatenus Seniores Collegii transigendo, vel appellationi renunciando Collegium, vel Collegas cæteros adstringere possint. De quo ita statuimus: Seniores esse tantum administratores & curatores negotiorum collegialium, qui ea, qua par est, diligentia atque sollicitudine ista curare & gerere debent, ut diligentibus curatoribus convenit. (1) Quorum etiam non amplior potestas esse potest, quam Curatorum & Procuratorum, quibus in jure comparantur, (2) Quomodo autem curatores minorum (3) ut & Procuratores (4) super negotiis suæ administrationis transigere nequeunt, ita etiam Collegii Senioribus idem non permittendum. Minus licet Collegii Senioribus quam civitatum Magistratibus, queis non est tanta potestas, (5) Id quidem juri convenit, quod nomine Collegii paciscí possunt, & eorum pacta cæteris Collegis non prosunt modò, sed etiam nocent, (6) attamen ad illa hoc pertinet, quæ sunt ipsorum curæ atque potestati concredita, (7) inter quæ non habetur litis remissio, (8) præsertim talis, quæ libertatem, honorem atque prærogativam collegii, ejusque membrorum concernit. (9) Accedebat in hac causa, quod à collegis objiciebatur, Seniorum plane separatam esse rationem utpote qui in possessione illorum, quæ tamen illis non præcipua, sed peræque omnibus Collegiis competant, nunc confirmentur. ex qua hi dejiciantur, ita quoad illos placitum valde ambitiosum, (10) qua semet injustum & cum maximo præjudicio conjunctum sit. (11) Quare nisi ex altera consideratione accessisset, quod simul ista diluisset, non potuisset non Collegatum cæterorum dissensus & contradictio prævalere. (12) *In causa der Kramer in Wismar wider Burgermeister und Rath daselbst die 8. Januarii Anno* 1660.

1. Potestatem illorum determinat præpositionis Lex *l. 1 §. igitur 12. ff. de Exercit. act.* hæc est in officio, officium Seniorum collegii tantum est in cura.

2. Comparationem hanc & argumentum mutuum observes ex conjunctione *l. 12. l. 13. 14. 15. ff. de Pact.* ubi qua potestatem æquiparantur.

3. *l. 46. §. ult. ff. de Administr. Tut.*

4. *l. mandato 60. ff. de Procuratorib. l. 7. C. de Transaction.*

5. *l. Præses 12. C. de transact.*

6. *d. idem Magistri 14. ff. de pact.*

7. Ita legem hanc omnes accipiunt & declarant, ut pactis collegia & collegas obligandi potestas consistere debeat intra ea, quæ sunt officii Magistri societatis: Modus officii modum dat potestati obligandi & effectui obligationis. *d. l. 1. §. igitur 12. ff. de Exercit. Action.*

8. Hæc donationis vel alienationis instar habet & excedit potestatem aliena gerentium. *l. 1. §. 1. ff. de offic. Procur. Cæsar.*

9. Talia non subsunt arbitrio Seniorum collegii, imo ad officium eorum pertinet talia exacte servare & fideliter conservare.

10. Ideo nullum & injustum. *d. l. præses 12. C. de Transact. l. ambitiosa 6. ff. de decret. ab ord. fac.*

11. Non debet alteri per alterum, nedum per curatorem suum iniqua conditio inferri. *l. non debet 73. ff. de R. I.*

12. In communibus potior est causa prohibentis, *l. Sabinus 28. ff. communi. div.*

Digitized by Google

DECISIO VI.

Jus collegium concedendi Magistratibus civitatum quidem competit, at non absolutum, sed superiori arbitrio subjectum, per quod ex rationabili causa concessioni resistitur.

QUi collegii jus nondum impetraverant, de eo tamen cum senatu urbano egerant, cum certis ejus legibus jam in scripturam redactis & tractatu super eo adhuc pendente alius quæ collegii ejusdem esse debebant, sibi sumebat, contradixerunt, inhibitionem à Magistratu impetrarunt, & velut ex collegii jure post appellationem interpositam se appellanti opponebant. Inanis autem erat oppositio ex jure nondum acquisito, utut ipsem acquirendi proximam, & in sua desideria proclivem magistratus voluntatem ostendebant. Nec dubium erat ex hac collegium inde facultatem alios extra illud negotiationem exercentes excludendi adepturos. Quod vel ex inhibitione & subsecuta pignoratione colligendum, sed nondum attendum erat, quia præsens ad agendum jus est necessarium, nec aptum quod adhuc ex eventu futuro dependet. (1) Multa accidere possunt ut & quod proxime est fieri, non fiat. De eo major erat dubitatio, an cum vellet illud jus Magistratus tribuere, ejus voluntati ea res relinquenda esset? Ex quo vis ejus quod in hac causa judicabitur dependebit. Etsi enim pro appellante pronunciaretur, tamen si deinde jus collegii duret, inane foret, & per consequentiam judicatum tolleretur. Unde si ita fieri posset, melius non pronunciare, sed causam ad Senatum remittere, quam modici temporis licentiam appellanti facere, cum Senatus statim concessione collegii aboleat. In dubitationem circa hæc venit, primo, utrum Magistratui sit potestas concedendi in civitate collegium? quam inter Regalia eaque majora quidam referunt. At sine lege & ratione. Per illam, jus Magistratus est & pars non postrema politicæ ordinationis, quæ Magistratibus civitatum etiam inferiorum concredita. (2) Ex hac oportet jus illud relinquere iis, qui propius meliusque sciunt quid civitati conducat, & queis alias Reipubl. cura incumbit. Habet ita praxis civitatum in Germania. Nullibi non per Magistratus, collegia, cum expedit, concedunt. At ut omnia civitatis, sic & jus collegii exercendi sub inspectione atque directione superiore est. Penes quem, cum an Collegium institui expediat, quæstio oritur, decisio esse debet, cui consequens, ut si civitati aut civibus noxium reperiet institutioni possit resistere & propositum de instituendo prohibere. (3) Noxia Reipubl. collegia non sunt toleranda, nec tantum cum incipient prohibenda, sed & cum invaluerunt, tollenda. (4) Cedit quicquid collegii est Rejpubl. commodis, nec quicquam istius esse debet, quod huic noceat. Postquam itaq; diligenter expensis omnibus rei circumstantiis visum fuit, non modo non proficuum, sed & incommodum fore, si collegium contingat iis, qui hactenus non habuerunt, utique conclusum fuit illud non esse permittendum *in causa Berend von Kampen, contra die Gewandschneider in Wismar, die 23. Junii Anno 1660.*

1. *l. non quemadmodum 35. ff. de judic. Gomez. Leon. decis. 68. num. 5.*

2. *vid. quæ scripsi in Comment. jur. Lubec. ad art. 3. tit. 13. lib. 4. num. 5. 6. & seq.*

3. Cui non competit jam ordinandi collegia, ei etiam nec jus prohibendi & abrogandi ea competere potest, cum contrariorum eadem sit ratio.

4. Ad officium Magistratus pertinet prohibere ea, quæ Reip. damno & nocumento esse possunt.

DECISIO VII.

Typographus Collegii ejusque ministri ejusdem immunitatibus fruitur.

AMandato, per quod Pædagogii Stetinensis Typographus in ea quam habuerat immunitate defendebatur, appellatione interposita, fundata hujus putabatur intentio, quod quæ collegio ejusque membris competit immunitas, Typographo non est deneganda, (1) utpote qui necessarius est minister collegii quod liberalibus studiis operatur, ideo etiam eorum privilegiis, qui studia colunt, gaudet. (2) Nec modo Typographum, sed & qui Typographiæ ministrant *die Buchdrucker-Gesellen*, immunitate eadem gaudere existimatum est. Etsi enim uxorati sunt & propriis ædes inhabitant, tamen de familia ej' habentur, cui operas, ut ministri, præstant. (3) Est quoque eadem immunitatis in iis ratio; & quæ conditio tum personæ tum functionis Typographum eximit, in iisdem est, (4) sine quibus ille non poterit collegio, quæ debet, præstare. (5) utut vero in iis Typographus ejusque minister fundatam habeat intentionem, cum tamen Senatus urbanus opponeret cur usus ejus immunitatis non esset concedendus, tum ex aliqua transactione etiam cum Celsiss. Pomeraniæ Duce super exemptionibus privilegiatorum inita, tum ex consuetudine antiqua, tum ex jure ædium, quæ sub

juris-

Digitized by Google

jurisdictione urbana erant, eaque omnia altioris indaginis, si vera, exceptionem facere possent, ad ulteriorem discussionem admissa sunt die 23. Junii Anno 1660.

1. *Coth. resp. Acad.* 40. *num.* 12. & 29.

2. Immunitates & privilegia collegiis concessa etiam illorum ministris, quorum opera necessario utuntur, competere, alibi inter decisiones nostras demonstratum est.

3. Familia privilegiati eodem quo Pater familias jure & immunitate utitur *Cothm. de resp.* 40. *n.* 7.

4. Similis ratio simile jus facit.

5. Necessariis ad opificium personis eadem quæ opificio proficiunt concedenda sunt.

DECISIO VIII.

Ministri Typographi eodem cum hoc immunitate fruuntur.

QUando Typographus ob artem & officia quæ præstat ex lege aut consuetudine à personalibus muneribus exemptus est, eodem jure fruitur qui Typographiæ necessario ministrat, juxta regulam, quod privilegia dominis concessa etiam ad famulos pertinent. (1) Quocirca cum de ministri Typographi Pædagogii Stetinensis debito qua excubias urbicas disputatum fuit pro ejus immunitate ex jure Typographiæ istius Pædagogio addictæ pronunciatum est die 7. Julii Anno 1660.

1. Exemptio domino competens ad omnem ejus familiam & ministros pertinet, sine quibus agere nequit *Gail. de Pac. publ. cap.* 6. *num.* 21. *Wesenbec. consil.* 50. *num.* 22.

DECISIO IX.

Qui opificio ministrat ex eo quod uxoratus est, oneribus non fit obnoxius.

QUi non est civis aut incola sed apud opificem commoratur & servit ut minister artis *als ein Geselle*, non est obnoxius oneribus civium, (1) nec enim domicilii contrahendi, sed tantum ministerii causa in ædibus alienis commoratur. (2) Non subjugat illum connubium. Haud enim hoc ex se est modus consequendi jus civitatis, si non accedit intentio perpetuo in civitate commorandi atq; commodis civicis fruendi. (3) Quomodo talem ad assumendum jus civitatis *das Burger-Recht zu gewinnen* adigere non licet, (4) ita nec invitum trahere ad onera. Non aliter ideoque ad ista compellendus est; nisi in casu extremæ necessitatis obsessa ab hoste urbe, ubi etiam tales ad defensionem urbis tenentur atque adigendi sunt. (5) *In eadem causa.*

1. Nexus ad onera oritur ex obligatione qua quis civitati devinctus est, tanquam membrum corporis seu pars cœtus civilis.

2. Hoc expositum generaliter de iis qui servitii alicujus causa in loco commorantur per *Cothman. respons.* 21. *num.* 94. & *mult. seq. vol.* 1. quod ad tales qui artibus vel opificiis aliorum serviunt se applicare sinit.

3. Ex animo & causa commorationis in loco statuitur de contractu domicilii *l.* 2. C. *de incol. lib. Joh. de Platea & Dd.*

4. Contra eos qui domicilii contrahendi gratia in civitate commorantur coactio illa justa est *vid. scripta in Comment. ad jus Lubecens. articul.* 2. *tit.* 2. *lib.* 1.

5. Tempore necessitatis nemo immunis est à defensione loci in quo moratur, nec tantum advenæ sed & hospites, dum loci tutela fruuntur etiam pro ea vigilare & præstare debent.

DECISIO X.

Privilegio pro se & liberis concesso frui etiam potest horum causa extraneus & quomodo.

SUtor privilegium olim à Principe impetraverat super facultate opificii extra collegium *die Freymeisterschafft* pro se & liberis suis. Quando autem his plerisque impuberibus mortuis extraneus se offerebat & permissionem ejus privilegii rogabat, oblata hac conditione, quod unam liberorum in conjugem ducere, cæteros donec suo victui quærendo sufficerent, alere vellet, quæsitum est, utrum per viam juris ex ea causa quod petebat impetrare deberet? Etsi descendimus in illam sententiam, quod non patri modo sed & liberis privilegium erat concessum ideo etiam illud indulgendum, ut eo frui posset, juxtimq; ut eo modo quæ ejus utilitas istis contingeret. (1) Quod cum alio modo fieri non poterat quam per matrimonium unius & sustentationem cæterorum, utique concedere æquum visum, tanto magis, quod alias liberis privilegium sine effectu foret. (2) *Ad preces Hans Pretzman die* 4. *Sept. Anno* 1660.

1. Hujusmodi extensio non est contra intentionem ejus, qui privilegium dedit, ideoque nec illicita *Enenc. Baro. de privil. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 4. *seq.*

2. Quoties is cui datum est privilegium non potest illo frui nisi ad alios quoque illius vis extendatur, toties privilegium quoque ad alios pertinet. Qui enim finem vult, etiam media ad finem ducentia velle debet.

DECISIO XI.

Cum qui supersunt in collegio opificum non sufficiunt iis operis quas civium usus requirit, extra illud aliis ejus exercitium juste permittitur.

COllegium opificum *der Raschmacher* in quo olim plus quam triginta fue-

Digitized by Google

rant, postea ad quinque fere in civitate devenerat, eosque propria confessione adeo inopes, ut non sufficerent iis laboribus & impendiis, queis ad exercitium opificii opus erat. Accidit autem ut fœmina vidua opificis sed & alii extra collegium marito nupta idem reinchoare, atque materiam operandi iis qui opificio ministrabant *dem vveben, spinnen, kammen*, sed non habebant unde victum quærerent, ideo alio migrare cogebantur, præbere vellet, at contradictiones à reliquiis collegii paterentur. Videbatur initio his suffragari jus collegii, quod etiam in uno nedum in quinque remanet & conservatur, (1) atque facultatem cæteros qui non sunt de collegio ab exercitio artis suæ excludendi præbet, (2) præsertim eos qui artem non didicerunt, uti ea qualitas in collegiis requiritur. (3) Alia etiam erant in rotulo istorum opificum *in der Ampts-Rolle* quæ receptioni obstabant. Verum re rectius pensitata concluſum est, illis non obstantibus fœminæ exercitium aut potius instructionem illius opificii permitti debere cum ei sufficere posset. Fuit enim id olim in civitate liberum antequam collegio includeretur & tantum his qui de isto sunt tribueretur. (4) Tributum autem jus collegii fuit sub certis conditionibus & qualitatibus quæ in prætacto rotulo habentur quare sic accipiendum si in eo qui ibi describitur & formatur opificii statu res remanerent. (5) Iis vero mutatis non potuit non opificii facultas recidere in pristinum statum, nec integrum esse his qui sunt in collegio aliis resistere, dum id quod collegii est non possunt exhibere & præstare. (6) Præterea collegii jura sic accipienda sunt, ne reipubl. vel communitati noceant. Irrita sunt aut fiunt quatenus in publicum detrimentum devergunt. (7) Nec dubitandum fuit publicè privatimque pernicioſum esse, si dum collegium id cujus causa jura peculiaria acceperat, præstare non poterat, nec pro usu civitatis aut civium alii id supplere permitterentur. Maxime cum multis civibus & operariis caritura esset civitas, & ii mercedis dum pro operis compotes fieri nequeunt exulare & patrios lares deserere cogerentur. Quod privatim tam miserabile quam publicè noxium & ad civitatis infamiam pertinens. Magis tribuendum est Reipubl. usibus quam collegiorum commodis, quæ illius intuitu tantum privata sunt. Inest porro etiam collegiorum privilegiis ea conditio, ut dum alios, qui non sunt corporis sui, ab opificiis exclusos volunt, illi vicissim civitati & civibus suis operis tantum præstent, quantum sufficit, ut aliunde ejus opera petere opus non habeant. Quo si ob paucitatem vel inopiam præsentium potiri non licet, omnino concedendum ut alios assumant potius quam foras necessaria quærant, imo aliquos cives foras ejiciant. Non obstat collegii duratio, quæ non negatur nec tollenda, quin potius exhortandi qui præsentes sunt, ut illud ad florem reducere satagent, at efficire nequit ut eam vim modicæ reliquiæ habeant qua usum est integrum & florentissimum. In eo ubi cessat ratio ob quam collegium eo jure uti potuit, in hoc ipsum jus cessare oportet, donec illa redeat vel redintegretur. Etsi vero concessionem supplicans impetravit, ita tamen limitata est ut non duraret ultra præsentem collegii statum qui isti causam dedit: Quod in melius mutato & in pristinam conditionem restituto etiam istam desinere debere adjectum fuit *ad supplicationem Thomæ Lusskapen uxoris Annen Segebaden die 21. Novemb. Anno 1662.*

1. Tres facere collegium, unum conservare JCtus scribit in *l. 7. ff. quod cujusque univers.*

2. Collegii opificum hoc commune jus est, ut aliis extra illud non sit licentia opificii nisi ejus concessio à magistratu reservata & impetrata sit.

3. Artificium tantum est opificii jus hoc est qui opificium didicerunt & paratæ artis ususque testimonium proferunt.

4. Mercimonia & opificia gentium jure libera sunt & nemini præclusa nisi quatenus lex vel mos civitatis restringit.

5. Inest omnibus concessionibus tacite ea clausula rebus in eodem statu manentibus.

6. Qui non præstant quod debent, exigere nequeunt quod petunt.

7. Omnia privilegia & jura singulorum eousque tantum valent quousque reipubl. non nocent. Quatenus in hujus incommodum vergunt vires perdunt sicut iniqua fiunt.

DECISIO XII.

Filii parentis à collegio excluſi, hujus juribus non eo minus fruuntur.

PArentis à collegio per decretum ejus à Senatu confirmato excluſi liberis postea etiam resistebatur, ut non gauderent collegii juribus, quibus alias liberi fruuntur. Ubi de injuria querebantur & promotoriales rogabant, quæsitum fuit an justa esset querela & ideo rejectis succurrendum? Existimatum est mereri eos auxilium, nec juste denegare iis beneficia collegii ob parentis delictum & ideo factam excluſionem cum nati essent antequam pater excluderetur. (1) Quando enim per statuta & mores collegii hoc introductum est, ut liberi eorum qui membra

Digitized by Google

bra istius redditi sunt, illius juribus atque privilegiis gaudeant, fiunt hæc ipsorum jus peculiare, (2) quod alterius delicto ipsis auferri non potest, (3) uti nec pœna, (4) quam ob maleficia parentum liberi luere minime debent, (5) Etsi enim per parentes ad liberos ista derivantur, ideo nisi illi legitime acquisiverint ad hos non deveniunt, tamen postquam semel devenerunt, illorum propria facta non magis delicto quam morte parentum perduntur. (6) Sicut manent talium, utut à collegio ejectorum, liberi & ita censentur, (7) sic etiam eodem jure uti debent. (8) Longe alia est ratio eorum, quæ liberi non capiunt per parentes, nisi ex successione, in quibus succedere non possunt, nisi cum parentes habent tempore mortis, (9) & eorum quæ per illos statim capiunt ex genitura vel aliunde, (10) in quibus tempus conceptionis consideratur, (11) & quod tunc parentum ita fuit, ut liberis competere debeat statim cum nascuntur, proprium habent. Non dubitatum itaque fuit promotoriales decernere.

1. Hi ideo à juribus collegii dissortes sunt, non quia amittunt, sed quia non acquirunt, dum nunquam sunt vel fiunt collegiatorum liberi.

2. Nec enim parentibus solum, sed etiam liberis concessa sunt, & hi, etsi per & propter illos, non tamen ab illis, sed à collegio capiunt.

3. Delictum unius alteri nocere non debet.

4. Pœna suos tantum tenet autores.

5. *l. 2. §. nullam ff. de Decur. l. crimen ff. de pœn. l. quoties ff. de noxal. act.*

6. *l. si arrogator ff. de adopt. l. fin. ff. si quid in fraud. patron.*

7. *juxta text. in l. emancipatus §. 1. ff. de Senator.*

8. Non debet esse inane & illusorium id nomen, quod habent atque retinent, sed cum effectu est accipiendum.

9. Similis Cyni est distinctio *in l 2. de libert. & eor. lib.* an liberi capiant aliquid, ut liberi seu quia nati, an ut hæredes, quia succedunt. Exemplum cape ex feudis & similibus quæ vivo patre non habentur, sed demum post mortem ex successione acquiruntur, *cap. 1. vers. filius tamen ad id nullatenus aspirabit, si Vasall. feud. priv. cap. 1. §. si vasallus si defend. defunct. controv. Hartm. Pistor. part. 2. q. 16. num. 8.*

10. *l. cum qui ff. de interdict. & relegat.* in his filius ex suo jure agere, imo & contra factum patris venire potest, *l. Seja ff. de evict. l. fin. C. eod. l. venditrici. C. de reb. alien. non alienand.*

11. *d. l. emancipatus §. 1. de Senator.*

DECISIO XIII.

In corpore membrum per cætera membra non obligatur, ubi ei deest aut potestas collegii aut utilitas negocii communis.

APpellatione ob condemnationem civitatis ex contractu aliorum provinciæ Ordinum interposita pro decernendis processibus considerandum fuit, an & qualis esset ejus obligatio, (1) utrum iste ut commembrum sine voluntate sua obligare valeat? Hoc fit in universitate seu corpore aliquo aut jure collegii, dum major pars obligat minorem, (2) aut æquitate communis commodi, (3) dum unde quis emolumentum cœpit, inde & onus sustinere debet. (4) Neutra debendi causa in præsenti specie reperta fuit. Nam per collegii potestatem, ut qui sunt, de eo obligentur, oportet aut contrahentibus eam facultatem dedisse, (5) aut qui sunt de corpore ad actum esse vocatos. (6) Ex utilitate autem ubi prætenditur debitum, illam oportet ostendere, antequam ex eo condemnatio fiet. (7) Nihil tale repertum est. Ex donatione ortum habuit ille contractus, cujus potestatem ordines Provinciæ nunquam impetraverunt, qui pro ea facienda debitum contraxerunt. (8) Contractum vero hoc insciis appellantibus, qui dicunt ad se suosque inde nihil utilitatis redundasse. *In causa Senatus Verdensis contra Rittmeister Eberhard von der Lieth, die 24. April. Anno 1655.*

1. Obligatio mater actionis est, *l. 42. ff. de Procurat.*

2. Quæ à pluribus ut universis peraguntur, seu in actibus universitatis quod major pars fecit, perinde est ac si omnes fecissent, *l. quod major 19. ff. ad Municipal. l. nominationum 45. C. de Decurion. c. 1. de his quæ fiunt à maj.*

3. Bonæ fidei hoc congruit, ne de alieno quis lucrum sentiat, *l. idemque 10. §. si procurator. 3. ff. mandat.* Et ubi alicujus interest, etiam alterius inviti conditionem meliorem reddere licet, *l. solvendo 39. ff. de negoc. gest.*

4. Non est referendus qui commodum amplectitur, onus ferre recusat, *l. un. §. pro secundo C. de Caduc. tollend.*

5. Ex ea facultate alteri data oritur obligatio. Sunt ii instar procuratorum, qui alieno mandato negocia gerunt, *l 1. ff. de Procurator.*

6. Ut obliget major pars collegii minorem, oportet omnes vocatos esse ad actum obligatorium, *l 2. ib. Bartol. C. de Decurion. Angelus in l. hæres §. peto ff. ad* SC. *Trebell.*

7. Est enim fundamentum intentionis, nec præsumitur, ideo alias per curatores rerum universitatis versio in rem probari debet, *l. civitas 27. ff. de reb. credit.*

8. Non habent qui generales procuratores alienandi potestatem, *l. procurator 63. ff. de Procurat.* nedum donandi.

DECISIO XIV.

Statutum Collegii opificum ex confirmatione magistratus urbani in aliorum præjudicium valet.

APpellantium intentio cum fundata erat in statuto collegii, quod à ven-

Digitized by Google

ditione mercium particulari ad ulnam *bey der Ellen* excludebat etiam eos, qui ipsemet manu sua telas confeciſſent, in dubium incidebat utrum illud valeret? Etsi enim collegiis mercatorum & opificum potestas statuta condendi conceditur, (1) eam tamen extendere non possunt tum ad sanciendum sibi monopolium, (2) tum ad præjudicium & incommodum aliorum, qui sunt extra collegium. (3) Prævaluisset etiam contra appellationem hæc consideratio, nisi accessisset confirmatio magistratus. Quemadmodum per hunc ex rationabili causâ species quædam monopolii induci & etiam cum aliorum civium alio incommodo collegio quidquam indulgeri potest; (4) ita ex ejusdem consensu & confirmatione tale quidquam collegium justè obtinebit. (5) Nec requiritur in hoc assensus & confirmatio supremi magistratus seu principis, sed sufficit immediati seu magistratus urbani, (6) si jurisdictionem & jus statuendi habet. (7) Sicut hoc consideratum *in causa Meister und Geschvvorne des Kramer-Ampts zu Stade contra Heinrich Vicken, die 25. Septembr. Anno* 1655.

1. *l. receptitia 2. §. ult. sub fin. C. de Constit. Pecun. Novell. 4. c. 3. §. ult. in fin. Jason. in l. omnes populi num. 37. Bald. ib. num 32. ff. de Justit. & Jur. Moller. lib. 2. Semestr. cap. 15. num. 1. & seq. Fr. Marci decis. 165. n. 1 & seq.*

2. *l. un. c. de Monopol. ib. Sichard. Bartol. in l. ult. num. 2. de Colleg. illic.*

3. Quisque sibi legem dicere potest non aliis. Ideo quatenus aliis nocent collegiorum statuta sunt invalida *Bald. Consil. 43. num 1. lib. 4.*

4. Ex justa ratione pro utilitate publica vel singulorum usu cum nemini valde nocétur monopolia introduci posse prolixius docet Dn. Marquard. *in tract. de Jur. Mercat. sing lib. 4. cap. 7. n. 2. seq.*

5. Confirmatio magistratus facit statutum collegii legem civitatis. Etsi vero eâ non est opus in his quæ sunt in potestate collegii, cui ipso jure competit statuendi facultas. *Bald. in l. privat. 3. C. de Jurisd. Vult. in l. ult. C. eod. Strach. in tr. de Mercat. tit. Quomod. in cons. merc. proc. num. 9.* tamen si quid statuunt quod illam superat necessaria est; dum sine publica ea autoritate non valebit: *Schneidevv. §. constat. num. 15. Inst. de J. N. G. C. Fr. Marci decis. 165. part. 1.*

6. In his quæ valent peræque ex autoritate vel confirmatione superioris & inferioris magistratus, qualia sunt quæ ad politiam spectant, perinde est cujus confirmatio accesserit. Quia subsistunt in inferioris approbatione, quid opus confirmatione superioris. *l. un. C. de Thesaur.*

7. Non valet quidquam ex statutis sine jurisdictione & statuendi potestate. *l. fin. C. de Jurisdict. omn. jud.*

DECISIO XV.

Immunitas respectu certæ artis vel mercaturæ imperata non potest extendi ad ea quæ alterius mercimonii sunt.

Generalis quidem immunitas indefinite alicui personæ ejusque bonis & negotiationi data pertinet ad omnia alia, quæ personæ imposterum accedunt. (1) In ea autem quæ pro certa arte, respectu, conditione vel determinato vitæ victusque genere concessa fuit, secus est. (2) Hæc terminos suos non egreditur, (3) ideo quidquid ultra illos est, oneribus civilibus obnoxium manet. (4) Sic putavimus eam conventionem, ex qua, qui officinam certæ artis instituens immunitatem ejus causâ à gabellis & accisa impetravit, cum deinde domicilio ad eum locum translato aliam mercaturam exercebat, à vectigalibus & gabellis pro navibus & mercibus solvi solitis non esse immunem. (5) *In causa VValter Block contra Burgermeister und Rath zu VVismar die 6. Octobr. Anno* 1655.

1. *Quod prolixius per rationes & allegationes docet Klock. in tr. de contribution. cap. 16. num. 77. & seq.*

2. *Ita tradit & per exempla declarat Coler. de Process. Executiv. part. 2. cap. 3. num. 137. seq.*

3. Hoc est proprium eorum quæ pro certa conditione certoque respectu, competunt, ut ultra eum cessent *l. fin. ib. gloss. & Dd. C. de Usufruct.*

4. Est ad onera civilia nexus personarum & rerum in civitate, generalis, sub quo omnes manent quatenus non eximuntur.

5. Immunitas pro certo hominis statu professione vel victu non pertinet ad negociationem quæ extra ista est. *c. quanquam de censib. in 6. l. universi 5. de Vectigal. Coler. dict. cap. 3. n. 138. seq.*

DECISIO XVI.

Immunitas ministris alicujus concessa competit iisdem, etiam civibus loci, at non quatenus civilia negotia alia dati & oneribus obnoxia exercent.

Ex conventione immunitas data erat octo personis, qua officinæ hominis ab oneribus exempti serviunt. Locabant deinde operas qui erant cives loci, inde quærebatur an etiam hi istâ immunitate frui deberent? Et licèt initio videri poterat iis jam oneribus obnoxios ex transitu in ministerium istius non eximi magis ab oneribus quam nexu civili; tamen re penitius consideratâ existimatum est non eo minus illos immunitate conventâ gau-

Digitized by Google

gaudere, tum quia in iisdem eadem est ratio (1) tum quia congruit vox conventionis, (2) tum quia non distinguit nec excipit, (3) tum quia quà illos quia ministerium exemptæ præbituri sunt remissum est jus civitatis, (4) tum denique quod alias cives in eam conditionem devenientes quæ immunitatem conjunctam habent, hac frui ob civilem statum non impediuntur. (5) Tantum id refert ut præter servitium quod ipsos immunes reddit non aliam negociationem exerceant retinendo veterem aut assumendo aliam. (6) *Inter eosdem.*

1. Quæ idem jus facit *l. illud ff. ad L. Aquil.*

2. Quos comprehendunt verba comprehensi intelliguntur sub privilegio. *arg. l. liber homo §. Titius ff. de hared. instit.*

3. Ubi non distinguit conventio, est sine discrimine accipienda.

4. Immunitatis concessio est remissio debiti muneris.

5. Non est prohibitum civibus immunitatem legitimam vel voluntate magistratus acquirere, eaque uti.

6. *Decreto scripsum in decis. præcedente.*

Juxta præcedentes decisiones ita judicatum fuit.

In Sachen Walter Blockens Supplicanten wider Bürgermeister und Rath der Stadt Wißmar Supplicaten / wird über verschiedene zwischen ihnen erstandene Irrungen / und deßwegen Schrifft- auch bey gehaltenem Vorbescheide mündlich Vorgebrachtem erkannt / daß Walter Block / weil er sich in Wißmar häußlich niederzulassen / vor dem Rath / als in erster instantz zu belangen / und allda / als in foro competenti recht zu pflegen / imgleichen zwar / der Bürgerlichen Freyheit und Rechte in Kauffhandlungen und sonsten überall fähig zu lassen / doch aber / was rechtmäßigem Herkommen nach andere Bürger an Accisen abtragen / er auch von denen Waaren / welche er nicht zu seines Hauses und Seelsorgerey Nothdurfft / die Einhalt deß Contracts gegen die jährliche recognition frey bleiben / sondern im Kauffhandel an sich bringet / oder hinwiederumb verthut / abzustatten schuldig sey / hingegen dem Rath gebühre ihn bey denen von Ihr. Königl. Maj. erhaltenen Privilegien und zwischen ihnen den 14. Januarii Anno 652. auffgerichtetem Vertrage allerdings unverhindert zu lassen und zu erhalten. Demnach die acht Personen / welchen die Freyheit in demselben außbedungen / sie seyen Bürgere oder nicht / wann sie nicht auffer dem merckliche Bürgerliche Nahrung treiben / der in der That fähig zu machen / darumb die darunter mit Einquartierung belegte davon alsfort wiederumb zu befreyen / auch bey dem Wasserlaufe auff die Mühlen die Anstalt zu machen / daß nach der Stadt Gelegenheit dessen Supplicant kein Gebrechen habe / sonst im widrigen / sollen gewisse Commissarii den Augenschein einzunehmen / verordnet / und auff einkommende relation behufige Ordnung gemacht werden / anreichend beyde Theile gegen einander habende Foderung / ist der 6. Novemb. angesetzet / darüber liquidation zuzulegen / unter ihnen gütlichen Vergleich zu versuchen / in Entstehung über die bey ein und anderer Post vorkommende Zweiffel sie zu vernehmen / darauff alsdann ergehet / was sich zu Rechte gebühret von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causâ Waltheri Blockens supplicantis contra Consules & Senatum Civitatis Wismariæ supplicatos ad diversas inter ipsos enatas differentias, & propterea tam in scriptis quam oretenus prolata decernimus, quod Walter Block quia Wismariæ habitationem stabilivit coram Senatu velut in primâ Instantiâ conveniendus, & ibidem utpote in foro competenti jus quærendum, similiter quidem civicæ libertatis & juris in commercio & alias ubicunque capax relinquendus, attamen quod juxtà legitimam observantiam alii cives in accisiâ solvunt ipse etiam de mercibus quas non ad suæ domus & coctura saponis necessitatem, utpotè quæ vigore contractus ergà annuam recognitionem exemptæ manent, sed in commercio comparat & vicissim consumit, solvere obligatus sit; è contrà Senatui incumbit ipsum apud privilegia à suâ Regiâ Majestate impetrata & transactionem inter ipsos 14. Januarii Anno 1652. initam omnimodò intutbatum relinquere & conservare. Inde facto personæ quibus libertas in illa pacta est, sint cives vel non quando extra hoc non exercent notabilem civium negotiationem ejus in effectu se reddere capaces, ideò inter illas hospitationibus gravatæ ab iis iterum sint liberandæ, ac in cursu aquæ ad molendina dispositio facienda, ut juxta conditionem civitatis illa supplicanti non decedat, aliàs in contrarium eventum certi Commissarii ad oculare inspectionem ordinabuntur. & ad eorum relationem necessaria ordinatio erigetur. Quod concernit utriusque partis ergà se vicissim habitas prætensiones 6. Novembris præfigitur ut desuper liquidatio suscipiatur inter ipsas amicabilis compositio tentetur, & in ejus defectum ipsi ratione dubiorum super uno vel altero puncto obvenientium audiantur, exindè fiet quod de jure convenit. Idque de jure.

DECISIO XVII.

Aliquorum civium privilegio contraria facta non civitati nec civibus præjudicant.

QUemadmodū inter Universitatem & singulos de Universitate multū interest,

est, nec quod Universitas debet vel facit, singuli debent vel faciunt, (1) ita factum à singulis universitati præjudicium non facit. (2) Etsi itaque singuli cives privilegio aliquando usi non fuerint, inde minime desinit velut non usu privilegium, (3) sed non modo universitati hoc integrum manet, sed & ob aliorum civium factum alii cives eô imposterum uti non prohibentur, (4) quibus per concives in talibus præjudicari non potuit. (5) Quod consideratum *in causa Consulis Stralsundensis Theodori Meyer & Johan Ranfovven contra Viduam Land-Marschal Buggenhagens die 23. Januarii Anno 1656.*

1. *l. si cum municipalis 7. §. 1. ff. quod cujusque universitat. l. sed si hac lege 10. §. qui manumittitur 3. ff. de in jus voc.*

2. Singulorum est pro conservandis privilegiis civitati debitum, inde nulla imminuendi aut contra id quidquam rogandi nedum inducendi facultas. *Vid. Modestin. Pistor. part. 3. quæst. 121. num. 1. ib. Schultes in addit.*

3. Ex omisso singulorum contra singulos non contra universitatem præscribitur. *Felin. in c. cum convenissent num. 29. X. de Constitut. Modestin. Pistor. consil. 12. num. 12. seq. vol. 1.*

4. Nemini potest sine facto suo jus suum auferri, *l. id quod nostrum ff. de R. I.* nec ab altero iniqua conditio inferri. *l. non debet ff. eod.*

5. *l. 1. C. ut. al. act. de pupillo 5. § si plurium 5. ff. de Nov. Op. nunc. l. quidem 25. § si quis filium ff. ad SC. Trebellian.*

DECISIO XVIII.

Opificia confundi non debent, nec uni collegio jus quod alterius est, concedi, nedum ex suo jus alterius prohibendi indulgeri.

PIstorum in civitatibus non idem genus est, sed ex panis diversa specie distinguuntur, unde alii *Fast*- alii *Lossbecker* dicuntur. Ut verò eorum opera sunt distincta, ità etiam opificia confundi non debent, (1) nec permitti ut quod unius speciei est alter exerceat, (2) nisi ex tali causa, per quam magistratus potest posthabitis Collegii legibus pro utilitate universitatis aliis quidquam latius indulgere. Multò minus autem concedendum, ut Collegium jus prohibendi, quod aliàs ex suis privilegiis usurpare poterit, ad ea extendat, quæ alterius opificii sunt. (3) Ideò quod prius genus Pistorum diu usurpavit, qui alterius sunt, minimè proficiet, ne qui hujus artem exercere velit, eô uti prohibeatur. (4) *Sic decretum ad intercessionem Senatus VVismariensis propriori Pistorum genere, die 17. Junii Anno 1656.*

1. Ità ut unus utatur artificio alterius, *Georg. de Cabedo part. 1. decis. 158.*

2. *l. quicunque C. de Execut. & Exact. e. singula diff. 89.* Absurdum est si promiscuis actibus rerum turbentur officia & aliis creditum alius subtrahat, *l. consulit. 23. C. de Testam.* Puniendi itaque qui se alienis opificiis immiscent. *l. in provincia C. de numerar. actuar. l. hac parte C. de Proxim. Sac. Scrin. ob gloss. l. ult. C. de Assessor. & domest. ex quibus textib. ità collegit Cabedo d. decis. 158. n. 2.*

3. Deficit uni Collegio opificum omne jus ad ea quæ alterius sunt, *l. 3. C. de Fabricens.*

4. Deficit jus prohibendi, quod non potest aut competere utenti re ad se non pertinente, aut abesse ei, qui jure utitur, ideò nemini facit injuriam.

DECISIO XIX.

Collegii licentiam facere est Principum, nec aliter urbano magistratui permissum, nisi quatenus jus ejus acquisitum & tunc superiori inspectio integra.

COllegia in republicâ non semper sine periculo & incommodo, (1) ideo non modo sine veniâ superiorũ ea habere illicitum, (2) sed etiam concedere non cuivis magistratui integrum. Per Justiniani Leges Principis est licentiam collegii facere, (3) nec tamen fieri potuit nisi lege vel Senatus-Consulto, (4) quo eo deliberatus super illo statueretur. Usurpatum quidem est deinde id jus etiam ab inferioribus magistratibus, sed illicite nisi rectè fuit acquisitum, (5) vel ex concessione principum per quam inferioribus magistratibus ea facultas cedit, (6) vel ex longa consuetudine. (7) Etsi vero acquisita fuerit illa potestas, haud tamen usurpari potest nisi in concessione collegiorum quæ alias non sunt prohibita: (8) Deinde etiam quatenus Reipubl. vel civitati non sunt noxia. (9) Præterea verò est illa inferiorum potestas sub superiorum inspectione, (10) quibus integrum est, si magistratum inferiorem ea potestate abuti aut cum Reipubl. detrimento conjunctum fore collegium præviderit, pro autoritate sua intercedere & concessionem prohibere. (11) Quod annon faciendum etiam sit, ubi collegium novum intenditur, cujus noxa prævidetur, tam qua potestatem quam sibi arrogare vult in republica; tum qua restrictionem commerciorum, quæ libera & non impedita esse, in quæstionem venit, & ita existimatum est *in causa Bernd Kampen contra die Gewandschneider, die 8. Octobris Anno 1656.*

1. Usu plus satis compertum est, quam quæ sub incunabulis Civitatum cœperunt collegia, ut ut tunc prospera & utilia, tandem in noxam abierint, ita ut per illa magistratuum autoritas evilescat, supprimantur, leges publicæ sub illorum placita trahantur, privata exsurgant, & publicis rebus formam dare conentur, enervenrur, contu-

Digitized by Google

contumaciæ civium sit inde præsidium, multorum motuum occasio & fomentum, concedere igitur, regere & servare collegia non postremum prudentiæ politicæ existit. Fuerunt è Politicis qui ob frequentiorem abusum quam rectum usum aut faciles exorbitantis illa in Republica non instituenda putent.

2. *l.1. pr. ff. quod cujusque univers.*

3. *l. collegia 3. §. 1. ff. de Colleg.* Præsidibus provinciarum prohibitum fuit, ne patiantur Collegia, *l. 1 ff eod.*

4. *d l.1. ff. quod cujusque univers.*

5. Ex quo inter regalia esse cœpit jus collegii dare & sine veniâ superiorum usurpare illicitum, non potest magistratus quispiam nisi legitimè jus acquisierit, istam licentiam tribuere, *uti hanc regulam circa Regula observamus.*

6. Per concessionem omnimodæ jurisdictionis & liberæ circa Politiam dispositionis in civitate impetratur jus dandi veniam collegio & competit legitimo magistratui *Matth. Steph. in tr. de Jurisdict. lib. 2. part. 2. cap. 6. num. 66. & 69.*

7. Per hanc exercitium Regalium ad Civitates transit, cui jus & titulus est & patientia superiorum.

8. Hæc nulli magistratui contra legem instituere licet, *d.l.1. §. 1 ff. de Colleg.*

9. Collegia non ultra sunt permissa, nisi quatenus usus aliquis istorum apparet. Ubi ille nullus, multo magis ubi noxius, planè ista habere interdictum. *Bartol. in l.1. ff. dict. tit.*

10. *Juxta l.1. pr. d. eod.*

11. *l. collegia 3. pr. ff. de Colleg. l. conventicula 15 C. de Episc. & Cleric.* Collegia in perniciem quandam Reipubl. coire cœtusque fovere majestatis crimen est. *l.1. §. 1. ff. ad L. Jul. Majestat.*

DECISIO XX.

Collegii semel exstincti restauratio sine veniâ superiorum non licet, & quando pro exstincto habendum est.

QUemadmodum sine indultu superiorum collegium instituere non licet, (1) sic neque illud quod semel exstinctum est, sine eodem restaurare permittendum est. (2) Quippe non est vetus illud quod interiit, sed novum (3) ideo quæ de novo collegio privato arbitrio non introducendo legibus habentur, ad ejus quod desiit reparationem pertinet. Est similis in utroque ratio. Et quomodo credendum non sine ratione collegium fuisse sublatum, ita non indulgendum ut reincipiat, nisi publico consilio. Exstinctum verò non illud modo habendum est, cujus omnes collegæ decesserant, *welches ausgestorben*, (4) sed cujus omnes vivunt, vel tum tot & plures ejusdem conditionis sunt, qui collegium olim fecerunt, renunciarunt iis quæ collegii sint & substantiam istius sustulerant. (5) Sicut fit, si conjuncti olim sua singuli separatim habere cœperunt sine conventu & communione. (6) Et si per decennium in separato statu steterunt, rectè impediuntur sine veniâ ad collegium redire. Nihil itaque proficit antiqua scriptura collegii jus antiquum indicans, ubi id antiquatum. Quod consideratum *in causa Bernd Kampen, contra die Wismarische Gewandschneider. Die 28. Decembr. Anno 1656.*

1. *l.1. l. ff. de Colleg. & Corporib. l.1. pr. ff. quod cujusque univers.*

2. Non enim reviviscit exstinctum & vetus illud est, sed novum. Ideo iis legibus censetur, quæ de novo collegio disponunt.

3. Quod dicitur, qui vetus reparat vel reficit, novum non facere, *Decius in l. domum ff. de Reg. Jur.* id pertinet ad illud, quod nondum planè exstinctum est. Quod semel desiit refectum, planè novum est, & in eo adhibenda sunt, quæ in novo lex requirit. *Abbas. in cap. consuluit ibid. Felin. x. de Judic. Lancelot. de Attentat. part. 2. cap. 4. limit. 1.*

4. *Bartol. in l. uls. n. 22. ff. de Colleg.*

5. Permissum est non singulis modo sociis societati renunciare, sed ad publicam quoque societatem pertinet, quod de privata leges habent, sed omnibus mutuo consentu aboa discedere, ipsamque dissolvere permissum est.

6. Separatio ista ut societati & communioni contraria cum illa non potest consistere, ideo finit & finitum docet. *l. itaque eum 64. ff. pro soc.*

TIT. XVIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XIX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

Digitized by Google

TIT. XXII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXVI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXVII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXVIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXIV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXVI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXVII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXVIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXIX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XL.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLI.

DE EXPENSIS PUBLICORUM Ludorum.

DECISIO UNICA.

Immunitatis ministrorum Principum a decimatione seu detractione in civitatibus usitata jus & usus.

QUod in civitatibus plerisque Germaniæ fuerum est jus detractionis seu decie-

decimationis *des Abschosses oder Abzuges*, unde, quæ sunt in Pomerania, decimam, aliæ alibi aliam portionem à civibus, qui ex civitate emigrant, vel ab exteris, qui in civitate hæreditatem civium cernunt, detrahere & suo ærario applicare solent, ex concessionibus principum ortum (1) at ex consuetudine regulam habet. (2) Ideo præprimis in eo præstatur & observatur, quod antiqua consuetudine invaluit, & extra controversiam fuit. Si alicubi etiam in principum ministros sic continuo usu usurpatum reperitur, esset quod imposterum sine lite ipsis servandum (3) tanquam si non expressa lege, tamen voluntate tacita superiorum per diuturnam patientiam concessum. (4) At ubi observantiæ non est ea certitudo, sed ex communi jure vel ratione de istius potestate statuendum est, utique non perinde ipsis in ministros principum ejus usus liber & permittendus erit. Discrimen tamen circa hoc thema præmittimus inter ministros Principis, cujus imperio civitas subdita est, & illius, quem superiorem non recognoscit, sed quâ illam extraneus habetur. Quod attinet qui prioris generis sunt, est ipsorum exemptio ab onere detractionis fundata, primo in jure principum territorii, quorum immunitas isto ut certi juris existit. (5) ita etiam ad ministros præsertim Consiliarios pertinet. (6) qui aliàs jure & exemptione principum gaudent. (7) Deinde ex præsumpta voluntate jus detractionis concedentium, quos se suosque ministros, isti oneri obnoxios reddere voluisse verisimile non est, (8) ideo quod civitatum jus est, cum exceptione alicujus potestatis in principum ministros accipiendum est. (9) Tertio ex jurisdictione & potestate civitatum, quæ nunquam eo putatur extensa, ut manum in principum ministros porrigere liceat. (10) Quarto ex immunitate Consiliariis & ministris Principum competente â tributis (11) quorum species est ea, de qua loquimur detractio. (12) Quinto ex conditione juris istius, quod rigorosum & exorbitans, (13) minimè extendendum est ad alios, ac in quos concessum, in dubio non exercendum. Sextò exemplo aliorum quibus vel comparantur, quales sunt Academiarum Professores (14) vel potiores sunt, ut Doctores atque Advocati. (15) Septimo ex utilitate servitii, quod Principi & patriæ præstant, ex quo merentur, ut nec pro peregrinis habeantur, nec oneribus vulgaribus submittantur, velut per necessitatem illam conditionem subeuntes. (16) Tandem ex alia multorum locorum observantia, (17) quæ optima est consuetudinis interpres. Nam quando reperitur sæpius ministris principum am libertatem fuisse relictam, non valet inde colligi defeciisse potestatem. (18) Nec potest obsistere indefinitè sine limitatione & exceptione impetratum & acquisitum jus illud, cum etiam tale non porrigatur ad concedentem ejusque familiam & ministeria ea (19) quæ singulari nota digna, quæ singulariter exprimi debuerunt, de quibus alias verosimiliter cogitatum non est. De exterorum Principum ministris major dubitatio erit. Respiciendum præprimis, quid cum iis conventio, vel mos recepit (20) queis sine deficiente ratione exemptionis superius explicata, non succenseri poterit civitatibus detractionem ab istis exigentibus. In eâ quæ occurrebat specie allegabatur, publica quædam conventio, quam continet limitaneus Recessus, Anno 1635. inter S. Reg. Majestatis Sueciæ & Electoralis Serenitatis Brandenburgicæ Commissarios Sedini initus. (21) At dubia primo reperiebatur ejus sententia, utrum indefinite immunitatem tribueret, an vero tantum, si quæ esset, servaret. (22) Deinde etiam incertus erat usus, asserente civitate, nunquam istam sic observatam, semper secus actum. (23) Non constabat etiam utrum illa etiam alibi sic ministris Regiis servaretur. (24) Quando itaque adhuc de iis explorandum fuit, civitate à decreto, quo à jure detractionis excludebatur, appellante, visum est, processus appellatorios ad meliorem discussionem decernere. *Ad imploratio-nem Senatus Stetinensis contra Mauritz Neubauer. die* 10. *Januarii Anno* 1659.

1. Civitates sub jure seu potestate cœtus alicujus civilis jus detractionis usurpare nequeunt, sed egent indultu superiore, quia jus quoddam superioritatis seu regale est, tamquam species tributi. *Weichbild. Saxon. artic.* 59. *Berlich. part.* 3. *Concluſ.* 25. *n.* 19.

2. Hanc ipsi ponit Imperii Constitutio ita illud jus approbans quatenus ubique consuetum. R. A. zu Augspurg de Anno 1555. §. wo aber unser verb. Nachsteur / wie es eines jeden Ortes von alters her üblich hergebracht / und gehalten worden ist. R. A. zu Regenspurg de Anno 1594. §. und so viel die ungleiche verb. auch gewöhnlicher hergebrachter Nachsteur.

3. *l. observare* 4. §. *ingressum* 2 *ff. de offic. procons.*

4. Regalia non tantum expressis privilegiis sed etiam longâ consuetudine, quæ vim legis & concessionis habet, acquirit constat. *uti plenius exponit. Sixtin. in tr. de Regal. lib.* 1. *cap. fin. num.* 69.

5. *Per l. universi* 5. C. *de Vectigal. Berlich. dict. conclus.* 32. *n.* 13. *Knipschild. de jur. Civit. Imper. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 46.

Digitized by Google

6. Hi censentur ut pars corporis principis. *l. quisquis 5. pr. C ad l. Jul. Majestat.*

7. *Fr. Vivius decis. 116. lib. 1. Tessaur. decis. 22. n. 2. Carocc. de Locat. tit. de Collect. n. 5. seq.* Quidni principis ministris indulgendum, cum alias privilegiatorum famuli gaudeant dominorum suorum exemptionibus. *l. non alias ff. de judic. l. 1. C. si qua prad. potestat.* quod per plura exempla docet Matth. Stephani *de Jurisd. lib. 2. part. 2. cap. 2. n. 82 seq.*

8. Principes, ut semper valde curiosi sunt in observandis eminentiæ suæ apicibus, ita nunquam se eo demittere voluisse reputantur, ut in suos suaque subditis aliqua concedant.

9. In omni concessione juris, quæ fit civitati, intelligitur reservata & excepta tum principis major potestas, tum & illius familia, ut istud in hanc exerceri non queat. *Peregr. de Jur. fisc. lib. 1. tit. 3. num. 29. & 33. Surd. consil. 47. n. 20. & seq. & consil. 152. n. 43. seq. Heig. part. 2. illustr. quæst 25. n. 18.* Unde quæ concessionibus vel confirmationibus privilegiorum addi solet clausula uns und unsern Rechten ohne Nachtheil ministros quoque complectitur. *Hondedeus resp. 13. n. 59 seq.*

10. *Vide de eo scripta apud Heig. dict. quæst. 25. per tot. Matth. Stephani de Jurisdict. part. 2. c. 2. n. 81. & seq.*

11. *Thomat. de Collect. §. Medicos n. 10. seq. Guid. Papa decis. 3. 6. Klock de contribut. c. 25. n. 28. seq. ubi addit non interesse, summi an inferiores principis consiliarii sint.*

12. *Schepliz in Consuet. Marchiat. part. 3. tit. 8. q. 3. Bertachin. in repertor. verb. Gabella. Berlich. dict. c. 52. n. 19.*

13. *Ita post Johann de Immol. in l. in suis n. 3. ff. de lib. & post hunc hoc vocat. Cothmann. respons. Academ. 19. n. 56.*

14. Horum qua onus detractionis immunitatem latè multis rationibus propugnat Cothmann *dict. resp. 19. per tot.*

15. Hinc communis JCtorum sententia astruit illam immunitatem. *arg. l. medicos 6. C. de profess. Berlich. dict. conclus. 52. n. 33. Knipschild. dict. tr. lib. 2. c. 20 n. 43.*

16. Illis, qui per necessitatem muneris alicubi absunt, sic à loco ubi nati sunt vel alias habitarent alienis applicatur recte, quod JCti communi sententia tradunt; & rationabile est, invitos & necessario, dummodo sine vitio suo, absentes detractionis onus non sentire. *Berlich. dict. conclus. 52. n. 13. seq. Koppen decis. 11. n. 15. seq. Schrader. de Feud. 2. part. 9. sect. 13. n. 163. Gylman. l. Symphorem. tit. 3. vol. 1. n. 4.*

17. In Ducatu Brunsuicensi peculiari constitutione Ducum Ministris prospectum est de illa immunitate à jure detractionis. Alibi similem observantiam accepi.

18. Quid de ea consuetudine in Pomerania Parens meus p. m. observavit & annotavit, hoc est, quod ad Cothmanni consilium supra allegatum suâ manu adscripsit his verbis: invidiosum & durum est Academicis velle imponere, quod civitates non petunt ab illis, qui tamen non magis privilegiati sunt. Indagavi an D. Reimarus Selchrecht qui Stetini, Erasmus Engelbrecht qui Stralsundi, Joachimus Bürgman qui Gryphsvaldi hæreditates nomine conjugum acceperant decimas solverint & retulerunt, non exactas, nec si exigerentur se solvere voluisse. Qua æquitate quod talibus ministris principum relinquitur adimetur Professoribus, quorum privilegia tamen in Corpore Juris clausa sunt. Addam quid ex actis ipsemet observavi; exactam aliquando à Senatu Civitatis Stralsundensis decimam à D. Hartmanno Westphal. Consiliario Principis & Directore Dicasterii Aulici, cum divitem in ea uxorem duxisset, & ex hæreditate amplas opes accepisset at repugnasse, immunitatem obtendisse & defendisse: Illum tandem acquievisse.

19. In generali sermone semper intelligitur exceptum quod est loquentis *l. obligatione 6. de Pignor. l. 30. §. fin. ff. locat. l. inquisitio C. de Solut. Peregrin. de Jur. Fisc. lib. 6. tit. 5. num. 24. Schrader. de Feud. part. 2. part. pr. 9. sect. 3. n. 147.*

20. Frequens est de talibus inter vicinos conventio. *Knipschild. dict. tract. cap. 20. n. 22.*

21. Art. 31. ita cautum. *Idem etiam circa hereditatum obventiones observetur, & si qui emigraverint, ne ultra solitam immunitatem onerentur, salva immunitate officialium Regiorum atque Electoralium nec non aliarum personarum privilegiatarum.*

22. Si posterius esset in mente nihil haberet, nisi, ut qualis ante fuit, servaretur, ideo quod prærequiriti indagandum fuit.

23. Observantia ut consuetudo facti est & probatione egit. *Ruin. consil. 177. num. 23. vol. 2.*

24. Qua gabellam seu detractionem solet respici ad exempla vicinorum, ut quomodo nostrates apud eos tractantur, sic vicissim ex iis oriundi apud nos habeantur: Unde etsi alicubi detractio alias non fiat tamen adversus eos assumatur, qui illa adversus nostrates utuntur & vicissim, etsi alicubi in usu sit, tamen immunitas contingit iis, quæ ibidem nostris præstatur. Ita circa hæc servatur Jus retorsionis, quod æquum & rationabile in hac specie demonstrat Carpzov. *Jurisprudent. forens. part. 3. constit. 28. defin. 1. per tot.*

TIT. XLII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLIV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT.

Digitized by Google

TIT. XLVI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLVII.

DE AGRICOLIS CENSITIS ET colonis.

DECISIO I.

Argumenta rusticæ conditionis, non apparente ejus receptione, quatenus illam inferunt.

MUltum valent ad arguendam conditionem rusticam, quæ in rusticis sueta. (1) Ex iis colligi solet rusticum esse, veluti si sub aliquo diu habitavit & operas rusticas præstitit; (2) si canonem & censum rusticum *Pechte* vulgo dicimus solvit; (3) si cum aliis rusticis paris conditionis fuit. (4) Etsi vero hic in quo talia reperiuntur, tamdiu in ea, qua reperitur conditione remanere cogitur, donec de alia, præcipue de libertate, constat, inde in possessorio valent, attamen ubi plura aut graviora pro hac sunt argumenta, non sufficiunt sola ad probationem servitutis, sed alio quovis modo accipiuntur, quam ut quando non constat, aliquem sepassum glebæ adscribi ex iis solis rusticæ conditionis perpetuo fiat. Præsertim cum sæpe talia etiam ab aliis præstentur, qui non sunt proprii homines, sed ex pacto, ad tempus aut quamdiu libet, pro fundis acceptis talibus se devoyent. (5) Gravis quippe res est servitus, in quam facile & sine urgenti causa liber homo se suamque posteritatem non dedisse creditur. (6) Præsumptio inde, ut juris favor pro libertate. (7.) Cujus conservandæ gratia alia potius capitur interpretatio, atque ut tantum bonum temere jactetur, indiget exinde servitutis probatio evidentibus certoque concludentibus argumentis. (8) Cum itaque homo servilis quidem antea conditionis, sed à qua precio se liberasset, sub nobili uxorem servam duxisset. Sed non aliis servitiis, quam quæ fæmina præstare posset *Frauendienste* se submisisset, & quidem quamdiu placeret *so lang es ihm beliebet*, eoque nomine tam à recipiente, quam ab iis qui ex conductione prædium acceperant, cautum esset, etsi deinde plus agri recepisset, alias operas & censum amplio-rem præstitisset, non debuit inde proprius homo censeri, quia pro agro magis, quam ut servus præstitisse putatur. Quocirca cum rusticæ conditionis susceptæ probatio injuncta esset, etsi ista in argumentum proferretur dum de receptione non modo non constabat, sed etiam cum alii rustici porrecta manu ut moris est subjectionem promisissent, iste homo idem non fecisset, (9) quin potius successor reversales prædictas confirmasset, pronunciandum esse visum per illa indicia servitutis non probatam esse intentionem, sed ut liberum dimittendum qui liber venerat (10) *In causa Marten Teschen, contra Philip Gutzlaff Rotermundt Die 24. Martii Anno* 1658.

1. In quæstione de conditione rustica ante omnia consideranda sunt loci cujusque jura & consuetudines & ex his de ista est censendum. *Cothman. respons. 42. n. 17. vol. 1.*

2. *Cothman. dict. resp. 42. n. 53. & 78.*

3. *Zasius singul. respons. lib. 1. c. 3. n. 79.*

4. Qui præstant quæ aliis rusticis ex more regionis injunguntur, ejusdem conditioni esse reputantur, *Cothman. dict. consil. 42. n. 38. seq.*

5. Quæ ita comparata sunt, ut tam ex pacto vel more per liberos homines præstentur, quam ex conditione rustica, illa non faciunt hujus argumentum certum, propter præsumptionem, quæ in dubio contra hanc militat. *Cothman, consil. 47. n. 163. & seq. vol. 1.*

6. Nemo præsumitur libertatem rem inæstimabilem floccifacere *Ant. Vot. Camer al. 8. n. decis. n. 39. tom. 4 part. 1.* aut vili nedum nullo precio vendere. *Tib. Decian. resp. 76. n. 27. vol. 3.*

7. *Faber in Cod. lib. 8. tit. 3. defin. 1.*

8. In dubio alia potius vel precarii, vel coactionis, vel spontaneæ præstationis capitur præsumptio, quam conditionis servilis. *Boer. decis. 132. Moller. lib. 4. Semestr. c. 38.*

9. Talis porrectio manus argumentum est, ubi præstatur, subjectionis, ubi non apparet liberæ conditionis *Husan. de Propr. homin. c. 4. n. 10.*

10. In dubio semper pro libertate pronunciandum est. *Riminald. consil. 8. num. 8. & consil. 413. num. 18.*

DECISIO II.

Rusticæ conditionis uxorem ducens tenetur ad precium liberationis, si non duxit ut liberam.

QUi permittit libero homini conjugium cum fæmina adscriptitiæ conditionis nihil in hac reservans aut paciscens, liberasse à vinculo proprietatis creditur, (1) propter indissolubile matrimonii vinculum, (2) ex quo colligitur dimissio juris, quod cum illo consistere

Digitized by Google

nequit, dum uxor sequitur conditionem mariti. (3) Ita vero id accipiendum si conceditur & accipitur tanquam libera. Quando duxit maritus ut alteri addictam pro ipsâ promittens operas, quas illa præstare debuisset *Frauendienste*, utut salva libertate sua, non censetur quæ ducitur plane libera sed in conditione manere, quatenus per matrimonii jus licet; (4) ut si maritus cum ea alio discedere velit consuetum precium solvere teneatur, (5) liberi autem ex eo connubio geniti sequuntur conditionem patris. *In eadem causa.*

1. Qui adscriptitiæ conditionis hominem ab eo, cum quo matrimonium esse non poterat, abstrahere neglexit, scire debet in suum damnum eam desidiam reversuram *l. fin. C. de Agric. & censit.* Scientia & patientia loco renunciationis & dimissionis habetur, *uti in terminis traditur in l. 1. in fin. C. de SC. Claudian. tollend.*

2. Non ferendum est circa ascriptitios à viris conjuges separari. *l. pen. C. commun. utrumque jud.* indignum jure potestatis bene concordantia matrimonia separari *l. 1. in fin. ff. de Liber. exhib.*

3. *l. dignitates C. de Dignit. l. fin. §. idem ff. ad Municip.*

4. Matrimonium ex se non est modus à servitute liberandi, sed potius eam constituendi, veluti si liber homo ducitur vel nubitur à servo se submittere censetur simili servituti nisi de eo cavet. *Husan. de Propr. homin. c. 5. n. 44.*

5. Liber homo alienam ancillam ducens eam tenetur soluto precio quod vel mos servat, vel arbitrium judicis constituit, eam liberam facere *uti scripsi* in dem Bedencken von der Abforderung der Bauersleute *c. 2. n. 177. seq.*

Juxta hæc ita pronunciatum.

In Sachen Marten Teschen Supplicanten/ wider Capitain Philipp Gutzlaff Rotermunde Supplicaten/ in puncto prætensæ servitutis wird nach angenommenem Schlusse der Sachen erkandt/ daß/ was Supplicaten zu beweisen auffgelegt/ und er angenommen/ wie zu recht gnug nicht erwiesen/ demnach nunmehr auff beschehene Loßkündigung Marten Teschen mit seinem Weibe (jedoch gegen Abtragung der anerbottenen 20. Fl.) mit den Kindern und Gütern ungehindert abziehen zulassen schuldig/ die Unkosten aber in diesem Punct angewandt/ gegeneinander zu compensiren seyn von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar/ den 26. Aprilis Anno 1658.

(Hoc est.) In causa Martini Teschen supplicantis contra Capitaneum Philippum Gutzlaff Rodermond supplicatum in puncto prætensæ servitutis ad acceptatam conclusionem causæ decernimus, quod illud, quod supplicato ut probaret injunctum & ipse suscepit prout juris sufficienter non probatum, hinc modò ad factam denunciationem Martino Teschen cum suâ uxore (attamen erga solutionem oblatorum 20. florenorum) cum liberis & bonis absque impedimento liberum discessum relinquere teneatur, sumptus verò in hoc puncto impensi invicem compensandi sint idque de jure, publicatum in summo Tribunali Wismari 26. Aprilis Anno 1658.

DECISIO III.

Liberi eorum, qui rusticam conditionem assumunt, nati sub libertate, non fiunt ex facto parentum proprii homines.

Licet quidem unicuique relicta libertate in adscriptitiam seu rusticam transire conditionem, (1) at non perinde liberos suos sub libertate natos in eandem transferre. (2) Manent illi liberæ conditionis non modo si de ipsis cum pater sit rusticus nihil dictum, (3) sed etiam si id expresso tractatu aut pacto actum fuerit; cum non sit in potestate parentum liberos aliquo suo pacto vel actu in servitutem conjicere, libertatis jus quæsitum sine facto suo auferre. (4) Manet iis libertas, non attento ullo parentum facto, (5) nisi approbaverint sicque sibimet autores servitutis facti sint. (6) Non modò itaque ipsis, si non constat de ipsorum consensu, libertatis defensio contra vindicationem competit, sed & si deinde aliis se dominis subdiderint, his est tanquam solis jus & ideo justa adversæ actionis exclusio. (7) Ut inde justum sit gravamen eorum, qui se à probatione nativitatis ante servilem parentum conditionem interlocutione judicis exclusos esse queruntur. Quorum recepta est appellatio *in causa Johan Möllern & consortum contra Bernhard Friederich Behren. Die 4. Octobr. Anno* 1658.

1. Potest aliquis sua conventione fieri homo alterius. *Joh. de Platea in l. definimus num 6. Cod. de Agric. & Censit.* Idque juri divino, *Deuteron. 15. v. 12.* & civili, *§. fin. Inst. de Jur. Person. l. fin. C. de Transact.* Canonico *c. grandi, de supplen. Neglig. Prælat. in 6.* convenit, & sic vulgo servatur. *Gail. de Arrest. c. 7. n. 6.*

2. *De quo scripsi in tr.* Von Abforderung der Bauren. *quæst. 2. n. 66. & mult. seq.*

3. Non enim etsi liberorum mentio facta fuerit, quod conditionem parentum sequi debeant, de aliis cogitatum dictumque intelligitur, quam de postea nascituris. *arg. l. 2. C. de liberis & eor. liber. Faber. in Cod. lib. 7. tit. 4. defin. 7. n. 5. Stam. de Servit. person. c. 15 n. 3.*

4. *l. libe-*

Digitized by Google

4. *l. liberos C. de Liber. caus. l. transactione 26. C. de Transact. Fab. d. def. 7.*

5. Est jus naturale & agnatum per parentes non alienabile. *l. 2. C. de Parent. qui lib. distrax.*

6. Sua voluntate parentum pactum approbando liberi possunt fieri servi. *per dicta superius.*

7. Non est justa & efficax vindicatio nisi ex dominio quod deficiens illam excludit. *l. in rem 23. ff. de Rei vind.*

DECISIO IV.

Cum dubia & incerta est hominis conditio tricennaria præscriptione vindicatio excluditur.

QUando constat hominem esse proprium seu glebæ adscriptum, rusticæ conditionis vindicationi seu avocationi locus est post triginta & plures annos. (1) quia ob malam fidem istius præscriptioni locus non est. (2) At ubi dubium plane & incertum est, aliquem talis conditionis existere, id certum vero, diu non in libertate seu sub alterius dominio ex sua voluntate vixisse, (3) præscriptio tricennaria actionem seu vindicationem excludit, (4) justamque, ob rejectam præscriptionis exceptionem est appellatio. *In eadem causa.*

1. *l. 1. C. de long. temp. præscript. quæ pro lib. l. cum scimus 22. §. 1. Cod. de Agric. & censit. Fab. in Cod. lib. 7. tit. 4. def. 9. Zasius consil. 19. n. 28. seq. lib. 2.*

2. *l. fin. C. ne de Stat. def. l. quod autem 10. ff. de lib. caus.* malæ fidei possessor nullo tempore præscribit. *c. possessor. x. d. R. l. in 6.*

3. Ex diuturna possessione præsumptio juris certi oritur, præsertim pro libertate.

4. *l. sicut 3. Cod. de Præscript. 30. annor.* Ex hac omnes actiones & persecutiones non modo contra res sed & contra personas illo spacio tolluntur, nec excepta vindicatio hominis, ubi de servitute vel libertate res dubia est, quin potius expressis verbis continetur.

DECISIO V.

Non nisi bonæ fidei possessori liberi rustici alieni cedunt, qui ipsa possidente nascuntur.

QUi hominem proprium alterius domini glebæ suæ adscriptum facit, nisi elapsis præscriptionum temporibus, vindicanti domino restituere cogitur, haud tamen perinde liberos natos dum glebæ adhæsit. Etsi enim partus conditionem patris sequitur (1) & homo proprius fit, cujus tamen erit, cujus glebæ pater adscriptus fuit cum nascitur. Ut itaque tunc pater fuit pars glebæ, à qua vindicatur, ita & liberi præsentem tempore nativitatis sortem sequuntur. (2) Non ita vero ut fructus, sic partus restituuntur. (3) Illi accessiones rei sunt, & in restitutionem veniunt. Non sic liberi accessionis jure censentur, (4) seu in eos vindicatio est ex jure soli cui adscribuntur, (5) ideoque speciali actione ut diversæ res petuntur, & separata plane liberorum est ratio. (6) Hoc tamen ad bonæ fidei possessores tantum pertinet, quibus non fuit rustici alieni scientia, sed crediderunt justa persuasione suum illum proprium esse. (7) Ubi alia fuit habentis scientia, non potest liberos retinere, (8) quos scivit patris conditionem sequi, ut sciens in patrem nullum jus proprietatis sibi esse. (9) *In causa Balthasari Harn contra Joachim Knochen die 6. Julii Anno 1659.*

1. *l. originarios 11. l. desiderius 13. Cod. de Agricol. & censit.* Quare patris, non matris conditionem, uti de servis dicitur, rusticorum liberi sequuntur. Rationem diversitatis expoſui im Bedencken von dem Standt der Bauersleute *quæst. 8. n. 2. seq.*

2. Sunt ita adscriptitiæ conditionis liberi ut patet. *Uti in dict. textib. & Novell. 162. c. 2. habetur.*

3. Partus non est in fructu. *l. in pecudum 28. §. 1. ff. de usur. & fructib.*

4. Contra dignitatem hominis est accessionem esse alterius hominis *l. justissime 44. pr. ff. de Ædilit. Edict.*

5. Portio glebæ ex adscriptione habentur eique adhærent. *l. cum scimus Cod. de Agricol. & censit.*

6. *l. partum 10. ff. de usur. & fructib. l. fin. Cod. de lib. caus.*

7. *Vid. l. si ego §. idem Julianus ff. de Public. in rem act. l. si aliena 10. §. fin. l. non solum 33. §. 2. ff. de Usucap. l. qui vas 48. §. ancillam ff. de Furt.*

8. Discrimen hoc inter bonæ & malæ fidei possessorem colligere licet *ex l. Julianus 17. §. 1. l. prætorem 20. ff. de Rei vindic. l. 1. Cod. eod.* quod per argumentum à contrario sensu satis apertum est. *Vide quæ plenius scripsi* in obiegtem Bedencken von den Bauersleuten *dict. quæst. 1. n. 32. seq.*

9. *d. l. 1. C. de Rei vindic.* Nemo ex mala fide lucrum habere debet. *Vti in terminis constituit Novella Leonis 29.*

DECISIO VI.

Præscriptio hominis rustici intra longum tempus titulorum requirit.

POsſessione hominis rustici intra longum tempus nempe decennii inter præsentes

Digitized by Google

sentes & vicennii inter absentes præscribitur quidem vindicationi, (1) sed non aliter, quam si possessor justum titulum possessionis habet. (2) quo deficiente non præscribitur; (3) nec bona fides, quæ etiam ad illam præscriptionem necessaria est, præsumitur. (4) *In causa Philip Wahenissen, contra die Universität Greiffswald, die* 19. *Junii Anno* 1660.

1. Ita in terminis constituitur in *l. litibus* 20. *per* C. *de Agric. & censit.* in quo textu longi temporis mentio legaliter accipienda est de decennio inter præsentes & vicennio inter absentes *Hujus. de prop. Homin. c.* 3 *n.* 10.

2. Hic in longi temporis præscriptione exigitur *l.* 1. C. *de long. temp. præscript.* nec aliud constitutum in præscriptione rusticorum aut servorum.

3. Ubi nulla legitima causa servientis appareret, ex solo temporis cursu & servitiorum præstatione non inducitur titulus aut in futurum obligatio. *Balb. de præscript. 1. part. 3 pr. quæst.* 10. *n.* 22. 24.

4. Hujus sine aliquo titulo non est præsumptio *Bart. in l. Celsus n.* 17. *ff. de usucap.*

DECISIO VII.

In rusticos jus est ex cessione fundi ad quem pertinent, etsi nominatim non sint cessi.

EXceptio non competentis dominii in hominem rusticum, quod tradito fundo non est nominatim cessus, nullius momenti est, quia hoc non est necessarium, sed tradito fundo simul ceduntur ejus pertinentiæ, (1) inter quas sunt homines rustici velut glebæ adscripti & portio fundi. (2) Et licet mediante inventario ac designatione rusticorum facta sit traditio, in illo autem de quo agitur, quia forte eo tempore in fundo non exstitit, omissus, non magis inde domino fundi vindicatio adempta est, (3) quam aut rustico non nominato liberatio, aut possidenti dominium ejus contingat. (4) *In eadem causa.*

1. Sunt quippe hæ pars rei, ideo rem sequuntur, & apprehensa fundi possessione omnes pertinentiæ simul apprehensæ intelliguntur *Gail. 1. observat.* 129. *num.* 6. *&* 8. Ita hoc convenit iis, quæ universitatis instar habent, ut tradito quod omnium vice est tradita habeantur omnia quæ ejusdem existunt.

2. *l. cum scimus l. cum scitis* 23 C. *de Agric. & Censit. Sichard. in l. hac edictali §. hoc illud n.* 3. *&* 4. C. *de secund. nupt.*

3. Præsumitur id factum vel per ignorantiam vel per errorem, unde nemo suum amittere aut præjudicium pati debet *l. si post* 4. C. *de juris & facti. ignor. l. iniquissimum* 5. *ff. eod.*

4. Non nisi traditionibus aut usucapionibus acquiritur dominium *l. traditionibus* 20. C. *de pact.*

DECISIO VIII.

Jus singulare civitatis tantum ad cives, non ad alios ejus subditos aut Rusticos.

COntra vindicationem hominis proprii Civitas ex statuto Lubecensi, (1) opponebat peremptoriam litis præscriptionem, quod is homo ultra annum, imo ultra decennium civitatis subditus & sub ejus jurisdictione fuisset. At ut ineptam statim rejicere placuit quod statutum de iis solum loquitur qui jura civitatis accipiunt seu cives fiunt. (2) Nec ut jus plane singulare & in aliorum insigne præjudicium vergens ultra extendi. (3) *In causa Hinrich à Taden contra Senatum Civitatis VVismarienſis die* 16. *Februarii Anno* 1654.

1. Jus Lubecense *part.* 2 *tit.* 5. *artic.* 4. statuit, si quis rusticæ conditionis homo per annum & diem sine interpellatione jura civitatis ut civis tenuerit vindicari non possit.

2. Diversa sunt civem esse civitatis & subditum. Hoc isto latius & possunt esse illius subditi qui non sunt cives. Hoc nomen iis solum competit, qui ut liberi homines jus civitatis petunt & accipiunt, inde civilis cœtus membra jurium & beneficiorum civilium participes. Quales non sunt rustici, qui rus colunt & extra urbem habitant. *Ll. C. ne rustic. ad mil. obseq. Ll.* C. *de Agric. Censit.*

3. *Jason in l. omnes ff. de Just. & Jur.*

DECISIO IX.

Vindicatum sequitur uxor, sed pro recompensatione invicem præstanda.

CUm restituendus est post vindicationem homo alterius proprius, qui alienam mulierem uxorem duxerat, hæc maritum sequi cogitur, (1) nec est fas sub obtentu rusticæ conditionis & non competentis libertatis conjugium aut conjugalem cohabitationem illam retinendo divellere. (2) At ne dominus rustici cum alterius jactura contra naturalem æquitatem locupletetur, (3) pro uxore domino ejus, nisi per malam fidem aut dolum eam amittere meretur, (4) refundi debet, quod æquum est, & incongruam compensationem cedit, (5) modo si hanc actor eligat. (6) Cujus aut

est ac

est ex statuto provinciali certa æstimatio, (7) aut nulla. Illam cum existit judex sequitur. Ubi verò nil certi definitum, tunc aut est actori copia aliam similem fœminam seu ancillam, quæ mulier fieri potest, reddendi & ad id condemnatio fieri debet: (8) aut vero ejus non est ipsi facultas, & tunc arbitrio judicis æstimatio fiet. (9) In dubio utrumque alter nativè injungi solet. Uti pronunciatum *in causâ Hinrich von Taden, contra Senatum Civitatis VVismarienſis, die 26. Junii Anno* 1654.

1. Juris communis regula est, quod uxor sequitur sortem & conditionem mariti, *l. fœmina ff. de Senat. l. fin. §. idem ff. ad municip. l. mulieres C. de dignit.* à quo nulla lex excepit proprios homines. Unde conjugium cum proprio homine nondum constituendæ rusticæ conditionis, statuimus. *Husan. de prop. homin. cap. 5. num. 44.*

2. Indignum jure potestatis bene concordantia matrimonia dirimere, *l. 1. in fin. ff. de lib. exhibend.* nec ferendum à viris conjuges separari, *l. pen. C. comm. utriusque judic.* Individua vitæ consuetudo id non permittit. Quam quia Deus sanxit ejusque causa omnia alia posthaberi voluit, *Genes 3. Matth 10.* sanctior ejus est ratio, quam servitutis. Et ubi alterutrum postponere oportet, primum magis justum est minusque scandalosum constare matrimonium, quam retineri ancillam, uti sic Theologi & JCti ratiocinantur. Veteri quidem jure civili secus erat quâ liberam personam nuptam adscriptitio, quia inter has personas interdictum erat matrimonium, *l. fin. C. de Agric. & Censit. Novell. 22. c. 17.* At non perinde cum qui adscriptitiæ conditionis libero se conjunxerant obtinuit, *uti ex d. l. pen. C. Comm. utriusque jud.* videre licet. Hodie etiam, ex quo inter eos verum matrimonium est, ex jure divino & moribus nostris aliud dicendum erit.

3. *l. nam hoc natura 14. ff. de Condict. indeb.*

4. Si quis callidè & sciens conditionem alterius sinat alienum hominem suam fœminam adindissolubile vinculum ducere, velut alienans caret actione. *Arg. l. ad hæc. de Latin. Libert. toll. Novell. 12. cap. 11. quod exposui in tract.* von Abforderung der Bauren *quæst. 2. num. 172. & seq.*

5. *Vid. in eod. tract. q. 2. n. 168. seq.* Cum quis cogitur alterius causa alienare rem suam; æquum ei debetur precium, *l. venditor. ib. gloss. & Dd. ff. Commun. Prad.*

6. Aliquando dominus mavult exspectare, ut finiatur conjugium, & tunc ad se fœminam redire & tunc restitui debet.

7. In Pomerania aliquando id statutum, ut 20. floreni pro ancilla solvantur, ut aliquoties observatum.

8. Tamdiu aliud pro alio non præstatur, quamdiu idem haberi potest, *l. 2. §. 1. ff. de reb. cred.* At ubi id haberi nequit, succedit ei simile & æque idoneum, *l. qui autem 14. §. 1. ff. de Const. Pecun. l. si quis 9. pr. ff. Locat.* ut rei precium.

9. *Arbitrio hujus modum expressi in d. tract. q. 2. num. 170.*

DECISIO X.

Liberi rusticorum tam prioris quam secundi matrimonii sequuntur conditionem patris & pro ea restituuntur.

CUm alterius homo proprius alienam duxisset viduam sub alia jurisdictione, ibique aliquamdiu sedem fixisset, & liberos procreasset, eo vindicato cum liberis, judicatum est hos sequi conditionem patris, non matris. (1) Quod enim jure civili de servili partu constitutum est eum matrem sequi, (2) non quadrat ad rusticos nostri temporis, quorum diversa est ratio. (3) Etsi multum ex servili conditione iis adhæret, quâ statum tamen personalem liberi ut justi matrimonii, sic & eorum jurium, quæ inde sequuntur, capaces sunt. (4) Inter quæ hoc refertur, quod proles capiat familiæ sequitur. (5) His consequens est, ut etsi mater sequitur maritum, tamen liberi prioris matrimonii ex illa nati illam non sequuntur, sed sub potestate ejus, cui pater serviit, manent. Liberi autem secundi matrimonii cum patre vindicato restituendi sunt. Sic pronunciatum *in eadem causa.*

1. E regulis juris hoc est, quod liberi sequuntur conditionem patris, *l cum legitima 19. ff. de Stat. homin.*

2. De servis hanc regulam tenemus, partus sequitur ventrem, *l. & servorum. 5. l. lex naturæ 24. ff. de stat. homin.*

3. Ratio qua servus est, quod jure civili pater non est, nisi quem nuptiæ demonstrant; hæ autem inter servum & ancillam non contrahuntur, sed tantum contubernium, *l. 2. C. de Incest. nupt.* At inter rusticos & verum matrimonium, sicut & inter adscriptitios, quorum liberi sequuntur ideo sortem patris, *l. definimus 13. C. de Agric. & Censit. Novell. 162. c. 2.*

4. *De statu proprietorum hominum seu rusticorum, in quo liberis vel servis assimilantur, exposui plenius in tr.* von Abforderung der Bauren, *l. quæst. 1. per tot.*

5. Ex patre ut ut mortuo origo censetur, *l. 1. ff. ad Munic.* atque illa facit subditum, *l. fin. C. de Municip. l. originarios 11. C. de Agric. & Censit.* Matris factum illum non potest mutare. *Johann. de Platea in dict. l. fin.*

Digitized by Google

DECISIO XI.

Rusticus à gleba semel separatus, iterum ad istam vindicari nequit.

RUstica gens ad Balthicum mare propriorum hominum instar est, & in plurimis à servis parum differt, præsertim in eo, quod perpetuis vindiciis in servitutem & ad glebam, cui semel adscripti fuerunt, obnoxii sunt. Quod tamen ita accipiendum, si non à gleba semel sint separati, (1) quod contingit dimissione à gleba, (2) quæ non verbis in dimissionem sonantibus tantum fit, sed & tali facto, per quod terram, cujus portio fuerunt, voluntate domini relinquere, & aliò abire permittuntur; (3) multò magis ubi coguntur. (4) Sicuti evenit, quando quis rustico agros adimit, & vel ad usus suæ agriculturæ applicat, vel alii homini pro operis utendos tradit, ipsum verò ad alia loca abire sinit. (5) Sicut inde rusticis libertas contingit, si sine culpa suâ à gleba separantur, ita desinit vindicatio, (6) & non modo ipsi cum in statum libertatis pervenerunt, hanc defendere queunt, (7) sed etiam aliis, sub quibus glebis se iterum adscribi siverunt, extincti prioris dominii & novi sibi quæsiti exceptio competit; (8) ut qui talem opponit, meritò audiri, & de rejecta conquerens, ideo appellans ad gravaminis deductionem admitti debeat. Uti hoc observatum *in causa der Freyherren zu Putbus, contra Ægidium von der Osten*, die 26. Junii *Anno* 1654.

1. Per separationem à gleba desinunt rustici esse & dici glebæ adscripti, & occasionem pleniorís libertatis nanciscuntur.

2. Hæc jure dominis fundorum permissa est. *Fabian. de Platea in l. quemadmodum n. 7. ff. de Agric. & censit.* unde pars & nota dominii habetur, *l. possessoris 12. verb. cum fenderum domini sint C. de Fund. patrimon.* Cothman. *resp. 28. n. 60. vol. 1.* vocatur apud nos die Auff- und Ablassung.

3. *l. Edicimus 7. §. 1. C. de Murileg.* Exempla ex permissione facti quod liberat & ex illa liberationis, *vid. in l. 3. C. Præpos. Sacr. Cubicul. l. super 6. l. si quis 8. C. qui milit. poss. Novell. 123. c. 17.* Patientia iste habet in se renunciationem. *Fr. Bald. in tr. de Præscript. part. 1. princ. quæst. n. 6.* Pro derelicto rusticus ille habetur, *l. fin. ff. pro derelict. Novell. 22. c. 22.*

4. Quod nos dicimus, die Bauren von den Höfen abtreiben. Hujus facti per mores Pomeraniæ is effectus est, quod dejecti è fundis fuerint liberi, nec deinde vindicari queunt, *uti disponit* die Pommerische Bauer-Ordnung *tit. 11. §.* Es ist auch ein Unterscheid / &c. *verba.* Wann aber Bauren ihrer Höfe gantz entsetzet und Vorwercke darauff angerichtet werden / muß der Baur ohne einige Widerrede weichen / und den Hof nebenst den Aeckern / Wiesen und allen Zugehörungen der Herrschafft lassen / in solchem Fall aber ist altem Herkommen nach die Herrschafft schuldig / sie mit aller lebendiger und todter Haabe darunter die Hofwehre mitbegriffen / frey ziehen / auch sie und ihre Kinder der Leibeigenschafft ohne Entgeltnuß zu erlassen.

5. Ratio manifesta est; Quando enim propter fundum & ex eo nexus rusticorum existit, iste solvitur & desinit, cum fundus adimitur. *Plura de hoc scripta videantur*, in dem Bedencken von den Bauersleuten / &c. *quod ante aliquot annos edidi.*

6. Remittentibus jura sua non datur regressus, *l. quæritur 14. §. si venditor 3. ff. de Ædil. Edict.*

7. Quibus favor libertatis applaudit, *l. 2. C. de long. temp. præscript. quæ pro libert.*

8. Liberatio à nexu domini prioris facit justam acquisitionem posteriori. Permissum rusticis ab illo liberatis huic se postea subjicere, quo nihil hodie apud nos frequentius est.

DECISIO XII.

Contra rusticos fugitivos literæ requisitoriæ, Steckbriefe decernuntur.

QUemadmodum communi Germaniæ consuetudine observatur contra delinquentes fugitivos decerni literas patentes requisitorias ad omnes ubique Magistratus & Judices, quò repertos comprehendi & detineri jubeant; quas *Steckbriefe* vulgo vocamus; Ita & contra servos & homines proprios fugitivos eo genere procedendi utimur, & tales literas decernimus, ut ubicunque reperti sistantur & dominis suis reddantur. (1) Quod meretur tum illorum crimen, (2) tum jus dominorum, (3) tum eos sine mora ad glebam reducendi æquitas & utilitas. (4) Unde etiam non tantum dominis servos fugitivos, ubi repererint justa facultas, (5) sed etiam omnium magistratuum debitum auxiliatrices manus ils prompte præbere. (6) *Tales littera decretæ sunt Hinrich à Taden, contra Gösling Petersen, die 9. Augusti Anno* 1654.

1. Dominis quippe fugitivos requirendi ubique potestas fieri debet, *l. 2. C. de Serv. fugit.* ideo & merito proturari.

2. Furtum sui faciunt fugitivi, *l. 1. C. d. tit. l. ancilla 6. ff. de furt.* Ideo instar furum censentur.

3. Ubi eas prosequendi & vindicandi jus ipsis est, *tot. tit. ff. & C. de serv. fugit.*

4. *l. pen. C. de Agricol. & censit.*

5. In fugitivos manus injectio privata licet, *l. ait prætor 10. §. si debitorem 16. ff. de his qui in fraud. cred.*

6. Celeri reformatione contra fugitivos succurri oportet, *l. si coloni 14. C. de Agric. & censit.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XIII.

Post fugam proprii hominis ad quid teneatur ad restituendum condemnatus.

CUm post condemnationem & mandatum de præstando pronunciatum rusticus seu homo proprius restitui jussus aufugisset, actor petiit reos ad faciendum ut recipiat, aut præstandum quanti sua interest, compelli. Verum tamen existimatum est hoc simpliciter mandari non posse, nisi causa cognita: Fuga enim casus fortuitus est, (1) quem nemo regulariter præstare tenetur; (2) Ad eum obligatio aliunde est, nempe vel ex dolo, per quem fugæ causam dederit, (3) vel ex culpa, (4) vel denique ex mora. (5) Quamdiu itaque certum nondum est talium quidquam præcessisse, ab ulteriori condemnatione ob fugam abstineri, atque prius an & unde rei obnoxii sit, examinari debet. (6) Interea tantum prior possessor ad id tenetur, per quod fieri potest, ut fugitivus reducatur, (7) nempe ut uxor, liberi & bona diligenti custodia retineantur: ut quidquid de eo resciscetur, ubi sit, aut quæ explorandi occasio, ingenue detegatur: (8) Denique ut omnem diligentiam in eo reducendo impendant. (9) *Sic mandatum est Senatui Wismariensi ad supplicationem, eodem die.*

1. *l. contractus* 23. *ff. de Reg. Jur.*

2. *d. l. contractus* 23. *l. si ut certo* 5. §. 2. *ff. Commodat.*

3. Qui dolo desiit possidere, pro possessore habetur, *l. si autem* 27. §. *sed & si* 2. *ff. de rei vind.*

4. *l.* 91. §. *ult. ff. de Verb. Oblig.*

5. *l. fin. ff. de Condict. furtiv.*

6. Qui in custodiendo non præstitit diligentiam eam debet in recipiendo.

7. Contra fugitivum quoad relicta locus est remedio sequestrationis & annotationis bonorum, quo contra alios condemnatos fugientes utimur, *l. si in libertinum* 28. §. 1. *ff. de bon. libert.*

8. Dolo proximum est, quod alterius refert non nunciare, *l. si fidejussor* 29. §. *hæc eadem* 3. *ff. mandat.*

9. *l. fin. ib. Bartol. ff. de Serv. fugit.*

DECISIO XIV.

Rustici voluntate domini à fundo alienati vel separati vindicatio fieri non potest.

ESt quidem ea rusticorum apud nos conditio, ut glebæ adscriptis æquiparentur, (1) & fundum tanquam ejus connexa pars sequantur, (2) attamen dominis fundorum simul ea relicta est potestas, ut à fundis rusticos alienare, separare & dimittere possint eorumque factum habeatur ratum. (3) Quocirca cum domini, seu qui apud nos ejus loco est, vasalli feudum tenentis voluntate rusticorum quidam ab ea villa, in qua natus, seu cui nativitate astrictus erat, ad aliam translatus est: (4) successori in illa villa non superest amplius jus vindicandi hominem translatum tanquam fundi partem, sed repellitur exceptione legitimæ quæsiti dominii; (5) nisi causa accedit, cur aut vasallus possessor separare, & alio transferre non debuerit, ut rem hypothecæ constitutæ impedimentum accedit, (6) aut successori speciale jus sit, cum reductionem in pristinum statum exigere queat. (7) Ista considerata sunt quæ decernendos processus *in causa Jochim Ehren Söhne, contra Paul von Schmatzhagen, die 3. Januarii Anno* 1655.

1. Frequens est hæc apud JCtos. æquiparatio, inde argumentum ab ascriptitiis ad rusticos. *Stamm. in tr. de servit. person. lib. 3. c. 2. n. 3.*

2. *l. cum scimus* C. *de agric. & censit. Sichard. in l. hac edictali* §. *illud etiam n. 3. & 4.* C. *de fund. dotal.*

3. Hoc comprobat certa inter nos consuetudo, quam ex quotidianis exemplis novimus atque cum de rustica conditione quæstio existit, ante omnia sequi & considerare oportet. *Koppen. illustr. quæst. 13. n. 1. & seq.*

4. In eo ab ascriptitiis per nostros mores differunt rustici, quod non adeo strictè ut illi fundis alligati sunt, ut separari nulla ratione possint, sed dominis retento fundo alienatio libera relicta. *Vid. Joh. de Plat. in l. quemadmodum num. 7.* C. *de Agric. & censit.* Es mögen die Herrschafften die Aecker zu sich nehmen und Bauren niederlegen, *ubi habes* die Baur-Ordnung *cap. 7.* Unde hodie talis dimissio vel separatio pars & nota dominii vocatur. *Cothmann. cons. 38. v. 80. vol. 1.*

5. *l. Prætor. ff. ubi Bartol. ff. de rei vindic.*

6. Cum non fundus tantum sed etiam rusticus pignori simul datus fuerit, sequitur eum hypothecaria actio quæ in rem est, *l. perfectionem* 24. C. *de Pignor.*

7. Nempe si tale, quod alienationem rusticorum impedit vel inutilem reddit, successor facta antecessoris injusta vel nulla rata habere non tenetur. *Tiraq. de retract. lignag. §. 1. glos. 1. num. 5. Bartol. in l. locum ff. solut. matrim. Alciat. resp. 162. num. 4.*

Digitized by Google

DECISIO XV.

Adversus eum sub cujus jurisdictione proprius alterius homo reperitur, de eo statim tradendo non decernitur mandatum, sed de justis præstandis & interim prospiciendo, ne vindicatus aufugiat.

CQuerebatur supplicans de Præfecto, cujus erat in pagos & rusticos jurisdictio, quod interpellatus subditum suum ibi repertum reddere recusaverit, quin potius passus sit eum cum alia connubii vinculum subire; inde difficiliorem sibi vindicationem reddere, rogabat inde mandatum de trahendo sibi statim subdito suo. Solet quidem adversus alios, penes quos est alterius homo proprius, tale mandatum decerni, (1) quod tamen tantum in se conditionem complectitur, si preces veritate nituntur. Et aliis semper sine longo processu restitutio fieri debet: (2) Attamen non est tali locus, quando, (3) cujus est de ea re jurisdictio, dicitur restitutionem denegare. (4) Quia ejus etiam est de eo cognitio, & juxta circumstantias decernendi potestas, minime urgendus est tali mandato, (5) quod ipsi jurisdictionem auferet & restringet, sed huic tantum mandatum, ut jus dicat vel justa vindicanti præstet. (6) Interea vero prospiciat, ne vindicatus fugâ elabatur & vindicationem eludat. Id pertinet in tali specie ad curam præfecti seu judicis atque demandari potest, debet, solet. Ubi deinde ille aut injustè decrevit, aut jus negat, vel protrahit, locus est remediis communibus, queis judices inferiores ob injustitiam vel denegationem justitiæ coercentur. (7) Sic conclusum *ad petitionem Obrist Helmuth von Plessen, contra den Ambtmann zu Neuhaesser, die 9. Januarii Anno 1655.*

n. *arg. l. divus 3. ff. Bartol. ff. de serv. fugit.*

2. Celeri processu in causis vindicationum adversus proprios homines procedendum est, *l. fi Coloni 14. verb. celeri reformatione C. de Agric. & Censit. ib. Luc. de Penn. q. 19.* nec nisi summariè proceditur. *Joh. de Platea ibid. Mynch. remed. recup. poss. 10. n. 117.*

3. Quando penes judicem non est ipse rusticus, ita ut ille rei partes sustinere opus habeat, tunc non est ejus restituere quod possessori incumbit, sed adversus hunc justitiam administrare.

4. Mandata sine clausula regaliter contra magistratus & judices sine prævia cognitione non decernunt, *uti sæpius inter has Decisiones monitum est.*

5. Quod in eo omnium magistratuum & judicum officium sit in inquirendo, adjuvando, reddendo, exponitur, *in l. 1. §. 1. ff. de serv. fugit. l. requirendi 2. C. eod. Lomnet C. de Agric. & Censit.*

6. *Quomodo hoc debeatur & præstari debeat, plenius exposui in scripto von Abforderung der Bauren in der 4. Hauptfrage &c. num. 138. & seq.*

7. *Vid. Gail. 1. Observ. 28. n. 7.*

TIT. XLVIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLIX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. L.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LIV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LV.

NON LICERE HABITATORIBUS metro comice loca sua ad extraneum transferre.

DECISIO I.

Inhabilis à retractu non excluditur, qui se habilem reddere potest & vult.

INhabilis, qui in civitate juxta leges ipsius bona possidere nequit, ad retractum quidem

dem non admittitur, quamdiu talis est. (1) inhabilitas enim excludit ab eo quod teneri nequit. (2) At si quis se habilem reddere potest & velit ipsum à retractu excludendi nulla causa existit: (3) cessat quippe tunc ratio exclusionis. (4) Nec talis amplius inhabilis censendus, sed idoneus ad possidendum, ideo etiam ad retrahendum, (5) sicut in eadem causa conclusum fuit qua illum, cum quo lis fuit, retrahentem non obstante inhabilitatis exceptione, quæ alias licet de jure tertii sit, (6) vim excludendi habet remoto impedimento vel facile removendo (7) audiendum, qua Senatum civitatis pro hujus jure conservando intervenientem, ut statuto satisfaciat atque ita se habilitet admonendum.

1. Id quod alibi inter decisiones nostras traditum reperies. Beneficia juris vel statutorum non comprehendunt nisi habiles, & quà hos tantum accipiuntur *l. singula ib. Butrig. num.* 15. C. *qui admitt. ad bon. possess. Rauden. de Analog. lib.* 1. *c.*30. *n.*93.96. Actus non fit nisi à persona habili *Vvesenbec. in Paratit. ff. de Auctor. tut. n.* 5. *in pr.*

2. Paria sunt non esse & esse inhabilem *l.*1. §.2. *ff. quod cujusque univers. l. libertus* 17. *ff. de manumiss. Testam. Scacc. de judic. cap.*9. *num.*186. *seq. lib.*2.

3. Hic quippe non est amplius inhabilis qui se habilitat. Impedimentum habendi ubi potest tolli seu in arbitrio capientis est, sublatum non amplius obstat. Paria sunt impedimentum tolli & non adfuisse. *Pacian. de probat. lib.*2. *cap.* 47. *n.*10.

4. Ideoque cessare debet exclusio *c. cessante X. de Appellat.*

5. Jus retractus est commune beneficium omnium qui lege vel moribus non reperiuntur exclusi. Etsi vero & lex excluserit, tamen exclusio non durat ulterius, quam durat causa & impedimentum.

6. Per modum inhabilitatis licet excipere de jure tertii. *Rauden. de Anal. lib.*1. *c.*21. *n.*53. *Mynsch. Consil.*756. *n.*18.

7. Non attenditur impedimentum quod removeri potest. *Costa de fact. scien. & ignor. inspect.*20. *n.*3. *Sfort. Od. de Restit. in integr. part.*1. *quæst.*27. *artic.*7.

In hac causa ita pronunciatum.

In Sachen Hans Branden Appellanten wider Christoff Meyern Appellaten/ Bürgermeister und Rath der Stadt Stade intervenienten/ in puncto juris retractus wird auff die pro confessis in contumaciam acceptirte gravamina erkandt/ daß nunmehr Appellanten das nähere Recht zum Haußkaufe gegen Erklärung dessen/ so gebühret/ zu verstatten/ demnach Appellate das Hauß mit dem erkaufften Zugehör Appellanten abzutreten/ derselbe aber dessen nach der Stadt Recht und Gebräuche ohne derselben Præjudiz und Nachtheil zu haben und zu besitzen/ darüber auch mit den intervenienten sich zu vergleichen/ oder da er wider die deßwegen gethane Anzeige was anoch vorzubringen hätte/ damit inwendig sechs Wochen einzukommen schuldig. Von Rechts wegen.

(Hoc est.) In causa Joannis Branden appellantis contra Christophorum Meyen Appellatum Consules & Senatum Civitatis Stadæ intervenientes in puncto juris retractus ad gravamina in contumaciam pro confessis acceptata decernimus, quod modo appellanti jus retractus ad emptionem domus ergà declarationem ejus quod convenit concedendus, indè convenit appellato domum cum emptis pertinentiis appellanti cedere ipse verò illam juxtà jura & consuetudines Civitatis absque illius dispendio habere & possidere, desuper etiam cum intervenientibus convenire vel si contra intimationem propterea factam adhuc aliquid haberet proferendum, id intrà sex septimanas proferre idque de jure.

DECISIO II.

Ob communitatis debitum adversus bona alicujus ex universitate executivè procedi non debet, nisi accedente speciali obligandi causa.

QUando communitas vel nomine ejus aliqui ab eâ potestatem habentes mutuum contrahunt, singuli universitatis ex eâ non obligantur, (1) nec in singulorum bona fieri debet executio, (2) nisi accedit causa, quæ præter illam seu pro illâ singulos eorumque bona obstringit, de quâ ex qualitate obligationis statuere oportet. Eam vel contrahit ipsa civitas & non transit ad singulos obligatio, nisi ex ipsorum consensu, (3) vel alii. Hi vero vel spondent tantum communi nomine, vel suo vel utroque. In primâ specie caret dubio saltem obligari civitatem ejusque bona, ideo & in hæc tantum executionem faciendam, præterquam ubi qui eo nomine contraxerunt potestatem excedentes illam efficaciter obligare nequeunt: (4) Quales sunt nudi magistratus seu administratores, adversus quos uti est actio, ita etiam executio. (5) In secundâ refert qui sint promittentes, an administratores, curatores seu Rectores Universitatis ejusque rerum vel alii. Illi censentur ratione ejus,

Digitized by Google

quod gerunt officii contrahere, (6) ideo tantum ut officiales, quare nec ultra ipsi eorumve res obligantur, (7) nisi expressim addiderint, quod etiam suo nomine teneri, vel suas res obligatas velint: (8) Cæteri quibus nihil officii est, cujus causa contrahunt, suo nomine contraxisse vel promisisse creduntur, donec doceant quare teneri non debent. (9) Qui juxtim communi & suo nomine spondent, utroque tenentur. (10) Hæc considerata sunt *in causa Burchard Decken contra David Herlin die 19. Septemb. Anno* 1654.

1. Quod debet universitas singuli non debent, *l. sicut ff. quod cujusque universit.* ideo pro universitatis debito nec singuli convenienti sunt. *l. un. C. ut null. ex vican.*

2. Universitate contrahente non in singulorum bona, sed in ea quæ universitatis sunt, fit executio. *Hartm. Pistor. quæst. 37. n. 6. part. 1. Coler. de Proceff. Execut. part. 2. cap. 3. n. 369 seq.*

3. Civitati non est potestas singulos obstringendi, nisi ea vel data ipsi sit à singulis, vel actus obligatorius ab his ut singulis approbatus. Quando autem singuli aliqua ratione semet sigillatim obligant, in bona singulorum fit executio. *vid. Hartm. Pistor. dict. cap. 37. num. 8. & seq.* Creditur hoc factum, ubi singuli nomina sua obligationis instrumento inserere patiuntur, *vid. Coler. dict. cap. 3 num. 372. per l. fin. C. de Vendit. rer. Civit.*

4. *De quibus vid. Hartm. Pistor. dict. quæst. 37. n. 2. & seq.*

5. Etiam cum civitas ex facto administratorum non obligatur, hi tenentur *l. civitas 27. ff. de reb. cred.* ut ut fuerint protestati se teneri nolle. *Bald. & Alexand. in d. l. civitas.*

6. Contractus vel actus officii ratione gestus, non pertinet ad contrahentem, nisi istius causâ. Qualitatem in isto expressam sequi debet creditor, tanquam sub qua contraxit, *l. nec ff. de Instit. action. l. cum pater §. 1 ff. de administr. tut.*

7. *Quod confirmatur per ea, quæ latius exponit Mantic. de Præsumption. lib. 3. præf. 49. num. 11. & seq.*

8. *Faber in Cod. lib. 4. tit. 7. defin. 15.*

9. *l. Titium 47. §. præfectus ib. Bartol. ff. de Administr. tut.*

10. Qua communem causam simul ut procuratores & fidejussores censentur, quemadmodum de procuratore, qui simpliciter contraxit, dicitur, quod creditur eum non tantum alieno, sed suo nomine proprio obligatum habet. *Bartol. in l. qui in aliena §. si is qui putat ff. de acquir. hared.*

DECISIO III.

Cum minus pretium solvit retrahens ob res retrahendæ deteriorationem, quemodo de illo statuendum.

EX protomiseos jure retrahentem idem precium, quod venditor ab emptore accepit, vel accepturus est, solvere decere retractus juri convenit. (1) At excipitur is casus, ubi interea dum de retractu in judicio contenditur, res deterior facta vel depreciata fuit. (2) Quanti res minus valet eo tempore, quo retrahenti restituitur, tanto minus precium habetur, (3) nisi qui retrahit causavit vel damnum, vel ne citius restitutio fieret. Ei, qui in mora fuit, illud damnum est. (4) Incidit quæstio, quomodo de eo statuendum sit? Et ex æstimatione remedium quæri congruum visum, (5) non tamen ipsius rei venditæ sed tantum deterioritionis seu damni. (6) Eatenus itaque tantum audiendos putavimus, qui de depreciatione conquesti voluerunt, ut per Commissarios consideretur ædium venditarum deterioratio, & quanti minoris inde res sit ut taxetur. (7) *In causa Heredum vidua D. Raphuns contra des Cammer-RathsDan. Schlegels Erben und Baltzer Sachtleben die 6. Apr. Anno* 1660.

1. *Gail. lib. 2. observat. 19. n. 7.*

2. De quo plenioremexplicationem videas in *Decis. seq.*

3. Circa pretium & æstimationem rei, circa actiones in rem scriptas, qualis est de retractu spectatur tempus faciendæ restitutionis.

4. Moræ is effectus est, quod transfert periculum in morosum.

5. Cum de pretio rei non convenit, ad æstimationem devenitur per peritos faciendam.

6. Non est de ipsa re quanti valeat, sed de damno tantum quæstio, ideoque hoc saltem æstimandum. A retractus natura alienum est ipsam rem æstimari, cum retrahens debeat id, quod empror promisit, vel debuit precium: Tantum, quod hoc ex deterioratione minus sit, illud decedit.

7. Hic vulgaris taxandi modus est, per Commissarios qui peritis æstimatoribus adhibitis quanti quæque res habenda sit, definiunt de quo vid. *Ruland. de Commiss. part. 12. lib. 4. cap. 14. per tot.*

DECISIO IV.

Cujus est damnum ex casu vel aliunde pendente lite existens ædibus, quarum causa super retractu agitur.

FRequens est de damno rebus, quæ in Retractum veniunt post illum accidente

Digitized by Google

dente quæstio. Circa quam tres personæ concurrunt & considerari debent, Venditor, Emptor, Retrahens. Venditorem à casu contractum subsequente, ipse contractus liberat, per quem omne periculum & commodum transit emptorem, (1) cui nulla de hoc contra istum actio supereſt & ne quidem ob tetractum. Cujus nomine non tenetur emptori de evictione, (2) multo magis ubi tradidit ab omni actione Retractus causa instituta liber est, & integrum precium ab emptore, cum quo contraxit, exigit atque accipit, non obstante ullo postea accedente casu. (3) Quod emptorem attinet, ille vel statim recepto eo, quod solvit, precio retrahenti restituere paratus est, vel moram restitutioni facit, dum litigare, quam reddere mavult. In priori specie periculum statim erit retrahentis, qui in emptoris locum succedit, atque, ut ejus commodis frui vult, ita etiam periculum sustinere debet. Quicquid igitur damni post oblatam restitutionem accidit, retrahenti imputatur. (4) In posteriore, cum mora est penes emptorem primum, tunc illius etiam est damnum, (5) ac tanto minus accipit, qnanto minus ob illud fit precium. (6) Accidit vero sæpius, lite super retractu exorta, ut ambiguum sit, quis in mora fuerit, dum uterque bono se jure niti confidit. Determinabit tunc eam rem litis finis & victoria. Siquidem retrahens succumbit, emptoris damnum ex jure dominii erit, (7) at litem temerariam movens in expensas & damna litis merito damnabitur, (8) ubi retrahens vicerit, illi aut res tradenda in eo, quo vendita fuit, statu, aut ex precio detrahendum, quanto minoris ob deteriorationem valet, (9) si accidit duos de retractu inter se contendere, utique primus emptor non est obnoxius ob aliquod insecutum damnum, (10) nisi quatenus ante horum litem ipse hujus causa fuit, de cætero inter litigantes de eo res certa erit, & petitio damni victoriam sequetur. Quod consideratum *in eadem causa.*

1. *l. 8. & tot. tit. ff. & Cod. de peric & commod. rei vend.*

2. Uti tenent Doctores communiter, quos allegat *Reinking. in Tract. de Retractu consanguin. quæst. 8. conclus. 2. n. 143. & seq.* ubi rationibus dubitandi respondet & communem opinionem ampliationibus & limitationibus illustrat.

3. Per realem enim traditionem multo magis est factus ædium dominus *l. 20. Cod. de pact.* unde dominii commodis & incommodis merito fruitur *l. fin. §. sed cum 3. in fin. C. de Furt. Pactan. 2. consil. 7. num 55.* cum res pereat suo domino *l. Damnum 12. C. Locati.*

4. Per rationem num. 3. allegatam.

5. Cuique enim sua mora nocere debet *l. in condemnatione §. unicuique ff. de R. J. l. mora 32. §. pen. ff. de usur. Wesenbec. in Paratit. ff. de condict. furt.*

6. Nam sicut retrahens una cum precio impensas necessarias emptori refundere tenetur *Carpzov. part. 2. const. 32. def. 7. Reinking. dicto Tractatu quæst. 6. concluſ. 3. n. 367. seq.* ita & merito detrahit quanti æstimatur id, quod Emptor rem retractam deteriorem reddiderit, cum proprie non dicatur res reddita quæ deterior facta est per *notab. text. l. 3. §. 1. ff. commodat.*

7. *vid. notata ad num. 3. hic.*

8. Aliàs judex de suo eas resarcire cogitur *l. properandum 13. §. sin autem 6. Cod. de judic. ubique Gilken. in Comment. n. 2.*

9. Per notata num. 6.

10. Tum enim primus emptor non amplius est in culpa & de periculo seu damno non tenetur is, qui non est culpabilis. *Card. Tuschus lit. F. concluſ. 482. n. 1. & nis.*

TIT. LVI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LVII.

DE CENSIBUS ET CENSITORIBUS & per æquatoribus & inspectoribus.

DECISIO I.

Æstimo circa contributiones inhærendum est, etsi ei fiat controversia, modo non illegitime confectum appareat.

QUando inter duas ejusdem terræ partes, at manifeste inæquales, æqualiter facta tributorum distributio iniqua, nec ob gravamen alteri cum alterius lucro illatum toleranda erat, nec tamen statim inter illas æqualitas in propatulo, ideo definire facile erat, ideo in quæstionem veniebat, quæ contribuendi regula eousque ut de æqualitate magis constaret, recipienda esset. Prædictam enim ex paritate partium notoriè iniqua retinere injustum erat: Ita vero se res habebat, ut olim ante paritatem partium iniquam introductam, una terræ portio amplius contribuisset: Postea vero post agrimensuram & æstimationem confecto catastro eidem onus minus & quidem in illa proportione supportandum esset. Rectius

Digitized by Google

Rectius existimatum est insistere æstimo, quam veterem formam sequi, postquam etiam per illud, cujus inæqualitas constitit. Sicut enim æstimum præcipue pro inducenda onerum certitudine & æqualitate fuerat compositum, (1) ita etiam ei circa indictiones est insistendum, quousque ejus error & iniquitas non docetur & corrigitur. (2) Ad illud quippe veluti ex lege publica & quasi contractu omnes rerum possessores & subditi obligantur. (3) Nec impedit aut in aliam sententiam adducere potest, quod æstimo controversia à quibusdam adhuc movetur, quasi in aliquibus aberratum, aut altera pars inique onerata sit. Si enim hoc non apparet, sed altioris indaginis aut prolixioris perquisitionis est manet interea pro æstimo juris præsumptio, ideo ei standum, donec contrarium probatur. Non enim tales publicas censuras ob aliquorum contradictionem convellere & postponere oportet, sed tenorem observare convenit, ad ulteriorem autem discussionem impugnantes remittere, nisi statim manifestum sit æstimum illegitimè & nulliter confectum fuisse, ita ut in substantialibus vitium reperiatur, (4) quale in præsenti specie repertum non fuit. Præterea vero accessit, in confectionem illius æstimi illos, qui nunc impugnabant consensisse, imo aliquando pro se allegasse, imo observantiam petiisse. Nec eorum si prisca mensura consideretur gravamen fore, ubi illa minus jam sustinerent & aut hoc ferendum aut gravius, donec rectificatio æstimi fieri possit. Ita factum *in causa der Eingesessenen des Landes Kedingen Freyburgischen Antheils, contra die Eingesessenen desselben Landes Busflitschen Theils, die* 10. *Dec. Anno* 1662.

1. Plurimæ quidem causæ ita & utilitas atque effectus æstimorum atque Catastrorum sunt, de quibus vid. *Klock. de Contribut. c. 17. num. 52, 82. & seq.* attamen è præcipuis, ut contributionum ad certitudinem atque æqualitatem, quam maxime composita ratio sit. *Festas. part. 2. c. 1. n. 38.*

2. *Cavale. dec. 22. num. 9. part. 2. Sylv. Cons. 99. n. 11. Col. 1.*

3. *Arg. l. etiam C. de execut. rei judic. l. 4. C. de agric. & Censit. Bald. Cons. 280.*

4. Catastra seu æstima quæ vitium magnum visibile habent per se nulla sunt, ideo vi carent, nec vel ex superioris confirmatione vires capiunt *Wesenb. cons. 103. num. 28. seq.*

DECISIO II.

Æstimum provinciale unde rite confectum arguitur.

CUm pro rectitudine atque æqualitate circa tributa mensuratio, æstimatio, descriptio agrorum facta esset, ut æstimi vicem haberet, post illud confectum in disputationem judiciariam tracta est ejus integritas, & quidem sub obtentu legitimæ confectionis. Apparuerunt autem illa omnia quæ in æstimis atque catastris conficiendis adhibere solent & debent. Primo enim compositio à Regimine Regio decreta atque injuncta est, adeoque publicâ autoritate susceptа atque publicum non privatorum opus est. Deinde constituti sunt ex commissione regiminis tum agri mensores, tum æstimatores quorum cura atque diligentia res ista expeditur. (1) Tertio, hi reperiuntur sacramento ad sincera atque fida ejus negotii devincti. (2) Quarto, quæ citatio eorum quorum interest ad actum mensurationis & taxationis necessaria, (3) non est omissa: Et licet non singuli prædiorum & agrorum possessores sint *vocati*, sed tantum toties terræ vel ejus partis aliqui Officiales, Deputati, vel Directores, sufficit tamen in hac specie, ubi non tam de singulorum agrorum æstimatione, quam cujusque partis terræ adeoque universitatis onere seu portione actum fuit. (4) Quinto, consenserunt intercessati descriptioni, mensurationi, æstimationi, (5) nec reperitur aliqua contradictio tunc temporis, quando contradicere licuit & oportuit. (6) Sexto, accurate reperiuntur descripti omnes ejus ditionis agri & eorum qualitates. (7) Septimo, post mensurationem accessit æstimatio, & quidem juxta singulorum conditionem & feracitatem, ratione habita fructus, qui ex iis sperare possit. (8) Octavo, facta de iis omnibus Regimini relatio, descriptionis oblatio & apud acta depositio, & quidem ea mente ut pro æstimo haberetur: si secus fieret, inutilis foret omnis opera & impensa pro isto insumpta, quod nemini verisimile est. (9) Non potest ad convellendam fidem, vim atq; autoritatem æstimi quidquam facere, quod objicitur agrimensores atque æstimatores ex quavis ejus terræ seu provinciæ parte deputatos non conjunctim in utraque officio suo functos esse, sed qui & singulis lecti, in iisdem tantum mensurasse & æstimasse, tum quia ita à Regimine ordinatum deprehenditur,

tum

Digitized by Google

tum quia si altera pars ita fieri noluisset, maturè atque re integra admonitum oportuit, tum quod silentio atque patientia approbatum sero frustraque impugnatur, tum quod non sine ratione sic factum, cum qui cujusque terræ fuerunt, exactiorem terrarum notitiam habentes æstimationi aptiores fuerunt, tum denique quod ex illo incommodi atque læsionis nihil adhuc apparet, sed in quo hæc allegatur præcipue ab ipsis incolis terræ, qui ex ea deputati in eadem officium taxatorum gesserunt. Præterea nec illuc facere potest, quod de prægravatione quæruntur. Pro illa corrigenda aliud remedium congruum & consuetum supereſt, ad quod recurrere integrum, minime vero inde permittendum, ut totum æstimum viribus aut observantia careat, præsertim cum nondum apparet, sed ulteriori inquisitione indiget. *In eadem causa.*

1. Æstimum census seu censuræ species est, ideo constituendi certi censitores, jurati agros metiantur & æstiment.

2. Juramentum agrimensorum & æstimatorum necessarium est ad ea, quæ ipsis committuntur. In his terminis æstimi idem requirit *Klock. de contr. c. 17. n. 23.*

3. *l. peræquatores* C. *de censib. In ejus qui non citatur præjudicium*, non vergit Catastrum. *Gapyc. decis. 107. n. 12. Nonius consil. 6. num 32.*

4. Qua citationem intercessatorum sic distinguitur utrum æstimatio tendat ad taxandum seu cottizandum singulos cives, ita ut ipsis noceat, an vero ad definiendam quotam alicujus universitatis. In illa specie omnium calculo necessaria creditur, *l. forma §. si cum ego ff. de Censib. Franc. de Claper. in cent. decis. Fiscal. caus. 27. q. 1. & caus. 36. q. 1. per tot.* Non tamen ut singulari citatione singuli vocentur, sed tantum ut per edictum vel alia ratione iis actus innotescat, sicut idem *de Claperiis d. loc.* & simul ejus observantiam tradit. In posteriori satis est vocare & adesse rectores, Syndicos, decuriones, *l. suscepiores ibi* Bart. *C. de Suscept. Festas. de æstim. c. 1. n. 12.*

5. Consensus obligat ad æstimum: Et sicuti qui non consenserunt, ex eo non obligantur, *Paris. cons. 104. in fin. vol. 1.* ita qui consenserunt, ex quodam contractu quasi sunt obnoxii, *l. 4. C. de agric. Natta cons. 268.*

6. Consensus colligitur ex omissa contradictione seu silentio, si mature contradicere oportuit, *l. qui non prohibet, ib. Dec. & Dd. alii ff. de R. J.*

7. Quando sine hac descriptione non potest fieri congrua æstimatio, *Fr. de Claper. in cent. caus. Fiscal. caus. 36. q. 2.* ea omnium necessaria est. Quomodo fieri debeat, *vid. ex l. forma §. 1. ff. de cens. Novell. 17. Thomat. in tr. de manner. §. retenta num. 7.*

8. Hæc est norma justi æstimi, in quo conficiendo non est attendenda æstimatio rationepretii seu valoris, cum quo comparata est, sed ratione fructuum & redituum qui ordinarie percipiuntur, *l. forma 4. in pr. ff. de Censib. Thomat. de Collect. §. retenta n. 9. Natta cons. 433. n. 4.*

9. In re tanti momenti inania & supervacua acta esse non præsumitur, sicut nec esse debent.

DECISIO III.

Æstimi emendatio concedenda est his, qui se prægravatos allegant.

ETsi æstimo seu contractui publico in causis contributionum insistere, & juxta ejus tenorem omnia imponere conveniit, eo tamen rigore id non fit, ut eorum qui se prægravatos putant, omnis querela excludatur. (1) Supereſt semper iis moderationem seu emendationem petendi facultas, (2) siquidem inique se gravatos docere possint. Quando enim æquitas in tributis æquilitatem, tunc iniquitas ab hoc exorbitantis transgressionis remedium poscit: Quod etiam tum utilitatis publicæ tum justitiæ causa Magistratus ex officio etiam nemine petente & instante afferre, (3) & sedulo curare debet, ne circa tributorum impositionem iniquitas & prægravatio contingat: (4) Multo magis itaque si subditus eo nomine agit & queritur, non difficulter audiri debet. Duplici remedio consultum est cuilibet prægravato: vel enim agitur per peræquatores, quorum æstimatione atque censura prægravati se læsos docere possunt: (5) vel adversus universitatem, quæ corpus contribuentium faciunt. Et quidem tum ad interesse, (6) tum ad distributionem collectarum ad æqualitatem reducendam, adeoque descriptionem in æstimo comprehensam emendandum, (7) quæ semper obtineri potest & debet, quoties prægravatio adest. (8) Etiam unius instantiæ ea tribuenda est, (9) nec alicujus contradictioni locus relinquendus ut impediat, quod æquum & sine cujusquam injuria fieri poterit. (10) Etsi itaque æstimo dari debere pronunciandum fuit, dum illegitime confectum non apparebat, iis tamen qui de iniquitate in aliquibus conquerebantur, concedendum erat, ut gravamina sua adversus illud allegare & demonstrare possent. Sicuti hæc ideo conjuncta fuerunt *in eadem causa.*

1. Pietati atque æquitati contrarium foret de prægravatione querentem non audiri, sicut iniquissimum alium pro alio exactionibus prægravari, *l. pen. C. de annon. & trib. l. si fundos 10. C. de fund. patrim.*

2. Eo facilius hi audiendi sunt, quo magis & æquum alium ante alium non prægravari, & Reipubl. salutare querelis, turbis & motibus ex inæqualitate frequentibus causam non præbere. Unde & Reipubl. interest, id gravamen tolli, *l. 1. C. de Epoch.* nec impedit remedium confirmatio æstimi facta à superiore, quæ cum aliis inæqualibus non tribuit robur. *Wesenb. cons. 103. n. 28. & seq.*

Digitized by Google

3. Ad hoc pertinet, æstimum frequenter inspici, & conditiones quæ contingunt considerari, inde quod vitiosum vel injustum reperitur, proprio motu corrigi. *Klock. de contr. c. 17. num. 121. seq.*

4. Eo pertinet frequens revisio æstimi & perquisitio status rerum in eo descriptarum, quam quovis quinquennio ob variationes temporum & rerum fieri debere suadent JCti. *Knich. in Cycloped c. 108. & seq. Boff. in tit. de Prine. n. 103. Menoch. cons. 1145. in fin.*

5. *Fab. in C. lib. 9. tit. 19. def. 1. Befold. cons. 37. n. 6 part. 2.*

6. *l. un. ibi. Gloss. C. de impon. lucrat. descript.*

7. *Arg. l. 3. C. communn. utriusque judic. VVesenbec. cons. 103. n. 27.*

8. Est quidem etiam in oneribus antequam ferri a semper observanda & variatio vitanda, *l. apud 20. ff. de option. legat. Auth. Sola in constit. Sabaud Gloss. decret. tit. de jure Emphyt. art. 42. n. 12.* at tamdiu si non accidunt, quæ iniquam faciunt: tunc res ita temperanda est, ut nova emergentia novum auxilium capiant, *l. de ætate 12. §. ex causa ff. de interrog. act.* & vitia priorum censorum datis novis evanescunt, *l. 2. l. 4. §. qui post censum ff. de censib.* Peræquatio toties facienda, quoties delectorum levamen exposcitur, *l. omne C. de censib. & censit.*

9. *Vid. Klock. d. tr. c. 17. n. 109.*

10. *Klock. d. c. 17. n. 129.*

DECISIO IV.

Emendatio æstimi quæ fit ad aliquorum querelam ob prægravationem, facienda est per peræquatores sumptibus petentis.

POstquam certum erat audiendos, qui de prægravatione querebantur, ideoque constituendum esse de auxilio adversus illam præbendo, supererat inspectio, quomodo & cujus sumptibus fieret. Quod modum attinet, placuit solitum sequi & gravatis peræquationis & moderationis velut ordinario remedio succurrere, (1) constitutis quibusdam per commissionem velut peræquatoribus atque moderatoribus qui gravamina conquirentium audiant, in re præsenti de iis exquirant, si opus visum de novo mensuram & æstimationem assumptis juratis æstimatoribus faciant, causam cognoscant, juxta rerum statum moderationem faciant. (2) Sumptum autem quia non amplius de novo æstimo faciendo aut toto illo emendando, sed tantum de unius partis gravamine res est, hæc quæ rogabit & indiget, sustinere cogitur. (3) *In eadem causa.*

1. Olim censitores quidam ordinarii erant, deinde constituti sunt peræquatores, quorum officium erat de æqualitate in tributis servanda sollicitum esse & iniqua corrigere, unde etiam nomen habuerunt à peræquando, ut æqua circa contributiones omnia facerent, *Florez. Diaz. de Mena pract. quæst. 21. n. 6.* Horum vicem in Imperio Romano gerunt moderatores onerum, de quorum officio, potestate & processu plura in Recessibus Imperii reperies. Eorum exemplo constituere & procedere oportet in provinciis Imperii, cum de prægravatione corrigenda res est.

2. De hoc procedendi modo vid. R. A. de Anno 1554. §. und demnach solche ꝛc. R. A. de Anno 1555. Und demnach ꝛc. de Anno 1594. §. Es sollen ꝛc. *Klock. de contrib. c. 18. num. 165. & mult. seq.*

3. Quæ sumptus peræquationis distinguitur, utrum in ea agitur causa totius universitatis, & licet unus vel alter tantum eam urgeat, ne pro aliis solvere cogatur, impensa est totius universitatis seu terræ. *Faber in C. lib. 9. tit. 19. def. 20.* Aut agitur tantum de portione alicujus ad æqualitatem reducenda: Et refert, utrum hoc fiat ob nulliter confectum æstimum, & tunc impendii refusio incumbit, vel peræquatoribus male versatis vel universitatis ejusque administratoribus, qui male constituerunt. *Fab. in C. d. tit. 19. def. 1. n. 5.* An ob errorem sine culpa profectum, seu casum, seu causam de novo supervenientem, seu ob quædam antea non prolata, tamen considerandum, & tunc quicquid ad inducendum æquioris contributionis rationem à quoquam fit, suis sumptibus etiam curandum est. *Fab. d. def. 1. n. 4. & d. def. 20. n. 1.*

DECISIO V.

Modum collectandi mutare fas est magistratui, attamen non sine justâ causâ nec nisi auditis iis quorum interest, vel quorum consensu receptus fuit.

APpellatione interposita querebantur nobiles quidem ex Ducatu Bremensi, quando antea in parte hujus, quæ *die Geeſt* vocatur, is contribuendi modus solitus erat, juxta quantitatem ædium *nach Fach, Tach und Viehe* collectas conferre, jam prædiis, agris præsertim villis *den Höfen* istas imponi atque ita à veteri contribuendi forma discedi. Circa modum autem discernendum est, utrum certus quidam ex lege publicâ seu aliquo more in provinciâ receptus est, an verò quo quæque collecta modo inferatur non definitum, ideo de eo statuere liberum. In posteriori specie, ubi summa collectandi certa est, superiorum illam accipientium parum interest, per quem modum confertur, ideo contribuentibus tunc integrum eum pro sui commoditate tolerabilem definire & recipere. (1) Nec enim ut collectandi jus, sic modum dicendi est de regalibus seu de jure

Digitized by Google

de jure magistratus, sed de facultate cujusque universitatis, nisi statuto vel usu hæc subditis abrogata & superioribus attributa fuerit. (2) Sicuti alicubi locorum est impetrantium modum contribuendi statuere, alicubi illorum simul & Ordinum Provincialium, alibi horum designare, illorum inspicere, super eo statuere & defectus vel iniquitates corrigere & rectificare. In priori autem modus publicè constitutus, aut longo usu servatus, ideo ordinarius legis vicem habet, quocirca strictè servandus, (3) & ejus mutatio non est aliorum, quàm apud quos legem condendi potestas est; Siquidem hæc non est solius Principis seu horum vice illorum, qui ad gubernacula sedent, sed simul ordinum, vel si ille sine horum consensu de eo nihil statuere valet, utique nec sine isto mutatio valebit. Pertinet tunc hæc res ad conventum consulationem atque conclusionem communem. Ubi verò Principis vel illorum est, qui regimen vicarium exercent, tunc ipsis à veteri modo discedendi arbitrium est, sed quo contrà veterem consuetudinem facile uti non debent, nec etiam sine ratione; maximè vero non cum aliquo injusto subditorum gravamine. Uti enim nimiis collectis hi non sunt onerandi, ita nec modo aliquo insolito atque intolerabili. Justa vero ratio pristinum mutandi erit, tum si propter mutationem status aliarumque circumstantiarum in loco modus contribuendi vetus fiet vel incongruus, vel iniquus, vel inutilis parumve proficuus, vel intolerabilis. (4) Deinde si fraude aliâve arte incolæ mutant rerum suarum conditionem vel per temporum casus immutatum non reducunt in eam faciem, ut contributio inde haberi queat, veluti si cum juxta recti & ædificii qualitatem vel quantitatem solvitur, iis destructus reædificatio omittitur, ne onus supportetur, agris vero & pascuis domini utuntur; Tertio ob inæqualitatem etiam justa in modo eatenus mutandi ratio accedit, quo æqualitas servetur. (5) Tandem cum imminutum est corpus contribuentium, remanentes fundi quorum causâ contribuitur, causam mutationi præbent: Hæc ita pro circumstantiarum diversitate non ejusdem æquitatis considerata effecerunt, ut processus statim non decerneretur, sed concluderetur, prius à Collegio Regiminis per rescriptum explorandum esse, tum quid circa modum contribuendi antiqui moris, tum quæ ratio mutationis fuerit *in causa der im Gerichte Asbim Eingesessenen von Adel, contra Brüning Meister & consortes, die 3. Julii Anno 1655.*

1. Sic ferè ubique in Principum Imperii territoriis servatur, ut subditis relinquatur collationis modus quem ritè formari ipsorum potissimum, minus superiorum interest, quibus satisfit, ubi potiuntur eò, quod debetur, subditis verò tolerabilia sunt permittenda.

2. *Klock. de Contribut. c. 17. n. 19. & n. 172. Menoch. consil. 27. n. 33. & seq.*

3. Circa onera præprimis considerandum & sequendum, quod mores receperunt,

4. Non ultra modum possessionum quas quisque possidet, collatio facienda. *l. introductiones 3. C. de Annon. & Tribut.* ut itaque iste mutatur, sic mutandum onus ab illis sustinendum, quia iste juxta facultates præcipuè commensurandus, *Klock. de Collect. c. 17. n. 5.*

5. Hoc ad officium curamque superiorum pertinet distributionem & peræquationem onerum præsertim modum collectandi ita disponere, ut nulla fiat iniquitas, nemo præ cæteris prægravetur. *Klock. consil. 148. n. 1. vol. 3.* Diligenter curandum; ut æqualis sit tributorum collectio, id quod circa formam istorum præprimis requiritur, *l. in fraudem 7. C. de Annon. & Tribut. l. ult. Cod. quemadm. civil. mun.*

DECISIO VI.

Exceptio abdicati retractus non nascitur ex sola venditionis oblatæ non receptæ conditione cum alia quædam hujus causa appareat.

COntra quos conductor ex jure retractûs conventionalis experiebatur exceptionem abdicati juris retractus opposuerant (1) in hoc fundatam, quod juxtà tenorem pacti venditionem destinatam se significasse juxtim emendi conditionem obtulisse, at ab adversario non receptam esse dicerent. (2) Replicatum verò erat non ideò hanc non receptam, quod emere noluisset, sed quia cum illa oblata venditor pretium pro quo vendere vellet simul non denunciasset: (3) deinde quòd cum æquum pretium idque non multum ab alio quod deinde accepit discrepans obtulisset, eò non contentus nimis iniquum mulctoque auctius quàm deinde accepit exegisset, (4) ideò se donec ad meliorem mentem venditor veniret omisisse, non abdicasse contractum, (5) ad eum mediante retractu sibi aditum patere, postquam id quod approbavit pretium rescivit; quo ignorato non licuit jure suô uti, (6) Justiora hæc ideò admittenda visa sunt, spectatô tum venditoris debitô, cujus est non tantùm conditionem emptionis offerre, sed simul pretium rei suæ statuere, (7) tum denunciationis faciendæ justa forma quæ ex retractus

Digitized by Google

jure significationem ejus quod alter daturus est, aut quod venditor habere velit posit, (8) tum rei æquitate, cui convenit non quale quale precium sed justum & congruum dicere. (9) Quod ob hujus iniquitatem non vult emere non emptioni renunciat sed precium improbat, illam potiùs, modò hoc æquum erit, reservat. Quando postea ab alio minùs quis stipulatur vel accipit, argumentum fraudis præbet, (10) & quia alter tunc demum, cum precium veram rescivit, emere potuit antea exclusus censeri non debuit. Ita judicatum *in causâ Daniel Süssen contra Fratres der Bartolomeessen, die 9. Octob. Anno 1655.*

1. Legitima est hæc exceptio, *Boer. decis. 76.* quandoquidem ad ea quæ semel abdicata sunt regressus non datur. *l. queritur 14. §. si venditor 9. ff. Ædil. Edict.*

2. Ex tali facto renunciatio inducitur *Richter. decis. 76. n. 169. part. 2.*

3. Denunciato obstringitur is cui retractus competit ad emendum vel abdicandum, seu pro eo esse debet oblatio conditionis vendendi non generalis sed specialis esse debet, cum mentione precii justi. *Tiraquell. de retract. lignag § 36. tit. 1. n. 20. & seq. Carpan. in Stat. Mediolan. c. 417. num. 788. seqq.*

4. Retrahens ex lege seu pacto non ad aliud nec majus tenetur quam quod alius verè & non simulate offert emptor. *Matth. de Afflict. de jur. protimis. §. 4. num. 2. & seq. Gail. 2. Observ. 19. num. 7.*

5. Qui causam habet non emendi is præcisè non abnuit sed potius differt & integrum sibi jus suum reservat. *Richter. dict. decis. 76. num. 172.*

6. *Richter. d. decis. 76. n. 171. & 173.* Ignorati non fit renunciatio. *Gail. 2. Observ. 41. n. 2.*

7. Juxta proverbium ein Verkäuffer lobet seine Waare; Quamdiu id quod venditoris est ab eodem non præstatur vel significatur, non potest in emptore quidquam desiderari *arg. l. Julianus 13. §. offerri 8. ff. d. act. empt.*

8. Denunciatio enim requiritur specifica *vid. supra n. 31. & quæ scripsi in comment. ad Jus Lubecens. lib. 3. tit. 7. artic. 1. n. 52. & seq.*

9. Retrahens non tenetur nisi ad justum precium *l. cum fundus 31. ff. si cert. pet. l. si servus 37. ff. de Ædilit. Edict. Gail. 2. Observ. 19. num. 2.*

10. Ubi venditoris fraus justis argumentis arguitur, non juvatur exceptione renunciationis, nec ista illi proficere nec alii nocere debent. *Carpzov. in jurisprud. forens. part. 2. const. 32. num. 2.*

DECISIO VII.

Ædium reparatio quamdiu super retractu litigatur permittenda est possessori.

PEndente super retractu lite necessitati ædium quæ reparatione valde indigebant succurrere satagebant emptor, venditor, & qui retractus jure utebatur. Quisque verò id alteri concessum in suum præjudicium ducebat, ideo ab alio quam se id fieri nolebat, forte etiam ex usurpata ea facultate aliquid argumenti pro se captabat. Est hoc onus eorum, qui finitâ lite rem obtinebunt, qui impendenti restituere tenentur. (1) At ubi quis facere debeat controvertitur, possessoris id onus & jus esse debere concluſum fuit, (2) utpote quam aliàs in dubio sequimur. (3) Quidquid itaque possessor in ædes pro avertenda ruina seu conservatione impendet, refundet cui post litem finitam ædes cedent. (4) In eâ causâ quæ hic sub manibus est rem tenebat, qui retractus jure uti intendebat, & illud exceptione contra venditorem & emptorem defendebat, quare etiam ipsi ædificandi licentia per sententiam fuit facta. *In eadem causa.*

1. Qui retrahit non tantum precium, sed etiam impensas necessarias refundere tenetur *ut tradit & declarat Carpzov. in Jurisprud. forens. part. 2. const. 30. defin. 7.*

2. Non alius commodè facere potest. Qui tentabit ille ex alterius possessione varia reperiet obstacula ille ex alterius possessione varia reperiet obstacula & impedimenta.

3. *l. 2. C. de Condict. ob. Turp. caus. arg. l. 1. § fin. ff. uti possidetis.*

4. *Vid. Gail. 2. Observ. 19. n. 10. Koppen. decis. 52. num. 19.*

Juxta ista decisionis sententia hoc tenore publicata est.

In Sachen Daniel Süssen Klägers und Appellanten an einem / entgegen und wider Marten und Andreas Gebrüdere die Bartelmeessen / dann Heinrich Steffens Beklagte und Appellaten andern Theils / in puncto retractus eines Hauß Kauffs / itzo relevantiæ gravaminum ist die fürgenommene Appellation dero formalien halber beständig / und die Sache dadurch zu fernerer rechtlichen Erörterung der beschehenen Widerrede ungehindert anhero devolvirt; darauff ferner die materialia belangend allem Fürbringen nach zu Rechte erkant / daß die wegen deß dritten und letzten Puncts / deß den Bartelmeessen zuerkanten und angemaßten Beweises in libello appellationis von dem 25. biß auff den 46. articul enthaltene articulirte gravamina, als erheblich zu zulassen / und Appellaten zwischen dis- und nechstem Gerichtstage singulariter singulis darauff zu antworten schuldig seyn sollen / so dann auch

Digitized by Google

auch wegen der gefoderten pension Heinrich Steffen noch zur Zeit keine action competirt, als welche Zeit währenden Rechtstreits bey den Bartelmeessen billich verbleibet / und wird Appellant Süsse zu der nothwendigen Bau- und Besserung deß Hauses pendente processu, jedoch ohn einigen præjudiz gestalten Sachen nach hiemit verstattet / respectivè absolvirt und schuldig erkannt werden / V. R. W.

(Hoc est.) In causa Danielis Sussen actoris & appellantis ex una, contra Martinum & Andreã fratres Bartelmesen tum Henricum Steffens Reos & appellatos ex alterâ partibus, in puncto retractus alicujus emptæ domus modo relevantiæ gravaminum, appellatio ratione formalium justificata, & causa per hoc ad ulteriorem decisionem non attentâ contradictione huc devoluta, indè ulterius quo ad materialia ad allegata decernimus, quod gravamina ratione tertii & ultimi puncti probationis, ipsis Bartelmesen injunctæ & susceptæ in libello appellationis a 25. usque 46. articulum articulata, velut relevantia admittenda & appellantes tenentur inter hanc & proximam juridicam singulariter singulis desuper respondere, tum etiam ratione petitæ pensionis, Henrico Steffen adhuc dum actio nulla competit, utpotè quæ tempore durantis processus ipsis Bartelmesen meritò permanet, & appellans Sussen ad necessariam ædificationem & reparationem domûs, pendente processu attamen absque ullo præjudicio juxtà statum causæ hisce admittitur, & ità respectivè absolvitur & condemnatur idque de jure.

DECISIO VIII.

Bona quæ vel plane non vel non justo modo catastrata sunt, vel quorum catastratio legitime impugnata, libera à tributis manent, donec oneribus addicta Schatzpflichtig probantur.

INter ea quæ appellans pro asserenda possessionum suarum à tributis libertate *die Schatzfreyheit* vocata in libello articulaverat, reperiebatur factæ catastrationis negatio, *das die Æcker oder Meyer in den Land- oder Schatz-Registern vor Alters nicht beschrieben gefunden worden*, E catastris seu æstimis publicis non modo affirmativum sed etiam negativum ducitur argumentum & recte concluditur, quæ bona incatastro vel æstimo non reperiuntur, esse, aut certo præsumi libera. (1) Maxime si in provincia sic moris est bona oneribus publicis addicta in illo describi. (2) Allegatur in Ducatu Bremensi esse tales libros antiquos, in quibus reperiuntur descripta bona tributaria *die Schatzpflichtige Güter*, hi ipsi eam collectionem præbent, quæ ut ideo conscripti sint, quo sint talium bonorum indices atque contributionum regulæ, quem in finem usurpantur, ideo non descripta ab iis sint libera: objiciebatur quidem in actis, etsi antiqua catastra mentionem istorum bonorum non haberent, recentioribus tamen descriptionibus inserta, attamen valida erant & considerabilia quæ appellans reponebat. Primo enim negabatur, eam descriptionem agrorum in qua adversarii se fundabant, veram esse catastrationem, nec de illo librum censualem talem esse confectum, qui nomen catastri seu æstimi capere queat. (3) In quo non observata forma velut injustum & invalidum reddit catastrum. (4) Deinde se suisque majoribus non consentibus, imo & ignorantibus descriptionem processisse allegabat, quod à jure alienum est, (5) eoque minus nocet quo majus præjudicium ignaris & non consentientibus infert, (6) Additur porro ex quo reticitum tam inique cum appellante actum fuisse statim descriptionem impugnatam esse, (7) atque ex eo tempore non soluta sed negata esse tributa. (8) Talia hæc reperta sunt, quæ appellanti cum probabuntur proficere poterunt, ideo ad ulteriorem deductionem admissa. *In causa Otto Henrich von Hadeln contra die Eingesessene in Hammelwarden die* 15. *Januarii Anno* 1656.

1. *Andr. Barbatia in consil.* 26. *n.* 20. *vol.* 1. ubi addit, cum bona nunquam sunt registrata proprie non dici exempta, sed præservata in ea libertate, in qua erant ab origine ineundi.

2. Sic multorum locorum mos obtinet, isque valde proficuus bona subditorum in catastro describi, *cujus plures utilitates & effectus vide annotatos apud Klock. in tract. de contrib. c.* 13. *n.* 83. *& mult. seq.*

3. Catastrum præter eam formam, quam quolibet loco ex consuetudine capit (ubique enim fere aliqua alia recepta reperimus) necessario exigit ut fiat (1) publica autoritate (2) vocatis iis qui quorumve bona describi debent (3) expensis & consideratis, inde taxatis singulorum facultatibus (4) cum insinuatione in acta publica, *uti hæc late exponit Festasius in tract. de æstimo, præsertim cap.* 2. *per tot.*

Digitized by Google

4. Forma ut dat esse rei, sic eum abest ipsam rem vitiat.

5. Quando catastratio est quidam quasi contractus, *Bartol. in l. etiam C. de execut. rei judic.* & obligationem eorum quorum bona describuntur, *l. 4. C. de Agric. & censit. Natta consil. 268. n. 6.* & hypothecam bonorum inducit, *Thomat. de Collect. §. sane n. 3. Rol. à Vall. consil. 79. n. 2. vol. 4.* non potest fieri nisi vocatis & conscriis iis, quorum sunt bona. *Fr. de Claperiis in Centur. decis. forens. caus. 27. q. 1. & caus. 36. q. 1.* Nesciis & non consentientibus liber iste non præjudicat. *Paris. consil. 104. in fin. l. 1. Cacheran. consil. 39. num. 23. & seq.*

6. Non attenditur æstimum quatenus grave alteri infert præjudicium. *Capyc. decis. 107. n. 12. Tob. Nonius consil. 16 n. 31.* Tali nec summi quidem Principis confirmatio robur addit. *VVesenb. consil. 103. n. 28. seq. vol. 3.*

7. Cuilibet fas est descriptionem impugnare & reformationem petere. *Festas. de Æstim. c. 1. n. 21 Klock. de contrib. c 17. n. 109.*

8. Quando aliter quam in æstimo vel catastro scriptum processit solutio tributorum per multum temporis, potius statur consuetudini & actibus isti contrariis nec illud contra hos fidem vel vim habet. Non probat catastrum sine solutione vel præstatione. *Mascard. de Probat. conclus. 273. num. 4. & seq. Alex. Raudens. resp. 32. num. 62. l. 2.*

DECISIO IX.

Libri censuales & tributorum Steur-Register fidem faciunt, ut auditis iis, contra quos ex iis contenditur.

NIhil injuriæ habet condemnatio ad tributa, ideò quod secuta fuit tenorem librorum censualium, *die Steur und Schatz-Kegister.* Probandi quippe vim habent, (1) & inter monumenta publica referuntur, (2) ideo testium dictis potiora: (3) At in eo aberratum, ideo causa appellandi fuit, quod super iis statim facta est, antequam fiebat copia libri tenoris reo, ut inspiceret, adeò illo plane non audito. (4) Utcunque enim instrumenta publica contra aliquem producuntur, judex tamen nisi communicata copia & audito prius reo statuere aut sententiam pronunciare non debet. Requiruntur enim plura, ut tales libri fidem plenam faciant, nempe ut conscripti sint publica autoritate; (5) Deinde per publicos officiales ad id publicè deputatos; (6) & ex archivo publico profe-rantur: (7) Ut pro scriptura publica & authenrica sint habiti: (8) Præsumptionem faciant. (9) Interest itaque maximopere audiri ad quos ea res pertinet, ut videant & observent, an omnia sic sint comparata, ut plenam fidem facere queant, & si quid secus reperiunt, de eo judicem maturè moneant. (10) Et repertum præterea in præsenti casu, cur fides iis habenda non fuerit, quando appellans allegat se nunquam ejus agri nomine, de quo agitur, solvisse tributa, in possessione ab istis immunitatis fuisse, qua fruuntur in illa ditione nobiles; (11) Ideo exemptum & ut non de numero contribuentium, ita quasi nec de districtu esse. (12) Quo itaque adhuc audiretur appellans processus decreti sunt. *In causa Lüd. der Kabben, contra der Offenvverder Bauerschafft, die 20. May. Anno 1656.*

1. *l. 4 ff. de censib. l. 2. C. de Fund. rei privat l. 1. C. de Exactorib. Tribut. l. Census 10. ff. de tribut.*

2. *Knichen. de Jur. territ. c. 3. n. 345.*

3. *l. 4. C. de Fid. Instrum. l. pen. C. si propt. pensit. publ.*

4. Fit quidem judici probatio, at judex probationem factam non statuit, nec super illa pronunciat, nisi auditis partibus.

5. *Klock. de Contribut. c. 20. 384.*

6. *Mascard. de Probas. conclus. 975. n. 35. Crevett. de antiq. temp. part. 1. limit. 4. n. 62. & seq.*

7. *VVesenbec. consil. 145. n. 57. vol. 7. Mascard. de Probat. conclus. 273. n. 12.*

8. *Mascard. de conclus. n. 15.*

9. *Mascard. ibid. n. 1. Hieron. de Mont. de finib. 64. n. 5. Klock. dict. c. 20. n. 378.*

10. *l. de unoquoque 47. ff. de re judic.*

11. Catastra ut ut publica, si tantum descriptionem agrorum in istis, non vero simul & solutionem collectarum testantur, non probant, præsertim contra eum qui in possessione immunitatis est, *Mascard. dict. conclus. 273. n. 4. seq. Alexand. Raudens. resp. 32. n. 62. lib. 2. per l. solennibus C. de Rei vindic.*

12. Paria sunt non esse de territorio & esse quidem sed exemptum. Ut itaque censuales libri non probant contra illos, qui non sunt de territorio, *Mascard. d. l. num. 17. Nicol. de Passerib. de script. privat. lib. 5. quæst. 1. num. 20. & quæst. 5. num. 11.* ita nec plenam fidem facient contra exemptos, qui se fundat in antiqua exemptionis possessione.

TIT. LVIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LIX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT.

Digitized by Google

TIT. LX.

DE PASCUIS PUBLICIS VEL privatis.

DECISIO UNICA.

Actus pastusque ovium non concedendus pro prædio adjecto alteri cui debebatur, indeque aucto numero.

QUi actum pastumque ovium *die Schafftrifft* pro vicino prædio in alio loco habuerat, ubi plures deinde agros sibi comparans majorem istorum numerum alere poterat, ideò gregem auxerat, actu pastuque cum majore isto ut antea uti intendebat, vicinus verò resistebat, non licere ultra priorem numerum agere & pascere. Cum illo istum continuante, hic mandatum sine clausula impetrasset, appellatio interponebatur. Pro impetrandis processibus gravamina valdè obscura erant, ut inde de jure appellantis vix constaret. Videbatur circa illam litem multum interesse, quo jure actus pastusque in vicino prædio haberetur, nempe an jure alicujus domini i, an servitutis, (1) Si per dominium, uti sæpè in vicinis, ob communionem agrorum quorum pars alterius est, ille usurpatur, (2) utique ob auctum numerum ovium prohiberi aliter non potest, quam ut cum innovatione quadam tendit in vicini magnum incommodum, (3) & ultra jus vel utilitatem, quæ ex communione pro parte debetur, usurpatur. (4) De quo præprimis ex consuetudine provinciæ statuendum erit. (5) At quando actus pastusque vicino prædio ex servitute debetur, tunc nihil ex & pro ea augeri aut fieri potest, unde conditio fundi seu prædii servientis aliqua ratione magis oneretur vel deterior fiat, (6) sed modus antiquus servandus est, (7) extra quem nihil juris habet, cui debetur servitus, quæ nullo jure extra prædium dominans exigitur & sumitur. (8) Quando verò non apparebat, ad quam speciem id quod prætenditur referri deberet, ideò de gravamine res planè incerta, placuit ad narrata processus non decernere, (9) *die 16. Septembris Anno* 1659.

1. Diversitas tituli & causæ facit diversitatem juris. Nam ex primordio tituli posterior formatur eventus, *l. 2. Cod. de Impos. lucrativ. descript.*

2. Sic in Pomerania obtinet, ut cujus agri pars aliqua vicini est, non tamen valde modica, es muß über eine Land-Hueffe seyn/die 30. Morgen machet/ in eam actus pastusque ipsi sit, nisi aliud longa consuetudine introductum fuerit.

3. Sua quisque re etiam in communione uti non prohibendus. *l. in re mandata 21. Cod. Mandat.*

4. In tali specie nemo in re communi invito socio aliquid facere potest, sed potior est causa prohibentis. *l. Sabinus 28. Cod. Commun. dividund.* Alias ubi nihil damni subest, usum liberum esse tradit *Cravett. Consil. 676.*

5. Pro ea tantum quisque re communi potest uti, pro qua dominus est. *l. qui scit. pr. ff. de usur. & fruct.* Nemo plus sua parte dominabitur. *l. duo 78. ff. de acquir. hared.*

6. *l. 5. §. Neratius ff. de Servit.* Quod si nihil oneris vel damni vicino inde existit, concedi debere creditur. *Luc. de Penn. in l. Pathippum Cod. de Curs. publ.* Ita hac in re distinguendum putat *Cravett consil. 676. per tot.* Ubi idem esse ait, seu de jure communionis seu de jure servitutis agatur.

7. *l. non modus C. de Servit. & aqua.*

8. Servitus non exercenda ultra jus & usum prædii dominantis. *Papiens. in for. action. leg. Confessor. verb. servitus n. 5. Surd. consil. 27. per tot. Pansirol. consil. 116. n. 27. per tot.*

9. Ita fieri expedit, ut potius in dubio ad narrata processus denegentur, quo appellans explicatius narret si impetrare velit, quam ut statim iis decretis partes longis & supervacuis, aliquando injustis litibus involvuntur.

TIT. LXI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXIV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXVI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT.

Digitized by Google

TIT. LXVII.

DE AGRICOLIS ET MANCIPIIS Dominicis vel Fiscalibus sive rei privatæ.

DECISIO I.

Non fit homo priprius qui ad certum tempus vel donec placuerit rusticis operis se addicit.

ORitur quidem ex eo quod quisquam agro vel prædio operas suas addixit ut rusticus, vel si domino de iis fidem stipulata manu dedit ascriptitiæ conditionis præsumptio; (1) sed quæ diluitur si adjectum sit certum tempus vel conditio, quamdiu placuerit. (2) Ex ista magis apparet operas tantum promissas & debitas non conditionem mutatam esse. Libertas per tale pactum integra manet. Interea in servitute tantum est qui servit non servus (3) ideo ab operis discedere liberum. Nec obest illi aut longissimum tempus (4) aut vero inter alios conventio. (5) Etsi enim quis fundum, cui operæ rusticæ præstantur, vendidit & in inventarium seu designationem hominum propriorum ille qui ex pacto operas debet, redactus sit, into si vel expressim venditus sit, minimè hoc ad immutationem conditionis facit. (6) Nec ille inde glebæ ascriptus efficitur, nec dominus prædii sine voluntate sua illum proprium hominem dicere potest. Et licet ab illo agro vel fundo in quo primum habitavit ad alterum translatus fuerit, vel si operæ mutatæ sint, non tamen hoc libertati illius officit. (7) Qua integra id factum creditur, quamdiu illa non abdicata ostenditur. Cujus in dubio præsumptio non capitur. (8) Sic judicatum *in causa Teschen contra Caspar Philip Gutzlaff Roter-mundten die* 10. *Januarii Anno* 1656.

1. *De quo vid. à me scripta* im Bedencken von Abfoderung der Bauer-Gütte *quæst* 2. *n.* 57. *& seq. Husan. de propr. homin. c.* 14. *n.* 10.

2. Ad tempus vel usque ad certam conditionem servituti addictus post illam liber est. *l. pen. ff. de serv. export.*

3. Differunt hæc multum in servitute & servum esse. Liber potest esse aliquandiu in servitute, sed non ideo servus sit, aut liber esse desinit. §. 1. *Inst. de ingen. ib. Fab. Schneidewin. & Dd. alii.*

4. Quæ meræ facultatis seu naturalis libertatis sunt non præscribuntur *l. viam* 2. *ibi gloss. & Dd. ff. de Via publ.* sola temporis longinquitate libertatis jura minime mutilari convenit. *l. fin. C. de long. temp. præs.*

5. Privatorum pactionibus non læditur jus aliorum *l.* 2. *ff. de Transact.*

6. *l.* 1. C. *eod.*

7. Libertas quæ semel competit, nunquam cessetur aut revocata, *l. ergo* 4. *quid ergo* 2. *ff. de fideic. libertat.* aut abdicata *arg. l. cum indebito* 25. *pr. ff. de Probat.* creditur. Quidquid sit, ea salva & illæsa factum habetur & ista in dubio prævalet *l. si servus* 50. *ff. de fideic. libert.*

8. Pro servata libertate semper capienda est interpretatio. *l. si servus* 50. *ff. dict. tit.* & ferenda sententia *l. cum inter* 14. *C. eod.*

DECISIO II.

Fugitivus à servitio, quando nondum potuit, recedens etsi liber homo, liberandus non est, nisi ad illud rediens & decenter resignans.

ETsi qui uxorem suam & bona à domino prædii dimitti atque ad se venire sinere rogabat liber homo nec glebæ ascriptus erat, sed cum vellet ex pacto discedere poterat, haud tamen id clandestine & sine decente significatione vel resignatione prævia facere debuit. (1) Minimè vero fuga licuit. (2) Per quam se proripiens nihil à domino impetrare debet, nisi prius ad locum unde aufugit reversus, præterquam si fugiendi justa causa demonstrabitur. (3) Qua sine fuga spolii instar est. (4) Atque ut spoliatus ante omnia restituendus est, (5) & exceptio spolii usque ad restitutionem repellet spoliatorem agentem, (6) ita etiam fugitivus prius reverti & tunc de conditione sua agere (7) aut convenienter resignare atque è servitio discedere jubendus; (8) domino vero minime injungendum, ut petita etsi alias justa præstet; Et licet domini sævitiam metuet, si non probat, refragari non potest, (9) sed tantum cautionem petere & impetrare debet. (10) Ita cum fuga justificata non reperiretur judicatum *in eadem causa.*

1. Si non certum tempus servitio dictum est, illud perpetuatur & velut prorogatur quousque fit ejus resignatio. *l. item quæritur* §. *qui impleto ff. Locat.*

2. Hæc inter delicta refertur & furti instar habet. *l. ancilla* 6. *ff. de Furt. l.* 1. C. *eod.*

3. Quomodo ob minimam dominorum sævitiam discedere nec à domino repeti & revocari queunt. *Gail. l. Observ.* 17. *n.* 4.

4. Fugitivus domino se aufert. *l. Titius* 7. *ff. de serv. exportand. sui ipsius fur. l.* 1. C. *de furt.*

5. *l. si meminerint* C. *unde vi.*

6. *l. si*

Digitized by Google

6. l. fi quis vel se fundum C. ad L. Jul. de vi publ. c. 1. c. fin. X. de Ordin. cognit.

7. Junct. l. si coloni. ib. Luc. de Penn. C. de Agricol. & censit.

8. Non permittendum ut sine scitu domini magister clam è servitio discedat. *Natta consil.* 38. *num.* 8.

9. Ob solum metum jus suum alteri non auferendum. Ille eo quemquam privandi causa non existit, sed si quæ contra leges à quibusdam sibi existimet perpetrari, liceat ei adire judicem & legitimum postulare præsidium. *denunciamus C. de SS. Eccles.*

10. Ex hac contra metum est remedium *l. si servus* 27. §. *Proculus* 11 *ff. ad Leg. Aquil.*

DECISIO III.

Dominus servo tenetur ad cautionem de non offendendo, ubi metuendi causam verosimiliter demonstrat.

QUemadmodum servus fugiens ad dominum reverti. (1) & se liberandi vel è servitio discedendi ratio, justa est, servitium resignare, ita etiam vicissim dominus humano modo eum tractare. (2) Quod si sævitiam vel malam tractationem metuet ejusque verosimile argumentum profert, quod ipsi præbent domini minæ seu factum quoddam erga ipsum vel uxorem bonaque ejus iniquum, curare debet seu id rogat seu non, ut misero homini cautum sit (3) quod per cautionem de non offendendo fit. (4) Quæ ideo per senteptiam injuncta est. *in eadem causa.*

1. *l.* 2. C. *de Serv. fugit.*

2. *l.* 1. C. *de Emendat. serv.*

3. Judex etiam ex officio prospicere debet, ne subditi indebitè & plus æquo graventur. *l. illud* 3. §. *potentiores ff. de Offic. Præsid. Gail.* 1. *Observ.* 17. *num. in fin.*

4. Ea cautio ordinarium securitatis contra vim remedium est super omni jure naturali, civili & canonico fundatum, *Petr. Fend. Mindan. lib.* 2. *de Mandat. c.* 35. *n.* 2. Juxta superiora pronunciatum est die 21. Januarii Anno 1656.

In Sachen Marten Teschen Supplicanten contra Philipp Gutzlaff Rottermunden Supplicaten in puncto mandati de relaxando & prætensæ libertatis wird vor Recht erkannt/ und erscheinet ex actis so viel/ daß Supplicaten auff des Königl. Vor Pommerischen Hoffgerichts den 2. May abgewichenen Jahres abgelassen und beym Königl. Tribunal erhaltenen Befehl die captivirte Frau länger in Hafft zu halten nicht gebühret/ sondern deß beschehenen Einwendens ungeachtet nebst Vorbehalt deß Fisci dahero zustehenden Zuspruchs Supplicaten und seinem Weibe zu Erstattung der deß Nachlasses halber verursachten Schaden und Kosten/ gehalten sey/ hingegen ist Supplicant/ dann zuvor ihm von Supplicaten genugsame Versicherung bestellet/ über das/ so er an Dienstgewehret und Johann Schelen Revers gemäß ist/ nicht beschwehret zu werden/ sich auff den Kayen/ woson er abgetreten/ wieder zu begeben und da ihm länger unter Supplicaten zu wohnen nicht beliebet/ alsdann auff landgebräuchliche Weise loßzukündigen/ Supplicate ihn auch unverhindert abziehen zu lassen/ oder immittelst vor Ablauff solcher Zeit daß Supplicant sich gegen ihn zu beständiger Bauers Pflicht eingelassen/ untergeben/ besser als geschehen beyzubringen schuldig/ von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Martini Teschen supplicantis contra Philippum Gutzlaff Rottermunden supplicatum in puncto mandati de relaxando & prætensæ libertatis decernimus & apparet ex actis, quod supplicato ad mandatum a Regio consilio Aulico citerioris Pomeraniæ secundâ May. superioris anni emanatum & apud Regium Tribunal insinuatum non competierit incarceratam fœminam diutius in vinculis retinere, sed is exceptionibus non obstantibus cum reservatione Fisco inde competentis actionis supplicanti & ejus fœminæ ad restitutionem propterea causati damni & sumptuum obligatus sit, è contra supplicans tenetur quando antea ipsi a Supplicato sufficiens securitas præstita erit, quod super id, quod in servitio contulit & Joannis Schelen reverso conforme est gravandus non sit ad servitia a quibus excessit, reverti, & quatenus ipsi diutiùs sub supplicato habitare non placeret, tunc ad modum in patriâ consuetum denunciare, supplicatus ipsum etiam dimittere vel mercedem ante decursum talis temporis melius quam huc usque docere quod supplicans se erga ipsum in perpetua servitia obligaverit idque de jure.

DECISIO IV.

Ex parentum servitute fundata est intentio contra liberos iisque aut qui eorum restitutionem recusant, incumbit probatio liberationis, & quemodo hæc fit.

ALlegabatur quidem eorum qui in servitutem vindicabantur, parentes in bonis quæ vindicans ex emptione tenebat glebæ ascriptos fuisse, verum & illud concedebatur intra quadraginta annorum spacium ab ipsis abfuisse, inde præscriptionis exceptio opponebatur. Dubitatio autem exurgebat, cujus esset in illa lite probatio? Etsi vero initio videri potuit actorem à parte sua dominum prius probare debere, (1) cui quadraginta annorum lapsus tanquam ex quo libertas contingere potuit, obstabat: (2) attamen cum ab ejus parte pro domino satis est constare parentes sub iis bonis in rustica

Digitized by Google

condatione fuisse, (3) quomodo quoad eos, sic quoad liberos fundata erat intentio. (4) Quando vero reus eam elidere volebat, exceptionem præscriptionis allegans probare debuit. (5) Proficit autem lapsus istius temporis non tantum parentibus sed etiam liberis. (6) Salem hoc deducendum fuit, ita omnia esse comparata, ut præscriptionem justam facerent. (7) Quod in controversia erat per demonstrationem requisitorum præscriptionis probandum fuit. (8) Ideo incubuit excipienti ista allegare & probare. (9) Sic judicatum *in causa Obrist Helmuth von Plessen, contra den Amptmann zu Neukloster, die* 11. *Januarii Anno* 1636.

1. In rei vindicatione hoc actoris officium est, ut ante omnia dominium articulet & probet. *l. in rem* 23. *pr. ff. de Rei vindic.* de quo si non constat, reus, etsi nihil probet, absolvitur *l. fin. C. eod. l.* 3 *C. de Probat.*

2. *l.* 3. *l. seq. C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.*

3. Semel adscripti semper in ea conditione perdurant, donec se justis modis liberatos docebunt.

4. Ex nativitate inditur liberis parentum conditio & ex propriis hominibus natis tales suæ vindicationi subsunt. *l. originarios* 21. *C. de Agric. & censit.*

5. Præscriptio facti est & probatione allegantis eget. *Menoch. de præsumpt. lib.* 6. *præsumt.* 7.

6. Liberi cum parentibus una habentur persona, *l. fin. C. de Impub. & al. substit.* & gaudent accessione ut successores ex antecessorum persona. *l. Pomponius* 13. *§.* 1. *ff. de acquir. possess.* ut terminis de eo scripsi in Bedencken von Abforderung der Bauersleute *c.* 3. *n.* 165.

7. Sola temporis longitudo non sufficit ad liberationem glebæ adscriptorum, sed necesse est accedere quæ præscriptionem justam faciunt. *l. cum scimus* 22. *C. de Agricol. & censit.*

8. Præscriptionem qui probare debet, illi omnia ejus requisita articulare & verificare incumbit. *Mascard. de Probat. concl.* 1112. *n.* 1. *& seq.*

9. *l. in exceptionibus* 19. *pr. ff. de probat.*

FINIS LIBRI UNDECIMI.

CODI-

Digitized by Google

IHS

CODICIS MEVIANI DECISIONUM FORENSIUM & quæstionum super causis ad summum Tribunal Regium ab Anno 1653. usque 1670. devolutis.

LIBER DUODECIMUS.

TIT. I.

DE DIGNITATIBUS.

DECISIO UNICA.

Nobili genere juniori non debetur in collegio ante Seniores ejusdem muneris, quod cum dignitate habetur, etsi genere ignobiles præcedentia.

APpellabatur à decreto, quo genere nobilis assessoratum Dicasterii potiorem obtinuerat, ut in eadem functione collegis suis genere non Nobilibus, Senioribus tamen, præferretur. Quæstio hinc de præcedentia nobilium? In thesi quidem recte dicitur, Nobiles præ cæteris esse honorandos. (1) In ambulationibus & sessionibus esse præferendos: (2) Adeoque eam præcedentiam deberi, ut non tantum pro ea obtinenda officium judicis implorari, (3) pro ea asserenda interdicto uti possidetis agi & possessio honoris defendi, (4) ubi postponuntur aut ultimo loco collocantur injuriarum actione contendi possit, (5) sed etiam armis vindicari. (6) Verum in hypothesi circa dignitatem, quæ ex functione inest collegio & collegis, qualis existit in potestate judiciaria, quæ per S. Reg. Majestatem Dicasterii Provincialis Consiliariis *den Hoffgerichts-Räthen* concredita est, applicare se non sinunt, sed rationes valde multæ & graves adsunt, quare ante eos qui diutius munus illud gesserunt, novissime accedens ob solam generis nobilitatem non sit præferendus. Primo enim honoris prærogativa & præcedentia nobilitati debita spectat ad comparationem cum plebeja, queis anteferri merentur. Quibus minime sunt annumerandi, qui publicum pro Republica munus, & quidem tale, quod insignem potestatem & dignitatem annexam habet, gerunt, ideo minime ista ad tales porrigenda. At circa controversiam judicandi munus insignis & nobilissima in Republica dignitas est, (7) præsertim quod in Regio eoque illustrissimo totius Ducatus Dicasterio geritur. Deinde sine dubio longe amplior est istius nobiliss. functionis & ministerii Regii eminentissima dignitas, quam solius ex genere nobilitatis. (8) Quæ itaque ex potiori dignitate par ratio est collegarum omnium id requirit, ut inter partes præcedentiæ ratio quoque observetur, quæ hæc est quod in officio seniores antecedunt juniores. (9) Quod si forte hic objicis, esse tamen in iis qui nobili patre nascuntur, & deinde ad publica Reip. munia perveniunt duplicem dignitatem, quæ simplici præferri debeat, respondendum est, id ipsum non eo pertinere, ubi dignitas una est, quæ meretur honorem & prærogativam, etsi alia deinde accedit, illa nihil mutat ex his, quæ per istam competunt, nec facit ut qui ex illa coruscant, ob alterius nobilitatem minus digni sint. Ubi duplex in homine concurrit dignitas spectatur quæ potior est, alterius non habetur ratio. (10) Tertio convenit juri collegii & societatis, ut velut fratrum non sint disparia jura, (11) nec qui ejusdem collegii membra fiunt, ideo quod fortuna alium præ alio magis beavit, cum

Digitized by Google

eandem functionem obtinebit, alia aliis habeantur ignobiliora. (12) Quarto ad præjudicium & detrimentum ejus dignitatis, quam Rex vel Princeps pro autoritate Consiliariorum & ministrorum tributam vult, non parum pertinet, ut hi alibunde seu ex sorte nascendi majorem habeant, quam ex virtute atque officio, quod domino præstant, ad cujus honorem spectat, ut qui sibi serviunt ex suo ministerio præprimis, & magis, quam alia ulla ex re sint honorati. Qui si sinet in Collegium honorabile venire, qui majorem isto honorem prætendere velit, inde munerum dignitati tantum detrahi faciet. Quinto, sub paritate & sodalitio studiorum atque officii dissimilitudo ex genere non potest non esse materia & seges æmulationum, invidiæ, rixarum, dissidiorum, collisionum, odiorum, aversationum, aliorumque talium malorum, quæ ex collegio concordiam, ex studiis fervorem, ex laboribus nervum demunt. Sexto, non poterunt etiam justa nedum præmia constare bene meritis, si iis qui diu actorum molestis lectionibus & litium variis tadiis insudarunt atque insenuerunt, inde per experientiam præ cæteris muniis apti, deinde junioribus ad ea accedentibus talium imperitis, ob generis nobilitatem cedere coguntur. Unde & septimo eveniet, quod eruditione & rerum peritia insignes viros eam contumeliam, ut junioribus cedere cogantur, horrentes, ista munia obire reformidabunt & iis relinquent, qui minus idonei istam lubentius ferent, at justitiæ parum servient reipubl. inutiles, Principibus indecori erunt. Tandem considerandum est, annon Principum etiam interest, non esse ex alterius genere sibi præclusam copiam præclarorum alias ex plebejis ingeniorum & fortean, ut illos sæpius ad studiorum diligentiam magis excitat necessitas & præsertim jurisprudentiæ addiscendæ industriam majorem impendunt, officiis juridicis aptiorem. Qualia considerata effecerunt, ut de æqualitate circa munia Assessorum citrà discrimen progeniei servanda & ordine ex vetustate muneris constituendo in S. Tribunalis Ordinatione fieret constitutio. (13) quam etiam alibi, ubi aliud cautum non fuit, sequi non abs re visum; Quando vero hæc quæstio incidit cum S.R.Maj. ad hunc locum Tribunalis accessit, ad istam de illa referre placuit, & ab ipsamet sic res definita est, ut insisteretur etiam alibi hic ordinatis, *die* 8 *Julii Anno* 1657.

1. *L. ad honorem ff. de Decurion. l. ad subeundo C. eod. Bor. de Curtil. in tr. de Nobilit. part. 5. n. 52.*

2. *L. 2. & 3. C. de Offic. diversi judic. l. 1. C. de Off. civ. judice l. 3. §. sedendi C. ubi Senat. vel Clariss. c. sicut 48. dist. 8. c. 1. C. statuimus de Majorit. & Obed. c. cum olim de consuet. Chassanè in Catal. glor. mund. part. 8. consid. 38. Bon. de Curtil. dict. part. 5. n. 34.*

3. *Alphons. de Azeved. consil. 29. n. 18.*

4. *Boer. decis. 151. n. 2. Azoped. ad constit. Hispan. lib. 6. t. 2. in rubr. n. 107. Rebuff. in l. un. gloss. n. 65. C. de Sentent. quæ pro eo quod interest.*

5. *Bald. in l. observare §. antequam n. 3. ff. de Offic. Proconf. Gratian. disceptat. forens. lib. 1. disceptat. forens. c. 110. per tot. & lib. 2. c. 210. n. 1. & seq.*

6. *Ubi concludunt H. Hartm. obs. Pr. 4. n. 5. & lib. 2. Azeved. d. consil. 29. n. 30. & seq. Mynsing. illustr. centur. 3. c. 48. n. 16. & 18. Menoch. consil. 902. num. 76. & seq.* Cui consequens habetur, quod nobilis occidens turbatorem suæ dignitatis ordinarii pœna non teneatur: *Gratian. d. c. 110. num. 20. & seq. Garf. de nobil. gl. 25. n. 59.*

7. *l. judices 12. C. de Dignit. Chassan. d. tr. part. 8. consideration. 11. Tiraquell. de Nobilit. c. 28. per tot.*

8. Sic enim semper observatum ut Principum Consiliarii, etsi genere non nobiles, ex isto solum nobiles nulla alia dignitate splendentes antecesserint.

9. *l. fin. ff. de Fid. Instrum.*

10. Juxta vulgatum illud à potiori fieri denominationem.

11. Collegium societatem, hæc jus quoddam fraternitatis inducit, *l. verum 63. pr. ff. pro soc.*

12. Ita proverbio dicitur, inter fratres non est ordo.

13. *Ordinatio Summ. Trib. Regia part. 1. §. 11.* ita de hoc habet; Die Assessoren sollen ihre Session und Stelle bey dem Gericht haben / nachdem sie in dasselbe gekommen und auff- und angenommen / und darinnen gegen niemanden ohn unsere etwa aus übertragenden Ursachen (darzu doch nicht leichtlich geschritten werden soll) vorgehende absonderliche Verordnung keine Enderung nach einem für dem andern was neues gemacht werden.

TIT. II.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. III.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. IV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. V.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. VI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT.

Digitized by Google

TIT. VII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. VIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. IX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. X.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XIV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XVI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XVII.

DE DOMESTICIS ET PROTECTORIBUS.

DECISIO I.

Ex privilegio vel contractu competens exemptio etiam ad viduas exemptorum pertinet.

QUando per jus commune exemptio vel immunitas competit caret dubio eam quoque ad exempti viduam quamdiu in viduitate subsistit pertinere. (1) At quando ex privilegio vel contractu illa oritur, utrum idem sentiendum sit in quæstionem venit. In eo spectandum erit præprimis, quid instrumentum dicat, an restringat privilegium seu exemptionem ad vitam personæ, an ad personam. In priori specie viduæ non proficiet ad vitam restrictum velut talem conditionem habens, quæ excludat. (2) In posteriori autem respiciendum, utrum ratio privilegii vel exemptionis conveniat tantum marito vivo, an simul uxori. Ipsum solum concernens causa ad eundem quoque istam restringit. At causa non adeo stricta exemptionem faciens, utut ex privilegio vel contractu orta; non adeo stricte est accipienda, sed ita ut etiam viduæ prosit, tum quia vivente marito ista gavisa post obitum privari non debet, quin potius in mœstæ viduitatis solatium relinqui, (3) tum quia per commune jus sic constitutum, ut viduæ fruantur jure & exemptione maritorum, (4) tum quod ea est generalis juris fictio, viduitate durante perinde habendum, atque si maritus viveret, (5) tum ob insignem favorem viduarum pro qua dubio statuendum. (6) Quod eo æquius in ea, quæ proponebatur specie, videbatur, quod apparebat in contractu inter Principem & civitatem eam mentem fuisse, ut etiam prospiceretur viduis. Quæ providentia licet in una tantum specie expressa erat, tamen cum ad eam non restricta reperiebatur, ex rationis similitudine ad alia porrigenda fuit. (7) Nam quod personalium onerum in contractu mentio tantum fit, inde oritur, quod patrimonialia de bonis civicis sustinenda sunt, nisi certa recognitione redimuntur. Redempta vero à maritis, ne viduas postea non onerent & verbis & mente congruit, dum æquum esse indicatur, ut viduæ jure mariti utantur. Sic visum *in causa Burgermeister und Rath der Stadt Alten Stettin contra der befreyeten Personen Wittwen, die 3. May, Anno* 1661.

1. *per l. medicos C. de Professorib. & Medic. l. quoties C. de Privileg. Scholar. l. 2. §. fin. C. de Episc. & Clericis. vide latius de hac scripta apud Cothm. ad Pistoris. Academ. 15. per tot. Klock. de contrib. c. 15. num. 30. & seq.*

2. Est tale privilegium ad vitam restrictum mere personale, quod personam non egreditur. Quoties enim conditio personæ locum facit privilegio exstincta persona etiam illud cessat *l. 68. ff. de R. J. Fab. in C. lib. 9. tit. 28. def. 9. n. 10. n.*

3. *Klock. d. c. 15. n. 38. vers. & sane (4) fi.*

4. *d. d. Medicos ubique Dd. omnes C. de Professor. & Medic.*

5. *l. fin. C. de bon. mat. l. 1. §. exactis C. de reiuxor. act.*

Digitized by Google

6. Magnus est in jure viduarum favor. Quis enim earum non misereatur ob fata mariti peracerba. *l. assiduis* 12. §. 1. *vers. quis enim l. qui pos. in pign. nemenhan. de jurib. ac priv. vid. membr.* 3. 5. & *p.* 61.

7. Ubi eadem ratio, ibi eadem dispositio locum habere debet.

DECISIO II.

Privilegium concessum marito & post illum uxori atque liberis non proficit secundo uxoris marito.

OPificii licentia *die Freymeisterschafft* privilegio sutori pro se, uxore & liberis concessa, post impetrantis mortem, cum ejus vidua alii nupsisset, at mortua esset, in quæstionem veniebat: utrum secundo marito, qui isto dum uxor vixerat, usus fuerat, ulterius beneficium prodesset; stumque in eam sententiam nullo juris prætextu hunc istud sibi arrogare posse. Etsi enim primus maritus pro se & uxore impetraverat, tamen non aliter intelligi potuit, quam uxori proficeret, quamdiu talis esset. (1) Haud vero cum illa qualitas in illa desineret, (2) quæ non durat ulterius quam dum in viduitate consistit. Post eam in alienum thorum transiens desinunt jura atque beneficia, quæ per priorem maritum habuit. (3) Sequitur tunc conditionem alterius mariti, & in eam conditionem recidit, atque si in priori matrimonio non fuisset. Potuit itaque per juris rationem privilegii usus statim adimi postquam ad secunda vota transiit, (4) maritus secundus usum habuit sine causa & jure, nec queri potest, si nunc; mortua etiam uxore, ab isto excludatur, licet uxor dum vixit ratione aliqua privilegio frui potuisset, tamen omnis illa post mortem cessaret. (5) Liberorum potior est qua privilegium ratio. Quando autem nemo istorum adhuc opificii capax erat, hoc ipsi non jure quodam suo sed propter liberos concedendum putabatur, ut si vellet istos secum habere & pro hoc beneficio opificii libertate uteretur, donec aliquis illorum disceret atque exerceret. (6) Ad supplicationem *Bartold Frölich die* 23. *Januarii* 1660.

1. Id nomen exprimit, certam qualitatem in qua privilegium datur.

2. Ubi desinit persona qualitas, quæ privilegio causam dedit, ipsum privilegium cessat. *Gloss. in l. municipia verb. avocandum ff. de fugitiv. Mevius ad Præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 47.

3. Vidua, quandiu in viduitate manet, retinet jura mariti, & ejus conditionem sequitur, ideo & privilegiis prioris conjugii gaudet. *l. mulieris* 23. *C. de Dignitate l. si filius* 22. §. *ff. ad municipal.* At ubi ad secundum thalamum progreditur, desinunt, cum viduitate amittit omnia prioris thori jura atque beneficia *l. quoties* 3. *ibi Bartol. C. de Privil. Scholar. Cagnol. in l. cum quidam n.* 5. *ff. de jurisdict.*

4. Inter pœnas secundarum nuptiarum, quas singulari odio jura prosequuntur, hoc refertur, ut aboleant omnia priorum beneficia. *Socin. Consil.* 18. *in pr. vol.* 3.

5. Privilegii causa desinens, facit desinere privilegii usum *l. Titia* 87. §. *usuras ff. de legat.* 1. *l. ex facto* 43. *ibi. Ripa n.* 20. *& seq. ff. de Verb. & Pupill. Substit. Ant. de Amat. decis.* 159. *n.* 4.

6. Privilegii usus illi liberis præsertim miseris & inopibus favore alimentorum æquissime conceditur, qua isto frui possunt. Hoc convenit ejus menti & piæ rationi.

TIT. XVIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XIX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT.

Digitized by Google

TIT. XXVI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXVII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXVIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXIX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXIV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXV.

NEGOTIATORES NE MILITENT.

DECISIO UNICA.

Militibus mercimonii licentia non est.

Milles, qui in præsidiis erat, cum cerevisiæ, tabaci, & aliorum comestibilium venditionem usurpanti ipsi cives contradicerent, ac turbationem inferrent, se adversus istos defendi rogans auditus non est, quod factum juri communi, per quod militibus mercimonia interdicta sunt, repugnaret. (1) Per privilegium quidem miles impetrare licentiam potest, (2) at non nisi quatenus ejus mercatura civitati & civibus quibus mercimonia incumbunt, innoxia sunt. (3) Non autem de impetrando privilegio hic supplicans quidquid rogabat, sed tantùm protectionem, cui nisi illo jam impetrato locus non erat, impetrari autem à judicio licet summo nisi quatenus superiori ei facultatem istam tribuit, non potest (4) Rejecta ipsi de petitio *die 27. Maj. Anno* 1655.

1. *l. un. C. negociatores ne mil. l. 12. l. 15. ff. de re milit. l. milites* 31. C. *de Locat.*

2. *l. un in fin. C. in quib. milit. for. præscr.*

3. Privilegia quatenus vergunt in aliorum incommodum vel injuriam non valent. Et præsertim circa mercimonia hoc curandum, ne perniciosa urbibus permittantur. *l. habitores* 23. *Cod. de Commerc.*

4. Non est judicialis actus sed regnatorius, & Principum proprius privilegia concedere, §. *quod Principi 6. Inst. de Jur. Nat. gent. & civil.*

TIT. XXXVI.

DE RE MILITARI.

DECISIO UNICA.

In Judicio militari Kriegs-Rechr non quidem ordinarius, juris gentium tamen processus est observandus.

PRocessus in militari judicio summarius est (1) An semper juste? multi non sine periculis & damnis experti sunt. De militaribus causis quidem certum æquum & utile est. (2) At in aliis, quæ nihil militiæ concernunt seu mere civilibus causis, cur non & ordinarius, cum opus est, processus adhibebitur? (3) An omitti queat? merito quis ambigat? Ego nihil ambiguus putavi semper militiam in talibus causis mere civilibus nihil ad militiam pertinentibus nihil mutare ex institiæ ratione, nec ex ista mutandum processum, nisi quatenus ille obest militiæ. (4) Utcunque autem processus summarius sit, tamen neque in militum causis omittenda sunt, quæ jus gentium naturale ad justum judicium requirit: (5) qualia sunt, ut actor vel accusator in quod reum convenit proponat, hic respondeat, negata ille probet

Digitized by Google

probet & quidem ita, ut eo testes nominentur & cum suspectos recusandi tum pro defensione interrogatoria vel reprobatorios articulos formandi occasio sit, isti etiam præsente parte jurent, actorum copia & tempus ad defensionem aptum concedatur, non minus præcipitetur Auditor, ut vocant, qui processum diriget, non sit suspect, aut si talis, recusatio omni tempore audiatur, (6) ob quæ neglecta non injusta est provocatio. Ita existimatum *in causa Jacob platen contra Geuert Lutzen. die 7. Februar. Anno* 1660.

1. Cum milites arma potius, quam jura sciant, non requiritur ab iis solennium juris observatio *l. fin. pr. C. de jur. d. liber.* Eo spectant plures juris textus, quibus etiam in judiciis ista remittuntur.

2. Disciplinam militarem, qua nititur militiæ dispositio, exacte atque rigorose tractare oportet *l. Devus 42. ff. de Milit. Testam.* cui nihil magis contrarium, quam quod illius est processum ambagibus atque moris velle involvere.

3. Cessat in his jam dicta ratio.

4. Milites ideo quod militant non debent esse deterioris conditionis quam alii quin potius pro cæteris ob militiam multis prærogativis gaudent *per d. l. 42. d. Test. Mihi.*

5. Jus naturale non mutat aut seponit militiam *l. 1. pr. ff. de obseq. parent. vel Patron.* In militaribus negociis etiam ea quæ juris gentium sunt observari deberet communis habet JCtorum sententia, eaque rationabilis per *l. Lucius 40. ff. de Testam. Milit. ubi vide Dd.*

6. Hæc omnia ita comparata sunt, ut per jus gentium & naturale in processibus judiciariis requirantur & attendi debeant.

TIT. XXXVII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXVIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XXXIX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XL.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLI.

DE METATIS ET EPIDEMIETICIS.

DECISIO I.

Hospitationem militarem sustinens immunis est à pensitatione pecuniæ ob eam imponi solitæ, quæ servis vocatur.

CUm Magistratus civitatis de impendiis receptorum ex illius assignatione militarium officialium conventus absolutus esset, actor petita in integrum restitutione contra sententiam impugnabat priorem petitionem, nec tam ista impendia amplius petiit, quam ut à pensitatione pecuniaria, quæ civibus occasione metatorum imponebatur, Servis vulgo appellabant, immunis esset, & quod plus æquo ex illo onere substituisset, ex contributionibus refunderetur. Utrumque hoc ad ulteriorem discussionem admissum est, uti elevans. Prius quidem quod illa pensitatio onus hospitationis seu *hujus vice* est, (1) ideo, qui hanc sustinet, non debet illa onerari, cum iniquum sit duplici aliquem onere gravari, (2) sed gravatus uno in alio debet relevari. (3) Ita conclusum *in causa David Macken, contra Senatum Vvismarensem Die 23. April. Anno* 1658.

1. Pecunia pro hospitatione imposita ejus vicem habet, & in ejus locum surrogata facit cessare ipsam aut per ipsam cessare debet, *arg. l. imp fides ff. de R. I.* Non ita ex eadem causa duplex onus sustinetur, quomodo ex diversa obligatus esse potest. *Heig. i. quæst. 18. num. 36. Natta consil. 114 n. 13.*

2. *l. licet ff. naut. caup stabul. l. navis §. cum autem ff. ad L. Rhod. de jact. l. fin. §. quotus ib. glos. ff. de Publican. Gail. 2. Observ. 53 n. 3. 9. & 10.*

3. In uno gravatus in alio relevari debet *l. cum qui 30. ff. de Jurejurand.*

DECISIO II.

Circa onera publica prægravatis non ex imponentium facto, sed aliorum iniquitate, contra magistratum imponentem non competit indebiti condictio, sed tantum levaminis petitio.

ITa quidem æquitas postulat, ut non minus quomodo indebite soluti alias repetitio est, (1) sic etiam indebite soluta tributa & onerum publicorum pensitationes re-

peran-

Digitized by Google

petantur: (2) attamen non aliter ab iis qui imposuerunt repetitioni locus est, quam si ab iisdem etiam prægravatio processit, & quod expressum ad eosdem devenit. Secus enim si illa extrinsecus advenerit; (3) sine facto imponentium, ex injuria forte aliorum, veluti si dum indicuntur hospitia militum ab his, præter ea quæ debita fuerunt, aliqua extorquentur hospitum improbitate vel injuria. Quæ pro casu fortuito vel vi majore habetur nec à civitate civi præstatur, (4) sed ex isto sua cuique percunt. (5) Potuit civis eo tempore quando immodicum onus sustinere coactus fuit petere, ut onus imminueretur. At postquam sustinuit, nihil ultra causæ est ex qua damna sua repetit. Id vero æquum est, ut qui peristà gravatus nimis est, præ cæteris deinde circa alia onera relevetur, quo æqualitas in cives servetur. (6) Juxta hæc pronunciatum *in eadem causâ.*

1. *juxt. tit ff. & Cod. de Condict. Indebit.*

2. *l. 1. C. in quib. caus. colon. cens. l. pen. §. caveant. C. de Agric. & Censit. Novell. 80. c. 60. Schrader. de Feud. part. 6. sect. 5. n. 129.* Quo nomine actionem quidem non esse paratam, officium judicis tamen succurrere ideo bene implorari scribit Bartolus *in d. l. pen. §. cavent.* Cujus formulam notat Speculat. *lib. 4. tit. de censib. §. 2. n. 2.*

3. *Ita limitat Thomas. in tr. de Collect. c. sec. n. 11. in verb. Universitati competit jus perequandi onera præterita ex causa indebiti etiam soluta vel solvenda ex causa indebiti dummodo extrinsecus non veniunt.*

4. Casum fortuitum nemo præstat, nec à quopiam illius eventum resarciri æquum est. *l. Contractus 23. in fin. ff. de R. I. l. in ratione 30. pr. ff. ad l. Aquil.*

5. *l. qua fortuitis C. de Pignor. action.*

6. Æquitas ita dictat, ut in uno gravatus in alio relevetur nec duplici afflictione afficiatur. *l. 2. §. 2. ff. ad L. Rhod. de Jact.*

DECISIO III.

Ex onere hospitationis prægravatus quando & qualem damni refusionem à civitate exigit.

PEtitio actoris, ut si omnia impendia recepti militis recipere non liceret, tamen in quo prægravatus esset, damni refusio fieret, sub examine an post petitam restitutionem in integrum contra sententiam audiendus esset, causam præbuit quæstionian & quatenus civi de eo contra civitatem actio est? In qua discernendum est, unde oritur ea prægravatio, an ex injuria militum, dum ipsimet sibi sumunt hospitium aut assignatis hospitiis ad expressionem & expilationem hospitum abutuntur; an ex assignatione & iniqua distributione magistratus. In priori specie ex injuria militari non est contra civitatem aut concives actio, (1) nisi vel statuto vel conventione sic receptum, (2) vel commune alias id debitum sit, (3) vel culpa ab his accessit, quæ aut causam dedit isti injuriæ, aut justum remedium cum præstari posset negavit. (4) In posteriori autem, quod amplius uni civium impositum à civitate aut concivibus repensari æquum, tum ex jure societatis quæ est inter cives; (5) tum ex justa circa talia onera æqualitate, quæ prægravationem unius pro alio iniquam facit (6) tum ex debito magistratus, qui cavere omnino debet, ne uni gravius irrogetur quam aliis, si autem fieri necesse sit juvari ut damnum indebite illatum resarciatur, (7) tum ex ratione oneris quod est debitum publicum ferendum quidem à singulis, sed incumbens omnibus, ideo imponendum aut sustinendum aut reparandum pro rata, (8) tum ex officiis mutuis civium. (9) *In eadem causâ.*

1. Injuria militaris, quomodo ipsum bellum, fortuiti casus seu vis majoris instar habet, *l. 13. §. exercitum l. ex conducto 15. §. 2. ff. Locat.* quam nemo luit, nisi qui sentit. Fortuitum casum nemo præstat *l. contractus. 23 ff. de R. I. l. in ratione 30. ff. ad L. Aquil.* Obtinet in ea specie quod in simili decisum de eo quod per latrones aufertur. *l. 2. §. si navis ff. ad L. Rhod. de jact.* quibus violenti & injurioſi milites æquiparantur.

2. Valere ejusmodi statuta & pacta docet *Klock. in tr. de Contribut. c. 17. n. 285. seq.*

3. Hoc subest, quando quod hospitationis onus omnibus incumbit, ideo si unum vel alterum in urbe, villa aut pago onerat, cæteri omnes contribuere tenentur. *Gail. 2. Obs. 24. n. 4. Koppen. de cis. 36. n. 17.* & contra cæteros de damno refundendo actio est, *ad quam speciem pertinent quæ disputat & decidit Klock. dict. c. 2. num. 260. mult. seq.*

4. Civitas & ob hanc magistratus protectionem & indemnitatis curam debet civibus præsertim ne indebite & plus æquo ultra modum solitum vexentur. *l. illicitas 6. §. ne potentiores ff. de Offic. Præsid. Grammat. decis. 104. n. 3.* In qua neglectum tanquam damnum culpa sua datum obligat ad reparandum.

5. Civitas societatis species est & fratrum jure utitur, quorum est communia onera ferre communiter *l. 63. pr. ff. pro soc.*

6. Æqualitas cum in aliis omnibus inter cives sit servanda, tanquam concordiæ vinculum, tum maxime in oneribus civilibus. *l. fin. C. quemadm. mun. civil.* ne unus præ alio prægravetur. *Lacteres ib. Bald. & Dd. C. de Exact. trib.*

7. *Bartol. in l fin. §. fin. n. 2. ff. de Pignor. act. Anton. de Petra de Pontf. Princip. quæst. princip. 7. §. superest. n. 54.*

8. *Thomat. de Collect. in pr. n. 2. & 4. & §. retenta 2.*

9. Cives tanquam membra ejusdem corporis simili sensu & fide communia incommoda sustinere, seque invicem juvare debent, ut singulis ad sint leviora. *l. forma ff. de Censib. l. omnes C. eod. Thomat. d. §. re-*

Digitized by Google

d. §. remota. n. 9. ideo inter eos servatur quod dispositum est l. 2 ff. ad L. R. de jact.

Sententia juxta hæc tenor talis erat.

In Sachen David Maacken Imploranten / wieder Bürgermeister und Rath der Stadt Wißmar Imploraten / in puncto geforderten Nachstands wegen auffgebürdeten Einquartierung jetzo restitutionis in integrum wird auff eingebrachte Implorations Schrifft / so viel die der Einlagicung halber designirte spesen betrifft / deroselben ungehindert es bey der den 20. Octobris abgewichenen Jahres publicirten Urtheil gelassen. So weit aber dieselbe die hergegen von dem Rath geforderte servis und contributions restanten angehet / erkandt / daß / wenn Implorant proxima den Eyde malitiæ der Ordnung gemäß abstatten wird / er damit zugelassen / alsdann Imploraten copiam nehmen / und fürters nach der Ordnung darauff zu handlen schuldig seyn sollen von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar / den 26. April. Anno 1658.

DECISIO IV.

Catastratio ædium non tollit inhabitatorum Privilegia vel immunitatem.

EST catastrationis seu descriptionis ædium in catastro is effectus, quod obligat res descriptas ad onera publica rebus imponi solita. (1) At ex eo minimè sequitur, indiscriminatim omnes, qui talia catastrata bona possident, etiam inde promiscue oneribus obnoxios fieri. Possunt quippe illorum hæc esse jura atque beneficia, ut immunitatem habeant, etsi talia possideant. Etsi enim catastratio ad onera obligat, tamen non tollit à lege concessam ab iis immunitatem. (2) Possunt hæc duo consistere, bona esse allibrata & eos, qui tenent, gaudere sua immunitate. Eatenus quippe allibratio effectum habet quatenus legi seu generali seu speciali convenit. Lex civitatis illum format & regit. Ideo quod legi contrariatur, ab isto censebitur exceptum. (3) Non obstat à nonnullis traditum, eum qui privilegiatus alias immunitate gaudet, si bona sua libera in catastro describi seu allibrari curat privilegium amittere, nec in posterum usurpare. (4) Hoc enim inde contingit, quod ita ipsi facere placuit, cum opus non haberet, ideo faciens suo juri renunciare creditur, uti potuit. (5) Secus se res habet, quando quis bona allibrata acquirit, in hoc ea voluntas non præsumitur, sed contraria potius de retinendo seu conservando suo jure speciali. (6) Quocirca sic illa habet ut & hoc fruatur. Exemplum occurrit in Professoribus universitatis literariæ, quos lex publica eximit & immunes reddidit ab onere hospitationis militaris. (7) Si autem contingat illos acquirere ædes in libro æstimi seu catastro civitatis descriptas inde oneribus realibus obnoxias, non eo minus ista immunitate gaudent, sed quia ipsi sunt ab isto onere immunes sui causa etiam ædes eximunt. (8) Licet enim hospitatio ista munus reale seu patrimoniale est, (9) attamen non ideo minus immunitatem servant, qui ex lege publica habent, cum debita ædium juxta legem rei publ. & jura personarum sint censenda. Persona, quæ res accipit, conditio, mutat conditionem rerum. (10) Nec enim persona rerum, sed res personarum qualitatem & jura sequuntur. (11) Etsi enim cum bona allibrata ad personas immunes transeunt & illi oneribus præteritis quæ rebus jam incumbunt fiant subditi, (12) nisi lege vel statuto aliud cautum fuerit. (13) Attamen quoad illa, quæ in posterum indicuntur, secus se res habet nec ad illa catastratio effectum suum extendit, ubi alia possessoris est ratio. (14) Privilegiatus succedens non privilegiato, etsi non in præteritum, in futurum tamen utitur suo jure & privilegio. (15) Quod consideratum *in causa Senatus Gryphiswaldensis contra Academia Professores die 10. Febr. Anno* 1660.

1. *Roland. à Valle consil. 78. n. 2. seq. vol. 4. Jason. consil. 38. vol. 3. Wesenbec. consil. 15. n. 5 seq. vol. 5.*

2. *Guid. Papa decis. 387.* ubi exemplo Clericorum bona catastrata possidentium hoc demonstrat.

3. Jura juribus concordare oportet *l. un. C. de inoffic. dot. 7.*

4. *Tib. Decian. resp. 41. n. 100. vol. 2. Vultej. consil. Marpurg. 29. n. 45. vol. 3.*

5. *l. pen. C. de Pact.*

6. Nemo sum jactare præsumitur *l. cum de indebito 25 ff. de Probat.*

7. *l. Archeatros 8. C. de Metat. l. fin. C. de Profess. & Medic.*

8. Quod vide plenius expositum & allegationibus munitum apud *Klock de contribut. cap. 11. n. 82. seq.*

9. *l. 3. §. munus hospitis l. fin. § pen ff. de Muner. Petr. Antebolde de Muneribus part. 3. §. 2. n. 17.*

10. *Martha in tr. de jurisd. part. 4. cent. 1. cas. 11. n. 28. seq. Boral. decis. 74. n. 34.*

11. Uti in terminis immunitatis personæ competentis declarat *Surdus consil. 262. n. 31.*

12. Ex regula quod res transeat cum suo onere nec successor melioris juris esse potest quam antecessor *l. 54. l. 120. ff. de Reg. Jur.*

13. Potest quippe lege aliud disponi, uti *Klock dict. loc. demonstr.*

14. *Cothmann. Respons. Academ. 27. num. 99. & 194.*

15. *l. cum quidam 17. §. ß debitores 6. ff. de usur. ib. Gothofred.*

TIT. XLII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT.

Digitized by Google

TIT. XLIV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLVI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLVII.

DE VETERANIS.

DECISIO UNICA.

Militum qui jam missi sunt militia, multo magis ancilla quæ ipsis servit, forum non est militare &c.

Est quidem militum coram suo magistro proprium forum, (1) eique etiam subsunt ipsorum ministri, (2) sed tamdiu ac isti actu militant. Quando verò post finitam militiam nihil nisi nomen militum retinent, actu non militant, non est jus revocandi ad forum militare. (3) Sicut nec aliis privilegiis militum illi fruuntur. (4) Multo minus ad illud pertinet cognitio super delictis familiæ, quæ jurisdictioni urbis, in qua degit ille qui olim miles, obnoxia est. Non est veteranorum amplius fori privilegium, (5) nedum ejusmodi milites cujus stipendia cum bello desinunt, aut qui abdicavit militia qui nec veteranorum privilegia & jura poscere possunt. (6) Multum ab his differt ille qui non ut emeritus mittitur, sed numeros sua voluntate relinquit. Non caret ratione querela judicum urbanorum detracta ad forum militare inquisitione & cognitione super infanticidio ancillæ, quæ servit, olim militi nunc non amplius militanti, sed in urbe habitanti. Tantum non placuit per modum appellationis prolatum admittere, ad instantiam Senatus Stetinensis *die* 19. *Septembris Anno* 1656.

1. *l. pen. ff. de Jurisdict.*
2. Privilegia fori etiam ad familiam & ministros privilegiatorum se extendunt.
3. *l. 3. C. de Offic. Milit. Judic. Vesemb. in tit. Cod. in quib. caus. milit. n. fin.*
4. *l. Servianis C. de Testam. Milit. Cothmann. respons. Academ. 21. n. 5.*
5. *l. fin. C. de Veteran.*
6. Veterani gaudent privilegiis quæ recensentur *in Nov. 81. C. de Veteran.* ob merita impleta ex declaratione superiorum militiæ. Quæ ita cessant in abeuntibus, antequam ob stipendia consummata honestè mittuntur.

TIT. XLVIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. XLIX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. L.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LI.

DE CURSU PUBLICO ANGARIIS & par angariis.

DECISIO UNICA.

Jus ordinandi quæ ad Postas spectant, cuique Domino in suo territorio competit.

Jus Postarum ad regalia pertinet, (1) Reservatis Imperatoris accensent multi, (2) at malè, cum de Germaniæ moribus agitur. (3) Ex his Imperatori quidem jus illud est qua Postas universales seu Imperii *die Reichs-Post*, (4) at præterea etiam cuilibet Imperii Statui in suo territorio licet quantum Imperatori in Imperio, (5) nec jus Postarum unquam ademptum. (6) Huic consequens est facultas ordinandi quæ ad Postas spectant. (7) Etsi enim his ea libertas, commoditas atque securitas servanda est, ut nulla ratione à quoquam impediri aut turbari debeant, nec adversùs istam territorii dominis quidquam liceat, attamen quod pro ista disponendum ad alium quam hos non pertinet. (8) Multo magis quod expedit, ut cum hi horumque ministri, tum subditi Postis in suo dominio fruantur horum curæ atque dispositionis erit. (9) Nec ex eo quidquam aut exteris in alieno territorio, (10) aut inferiori magistratui in civitate subdita sibi arrogare fas erit. (11) Si fiet pro tuendo superioritatis jure justè resistitur & poenalibus interdictis prohibetur. (12) Quando post introductum summum Tribunal Regium inter mutationes circa Postarum appertinentias in Civitate hac exoriebatur de talibus nonnulla contentio, existentibus, qui constituto Regio Postarum Magistro resisterent, & cum antea qui istis defuncti erant, de-

Digitized by Google

sistere nollent, aut illius functiones turbarent atque difficiles reddere molirentur, non attentâ anteriori observantia aut processionis allegatione, veluti in talibus incongruâ, *decreta est pœnalis inhibitio & injuncta Regii Fisci Advocato adversus violatores actio. Die 27. Septembr. Anno* 1653.

1. Sic communi sententia creditur & receptum est, *per l. nullus & tot. tit. ib. Cujac. C. de curs. publ.*

2. *Rest. Castald. de Imperat. quæst.* 110. *privil.* 1. 4. Itali JCti in suis scriptis hic tenent, dum simpliciter sequuntur Juri Romano veteri consona, non attento quod Imperii præsenti statui convenit.

3. Sicut quod in Germania hodie sedem fixit Imperium Romanum toto cœlo, qua formam, potestatem, jura, mores differt ab illo, quod olim fuit: Et non secus atque in quibus somnium Imperatorium apud Danielem initia mediaque præfiguravit, lumbi differunt à pedibus ferro luteis, postquam ad hos jam declinavit Imperium Romano-Germanicum, aliam à priori statu faciem quâ ista accepit, ut ab antiquis ad præsentia ineptum planè & imperitum, licet nimis quam frequens, argumentum sit.

4. Huc pertinet distinctio inter Postas Imperii universales & speciales, *de qua vid. Reink. de Regim. Secul. lib. 1. class. 3. c. 6. n. 137. seq.*

5. Concessum & confirmatum hoc videas, *in Kayss. Imperis Spireus Anno* 1542. §. Und damit man auch. Usu vero apud Status Imperii obtentum esse apud plures reperies. Si qui omiserunt, ideo alii non amiserunt, sed utuntur ea territorii potestate, quam asserit etiam, quod est in Capitulatione Cæsarea, tum anteriorum Cæsarum tum Imp. Leopoldi *artic.* 35. Quod ibi pro Postis specialibus earumque Magistro in ditionibus hæreditariis Austriacis excipitur, idem non potest quin & integrum esse aliis Statibus Imperii.

6. Hoc axioma ex antiquâ Statuum libertate & Imperii modo ortum & firmatum jurium territorialium fundamentum habetur, *quod late expositum videas ap. Reink. de Regim. Secul. lib. 1. Class. 5 cap. 6.*

7. Quemadmodum sub prisca Rom. Monarchia absoluta circa Regalia sic concludebatur, *non competere ex his cuiquam nisi superioris voluntate impetratum*, ita cum in Germania liberi Principes integra libertate & potestate suâ in territoriis reservatâ imperio in se alium modum voluerunt, alia valet conclusio. *Statibus in suo territorio nihil non ex iis licere, si non abdicatum, aut lege publicâ ademptum, aut imperio subtractum fuerit.*

8. Talia sunt constitutio magistri seu inspectoris Postarum, modus accipiendi & reddendi epistolas pro eo certæ leges & præscripta &c.

9. *l. 2. tit. Joh. de Plat. C. de Curs. publ.*

10. Post fines distinctos gentium commune jus distinxit etiam ex iis potestatem, ut nemini quidquam in alterius territorio liceat. *Marth. in l. fin. n. 136. ff. de Jurisdict.*

11. Inferioribus Magistratibus ex iis quæ Regia jura sunt, quale est jus Postarum, nihil facultatis est, nisi ut per superiores concedatur.

12. In Juribus Regiis justa cujusquam adversus superiorem non creditur possessio, idem quæ allegatio adversus hunc non proficit, donec docetur titulus, *ut demonstrat Reink in d. tr. lib. 1. Class 3. c. 3. n. 50. seq.* sed præsumitur precaria; semperque revocabilis & revocatæ sub retentu spoliationis non fit restitutio. *Matth. Stephan. de Jurisd. lib. 2. part. 1. c. 7. n. 80.*

TIT. LII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LIV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LVI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LVII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LVIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LIX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LX.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXI.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXIII.

Hunc titulum Mevius non attigit.

TIT. LXIV.

Hunc titulum Mevius non attigit.

FINIS LIBRI DUODECIMI.

Digitized by Google

CODICIS MEVIANI DECISIONUM FORENSIUM

& quæstionum super causis ad summum Tribunal Regium ab Anno 1653. usque 1670. devolutis.

DE FEUDIS.

PARS PRIMA.

DECISIO I.

Quantitas in alimenta processo fundo annuatim promissa utrum debeatur, etsi ex hac tantum fructuum non perceptum fuerit.

CUm Nobilis quidam agnationis suæ ultimus feuda, quorum alii se vivo in casum mortis concessionem seu exspectativam impetraverant, destinatis successoribus suis dum in vivis erat, tradidisset, cum pacto, ut sibi annua quantitas pecuniæ pro cesso usufructu alimentorum instar solveretur; Postquam huic præstandæ feudorum cessorum fructus non sufficerent, lis exorta est, utrum ultrà fructus perceptos deberetur. Et cum interpositâ appellatione causa illa ad Tribunal Regium deveniebat, circa decernendos processus ambiguis sententiis de eo consultatum fuit. Per Juris communis rationem interest, (1) utrum simpliciter pecuniæ certæ promissio facta sit, an nominatim ex fundis à cedente pro annua pensione traditis. Simpliciter factæ promissionis obligatio est, ad debitam summam indefinita & generalis sine respectu ad fundos, ideoque licet vel nihil fructuum ex his fuerit perceptum, præstanda est quantitas, nulla circa solutionem fructuum habita ratione, ut non habita est circa promissionem. Quod si ex feudis cessis promissa est annua pecunia, distinguitur utrum fundorum adjecta sit mentio demonstrationis, (2) aut tantum securitatis (3) causâ pro indicando unde præsterur, & tunc etsi nihil fructuum percipiatur, tota tamen quantitas debetur, & quod uno anno deficit, ex anteriorum aut sequentium uberrate pensandum: (4) Utrum verò taxationis causâ, pro definiendo modo præstationis, & tunc expressio conditionis instar habet, idcirco si non habetur tantum fructuum, quantum pecuniæ promissum fuit, ampli non debetur. (5) In hac posteriori specie quantitas promissa est fructuum correspectiva. Ad quam autem speciem referri debeat promissio, ex quâ actio instituta fuit, ex contractus tenore desumendum erat. De quo cum non constaret, suspensum est super processibus decretum, donec inspiciendi facultas esset. Ideo placuit prius ab appellantibus edendum esse iniri contractus verosimile instrumentum, maximè quod in dubio non præsumitur quis debitum annuum ad fructuum periculum & incerta restrinxisse, sed meliori modo sibi prospexisse. (6) Erant quoq; in hac specie argumenta non levia, ex narratis quæ verosimilem faciebant appellati intentionem, ideo pro sententiâ augebant præsumptionem. Ita fuit injuncta prius exhibitio contractus *in causa Fratrum Kussovianorum, contra Jul. Paul. Schmaltzhagen, die 28. Septembr. Anno* 1653.

1. De hac distinctione vide Coler. *in tr. de Alim. lib. 2. c. 2. n. 15. seq. Cæs. Ursell. decis. 252.*

2. *l. quidam 96. pr. ff. de Legat. 1.* ubi ait, in talibus demonstrationem non facere conditionem.

3. Non ex eo quod prædia pignoris jure obligata sunt, ut ex reditu eorum alimenta percipierent, minuisse vel auxisse promissor videri potest, *l. Lucius 12 ff. de Alim. & Cibar. Legat.*

4. *l. Legat. 1. §. 17. ff de ann. Leg. l. ex eo vino 13. ff de Trit. & vin. leg. l. Firmio 26. pr. ff. quand. dies leg.*

5. Cum verbum ex fundo vel quod ibi natum esset, taxationis vicem habet, si minus natum est, non amplius debetur, *l. cum certus 5 ff de Trit. & vin.*

Digitized by Google

6. *l. quidam 96. pr. ff. de Legat. 2. l. in cond. 19. §. hæc scriptura ff. de condit. & demonstrat.* ex quibus textibus colligitur verba quæ ad fundos, ex quibus omnia debentur, respiciunt, in dubio non taxationis aut conditionis, sed modi & demonstrationis vim habere. *Aug. Beros. consil. 17. n. 17. vol. 1.*

DECISIO II.

Feuda monasterii quando hoc desinente desinunt.

DE Jurisdictione in feudum à monasterio datâ quæstio in judicium venit, An hoc desinente vel exstincto feudum istud desinat? In qua discernendum est, utrum monasterii jura in alium transferuntur, & tunc ille successor reinfeudare tenetur tanquam non alio jure gaudens quam quod habuit monasterium. (1) Utrum vero monasterium ejusque jura plane sunt exstincta, veluti si bona ejus reddantur secularia & aboletur character Ecclesiasticus. Circa hanc speciem subdistinguendum est, an feudum habeatur ex mero monasterii beneficio & cum istius exitu perit, quod ab eo dependet atque accipitur, (2) utrum vero proprio quodam atque singulari habentis jure acquiritur emptione, transactione, præscriptione. Et tunc vel hoc ipsum est Ecclesiasticum vel temporale. Ecclesiasticum desinit, non quia monasterium cum suo jure exspirat, sed quia ex omnibus bonis Ecclesiasticis deletur quod fuit Ecclesiæ, iis Pace atque Constitutione Imperii publica secularisatis, ut vulgo loquuntur. (3) Temporale autem durabit, tanquam suâ vi suoque jure subsistens nec à jure Ecclesiastico uti tale dependens. (4) Hæc dispectio incidebat circa causam in qua jurisdictio feudalis ab appellante tanquam beneficium merum ideoque cum monasterio desinens allegabatur, ab appellato autem contrarium asserebatur. Quia autem ea res erat altioris indaginis pro investigatione qualitatis, necessarium erat decernere processus appellatorios. *In causa præfecti Monasterii Lillienthal contra Detloff von der Huden die 20. Octob. Anno 1653.*

1. Res quævis transit cum suo onere & jure, cum quo penes antecessorem fuit, *l. alienatio ib. Dd. ff. de Contrab. empt.* & successor quivis tenetur observare majorum promissa & debita. *Joh. de S. Georg. de Investitur. verb. Princeps Pedemontanus nec & verb. Sedan. Princeps n. 2. Natta Consil. 122. n. 2. & 3.*

2. Resoluto jure dantis resolvitur jus accipientis, *l. sen. vectigalia ff. de Pignor.*

3. Exstincto charactere vel deleta qualitate ex qua formam seu substantiam res habet, perinde est ac si res ipsa interiisset. Interit res cum conditionem mutavit. *verum 63. §. fin. ff. pro Socio*, vel *pomum exemplum.* Ut igitur illa habetur ac si desiisset, cum facta facta est. Ita profanata eodem modo desisse dicitur. Ideoque sicut interitu rei feudum definit, ita etiam exstinctâ qualitate, quæ feudum fecit.

4. Quæ per se subsistunt, non finiuntur rei interitu. In specie quæ feuda sic reputamus, quod non ex initio dominii beneficio habentur, sed contractu oneroso vel alio proprio jure, non desinunt vel vasallis auferuntur, etsi dominii dominio rerum suarum excidunt aut privantur.

DECISIO III.

Cum Prædium alteri oppignoratum in feudum conceditur Vasallus non immittendus est antequam solvit.

IN Feudum Domino apertum cum à Creditoribus Vasalli teneatur, ejus cui conceditur, immissio fieri potest, salvo creditorum jure. (1) Secus se res habet, quando dominus prædium cum jure antichretico pignori dedit, & deinde alteri in feudum concedit. In priori specie creditor nihil juris ultrà habet, quam quod anterior Vasallus habuit, ultra quod est quoddam domini & ex hujus concessione novi Vasalli jus, etsi non solvitur. (2) Illius directum dominium, ex quo facultas alium investiendi: Hujus ex Investitura utile, per quod omnia in feudo licent, quæ non obsunt creditorum petitioni. (3) Ideo etiam possessionis apprehensio, inspectio, custodia & quæ similia illi jus suum conservant, creditoribus non nocent. At cum ipse dominus prædium pignori dedit possessionem in creditorem hypothecarium, omnemque utilitatem transtulit, (4) nec illi ante liberationem jus est, (5) nec alteri, qui non potest majori quam ille habet, jure frui. In priori specie creditores nihil ultrà habent, quam quod fuit ultimò defuncti Vasalli, ejusque jure fruuntur: In posteriori vero omnis domini utilitas & jus omne præter domini nomen iis cedit. *In causa Creditorum der von Gribern contra Campi Marschallum Dn. Arsuid Wittenberg die 22. Novemb. Anno 1653.*

1. Sic alias servatum & decisum est, ut videre licet supra ex decis.

2. In creditorem vasallus juris nihil ultra transferre potuit, quam quod ipse habuit, *l. nemo plus ff. de R. I.* Etsi autem ex privilegio Nobilitatis Pomeranicæ feuda obnoxia sunt æri alieno, hoc tamen obtinet salem salvo domini jure & cum reditu seu apertura feudi. Utilitatem creditores capiunt, non feudum, hæc vel vasalli sunt, vel alii feudum concedendi facultatem prohibere queunt.

3. Non

3. Non contrariantur sibi, sed simul consistunt, alium vi directi dominii investiri, vasallum fieri & creditori feudum esse oppignoratum. Huic autem non aliter competit pignus in feudo, quam salvo directi dominii jure. *Alvarot. in c. 1. §. praterea de prohib feud. alien.*

4. *l. si pignus 37 ff de Pignor. act. l. 1. § per servum 15 ff. de acquir. possess.*

5. Debitori integrum non est jus pignoris aut rem pignoratam, aut creditoris conditionem reddere deteriorem.

PARS SECUNDA.

DECISIO I.

Etsi non successio, attamen custodia, ideo & possessio corporalis bonorum feudalium absentis præstitâ cautione tribuenda proximo agnato, existente licet proximiore consanguinea.

IN lite inter proximum agnatum absentis vasalli & sororem istiusmet feuda tenentem sententia, quæ sub cautione custodiam ideo immissionem agnato adjudicavit, prolata & appellatione interposita nihil justi gravaminis quoad istum articulum ex actis apparuit, cum certi juris sit, etsi quamdiu non constat absentem esse mortuum, (1) aut tantum temporis effluxit ex quo certa mors colligitur (2) successioni locus non sit, tamen custodiam & curam ideo & detentionem bonorum deberi illi, qui proximè successurus sit, (3) utut cognatione non sit proximior, (4) modo cautionem præstet de administrandis benè, & cum absens redierit restituendis bonis. (5) Quocirca, utut absentis soror proximitate gradus conjunctior sit, feudorum tamen, in quibus non succedit, cura & custodia ipsi relinquenda non est, (6) sed præferendus in feudo proximè successurus. (7) De quo velut benè judicato nec ulteriorem litem admittere placuit *in causa Vidua Obristi Andreas Jlefelden contra den Land-Rath Hans Blücher die 20. Januarii Anno 1654.*

1. Successio non est viventis *l. 1. ff. de hared. & act. vend.* vivere autem, qui vixit, haud mors ejus præsumitur sed probatione eget, *l. si ejus 34 ff. ad SC. Trebell. l. sed & in illo 18 ff. de reb. dub.*

2. Post illud tempus, quod vitæ longissimum est, quis decessisse præsumitur, id quod communiter centum annorum esse asseritur *l. an usumfructum 36. ff. de Usufruct. l. si Usufructus 8. ff. de Usufruct. legat. l. ut inter 23. §. 1. C. de SS. Eccles.* Ex arbitrio autem judicis pro diversitate circumstantiarum ad pauciores annos definiri potest, *ut demonstrat Carpzov. in Jurisprud. Forens. part. 3. constit. 15. defin. 57.*

3. Id non tantum generali consuetudine sed etiam ex justâ ratione sic receptum *vid. Virgil. Pingitz. quæst. 5. Fab. in Cod. lib. 5. tit. 40. defin. 9. Hartm. Pistor. Observ. 103.* tum quia cura est proximi successoris onus & debitum *pr. Inst. de legit. agnat. tut.* tum quia ejus maximè interest bona rectè custodiri & administrari, *arg. l. quo tutela ff. de Reg. Jur.* tum quia de eo melius quam de alio præsumitur, *arg. l. nemo 58. §. qui frater 1. ff. de hared. instit.* tum quod absentis ea mens verosimilis colligitur.

4. In feudis non spectatur cognatio sed agnati tantum succedunt, ideo & hi saltem custodiam feudorum accipiunt.

5. Curator nemo sine idoneâ satisdatione admittitur *l. 1. & tot. tit. ff. & Cod. de Satisd. tut.*

6. Fœminæ in feudis non succedunt, ideo nec bonorum feudalium curam accipiunt *c. un. de succes. feud. ib. Andre de Isern.*

7. Successionis ordo non cognationis spectatur in cura deferendâ, *Vid. Carpzov. in Jurispr. Forens. part. 3. Constit. 15 def. 48. in fin.*

DECISIO II.

Custodia & cura agnati in bonis absentis non tollit aut immimuit jus retentionis aliis competens.

ETsi rectè pronunciatum fuit fororl agnatum in custodia & curâ feudorum absentis anteferendum esse, id tamen non aliter accipiendum, quam illæso jure retentionis sororis quod habet in bonis feudalibus. (1) Nec enim agnatus ut curator melioris conditionis esse potest, quam absens, cujus curam gerit. Quo præsente soror pro dote & paraphernalibus in feudis paternis jus retentionis habet, tam ex Pomeraniæ statutis, (2) quam jure communi, (3) Quando itaque hæc sententia non probè distinxit, sed cum adjudicatione curæ sub cautione discessum ex bonis paternis sorori, antequam de ejus jure actum & decisum fuit, injungeret, in eo male pronunciatum esse reperiebatur, (4) ideo declaratio adjecta est, quæ retentionem una cum cura ista conservaret, *in eadem causa.*

1. Jus retentionis custodiendum est ei, cui competit, donec id desiisse apparet. Pinguius remedium est petitione atque species perceptionis *l. deducta 58. §. accepit 3. ff. ad SC. Trebellian. l. cum pater 77. in pr. ff. de Legat. 2.*

2. Privilegia Nobilium in Pomerania assignant filiabus dotem atque alimenta ex feudis & ob ea jus retentionis.

Digitized by Google

3. *De quo vid. prolixius scripta apud Harum. Pistor. part. 2. quæst. 37. per. tot.*

4. Potest quidem casus existere ut cautione præstitâ desinat jus retentionis, attamen non aliter quam mediante causæ cognitione super eo, quod debetur, quale sit, cum alias nemo regulariter teneatur recipere pro pecunia fidejussorem *l. Statuliber. 5. §. 1. ff de Statulib. l. si so non 4. §. ait Prætor. 3. ff. de re jud.*

DECISIO III.

Feudi retentio contra agnatum ob debitum non feudale locum non habet, quamdiu hæreditas solvendo aut nondum excussa est.

QUemadmodum feuda indiscriminatim ære alieno non sunt obnoxia, sed interest inter onera feudi & Vasalli. (1) Illa incumbunt feudis eorumque successoribus, hæc tantum hæredibus, ideo non aliter feudi successoribus, quam si hæredes defuncti simul existunt: (2) nisi per statuta vel mores loci aliud introductum sit. Quomodo in Pomerania etiam succedentibus agnatis ex feudis in subsidium debita vasalli solvuntur; (3) At quando actio tunc subsidiaria saltem est, ideo nec in feudis jus retentionis ob ista aliter obtinet, quam quoties certum est ex feudo ista esse solvenda. (4) Quod cum secus se habeat, quando aut hæreditatem solvendo esse, aut si de eo res adhuc incerta, tamen existere constat, ideo excussione opus (5) sequitur agnatum per obtentum juris retentionis non esse à feudi possessione seu occupatione excludendum, sed detentantes ad justam debitorum petitionem atque prosecutionem remittendos (6) salvo & reservato, si post excussionem appareat ex feudo solutionem fieri debere, petentium jure. (7) Quod quamdiu in pendenti est, non sufficit ad detentionem, (8) præsertim cum incommodo successoris & iniquitate detentoris, cui ex bonis decessisse nihil nocet, integro ipsi per omnia si quod habet jure; in iis vero remansisse multarum litium atque difficultatum ob ea quæ eveniunt, & de iis debitas rationes causa est. Sic conclusum & decretum *in causa liberorum Vincentii Blüchers contra Hans Blüchern die 18. April. Anno* 1654.

1. Ex jure communi feudorum recepta est hæc distinctio, *de qua vide prolixè scripta a Schultes in addit. ad Modestin. Pistor. part. 2. q. 132. per tot.*

2. *Camerar. ad c. Imperialem de Prohib. feud. alien. per Frideric. p. 42. & seq.*

3. Quemadmodum alia de feudis ex locorum moribus variant, ita ut in Germania quævis provincia ferè peculiaria obtineat; ita etiam circa solutionem æris alieni ex feudis discrepant mores. Id quod cujusque terræ consuetudo habet, præprimis consideramus & sequimur.

4. E privilegiis Provincialium in Pomerania hoc est, quod feuda in subsidium æri alieno sint obnoxia, *uti comprehensum in his, quæ Anno* 1560. *congesta, & Recessu Provincials Anno* 1606 *declarata sunt.*

5. Retineri tantum potest res obligata. *Spet. in tit. de censib. 3. vers. sed pone Molign. de jur. retent. q. 417.*

6. Ubi non est locus petitioni debiti, ibi nec locus retentioni: ita quamdiu illa cessat, etiam hæc vitiosa est, *arg. l. si non sortem §. si centum ff. de Condict Indeb.*

7. Talis reservatio instar cautionis est, quam præstare sufficit ad retentionem finiendam, ubi res non est liquida & certa. *Vid. Hering. de Fidejussor. c. 35. n. 117.*

8. Propter illiquida & controversa jus retentionis cessat, *Carpzov. in Electer. respons. 20. n. 19. lib. 4. ubi de dote illiquida ita sentit.*

DECISIO IV.

Diversa feudi successorum & hæredum conditio est circa dotis quantitatem ejusque ex dotatis prioribus filiabus modum.

MOrtuus vasallus relinquit post se duos filios & plures filias, quarum una vivo patre cum certâ dote nuptum elocata erat. At filiis præmatura morte ereptis & post eos feudo ad agnatum perveniente, quidquid hæreditatis paternæ erat ad solas filias devenit, sic tamen ut per bellorum calamitates deterior esset feudalium atque hereditariorum bonorum conditio quam tempore mortis paternæ fuit. Mota inde quæstione, quantum filiabus nondum dotatis pro dote deberetur? Alia ratio reperta est agnati, alia hæredum. Agnatum non obligat patris in dotatione placitum, (1) si aut nimis magna ex feudo dos constituta sit, (2) aut licet pro eo tempore æquâ, ex præsenti tamen rerum statu immodica. (3) Hujus circa dotationem filiarum ex feudo non alia obligatio est quam juxta qualitatem & vires ejus. (4) Quæ ex detrimento facultatum mutatæ efficiunt, ut agnatus non ultra teneatur quam ex præsenti feudi statu dominus æquum putaverit. (5) Secus se res habet qua hæreditatem & liberos hanc capientes; Hos obstringit ad obsequium placitis paternis præstandum tum voluntas parentis exposita in

dotatio-

Digitized by Google

dotatione primâ: (6) tum æqualitatis inter filias æquitas: (7) tum dotis ratio, quæ æris alieni instar habetur: (8) tum collationis vis per quam cæteras dotem quam acceperunt conferre aut hæreditate abstinere oportet. (9) Nec quo minus ultimæ filiarum in dote prioribus ex hæreditate æquentur impedimento, est mutatio facultatum in deterius, quæ communi liberorum periculo atque incommodo est, nec ultimis magis quam primis nocere debet, à quibus accepta pro parte cæteris eveniunt. (10) Etiam sub eâ inter liberos, qui hæreditate parentum non abstinent, manet æqualitas atque collationis jus, ut qui præceperunt, si hæredes esse velint, aut quod amplius habent reddere cæteris, aut nihil aliud quam æqualia his evenerunt, ex hæreditate capere debeant. (11) Quæ differentia monuit cautam circumspectionem in decisione dubitationis, quid pro dote debeatur filiabus nondum dotatis. Inter eas quæ occurrebant & allegabantur circumstantias cum appareret in hæreditate superesse, unde posteriorum eadem quæ priorum dos esse posset, aut si vel deesset, tamen actionem non defore, licet inopia excluderet, existimatum est, recte judicari tantam nondum dotatis deberi dotem, quantam dotatæ acceperant. At unde solvenda sit, quanta pars & an tanta ac prioribus ex feudo cessit solvenda sit ab agnato, ad ulteriorem discussionem atque disceptationem seponendum, hancque cum omnibus liberis, quia quod ab eo non præstatur, hæreditatis onus futurum est communem fore. *Sic observatum in eadem causa.*

1. Agnatus in feudo succedens at non simul hæres, non est obnoxius æri alieno defuncti nisi quatenus est ex lege vel consuetudine onus feudi. *Gail. 2. Observ. 145. Borcholt. de Feud. part. 2. cap. 7. num. 94. & seq. Schrader. de Feud. part. 7. c. 7. n. 32. & seq.*

2. Dos filiabus debita onus quidem feudi habetur. *Hartm. Pistor. cap. 1. quæst. 37. num. 5.* sed ita constituenda, ut hoc non valdè oneretur, ideo consuetudine receptum, eam ex feudis non valdè magnam constitui, sed potiorem rationem agnatorum haberi. *Vid. Hartmann. Pistor. dict. quæst. 37. num. 18. seq.*

3. Vires feudi eo tempore respici debent, quo facienda est dotatio, iisque imminutis non attenditur quantitas prioris dotis. *Carpz. in Jurispr. forens. part. 2. constit. 46. def. 19*

4. Facultates bonorum in determinanda dote considerari debent, *l. cum post. §. gener l. quæro 60. ff. de jur. dot. l. si filiæ ff. de Legat. 3.* præsertim ubi ab agnato ex feudo præstanda est, cui non aliter incumbit quam ratione & pro qualitate feudi. *Herig. part. 2. q. 20. n. 41.*

5. In quantitate dotis filiabus ex feudo constituenda arbitrium domini adhiberi debet, cujus maxime interest feuda non oneratis *Hartm. Pistor. dict. quæst. 37. num. 19. Rauchbar. quæst. 38. num. 1. part. 1.*

6. Pietatis filialis officium est sequi & servare voluntatem paternam, *l. 1. C. de Offic. Prætor. l. liberi 28. C. de Inoffic. Testam.*

7. *l. cum quis 10. C. de. Natural. liber.*

8. Quantum ad parentem ejusque bona attinet, *l. 10. ff. de rit. nupt. l. ult. §. utrumque C. de Dot. promiss.*

9. *l. 1. tot. tit. ff. de Dot. Collat.*

10. Quod præcepit liberorum quisquam pro dote vel donatione propter nuptias, æris alieni loco est, & ejus nomine actio in collationem atque communionem venit, *l. fin. ff. dict. tit.*

11. Duplici modo fit, ut qualitas inter liberos servetur vel imputatione ejus quod acceptum in partem *l. 5. C. de Collat. Novell. 97. cap. 6. in pr.* velut de suis quantum accepit, præstet, *l. §. 12. ff. de Collat. d. l. 3. C. eod.*

DECISIO V.

Expensæ nuptiales onera feudi sunt.

QUod circa dotem ex feudo solvendam constitutum & consuetum est, servatur etiam in cæteris expensis nuptialibus, Geschmuck / Kleider und Hochzeit-Geldern / (1) quarum eadem ratio est; Ideo sub verbo Außsteur in statutis accipiuntur, (2) & non secus atque dos successoribus feudi incumbunt. (3) Hoc uti praxis observat, (4) ita in decernendo sequi opus fuit. *In causa viduæ Obristæ Andreæ Flefelds, contra Hans Blüchern, die 18. Aprilis Anno 1654.*

1. Sunt istæ velut pertinens & appendix dotis, ideo cum illa ex feudo debentur.

2. *Vid. Carpz. in Jurispr. Forens. part. 2. const. 46. def. 14.*

3. *Ex Pomeraniæ Nobilium Privilegiis Anno 1560. congestis res certa est, ubi expressa fit mentio* der Außsteur / Geschmuck und anderer gebührlichen Außrichtungen.

4. In Pomerania semper sic usu servatum, ut cum de dote ex feudo constituenda agitur, simul aliquid adjiciatur pro nuptialibus cæteris necessariis & solitis impendiis.

DECISIO VI.

Conventio inter maritum & tutores de impendiis nuptialibus non præjudicat feudi successori.

CUm maritus ex pacto cum tutoribus quidquid ad elocationem uxoris pro consuetudine loci decorum videbatur erogasset, ejusque refusionem illi

Digitized by Google

promisissent; ipse vero excessisset, quod paternâ voluntate destinatum videbatur, dum primæ filiæ minus datum erat, feudi successorem inde non obstringi existimatum est. Etsi enim sumptus elocationis honestæ feudi onus sunt, inde successori feudi incumbunt; (1) tamen non ultrâ cum modum ac qui facultatibus congruus est. (2) Qui, si de eo non convenit, à domino feudi definiendus erit. (3) Non enim tutoribus in eo arbitrii quidquam amplius relictum est quam ipsi parenti, (4) cujus voluntatem immodicam sequi non tenetur aut agnatus aut feudi dominus. (5) Graviùs autem à tutoribus peccatur, si modum non observârunt, & ultra debitum promiserunt. (6) Ideo si quæ de excessu elocationis actio est, adversus ipsos tantum erit. *Ita decretum in eadem causa.*

1. *Vid. defin. precedentem.*

2. Elocatio liberorum juxta facultates paternas fieri debet, *l. quæro* 60. *ff. de jur dot.*

3. Constitutio & usus Pomeraniæ quidquid controversiæ oritur circa elocationem filiarum ex feudo, remittit ad feudi dominum ejus examen atque definitionem, cum illius etiam intersit, ne feuda & Vasalli nimis onerentur.

4. Dotem & alia ad elocationem necessaria tutor vel curator filiabus præbere potest & debet, *l. curator* 5. *ff. de administr. tut.* at cum ad dignitatem & facultates pupilli, *l. tutor.* 13. *pr. ff. eod.* tum maxime ad modum debitum adstrictus est, *l. si curatores* 9. *verb. quod moderatum est C. dict. tit.*

5. Vasallus non habet potestatem obligandi successorem feudalem aut dominum in his quæ ad feudum pertinent. *Rauchbar. part.* 2. *quæst.* 21. *num.* 20. *& seq.*

6. Etsi honeste quid in talibus fecerit tutor, si tamen ex liberalitate non valet nec obligat. Manet in eo arbitrium pupilli, *l. cum plures* 12. *fin. ff. de admin. tut.* multo magis successorum feudi.

DECISIO VII.

Processus excussionis hæreditatis antequam ad feuda pro ære alieno vasalli devenitur.

DEbitum subsidiarum ex feudo cum hæreditas non est solvendo, præbet successori exceptionem ordinis atque excussionis. [1] Excussio requirit discussionem hæreditatis. [2] Hæc processum fini suo aptum & sufficientem. In quo primo necessaria est exhibitio inventarii, in quo hæreditas est descripta: [3] Deinde perquisitio facultatum descriptarum, quales quantæque sunt: [4] Tertio æstimatio seu computatio, quantum certæ pecuniæ ex iis colligendum: Quartò consideratio æris alieni. [5] Post hæc demum judici statuere licet, utrum hæreditas sufficiet nec ne, & quantum hâc inope ex feudo pro debitis vasalli sit addendum. De quo antequam appareret, dilata fuit super lite, an & quanta ex feudo dos, nuptiales impensæ & alia solvi debeant, sententia: ordinata vero prius quæ ad discussionem pertinebant *inter eosdem.*

1. *Arg. Novell.* 4. *cap.* 1.

2. Non enim nisi discussis bonis hæreditariis constare potest, an feudum obnoxium sit, ex quo peculiaris usitata est discussionis instantia. *Vid. Fab. in C. lib.* 6. *tit.* 11. *def.* 4.

3. *Junct. l. fin. C. de jur. delib.*

4. Per ordinis beneficium is qui nonnisi in subsidium tenetur, immunis est quamdiu ex hæreditate quidquam superest.

5. Per æstimationem constat de viribus hæreditatis.

DECISIO VIII.

Impensa funebres non sunt feudi onera, nisi cum hæreditas ita non sufficit

FEudi onera, nempe, quæ tantum feudo incumbunt, nulla alia reputamus, quam quæ ex lege vel consuetudine talia reddita sunt, (1) cætera qualiacunque sint tantum vasalli onera existunt. (2) Ad hæc etiam referimus impensas funebres, tanquam nec per jus commune, (3) nec per provinciale in istorum classem relatas. (4) Quocirca funerari debet vasallus quisque ex bonis allodialibus tanquam suis propriis, (5) non ex feudo, cujus usufructus tantum ad illum pertinet. Ideo si successor feudi sepulturæ mandaverit tanquam alienum negotium gerens funeraria actione sumptus ab hæredibus repetit. (6) Si tamen hæreditas honestæ vasalli sepulturæ non sufficit, ex feudo debentur impendia, eaque tunc in subsidium sustinet feudi successor. (7) Quomodo sub illâ conditione id onus injunctum proximo agnato successori *in feudo Daberiw die* 7. *Aprilis Anno* 1654.

1. Feuda regulariter ab ære alieno libera sunt, ideo qui debitum aliquod feudi onus dicit, probare debet. *Carpzov. Resp. Elect.* 64. *num.* 3. *& seq. num.* 16. *lib.* 4.

2. In dubio creditum magis vasalli quam feudi onus creditur.

3. Nullo juris feudalis textu id dispositum reperitur, ideo sine lege feudum non oneramus. *Carpz. in jurispr. forens. part.* 2. *const.* 45. *def. fin.*

4. Ex Pomeraniæ consuetudine feuda nisi in subsidium non sustinent sumptus funebres, *ut illa contentione inter agnatos, feudi successores & hæredes, quorum sit ea cura & impensa, decisum fuit.*

5. De

Digitized by Google

5. De suo quemque funerari convenit, *l. etsi quis* 14. §. 1. *idem Labeo* 13 *ff. de relig. & sumpt. fun.*

7. De cujus æquitate & favore *vid. in d.l. etsi quis* 14. §. *idem Labeo* 13.

7. Id quod pium, æquum & successioni conveniens esse docet *Carpzov. dict. constit.* 45. *def. fin.* In Pomeraniâ adeo certum est, ut ex feudis ante omnia credita debeatur funeris impensa, *ut id declaravit Provincialis Recessus Anno* 1606.

DECISIO IX.

Agnato feudi successori & simul tutori, quâ successionem nihil obesse debet, ut tutori incumbit.

AGnato qui defunctis masculis proximus feudi successor erat, horum juxtim atque sororum tutori, cum ut successor feudum occupare vellet, à sororibus vasalli opponebatur, debitum ex tutela & exceptio non acceptæ dotis, indeque prætendebatur adversus ipsum, donec pro illâ satisfactum foret retentio. At sine jure; Etsi enim contra quem competit actio, ei multo magis competit exceptio, (1) & propter hanc rei retentio; (2) attamen non aliter quam ubi actionis atque exceptionis idem est objectum. Secus se res habet, ubi exceptio vel retentio non concernit eam causam, ex quâ res petitur. (3) Ex separatis quippe non obstat exceptio. Nec tutori officium damnosum esse debet, (4) ut propter illud careat successionis fructu, aut excludatur à jure suo, ideo, quia ut tutor curare debuit quo dotem & alia debita liberi capiant. (5) Nec enim ideo ea re, quæ aliâs ob ista detineri non potuit, carere debet: (6) Quoci[illegible] ita ac si tutor non esset, dicitur sententia & quod ut à tutore petitur, ad actionem tutelæ & hæc ad alium processum remittitur, interim ea quæ ex successione capit, injuste detinentur. *Hoc factum in eadem causâ.*

1. *l.* 11. *ff. de except. rei vend.*

2. *l. si in area in fin. l. ex quibus ff. de condict. indeb. l.* 13. *pr. ff. quib. mod. pign. & hypoth.*

3. Diversus respectus in eâdem personâ facit aliquem censeri pro duplici, sic in una servari ac si essent diversæ, *l. tutorem* 22. *ff. de his quæ ut indign.*

4. *l. sed si quis* 7. *ff. testam. quemadm. aper.*

5. Tutoribus jura lex immutilata reservat nihil ex auctoritate sua præjudicii subituris, *l. cum quadam* 26. *C. de Admin. tut.*

6. *d. l. tutorem* 22. *ff. de his quæ ut indign. Quæ in superioribus decisionibus habentur, in sequens decretum redacta sunt, quod inter partes duplicatum fuit die* 18. *Aprilis Anno* 1654.

In Sachen Bentz Blüchers hinterlassener Kinder und angehöriger Appellanten wider den Land Rath Hanns Blüchern Appellaten / das Gut Daberkow und dazu vorgebrachte Forderungen betreffend / wird allen Theilen Copia deß Protocolli bey dem Vorbescheide gehalten / und ferner darauff erkannt / daß / wie laut der den 30. Januarii publicirten Urtheil allein die Schuld-Poste zur liquidation angenommen / so der Außsteur alimenten und meliorationen und deßwegen prætendirten Juris retentionis halber zu liquidiren / also die so unter den vorgebrachten jetzt gemelten Puncten nicht begriffen / von dieser Sache ab / und damit die dazu befugt zu seyn vermeynen / zu ordentlichen Sachen und Processen anzuweisen / wie dann in specie Ulrich Cramons Erben wegen der 200. Gülden Capital angeliehener Gelder und davon fälligen Zinsen / sich an dem ihm verhypothecirten und außgeklagten Post / womit Valentin Voß den Blüchern verhafftet / zu halten; Ingleichem was ex fide jussione vor die Blücherische Erben an Volrath Prenen angegeben / wann solches künfftig bezahlet zu seyn beygebracht / durch Rechtlichen Zuspruch zu fordern haben / also was an Halterman der vorgewandter Traurkleider halber in 1000. Gülden / ferner an die jenige so Silber- und Gold-Pfände / in Händen gehabt / auch an Leonhard Richtern bezahlet zu seyn vorgegeben / dann die 180. Gülden auch 160. Gülden wegen Sökorns prætendiret; Item / was von den 4000. Gülden so der Mutter die Vormünder schuldig geblieben zu seyn vorgebracht / ohne daß solches nicht der Gebühr liquidiret zu dieser Sache nicht gehörig / auch noch zur Zeit das Lehen damit nicht zu beschweren oder darum zu vorenthalten / sondern dafern Appellanten so wol die Poste als daß die in der Lehen-Nutzen verwendet / außfündig machen wolten / gebühret ihnen solches durch ordentlichen Proceß zu thun / dabey allein treiben was ihnen von Rechtswegen zustehet / vorbehalten bleibet / im übrigen ist befunden vor erst sel. Ulrich Cramers Wittwen Forderung der nachstehenden Außsteur auff 5500. Gülden in dem Extract der sel. Blücherischen Register / davon wir auch andern deßwegen vorgebrachten Schrifften Copey erkannt / wird den Vormündern zwar berechnet / nicht aber genugsam bewiesen / daß bemelte Wittwe oder ihr Ehmann solche empfangen habe / vielmehr demselben hernach von den Vormündern zugestanden und versichert / demnach im Fall die solutio nicht besser zubescheinigen ihr billich gebühren / dabey aber ex actis erscheinet / Liquidantinne deßwegen kein Jus Retentionis an den Lehen noch zur Zeit zustehe / sondern Laut der Vormünder und Erben den 27. Januarii Anno 1630. Ulrich Cramer gegebenen Obligation, wie auch der ad Acta producirten den 3. Sept. Anno 1655. gefassteten punctation sich an die angewiesene Posten zu halten / und was darein beschrieben / zu prosequiren habe / doch im Fall sie darauß das ihrige nicht erhalten könte / die Zuspruch zu den Lehen in subsidium so weit Rechtens vorbehältlich.

Zum andern / wegen sel. Hanns Wilhelm Troiffen Kinder / werden 7000. Gülden Ehegeld / und 1000. Gülden vor Geschmuck / ingleichem drittens / wegen sel. Obrist Flesselden Wittwen auch 7000. Gülden Ehegeld / dann 1000. Gülden vor Geschmuck / als die andern vorhin außgestreuerte

steuerte Schwestern bekommen / wie den von jetztgemeldter Tieffelbischen Wittwen geforderte alimenten von vier Jahren zusammen 1200. Gülden als liquid gehalten.

Wann aber von Appellaten auff jetztbemelte Posten die Bezahlung auch das so noch übrig seyn möchte / auß sel. Wentz Blüchers Erbschafft ihs auff dero zugehörige Güter die Abstattungen zum theil verwiesen seyn soll / geschehen müste eingewandt / aber doch nicht zur Genüge außfündig / wird solches zu ferner doch fürdersamster Erweg- und Erkantnüß außgesetzet / es gebühret aber immittelst Appellanten / insonderheit Hanns Wilhelm Treiffen Kinder Vormündern auff Appellaten Einwenden wegen vierjähriger gehabter Abnutzungen deß Guts Daberkow / daß solche den Vormundern bereits berechnet / oder warum sie von weiter Berechnung befreyet beyzubringen / oder sonst auch daß sie dadurch nicht bezahlet / außzuführen / hingegen Appellaten das Inventarium der väterlichen Vormundschafft / darauff sie sich beruffen / inwendig sechs Wochen einzubringen / daneben beyden Theilen erlaubet wird / da sie in puncto solutionis, wie dann auch ob und wie weit dieser Post halber die Zahlung auß den Lehen gebühren / und das jus retentionis statt habe; Ingleichem daß in der Erbschafft so viel vorhanden / worauß die liquida könten abgestattet werden / annoch etwas vorbringen wolten / damit proxima jedoch schließlich einzukommen / so ergehet darnach ferner was recht ist.

Zu den angegebenen 3191. Gülden / welche Obristin wegen Hochzeit gelder / Kisten-Gerähte &c. über das so den andern Schwestern gebühret / fordert / seyn die Lehen und der Lehens-Folger unverbunden / sondern sie wird damit zur Ansprach an die so es ihr versprochen / verwiesen.

Was auff Ulrich Blüchers Begräbnuß verwandt / wie auch Wentz Blüchern angeliehen / und dessen Kost-Geldes halber bezahlet / wird auß den Lehen billich erstattet / dafern Appellat nicht erweißlich machen könte / daß in der Erbschafft verhanden / wovon solches geschehen möchte.

Vermeynen auch Appellanten wegen der gehabten Vormundschafft wider Appellaten Zuspruch zu haben / wird dieselbe ihnen so weit Rechtens vorbehalten; Solches aber ist mit dem puncto successionis & juris retentionis nicht zu confundiren / sondern absonderlich anzustellen und zu prosequiren.

Der Zinsen halber von obliquidirten und angenommenen Posten wird die Verordnung biß zur Erkantnüß super exceptione solutionis ut & excussionis hæreditatis außgesetzet / alsdann nach Befindung / wie weit auß den Lehen der Nachstand sich etwa belauffe / ergehet was recht ist. Auff die über das Gut Daberkow eingebrachte und Appellaten bereits communicirte Rechnung wird dero Erklährung erwartet / und als die discussion und Uberlegung vor dem Königl. Tribunal füglich nicht / sondern besser vor Commissarien / welche beyde Theile hören / wo müglich / darüber dergleichen / sonsten die behufliche Nachricht in loco einziehen / vorgenommen werden mag; Als soll auff der Partey Anhalten commission erkannt werden / dabey Appellaten frey bleiben / ob was bey denen Rechnungen dem beschehenen Andeuten nach zu erinnern seyn möchte. Sie allhier vor der commission einbringen / oder künfftig denen Commissariis einreichen wollen / von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Wenceslai Blüchers liberorum & attinentium appellantium, contra Consiliarium Provincialem Joannem Blüchern appellatum ratione prædii Daberkow & eo productarum prætensionum, omnibus pactibus copiam protocolli & præterea desuper decernimus quod, sicut vigore sententiæ 30. Januarii publicatæ solùm eæ prætensiones ad liquidationem recipiendæ quæ ratione dotis, alimentorum & meliorationum & propterea prætensi juris retentionis liquidandæ veniunt, ita illæ quæ inter prolata modo dicta puncta non spectant ab hac causa ad ordinarium processum remittendæ, prout in specie Ulrici Cramons hæredes ratione 200. floren. capitalis pecuniæ mutuo datæ & inde cedentium censuum, puncto ipsi hypothecato, quo cum Valentinus Vos ipsis Blüchern obligatus insistere tenentur, similiter quod ex fidejussione pro Bluchericis hæredibus ad Volrathum Brenen allegarum, quando id solutum esse probatum fuerit per judicialem adjudicationem prætendere possunt, ita quod ad Halterman ratione prætensarum vestium Lugubrium in 1000. floren. ulterius illis qui argentea & aurea pignora habuerunt, ac etiam Leonhardo Richtern solutum esse prætenditur, tum 180. flor. ac 160. flor. ratione siliginis pro satione, Item quod de 4000. flor. quos matri Tutores debuisse propositum, absque eo quod debitè non liquidati; ad hanc causam non pertinent, & adhuc dum feudum per id non onerandum, vel propterea retinendum, sed quatenus appellans tam bene hanc prætensionem, tam quod in utilitatem feudi versa sit, probare vellent, incumbit illis id per ordinarium processum facere, & sic solum id urgere quod ipsis de jure competit, quod ipsis reservatur; Cæterum apparet pro Primo, Ulrici Cramers Viduæ prætensionem restantis dotationis ad 5500. flor. in Extractu Registrorum Blüchericorum quorum ut & aliorum propterea productorum scriptorum copiam decernimus, & Tutoribus quidem computatum non vero sufficienter probatum, quod dicta vidua aut illius maritus illos receperit, proinde nisi solutio melius doceatur, illi marito competere ubi vero ex actis constat liquidanti propterea nullum jus retentionis in feudo adhuc dum competere, sed quod vigore tutorum & hær-

Digitized by Google

hæredum 27. Januarii Anno 1630. datæ obligationis ut & acta productæ 3. Sept. Anno 1655. formatæ punctationis assignatis punctis insistere & quod ibidem scriptum prosequi teneatur, attamen casu quo inde suum consequi non posset, reservata actione ad feudum in subsidium quantum juris.

Pro secundo propter Joannis Wilhelmi liberos, 7000. floreni dotis & mille flor. pro jocalibus, similiter tertio propter Colonelli Ilefelden viduam etiam 7000. floreni dotis tum mille floreni pro jocaliis quantum aliæ prius dotatæ sorores acceperunt, uti & alimenta à modo dicta vidua Ilefeldica pro quatuor annis in summa 1200. florenos efficientia petita pro liquidis habentur.

Si vero ab appellato excideretur, quod solutio dictarum prætensionum & ejus quod adhuc restaret ex Wenceslai Blüchers hæreditate, utpote ad cujus bona solutio pro parte assignata esse dicitur fieri deberet, attamen non sufficienter doctum esset, id ad ulteriorem sed experditissimam discussionem & decisionem exponimus; Interea verò incumbit appellantibus præcipue Joannis Wilhelmi Troiffen liberorum tutoribus ad appellati exceptiones propter quadriennalem perceptionem fructuum, ex prædio Daberkow, quod ii jamdum computati vel quare ab ulteriori computatione liberati docere, vel alias quod perid ipsis solutio facta non sit deducere, econtra appellato inventarium paternæ tutelæ, quo se fundant, intra sex septimanas exhibere; Præterea utrique parti indulgemus, &, si in puncto solutionis, ut &, an & quatenus ratione hujus prætensionis solutio ex feudis competat, & jus retentionis locum habeat, similiter quod in hæreditate tantum superlit unde liquida solvi possit adhuc aliquid proferre possent, id in proximâ attamen submittendo faciant, inde fiat quod juris.

Ad allegatos 3191. floren. quos Colonella ratione pecuniarum nuptialium &c. supra id quod aliis sororibus competit, prætendit, feuda & feudi successores non obligantur, sed illa ejus ratione ad eos remittitur, qui id promiserunt.

Quod ad Ulrici Blüchers funus impensum, ut & Wenceslao Blüchern mutuo datum & ratione victus solutum ex feudis meritò refunditur, casu quo appellatus docere nequiret, tantum in hæreditate superesse, unde refusio fieri posset.

Si etiam Appellantes existimarent actionem contra Appellatum ratione tutelæ gestæ se habere, illa illis in quantum juris reservata, illud verò cum puncto successionis & juris retentionis non est confundendum, sed separatim instituendum & prosequendum.

Ratione censuum deliquidatis & acceptatis prætensionibus decisionem usque ad cognitionem super exceptione solutionis ut & excussionis hæreditatis differimus, uti juxta apparentem quo ex feudis residuum excurrat, fiet quod juris. Ad rationes super prædio Daberkow exhibitas & Appellato jamdum communicatas ejus declarationem expuramus, & cum discussio & examinatio coram Regio Tribunali non commode sed melius coram Commissariis qui utramque partem audiant, quatenus possibile concordent alias necessariam informationem in loco capiant, fieri possit; Hinc ad pactum implorationem commissio decernetur, ubi appellato liberum relinquetur utrum circa rationes & factas allegationes quid admonendum veniret, ut hic coram commissione proferre vel in futurum Commissariis exhibere vellent, idque de jure.

DECISIO X.

Ex deductione novi mariti in feudum vidua non mittit dotem, sed annum gratiæ tantum, cum mora penes ipsam est, non si extra ipsam sit.

OBjecta amissæ dotis exceptio ob secundas nuptias, & deductum in feudum defuncti novum maritum juste rejecta est. Nec enim constitutio aliqua Pomeraniæ eam pœnam irrogat. (1) Prohibet quidem vidua secundis nuptiis & deductione in feuda prioris mariti, & locus factum coërcet amissione anni Gratiæ, quo alias gaudet: (2) non autem & dotis aliorumve suorum bonorum; (3) Ad quam erronee contra literam constitutio extenditur. Nec amissio anni gratiæ aliter irrogatur, quam cum ipsæ morosæ sunt, aut malè in bonis maritalibus versantur. (4) Quod si ex mora vel culpa successorum feudalium aut alia ex causa circa cul-

Digitized by Google

pam viduæ fit, (5) ut in bonis jure retentionis consistat iterum nubens, & secundum maritum in prioris bona deducens non peccat. (6) Saltem id præstare tenetur, ut illius commoratio innocens sit, nec deteriorem conditionem bonorum reddat. (7) Sicut consideratum fuit *in causa Ernst Lepels contra Jochim Christoff von Horn, die 2.. Junii Anno* 1654. ubi exortus super bonis mariti concursus creditorum officiebat, ut mulieri satisfieri non posset.

1. Pœna non est nisi lege constituta, *l. aliud* 131. §. 1. *ff. de verb. signif.* in specie ad pœnam privationis nisi ex lege deviniri nequit? *Novell.* 115. *cap.* 3. *Felin. in cap. ex parte x. de rescript.*

2. *Vid.* den Wollinischen Abschied *de Anno* 1569. §. Befehlen und gebieten auch hiemit abermahl allen Wittfrauen bey Verlust deß Gnaden-Jahres / ohne der Lehensfolger und Unser Vorwissen / Willen und Erklärung in die Güter nicht zu freyen.

3. Pœnæ ut odiosæ non sunt extendendæ, *c. odia x. de R. I.* stricta est pœnalium interpretatio, *l. absentem* 5. *ibi Bart. ff. de Pœn.*

4. Hoc docet contextus præcitatæ prohibitionis, quæ quidem interdicit viduæ, at successoribus etiam feudalibus injungit, ut quod æquum est, maturè & sine mora præstetur.

5. Inculpata est ejus temporis mora, per quod per alterum stat, ut non solvatur aut recipiatur.

6. Nec enim prohiberi potest fœminæ, ne iterum nubat, nec ut nupta separatim à marito habitet, quod individuæ vitæ consuetudini repugnat, quæ est ex matrimonii substantia. §. 1. *Inst. de Nupt. l.* 1. *ff. de rit. nupt.*

7. Jus retentionis eam conditionem habet tam ex jure communi, quam ex constitutione Pomeraniæ, ut sine damno dominorum vel successorum res teneatur, *uti in præfata constitutione Wollinensi plenius prospectum est.*

DECISIO XI.

Pro consequendo ex feudis lucro dotis hanc illatam docere satis est, versam in ista probare non necesse.

COntendebatur circa lucrum dotis ex feudo solvendum, utrum deberetur, quod dotem in feudum versam esse non constaret? Negantium hoc erat præsuppositum non sufficere solutionem dotis probari, sed ut à marito in feudum versa doceatur opus esse. (1) Verum ab his aberrari putabatur. Quandoquidem ipsa illatio secum continet probationem versionis, (2) dum maritus quam dotem accepit, etiam in suos usus convertisse præsumitur. (3) Favore dotis istam apparere sufficiens esse videtur. Si ultrà quid exigetur mulieribus impossibilis pene probatio injungetur, dum ipsæ scire non queunt, quò conversio dotis fiat, (4) maritis verò contra utilitatem sæpe hæc imponeretur, quorum multifariam interesse potest, ut in feudum ista fiat, sed in alios usus, (5) qui tamen per consequentiam semper feudum concernunt, quod eo minus interea oneratur. Convenit hæc sententia verbis privilegiorum Nobilitatis in Pomerania, in quibus ultra illationem dotis nihil exigitur, ut lucrum ejus statutarium debeatur. (6) Declaravit id dudum praxis ibidem, (7) quæ sequitur observantiam aliorum locorum vicinorum, ubi idem usu servatur. (8) Judicavimus juxta hæc *in eadem causa.*

1. *Hanc sententiam tuentur & secuti sunt Hartman. Pistor. part.* 1. *quæst.* 4. *n.* 16. *seq. Modestin. Pistor. part.* 1. *quæst.* 24. *Moller. ad Constit. Saxon.* 44. *num.* 9. *part.* 2. *Carpzov. respons. Electoral.* 57. *per tot. lib.* 6.

2. *l. ult. ib. Bartol. C. ad SC. Macedon. Bald. in l. Macedoniani Cod. eod. ubi exemplis hoc thema explicant.*

3. Dotibus ut alias facile succurritur, *l.* 1. *ff. solut matrim.* sic etiam in hoc, ut leviores probationes ejus causa admittantur, *l. currens.* 22. *ff. de Testib. Fab. in Cod. lib.* 1. *tit.* 10. *defin.* 12. *num.* 4. *Mascard. de Probat. concl.* 565. *num.* 5. & 6.

4. Impossibilia aut his paria valde difficilia non sunt imponenda partibus, veluti ad quæ nemo obstringitur, *l. impossibilium ff. de R. I.*

5. Dotes maritis dantur ad sustinenda matrimonii onera, *l. pro oneribus* 20. *C. de jur. dot.* inde ipsis dominium quoddam & facultas, ut commode possunt, utendi. *l. in rebus* 30. *C. eod. l. dotis* 7. *§. si res* 3. *verb. in bonis ff. de jur. dot.* Quæ nulla lege provinciali sic reperitur coarctata, ut versio in feudum necessaria sit

6. Pomeraniæ privilegia sonant de illatis tantum, von zugebrachtem oder eingebrachtem Ehegeld und Heyrathsgut / nec ullibi exigunt eam versionem in feudum. Quare sine statuti tenore tale onus non est injungendum maritis atque uxoribus. Non disponit statutum vel privilegium, quia utrumque strictissimi juris est, nisi quantum loquitur. *Bald. in l. testamenta in fin. C. de Testamant.*

7. Per multa exempla hanc praxin judicium Pomeraniæ observavi, quod à viduis, cum lucra nuptialia petunt, nihil ultra veram illationem dotis exigitur probandum. Ubi de illa constat, versio vero in usum mariti incerta est, nihilominus illa tribuuntur. Imo si vel maritus dotem acceptam dilapidaverit, mulier lucro non destituitur, *uti Conclusa Stettinensia ex observantia desumpta de eo casu perhibent tit.* 7. *concluſ.* 8.

8. Saxoniæ Jus, etsi expresse versionem in feuda exigit, tamen per æquitatis rationem JCi Saxonici sic interpretantur, ut speciali non egeat demonstratione, sed ex illatione præsumatur, *uti supra allegati JCti citatis locis prolixius docent.* In Megapoli sic etiam servari aliquoties observavi. De Marchiaca consuetudine *videas Schoepf. part.* 2. *cap.* 7.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO XII.

Pactum inter liberos prioris & viduæ secundi matrimonii huic solutionem ex feudo promittens non tollit, quo illos dotis maternæ prærogativam.

QUæ fuit liberorum prioris matrimonii matris dos ante omnes creditores, (1) etiam ante dotem viduæ secundi matrimonii (2) prælationis jus habet. Accidit autem ut inter illos & hanc pactum iniretur, quo illi huic solutionem dotis promittebant, inde quæstio, an admittatur prærogativa ex contractu inter illos inito, ut ex feudo quod illi tenent, viduæ satisfiat: Quod negandum duximus. (3) Haud enim remissio juris præsumitur, sed alia potius mens, (4) & talis quæ cuique jus suum conservat. (5) Multo minus ad remissionem inducendum sufficit ordo scripturæ in contractu servatus, quod priori loco posita sunt, quæ viduæ debentur. (6) *Inter eosdem.*

1. *l. assiduis* §. *exceptis C. qui pot. in pign. Novell. 91. cap. 1.*

2. *l. 8.* §. *ult. C. de secund. Nupt. l. 6.* §. *ult. C. de Bon. quæ lib. Molter. lib. 4. Semestr. 26. Berther. de jur. prælat. part. 1. cap. 35.*

3. Creditor prior patiens rem sibi obligatam alii dari pignori seu hypothecæ non censetur remittere jus suum, quod scit sibi certum esse & manere, *l. sicut* 8. §. *non videtur ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.*

4. Remissio ut donationis species nunquam præsumitur, *l. si domus ff. de servit. urb. prad.* ut evitetur, alia potius capitur interpretatio. *Tiraquell. in l. si unquam in præfat. num. 128. C. de revocand. donat.*

5. *l. si domus 21. ff. de S. V. P.*

6. Ordo scripturæ index habetur mentis scribentis qua ordinem dilectionis, sed non pervertit ordinem juris, quem sequi oportet, ubi voluntas ab eo recedentium non apparet.

PARS TERTIA.

DECISIO I.

Sub contentione de proximitate qua successionem defendendi sunt possessores, quamdiu de cæterus illa non perinde est liquida.

CUm feudum post mortem Vasalli quidam agnatorum ex jure successionis occupassent istorum alius à judice, cum interdictum ad illos de non attingendis ad feudum pertinentibus, tum edictum ad rusticos & colonos impetraverat, ne istis servitia vel pensiones præstarent, sed tertio cuidam velut sequestro inferrent. A quo appellatione interposita initio quidem videri potuit, non injustè hic decretum fuisse, quandoquidem præoccupatio bonorum hæreditariorum ab aliquibus cohæredum cæteris ignorantibus facta ut violenta, clandestina & fraudulenta, detentatoribus commodum possessionis tribuere non potest, nec cæteris præjudicio aut impedimento esse debet. (1) Ideò integrum his implorato judicis officio impedire, ne anticipata possessio sibi noceat, aliis inique profit, (2) judici vero per arrestum vel sequestrationem afficere, ut jura & bona cæteris sint salva. (3) Veruntamen penitius consideratis facti circumstantiis repertum est illa huc applicari non posse. Pertinet enim ad eos qui sunt cohæredes seu qui ad successionem feudi simul deveniunt. (4) Et quidem si constat aut doceri potest omnium ad istam æquale jus. Ubi illud nondum est manifestum, si qui non negantur esse successores bona occupaverint, alter, cujus in successione jus illiquidum est, ejusmodi interdictum impetrare non debet, (5) sed legitimis actionibus atque ordinariis mediis contendere. (6) Multo minus quando à possessoribus allegantur, ex quibus prætensum alterius jus successionis redditur in verosimile, ad ejus instantiam eò non decurrendum, ut occupatâ possessione priventur. (7) Nec enim propter litem quam alius movit alter inauditus & sine causæ cognitione possessione destituendus est, (8) nec ab arresto ubi alterius jus illiquidum est, incipere decet, aut sequestrationem decernere ubi possessio aliquorum certa, jus aliorum dubium existit. (9) Et eo magis gravatos esse cæteros videbatur, quod ipsis non citatis nec auditis ea interdicta processerunt *in causa Wilcken und Heinrich von Platen, contra Hanns Jürgen von Platen, die 29. Mart. Anno 1655.*

1. Est quippe ea præoccupatio tendens in alterius captionem atque injuriam factum improbum & vitiosum, ex quo alicui possessio quæri non potest. *Cothmann. resp. 9. num. 9. num. 181. & seq. vol. 1.* Atque ut ex malo principio alias non nisi mala consequentia proficiscitur, *l. fin. C. de Liber. Natural.* ita nec ex improbo facto acquiritur possessio, *l. 1. ff. quod vi aut clam. l. possidere.* §. 1. *ff. de acquir. possess.*

2. Est enim spolium illa anticipatio, ex quo non est aliqua occupati defensio, *Gail. de Arrest. Observ. 1. num. 22. in fin.* contra id vero cuilibet paratum per officium judicis auxilium, *de quo Gailius d. l. scribit, quod etiam ex officio magistra-*

tus

tus curare debeat, ut ejusmodi cautiones in consequentiam admittantur, & in rempubl. malo exemplo irrepant.

3 Hoc remedium contra vulturios illos præceptores paratum est, *Gail. de Arrest. cap. 11. num. 33* ubi de eo hæc ejus verba sunt: *Arresta quoque licitè fiunt super bonis hæreditariis, quarum possessio opinione quadam prehensa est, ut eo hæredes absentes vel ignorantes tempore excludum, & possessorio ordinario longis processibus & litium tricis iniquè fatigent. Nam talis possessio cum sit violenta, clandestina & fraudulenta pretensio possessoris commodum possessoris non tribuit: quia parùm sunt non possidere vel nullitèr possidere text. in l. 1. ff. uti possid. & in l. 1. ff. quod vi aut clam. Nam prætor illos in tali possessione non tuetur, sed vim fieri vetat, textus in l. quod existit. ff. de eo quod met. caus. & in l. si quis in tantum. C. unde vi cum similibus. Proinde cohæredes adversus tales iniquos possessores bona hæreditaria in tempore arrestare & commodum præcipitatæ possessionis implorato judicis officio impedire possunt. Quam doctrinam utpote juri divino, naturali rationi, & Civilibus scitis consentaneam maximè notandam & sequendam esse scribit Cothmann. respons. 55. num. 94. vol. 2.*

4. Loquuntur JCti qui id remedium suggerunt de cohæredibus & de illâ specie, ubi ex his unus vel plures bona hæreditaria communia præoccupant. *Gail. dict. tr. de Arrest. Observ. 1. num. 22. verb. ut cæteros cohæredes, quos ordo successionis eo quo contingit absentes vel ignorantes præventione quâdam antiquioris possessionis antevertant.*

5. Pro impetrando arresto necesse est jus petentis esse liquidum atque certum. Quo sine judex ad illud decernendum se promoveri non patietur. *Peck. de jur. sistend. cap. 16. num. 4. Coler. de Process. Executiv. part. 3. cap. 1. num. 32.* Est enim species executionis à qua regulariter non incipitur, *l. 1. C. de Exec. rei jud.* & conjuncta cum aliorum incommodo, à quo sine causa gravi & manifesta, quæ faciat illud æquum, est abstinendum.

6. Si quis se petitiones habere putat actionibus experiatur, *l. exstat. 13. ff. quod met. caus.* Parata sunt in hunc casum pro adipiscenda possessione duo remedia possessoria hæreditatis petitio & interdictum quorum bonorum, *de quib. vid. tot. tit. ff. de Possess. hared. petit. & tit. ff. & C. Quor. bonor.*

7. Dubius & disputabilis titulus non facit locum huic remedio *Cothmann. resp. 9. num. 184. seq. vol. 1.*

8. *l. 1. C. si per vim vel al. mod.*

9. *l. un. C. de Sequestr. pecun.*

DECISIO II.

Concursus creditorum super feudo non impedit successionem in feudo.

CItatis ad liquidandum atque docendum prioritatis jura creditoribus, debitor obæratus moriebatur. Proximiores agnati inde feudum velut successione ad se devolutum occupabant. Alius vero ejus agnationis jus successionis prætendens istis resistens etiam creditorum nomine occupationem vitiosam arguebat, & effecerat, ut cum aliis ex causis, tum etiam ex hoc quod concursus excitatus esset, ista improba declarata & retractata esset possessio. Istis vero appellantibus in quæstionem venit, utrum concursus ille successioni feudi obsistat, ejusque effectum impediat? Itum est in negativam, est enim ad successionem feudi agnatorum jus ex jure primi acquirentis fundatum, (1) atque ita radicatum, ut facto aliquo antecessoris auferri non possit, (2) quando quidem in feudis antiquis non tam proximè defuncto quam primo acquirenti succedi intelligitur, (3) ideo successor feudum non ex jure defuncti sed suo proprio accipit. (4) Etsi itaque ille valde obæratus & creditoribus juxta consuetudinem provinciæ ex feudo satisfaciendum, tamen ex eo minimè tollitur jus successionis, sed tantum obligatur successor, ut juxta feudi vires creditoribus solvat, quibus non debetur feudum sed tantum feudi æstimatio, (5) quam si successores præstare volunt, feudum ipsorum manet. (6) Non tantum si sub concursu omnia integra sunt, nec dum cessio bonorum realiter facta, supereſt agnatis jus feudum retinendi, & cum in prioritate sententia dicta fuerit, juxta eam de æstimatione solvendi, sed etiamsi illa processerit, in distractione agnatis integrum ante quemlibet alium emptorem feudum pro justo precio retinet. (7) Per quæ existimavimus non justè interdictum esse agnatis sub obtentu concursus occupationem feudi, quod defunctus possederat, nec dum creditores habebant, ideo occupare vacabat *in eadem causa.*

1. *Gail. 1. Observat. 149. num. 3. & Obsrv. 154. num. 4. Wesenbec. in tr. de Feud. cap. 6. part. 1.*

2. *Zasius de Feud. part. 8. num. 6.*

3. *Bald. in cap. un. num. 3. Si Vasall. feud. priv.*

4. *Car. Molina, in Consuet. Parisiens. tit. 1. §. 30. num. 133.*

5. Interest an res ipsa an æstimatio debeatur. Hæc cui tantum assignata, illi non est ad ipsam rem jus. Sic Pomeraniæ jura non feudum creditoribus tribuunt, sed quanti valet.

6. Creditoribus non est jus in feudum Defuncti ultra æstimationem. Successori vero jus pro hâc bona retinendi, quod etiam, *juxta l. fin. C. de jur. de lib.* ex beneficio inventarii aliis hæredibus, cum bona nondum à Defuncto cessa fuerint, competit.

7. Est agnatis jus quoddam protimiseos, *l. cum bona 16. ff. de bon. auth. jud. poss.*

DECI-

Digitized by Google

DECISIO III.

Non sufficit in contentione super jure successionis contra alios agnatos possessores sola agnatio, sed gradus proximioris significatione atque probatione opus est.

ESt quidem per Pomeraniæ privilegia sic provisum, ut ad successionem feudi agnati pervenire debeant, quibus idem nomen, eædem imagines, eadem insignia, (1) & aliàs quoque communis juris, ut istam probet qui agnationem docet, etsi proximitas non constet, (2) at ita demum id obtinet, si cum extraneo vel alio, ac qui successionem ex sanguine obtendit res est. Secus se habet, quando inter ipsos consanguineos res sit, quorum quà consanguinitatem par est conditio, & in eo tantum potior aliorum ratio spectatur, quod sunt proximiores. (3) Ubi alterutri ex his contigit possessio, ille probandi onere liberatur, (4) & hoc ejus est, qui contra possessorem contendit, quem fundamentum intentionis prius docere oportet, antequam ex eo alium ex possessione dejicere valet. Possessoris enim etiam in pari causa jura sunt potiora. *In eadem causa.*

1. De qua ita privilegiorum verba habent: Da auch Vettern von einem Namen / Schild / Helm und Geburt sind / denen wollen wir in ihren alten Lehnen / die von einem Stamme erworben / oder Krafft sonderiger unser Vor-Eltern Begnadungen oder nach Verschung der Lehen-Rechte vor alte Stamm-Lehen geachtet werden / auch an den Lehnen / davon vorhin die samende Hand erworben / auff ihr unterthänig Bitten leihen / verneuern.

2. *Ripa in l. in illa num. 26. ff. de V.O. Tiraquell. de retract. lignag. §. 11. gloss. 1. num. 8.*

3. *Tiraquell. dict. §. 11. gloss. 1. num. 1. & seq. Anth. Gabr. Comm. concluss. tit. de Probat. concl. 6. num. 23.*

4. *l. 2. C. de Probat.*

DECISIO IV.

Dos ex feudo debetur etiam cum hæreditas sufficit, si ità lex vel conventio constituit.

FEudi onus dos filiarum vasalli habetur, (1) sed per jus commune non aliter, quam si ei præstandæ hæreditas non sufficit. (2) Per jus Pomeraniæ Provinciale ex nobilium privilegio etsi vel illa ampla sit, tamen aliquid pro dote etiam ex feudo solvitur, non tamen tantum atque ubi illa deficit. (3) Id verò ità demum procedit, si non aliud conventione & approbatione agnati placuit. (4) Quare cum de dotandis atque elocandis filiabus certa forma ut & quantitas ex feudo porrigenda inter matrem & tutores cum consensu agnati & domini feudi inita esset, illam utut à communi atque provinciali jure alienam longeque gravius feudum onerantem in judicando sequi (5) *justius visum in causa Filiarum Vincentz Blüchers contra den Land-Rath Hans Blüchern die 20. Octobris Anno 1655.*

1. *Hartm. Pistor. part. 2. illustr. quæst. 37. n. 5.*

2. In subsidium ex feudis dos debetur *Hartm. Pist. quæst. 37. num. 1. Coler. decis. 28. num. 4. & decis. 213. num. 3. Thoming. consil. 1. num. 15. & 46. vol. 1. Schurff. consil. 29. cent. 1.*

3. Sic Pomeraniæ JCtis & Consiliariis visum in conclusis quæ Stetinensia vocamus *tit. 3. 4ongl. 4.* & convenit privilegiis in quibus habetur, daß die Außsteur von Erb und Lehen zugleich geschehen solle.

4. Agnatus ex consensu suo obligatur ad solutionem debiti in quod consensit, quando fit successor feudi *c. si contigerit si cognat. vel fil.*

5. Præprimis id inspici atque observari decet quod inter eos quos refert convenit *l. jurisgentium 7. §. 1. ff. de Pact. l. contractus 23. ff. de R. J.*

DECISIO V.

Quanta dos ex feudo constituenda est.

PRæscripsit quidem jurisprudentia circa dotem filiæ constituendam regulas, & vult cum æstimandam & statuendam juxta dignitatem parentis, qualitatem mulieris dotandæ, nec non mariti, cum quo jungitur, facultates dotandis, numerum liberorum, attamen non est ea adhibenda cum de dote ex feudo præstandâ quæstio est. Tunc nihil eorum simplicitet spectandum est, sed tantum feudi quantitas, conditio & precium. Utcunque enim cætera omnia alia magnam dotem mereantur, non tamen ex isto debetur ultrà quam vires feudi patiuntur. Sic itaque ne feudi præcipuam partem absorbeat, vel ne illud nimis oneret constituenda est. In quo si provincia certum quidquam recepit & observavit præprimis sequitur: eo non apparente, domini feudi de eo est arbitrium. Quod tamen ut quidam credunt non sequimur legitimam utpote quæ ex feudo non debetur, sed feudi modum. In qua expeditius atque æquius nihil est, quam ut prius detrahatur quod debet vasallus: deinde ejus quod

Digitized by Google

deducto ære alieno supereſt portio filiabus dotandis aſſignetur; haud vero ultra tertiam quartamve feudi partem pro numero liberorum & tamen nec hanc aliter, quam ut filiis nec non agnatis duplo major pars maneat in feudo quam exinde filiabus aſſignatur, quod conſideratum *in cauſa Obriſt Ilefelden Wittwen contra Hans Blüchern, die* 20. *Octobris Anno* 1655.

1. *De quibus vide l. cum poſt §. gener. l. quero ff. de jur. dot.*

2. Ratio diverſitatis eſt quod non ex officio paterno, ſed jure ſingulari vel privilegio ei ex feudo dos debetur, & ut hujus onus non niſi ad hoc reſpectum habere poteſt.

3. Onus feudi pro ejus conditione eſt ferendum. Congrua feudo dos debetur, non ſimpliciter dos pro conditione perſonarum.

4. Circa dotis conſtitutionem non tantùm filiæ dotandæ ſed etiam ſucceſſoris ratio habenda eſt. Et quidem hujus potior, quo in familia id conſervetur agnatis

5. *Hartm. Piſtor. illuſtr. quæſt.* 37. *num.* 18. *part.* 1.

6. *Rauchbar. part.* 1. *quæſt.* 38. *num.* 1. *Coler. deciſ.* 213. *Hartm. Piſtor. d. q.* 37. *num.* 19. ubi ſcribit: Cum domini plurimum intereſſit ne feuda dotibus vel alia ratione nimium onerentur, neque etiam hoc ſine ipſius conſenſu, præterquam quod ipſa natura rei ferat, merito ſuas hoc loco interponere debet partes & conſideratis circumſtantiis dotem æſtimare.

7. *Id à pluribus tradit Hartm. Piſtor. d. quæſt.* 37. *num.* 20. *& ſeq.*

8. Dos ex feudo ſolvenda poſt omnes creditores eſt. *Rauchbar. d. quæſt.* 38. *num* 48. *& ſeq.* niſi conſuetudine aliud receptum ſit *vid. Carpzov. in jurisprud. for.* 2. *conſtit.* 46. *defin.* 17. *in fin.* Intellige tamen eos creditores quibus etiam ex feudo ſolvendum eſt. Quales ſi nulli ſint, etſi alias obæratus ſit vaſallus, fit ut dotem filia capiat ante creditores.

9. Hoc in judiciis Pomeraniæ frequentius obſervatum & plus rationis habere vir quondam in foro verſatus & Director Dicaſterii Ducalis Wolgaſtenſis annotavit, ex quo parens meus piæ mem: ad Privilegia Nobilium Pomeraniæ id refert, ſimul de ſui temporis obſervantia teſtatur, juxtim verò quam rationabile id putet his verbis addit: Für Jahren iſt den Töchtern auß den Lehnen nur ein geringes aſſigniret/ und haben ſich damit/ wann die Aeltern ſonſt kein Erb-Gut gelaſſen/ behelffen müſſen/ dadurch die Lehne bey dem Geſchlechte conſerviret/ welche nicht ehe dann durch übermäſſige dotes davon abgebracht worden/ wiewol nun die legitima ex feudo nicht gebühret/ noch ſonſt an ſich in conſideration kombt/ ſo iſt doch vernünfftig/ daß nicht höher die dos bey den Lehnen angeſchlagen werde/ als wann auß demſelben die legitima gebührete/ dann kan auß Erb-Gütern ein Kind nicht mehr fordern/ wie ſolte es dann deß Lehens höher Beſchwer prætendiren können/ iſt alſo das eine gute Regul/ welche die Alten auch obſerviret/ dann ſie über das vierte/ oder wann viele Töchter das dritte Theil deß Lehens mit dem Ehe-Geld nicht belegt.

DECISIO VI.

Caſus bonis adveniens circa quantitatem dotis conſtituendam ad quam pertineat.

CUm pater vivus primæ filiæ à ſemet elocatæ certam dotem dediſſet, eamque quantitatem tutores quâ alias filias ſub ſua cura nuptas poſt mortem iſtius ita ſecuti eſſent, ut dimidium ex feudo, reliquum ex allodialibus bonis præſtitiſſent, bonis tam feudalibus quam allodialibus poſt ea per bellorum calamitates deterioribus redditis, non reperto amplius filio iſtarum fratre, inter agnatum & filias nondum dotatas actis exorta eſt contentio; illo poſt feudum jam longa deterius minus ex iſto præſtandum obtendente; his reliquum, quia difficulter ex hæreditariis præſertim in parata uti cæteri acceperant pecuniâ dimidium accipi poſſet, ex feudo veluti hæreditate non exiſtente totum aut amplius dimidio deberi dicentibus. Dependet deciſio ex eo, quem caſus ſeu deterioratio bonorum contingit; Quantum ad agnatum attinet, diſcernendum eſt, utrum dotis debitor ſit ex ſua promiſſione, an tantum ex lege. Promiſſio perſonalem patiens obligationem ex cauſa rei non tollitur aut minuitur; (1) Sed non attento illo præſtanda eſt à debitore quantitas promiſſa. (2) Talis in eſt conventioni de certâ dote vel conſtitutioni ejus cum conſenſu agnati factæ, quod ex feudo certa quantitas ſolvi debeat. (3) Non magis atque poſt ſemel præſtitum conſenſum caſus feudi eveniens efficit, ideo minus deberi, hinc dos minor obtendi poteſt ab agnato conſtitutionem ejus approbante. Ubi vero feudum ex lege dotem debet & propter id Vaſallus, (4) intereſt an caſus eveniat antequam dos debetur, an poſt ejus debitum. Hic pertinet ad ſucceſſorem, (5) Non ſimiliter ille. Nam Vaſallus ſuccedens debet dotem non aliter quam pro præſenti ſtatu bonorum, (6) & quia ex re obligatur (7) non tenetur ultrà vires ejus ex qua debitum præſtari debet, (8) nec ex eo quod pater filiæ promiſit ultra quam conſenſit vel pro qualitate feudi æquum eſt, obſtringitur. (8) Quod caſum bonorum allodialium ſpectat, ille ad hæredes tanquam dominos pertinet, (10) nec ideo ſucceſſor feudi inde quod perierunt hæreditaria duriorem conditionem ſubire cogitur. *Hæc conſiderata ſunt in eadem cauſa.*

1. *l. in-*

Digitized by Google

11. *l. incendium* 11. *C. si cert pet. l. fin. C. de naut. fen.*

2. Quantitas debita nunquam perire creditur. *l. in ratione* 30. §. *certum* 3. §. *seq. ff. ad L. Falc.*

3. Consensus agnati in aliquod debitum Vasalli ipsummet ità obligat ut cum succedit illud tanquam suum ex feudo cujus obligationi consentit debeat.

4. Hoc fit quoties per jus commune aut statutum & consuetudinem loci ex feudo dos debetur & onus feudi est, uti tale facit Pomerania.

5. Mora perpetuat obligationem & casus post illam eveniens pertinet ad incommodum debitoris *l. pen. ff. unde vi.*

6. *Vid. Hartman. Pistor. part. 2. quæst. 37. num. 11. seq.* Circa dotem ejusque quantitatem tempus elocationis filiæ spectandum est & quæ isti hoc tempore congrua illa constituenda non habita ulterius temporis ratione *uti decidit & approbat Carpzov. in decis. 283. per tot. part. 3.*

7. *Heig. part. 2. quæst. 20. num. 41.*

8. *l. fin. ib. gloss. & Dd. ff. de Contrah. empt.*

9. *Vid. Carpzov. in jurisprud. forens. part. 2. constit. 46. defin. 19.*

10. Res quæque perit suo domino. *l. qua fortuitis l. de Pignorat. action.*

DECISIO VII.

Patris voluntatem circa dotem ex feudo non tenetur sequi agnatus, nisi suam ei semel accommodavit.

QUantam pater primæ filiæ promisit ex feudo dotem, secundæ agnatus haud post mortem ejus (1) imò nec ipsimet filiæ à patre promissam præstare tenetur (2) nisi semel factum ejus approbavit, uti fit (3) consensu in constitutionem dotis ex feudo factæ aut in pacta quæ dotis modum aut quantitatem definiunt. *In eadem causa.*

1. Dos quidem tanquam onus feudi debetur non à patre modò, sed à quovis agnato, successore, & si ille promisit huic promisso stare tenetur. *Jacob Schult. in addit. ad Modestin. Pistor. part. 3. q. 122 num. 33.* At non quantamcunque ille velit sed saltem congruam, qualis quantaque ex feudo præstanda est. In qua si pater excesserit circa primam filiam, quâ secundum agnatus exemplum sequi non tenetur. *Carpzov. in jurisprud. Forens. part. 2. constit. 46. defin. 19.* Et licet qua priores æqua dos fuerit, tamen si ex mutata conditione bonorum incongrua fit, agnatus ad eandem non obligatur. *vid. decis. seq.*

2. Ex contractu antecessoris non obligatur ultrà successor, quam ipsum feudum obligatum est. Est enim non personale sed reale debitum. *Hartm. Pistor. part. 2 quæst. 20. num. 41.*

3. Consensus agnati in obligationem feudi cum debitis antecessoris illigat ex feudo præstandis.

DECISIO VIII.

Alimenta filiabus ex feudo debentur etiam præterita eorumve nomine hypotheca & jus retentionis competit.

QUamdiu non elocantur filiæ vel sorores à feudi successoribus ex isto debentur alimenta (1) & quidem tanquam feudi onus, quo ex moribus feudorum facta est istorum elocatio. (2) Unde pro alimentis tacitam hypothecam in feudo nec non jus retentionis habet, etsi non contra patris, tamen contra fratrum vel agnatorum creditores, quibus etiam utut hypothecam cum consensu Domini habentibus præferuntur, (3) si etiam per aliquot annos alimenta non acceperint, licet aliunde habuerint velut ex lege seu consuetudine debita petuntur, (4) maxime si de iis conventum fuerit. (5) *Ita judicatum inter eosdem.*

1. Juri communi feudorum hoc convenit, ut personis imperfectis quæ in feudo succedere non possunt ex feudo alimenta debeantur. *Afflict. Alvarot. & alii in cap. unic. an muti surd. vel alius assignatur. Hartm. Pistor. quæst. 37. num. 1. vol. 3.*

2. Dos & alimenta pari jure censentur, utî ex eadem æquitate debentur. *arg. l. fin. ff. de alim. & Cibar. legat.* Ideò sicut istius jus & horum debitum universali Germaniæ consuetudine factum est onus feudale.

3. Hoc consequens est oneri feudi, pro quo ex lege vel moribus feudum obligatur dum ejus fit onus, de quo apud nos in Pomerania dubium non supereſt, quando legibus Provinciæ sic provisum.

4. *Vid. Carpzov. decis. 72. per tot. part. 1.*

5. De alimentis ex solo judicis officio debitis sic sentimus quod præterita non debentur, secùs verò est qua illa quæ lex assignat.

DECISIO IX.

Filiæ ob meliorationes feudi retentio competit, cum liquidæ sint.

ORdinarium melioramenta seu impensas servandi medium retentio est, (1) quâ uti solent etiam filiæ aliique hæredes vasalli in feudis, (2) quæ tamen sic demum justa est si sunt liquida. (3) Cum altioris adhuc indaginis sunt, retentio non conceditur, (4) sed restitutio injungitur salvâ ad petendum impensas actione. (5) Pro qua à Vasallo cautio præstari solet, aut vero ipsum feudum pro cautione esse. (6) In ea itaque lite quæ erat de

Digitized by Google

jure retentionis ob melioramenta addebatur sententiæ id tribuenti quatenus essent statim probanda, so weit sie erweißlich/ quod continet, ut aut jam liquida sint aut statim liquidanda. (7) *Sic inter eosdem judicatum fuit.*

1. *Arg. l. in area ff. de condict. indeb. l. si necessarias in pr. ff. de Pignor. action. l. si quis ib. gloss. ff. de acquir. possess. l. Paulus ff. de Except. dol.*

2. *Hoc jus retentionis latè exponit Rosenthal. de Feud. c.* 10. *conclus.* 116. *& mult. seq.*

3. Ob jus alterius illiquidum suum cuiquam negari aut differri iniquum est, *l. statu liber. §. l. servus si §. ult. ff. de statu lib.*

4. Retentio quippe est saltem pro re liquida. *Gostal. in l. in rebus* 18. *§. possunt ff. Commodat. Neguzant. de Pignorib. part.* 5. *membr.* 4. *num.* 10.

5. *Vid. Schrader de feud. part.* 2. *sect.* 2. *num.* 31. *seq. ubi in terminis ità statuit, & ab JCto sic responsum fuisse refert.* Inter concluſa Pomeraniæ idem sic reperitur decisum, *cap.* 28. *conclus.* 1. atque in judiciis ejus semper id observatum fuit.

6. Cautionem necessariam facit communis JCtorum sententia simul postulans ut à successore feudi offeratur. *Hartman. Pistor. quæst.* 43. *num.* 33. *part.* 2. *Schrader. d. l. Schoner. disp. feudal.* 11. *thes.* 46. At Pomeraniæ consuetudo aliud servat & arbitrio judicis necessitatem relinquit. Ex quo ubi aliud ex causa non requiritur, sufficiens haberi solet feudum in eventu liquidationis suppoſuisse.

7. Paria sunt liquidum esse, & mox liquidari posse, *arg. l. fin. C. de compens. Salyc. in l. neque* 6. *C. eod. in terminis idem habet Schrader. d. l. num.* 129.

DECISIO X.

Cautioni pro retentione locum non facit aut sola negatio debitoris aut exceptio.

QUod obſervatur vulgò, ut ob illiquida non permittatur alterius jus retentionis ſi ſufficiens cautio præſtatur (1) non eo ſenſu accipiendum & practicandum eſt, ut debitoris negatio aut exceptio oppoſita faciat illiquidum ideò cautioni locum, (2) ſed nihilominus durat jus retentionis, (3) ſi debitum eſt veroſimile aut iis documentis innixum, quæ nuda negatione aut altioris indaginis exceptione non tolluntur. (4) Quando enim non per creditorem ſtat quo magis crediti liquidatio finiatur, ſeu de cauſa perfectè conſtet, ſed per debitorem, quod exceptio liberationis ulteriorem diſceptationem requirit, pro liquido habetur interea creditum, nec quicquam ex jure retentionis mutatur. (5) Sufficit creditum eſſe veriſimile. *In eadem cauſa.*

1. *Sic communis habet JCtorum ſententia & fori praxis Coſtal. in l. in rebus §. poſſunt ff. commodat.*

2. Propter alterius contradictionem nemo tenetur ante ſententiam decedere jure ſuo.

3. *Tiraquell. de retract. convent. §.* 7. *gloſſ.* 1. *num.* 13.

4. Qui ſolvere tenetur non eſt audiendus fidejuſſorem etiam maximè idoneum offerens ſi à parte creditoris quantitas non eſt incerta, *l. item liberatur §.* 1. *ff. quib. mod. pign. vel hypoth. l. quod ſi* 10. *ff. de pignorib. action. l. promiſſor. §. ult. ff. de conſtitut. pecun.*

5. Per quem non ſtat quo minus faciendum fiat feciſſe fingitur quod debet, & eo jure ac ſi fecerit fruitur. *l. qui operas* 38. *pr. ff. Locat. l. Mævia.* 13. *pr. ff. de annuis legat. l. ha operæ* 3. *§.* 1. *ff. de oper. libert.*

Juxtà præcedentes deciſiones ſic pronunciatum fuit.

In Sachen Obriſt Andreas Ilefeld Wittwen Supplicanten/wider Land-Rath Hans jetzo deſſen Sohn Bentz Blüchern Supplicaten in puncto deß Bauens wird die Commiſſion wegen deß Suchens noch nicht zuläſſig befunden/ ſondern erkannt/daß geſtalten Sachen nach die Wittwe ſich neuerbauten hinfüro zu unterfangen nicht/ ſondern alleine die annoch ſtehende Zimmer/ ſo weit es die Nothdurfft erheiſchet/ in baulichern Stande zu erhalten befuget ſey/ von Rechtswegen.

(Hoc eſt.) In cauſa Colonelli *Ilefeld* viduæ Supplicantis contra Provincialem Conſiliarium Joannem modo ejus filium Joannem Bluchern Supplicatum in puncto ædificationis, commiſſionem ratione petiti nondum ad miſſibilem cenſemus, ſed decernimus, quod hoc rerum Statu vidua de novo ædificandi non ſed ſolum jus habeat antiqua conclavia, quantum neceſſitas exigit in Statu conſervandi, idque de jure.

DECISIO XI.

Tranſitus in domum mariti non tollit jus retentionis pro dote.

LIcet filia cui dos nondum exfeudo ſoluta erat dudum nupſiſſet, & in domum mariti tranſiiſſet, tamen ei jus retentionis non negandum eſſe creditum fuit. (1) Quod actu non retinet feudum aut in poſſeſſione ejus non eſt, haud pertinet ad jus retentionis, (2) in quo non ſolum factum, ſed jus quoque ſpectatur. (3) Ex quo eſt actio ad recipiendum amiſſum quod retinere licuit. (4) Cujus ea vis eſt, quod filia nondum dotata ſi dotis ſolutioni non ſatis fit ſine mora in feudum, cujus onus eſt, pro ea impetranda

Digitized by Google

immitti debet, (5) eoque jure etiam post mortem ipsius liberi gaudent. *Sic pronunciatum inter liberos* (6) *Hans Wilhelm Troyssen contra Hans Blüchern die 22. Octobris Anno 1655.*

1. *Sic etiam opinati sunt collectores Conclusorum Pomeraniæ tit. 8. concl. 2.*

2. Sicut possessio animo retinetur etsi corpore quis absit, sic etiam retentio quæ etiam imitatur. *l. clam. 6. ff. de acquir. poss.*

3. Est enim retentio beneficium legis.

4. Cui competit jus retentionis, si non retinuit ad repetendum habet actionem si non finitum jus retinendi vel excipiendi fuit (cujus causa actio non est *l. si in area ff. de Condict. indeb. ibid. Jason. Salycet. & alii*) sed tale quod ad actionem pariendum aptum. *l. quod si nulla ff. de Legat. 1. l. sed si me putem §. comiter. ff. de Condict. indeb. Molignat. de Jur. retent. quæst. 340.*

5. Non tantùm quia dotium celer processus & parata executio esse debet, *l. fin. ib. gloss. & Dd. C. de dot. promiss.* sed etiam quia animo retinere nec aliter ex bonis quam ut dotem capiat exiisse creditur.

6. In dotibus liberi pari jure utuntur atque mares. *l. fin. C. qui pot. in pign.*

DECISIO XII.

Servitutis usus utut olim certus tamen sic à judice determinandus est quam servienti feudo est levissimus modo illum dominans obtineat.

ETiamsi ei cui servitus debetur jus sit quâcam in toto prædio serviente, non tamen in toto liber usus est, sed tantum talis, qualiter semel electus, aut alias determinatus. (1) Si id non factum, adhuc determinandus est, ut maximè aptus. (2) Ubi de servitutis usu existit controversia sic illum determinare oportet ut feudo servienti sit quam levissimus. (3) Nec modo si hactenus servitute utendi nulla fuit certitudo, sed etiam ubi per usum anteriorem existit antea solita, (4) dummodo fundus dominans ex determinatione per leviora media idem obtinent quod per graviora præstatur. (5) Est in eo diversa servientis atque dominantis prædii ratio. Pro huc nihil etiam in melius mutari potest ex eo quod in usu fuit invito servientis domino, sed uti semel factum ità imposterum fieri debet. (6) At pro serviente in levius mutatio licet, etiam invito dominantis fundi domino, (7) si alia modo peræque usum obtinebit. Cum nihil ipsius ultra intersit, (8) sed resistere malitiæ fuerit, ubi per æquipollens expletur, (9) est in talibus æquissimum, ut quis admittat vel faciat quod sibi non nocet, alii prodest. (10) *Ità judicatum & ordinatum in causa Alaxt Siltmans contra Sophiam Horn, die 19. Octobris Anno 1655*

1. *l. si cui simplicius 9. ff. de Servit. l. si mihi 21. ff. de Servit. rust. prad. l. fin. ff. de aq. quot. & æstiv.*

2. *l. certo §. 1. ff. de Servit. rust. prad.* ubi dicitur, quod ità consistat servitus quo modo semel determinatum est.

3. *l. sed quæ loca 22. ff. de Serv. Rust. prad.* civiliter quippe jus illud servitutis per universum prædium est accipiendum, *d. l. si cum simplicius 9. ff. de Servit.*

4. *Fab. in Cod. lib. 3. tit. 24. defin. 4.*

5. Servituti præjudicium aut ejus conditio deterior fieri non debet.

6. *d. l. certo §. 1. ff. de S. R. P.*

7. Debitoris semper favorabilior est conditio, *l. Arrianus 41. ff. de O. & A.*

8. Ubi nihil interest servitus cessat, *l. quoties 15. ff. de Servitut.*

9. *l. si patronum 44. §. si ex bonis ff. de Bon. libert.*

10. *l. 2. §. Varus 5. de aq. & aq. pluv. arcend.*

DECISIO XIII.

Determinatio servitutis per arbitros adhibitis peritis fieri debet & quomodo.

CUm de modo, quo quis tum servitute uti, tum pro usu ejus habendo & reparando necessaria adhibere deberet inter partes non conveniret, prævisum ejus determinationem judici, qui à loco aberat possibilem non esse aut facili errori obnoxiam futuram. Remedium pro ista ordinarium est arbitros constituere, qui juxtà rerum circumstantias id definient. (1) Quorum vicem apud nos sustinent Commissarii, quibus è judicio ea cura atque providentia committi, ideò qui de eo optimè judicare norunt deputari solent. Incumbit autem iis primò ocularis locorum inspectio: (2) deinde peritorum in arte, quatenus secundum servitutis conditionem opus est, adhibitio: (3) Tertiò horum circa res accurata circumspectio & consideratio. (4) Tandem arbitrii editio, quæ fit apud acta cum rationum quæ moverunt relatione. (5) Integra verò est, si aliquis se gravatum putaverit de eo quærela & emendationis petitio: (6) quam tamen in commissionis decreto reservare opus haud est. *Iste processus & super illo pronunciatio secuta est in eadem causâ.*

1. *l. certò 15. §. 1. verb. arbiter dandus est qui utroq; casu viam determinare debet ff. de serv. Rustic. prad.*

2. In iis rebus, quæ magis judicium quàm testimonium poscunt ocularis inspectio, prout judicii necessarium vel utile videbitur; decer-

Digitized by Google

nitur, *Bartol. in l. 2. n. 71. C. de rescind. vendit. Rutg. Ruland. de Commissar. part. 2. lib. 3. cap. 4. num. 1.*

3. In quo judicis arbitrium & electio competit. *Rutg. Ruland. dict. tract. part. 1. lib. 4. cap. 4. num. 5.*

4. Is finis est commissionis, cui satisfieri debet.

5. *De cujus modo vid. Rutg. Ruland. dict. tract. part. 2. lib. 3. cap. 14. num. 3.*

6. Ex judicio seu peritorum seu commissariorum nihil transit in rem judicatam *Myns. Obs. 36. cent. 6. Decius in c. proposuisti n. 15. de Prob.* usq; dum relatio à judice approbata in sententiam venit *Maranth. in spec. part. 6. tit. de sent. n. 130.*

PARS QUARTA

DECISIO I.

Subsidiarius feudi nexus non tollit exceptionem, non sum solus hæres.

APpellabat fratrum unus feudi paterni, ex pacto divisionis hæreditariæ possessor à creditore hæreditario conventus, quod rejecta exceptione se solum hæredem non esse, nec nisi pro parte virili teneri in solidum condemnatus erat. (1) Apparebat vero hoc inde processisse quod forte judex à quo existimasset illum non tantum ut hæredem, sed ut possessorem feudi paterni teneri, quod ex consuetudine provinciæ in subsidium creditoribus vasalli obnoxium est. (2) Inde in quæstionem venit, an per hoc actio de credito contra solum possessorem sit & exceptioni, non sum solus hæres, non amplius locus supersit? Siquidem feudum pro creditō legitime est oppignoratum, tunc cessat illa exceptio & contra possessorem seu potius rem hypothecatam hypothecaria actio in solidum intentatur; (3) ideo si unus hæredum tenet, ista exceptione amplius non gaudet. (4) At secus ubi oppignoratio non accessit. Eam non facit aut infert in subsidium per privilegia nobilium valens nexus feudorum. (5) Etsi enim cum alia non supersunt bona in feuda pro debitis vasalli fit executio & immissio, (6) haud tamen ex jure pignoris, quod ante istum nullum est, sed saltem ex beneficio antiquæ consuetudinis, quæ ex quadam voluntate eorum qui in feudum recognoscere voluerunt patrimonia sua cœpit & per privilegia confirmata est. (7) Ultra autem vim non habet, nec per mores frequentatur. (8) Quibus hoc convenit, ut non feuda sed vasalli personalibus actionibus conveniantur, ubi vero his, unde solvant, aliud non suppetit ad feuda, executio perveniat, sed eo jure atque modo, quo alias in patrimoniis observatur: In hæc etsi fieri potest ob debita, executio tamen non aliter ut in pignora nisi reperiuntur supposita. (9) Quomodo itaque post divisionem inter hæredes contra unum quod rei reliqua sunt bona hæreditaria cum aliis ex iis nihil supereſſet, vel quia pecuniam pro sua parte accepisset, vel quod acceptam partem consumpsisset in solidum non competit actio, nec perit præfata exceptio. Ita etiam nexus ille feudalis subsidiarius non efficit, ut unus fratrum feudum habens ista uti nequeat. (10) Quæ eo magis relinquenda est, quod vasallo qua feudum competit ordinis seu excussionis exceptio, nec in illud fit executio, quamdiu ex aliis defuncti bonis per hæredes satisfieri potest. (11) Quæ etiam actionem contra hæredes omnes, citationem omnium prærequirit. *Quæ considerata sunt in causa Joachim Matthias Thun, contrà D. Matth. Giesen Erben, die 11. Januarii Anno 1656.*

1. Legalis est hæc exceptio fundata in divisione, quam Lex 12. Tab. fecit inter plures hæredes ipso jure *l. 1. C. si cert. pet.*

2. Sic in Pomerania observatur, quod feuda etiam æri alieno vasalli sunt obnoxia, ut in subsidium, quando alia ipsi bona non supersunt, uti de hac habent verba privilegiorum. Und da jemand ohne Leibes-Erben stürbe / die Güter auff seine Brüder / Vettern / Mitbelehnte oder uns und unsere Erben und Nachkommen verstammete und erledigte / und seines verlassenen Erbes Baarschafft und fahrende Haabe so viel nicht wäre / daß man die Schuld davon bezahlen und entrichten könte / so soll das Lehen die Schuld / die durch unsere hochseelige Vor-Eltern unsere und unserer Erben Bewilligung nothwendig geachtet seyn / tragen / so weit und fern sich das eröffnete Lehen erstrecket.

3. Hæc actio in rem est. *l. pignoris 18. C. de Pign.*

4. Ratione rei hypothecatæ quam unus hæredum tenet, ipse in solidum convenitur, non tamen ut hæres sed tanquam possessor. *l. pro hereditariis 2. C. de Hæredit. action.*

5. Erronea plane est ea sententia quod ex beneficio, per quod feuda æri alieno fiunt obnoxia, pignus iis inditum sit. Non est extra tenorem verborum nexus extendendus vel aggravandus. Nec usus fori ita servat, ut ex isto pignus repetet & præsupponat. Multæ absurditates & gravia feudorum præjudicia exoritura sunt, si secus fieret.

6. Hæc demum facit pignus prætorium vel judiciale. *juxt. tit. Cod. de Prætor. Pign. & tit. Si ex caus. judic. pig. e.* Quæ pignorum genera etiam in feudis post immissiones juxta mores nostros observamus. Ante illam vero nullum reputamus.

7. Hæc est origo nexus illius feudorum, qui apud nos valet, quod cum Pomeraniæ Nobiles allodia sua à Principibus ut Vasalli more cæterorum Germaniæ terrarum recognoscere vellent, hanc legem recognitioni der Aufftragung zum Lehen

Digitized by Google

lehen dixerint, quod in subsidium fides ipsorum in rebus creditis inde liberare deberet.

8. Pignus tacitum non subintelligitur sine expressa lege aut certa consuetudine. His tantum modis inducitur, ideo sine iis manifestis male statuitur.

9. Divisio hæreditatis inter plures hæredes nihil immutat ex jure divisionis actionum passive vel active inter eadem, ut annotat JCtus *in l. plane 3. ff. de Famil. ercisc.*

10. In his exæquatio seu eadem ratio idem jus facit. Quod obtinet in allodiis, multo magis observandum est in feudis.

11. Quod in subsidium saltem tenetur, ad illud nisi excussis cæteris devenitur. *arg. l. auxilium 37. pr. ff. de Minorib.*

DECISIO II.

Successori feudali excussionis petitio seu exceptio non proficit, cum feudum consensu domini fuit oppignoratum, ut & cum ex bonis debitoris allodialibus parata non est solutio.

EX eo quod in Pomerania feuda quidem ære alieno sunt obnoxia sed in subsidium tantum, nempe cum non in bonis allodialibus vel hæreditate ex quo illud solvetur, suppetit, successori feudali competit, excussionis exceptio, ut prius ista discutiantur, donec immissio in bona feudalia fiet. (1) Veruntamen cessat illa primùm, quando feudum creditori cum consensu domini & agnatorum oppignoratum est. (2) Etsi enim hæredem convenire potest, ut feudum ab isto onere liberet, aut cum solvit, repetitio soluti supereſt, (3) tamen ut creditor omisso pignore debitoris non se aut feudum, sed hæredem conveniat impetrare non potest. (4) Deinde non est quoque locus tali exceptioni, cum debitoris bona cætera sic sunt comparata, ut ex iis solutio præsto haberi nequeat, sed prius contra debitorem, hæredem vel possessorem longa lite seu difficili processu contendendum sit. (5) Ita cum lite inter viduam Vasalli & creditorem defuncti interveniebat successor feudi, atque ut ex hæreditate huic satisfieret, immissio autem in feudum petita non decerneretur, petebat, utraque hac ratione existente, decretum fuit. *Ad interventionem Balthasar von Kalden, contra Nicolaum Tesin, die 19. Junii Anno 1656.*

1. Hoc subsidiariæ tantum creditorum actionis consequens est. Quæ beneficium ordinis facit, & exceptionem excussionis porrigit, *Novell. 4. cap. 1.*

2. Ex oppignoratione feudi legitima creditum fit onus feudi, *Schultes. in addit. ad Modestin. Pistor. quæst. 122. num. 31.*

3. Utilem negotiorum gestorum actionem ex ea causa JCti Vasallo solventi tribuunt, *arg. l. sive pro fratre 3. l. si negotium 16. C. de negot gest. Carpzov. in jurisprud. forens. part. 2. const. 46. def. 2.* Qua hæredem successor feudi in subsidium saltem tenetur. *Ranchbar. part. 1. quæst. 44. Schneidew. de Feud. part. 7. cap. 7. num. 42.* Qua creditorem verò principaliter, ut ex feudi onere.

4. Creditori cui pignus est constitutum liberum est, an actione in rem adversus pignus, an personali contra hæredem experiri velit, quæ ipsi auferri nequit electio.

5. Hoc commune est exceptionis, ordinis atque excussionis, ut non aliter ea repelli queat creditor, quàm si non difficilis sit aliunde crediti consecutio, *Novell. 4. c. 1. Novell. 99. c. 1.* Patria quippe sunt solvendo non esse facultatibus & non esse solvendo conveniendi facilitate, *Gail. 2. Observ. 27. num. 25. Franc. de Fidejussorib. cap. 5. num. 326. & seq.*

DECISIO III.

Ex duobus de feudo eodem investitis potior quando non est possessor.

CUm duo de eodem feudo in casum ejus vacaturi concessionem impetrant, nemine adhuc investito potior est causa priori concessione nitentis. (1) Cum vero alter eorum simul investitur, hic præfertur nudam exspectativam habenti. (2) Siquidem uterque investitus sit, prior est causa prius investiti. (3) Ubi vero alter possessionem adeptus fuerit, ejus potiores sunt partes. (4) Utut verò hæc pro regula traduntur, tamen exceptionem non unam patiuntur. (5) In ea quæ nobis occurrit specie, ideo possessionem alterius nihil contra prius investitum facere existimatum est; Primo quod hujus concessio iis formulis exprimebatur, unde colligi poterat, voluntatem concedentis fuisse, ut dominium feudi, cum aperietur, utile statim & ipso jure ad concessionarium vel investitum transeat: (6) Inter quos referendæ sunt hæ, quod quam primum feudum vacabit ipsius esse, in eo defendi, ipse occupandi licentiam habere debeat. Deinde si investiens aliam de eo feudo investiendi facultatem abdicavit, ut si aliam investituram fecerit; ista nullius momenti nec ipsi præjudicio esse debeat. (7) Similiter si ultimo investiti possessio occupata jam sit eo tempore, quando ipse alterius jus scivit, & vel investituram vel possessionem sibi comparavit. (8) Addimus non immerito si investitura non gratis sed ob bene merita processerit. (9) Tum etiam si ultima investitura habebit exceptionem prioris, (10) qualis inest clausulæ, salvo jure tertii. (11) Quæ omnia cum allegarentur à prius

inve-

Digitized by Google

investito appellante, quod posterior obtentu possessionis ipsi ante habitus erat, appellationem recipere juri convenit. *In causa des Prælaten Marx von Eichstædten, contra Obrist-Leut. Detloff Siverdt von Kuglenfeld, die 12. Februarii Anno 1656.*

1. Ita exemplo venditionis servandam esse ait Hartmann. Pistor. *part. 2. illustr. quæst. 29. num. 1. arg. l. in operis 30. ff. Locat.*

2. *Uti scribit Romanus consil. 70.*

3. *Rosenthal. de feud. cap. 6. conclus. 12. num. 7. ubi pro more suo plures allegat.*

4. *Hartm. Pistor. dict. quæst. 29. n. 14.* exemplo itidem venditionis *juxta l. quoties 15. C. de Rei Vindic. Mynsing. 4. Observ. 61. Vultej. de Feud. lib. 1. cap. 10. n. 11. Rosenth. de Feud. c. 6. concl. 9. num. 1.*

5. *De exceptionibus his vide plenius apud Rosenthal. de Feud. cap. 6. num. 9. & tribus sequentib.*

6. In quibus speciebus aut ex quibus causis dominium transit ipso jure seu in re, jus reale statim acquiritur, non est locus *d. l. quoties*, nec posterior possessionem prius adeptus præfertur. *Jason. in l. quoties num. 11. C. de Rei Vindic.* Quod æque in feudis procedit. *Hartman. Pistor. dict. quæst. 29. num. 31.*

7. *Vid. Hartm. Pistor. dict. quæst. 29. num. 28.* ubi in fine addit hoc consilium, quod qui ejusmodi investituras impetrant semper curare debent inseri clausulas ex quibus colligatur Principem ipsi dominium sine traditione cedere voluisse. Hac ratione tutos esse posse, ne deinde alius similem investituram impetrando & possessionem præoccupando jus ipsorum intervertat.

8. Ne alicui mala fides seu fraus sua patrocinetur, posterior potior esse non debet, ideo ex mala fide limitatur & restringitur d. l. quoties, *vid. ibi Jason. num 26. Salycet. Alberic. Covarruv. lib. 2. var. resolut. cap. 9. num. 5.*

9. Concessione Principis per modum gratiæ factâ contemplatione meritorum vel servitiorum dominium censetur transire sine traditione, ideo prior præfertur posteriori, utut possessionem nacto. *Gail. 2. Observ. 56. num. 6.*

10. Reservatio juris alterius continet exceptionem à concessione eamque limitat. Ut itaq; plus juris possessione capere non potest investitus quam conferre voluit investiens, ita non potest esse potior eo, quem dominus semper etiam circa secundam concessionem voluit potiorem, *uti in simili tradit. Rosenthal. de Feud. dict. cap. 6. conclus. 10. num. 1.*

11. Hæc clausula affert exceptionem juris cujusque anterioris, nec huic vim finit contra jus alterius, *Thoming. consil. 17. num. 3.*

DECISIO IV.

Quando prius generaliter investitus præferendus est posteriori specialem investituram nacto.

SIc communi JCtorum sententia traditur, cum duobus investitis de feudo imposterum vacaturo, prior generaliter de eo quod primo vacabit nullo certo nominato, secundus specialiter seu de certo aliquo feudo nominatim investitus fuit, secundum ex speciali investitura præferendum esse, (1) At discernendum est, quando secundus illam investituram impetraverit, utrum antequam feudum esset apertum, an vero postea. Et in hac specie, utrum fiat sub instanti mortis ultimi vasalli, an vero dum adhuc incerta hæc erat. Sub instanti morte vasalli, impetrata investitura specialis non præfertur priori generali in casum alicujus beneficii vacaturi concessæ. (2) Videtur enim ultima tunc fraudulenta occupatio, ideo proficere non potest. (3) Multo minus cum jam apertum est feudum domino, qui de primo vocaturo abusive investitus est, excludi potest. (4) Similiter si prius generaliter investito feudi quod primum vacabit dominium sine traditione vel occupatione conceditur. (5) Vel investitura ita, quod statim sine alio facto possessor haberi debeat concepta & concessa est, (6) vel si imposterum factæ concessiones in priori annullatæ fuerint, vel quod non nisi anteriore salva valere debere declaratum sit, (7) vel denique posterior juris anterioris clausulam reservatoriam seu exceptivam habet, (8) secundi utut specialiter investiti concessio non prævalet. *Quæ allegata processus appellatorios merebantur inter eosdem.*

1. *Vid. Hartm. Pistor. illustr. quæst. 29. num. 7. part. 2. quod proficiscitur ex arctiori nexu & virtute speciei per quam generali derogatur, l. in toto ff. R. I.* unde quod specialiter rescribitur & conceditur, prævalet, *c. dudum c. quamvis de Prebend. in 6.*

2. *Hanc speciem à suâ sententiâ ita excipit Hartm. Pistor. dict. quæst. 29. num. 8.*

3. In fraudem facta valida habere non decet, *l. nihil. 12. ff. de inoffic. testam.* ne ex calliditate sua quis cum alterius injuriâ lucretur, *l. sed etsi 11. §. 1. ff. ad SC. Velleian.*

4. Jus ex causa vacantiæ quæsitum sit speciale, cum vacat feudum, nec alio loco res est, quam si tunc feudum quod aperitur, specialiter concessum esset. Ideo uti duobus nominatim de eodem feudo investitis potior est nemine possidente prior, uti in definitione præcedente scriptum, ita etiam ille qui generalem saltem investituram adeptus ad speciem certam eam applicare potest.

5. Ex tali dominii translatione potior est prior, etsi possessor sit posterior, *uti supra in præcd. defin. scriptum est.*

6. Per talem concessionem excluditur, quisquis postea in feudi possessionem venerit, tanquam ex anteriori possessione *Jason. in l. quotiens num. 31. C. de Rei Vind. Andr. de Isern. in c. 1. Quid sit investit.*

7. *Hart. Pistor. dict. quæst. 29. n. 6.* Dominus abdicans à se potestatem alterum investiendi, quod facit alias subsequentes investituras annullando, inutilem reddit secundam investituram.

8. Talis reservatio limitat potestatem & vim concessionis secundæ & declarat voluntatem concedentis, quod aliter jure non valeat, quam accipientis, quod nisi illæso alterius jure non haberet.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO V.

Inter duos de feudo ex diversâ concessione contendentes, potior est privatâ ea quæ publice facta est.

AD investituram haud quidem apud nos necessarium est eam publicè coram Paribus Curiæ aut aliis testibus factam fuisse. [1] Similiter nec in concessione alicujus exspectativæ super feudo solennitas requiritur. [2] Ad melius esse tamen tam solennitatis, tum fidei causâ, sic fieri non parum faciet. Effectum quendam ejus in hoc collocamus, quod duobus de eodem feudo concessionem impetrantibus vel investitis altero solenniter & publicè altero privatim, præsertim si de hac investitura privatâ exorietur controversia, utrum verè rectève facta fuerit, potiorem esse publicam credimus. [3] Unde licet posterior specialiter investitus alias potior sit eo qui investituram saltem generalem utut anteriorem habet, tamen si hæc sit publica, æquum est alteri clam factæ & controversæ præferri. *In eadem causa.*

1. Per mores feudales veteres quidem sic olim receptum fuit, ut investitura fieret publicè in præsentia Parium Curiæ. *c.1. in pr Qui test. sunt necessar. c.1. si quis si de invest. c.1. § 1. § idcirco de Nat. Feud.* At recentiore Germaniæ consuetudine ab his recessum, *Hartm. Pistor. quæst.* 30. *num. fin part.* 2. Et hanc Pomerania dudum observavit.

2. Nec ad hanc per jus vetus feudorum opus est testibus, *ut demonstrat Hartman. Pistor. dict. quæst.* 30. *num.* 6. *& seq.*

3. Etsi publica solennitas non amplius in usu est, attamen adhibita effectum quendam habere debet, eum nempe quem jus commune publicis actibus addidit, qui est in prærogativâ ut publicè acta præferuntur clam & privatim compositis, *juxta l. scripturas* 11. *C. qui pot. in pign.*

4. Clam facta suspecta sunt, *in l. fin. ff. de Rit. nupt.* ideo non sufficientia ad derogandum his quæ publicè anterius sunt acta, *l. nolumus* 20. *C. de Testam.*

DECISIO VI.

Sub hypotheca generali non continentur feuda, ne quidem ex consuetudine Pomeraniæ.

CUi quis omnia bona obligaverat hypothecaria in feudum experiebatur. Id quidem ex jure communi certum erat talem obligationem non complecti feuda. (1) At putabatur ex Pomeraniæ moribus ac statutis obtinere, ut in feudum velut hypothecam fieret immissio, quod ex iis feuda in subsidium pro ære alieno sunt obnoxia, (2) ideò non modo cum alia bona non supperunt in ista creditores immittuntur, sed distrahuntur aut adjudicantur. (3) Cui videbatur consequens, ut & non minus atque allodia per vasallos obligari possent. Secus verò id se habet. Ex privilegio quidem singulari & per hoc usu obtentum est, ut ex feudis fides vasalli liberetur, ideo chirographaria debita subsidiariè solvantur. At hoc longè abest à facultate obligandi feuda sine domini atque agnatorum consensu, quod privilegio non tribuitur, ideò ut stricti juris, est extra literam non extendendum. (4) Nec usu illa recepta est, sed moris & observantiæ quotidianæ feuda non obligari validè, nisi cum consensu domini & agnatorum, quem ideo rogari & in Pomerania moris est. Multum etiam discrepat libertas oppignorandi à subsidiariâ in solutum datione aut immissione pro creditis. Nec hæc ex privilegio concessa illam tribuit. Utimur circa feuda Pomeranica hac regula. Quod in quibus ex privilegio aut inveterata consuetudine non immutata est illorum conditio, in eo sequimur communes feudorum regulas. Ratio differentiæ porrò manifesta est, quod solutio æris alieni ex feudo est necessitatis: (5) at constitutio pignoris voluntatis. Illa tunc demum conceditur, ubi aliter solutio fieri nequit: Hypotheca autem afficeret rem sine discrimine, sive alias solvendo sit debitor necne; sive ipse sive alius possideat; ideò latius longè constringeret rem obligatam, ut à rebus ita planè diversis non sit trahenda consequentia, præsertim in planè singulari. (6) Eo minus quod nec Pomeranico jure valida est feudi obligatio nisi cum domini consensu præterquam certis respectibus. *In causa viduæ Pauli Tarnovii contra Joachim Matthias Thun. Die* 12. *Octobr. Anno* 1656.

1. Generalis hypotheca non complectitur bona feudalia. *Neguzant. de Pignorib. part.* 2. *princ. membr.* 2. *num.* 43.

2. *Uti expositum latius in Recessu Provinciali Wolgasti Anno* 1606. *publicato.*

3. Ita habet quotidiana praxis Pomeraniæ.

4. Privilegia extra literam non sunt extendenda ultra terminum & casum iis expressum. *Jason. in l. si constante num.* 7. *ff. Solut. matrimon.*

5. *l.* 1. *C. de Præd. minor.*

6. Quod contra rationem juris receptum est, non est trahendum in consequentiam, *l. quod vero* 14. *ff. de Legib.*

Digitized by Google

DECISIO VII.

Simultaneè investitus, in possessorio pro jure suo conservando intervenire jus est.

INter vasallum de jurisdictione olim à monasterio investitum & eum qui de hoc seculari redacto investitus fuerat, controversiâ super possessione exortâ intervenie bat simultaneè investitus ad assistendum actori, simulque jus suum integrum servandum. Rei verò nomine oppositâ exceptione & petitione rejectionis intervention is asserebatur, quod nondum ipsi juris quidquam in feudo esset. Siquidem illud simultaneè investitus contendisset, ut vel possessionem sibi assereret, vel ut possessione præsenti consequeretur, neque audiendus non fuisset. (1) Possessionem enim simultanea investitura non tribuit, (2) sed jus tantum succedendi, & cum hujus casus eveneri t possessionem apprehendi, (3) unde quæ possessionis sunt simultaneè investitis non tribuuntur. Nec quamdiu vasallus vivit & feudum tenet; successio, nedum possessio, contingere potest. (4) At præter possessionem multum intervenientis interest, tum ut assisteret actori, tum ut juri suo conservando invigilaret. (5) Assistentiam pro ipso urgebat similitudo causæ. (6) Ipso quippe in lite superato maximum ipsi præjudicium imminebat. Res judicatæ enim propter similitudinem seu potius identitatem causæ obstitura erat. Periclitabatur valdè jus successionis, Reus quippe si obtinuisset intentionem per secularem conditionem monasterii ad præfecturam redacti feudum istius desiisset, non tantum eiqui jam possidebat & vasallus erat, sed etiam simultaneè investitus feudo excideret, (7) Intererat porrò agnatum possessione non privari, per quod etiam ipsi eveniente successionis casu apprehendendi facultas, alias ex investiturâ simultaneâ successori competens, decederet. Tandem & jus ex simultaneâ investiturâ in feudo & ad feudum pro eo conservando efficacem parit actionem. (8) Non attentâ itaque oppositione interlocutio facta est responderi debere ad *interventionem Arendt von der Huden contra den Land-Græflichen Hessischen Ambtmann zum Lilienthal. Die* 18. *Decembris Anno* 1656.

1. Hoc inter simultaneam investituram, quæ ex moribus legibusque Saxoniæ formata est, & quam jus commune feudorum recepit, interest. Quod ex illa omnes sub istâ comprehensi parjus consequuntur, ideo omnium simul successio & possessio est. At ex hâc non nisi jus succedendi in feudo, quando casus evenerit, acquiritur, ideo non est ex illa successio vel possessio, nisi gentis istius proximorum, & conditionem proximitatis illa continet. *Quod discrimen pulchre explicat Koppen. decis.* 47. *per tot. Cothmann. resp.* 35. *num.* 51. *seq.* quod probè notandum ad evitandas confusiones, quæ ex illo neglecto in hanc materiam invehuntur.

2. *C. nn. de Controvers. inv. Vasall. & al. c. nn. §. rei autem de invest. rei alien.*

3. *Schurff. consil.* 53. *num.* 5. *& 15. cent.* 1. *Westphal. consil.* 1. *num.* 13.

4. Simultaneè investiti non rei sed spei successores ideo vocantur à *Cothmann. resp.* 35. *num.* 14.

5. Interesse fundat jus intercedendi *Gail. l.* 1. *Observ.* 70. *num.* 11.

6. *l. sæpe ib. Alexander. ff. de Re judic. Felin. in c. cum super. num.* 35. *seq. de sentent. & Re judicat.*

7. Quodlibet ex alienâ lite imminens præjudicium pro jure illæso conservando interventionem ad assistendum, ut necessariam & utilem, sic justam facit *l. a sententia ib. Bartol. ff. de Appellat.*

8. Ista non spem tantum successionis indubitatam tribuit, *ut quidam Hartmann. Pistor. part.* 2. *quæst.* 26. *num.* 6. sed etiam jus firmum & radicatum in ipso feudo quod possessioni & dominio simillimum est *uti depingit Carpzov. resp. Elector.* 12. *num.* 5 *& seq. lib.* 2. Ex quo etiam contra tertium possessorem actio est, *Thoming. decis.* 23. *num.* 6. *Koppen. decis.* 54. *num.* 4.

PARS QUINTA

DECISIO I.

Filii vel nepotes qui successores feudi paterni esse voluerunt, ut hæredes conveniuntur & condemnantur.

CUm filii successissent in feudo paterno, putabant sibi adhuc superesse exceptionem se non esse hæredes; quia aut pater hæreditatem præter feuda non reliquerat, aut illi bonis hæreditariis abstinuerat. At falsò. Quandoquidem filii & nepotes non possunt instar agnatorum repudiare hæreditatem retento feudo, (1) ex hoc simul obligati sunt ad capiendam hæreditatem, (2) & solvendum æs alienum, (3) ideo non possunt gaudere amplius istâ exceptione, ideoque illa non attenta meritò jubentur respondere ad actionem & præstare quod defuncto patri & avo incumbit. Distinguunt quidem non nulli, an feudum sit ex pacto & providentiâ, an hæreditarium. Præterquam vero quod in hac quæstione communior magis-

Digitized by Google

magisque ratione congrua opinio distinctionem non admittit, per æque in priori specie ut in altera filium poscens esse hæredem si velit esse feudi successor, (4) in Pomerania eadem non obtinet, ubi feuda mixta sunt, & qua solutionem debitorum sequuntur feudi hæreditarii naturam. Sic judicatum *in causa Georgii Christophori Behren liberorum, contra Viduam Joannis Hustmans die* 14. *Januarii Anno* 1657.

1. Ita inter agnatum & filium distinguit jus feudale *in c.* 1. *an agnat. vel fil.*

1. Quoad filios, quippe qui non nisi parentum beneficio accipiunt feudum, hoc pro parte hæreditatis habetur, cum eadem quoad utrumque ex ea causa sit ratio. Quomodo itaque hæreditatem non licet pro parte accipere & repudiare *l.* 1. *l.* 2. *ff. de acquir. hæred.* ita nec alterutrum eligere.

3. *De hac obligatione vide quæ scripsit Cothm. respons.* 21. *num.* 1. *seq. vol.* 3.

4. *Hoc prolixè exponit & confirmat Hartman. Pistor. illustr. quæst.* 2. *per tot. part.* 2.

DECISIO II.

Filiæ cum agnato bona gentilitia dividentes vel pro sua parte pretium accipientes, pro hac onus æris alieni sustinent.

EX jure equestri Ducatus Bremensis Bona gentilitia quæ **Stamm-Güter** vulgò vocantur ad agnatos non existentibus filiis deveniunt, sed agnatis incumbit cum solutio æris alieni, tum post hoc detractum qua filias vel sorores præstatio pretii ejus, quod reliquum est, spectatâ quantitate redituum ordinariorum & ex his computatis sex in centum. (1) Dubio caret, quæ debita prius deducta fuerunt, eorum nomine teneri agnatos, qui cum bonis onus istud æris alieni, cujus facta fuit detractio, susceperunt, exinde creditoribus obligati. (2) At si præter illud aliud emerserit, quæritur quis conveniendus sit, an agnatus qui bona accepit, an filia quæ detractô ære alienô æstimationem reliqui recepit? Æstimandum hoc ex eo quod filiæ acceperunt. Siquidem tantùm dotem vel loco legitimæ certam pecuniam recipiunt, ut singulares successores ultra non tenentur. (3) At quando vel cum agnatis dividunt bona, sic ut ex dimidio ad utramque partem res vel earum lucra & fructus deveniunt, vel filiæ pro hæreditate pecuniam accipiunt, secùs erit. Conveniri tunc possunt in priori specie ambo, si simul successerint. (4) At si pretium solverit agnatus instar emptoris est, filia autem quæ pretium accipit ut venditrix hæreditatis. (5) Sicut autem hâc licet venditâ conveniri oportet venditorem, (6) ità & hic non agendum contra agnatum, sed contra filiam, quæ pretium capiendo rem habere, ideò hæres esse videtur. (7) Quod si autem solverit agnatus, justa est soluti repetitio à filia, quæ nihil habere potest aut debet juxtà tenorem prædicti juris, nisi detractô ære alienô. (8) *Quod consideratum in causa Annæ & Mettæ ab Huden contra Rochum à Gatlen die* 15. *Januarii An.* 1657.

1. *Vid.* Ritter-Recht deß Hertzogthum Bremen. *Tit.* auff was Weise und Gestalt in solchen Fällen §. würde aber ꝛc. ubi talis habetur huc faciens dispositio. Würde aber der Verstorbene keine Söhne oder Söhns Söhne; sondern nur Töchter oder Schwester oder deren Kinder nachgelassen / und also das Stamm-Erbgut auff die Stammvettere verfiele / die sollen alsdann deß Verstorbenen Tochter oder Schwester auff solchem Gut zwey Jahr sitzen lassen / und mittlerweile sich mit ihnen der Außsteur oder Abstandes halber nach ihrer Freunde Rath zu vergleichen und zu vertragen schuldig seyn. Könten sie sich aber darum nicht vergleichen / so sollen die Abnützung oder Rente deß Guts taxiret / und sechs auff jedes 100. gerechnet werden / wie hoch sich dann der Hauptstuhl (jedoch alle Schulde zuvor gekürtzet und abgezogen) erstrecket / das sollen die nechsten Stammvetter / so das Gut erben wollen / der Spielseit baar über erlegen / oder mit gnugsamer Versicherung und Bürgschafft solche Summe jährlich zu verzinsen / in Siegel und Brieffen / darinnen beyden Theilen die Lösse ein gantz Jahr zuvorn vorbehalten / verwahren / doch also / daß auff solchen Fall die Spielseite nicht weiter als auff Töchter und Schwestere und deren Kinder wie oben gesetzt gerechnet / oder in weiter Grad der Spielseite etwas von den Stammvettern gegeben werden soll.

2. Deductio tacitam habet conventionem, quod cum bonis onus agnatorum esse debet.

3. Singulares successores de debitis defuncti non tenentur, sed onus sunt hæredum *l. fin. ff. de Contrah. Empt. ib. gloss. Bartol. Bald. & Dd.*

4. Ex divisione bonorum à defuncto relictorum uterque hæredis loco est, atque ità pariter tenetur.

5. Ista bonorum retentio quæ agnatis den Stammvettern per jus Equestre conceditur sed soluto pretio, ideò non gratuita, speciem venditionis hæreditatis habet & ab hac ad illam argumentum congruum est.

6. *l. fin. C. de hæred. vendit.* In fisco aliud sed singulare jus est. *l.* 1. *C. eod.*

7. Quæ hæreditatem aut portionem hæreditariam alteri cedit certo pretio vel certo pacto quod loco pretii sit, à creditoribus hæreditariis quia hæres est & manet, etsi hæreditatem non habet *l. fuit quæstionis* 24. *ff. de Acquir. hæred. l.* 2. *pr. ff. si quis omiss. caus. testam.* ut hæres potest conveniri. *Fab. in Cod. lib.* 6. *tit.* 12. *def.* 20. ubi rationem addit, quia id facit ut hæres seque tali pacto talem fatetur.

Digitized by Google

8. *Sichard. in l. 1. num. 4. seq. C. de hæred. Vend.* à quo tamen excipitur ille casus, si sponte agnatus debitorem se fecerit vel solverit *l. si post divisionem C. de Pact.*

DECISIO III.

Hæredes Vasalli soluta ab ipso feudi causa debita quando à successore repetent.

EJus qui de monasterio in præfecturam, postquam juxta Pacis Instrumentum secularizatum, ut hac voce nunc utimur, converso, fuerat investitus, aliquot debita, quæ feudo incumbebant, solverat, vidua & hæredes à successore, qui tamen causam ab ipso non habebat, soluta reperebant, eo solvere jusso & appellante, in disquisitionem venit an & quatenus successor feudi antecessoris hæredibus solutum refundere teneatur; Eventilatis hinc inde causæ momentis existimatum est, distingui debere utrum antecessor de suo debita solverit, an ex ipso feudo seu iis mediis quæ ad feudum pertinebant. De suo onera feudi solventis hæredibus repetitio sine dubio competit, tum quod solvens negotium feudi gessit, (1) ideò ipsum feudum sibi suisque hæredibus fecit obnoxium, (2) adeoque solutum istius onus, (3) quod transit ad successorem: (4) tum quia ut meliorationis species, feudi liberatio ab onere ejus sine dubio habenda, (5) refundenda est hæredibus: (6) tum quia ea pecunia impensa in locum oneris succedens ejus vice fungitur. (7) At cum non suo sed ipsius feudi ære liberat antecessor, hæredibus ejus actio concedenda non est; tum quia de suo nihil impedit vel amisit: (8) tum quia quà ipsum nulla debendi causa est: (9) tum quia successori nihil amplius, quam quæ accepit, adeoque utilitatem non præstat: (10) tum quia ex ipso feudo quod solutum vel sumptum vel refusum est, quod pro solutione fuit insumptum: (11) Quando itaque una cum fundis atque reditibus monasterii antecessor nomina plura accepisset, & illa in solutionem æris alieni impendisset, non visa ratio, quare successor condemnare debuit; è contra ea nomina, quæ pertinentiæ feudi fuerunt, illum non recipere, hæredes autem lucrari. (12) Repertum est in eo satis gravaminis, quod ut relevans admitteretur. *In causa Baron de Bidal contra Hæredes Vidua Baronis Salvii die 16. Januari Anno 1657.*

1. Ea actio competit non donandi animo solventi debitum, quod est alterius, *l. cum pecuniam 43. ff. de negot. gest. l. si filius 12. C. eod.* Textus de eo expressus est, *in l. res obligatas 21. C. de Pignor.* ubi observes discrimen inter eum qui exterus est, & qui successor debitoris est; ideo non ut alienum sed ut suum debet.

2. Quemadmodum de eo dicitur, qui pro hæreditate vel cohærede pecuniam expendit, *l. sive pro fratre 3. C. dict. tit.*

3. Utilitas ex alterius feudo quæsita facit pro illa impensum & debitum, onus feudale. *Heig. part. 2. quæst. 20. num. 43. Hartm. Pistor. quæst. 12. num. 68. part. 3.*

4. Res transit cum suo onere & cum sua causa; *l. alienato 67. ff. de contrah. empt.*

5. Lucri & compendii species est liberari ab obligatione, *l. si pupilli 66. ff. de solut. l. species 11. ff. de Acceptilat.* ideo quod pro liberatione feudi impensum obligat ex utilitate feudi successorem, *Joach. Moritz. int. consil. varior. JCt. 36. num. 9. seq. vol. 4.*

6. Meliorameuta feudi hæredibus debentur à successore, sive domino aperiatur feudum & alii concedatur, sive agnati succedunt.

7. Ex virtute surrogationis, quæ quod surrogat; ejusdem juris facit. *Tiraquell. de jur. Primog. quæst. 55. num. 11.*

8. Quæ in feudum capiuntur, sic accipiuntur, ut proprietas sit domini, ususfructus Vasalli. Si quid igitur pro feudo ex ipso quid impendit, non de suo sed re domini id facit, adeoque repetitione caret.

9. Hac sine non existit obligatio. *l. pen. l. fin. ff. de Condict. sin. caus.*

10. Utilitas est causa feudum ejusque successorem obligandi, ut ad onus feudi, qua cessante desinit debitum, *c. cessante x. de Appellat.*

11. Hoc petere est idem his exigere, quod bona fides non sinit. *l. bona fides ff. de R. J.*

12. Hoc quid aliud est, quam cum incommodo alterius lucrari: Bono & æquo non convenit lucrari aliquem cum alterius damno, aut damnum sentire per aliis lucrum, *l. jure 6. §. fin. ff. de Jur. dot.*

DECISIO IV.

Vasallus de feudo in possessorio retinenda non obtinet, sine titulo & quali? Pendente verò super hac lite sine illo in possessione momentanea defenditur.

INter ea, de quibus possessoria proprietatis causam admixtam habent, hoc est, non possunt definitiva sententiâ terminari, nisi simul de justitia possessionis appareat, feuda sunt, quoties inter Dominum atque vasallum contenditur. (1) Non obtinet hic contra illum nisi simul doceat titulum, qui est in investitura; (2) Hæc probata aliqualiter possessionem colorat, ideò

Digitized by Google

ideò dubio caret investitum contra turbationes Domini defendendum esse. (3) Sic verò hoc accipiendum, quando investitura legitima, & vel à Domino vel ab iis quorum factum Dominus ratum habere tenetur profecta est. Quod, si in eadem quidquam est, ex quo colligi possint non legitimè vasallum esse investitum, aut ita, ut Dominum ad observantiam investitura non adstringat, perinde habendum est, atque si investitus non esset. (4) Quod si de eo exoritur quænam dubitatio, sit manetque donec super ea pronunciatur controversia. Ita cum accidit monasterium, à quo actor de jurisdictione investitus fuerat, ad secularem conditionem per Pacificationem redigi, reus inde finitum feudum investituramque monialium se non obligare diceret, visum fuit definitivè in interdicto retinendæ possessionis pronunciari nondum posse, antequam vis investituræ & jus vasalli discuteretur, quod nisi hoc edocto contra Dominum qui non investiverat, possessio adjudicanda non esset. (5) Interea tamen cum de facto possessionis constaret, tanquam in momentaneo defendere & conservare æquum visum est, (6) quandoquidem in illo nihil ultra nudum factum attenditur, (7) & licet jus controversum, ideo in ejusmodi rebus quæ titulatam possessionem requirunt ex interdicto retinendæ possessionis non possit definitivè pronunciari, tamen in quo statu cœptæ litis tempore quisque fuit porrò ea pendente remanere debet. (8) Aliud quoque est declarari possessorem, aliud non dejici. Cuilibet possessori etiam injusto vis fieri vel spoliari non debet. Etsi ubi justa seu titulata requiritur possessio interdicto retinendæ locus non est sine titulo, in recuperandæ tamen interdicto ille non ita exigitur. Idque in feudalibus quoque obtinet. (9) In ea lite hoc discrimen servavimus; suspenso ac reservato possessorio ordinario, pronunciantes vasallum præstitis præstandis ad jurisdictionis quod habuit exercitium admittendum esse. (10) *In causa des Landgräfflichen Hessischen Amptmans zum Lilienthal contra Detloff von der Huden die 10. April. Anno 1657.*

1. *Gloss. in cap. 1. ib. Andr. de Isern. num. 1. Si de feud. defunct. Rosenth. de Feud. cap. 12. concl. 12. num. 60.*

2. Possessio quæ non valet sine titulo in possessorio retinendo justificanda est prius per titulum. *Menoch. de retinend. poss. remed. 3. n. 590.* Id quod JCti dicunt, sed incongruè habere admixtam causam proprietatis. Non enim ad hanc in isto probandam, sed tantum ad colorandam possessionem titulus allegandus & docendus est. *uti exponit Rosenth. d. concl. 12. num. 18. seq.*

3. Remedia possessoria vasallis competere contra dominos etsi per hos in possessione turbantur mandatis defendendos esse, docet & explicat *Rosenthal. d. concl. 12. num. 28. & seq.*

4. Paria sunt non habere titulum & non legitimum & invalidum. *argum. l. quoties 6. ff. quæ satisd. cog.*

5. *Modestin. Pistor. cons. 40. num. 90. & seq. vol. 1. Cæsar. Contard. in l. un. limit. 2. §. 8. n. 34. C. si de moment. poss. fuer. act.*

6. *Eam differentiam ejusque rationem vid. apud Klock. in cons. 40. num. 2. vol. 1.*

7. *Gædd. cons. Marpurg. 32. num. 278. volum. 3.* Nudæ detentationis & insistentiæ in illo habetur ratio, *Fr. Milanens. decis. 3. num. 179. part. 1.*

8. Jus feudale nihil mutavit ex eo jure ut possessor qualiscunq; donec injustitia possessoris appareat defendatur, quia potius remedia ipsi suggerit *c. 1. §. si vero de milit. Vasall. in contum.*

9. Vasallus spoliatus non tantum defenditur contra alios, sed etiam contra Dominum, contra hunc competentibus remediis unde vi & ex can. redintegranda restit. spoliat. *Borcholt. de Feud. cap. 9. num. 19. Vultej de Feud. lib. 2. cap. 1. num. 15.*

10. Etiam in feudalibus possessorii & petitorii quæstio separatur, unde nec illa quidquam feudalitatis habere dicitur *Rosenthal. de Feud. cap. 12. concl. 71. in fin.*

In Sachen deß Landgräflichen Hessischen Amptmanns zum Lilienthal Henrici Krügers Appellanten wider Detloff von der Huden Appellaten / in puncto deß Gerichts im Oberlande und Mittelbaur in S. Jürgens Lande / werden die von Appellanten vorgebrachte Gravamina in den ersten und folgenden Articuln biß zum 34. dann den 50. biß zum 72. inclusivè begriffen / angenommen / deßwegen Appellaten Copia Libelli erkannt / und proxima darauff gebührend zu antworten aufferleget / dabey dann ferner das pendente lite es bey denen den 21. Junii und 23. Decemb. Anno 1650. ergangenen Beordnungen / biß in possessorio oder petitorio ein anders außgeführet / billich bleibet / der Appellate an Ubung deß Gerichts nichts zu turbiren / sondern dabey zu lassen / jedoch Einhalt deß Lehn-Briefes / und darüber gegebenen Revers, damit zu verfahren sey / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 14. Aprilis Anno 1657.

(Hoc est.) In causa Satrapæ in Lilienthal Henrici Krügers Appellantis contra Detloff ab Huden Appellatum in puncto jurisdictionis in Oberlande & Mittelbaur in Regione S. Georgii, gravamina ab Appellante exhibita in articulo primo & seqq. usque ad 34. tum 50. usque ad 72. inclusivè recipimus, eorundem Appellato copiam decernimus & ut in proximâ desuper debite respondeat injungimus, ubi ulterius pendente lite ordinationibus.

Digitized by Google

21. Junii & 23. Decembris Anno 1650. emanatis donec in possessorio vel petitorio aliud deducatur, merito inhærendum, appellatus in exercitio jurisdictionis non turbandus sed relinquendus, attamen juxta tenorem investituræ & desuper extraditi reversus procedendum. Idq; de jure. Publicatum in summa Tribunali Wismariæ die 14. Aprilis Anno 1657.

DECISIO V.

Cum feudum Domino feudi aperitur creditores vasalli immissi nec ejici nec bona feudalia sequestrari debent, nisi apertè constet, feudum creditis illorum nullatenus obnoxium esse.

CReditor in feudum ob æs alienum vasalli hoc vivente immissus, an illo aperto per dominum feudi vel ab eo causam habentem ejici vel an feudum sequestrari possit, in quæstionem venit, quum eveniente casu aperturæ, novus vasallus perceptionem fructuum immissæ creditrici negabat. Judex sequestrationem decreverat, ista ab hac provocabat. Putavimus circa illam discernendum esse, utrum creditum, cujus causa illa in possessione atque perceptione fuit, onus feudi sit, an onus tantum Vasalli. (1) Siquidem onus feudi est, aut tale existit, quod non nisi ex feudo solvendum; aut pro quo in subsidium feudum tantum obnoxium est nempe si hæreditas non solvendo erit. Si prioris generis reperitur, dubio caret nec ejectioni nec sequestrationi locum fore, sed feudum pro isto lege vel moribus affectum pignoris instar donec solvitur rectè possideri & retineri. (2) Quoad tale quod secundi generis existit, vel manifestum est hæreditatem solvendo esse, vel de hoc incertum & obscurum. Quando Vasallus reliquit hæreditatem opulentam & quæ solvendo est, sicuti creditor istam sequi & convenire tenetur, nec tunc feudum est obnoxium, utique sine causâ in feudo diutius cum Domini vel Vasalli incommodo non poterit motari, sed statim decedere opus habet. (3) Non proderit exceptio non discussæ hæreditatis, postquam in re notoria ea discussio supervacua est, (4) nec domino feudi vel ab isto causam habenti sed creditori incumbit discutiendi sollicitudo. (5) Qua istos sufficit feudum esse liberum. At ubi nondum patet utrum hæreditas credito sufficiet negans creditor ejiciendus non est, sed relinquendus in possessione & perceptione, quæ legitimè ipsi evenit. Etsi enim creditorem nondum immissum Dominus vel Vasallus novus exceptione ordinis vel excussionis repellere poterit, minimè tamen ab illâ jam immissum expellere, sed defendendus est in possessione donec constat, ex feudo nihil deberi. Quod ut à Domino vel Vasallo probandum, ita etiam ab isto tunc curandum, ut discussione hæreditatis quam primum perfectâ, allegatio in qua Vasallus semet fundat, probetur. (6) Interea minimè ad sequestrationem deveniendum, ubi ex immissione certa non minus quam justa est possessio creditoris. (7) Et licet in litem hac de causa devenitur, attamen ea pendente nihil innovandum, nec ad sequestrum deveniendum est. (8) Quod onera Vasalli attinet, qui per *jus* commune ab iis feuda sunt libera, immissi tantum fructuũ perceptione gaudent. (9) Et quidem quamdiu Vasallus vivit; ultra mortem ejus nihil retentionis & pignoris in iis ultra habent: (10) Unde eo defuncto cum feudum aperitur, resoluto jure debitoris resolvitur jus creditoris, (11) nisi ex lege vel consuetudine invaluit, ut onera Vasalli ex *feudo* solvantur, quomodo in Pomerania certo modo id observatur. Tunc immissio pignus tribuit (12) circa quod idem servatur quod jam de onere feudi in subsidium ex hoc solvendo scriptum est. Hæc considerata sunt circa decretum de processibus *in causa Viduæ des Land-Raths Jochim Morders contra den Regierungs-Rath Simon Matthæi Rosenhand die 4. Junii Anno 1657.*

1. Sic vulgatum est discrimen onerum feudi, ut alia non nisi ex feudo, alia tantum, cum unde solvatur, aliàs non suppetit, solvenda sint. *Vti Feudistæ prolixius exponunt & nos inter decisiones nostras alibi pluribus annotavimus.*

2. Etsi pro onere feudi lex hypothecam non constituit, tamen quando ex eo creditum solvi vult, feudum ita afficitur, ut propter istud actio sit contra successorem non modo, sed alium, contra dominum & tertium possessorem, *uti explicat Carpzov. Resp. Elector. 68. num. 14. seq. lib. 4. ubi in rem actionem competere ostendit.* Ut itaque actio competit, ita multo magis retentio & exceptio. *l. 1. ff. de pignorib. l. 1. § pen. ff. de Superfic.*

3. Ubi causa habendi nulla est aut quæ fuit desinit, ibi retinendi nulla ratio sed restituendi debitum adest *l. 1. ff. de Condict. sin. caus.*

4. Eorum quæ super vacua sunt nulla habetur ratio *l. Jurisgentium 7. §. sed si fraudandi 10. ff. de Pact. l. un. §. illo procul. C. de Latin. libert. toll.*

5. Ejus, quem discussionis exceptio de jure excludit, curæ hoc relictum, ut istam fieri efficiat, nec opponentis ultra allegationem aliquod circa

Digitized by Google

circa illam debitum vel officium est. *Fab. in Cod. lib. 8. tit. 16. defin. 18. num. 1. ubi in not. eam rationem habet, quod excipiens non tenetur esse procurator creditoris.*

6. Feudum non aliter exoneratur, quam ubi id non teneri est manifestum. Aliàs de eo pendente lite possessor non turbandus.

7. Possessio relevat à probationis onere *l. 2. C. de Probat.* & conjicit in petitorem *l. 2. ff. eod.*

8. *Contra l. un. C. de Probib. si quæst. pecun.*

9. Per jus commune ob æs alienum vasalli pro debitis executio tantum fit in fructus feudi, non in ipsum feudum, *uti post plures allegatos de eo tradit Hartman. Pistor. quæst. 15 num. 10. & seq. part. 2.*

10. *Hartman. Pistor. d. quæst. 15. num. 109.* Atque hoc recentioribus Imperii Constitutionibus ita approbatum *vid.* Käyserl. Land-Fried zu Augspurg *de Anno 1548. tit.* Von der Friedbrecher *§.* und wann nun die Sachen/ &c.

11. *lex. vectigali de Pignorib.*

12. *Junct. l. 1. 2. C. si ex caus. judic.* cujus dispositio ad feuda quoque pertingit, itaque statuto vel more, ut debita vasalli ex feudo ipso solvantur, saltem jus directi dominii putatur exceptum.

DECISIO VI.

Consensus Principis super hypotheca excludit quæstionem super qualitate crediti, non exceptionem non numeratæ pecuniæ & simulationis.

PEr Pomeraniæ legem seu privilegium, quod nobiles circa feuda sua habent, ex his, cum allodia deficiunt, solvendum est æs alienum quatenus necessarium. (1) De quo æstimatio est Domini feudi seu Principis. (2) Ex quo autem is semel in hypothecam in feudo pro debito constitutam consensit, creditum censetur fuisse necessarium, quia approbatum est, modò id factum sit aut consentientibus proximis agnatis, aut iis ad consentiendum aut proferendum dissensus causas citatis, & vel ob harum iniquitatem nullitatemve, vel in contumaciam non comparentium consensu suppleto, sicut illum processum Provincialis constitutio præscribit, (3) & usus recepit. Quo non observato consensus domini agnatis non officit, quin creditum haud fuisse necessarium objicere, ideò cum succedunt solutionem denegare possint. (4) Etsi verò ea omnia servata sint & cum iis Dominis feudi consenserit, tamen si deinde agnatus opposita non numeratæ pecuniæ exceptione illum qui agit creditorem aut se debitorem negare, istudque probare velit, nihil ominus audiendus erit, cum illa exceptio intra tricennium reo non numeratam pecuniam probare volenti competat, (5) nec Principis confirmatio ad illam excludendam sufficiat. (6) Similiter superest simulationis exceptio. (7) Utraque inde admissa est in prima instantia & confirmata est ejus sententia. *In causa liberorum Sigurt Dechoorn contra heredes Henning Oldenburgen die 16. Junii An. 1657.*

1. *Ità habent verba Privilegii.* Und da jemand ohne Leibes Lehns-Erben stürbe / die Güter auff seine Brüdere / Vettern / Mitbelehnte oder uns und unsere Erben und Nachkommen vorstammete und erledigte und seines verlassenen Erbes Baarschafft und fahrende Haab so viel nicht wäre / daß man die Schulden davon bezahlen und entrichten könte / so sol das Lehen die Schulde / die durch unsere hochselige Vor-Eltern unsere und unserer Erben Bewilligung nothwendig geachtet seyn / tragen / so weit und ferne sich das eröffnete Lehen erstrecket. Es sollen und wollen auch Wir und unsere Nachkommende Herrschafft den jenigen / so auß ehehaffter Noth und kundlicher Drangsal ihre Güter beschweren müssen / consens (unsern und männiglichen Rechten ohne Schaden) gnädiglich entrichten / und im Fall der Nothdurfft welches zu unser Ermässigung stehet / da die Summen groß / und sich hoch thäten erstrecken / und die Vorschreibung von den Agnaten Mitbelehnten und den jenigen so Interesse daran haben / nicht mit besiegelt seyn / die nechsten Agnaten durch citationes persönlich / uñ andere so Interesse daran haben / durch ein offentliches Proclama oder Mandat erfodern uñ ihre Anzeigung deßfalls gnädiglich hören und ferner darauff was billich verhelffen. Da sie aber über die erste / andere und dritte Erforderung so ihnen insimuiret / ungehorsamlich außbleiben / so wollen Wir / unsere Erben und nachkommende Herrschafft / darin nach unser Ermässigung gnädigen Willen / unser und männiglich Rechten ohn-Schaden geben / und sollen die also erfordert und ungehorsam äussen blieben sind / derowegen ferner nicht gehöret werden.

2. *Hoc innuunt verba Privilegii in verb.* die durch unsser Bewilligung nothwendig geachtet.

3. Quomodo antequam consensus à feudi domino debito additur procedi debeat, plurimum continetur in Recessu Provinciali Pomeraniæ Landtags-Abschied zu Wolgast Anno 1606.

4. Æs alienum licet domini voluntate contractum non obligat feudi successores, nisi consenserint *c. 1. de alien. feud. pattern. c. 1. §. hai quoque de Success. feud. Hartmann. Pistor. part. 1. quæst. 15. num. 21.* Sicut ex jure communi Agnati solvere non tenentur, ità ex statuto provinciali per quod ad necessarium æs alienum obligati sunt, non aliter; quam si pro necessario habuerint aut habere debuerint.

5. Exceptio non numeratæ pecuniæ intra triginta annos competit si debitor onus probandi in se recipit, *uti habet communis & recepta JCtorum sententia, de qua alibi plura sunt scripta.*

6. Est quidem ea aliquorum sententia contra publicum instrumentum & fidem ei exceptioni locum non esse. At contrarium post Accursium communius JCti tenent.

7. Hæc

Digitized by Google

7. Hæc exceptio perpetua est & intra 30. annos competit *Fab. in C. lib. 4. tit. 22. defin. 2.*

DECISIO VII.

Quæ debita habenda sint necessaria ut ex feudo solvi debeant.

CUm ex privilegiis Pomeraniæ seu consuetudine sic invaluit, ut debita necessaria ex feudis per successores feudales solvantur, quæritur, quæ necessaria habenda sint? Per privilegii verba ea res est relicta arbitrio feudi domini, seu tempore contractus seu postea intercedente. (1) Quomodo autem de ea necessitate statui debeat postea constitutione Provinciali præscriptum est, (2) distinctione factâ casuum cum vivit vasallus debitor & cum è vivis excessit. Si eô adhuc vivô feudum oppignoratur vel in illud immissio creditoribus conceditur, prius proximos agnatos citari & utrum ad illum nexum feudalem decurrendum sit, examinari, citatis & auditis proximis agnatis de eo statuere oportet. (3) Post obitum autem ejus non ultrà de eo quæritur, sed tantùm inspicitur utrum agnati vivô antecessore contradixerint (4) nec ne. Illô factô continuatur ea disputatio & super necessitate crediti & cum causæ cognitione statuitur. Ubi non facta est ea dum vivit contradictio, omnia credita manu & sigillô defuncti firmata pro necessariis reputantur. (5) Non tamen hoc ità accipiendum, ut indiscriminatim ea feudi successor solvere teneatur, sed ità, si non possit ostendere fuisse malè credita causamque credendi aut injustam aut falsam aut ineptam adeoque debitum supervacuum. Id quippe constitutio illa tantùm voluisse videtur, quod quæ liquidis instrumentis nituntur necessaria creduntur, probatio tamen contraria non excluderetur, ideô adhuc qualitatem crediti in examen vocare liceat. *Uti factum in eadem causa.*

1. *Sic verba Privilegii habent*: So soll das Lehen die Schulde tragen / so durch Unsere hochseel. Vor-Eltern und unsere Erben Verwilligung nothwendig geachtet seyn.

2. *Vid.* Landtages Abscheid zu Wolgast *de Anno* 1606. *ubi plenius quæstiones hut pertinentes tractantur & notatu digna sunt, quæ præmittuntur de quæstione concernente solutionem aris alieni ex feudis de quo ità habent verba*: Als auch in den Punct / ob deß Lehnmanns Schulde indifferenter und ohne Unterscheid von den Lehnen / wann nemlich keine allodialia vorhanden abzutragen / allerley Zweiffel bißhero fürgefallen / auß dieser Ursachen / obwohl in den Land-Privilegien wie auch Wolinischen Landtages Abschiede Anno 1581. enthalten / daß der Schuld / so durch unsere Vor-Eltern unsere und unser Erben Verwilligung für nothwendig geachtet / auff das Lehen geschlagen. Item / daß auff unsere gnädige cognition und æstimation ein jeder seine Lehengüter zu Errettung seiner Ehren in solutum seinem Creditori geben möge. Daß dennoch man sich nicht vereinbahren können / was für Schulden eigentlich unter solchen Fällen verstanden / und für nothwendig gehalten werden mögen / dahero auch unsere gehorsame Land-Stände in jüngster Versammlung einhellig dahin geschlossen und gebeten / dieses Puncts halben Erklärung von der Stettinischen Regierung (weil beyde Regierungen in diesen Landen ein corpus und obberührte Privilegia und Abscheide communia instrumenta seyn) zu erholen. Welche dann auch erfolget / und wie die außtrückliche formalia solches Schreibens lauten / dahin außschläget / daß ein jeder Beschuldigter / wann er sonsten keine Güter hat / möge den Gläubigern seine Lehne zu Errettung seiner Ehren an Bezahlung hingeben. Ein solches aber fast das Ansehen gewinnet / daß wanns also indistinctè in allen Schulden / woher dieselbe auch rühreten / solle gehalten werden / kein Unterscheid fast unter Lehen und Allodial-Gütern seyn / auch den Agnaten und nechsten Successoren mercklich dadurch præjudiciret / und die sammende Hand damit gantz auffgehoben / demnach wenig nutzen möchte. Demnach haben wir uns mit unsern gehorsamen Land-Ständen für dißmahl und biß andere Verordnung mit gemeiner Bewilligung beyder Oerter Regierunge und Land-Stände geschiehet / dahin verglichen / daß hinfüro in solchem Punct es nochmaln bey dem Buchstabe der Privilegien / und Wolinischen Abscheids gelassen / unsere Räthe auch darauff / und nicht auff die Jura communia und feudalia sehen und sprechen sollen / und bleibts also dabey / daß von den Lehnen auffn Nothfall die Schulde abbezahlet werden. Was aber für casus unter solchem Nothfall begriffen / kan zwar in eine allgemeine Regul nicht gefasset / sondern wird solches Unserm als deß Landesfürsten und Lehn-Herrn arbitrio und cognition billich heimgestellet / wie auch unsere Räthe nachfolgender Gestalt darein procediren sollen.

3. *De hoc casu ità sonat d.* Landtages Abscheid *dispositio*: Wofern der beschuldigte Lehnmann noch an Lehen und zu Abtragung seiner Schulden entweder consens ein Stücke Geldes auffzunehmen / und die Lehne dafür zu hypothecirn / oder aber seine Creditoren darein zu immittiren suchen würde / daß alsdann seine Brüder oder Vettern und nächste Successoren / wofern sie in der Güte nicht consentiren wollen / auff einen dazu bestimmten Tag vorbescheiden und Specification der außstehenden Schulde von dem Lehenmanne übergeben. Darauff der Brüder oder Vettern Einrede gehöret / und wie gebräuchlich die Güte durch die Fürschläge tentiret / einen gewissen Abscheid worbey es zu lassen gegeben werden soll / und da je das eine Theil davon appelliren oder sonsten durch andere Mittel die

tel die Execution zu verrahiren sich unterstehen würde / soll nichts desto weniger die Execution angeordnet / und solche Appellatio nur effectum devolutivum und nicht suspensivum gewinnen / solte aber in Judicio Appellationis ein widriges erkannt werden / wird alsdann alles in vorigen Stand gebracht / wiewol uns / unsern Erben / wie auch denen zum Gerichte verordneten Personen ohne Nachtheil und Schaden / wir sind aber der Meynung / weil wir uns dißfalls mit unser gehorsamen und getreuen Landschafft gnädig und unterthänig respectivè verglichen und diß vim constitutionis hat / daß dem temerario Appellanti Proceß in Camera wol werden abgeschlagen werden.

4. *Quomodo id fieri debeat in dicto Recessu Provincialis habetur* §. Damit aber gleichwol durch diesen Weg denen so in præjudicium der Vettern mit mutwilliger Verschwendung und unnöthiger Schulden Last die Lehne zu onerirern sich unterstehen möchten fürgebauet werde / ist durch gemeine Vergleichung diß Mittel beliebet / daß die Brüder / nächste Agnaten und Successoren in solchen Fällen uns den Beschuldigten zu denominiren ohn allen Verweiß Macht haben sollen: Darauff wir also fort demselben in eigener Person für unser Gerichte citiren, ihn hören / Kundschafft seines Lebens und Wandels von den Zeugen / so uns die Vettern alsdann vorstellen auffnehmen / und darauff ihn nach Befindung der Sachen pro prodigo declariren / in ein Custodi bringen / sein Weib und Kinder aber mit gebührenden alimenten auß den Lehnen versorgen / und das übrige zu Ablegung der Schulde und Entfreyhung der Lehne anwenden lassen wollen. Da aber die Brüder / Vettern und Successoren hierauff bey deß Prodigi Leben ein Auge nicht haben noch solches moviren würden / soll ihnen hernächer dasselbe fürzubringen und contra creditores excipiendo zu gebrauchen hiemit benommen seyn.

5. *Sic decisum in ejusdem* §. Da aber der Lehnmann verstorben / und nach seinem Todte die Creditoren sich angeben / und umb Bezahlung oder Execution anhalten würden / sollen sie nebst den Successoren gleichfals obberührter massen für unser Hoffgerichte vorbescheiden / und darin wie vor angedeutet procediret werden / und sollen auff den Fall unter die nothwendige Schulden gerechnet werden / deß Verstorbenen Hand und Siegel wann dieselbe richtig und von den Successoren recognoscirt / daß also deß Verstorbenen guter Leumuth und Name so weit sich seine Lehne erstrecken / gerettet / und er in der Grube nicht geschmehet werden möge. Es sollen auch die citirten Brüder / Vettern und Successoren keines weges ohne erheblichen Ursachen auffenbleiben / dann sonst in contumaciam was wider sie fürgebracht / und erbeten / für bekant gehalten und darauff ferner wie droben gemeldet / verfahren werden soll.

DECISIO VIII.

Ex fidejussione debita an & quando ex feudis, quæ ex statuto non onerant nisi necessaria, sunt solvenda.

CUm Privilegium Pomeraniæ Nobilitatis feuda in subsidium æri alieno fecisset obnoxium, illam declarationem addidit, ut necessaria tantum debita nothwendige Schulde significata intelligerentur. Inde exorta quæstio, utrum etiam ex fidejussione Vasallorum præstanda illa continerentur? uti videri potuit, spectatâ tum ratione necessitatis solvendi, quæ ex fidejussione velut contractu oritur; (1) tum definitione & tenore alicujus recessus provincialis qui necessitatem illam in liberanda fide vasalli ponere videtur; (2) tum ex ratione quam idem Recessus habet, ut comprehendens fidejussiones, sic privilegium eo pertinere indicans. At iis non attentis visum fuit, generatim id omnes fidejussiones non posse extendi. (3) quando minimè pro necessariis debitis uti privilegium ea voce utitur accipi queunt. (4) Hoc enim non obligationem ex contractu ortam sed causam contrahendi vel debendi respicit & necessarium debitum intelligit, cujus causa est necessaria. (5) Quæ in fidejussione perinde non est, quando fidejubere potius est perdere & donare, inde inter prodigalitatis species relatum. (6) Etsi enim, postquam quis fidejussit, perinde ut alii debito fidejussor obnoxius sit, & ex stipulatu tenetur; feudum tamen ideo onerare non permittitur, quia illud obligandi facultas tantum ex necessitate per privilegium competit. Verba Recessus provincialis non ita crudè accipi debent, ut absurditas aut magnum domini & agnatorum præjudicium inde existat, sed sicut ratio recta permittit. (7) Præprimis verò ut qui interpres privilegii esse voluit, huic contraria non inferat. Quod constitutionibus in mentem non venisse verisimilius est. Nisi itaque fidejussioni aliqua accedit necessitas ex tali debito quod etiam feudum afficit, non est ad illam extendendum privilegium ad necessitatem debiti restrictum. *In eadem causa.*

1. Obligatio quæ isti inest necessitate quadam, adstringit *l. 3. ff. de Obligat. pr. Instit. eod.*

2. *Sic* im Landtags-Abschied *de Anno* 1606. §. Da aber der Lehenmann *definiuntur necessaria debita.* Und sollen auff den Fall unter die nothwendige Schuldt gerechnet werden / deß Verstorbenen Hand und Siegel wann dieselbige richtig / und von den Successoren recognoscirt /

Digitized by Google

und also deß Verstorbenen guter Leumuth und Name so weit sich seine Lehne erstrecken gerettet / und er in der Grube nicht geschmähet werden möge.

3. Ex rationis similitudine privilegia extendi moris, sicut hæc ex ista intelligi juris.

4. Inter abusus bonorum fidejussiones per JCtos referuntur & fidejubens dicitur bonis abuti. *Fulv. Pacian. intr. de Probat. lib. 2. cap. 54. num. 81. seq.*

5. Fidejussiones tantum sunt necessariæ postquam contractæ sunt, antea voluntariæ, *juxta l. sicut 5. C. de Oblig. & action.* at debita, pro quibus feuda obliguntur, oportet esse necessaria cum contrahuntur. Ad quod causa necessaria exigitur.

6. *Jason. in l. si. Constante. num. 138. ff. Solut. matrim. Gail. 2. Observ. 83. num. 51. Hering. de Fidejuss. cap. 2. num. 9. & seqq. ubi plura huc facientia congerit.*

7. *Decius consil. 423. num. 8.*

8. Hujusmodi species in foro reputamus, si pro liberando ab eo debito, pro quo obligatur feudum fidejussio contrahitur, aliave ratione in locum istiusmodi debiti succedit; vel si pro domino vasallus fidejussit, vel si ex causa feudum concernente; vel cum vasallus domini jussu alienum creditum suscepit; vel si pro patria aut republ. in istius usus fidejussit; vel si singularis in fidejussione pietas est. &c.

Ita pronunciatum in hac causa.

In Sachen Ulrich Dechowen & Consorten Appellanten wider Henning Oldenborges Erben Appellaten in dero verschiedenen Forderungen auß den verübten actis befunden / und vor recht erkant / daß so viel zu erst die prætendirte 2641. Gülden 15. Schilling betrifft von Richter voriger Instanz übel gesprochen / wol appelliret / und dero Spruch dahin zu ändern sey / daß Appellaten jetzbemelte Summ auß dem Gute Pantelitz weiter zu fodern nicht befugt / sondern an dem Depolito sich zu halten / und was darauff nachständig an gebührenden Ort zu fordern haben / gestaltsam sie dahin verwiesen / und alle Rechtliche Nothdurfft vorbehalten bleibet. Wegen der übrigen 6000. Gülden ist wol gesprochen / übel appelliret / demnach es dabey zu lassen; Jedoch mit der Erklärung daß Appellaten der dem 4. Aprilis Anno 1623. publicirten Urthel fürdersamst ein Genügen zu thun schuldig / immassen dann ihnen solcher gemäß obliget / bey allen und jeden in der den 6. Novembr. jetztbemelten Jahres übergebene Verzeichnuß specificirten Posten / dasselbige Eggard Dechowen Schulde und von dem Pfandschilling bezahlet seyn / imgleichen daß sie insonderheit die jenige / so auß Gelübden herrühren / nothwendig bezahlet werden müssen / mittelst Beybringung der Original-documenten / worauff selbige sich beziehet / oder andern behufigen Verrichtungen rechtmässig zu behaupten / Deßwegen dann Anptshalber beyden Theilen der 5. Septemb. zum Vorbescheide angesetzet / an Ulrich Dechowen / wie auch die sämptliche hiran interessirende Creditores, alsdann solcher liquidation bey zuwohnen / ad singula alsfort zu antworten / und allerseits die Nothdurfft schließlich vorzubringen Citation erkant / und Appellaten dieselbige zeitig außbringen und verkündigen zu lassen / sub pœna præcluſi außerlegt wird / und ist ferner in puncto deteriorationis die den 13. May Anno 1656. gemachte Verordnung renoviret / und erkannt Mandatum wegen Beybringung des Inventarii dahin erstrecket / daß Appellaten zugleich in jetzbemelten termino solcher sub pœna contumaciæ geleben sollen / von Rechtswegen. Publicatum im hohen Tribunal zu Wißmar den 6. Julii Anno 1657.

In causa Ulrici Dechowen & consortum Appellantium contra Henningi Oldenborges hæredes Appellatos in diversis prætensionibus decernimus, quarum concernit primò prætensos 2641. floren. 15. solid. à judice prioris Instantiæ male judicatum bene appellatum & sententiam eò reformandam quod appellati jus non habere dictam summam ex prædio Pantelitz prætendi sed depositio insistendi & quod desuper restat convenienti loco postulandum, prout eos eò remittimus & necessaria reservamus. Ratione reliquorum 6000. flor. benè judicatum male appellatum proinde ei inhærendum, attamen cum hac declaratione, quod Appellati sententiæ 4. Aprilis Anno 1623. publicatæ absque mora satisfacere teneantur, prout ipsis vigore illius incumbit, circa omnia & singula in specificatione 6. Novembris dicto anno exhibita, specificato puncto, quod ea Eggardi Dechowen debita & ex capitali soluta, similiter, quod ea quæ ex fidejussione descendant necessariò solvi debeant mediante productione originalium documentorum, quo illi se referunt, vel alia sufficientia adminicula de jure sustinere, propterea ex officio utrique pacti 5. Septembris prælixgimus & citationem ad Ulricum Dechowen, & univetsos creditores interessatos ut liquidationi interfint ad singula consequenter respondeant, & utrimque necessaria submittenda proferant decernimus, & Appellatis ut eam maturè extrahant & insinuari faciant sub pœna præcluſi injungimus & alterius in puncto deteriorationis ordinationem 13. Maji Anno 1656. factam renovamus & decretum mandatum ratione productionis Inventarii eò extendimus quod appellati simul in ducto termino illi sub pœnâ contumaciæ parere teneantur. Idque de jure.

Publicatum in summo Tribunali Wismariæ die 6. Julii, An. 1657.

(o)

DECI-

Digitized by Google

DECISIO IX.

Ob non petitam investituram vasallus non cadit feudo ipso jure sed per sententiam, prævia cognitione.

CUm Vasallus in possessione jurisdictionis, de qua majores ejus investiti erant, defendebatur, sed ea lege indicta ut justo modo investituræ renovationem à Domino peteret, id vero aliquandiu neglexisset, nomine Domini per protestationem fiebat declaratio, amissum jam esse feudum, seque imposterum vasallo suo nec possessionem permissurum, nec de ea causa quæ super feudo in judicio supererat responsurum, communicata est vasallo scripti copia. Quid vero circa processum fieri deberet, ultra consultatum & concluſum, ex hoc nondum quidquam mutandum, nedum deponendum esse. Cujus definitio oriebatur ex illa sententia quam feudali juri consonam. [1] ideo rectiorem [2] communiorem, [3] & in praxi receptam, [4] scivimus, ob non petitam investituram feudi amitti quidem, at non ipso jure, seu dolo facto vel neglectu, sed mediante causæ cognitione & insecuta demum sententia, [5] quandoquidem & nullo legum textu amissio feudi ipso jure vasallo non petenti irrogata reperitur & sic per Jus feudale statuitur atque observatur, quod ubi expressa ejus sanctione non reperitur ita pœna inflicta, ut ipso jure privatio fiat, non statim ad ademptionem feudi properandum, sed reum prius audiendum, causam cognoscendam, super ea pronunciandum esse. [6] *Juxta quod decretum in causa des Landgrafl. Amptmanns zum Lilienthal Hinrich Krögers, wvider Detloff von der Huden, die 8. Sept. Anno 1657.*

1. *Probatur hæc sententia ex c. 1. quo temp. mil. c. 1. de Feud. fin. culp. non amitt. sicuti istos textus explicat & applicat sapienter Rosenthal. de Feud. cap. 10. conclus. 41. num. 6. & seq.*

2. *Talem ab omnibus credi scribit Bursat. consil. 292. num. 3. vol 2.*

3. *Hoc attestantur quam plures, quos allegat & sequitur Rosenthal. dict. conclus. 41. num. 5. lit c.*

4. *Vincent. Hondedæ consult. 55. num. 95. vol. 1. In Camera Imperiali sic judicari & observari refert Gail. 2. Observ. 48. num. 10.*

5. *Ex Baldo in l. fin. in fin. C. de Revoc. Donat. tradit. Mynsing. 6. Observ. 77. num. 2.* hæc ttia omnino necessaria esse, ut deveniatur ex hac causa ad feudi privationem. Primo, ut dominus per neglectum vasalli contemptus & læsus voluntatem de pœna irroganda declaret: Secundo, ut apud judicem culpæ vasallum convincat. Tertio, ut super privatione sententia feratur.

6. *Isern. & Matth. de Afflict in c. 1. in pr. de Feud. fin. culp. non amitt. Zasius in Epit. feud. part. 10. n. 72.* Juxta illam generalem sententiam, juris communis, quod in irrogandis pœnis, etsi ipso jure in istas ineiditur, ordine judiciario & sententia opus esse, *quam omnia jura mundi sic observare refert Jason. in l. si quis major. num. 25. C. de Transact. & talem esse praxin in Germania scribit.*

DECISIO X.

Creditori hypothecaria agenti contra feudum oppignoratum excussionis exceptio à successore opponi non potest, aliis remediis vero huic consultum est.

QUando feuda æri alieno non aliter quam in subsidium, si allodia non sufficiunt obnoxia sunt, consequens est vasallo (1) successori de isto convento excussionis exceptionem competere, per quam semet contra actionem defendet eo usque, donec in hæreditate defuncti, unde ipsi satisfiat, non existere apparebit. (2) Cessat vero hoc ipsum ubi feudum consensu domini oppignoratum est. Tunc quippe vasallus exceptione ista contra creditores minimè gaudebit nec creditorem removebit: (3) tum quia pignus speciale ipsemet ideo accepit, quo inde si non solvitur, sibi satisfieri voluit: (4) tum quia tale alias excludit illam exceptionem excussionis; (5) tum quia non in personam, sed in rem actio est, nec tam vasallus quam feudum convenitur. (6) Etsi vero hæc qua creditorem, qui sibi pignore prospectum voluit, ita se habent; qua debitorem vero ejusque hæredes manet nexus ille subsidiarius, nec eo magis quod Principis ut domini feudi consensus accessit feudum oneratur, sed est isti jus ab hærede exigendi quod creditori solvendum. Ad quod duplici remedio ipsi consultum esse potest, tum ut re integra vel cum convenitur contra hæredes ad liberandum condictione ex statuto, aut si solvere coactus fuit ad refundendum solutum actione negotiorum gestorum experiatur. *Quod consideratum in causa Matthias Thun, contra viduam Stockmanns, die 5. Octobr. An. 1657.*

1. Privilegiis Pomeraniæ hoc circa feuda concessum est, ut æri alieno defuncti vasalli pro liberanda ejus fide sint obnoxia, at cum illa conditione, si non sit in allodiis vel hæreditate, unde satisfiat.

8. *Schrader. de Feud. part. 7. cap. 7. num. 42.*

3. Sic praxis fori nostri observat, ut oppignorato legaliter feudo contra illud hypothecaria agitur.

Digitized by Google

4. Quod in alicujus favorem & commodum est receptum, id in ipsius incommodum & onus detorqueri non debet. *l.6. C. de Legib.*

5. *Vid. Novell.* 112. *cap.*1.

6. Rei vindicationi non opponitur excussionis exceptio. *Natta consil.*370. *num.*5.

*Vid. de hoc Carpzov. in Jurisprud. Forens. lib.*2. *constit.* 46. *defin.*2.

PARS SEXTA.

DECISIO I.

Pendente lite super feudo Vasallus in possessione existens feudum recognoscere aliaque justa præstare tenetur.

POsteaquam in momentaneo possessorio pro Vasallo in lite super possessione intermixtam proprietatis causam habente pronuntiatum erat, isque se in ista defendi petebat, apparuit ex literis investituræ, quas ad acta exhibuerat, feudi eam conditionem esse, ut quoties casus petendi renovationem investituræ eveniret, recognosceretur, juxtimque literæ reversales domino feudi darentur. In considerationem itaque venit, an etiam ille, qui ex momentaneo possessorio saltem defendebatur, pendente super ordinario lite mandatum manutenentiæ impetrare deberet, antequam conditiones istas petendo renovationem & offerendo reversales præstaret? & conclusum fuit, omnino prius iis congrua esse facienda, aut ad minimum offerenda. Primo enim ea erat feudi conditio, quam servare debet, qui vasallus esse ejusque jure frui cupit. (1) Deinde quemadmodum qui in possessione pergit, utut tantum in momentanea, omni feudi jure uti frui vult, ita æquum quoque est ut annexa ei justa præstet. (2) Porro controversia inter dominum & vasallum super feudo minime suspendit aut differt debita feudalia seu efficit quin invicem feudorum justa non præstentur. (3) Accedit quod sine magno periculo omitti vel differri non possit. (4) Etsi enim vasallus deinde obtinuerit, dominus utetur exceptione ex non facta justo tempore recognitione. (5) Non obstabit quod dominus petitam renovationem sine dubio respuet, eamque tribuere pendente super possessione lite cum præjudicio suo conjunctum opinabitur. (6) Incertum quippe est, utrum repellet. Forte consultius putabitur, ut etiam cum protestatione vel reservatione litis admittat. (7) Quod si vero recusaverit, justius inde mandatum vasallus obtinebit & securius in possessione consistet. (8) *Ut pronuntiatum in causa des Landgræflichen Hessischen Amptmans zum Lilienthal contra Detloff von der Huden. Die* 8. *Januarii Anno* 1658.

1. Nexus feudalis est realis seu rei adhæret, ideoque transit ad unumquemque qui feudum tenet.

2. Naturale est ut res cum suis oneribus transeat *l. un. §. ne autem* 9. *C. de Rei uxor. ad action.* ideo qui rei commodo frui cupiunt, onera rei annexa recusare non queunt, *l. qui tutelam* 28. *ff. de Testam. tutel.*

3. Iniquum valde foret pendente lite vel sub ejus obtentu negare domino ea quæ citra omnem controversiam à possessore ipsi debentur. Obligatus ad aliquid faciendum non tantum potest sed etiam debet lite pendente idem præstare. *Lancellot. in tr. de Attentat. part.*2. *cap.*4. *limit.*11. *num.*20. *seq. ubi post Capic. decis.*16. *num.*6. id exemplificat in emphyteuta, cui recognitionis ratione vasallus æquiparari solet. Alia ratio est, quod lis pendens non suspendit actus consecutivos. *Lancellot. in d. cap.*4. *limitat.*5. *num.*4.

4. Est ex jure feudali non factæ justo tempore recognitionis pœna, privatio feudi. *cap.*1. *in pr. quo temp. miles invest. per cap. in pr. quæ sunt prim. caus. benefic. amittend.*

5. Æquissima Domini exceptio, quia me debite non honorasti, cum vasallus esse velles, merito nec honoro, ut dominus tuus sum. *Alvarot. in c.*1. *n.*17. *Quid sit investitur.*

6. Expedit in dubio eligere quod tutius *l.*1. *§. quæsitum* 9. *ff. quod Legat.*

7. Frequens est ea cautela atque observatio, ut incidente inter dominum & Vasallum controversia, ubi hic in possessione feudi est, non eo minus recipiatur ab eo recognitio & præstetur investitura. Seu autem in ipsa seu ante ipsam fiat protestatio de servando suo jure salvo & non præjudicando, nec ultra quidquam tribuendo quam de jure competit, uti tales clausulæ in decretis quibus ad petitionem investituræ promissio fit, hoc sæpius reperi & observavi.

8. Vasallum aut qui talis esse vult, non facile defendit judex antequam Domino justa exhibet, cur omnem honorem atque reverentiam pro beneficio debet, cessante isto officio cessit beneficium *C.*1. *§. sed non est alia* 2. *Feud.*24.

DECISIO II.

Vasallum possessorio contra dominum contendentem à possessione non excludit feloniæ exceptio.

POst alia tentata, ut qui olim de jurisdictione monasterii investitus erat, à possessione excluderetur, opposita tandem postquam momentaneam illam vasallus ex sententia obtinuerit, exceptio feloniæ. Ea quidem efficere potuit ut dominus lite super ista pendente investire

non

Digitized by Google

non teneretur, (1) minime autem ut è possessione vasallus dejiceretur, aut feudo uti non permitteretur. (2) Non privat feudo felonia nisi prius facta per sententiam declaratione. (3) Usque ad hanc pronuntiatam vasallus in possessione relinquitur atque defenditur, præsertim si illa dubia sit & vasallo possit exceptio competere. *Inter eosdem.*

1. Lis inter dominum & vasallum justa causa habetur differendi investituram.

2. Regula juris est, ut pendente lite, nemo possessionis commodo privetur *c. 1. ut lit. pend.* observanda etiam, ubi quis ex jure speciali possidet, *Ant. Gabriel. Commun. Conclus. lib. 5. tit. de possess. Conclus. 6. num. 4.* imo etsi sine omni jure. Idem ibid. *n. 2. Covarruv. Pract. quæst. cap. 17. num. 6.* nec est exceptus vasallus.

3. *Ita habet communis, & in praxi recepta JCtorum opinio, quam rationibus, declarationibus & allegationibus prolixe illustratam, vide apud Rosenthal. de Feud. cap. 10. Concl. 41. num. 1. num. 25. seq. num. 134.*

DECISIO III.

Vidua quæ jure retentionis feudum tenet successori feudali non tenetur ad litis expensas ex feudo.

QUod regulariter traditur, non magis quam ad arma, sic ad litis contra se sumptus adversario suo quemquam teneri, (1) ab eo nullibi excipitur vidua, quæ feudum detinet, aut successor feudi contra istam agens. (2) Etsi enim feudum ad ipsum pertinet successionis jure; vidua tamen ex fructibus nihil ipsi debet, quamdiu ob illata retinet, in quæ istos imputat. (3) Nec audiendus fuit quod obtenderet, se contra viduam agere in utilitatem creditorum. Præterquam enim quod de hoc non constabat, quin potius ex suo jure & ad suum commodum experiri acta docebant, non aliter debentur sumptus in illorum causam ex bonis, quam quatenus ea omnium creditorum simulque & viduæ est communis, (4) qualis est, quæ ad concursum promovendum tendit, (5) non quatenus ut singuli agunt contra viduam. (6) *Negabatur ideo quod rogatum decretum de suppeditandis sumptibus Arend von Kalden, contra viduam Balthasar von Kalden, die 26. Martii An. 1658.*

1. *l. Imperatores ib. Bald. ff. de tutel. & ration.*
2. *l. ab ea 5. pr. ff. de Probat.*
3. Vidua quamdiu jure retentionis ob dotem ceteraque illata in bonis mariti utitur, etiam fructus percipit & in alimenta sua vel in debita sibi imputat, *uti hoc praxis quotidiana confirmat.*
4. Communis causâ communibus sumptibus & oneribus agenda. *l. 1. & 2. ff. ad L. Rhod. de jact.*
5. Concursum creditorum ex bonis debitoris velut *juxta l. ait Prætor 6. sciendum 7. ff. quæ in fraud. cred.* communibus collatio sumptuum quos ejus expeditio requirit fieri solet.
6. Multum interest an universi agunt ut singuli, an ut universi *l. 2. & seq. quod cujusq; universit.*

DECISIO IV.

Concessio feudi primum vacaturi continet jus speciale ad omne quod postea vacare incipit.

MUltum interesse inter concessionem feudorum generalem & specialem, potiusque ex hac quam ex illa jus esse per Jura feudalia constat. (1) Etsi autem quæ fit de feudo primum vacaturo generalis est & incerta quamdiu nullum adhuc vacat: Ex quo autem aliquod vacare incipit specialis fit, ad certum illud feudum jus tribuens; (2) ut exspectatarius quoad illud feudum fundatam intentionem habeat: (3) ideo ut contra quemvis possessorem nisi doceat sibi jus potius esse audiri debeat. *In causa Prælati Marci ab Eichstedten contra locum tenentem Colonellum Detloff Siverd à Küglenfeldt die 20. Aprilis Anno 1658.*

1. *Vid. Rosenthal. de Feud. c. 4. concl. 9.* ubi ostendit hanc in casum mortis alicujus de jure communi non valere, tantum ex consuetudine vim accipere: illam autem quæ est de feudo primum vacaturo etiam ex isto defendi.
2. *Matth. de Afflict. in c. 1. num. 3. Qui succ. dar. Schurff. cons. 59. cent. 1. Mozz. de Furt. in tit. de substant. num. 55.*
3. Perinde ac si impleta conditione sub ea datum pure competat.

DECISIO V.

Qualis possessio posterius investitum facit prius investito potiorem.

QUod dicitur è duobus de eodem feudo investitis potiorem esse eum, qui possessionem prius adeptus fuit, etsi posterius sit in vestitus, (1) in lite uterque pro se allegabat, singuli possessionem & quod alter pro possessione allegabat nullius momenti esse obtendebant. Objecta causam dederunt expendendi, qualis possessio ad eam præferentiam obtinendam sufficeret, ut secundum illam de allegatis velut juxta normam judicaretur. Sic vero existimatum fuit, primo veram & realem possessionem esse debere,

Digitized by Google

per quam feudi usus fit obtentus. (2) Deinde requiri possessionem bonæ fidei, nempe non aliter scientis, quam se juste vasallum esse, ideo ignorantis jus alterius potius: (3) Quod cognitum facit possessionem malæ fidei & vitiosam, ideo nil profuturam. (4) Tertio necesse est, ut legitime si accepta, non vitiosa, (5) nec violenta, (6) alteri fraudulenter non præcepta. (7) Nec enim si quis cum videret alium velle feudum occupare ipse prævenire & præripere studuit, adversus alium potius vel par jus habentem prærogativa gaudere debet. Quarto exigitur, ut nondum sit litigiosa possessio; Si enim occupatio fit postquam lis movetur nihil aut occupanti prodesse aut alii hoc nocere debet. (8) Simile erit si post inhibitionem quis occupaverit. Quinto esto ea possessio quieta. Nam ubi occupanti statim fit controversia, jus possidendi non confert. (9) Tandem ut feudum acquirendi gratia possessio habeatur congruum est. Quod si ex alia causa in feudum quisquam venit & id ipsum detinet, ex eo non est jus anterius ad feudi acquisitionem. Et licet detentione priori quis ad istam defendendam uti velit, in alterius præjudicium audiendus non est, quia sibi possessionis causam mutare non potest, (10) *In eadem causa.*

1. Ita communis habet JCtorum opinio & praxi forensi servatur, quod in feudis etiam servatur. *l. quoties 15. C. de Rei vindicat.* & juxta eam ex duobus concessionem seu investituram de feudo impetrantibus notior sit prius nactus possessionem, etsi concessio alterius sit tempore anterior. *id quod vide latius approbatum apud Hartm. Pistor. quæst. 29. n. 14. & seq. part. 2.*

2. Non quæritur possessio nisi traditione reali, aut quod ejus loco habetur & instar apprehensionis habet. *l. 1. §. fin. ff. de Acquir. possess.*

3. *Hartm. Pistor. dict. quæst. 29. n. 28. part. 2. ubi scribit ob malam fidem licere primo investitorem à possessore malæ fidei feudum revocare.*

4. Ne cuiquam mala fides & fraus patrocinetur. *l. quoties 15. C. de rei vind. & ibi docent Salycet. Jason. num. 26. & alii Covarruv. var. resolut. cap. 19. num. 5. lib. 2.*

5. Possessio vitiosa nullum habuit, nec juris effectum nullum habet. *Gail. in tr. de Arrest. Observ. 1. num. 22.* sicut ex malo principio non potest duci legitima consequentia. *Cothmann. resp. 9. num. 180. seq. vol. 1.*

6. Violenta possessio tanquam vitiosa jus nullum possessori tribuere potest. *Roland. à Vall. consil. 13. num. 48 vol. 3.* ita nec in considerationem venit, *consil. 78. num. 15.*

7. Vulturia illa possessio vel præoccupatio nemini prodesse debet ut injusta, *quomodo plenius docet Gail. de arrest. dict. Observ. 1. n. 22. & Observ. 21. n. 13. seqq. Cothmann. dict. consil. 9. n. 181.*

8. Possessio lite pendente nec acquiri nec sine vitio attentati in alium transferri potest. *Fr. Marc. decis. 172. num. 3. part. 1. Lancellot. de Attent. part. 2. cap. 4. in præfat. num. 449.*

9. Turbida possessio instar violentæ habetur nec proficit in possessorio. *Klock. consil. 10. num. 712. vol. 1.* Quia pro acquirenda possessione requiritur pacifica & quieta. *Tiber. Decian. Resp. 54. n. 28. lib. 4.* qualis non est, quæ accipitur contradicente adversario, ideo nec talis acquisitionem possessionis admittit. *Crævett. consil. 400. n. 8.*

10. *l. 3. §. illud quoq; 19. ff. de Acquir. possess.*

DECISIO VI.

Successor feudi de gestis per tutores pupilli cui succeditur & per illos constitutum administratorem quantum ad fructus attinet rationes petere nequit.

SUccessionis feudi jus prius non incipit quam eveniente casu quo defertur successio. Ideo non est ipsi de aliis quam quæ post illum evenerunt aut ad jus suum pertinent actio. (1) Quare & cum tutores pupilli cui succeditur contractum quendam super separatione, conservatione & administratione feudi eo absente cum ejus sororio iniissent, collatisque triennii rationibus de reditibus & impensis transegissent, non visa fuit justa ratio hoc impugnandi, (2) aut in examen revocandi, (3) nedum ut feudi successori id liceret, (4) ad quem nihil ex fructibus feudi spectat, nisi ex quo succedere potest, sed si quæ contra tutores ea de causa actio erit, ad hæredes pertinebit. (5) Multo minus autem contra eum qui administrator fuit ejusve hæredes pro reddendis rationibus agere licebit. (6) *Sic judicatum in causa Vincentz Blüchern, contra viduam Obristi Andreas Ilenfelden rationes super feudo Daberkow concernentes. Die 24. Aprilis Anno 1658.*

1. Antea jus alienum est, de suo autem non alieno jure agere oportet. *l. uti frui 5. pr. ff. si usufruct. pet.*

2. Sine jure enim non agitur etsi interesse videatur *l. in hac 3. §. si mecum 11. ff. ad Exhibend.*

3. Pactione finita impugnare grave & criminosum est. *l. transactione 30. C. de Transact.*

4. Instaurari semel omissam querelam per successores ratio non sinit. *l. cum mota 6. C. de Transact.*

5. Ubi alia ex successione capit successor feudi alia hæres, ut bona distincta sunt, ita etiam distinguuntur jura atque actiones. *l. 1. §. 2. & seq. ff. de separat.*

6. Hic non obligatur successori feudi, cum quo nihil negotii gessit, sed eis saltem à quibus demandata est administratio.

DECI-

Digitized by Google

DECISIO VII.

Filiæ & viduæ dum in feudis retentionis jure utuntur quatenus quod in rem familiarem impendunt præcipuum habent & sine deductione accipiunt.

IN rationibus, quas filia in retentione feudi donec de dote satisfieret suo suarumque sororum nomine commorata reddidit, successor feudi impensas in ipsam & ipsius maritum factas detrahi aut in dotem imputari voluit, inde acris de talibus exorta disputatio est. Circa quam rationes sumus initio distinguendum inter impendia œconomiæ prædialis die Haußhaltung zu Verwaltung deß Guts & impensas sustentationis fœminæ ejusque mariti, citra prædii necessitatem was ausser dem auff die Frau und ihren Ehmann von den Nutzungen verwandt und abgerechnet. Priora sunt impendia & onera fructuum ideo à fructibus deducenda, (1) & ab iis sustinenda ad quos fructus feudi pertinent, seu quibus de his ratio est reddenda. (2) Etsi vero & ex istis quædam utilitas ad fœminam retentricem ejusve maritum quia in feudo commoratur pertingit, nihil tamen ei imputatur aut detrahitur, cum id per consequentiam saltem non principaliter fiat. (3) Si famuli, ancillæ, equi aliaque animalia rei rusticæ dedita serviunt usibus filiæ aut viduæ dummodo non harum causa habentur, sed ob istam, non ideo quidquam his imputatur. (4) Quæ sunt posterioris generis regulariter non sustinet feudum ejusque successor, præter id, quod filiæ vel viduæ debetur, sed his imputatur in creditum cujus gratia retinent, ideo in rationes referre tenentur. (5) Quoad filias refert an sint innuptæ an nuptæ. Illis donec de dote satisfiat alimenta debentur, (6) & quidem pro indigentia, ideo quidquid pro illis sumptum fructui decedit. His vero dotis usuræ præstari debent. (7) Quemadmodum etiam viduis nisi dum retinent ex feudo ali malint. (8) Præter istas nihil ultra jure petunt. Nec enim jus retentionis alium finem quam securitatem dotis seu crediti habet, aliud onus vasallo non infligit, nec sine lege aut consuetudine est infligendum. (9) Quod si præter istas aliud feudum sustineret duplex esset vasalli onus, quod iniquum foret. (10) Quocirca quæ retinent, feudum alterutro contentas esse oportet seu alimentis seu usuris, (11) nisi cum vasallus in mora solvendi est atque inde ultra usuras istarum interest justo tempore interea alimenta accepisse, (12) vel etiam si ipsæ & quibus nubunt mariti operas circa administrationem utiles præstant queis nisi præstitis aliis sustentatio & salarium præbendum fuisset. (13) De quo ex æquo judicis arbitrio statuendum est. *In causa Vincentii Blachern contra Colonelli Andreæ Ilenfelden Viduam rationes super feudo Daberkow.*

1. Quidquid impendii factum est procultura agri fructus hujus ipso jure imminuit. *l. quod in fructus 46. ff. de Usur.* ideo non debentur alteri nisi deductis prius impensis fructuum quærendorum conservandorumque gratia factis. *l. si à domino 36. §. fin. ff. de Petit. hered. l. fructus 7. §. impendia ff. solut. matrim. l. ult. ff. de Oper. libert.* nec casus ullus deductionem hanc potest impedire. *l. fundus 51. ff. Famil. erciſc.*

2. *Schrader. de Feud. part. 2. part. 3. princ. sect. 3. num. 25. Coler. de Proceſſ. Execut. part. 2. cap. 3. num. 304.*

3. Quæ in consequentiam & velut per accidens contingunt, etiam cum alterius incommodo valent, etsi alias non permissa. *l. 62. ff. de Acquir. rer. domin l. in modicis 24 ff de Contrab. empt.*

4. Spectatur quod principaliter fit, non quod ex hoc secus subsequitur. *l. 1. ff. de Auctor. tutor.*

5. Sunt istæ instar creditorum, quibus cum pignora tenent pro alimentis nihil debetur.

6. Dos non debetur ex feudo ante nuptias ideo nec usura, sed tantum aliquid pro alimentis.

7. Utrumque ita habetur in conclusis Pomeranicis super Nobilium privilegiis tit. 8. *conclus. 7.*

8. Filias & viduas dum pro suo consequendo feudum retinent, uti debere communis est JCtorum sententia *quam latius exponunt Negusant. de Pignor. 4. membr. 5. part. princip. n. 3. Moller. l. 4. Semeſtr. cap. 13. Coler. de Proceſſ. Executiv. part. 1. cap. 2. num. 230. ſeq.* At de eo casu loquuntur, cum vidua non accipit usuras, nec has simul ipsi attribuunt sed alimenta saltem ad horum modum, *ut Coler. d. l. loquitur.* Allegati textus ex quibus probatur illa *in l. pen. ff. ut in poſſ. legat. l. 1. §. mulier ff. de ventr. in poſſ. mitt. rend. l. quid ſi is 5. §. an autem 3. ff. de Carbon. edict.* ad illos casus pertinent, ubi non est repetitio sortis aut alias usuræ non debentur.

9. In dubio potius libertas tam feudi quam vasalli ab onere præsumenda *l. Arrianus 47. ff. de O. A.* imo ubi causa obligandi non apparet statuenda *l. 1. ff. de Condict. ſin. cauſ.*

10. *Contr. l. 2. §. 2. ff. ad Rhod. de Jact.*

11. Duæ lucrativæ causæ circa eandem personam aut rem concurrere non possunt. *§. fin. Inſt. de Leg. l. 16. l. 19. ff. de Oblig. & Action.*

12. Quod interest ex mora debetur. *l. mora 32. ff. de Usur.*

13. Qui operas præstat meretur alimenta, nec de suo semet alere sed ab eo cui prodest merito capere debet. *l. opera 21. l. impoſui 35. l. pen. §. 1. ff. de Oper. Libert.*

DECISIO VIII.

Advocatus filiæ vel viduæ, quæ durante hujus jure retentionis causas feudales egit, an salarium ex feudo capit?

CUm moritur vasallus, ejus advocatus qui feudales causas agit, salarium ideo pro-

Digitized by Google

promissum à successore tanquam onus feudi petit. (1) Secus se res habet in advocato filiæ vel viduæ, quando durante retentionis jure simul curavit ea quæ ad feudum pertinent. (2) Nec enim ut in priore specie is principaliter constitutus est ad causas feudales agendas, sed in usum filiæ aut viduæ, quæ si per ipsum quasdam utiles impensas feudorum causæ fecerint, est quidem repetitioni aut earum causa retentioni locus, (3) & potest etiam in hanc venire, quod advocato pro opera feudo præstita datum; (4) modo operatum necessitas vel utilitas ejus appareat, (5) sed non ultra, quam quod ex illa meritus est judicis arbitrio taxandum. (6) Deinde si successore non invito ea opera præstita sit. Cujus dissensus excludit actionem ex negotio gesto, (7) ut ipse vel ejus advocatus id facere voluerit. (8) Porro si etiam salarium ipsi ob illam causam feudalem præstitum fuerit, non si indefinite pro annuo meretur, qui oneribus causis promittentis patrocinatur ex accidenti tantum unam vel alteram feudum concernentem suscipit. Cui ut pro hac non est separata salarii non promissi petitio; (9) ita nec competit & cui operam præstat repetitio. Sustinet quippe filia vel vidua locum negotiorum gestoris, cui salarium non debetur (10) nec in aliud actio est quam quod alterius causa impendit. (11) *Sic judicatum in eadem causa.*

1. *Ita reperies decisum apud Carpzovium Jurisprud. forens. part. 2. constit. 46. defin. 30.*
2. Actio negotiorum gestorum directa competit ob impensas in alienam rem vel utilitatem factas. *l. 2. ff. de negot. gest.*
3. *l. in fundo. 38. ff. de rei vindic.*
4. Intelligitur qui advocatum alterius causa adhibet negotium hujus gerere eique eo nomine actio competit. *l. nam & Servius 21. §. fin. ff. de neg. gest.*
5. Necessitas vel utilitas gestionis præbet actionem. *l. sive 22. ff. de negot. gest. l. 2. C. eod.*
6. Non quod negotiorum gestor alteri pro salario promittit, sed quod utiliter fit in æstimatione & condemnatione circa actionem negotiorum gestorum venit. *l. si quis negotia 25. ff. de neg. gest.*
7. *l. fin. C. eod.*
8. *l. 2. C. eod.*
9. *l. qui mutuam 56. §. salarium 3. ff. mandat.*
10. *Mejer. in Coll. Argentin. lib. 3. tit. 5. thes. 42. n. 8.*
11. *l. 2. ff. de negot. gest.*

DECISIO IX.

Ex generali hypotheca feudorum præsentium & futurorum ubicunque sitorum non est hypothecaria actio ob illud, quod à domino qui consensit non recognoscitur.

QUia feuda sine domini consensu non debent pignori vel hypothecæ dari, (1) nec iis sit datis locus est actioni hypothecariæ. (2) Perinde autem est sive consensus ille non accesserit, seu cum accessit non potest effectum habere in feudo, (3) nempe quod res alio quam domino consentiente in feudum recognoscitur. (4) Ejus enim saltem est consensus à quo res in feudum accipitur. (5) Inutilis est quoad alia feuda nec juris effectum sortitur; ideo non auditur, qui querebatur rejectam hypothecariam à judice inferiore, ubi ex tenore obligationis aperte constabat illam nullam esse. (6) *Sic conclusum ad preces Secret. Gottfrid Michaëlis contra Vincenz Blüchern. Die 4. Maj. Anno 1658.*

1. *C. un. de prohib. alien. per Lothar.*
2. Hæc prærequirit pignus utiliter constitutum, *l. fin. Cod. de Pignor.* quod in re jus constituit ideo actionem in rem parere potest. Qualis est hypothecaria actio, *l. pignoris 18. C. eod.*
3. Patia sunt non esse vel non eo quo decet modo *l. quoties 8. ff. qui satisd. cog.*
4. Hujus non est potestas ultra ea feuda quæ concedit, *l. fin. ff. de Jurisdict.*
5. Ratio quare feudum non nisi cum consensu domini obligari vel alienari debet restringit consentiendi facultatem, ad eum qui concessit.
6. Sine actione nemo experiri potest. *l. si pupilli 6. §. fin. ff. de Negot. gest.*

DECISIO X.

Fructus feudi quando & qui sub generali hypotheca continentur.

SUb hypotheca aut continetur feudum aut vero non comprehenditur. Quæ hypotheca obligat feudum eadem etiam continet fructus feudi; (1) nec interest quis feudum possideat, an ipse debitor, an hæres, an tertius possessor. Transit enim feudum cum suo onere ad quemvis possessorem; (2) qui ut hypothecaria actione feudi convenitur, ita & ex fructibus feudi satisfacere creditori tenetur. (3) Quando autem feudum sub hypotheca non comprehenditur, vel quia feudorum nulla facta mentio; (4) vel quia etsi hæc facta consensus domini non accesserit, (5) tunc aut debitor ipse percipit ex feudo fructus aut alius, nempe successor, vel tertius possessor. Siquidem debitoris sunt, hypothecaria actione persequi licet, (6) quia non tantum præsentia bona, sed etiam futura complectitur generalis hypotheca. (7) Sunt enim fructus bonorum feudalium allodiales, (8) & cedunt in creditorum satisfactionem. Ubi autem feudum ad successorem, multo magis, si ex

Digitized by Google

si ex alienatione ad alium pervenit, tunc contra fructus feudi non est illa actio, qui non sunt defuncti vasalli sed successoris, (9) cujus bona nisi consentientis defuncto obligare non licet. Exinde cum contra feudi successorem ex generali bonorum obligatione actio hypothecaria instituteretur, non modo contra ipsum feudum sed nec contra fructus feudi locum habere pronuntiatum fuit. (10) *In causa viduæ D. Tarnovii contra Jochim Matthæum Thun. Die 12. Octobr. Anno 1658.*

1. Hypotheca rei complectitur pertinentias & accessoria. Re oppignorata oppignorati intelliguntur fructus rei. *l. si fundus 16. §. interdum 4. ff. de Pignorib. l. 3. C. in quib. caus. pign. vel hyp.*

2. *l. 11. C. de his qui in pot. cred. loc.*

3. *l. Paulus 29. §. 1. ff. de Pignor.*

4. Sub generali bonorum obligatione feuda non contineri certi juris est, & ita pronuntiatum hic fuisse ex decisionibus præcedentis anni constat.

5. Sine domini consensu non valet hypotheca in feudo qua successorem.

6. *d. l. 3. C. in quib. caus. pign. vel hyp.*

7. *l. & quamvis dum 15. pr. ff. de Pignor.* Generalis hypotheca regulariter non præsentia tantum sed & futura complectitur.

8. *cap. 1. An agnat. vel fil. ibid.* Feudistæ omnes in explicatione discernunt in hoc à feudo fructus, qui non sequuntur naturam feudi sed allodii jure censentur. *Mynsing. cent. 6. observ. ult. n. 3. seq. Curt. de Feud. 2. part. 3. part. princ. n. 74. Id quod Imperii Constitutionibus convenit.*

9. Utilitas ex feudo vasallo competens exspirat ejus morte tanquam ususfructus. *Vid. Gail. de Pac. Publ. lib. 2. Obsev. 17. num. 16.*

10. Fructus qui nunquam debitoris fuerunt non veniunt in actionem hypothecariam. *l. 1. §. prædium 2. ff. de Pignor.*

PARS SEPTIMA

DECISIO I.

Ad hypothecariam contra feudum sufficit subsecutus consensus Domini, quo ex feudo fiat solutio.

FEudorum hypothecam sine consensu domini non subsistere, ex certo feudorum jure constat, cui & consequens, generalem bonorum obligationem non complecti feudum. (1) Domini autem consensus non ille solum corroborat hypothecam, qui contractui seu credito cum contrahitur accedit, sed etiam qui subsequitur. Sufficit post contractum dominum consentire, ut ex feudo debiti fiat solutio. (2) Est ea ratificatio pro consensu, qui facit constitutionem hypothecæ. (3) Nec saltem obtinet, ubi id specialiter indulgetur unius vel alterius crediti gratia, sed & si feudum in alium transfertur, cum ea conditione, ut ex eo solvantur defuncti vel cedentis debita. Tali cessioni si Princeps consenserit, perinde est, ac si per illam obligationem feudi cum consensu domini hypotheca sit constituta. (4) Unde in tali specie non recte oppositam fuisse exceptionem ex generali hypotheca non competentis in feudum actionis conclusum est *in causa viduæ Philippi Horns contra hæredes Doctoris Henrici Sibrandem die 15. Martii Anno 1650.*

1. *Vid. de hoc prolixe apud Rosenth. de Feud. cap. 9. membr. 1. conclus. 13. num. 1. seq.* sententiam hanc in Tribunali Regio nos sequi ex aliis decisionibus anterioribus apparet.

2. *Rosenthal. dict. tract. cap. 9. membr. 1. conclus. 19. num. 9.*

3. Ratificatio etiam circa feudalia pro consensu est. *Schrader. de Feud. part. 7. cap. 2. n. 17.* Unde alienationem quamvis validam reddit *Rosenthal. de Feud. cap. 9. membr. 1. conclus. 28. n. 6.* ubi addit rationem, quod actus favore tertii nullus ratihabitione convalescit.

4. Quando ea formula, ut ex bonis debeatur vel solutio fiat inducit bonorum hypothecam, *uti patet ex Novell. 13.* utique consensus tali accedens eandem circa feuda corroborat. Sequitur quippe consensus naturam & conditionem actus cui accedit, *l. si stipulatus §. verum ff. de Usur. l. si vero ff. Locat. Camerar. in c. Imperialem p. 342. de Prohib. feud. alien. Hartm. Pistor. l. 2. part. 1. quæst. 12. num. 57.*

DECISIO II.

Si pecunia, pro qua feudum comparatur, allodialis manet, ad eam & ejus causa in feudum actioni hypothecariæ ex generali obligatione bonorum locus est.

QUod ex communi JCtorum sententia juri congrua dicimus, ex generali bonorum obligatione contra feuda hypothecaria non agi, sic quoque accipiendum est, nisi sit in feudo & ex feudo debetur quod non est feudale, seu feudi naturam non habet. (1) Exempli gratia. Qui feudum emerat ex singulari Principis gratia impetraverat, ut pecunia pretii loco soluta allodii naturam retineret, sit ut emptori vasallo de eo disponere, testari & donare fas esset, & ad quos feudum devenit hæredibus sui istius non capacibus reddere tenerentur. (2) Quod in sui suorumque hæredum favorem sic constitutum, eo ipsius creditores frui

Digitized by Google

oportet. (3) Quibus itaque bona omnia sunt obligata iis licebit hypothecaria experiri adversus pecuniam ex feudo debitam, consequenter hujus causa in feudum quod pro hac expresso consensu est obligatum. Constitutio hypothecæ bonorum collocat creditorem in locum debitoris, quâ jus quod in bona habuit. *Sic judicatum in causa eadem.*

1. Hoc allodii naturam habet atque retinet ideoque ut ad oppignorationem domini consensu opus non habet, ita sub generali hypotheca indubie continetur.

2. Regulariter & ex juris feudalis ratione pecunia, pro qua feudum comparatur non amplius manet pecunia, sed desinit esse ejus, qui solvit, ideo non habetur amplius ejus ratio, sed quod pro ea comparatum ex sua qualitate censetur, *de quo vide prolixe apud Cothman. respons.* 8. *num.* 4. *& seq. vol.* 1. At per gratiam seu indulgentiam feudi Domini contingit, ut emptori feudi ejusve hæredibus integra sit pecuniæ ex eodem recuperatio Uti hoc ævo talis concessionis plura exempla scimus. Potest ille feudo eam legem & tale onus imponere.

3. Creditores vicem hæredum habent, & omni jure debitoris in rebus ejus æri alieno obnoxiis fruuntur, ut quidquid in hæredes, idem etiam in creditores transitorium sit.

DECISIO III.

Quomodo ex generali hypotheca experiri licet.

CUm pronunciatum esset, defuncti liberos teneri aut solvere, aut vi generalis hypothecæ ex bonis tantundem tradere, atque pro solutione deficit, bona autem ab illius vidua & liberis diversi matrimonii possidebantur, non recte petitum & mandatum est viduæ soli, ut solveret. Præterquam quod non conveniebat sententiæ adversus liberos omnes conjunctim latæ, (1) non tenetur illa ex mariti debito, non actione personali, quia pro marito non obligatur, (2) nec ex actione in rem antequam actor declaraverit, quam hypothecæ loco persequi velit. Maxime necessaria est expressio rei ubi non tantum quis immissionem ut in pignus sed etiam ejus distractionem & inde solutionem intendit. In quam deinde actio seu pignoris persecutio erit. (3) Quocirca incumbit primo creditori eligere ex omnibus bonis, unde sibi tanquam ex pignore satisfactum velit, deinde in rem electam se petere immitti, seu sic eam persequi, uti per pignoris jus consuetum. (4) Porro oportet possessorem audiri, cum ex titulo suo ipsi forte aut potius jus aut beneficium excussionis competere possit. (5) Tandem ad distractionem pignoris venire. (6) Nulliter experitur, qui velit possessorem omnium aut partis bonorum sibi ad solutionem condemnari qui nihil ipsi debet, saltem ex possessione rei hypothecatæ obnoxius sit, habens quidem jus offerendi, attamen non obligatus ad solvendum, sed tantum ad rei oppignoratæ traditionem. (8) Nec tamen & ultra pro adjudicatione faciendum quàm ut creditori agenti satisfiat. (9) Visum inde eum, qui in illo aberraverat cessato processu incongruo ad talem processus ordinem remittendum esse *in causa Philippi Horns viduæ contra Doctoris Henrici Sibranden hæredes die* 15. *Martii An.* 1659.

1. Actio judicati est in eos qui sententia comprehenduntur.

2. *l.* 2. *tot. tit. C. ne ux. pro marit.*

3. Ex generali quidem hypotheca jus est ad omnia debitoris bona quæ ita comprehendit *l. fin. Cod. quæ res pign. obl.* At quando hypothecaria agitur non sufficit nuda generalis hypothecæ mentio, sed requiritur specialis, quæ quis persequatur, & avocare velit designatio, ut hoc actionis in rem requisitum est, *l. si in rem* 6. *ff. de Rei vindic.*

4. Actio hypothecaria in rem est *l. pignoris* 13. *C. de pignorib. & hypothec.*

5. *Neguzant. de Pignorib. part.* 8. *membr.* 2. *num.* 4.

6. *Juxt. l. fin. Cod. de jur. domin. imper.*

7. *l. de unoquoque ff. de Judic.*

8. Hæc venit in hypothecariam actionem quæ tendit ad rei obligatæ avocationem faciendam antequam devenitur ad adjudicationem *l. creditor pr. ff. qui potior. in pignor.*

9. *l. à Divo* 15. *§. quod si res* 5. *ff. de re judic. ubi vid. Bartol.*

Secundum hæc ita pronunciatum.

In Sachen deß Staathalters Philipp Horns Wittwen Curatoren Appellanten wider Doct. Henrici Sibrandes Erben Appellaten in puncto debiti, wird befunden / daß von Richter erster Instantz den 17. Junii Anno 1656. deß bemelten Staathalters Wittwe und Kinder die gesorderte 500. Gülden zu bezahlen / oder auß denen hypothecirten Gütern so viel abzutreten schuldig / wol gesprochen / und es dabey zu lassen / demnach deßwegen die Gravamina als unerheblich nicht / im übrigen aber dieselbige anzunehmen / übel procediret / und durch die abgelassene Mandata also wie geschehen / wider die Appellanten noch zur Zeit nicht verfahren sey / demnach Appellaten von dem libello copia, und ferner erkant wird / daß wann dieselbige ihre Hypothec zu prosequiren gemeynet / was sie abgetretten haben wolten / eigentlich zu specificiren / und als ihr Pfand rechtmässig zu verfolgen gebühret / darauff wann der Possessor vernommen / dem seine zustehende Exceptionen / so weit Rechtens hiedurch unbenommen / sondern alsdann vorzubringen vorbehalten bleiben / ergienge was recht ist / wegen der Zinsen aber wird Appellante von Gegentheils den

18. Octob.

Digitized by Google

18. Octobris nächstabgewichenen Jahres eingebrachten Schrifft Copia ertheilet / und in sechs Wochen darauff zu handeln aufferleget. Von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa locum tenentes Philippi Horns viduæ Curatoris Appellantis contra Doct. Henrici Sibrandes hæredes Appellatos in puncto debiti, reperimus à judice primæ instantiæ 17. Junii Anno 1656. quod dicti locum tenentis vidua & hæredes petitos 500. flor. solvere vel ex bonis hypothecatis tantum cedere teneantur bene judicatum & ei inhærendum. Inde propter gravamina male processum & peremanata mandata prout factum contra Appellantes adhuc dum non procedendum propterea Appellato copiam libelli & ulterius decernimus, quod, casu quo hypothecam prosequi intenderent, quid sibi cedi vellent, exacte specificare & tanquam eorum pignus debite persequi teneantur; Inde si possessor auditus, utpote ceu suæ competentes exceptiones & ut eas tunc præferat reservatum manet, fieret quod juris, ratione censuum vero Appellanti ex adverso 18. Octobris anno superiore exhibiti scripti copiam damus & ut in sex septimanis desuper agat injungimus. Idque de jure.

DECISIO IV.

Venditio feudi sine consensu Domini agnato facta sustinetur.

CUm quis feudum fratris filio vendidisset, non adhibito domini consensu, postea inter venditorem atque emptoris creditores super prioritate crediti in feudo lis exoriebatur, illis pretium residuum petentibus, dubitatio incidit, utrum hujus petitio justa esset, quod feudum sine domini consensu venditum esset, ideo emptio nulla putaretur. Etsi vero alias regulariter feudum sine isto vendi non potest, tamen venditio sustinetur facta in agnatum, qui sub prima investitura comprehenditur. (1) Ea enim potius refutatio feudi quam alienatio est, (2) quæ non eget domini consensu, cujus nihil interest dum feudum retinet una investitus. (3) *In causa Nicolai Wedige, Joannis & Valentini Horns creditorum die 22. Junii Anno 1659.*

1. *c. 1. de Feud. pater c. Titius filios ff de Feud. def.* In proximum agnatum sine consensu domini feudum licite alienari communis JCtorum sententia tenet, & fori Praxis observat.

2. *Rosenthal. de Feud. cap. 9. membr. 1. num. 10. seq*

3. Tota familia à primo acquirente descendens par jus & feudum habet, electa est à domino, & quisquis ejus est pro vasallo recipitur.

DECISIO V.

Consensus agnati in oppignorationem feudi ipsum non facit debitorem nec eum cujus credito consentit suum creditorem.

AGnatus, cui debebatur pecunia quædam ex feudo, consensit oppignorationi hujus alii in feudo vendito factæ. Utroque mortuo & excitato creditorum concursu, agnati consentientis creditores separatim ex eo, quod isti debitum credita petebant, ex eo anteriores creditoribus illius, qui postea feudum oppignoraverat, & cum deducto, quod priori agnato debitum, parum his super erat, is, cujus credito atque pignori ille consenserat, voluit inter illius creditores numerari, inde jure separationis atque prioritatis frui, (1) cui cum alii resisterent, decisum fuit, agnatum consentientem non fieri debitorem ejus, cujus gratia consensit. (2) Nec enim ea mens est consentientis, (3) præter quam nemo obligatur. (4) Consensus solus non obligat: additur pro securitate pignoris in feudo, quod sine eorum consensu, qui prima investitura continentur, & jus quæsitum habent, in præjudicium atque onus illorum oppignorari vel alienari nequit. (5) Pro illo fine tantum interpositus, haud potest operari aliud, nedum contrarium. (6) Non habet iste vim & effectum fidejussionis, nec est contractus vel quasi inter consentientem & creditorem alterius intercedens, sed licentia ad oppignorandum feudum agnato præstita. (7) Nec hæc porrigi potest ad inducendam quandam renuntiationem seu abdicationem potioris juris crediti. Qui enim consentit salvo jure suo consensisse, non autem jus pignoris remisisse, creditur. (8) *Ita pronuntiatum inter creditores Valentini Horns & Sophiam Lepels die 22. Junii Anno 1659.*

1. Sicut hypotheca in re vendita potior est omni alio pignore, ita creditores talem hypothecam habentes anteponuntur aliis debitoris creditoribus.

2. Non est valde diversa ratio domini feudi, & agnati in oppignorationem feudi consentientis. De illo sic putatur, consensum illius nihil obligationis qua debitum ipsum continere *uti prolixius demonstratum à Virgil. Pingitzer. quæst. 38. per tot.*

3. Animus obligandi constituit obligationem,

Digitized by Google

4. Plurimum inter se differunt, consentire atq; obligare. *gloss. in l.1. §. si ratum ff. quod juss. Bartol. in l. Lucius ff. de Admin. Tut.*

5. *c. un. de alien. feud. ib. Dd.*

6. Consensus ad unum effectum præstitus non debet alium operari *l. jubemus C. ad SCt. Vellejan. Bald. in c.1. An agn. vel. Vasall.*

7. Consensus ad autoritatem vel licentiam actui præstandum non obligat consentientem *l. Cajus ib. Castrens. de pignor. act. l. cum quadam Cod. de Administr. tut.* nec præjudicat ei in jure alias competente. *Vid. Tiraquell. de retract. lignag. tit.1. §.1. gloss. 9. num.139.*

8. *Arg. l. sicut. 8. §. non videtur 15. ff. quib. mod. pign. vel hypothec.*

Sententia ita sonuit.

In Sachen Claus von Horns Creditoren und Legatarien wird von eingebrachter der Commissarien relation in puncto liquidationis taxæ & distributionis copia, ferner auff die dabey zur decision außgesetzte puncta erkant / daß Sophia Lepels mit ihrer Forderung der 800. Gülden capital und davon fälligen Zinsen unter vorgedachte creditoren nicht / sondern unter Wedige Hanß von Horns Gläubiger gehörig und die Zahlung zu erwarten habe. Jacob Weschen Witwe aber auff abgestatteten Eyd / dero Strang an den 200. Thalern im Fall die prætendirte solutio inwendig 6. Wochen / so pro omni termino mittelst deß gerühmten / aber apud acta nicht befindlichen extracts oder sonsten nicht beygebracht würde zu befriedigen. Die auff die commission verwandte und designirte Kosten nach Abzug dessen so auff die vidimirung der Notarius angerechnet vorauß / nicht aber die übrige auff den process gerichtete Kosten als ad punctum rationum gehörig anzuschlagen / sonst die creditoren und legatarien wegen der taxa und distribution annoch zu hören / aber da sie etwas erhebliches vorzubringen hätten / damit inwendig 6. Wochen / so dazu peremptorie angesetzet / einzukommen schuldig seyn / darauff oder sonst in Verbleiben in contumaciam der Zutheilung und immission halber ergehet was sich gebühret. Von Rechtswegen.

(Hoc est.) In causa Nicolai ab Horns creditorum & legatariorum, exhibitæ Commissariorum relationis in puncto liquidationis, taxæ & distributionis copiam ulterius ad puncta ibidem decisioni expositæ decernimus quod Sophia Lepels cum suâ prætensione 800. florenorum capitalis & inde cedentibus censibus non inter dictos creditores sed inter creditores Wedige Joannis ab Horns pertineat & solutionem expectare teneatur. Jacobi Weschen viduæ vero ad præstitum juramentum quota in 200. thaleris casu quo prætensa solutio intra sex septimanas quæ pro omni termino indulgentur, mediante allegato sed apud acta non existente extracta vel aliàs non doceretur, solvenda, designati & ad Commissionem impensi sumptus post detractionem ejus quod ad vidimationem Notariorum computatum præ omnibus solvendi, cæteri vero ad processum directi sumptus utpote ad punctum rationum pertinentes computandi; alias creditores & legatarii ratione taxæ & distributionis adhuc audiendi, & si quidquam quod relevaret proferre possent, id intra sex septimanas quæ in eum finem peremptorie præfiguntur, producere tenentur, desuper vel aliàs in defectum in contumaciam ratione adjudicationis & immissionis fiet quod convenit. Idque de jure.

DECISIO VI.

Cessionarius non minus quam cedens fruitur jure hypothecæ in feudo cum domini consensu constitutæ, etsi in cessionem Dominus non consenserit.

MOta erat lis cessionario cui creditor cesserat nomen, pro quo feudum cum domini consensu oppignoratum fuerat, quasi is hypothecâ cum consensu domini alteri constituta ex cessione frui non posset, & quidem ex eo præsupposito, quod hypotheca sine novo domini consensu cedi non possit, uti eamultorum ex JCtis opinio est, (1) quam sequitur Saxonia suis legibus ita constituens. (2) Etsi vero negandum non sit, ex statuto vel consuetudine illud posse sic obtinere, attamen ubi nihil speciali jure introductum reperitur, per juris communis rationem concludendum est, & illam hypothecam cedi posse, & cessionarium ejus jure atque privilegiis perinde uti atque creditorem, cui primum hypotheca constituta fuit. (3) Nulla quippe lege aliqua juris communis feudalis à cessionum facultate exceptum est creditum, pro quo in hypothecam feudi consensit Dominus, sed ut illa per jus commune libera est, sic ex consuetudine etiam recepta. Plura cessionum exempla, nec unquam de iis controversiam motam, aut cessionario minus juris quam cedens habuit relictum reperi. (4) Nunquam apud nos alia, quam ita fieri posse, locum habuit opinio; quæ juris communis regulis convenit. Pignus pignori dari posse communis regula est. (5) Et ubi semel nexus rei injectus est, ille facile transit ad alium. (6) Non est cessio nova oppignoratio, sed prioris tantum translatio & effectus, (7) quæ virtute prioris subsistit. (8) Ita in cæteris observatur, ut quæ solennitatem ad sui

Digitized by Google

ſubſtantiam vel firmitatem requirunt, ea ſemel adhibita per ceſſionem tranſeunt, ut ejus renovatione vel iteratione opus non ſit. (9) Haud apparet diverſitatis ratio, quare ſemel cum conſenſu Domini conſtituta hypotheca, niſi hic de novo accedit, transferri non debeat, cum non alia nec nova conſtituenda ſit, ſed eadem durat. (10) Quam reddunt qui ſecus ſentiunt, domino ignoranti vel invito vaſallum vel ſubditum obtrudi non debere, (11) haud quadrat, ubi creditum tantum ceditur, ex quo non fit vaſallus aut ſubditus, ſed nudus creditor manet, cui ceditur nihil ex vaſallagio, quod penes vaſallum eſt & manet participans. Si deinde feudum oppignoratum vult diſtrahere, vel ſibi addici, ex quo alius fieri debet vaſallus, tunc mutato pignoris titulo demum ea ratio obtinet, & conſenſu Domini opus eſt. (12) Queis conſideratis non potuit non exiſtimari, fruſtra jus ceſſionarii impugnatum eſſe ab alio creditore, & abſurde ex ceſſione allegatam pignoris exſtinctionem. Quam ut dominus feudi poſtquam ſemel conſenſit objicere nequit, ita multo minus concreditor potuit. Et quidem in tali ſpecie, ubi obligationis in quam Dominus conſenſit inſtrumentum ſimul in ceſſionarium **gerruen Brieffen Einhaber** conceptum erat. *Cujus appellatio ex illo obtentu non fuit admiſſa, die 9. Septembris Anno 1659.*

1. *Ita omnes Saxoniæ JCti ſentiunt ſapientes, quod in illa terra lege publica conſtitutum. Vid. Rauchbar. part. 1. quæſt. 6. num. 29. Hartm. Piſtor. lib. 1. quæſt. 15. num. 44. & 48. Carpzov. reſponſ. Electoral. 36. per tot. lib. 5.*

2. Tam peculiari edicto quam judiciaria ordinatione ſic diſpoſitum in ea terra, *ut tenorem refert Carpzov. d. reſp. 36. num. 12. 13.*

3. Ceſſio jurium & actionum inter ea eſt quæ ſunt cuique libera, ideo utimur ea regula quod licita eſt, ubi non reperitur expreſſe prohibita, quemadmodum in licitis iſta utimur. *l. Prætor. 12. ib. Bartol. & Dd. ff. de judic.*

4. Ceſſionum infinita exempla in his & vicinis terris obſervavi, at nunquam neceſſitatem petendi conſenſum. Quod onus ut valde grave ſine expreſſa lege imponi aut introduci non debet.

5. *l. 1. C. ſi pign. dat.*

6. Res quæ ſemel prohibitionem exiit & facta eſt alienabilis, poſtea enim licite ſine venia alienatur. *l. pater 38. quindecim 5. ff. de Legat. 3. Tiraquell. de retract. proxim. §. 38. gloſſ. 1. num. 6.*

7. Circa hanc non opus eſt novo conſenſu, alias prior eſſet ſic inutilis, unde huc pertinet, quod dicimus, in executione actus non requiri eam ſolemnitatem quam deſiderat actus. *l. ſive verſ. ſed ut expediatur ff. de jur. dot. gloſſ. in l. 3. §. ſed utrum ff. de reb. eor. qui.*

8. Ex natura ſurrogationis ſecundus actus vi prioris ſubſiſtit, *l. boves §. hoc ſermone de V. ſignific. ib. Tiraquell. in comment.*

9. *Molina. ad Conſuet. Pariſ. tit. 2. §. 55. gloſſ. 1. num. 47. Afflict. deciſ. 232. num. 6. Boër. deciſ. 211. num. 21. arg. l. adeo 7. §. videtur ff. de acquir. rer. domin. l. filio in fin. pr. ff. de Lib. & poſthum.* Cujus exempla plura habet jurisprudentia. Sic res eccleſiaſtica cum ſolennitate debita oppignorata ſine ea diſtrahi poteſt. Res minorum cum decreto pignori data in ſolutum ſine eo datur vel diſtrahitur. *l. ſi pupillos §. ſi pupillis ff. de reb. eor. l. 1. C. de Prad. Min. Simoncell. de Decret. lib. 2. tit. 5. num. 38. & 42. ubi eam ſententiam veriorem atque communiorem eſſe ſcribit.* Sic executiva omnia ſine iis requiſitis quæ initio requirunt tranſeunt. *Tiraq: de retract. lignag. §. 26. gloſſ. 1. num. 60. Coler. de Proceſſ. Executiv. part. 2. cap. 2. num. 28. ſeq.*

10. Ex perſona ſucceſſorum nihil mutatur, ex priori obligatione *l. 2. §. ex hoc ff. de V. O.*

11. Hæc potiſſima & unica fere, & quam ſupra allegati & alii tradunt, ex qua contrarium ſentiunt.

12. Ex hoc conſenſu conceſſum eſt jus cedendi, ſine quo non poteſt valere, quod habetur de ceſſionario. *Arg. l. 2. ff. de jurisd.*

DECISIO VII.

Feudum etſi pro debito ſine domini conſenſu non obligari, tamen retineri poteſt.

QUi in fundo feudali erat, denegabat ſub obtentu debiti ſolvendi reſtitutionem atque retentionis jure ſemet tuebatur. Dubium autem movebatur, an huic in feudo locus ſit, quod niſi cum conſenſu domini obligari non poſſet. Secus autem viſum eſt, nempe feudum utut pro eo non obligatum pro credito juſte retineri, (1) nec ab obligatione ad retentionem valere argumentum negativum, (2) quod facilius longe competat retentio quam actio (3) & quæ non licet obligare permittitur retinere. (4) Nec quæ eſt ratio prohibitæ ſine conſenſu domini oppignorationis tanquam alienationis ſpecici ſimilis eſt in retentione quæ in re juris nihil tribuit ſed ſaltem ſecuritatis illæſo domini jure remedium eſt, nec acquirit ſed conſervat: (5) Minus dubii hæc res habet in Pomerania, ubi feuda in ſubſidium debitis ſunt obnoxia, ideo facilius donec iſta ſolvuntur retinentur. *Sicut retentio contra feudi ſucceſſorem relicta eſt, donec ſatisfaceret, aut ſibi illud non incumbere oſtenderet die 1. Decembris Anno 1659.*

1. *Matth. de Afflict. de Feud. in rubr. de Vaſall. qui contr. conſtit. Lothar. num. 4. Molinæt. de jur. retent. quæſt. 167.*

Digitized by Google

2. Retentioni locus est ubi pignus non valet *l. si pupillorum* §. *fin. ff. de rebus eor. qui sub tut. ib. gloss.*

3. *c. intelleximus de judic. c. cum inter de Except. Sim. de Prat. Interpret. ult. volunt. lib. 5. dub. 3. interp. 2. num. 119.*

4 *L. 1. ff. de Pignor. l. 1 C. si res alien. pign.*

5. Favorabilius est jus retinendi quam acquirendi *l. per retentionem C. de Usur. l. 2. ib. Bald. C. de Fideicommiss.* Facilius quid conservatur, quam quæritur *l. patre 8. ff. de his qui sunt sui l. 1. §. cajum. ff. de Postul.*

PARS OCTAVA

DECISIO I.

Mora successoris feudi non liberat viduas, filias, aut sorores à rationibus reddendis.

ONus reddendarum rationum quod viduis aliisque pro dote bona retinentibus incumbit, (1) ex morâ successoris feudi non desinit nec declinari potest. (2) Est ob istam jus agendi atque ad solutionem compellendi, interea etiam usuras vel alimenta fœminæ retentrices capiunt, at ut non administrent bona, & rationes reddant, non est certo aliquo jure remissum. Generaliter cautum & consuetum est, ut, dum creditores bona debitorum detinent, teneatur ad rationes de fructibus perceptis, (3) quos in creditum computant. Non exstat lex, quæ istas exceperit aut more exceptionis effectum tribuerit. (4) Ratio repugnat, ut aliena tenentes & administrantes à rationibus sint exempti ideo, quod non præstantur debita, (5) quod esset in ista liberam grassandi facultatem permittere (6) & cum alterius incommodo detinentes locupletare. *Sic judicatum in causa Vincent. Blüchern, contra viduam Andreæ Ilenfelden die 27. April. Anno* 1660.

1. Juri retentionis in bonis alienis connexum esse onus administrationis atque rationum, alibi expositum est.

2. In conclusis Pomeranicis, quæ Stetinienſia à loco ubi conscripta sunt tit 8. concl. 8. ab autoribus eorum sic quidem existimatum est, debitum rationum desinere ex mora. At consiliarii Ducis Pomeraniæ, qui Wolgasti residebat in suis animadversionibus id in citeriori Pomerania non observari annotarunt. Sicut etiam in eo articulo ista non esse recepta constat.

3. Etiam ii, qui ob moram & contumaciam missi sunt in bona debitoris, ad rationes tenentur *l. prætor ait 9. ff. de reb. Autor. jud. possid.*

4. Standum est regulæ donec doceatur de exceptione *l. ab ea 5. ff de Probat. l. 1. ibi Dd ff. de R. j.*

5. Nunquam ita rationibus fierent obnoxiæ cum non teneant, nisi ubi in solvendo mora.

6. Omnes rei alienæ detentores tenentur ad inventarium & rationes.

DECISIO II.

Rei in feudum ab omni onere liberæ concessio in dubio non comprehendit immunitatem à tributis

EXemptio rei aut personæ ab oneribus publicis tanquam odiosa quia reipublicæ detrimentosa & aliis onerosa est, nunquam præsumitur, sed probanda est. (1) Omnisque alia potius capitur interpretatio concessionis, investituræ, privilegii, quam ut immunitatem vel exemptionem ab oneribus provincialium communibus acquirendam porrigatur. (2) Quæ ut in aliorum incommodum à Principe facile concedi non debet, nec concessa nisi ex gravissima causa aliter quam ut ipsi exempti portio decedat, valet. (3) Ita nec concessa intelligitur. (4) Quando itaque Princeps alicui bona in feudum dedit antea tributis provincialibus obnoxia, etsi investitura dicit, quod ea libera ab omni onere haberi debeat, frey von aller Last und Beschweren non adsumendus est, ubi nulla tributorum aut aliorum munerum publicorum mentio expressim adjicitur, is intellectus, quasi ab his immunitas sit indulta. (5) Dubia quippe in tali clausula est concedentis voluntas & verborum significatio, quare eo minime trahenda, unde Reipubl. decrementum aut aliis onus exorietur. Exhibita itaque tali investitura, non putavimus satis fundatam esse intentionem ejus qui exemptionem obtendit, ideoque justiorem esse hanc impugnantium appellationem. De quo eo minus dubii superfuit quod immunitatem allegans post illam investituram de bonis infeudatis collectam per multos annos solvisse dicebatur. (6) *Quod consideratum in causa der Haupt-Leute und Eingesessenen des Landes Kedinges Butzflischen Theils contra den Land-Rath Georg Marschallen die 1. May Anno* 1660.

1. *Gail. 1. Observ. 21. n. 4. & n. 11. Rosenthal. de Feudis cap. 5. concluſ. 4. n. 1.*

2. *Schurff. consil. 23 num. 24. Centur. 3.*

3. *Cravetta consil. 871. n. 8. Wesenb. consil. 45. n. 4.*

4. *Capit. cum personal. de privileg. in 6. Pacian. de probat. lib. 2. cap. 29. n. 9.*

5. Alibi inter decisa nostra demonstratum est verba illa concessionum vel contractuum non continere exemptionem à tributis.

6. Hoc

Digitized by Google

6. Hoc contrarium allegatæ immunitati, adeo ut licet illa competierit, tamen solutione tanquam renunciatione amittatur, de quo *vid. Klock. de Contrib. cap.16. num.199. seq.* Quanto unius qui solvit obtinuisse præsumetur.

DECISIO III.

In feudum datio & acceptio non liberat bona paganica seu illibrata à contributionum onere.

QUod vulgo dicitur: Vasallos de feudis contribuere non teneri, cum de iis servitia Dominis præstent, ne duplici onere graventur, (1) minime eo porrigi potest, ut concessio vel acceptio in feudum à contributione liberet bona paganica seu allibrata tributis jam obnoxia. (2) Sicut enim hæc empta ab iis, qui aliàs ab oneribus immunes sunt, non perveniunt ad eam immunitatem, qua alia istorum bona gaudent. (3) Ita nec quæ in feudum accepta. (4) Impedit illam immunitatem tum jus Reipubl. (5) tum jus cæterorum subditorum, quibus ex aliquorum exemptione onus gravius reddi iniquum est. (6) Ideo cum illam ex ea causa impugnant, & aut tolli, aut vero partem quam immunes debent, Domino decedere, sibi non accedere rogant, tanquam æquâ intentione nixi (7) merito audiuntur. *Ut conclusum in eadem causa.*

1. *Tiraquell. de Nobil. cap.20. n.166. Modest. Pistor. consil.9. n.46. vol.2.*

2. Non valet immunitatis vel exemptionis concessio, licet à summo Principe facta, quatenus tendit in præjudicium seu incommodum aliorum.

3. *Vid. Modest. Pistor. dict. cons.9. n.47. Cravett. cons.642. n.4. Jason. consil.83. vol.3. Faber. in Cod. lib.9. tit.49. def.4. & 14.*

4. Intendatio non potest aut universitati & Civibus jus demere, aut alteri amplius quam concedens habuit, attribuere. *Knichen de vestit. pact. cap.3. num.9.* Non potest melioris conditionis esse successor quam auctor *l.156. §. plerumq; ff. de Rel.*

5. Ex facto Principis jus universitatis deterius reddi non debet argum. *l. non debet 74. ff. de R. J.* cum illius valde interfit plures esse qui onera ferunt, nec compendia publica minui vel coanguştari.

6. Iniquum est alium pro alio exigi *Novell.54. c.1.* privilegium uni concessum redundare in alterius injuriam *l. cum filius ff. de Test. milit. l. nec avus C. de emancipat. lib. Georg. de Cabed. decis.65. n.6.*

7. Sic communiter existimatur *Petr. Frider. de Mandat. c.45. num.14. Fr. Marc. decis.437. n.8. Festas de Æstimo part.4. c.3. n.41. & seq. & cap.5. num.39.*

DECISIO IV.

Ex catastro nec non solutione tributorum per longum tempus contra immunitatem fundata est intentio.

ETsi quis à tributis aliisque oneribus immunitatem largissimis clausulis impetrasset, ea tamen uti non potest si vel hac posthabita bona sua allibrari seu in catastrum & registrum contributionum in **Steur-Register** tanquam onere adfecta adscribi patitur, (1) vel si per longissimum tempus tributa de rebus solverit. (2) In utraque specie videtur facta renunciatio immunitatis (3) & cum id incerta immunitate sic obtineat, quanto magis, ubi cum factum tum jus ejus dubium & controversum est, id sufficere poterit ad non permittendam immunitatem, ideo quæ isti innixa fuerunt appellationis gravamina admittere, & diligentius deinde causæ merita & momenta discutere placuit. *In eadem causa.*

1. Per catastrationem inducitur ad onera obligatio personalis & realis *l.4. C. de agric. & Censit. Thomat. in tr. de munerib. §. exactis num.36. & seq. Gail.2. obs.52. n.24.* Ideo qui se suaque bona catastrari patitur, se debitorem facit, & immunitatem abdicare intelligitur. *Grev. pract. concl.60. consid.6. n.2. lib.2. Menoch.6. præsumpt. 41. num.4. Tib. Decian. respons.41. n.100. vol.2.* Quandoquidem hic actus immunitati plane contrarius illam abolet seu cum illa non consistit. *Carl. Tap. in Tr. de privil. part.2. c.2. n.1. & seq.*

2. Solutio tributorum sola quidem in futurum non abolet immunitatis privilegium: si tamen accedat longissimum tempus & intra illud continuatur, tunc abdicationis effectum habet, uti discutit & docet *Klock. de contr. cap.16. num.199. & 214.*

3. Actus privilegio contrarii inducunt renunciationem privilegii *cap. si de terra c. accidentibus X. de privileg.*

DECISIO V.

Fœmina quando in feudis cum pacto de retrovendendo emptis non succedunt.

APpellatione proposita querebatur appellans, feudum quod avus cum pacto de retrovendendo emerat, creditoribus avuncli sui totum addici, cum tamen matri suæ dimidium pretii pro quo emptum erat, aut etiam ipsius partem sibi deberi putaret, innixus communi JCtorum & rationabili sententiæ, in feudis ita cum pacto retrovendendo emptis etiam

Digitized by Google

etiam fœminas hæredes succedere, (1) tanquam conditione sua feudis pignoratitiis (2) in quibus successionem fœminarum etiam esse tralatitiam; (3) veritatem ut ille narrabat factum & ex annexo instrumento emptionis apparebat sic omnia comparata reperiebantur ut allegato jure appellans frui non posset, sed ab eo excepta videretur ea species. Hoc enim expresse sic sonabat, quod avus pro se & descendentibus masculis, für sich und seine männliche Leibes-Erben feudum illud comparaverat, mentione filiorum aut hæredum simpliciter nulla facta. Unde erat manifesta mens & destinatio Emptoris, quod feudum tantum deberet esse masculinum & successionis masculinæ, quæ fœminas excludit. (4) Deinde inter narrata erat filium emptoris, qui fuit frater matris appellantis post mortem patris feudum retinuisse nec hanc in successionem veniisse, sed dote datæ elocatam esse, quæ doris datio ex feudis juxta consuetudinem feudorum est tum quasi repensatio ejus quod filiabus pro successione competit, tum quædam hujus abdicatio uti talis plerumque etiam exprimi solet. (5) Nec alio loco habetur ac si pro petitione, quæ filiarum in successione bonorum futura erat, data fuerit. (6) Iis etiam hoc consequens erat, quod fœminæ semel exclusæ semper maneant exclusæ, uti ex jure feudorum regulariter traditur: (7) Accedebat etiam hoc inter facti circumstantias, quod appellans debitori avunculo suo succedere non poterat qui filium reliquerat, cujus solius erat illa successio. (8) *Hu consideratis denegati sunt processu tanquam appellantis intentione non fundata ad preces Dubschlaff von Eichsteden die* 14. *Julii. Anno* 1660.

1. Quam sententiam pluribus approbatam vide apud *Rauchbar. quæst.* 38. *per tot.*

2. Inter contractum pignoratitium & pactum retrovenditionis non multa differentiæ reputatur, & cum hoc contracta emptio pro pignore habetur, uti pluribus explicat *Menoch. lib.* 3. *de præsumpt.* 119. *per tot. Molinæus de Usur. num.* 267. *& seq.*

3. *Vid. Schrader de Feud. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 26. *& seq.*

4. Limitatur superior sententia in eo casu quando aliquis feudum pro se & masculis hæredibus cum pacto retrovenditionis acquirit, uti etiam limitationem adjicit *Rauchbar. dict. quæst.* 37. *num.* 31.

5. Cum olim nobiles Pomeraniæ sua bona quæ erant allodialia in feudum à Principibus exemplo vicinorum recognoscere voluerunt, ex privilegio iis vicissim concessum est, ut filiabus & sororibus ex feudo loco portionis hæreditariæ quamdiu non nuberat congrua alimenta, deinde dos certa pro quantitate ejus statuenda, darentur, illa contenta esse debent, nec quicquam juris in feudis ultra habent. Quando itaque matri dos ex feudis data, & quidem etiam eo quod patet cum pacto revenditionis emerat, utique nihil ultra exigere potest, partem suam habet, cum pro ea accepit, quod lex provincialis concedit.

6. Idem ideo bis exigere non licuit.

7. *Schrader. de feud. part.* 7. *cap.* 4. *num.* 83. *Vers. quod primo. Vultejus de feud. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 51.

8. Erat in hac specie non amplius de successione patris à quo feudum sorore acquiescente ad filium fratrem suum pervenerat, sed de successione fratris, cujus proximi successores descendentes collateralem excludunt *Novell.* 118. *cap.* 1.

DECISIO VI.

Hypotheca cum consensu domini in feudo constituta alteri sine novo consensu cedi potest & cessionarius jure prioris creditoris fruitur.

IN discussione quæstionum super prioritate creditorum lis ab Advocato movebatur ei, cui creditor cesserat debitum & cum eo hypothecam, quam parens ejus in feudo cum domini consensu obtinuerat, tanquam si inter chirographarios locandus esset qui non posset illam hypothecam habere, nisi accedente circa cessionem novo domini consensu. Nec deerant ipsi allegationes. (1) In nostro foro non potuimus non illam oppositionem frivolam & ineptam reputare, certi, quod in Pomerania ad cessionem crediti & cum eo hypothecæ in feudo cum consensu domini constitutæ alius hujus consensus non requiritur, validaque est & omne jus quod creditor habuit in personam & ad feudum transfert non requisito novo consensu. (2) Uti per infinita & quotidiana exempla usus constat. Nec existimandum est singulari exemplo sic fieri. Juri communi idem convenit, dum nihil ejus prohibet. (3) Nihil non est cessibile quod ad hæredes transmissibile est. (4) Non enim consensus in personam additur, sed in rem & hypothecam, quæ rem adficit & oneri donec solutio fit subjicit, (5) nisi restrictive seu taxative personæ certe gratia iste additus, idque expresse, sine cedendi facultas, adempta fuit. (6) Non congruit argumentum ab alienatione feudi ad oppignorationem. (7) Nam ut per illam vasallus

Digitized by Google

sallus mutatur, nec invito vel ignoranti alius obtrudi debet, justum non est, cum in unum alienationi consensus accessit ex eo in alium istam fieri. At per hypothecam non subit Vasallus alius, sed qui oppignoravit, manet, cessionarius illam qualitatem non assumit, & licet hic hypothecaria egerit, tamen feudum nisi ei qui capax & cui consenserit dominus distrahere nequit, manifesta est diversitatis ratio. Qui aliter sentiunt ex jure vel consuetudine locali ita scribunt, (8) quod extra locum, à quo receptum, contra juris communis rationem extendendum non est. Rejecimus ideo disputationem super eo quod nobis ex praxi certum indubiumque erat *in concursu creditorum Claus Horns, die 24. Augusti Anno 1660.*

1. *Hog. illustr. quæst. 5. num. 28. part. 2. Rauchbar. part. 1. quæst. 6. num. 29. Carpzov. Resp. 36. num. 5. lib. 5.*

2. Hoc ut semper certam observantiam habuit non vocandum in controversiam.

3. Per jus commune & ex eo liberum est rei jurisque sui arbitrium. *l. in re mandata 21. C. mandati.* Cuique licitum est cedere in alium quod sui juris est, nisi quatenus lege vel consuetudine non est prohibitum. Cujusmodi prohibitio in illo nulla reperitur, nec locali seu provinciali lege ulla est introductum.

4. *l. ex pluribus 24. ibi glass. & Dd. ff. administr. tutor*

5. Quando Dominus oppignorationi feudi consensum addit, non hoc cogitat & intendit ut saltem ei, cujus nomen exprimitur, illud sit oppignoratum, sed ut pro credito contracto obnoxium fiat.

6. Aliquando consensui additur ei declaratio quod personam excedere non debet. Sicut etiam aliquando excipi solet quod in obligatione de cessionario seu portatori Briefs Eintz haber continetur: cujusmodi adjectionibus aliud dicitur.

7. Hoc argumentum decipit eos qui contrarium sentiunt. Incongruum tamen & à diversis plane, quorum diversa ratio, sumtum.

8 Saxonis JCti sunt apud quos contrarium legitur, qui juxta patriæ suæ mores ita scribunt.

PARS NONA.

DECISIO UNICA.

Dominus feudi uti propria autoritate feudum sibi apertum occupare, etiam alium immittere potest.

DOmini feudi qua occupationem ejus cum post extinctam progeniem masculam aperitur, fundata est intentio tam ex jure communi quam consuetudinario, ideo post illam factam non audienda est querela vel appellatio, nisi vel potius quoddam jus quod occupationi obsistere valet, allegetur, (1) vel ei juri quod alius quisquam circa feudum habet ex alio non injusto titulo præjudicium inferretur. (2) Quod si vero nemo adhuc reperitur qui aliquod jus quidem in feudo habet etiamsi ejus causa possidet, sicubi occupatio illi præjudicium vel incommodum non infert, appellans vel querelam movens non erit audiendus, sed ita temperandum jus Domini quo non noceat alii veluti si quisquam crediti jure feudum tenet, sicut ei minime obstat vel impedimento est jus Domini, qui non sine eo integro occupat, ita etiam ille occupationem appellando impugnans non aliter audiendus, quam si insigne præjudicium verisimiliter allegat. Quod autem qua Dominum consideratur, idem etiam in eo obtinet quem Dominus ex concessione feudi vacantis immittit (3) uti decretum die 16. Aug. Anno 1662.

1. Justitia ita suum cuique tribuit, ut non distrahatur ab ullius justiore petitione *l. 31. ff. depos.*

2. *Vide decis. 235. p. 5.*

3. Par est Domini feudi & ejus qui ab eo habet conditio.

Ad librum septimum, titulum septuagesimum secundum.

De bonis autoritate judicis possidendis seu vendundis, & separationibus bonorum.

DECISIO ULTIMA.

Pendente concursu creditor possidens defendandus, aliis vero possessio nisi ubi fit jurium & bonorum discussio auditis ceteris non concedenda est.

VIduæ quæ jure retentionis usa, eo vero non abdicato cum debitore de creditis suis pacta erat post excitatum ad hoc concursum adeoque factam bonorum cessionem restituenda erat retentio, ideo bonorum possessio (1) quæ sub conditione solutionis ad debitorem translata, hac cessante ad ipsam redire debuit. (2) cum autem alii creditores tanquam privilegiati olim immissi aut alias hypothecam habentes pendente concursu per provisionalem adjudicationem idem rogarent, nō obtinuerunt, (3) sed ipsorum petitiones ad sententiam super liquidatione & prioritatis remissæ, atque ita sepositiæ fuerunt. (4) ratio quippe diversitatis est inter illos, qui sub initiis concursus possessionem vel retentionem habuerunt, seu ipsimet tenuerint, seu ipsorum nomine aut sub conditione cum non solvitur restituens debitor id quod idem est (5) & inter eos qui non possident. Illos enim uti possident vel tenent, sic pendente discussionis instantia possi-

Digitized by Google

dere vel tenere convenit (6) hos vero immittere nisi auditis omnibus his quorum interest non decet (7) sed tantum curare ut inter creditores causa communis celeri sententia terminetur. (8) *ita judicatum in causa intervenientium Creditorum Valentini ab Eichsteden contra viduam Joachimi Eichsteden die 8. Januarij Anno* 1661.

1. Non debuit debitor crediteris sui conditionem cedendo ex bonis quod ipsius est, reddere deteriorem.

2. Desinente conditione desinit & in pristinum statum redit sub ea conventum.

3. Pendente concursus instantia non debet fieri adjudicatio talis *V. Fab. in lib. 7. tit. 32. def. 10.*

4. Pendente concursu creditorum ut communi lite nihil innovandum est *l. 1. C. ut pendent. lit.*

5. Perinde est an quis ipse a nejus nomine alius possideat *l. quod meo 18. ff. de acquir. possess.*

6. *l. 1. ff uti possid.*

7. *l. de unoquoque 97. ff. de re jud. l. 39. ff. de dol. mal.*

8. Ad judicis officium præcipue pertinet curare, ut lites cito terminentur *l. cum quidam 21. ff. de reb. cred.* cui non convenit quod intricat magis & auget lites, uti hoc proficiscitur ex particularibus adjudicationibus.

Ad librum octavum, titulum trigesimum primum.

Si unus ex pluribus hæredibus creditoris vel debitoris partem suam debiti solverit vel acceperit.

DECISIO ULTIMA.

Exceptio: non sum solus hæres, seu citentur omnes hæredes non attenditur in actione hypothecaria.

PErsonali quidem actione in solidum contra unum hæredum experiri non licet, cum res aliorum inter plures hæredes ipso jure dividatur, nec quisquam eorum ultra quam pro rata teneatur. (1) hypothecaria autem, quæ in rem est, (2) atque possessorem ejus sequitur (3) contra unum hæredum recte intentatur, si pignus possidet (4) nec auditur opponens exceptionem, se non esse solum hæredem quandoquidem non ut hæres sed ut possessor convenitur. (5) ubi judex istam admiserit, actioni hypothecariæ maximum præjudicium affert, & appellans meritò auditur, *ut factum ad supplicationem Immanuelis Eichlern contra Joannem Brandstedten die 4. Decembris Anno* 1659.

1. *l. 1. C. si vit. pet.*
2. *l. pignoris 18. C. de pignor.*
3. *l. 21. ff. eod.*
4. *Per text. express. in l. 2. C. de hared. alien.*
5. Actiones in rem sequuntur possessorem *l. officium 9. de rei vindic.*

Ad librum octavum, titulum quadragesimum primum.

De fidejussoribus & mandatoribus.

DECISIO ULTIMA.

Fidejussori contra fidejussorem actio non in solidum competit, sed quantum sua detracta portione, & post id, quod alterius confidejussoris inopia causa communiter sustinendum supereſt.

FIdejussori solidum solventi à creditore quidem cedenda est in solidum contra confidejussores actio (1) at non potest in solidum exerceri, sed spectatur primò, quomodo obligentur fidejussores, & si illis beneficium divisionis supereſt eo nomine non nisi pro virili parte contra confidejussorem experiri licet. (2) non attento quod solidum solverit, (3) vel cessionem in idem impetraverit. (4) ubi autem ab illo beneficio fidejussores jam sunt exclusi, latius quidem agendi jus ex cessione est, non tamen in solidum, sed detrahenda est portio virilis, (5) quam de suo fidejussor sustinet, ideo non repetit. Deinde si etiam confidejussorum unus & alter non solvendo redditus sit cum cæteris qui solvit istius onus sustineri ideo quod ex communi onere ipsi ferendum detrahere debet (6) *ita judicatum in pluribus casibus.*

1. *Bartol. in l. Modestinus num. 10. ff. de solut.* quale est jus creditoris, tale cedendum solventi fidejussori *l. 2. C. de fidejuss.*

2. quæ exceptio obstat creditori eadem obstat solventi fidejussori qui ex ejus jure experitur *Franc. de fidejuss. q. 5. num. 495. Hartm. pistor. part. 1. quæst. 48. n. 13. & seq.*

3. Ex sua inscitia qui imperite & plus quam debuit, solvit, non habet quis actionem.

4. Cessio quidem in solidum à creditore fieri potest & debet, sed non exactio ultra debitum, *uti explicat Hering. de fidejuss. cap. 27. p. 5. n. 13.*

5. *Arg. l. si plures ff. adminiſt. tut. Franch. d. cap. 5. n. 490. & seqq. Kopp. illust. quæst. 51. n. 8. & seq. Hartm. pistor d. q. 98. n. 5. & seq.* cujus hanc rationem adducit, quod ejus, quod quis proprio nomine solvit, actio cedenda non sit, aut cessa inutilis, hodie an res caret dubio, ubi praxis talis est notorie nec controversa.

6. Cum fidejussorum unus solvendo non sit, deficientis portionem cæteri qui solvendo sunt, ex æquo in viriles sustinent, ideo & cum hæc, cui cessa est actio oppositia de eo exceptio istam ideo minuit *l. verum §. si cum tres ff. pro socio l. plures ff. adminiſt. tut. Cravet. decis 87. n. 1. & seq. Hering. de fidejuss. c. 27. p. 3. n. 36.*

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM ET VERBORUM,

Quæ in Jurisdictione Summi Tribunalis continentur.

Prior numerus partem, secundus decisionem, tertius numerum priorum editionum, Literæ vero L. librum, T. titulum. D. decisionem. F. feuda in fine hujus operis posita. p. partem. Di decisionem cum suo numero designant; numeris allegationum manentibus. Servit hic index quoque prioribus editionibus.

A.

ABdicatio ab officio non justè infertur ex cessatione muneris, VII.333.num.1. L.4.T.19.d.81.
non facilè statuenda nec admittenda,n.5.ibid.
non præsumitur sed alia potius causa, I.90.n. 11. L.7.T.33. d.4.
retentionis generalis non continet eam, quæ ex jure tertii aut causa creditoris oritur, VII. 364. L.2. T.3. d.17.
generalis expressa ad tacitam extendi nequit, VIII.19.n.7. L.7. T.39. d.10.
Abdicationis liberorum prioris matrimonii quis effectus, VI. 232. L.2. T.3. d.16.
ad Abdicationem juris quando longissimum tempus requiritur, VII. 256. n.3.4. L.4. T.9. d.75.
Abesse non intelligitur, qui revertendi animum habet, VII.33.n.4. L.10. T.25. d.5.
Ante abitum procuratorem constituere jussus, sed negligens, ex causa absentiæ non est restituendus in integrum, VIII.244. num.1.2. L.2. T.54. d.12.
Abiturus peregrè cogi potest, ut Procuratorem constituat, III.220. L.2. T.13. d.23.
Abscessus qui pendere teneantur, II. 160. n.7. vid. Detract. L.10. T.39. d.2.
Absentia necessaria legalem excusationem habet, II.369.n.3. L.3.T.11. d.12. & d.49.
contra, Absentes ad bannum proceditur I.3.n.8. L.9. T.4. d.4.
Absentibus & non vocatis non potest inferri præjudicium, I.39.n.3. L.6. T.30. d.39.
Absens potest relegari, III. 190.num.6. L.9. T.4. d.10.
à quolibet recte defenditur, I.91. n.4. L. 7. T.65. d.104.
Absentis (bona fide) jura manent integra, III. 220.n.7. L.2. T.13. d.23.
bonis curator datur arbitrio judicis, II.61. n. 9. L.7. T.72. d.17.
Absentem defendere cuique licet sine mandato, I. 216.n.12. L.7. T.62. d.66.
agere autem pro eo regulariter non licet IV. 361. L.2. T.13. d.29.
per absentiam læsum in integrum restitui posse indubium est, VI.321.L.2.T.2.d.37.
Absentium non habetur ratio in actibus collegialibus modo duæ partes ex tribus adsint, VII. 140.n.3. L.1. T.56. d.2.
Absens ad juramentum per alium non facile admittitur, VII.382.n.5.9. L.2. T.13. d.40.
Absentia non diuturna quandoque attenditur, VIII. 413.n.7,8. L.4. T.20. d.41.
Absolvi ab instantia & actione quantum differt, VII.258.n.4. L.4. T.19. d.77.
Abstentio facti est & ab allegante probanda, II. 142.n.3. L.4.T.10. d.3.
non proficit nisi re integra fiat & actu, II.143. L.4. T.10. d.4.
non proficit, qui malo more bona hæreditaria attingunt, II.142.n.5. L.4. T.10. d.3.
non facit desinere hæredem, II.143. n.1. L. 4. T.10. d.4.
extra judicium hodie fieri potest, ib.n.5.
ad injuriam cujusquam extendi non debet, n.9. ibid.
protestatione nuda de non immiscendo non probatur, ibid.
re ipsa fieri debet, ib. n.11.
Abstentionem non probat negatio se esse hæredem si bona retinet, nec constat de alio quam hæreditario titulo, III. 100. n. 5. E. 6. T.31. d.3.
Abstinere hæreditate patris per tutorem adita pupilli sui juris facti possunt citra restitutionem in integrum, VI.29. L.2. T.41.d.1.
est actus voluntarius, VIII.60.n.1.L.6.T.36.d.1.
Abstinens pro hærede non habetur, II. 143. n 2. L.4. T. 10. d.4.
Abstinentes liberi verbo tantum, non facto, pro hæredibus habentur, III. 100. L.6. T.31. d.3.
Abusus non facit cessare usum, I.259. n. 23. L.7. T. 65. d. 139.
juris meretur privationem, II. 107. n.5. L.4. T.19. d.35. II.157. n.5.7. L.11. T.14. d.13. III.38. n.1. L.T.eod. d.14.
Acceptatio promissionis potest fieri ex intervallo, II.141. L.4. T.10. d.3.

non saltem verbis, sed etiam re, factis & nutu fit, ib. num. 2.
Accessiones rerum sunt & res sequuntur, II. 196. num. 3. L. 3. T. 32. d. 2.
Accessio modus acquirendi est, II. 227. n. 5. L. 8. T. 27. d. 8.
Accessorium sequitur naturam principalis, IV. 106. n. 9. L. 11. T. 1. d. Unica.
corruit sublato principali, I. 154. n. 7. L. 7. T. 65. d. 120.
Accisiis onerare non licet frumenta ad sationem comparata, VII. 121. L. 4. T. 61. d. 5.
Accisiæ seu datiæ quando inferiori civitati jus est, VII. 158. L. 1. T. 56. d. 3.
species vectigalium sunt, ibid. n. 2. 3. ibid.
Accisias instituere aut augere sine consensu Principis non licet, ib. n. 3.
ab Accisiis nemo est immunis nisi immunitatem legitime quæsitam doceat, III. 157. n. 1. L. 4. T. 61. d. 1.
Accusandi necessitas nec non justa accusandi ratio à condemnatione expensarum liberat, IV. 231. L. 7. T. 51. d. 33.
Accusatio nemini nocet antequam convictus, I. 187. n. 2. L. 9. T. 65. d. 103.
Accusator de expensis & de damnis conveniri potest, licet absolutoria eorum non meminerit, III. 293. L. 7. T. 51. d. 26. L. 7. T. 61. d. 68.
Actæ primæ instantiæ clausa & consignata edantur, non tamen, si aliter eveniat, editio vitiatur, I. 255. L. 7. T. 62. d. 68.
integra edenda in appellationis instantia, II. 62. L. 7. T. 62. d. 73.
quando pro integris habenda, VI. 271. L. 7. T. 62. d. 7.
sunt vehiculum ad veritatem, II. 146. n. 6. L. 2. T. 1. d. 10.
inquisitionis an & quando Inquisitis edenda priusquam ad articulos inquisitionales responderit, VI. 53. L. 3. T. 1. d. 71.
si deperdita, quid faciendum, II. 69. V. 74. L. 2. T. 1. d. 9. & d. 37.
quis reproducat post mutatum judicium, II. 146. n. 6. L. 2. T. 1. d. 10.
Acta ab appellantibus ad judicem superiorem deferenda, II. 146. n. 4. L. 2. T. 1. d. 10.
ea sunt edenda pro appellatione quæ prioris sunt instantiæ, II. 204. n. 2. L. 8. T. 26. d. 2.
faciunt notorium, VII. 81. n. 3. 337. n. 4. 5. IV. 286. num. 1. L. 7. T. 65. d. 24. L. 7. T. 62. d. 118.
alia quam super quibus judex à quo pronunciavit, si appellans ad cognoscenda sua gravamina, antequam de revelantia pronuncietur, edi cupiat, non auditur, II. 204. L. 8. T. 26. d. 2.
potius sequi oportet, quam quod ex silentio saltem præsumitur, VII. 337. n. 2. 3. L. 7. T. 59. d. 5.
si quid dicunt, etsi à parte non allegatum sit, tamen judex id attendere debet, præsertim si partes ad ista acta se referunt, VII. 155. L. 2. T. 11. d. 2.
interdum etiam citra appellationem inferius judicium superiori edere tenetur, cum iis etiam in alia causa pro veritate indaganda opus est, VII. num. 185. L. 2. T. 1. d. 27.
hæreditaria à quo exhibenda & quibus sumtibus redimenda, VI. 235. L. 3. T. 2. d. 3.
alia ac ejus causæ in qua appellatum est, edi per compulsoriales mandari non possunt, & actione opus est, III. 322. L. 2. T. 1. d. 11.
inquisitis quando edenda, II. 321. n. 7. 8. L. 7. T. 65. d. 162.
originalia ad cognoscendum an processus decernendi, judex superior requirere potest, III. 2. L. T. eod. d. 171. si vero judex inferior mittere recuset, processus decernendi, ibid.
ut moderato pretio edantur judex superior mandare potest, II. 78. L. 7. T. 62. d. 74.
falsa nec fidem nec robur habent, VII. 178. n. 6. L. 4. T. 22. d. 1.
ex quo valent non est voluntatis privatæ sed potestatis publicæ, ibid. n. 11.
judicis propria & partium differunt, VII. 198. n. 2. L. 9. T. 42. d. Unica.
originalia judicio sunt affecta & non tradenda partibus, ibid. n. 3.
concludenda & sigillis munienda quo nemini inspiciendi copia fiat, n. 5. ibid.
judicialia partibus regulariter non debent edi, VII. 384. n. 2. 3. L. 3. T. 1. d. 104.
publica non mutant conditionem actus qui istis inseritur, VI. 334. L. 8. T. 57. d. 4.
judicialia primæ instantiæ judici à quo ex causa reddi possunt, VII. 384. L. 3. T. 1. d. 104.
si ex decreto judicis ad consilium Ctorum transmittuntur sumptus utriusque partis communes sunt, VIII. 221. L. 3. T. 2. d. 6.
ob amissa de novo actionem instituere non injungitur, nisi prius explorato annon ista aliunde comportari queant, VII. 394. L. 2. T. 1. d. 30.
judicialia non aboleantur ex nudo partium desiderio, VII. 193. L. 9. T. 42. d. Unica.
cum appellatum, regulariter descripta edun-/ tur, nonnunqnam transmittuntur, IV. 367. L. 7. T. 6. d. 125.
complete edita præsumuntur, nec nisi defectu edocto de supplendis mandatum decernitur, V. 138. L. 7. T. 64. d. 5.
ad priora submissio recipitur at remotis quæ præter illa sunt deducta gravamina, VIII. 201. n. 1. L. 3. T. 1. d. 107.
ad judicialia nihil admittendum, super quib non audiuntur partes, quarum ista sunt, ibid. n. 3. ibid.
sunt ubi judex est, VII. 179. n. 2. L. 8. T. 18. d. 56.
apud Acta quæ constituuntur, in his Magistratus & judex testium vice est, VII. 178. n. 16. L. 4. T. 22. d. 1.
fieri & actis insinuari differunt, VI. 333. n. 5. L. 8. T. 57. d. 3.
geri dicuntur, quæ coram judice extra locum judicii fiunt, sed non nisi in iis, quæ voluntariæ non contentiosæ sunt jurisdictionis, VII. 179. n. 3 4. 5. 6. L. 8. T. 18. d. 56.
Actorum mancorum, vel in secunda instantia non plene editorum obtentus non proficit ad impetrandam restitutionem, IV. 191. L. 2. T. 54. d. 4.
rubrica causæ non præjudicat, sed ut ab actore primum ponitur ita retinetur, IV. 406. L. 1. T. 1. d. 18.
separatio apud judicem à quo potest appellationem recte petitur & impetratur quatenus concernunt causæ merita, I. 151. L. 7. T. 63. d. 10.

non

Digitized by Google

non integra editio processum facit nullum, II. 62. num. 1. L. 7. T. 62. d. 73.
editionis cura non partibus, sed judici incumbit, II. 146. n. 3. L. 2. T. 1. d. 40.
copia non est deneganda partibus, ib. n. 5. ibid.
judicialium abolitio non est nudo partium desiderio tribuenda, VII. 193. n. 4. L. 9. T. 42. d. Unica.
transmissio cujus sumptibus fieri debet, VIII. 221. n. 1. 2. 4. L. 3. T. 2. d. 6.
descriptio per immediatos sumptus fieri non debet, II. 7. n. 6. L. 7. T. 62. d. 74.
defectu allegato quomodo procedendum, V. 71. L. 7. T. 62. d. 42.
inter alios editio non deneganda, si interesse appareat, V. 304. L. 3. T. 13. d. 7.
ad JCtos extraneos transmissionis abusus est coercendus, V. 359. L. 6. T. 30. d. 34.
copiam judex denegare non potest, II. 146. L. T. 1. d. 10.
transmissionem judex ex officio decernere, pars quoque petere, nec tum judex denegare potest, III. 40. L. 3. T. 1. d. 52.
transmissio ubi lege jubetur, nullius omittitur & pronunciatur, III. 231. L. 7. T. 45. d. 16.
editorum defectus qui arcendi, VI. 108. P. p. 6. d. 3.
editio per judicem à quo sumptibus consuetis facienda est, VI. 91. L. 2. T. 1. d. 20.
priori instantiæ relegatio & publicatio quomodo in Tribunali fieri solet, IV. 191. n. 1. L. 2. T. 54. d. 4.
post Actorum transmissionem decretam judicis pronunciatio est nulla, III. 68. limit. 3. L. T. 13. d. 6.
Actis transmittendis quas literas judex addere possit, III. 40. L. 3. T. 1. d. 52.
semel additum non potest invita parte tolli, A veri vel reddi, V. 217. L. 4. T. 20. d. 3.
nihil addendum de quo parti non constat, II. 204. n. 4. L. 8. T. 26. d. 2.
pro Actis judicialibus est præsumptio, I. 129. n. 5. A. L. 4. T. 19. d. 28.
coram Actis gesta plenum robur & fidem habent, II. 207. L. 3. T. 1. d. 30.
Actio quænam instituta sit, cognoscitur ex conclusione & petitione. atque in dubio ea intentata censetur, quæ actori utilior, & propositio magis congruat, III. 207. n. 28. L. 4. T. 39. d. 6.
alteri ex contractu, alterius non quæritur, II. 91. n. 13. L. 2. T. 19. d. 3.
in factum non habet locum, ubi ordinaria competit actio, I. 144. n. 4. L. 7. T. 14. d. 25.
ante damnationem inchoata post eam impleri potest, I. 187. n. 3. L. 8. T. 1. d. Unic.
ei competit cujus contemplatione negotium gestum est, II. 95. n. 5. L. 2. T. 19. d. 3.
negotiorum gestorum datur pro eo qui solvendi modo utiliter solutio sit facta, II. 178. n. 7. L. 4. T. 31. d. 7.
personalis mortem rei extinguitur, 136. n. 1.
personalis est ex debito personali & sequitur forum domicilii, VII. 403. n. 1. nisi ad ea causa quæ alibi facit forum competens, n. 2. L. 3. T. 13. d. 121.
realis sequitur rem, ibid. num. 3. & instituitur ubi res sita est licet reus alibi reperiatur, VI. 316. L. 3. T. 19. d. 1. II. 172. n. 1. & 2. T. 41. d. 7.
quando mutari potest, VII. 403. n. 3. L. 8. T. 32. d. 3.
in rem etiam de re mobili instituenda ubi res reperitur, IV. 74. L. 3. T. 19. d. 2.
annis est quam debitoris inopia excludit, VI. 410. n. 2. L. 5. T. 37. d. 5.
Actionis forma non sollicite quærenda si proposito negotio convenientem eam esse constat, I. 37. n. 7. L. 6. T. 30. d. 57.
Actionis personalis electio ad hypothecariam non præcludit aditum, VIII. 189. L. 4. T. 10. d. 9.
genus incptum licet sit electum, non tamen rejiciendæ & justa alias petitio, nisi & hæc plane inepta sit, VIII. 134. L. 2. T. 1. d. 34.
Actioni locus non est ex eo, quod quis semel impugnavit, VIII. 210. n. 4. L. 3. T. 2. d. 16.
Actio non est ubi nullum debitum, III. 63. n. 7. L. 10. T. 41. d. 9.
ad præstandam satisdationem nascitur & contentione, III. 75. n. 3. L. 2. T. 57. d. 14.
Actiones singulæ singulis controversiis sufficiunt, I. 144. n. 5. L. 7. T. 14. d. 25.
circa actionem multum interest utrum damnum quis faciat, an lucro uti prohibeat, VIII. 233. n. 1. L. 8. T. 12. d. 4.
Actiones ad amissionem tendunt ad vindictam, VII. 64. n. 3. L. 5. T. 4. d. 5.
personales omnes triginta annis exspirant, VII. 172. num. 1. L. 7. T. 39. d. 1.
personales à debitore ejusque hærede non præscribuntur, VIII. 219. n. 1. 5. L. 7. T. 39.
mandatæ dicuntur non tantum expresse, sed etiam tacita voluntate per actum qui nisi illo facto, non potest habere effectum, VIII. 446. L. 4. T. 35. d. 34.
ex delictis quæ ad restitutionem tendunt, ad hæredes transeunt, VI. 316. n. 3. L. 4. T. 10. d. 7.
pœnales, quæ ad pecuniariam condemnationem tendunt, quando hæredibus dantur & contra hæredes, VI. 316. n. 5. L. 4. T. 10. d. 7.
Actionem ex facto alterius tertius non habet, nisi actionis cessio facta sit, VIII. 272. L. 3. T. 8. d. 36. & T. 13. d. 135.
Actio in rem contra defunctum vel omnes hæredes recepta contra unum qui possidet peragitur, VII. 404. n. 3. L. 8. T. 32. d. 4.
Actionem non habet, nisi ex justa causa interest, I. 111. num. 14. L. 9. T. 4. d. 4.
Actio non potest dividi nec in plures partes distingui, quando cum uno res est, I. 113. n. 9. L. 3. T. 40. d. 3.
Actiones reales, quales etiam sunt ex debito, quod non persona, sed res debet possessorem sequuntur, II. 178. n. 1. L. 4. T. 3. d. 2.
in Actione personali non consideratur possessio, sed obligatio, I. 115. n. 4. L. 8. T. 32. d. 7.
Actione alibi agi potest de eodem credito, at executio, nisi per subsidiarie capti non potest, VI. 397. L. 7. T. 51. d. 4.
Actione cadet, qui à sua parte non implevit, VII. 8. 251. n. 62. L. 4. T. 19. d. 51.
ex Actione in rem condemnatio non est dirigenda in personam, sed rem, VIII. 422. n. 9. &c. L. 4. T. 66. d. 4.
Actionum divisio in hæredes fit ipso jure, I. 114. n. 1. F. p. 6. d. 3.
actionem optimam est eam & ejus possessorem sequi, VII. 222. n. 4. 7. L. 4. T. 65. d. 68.

Digitized by Google

electio ad alias excludit regressum, II. 45. n. 3. L. 8. T. 6. d. 6.
reservatio in sententia cauta fit, V. 94. L. 7. T. 65. d. 53.
cumulatio quando locum habet, ita & una electa altera non expiret, II. 45. n. 10. 11. L. 8. T. 6. d. 6. VII. 579. L. 3. T. 40. d. 8. n. 2. 3.
mandatum à delegatione & cessione differt, VI. 3. n. 4. L. 2. T. 42. d. 15.
Actor in explicando Rei, ut hic in excipiendo ipsi vices gerit & ne huic exceptio alterius indaginis non proficit, ita nec isti talis replica, IV. 347. n. 6. L. 1. T. 62. d. 124.
contra plures instituens actionem in eadem lite contra singulos non est audiendus. VI. 92. L. 3. T. 40. d. 5.
certus esse debet antequam reus teneatur respondere, III. 25. L. 4. T. 64. d. 2.
certus de veritate ad judicium venit, nec ad eam inquirendam, & de quo postea acturus est testes examinari petere non potest, I. 49. n. 7. L. 7. T. 65. d. 90.
ne plures pro uno nanciscatur adversarios cavendum, I. 113. n. 9. L. 3. T. 40. d. 3.
cautione quæ superveniens non onerandus, II. 26. L. 2. T. 57. d. 10.
de prosequendis lite & refundendis expensis ob reconventionem cavere debet, ibid. n. 1. 2. ibid.
forum eligit si reus plures habet judices, nisi pacto vel privilegio reo electio competat, III. 20. n. 1. 2. L. 3. T. 13. d. 53.
reo instrumenta edere per mandatum sine clausula juberi potest, III. 322. n. 3. L. 2. T. 1. d. 11.
nihil probans an juramentum deferre possit reusque jurare cogendus sit, VI. 405. n. 4. L. 4. T. 1. d. 38.
licet nihil probaverit, reus tamen juramentum litis decisorium præstare tenetur, VI. 405. ibid.
Actore invito alius pro alio judicium subire nequit, II. 370. n. 4. L. 8. T. 41. d. 13.
non probante reus est absolvendus, IV. 376. n. 1. L. 4. T. 19. d. 56.
Actori pro instruenda sua intentione tertii interrogatio in aliorum præjudicium non decernenda, III. 38. L. 2. T. 1. d. 12.
incumbit probare causam debendi, II. 22. n. 18. L. 4. T. 30. d. 1.
de Actoris jure prius constare debet, quam de rei exceptione ejusque viribus cognosci potest, VIII. 36. n. 3. L. 4. T. 19. d. 85.
Actoris à lite desistentis quæ pœna, VIII. 67. n. 1. L. 7. T. 51. d. 2.
loco est in interdicto uti possideris, qui prius ad judicium provocavit, VIII. 449. n. 1. L. 8. T. 6. d. 23.
nihil Actum quamdiu aliquid agendum restat, I. 19. n. 10. L. 8. T. 18. d. 1.
Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, II. 76. n. 2. VII. 49. n. 2. L. 8. T. 43. d. 72.
censura prima est ex natura illius, VII. 11. L. 8. T. 41. d. 19.
qui tam ad se quam ad alium pertinere potest censetur communi nomine gestus, VII. 109. n. 4. L. 8. T. 41. d. 17.
ad solennitatem testes nihil faciunt si nesciunt quid agitur, VII. 178. num. 5. L. 4. T. 22. d. 1.
Actus meræ facultatis non adimunt libertatem; nec tribuunt alteri jus, I. 60. n. 1. 4. & L. 7. T. 31. d. 15.
meræ facultatis quando non præscribuntur, II. 9. 4. 7. 267. 5. n. 3. 68. L. 4. T. 59. d. 3.
Actus nullus non convalidatur fide actorum, VI. 334. n. 2. L. 8. T. 57. d. 4.
citata at absente parte peractus non est nullus, VI. n. 321. L. 2. T. 2. d. 57.
in facere & pati consistentes quomodo differunt, II. 178. n. 3. L. 7. T. 65. d. 151.
violenti ut ut manifeste injusti in præjudicium vel detrimentum alicujus non faciunt possessionem, VIII. 97. n. 1. 2. 3. L. 7. T. 32. d. 9.
Actus unicus semel approbatus in possessorio prodest, VIII. 61. L. 7. T. 32. d. 7.
nec refert quod initio violentus fuerit, VIII. 64. L. 7. T. 32. d. 8.
Actus pastusque ovium non concedendus pro prædio adjecto alteri cui debebatur, indeque auctio numero, VII. 319. L. 11. T. 60. d. unica.
post Additionem pignoris in solutum factam non superest locus distractioni, IV. 304. L. 8. T. 28. d. 11.
Addictio judicis in solutum instar venditionis est, II. 205. n. 8. L. 7. T. 62. d. 79.
pignorum quando facta intelligitur, IV. 305. L. 8. T. 28. d. 13.
non fiat, nisi præcedente æstimatione, III. 55. L. 7. T. 53. d. 81.
fundi an etiam rusticos comprehendat, IV. 16. L. 8. T. 14. d. 7. V. 277. L. 1. T. 21. d. 3.
ad manus creditoris servitutis species est, VIII. 390. L. 1. T. 21. d. 9. n. 4. ex consuetudine recepta, n. 5. quomodo facienda, n. 6. 7. 8. ibid.
Additionales articuli post fatalia, introducendæ appellationis vel implorationis pro testificatione admittuntur, VIII. 405. L. 7. T. 62. d. 139.
Adhærere appellationi & prosequi appellationem quantum interest, IV. 189. L. 7. T. 62. d. 112.
qui vult appellationi alienæ necesse habet eam inter decem dies ratam habere, ibid. n. 4. ibid.
Adhærens appellationi an & quando appellationem prosequi possit appellante desistente, I. 159. L. 7. T. 62. d. 62. V. 87. L. 3. T. 5. d. 1. II. 216. L. 3. T. 7. d. 11.
ex Adhæsione duplex appellatio fit, VIII. 201. n. 4. L. 3. T. 1. d. 107.
Adjacentia præsumptionem pertinentiæ facit, VII. 374. n. 1. L. 4. T. 3. d. 8.
Adjecto solutioni solvi potest, VIII. 439. n. 2. L. 4. T. 10. d. 11.
Adjudicatio quotuplex sit & quomodo fiat, I. 20. L. 8. T. 28. d. 2.
multum facit dominium, II. 286. L. 4. T. 20. d. 7.
fieri non debet sine prævia subhastatione, I. 20. n. 2. L. 8. T. 28. d. 2.
titulus habilis est ad transferendum dominium, ibid. n. 3.
post excitatum creditorum concursum nullius est momenti, VI. 103. L. 8. T. 18. d. 40. ante concursum decreta non vero effectui data, nisi post eum, non proficit, VI. 105. L. 8. T. 18. d. 42.

Digitized by Google

provisionalis pro mercede solvenda, quando facienda est contra conductorem locatori pendente lite, VII. 318. L. 1. T. 21. d. 8.
uni creditorum pendente concursu fieri nequit, IV. 142. L. 7. T. 75. d. 6. si tamen fiat cujus sint fructus. 143. L. 7. T. 51. d. 32.
fieri non potest debito nondum liquido, IV. 279. L. 7. T. 45. d. 27.
rei in qua alius specialem cum privilegio hypothecam prætendit, cui fit, qualem cautionem præster, V. 185. L. 4. T. 35. d. 1.
rei jus alterius potius non perimit, ibid. n. 2.
unius partis prædii, si totum vel reliquas partes faciat deteriores, quomodo procedendum, V. 39°. L. 4. T. 19. d. 19.
prioritatis latâ sententia quomodo fiat, IV. 158. L. 8. T. 18. d. 31.
provisionalis quomodo fieri debet, VII. 297. L. 2. T. 57. d. 42.
in concursu creditorum non eo minus faciendi quod aliquorum petitiones adhuc sunt controversæ. VI. 392. L. 8. T. 18. d. 50.
honestè suspendenda propter defectus æstimationis, V. 310. L. 7. T. 65. d. 77.
in Adjudicatione optio præcedere debet æstimationem, V. 114. L. 8. T. 18. d. 2.
ex Adjudicatione creditor non semper tenetur in solutum recipere rem cum accessionibus, VI. 249. L. 7. T. 53. d. 17.
Adjudicationis processus post concursum creditorum quis sit, VI. 391. L. 8. T. 18. d. 51.
Adjudicationem non suspendit cessio debiti alteri facta, VI. 351. L. 7. T. 53. d. 23.
Adjudicationem in solutum super rebus majoris precii quam sit debitum, nisi debitor consentiat in totum annihilari decet. III. 53. n. 6. L. 7. T. 53. d. 18.
Administratione cessante rationum redditio cessat, I. 172. n. 2. L. 7. T. 74. d. 1.
Administrator rerum alienarum tenetur ad rationes, fl. 219. n. 2. L. 4. T. 13. d. 3.
quando suis sumptibus id facere tenetur, ll. 128. n. 6. 9. L. 8. T. 18. d. 16.
rei alienæ præsumitus alieno nomine contraxisse, III. 3. n. 8. L. 2. T. 19. d. 4.
utiles impensas repetit, licet res ipsæ non supersint, ll. 227. L. 8. T. 27. d. 6.
ex residuis aliorum debitor non juvatur exceptione ea nondum soluta aut exacta vel exigibilia non esse, VIII. 341. L. 4. T. 35. d. 38.
Administratores ubi conveniendi, V. 299. L. 3. T. 15. d. 1.
Administrationis rationem non reddens vidua, lucris nuptialibus privatur, & nihilominus obnoxia manet, VI. 415. L. 5. T. 31. d. 7.
Advenæ sunt allegati legibus illius loci in quo degunt. I. 174. n. 10. L. 3. T. 15. d. 5. & peregrini statutis locorum non sunt obnoxii, fl. 160. L. 10. T. 39. d. 2.
Adversario non est in sua causa judicium aut contra tertium sine ejus voluntate arbitrium relinquendum. VII. 341. n. 3. L. 4. T. 19. d. 83.
Adversarios plures pro uno ut quis accipiat sine necessitate non admittendum, I. 113. L. 3. T. 40. d. 3.
Advocatus defensoris vices invitus suscipere non cogitur, III. 299. L. 2. T. 6. d. 3.
qui in priori instantia operam præstitit, a judice superiori, ut porro præstet, mandari potest, licet alias superioris JCrioni mediatè non subjectus, IV. 247. L. 3. T. 13. d. 94. & 249. L. 2. T. 6. d. 5.
licet extraneus sine judicio peccat ibi punitur, quo processu? V. 371. L. 3. T. 1. d. 12.
patrocinium præstare cogi potest, III. 200. n. 1. 2. L. 2. T. 6. d. 2.
non excusatur malæ causæ allegatione, ib. num. 4. 5. 6. 7.
quomodo malæ causæ inserviat, ibid. num. 9. 10.
pro cliente procuratorem constituens & salarium promittens, non tenetur de salario, nisi se debitorem constituit, VIII. 72. n. 2. 3. 4. L. 4. T. 35. d. 29.
viduæ vel filiæ durante retentionis jure causas feudales agens, an salarium ex feudo capiat, VI. 186. F. p. 6. d. 8.
ut communis in concursu constituatur creditoribus expedit, IV. 86. num. 9. L. 3. T. 1. d. 67.
Fisci in accusatione criminis præterquam si illud notorium nec altiore indagine eget, processum ordinarium observare, ideo non nisi prævio libello accusatorio reo communicando procedere debet, IX. 153. L. 9. T. 2. d. 2.
prævaricationis reus non est, qui cum uni parti operam præstitisset, deinde ab hac dimissus adversæ præstat, si nihil ex istius causa prodit, IX. 173. L. 9. T. 46. d. 3.
Advocati opera contra Superiores licita est & impunis, I. 155. L. 2. T. 7. d. 1.
appellatio pro cliente sufficit, nec opus habet ratificatione intra decennium, I. 216. L. 7. T. 62. d. 66.
muneris ratione ad provocandum tenetur, I. 91. n. 5. L. 7. T. 65. d. 104.
munus honestum est, quod ad aliorum injuriam abuti non licet, I. 155. 2. L. 2. T. 7. d. 1.
confessio vel error clienti non nocet nedum tertio, VII. 134. L. 2. T. 10. d. 2.
testimonium pro cliente adjuvat fidem, sed solum non facit, ne quidem semiplenam. VII. 56. L. 7. T. 65. d. 22.
& procuratoris munus idem si simul subit, quomodo salarium vel studium ejus taxandum, VIII. 251. L. 2. T. 10. d. 7.
negligentia quando procuratorem à pœna liberat, VI. 397. L. 3. T. 13. d. 109.
& procuratoris distincta sunt munia, VI. 397. n. 1. ibid.
ex facto circa processum parti expensa non est relevatio, sed ad repetendum actio, VI. 409. L. 2. T. 10. d. 1.
officio indignum est, si in quo alii antea est patrocinatus in eo, deinde eundem arguat & improbet, IX. 173. n. 2. L. 9. T. 46. d. 3.
salarium in expensarum quæstione quomodo taxandum, III. 45. L. 7. T. 51. d. 23.
sui absentia justam prorogandi fatalia prosequendæ præ ex causam, ll. 208. L. 7. T. 63. d. 14.
de salario cognoscit judex, coram quo officium præstat, I. 234. L. 3. T. 13. d. 28.
ob negligentiam pars restituitur, III. 19 aliud in procuratore, ib. L. 3. T. 7. d. 3. ibid.

Digitized by Google

impedimentum quando fatalia prorogari possunt, IV. 339. item dilatio d. 1, contumacia excusari, L. 3. T. 11. d. 21. n. 3. ibid.
Advocationis munus publicum est, III. 200. n. 2. L. 1. T. 6. d. 2.
Advocato totius anni salarium debetur, licet statim in initio anni ipsi renunciatum, III. 144. L. 2. T. 6. d. 1 modo operam præstat, aut per eum non stat, quo minus præstare possit, ib. n. 11. ibidem.
licere debet, quod licet clienti, IX. 173. n. 2. 3. L. 9. T. 46. d. 3.
Advocati quales sint & quomodo probentur, I. 189. n. 36. L. 2. T. 7. d. 2. VI. 381. n. 4. L. 2. T. 8. d. 1.
causas ut ut justas injuste agere non debent, I. 155. L. 2. T. 7. d. 1.
habet jus decernendi pœnas Ecclesiasticas, VII. 293. n. 2. 3. L. 1. T. 54. d. 5.
non habet potestatem excommunicandi, I. 235. num. 2. L. 3. T. 13. d. 23.
non habet merum Imperium, II. 138. n. 4. L. 3. T. 13. d. 41.
in clericos excercet jurisdictionem, II. 137. n. 2. L. 3. T. 13. d. 42.
qualem & quousque habeat jurisdictionem, III. 157. L. 3. Ed. d. 777. 258. L. 3. T. 13. d. 76. VII. 26. n. 5. L. 6. T. 42. d. 2.
Consistorium Evangelicorum Statuum non ex secularibus saltem sed & Ecclesiasticis personis constant, IV. 1. n. 2. L. 3. T. 1. d. 68.
successerunt in locum judicii Episcopalis quod in Papatu fuit, IV. 137. n. 2. L. 1. T. 3. d. 10.
jus fisci non habent, IV. 363. n. 4. L. 1. T. 34. d. 2.
Consistorii jurisdictio quomodo ex L. Diffamari & pro defensione Clericorum fundata sit, VI. 9. L. 3. T. 13. d. 164.
jurisdictio regulam habet ex ordinatione Ecclesiastica & instructione præscripta, VI. 9. n. 9. ibid.
Consistoria in Germania ad aulas & curias Imperii Statuum frequens appellari, IV. 1. n. 5. L. 3. T. 1. d. 66.
Consistoriis secularibus causis se immiscere prohibitum, III. 115. n. 4. L. 3. T. 13. d. 65.
dicatæ sunt causæ Ecclesiasticæ, ut sunt reales, ibid. n. 3.

Digitized by Google

Consistoriales causæ ut tractentur, IV. 82. L. 3. T. 1. d. 66.
, aliæ sunt meræ Ecclesiasticæ, aliæ meræ seculares & civiles, aut in istas incidunt seculares, IV. 2. n. 6. L. 8. T. 53. d. 7.
Consors pro consorte agere quidem potest, sed eum non obstringere, III. 285. L. 7. T. 60. d. 8. conf. V. 391. L. 3. T. 11. d. 11.
causæ non ad testimonium, sed ad juramentum suppletorium admittatur, V. 65. L. 4. T. 20. d. 1.
appellationem à consorte interpositam, sed derelictam prosequi potest, IV. 180. num. 6. L. 7. T. 62. d. 12. II. 341. L. 7. T. 68. d. 5.
causæ invito alteto consorte cum ejus interest, à lite discedere nequit ne dum contra conventionem, VIII. 215. L. 3. T. 40. d. 9.
unius post transactionem cæterorum consortium non communem causam ultro agit, sed pro suo tantum interesse experitur, VIII. 328. n. 1. 2. L. 2. T. 4. d. 17.
Consortis appellatio & victoria consorti prodest, I. 88. num. 3. L. 7. T. 68. d. 3.
contumacia juste coërcetur exclusione ab appellationis beneficio, II. 341. n. 6. 7. L. 7. T. 68. d. 5.
unius inertia vel collusione non est corrumpendum jus alterius, II. 341. n. 3. ibid.
Consorti, qui non fuit in lite, judicatum non nocet, III. 285. L. 7. T. 60. d. 8.
Consortes causæ collectivo nomine agentes nomina speciatim edere tenentur, IV. 62. L. 2. T. 4. d. 16. uti & convenienti speciatim nominandi ibid. n. 11.
Consortibus pluribus judex ex officio, procuratorem communem constituere, injungere potest, IV. 63. L. 2. T. 13. d. 27. II. 342. L. 2. T. 13. d. 17.
ex pluribus consortibus unum tantum nomine jutari sufficit, I. 237. n. 2. L. 3. T. 40. d. 4. modo speciali mandatum à cæteris exhibeat, ibid.
Consortibus non citatis judicialia decreta aut sententia, non præjudicant, VIII. 150. L. 8. T. 18. d. 70.
Constituentis possessionem propria autoritate invito detentore occupare non debet, V. 159. L. 3. T. 8. d. 8.
intra decendium possessionem non evocans remisisse intelligitur, V. 351. n. 11. L. 7. T. 32. d. 11.
Constituens ut se adversus constitutarium defendere possit, plures sunt causæ, III. 353. conf. L. 3. T. 8. d. 12. 360. n. 1. L. 6. T. 30. d. 35.
pro alio solvere judicatum non juvatur ordinis beneficio, alias gaudet regulariter, I. 129. L. 7. T. 65. d. 11. VII. 104. n. 1. limit. 3. 4. L. 8. T. 41. d. 19.
fidejussoris instar est, VII. 104. n. 2. L. 8. T. 41. d. 19.
in subsidium obligatur se quandoque principaliter, I. 229. n. 1. 2. 3. L. 8. T. 41. d. 10.
habet exceptiones debitori competentes, II. 25. L. 4. T. 18. d. 2.
solvere pro alio, quod facta cum ipso liquidatione deberi constiterit, post mortem illius non altra tenetur, VI. 399. L. 4. T. 18. d. 3.
debitum vetus ex novo bonum, non eo minus tenetur, etsi ibid & debitoris beneficii capiendi animo & spe fecerit, nisi dolo alterius inductus sit, IX. 150. L. 4. T. 8. d. 6.
habetur velut Interessor prioris debiti, IX. 159. n. 7. L. 4. T. 18. d. 7.
Constitutum quid, II. 319. num. 4. L. 4. T. 32. d. 4.
quamvis civilem & naturalem possessionem transferat, non tamen tale jus tribuit, ut nonstitutus non auditus ejici possit, V. 35. L. 3. T. 11. d. 10.
& promissio fit debitoris gratia, VIII. 83. n. 5. L. 4. T. 35. d. 28.
vitiat falsa persuasio, cum ejus causa fuit, III. 140. L. 4. T. 18. d. 5.
valet, modo debita sit pecunia, vel quis debeat, velut nondum adita hæreditate, non appareat, ibid. n. 6.
si transit ad constituentem ut debitor præstare debuit, IX. 159. n. 4. L. 4. T. 18. d. 7.
valet etiamsi instrumentum principalis debiti non exstat, IX. 162. L. 4. T. 18. d. 8.
Constituti pactum & pro hoc explendo promissum separata sunt nec quia hoc deficit illud infirmatur, IX. 139. n. 4. L. 4. T. 18. d. 4.
ex Constituto alterius res obstringat, an quis de alio constituat multum interest, IX. 139. ibid.
quando & quomodo debeatur usura, IX. 155. L. 4. T. 18. d. 7.
possessor possessionem amittit, si alium immitti patitur, & ante non intervenit, nec habet recuperandi remedium, si præsens per triduum, absens per decennium aceat, V. 159. L. 3. T. 8. d. 8. & 160. L. 2. T. 4. d. 17.
quid juris habeat, V. 59. & 60. ibid.
possidens, si invito eo qui est in possessione, rem occupat, an in L. si quis in tantam incidit, IV. 217. L. 8. T. 4. d. 9.
nascitur personalis actio, II. 361. n. 11. L. 8. T. 46. d. 2.
possessio infirmior est ea quæ est ex traditione, V. 162. L. 2. T. 1. d. 2.
Constitutio Imperii observatur, donec provinciali lege aliud cautum, V. 77. L. 1. T. 14. d. 2.
Imperii de litigiosa possessione quando locum habet, VII. 146. n. 6. 7. L. 3. T. 1. d. 97.
à judice etiam partibus non petentibus observanda, VII. 147. L. 3. T. 2. d. 97.
ad pœnam publicam & avertendum scandalum pertinet, ibid. n. 1.
Constitutiones Bremenses non manchertinæ Contractem processus non habet locum in deposito, I. 200. L. 3. T. 8. d. 20. nec contra civitatem, 202. L. 3. T. 8. d. 21.
Imperii de litigiosa possessione requisita, VIII. 155. L. 8. T. 6. d. 29.
Imperialis beneficium tam fidejussori quam reo principali prodest, IV. 150. L. 8. T. 41. d. 8.
in Constitutionibus Imperii quæ habentur singularia, si statutum latrem faciant mentionem ad inferiores communicatus non pertinent, III. 154. n. 10. L. 7. T. 65. d. 178.
Consuetudo, facti est & probanda, I. 45. num. 1. L. 4. T. 19. d. 23.
juri communi contraria stricte juris & non extendenda, ibid. 4.

Digitized by Google

civitatis non extenditur ad loca & personas exemptas, II. 30. L. 8. T. 53. d. 1.
tantum habet de potentia, quantum reperitur de usu, ibid. n. 6.
ex usu æstimanda, II. 272. n. 5. L. 7. T. 65. d. 234.
arctans maritum ad dandum fidejussorem est invalida, II. 367. n. 7. L. 5. T. 20. d. unica.
abrogat legem, VII. 150. n. 2. L. 1. T. 14. d. 25.
recentior ita attendenda, ut semper novissimorum potior ratio habeatur, ibid. n. 2.
quæ sit irrationabilis, II. 378. L. 3. T. 1. d. 48.
quomodo legaliter probanda, IV. 3. n. 7. L. 8. T. 55. d. 8.
non probatur solo Magistratus loci attestato, IV. 2. L. 7. T. 53. d. 7.
non alleganda tantum, sed specialim in iis terminis, in quibus adducitur probanda, VII. 254. n. 13. L. 5. T. 16. d. 3.
refundendi probat debitum & obligat impotentem III. 64. n. 1. 2. L. 10. T. 41. d. 10.
instar legis & præprimis consideranda, III. 7. n. 1. L. 8. T. 53. d. 5. V. III. 2. L. 3. T. 13. d. 2.
ut uxor pro marito teneatur & viceversa valida est, II. 206. n. 7. 8. L. 4. T. 12. d. 2.
efficere potest ut forenses collectentur, II. 372. n. 15. L. 10. T. 41. d. 7.
jus facit & legi æquiparatur, II. 377. n. 5. L. 3. T. 1. d. 47.
præsumitur justa, II. 378. n. 6. L. 3. T. 1. d. 48.
non vincit legem aut rationem, ibid. n. 3. V. III. n. 4. L. 3. T. 13. d. 2.
derogat juri communi, VII. 3. n. 1. 2. L. 4. T. 32. d. 24.
juri communi contraria non præsumitur, II. 377. n. 1. L. 3. T. 1. d. 47.
de una specie ad aliam non extendenda, VII. 73. L. 4. T. 38. d. 5.
tribuit jurisdictionem, VI. 128. n. 4. L. 7. T. 62. d. 4.
ut pro iis quæ pro usu necessario vehuntur portorium solvatur valida est, VII. 120. n. 2. 3. L. 4. T. 61. d. 4.
irrationabilis non attendenda, IX. 60. L. 5. T. 14. d. 4.
parentes à legitima excludens habetur pro irrationabili, IX. 161. L. 5. T. 14. d. 5.
Consuetudinis notoriæ effectus est ut juxta eam procedatur, II. 377. n. 6. L. 3. T. 1. d. 47.
super Consuetudine litigiosa & dubia nihil statui debet, ibid. n. 7.
de Consuetudine, quæ allegatur, judex ex officio inquirere potest pro abbrevianda lite, II. 377. n. 4. 5. ibid.
Consuetudinem judex sequi debet etiamsi à jure & ratione communi aliena, I. 144. n. 15. 17. L. 7. T. 14. d. 25. nisi manifeste sit irrationabilis, II. 378. L. 3. T. 1. d. 48.
ad Consuetudinem juri communi contrariam requiritur demonstratio quod rationabilis sit, & adhuc ut justam causam habeat, VII. 141. n. 5. L. 8. T. 27. d. 14.
contra Consuetudinem ne quid fiat, judex providere debet, II. 75. n. 5. L. 1. T. 14. d. 15.
Consueta fieri quomodo facta præsumantur, II. 346. num. 3. L. 8. T. 43. d. 39.
in judiciis præprimis attendenda, I. 193. n. 6. L. 3. T. 1. d. 23.
faciens extra culpam est, IV. 23. n. 6. L. 4. T. 19. d. 52.
in Consuetis non oportet semper regulas juris, I. 144. n. 17. L. 7. T. 14. d. 25.
Consules & Senatores Decurionibus æquiparantur, II. 36. n. 3. L. 2. T. 13. d. 9.
in iis, quæ civitatis nomine agunt, delinquentes, se ipsos non civitatem obligant, III. 374. L. 7. T. 53. d. 87.
ut administratores plenam non verò eisdem ad obligandum & alienandum potestatem habent, II. 36. n. 4. L. 2. T. 13. d. 9.
Contentio inter personas publicas noxia est & vitanda, I. 224. n. 7. 8. L. 2. T. 4. d. 7.
Continentia causæ, justam suppeditat evocandi causam, II. 135. L. 3. T. 13. d. 41.
dividi non debet, V. 123. n. 5. L. 7. T. 51. d. 36. I. 70. n. 2. 244. n. 7. L. 3. T. 8. d. 19.
facit ut judex in principali competens in quasi causa incidente competens habeatur, III. 90. n. 2. L. 3. T. 13. d. 63.
requirit ne judicium dividatur, ibid. n. 5.
oritur ex connexitate & unde hæc censetur, ibid.
ex accessorio, quæ sit, V. 355. L. 3. T. 13. d. 20.
Continentiæ causæ quando renunciari potest, II. 150. num. 9. L. 6. T. 30. d. 45.
Continentiam allegans probare tenetur, II. 135. n. 7. L. 3. T. 13. d. 41.
Connexionem causæ quæ incidentis non facit eadem res sola sed idem judicium, III. 90. L. 3. T. 13. d. 63.
dividere non est audiendus, III. 150. n. 5. L. 3. T. 13. d. 69.
Continuatio litis est primæ approbatio, II. 32. n. 30. L. 2. T. 13. d. 7.
Contrahentes nunquam reipublicæ oneribus aliquid detrahere voluisse præsumuntur, III. 180. num. 2. L. 4. T. 38. d. 1.
Contractus quatenus forum faciat, I. 259. L. 3. T. 14. d. 31.
ex causa illius non fit remissio, ibid. n. 2.
magis ex substantialibus quam nomine censetur, II. 192. n. 5. L. 4. T. 37. d. 1.
ex causa finali judicatur, II. 192. ibid. n. 4. VII. 48. n. 1. 2. 3. L. 3. T. 18. d. 120.
talis censetur, qualis ex contrahentium verbis apparet, III. 288. L. 4. T. 66. d. 1.
sunt facti, I. 160. n. 1. L. 7. T. 32. d. 29.
ex conventione legem accipiunt, II. 90. n. 1. L. 4. T. 65. d. 21. vel ex more regionis, n. 2. ibid.
cum eo censetur initi cujus gratia contrahentur, II. 95. n. 7. L. 2. T. 19. d. 3.
tot diversi censentur, quod sunt res quæ in conventionem veniunt, VII. 209. n. 1. 2. T. 4. d. 13.
pro parte non potest valere & pro parte rescindi, VII. 60. n. 9. L. 31. T. 91. d. 4.
ex voluntate contrahentium legem accipiunt, II. 55. n. 2. L. 4. T. 34. d. 6.
ex verbis judicantur, VII. 222. n. 6. L. 4. T. 19. d. 74.
ob minimam rem, vel summam, vel causam non rescinditur, II. 34. n. 4. L. 4. T. 65. d. 18.
non mutatur ex casu subsecuto, sed tantum præstatio pro eo, ut quisque casus est obnoxius, V. 54. L. 3. T. 5. d. 2.
ante conclusionem perfectus dici nequit, VII. 203. num. 12. L. 4. T. 29. d. 75.
Contrahens alieno nomine non potest sine ejus

Digitized by Google

... ejus in subsidium, II. 32. n. 5. L. 3. T. 2. d. 42.

Contractus non sufficitur animus ob id quod instrumentum ratione unius articuli conscriptum, non subscriptum est, nisi à tractatu plane recessisse, VI. 178. L. 4. T. 21. d. 11.

emptionis & non locationis quando præsumimus, VII. 1001. L. 4. T. 19. d. 74.

non est animus si ab aliqua parte præstandum non præstetur, VIII. 173. n. 1. 2. L. 4. T. 49. d. 6.

accessorius æstimatur ex principali, VIII. 353. n. 1. L. 8. T. 45. d. 24.

Contractus continuatio potius quam novatio præsumitur, V. 360. n. 4. L. 6. T. 30. d. 35.

rescissionis facta omnia in pristinum statum sunt restituenda ab utraque parte, III. 192. L. 4. T. 58. d. 81.

officii ratione gestus ad contrahentem non pertinet hisi ibidem causa, II. 320. n. 8. L. 11. T. 55. n. 1.

à quo receditur perinde habetur ac si non esset institus, VII. 193. n. 2. L. 8. T. 14. d. 25.

in Contractibus licet quis non possit conveniri, nisi ibi inveniatur, executio tamen in bona ibi sita suspenda, V. 495. n. 2. L. 8. T. 42. d. 3.

Contractus ex ignorantia ad rescindendum, V. 279. L. 4. T. 29. d. 24.

loci cujusque ubi ineuntur consuetudo est observanda, II. 319. n. 1. L. 4. T. 65. d. 13.

consensualibus ob non præstitum quod debetur, non licet renunciare contractum sed ad adimplendum actio, nec sufficit ad rescissionem non adimpleri debiti prætextus, nisi sit in quo substantia contractus consistat, VII. 113. n. 4. 5. L. 8. T. 45. d. 16.

in contractu non implenti exceptio quatenus recte objicitur, VIII. 516. n. 7. 8. 9. L. 4. T. 64. d. 5.

magis veritas quam scriptura inspici debet, VII. 178. n. 4. L. 4. T. 21. d. 1.

bonæ fidei sunt quæ in provincia sunt consuetudines, II. 318. n. 2. L. 4. T. 65. d. 27.

Contractus usurarii quæ pœna, VIII. 185. n. 1. 2. L. 4. T. 32. d. 38.

in Contractus non impleti exceptione haud admittitur de quibus an & quomodo debeamus, judicio contendatur, VIII. 168. L. 8. T. 36. d. 3.

Contrahens non satisfecisse alium arguens, ipse se ei satisfecisse probet, IV. 332. L. 3. T. 3. d. 1.

... diuturnum, donec ab eo liberatio aut mutatio doceat, II. 33. n. 1. 2. L. 4. T. 65. d. 14.

in Contractibus circa dubia & alia semper inspicitur quod dictum vel conventum, I. 196. n. 4. L. 7. T. 65. d. 106.

Contractum qui allegat, perfectionem ejus probet, IV. 333. L. 4. T. 19. d. 59.

non perfectum quæ arguunt, IV. 334. L. 4. T. 19. d. 60.

esse perfectum non præsumitur, ubi ex eo aliquid perficiendum superest, VII. 203. n. 4. 5. L. 8. T. 29. d. 79.

ei Contractum putatur, cui potuit acquiri, III. 3. n. 1. L. 2. T. 19. d. 4.

Contractuum nominatorum & innominatorum ... VIII. 519. n. 1. L. 4. T. 64. d. 8.

à Contractu perfecto alteri non licet recedere, I. 54. n. 3. L. 4. T. 65. d. 11.

si ei alter non satisfecit, quando licet decedere, V. 20. L. 4. T. 44. d. 1.

cum receditur mutuo consensu utrique pars pristina jura restituuntur, I. 126. n. 3. L. 2. T. 4. d. 4.

utrinque restituenda sunt quæ data vel facta sunt, I. 127. n. 3. L. 2. T. 4. d. 5.

non licet recedere inde quod alter in scriptura aliquid adjecit, de quo non conventum, VIII. 343. n. 2. fin. n. 2. L. 2. T. 4. d. 19.

ex Contractu vitioso & nullo non transfertur possessio, V. 394. L. 5. T. 13. d. 16.

quem quis non servat aliquid retinere nequit, I. 126. n. 3. L. 2. T. 4. d. 4.

in Germania tenetur in eadem qui bona ut civis loci possidet, etsi alibi domicilium habet, VII. 48. L. 3. T. 13. d. 120.

plurium civitatum ut unius corporis non tenentur singulæ, VI. 111. n. 1. L. 4. T. 1. d. 27.

Contractuum revocatio odiosa est & fidei inimica, I. 171. n. 9. L. 3. T. 1. d. 20.

Contradictio non justificata nihil operatur, II. 205. n. 2. L. 7. T. 62. d. 79.

Contradictor legitimus quis sit, ib. n. 5.

Contraria in uno subjecto subsistere non possunt, I. 40. n. 4. L. 6. T. 30. d. 40.

à Contrario argumentum validum est cum ex lege sumitur, I. 52. n. 3. L. 9. T. 4. d. 6.

Contravenens actui ex eo non potest juvari, I. 58. n. 7. L. 7. T. 65. d. 92.

Contribuendi pristinum modum non mutabit bona ad alium transeuntia nec successoris immunitate potiuntur, IV. 106. L. un. T. 1. d. unica.

Contributionum causa potior est quovis canone colonario, IV. 163. L. 10. T. 16. d. 7.

non habetur ratio in æstimatione rei, VI. 158. L. 2. T. 56. d. 3.

in Contributionum causis quando ordinarius processus obtineat, V. 187. L. 3. T. 1. d. 5.

quando appellari possit, I. 149. L. 7. T. 65. d. 118.

appellatio non habet effectum suspensivum, sed devolutivum, I. 149. n. 18. & 21. ibid.

ex Contributionibus belli tempore impositis & non solutis contractum debitum an sicta pace peti possit, II. 24. n. 2. L. 10. T. 1. d. 3.

Contributiones indebitæ per vim extortæ in dubio præsumuntur, V. 170. n. 6. L. 10. T. 4. d. 1.

Controversiæ status perversi exceptio in secunda instantia litis finitæ est, V. 68. L. 7. T. 62. d. 140.

Controversum aliquid esse, vel non esse, paria sunt, III. 20. n. 3. L. 3. T. 14. d. 52.

quod controvertitur, supponitur ac si non sit, donec evincitur, VI. 378. n. 2. L. 7. T. 4. d. 25.

Contumaciter absens habetur pro præsente, II. 270. n. 4. L. 7. T. 53. d. 79.

Contumacia ut diversiformis, ita diversimode coercetur, II. 327. L. 3. T. 1. d. 44.

major est ejus, quam non comparet, quam qui comparens non recte respondet vel facit, ibidem n. 11.

purga-

Digitized by Google

purgari potest usque ad sententiam, I. 143. n. 5. L. 7. T. 53. d. 68.
actoris sufficit ad circumducendam citationem, II. 67. n. 5. L. 3. T. 13. d. 37.
iterata gravius plectanda, II. 327. L. 3. T. 1. d. 43.
vel negligentia advocati vel procuratoris, vel mandatarii principalem non facit contumacem, ut appellare non possit, V. 180. L. 3. T. 11. d. 4.
nulla alia probatione facta in causis arduis sufficiens ad condemnandum non habetur, IX. 29. n. 11. L. 7. T. 59. d. 11.
non facit ut quis jus quod habet amittat, V. 192. L. 9. T. 35. d. 20.
non excusatur nisi ex eo quod est justum, II. 270. n. 8. L. 7. T. 53. d. 79.
anterior purgata non attenditur si pars iterum fiat contumax, IV. 407. L. 3. T. 11. d. 22.
major est semel comparentis quam ejus qui nunquam venit, VII. 389. n. 3. 4. L. 7. T. 59. 8. L. 2. T. 57. d. 6.
juramento purgari potest, V. 5. L. 2. T. 27. d. 1. d. 1.
non excusabilis facit litigantem cadere jure suo, nec impetrat restitutionem, V. 5. L. 2. T. 27. d. 1.
personalem citationem non facit justam, VI. 19. L. 2. T. 2. d. 31.
delictum est, ideo non præsumitur, VI. 64. n. 1. L. 2. T. 2. d. 34.
pastoris Ecclesiæ in civili causa non suspensione ab officio, sed immissione in bona ejus coercenda, VII. 320. L. 1. T. 3. d. 15.
ab appellatione non excludit, si non ob eam juste proceditur, VIII. 427. L. 8. T. 18. d. 79.
non nisi accusata nocet, VIII. 170. n. 4. 5. L. 10. T. 22. d. unica.
Contumaciæ pœna non ferit secure venire non valentem, III. 282. L. 2. T. 2. d. 20.
ordinaria est refusio damni & expensarum, II. 327. num. 8. L. 3. T. 1. d. 43.
non est amissio causæ sed tantum sumptuum refusio, II. 265. n. 11. L. 3. T. 1. d. 38.
accusatio non sufficit, ut ulterius procedatur, sed etiam petitio requiritur, III. 390. L. 2. T. 1. d. 13. nec pœna licet lege constituta, infligi potest, nisi petatur, ibid.
pœna non est amissio causæ & omnis juris sed id etiam contra absentem reddi debet, V. 192. num. 1. L. 9. T. 35. d. 20.
pœna non alia est in prima quam secunda instantia, VII. 389. L. 7. T. 59. d. 6.
pœna duplex est, ordinaria & extraordinaria, VI. 19. num. 5. L. 2. T. 2. d. 31.
accusatione non est opus in causa criminali, ubi illa est notoria, VIII. 357. L. 3. T. 11. d. 44.
in Contumaciam non respondentis articuli pro confessatis sunt habendi & quo cum effectu, IX. 29. L. 7. T. 59. d. 11.
in Contumaciam non proceditur nisi intimatio decreti facta doceatur, III. 266. L. 2. T. 2. d. 19.
qua Contumaciæ pœnas nihil interest inter subditos & peregrinos, III. 117. n. 4. L. 3. T. 13. d. 66.
ob Contumaciam procuratoris non ultra procedi potest contra dominum, quam quo pertingit mandatum, & quomodo super iis, quæ extra hæc sunt, procedendum, VII. 320. L. 1. T. 3. d. 15.
ob Contumaciam solam nemo causa cadit, IV. 181. num. 2. L. 6. T. 25. d. unica.
à Contumacia levis causa excusat II. 327. n. 6. L. 3. T. 1. d. 43. & fatua modo sit probabilis, VII. à n. 4. III. 160. n. 1. L. 7. T. 53. d. 84.
non excusat negligentia vel imperitia crassa, nec frivola causa, VII. 304. n. 9. 10. L. 7. T. 45. d. 5.
non excusat frivola in integrum restitutionis imploratio nec sistit lapsum termini præfixi, VIII. 165. L. 3. T. 11. d. 37.
Contumaciam facit non sola non comparitio sed quæ conjuncta est cum contemptu judicis & modo de hoc censendum, VIII. 289. n. 1. L. 2. T. 2. d. 47.
accusare nequit qui ipse non venit, ib. n. 5.
ex Contumacia victa saltem ex confesso cui prævalet veritas, VII. 337. n. 3. L. 7. T. 59. d. 5.
ad Contumaciæ pœnam quando deveniendum, VIII. 428. n. 1. 2. 3. L. 7. T. 43. d. 9.
in Contumaciæ causa quomodo procedendum, ibid. n. 6. 7. 8. 9.
à Contumacia quævis probabilis ratio liberat, VI. 165. n. 2. L. 4. T. 1. d. 31.
ejusque pœna non excusat inferioris potestatis jussus vel prohibitio, VI. 298. L. 9. T. 47. d. 1.
in Contumaciam processus justus est ubi justa citatio, I. 239. n. 7. L. 3. T. 13. d. 31.
à Contumacia non excusat injuste vel perpere factum, II. 327. n. 2. L. 3. T. 1. d. 43.
non adfectatum vel fictitium, ibidem n. 3. VII. 304. n. 10. L. 7. T. 45. d. 5.
Contumax tenetur de casu rei peremptæ, quam restituere jussus, III. 412. L. 3. T. 32. d. 8.
est cui deest probabilis differendi causa, IX. 24. n. 10. L. 3. T. 11. d. 48.
habetur pro confesso & eodem cum hoc jure censetur, VII. 238. n. 6. 7. 8. L. 4. T. 1. d. 41.
quis, etiam & quando non possit appellare, V. 180. L. 3. T. 11. d. 4.
quando habetur pro confesso, V. 191. L. 3. T. 1. d. 7.
appellationis beneficio non gaudet, V. 225. n. 8. L. 3. T. 39. d. 1.
sine dubio est qui dicit se venire nolle, VI. 64. L. 2. T. 2. d. 34.
sine justa causa amplius audiri non debet, VI. 270. L. 3. T. 11. d. 28.
Contumaces non possunt petere restitutionem, V. 329. L. 4. T. 54. d. 8.
per Contumaciam quod reus citatus procuratorem non constituit inde retardari non debet processus, VI. 367. L. 2. T. 13. d. 35.
in Contumacis condemnatione quid attendendum, V. 181. L. 10. T. 41. d. 2.
contra Contumacem injusta non sunt statuenda, V. 181. n. 6. ibid.
semper fieri debet interpretatio, V. 191. n. 6. L. 3. T. 1. d. 7.
contra Contumacem non pronunciatur, ubi ex actis justitia ejus apparet, VII. 337. n. 6. L. 7. T. 59. d. 5.
Conventio ut ex re fiat, solutio ejus rei injungit, ut im-

Digitized by Google

ut impositerum res debeat non persona tantum, VII. 237. n. 3. L. 2. T. 54. d. 8.

Conventionis lex & conditio est servanda illaque cessante hæc desinit, I. 127. n. 4. L. 2. T. 4. d. 4.

Contrahentium vel placiti provincialis potior ratio haberi debeat? VIII. 32. L. 2. T. 3. d. 18.

Conventione quod inter consentientes definiendum si non convenit arbitrio boni viri seu judicis est statuendum, VIII. 65. L. 2. T. 56. d. 13.

à Conventione recedi potest, cum altera pars non implet. I. 127. n. 6. L. 2. T. 4. d. 5.

Conventum in dubio quod consuetum, III. 11. n. 7. L. 4. T. 32. d. 6.

Conventiones facti sunt, VIII. 66. n. 5. L. 7. T. 39. d. 12.

Conversio causæ status non est in arbitrio litigantium II. 181. L. 1. T. 32. d. 2.

Copia actorum vel productorum non temere à judice decernatur, II. 349. L. 3. T. 1. d. 45. & 283. L. 4. T. 19. d. 36.

Corpus non æstimatur, sed alia ratio damni initur, I. 211. n. 5. L. 3. T. 35. d. 2.

post deberi ut quantitas & viceversa, II. 131. n. 2. L. 8. T. 43. d. 66.

Correctio odiosa est, II. 71. num. 3. L. 1. T. 14. d. 14. VI. 83. n. 2. L. 3. T. 2. d. 2. VIII. 3. n. 4. L. 11. T. 17. d. 5.

Correus ex persona correi compensationis exceptionem opponere potest, II. 217. n. 2. L. 4. T. 31. d. 9.

Correos debendi non constituit renunciatio constitutionis Novellæ de duobus reis, VI. 113. L. 4. T. 1. d. 19.

Correi debendi jure novellarum beneficium divisionis habent, VI. 279. n. 2. L. 7. T. 62. d. 9.

à Correctionis excessu licet appellare, I. 191. n. 7. L. 7. T. 65. d. 128.

Credens pecuniam in funerationem defuncti probare debet, tum causam crediti, tum versionem in eam rem, II. 223. n. 4. L. 8. T. 18. d. 15.

ut anteriori creditori solvatur, & rem huic oppignoratam in pignus accipiens in quantum gaudet successione in jus prioris creditoris, IV. 123. L. 8. T. 19. d. 4.

Credita ab uxore marito pecunia in ordine prioritatis quo loco poni debet, VI. 246. L. 8. T. 18. d. 45.

Creditor non potest cogi ut rem oppignoratam in solutum accipiat, I. 20. n. 1. ne juste æstimatam retinere valet, si alius plus offerat, I. 21. L. 8. T. 28. d. 3.

emens pignus extranei loco est, I. 19. n. 3. L. 8. T. 28. d. 1.

non potest cogi, ut res judicialiter taxatas & subhastatas in solutum recipiat, I. 21. n. 2. L. 8. T. 28. d. 3. volens tamen admittitur, & ubi semel elegerit, vel ideo bona æstimari fecerit, post variare & aliud exigere nequit. ibid.

indulto moratorio utitur, si debitor ipsius tale impetravit, II. 59. n. 10. L. 3. T. 5. d. 16.

qui obligationis instrumentum à debitore sibi traditum habet, an & quando in solutum accepisse censeatur, I. 160. L. 8. T. 43. d. 27.

plures res obligatas habens, una electa non potest denuo eligere, II. 285. n. 5. L. 8. T. 18. d. 17.

pignus non legitime distrahens ideo ut restitutio fieri non possit exceptione doli removetur, VIII. 250. n. 2. L. 8. T. 28. d. 19.

recepta solutione tenetur reddere instrumentum, II. 91. n. 5. L. 8. T. 43. d. 28.

fructus in sortem & usuras imputat deductis impensis, II. 128. n. 5. L. 2. T. 1. d. 8.

invitus non tenetur aliam nummorum sortem recipere quam de qua fuit conventum, II. 201. n. 13. L. 8. T. 43. d. 32.

res in manibus suis existentes, ante satisfactionem dimittere non tenetur, II. 133. n. 4. L. 8. T. 27. d. 9.

tenetur fidejussori actiones suas contra debitorem & confidejussores cedere, & donec id fecerit, cedendarum actionum exceptione repellitur, VII. 25. n. 1. 2. L. 8. T. 43. d. 7.

post immissionem, magis adjudicationem excussionis exceptione utitur contra anteriorem hypothecam generalem habentem, II. 286. L. 8. T. 18. d. 18. non specialem, ibid. n. 5.

concursui creditorum contradicens non participat de iis bonis, quæ sub concursu sunt, II. 287. L. 8. T. 18. d. 19.

debitori jus pignoris cedens non tenetur ceteris creditoribus potiorem vel pignus sufficiens præstare, II. 184. L. 8. T. 46. d. 1.

anterior addictioni pignoris in solutum non contradicens quando jus suum amittat, II. 205. L. 7. T. 62. d. 79.

si diu tacet, debitum solutum existimatur, II. 241. n. 12. L. 8. T. 42. d. 7.

violenter occupans hypothecam jus crediti amittit, I. 95. L. 8. T. 4. d. 3.

pignus debitoris filio, se debitorem constituenti reddens tutus est adversus excussionis vel evictionis exceptionem, II. 360. L. 8. T. 46. d. 2.

pignus reddens ut debitum suum recipiat, non tenetur ad evictionem, II. 360. n. 6. ibid.

pignoris jure vendens se cæteris creditoribus potiorem præstare tenetur, II. 184. n. 1. L. 8. T. 46. d. 1.

pignus suum pro solutione dimittendo de evictione non tenetur, II. 184. n. 6. ibid.

juste non recipit qui recipere non tenetur, II. 203. 2. L. 8. T. 43. d. 34.

ex fraude obligatur, etiamsi alias adversus ipsum non sit actio, II. 184. n. 8. L. 8. T. 46. d. 1.

particularem aliquot vicibus solutionem accipiens, impositerum ad eam recipiendam non tenetur, II. 280. L. 2. T. 56. d. 1.

invitus alium creditorem recipere non tenetur, II. 241. n. 2. L. 8. T. 42. d. 7.

in fraudem legis litem morari videtur, qui non facit quod pro liquidatione crediti decet, VII. 4. n. 8. L. 4. T. 32. d. 25.

pignus vendens ad quid teneatur, II. 360. n. 7. L. 8. T. 46. d. 2. 361. L. 8. T. 46. d. 3.

usum pignoris quandoque non dominium habet, II. 361. n. 1. ibid. VII. 54. n. 1. 2. L. 8. T. 35. d. unica.

habet personalem actionem adversus debitorem ad pecuniæ redditionem aut rei pignoratæ reparationem, ibid. n. 5.

non

Digitized by Google

non est obnoxius cladem res debitoris perdentem reparare, VII. 54. n. 4. ibid.
ab hypothecaria non excluditur contra emptorem rei oppignoratæ per præscriptionem ubi agere nondum potuit, VII. 192. L. 7. T. 39. d. 4.
invitus alium debitorem pro alio accipere non tenetur, VII. 12. 6. L. 8. T. 42. d. 1.
ante concursum immissus si possessionem retinet contra creditores potiores defenditur, VII. 40. L. 4. T. 1. d. 39.
ex sola immissione non tenetur ad præstationem superflui ut ex distractione vel insolutum acceptione, VII. 110. L. 8. T. 43. d. 74.
post concluſam liquidandi viam veniens an admittatur, I. 134. L. 7. T. 45. d. 12. III. 48. L. 2. T. 54. d. 2. & 252. L. 2. T. 60. d. 7.
qui debitum recipere recusavit, & ideo depositionem causatus, si lite pendente depositum petat an audiendus, II. 315. L. 8. T. 43. d. 38.
à filio sui debitoris novum accipiens chirographum non novat nec perdit separationis beneficium, II. 338. L. 8. d. 42. d. 11.
ex pluribus remediis eligere potest & variare adversus debitorem ejusque hæredes, non alios creditores, II. 339. n. 1. 2. 3. L. 8. T. 18. d. 20.
adversus fidejussorem non reum principalem agere velit liberum est, II. 370. n. 2. L. 8. T. 41. d. 13.
possidens non tenetur in concursu nomen suum profiteri, nec jura ejus perimuntur per citationem peremptoriam, & subsecutam liquidandi præclusionem, III. 252. L. 7. T. 60. d. 7.
qui à possessione quam ex contractu vel immissione habuit, cessit, si se iterum immitti petit, non statim auditur, sed ad postulationem debitoris rationes de fructibus ante perceptis reddere tenetur, III. 320. L. 7. T. 72. d. 18.
qui pro sui satisfactione fundum sibi addici curat, non potest postea etiam rusticum petere, IV. 62. L. 2. T. 1. d. 16.
qui pignus habet vel specialem hypothecam, non potest, nisi hoc excusso in alia debitoris bona immissionem petere, IV. 48. L. 8. T. 28. d. 10. II 285. n. 1. L. 8. T. 18. d 17.
qui debitoris bona detinuit fructusque percepit satisfactionem nactus præsumitur, IV. 55. n. 1. L. 8. T. 43. d. 26.
cujus pecunia anterior dimissus an in ejus locum succedat, IV. 178. n. 7. L. 8. T. 18. d. 32. 214. L. 8. T. 19. d. 5. V. 263. L. 7. T. 65. d. 75. VII. 131. L. 8. T. 19. d. 9. 338. num. 2. 3. 4. L. 8. T. 19. d. 10.
qui possessionem sibi in fundo oppignorato reservavit vel per constitutum habet, invito eo, qui est in possessione, propria autoritate occupare non debet, sed in L. si quis in tantam, & incidit, IV. 217. L. 8. T. 4. d. 10.
clam invadens hypothecam, licet sine vi, incidit in L. si quis in tantam &c. IV. 219. L. 4. T. 4. d. 11.
nec pœnitentia eum liberat, nisi partis læsæ remissio accedat, IV. 220. L. 8. T. 4. d. 12.
immissus, & fructus ex re percipiens, nihilominus contra fidejussorem, qui excussionis exceptione uti nequit, agere potest, IV. 261. L. 7. T. 72. d. 21.
hypothecarius non excluditur ab hypotheca per programma nisi eo fine propositum ut illi, qui jus in re prætendunt, id mature proferant, IV. 281. L. 4. T. 24. d. 2.
privilegiatus & hypothecarius quatenus solutum aliis creditoribus repetere potest, VII. 102. n. 8. 9. 10. L. 8. T. 43. d. 73.
qui ad mercem emendam crediderit, in hac prior est aliis chirographariis, IV. 312. L. 8. T. 18. d. 39.
potior pignus amplum possidens an alium creditorem admittere teneatur, IV. 346. L. 8. T. 28. d. 14.
posterior adversus priorem jure offerendi usurus, quatenus nupere constitutionis Imperii beneficio debitoribus dato capax, IV. 345. L. 8. T. 19. d. 6.
rei pignoratæ possessor habetur, & utitur remedio possessoriis, V. 94. L. 7. T. 65. d 53.
per violentam exactionem & invasionem jus crediti amittit, non tamen ipso jure sed per sententiam, ideoque ut pendente super hac lite, ad persecutionem debiti admittendus, IV. 157. L. 7. T. 45. d. 22.
anteriorem specialem hypothecam habens non potest impedire executionem judicati alterius si jura ejus ipsi maneant integra V. 184. n. 3. L. 2. T. 57. d. 4.
in concursu creditum petens non prohibetur interim hypothecaria agere contra tertium possessorem, V. 199. L. 7. T. 62. d. 131.
potior alterius executionem impedire potest, V. 334. L. 7. T. 53. d. 63.
recipiens in solutum res debitoris ut inde sibi satisfiat, non potest amplius petere, IV. 26. n. 5. L. 8. T. 14. d. 7.
ex constituto possessor quatenus remedia possessoria habent, V. 159. L. 3. T. 8. d. 8. & 160. L. 2. T. 1. d. 2.
prius immissus quando contra potiorem non defendatur, V. 364. F. p. 5. d. 10.
ab eo qui ob melioramenta seu impensas bona detinet, non potest impediri, quo minus immittatur, non tamen, nisi refusis impensis fructus percipit. V. 397. L. 7. T. 53. d. 64.
separationis beneficio reliquis potior, æque ut reliqui ex constitutione usurarum patitur diminutionem, V. 413. L. 1. T. 14. d. 3.
pignus vel aliam insolutum accipiens, si non efficiat, non potest agere de reliquo, IV. 26. n. 1. 5. L. 8. T. 14. d. 7.
ex adjudicatione non tenetur in solutum recipere rem cum accessionibus, sed separationem petere potuit, VI. 249. L. 7. T. 53. d. 17.
posterior cujus pecunia anterior dimittitur, succedit in hypothecam sine cessione aut conventione, VI. 366. L. 1. T. 19. d. 2.
succedit in jus & locum debitoris activè & passivè, IV. 145. n. 1. L. 3. T. 1. d. 71.
licet potior sit, non tamen integrum pignus credito suo longe amplius retinere, si alii adsunt creditores, IV. 346. L. 8. T. 28. d. 14.
avitus ex cujus pecunia dimittitur is succedit in locum & privilegium illius, VII. 131. L. 8. T. 19. d. 9.

Digitized by Google

prius de perceptis reddet rationem, antequam de reliquis impetravit adjudicationem, VIII. 74. n. 2. 3. L. 3. T. 8. d. 35.
post factam electionem & adjudicationem obtentu non factæ plenæ satisfactionis non potest plura ex bonis detineri, IIX. 556. L. 8. T. 34. d. unica.
cujus pecunia anterior creditor dimittitur, quando in dimissi locum succedit, IIX. 417. n. 1. 2. 3. L. 8. T. 19. d. 11.
rem sibi oppignoratam alii oppignorare potest, II. 206. n. 8. L. 4. T. 12. d. 2.
pignus non suo sed debitoris nomine possidet, IIX. 396. n. 4. L. 8. T. 4. d. 23.
accipiens bona in solutum non potest quid ultra petere, IIX. 356. 4. 5. 10. L. 9. T. 34. d. unica.
ex addictione in solutum accipiens emptoris instar est. n. 6. 7.
petens ex pretio rei pro quantitate crediti sibi satisfieri non censetur id facere ea mente, ut sibi in solutum res addicatur sed tantum ut distrahatur, IX. 147. n. 8. L. 6. T. 23. d 4.
immissus an & quando post amissam possessionem à debitore fructus cum re juste repetit & impetrat, IX. 36. L. 7. T. 72. d. 9.
immissus imputat in creditum fructus non tantum perceptos, sed etiam percipiendos, at secundum præsentem rei conditionem, IV. 81. L. 8. T. 42. d. 12.
immissus cum restitutionem rei fructuumque ex edicto Prætoris, aut can. redintegranda petit, non remoratur probatio liberationis, hæc tamen excludenda non est, donec ista factâ fuerit, IX. 83. L. 7. T. 72. d. 14.
qui fidejussores habet concursum sequi non tenetur, sed relictis bonis iis qui creditoribus ceduntur, & ab aliis possidentur, integrum est fidejussores convenire, IX. 187. n. 2. L. 8. T. 43. d. 2.
Creditores quinam jus offerendi habeant, II. 111. L. 7. T. 65. d. 147.
nullo existente emptore si legitimè facta est subhastatio dominium impetrare possunt, ibid. n. 6.
de jacente hæreditate solliciti esse debent, II. 357. num. 5. L. 6. T. 30. d. 48.
vicem hæredum habent & jure debitoris in rebus ejus fruuntur, VII. 100. n. 3. L. 4. T. 32. d. 29.
qui de damno vitando certant potior habenda ratio, III. 174. 8. L. 3. T. 8. d. 29.
an possint debitore invito concursum excitare, I. 112. L. 7. T. 53. d. 65.
post citationem cum comminatione præclusionis factam publicata prioritatis sententia ad liquidandum vel deducendum, contra rem judicatam ulterius non admittuntur, etsi super præclusione nihil pronunciatum fuerit, I. 134. L. 7. T. 45. d. 12. III. 48. L. 2. T. 54. d. 2. & 252. L. 7. T. 60. d. 7.
defuncti non contra uxorem sed hæredem agere debent. I. 53. n. 12. L. 4. T. 12. d. 1.
post solutionem vel in solutum dationem minore ab hæreditate abstinente seu contra immixtionem restitutionem implorante, an & quatenus acceptâ restituere teneantur, IIX. 202. L. 3. T. 11. d. 39.
patientes res sibi obligatas aliis dari pignori jura sua remittere non censetur, II. 226. n. 3. F. p. 2. d. 12.
quorum liquida sunt jura anteriora per aliorum lites procrastinari non debent, III. 174. n. 6. L. 3. T. 8. d. 29.
post excitatum concursum & bona cessi eodem jure dominii utuntur, quo cedens uti potuit, III. 329. L. 4. T. 19. d. 46.
antecessoris seu venditoris præferendi sunt creditoribus successoris sive emptoris in distractione bonorum, IV. 242. L. 8. T. 18. d. 87.
quando finem litis super successione exspectare tenentur, VI. 326. L. 7. T. 19. d. 3.
ob moram & contumaciam immissi in bona debitoris ad rationes tenentur, VIII. 175. n. 3. 4. F. p. 8. d. 1.
in bona debitoris immissi an & quando tenentur stare locationi ab hoc contractæ, IX. 66. L. 4. T. 65. d. 74.
Creditorem cujus creditum liquidum est, judex statim in bona debitoris immittit non attenta exceptione, quæ est altioris indaginis, IX. 36. n. 6. L. 7. T. 72. d. 9.
Creditorum major pars quatenus obtineat, V. 297. L. 3. T. 13. d 5. II. 170. num. 4. 6. L. 8. T. 28. d. 7.
petitio pactis debitorum mutari nequit, I. 171. num. 11. L. 7. T. 74. d. 2.
satisfactio spectat ad existimationem defuncti, I. 31. n. 3. L. 3. T. 1. d. 6.
omnium jura sunt paria, quatenus alii pro alio non evenit certum privilegium, V. 25. n. 5. L. 8. T. 15. d. 2.
anteriorum ex sententia prioritatis liquido petitio in concursu differenda non est ob aliorum ab istis aliena litigia, VI. 385. L. 8. T. 18. d. 48. & 391. L. 8. T. 18. d. 49.
anteriorum petitiones non sunt differendæ, donec rationes redituum discutiuntur, VI. 391. ibid.
Creditori in feudo non aliter competit pignoris jus quam salvo jure domini, I. 209. num. 3. F. p. 1. d. 3.
quatuor modis succurritur & ex bonis debitoris ei satisfit, III. 533. L. 7. T. 53. d. 81.
invito alius debitor obtrudi nequit, I. 31. n. 3. L. 3. T. 1. d. 16.
quæ competit electio in bonis debitoris, quo cum temperamento intelligenda, VI. 248. L. 7. T. 53. d. 16.
vigilanti paratam executionem petenti plurium creditorum existentia frustra objicitur, III. 314. L. 4. T. 20. d. 12.
priori cum à debitore pecunia alterius solvitur quando pecuniæ dominus succedit, VII. 338. n. 2. 3. 4. L. 8. T. 19. d. 10.
qui ad refectionem vel conservationem ædium credidit, non est facienda adjudicatio, dum sub concursu de prioritate contenditur, nisi eo durante impenderit, VIII. 276. L. 8. T. 18. d. 75.
pignus occupanti non nocet contrarii spolii exceptio, VIII. 388. L. 8. T. 4. d. 31.
ex cautione indemnitatis fidejussori datæ est hypo-

Digitized by Google

hypothecaria actio, cum in eum hujus fit cessio, VII 24. L.8. T.19. d 8.
& pignus tenenti etiam contra dominum utut Ecclesiam interdictum uti possidetis competit. VII.298. L 8. T.6. d.24.
non licet invadere propria autoritate bona debitoris, quod si fecerit, invasio non solum non proficit sed causa est omnis juris quod habet amittendi, IX. 43. L.8. T.27. d.15.
qui venditor fuerat licitanti domus addicenda est, etsi multo vilius precium offert, quam quo vendidit, IX. 151. L.8. T.28. d 23.
non potest obtrudi post judicatum rei in quam immissus fuit, sine prævia subhastatione solutum acceptio IX. 146. L.6. T.23. d.3.
Creditoris immissi & debitoris contentione exorta an ex fructib⁹ bonorum jam perceptum sit creditum, quæ partes sint judicis pro servando justo, IX. 90. L.7. T.72. d.15.
pauperis privilegium in concursu creditorum non competit fidejussori, VIII. 213. L.7. T. 63. d 9.
Creditoribus post patris obitum num filius teneatur, si pater ei vivus bona cessit, VI. 319. L 4. T.16. d.6.
defuncti adversus legatarios, quibus hæres legata solvit, non competit repetitio, nonnunquam nec retentio, ante discussam hæreditatem, V.14. L.3. T.8. d.1.
non debetur feudum, sed feudi æstimatio, III. 136. n.5.6. F. p.3. d.1.
non obstat lis super hæreditate & inter cohæredes, V. 54. L.3. T.13. d.11.
è Creditoribus pluribus immissis quis fructus percipiat, V. 29. L.4. T.65 d.2.
non debet nocere quod pro credito plus fecerint quam facere debuerunt, III. 197. n.6. L.8. T.43. d.42.
datur electio fidejussorem an reum principalem convenire velint, & ab uno ad alium transitus I.17 n.4. L.6. T.30 d.37.
Concreditor personalem actionem longissimo tempore præscribit, IIX. 419. n. 2. 3. L.7. T.39. d. 3.
Creditum præsumitur ex possessione chirographi, II. 242. n.1. L.8. T. 42. d.8.
ob Creditum semel immisso debetur restitutio rei & fructuum etiam percipiendorum nisi statim doceatur exceptio liberationis, IX. & L.7. T.12. 7.
Crediti pro parte facta remissio ob speratam meliorem de reliquo fidei observantiam hac non secuta, retractatur, IX. 89. n.1. seqq. L.2. T.3. d.22.
professio quo tempore facienda juxta statutum, ut non dicatur omissa ad excludendum creditorem, IX. 175. L.8. T.26. d.4.
de Creditoris officio cui nomen pignori datum est circa hujus exactionem, & quousq; ejus periculo est. IX. 168. L.8. T.22. d.5.
Credulus nimis circumventus non auditur, ex justa autem ratione credens deceptus exceptione non caret, V.176. n.1 2, L.8. T.43. d.17. 271. n.7. L.4. T.39. d.2.
de Crimine in alieno territorio commisso an justa sit inquisitio, V. 300. L.3. T.15. d.1.
Criminales causæ clericorum quando ad forum seculare pertineant, II.138. L.3. T.15. d.6.
sunt cum pœna Fisco applicatus, II. 308. n.40 L.7. T.65. d.160.
in Criminalibus appellatio prohibita de quibus delictis in elligatur, II. 302. ibid.
non ultra devolvit causam quam ut nullitas emendetur, II. 322. n.4. L.7. T.65. d.163.
non capitalibus patisci licet gratuito, I. 225. n. 3. 4. L.2. T.4. d.6.
si appellatur, ut procedatur, II. 322. L.7. T.65. d 163.
quando restitutio in integrum locum habeat III, 411. L.2. T.25. d. unica.
pro defensione rei post publicata & didicita attestata testium examen aliud admittitur, IX. 163. L.4. T.20. d.47.
opus est liquidis & dilucidis probationibus, VII. 127. n.1. L.4. T.31. d.15.
judicis est officium ultra accusationem inquirere & omnia media explorandæ veritatis adhibere, ibid. n. 2.
duæ species sunt in quibus ad juramentum purgatorium definitur, n.4. ibid.
causis à parte accusatoris locus est commissioni ad perpetuam rei memoriam, IIX. 470. L.4. T.20. d.42.
an Criminosum sit factum, si dubitetur, juramento purgatorio animus exponendus est, IIX. 424. L.4. T 1. d.51.
Culpa est se immiscere liti alienæ, II. 38. num.1. L.7. T.62. d.70.
est causa obligandi tum in aliis tum in magistratu, VII. 142. n.5. L.5. T.95. d.1.
nulla infamat ne quidem lata, II. 340. n. 4. L.4. T.34. d.8.
mariti non nocet uxori, VI. 180. n.3. L.6. T.30. d.4.
caret, qui facit, quod oportet, licet ex omissione ejus, quod facere non tenebatur, casus existat, I. 221. L.9. T.16. d.6.
Culpæ species est non consulere peritiores in talibus, ubi illorum consilio opus est, IIX. 79. n.5. L.7. T.62. d.33.
ex Culpa non fit condemnatio quæ purgari potest, II 34. n 8. L.4. T.65. d.15.
Culpa utriusque ubi deprehenditur compensatio locum habet, ibid. n.6.
facti est & obscura de ea quæstio ibid. n.9. ideo probanda, I. 220. n.4. L.9. T.16 d.5.
non est ubi fit quod diligens paterfamilias facturus fuit, I. 221. n.2. L.9. T.16. d.6.
à Culpæ suspicione liberat exclamatio, ibid. n.4.
Culpa caret qui observat quæ observare debet, ibid. num. 5.
Cumulative non privative concessa intelliguntur quæ tam inferiori quam superiori Magistratui competunt, I. 55. n.12. L.3. T.13. d.19.
Cumulatio actionum locum non habet ubi non cohærent cumulandæ causæ, I. 113. n.11. L.3. T.40. d.3.
& actionum & exceptionum diversarum, ubi contra plures res devitari debet, VII. 379. L.3. T.40. d.8.
Cumulata actione personali & hypothecaria illa relicta, hanc prosequi integrum est, VII. 403. L.8. T.32. d.3.
in Cura deferenda successionis ordo non cognationis spectatur, II. 137. F. p.2. d.1.

Digitized by Google

Curator litis res pupillares simul administrans instar tutoris tenetur, I. 228. L. 5. T. 44. d. 1.

in bonis suis non patitur executionem ob litem pupilli nisi certis casibus, ibid. n. 3. 4.

suam personam legitimans pœna, & qua dignus II. 126. L. 2. T. 13. d. 11.

à Magistratu constituatur, II. 133. L. 5. T. 44. d. 3. IV. 58. L. 5. T. 34. d. 1.

diri potest alio autore non existente, II. 167. n. 3. L. 2. T. 13. d. 14.

testamento uxori à marito constitui potest, sed confirmatione eget, II. 168. L. 2. T. 13. d. 1.

procuratoris vice est, ibid. n. 1.

à judice regulariter constituitur, ibid. n. 2.

ad litem à quo judice detur, IV. 58. L. 5. T. 34. d. 1.

filio minori ob absentiam patris datus, revertente patre, desinit, nec recedente iterum patre, recedit in onus curæ, nisi de novo detur, IV. 96. L. 5. T. 44. d. 7. nec ad inventarium nec rationes tenetur, VI. 35. 1. L. 7. T. 72. d. 1. nisi administrationi se immiscuit, n. 3. ibid.

officii sui terminos non excedens non obligatur, VII. 15. n. 2. L. 5. T. 44. d. 9.

litis mulieri datus quid agat, si hæc sine ipso, vel ipso contradicente transegit, V. 101. L. 7. T. 65. d. 55.

tutoribus manum præbere eosque suo consilio juvare debet, licet ipsorum periculo, VII. 15. num. 8. 9. L. 5. T. 44. d. 10.

litis procuratorem constituere potest, licet tutor vel curator non possit, V. 296. L. 8. T. 43. d. 22.

& procurator super negotiis suæ administrationis transigere nequit, IIX. 3. n. 3. 4. L. 11. T. 17. d. 5.

minoris liti manet obnoxius, quamdiu ei alius non surrogatur, III. 202. L. 5. T. 44. d. 4.

bonis cessis datus æquiparatus curatori minoris, III. 120. L. 2. T. 15. d. 23.

aliena gerens suo nomine non obligatur, II. 219. num. 5. L. 4. T. 12. d. 3.

bonorum opibus sufficiens esse debet, aut satisdare, II. 179. n. 8. L. 8. T. 28. d. 7.

datur bonis cum quis sine hærede decedit, I. 172. n. 10. L. 7. T. 74. d. 1.

nemo sine idonea cautione admittitur, II. 13. n. 5. F. p. 1. d. 1.

non datur aditæ hæreditati, II. 166. num. 5. L. 6. T. 31. d. 2.

bonorum ad id constituitur, ut singuli creditores opus non habeant bona administrare, III. 120. num. 2. L. 8. T. 18. d. 23.

actiones instituere & suscipere tenetur, ibid. num. 3. 4. 5.

litis regulariter de residuis tutelæ non tenetur, VI. 2. L. 5. T. 44. d. 9.

appellationem etiam post perfectam ætatem tenetur interponere & prosequi nec auditur differre volens, IIX. 93. n. 4. L. 5. T. 48. d. unica.

Curatoris ad litem officium in quo consistit, IV. 344. n. 1. 4. L. 5. T. 44. d. 8.

ad litem constitutio est actus jurisdictionalis, II. 233. n. 3. L. 8. T. 27. d. 9.

Curatori bonorum excitato concursu incumbit distractio bonorum receptio precii & solutio, II. 170. n. 2. L. 8. T. 28. d. 7.

litis rectæ ea, quæ circa litem iis quorum curam gerit, agenda mandantur, IV. 344. L. 5. T. 44. d. 7.

Curia novit leges, II. 378. n. 8. L. 3. T. 1. d. 48.

in Curatore bonorum constituendo si non convenit, judex majorem creditorum consensum aut utilitatem sequitur, IV. 257. L. 7. T. 71. d. 12.

Curatorium à litis curatore exhibendum aliàs non admittitur, II. 133. n. 2. L. 5. T. 44. d. 3.

Currus & equi quando & quomodo viduis in concursu creditorum, marito obærato, attribuendi, IIX. 445. L. 8. T. 18. d. 77.

Cursores publici puniri possunt à magistratu illius loci in quo delinquunt, I. 174. num. 4. L. 3. T. 15. d. 5.

Custodes personis Ecclesiasticis annumerantur & jurisdictioni Ecclesiasticæ subsunt, VII. 27. num. 2. 3. L. 1. T. 3. d. 12.

Custodis receptio & depositio non ad jus patroni nec ad jus Pastoris pertinet, VII. 27. ibid.

ad Custodiam sine indiciis non est decurrendum. III. 161. n. 7. L. 2. T. 57. d. 18.

detrusio est quasi quædam servitutis irrogatio, quæ sine inquisitione inaudito non irroganda, ibid. n. 8.

de Custoditis in conclavi conducto adium dominus non tenetur de iis tanquam depositis, II. 54. L. 4. T. 34. d. 6.

Custoditum si Magistratus sub cautione actore non audito dimittat, tenetur respondere, nec ad fidejussorem remittens auditur, IIX. 86. L. 9. T. 4. d. 13.

D.

DAmna litis cum expensis in compensationem non veniunt, nisi ob manifestam calumniam, III. 128. L. 7. T. 51. d. 24.

rei locatæ à milite illata domini sunt, II. 90. n. 11. L. 4. T. 69. d. 21.

taxantur juramento, IV. 322. L. 7. T. 51. d. 34. V. 47. L. 4. T. 1. d. 2. 366. n. 4. L. 1. T. 3. d. 2.

Damnum dat qui occasionem ejus præbet, VII. 228. n. 4. L. 3. T. 41. d. unica.

quod quis sua culpa aut facto sustinet sentire non videtur & sibi imputare debet, I. 221. n. 7. L. 9. T. 16. d. 6. II. 278. n. 3. L. 3. T. 1. d. 40.

à defuncto datum ab hærede ex æquitate canonica resarciri debet licet lis cum defuncto non contestata, nec ad hæredem ex eo aliquid pervenit, V. 39. n. 4. L. 4. T. 17. d. 1.

illatum juramento solo non probatur, VI. 372. n. 2. L. 3. T. 35. d. 3.

quod ex sua mora quis sentit, ipsemet ferre, alteri imputare non debet, VI. 310. num. 4. L. 8. T. 43. d. 64.

Damni refusionem petentis libellus generalis valet, V. 40. L. 2. T. 1. d. 1.

& expensarum quæ differentia, IIX. 269. n. 5. L. 7. T. 51. d. 15.

nudæ designationi hominis paulo post mortui non creditur, V. 47. L. 4. T. 1. d. 2.

designatio non ideo rejicienda quod designata non probantur, VI. 372. L. 3. T. 35. d. 3.

in Damni quæstione quomodo procedendum, V. 47. L. 4. T. 1. d. 2.

Digitized by Google

de Damno actio, sive ex contractu, sive ex delicto, transit ad hæredes, V. 39. L. 4. T. 17. d. 1.
dato actionis requisita V. 366. L. 1. T. 3. d. 2.
Dantis jure resoluto quando cessat jus accipientis, IX. 280. n. 2. 3. 4. L. 4. T. 65. d. 72.
Datio in solutum solutionis vice est & tollit obligationem, II. 91. n. 1. L. 8. T. 43. d. 28. VII. 46. n. 3. L. 8. T. 43. d. 71.
Dationis in solutum oblatio sistit executiones, V. 26. L. 7. T. 75. d. 5.
de Dationis in solutum beneficio creditori competit electio, sed quomodo hæc electio moderanda, IV. 272. L. 8. T. 43. d. 54.
de Dationis in solutum modo & jure IV. 370. L. 8. T. 43. d. 56.
In Datione in solutum quatenus majori creditorum parti stetur, V. 297. L. 3. T. 13. d. 5.
Daturus in solutum pro electione facienda, ad designationem bonorum tenetur, IV. 370. L. 8. T. 43. d. 56.
Datum non intelligitur, quod retineri nequit, I. 175. n. 3. L. 4. T. 64. d. 1.
Debendi causa non subest, ubi aliquid fit officiosè & citra animum obligandi, III. 63. n. 2. L. 10. T. 14. d. 9.
